FELICIS PLATERI
quondam
ARCHIATRI ET PROFESS. BASIL. ORDINARII

PRAXEOS MEDICAE
Tomi tres.

Quorum summam sequens docebit pagina.

Quibus accessit

QVÆSTIONVM MEDICARVM PARADOXARVM ET ENDOXARVM CENTVRIA POSTHVMA,

Studio & opera

THOMÆ PLATERI D.
Felicis fratris
IN ACAD. BASIL. ANATOMICI BOTANICIQ. PROFESS. ORDINAR.

Nunc primum in lucem edita.





BASILEÆ, IMPENSIS LVDOVICI REGIS,
TYPIS IOANNIS SCHROTERI.
MDC XXV.

TOMVS PRIMVS
agit
DE FVNCTIONVM LÆSIONIBVS
libris duobus, quorum primus Senſuum; ſecundus Motuum læſiones continet,
Illarumq́; Symptomata, in generibus: Morbos eorumq́; Cauſas, in cauſis: & Curam in curatione proponit.

TOMVS SECVNDVS
tractat
DE DOLORIBVS, LIBRO VNO, QVI
tertius totius eſt Operis, atque itidem Dolorum Symptomata, in generibus: Morbos eorumq́; Cauſas, in cauſis: & Curam in curatione exhibet.

TOMVS TERTIVS
recenſet
VITIA LIBRIS DVOBVS, QVORVM
primus Corporis: ſecundus Excretorum vitia continet, ſingulaq́; illorum Symptomata, in generibus: Morbos eorumq́; Cauſas, in cauſis: & Curam in curatione declarat.

Omnia methodo nouâ, ſed facili & perſpicuâ, hactenusq́; diu deſideratâ, deſcripta: nec ſolùm veterum neotericorumq́ue, ſed & propriis obſeruationibus, ac remediis innumeris referta.

TOMI PRIMI
DE FVNCTIONVM LÆSIONIBVS
Libri duo.

PRIMVS est de Sensuum Læsionibus;

SECVNDVS Motuum læsiones continet.

Singula illarum Symptomata in generibus:
Morbos eorumq́ue Causas, in causis:
& Curam in curatione
proponens.



Ad Illustrißimum Potentißimumq́ S. Rom. Imp. Principem,

FRIDERICHVM DVCEM WIRTEMBERGENSEM ET TECCENsem, Comitem Montisbeligard. Dominum in Heidenheim, Equitem ordinis Regij Francorum & Anglorum,

Principem Dominumq́ meum clementiß.

FELIX PLATERVS ARCHIATROS BASIL.



CVM sanitatem hominis conseruandi, amissamq́ recuperandi scientia, Illustrißime Princeps, primis mundi ætatibus, quibus olim ob innatum corporibus vigorem, firma valetudine, longo annorum spacio homines fruebantur, non adeò esset necessaria, inculta ferè remansit. Seculorum verò successu, declinantibus numero annorum & robore virium, corporibus, atque sensim propter intemperantiam, morbis inualescentibus, necesßitate vrgente, quæ omnium rerum vsum introduxit, paulatim excoli cœpit. Vnde non mirum, primùm à Græcis, qui quòd voluptatibus & luxuriæ perquàm dediti essent, omnigenos morbos sibi conciliarunt, fuisse luculentiùs traditam; pòst ab Arabibus multorum remediorum accesßione locupletiorem factam; sicq́ subinde à sequentibus, antecessorum vestigiis insistentibus, nouarum obseruationum, variorumq́ medicamentorum cumulo adiecto, eousque auctam, vt quantum miseriæ nostris temporibus per morbos accesßit, tantum felicitatis per multifariam rerum naturalium cognitionem, ex altera parte, hoc modo Dei prouidentiâ, pulcherrimâ quadam veluti contemperatione factâ, sit additum. Quod cùm ex Anatomica corporis humani descriptione, omnibus numeris absolutißimè à nostris traditâ: tum ex simplicium & compositorum medicamentorum, antiquis incognitorum, inuentione, cognitione & accuratâ præparatione abundè liquet. Cùm enim Medicina ab experientia, duce & comite ratione, originem traxerit, ab eademq́ incrementum sumpserit, & perfici oporteat indies, nec eam certitudinem habeat, quâ aliæ scientiæ, quæ legum diuinarum humanarumq́ autoritate, omni exceptione maiore nituntur; nunquam ita absoluta omnibus suis partibus futura est, quin Magistra experientia, semper ei aliquid addere, aut quod ante ignorabatur, aut etiam quod tanquam certum exploratumq́ diu fuit habitum, detrahere mutaréve iure suo quodam posßit. Idq́ quia non vnius aut plurium hominum, imò ne quidem integrarum ætatum est, omnia singularia euenta & casus, ita perfectè obseruare, vt aliis quod notent nouum, atq́ à receptis

diuersum, non sit reliquum: maximè cùm multi, ambiguas potius coniecturas, quàm rationem & experientiam certam secuti, pleniorem in quibusdam rerum notitiam assequi nequiuerint, aliosq; secum in opinionum suarum patrocinium, quæ vim sæpiusculè veritati facere solent, pertraxerint. Vnde non modò non vitio verti, sed potius summæ laudi dari debet illis, qui quod longo vsu, multâ lectione, diligenti & assiduâ rerum perscrutatione compererunt, in commune hominum cõmodum, publicæ magis quàm priuatæ vtilitati studentes, animo prompto & fido conferunt. Quod ego, Princeps Illustrissime, apud me perpendens, veritatis studio iam inde à prima adolescentia flagrans, totis annis quinquaginta, quibus arti Medicæ operam nauo; annis quadraginta quatuor, quibus Medicinam facio; triginta & eo amplius, quibus eam publicè in Academia Basileensi doceo, atq; Archiatri officio insuper fungor, longo hoc temporis defluxu, dies noctesq; id egi, atque in eo totus fui, vt veram aliquam & solidam huius artis cognitionem adipisci possem. Atq; ideò in scrutandis, conquirendis & conseruandis rebus naturalibus, etiam ex remotissimis quibusq; orbis partibus petitis, nullis laboribus, nec sumptuum impensis peperci, vt supellectilem meam medicam, multis rerum millibus constantem, in immensum vsq; augerem. Corporis quinetiam humani structurã & vsum, tanquam totius artis basim, assidua lectione, & crebrò facta sectione, vt probè cognoscerem, operam dedi; atq; ante annos aliquot tabulis succinctè comprehensa, publici iuris feci. Deniq; vt ad vsum non tam propriũ meum ipsius solùm, quàm publicum multorum omnia referrem, cùm vitam longam, quæ in arte longa, penitiùs cognoscenda, requiritur, eamq; satis firmam Deus mihi hucusque, suâ gratiâ concessisset, quippe sexagenario iam maior quinquennio, vt quid indefatigato studio, diuturnâq; experientiâ congesserim, obseruauerim, & in multos annos presserim, publicè constaret, specimine de Febribus nuper præmisso, absolutam praxin medicam edere decreui, hortantibus ad id, non solùm coràm, sed etiam literis, precibus, precio, flagitantibus, vrgentibus, & prouectam ætatem meam, ne fortè mors conatus meos præueniret, considerare iubentibus, clarissimis quibusq; Medicis, qui me in scholis docentem, disputantẽ, multaq; noua proponentem, vel audiuerunt ipsi, aut etiam ex aliis, vel scriptorum meorum lectione cognouerunt. Quorum monitis crebris & indesinentibus tandem morigerandum, tractatumq; hunc practicum in lucem dandum, censui; in quo vnicè mihi fuit propositum, veritatem quantum possem sectari, nulliusq; in verba magistri iurare; quæ rationibus firmis, experientiâq; certâ vera esse comperi, pro veris asseuerare: quæ verisimilia, vel incerta & dubia, etsi ab aliis tanquam certa venditarentur, quid de illis mihi videatur, ingenuè profiteri; quæ incognita, ex effectibus potius quàm causis dijudicare, neq; obscura, vt vulgò fit, quia sibi turpe fore arbitrantur, ignorantiam quorundã fateri, rationibus longè obscurioribus, magis obscurare. Quod quàm loboriosum mihi fuerit, qui totius meæ ætatis curriculo in eo sudauerim, consenuerimq;, ac labores intollerabiles praxin medicam comitari solitos, nihilominus sustinuerim, æquus & candidus lector facilè est iudicaturus. Cæterùm, cùm aliorum potius quàm mei ipsius iudicio, rem non leuis momenti suscepisse, & in ea magnum operæ pretium fecisse, iudicer, magno quoq; Patrono ac defensore, ad splendorem meo operi adferendum, suoq; patrocinio illud defendendum, opus esse cogitaui. Occurrit verò inter potentissimos Principes, quorum Illustrissimæ familiæ, consilio & opera medicâ aliquando inseruiui, maior nullus, Celsit. T. Dux Illustrissime, cuius potentissimæ defensioni, opus hoc meum consecrarem, cuiusq; sub nominis toto Christiano orbe celeberrimi protectione, in apertam lucem, & literatorum conspectum producerem. Ad quod faciendum,

dum, plures me causæ impulerunt; quòd praxeos medicæ meæ initium quasi, apud principes Illustrißimæ stirpis Wirtembergicæ, ante triginta & aliquot annos fecerim, medendoq́; primùm innotuerim, inclarueri mq́; post magis magisq́; & quòd superstite adhuc Illustrißimo principe Georgio, felicißimæ memoriæ, T. Cels. parente, in aulam illius, consilij communicandi causâ, fuerim vocatus; & paulò post mortem Illustrißimi Principis Christophori, Ducis Wirtembergici, T. Celsit. patruelis, laudatißimæ memoriæ, ad relictam viduam, generosißimam matronam, similiter sæpius accersitus, ipsi & filio Illustrißimo, Duci Ludouico, sanctæ recordationis, per multos annos, sæpius consulendo, medendoq́; subsidiariam præstiterim operam. Cuius rei memoriã T. Cels. retinuisse, amplo mihi documẽto fuit, quòd cùm Celsit. T. ad rerum gubernaculum venisset, sæpè fuerim ab eâdem benignè inuitatus; cumq́; ante sexennium Principem Illustrißimum, Georgium Fridericum, Marchionem Badensem comitatus, Stutgardiam venissem, adeò clementer à T. Cels. fuerim exceptus, vt verbis satis deprædicare insignem illam clementiam, quâ T. Cels. me hospitem prolixißimè complexa est, non poßim. Præterquam enim quòd Cels. T. colloquio multo longoq́; me est dignata priuato, aureo quoq́; gestamine, Celsit. T. effigiem & insignia ostentante, tanquam vnum ex senioribus Illustrißimæ domus Wirtembergicæ Medicis, quibus verbis memini T. Celsit. vsam fuisse, donauit, vt hoc tanquam auctoramento veterum officiorum, ad alia præstanda, sicubi res & neceßitas postularet, T. Cels. magis obstringerer. Quinetiam magnificentißimum illud Theatrum suum, iure optimo Microcosmon appellandum, rebus omnibus, quæ aut natura produxit, aut ars fingere potuit, repletum, commonstrare, mecumq́; de plurimorum nominibus, naturâ, proprietate atq́; virtute, clementer conferre haud est dedignata, adiunctâ gratiosæ suæ beneuolentiæ & clementiæ in posterum etiam mihi pro re nata ostendendæ, promißione, in cuius spe adhuc suauiter conquiesco. Quæ sanè vti mihi stimulum addiderunt, ad dedicandum T. Cels. hoc opus meum, tot sudoribus, vigiliis, laboribusq́;, vt effari satis nequeam, concinnatum; sic & arcta illa coniunctio atq́; neceßitas, quæ inter Tubingensem & Basileensem, peruetustas & inclytas Academias hactenus fuit, non exiguum attulit momentum. Calcar etiam admouit, præstantißimorum & clarißimorum in omni genere disciplinarum virorum, quos T. Celsit. non solùm in illa Academia, sed etiã in aula sua, & alibi fouet, fauoreq́; prosequitur suo, cum nostratibus amicitia, vt Principi bonarum literarũ, literatorum, & omnium in quibus aliqua virtutis significatio elucet, fautori, hunc meum partum medicum deuouerem, defensioniq́; ipsius, quantâ possem animi subiectione & obseruantiâ nuncuparem. Quem vt T. Cels. solitâ vultus serenitate, & æquanimitate, quâ inter grauia & seria, leuiora etiam, sed cum vtilitate coniuncta, non aspernatur; quæ virtus in T. Celsit. inter cæteras heroicas virtutes, tanto Principe dignas, quibus T. Celsit. ad miraculum vsque excellit, inprimis multorum sermone prædicatur, accipere dignetur, & porrò me vt hactenus, gratiâ fauoreq́; suo, complecti pergat, suppliciter oro atq́; rogo. Deum Opt. Max. qui imperia pro suo bene placito constituit & transfert, illisq́; bonos principes præponit, toto pectore precor, vt T. Celsit. clauum Reipublicæ, summa cum prudentia moderantem, ad eandem prosperè feliciterq́; deinceps quoq́; administrandam, legibus piis & iustis gubernandam ac regendam, nec non studia optimarum literarum conseruanda propagandaq́;, incolumem & sospitem, vnà cum Illustrißima sobole, diutißimè conseruet atq́; tueatur. Basileæ 13. Febr. An. 1602.

IN NOVVM ET RARVM OPVS
medicum, Clarissimi & Celeberrimi Viri
D. D. FELICIS PLATERI,
Archiatri Basileensis,

Carmen hendecasyllabum.

QVantò est nobilior rubente carne
Thesaurus preciosus ille vitæ
Sanguis, spiritus, optimusq́; succus:
Tantò est vtilior Liber PLATERI
Libris omnibus omnium medentum.
Multùm hîc sanguinis, vtilisq́; succi,
Multùm est in reliquis videre carnis.

Martinus Prætorius, Sil. M. D.

Clarissimo Viro
D. FELICI PLATERO
Medicinæ Doctori celeberrimo.

FELICIS nomen tibi quod pater indidit olim,
In fatis certè credo fuisse tuis.
Artifici varios nosti medicamine morbos
Tollere, felices ritè adhibendo manus.
Non hoc Rauriacus tantùm testatur Horizon
Aut si qua est illi terra propinqua solo,
Adde peregrinas etiam venisse sub oras
Nominis & famam percrebuisse tui,
Vt tibi diuorum prognati stemmate regum
Concredant vitæ tristia fata suæ.
Hæc tibi contribuit flammantis rector olympi
Dona, ad Castalias feruor & ardor aquas.

Theobaldus Myllerus, Marpurg.

Ad Lectorem,

DE ORDINE TOTIVS OPERIS.

Ffectus homini noxam adferentes, quos contra & præter naturam vocant, cùm tres sint, Morbus, Causa & Symptoma; nos ab illis qui sub sensus cadunt, vel qui sensibus ægrotantium aut astantium percipiuntur, de quibus & primùm ægri apud Medicos conqueruntur, eosque illis enarrant, tanquam à notioribus exordimur, atque secundùm hosce affectus manifestos, summa genera, seu capita prima, in toto nostro opere practico diuidimus.

Hi autem affectus Symptomata plerunque sunt, cùm ea omnia sensibus sint exposita, & signa reliquorum affectuum, à quibus prodeunt; Morborum scilicet, ipsorumque Causarum; quæ duo in causis horum symptomatum proin proponuntur & explicantur: ideoque nulla peculiaria morborum latentium, sensusque fugientium (vt exempli gratiâ, Intemperiei ventriculi & hepatis, illorumque Obstructionum) proponimus capita, quemadmodum verò aliàs facere solent, & in praxi scribendâ, nunc morborum, nunc symptomatum nomina capitibus præfigere: cùm nos in symptomatibus enarrãdis, eorundem morbos in causis horum symptomatum (vti modò dictorum morborum Hepatis & Ventriculi, in Cardialgiæ, Nauseæ, Vomitus, Cachexiæ & Hydropis causis) describamus. Qui verò sensibus expositi sunt morbi, vt illi qui extrinsecùs plerunque occurrunt, tumores vlcera, &c. similiter, qnemadmodum symptomata, capitibus certis explicantur. Cæterùm cùm eiusmodi affectus, sensibus obiecti, raro simplices, sed ferè plures simul, diuersorumque generum concurrant, nos, etsi illorum in omnibus eiusmodi generibus meminerimus, ibi tamen potissimùm, vbi magis se produnt, illorum genera, causas curationemq; ex professo tractamus; vt licèt Suffusionem quæ tunica est in oculo, visum illius obliterans, in Visionis læsione præcipuè explicemus, nihilominus tamen rursum in Macularum oculi descriptione, illius mentionem sumus facturi.

Summa autem & præcipua omnium affectuum genera, qui sensibus percipi possunt: Vel in hominis functionum læsionibus: Aut aliis illius accidentibus, molestiis nimirum & doloribus, deformationibus & turpitudinibus: Vel in reiectis, obseruantur.

De functionum autem læsionibus primùm hoc in opere agimus, quo pacto ille peccent: vel quantitate, cùm deficiunt, idq; vel omnino, vel ex parte: vel qualitate, quando deprauantur, hoc est, aliàs non rectè fiunt. Quod quomodo in sensuum læsionibus eueniat, Primus liber; in motuum verò læsionibus, Secundus declarabit: sub quibus omnes functionum læsiones comprehenduntur. De Accidentibus reliquis, vti & Reiectis, quæ commentati sumus, ea in sequentibus proponimus libris.



DE FVNCTIONVM LAESIONIBVS,

LIBER I.

SENSVVM LÆSIONSES continens.



ENSVS cùm alij ſint interni, alij externi. De internis primo loco agendum, cùm illis læſis; externi ſenſus ſimul & motus quoque interdum labefactentur.

Interni ſenſus tres ſunt; Imaginatio, Ratio & Memoria, quos ſimul comprehenſos Mentis nomine appellabimus. Hi cùm læduntur, vel ſimul omnes, vel ſigillatim aliqui deficiunt vel deprauantur.

Deficiunt mentis functiones, cùm per ſe imminuuntur, vel abolentur; nam ex accidenti, vitali quoque motu læſo, etiam hæ functiones, ſicuti & reliquæ omnes totius corporis ceſſant: ſed tunc ad vitalis motûs læſiones referuntur, illicque explicantur.

Mentis imbecillitas. Imminuuntur autem mentis functiones, cùm non ſufficienter obeuntur, in variis illius generibus: vt ſunt *Hebetudo mentis*, *Tarditas ingenij*, *Imprudentia*, *Obliuio*; quæ ſimul explicabimus in MENTIS IMBECILLITATE, CAP. I. pag. 1

Mentis conſternatio. Abolentur cùm omnino non fiunt: vti fit in diuerſis ſoporis & ſtuporis generibus; cuiuſmodi ſunt præcipuè *Somnus immodicus*, *Somnus profundus*, *Carus*, *Lethargus*, *Typhomania*, *Sopor dæmoniacus*, *Sopor cum ſtupore*, *Ecplixis*, *Apoplexia*, *Epilepſia*, *Conuulſio*, *Catalepſis*, *Ecſtaſis*: de quibus agemus ſub titulo MENTIS CONSTERNATIONIS, CAP. II. pag. 11

Deprauantur mentis actiones, quando fiunt quidem, verùm non decenter, ſed ſiniſtrè, vel magis quàm decebat.

Mentis alienatio. Siniſtrè ſeu præpoſterè ſenſus interni exercentur, in variis quoque generibus; qualia ſunt præſertim *Stultitia*, *Temulentia*, *Animi commotio*, *Amor*, *Melancholia*, *Hypochondriaca melancholia*, *Mania*, *Obſeßio dæmoniaca*, *Hydrophobia*, *Phrenitis*, *Paraphrenitis*, *Saltus Viti*; quæ tractabimus in MENTIS ALIENATIONE, CAP. III. p. 80

Mentis defatigatio. Nimiùm quàm par erat, fiunt vel obeuntur, in *Vigiliis & per Inſomnia*; de quibus agemus in MENTIS DEFATIGATIONE, CAP. IV. pag. 143

Externi ſenſus quinque ſunt, Tactus, Guſtus, Viſus, Auditus, Olfactus: qui cùm læduntur, in defectione vel deprauatione peccant.

Tactus læſio. Tactus defectus & deprauationis genera ſunt, *Stupor*, *Formicatio*, *Senſus falſus caloris & frigoris*, *Hæmodia*; quæ proponemus in TACTVS LÆSIONE, CAP. V. pagina 151

Guſtus læſio. Guſtus quoque aboletur, imminuitur, deprauatur in *Defectu guſtandi*, *Deprauato vel*

falso gustu; quæ tractabuntur sub titulo GVSTVS LÆSIONIS, CAP. VI. pagina 159

Visus læsio. Visus præsertim multa incommoda patitur: quando vel non fit, vel diminutè, vel malè, in diuersis illius generibus; quarum præcipuæ sunt *Cæcitas, Amaurosis, Scotoma, Amblyopia, Caligo, Visus iuuenibus vel senibus incommodans, Myopia, Nyctalopia, Vespertina acies, Hallucinatio, Imaginatio, Nubecula, Colores, Splendores falsi, Vertigo, Scotodinos*; quæ simul explicabuntur in VISVS LÆSIONE, CAPIT. VII. pag. 169

Auditus læsio. Auditus eadem quoque patitur, in *Surditate, Graui auditu, Obauditione, Tinnitu, Sibilo*; vti describetur in AVDITVS LÆSIONE, CAP. VIII. pag. 239

Olfactus læsio. Olfactus itidem aboletur, minuitur, vel deprauatur; in *Olfactus defectu, & Olfactus deprauatione*; quæ explicabuuntur in OLFACTVS LÆSIONE, CAP. IX. pag. 259



DE MEN-

DE MENTIS IMBECILLITATE.

CAPVT I.

Genera.



MENTIS imbecillitas dici potest, cùm aliquis apprehensione seu ingenio, iudicio vel ratione, memoriaque minus quàm homo ingeniosus & industrius valet. Quòd aliquando in morbis accidit: aliâs verò non ægrotãtibus, sed alioquin sanis euenit, de quo hîc agemus.

Hebetudo mentis. Quandoq; autẽ hi sensus interni omnes simul hebetantur, & tàm ingenium, quàm iudicium & memoria deficiunt; diciq; tunc potest Hebetudo mentis.

Tarditas ingenij. Aliàs verò ingenio carent, cùm ægrè loqui discunt, & literas aliasque artes difficulter apprehendunt; Tarditasque ingenii dici potest.

Imprudentia, Iudicij defectus. Interdum iudicio destituuntur, in rebus quas apprehenderunt diiudicandis, atque Imprudentia vocari poterit.

Obliuio, Memoria imminuta. Plerunque memoria labefactata est, cùm ea quæ apprehenderunt & didicerunt, difficulter retinent, Obliuioque dicitur. De quo vitio multi, senescentes præsertim conqueruntur: & proin illius duntaxat ferè Medici in curationibus sub titulo Memoriæ imminutæ meminerunt, cùm & reliquorum sensuum internorum defectus, easdem causas, eandemque curationem obtineant; quæ & nos omnibus simul accommodabimus.

Causæ.

Pars affecta. CErebrum autẽ hîc, quod sensuum horum est organũ, afficitur: quod tamen non adeò vehementer est læsum, vt hi sensus interni penitus, vel vnà cum illis externi quoq; sensus & motus aboleantur, sicuti hoc in grauioribus cerebri læsionibus accidit. Quòd verò plures pauciorésve sensus, illique plus minúsve labefactentur; id prout substãtia cerebri vniuersa, vel ex parte tantùm affecta est, non prout ventriculi anteriores, medii, posterioresve, vti voluerunt, afficiuntur, accidit: dein & pro ratione morbi, quo cerebrum impeditur, sicuti dicetur, hæc variant.

A parentibus, hæreditariã hanc sibi nonnulli contraxerunt & hauserunt imbecillitatem, per causas insitas: vnde sæpè fit, vt sicuti ingeniosi & industrii sibi similes, ita ignaui torpidos gignant. Quod hisce signis, quia à teneris tales sunt, parentesque tales habuerunt, facilè colligitur. *Imbecillitas causa Mentis imbecillitatis.*

Ætatis causa aliis hoc accidit: vnde senes obliuiosi ferè fiunt, interdum & hebetes, ob caloris natiui defectum: nisi hoc ab intemperie aliqua cerebri, vti mox dicetur, accidat.

Concussio vel ictus capitis, post se imbecillitatem aliquam relinquens cerebro, id quoque potest efficere.

Sanguinis quoque nimia profusio, à quacunque corporis parte; vel alia nimia euacuatio, spiritus exhauriens. Quo nomine & venus nimia, sensus plurimùm, memoriam præsertim, labefactat.

Morbus item diuturnus, calorẽ natiuum destruens, capitis præsertim; vti post carũ, item post melancholiam, post conuulsiones: obliuiosos homines admodum factos vidimus: vel malignus, aut à veneno aliquo prodiens; quale fortè illud fuit, quod à Circe sociis Vlyssis exhibitum, memoriam illis rerum omnium præteritarum ademit: quod & philtra amatoria nõnunquam effecerunt: & narcoticorum vsus sinister potest efficere.

Ob vulnus in oculi sede profundè adactum, adeò memoriam fuisse in quodam deperditam, quidam scribit, vt de nouo elementa literarum cogeretur addiscere, cùm

prius & Græce & Latine doctus fuisset.

Verum & cum mentis functiones remissius exercentur; tunc calore natiuo otio torpente, nec in actum deducto, segnius procedunt.

Quod & contraria ratione, si nimirum nimium animus studiis, cogitationibus, vigiliis, curis exagitetur, potest accidere. Vnde tamen memoria primum fere læditur, senescentibus potissimum, iudicio nihilominus acri adhuc perseuerante. Quod ipsis nõ tantum ob imbecillitatem, quam etiam hoc pacto accidere ex eo, eleganter colligi potest; quod animus illorum, qui toto vitæ spatio, tot rerum species, imagines & concepta suscepit, illis adeo obruitur, vt nouas quas haurit, ac si nullus amplius illis esset locus, diutius retinere nequeat: vnde & euenit, quod senes ea quæ iuuenes apprehenderũt, firmiter ad extremum vsque retinent: quæ vero iam senio confecti tractant & cogitant, facile quidem concipiunt, recteque & ardue diiudicant, sed illorum mox iterum obliuiscuntur: consimili modo aliquo pacto, quo videmus senes plerosque, res procul dissitas rectius quam propinquas cernere, atque diiudicare: quod tamen aliam ob causam euenire, in visus imbecillitate explicabimus.

Dein, etsi animus diuersis studiis distrahatur, pluribusq; simul rebus obruatur, fit, vt non tantum pluribus intentus minor sit ad singula sensus, sed & vt dum se hæc inuicem confundunt, atque vnum ab alio impeditur, & obfuscatur (sicuti duobus doloribus vnum locum infestantibus, vehementior alterum obscurare solet) memoria illius quod debilius est, mox quoque euanescat.

Instrumenti vitiũ, causa Mentis imbecillitatis. Instrumenti quoq; imperfectio sensus internos languidiores facit. In infantibus tenerioribus, quibus cerebrum mollius adhuc & fluidum, nec dum crescẽdo absolutũ, segnes edit functiones. In adultis itidem, si cerebrum molem iustam nõ sit ademptum: tuncq; fere caput paruum habent.

Figura indecens cerebri, illiusque situs peruersio, à natura vel violenter facta, idem efficit. Quod ęgre cognoscitur, nisi caput cerebri formæ correspondeat.

Tẽperies cerebri. Temperamentum cerebri à naturali immutatum, nõdum tamen cerebri grauiores morbos pariens, sensuum internorũ ignauiam illam quoque facit. *mutata, causa Mentis imbecillitatis.*

Idq; maxime, cum humidius quam naturaliter esse debebat, existit; quã præcipuam memoriæ diminutę causam Medici statuũt: idque quod in cerebro humidiore, & proin molliore, minus diu rerum impressæ maneant imagines. Nos vero, quia sic languidius ad operationes edendas fit, illud fieri credimus. Huius autem humiditatis causa, aliquando à morbo aliquo cerebri prægresso, frigido & humido dependet: à quo, licet maiori ex parte sublato, hæc tamen humida illi impressa remansit cõstitutio: quod & à causis externis, aëre & medicamentis fieri potest. Cognoscitur autẽ hic defectus, ab humiditate proficisci, quod & tunc somnolenti sunt, aliisque humidioris cerebri indiciis.

Siccior quoque cerebri constitutio, quod res ægre apprehendant, causa statuitur, idq; quod in sicco corpore difficilius res imprimantur. Verum & obliuionis siccitatẽ hanc causam esse quoque posse, pleriq; docent, & memoriæ imminutæ à siccitate curationẽ explicant, quando post febres ardentes, post vigilias nimias & studia, memoria labilis fit: quod nos ex imbecillitate potius inde contracta, accidere suprà docuimus.

Curatio.

Prædictio. INcurabilis est hic sensuum internorũ defectus, si ab imbecillitate contracta à parentibus, vel ætatis ratione: aut insigni aliqua cerebri læsione accidat: aut à conformatione peruersa cerebri nascatur. Ægre quoque impressa illa cerebri præternaturalis constitutio, siue humida siue sicca sit, emendatur; cui tamen potissimum corrigendæ, suas curationes Medici, in memoria læsa sananda, accommodant. Nos quomodo ea vitia saltem corrigi, si non penitus tolli possunt, per operandi modos docebimus.

Exercitium, cũ omnes functiones ignauas acuat, & veluti in actum deducat, hic quoq; in animi operationibus, iuuare poterit, si ex remissiore illorum vsu, & veluti torpore hebetescant. In imbecillitate quoque, licet illa vix emẽdari queat, cum calor natiuus *Mentis imbecillitatis ab imbecillitate, & temperamẽto cerebri hus*

midiore, curatio. uus exercitio restauretur, & consuetudo sit altera natura, aliquid saltem præstare poterit, mentis exercitatio. Sed & in humidiore illius intemper e, cùm mentis hæc agitatio excrementa absumat, proderit.

Hoc fiet exercendo sæpè has animi functiones, iis maximè quæ cũ voluptate fiunt, (cùm nihil inuita fiat Minerua) easq; vel omnes simul; vel priuatim ingenium: si addiscant loqui, literas, linguas, artes, quibus apprehensio acuitur & ingenium, quòd aliàs otio torpet. Iudicium, si res discernant iudicentque, scrupulosa pręsertim, idq; frequenter: vti videmus multos legum ignaros, sibi vsu naturalem comparasse legũ scientiam, prudentiamque. Memoriam acuent, multa memoriter studendo, retinendoque, aliarumq; rerum artes memorię mandando; in quo hoc singulare obseruatur, quòd quæ ante somnum post cœnam vesperi concipiuntur, vel repetuntur, matutino tempore melius impressa manent.

Quies quoque animi functionum, eas nimio vsu & vigilijs defatigatas, tandemq; sic debilitatas, reficit.

Quod fit, si à nimio studio res cognoscendi tractandive, animiq; affectibus immodicis, sibi temperent: si decenti tempore, & quantũ necesse est, dormiant: cùm somnus sit animi quies, & per illum, eius actiones internę sentiendi tantisper quiescant, nisi quatenus per insomnia nonnihil se aliquo modo exerunt.

Euacuationes quod attinet, si à cerebri humidiore constitutione ignauia oriatur, adsitque excrementorum cerebri prouentus, illa successiuè euacuanda erunt: sicuti in cerebri morbis, à pituitosis & serosis humoribus natis, fieri solet; quod hac methodo fiet.

Communia excrementa primùm eluenda sunt, sequenti clysmate, vel simili: quod ℞. herbarum Maluæ, Altheæ cum toto, Parietariæ, Betæ, Mercurialis, Betonicæ, Saluiæ, Hysopi ana, M.j. florum Chamomillæ, Meliloti, Sambuci, Lauandulæ ana P.j. Furfuris P.j. seminum Fœniculi, Carui ana ʒ.iij. fiat decoctio; dissolue succi Mercurialis ℥.j. Mellis ℥.j.ß. olei Rutacei ℥.ij. Benedictę laxatiuæ, vel Hieræ alicuius fortis ℥.ß. Salis ʒ.j. fiat clyster.

Præparandi deinde humores hoc decocto; quod ℞. radicum Ireos, Acori veri, Enulæ campanæ ana ℥.ß. Pyrethri (memoriam valde iuuat) Galangæ, Zingiberis ana ʒ.ij. herbarum Betonicæ, Maioranæ, Thymi ana ℥.ß. Melissæ ʒ.ij. florum Lauandulæ, vel Spicæ, Saluiæ, Stœchados ana ʒ.ij. Anthos ʒ.iij. radicis Liquiritiæ ʒ.vj. seminũ Anisi, Fœniculi ana ʒ.i.ß. Carui ʒ.i. Cubebarum ʒ.ß. fiat decoctio in Aqua & Vino, & in colaturæ ℔.i.ß. dissolue Mellis vel Sacchari q.s. aromatisetur Cinamomo & Nuce moschata; Pro quinque vel sex matutinis.

Vinum per infusionem horum fieri poterit, relicto melle & saccharo, si dulcibus delectetur: sin minùs illorum loco Absinthio substituto: cuius odore plurimùm delectantur, nec amarorem abhorrescunt.

Syrupis idem fieri poterit, si minor labor, maior gratia requiratur: ℞. syrupor. de Betonica & Stœchade, Mellis rosacei ana ℥.ß. aquarum Betonicæ, Maioranæ, ad duplum; aromatisetur Cinamomo: Bibat totidem, vti de decocto dictum est, vicibus,

Hisce factis, corpus purgabitur pilulis hisce: ℞. pilularum Cocciarum ℈.ij. Castorei (peculiariter confert) ℈.ß. cum Vino odorato: fiant pilulæ.

Vel hac potione: ℞. electuarij Diacarthami tui ʒ.ij. vel alterius phelgmagogi dosim vnam, Agarici infusi in Oxymellite ʒ.j. syrupi de Liquiritia ℥.j. aquarum Melissæ & Betonicæ q.s. fiat potio.

Hisce factis & corroborato cerebro, vti post purgationem fieri debet, si caput adhuc excrementitium sit, repeti hæc possunt statim, vel tempore idoneo, aut per interualla.

Quod syrupo fieri potest; qui ex decocto præcedenti parabitur, additis Sena, Carthamo, Agarico, Turbith: quibus & Fœnic. marinum, cùm pituitam, si recens sit, educat, permiscere possumus, & Saccharo & Melle additis, ad consistentiam decoquere.

Pilulæ quoque vsuales phlegmagogæ vsurpari poterunt.

Vina minus apta sunt si diutiùs asseruari debent, cùm facilè corrumpantur: si vero

continuis diebus quinque vel ſex vſurpanda purgatio, ex iiſdem quibus decoctum infuſis in vino, parari poterunt.

Particularibus quoque euacuationibus, Caputpurgijs dictis, per maſticatoria, gargariſmata, errhina, ſi humor aqueus redundet, caput per vices purgabitur: vti ſuo loco dictum eſt.

Alterantia quod concernit, omnia ea quæ caput roborant, illiusque calorem innatum excitant, intus foriſq; adminiſtrata, iuuare poſſunt: inter quę, quæ potentia agunt, calidiſsima in humida hac cerebri conſtitutione eſſe debent, cùm ea adeò impreſſa, & temperamentum cerebri adeò mutatum, ægrè reducantur, validioraque eo nomine requirant, & vt ſic quoque illorum operatio meliùs ad cerebrum poſsit pertingere: nec poſsint aſſumpta, procul diſsitam hanc partem, aut admota, ob capitis craſsitiem, nimiùm cerebrum inflammare. Reliqua vſu inuenta, proprietate quadam memoriam reſtaurare creduntur.

Quæ aſſumuntur itaq; ad memoriam potiſsimum reſtaurandam, in cauſa humida, vti dictum, ſequentia ſunt:

In forma pulueris, hic ſingularis ad memoriam conſeruandam prædicatur, qui ℞. Thuris maſculi ſeu olibani ℈. ß. fiat puluis: Capiat per ſe vel cum Vino aut Aqua conuenienti frequenter.

Si Piper addatur, tàm rotundum quàm longum, laudatiſsimum erit remedium, hoc modo paratum: ℞. Thuris maſculi ʒ.xv. Piperis ʒ.v. fiat puluis: Detur omni mane ʒ.j. per dies 40.

Zingiber cõditum in ſyrupo vel ſiccum, vti præparari ſolet, manè ſumptum, probatur. Acori item veri, id eſt, calami aromat. conditura.

Pyrethri item radix, dum recens eſt condita, zingiberis inſtar comeſta, magni fit: cuius decoctum contra obliuionem Paracelſus probat.

Confectio anacardina, ad memoriam reparandam præcipuè inuenta fuit, præſertim ſi ſine caſtoreo, ob ingratiam paretur, vti docet Gordonius. Cuius ʒ ß. vel ʒ j. aut plus etiam, cum aqua aliqua conuenienti, vt Fœnic. & Apij, ſecundum Gord. exhibetur: quæ ſi nimium corpus accendat, ſic parabitur.

℞. confect. Anacardinæ ʒ.j. conſeruarum Maioranæ, Roſmar. ana ℥.ß. Capiat ſemel vel bis in hebdomada, ʒ.j. pro vice.

Compoſita ex enarratis, & alijs capiti cõuenientibus & appropriatis, memoriæ labefactatæ, vt myrobalanis, rad. cyperi, cranio hominis, & conſimilibus, ad cerebri corroborationem, ſic fiunt:

℞. Confect. Anacardinæ ʒ.j. Thuris ʒ.ij. Piperis, Zingib. ana ʒ.ß. Sacchari diſſoluti in aquis Cinamomi, & Maioranæ ℥.xij. fiant tabulæ: Detur vna, quolibet mane, vel alternatim.

Aliæ efficaciſsimè parabuntur hoc modo: ℞. Thuris maſculi ʒ.iij. Piperis, Zingib. ana ʒ.ß. Cinnamomi ℈.ij. Coralli ʒ.j. raſuræ Cranij humani ʒ.ij. Cornu cerui, Eboris ana ʒ.ß. adde Sacchari ℥.vj. vel duplũ, fiat puluis: vel diſſoluto ſaccharo in aqua Maioranę fiant tabulę; vel minuatur ſacchari quantitas, & cum inf. gummi Tragach. in aqua Roſ. fiant formulæ: Vtatur.

Poſſunt & electuaria ad eundem vſum parari ex capitalibus, hoc modo: ℞. conditurarum Zingiberis, Acori veri, Pyrethri, vt dictum: ana ℥. ß. Myrobalanorum chebularum, emblicarum ana numero ij. Maioranæ, Anthos, Lauandulæ vel Stœchados, Saluiæ ana ʒ. vj. conſeruarum Roſarum, Bugloſ. ana ʒ.iij. adde Cyperi, Galãgæ, Gariophyllorum ana ʒ.ß. Piperis ℈.ij, Cubebarum ℈.j. Olibani ʒ.j.ß. pulueris Diambræ, Diamoſci ana ʒ.ß. (Moſcum vel ambram addere poſſumus) Cranij hominis ſi voles, ʒ.ij. Mellis anacardini q.ſ. fiat electuarium: Capiat à ʒ.j.ß. ad ʒ.ij. cubitum iturus.

Theriacam & Mithridatum commendant quoque: quæ nos propter opium, quod omnes ſenſus ſtupidos vel languidiores facit, etſi vetus ſit compoſitio, malumus omittere; cùm alia nõ deſint, & nullus dolor hîc, aut neceſsitas requirat, nec humoris adſit malignitas.

Si ingratis vti neceſſe eſt, ſatiùs erit in forma pilularum: ℞. Thuris ʒ.ij. Piperis, Zingiberis, Cubebarum ana ʒ.j. Caſtorei ʒ.ß. Moſci, Ambræ ana gr.vj. cum confectione vel

melle Anacardi; fiant pilulæ: Da in introitu lecti duas, per multos dies.

Vinum ad hoc conueniens sic fiet: ℞. radicum Acori veri, Galangæ ana ℥. ß. Zingiberis ʒ.j.ß. herbarum Maioranæ, Saluiæ, florum Lauandulæ, Stœchados, Anthos, Rosarum ana ʒ.iij. Piperis, Gariophyllorum, Cubebarum ana ʒ. ß. infundantur conquassata in Vino. Bibat interdum manè, cùm sumis iusculum, haustulum.

Aquæ stillaticiæ probatur simplices, Anthos vel similes. Vel compositæ ex varijs, affusa aqua vini, quam Vitæ vocant: quam & simplicem, si manè cochlearis vnius mensura sumatur, prodesse scribunt.

Composita talis fieri poterit: ℞. Materiarum supradictarum pro vino, conquassatarum; affunde Spiritus vini, vel vini maluatici, vt supereminеat digito vno, confectionis Anacardinæ ʒ. vj. destillentur in balneo Mariæ, & vtatur.

In cibis multa eiusmodi, gratiora præsertim adhibita, pro condimentis vsurpari possunt: vti arom. prædicta, Piper, Zingiber; pro infarctu, Maiorana, Saluia, & similia.

Sinapis item bellarium cum Melle: vti mensis adhiberi solet. Vel idem Saccharo obductum: cùm proprietate hoc semen memoriam acuat.

In vino quoq; herbæ similes infundi possunt, & macerari.

Externa remedia similia vsurpari possunt, quæ calorem excitent, & humiditates absumant: qualia sunt hæc:

Fricare manè caput pectine, & pannis, ordinariè post somnum.

Lixiuio caput nonnunquam abluere, sed mox iterum siccare, pannis calidis Thure suffumigatis: cùm thus, vt dictum, peculiari vi memoriam iuuet; Lixiuium autem tale erit: ℞. Agarici ʒ.ij. herbarum Saluiæ, Betonicæ, Maioranæ, Spicæ celticę, Pulegij, Lauri; florum Rosmarini, Spicæ, Lauandulæ, Rosarum rubrarum, Chamomillæ ana p.j. baccarum Lauri, Iuniperi ana ℥.j.ß. Piperis ℥.j. conquassentur & coquantur in lixiuio tonsoris, factũ cum aqua extinctionis ferri.

Inungitur nõ modò posterior cerebri regio, in memoria læsã, sed & tota capitis superficies ad eadem; vt: ℞. Olei seminis Sinapis per expresionem: vngatur.

Efficacius sic erit: ℞. olei de Been, Sambucini ana ℥.j. seminis Sinapis, Piperis longi ana ʒ.ß. Euphorbij, Castorei ana ℈.j. Ceræ parum: fiat linimentum.

Sunt qui confectione Anacardina, dissoluta in Spiritu vini, caput inungunt.

Cucuphæ & pileoli, ex roborantibus caput, noctu & interdiu quoque gestantur: de quibus suo loco.

Amuleta si nõ viribus, saltem apprehensione iuuant, vt Lingua vpupę suspensa, obliuionem tollere creditur, Rhazi: Ametistus lapis gestatus sensus omnes acuit, vt quidã scribit; sicuti & lapidem Berillum gestatum bonum facere intellectum.

In sicca cerebri constitutione, vnde memoriam minui dicunt, si impurum corpus fuerit, purgetur, vt in melancholia dictum fuit, cùm in puris corporibus rectiùs medicamenta adhibita operentur. *Memoriæ imminutæ à siccitate cerebri, curatio.*

Humectetur cibis euchymis & succulentis; qualia in hecticis & melancholicis explicata fuere.

A siccantibus omnibus & immodicis euacuationibus, Veneris imprimis, qua nihil nocentius, abstineat.

Electuario hoc per vices vti poterit: ℞. conseruarum fl. vel rad. Cichoreæ, Buglossi, Borraginis: item Violarum, Capillorum Veneris & Betonicæ ana ℥. ß. specierum Diatragach. frig. Triasantali an. ʒ.ß. cum syrupo Violarum fiat electuarium: Capiat instar castaneæ, vel ʒ.j.ß.

Vel tabulis eiusmodi vtantur: ℞. florum Buglossi, Borraginis, Violarum, ana ℈.j. foliorũ Maioranæ ʒ.ß. Thuris masculi ʒ.j. Cranij hominis vsti ʒ. ß. Sacchari dissoluti in aquis Violarum & Rosarum, fiant tabulæ.

Topica capiti in melancholia dicta, applicabuntur. Imprimis lotio hæc capitis & pedum quoque vtilis, quæ ℞. decoctum capitis & pedum Veruecis q. s. addendo herb. Buglos. Borrag. Violarum, cum floribus, si haberi possunt, florum Rosarum, Betonicæ, (nam calida frigidis permiscenda, cùm humectandum, vt in melancholia dictum est) ana M.j. decoquantur.

Vtile & sequens: ℞.radicum Altheæ ℔.ß. herbarum Betonicæ, Maioranæ ana M.j. florum Violarum, Rosarum, Chamomil. Meliloti, Lauandulæ ana P.j. coquantur in Lacte, pro ablutione capitis.

Inunctio quoque talis laudatur, præsertim post ablutionem: ℞.oleorum Amygdalarum dulcium, Rosacei ana ℥.j. pinguedinis Anatis ℥.ß. album Oui numero j. Lactis ℥.ß. agitentur, pro illinitione.



DE MENTIS CONSTERNATIONE.

CAPVT II.

Genera.



MENTIS consternationem vocamus, cùm sensibus, vel saltē aggrauatis, vel omninò ferè sublatis; vel dormiunt non naturali modo, vel stupent. Idque vel cum corporis languore seu resolutione: vel agitatione seu conuulsione: vel rigiditate: quæ quatuor præcipua, & summa mentis consternationis sunt genera, sigillatim explicanda.

Somnus præternaturalis is est, qui secùs ac naturalis longiùs durat, diciturque tunc Immodicus, & qui sensus magis consopit, vocaturque ideo Profundus. Nonnunquam sanis adhuc accidēs, nimia in somnum propensio: vel profundus admodum somnus. Aliàs in morbis eueniens: & nunc sine, interdum cum febre, aliquando etiam cum delirio inuadens, vel cum stupore.

Somnus immodicus. Inclinatio nimia ad somnum, in sanis alioquin, quibusdam hominibus frequens est vitium: non quando hoc certis naturis, ætatis causa, vt infantibus & senibus: vel regionis (in quibus aliquibus noctu & interdiu dormire naturale existit) consuetum & vtile est, sed cùm à causa non decenti proficiscitur; vnde non tantùm noctu somno longiùs indulgentes, manè tardiùs surgunt: sed & interdiu, præsertim mox à cibo sumpto, maximeque tempore vel loco calido, ad dormiendum adeò impelluntur, vt omninò eos dormire necesse sit: ad quem aliqui tam procliues sunt, vt licet se ad illum minimè accommodarent, sed ad eum excutiendum aliquid agerent, nihilominus in ipso opere obdormirent: & quendam ex illis etiam cum biberet in mensa, poculumque ori adhiberet, hoc situ somno correptum, vel aliud quid agentem, corporis ea forma dormire solitum, vidi.

Somnus profundus. Profundus nonnunquam somnus, sanis interdum obrepit, post vini potum in ebrijs, vel sumptum aliud narcoticum: qui diuturnus non est, si mitior horum fuerit vsus: si vehementior, in stuporem, vt illic dicetur, conuertitur.

Sopor grauis, Caros. In morbo sopor grauis, Caros, Coma, Cataphora, Lethargus, Veternus, Subeth dicitur; in quo vt & in naturali, oculis clausis, corporeque prostrato dormiunt: Sed in illo sensus interni & per cōsequens externi, non tantùm, vt in naturali somno quiescunt, sed veluti obruti, plus minúsve torpent, adeò vt vix vel nunquā excitari possint, atq; expergefacti, de nullo dolore, nisi quatenus caput graue & ponderosum esse sentiunt, conquerantur, moxque iterum obdormiant. Motus quoq; corporis languidior, non tamen vt in apoplecticis, resolutis mēbris, abolitus. Neque, vt illis, respiratio est impedita, sed libera & facilis, nisi quatenus in aliquibus oscitatione & stertore deprauata est. Pulsus quoq; etsi imbecillior, nō tamē vt in syncope cessat.

Sopor cū febre Lethargus. Interdum sopori febris comes est: quæ si mox vnà cum illo incipit, Lethargi nomen, quod tamen & reliquis commune est, obtinuit. In quo præter soporis inditia, calor præternaturalis corporis, pulsus citus, vrina tincta, febrem adesse denotant. Sed & caros febrem nonnunquam sequitur, illiusque est symptoma.

Sopor cū delirio. Præter hasce soporis species, vna quoque inuenitur, in qua licet maxima sit ad somnū propensio, & decubitu oculisq; clausis eundem exprimant, nihilominus vigilant, illisque variæ rerum obuersantur imagines & spectra: Vel si dormiunt, insomniis variis, vel horrendis diuexantur, quæ postea vigilantes enarrant: qui impulsi ægrè oculos attollunt, tangentemq; aspiciunt atque desipiunt: & licet sentiant moueanturq;, tamen è lecto surgere, & vigilantium opera exerce-

re nequeunt. Hanc Cataphoram seu Coma agripnion, id est insomne vocãt: aliqui Typhomanian appellant, tanquam attonitam insaniam: nec ineptè Sopor delirans appellari posset, atq; ad delirium referri: vel Sopor grauis cum insomniis horrendis, altera illius species describitur: vulgus eos ac si ecstasi correpti essent, Ecstaticos vocat.

Sopor dæmoniacus. Huc & dæmoniacus sopor sagarum referri posset, in quo se per aërem ferri, suauiter victitare, choreas ducere, & cum dæmone congredi, putant, & vigilantes in eodem errore permanent.

Sopor cum stupore. Vidimus & alium in Barone quodã, hisce nonnihil consimilem, qui longo tempore attonitus & somnolentus, nihil secundùm rationem agebat, cibum nec petebat, nec nisi per vim intrusum capiebat, nec lectum nisi coactus accedebat, sed ad mensam tota die brachio innixus, oculisq; clausis veluti dormiens sedebat, nec nisi interrogatus sæpiusque admonitus, quicquam, sed tunc quoq; quæ ad rem minimè pertinebant, respondebat.

Stupor cum resolutione, Apoplexia. Stupor, Stupiditas, cum corporis languore seu resolutione, Obstupescentia, Ecplixis, Apoplexia dicitur. Estq; affectus in quo non dormiunt, sed attoniti stipitum instar iacentes, stupent: sensibus omnibus ex æquo, & motu quoque simul abolitis. Quæ accidentia mitiora nonnunquam sunt, aliàs verò grauiora: In quibus sensus & interni & externi simul tolluntur: vnde nullius rei habent intelligentiam: nec vident, etsi ex illis quidam oculis fixis aliquem intueri videãtur: nec clamores audiunt: nec puncti aut vsti sensus signum dant. Motu quoq; corporis omni in momento priuati corruunt, omniaq; ipsis membra resoluta languent: nec loquuntur, nec deglutiunt, sola respiratione sed perquam obscura remanente, cuius efflatio ex ore vel naribus, xylino admoto, aut thoracis motus, ad illam perficiendã poculo aquæ pectori imposito, interdum vix ex motu illorum potest dijudicari, vel quæ cum magna difficultate & stertore in iam moribundis ducitur: pulsu interim pleno & valido in hac dispnœa, sed admodum inæquali sese declarante: idq; tam diu donec redeuntibus sensibus, iterum ad se redeant, quod in leuiori illius specie accidit: vel si grauior sit, resoluti maneant: vel si pessima sit, mox respiratione penitus sublata, suffocentur; spuma tunc ex ore ipsorum emanante.

Stupor cum corporis convulsione seu vehementi agitatione, Convulsio, Epilepsia dicitur: estq; affectus, in quo sensus omnes ex improuiso tolluntur: corpusq; vniuersum motu inordinato aliquandiu cõcutitur, seu conuellitur: per vices seu paroxysmos hominem exercens. Qui ab eo quòd subitò apprehendat, epilepsiæ; quòd conuellat, cõvulsionis nomen obtinuit. Cuius duo primùm occurrunt genera, quatenus alia diuturna, alia breuis existit, variantia.

Diuturna ea est, quæ diu durat: atq; siue ante pubertatem eueniat, eaq; superueniente nõ desinat, siue post pubertatem primùm incipiat, toto plerumq; vitæ tempore, nunc certis, nunc incertis temporibus, horis, diebus, mensibus, annis, aut lunæ mutationibus (vnde Lunaticus morbus quoque appellatur) ægrotantes inuadit: quorum & functiones cùm non subitò pessundet, sed sensim duntaxat labefactet, ideò accidit, vt quando à paroxysmo liberi sunt, sua munia nihilominus obire queant, & quòd, si dum hisce operam dant, hoc malo corripiantur, cadant: vnde & Caducus morbus, Germ. Fallende Siechtag dicitur. Et cùm repentinus illorum casus, horrendaq; symptomata, maximum terrorem soleant incutere, adeo vt aliqui ex apprehensione sola mox in eundem affectum inciderint, eoq; nomine plerique conspectum horum subterfugiant, & si in congregatione hominum accidat (vt nostro seculo in concionibus) cœtus soluatur, atq; apud veteres comitia eadẽ de causa dissoluebantur, Comitialis morbus ab illis dictus, nomen retinuit: qui ob pertinaciam, Magnus quoque, Sonticus & Herculeus vocabatur. Estq; hoc genus, cui Epilepsiæ nomen potiùs quàm cæteris, cùm tamẽ omnibus conueniat, accommodarunt.

Breuis, nec ita diuturna cõvulsio est, quæ vel mox cessat, vel saltem tamdiu, vt prior, minimè protrahitur: quæ rursum quod vel mitior,

mitior, vel deterior sit, in species duas diuiditur.

Mitior, & si periculo non vacet, ea habetur, cuius causa, nec magna, nec perseuerans existit: Vt quæ modò natis, cùm dentes primùm erumpunt, vel vermes incommodat, eueniens, mox cessat. Et quæ virginibus, antequam menses erumpunt, adueniens, iis superuenientibus remittit. Et quæ grauidis mulieribus primis ferè mensibus accidens, medio vteri gestationis tempore, vel post partum statim desinit. Hanc ne metuendo morbi caduci nomine, horrorē adferant, quod in pueritia frequenter eueniat, Puerilem morbum, sicuti & German. Kindtswee appellant, affectus atrocitatem, nomine blando mitigantes.

Deterior summeq; periculosa species existit, quæ morbos graues, vti vulnera, febres, colicos dolores, aliosq; sequuta: quacunque ætate: nunc vno, nunc altero paroxysmo, nunc pluribus iisq; continuis, vel aliquandiu intermittentib. accessionibus, ęgrum terribili aspectu exagitat, & plerumque iugulat: vel si sanetur, pessima tamen interdum accidentia, vti membrorum contractiones, vocis sensuumq; læsiones, aliave post se relinquit incommoda. Quam speciem Conuulsionem seu spasmum tantùm, non epilepsiam, cùm tamen hac specie affecti, non minus quàm epileptici subitò hoc casu corripiantur, appellant, eamq; generalem, ad differentiam particularis conuulsionis seu spasmi: qualem quoq; inueniri, in qua sensibus illæsis partes duntaxat quædam conuelluntur, in motuū læsionibus ostendemus. Hanc autem speciem Germani peculiari nomine Gegicht vocant: vel si pueris contingat, vti frequenter illos, tum modò natos, tum prouectioris ætatis interimere solet. Puerilem morbum quoque vocant.

Accidētia in omnibus epilepsiæ tàm diuturnæ, quàm breuis speciebus, eadem ferè concurrunt, & in omnibus æquè variare possunt, tàm quæ in sensuum, quàm motus obseruantur læsionibus.

Sensus enim interni omnes, & per consequēs externi simul, in omnibus, toto, quo paroxysmo tenentur tempore, sunt aboliti: nihil quicquam intelligētes, iudicantes aut sentientes: quare neque à motibus violentis, etiamsi seipsos iis lędant, sibi temperant: & postquam ad se redierint, nullam eorum quæ passi sunt, retinent memoriam: nec hoc malum se perpessos esse, nisi de eo fuerint admoniti, aut ex læsionis aliquo vestigio relicto, vt vulnere aut contusione, signum capientes, in suspicionem veniant, cognoscunt.

Motus quoq; omnis, tum qui ex arbitrio nostro totus dependet voluntarius: tum qui natura adiuuante obitur, respirationis & euacuationum; tum is quem natura solùm molitur, pulsuum, in omnibus hisce speciebus perseuerans, epilepticos ab apoplecticis & animo deficientibus, quibus motus hi (solo pulsu remanente in apoplecticis) deficiunt, distinguit. Qui tamen cum deprauatè in conuulsis fiat, facit vt cadant, & motus inordinatos obeant.

Cadunt autem non ob sensuum priuationem, sed quia totum ipsorum corpus simul, idq; derepentè conuellitur: ita vt nisi vertigine, quæ nonnunquam solet præcedere, præmoniti, vel consuetudine de die vel hora accessionis, si statis temporibus inuadere soleat, edocti, sibi caueant, ea perculsi dum erecti sunt, apoplecticorum, & eorum qui in syncopen labuntur more, subitò corruant, & vt vulgò fertur, neq; ab aqua aut igne tuti, in summo, ob casus periculum, versentur discrimine. Quod & si eo nomine minus impendeat iis, qui in lecto ægritudinis causa decumbentes, conuulsionibus superuenientibus, cadere nequeunt, magis tamen ob morbi sæuitiam periclitantur. Adeò vt omnis horrenda & abominanda sit epilepsia: quam ob id Sacrum morbum, tanquā à Diis pœnæ loco immissum, veteres appellauerunt: alij verò diuorum nomina superstitiosè ipsi imposuerunt.

Exagitant quoq; motibus inordinatis adeò corpus, vt & totum sæpè æstuet, pulsusque fiat velocior, & sudores nonnunquam prorumpant. Dorsum, ceruicem, caput, brachia, pedes, in varias figuras torquentes & curuantes, iisq; obuia quæq;, vt stratum, parietes,

rietes, terram pulsantes & quatientes; propria membra contundentes ac vulnerantes, dentibus constrictis stridentes, linguamq; si exerta sit, mordicus scindentes, Oculos hinc inde voluentes, quibus apertis diductisque admodum, vti & faciei versus posteriora reflexione, primum ferè incipientis paroxysmi præbent indicium: quos tandem, in fine illius, veluti defessi & attoniti iacentes, fixos toruosq;, donec ad se rursum redeant, retinent.

Respiratio ipsorum inæqualis quoq; admodum existit, cùm eam aliquandiu interdum retineāt, adeò vt ex retentione illa spiritus, conatuq; vehementi, stercus & vrinā, aliquando & genituram simul, præsertim si redundet, profundant; Aliàs verò cum difficultate & stertore, tùm quando epilepsia vteri dictam strangulationem comitē & caussam habet, tùm quando pituita in fauces naresq; defluens, eam impedit, spiritum ducāt; Spumamq; in ore & naribus, ex pituita cum aëre illic confusa agitataq; natam (quod apoplecticis & strangulatis, non nisi moriantur, teste Hippoc. accidit) proferant: Sæpeq; vociferando clamorem edant: quam speciem schreiende Gẽycht Germ. vocant.

Hęc autem quę enarrata sunt accidentia, vti subitò ingruunt, ita cessante paroxysmo, mox iterum remittunt. Interdum tamen reliquiæ quędam illorum remanēt, sensibusq; debilitatis adhuc, nihil rectè intelligere, ratiocinari, vel reminisci queunt: Vel mentis alienatione superueniente, sinistrè omnia agunt & blasphemant: vel in profundum risum & cachinnum, Sardonium fortè illum, de quo Cicero, soluuntur: idq; donec nouus paroxysmus, qui hæc signa prænuntia mox comitari solet, redeat. Sed & ante & post accessiones hasce, particulares aliquæ conuulsiones, interdum vel pręcesserunt, vel remanent: vt tortura oris, transglutiendi difficultas, vel partium aliarum spasmus, sicuti suo loco explicabitur: vel spasmus ille, quē flatulentum vocant, qui conuulsiones quoq;, si neruorum causa, vti dicetur, fiat, interdum minatur: vti & conuulsiua illa palpitatio, quam Zupsen Germ. appellant, quæ etiam à neruorum affectu facta, epilepsiā diu antè sępè præcedit, & post eam in mēbris adhuc remanet, seq; exercet. Aliáve, quæ gesticulando, interdum saltando, vel inquietudine alia membrorum, & tremore nonnunquam exercent mortuum symptomata.

Stupor cum corporis rigiditate, affectus est rarus & admirandus, qui Catoche seu Catalepsis, id est Prehensio dicitur, quem & Congelationem, cùm ac si congelati essent, rigeāt, vocant. In qua sensus interni omnes & externi statim abolentur. Motus verò corporis tantùm deprauatur; cùm eam formam, quam corpus antequā hoc malo corriperetur, recumbens, sedens aut incedens, habebat, prehensi quoq;, statuæ alicuius instar, retineant, nec sponte, nec impulsi mutent. Oculis quoq; apertis, vnde Stuporem vigilantem vocarunt: cęci tamen vti & muti omninò; Non sublata interim aut vehementiùs impedita respiratione, aut pulsu. *Stupor cum rigiditate. Catalepsis.*

Sed & accidit in quibusdam, vt licet trunci instar rigidi sine motu & loquela iacerent, nihilominus tamen ea quæ astantes loquebantur, perciperent, & postea referent: quos Ecstaticos vocarunt. *Stupor remanente auditu.*

Alij verò in eodem statu manentes, mortuorum instar, etsi nihil audirent, nec cernerent, nec puncti quicquam sentirent, tamen si quid ori inserebatur, deglutiebant, & sublati consistebant, impulsi incedebant, & mēbra prout illis flectebantur, eo situ fixa retinebant. *Stupor remanente motu.*

In quadam sic prehensa, venter tantùm & thorax admodum mouebantur, toto reliquo corpore stupida.

Causa.

IN omnibus enarratis soporis & stupiditatis cum languore, conuulsione, aut rigore, generibus, cerebrum affici necesse est, cùm ab eo omnis motus & sensus proficiscatur. Neq; hìc vti voluerunt prout ventriculi illius anteriores, medii, posterioresve lęduntur, diuersimodè functiones labefactātur: neq; quatenus ante vel ponè cerebrum afficitur, cùm cerebri substantia vndiq; suas functiones obeat; sed prout plus minúsve læsum est, plures paucioresve functiones amittit. Nam si magna sit læsio, cerebrum,

adeò afficiens, vt sensus omnes aboleantur, tunc & motum simul cessare necesse est: remanētibus interim aliis functionibus, quas cerebrum minimè efficit: vt pulsu, quem cor subministrat: & cùm respirationis motus partim sit naturalis, partim voluntarius, & proin ab vtriusque motus organis, & septo transuerso, & pulmone prodeat, nō mirum, eam quoque, si cerebrum admodum offensum sit, adeò vt omnis motus voluntarius cesset, sicuti in apoplecticis fit, nihil tunc cōferente ad motum septo, aut musculis thoracis, sed solis pulmonibus, adhuc aliquo modo se mouentibus, & dum dilatantur, aëreq; implentur, quod motu proprio naturali perficiunt, thoracem nonnihil eleuantibus, respirationem tantisper perseuerare; sed valdè impeditam & difficilem esse, adeò vt nisi mox noxa illa cerebri cesset, respiratione penitùs sublata, ægrū suffocari necesse sit: sicuti verò cum motus voluntarius non penitùs cum sensibus tollitur, respirationē tunc liberiorem adhuc permanere. Quòd si verò cerebrum minori affectu, si cum priori conferatur, afficiatur, per quem sensus aggrauantur saltem, vt in sopore vel stupore leuiore, tunc motus, etsi propter soporem & consternationē quiescat, nihilominus perseuerat: Vel si spirituum duntaxat cerebri extrauagantium causa hoc fiat, vt in conuulsione & catalepsi dicetur, motum quoq; perseuerare, citiusq; rursum ad se redire; sicuti quomodo hoc fiat in singulis causis, à quibus hæc prodeunt, explicabitur.

Causæ autem omnium mentis consternationum accidentium sunt: vel affectus aliquis, cerebrum, quod sensum & motū cōfert, per se vel per consensum ita lædens, vt hæ illius functiones plùs minúsve deficiant: vt sunt intemperies: repletio ab humore pituitoso vel sanguineo: læsio insignis: tumor: à vapore vel qualitate maligna profecta cerebri intemperies: vel est spirituum animalium cerebri defectus. De quibus omnibus causis, ipsorumq; effectibus, nunc sigillatim agemus.

Intemperies frigida causa Stu-

Intemperies frigida sola sine materia, cerebrum alterans, quia functiones lædere solet, stupidum illud potest reddere. Et si humida simul existat, quod rarò sine materia fit, soporē immodicum quoq; inducet. Qualis aliquando ętatis causa, aut ob morbi diuturnitatem, relicta cerebri intemperie, ad somnum perpetuò propensos, vel, vt dictum in mentis imbecillitate, ignauiores reddit: quam potius imbecillitatis, quàm frigiditatis causa accidere docuimus.

poris, humida, Somni immodici.

Sed & aliis de causis inducta, maximè ab externo aëre frigido, flante Borea, extrinsecus caput refrigerante, aut per meatus ad cerebrum penetrante, stuporem grauiorem potest accersere.

A frigida & sicca quoque intemperie spiritus congelante, stuporèm vigilantem, seu catalepsim nasci posse, scribunt. Verùm cùm spiritus congelari non possint, aut si fieri posset, maior tunc stupor sequeretur, minimè hoc probare possumus.

A siccitate, quam inanitionem vocant, conuulsiones fieri interdum, communis est opinio: quod non in hac conuulsione, sed particulari accidere, illic explicabimus.

Pituita, causa Cari & Apoplexiæ.

Pituita soporis & stuporis, perfrequens causa est (quo nomine nos omnia cerebri excrementa aquea, frigida & humida, comprehendimus) quæ intra caluariam, immoderatiùs congesta (vti cerebrum ex sanguine pituitoso ad ipsum delato, & partis imbecillitate, talia subinde congerit) nisi per vias destinatas effluat sed supprimatur, tunc si substantiam cerebri largo humore perfundat, & refrigeret, carum efficit. Vel si eandem longo impulsu adeò irriges, vt magna illa cerebri moles mollior laxiorq; facta, subitò diffluat & subsidat, neruorumq; principium in basi caluariæ, à cerebro prodiens, premat, & spiritui animali transitum præcludat, apoplexiam grauē parit. Vti quando ventriculos seu cauitates cerebri pituita subitò adimplet, non obstruendo, cùm spiritus animalis non in ipsis, sed in cerebri substantia vndiq; & neruis sedem suam habeat, nec per ventriculos transeat, sed eodē modo cerebri basim grauando, apoplexiam quoq; inducere potest: quæ tamen, si humor ex illis descēdens, neruorum ductum sequatur, in paralysim potest desinere. Hæc omnia sic se habere, in caro & apoplexia mortuis, ex

eo quòd copiosus hic humor, per os tunc illis aliquando effluxerit, deprehendimus: & sectione quoque diligenti aperta crassa cerebri meninge, in quibusdam copiosum humorem mox prosilientem, per capitis regionem ad thoracem vsque descendisse: ipsamque adeò cerebri substantiam, in quadam anu, quam apoplexia è medio sustulerat, lactis cremoris instar dissolutam, simili modo per faciem defluxisse, obseruauimus. Cognoscitur autem ab hac causa prodiisse hosce affectus, ex præcedenti corporis constitutione, in ętate potissimùm senili quæ huic malo est obnoxia: Et ex temporis cœlique constitutione frigida: quodq; prius de capitis grauedine, ac pondere, pigritia, oculorũ obtenebratione, nec non pituitæ per nares ac fauces consuetæ excretionis suppressione, fuerant conquesti: & quod mortuis, apoplexia maximè, magna sæpè pituitæ copia, per dictas vias emaneat.

Ab eodem humore pituitoso, meatus cerebri obstruente, vti apoplexiam, ita & epilepsiam fieri, plerique scripserunt: proin & vt in illa, sic in hæc sensus omnes aboleri, sed mox iterum redire, quòd cerebrum concussione eam statim excutiat: dein & motum vnà cum sensibus, vti in apoplexia, hîc minimè cessare, quod non omninò, sed ex parte duntaxat, ventriculi, vel vt alij volunt, anteriores tantùm, posterioribus illæsis obstruantur, portioq; spirituum ad neruos nihilominus possit præterfluere. Quæ tamen, vt multis possent redargui, sic hoc pręsertim ad tollendam hanc opinionem attulisse, satis erit; quòd nimirum, si non sufficiens spiritus animalis descenderet quãtitas, imminutæ potiùs cerebri functiones, in sensu & motu, quàm abolitæ ex parte, ex parte deprauatæ sequerentur: & quòd, si pituita in causa esset, eaq; mox à cerebro excussa deflueret, paralysim eã, qualis post apoplexiã, eandem ob causam sequi solet, induceret.

Putrescẽtem in cerebro pituitam, lethargum efficere docent, febremq; comitem inde accendi. Verùm nos cùm ex pituitæ putredine, præsertim in capite, febrem accendi minimè posse, in febribus ostenderimus: & quomodo idem humor pituitosus putridus, sua frigiditate carum, & calore febrem accendere, atque vnum idemque & frigidum & calidum esse, queat, cùm contraria in eodem subiecto non possint consistere, nullam rationem inueniamus, longè aliam lethargi causam, eamq; à cari illius qui febres sequitur, non adeò diuersam, mox in caro per consensum facto, adsignabimus.

Pituitam quoq; non simplicem sed bile permixtam, stuporem vigilantem seu catalepsim ea ratione efficere docent, quòd pituita soporem, bilis vigilias excitet, sicq; ex contrariarum causarum permixtione, contrarios effectus produci. Quod quidem, si in diuersis locis consisterent, fieri posset, verùm in eodem subiecto duo contraria permixta confusaq;, medium quendam, vel compositum ex vtrisq; effectum potiùs, quàm contrarios producunt: ob quam causam, causæ hæ ex effectu potiùs, quàm signis horũ certis excogitatæ fuerunt, vt, quo pacto eodem tempore, stupere (non dormire, cùm domire & vigilare & simul, sit impossibile) & vigilare quis possit, aliquid ostenderent, ac singulis suos humores proprios attribuerẽt.

Sanguis quoque, in sinibus cerebri adhuc contentus, sicuti magna alioquin illius adest copia, ita amplius adhuc redundans, si crudior, ferosior, frigidior sit, cerebrum grauando, stupidius: vel refrigerando, soporosum reddere potest. Quæ, capitis dolor sine dubio præcessit, & nonnunquam comes adhuc remanet: & ex plethora ruboreq; faciei id cognoscitur. *Sanguis causa Cari & Apoplexiæ.*

A sanguine multo, cerebri substãtiam affatim subitoq; irrigante, eam speciem catalepseos à qua adolescens per hæmorrhagiã nariũ liberatus fuit, generari, docet Aëtius. Qui effluxus sanguinis, motu naturæ, in solutionibus morborum sæpè consuetus non propterea hunc affectum, cuius aliam causam proponemus, à sanguine procreatum, arguere potuit: vti neq; leuiorem illius speciem, cùm vox tantùm intercipitur, aphoniã dictam à plenitudine sanguinis, vias spiritus animalis intercipiente, prodire, sicuti scribit Hollerius, cuius nos mox aliam causam adferemus concedere possumus. Neque epilepsiam, quam à sanguinis copia, ventri-

culos cerebri occupante, ſpirituumq; meatus obſtruente, quoq; prouenire aliqui prodiderũt, ab hoc humore & hoc modo naſci, approbare licet. Sicut neq; à ſanguine vel ſucco melancholico, aut bilioſo, à quo catalepſeos eam ſpeciem, quę melancholicis accidere ſolet, gigni, aliqui docent, & propter frigiditatem ac ſiccitatẽ illius humoris, ſpiritus ſic congelari, vt in intemperie ſimili dictum fuit; quod nos ea ratione fieri negauimus, & à melancholia, melancholica potius accidentia, quàm catalepſeos, niſi alia accedat cauſa, vti dicetur, fieri exiſtimamus. Vel ab eodem ventriculos obturante, epilepſiã quoq; naſci, ſicuti has opiniones aliqui ſparſerũt, vllo modo admittere poſſumus. Cùm iam enarrati affectus, vtpote non diutiùs permanentes, ſed per vices inuadentes, & ceſſantes, non fixam in cerebro cauſam habeant, ſed per conſenſum tantùm eo affecto, vti poſtea declarabitur, accidant.

Extra vaſa ſanguis delatus, ſi non in cerebri ſubſtantiam infuſus, inflammationem pariat, tunc enim phrenitis fieret, ſed anfractus, & vẽtriculos ſubitò opplendo obſtruat, neruorumq; initium premat, ſtuporem & apoplexiam cauſat. Vt frequenter rupta vena accidit: idq; nonnunquã ob plethoram ad vaſa: ijs præſertim, quibus conſuetæ hæmorrhagiæ per menſes, hæmorrhoides, & nares ſubſtiterant. Quibus & viuẽtibus adhuc, & poſt mortem, magnam ſanguinis copiam, per os, nares, erumpere toties obſeruaui: vt hanc potiſsimam apoplexiæ cauſam eſſe aliquoties mihi perſuaſerim. Idem à cauſa externa violenta, vt cerebri contuſione, ex ictu vel caſu poteſt accidere, etſi cerebri ſubſtãtia vulnerata minimè ſit, vt ſanguis quoq; cerebri cauitates, ipſiusq; ſubſtãtiam, iis locis præſertim, vbi contuſa eſt, oppleat: ſicuti in taurorum ſecuri percuſſorum cerebro fieri, quotidie vident mulieres, quãdo cerebrum antequam coquatur à ſanguine grumoſo prius repurgant: vnde apoplexiam fieri ſubitò neceſſe eſt, niſi is per nares, aures aliaſve partes ſeu vias vicinas, vt quoque interdum fit, ſtatim erumpat: aut leuior fuerit caſus, vnde leuior obſtupeſcentia potius accidit. Licet & ſæpè in grumos conuerſus ſanguinis affluxus, retentusque diutiùs, ſi putreſcat, phrenitidem conuulſiones, quæ ante obitum lethargos & apoplexias ſequuntur, ægrumq; iugulant, pariat.

Sed & ab eadem cauſa violenta externa, ſi cerebri ſubſtantia contuſim, vel cęſim, pũctímve lædatur, cùm pars ſit princeps, cuius actio tunc deſtruitur, apoplexiam ſubitò ſequi neceſſe eſt. Vel ſi fracta duntaxat inde caluaria depreſſáve ſit, adeò vt cerebrũ ſubſtratum premat, ſtuporem quoque accidere contingit. Vel ſi ex validiore impetu cerebri moles corruat, neruorumq; initium premat, apoplexia ſimiliter ſequitur. Quæ omnia ex cauſis prægreſsis manifeſta fiunt. *Læſio cerebri, cauſa Stuporis & Apoplexiæ.*

Tumor præter naturam, durus, pondere ſuo potiùs, quàm intemperie afficiens, ſtuporem ſenſim cum tumore genitũ, ſed diuturnum facit. Qui ægrè niſi poſt mortem aperta caluaria deprehenditur. Qualis in nobili Bonecourtio, qui aliquot añis veluti attonitus, vti ſuprà dictum ſtupebat, inuentus fuit: glandula nimirum magna, dura, ſupra calloſum corpus genita, cum humoris copia; qui cerebrum irrigans, ſoporem ſtupori copulatũ, vti ſuprà hoc genus expoſuimus, efficiebat. Cuius cauſa, ictus, quo in vertice percuſſus fuerat, licet diu, antequã in morbum tunc incideret, id factum fuerit, eſſe potuit. Sed & catalepſim, cùm veras illius cauſas ignorarẽt, plures alias excogitantes, præter ſupradictas, etiam à cerebri tumore proficiſci poſſe, putarunt. Et lethargũ quoq; ab apoſtemate phlegmatico prodire, aliqui ſcripſerunt: quod, cùm à cauſa in cerebro latente febrem fieri non poſſe, ſuperiùs oſtenderimus, neque hîc accidere aſſerimus. Cuius & abſceſſum aliqui cauſam ſtatuerũt, qui tamen in cerebro genitus, à calidis potiùs tumoribus, phrenitim & conuulſiones potiùs quàm lethargum efficit. *Tumor cerebri, Stuporis ſoporoſi cauſa.*

Vapor ſurſum ad cerebrum delatus, vel in cerebro congeſtus, ſoporis immoderati per conſenſum facti, cauſa eſſe poteſt: ſi copioſus & halituoſus eo feratur, ſpiritusque aggrauet, vel crudus cerebrũ adeò humectet, vt languidum ad actiones obeundas fiat. Talis à cibo vel potu pleniore, vel vaporoſo, vel humidiore eleuatur: quæ ſi moderatio-

ra sint, somnum qui post prandium vel cœnam mox solet esse molestus, conciliat: præsertim si vinum, quod narcoticam quandam vim habere, mox dicemus, vti ferè consuetum est, bibant: & cerebri constitutio accedat humidior, qualis est in senibus. Quam ad somnum propensionem, à cibo fieri solitam, quies corporis, quæ post labores interim dum cibum capiunt, perficitur sedendo, eoq; magis, quò longiorem moram in prandio vel cœna trahunt, animum quoq; vt per somnum quiescat inuitās, plurimùm etiam concitat: & calor si accedat solis meridionalis, vel regionis, vel loci, vt hypocausti, nonnihil adiuuat: tùm quia vapores calor sursum euocat, tùm quia corpora fessa recreans, & ad quietē rectiùs disponens, vt animus simul ad requiē inclinet, efficit. Sed & ab immoderato cibi & potus, vel certorū alimētorū vsu, non qualitate stupefaciendi cerebrū, obtundente, sed vapore multo opplente, sopor immodicus fieri potest. Quod inde cognoscitur, si post crapulam, etiā citra ebrietatem, de qua postea, aut certorum ciborum vsu hunc patiantur, & postea ad se redeant.

Vapor causa Soporis profundi. Ab humoribus & excrementis vaporosis ac humidis, vapores hinc inde in corpore suscitati, soporem gignere interdum solent. Si in ventriculo vel vtero colligantur: vnde multi alij cerebri morbi, per consensum facti prodeunt, sic & interdum soporem immodicum, si vaporibus illis cerebrum infestetur, inducunt. Qui ex partium istarum affectibus quòd inde prodierit, facilè cognoscitur. In intestinis à vermibus putrescentibus, tales euaporationes capiti demandatæ, soporē, in infantibus præcipuè, frequenter causant. Et vermium indicijs, vnde prodierit indicatur. Licet hic sopor frequentiùs febris comitis causa promoueatur.

Vapor causa Lethargi in febribus. In venis meseraicis febrium intermittentium materia putrescens, calore attenuata, copioseq; sursum, in prima præsertim inuasione, ad caput delata, soporis hoc symptoma, in tertianis & quartanis, nonnullis in principio accessionis, dum frigus adhuc vrget, nec dum corpus penitùs incaluit, accidens, & interdum ad solutionem vsq; paroxysmi perseuerans, parit. Sed & in febribus continuis, cerebrum dolore precedente diuturno & graui labefactatū, in vigore vel post ipsum, caro subsequente, perculsum, ægrum in summum discrimen adducere, sæpè obseruaui. Quod & in principijs continuarum febrium si accidat, & mox propter nimiam euaporationē, princeps hæc pars cerebrum, aliquo pacto præsertim dispositū ad carum, ita labefactetur, vt sopor grauis sequatur, lethargus is erit, qui cum febre continua copulatus est, & mox cum illa inuadit: ab alio caro qui in declinatione febrium accidit, periculoso quoque, non aliter, nisi quòd statim cum febre incipiat, differens.

Ab euaporationibus à ventriculo, ab vtero, reliquoq; corporis habitu cerebrum petentibus, epilepsiam per cōsensum fieri pleriq; asserunt: vti & catalepseos aliquam speciem, à melancholicis vaporibus prodire aliqui scripserunt, & quomodo illud fiat, diuersimodè assignant: cùm alij opplendo quoque ventriculos cerebri, vel alia ratione illud afficiendo, vel irritatione id fieri existimarint: quod tamen quomodo neruosi generis affecti causa id fiat, mox explicabimus.

Occulta nonnunquam qualitas, proprietate incognita, soporis & stuporis causa esse solet. *Narcotica vis. causa Soporis & Stuporis.* Qualis vis est narcotica, quæ non frigiditate, vti hactenus creditum est, sed proprietate ea, qua sensus consopit, per assumpta eiusmodi medicamenta, corpus subeuntia (licet odore quoque aliquid efficere possint, admota autem vix adeò operantur, vt stuporem inducant) soporem non naturalem, si leuiora sint, sed veluti artificialē conciliant. Quòd si fortioribus exhibitis potentiùs agat, adeò stupidos reddit, vt apoplecticorum instar, sine sensu & motu iaceant; & nisi ad se redeant, sublata respiratione, suffocentur: sicuti à papaueris succo, alijsq; sæpè euenire comperimus, quo nomine illorum vsus adeò est periculosus. Sed & ex vini immoderato vsu, non propter euaporationem, vti putarunt, sed ob narcoticam illius vim, sopor immodicus & stupor quoque, qui non minus ac si opium sumpsissent, eos attonitos reddit, sæpeque interficit, in ebriosis sequuntur. Quemadmodum ex vini elicito liquore, quem spiritum vini vocāt, id quoq;

accidit, eoq; potentiùs, cùm vis ipsius sit magis in angustum redacta & collecta: cuius ingurgitatione infantes aliquot simul, qui casu biberant, nec non adultos quosdam obstupefactos, extinctos vidimus.

Venenata qualitas, causa Soporis et Stuporis.

Venenata quædam, idem abscondita vi efficiunt, extrinsecùs illata, per ictum bestiarum quarundã, sicuti ex morsu aspidis soporem lethalẽ succedere, Plutarchus in morte Cleopatrę scribit. Qualis vis maligna, in corpore quoque, ex humoribus in venenatam qualitatem degenerantibus, suscitari potest: in febribus malignis, pestilentialibus, quarum euaporatione cerebrum inficiatum, sopore graui & lethargo grauari potest. Quod & in epilepsia inde profecta, in fine paroxysmi accidit, diu illos tunc sopore vel stupore premi: non tàm ob defatigatum nimia agitatione cerebrum, quàm quod vapores hi maligni, qui prius neruosum genus afficiendo, vti mox dicetur, motus illos epilepticos causabant, cerebrum postea labefactantes, soporem vel stuporem aliquandiu, donec vapores hi discussi sint, & paroxysmus solutus sit, inducunt. Quod & in catalepsi simili ratione, cùm conuulsionis quædam sit species, accidere potest.

Dæmon causa Soporis dæmoniaci.

A' dæmone, si causa soporis illius delirantis, quo dæmon sagas ludificatur procedat, non nostrum est, causas illas abditas exquirere, quas veneficæ, vnguentis quibus res inungunt, iussu diaboli, aut decoctis quibus grandines concitare se posse, & cœlo deducere nubes, somniant, attribuunt: qualia & Fotis apud Apuleium, & Circe Homeri, allia, serpillumque, & herbas contundendo olentes, parabant: quæ relinquimus.

Ob spirituũ animalium in cerebro defectum, stupore, sublatis cerebri functionibus, accidere quoq; necesse est: Quod duplici nomine euenire potest; vel absumptis illis; aut effusis saltem & extrauagantibus.

Spiritus animalis consumtio, causa Apoplexiæ.

Absumptis spiritibus animalibus in cerebro: si saltem imminuti sint paucioresve existant, vnde cerebri sequitur imbecillitas, illius quoque functiones labefactari, in mentis imbecillitate dictum fuit. Quod si verò penitus vel eousque consumantur, vt non tantùm functionum debilitas, sed omnimoda illarum sequatur abolitio, grauis & subitò hominem iugulans erit apoplexia: qua senes aliquando interire, & vulgus quoque ab humore pituitoso factam fuisse, credit, sæpè vidimus: sicuti spiritu vitali imminuto, virium defectum, absumpto verò omninò, mortem subsequi videmus.

Spiritus animalis è cerebro in neruos nimia profusio, causa Stuporis diuersorum generũ, Catalepseos & Epilepsiæ.

Effusis seu profusis à cerebro spiritibus animalibus, in neruos cerebro continuatos (aliò enim extrauagari nequeunt, cùm nullibi nisi in cerebro, neruisq; possint consistere) tunc sensus internos, vel omnes vel aliquos, prout maior minórve illorum cerebrum derelinquit copia, cessare contingit: mouendi verò vim minimè aboleri, cùm spiritus illi in neruis adhuc persistant, neq; nerui illis, sicuti verò in resolutione fit, transitu illorum tunc è cerebro ad illos impedito, destituantur. Dein & cùm in neruis spiritus animalis quoq; contineatur, æquè ac in cerebro, cuius portiones sunt, etsi cerebri functiones tantisper desistant, illi nihilominus vim mouendi, quàm in se cõtinent, aliquandiu adhuc possunt exercere. Quam & à neruis potiùs, quàm cerebro in quibusdam animalibus, quæ motu magis quàm sensibus præualent, prodire, ex eo, quòd illa cerebrũ nullum vel exiguũ tantùm possideant, dorsalem verò medullam amplam & copiosam, cuius etiam portio, à reliqua parte amputata, nihilominus adhuc aliquandiu mouetur, satis possumus conijcere. Estque hæc vera & legitima causa, quòd sensibus abolitis, motus nihilominus possit aliquandiu persistere: in qua inuenienda, tantopere se & veteres, & neoterici Medici excruciarunt, inuicemq; dissentaneas opiniones prodiderunt: spirituum nimirum hæc in neruos effusio: Quæ à duabus potissimùm causis prouueniens, diuersa nonnihil, sicuti iam explicabitur, accidentia profert.

Quarum prima est, nimia & vehemens perseueransque sensuum internorum operatio: per quam, vti in cordis magnis passionibus, adeò spiritus vitales efferri videmus, vt animi inde defectus sequatur: ita & si per vehementiorem cogitationem, & intentionem in rem aliquam, spirituum animalium fiat in externorum sensuum organa dissipatio; ac-

tio, accidere poteſt, vt veluti attoniti, leuiter ſtupeant, & vel mox iterum remeantibus illis, ad ſe redeant: vel ſi diutiùs perſeuerent, diuerſæ illæ catalepſeos ſpecies, quas ex nimio ſtudio, vel amore, vel animi aliquo graui affectu alio, melancholia pręſertim (vnde factum vt cauſam catalepſeos pleriq; melancholicum ſuccum ſtatuerint) accidiſſe aliquando, in generum ſuperiorum explicatione demonſtrauimus, prodeant. In quibus ſi nos penitùs ſpiritibus effuſis, portiones aliquæ illorum in cerebro remanſerint, ſenſus quoque aliquos perſiſtere, alijs ceſſantibus, & prout in neruos effunditur, motus quoq; vel ſaltem permanere, aut cum rigiditate ſeſe citra concuſsionē exerere poſſe, ſi nulla neruorum, vti in epilepſia dicetur, fiat contractio, hancque diuerſitatis catalepſeos ſpecierum, ſicuti in diuerſis illius hiſtorijs ſuperiùs oſtendimus, cauſam eſſe, veriſimile videtur. Vti tamen quoque, ſi per animi violentum affectum, adeò ſpiritus efferantur, vt aliquādiu ſe recolligere nequeant, epilepticorum inſtar illos quoque corruiſſe, remanente pulſu, quo ab animo deficientibus diſtinguebantur, vidimus in quibuſdam, qui cùm in magnis conuentibus perorabant aut diſputabant, ob nimiam animi & ſenſuum cōtentionem, accedente interdum vel metu, vel pudore, ſpiritibus agitatis, hoc paſsi ſunt. Vnde fortè quòd idem ob eam cauſam in comitijs aliquibus contingere ſolebat, epilepſia comitialis morbus dictus fuit. In quibus animi vehementibus motibus, vti fieri poteſt, ita ab ira quoq; convulſiones facilimè euenire poſſe vulgò creditur: cui opinioni fortè anſam prębuit quòd in diſpoſitis, paroxyſmus hac ratione promouetur: niſi forſan hoc ob bilis per iram concitationem, ſicuti mox declarabimus, accidat.

Altera verò & frequentior ſpirituum profuſionis in neruos cauſa, vnde grauiora epilepſiæ & catalepſeos ſequuntur ſymptomata, cerebri irritatio exiſtit: talis, per quam facultas illius expultrix excitata, ad excutiendum illud, quod illi moleſtiam parit, inſurgens, ſpiritus ſimul propellit: vti natura, vbique dolorem & moleſtiam ſentiens, eò ſpiritus, & vnà cum illis ſanguinem quoq; adeò potenter ſæpè, vt inflammatio partis illius, quæ recipit, ſequatur, ſolet protrudere.

Quam certè cerebri moleſtiam, ſeu irritationem, per cōſenſum potiùs & compaſsionem cum aliqua parte, quàm proprio illius affectu, accidere demonſtrant: quòd ab alterius partis, procul etiam interdum à cerebro diſsitæ, affectu & morbo potiùs, quàm cerebri, & neruo puncto, vel violento ſumpto pharmaco, convulſiones euenire videamus: cùm ſi ex cerebri morbo aliquo graui (ſicuti reuera grauem morbum, qui tam vehemens ſymptoma induceret, eſſe oportet) accideret, non tam citò convulſionum accidentia, quæ infert remitterent: queamadmodū & in alijs huius partis principis læſionibus, diuturna & perſeuerantia, vt in apoplexia videre licet, ſuccedere ſymptomata, videmus: eoſq; affectus, qui neruis contingentes convulſiones excitant, veluti puncturam, inflāmationem, ſi in cerebro fiant, non illas, ſed apoplexiam & phrenitidem inuehere. Licet & per conſenſum hac ratione cerebrum moleſtatum, ſi cauſa offenſionis magna ſit, continuoq; repetat, cerebrum ipſum non ſolum irritans, ſed & vehementia, & frequentia adeò lædens, vt proprium quoq; affectum contrahat, tunc ferè lucta convulſionum continua permanet, nec ad ſe exactè ampliùs ægri redeunt, aut paroxyſmus integrè ceſſat, donec penitus extinguatur æger. Fieri tamen quoque poteſt, vt ab eadem cauſa, ſicuti de venenata mox dicemus, & neruoſum genus & cerebrum ſimul læſa, convulſiones vnà cum alijs mentis læſionibus copulatæ, accidant.

Hanc autem partem quæ primùm afficiatur & cui cerebrū condolet, vt inueniamus, ſi ſymptomata conſideremus, motum ſcilicet inordinatum, & ſenſuum priuationes, eam eſſe oportebit; quæ cum muſculis motum voluntarium edentibus, & cū cerebro, ſenſus communicante, tantum habeat conſenſum, vt eâ laborante, muſculi impellantur, & cerebrū à functione tantiſper ceſſet. Quam nos neruoſum genus, quòd à cerebro prodit, & in muſculos deſinit, eſſe dicimus: quo nomine neruos omnes totius corporis, tum intra, tum extra caluariam, ſenſu

tactus

tactus præsertim præditos, & partes neruosas, quæ ex illis componuntur, exquisitissimè quoque sentientes intelligimus. Quibus adeò læsis, vt per compassione cerebri aboleantur, musculorumque intendantur functiones, conuulsiones subsequi necesse est: quod qua ratione fiat, explicabimus.

Offensio neruosi generis, non ea, quæ ipsius functiones labefactat, sed quæ molestiam illi adferendo, facultatem illius potiùs excitat, si fiat siue vno loco pluribúsve neruus aut neruosa pars afficiatur, dummodo offensa magna sit, tunc vniuersum neruosum genus insurgens, dum illud quo offenditur, nititur excutere, cerebrum à quo prodit, simul exagitat, & in consensum trahit, ita vt & illud neruorum hosce affectus persentiens, dum suppetias illis ad expellendam molestiam adferre nititur, spiritus animales, à se in neruorum initium propellens, tantisper suis destituatur functionibus: non aliter quàm nonnunquã in syncope, cor citra quoq; illius affectum proprium, alterius causa, spiritibus extrauagantibus, à functione sua cessare, donec rursum illi remeant, obseruamus. In qua spirituum effusione in neruos, vim mouendi nõ tantùm, sicuti superius declaratum fuit, in ijs persistere contingit, sed & ob spirituum in neruis copiam, musculos ad motum edendum quoq; concitari. Inprimis verò inordinatũ & violentum motum, in epilepticorum paroxysmorum principio, ob hanc causam edi, quòd dum neruosum genus hac offensam expellere conatur, in sese contrahitur, rursumque deducitur, totius corporis musculos, quorũ principijs nerui inseruntur, consecutione ad eos motus inordinatos perpetrandos, conuellendo seu trahendo remittendoq; impellit: idq; tam diu, donec materia noxia ab illis expulsa fuerit: aut propter viriũ prostrationem, & veluti lassitudinem, cùm motum ampliùs edere nequeant, membra nihilominus conuulsa seu attracta, rigidaq;, donec integrè ad se denuò redeant, aliquandiu fixa, retineant. Quod in catalepsi statim ab initio, nulla prægressa corporis agitatione euenit, quia fortè nec tanta spirituum in ea, cùm & in illa sensus aliqui adhuc interdũ constent, fiat in neruos profusio: minorq; neruorum irritatio, vnde leuior quædam epilepsia censeri potest: rariùs tamen eueniens: à causa alioquin eadem quę & epilepsiam parit proueniens, sed quæ vel minùs neruosum genus irritando afficit, vel proprietatem eam habet, vt stuporem illum cum rigiditate membrorum potiùs, quàm conuulsiones producat.

Has autem offensionis neruosi generis, vnde epilepsia frequenter, rariùs catalepsis prouenit, causas non mirũ diuersas frequentesque esse: cùm nerui propter exquisitissimum sensum, nõ tantùm graues molestias, dolorésve perferre nequeant, sed & à leuissimis tam facilè offendantur, vt neque contactum durioris corporis (quo nomine, dum in corpore feruntur, ne ossa quoque tangerent, aut alijs præterquam quibus partibus necterentur, inseruntur, ipsis à natura prospectũ fuit) pati queant: à quibus tamen incursionibus varijs, nõ nisi magnæ & violentæ fuerint, adeò vt conuellantur, exacerbãtur. Quales sunt quæ à vulnere, irritatione aut infectione, vel separatim, vel pluribus simul agentibus, illis possunt accidere.

Ex vulnere, tàm in neruo, quàm neruosa parte facto, fieri conuulsionẽ, casus eiusmodi frequenter cõtingentes, satis declarant: non tamen ex quouis nerui vulnere, sed ab eo tantum ferè, quo neruus punctim læditur, conuulsiones superuenire solent: excitata tunc ob offensam, illius functione: quæ, si penitùs abscissus sit neruus, potiùs aboletur: quam & ob causam, neruum conuulsum, si amputemus, conuulsionem in eo factam, sanamus. Cæterùm hanc nerui molestationem, à continui illius solutione profectam, magis adhuc adauget inflammatio, vel putredo, ex retenta sanie in angusto puncturæ nerui foramine: summusq; inde dolor; quæ plerunque huic affectui superuenire solent: aut si vulnus à ferro, suapte natura neruis, propter æruginem ferè, aut quia infectum fuit, infesto, vel morsu aut ictu venenatę bestiæ, accidat.

Sed & neruosa parte, eo præsertim in loco, vbi nerui eam subeunt, maioremq; ipsius portionem constituunt, vulnerata: vt vesica in col-

in collo, musculis circa initia, vel casu vel dum chirurgi & lithotomi sectiones in corpore moliuntur, læsis, convulsiones periculosæ frequenter superueniunt: quas transglutiendi difficultas, (quam spasmum ad stomachum, vti supra dictum, vocantes, chirurgi tantopere metuunt) præcedens, præsagire ferè solet.

Irritatio neruosi generis, si vehemẽs fuerit, convulsiones excitare quoq; potest: qualis procedit vel à causa, quæ, quia dolore graui neruos excruciat, ex accidenti convulsiones facit: vel quæ per se, qualitate manifesta neruos exstimulans, doloremq; vel vnà, vel nullum inferens, eos conuellit. Quæ causa, vel à medicamentis: vel humoribus internis, vt sanguine, bile & pituita, substantia propria, vel vapore solo neruos molestantibus procedit.

Doloris autem occasione præcipuè convulsiones fiunt: si vel enormes & diuturni sint cruciatus: quales in colicis, convulsiones sæpè promouent: vel si corpora sensu exquisitißimo prædita, & quæ ob teneritatem eiusmodi tormẽta difficulter perferunt, infestent: quo nomine & infantes, non tantùm in varijs ipsorum ægritudinibus, sed & cùm dentire incipiunt, doloribus exacerbati, frequenter conuelluntur. Sed & titillationem immoderatè factam in eiusmodi corporibus, quia molestiam tristemq; sensum quoq; exhibet, convulsiones in quibusdam peperisse, testatur experientia: imò leuem quoque titillationem à vermibus, intestina ventriculumque perreptantibus, osculisque suis illa sugentibus, inductam, in infantibus, non tantùm horrores, morsusque narium, sed & leues epilepticas convulsiones mouere omnibus in confesso est.

Assumpta medicamenta, quæ facultatem expultricem ventriculi & intestinorum stimulant, si nimium eas partes excitent, vti convulsivum motum, qui per singultum fit, concitant: ita si vehemẽter acria sint & adurentia, quemadmodum naribus indita, sternutationem mouent, sic accedente præsertim cathartica vi, qua naturam simul admodum ad vomitionem & deiectionem sollicitant, ob insignem efficaciam, convulsiones, quales ab hellebori aliorumque vsu contingunt, frequenter procreant: easque lethales, si nimium se hisce partibus insinuando eas exagitare nõ desinant: nondum verò lethales, si, vbi primùm naturam sollicitare incipiunt, ab ea repulsa, supra infraq; deijciantur: sicuti ex antimonij asariq; vsu, aliquos præludia duntaxat spasmi, in cruribus præsentientes; alios verò convulsos quoque, ad se redijsse, obseruaui.

Sanguis corruptus putrescensque, si in neruosum genus feratur, illud quoque afficiendo, convulsiones excitare potest. Sicuti ex ictu capitis, caluariam penetrante nondũ tamen cerebri substantiã diuidente (vnde apoplexia potiùs sequeretur) sed cerebri meninges duntaxat vulnerante, quandoq; accidit: effuso tunc sanguine, retentoque sub caluaria: qui putrescens, maligna qualitate cerebri membranas inficit: quorũ consensu, tum quod subsidens, neruorum principium è cerebri basi productũ occupet afficiatque, convulsiones, quæ capitis vulnera sequuntur, parit. Quales quoq; in abscessu meningum, post illarum inflammationes, phrenitidem prægressam, convulsiones nonnunquam solent subsequi.

Bilis ex humorũ classe, præcipua esse solet, tàm flaua, quàm viridis & atra, quæ acrimonia sua neruos, neruosasque partes, quas & facilè tenuitate sua subit, stimulare, irritareque solet. Quæ in colicis doloribus, non tantùm quòd cruciatus hosce pariat, sed & quòd ventriculo atque intestinis sese insinuans, vi quadam caustica eas nimium sollicitat, convulsiones illas, quæ quamdiu acris hic humor irritare non desinit perseuerant, excitat: vt non alia ratione eam ad neruos procul rapi, si convulsiones excitare debet, excogitare necesse sit. Quòd & si ab ira convulsio fiat, ob bilis efferuescentiam, atq; effusionem accidere posse, putant: licet hoc potiùs à nimio animi motu, spiritus cõcitante, vti supra dictum fuit, prodeat.

A pituita quoq; tenui, salsa acrique, à cerebro in spatia per quæ nerui feruntur defluente, neruosque vellicante, epilepsia fieri potest: qualis in paralysi nonnunquam neruos irrigans, primò resolutiones, mox acri-

monia sua, quam vel prius obtinuit, vel ex putredine de nouo adepta est, neruos sollicitans, convulsiones eas, quæ paralyses quandoque sequuntur, excitat. Quas sternutatio, ab eadem pituita in nares à cerebro quoque destillante oborta, præuenire & præsagire solet: vnde fortè hæc benè precādi post sternutationem consuetudo, cùm sternutationem epilepsiæ prænuntiam interdū esse obseruassent, primam suam sumpsit originem.

Vapores quoque tetri & acres, maximè si malignitas quædam, vti dicetur, simul adsit, in corpore suscitati, neruorum principium præcipuè vellicantes, aut alibi quoque eos, maiores præsertim sollicitantes, epilepsiam quam per consensum fieri dicunt, gignunt. Quales ex vitiosis, corruptis & putridis cibis, humoribus, excrementis, vermibus: in ventriculo, intestinis, vtero, venoso genere, alibique collectis, in varijs morbis harum partium: vel totius corporis, vt in febribus, eleuati, convulsiones quæ hosce morbos sequi solent, procreant.

Cęterùm quę venenata & pernitiosa qualitate convulsiones excitant, varia sunt: quæ pro venenorum diuersa natura, & prout vel neruoso generi tantùm infesta, illud tātùm, vel vnà cum illo cerebrum quoq; inficiunt, vel convulsiones: vel cerebro simul lęso, alia quoq; pariunt accidentia, quæ interdum etiam soluto paroxysmo epileptico, in sensuū læsionibus, mentis præsertim alienatione, & motu deprauato, vti dictum, permanent. Inter quas causas venenatas, ea quoq; nonnunquam se offert, quæ proprietate sua & priuata noxa, catalepseos potiùs quàm veræ convulsionis accidentia parit; quod tamen, cùm rara sit affectio, raro talem venenatam qualitatem, quæ talem effectum in corpore proferat, in corpore suscitari, vti verò illam, quæ veras convulsiones facit sæpissimè, euidenter ostendit. Qualiscunque autem ea sit, illius fons & origo, nunc intrinsecùs in cerebro; vel visceribus; aut venenoso genere; vel corporis habitu delitescit; nunc verò extrinsecùs corpori accedit.

In cerebro, à corruptione vel abscessu meningum cerebri epilepsiam diuturnam factam, se sectione deprehendisse testatur Fernel. ab ijsque tetrum vaporem eleuatum, statoque tempore ventriculos subeuntem, paroxysmos procreasse, ratiocinatur. Verùm quòd hæc, non quia tetrum vaporem ventriculis demandent, sed aliam ob causam, & quòd breues potiùs & lethales, quàm diuturnas epilepsias excitent, supra demonstratum fuit: cùm, si cerebri substantiam illiusve ventriculos occuparent, & tantoperè læderent, apoplexiam potiùs quam convulsiones inducerent.

Interea tamen epilepsiæ causam, in capite sæpenumerò latere, minimè negamus: multaque intra caluariam, tum in membranis cerebri, tum ipsius quoq; substantia, vel humoribus illius occurrere vitia, fatemur, quæ venenata & aduersa qualitate, certis temporibus, prout veneni natura est, sequientia, meninges neruosumque genus sollicitando, epilepsiam illam diuturnam, fereq; incurabilem causant. Cuius tamen causæ naturam, vti & aliorum venenorum, aliter cognoscere non possumus, quàm quòd sectione facta, nunc macula: nunc humor aliquis ater vel spumosus, in interna caluariæ sede aliqua, vel ossis, vel membranę, vel cerebri, interdū verò nihil penitùs deprehendatur: venenatam aūt eam vim fuisse ex eo, quòd cùm causa manifesta, aut tanti momenti non sit, tam horrēda nihilominus adferat symptomata, & interea tamen hominem minimè iugulet, nec vllis remedijs cedat, colligimus.

Sed & in visceribus venenata hæc causa latitans, diuturnas eiusmodi & pertinaces epilepsias efficit. Veluti in ventriculo & intestinis assumpta venena, quæ proprietatem aliquam epilepsiam gignendi habent: vel cibus in veneni naturā conuersus, vel excrementa venenatam qualitatem induentia, illis in locis, vel etiam in vtero, vti voluerunt, contenta. Quorū omnium causas hasce esse, & in venis latere, ex affectibus quoq; simul ferè concurrentibus, vti dictum, aliisve circa præcordia & venosum genus sese offerentia, & ex vteri ventriculique vitijs cognoscitur, & dijudicatur.

Venosum quoque genus, si malignis & venenatis eiusmodi humoribus refertū sit: vti in morbis pernitiosis, præsertim pestiferis, epi-

ris, epidemijs & contagiosis frequenter accidit, eaq; vis maligna non solum cordi, sed neruoso inprimis insidietur generi, tunc cōvulsiones, quales in febribus, nō ob nimiam neruorū à calore vehementi exiccationem, sed humoris malignam vim lethales euenire solent, sequuntur. Vel si etiam extra hosce morbos, in venis coaceruatus humor, in malignam qualitatem versus, eam naturam cerebro & neruis aduersam induat, vt epileptica potiùs accidentia, quàm alia inducat, (sicuti in melancholia, venenatam talem illic quoque vim melancholiam veram & maniam excitare solere, in mentis alienatione ostendemus) tunc epilepsiam illam diuturnam & incurabilem ab hac potissimùm causa prodire existimauerim: vti ab eodem loco excitata venenata quoq; causa, maniam illam tam diu durantem excitat. Quod & consimili ratione in venis meseraïcis, tali materia collecta, quæ potiùs epilepsiam, quàm hypochondriacam melancholiam procreat, accidere, verisimile est: vbi & catalepseos causam contineri, melancholicū nimirum humorem, quem nos malignū insuper statuimus, à quo vapores eleuati eam inducunt, pleriq; scribunt, & curandi catalepseos rationē, huic loco & humori, vti mox ostendemus, accommodant.

Sed & in mulieribus, circa vteri venas, talis materia frequentiùs coaceruari solet. Vbi & retētus corruptusq; sanguis potiùs quam semen (quod vix ad eā pernitiem peruenire posse credimus) convulsiones, quales in virginibus hystericis & mulieribus, suppressis menstruis, ante & postquam grauidæ sunt, frequenter euenire solent, excitat, & catalepsi quoque occasionem præbere potest.

In habitu corporis, qualitatē similem exsurgere posse, epilepsiamq; causare, testis est experientia: quâ instructi Galenus & Fernelius, ille auram in puero epileptico à pede ascendentem: hic vaporem à vertice per exteriora capitis excurrentē, quotiescunq; epileptici paroxysmi inuadebant, hisce occasionem prębuisse, se obseruasse scribunt: nosq; à manu vbi postea abscessus natus fuit, vti & à pedibus, aliisve è locis auram discurrentem, idem fecisse, aliquoties notauimus.

Extrinsecùs eiusmodi venenum corpus subiens, epilepsijs simili ratione occasionem præbere, vti in alijs regionibus bestiarū virulentarum, præsertim viperæ morsus, ictus scorpij, ostendunt: sic in nostris, ex canis rabidi morsu id contingere, & præter maniæ aliaq; sæua symptomata, convulsionibus periclitari, tandemque multis accessionibus è medio tolli ægros, manifestum est.

Odore solo maligno, quæ epilepsiam de nouo gignere possint, an aliqua inueniantur, nondū satis constat: paroxysmos tamen epilepticos odore quorundā promoueri certum est. Quę vel proprietate quadā id faciūt: qualia scribuntur esse; vngulæ asini, cornu capræ, pedis veruecis, crematorū cinis: item bituminis, myrrhę, apij odor: vti & carnium caprarum, iecoris caprini vel hircini nidor: eoq; magis si hęc quoque edantur. Vel quia caput neruosumq; genus, diuturnitate huius affectus imbecilliora reddita, vapore vehementi, vel subtili tentant (vt & vinum, quod præter hoc, neruos quoque suapte natura facilè sollicitat) accessionibus epilepticis, occasionem præbent.

Curatio.

IN eiusmodi casibus à cerebro profectis, tota operatio Medici, quæ in prædictione & curatione consistit, causæ erit accommodanda: non neglecto interim symptomate, quod maximè vrget.

Si itaq; ab intemperie simplici frigidiore & humidiore cerebro impressa: vti ætatis ratione in senibus, vel ex morbo diuturno accidere posse diximus, soporosi aut stupidiores, fiant, nondū tamen omnino ægrotent, cùm illa ægrè corrigatur, hoc quoq; vitium ægrè tollitur. Emendari tamē nonnihil hæc intemperies, sicuti in mentis imbecillitate à similibus causis genita dictum fuit, ijsdem quoque alterantibus medicamentis & alimentis, tàm sumptis quàm admotis, potest. *Soporis & Stuporis ab Intemperie frigida, curatio.*

Vti quoque si à frigida & sicca intemperie stupor accidat, ea competent, quæ illic in eadem intemperie emendanda dicta sunt. Si verò ab externo aëre aut vento, cerebrum actu refrigeratum, stupor sequatur:

admotis pellibus & plumis, alijsque actu calidis; item suffitibus, emendabitur: qui cum in pituitosa causa quoq; competant, illic copiosiùs explicabuntur.

Cari & Apoplexiæ à pituita curatio.

Si verò à pituita vel affluxu humoris frigidi, aut cerebri excrementis, vt dictum, sopor grauis fiat, etsi vulgus de illis, quos non sopore oppressos, sed apoplexia tactos iudicat, desperet, & reuera periculo non vacent, non tamen spes sanationis abijcienda; cùm multi ex illis, nisi grauius aliquod accidens superueniat, vt conuulsio, humore putrescente, & febris, vt dicetur, acuta comes sit, vti in lethargo, qui in senibus lethalis est, sanentur: licet & viderim post aliquot conuulsionum paroxysmos, à caro nihilominus conualuisse, relicta tamen in visione & memoria, hallucinatione quadam, quæ postea ob senium emendari minimè potuit.

Quòd si verò apoplexiam pituita inducat, tunc nisi illa deorsum in dorsalis medullæ initiū delapsa, paralysim, vti dictum, causet, respiratione sublata, ægrum mox iugulat.

Curatio, siue soporem aut stuporem pituita causet, ferè erit eadem, nisi quòd fortiora in apoplexia, cùm causa sit maior, erunt vsurpanda, magisq; in cura, propter periculum festinandum: quæ in paralysim desinit, vt paralysis erit sananda. Sed & lethargo, non aliam curam quàm caro, paucis quibusdam, vti dicetur, ratione febris mutatis, accommodant.

Reuellemus itaque in hisce omnibus, pituitam à capite, per generales, particularesq; euacuationes: Et per loca vicina quoque, pituitæ vacuandæ destinata, os, nares, illam deriuabimus. Et ad superficiem capitis eam attrahentibus resoluere conabimur. Atque alterantibus intus forisque admotis, eam dissoluere, absumere, caput calefacere & roborare, studebimus; sequenti modò procedendo.

Sanguinis detractionē, per venæ brachij, cephalicæ dictæ, apertionem, in sopore, si magna adsit plethora, suadent: & apoplexia, ijsdem signis apparentibus, eam quoque aliquando reuulsionis causa, concedunt: sed parcè factam: eamq; si aliquid emolumenti attulisse videatur, reiterant. Nonnunquam & venam frontis aperiunt. Alij in hisce affectibus venam pedis malunt tundere: quæ omnia considerate in apoplecticis præsertim, ne mortem sic accelerasse videamur, erunt facienda.

Alvus sollicitanda, in vtraq; specie, & vt deijciant, stimulanda, cùm ad reuulsionem, tum ad sopitas facultates excitandas. Idque immissis in podicem acribus suppositorijs & clysteribus, cùm ægrè aliàs deijciant.

Suppositoria cùm egregiè irritent, & citò parari possint, ac clysmata ob torporem non retineant, valde conueniunt: sæpeq; reiteranda, præsertim in apoplecticis: in quibus adurentia etiam, cùm sine sensu sint ægri, nocere minimè poterunt.

Itaque leuioribus priùs tentatis, si nihil proficiant, sequentia fortia vsurpabuntur: ℞. Mellis ℥. ij. succi Mercurialis ℥. ß. Fellis tauri ℥. ß coquatur: adde in fine radicis Hellebori albi & Pyrethri ana ʒ. ß. Colocynth. ℈. ß. Salis gemmæ ʒ. ß. fiat suppositorium. Vel vt citiùs paretur: excipiantur hi pulueres Melle crudo; fiant suppositoria.

Clysmata non tantùm ante venæ sectionem, si ea fiat, ad intestina eluenda; sed & post eam; primùm ex emollientibus, & stimulantibus calidis, capitique appropriatis, parata conueniunt: mox etiam ex fortiter irritantibus; quæ quoq; cùm non retineant diutiùs, repetenda, eoque frequentiùs, quo morbus magis vrget, vt in apoplecticis.

Leuior itaque talis ab initio exhibeatur: ℞. Maluę, Mercurialis seu Betæ, Saluiæ, Rutæ, Pulegij, an. M. j. rad. Ireos recent. ℥. iij. Furfuris, florum Chamomillæ, Anthos ana P. j. seminis Carui ʒ. ij. fiat decoctio; dissolue in decenti quantitate, Mellis ℥. j. Benedict. lax. ʒ. ij. olei Laurini, Rutacei ana ℥. j. Salis ʒ. j. fiat clyster.

Fortior sic fiet; qui post primum exhiberi poterit, vel statim in principio, si vrgeat malum: ℞. rad. Ireos rec. Sigilli Salom. Cyclamin. ana ℥. j. Imperatoriæ ʒ. vj. herb. Rutæ, Thymi, Saluiæ, Lauri, Pulegij, Origani, Calamenthi Hysopi, ana M. j. florum Stœchados, Anthos ana P. j. seminum Carui, Cimini ana ʒ. ij. seminis Carthami baccarum

carũ Lauri, Iuniperi an. ℥. ß. Agarici in panno ligati ʒ. ij. fiat decoctio; dissolue in decenti quantitate, Hieræ colocynth. ʒ. iij. Mellis anthosati ℥. j. succi Mercurialis vel Betæ ℥. j. Fellis tauri ℥. ß. olei Rutacei ℥ ij. de Castoreo ℥. ß Salis fossilis ʒ. j. fiat clyster,

Fortissimus in apoplexia admodum irritans: ℞. radicum Ireos, Pyrethri ana. ℥. j. Ari vel Serpentariæ ℥. ß. rad. Hellebori ʒ. j. herb. Rutæ, Saluiæ Thymi, summit. Centaurij, Nasturtij ana M. j. seminum Carui ℥. ß. Vrticæ & Rutæ ana ʒ. j. Sinapis ʒ. ij. Colocynthidis pulpæ in petia ligatæ ʒ. ß. Anthos P. ij. fiat decoctio, dissolue Hieræ colocynth. ℥. ß. Mellis ℥. j. ß. olei Rutacei ℥. iij. Castorei, Euphorbij ana ℈. j. Salis fossilis ʒ. j. fiat clyster.

Vomitum mouere etsi vtile esset, tũ quia conatus ille eos excitat & simul reuellit, tamen in apoplecticis, ob periculum suffocationis, non erit tentandum, cùm si spontè conatus vomendi illos vrgeat, vel tussis, vti vidi, motu illo violento coacti, citiùs suffocentur: In sopore tamen, si vires constent, concitatus ob dictas causas, plurimùm iuuat. Quod actu fieri poterit, gulam irritando: vel exhibito vomitorio, pituitæ simul prouocandæ destinato.

Purgantia per os apoplecticis infusa, cùm nihil deglutiant, vel rursum sine fructu effluunt: vel si, vt sæpè fit, ipsis in asperam arteriam incidant, in suffocationis inducunt periculum: vbi verò ad se redierint, tunc vt resoluti, sicuti in paralysi dicetur, purgandi erunt. In caro verò vel stupore leuiore, vbi primùm aliquid assumere possunt, statim illis cathartica erunt exhibenda, sed quæ parua quantitate citò ab ipsis, dum excitantur, veluti vno haustu, minori labore, cùm vix obtemperent, deglutiri possunt.

Et proin si pilulas exhibere velimus, cùm arduum sit eas assumere, illas potiùs dissoluimus, insuauitatem hîc nihil metuentes, cùm paulò stupidiores id minus obseruent, vt ℞. pilul. Cocciarum, Fœtidarum ana ʒ. ß. Castori. ℈. ß. cum aqua Saluiæ vel Rosmarini, vel Cinamomi: dissoluantur: & exhibeantur in potu,

Sed rectiùs tabulas dissolutas exhibebim⁹, vt Diacarthami, Diaturbith, de Citro solut. Vel electuaria similia: vt Diaphænicon, Indum maius, & alia phlegmagoga. Hieras colocynthideas infundere possumus, nisi summa amaritudo impediat.

In progressu quoq; iteranda sunt purgantia priùs præparato humore: præsertim si crassus sit: rursumq; repetenda, si malum non cedat prioribus, idque donec conualescat æger.

Præparabitur itaq; hac ratione: ℞. syrupi de Betonica, de Hysopo ana ℥. ij. Oxymell. scyll. ℥. j. syrupi de Stœchade ℥. ß. aquarum Rorismar. Saluiæ, Melissæ ana ℥. ij. fiat iulep: pro quatuor vicibus: Cinamomo vel alio aromatisetur.

Vel: ℞. radicum Aperitiuarum in Vino macer. ana ℥. j. ireos ℥. ß. Angelicæ ʒ. ij. Liquiritiæ ʒ. vj. herb. Saluiæ, Maioranæ, Thymi, Iuæ arthet. Betonicæ ana ℥. ß. seminum Anisi, Fœniculi ana ʒ. j. Nigellæ, Petrosel. ana ʒ. ß. florum Rosmarini, Lauandulæ vel Stœchados, Sambuci, Primulę veris ana ʒ. ij. fiat decoctio, & in ℔. j. ß. adde Sacchari vel Mellis vel syrupi de supradictis, ad dulcorandum: clarif. & arom. Cinamomo: pro quatuor dosibus.

Vel infundantur hæc Simplicia in Vino albo, addendo summit. Centaurij min. quia pituitam admodum incidit, ʒ. ij. Absynthij ʒ. iij. odoris grati causa: Et vtatur.

Si syrupum vsualem facere vis, adde supradicto decocto, Carthami, Senæ ana ℥. j. ß. Agarici ʒ. iij. Turbith ʒ. ij. Zingib ʒ. j. addito Melle vel Saccharo; decoquatur: Capiat ℥. j. pro vice.

Vinum purgans eadem ratione, hæc purgantia alijs permiscendo, facies secundùm artem.

Potest & potio purgans sic parari: ℞. Agarici infusi in Oxymell. & aquis Saluiæ & Rorismarini ʒ. j. ß. Zingib. similiter infusi ℈. j. fiat expressio: dissolue postea, Diaphœnici, Diacarthami ana ʒ. ij. ß fiat potio.

Per destinatas pituitæ expurgandæ vias, vt os, nares, & oculos, pituitam à capite deriuabimus: illis medicamentis, [illegible] sensilem oris nariumq; tunic[illegible]

hoc faciunt, vt per has sedes & vicinos oculos, pituitam lachrymasq; , facultas expultrix hisce excitata, propellat. Cæterùm cùm gargarizare aut masticare nequeat, hac forma caputpurgiorum non vtimur, donec ad se redeant.

Sed palatum fricamus pituitam elicientibus; ea tamen quantitate, & forma, ne apoplecticis in asperam arteriam si incidant, eos suffocent.

Sinapis semen, quod valde potens est, adeò pituitam prouocat, vt lachrymas statim moueat. Decoquitur in Aqua vitæ, vel Vino forti, & palatum eo decocto fricatur: vel in puluerem redactum, & cum Melle exceptum, illinitur. Cuius vices compositio vulgaris, quæ ex sinapi parata, condimenti loco mensæ exhibetur & Senff vocata, supplebit: quam & statim ad manus habere possumus.

Pyrethri radicis decoctum, in Oxymellite, idem præstat; eodem modo vsurpatum.

Euphorbium quoq; in Aqua vitæ dissolutum aliaq; fauces accendentia.

Vti & castoreum simili ratione permixtum & adhibitum.

Hieras aliaq; electuaria purgantia, palato aliqui, sed sine fructu, & incommodè affricant: quorum loco satius est confectione Anacardina, quæ nonnihil inflammat, vti.

Vel talis fiat compositio: ℞. seminis sinapis, Piperis longi, rad. Pyrethri: puluerisata excipiantur Melle & succo Rutæ & Raphani: Fiat illinitio. Acetum quod addunt, omittimus, quia acrium vires retundit: vt videmus in cæpis & raphanis fieri, si cum aceto edantur.

Narium tunicæ summè sensilis vellicatio, pituitam egregiè elicit: vel sine impetu ex naribus stillantem, & per oculorum lachrymas emanantem: vel impetu quodam per sternutationem: Quæ si in apoplecticis superueniat, bonum est signum. Non tamen violenta hæc cōcitatio in sopore, priusquam iam parùm materia euacuata sit, erit tentanda, ne humor cerebrum adhuc replens, concussus, illud opprimat: aut in neruorum principium subitò delapsus, conuulsionem aut resolutionem pariat: quòd in apoplecticis, cùm non aliter sanentur, nisi paralysis subsequatur, haud metuitur. Hæc autem varijs modis fieri possunt: inter quæ errhina minùs, cùm ea non attrahant ægri, conueniunt. Itaque alio modo, hoc sic præstari poterit.

Illinantur nares eadem illinitione, quam palato affricari debere diximus. Vel ne crassiora nares obserant, quas liberas respirationis causa, in apoplecticis esse oportet, tenuioribus hisce erit vtendum: ℞. succorum Raphani, Cœparum Ireos ana partes æquales: In hisce penna intincta, naribus sæpè indatur.

Hellebori, Pyrethri, Piperis, Euphorbij, pulueres insufflentur, sed pauca quantitate.

Narium irritatio per fibrā Hellebori, vel Setam porcinā, vel Pilum aliquē crassiorē, actu potenter operatur, pituitamq; elicit.

Cæparum odor mirè lachrymas prouocat: quo nomine si detracto tenuiore cortice naribus adhibeantur, plurimùm iuuat. Sinapis item & Raphani odor idem faciunt, & Flammulæ folia contrita, olfactaq; potentissimè efficiunt.

Hisce peractis, si ita ad se redeant, vt errhinis, masticatoriis, gargarismatibus vti possint, neque hæc erunt negligenda: qualia suo loco explicabuntur.

Attrahentibus ad superficiem corporis, studebimus quoque humorem à parte affecta reuellere, iis quæ calore vel dolore id faciunt: quæ & potentiùs agent, si simul soluendo continuum attracto humori, vt euacuetur, viam aperiant.

Frictiones eo nomine faciendæ validæ, manibus vel panno aspero: Incipiendo à capite & deorsum per dorsum descendēdo. Item brachiorum, crurū & in illis locis quæ potissimùm frigent; quas donec incalescāt, & rubeant: fricare oportet; adhibito interdum & Oleo calido: vel etiam Sale.

Quā de causa & Ligaturæ in extremitatibus faciendæ, quæ dolorem inferre possint: quæ interdum soluendæ, rursumque stringendæ sunt.

Lotiones pedum quoq; ex Saluiæ, Rutæ, Betonicæ, Pulegij, Calamenti, Anethi, Chamomillæ, Rosarum decocto, proderunt.

Cucur-

Cucurbitulæ cum multa flamma item, occipitio primùm adhibendæ, si fortè per magnum illius foramen humor deriuari possit: ob quam causam mox ceruicis posteriori regioni, dein scapulis & humeris sunt applicandæ.

Scarificatio etiam ante cucurbitularum applicationes, interdum illis in locis facienda; plagæq; factæ Muria erunt perfricandæ.

Pilorum euulsiones, circa pudenda, sub axillis, barbæ, capillorum, item Vellicationes, hinc inde in corpore factæ; Punctiones quoq; & Vstulationes plurimùm proderũt.

Sartago vel pala, aut alia lamina ferrea candens, capitis regioni eousq; adhibita, donec illam valde calefaciat, & veluti pilos incuruet, nondum tamen caput vrat, egregiè extrorsum eliciendo, apoplecticos sæpè vt ad se redirent, effecit: cuius vsum Arabes introduxerunt.

Dropax seu picatio capitis regioni, priùs rasæ, adhibitus, sæpeq; dum adhuc calet detractus & repetitus, ad superficiem quoque humores euocando, iuuat. Tum si simplex: tum si compositus fiat. Qui & efficacior additis calidissimis sic parabitur, & vesicas excitabit: ℞ Picis ℔. ß. olei Rutacei q. s. vt liquescat, forte ad ℥. j. ß. adde rad. Pyrethri, seminum Sinapis, Piperis ana ʒ j. Euphorbij ʒ. ß. misce.

Sinapismi idem præstabunt, supra caput appositi: illiq; tum simplices: vel sic compositi: ℞. pulpæ Ficuum ex leui illorum decoctione extractæ, seminis Sinapis an. ℥. j. ß. Stercoris columbini vel hirundinum (quod passim in cubiculis inuenitur) ʒ. iij. Piperis, Euphorbij ana ʒ. ß. Castorij ʒ. j. olei Spicæ guttas vj. misce cum Aceto acerrimo.

Vrticæ folia, veluti actu vesicas excitant: quæ nuchæ & ad reuulsionem cruribus affricantur.

Flãmula cõtusa, potentissimè quoq; id efficit, si ceruicis posteriori regioni apponatur.

Cauterium item potentiale, capitis regioni vel dictæ ceruicis sedi adhibitum: licet cùm necessitas exigit, vt in apoplexia, actuale cùm citius operetur, & non sentiant, rectiùs adhibeatur: quo pili vri possunt capitis, & cutis quoq; nonnihil.

Alterantia quæ humorem dissoluere discutere, cerebrumq; roborare debent, per os in soporosis potiùs, quàm apoplecticis, qui ferè nihil deglutiunt, exhibentur: quæ tamẽ si minima quantitate & nihilominus efficacia parentur, guttatim etiam apoplecticorum ori infundi possunt, cùm & in ore contenta vires suas exerant: quæ tamen in asperam arteriam illapsa, ne tussim moueãt, aut eos suffocent, liquida potiùs esse debent.

Aquæ elicitæ sic præcipuè commendantur: quales præsertim sunt Rosmarini, Saluiæ, Rutæ, Lauandulæ: quæ arida in vino infusa, si destillentur, efficaciorem aquam reddunt. Cinamomi aqua stillatitia, vti grata & odorata, ita summè est efficax. Lilij cõuallij florum & Tiliæ, dum recentes adhuc sunt, extracta aqua, magni in hoc casu apud vulgum æstimatur. Calendulæ florum aquam, & Chelidoniæ, Melissæ, herbarum aquam, aliqui quoq; commendant.

Compositæ efficaciores sunt, quales innumeræ describuntur. Nos ex selectioribus appropriatis talem parare possumus; quę ℞. Saluiæ, Rosmarini, Thymi, Maioranæ ana ℥. ß. Rutæ ʒ. ij. florum Lauandulæ ʒ. iij. Stœchados ʒ. j. seminum Erucæ ʒ. j. Cinamomi ℥. ß. Nucis mosc. ʒ. ij. Gariophyl. ʒ. j. ß. Cubebarum ʒ. j. pulueriſentur: infundantur in Vino præstantissimo, vt excedãt spacio duorum digitorum; destillentur: Detur cochleare vnum, duo vel tria, prout deglutire poterit. Cum dicta aqua misceri potest Castorium & aliquoties percolari, & sic exhiberi: neque vt solent, toti compositioni permiscendum: satiùs enim gratam adhuc ad vsum asseruare, & cùm necesse est portioni illius alicui, ingrata hæc permiscere, atq; exhibere. Masticem hisce stillatitiis aquis vel infusionibus permixtam, vim ipsorum valde augere autumant.

Si quoque prædictas herbas, in spiritu vel liquore Vini stillatitio præstantissimo infundas, diuque in sole vel alio calore maceraueris, aut iteratis etiam infusionibus validiorem reddideris, liquorem efficies, in hosce vsus præstantissimum. Vel si ex singulis herbis separatim infusionem talem facias, quælibet ad hæc erit efficax. Vti & si plu-

ſi plures ſic ſimul commiſceas, compoſitam quoque validam ſic exhibere poteris aquam. Inter quas, quæ ex infuſione ſeu exſtillatione Roſmarini fit aqua, præ cæteris extollitur. Licet autem ſpiritus Vini, vim aliquam ſtupefaciendi habeat, quia tamen eximia ſubtilitate, qua pollet, & calore, reliquorum vim validè ad cerebrum deducit, & pituitam exturbat, caloremque natiuum & facultates excitat ſopitas, propter illas commoditates, commodè prædicta ſimplicia illi infuſa, vires in illum deponunt, illiusque narcoticam vim retundentia, aptum medicamentum ad prædictos affectus ſanandos faciunt: Quem tamen ſpiritum Vini ſolum exhibere, vti aliqui ſuadent, non conſultum ob vim illius ſtupefaciendi eſſe putamus. Quemadmodum neque aquas Theriacales, aut alias ex Opiatis paratas, ſicuti neque ipſa electuaria, vllo modo propter opium, quod continent, probare poſſumus, quæ licet inueterata, narcoticam vim tamen minimè deponunt, quam in ſtupore & ſopore toto cœlo fugere debemus.

Olea arte chymica ex ſupradictis elicita, præ cæteris omnibus ſummam vim vel minima guttula exhibita, exerunt: & proin in omnibus ſtupidis vtiliſsima, ſi gutta vna aut altera ori infundatur: vel liquore conuenienti diſſoluta, illis qui deglutire poſſunt exhibeatur: quale eſt oleum Maioranæ, Saluiæ, Lauandulæ, & ſuaue illud oleum Cinamomi: item Gariophyllorum: Vitreoli ſpiritum potiùs, quàm oleum nominatum extollit Hollerius, quod quia acetoſum eſt vigilias excitare poterit. Succini oleo multùm quoque tribuunt.

Solidiora medicamenta ſimili ratione infuſa & diluta exhiberi poſſunt, quamdiu ægrè medicamenta admittunt: & cùm ita ad ſe redierint, vt craſsiora quoque ſumere poſsint, tunc, vt & toto deinceps morbi proceſſu, hæc alijs quoque formis exhiberi poſſunt.

Confectio Anacardina, vt in omnibus cerebri frigidis morbis, ſic & hic ſummopere probatur: qua potiùs quàm theriaca, aut alijs opiatis vtemur: per ſe eam exhibendo: vel cum aqua Vitæ diſſoluendo, in qua ſupradicta priùs infuſa ſint.

Caſtorium, pondere granorum quatuor vel quinque cum Oximellite exhibet Galenus in lethargo: quo & in alijs ſpeciebus vti licebit: cui grana aliquot Euphorbij addere poſſumus: quæ & cum ſpiritu Vini per infuſionem facto, dari poſſunt.

Sinapis ſemen contuſum, & pondere ʒ.ß. ſimiliter exhibitum, mirè eſt conueniens, quia ſurſum illius vis ad caput fertur: vel detur conditum illius, & condimenti loco cibis addatur.

Succus Cæparum, cum aqua Rutæ vel Saluiæ, vel infuſione dicta ad ʒ. ij vel cum Vino vt gratior ſit, exhiberi poteſt.

Naſturtium quoq; probatur comeſtum: cuius ſuccus acris cochlearis vnius menſura conſimili ratione, vti reliqui, dari poteſt.

Electuarium quod ſequitur, valde conueniens eſt, quo & per morbi progreſſum, vti licebit: ℞. conſeruarum Ireos, Acori veri, id eſt, calami off. ana ℥. j. Saluiæ, Roſmarini, Maioranæ, Stœchados vel Lauandulæ ana ℥. ß. confect. Anacardinæ ʒ. ij. pulu. Diambræ. Diamoſci ana ʒ. ß. ſeminum Erucæ, Rutæ ana ʒ. j. cum Oxymell. ſquill. vel Melle Anacardino: fiat electuarium: Capiat inſtar caſtaneæ, alternis diebus.

Poteſt ſumi huius confectionis ʒ. j. illiq; permiſceri gr. aliquot, Caſtorei vel Euphorbij, cùm neceſsitas vrget, ſicq; propinari.

Extractum Saluiæ pro magno ſecreto in apoplexia exhibent chymici.

Ex iis quæ foris adhibentur, alterationis cauſa, ea quoq; quæ naribus admouentur, id præſtant efficaciſsimè, cùm ipſorum vis rectà ad cerebrum penetret: quocirca nares hiſce ſuccis illinuntur: ℞. ſuccorum Rutæ, Maioranæ, Aceti fortiſsimi (quod præcipuè in ſopore, vt vigilias excitet vſurpatur) ana æquas partes: Et penicillo vel penna, in hiſce intinctis, nares intrinſecus vngat.

Vel ſic: ℞. Caſtorei, Aſſæ fœtid. ana portionem aliquam: Quam diſſolutam in Aceto fortiſsimo eo em modo adhibeto.

Item: ℞. olei Rutacei ʒ. ij. Aceti ſcyllit. ʒ. j. ſucci Scyllæ ʒ. ß. Caſtorei ℈. j. miſceantur: Pro narium illinitione.

Olea arte chymica elicita, potentissima sunt: si guttula narib. indatur: qualis priùs exhiberi quoque posse diximus: imprimis oleum Spicæ, quod subtili sua euaporatione, mirè calefacit, atq; oculos mordicando, lachrymas simul elicit.

Odoramenta penetrando ad superiora, plurimùm quoque iuuant: qualis est Aceti fortissimus odor, naribus exceptus, qui siccando, vigilias inducit.

Suffitus quoq; ab eo si supra laminam ignitá effundatur, naribus exceptus cōuenit.

Fumi crassiores, ita tamen ne suffocent, naribus admissi proderunt: vt fumus qui à Capillis humanis vstis excitatur, maximè si, antequam vrantur, Aceto prius madefiant: & qui à Pennis accensis, quarum eadem cū pilis est materia, fit: inter quas Perdicum & Pauonis pennas meliores esse vulgus iudicat.

Sic quoque factus plurimum iuuabit: R. Capillorum hominis minutim incisorum & Aceto fortissimo madefactorum ℥. ß. rasuræ cornu Cerui ʒ. ß. gummi Galbani, Ammon. Oppopanacis, Gagatis ana ʒ. j. Castorij ʒ. ß. seminis Nigellæ ʒ. j. misce: Projiciatur portio illius super carbones & fumum excipiat.

Sulphuris accensi fumus, mirè est efficax: quod & ex eo quòd rosas rubras dealbet, satis patet.

Auribus quoque indita, si efficacia admodum sint, aliquid præstare poterunt: vt si oleum Spicæ illis immittatur: vel spiritus Vini cum infusionibus, vti superiùs dictum fuit: oleum quoque Rutæ, sed per destillationem potiùs, quàm macerationem elicitum.

Capitis superficiei, priùs rasæ, sequentia quoque alterationis causa adhibentur. Vt fotus seu embrocationes sequenti modo: ℞. radicum Ireos, Cyperi, Acori veri, ana ℥. j. herbarum Samsuci, Lauri, Saluiæ, Serpilli, Pulegij, Satureiæ, Melissæ ana M. j. florum Lauandulæ, Stœchados, Chamomillæ ana P. j. seminis Viticis ʒ. j. decoquantur in Lixiuio, addito pauco Vino: Foueatur vel irrigetur caput.

Vel sic: ℞. olei Nucum quar. j. aquæ Vitæ ℥. j. ß. succorum Rutæ ℥. j. Pulegij, Serpylli, Saluiæ ana ʒ. ij. incisa; decoquantur: Pro fotu capitis.

Postea inungatur caput sequentibus: ℞. oleorum Rutacei, Laurini ana ℥. ij. succi Rutæ ℥. j. ß. Aceti ℥. j. aquæ Vitæ ℥. ß. coquantur ad consumptionem, addendo Castorei ʒ. j. Euphorbij ℥. ß. Inungatur caput.

Efficaciùs sic fiet: ℞. oleorum Rutacei ℥. ij. de Piperibus, ex semine Sinapis ana ℥. j. olei destill. Spicæ, ol. Rosmarini vel Thymi per destillationem facti ana ℈. ß. gummi Oppopan. Bdellij, dissolutorum in Aqua vitæ ana ℥. ß. seminum Rutæ, Sinapis ana ʒ. j. Castorei, Euphorbij ana ʒ. ß. Capillorum hominis vstorum ʒ. ß. Ceræ q. s. fiat linimentum.

Emplastrum ex iisdem parabitur, addita Pice vel Resina: vel ceratum, aucta Ceræ quantitate: in quibus parandis gummorum pondus augetur, addito quoq; Ammoniaco, & Assa fœtida: Quæ sic parata, capiti pilei instar imponuntur.

Cataplasmata ex herbis & radicibus contusis simili modo fieri possunt: Vt: ℞. fol. Rutæ, Pulegij, Saluiæ ana M. j. rad. Ireos recent. ℥. ij. coquantur in Vino forti: cui permiscebis Aceti, Aquæ vitæ ana ℥. j. addendo dein Scyllæ sub cineribus assæ ℥. j. Pomorum putridorum ℥. j. ß. contundantur, & postea adde oleorum Irini, Rutacei ana ℥. j. ol. Spicæ ʒ. ß. rad. Pyrethri ʒ. j. Fimi Columbini vel Hirundinum ʒ. ij. Castorei, Euphorbij ana ʒ. ß. misceantur, fiat cataplasma.

Pulmonē porci in lethargo applicāt aliq.

Sanguine testudinis perungūt caput alij.

Præter hæc quæ capiti applicantur remedia, spinæ quoque remedia adhibentur in apoplecticis, vt materia deorsùm feratur: cuius principio hoc emplastrum applicatur attractiuum: ℞. gummorum Oppopanacis, Sagapeni ana ℥. j. dissoluantur in Aqua vitæ: postea misce seminis Sinapis ʒ. ij. Castorei, Euphorbij ana ʒ. j. fiat emplastrum: Applicetur nuchæ; & postea inungatur tota spina, deorsum ducendo manus, oleis calidis: quale est Rutaceum.

Volas manuum in apoplecticis quoque Sulphure & Vitriolo in oleo calido dissolu-

tis, & commixtis, fricare non erit inutile.

Inter amuleta, Smaragdum collo appensum maximè conferre, si nudam carnem tãgat, asserunt. Philomela puluinari substrata, Caput vespertilionis, intra lateres tecti positum, à somno excitare proprietate creditur.

Cari & Apoplexiæ à sanguine curatio.

A sanguine si sopor fiat, quia tunc sanguis in vasis adhuc remanet, facilè curatur, nisi grauior aliquis morbus subsit. Quod si verò rupta vena, in cerebrum sanguis effusus, apoplexiam pariat, siue hoc à plethora vel causa violenta accidat, nisi è caluaria subitò per nares, aures, vti sæpè fit, erumpat, statim in grumum conuersus, mortem adfert: eoque citiùs, si cerebri substantia simul læsa sit: præcedente tunc conuulsione, si sanguis prius putrescat, antequam æger extinguitur.

Statim tamẽ in eiusmodi casibus, & quàm citissimè dum materia adhuc fluit, sanguinem reuellere, deriuare & propellere debemus: sequenti ordine.

Vena primùm aperienda, nisi quid impediat. Humeraria nimirum in brachio; & si magna sit plethora, in vtroq;: dein etiam in pede Poplitis vel Malleoli vena, quam humerariæ nonnulli præmittunt, vt maior fiat reuulsio, quę tamen rectiùs fit in brachio, secanda erit: dein & Frontis vena & Nasi: quã setis pungendo aperit Rondel. vel sub Lingua, deriuationis causâ, præmissis reuulsionibus tundi potest: quæ & si non magna sit plethora sufficient: nam iugularem aperire, vti aliqui docent, valde est periculosum. Atque sic sopor à sanguinis copia procedens facilè emendatur. Et in contusione capitis magnum adfert adiumentum.

Scarificatio adhibitis concurbitulis illic præsertim, vbi iugulares per collum ascendunt, plurimùm deriuat. Quam & in Mento factam approbant. Quod & Sanguisugis si tempus det, continuari poterit, præsertim si podici adhibeantur, suppressis hæmorrhoidibus. Quas & si consuetę fuerint priùs, & nunc suppressæ sint, vel aliàs tumeant, aperire debemus.

Cucurbitulæ solæ quoq; illis in locis, & humeris, & scapulis, adhibitæ, cum non tanta adest plethora, sufficiunt.

Quod & ligaturæ extremitatum, & Frictiones præstare possunt.

Alui irritatio in hac causa, æquè ac si à pituita fieret, reuellit: idque per suppositoria, vel clysmata egregiè stimulantia, minus tamen quàm in alia causa inflammantia: idq; mox post venam sectam, quæ hîc tanquam potior præire debet.

Tale erit enema sequens: quod vt mox præstò sit ad manum paratu sic fit facilè: ℞. Mercurialis vel Betæ, hyemis tempore, M. ij. Violariæ M. j. affunde Lixiuij q. s. fiat decoctio, & in ℔. j. dissolue Mellis ℥. ij. Salis fossilis ʒ. j. Butyri vel Olei ℥. j. (ne maiori copia reliquorum vim infringat) fiat clyster.

Sternutationem ciere, post aliquot exhibita clysmata, in apoplecticis, non tamen nimiùm violenter licet.

Repellemus Oxyrhodinis, si caput admodum æstuare appareat, sed talibus quæ siccando potiùs, quàm frigiditate astringãt: cautè tamen iis, ne materiam si in superficie sit, intro pellamus, vtendo: proin & Rondel. siccante tantùm, in caro inunctione & sinapismo vtitur: cùm tamen necessitas exigit tale fieri poterit: ℞. aquæ Ros. r. ℥. iij. succi Plantag. ℥. j. vel aquæ eiusdem ℥. ij. quia huius vis in sanguinis influxu exhibendo mira est. Aceti ros. ℥. j. Albuminum ouorum agitat. num. ij. misce: olea ob laxitatem omittuntur.

Pullus columbinus, vel gallinaceus, vel catulus, per medium facti, capitiq; admota, miram vim in sanguine discutiendo habẽt: vt & alia in phrenitide exposita.

Nasturtium comestum, in iusculis vel acetariis, carum à sanguinis copia profectũ, sanare scribit Rondel.

Contusio si in capite appareat, & sanguinis grumi in cerebro suspicio fit, ea quæ in contusionibus dicentur, extrinsecus adhibenda erunt.

Quale hoc est cataplasma: ℞. Absynthij M. j. florum Ros. rubr. & Chamomill. ana P. j. fiat puluis: decoquatur in oleo Rosaceo: contundatur, addendo farinę Fabarum ℥. j. sanguinis Draconis ʒ. ij. Mumiæ ʒ. iij. Applicetur.

Per os, quando aliquid sumere possunt, eodem

eodem nomine, ſanguinis grumos diſſoluentia, dantur: de quibus ſuo loco agetur.

Apoplexiæ à læſione cerebri curatio.

Quòd ſi verò læſa cerebri ſubſtantia, Apoplexiam cauſet, cùm ſit lethalis, tùm quia partis principis ſoluta eſt continuitas, tùm quia ab extrinſecus illata iniuria, meningum ſinus ſimul lædi neceſſe eſt, vnde maxima ſequitur hæmorrhagia, prognoſticis ſunt relinquendi: interim tamen quamdiu viuunt, nihilominus prout vulnus vel ſectum, vel punctum, vel contuſum eſt, illud tractari debet.

Si autem fractæ caluariæ pars depreſſa, cerebrum comprimendo, ſtuporem cauſet, Terebello, aliiſq; artibus eleuanda retrahédaq; erit. Oſsicula ſi quæ adſunt, quæ & ſępè pungunt, eximenda. Sanguis eluendus; & ſicuti fracturæ, vulneraque ſanari debent, hîc quoque procedendum: ſic enim ſi modo pars ſubiecta minimè læſa fuerit, ad ſe redeunt, atq; ſanitati reſtituuntur.

Stuporis ſoporoſi, à tumore cerebri, curatio.

Tumor in cerebro, ſi ſtuporem inducat, vel vti putarunt, lethargum, quia ægrè viuente homine cognoſci poteſt, vix illi alia cura accommodatur, quàm quæ frigidis humoribus debetur, cùm frigidum humorem hunc, qui id efficere poſsit, eſſe oporteat: calidus enim phrenitidem potiùs faceret. Diuturnus autem tunc erit ſtupor, & mortalis cùm tumor hic abditus in cerebro, emolliri nequeat, nec reſolui.

Vapores ſoli, niſi occulta, vt dicetur, adſit vis, ſtuporem vix pariunt: licet aliqui apoplexiam inde fieri poſſe, ſcribant, quæ ſola corporis agitatione concuſsioneq;, diſcuſsis vaporibus ſanetur: ſoporem verò frequenter cauſant; in quo partis mandantis, ventriculi ſcilicet, vteri, inteſtinorum & venoſi generis, in febribus, & recipiendis, capitis nimirum, rationem habere oportet.

Somni immodici à vapore, curatio.

Ventriculi cauſa ſi accidat, à cibo & potu, ſomni illa inclinatio, quæ à prandio & cœna, multos diuexare ſolet: in conſuetis & quibuſdam naturis, potiùs corpus defatigatum reficiendo prodeſt, quàm obeſt, propterea & poſtea alacriores ad munia obeunda euadunt. Quòd ſi verò caput grauat & excrementorum prouentum in eo faciat, cauebitur cibi parſimonia & temperantia; Vini moderato & debilioris vſu. Si item prandium non longiùs protrahant, aut mēſæ diutiùs aſsideant, ſed poſt breue prandium, mox ſurgant, deambulent, & iucunda peragant, quæ mentem alio inuitando, quieſcere minimè ſinant. Quod in aliis facit muſica, in aliis luſus, vel aliæ cuiuſque ingenio gratæ actiones. Et cùm calor ſomnum inuitet, ſi in loco temperato vel frigidiuſculo potiùs, tunc temporis cibum capiant, verſenturq;, & ſenſim deſueſcēdo, cōſuetudinē hanc prauam, emendare ſtudeāt.

Soporis profundi à vapore curatio.

Quòd ſi verò ſopor, cibi & potus aſſumpti, vaporoſi nimiùm cauſa, aut copia profūdus fiat; Vomitus iuuabit: repetitus, ſi prima vice non profuerit. Et ventriculi euacuatio, per pilulas vtilis erit.

Si verò ab humoribus, in ventriculo exiſtentibus, vapores eleuati carum inducant; Euacuandi erunt: & ventriculus roborandus: vti & ſi vteri cauſa fiat, huic potiſsimùm remedia erunt accommodanda. Et ſi à vermibus, illis necandis expurgandiſq;, ſcopus curandi adhibebitur.

Cari ſeu Lethargi in febribus, curatio.

Quòd ſi verò à venoſo genere, in febribus vapor eleuatus, ſoporem, febris comitem efficiat, febris quoque in curatione illius habenda eſt ratio; quæ ſi mox in lethargo dicto incipiat, cùm ſit periculoſus admodum, & ſenes plerunque interficiat, eoque nomine ad ſe potiùs, quàm ad febrem curam trahat, ſic erit inſtituenda: vt cùm calida remedia illi quoque vt in alio caro competant, ratione febris comitis ita temperentur, ne corpus priùs accenſum, nimiùm inflammantia, periculum, quod ratione cari iam priùs adeſt, aucta febre, conduplicent. Cuius tamen cauſa etiam venæ ſectio, quæ in caro ſimplici vix conceditur, hîc propter febrem comitem, in plethoricis tamen admittitur. In reliquis febribus, ſi caros in declinatione ſuperueniat, quia iam febris ceſſauit, tota cura ad ſymptoma hoc graue auertendum, dirigetur. In intermittentibus febribus, in principiis paroxyſmorum inuadens ſopor, cùm non adeò ſit periculoſus, curam priuatam aliam, quàm quæ febri conuenit non requirit: niſi quòd obiter, vt dicetur, capitis ratio eſt habenda.

Cerebri verò, quòd vapores qui soporem procreant recipit, occasione, ea quæ illorum ascensũ impedire possunt, administrabũtur.

Exhibitis illis, quæ illos in parte suscitatos, veluti deprimant & retundant: quod fiet, si à ventriculo ascendant, remedijs astringentibus. Et quæ ipsos vti & flatus discutiant. Et in febribus si alterantia, quæ ipsorum euaporationem reprimant, exhibeantur, sicuti illis in locis dictum fuit.

Dein vapores, iam ad cerebrum delatos, reuellentibus, atq; eosdem deriuantibus, à parte affecta retrahemus: præsertim si lethargus ille grauis cum febre inuadat, non alia ratione, quàm in simplici caro, iisdem quæ pituitam à capite reuellere diximus, eoq; hîc magis, cùm vapores simul caput petant; idcirco & in lethargo, Venæ sectione, Scarificatione, Cucurbitulis, Clysteribus, alijsq;, hoc est moliendum. Quod & cùm caros febrem sequitur, locum habebit.

Extrinsecus ea quæ vapores reprimunt, in omnibus speciebus per consensum factis, præsertim in febribus, & lethargo quoque in principio, capiti erunt applicanda.

Qualia sunt oxyrhodina sequentia: ℞. aquæ Rosaceæ ℥. iiij. Aceti Rosac. ℥. iij. olei Rosacei ℥. j. misce: Applicetur capiti, vt decet: vel eo caput inungatur.

In progressu sic parabitur, si morbus perseueret: ℞. aceti Rosacei ℥. ij. olei Ros. ℥. j. Chamomellini ℥. ß. Oxymell scyllitici ℥. j. ß. secundùm Rond. fiat oxyrhodinum.

Postea ad fortiora calidiora sensim, si lethargus nondum cesset, progrediendum, qualia in caro iam explicata sunt: cùm in progressu morbi, lethargi cura à cari cura nihil, aut parùm differre debeat, & proin in eodem capite, à practicis ferè describuntur.

Qualis quædam abscondita, si soporem grauem & stuporem causet, curatio distinguenda primùm erit, quatenus à narcotica vel maligna vi hæc prodeunt, vel à dæmone procedunt.

Soporis & stuporis à vi narcotica, curatio.

Narcotica dicta assumpta, si soporem aut stuporem inducant, tunc Vomitus quàm citissimè erit prouocandus: actu fauces irritando, vel exhibitis quoq; si deglutire possint, vomitoriis.

Propinanda quoque ea, quæ narcoticorum vim possunt infringere, qualia calida esse hactenus creditum fuit, quæ frigiditatem narcoticorum sic retundendo, prosint, & proin calidissima, qualia sunt succus cæparum, allij, piper, castoreum, euphorbium, exhibent. Nos verò qui narcotica calida quoq; esse alibi sufficienter declarauimus, hæc si quid iuuant, quia sopitam facultatem caloremq; natiuum excitant potiùs, quàm quod narcoticorum vires infringant, prodesse putamus. Theriacam verò, quam plerique in hoc casu probant, propter opium quod recipit, quocirca & narcoticorum vires potiùs auget, quàm inhibet, minimè cõcedimus. Vnde neque vinum fortissimum, vti quoq; docent, longè minus spiritum illius, eo nomine exhibemus, cùm & hæc narcotica sint: vnde rectè Diosc. cicutam si cum vino detur citiùs interficere scribit, licet hîc aliam causam, quare hoc faciat, quod nimirùm citiùs ad cerebrum vim medicamenti deducat, fingant.

Quæ verò reuera narcoticorum vires debilitant, ea sunt, quæ leniẽdo, temperie quadam, ipsorum caliditatem potiùs, quàm frigiditatem emendant: quibus & tunc præcipuè vtimur, cùm à narcotico vehementer corpus accenditur: sicuti à spiritu vini, stuporem mortalem, & summum simul æstum excitari diximus: in quo casu, vt & in aliis à simili causa excitatis, Lac exhibemus naturale, & factitium ex Amygdalis, & seminibus Cucurbitæ paratum. Butyrum item, Oleum commune & amygdalinum, aliaq; pinguia & mucilaginosa: qualia & in erodenti veneno competere diximus.

Sed & acida exhibita, vti acrium humorum & bilis efferuescentiam, sic & narcoticorum efficaciam retundunt: quæ ego potiùs exhibere soleo; vt succos acidos vel syrupos, vel ipsum Acetum, quod & proin ebrietatis remedium esse certissimum, alibi diximus. Reliqua quæ proprietate id quadam agunt, in remediis explicabuntur.

Soporis & stuporis à [illegible] curatio.

Maligna qualitas, quam rectè explicare non possumus, si extrinsecùs aduenia, ab ictu bestiæ, vnde sopor vel stupor, [illegible] anti-pharmaca hisce venenis [illegible] exhi-[illegible]

benda: qualia suo loco describuntur. Quòd si verò talis in corpore suscitetur, vt in febribus malignis, soporem & stuporem quoque accidere diximus, tunc exhibitis quæ malignitati resistunt, eadem quæ in lethargo dicta fuit curandi methodus, obseruatur.

Soporis dæmoniaci à spiritu maligno, curatio.

Dæmoniacus sopor, si sagis, vti diximus illudat, cùm causa præternaturalis sit, non naturalibus remedijs, sed precibus & vitæ emendatione curabitur: quòd si ea facere recusent, dignę quæ igne adhibito purgentur.

Apoplexia à spiritus animalis cōsumptione, curatio.

Absumptis in cerebro spiritibus animalibus, si homo apoplecticus fiat, mors ipsa, quā iam iam instare prædicere oportet, omnem curandi rationem anteuertit.

Epilepsiæ, Catalepseos, et Stuporum, à spiritus animalis è cerebro nimia profusione, curatio.

Profusis verò à cerebro spiritibus, meditatione graui, si aliquandiu stupeant, facilè iterū remeantibus spiritibus ad se redeunt. Quòd si verò affectu animi vehementiore adeò spiritus efferantur, vt stupore grauiore prehensi, cum rigore, cataleptici fiant: tunc pertinax admodum est malum, idq; præsertim si à melancholia hic affectus originem traxerit: sic enim affecti difficulter curantur, & licet eo liberentur, stupidi tamen & melancholici manent. Quòd si ab ira quoque in epilepsiam cadant, periculo non carent. In quibus speciebus dum paroxysmo laborāt, eadem præsidia, quæ in reliquis epilepticis, ad illorum paroxysmum citiùs soluendum, vsurpantur, similiter adhibentur: quo cessante, causa erit auertenda: hoc facto, si nihilominus redeat malum, cùm causam internam subesse ex eo cognoscamus, quam externa primum commouit, huic tollendæ, cura erit accommodanda: quam in catalepsi melancholiæ, in epilepsia pituitę expurgandæ, sicuti dicetur, accommodant.

Quod si verò à neruosi generis affectu, cerebrum in consensum trahente, atque interdum simul afficiente, conuulsio, vel quod rariùs fit, catalepsis sequatur, causa ipsa diligenter erit consideranda, & pro ratione illius & prædicendum, & curatio instituenda: quam diximus esse in epilepsia illa diuturna, vti & catalepseos aliquando, sed rariùs accidentis, malignum aliquem, melancholicum & venenatum humorem: in abditis corporis locis, in venoso genere, circa corporis interiora, vel exteriora quoque, alicubi in corporis habitu latentem; vel etiam intra caluariam à vitio aliquo, nondum tamen cerebrum pessundante, sed neruosum genus per vices afficiente, profectum, cōsistentem. Mitioris verò epilepsiæ & breuioris, euaporationes aliquas, hinc inde ab internis visceribus à causa minus perseuerante, profectas: & nonnunquam etiam dolores vel tantùm molestias; quæ etsi causam non adeò magnam habent, in pueris debilioribus, adhuc paroxysmos epilepticos progignere possunt. Conuulsionum verò reliquarum, quæ breues sunt, causas internas, venenatum in venoso quoque genere humorem, in febribus quas hæ conuulsiones sequuntur, esse diximus: vel alioquin acrem, perniciosum, biliosum, vel serosum humorem, aut sanguinem corruptum: vel ab assumptis deleterijs aut venenatis dependere; aut dolore graui: vel ex vulnere: aut ictu bestiarum proficisci.

In quibus omnibus speciebus, cùm omnes arduæ sint, nihil boni temere, etsi cura idonea, vel naturæ beneficium, prognosticum nonnunquam mitigat, erit prædicendum: Nimirum diuturnam dictam epilepsiam, si ante pubertatis tempus incipiat, & non eo aduentante, tunc nimirum cùm masculi semen emittere possunt, vel fœminis menses erumpūt, cesset, vti & eam quæ post pubertatem primùm incipit, incurabilem & desperatam, ad extremum vsque vitæ tempus, longo tempore, nisi sæuitia symptomatum mortē acceleret, homines afflicturam. E breuiore verò conuulsionem dictam, deteriorem, lethalem existere. Mitiorem quoque illius speciem appellatam, periculo non vacare.

Quę cùm ita se habeāt, prognosticis hisce præmissis, curatio nihilominus tentanda erit, quam nō secundùm causas, cùm tam variæ & abstrusæ sint, primùm distribuemus, sed per modos operandi procedentes, quomodo euacuantibus & alterantibus medicamentis, partim vsu inuentis, partim ratione aliqua, causæ accommodatis, epilepsias & conuulsiones sanare, vel saltem illarum accessiones, protrahere aut mitigare debeamus, explicabimus.

Euacuantia remedia sunt, quę causas convulsiones procreantes aut fouentes, siue vapores humorésve sint, vel à parte affecta reuellendo, deriuandoque, aliò deducunt: aut repellendo, impediendoque, ad eam peruenire non sinunt. Idque vel per aperturas, sectione, suctione, vstione factas: aut expurgationes per varias corporis vias institutas: aut operationes alias extrinsecùs adhibitas.

In sectionum genere, phlebotomia occurrit, sanguinem minuens: quæ in epilepsia diuturna locum habebit, si plethoricus sit æger, vel hæmorrhoides prius consuetæ suppressæ sint: generali vena aliqua insigni, & patente ad hanc rem selecta. Pleriq; tamen humerariam, cephalicam nominatam, capitis causa aperire suadét. E' poplitis quoque, & malleoli venis sanguinis emisio facta, valde conuenit, eoque magis, si menstrua in fœminis retenta sint. Quam & in frontis & linguæ venis factam, aliqui laudant. Et si à sanguine maligno, causam illius dependere conijciamus, sępè hæ sanguinis detractiones erunt repetendæ, cùm & in mania, in non admodum dissimili causa, hoc potissimum esse remedium ostenderimus: vnde & hîc, si à sanguine vitiato procedat, hoc remedij genus sępe vsurpatum valde proderit: sicuti & in catalepsi, si simile ratione oriatur: cùm & sponte nonnunquam narium hæmorrhagia sequente, sanetur. In alijs verò causis extra sanguinem positis, corporibus præsertim epilepsia longa attenuatis, vti & convulsionibus, morbos sequentibus, in quibus vires, morbi convulsionem patientis sæuitia, deiectæ sunt, sanguinem detrahere minimè consultum foret. Scarificatio verò, loco venæ sectionis, in pueris & adultis, quando sanguinem aliò auertere potiùs, quàm exhaurire volumus, ijs locis, quo eum ducere animus est, non inutiliter instituitur. Sed & paracentesis; & per setas factæ aperturæ; & trepanatio exempta caluariæ ossis parte, in morbis hisce desperatis tentari possunt.

Suctio sanguinem eliciens, sanguisugarum fit opera: quas in fronte & reliquo ambitu capitis applicatas, in epilepsia sananda prodesse scribũt: pręsertim verò tunc, quando hæmorrhoides suppressæ sunt, podici affixæ, sanguinem hu[illegible], quem alia arte prouocare aliàs vix possumus, exsurgendo, valde in hoc casu conueniunt.

Vstio, cauterio tàm actuali, quàm potentiali facta, sicuti in extremis morbis, extremum est remedium: ita & hîc in perseuerante malo, si pręcipuè causa in capite lateat, an fortè hoc pacto causa à neruoso genere ad partes ignobiliores deriuari possit, non sine ratione tandem adhiberi potest. Quo pacto, modò natis, Florentiæ, vt fertur, verticem perurentes, epilepsiam, quæ ijs in locis infantibus consueta est, solét auertere. Quibus de causis & experientia moti, ferro candenti vstionem moliri (quam dum paroxysmo tenentur, stupidiq; sunt, etiam sine sensu doloris, in ipsis perficere possumus) vel caustico adhibito, idem experiri, in diuturna epilepsia, si alia omnia respuat remedia, non inconsultum esse putamus. Quam & aliqui non tantùm in ea capitis sede, vbi suturarum in capite fit congressus, sed & in ceruice & pedibus quoq; adhibent. Vel si certo aliquo in loco aura eleuata epilepsiam causet, causticum huic sedi appositum, eam admodum reuellit.

Expurgationes per corporis loca destinata, alvum, os, nares, vterumq; in fœminis, diuersis modis instituuntur. Inter quas deiectio quæ per alvum fit, varia excrementa educens, purgantium vsu fieri solita, diuersimodè pro diuersis convulsionum generibus, perficitur.

In diuturna enim caducaq; epilepsia, cùm sicuti in omnibus diuturnis morbis, excrementorum sit prouentus, vt corpus purum fiat, iterum iterumque per vices, & quotiescunque illa de nouo recolliguntur, temporibus conuenientibus erit purgandum: Primùm alvum eluendo: postmodũ humores qui huic affectui ansam præbent, præparando, atq; educendo. In quibus cùm tantopere authores, vti dictum, varient, nõ mirum est, diuersa quoq; ab ipsis cathartica statui purgantia: phlegmagoga enim & quæ à capite pituitam educunt, plerique, quibus ab humore isto epilepsiã nasci persuasum est, præ cæteris vsurpant: alij cholagoga potiùs, vel

mela-

melanagoga, qui bilem flauam vel atrã causam statuunt, reliquis præualere in purgantibus medicamentis contendunt. Nos verò, prout corpus humoribus vel refertũ vel contaminatum depreheditur, huic illíve humori educendo, remedia accommodamus: eorumq; delectum ex eo præsertim, an leuioribus fortioribúsve catharticis, vt humor expellatur, opus habeat, (omissa illa nimiùm scrupulosa, & obscura catharticorum cum humoribus similitudine & proprietate) desumentes, ea quę vel mitiora, vel efficaciora, prout humoris natura, corporisq; robur & constitutio efflagitant, eligimus: illaq; quæ à veteribus & neotericis probata sunt, præsertim Dioscor. authoritate, in hoc casu commendata: qualia ex leuioribus Serum lactis, Agaricus, Sena, & è fortioribus Veratrũ existunt, additis reliquis quoq; idoneis, approbamus, & secundùm prædictã intentionem administrata, in epilepsia conducibilia esse existimamus. Imprimis verò cauentes, cùm epilepsiam acris malignáve materia suscitat, ne nimiùm calidis acribúsve, & fortioribus purgantibus, corpus supra modum exagitemus: & si causa in dubio sit, vel abstrusa, ne nimis sollicitè, vni alicui humori euacuando, ex cõmuni opinione incumbentes, corpora magis debilitemus, quàm iuvemus. Verùm & catharticis idoneis eiusmodi medicamentis, ea quæ neruoso generi appropriata sunt: & quæ peculiari vi epilepsię resistunt, inter quę Pæonię succus, affatim sumptus alvum quoque subducit: & quæ materiam, si pręparatione opus habeat, simul pręparant (quæ omnia in alterantibus explicabuntur) erunt permiscẽda. Sed & quæ menses, hęmorrhoidesq; aperiant, si hæc retenta fuerint, ijsdem commixta, quia facultas expultrix tunc varijs modis impellitur, vt faciliùs prouocentur, procurant.

Cæterùm, vt ea exemplis quoq; demonstremus: obseruata hac methodo, in epilepsia diuturna vti & in catalepsi, sic erit procedendum.

Alvus sollicitãda primùm, vt à primis vijs fæces, ipsisque permixta eluvies educatur: idq; tum ante purgantium vsum: tum etiam in paroxysmo nonnunquam, vt citiùs ad se redeant: vel per vices quoque, si alvus non sufficienter respondeat.

Quod glandibus quibusuis fieri poterit: vel sequentibus inditis: ℞. Mellis, succi Rutæ ana æquales partes: coquantur: adde in fine Salis quantum sufficit & parùm pulueris radicis Pæoniæ.

Vel clysmata inijciuntur: ab initio laxantia, mox stimulantia, tandem & fortiora, cerebro neruisq; simul accommodata.

Quale hoc in pituitosis potissimùm esse poterit: ℞. rad. Liliorum, Pæoniæ recentis ana ℥.j.ß. Aristol. rotundæ vel vulgaris ℥.ß. herbarum Maluæ, Betæ, Saluiæ, Rutæ, Centaurij minoris ana M.j. florũ Lauandulæ vel Stœchados, Anthos, Primulæ, Chamomil. ana P.j. Furfuris P.j. seminis Pæonię ʒ.j.ß. Carui ʒ.j. fiat decoctio; dissolue succi Mercurialis vel Betæ, Mellis vel sacchari rubr. ana ℥.j. Hieræ picræ & logodij ana ʒ.ij. olei Rutacei ℥.j.ß. Salis parum: fiat clyster.

In melancholica constitutione, pręsertim si circa hypochondria, & venas meseraicas epilepsię vel catalepseos causa lateat, tale exhiberi poterit: ℞. herb. Malue, Betę vel Mercurialis, Betonicæ ana M.j. summitatũ Thymi, Fumarię ana M.ß. fl. Chamomil. P.j. Polypodij, Senæ ana ℥.ß. seminis Fœniculi ʒ.ij. fiat decoctio; dissolue in sufficienti quantitate confect. Hamech ʒ.ij. Catholici ℥.ß. Mellis ℥.j. olei Chamomil. Anethini ana ℥.j.ß. Salis parum: fiat clyster.

Præparatur humor redundans, ante purgationem, prout vel pituitosus, vel biliosus, vel melancholicus est: exhibitis sequẽtibus per triduum vel quadriduum.

Pituitosus hoc pacto: ℞, Syrupi de Hyssopo (in hoc casu valde commendatur) ℥.ij. de Stœchade, Oxymell. squil. an. ℥.j. aquarũ Betonicæ, Pæoniæ, Hyssopi, Melissę ana ℥.ij. misce; aromatisetur: Vel tabulam conuenientem mox eo sumpto, sumat.

Vel fiat melicratũ: ℞. Hyssopi, Calamenthi ana M.j. florum Stœchados, Cicerum rub. ana P.j. addito Melle coquatur parum.

Vel decoctum: ℞. rad. Pæoniæ, Galangæ crassæ ana ℥.j. Visci quercini, radicum Enulæ, Aristolo. rotund. ana ℥.ß. radic. Graminis, Asparagi, Liquiritiæ ana ℥.j. herbarum Hyssopi,

sopi,Betonicæ, Melissæ, Calamenti ana M.j. fl.Stœch. Anthos, Saluiæ ana P.j. seminum Anisi,Fœniculi ana ʒ.j.Ocimi,Pęoniæ an.ʒ.j. Passul.℥.j.fiat decoctio: dissolue in ℔.j.col.syrupi de Hysopo, Acetosi ana ℥.j. misce: Fiat apozema.

Vel vinum: ℞. herb.Absynthij, Chamæpitheos,Chamedreos, Calamenthi,Hysopi. fl.Stœchados,ana, infunde in Vino.

Melancholicus humor sic præparabitur: ℞. syrupi de Fumaria, ℥.ij. de Stœchade, de Hysopo ana ℥.j.cũ aquis Betonicę,Buglossi, Fumariæ, Hysopi quantum sufficit.

Vel hoc decoctum,quod & in catalepsi accommodum erit: ℞. rad.Aperitiuarũ in Vino maceratarum an.℥.ß.rad.Buglossi recentis ℥.j. rad. Pæoniæ ℥.ß. cort. Tamaricis ʒ.vj. herbarum Melissæ, Fumariæ, Hysopi, summit. Thymi ana M.j. fl. Cordialium ana P.j. seminum Petros.Fœniculi, seminis Carui ana ʒ.j. & in ℔.j. dissolue: Sacchari q.s.fiat Iulep.clarificatum & aromatisatũ Cinamomo.

Si biliosus humor exuperet sic fiet: ℞. syrupi de Endiuia, Acetosi simplicis ana ℥.iij. aquarum Endiuiæ, Acetosæ, Pæoniæ ana quantum sufficit.

Vel hoc decoctum: ℞. rad. Graminis, Asparagi,Cichoreæ ana ℥.j. rad.Pæoniæ, Visci querc. ana ℥.ß. herbarum Endiuiæ, Capillarium, Buglossi vtriusque cum toto ana M.j. Betonicæ M.ß. florũ Violarum P.j. seminum Anisi ʒ.j.ß. seminis Pæoniæ ʒ.j. Passul. ℥.j. Prunorum num.vj.fiat decoctio, dissolue syrupi Viol.& Endiuiæ ana ℥.ij. misce.

Purgantia,præparato humore,talia adhiberi possunt.In pituitoso corpore primùm.

Potio sequens ex electuarijs vsitatis parata, efficax, sed amara: ℞.elect.Diaphœni. ʒ.iij.Hieræ Colocynthidis & Rufi ʒ.j.ß.syrupi de Fumaria compositi ℥.j. aquarũ Hysopi & Pæoniæ q.s.fiat potio: in robustioribus etiam hiera Logadij officin. dari potest.

Alia cum decocto conuenienti: ℞.rad.Acori veri,Pæoniæ ana ℥.ß.Liquiritiæ ʒ.vj.Visci querc.ʒ.ij. herb.Hysopi, Melissæ,Betonicæ ana ʒ.ij. florũ Stœchados ʒ.j.ß. fl.Buglossi vtriusq; ana ʒ.j.seminis Pæoniæ ʒ.ij.seminis Fœniculi ʒ.j.Polypod.Senę,ana ʒ.vj.Epithymi ʒ.ij.Passul.℥.j.fiat decoctio: infunde Agarici ʒ.j.ß. Zingib.ʒ.ß. fiat expresio: dissolu. electuarij Hieræ colocynth. ʒ.j. vel si amara respuunt Diaphœn. ʒ.ij. syrupi Ros. sol. ℥.j. fiat potio.

Vel in forma pilularum hoc modo: ℞.pilul.Cocciarum ʒ.ß.Sine quibus,de Sarcocolla ana ℈.j.cum syrupo de Stœchade,vel aqua Hysopi: fiant pilulæ.

In biliosis & melancholicis sequentia potiùs conueniunt:℞.Polipodij ʒ.vj.Senæ ʒ.iij. Epithymi ʒ.ij.seminis Fœniculi ß.j.rad.Pæoniæ ℥.ß. infundantur in Sero caprino: decoquantur: dissolue Cathol.℥.ß. conf. Hamech ʒ.ij. Syrup.de Fumaria ℥.j. fiat potio.

Vel sic: ℞. rad.Pæoniæ recentis ℥.j. herb. Betonicæ,Callitrichi,Cichorij,Endiuię,Lupulorum ana M.ß. fl. Cordialium, Genistæ ana P.j.seminum Anisi,Fœniculi ana ʒ.j.Passul.par.x.Prunorum Sebesten ana par.v.Polipodi ʒ.v.Senæ ℥.ß.Tamarind.℥.ß.Myrobal. citrin.confricatarum succo Ros.ʒ.j.ß.fiat decoctio, infunde Rhabarbari el.ʒ.j. Spicæ ℈.j. fiat expresio; dissolue Syrup. ros. sol. vel de Fumaria, vel de Pomis redolentibus, ℥.ß. fiat potio.

Quæ pluribus vicibus vsurpatur,vel continuis, vel interpollatis, hisce formis præscribuntur.

Syrupus talis fieri poterit: ℞.rad.Pæoniæ recentis ℥.ij.rad.Acori veri,Visci quercini ana ℥.j.Aristol.rot.℥.ß. Scyllæ præparatæ,rad. Pyrethri ana ʒ.ij. rad. Fœniculi, Liquiritiæ ana ℥.j.herbarum Hysopi,Betonicæ,Saluiæ, Maioranæ, Melissæ ana M.j. Rutæ, Thymi, Primulæ veris, Chamæpitheos, Endiuiæ, Lupul. Fumariæ ana M.ß.florũ Stœchados, Anthos, Borrag.Buglossi, Genistæ ana P.j. seminum Pæoniæ ʒ.ij. seminum Rutæ Fœniculi, Anisi, Sesebeos montani ana ʒ.j. Passul.par.xx. Ficuum, Prunorum ana num.x. Polypodij ℥.iiij.Epithymi ʒ.vj.Senæ,Carthami ana ℥.iij. Agarici ʒ.v.Rhabarbari ʒ.iij. vel ℥.ß. Turbith.ʒ.iij. Hellebori nigri, Galangæ crassæ, Nucis mosch. ana ʒ.ij. Zingib.Spicæ Cardamom. ana ʒ.j. fiat decoctio secundùm artem, in Aqua & tertia parte Vini, & colaturæ adde succi rad.Pæoniæ, Pomorum redolentium ana ℥.ij.succi Mercurialis ℥.j.succi Hysopi ℥.ß.Sacchari ℔.ß.coquatur ad consisten-

sisten-

sistentiam: De quo capiat ab ℥.j. ad ℥.ij. cum aqua Pæoniæ.

Vinum per dies aliquot assumendum, ex ijsdem vel paucioribus sic fiet: ℞. Senæ ℥.j. Agarici troch.℥.ß. Turbith ʒ.ij. pulpæ Colocynthidis ʒ.ß. Tartari ℥.iij.rad.Pæoniæ, Acori ana ℥.ß.herb.Absynthij,Hysopi,Betonicæ ana ʒ.iij. fol.Rutæ ʒ.j. fl. Stœchados vel Lauandulæ ʒ.ij. seminis Fœniculi ʒ.j.ß. Galangæ crassæ ʒ.ij. Zingib. ʒ.j. Cardamomi ʒ.ß. conquassentur: adde Vini, vt benè diluatur: Experiatur quantitatem vnius haustus, & diebus aliquot bibat.

Electuarium vsuale sic fiet: ℞. hieræ Colocynth.℥.j.Diaphœn.℥.ß.Diacarthami,Diasenæ ana ʒ.ij.cum syrupo de Stœchade & de Hysopo: fiat electuarium ad vsum: A ʒ.ij. incipiendo.

Vel in forma pilularum: ℞. spec. Hieræ simplicis ℥.ß.Agari ʒ.ij.Rhabarbari ʒ.j.ß.Hellebori nigri ʒ.j. troch.Alhandal ℈.ij. lap. Lazuli præparati ʒ.j.medullę seminis Pæoniæ, Stœchad. Arab. ana ʒ.j. Castorij gr. vj. Salis gemmę ℈.j.cum syrupo de Hysopo fiat massa: Incipiat à ʒ.ß.

In mitiori puerili dicta epilepsia, purgantibus sed leuioribus quoq; vtendũ erit, cùm infantes vel grauidas mulieres, fortioribus purgare tutũ non sit: quæ cùm vehementer calida existat, in illis corpus nimium accenderent, in hisce verò fœtum propellerent.

Ex prædictis itaque leuiora vsurpari possunt. Vel si infantes adhuc sint, quia respuũt ingrata & amara, dentur dulcia, vt Manna, vel Cassia cum saccharo. Vel detur Lac in quo Rosæ, Violæ, Sena, similiaque ebullierint. Quòd si adhuc lactentur, nutrix quoq; leuibus purgetur, vt lac quod sugit minus sit excrementitium.

Alijs detur de cõfectione hac Passularum, quæ sic ad hunc casum conueniens paratur: ℞.fol.Senæ ℥.j.Agarici,rad.Pæoniæ ana ℥.ß. fol. Hysopi ʒ.ij. infundantur in Aqua & parum coquantur: colentur: dein impone Passularum quartar.j.ß. iterũ coquantur, & exprimantur, & ad Mellis consistentiam coquantur: Detur primum ʒ.j.pro ratione ætatis experiundo.

Puluis quoq; exhiberi potest, qui ℞. Tartari ʒ.ij. Diacrydij ℈.ß. Anisi ℈.j. rad.Pæoniæ ʒ.ß.Sacchari ʒ.vj. Detur ʒ.j.ß.

Præsertim verò si à vermibus epilepsia exorta sit, ea quę præterquam quod purgant simul vermes enecant: qualia sunt, aloë, rhabarbarum, seliguntur: ijsq; quæ putredini resistunt, vt sunt citriorum, limonum, succi & semen, cornu ceruĩ, coralliaque: & quæ epilepsiæ resistunt, vt rad pæoniæ & semen, viscum quercinum & similia permiscentur: atque in forma pilularum, vel puluerum aut tabularum exhibentur.

Pilulæ valde conueniunt, propter aloëm, si eas deglutire possint: quales hæ sunt: ℞. Aloës, Rhabarbari ana ʒ. j. seminis Contra vermes, Corallinæ, medullæ seminis Pæoniæ ana ʒ.ß. Diacrydij gr. vj. excipiantur syrupo de Limonibus: fiant paruæ pilulæ: Deglutiat aliquas.

Tabulis ferè magis delectantur: quæ sic parari possunt: ℞. Rhabarbari ʒ.j.ß. seminis Contra vermes ʒ.ß.medullę seminis Citri & Pæoniæ, rasuræ Cornu cerui, Eboris ana ℈.j. Coralli ℈.j. Visci quercini ℈.j. Diacrydij ℈.ß. Sacchari dissoluti in aqua Portulacæ addito, succo Limonum, vel pauco Aceto ad ℥.j.ß. fiant tabulæ: Capiat ʒ.j.

In deteriori verò convulsione, quæ vires, iam prius morbi quem sequitur sęuitia labefactatas, prosternit, vel cuius causa ab externis subitò progressa est, purgantibus corpus eneruare, vel superuacaneum, vel periculosum quoq; existit. Si tamen post colicos cruciatus, ab eodem humore, nondum vel non sufficienter expurgato acciderit, purgantibus vna eademq; opera, & colicis cruciatibus, & convulsionibus inde natis, prospiciemus. Inter quæ clysmata vtrumq; ferè præstantia (etsi vulgus eorum vsu convulsiones & paralyses, quæ colicos hos affectus sequi solent, accidere sinistrè opinetur) præ cæteris cõmendantur: quæ & in reliquis convulsionibus prauis, in quibus purgantibus alioquin vti non licet, vsurpata, quia reuellunt, atq; interim naturã non nimium offendunt cæteris purgantium formis præferuntur.

In euacuationum, quæ per os naresque fiunt, genere, vomitus, tunc quando ab assumptis, aut alijs ventriculi repletionibus,

epilepsia vel exortum aut incrementum capit, iuuabit: qui & in ipso paroxysmo, immissa in fauces penna, aliisve artibus excitatus paroxysmum breuiorem, si vomitio, sequutur, efficit.

Quod & sternutatio eodem tempore facta (quæ vt casum epilepticum interdum præcedit, ita nonnunquã eundem finit) prestare poterit. Quæ Pyrethro in nares insufflato, in hoc casu commodè mouetur: vel sequenti puluere: ℞. rad. Hellebori albi ℈.ß. Pyrethri, Piperis ana ℈.j. rad. Pæoniæ, fl. Stœchados ana ℈.ß. fiat puluis sternutatorius.

Idem præstabunt errhina naribus indita, quale hoc esse poterit; quod ℞. succorũ Rutæ, Cyclaminis ana ʒ.ij. succi Pæoniæ ʒ.j. Castorei, Fellis, ana ʒ.ß. Mellis ʒ.j. fiat instar linimenti: Pro naribus. Sed & errhina extra paroxysmum existente ægro, per vices vsurpata, si caput pituita refertum sit, vtilitatem aliquam præstabunt.

Vti & excreatio, eodẽ nomine manè sæpè facta, competet. Quæ Pipere manso, vt docet Diosc. hîc vtiliter promouetur. Vel alijs apophlegmatismis, vt masticando sequentes formulas: ℞. Masticis ℥.ß. Pyrethri ʒ.iij. Cubebarum, seminis Sinapis ana ʒ.j. rad. Pæoniæ, Nucis moschatæ ana ʒ.ß. fiat puluis; excipiatur Cera, formentur masticatoria. Acori radicem conditam, diu masticatam, plurimùm commendant.

Per vterum in muliebri sexu menses promoti, tum ijs quæ per os exhibentur, tum quæ vteri orificio induntur, regioniq; illius adhibentur, si in sanguine illic retento causa mali lateat, epilepsiam sæpenumerò sanant.

Inter ea quæ id præstant, pilulæ hæ valde sunt vtiles: ℞. Agarici troch. Aloës ana ʒ.j. Rhabarbari ʒ.j.ß. Myrrhæ ʒ.ß. Castorij ℈.j. medullæ seminis Pæoniæ ℈.ß. cum succo Porri, fiant pilulæ: Capiat à ʒ.ß. ad ʒ.j. media nocte.

Pessarium item inditũ tale menses potenter mouet, quod ℞. rad. Ireos, seminis Nigellæ ana ʒ.j. Elaterij ℈.ß. vel Colocynthidis ℈.j. Castorij ℈.ß. excipiantur Melle, quod cum succi Panis porcini, vel Mercurialis portione aliqua, ad spissitudinem decentem coctum sit: fiant pessaria.

Hæmorrhoides mouere, exhibitis admotisque, singulare præsidium est, si epilepsiæ causa, in venis meseraicis, vti dictum est, potissimum lateat. Quod & sanguisugis, alijsque suo loco explicatis remedijs, præstari poterit.

In operationum reliquarũ, quæ euacuationis causa, tum in paroxysmo, tum extra hunc extrinsecùs fiunt, Cucurbitularum applicationes recensentur: quæ nunc occipitio, nunc scapulis, nũc hypochondrijs, nunc inguinibus ad diuersionem adhibentur. Vti & frictiones extremitatũ: quibus omnibus vapores & humores à neruoso genere reuellentes, accessiones & pauciores & breuiores reddimus. Sed & ligaturis aurã quandam epilepsiæ causam præbentem, à parte aliqua, quæ vinciri potest, si supra illius exortum fiant, impediri posse, quo minus excurrens, paroxysmum inducat epilepticũ, Galenus in puero epileptico expertus memoriæ prodidit. Sicuti & repellentibus capiti exterius applicatis, idem nonnunquam successisse, aliqui testantur.

Alterãtia remedia, quæ in conuulsionum curatione adhibentur, ab ijs petuntur, quæ causa illarum malignitati, cõtrarietate quadam resistunt: idque occulta potius, quàm manifesta proprietate, nimirum, qua epilepsiæ in genere, à quacunque causa excitata fuerit, aduersantur: vel alexiteria, quę, si à venenata aliqua vi prodeat, vel epilepsia vel catalepsis, eiusmodi venenis cõtraria sunt. Vel quæ neruoso generi opitulantia, vt à causa minus promptè afficiatur, efficiũt: idq; quia roborando illud firmũ reddunt: vel leniendo demulcent: aut stupefaciendo impatibile efficiunt. Vel quæ corpus vniuersum alterantia, constitutionem illius, quæ ad epilepsiam procliuis erat, immutant.

Epilepsiam proprietate quadam depellere vsus multa inuenit & comprobauit remedia: vt sunt pæonia, viscũ quercinum, craniũ hominis, vngula asini, hirundo, aliaq; multa eiusmodi in remedijs explicata pręsidia: quę licet in omnibus illius causis vsurpari possint, cùm tamen præter hanc vim simul vel calida, vel frigida, vel temperata existant, etsi confusè citra horum respectum ijs vtantur, nos

tur, nos pro ratione constitutionis ægri vel morbi seligi debere, & hæc illáve cæteris præferri, consultum magis esse putamus.

Venenatam qualitatẽ, epilepsiam vel catalepsim inducentẽ, quænam prẹter ea, quæ iam proprietate epilepsiæ resistere diximus, retundũt, & quæ priuatim huic veneno (sicuti in alijs venenis, quæ illis resistant reperiũtur) aduersentur antidota, hactenus nulla, quæ id promptè & citò faciat, inuenit experientia: Quapropter si à venenato humore vaporéve epilepsia fiat, cõmunia remedia ea, quæ in genere venenis omnibus aduersantur alexipharmaca, vt theriaca, similesq; cõpositiones: quemadmodũ in omnibus morbis venenatis, & pestiferis, vsurpantur: sic quoq; in hisce casibus ijs, quę proprietate epilepsiæ resistunt permista, ad causam illius profligandã, emendandamq; adhibentur. Et si abictu bestię, morsũve canis rabidi, extrinsecùs venenum corpus subiens, epilepsiam procrearit, alexiterijs eandẽ, vt reliqua inde nata symptomata, curamus.

Robur addẽtia neruoso generi appropriata sunt remedia, quæ ex capitalibus & artheticis simplicibus, saluia, rosmarino, maiorana, betonica, stœchade, primula & iua parata, in paralysi, alijsq; frigidis & humidis cerebri morbis, quoq; competũt: quæ &, cùm neruosum genus, vt validiùs ijs quæ ipsum molestant, resistere possit, nouis quasi viribus instruant, non incommodè cæteris, quibus in epilepsia vtimur medicamentis, addi consueuerunt. Verùm non ea mente aut intentione, sed quia à pituita cerebrum obdurante, epilepsiam fieri crediderunt, non tantùm hæc appropriata neruis calida, sed & quæ, vt pituita crassa incidi attenuariq; posset, calidissima sunt, vt castoreum, euphorbium, pyrethrũ, scyllam, variaq; aromata, in curatione epilepsiæ plerumq; remedia adhibuerunt: quæ tamẽ nos, si ab irritatione neruosi generis epilepsia fiat, quia magis corpus accendũt, vti eam hisce minimè sanari videmus, sic magis irritare illiusque accessiones promouere & exacerbare, experti cognouimus: proin & hæc, nisi in frigida & humida cõstitutione corporis, vel quãdo alia insuper proprietate, qua venenis aut huic affectui resistunt, instructa, plus illa prodesse quàm calore obesse posse vel comperimus, vel à fide dignis, & probatis authoribus accepimus, non temerè aliàs adhibenda arbitramur.

Qualia exempli gratia, ex veterum neotericorumq;, proprijsq; obseruationibus, selectiora remedia, tàm quæ occulta contrarietate prædita, quàm quæ neruoso generi appropriata sunt, aut ex vtriusq; simul componuntur: formis diuersis: quibus vel exhibentur, vel olfacienda proponuntur: aut alioquin corpori adhibentur, describemus.

Inter ea quæ sumuntur, multa inter alimẽta, ex appropriatis vsurpari possunt: qualia sunt, Hirundinum, Milui, Picæ, Cuculi, pulli, Cerebrum leporis, comesta: reliqua à quibus natura abhorret, & quæ nõ consueta, omittimus: vti & sanguinẽ à necato homine calentẽ adhuc, potum, quod adeò vulgus approbat. Laudantur & Ficus siccæ, Plantago cum lenticula, Vitis nigræ teneritates, vti hæc docet Diosc. quæ & cum Aceto, & Oleo sumi possunt: vt & Cappares, quas adeò laudat Fontanonus: & si cibi Hysopo, Saluia, Maiorana, alijsq; neruis appropriatis, condiantur simplicibus.

Inter medicamentosa potus hic exhiberi poterit, qui ℞. rad. Pæoniæ ℥.j. Visci quercini ℥.ß. rad. Azari. Aristolochiæ ana ʒ.ij. seminis Pæoniæ ʒ.j. Anisi ʒ.ß. Schœnanthi ℈.j. fiat decoctio in Iusculo, vel Vino & Aqua, vel Aqua appropriata; dissoluendo Mellis scyllitici ℥.ß. fiat haustus: Detur, cùm paroxysmus timetur.

Decoctum in corporibus plethoricis hoc parari poterit: quod ℞. ligni Guaiaci rasi ℔. ß. Visci quercini quart. j. rad. Pæoniæ ℥.j. decoquantur in Aquæ ℔. xij. ad consumptionem tertiæ partis: Bibat loco vini, vel vinum eo diluat.

Succum Sedi maioris vel Rutæ, in paroxysmo, mox expressos, ori indunt, Castorei pauxillum interdum addentes.

Vel sic ad vsum vt semper prẹstò sint eiusmodi medicamẽta parari possunt. ℞. succorũ Millefolij, Rutæ, Sedi mai. Cardui bened. ana ℥.ij. Saluiæ, Calendulæ ana ℥.j. Sacchari ℥.iiij. decoquantur ad consistentiam syrupi: Sumat frequenter cochleare j. vel ij.

Syrupus Pæoniæ parari poteſt ad vſum, hoc modo: Et ſucci Pæonię ℥.vj.Mellis ſcyllitici ℥.j. ß. Aceti ſcyll. ℥. ß. Sacchari ℥. ij. decoquantur ad ſyrupi conſiſtentiam. Laxat quoque, & quia acidulus, eò erit gratior. Syrupus de Cichorea plurimùm in pueris laudatur.

Compoſitus ſic fieri poterit: ℞. rad.Pæoniæ ℥.j.ß.rad.Eryngij, Filipédulæ, Dictamni albi, Ariſtolochiæ ana ℥.j. rad. Imperatoriæ, Pyrethri, Scyllæ, præparatæ ana ℥.ß. Viſci quercini ʒ.vj. herb. Hyſopi, Saluiæ, Maioranæ Rutæ, Betonicæ, Cardui bened. Chamæpitheos Chamædreos, Millefolij, Pentaphylli, Hyperici, Plantaginis, Vitis albæ ana M.j. florum Stœchados, Lauandulæ, Violarum, Garyophyl.hortenſium an.P.j.ſeminũ Pæoniæ ʒ.iij.ſeminũ Rutę, Trifolij an.℥.j.ß.Aniſi, Fœniculi ana ʒ.ij.fiat decoctio, & in colatura adde ſuccorũ rad.Pæoniæ & Hyſopi an. ℥.ij. Mellis ſcyllitici ℥.iij.Sacchari ℥.v.aromatiſetur Cinamomi ʒ.ij. fiat ſyrupus: decenter, vt aſſeruari poſsit, coctus: De quo ſumat frequenter ab ℥.ß.ad ℥.j. per ſe, vel cum liquore conuenienti diſſoluendo.

Vinum ex iiſdem aridis in vini menſuris quatuor vel ſex infuſis, in dolio parari poteſt ad vſum: quod & ex paucioribus fieri poterit. Vel ſi Guaiacum, Viſcum quercinum, raſa, addita radic. Pæoniæ, vt prius de decocto dictum eſt, Vino indas. Vel ſcylliticũ vinum vt docet Dioſc. exhibeas.

Aquæ conſuetæ ſunt, in hoſce vſus paratæ, atque aſſeruatæ, quæ ſeparatim, vel commiſtæ hac ratione parari poſſunt: ℞. aquarum florum Pæoniæ, Lilij conuallij, Tiliæ, Ceraſorum nigrorum maturorum ana ℥.ß. Detur ab ℥.ß ad ℥.j. In cuius aquæ ℥.ij. ſi Caſtorij ℈.j. infundas; erit efficacior; longeque magis, ſi Aſſæ fœtidę tantundem addas: quæ tamen ob fœtorem vix, niſi in paroxyſmo, ab ægro ſtupido tunc admittitur.

Ex varijs concinnata efficaciſsima ſic parabitur: ℞. Hirundinum pullorum numero xv. Picæ, Cuculi pullorum numero quatuor, vel ſi haberi non poſſunt, hirundinum xxv. Sanguinis humani vel hirci ℥.iij. Cranij hominis ℥.j. Caſtorij ℥.ß.rad.Pęoniæ quart.j. & ſeminis ℥. j. Scyllæ præparat. ʒ. ij. Viſci querc.℥.ß.herb.Rutæ, Hyſopi ana M.ij.Betonicæ, Maioranæ, Saluiæ, florum Roſarum, Lauandulæ ana M.j.Cinnamomi, ʒ.ij.Gariophyl.Nucis moſc.Cubeb.Piperis ana ʒ.j.Vini præſtantiſsimi vel maluatici ℔.iij. aquarum Lilij conuallij, & florum Tiliæ, ana ℥.ij. aquæ Vitę ℥.j.macerentur per horas tantùm aliquot, ne corrumpantur: deſtillentur. Detur ab ℥. ß. ad ℥.j. ad præcautionem: quæ & aqua in paroxyſmo infuſa, excitat; citiusque ſi in portione illius Aſſam fœtidam, vt prius dictum, infundas.

Alia ex ſanguine hos modo parabitur: ℞. Sanguinis humani, è recenter iugulato, vel vena aperta hominis ſani collecti ℔.ß. rad. Pæoniæ recentis inciſæ ℥. ij. ſeminis Pæoniæ ℥.ß. Hyſopi, Rutæ ana M.j. Cranij hominis ℥.j. eliciatur aqua mox dum calet: Cuius datur ℥.j. ad præcautionem.

Pulueres ſic fiunt: ℞. rad. Pæoniæ & ſeminis illius, Viſci quercini ana ʒ.j. Maioranæ, Nucis moſc. ſeminis Aniſi ana ʒ.ß. fiat puluis: poteſt addi Cranij hominis pulueriſ.℥.j. Et ſi vermes adſint, in pueris, rad. Dictamni, raſuræ Cerui cornu an̄.ʒ.ß.ſeminum Santonici, & Portulacæ ana ℈.j. Coralli ℈.ß. fiat puluis: Detur per ſe, vel cum Saccharo addito, fiat tragema: vel tabulæ, diſſoluto ſaccharo in aquis Pæoniæ vel alijs.

Vel ſic: ℞. Cranij humani ʒ.j. Vngulæ aſini, cineris Hirundinum ana ʒ.ß.raſuræ Eboris ℈.j. Coralli rubr. ʒ.j. Margarit. præparatarum ʒ. ß. Auri limati ℈. j. ſeminis Pæoniæ ʒ.ß. Diamoſci (qui puluis epilepſiæ ſanandæ accommodatus cenſetur) ℈.j. fiat puluis: poteſt addi Sacchari quantum ſufficit & manere puluis, vel in tabulas redigi cum aqua conuenienti.

Electuaria & conſeruæ ſic parantur: ℞. conſeruarũ Pæoniæ florum, & Stœchados, Roſmarini, Saluiæ, Betonicæ ana ℥.j. conſ.fl. Cichorij & Violarum ana ℥.ß.rad.Pæonię & ſeminis eiuſdem ʒ.j.ß. rad.Pyrethri, Hyſopi an̄ ʒ.j.ſeminis Ocimi ʒ.ß.Cranij hominis ʒ.j. cum Melle Scyllitico quantum ſufficit fiat electuarium.

Vel ſic: ℞.rad.Pæoniæ, Pyrethri ana ʒ.j.ß. Hyſopi, ſeminis Pæoniæ ana ʒ ij.Mellis ſcyllitici quantum ſufficit, fiat electuarium.

Ex.

Ex scylla remedium paratum Galenus valde commendat, quod magis appropriatum sic fiet: ℞. Scyllæ recentis incisæ, Mellis selectissimi ana ℔. ß. adde pulueris rad. Pæoniæ ℥. j. & seminis ℥. ß. rad. Pyrethri ʒ. j. Visci quercini, fol. Hysopi, Rutæ, Agarici ana ʒ. ij. Cranij hominis ʒ. iij. hoc vitro clauso excepta, macerari sinantur in calore fimi, aut arenæ ad solem, per dies quindecim; postea expressus succus per se, vel leuiter priùs coctus, vt ad vsum asseruari possit, exhibeatur: Capiat æger cochleare vnum vel duo plena; bis terve in septimana.

Vel sic ex varijs concinnatum remediũ, & veluti contra epilepsiam antidotus: ℞. rad. Pæoniæ, Visci quercini ana ʒ. ij. radic. Tormentillæ, Aristolochiæ rot. Filipendulæ, Pentaphyli, Dictamni ana ʒ. j. Scyllæ prępar. ʒ. j. ß. Agarici, fol. Hysopi, Maioranæ ana ʒ. ij. fl. Stœchados & Lauandulæ ana ʒ. j. seminum Pæoniæ ʒ. j. ß. seminis Callitrichi ʒ. j. seminis Seseleos, Ocimi, Nasturtij ana ʒ. ß. Cinamomi, Cubebarum, Cardamomi, Nucis mosc. ana ʒ. j. Piperis longi, Zingiberis ana ʒ. ß. pulu. Diamosci dulcis ℈. ij. Pliris arcoticon, Diamargaritonis frig. ana ℈. j. Cranij hominis puluerisati ℥. ß. Vngulæ asini ʒ. ij. cinerum Hirundinum & Cuculi ana ʒ. j. ß. rasuræ Eboris & Cornu Cerui ana ʒ. ß. Coaguli leporis ʒ. ij. Benzoini, Masticis, Ammoniaci, dissol. in Aceto scyllitico ana ʒ. j. cum Melle scillitico: fiat electuarium.

Ex illis quæ venenis in genere resistunt & priuatim epilepsiæ, sensumque nonnihil obtundunt, opiata sic fit: ℞. Theriacæ veteris ʒ. iij. rad. & seminis Pæoniæ, Visci quercini ana ʒ. j. seminis Callitrichi, Ocimi ana ʒ. ß. Cranij hominis ʒ. ij. cum Melle scyllitico vel syrupo de Papauere, si stupefaciendum magis sit; fiat opiata: Detur ʒ. j. noctu cubitum ituro.

In forma pilularum ingrata; ad præcautionem exhibentur, hoc modo: ℞. Castorij, Assæ fœtidæ ana ʒ. ß. gummi Ammoniaci, Sagapeni, dissolutorum in Aceto scyllitico ana ℈. j. Fellis vrsi ℈. ß. olei Succini, (quod valde probatur chymicis) guttas quatuor cum succo radic. Pæoniæ; fiat massa; Exhibeatur ℈. ß. cubitum eunti.

Eadem dissoluta in succo Rutæ, ori dum paroxysmo tenentur indita, illum abbreuiant: vti & Castoreum solum Oxymelliti permistum, eoque oris interiora illinita. Quod & cum Felle factum, plurimùm iuuat: cùm hæc ingrata sensum gustus potenter mouendo, vt citiùs ad se redeant, efficiant.

Olfaciendo eodem nomine, odores suffitusq; ægro adhibentur: quæ etsi accessiones sæpe promoueant, & prodant epilepticas, eas tamen discutiendo, vti aiunt, præsertim in paroxysmo naribus indita, breuiores reddunt, ægrumq; excitant.

Imprimis id pręstant Castoreum, Assa fœtida, Galbanum, Ruta, naribus adhibita, quę fœtida & graui odore prædita sunt.

Vel suffitus fiat ex sequentibus: ℞. Ladani ʒ. ij. Benzoini, Styracis calam. Mumię, (propter bitumen) Masticis ana ʒ. j. seminis Nigellæ, Pæoniæ ana ʒ. ß. fiat puluis: Vratur supra carbones.

Sed & extra paroxysmum cubiculum suffumigari poterit, non tamen nimium fœtidis.

Et pomum gestare, & sępe olfacere: quod sic paratur: ℞. rad. & seminis Pæoniæ ana ʒ. ij. fol. Hysopi, Rutæ, seminum Nigellæ, Coriandri ana ʒ. j. Ladani ℥. ß. Storacis cal. ʒ. ij. gummi Ammoniaci in Aceto dissoluti q. s. fiat pomum.

Ex admotis capiti, pulueres, cucuphæ quam noctu gestent insui, aut in sacculis apponi, vel puluinis capiti subjici consuetis, imponi, aut pilis capitis inunctis priùs inspergi debent.

Qualis hic est: ℞. radic. Pæoniæ ʒ. ij. Cyperi, Ireos, Visci quercini ana ʒ. j. ß. Rutæ, Hysopi, Maioranæ, seminis Coriandri præpar. seminis Pæoniæ ana ʒ. j. sem. Ocimi, Nigellæ ana ℈. ij. Gariophyl. Rof. rubr. fl. Lauandulæ ana ʒ. ß. Galliæ mosch. ʒ. j. fiat puluis.

Vel sic: ℞. rad. Ireos ʒ. ij. Galangæ, Cyperi an. ʒ. j. Nucis mosch. Garyophyl. an. ʒ. ß. fol. Maioranę, Melissę an. ʒ. j. flor. Lauandulę, Rorismar. Rosarum ana ʒ. j. Granorum tinctorum ʒ. ß. fiat puluis.

Inungitur caput, rasum prius, sequentibus: ℞. oleorum Chamomil. Liliorum, Sabucini ana ℥. j. Aquæ vitæ ℥. j. agitentur.

Caput itidem moderatè calidis fouendũ; vti hoc fotu: ℞. radic. Altheæ, Liliorum alborum ana ℥.j. herb. Maluæ M.ij. Betonicæ, Saluiæ, Maioranæ, Melissæ ana M. j. fl. Chamom. Sambuci, Anthos ana P. j. seminum Lini, Fœnogr. ana ℥. ß. Carui ʒ. j. fiat decoctio in Aqua & Vino, vel Lixiuio debiliore: Pro fotu vel lotione capitis.

Repellentia capiti, si à vaporibus fiat applicantur oxyrhodina. Vel Puluis hic tenuissimus capillis inspergitur, qui ℞. seminis Coriandri præpar. ʒ. ij. granorum Myrthi, flor. Rosm. rubrarum, Masticis, Santali rubr. radic. Cyperi, & Pæoniæ ana ʒ. j. Gariophyll. Anthos ana ʒ.ß. fiat puluis.

Spina dorsi oleo Lacertarum si inungatur, prodest: vel aliis neruos roborantibus, vt in remediis dictum.

Cordis regioni & pulsibus seques quoq; emplastrum admoueatur, quod ℞. Theriacę vel Mitridati ℥. ß. radic. Pæoniæ, Rutæ fol. contusorum ana ʒ. ij. subigantur cũ Aceto.

Hoc & ceruicis regioni, simul applicatum proderit.

Extremitatum lotiones vel balnea, ex epilepsiæ & capiti & neruis appropriatis plãtis, parata, vt ex Pæonia, Ruta, Hyssopo, aliisq; vt in remediis dictum proderunt.

Appensa gestataq; amuleta, vsitata plerunque sunt, Pæonia, Viscum quercinum, Alcis vngula: reliqua in remediis explicata fuerunt.

Cæterùm quę leniendo neruosum genus demulcent præsidia, vt in omnibus conuulsionum generibus, sic præsertim cùm magnum imminet neruis tantoperè affectis periculum, ob causæ vehementiam, in deterioribus scilicet appellatis conuulsionum speciebus, vtiliter adhibentur: quæ moderato calore, humore & temperię neruos cõstrictos conuulsosque humectando, emolliendoque, relaxent, & refocillent. Qualia multa eiusmodi in conuulsione particulari, in qua musculi cum neruis reuera astricti sunt, explicantur.

Quæ extrinsecùs plerunq; spinæ dorsi, vbi neruorum occurrit copia & exortus, per illinitiones olei Amygdal. dulc. Violacei, Butyri, Mucilaginum & similium adhibentur. Et cataplasmatum applicationes: quale ex Malua, Althæa, ol. Violaceo, & farina seminis Lini, paratur.

Vel in forma balnei humidi, pinguis & tepidi: in quo moram aliquam trahat, administrantur: cui Malua, Pæonia, Chamomilla, aliaq; possunt incoqui.

Vel capiti quoque accommodant: illud Lacte embrocando, in infantibus pręsertim, quibus matres eam ob causam lac ex vberibus supra caput tepidum emulgent: vel oleo Violaceo inungendo.

Idem quoq; clysterum emollientium & humectantium beneficio perficitur.

Et exhibitis in cibo vel medicamentis, pinguibus vt Butyro recenti, & oleo Amygdal. dulcium, affatim bibito, quod singulare conuulsionum habetur remedium, præstatur. Quo nomine & serum lactis potum commendat Dioscor. & Violarum decoctum; syrupus item in pueris probatur: atque lac Amygdalinum, cui commodè emulsio seminum Pæoniæ permisceri potest, vtiliter propinatur: è quo cum Saccharo permixto eclegma paratum, infanti antequam lactetur inditum, præseruatiuum contra epilepsiam vtile fieri, aliqui scripserunt.

Stupefacientia neruos, quia sensum ipsorum obtundendo faciunt, vt cùm irritantur, minùs molestia afficiantur, eamque ob causam non tam facilè conuellantur, si leuiora ex iis, in conuulsionibus grauibus & periculosis, quæ ab acri & maligna procedunt materia, exhibeantur, plurimùm profuisse sæpissimè sum expertus. Quo nomine Theriacam aliasque Opiatas, (quas vt neruosum genus roborarent & calefacerent, in hoc casu practici approbarunt) non solùm quia venenatam epilepsiæ causam infringunt, sed & quia neruorum exquisitum sensum aliquo modo consopiunt, in conuulsionibus conuenire existimo.

Corporis totius constitutionem quæ immutant alterantque, & nouum veluti illius tempe-

temperamentum efficiunt, ſicuti in multis diuturnis morbis deſperatis, ita & in epilepſia diuturna & immedicabili aliàs, interdum aliquid ſingulare præſtare poſſe, experientia comprobauit. Quæ mutationibus magnis, & euacuationibus nouis in corpore factis, perficiuntur.

Mutatione ætatis, cùm & temperamentum immutetur corporis, nonnunquam accidit: vt & epilepſia quæ in pueritia inuaſit, pubertate ſuperueniente ſanetur: eaq; quæ adultis primùm euenit, in ſenectute, ſi non ceſſet, mutationem tamen aliquam ſubeat. Sic & regionis mutatio, præſertim ſi de loco, in quo affectus hic popularis exiſtit, aut aliàs de inſalubri in ſalubrem fiat tranſitus, magnum in curatione huius mali adfert adiumentum. Et ſexus veluti permutatio, quæ per eunuchiſmum corpus aliàs maſculum & virile effœminatum reddit, à veteribus per caſtrationem facta, in epilepſia tanquam extremum remedium fuit commendatum.

Euacuationibus nouis nondumque conſuetis, naturalibus præſertim ſeminis & ſanguinis, ſuo tempore ſuperuenientibus, cùm corpus vehementer etiam alterent, non mirum, ſi pubertatis annis incipientibus, non tantùm ob ætatis mutationem, ſed & quia ſemen tunc ejicere incipiunt, puellisq; ſanguis fluit menſtruus, epilepſia frequenter deſinat. Et hæmorrhoidibus in quibuſdam naturis erumpentibus, eadem interdum ceſſet: & mulieres grauidas, poſtquam partum enixæ ſunt, beneq; purgatæ, epilepſia derelinquat. Quod cùm per eiuſmodi, quas natura molitur, expurgationes ſuccedere intelligant Medici, varias quoque euacuationes, caſu frequentiùs quàm methodo inſtitutas, in epilepſia deſperata tentant.

Symptomatum occaſione, cuiuſmodi in diuerſis mentis conſternationis generibus varia occurrunt, præter legitimam curam, quæ cauſæ ſummouendæ debetur; qua & ablata, ipſa quoque ceſſant, ſtatim cum ea vrgent, quædam adminiſtranda erunt. E quibus præcipua quorum rationem habere oportet, ſunt; ſuffocatio, caſus, motus violentus, ſopor & ſtupor, delirium, imbecillitas.

Ex caſu inopinato & repentino, periculum magnum imminet apoplecticis & epilepticis, quo ſæpe caput impingentes extinguuntur: aut aliàs grauiter læduntur, niſi ex conſuetudine aut vertigine præcedente, epileptici admoniti de tempore, tunc ſedendo vel cubando, caſum præcaueant.

Suffocationis periculum apoplexia graui laborantibus, quia non tantùm ob reſpirationem impeditam anguntur; ſed & ob impedimentum, quod dentibus mordicùs cōſtrictis, ore clauſo, aëris liberior tranſitus interclusus ſit, imminet. Idcirco dentes ſubitò erunt diducendi; & ſi non facilè cedant, inſtrumento per vim intruſo diuellendi; eoque interpoſito ne rurſum recludantur, cauendum, quod & ne illud mordendo abſcindant, durum eſſe oportet: cui rei vel os vel lignum durum, quodcunque primùm occurret (ſicut cochlearia in hunc vſum ferè ſemper præ cæteris præſtò inueniuntur, quorum manubrium interponitur) inſeruiet. Quæ ſi dentibus iam conſtrictis intrudi nequeant, diremptorio inſtrumento ad id parato, dentes dirimendi & interpoſito, vt iam dictum, ne iungantur, continendi: vel ſi neque ſic diſiungi queant, dens vnus alterve euellendus erit. Corpus dein ſic collocandum, vt thorax minùs compreſſus, liberiùs moueri queat: non tamen illud vehementius dum mouetur erit agitandum, vnde ſpiratio cita ſequitur, quam cùm nō poſſint perficere citiùs, vt ſæpe incuria fit, ſuffocentur.

Ex commotione corporis & agitatione illa vehementi, ne ſeipſos vulnerent, vel alioquin lædant epileptici, præcauebitur: ſi interpoſitis mollioribus puluinaribus, veſtibus, ne membra rebus durioribus allidant, ipſis proſpiciatur. Nam ipſos vel retinere aut vinculis coërcere, cùm per motum materia epilepſiæ excutiatur, diſcutiaturq;, tutum minimè exiſtit. Et quia in eiuſmodi corporis conuulſione etiam mordent, linguamque vehementer interdum vulnerant, interponendum ſubitò dentibus ipſorum antequam conſtringantur, non digitus,

gitus, quod cum periculo sæpe temerè adstantes faciunt, sed instrumētum, sicuti hoc in apoplecticis ob suffocationis metū, quod in epilepticis vt linguæ subueniatur, cùm de suffocatione minimè periclitentur, intrudi debet: & si lingua apprehensa iam sit dentibus, diremptorio instrumento subueniendum.

Sopor & stupor in hisce affectibus, si diu perseuerent, aut sæpè redeant, calorem natiuum opprimunt. Sopore itaque nimio vel profundo, & stupore vehementi apoplectici vel etiam epileptici, correpti, subinde erunt excitandi, & ne relabantur, impediendi: quod fiet, sensus externos obiectis fortioribus mouendo, vt internos impellāt, & in actum prouocent. Sic mouetur auditus, clamore in aures, sono alto strepituque facto: visus splendore multo lucis & ignis: Gustus amaris & acutis: Olfactus fœtidis supra enumeratis: Imprimis verò tactus, cùm sensum admodùm moueat, si cum dolore fiat, in partibus sensu exquisito præditis; vt in cute, pilos euellendo, vrendo, pungendo, admodum excitat. Quod & fiet nares, quæ eximium sensum habent, irritando odoribus & aliis, quæ sternutationem simul mouent, per quam magis adhuc corpus concussum excitatur. Vt & si oculos splendore subitaneo, aliisq; lachrymas mouentibus vellicando, excitemus. Item aluum suppositorijs ad excretionem: Gulam digito, penna, ad vomitionem sollicitemus. De quibus omnibus, cùm simul quoq; causam reuellant & deriuent iam superiùs dictum est.

Imbecillitas non adeò vrget, vt huic alia à reliquis morbis debeatur virium restauratio, per victus rationem aut medicamenta cordialia; inter quæ tamen externa, cùm antequam ad se redeant, ægrè aliquid assumant, quæ cordis regioni & pulsibus applicari solent, locum maximè habebunt, & si moribus sit diuturnus, victus ratione efficaci, aliisq; erunt refocillandi.





DE MENTIS ALIENATIONE.

CAPVT III.

Genera.



MENTIS alienatio seu hallucinatio Paraphrosyne appellata est; quando ea quæ non sunt, ac si essent: vel quæ sunt, sinistrè & prçter rationem fingunt, iudicant & memorant: Idq; vel simul vel separatim: Siue hoc cogitatione sola fiat, vel idem dictis factisq; exprimant.

Hęc à causis insitis plerunq; adueniens, innata quædam est Stultitia: Aliàs ab externis causis proueniens, si ab assumptis, Temulentia vocatur; si ab affectu aliquo vehementi nascatur, Animi dicetur commotio: nonnunquam verò à causis internis dependens, Desipientia est; quæ vel sine febre comite, Melancholia; vel cū furore accidens, Mania aut insania existit: vel cum febre copulata, Phrenitis dicitur: quorum singulorum accidentia explicabimus.

Stultitia, Moria, Fatuitas, Infantia, etsi non pueris tantùm, cùm iudicio adhuc destituantur, & senibus, qui repuerascere dicuntur (quæ tamen potiùs mētis in illis est debilitas quàm deprauatio) sed & omni ætati, omnibúsque hominibus eo nomine adscribatur, quòd ipsorum actiones omnes humanæ stultæ esse videantur: vti Erasmus in moria, Brandus in naui stultorum, in cunctis hominum statibus eleganter ostenderunt: Propriè tamen de illis dicitur qui verè stulti & insipientes nati, mox etiam in ipsa infantia stultitiæ indicia, gesticulando, prçter reliquorum infantium consuetudinem, edunt, neque facilè obtemperant, aut dociles sunt, ita vt sæpè neque loqui discant, longè minùs alia munia obire, in quibus industria aliqua requiritur. Quod in quibusdam regionibus frequens est malum, vti de Ægypto scribunt, & in Valesiæ pago Bremis, sicut ipse vidi, & in Carinthiæ valle Pinzgerthal dicto, multis infantibus solet accidere: qui præter innatam stultitiam, *Stultitia.*

tiam, capite interdum informi, lingua immensa & tumida, muti, strumoso sæpè gutture, aspectum deformem præbent: & sedentes in viis solemque intuentes, ac bacillos digitorum interstitiis interponentes, corpusq; variè torquentes, oreque diducto, cachinnum & admirationem prætereuntibus mouent.

Alij verò, quibus aliqua nota stultitiæ ab ortu, vel postea primùm impressa est, etsi omnes actiones reliquas vitæ, rectè obeant, & in quibusdam præ cæteris singulare quid præstare possint, ingenioque valeant, atque arte aliqua, vt pingendi sculpendi, architectura, musica, alijsq; excellant, tamen stultitiam hisce produnt, quòd se laudari libenter audiunt, quòd res ludicras narrant & agunt: quorum cõsuetudine magnates maximè ob id delectantur, quos & ob phantasmata diuersa illis occurrentia, Phantasticos vocant.

Alij verò magis adhuc fatui, nugis varijs, gestibus, & iocis stultitiæ aures, vt dicitur exerunt: è quibus aliqui vitia non omnibus accepta, eaque sæpe grauia in se habent: quæ pro naturarum varietate nunc ira nunc furore, nunc mœrore, nunc alijs, quæ omnia explicare superuacaneum esset proferunt.

Temulentia. Temulentia vel ebrietas à vino aliisque quibusdam, vt in causis dicetur, procedens, nec dum eousque progressa, vt soporem & stuporem causet, de qua iam dictum est, sed hilaritatis, qua vinum moderatè sumptum cor hominis lætificat, terminos prætergressa, dementans, pro naturarum diuersitate, vti prius de stultis quoque prolatum fuit, diuersos temulentiæ & ebrietatis effectus prodit. Cùm ex ebrijs alij stultis potiùs, profuso & immodico gaudio similes sint, fatuitatem risu & cachinnis (vnde prouerbium per risum multum debes cognoscere stultum) item garriendo, cantando, ridendo, osculando, amando patefaciant: Alij verò insanorum mores potiùs, clamore, ira, verberibus, morsu, exprimant: Alij melancholicorũ instar tristentur, lachrymas profundant, de religione multa & de morte loquantur, quam speciem Germ. Das drunckenellendt vocant. Quam illorum desipientiam plerunque sopor vel stupor, sicuti illic explicatum fuit, excipiens, eousq; compescit, donec excitati rursum ad se redeát, immemores sæpè prægressæ dementiæ: capitisq; dolore & grauitate aliquandiu postea diuexati, desipientiæ pœnas dant.

Animi commotio. Animi commotio vehemens vel perseuerans, ab affectu aliquo illius, vti in causis dicetur, exorta, similiter mentis alienationis species est: illam adeò vt multa à ratione aliena vel agat vel cogitet deprauans: Sicuti est fatuum illud gaudium nimium, quo elati, pueriliter multa & insolita dicunt & gestiendo obeunt, & ridendo præ gaudio, vt inquit Comicus lachrumentur: Item furor ille breuis, quo ira perciti, iurant, & præcipites, nulla pericula, vt se vlcisci queant, metuentes, feruntur: Dein & ex mœrore & terrore concepta melancholia, quæ sæpe in veram & perseuerantem degenerare, vt in causis patebit, solet. Huc & phantasia pertinax illorum, qui amore graui premuntur, ex corrupto iudicio & imaginatione nata, referri debet, adeò homines immutans, vt sicuti ille ait, non eundem esse noscas: quæ non tantùm viros sed & mulieres, iuuenes & senes dementat: quam speciem dementiæ Hereos nomine, quod heroibus seu diuitibus accidere soleat, satis inconsideratè, cùm nec pauperrimi tela cupidinis deuitare possint, appellant. *Amor, Animi commotionis species.* Hæc mentis conturbatio, composita quædam ex omnibus reliquis animi passionibus est affectio, cùm nunc gaudij, nunc tristitiæ, nunc iræ in ea effectus eluceant, nihilque sit amantibus inconstantius: qui vt amore perfrui queant, adeò cogitabundi fiunt, vt & necessaria corpori, qualia sunt, cibum capere, dormire, aliáve munia negligant: qui omissis grauibus & serijs negotiis, vel segniter ea tractantes, munditiei, musicæ alijsque quibus amicæ placere possint, potiùs operam dant. Et cùm se aliquid in amore obtinere posse sibi persuadent, in gaudium profusum erumpentes, stulta multa & obscœna sæpè loquuntur, atque peragunt, & pudore soluto turpia interdum perpetrant facinora, periculisque grauibus se exponere

non verentur. Vel si de mutuo amore & voluntate desperant, mœrentes lugentesq; continuò seipsos affligunt, & consolationes nullo modo admittunt: consilia vtilia respuunt, doloremque lachrymarum profusione, suspiriis frequentibus, pallore (pallet enim omnis amans) & cordis dolore, quo se angi præsertim conqueruntur, exprimunt: Quorum & pulsus, prout animus illorum vel erigitur, vel deprimitur, instabilis, & ex amicæ intuitu, vel recordatione concitatus & commotus (quo signo amorem deprehendit Erasistratus) vel desperatione, languidus & sedatus existit. Quibus accidentibus oppressi, tandem in morbos graues incidunt, mortemque sibi ipsis accersunt, vel sæpe desperabundi violentas inferant manus.

Melancholia. Melancholia ab atra bile denominata, mentis alienationis est species, in qua imaginatio & iudicium ita peruertuntur, vt sine aliqua causa, admodum tristentur & metuant: neq; enim mœroris aut timoris causam vllam certam adferre possunt, nisi eam quæ nullius est momenti, vel quam ex deprauata apprehensione, conceperunt falsam opinionem.

Vt, cùm se damnatos, Deo minimè curæ, nec prædestinatos esse, etsi religiosi & pij interim sint, sibi persuadent, & extremum iudicium æternumque supplicium metuunt: quæ horrenda & ad desperationem sępe hominem adigens melancholia, frequentissima est eius species: in qua curanda, sæpissimè multùm fui impeditus. Qua correpti, se ad blasphemiam erga Deum, ad multa horrenda perpetranda, ad manus violentas sibi inferendas, maritum, vxorem, liberos, vicinos, principem interficiendos, nulla zelotypia, nulla inuidia erga illos, quos potiùs intimè ament, commotos, contra voluntatem veluti cogi, talesq; cogitationes inuitis etiam sibi obrepere; cùm interea Deum, vt se ab impijs illis cogitationibus liberare dignetur, instanter rogare non cessent, sæpe mihi multis cum lachrymis, altè ductis suspirijs, summo cordis angore, totiusq; corporis tremore fassi sunt.

Alij verò terrore mortis illiusque metu potissimùm diuexantur, dum se in mala gratia esse principum & magistratus, aliqdque commisisse, & ad supplicium requiri; sibi falsò imaginantur: vel qui alioquin mortem quam sibi iam iam impendere fingunt, summè expauescunt.

Alij alijs nugis animo conceptis & impressis falsi, seipsos decipiunt: Vt ille qui se testam factam existimans, ne contactu collideretur, obuijs quibusvis cedebat. Vti aliqui se in bruta animalia conuersos esse crediderunt. Item alius, qui nasum longissimũ se habere putans, hac opinionem non priùs deposuit, donec chirurgus, se partem illius amputasse, simulato ictu & ostensa carne illum fefellit. Et sicuti illa, quæ quòd indies vestes induere; rursumq; exuere cogeretur, mirè angebatur. Aliaque mulier, quæ quoties maritum se mortua aliam vxorem ducturum cogitabat, in hæc ferebatur accidentia. Nonnulli qui se serpentes ranásve deuorasse, eaq; viua adhuc in corpore gestare, vel aliis præstigiis deludi, eiusmodiq; multa & mira somniant: quæ aliquando narrantes magno affectu & dolore, non sine risu sępe, aliàs summa cum admiratione & commiseratione, audiui. In quibus omnibus casibus, tristitiæ & pauoris notas, multis & continuis lachrymis, dum conqueruntur, clamant, corpus & animum miris modis exagitant, præbent.

Aliàs verò desides sunt & taciturni, interrogati nihil respondent, impulsi ægrè procedunt, solitudines amant, hominumq; cõsortium fugiunt, quæ species Misanthropia ab hominum odio, ob id dicitur: & si lucę exosi, tenebras expetant, syluas petant, & in latebras antraq; se abscondant, vti de Nebucadnezare sacræ testantur literæ, Lycanthropiam à luporum consuetudine, alij Lupinam melancholiam appellant.

Quibus animi peruersis imaginationibus, doloribus & diris cruciatibus multis sæpe non tantùm mensibus, sed & annis afflicti, & tandem euicti, nisi ad se redeant, & consilio & arte iuuentur, vel contabescentes moriuntur, vel mortem sibi, quem tamen priùs metuebant, suspendio vel submersione, vel alia vi, sicuti multa tristitia eiusmo-

iusmodi exempla nouimus, consciscunt.

Quæ enarrata mœroris & timoris pathemata, vti in omnibus non æquales effectus producunt, sed in aliis magis in aliis minus animum peruertunt: sic licet continuò illos quos semel inuaserunt detineant, habent tamen & suas per vices exacerbationes & remissiones, vt & in febribus continuis alioquin accidere, ob causam in venis simili modo cõtentam, ostendimus: aliquos tamen certis temporibus duntaxat vt aliqua anni tempestate, vel lunæ mutatione & præsertim mulieres dum vterum gestant, vel pepererunt vel per menses purgantur, sic diuexari obseruauimus.

Hypochōdriaca, Melancholiæ species. Est & species illius alia quam Hypochondriacam melancholiam à loco affecto denominant: in qua accidentia enarrata sæpius, sæpeq; eodem die intermittunt, rursumque repetunt, & qui eâ laborant, quoties ad se redeunt, secus atq; alij (qui nisi aliud aliquid accedat, de capitis tantùm dolore, vel grauedine aliquando conqueruntur) se verè ęgrotare agnoscunt: & licet vix vel rariùs decumbant, muniaq; alia nihilominus obire queant, perpetuò tamen de hypochondriorum in latere præsertim sinistro, dolore (quē cordis dolorem vocant) æstuatione, pulsu, murmure, ructibus, vomitu, exspuitione, capitis dolore, vertigine, aurium tinnitu, arteriarum pulsatione, aliisque innumeris affectibus, quos sentiunt, & sibi aliquando imaginantur, conqueruntur: & medicos obtundunt, curationes expetunt, variaque remedia tentant, & nisi mox leuentur, medicos pharmacaq; mutant.

Mania Mania, Insania; mentis omnium functionum tanta est deprauatio, vt pleraque falsò fingant, iudicent & memorent: non tantùm vt melancholici mœrentes & metuētes, sed omnia præter rationem agentes: idq; interdum citra furorem, modestiùs quæ dicunt faciuntque perpetrant: frequentiùs verò in rabiem conuersi, truci aspectu, & dictis factisq; animi impetum exprimunt, cùm falsa, obscœna & horrenda narrant, vociferantur, iurant; & brutali quodam appetitu, diuersa, & ex his quædam etiam hominibus aliàs inusitata, bestiarum instar, obeunt; & præsertim quidam ex ijs venenum potissimum appetunt: sicuti nobili matronæ, honestissimæ alioquin, quæ & homines & canes ad congressum verbis gestibusq; turpissimis inuitabat, accidisse vidi. Adhęc cùm sibi ipsis tum alijs vim inferre conatur: quare & capillos euellunt, vestes dilacerant, corpusq; proprium, morsu, alioq; modo interdum lædunt: & nisi sedulò vinculis & catenis cohibeantur, quæ tamen omni conatu disrumpere student, & custodiæ inclusi arceantur, quorum portas effringere, & fodendo carceres, exitum parare sibi certa sæpè industria tentant, & in astantes impetum faciendo, belluarum instar illos vnguibus petere, mordere, strangulare, cædere nituntur.

Obsessio à dæmone, Maniæ species. Verùm & inter hos aliqui maniacorum vel melancholicorum, nunc vehementiora, nunc mitiora hæc accidentia edentes, præternaturalia simul quoque & monstrosa agentes, & dicentes, à dæmone se obsessos esse, manifestè declarant: quos ob id Obsessos & Dæmoniacos vocant. Qui præter mentis deprauatas actiones, vt dictum, diuersimodè, sicuti dæmon mirabiliter hominibus illudere, eosq; fascinare solet: muti sæpè quàm diutissimè manent. Item à cibo interdũ longiùs quàm natura aliàs perferre posset, citra tamen aliquam læsionem abstinent: Atq; corpus aliquando adeò torquent, inflectunt & curuant, vt, sicuti oculis meis vidi, citra articulorum luxationem id naturaliter nullo pacto fieri potuisset. Vel hariolando, vaticinando, res abstrusas alioquin, diuinãt & prædicant: vel linguis quas non didicerant, nec cùm sani essent intelligebant, loquuntur, dæmone veluti per ipsorum os effante: quorum varias historias quas adferre possemus, studio omittimus.

Hydrophobia Maniæ species. Est & aliqua peculiaris Maniæ species, in qua ab animali rabido demorsi, in eandem rabiem qua animal vexabatur, conuertuntur: Vt si à cane hoc fiat, canum more latrent: vel si à lupo accidat, vlulent, & obuiam factos morsu adoriantur: lucē & quæ clara & splēdida sunt, cùm in illis imago canis à quo læsi sunt, propriæ figuræ humanæ loco, vti volunt, appareat, fugientes. Imprimisq; aquam metuentes, & ad ipsius intui-

tum trementes: vnde hæc species insaniæ, Hydrophobia priuatim nominata fuit; cùm neruorum distentione, & totius corporis, imprimis faciei rubore, & sudore hominem diu exercens, & tandem nisi succurratur, interimens.

Saltus Viti. Huc quoque horrendus ille & admirandus sed rarus affectus referendus, in quo furore quodam insano saliendi perciti, choreas ducere continuò appetunt: quẽ proin affectum Viti saltum, à sancto cuius inuocatione se ab eo liberari credunt, vocât. Quem licet aliqui, vt eleemosynam maiorem extorqueant, vel ideo subornati, vt vulgi falsam opinionem hominum mentibus magis imprimant, simulant. Inueniuntur tamen aliqui vtriusque sexus homines, qui reuerà hoc malo detenti, appetitu adeò inordinato ad saltationem feruntur, vt nullo interposito spacio, sine quiete, dies noctesque, non solùm per dies, sed & septimanas aliquot, cum alijs tripudiare gestiant, atque interim vix dum defatigentur, sed mire recreentur & reficiantur, & nisi id faciant, summoperè lædantur. Vnde & cùm cibum coacti capiunt, aut somno oppressi tantisper à saltu cessare coguntur, à corporis tamen agitatione minimè abstinent, statimque rursum quoslibet arripientes, ad saltum sollicitant: idque tam diu, donec viribus tandem omninò prostratis, & attritis pedibus, ad se iterum redeuntes, summam imbecillitatem sentiant: à qua ægrè rursum refici & restaurari possunt. Quale exemplum ego in muliere, hîc Basileæ, integro mensis spatio in publico loco sic tripudiante, cui magistratus certas personas, viros fortes, qui cum ea alternis vicibus, cùm vnus minimè sufficeret, choreas ducerent, subornarat, cùm iuuenis essem, vidi. Multique scriptores id aliquando accidisse testantur, vulgusque tandem cognitum hoc malum quoque imprecari solet. Atque Arabes aliqui Saltuosam membrorum dispositionem vocarunt, & conuulsionis speciem esse voluerunt: cùm tamen hic nulla membrorum fiat conuulsio, sed mens alienata in hanc insaniam & peruersum appetitum feratur, & impellatur: vt & in aliis meláncholiæ & maniæ speciebus, aliarum rerum, quæ alio modo horrendæ quoque esse apparent, desiderio tenentur: vti modò eos qui à cane rabido demorsi sunt, pauore aquæ potiùs excruciari diximus, sicuti pro ratione venenatæ causæ, vti in causis dicemus, diuersa hæc accidentia prodeunt. Si modò non à dæmone hic saltus inordinatus quoq; proficiscatur, & pœnæ causa hominibus, quod saltando deliquerint, Deo concedente, accidat.

Phrenitis, Delirium est, in quo æquè ac in mœnia, mens omninò, plus tamen minúsve, prout grauis est affectus abalienatur: quod & eodem quoque modo verbis factisque patefaciunt: nunc placidiores cum risu, iocis & nugis lasciuientes: nunc irati, cum iurgijs, clamore, blasphemiis furentes, & lædere quoq; vti maniaci cupientes. Quibus & peculiare hoc accidit, quòd cùm muscas floccos, festucas oculis oberrare & spectra varia apparere, ex falsa imaginatione existiment, ea venari, carpere, colligere, propellere conentur. *Deliriũ.*

Cæterùm præter eiusmodi mentis, quæ illis cum maniacis communia sunt vitia, accedit comes & alius grauis morbus calidus, febris præsertim, cui si mox in prima inuasione delirium copuletur, hic affectus Phrenitis appellatur. Quòd si verò illud postquam febris iam aliquandiu perseuerauerit, & capitis quoq; dolor præcesserit; circa statum præsertim, si continua sit: vel in paroxysmi principio, aut vigore, si intermittens existat, primùm superueniet, tunc Paraphrenitidis nomine designatur. *Phrenitis Delirij species.* *Paraphrenitis, Delirij altera species.*

Proin vnà cum delirio, quod tunc graue admodum, nunc mitius, vt dictum, existit, febris etiam continuæ concurrunt symptomata: vehementiora vel leuiora quoque, prout calor febrilis maior, placidiórve se offert: vt sunt cordis caloris causa, pulsus celer, respiratio cita, & aliquando cum suspitiis, longis interuallis ducta, animi defectus: Et partium naturalium accensorum causa, sitis linguæ ariditas: Imprimis verò cerebri supercalefacti causa, præter delirium, insomnia, vigiliæ, suffusiones, vertigines; quæ, si cerebrum, vt in causis dicetur,

tur, vehementiùs inflammatum sit, grauiora pluraq; sese offerunt.

Causa.

CAusa omnis mentis alienationis; Alia est præternaturalis, à spiritu maligno profecta: Alia naturalis, affectus quibus cerebrum rationis sedem, per se, si in eo causa lateat, siue per consensum, si alibi consistat, ita afficiens, vt mentis functiones potiùs deprauentur quàm imminuantur. Est autem nonnunquam occulta proprietate agens qualitas, quæ id efficit, quam cùm explicare nõ posimus, ab effectu vnam temulentam vim, alteram venenatam appellabimus. Aliàs verò morbus aliquis fuerit, intemperies nimirùm quædam cerebri: qualis est abstrusa & incognita illa, cuius summa efficacia ex eo, quòd vehementer mentem exagitet, satis cognoscitur, sed cùm ea diuturnum malum efficiat, & tamen interim ægri minimè decumbant; cùm tamen aliæ intemperies cerebri manifestè, si diutiùs perseuerent, cerebrum lædendo periculosæ sint, explicatu certè perdifficilis existit: quã nos cum spirituum illius causã, qui cerebro vndique insiti & illius substantiæ connati colligatiq; sint, id accidere certò comperiamus, spirituum cerebri nimiam agitationem & confusionem: alteramq; speciem perturbationem illorum, seu cum aliena materia permistionẽ appellare malumus, quàm intemperiem talem, quæ id efficere nequit, vt de frigida scribunt, confingere. Sed & intemperies manifesta cerebri, morbum periculosum inducens, id quoq; potest causare. Qualis est calida vehementer, maximè si cum tumore iungatur: Nec non conformationis vitium: Item macula aliqua aut putredo in cerebro inuenta: quæ omnia quomodo mentem abalienent, ordine explicabimus.

Spiritus malign⁹ causa Obsessorum. Spiritus malignus, dęmon, cùm sit humani generis hostis, mentem præstantissimam ac veluti diuinam hominis functionem, non tantùm continuò infestat, adeoq; perturbat, vt contra legem diuinã multa sinistrè agentes, in peccatum deducat: sed & suis artibus exagitans, fascinãs, Melancholiam grauem sępè, vel Maniam diabolicam inducit: Vel omninò corpus subiens, Obsessos & Dæmoniacos dictos reddit: quod qua ratione fiat (etsi Matthiolus, vt eiusmodi insanias omnes atræ bili acceptas referret, cacodæmones per humores illius, in quo eos sedem habere dicit, medium hoc agere, asserat) disputare aut inquirere nostri nõ est instituti. Hoc saltem certũ est, tales olim quoq; fuisse, vti historiæ variæ, sacræ & prophanæ testantur, sicuti & nostro seculo quoq; illos inueniri negare minimè possumus.

Vis Temulẽta, causa Ebrietatis. Vis temulenta, quia caput tentat sic dicta, à proprietate quorundã exsurgens, mentis alienationem, quam Ebrietatem siue Temulentiam vocant, procreat: Hæc ab illis procedit, quæ pro naturarum diuersitate, & prout vsurpatur soporem & narcosim, id est, stuporem inducere possunt, narcotica ob id quoque dicta.

E quibus aliqua assumpta id faciunt: Vt vinum præ cæteris frequentiùs, quia potus est ordinarius; quod temulentiæ huius speciem Ebrietatem dictam facit, si immoderatiùs vel potentiùs, nondum tamen eousque, vt perfectum stuporem faciat, bibatur. Idque ob eam causam, quòd proprietate sua sensus leuiter obfuscans (vnde principium stuporis est) inter quos memoria plerumque primum deficere solet, obliuionem quandam dolorum & laborũ pariendo, lætitiam stultam & effusionem adferat, eam quæ cum ratione adhuc à vino moderatè sumpto, euenit: adiuuante insuper calore illius, quo calefaciens simul, & spiritus accendens, actiones nimiùm exagitat: quod & à vino destillato potentiùs, quia coacta ipsius vis, & calor maior est, accidit: quo nomine rustici illud manè, vt postea ad munia obeunda alacriores sint, bibere solent. Hoc & aliarum plantarum quarundam succi possunt efficere, si plantæ illæ edantur, aut succus ipsorum expressus vel decoctione elicitus, detur: Vti sunt lupulus, à quo cereuisia vim inebriandi quoque sumit, & muscæ si hauriant, stupore correptæ moriuntur. Cannabis item, cuius puluis si cum vino detur, citiùs inebriat. Lolij semen & nigellæ fortè pseudomelanthij in pane: quę vitia frugum si luxurient, panis ex hisce confectus, soporosos reddit, & con-

tinuo vsu multos pasſim, quod tamen non obſeruant, lædit. Talis & planta illa, ex qua potum Caouin dictũ, inebriantem Indi parant, eſt. Sed & alia narcotica id poſſunt efficere, præſertim ſi calidiſsimis permixta vſurpentur, vtraque vi tunc, vti modò de vino dictum eſt, agente: Vt ſi ſemen hyoſquiami in cereuiſia decoquatur, quod aliqui facere ſolent, citiùs & vehementer inebriat: Si cortex mandragoræ in vino donec rubeat, decoquatur: Si opium cum vino fortiſſimo bibatur: vti Turcas cùm in aciem prodeunt, vt audaciores & furibundi, pericula minus metuant, opij ad ʒ.ß. cum vino innoxiè bibere narrat Bellonius: Sicuti & cicutam cum vino ſumptam, efficaciùs operari, citiusq; interimere ſcribit Dioſc. Quę tamen omnia, vti priùs de vino diximus, pro temperamenti varietate, plus minúsve dementant. Vti & cerebri imbecillitatem, vt citiùs afficiantur, cauſam eſſe poſſe, in illo cui propter caſum pars caluariæ exempta fuit, & ideò citò inebriebatur, obſeruaui.

Admota quædam capiti idem præſtare poſſe, teſtatur Rondel. exemplum adferens illius, qui cùm vt ſomnum conciliaret, hyoſquiami folia capiti applicuiſſet, ad inſaniam redactus eſt.

Inſpiratione, attracto etiam fumo hyoſcyami Peruuiani, quē petum, vel tabacum vocant, per os nareſq; haurientes, ſed vt Angli dicunt, bibẽtes, qui ad pituitam excreandam, & hilaritatẽ ſimul inducendam, illius vſum conſuetum & in delitijs habẽt, ebrijs ſimiles fieri, omnemq; appetitum & edendi & bibendi amittere, famemque ſic diu tolerare poſſe, qui de eo ſcripſerunt; & idem experti ſunt, teſtantur: Quod etiam, ſi radix ſolani maioris, quod lethale vocant, in vino infundatur, illiſque dilutum detur, accidere, & famẽ & ſitim ceſſare, oſtendit Matthiolus: donec aceto ſumpto vitium illud corrigatur; ſed & vtrumq; ſomnum ſuperueniens, vt in alijs, ſanat.

Venenata qualitas causa Maniæ. Venenata qualitas extrinſecùs corpus ſubiens, vel ab aſſumptis profecta (nam de ea quæ intrinſecùs in humoribus ſuſcitatur, in humore melancholico dicetur) à quibuſdam venenis, quæ potiùs mentem alienando, quàm alia ratione lædunt, vti venorum varij ſunt effectus & noxæ, mentem quoq; perturbare poteſt: Cuiuſmodi multa Dioſc. quæ venenata potiùs quàm narcotica vi id pręſtare poſſunt, proponit: & nos ſtudio cùm nobis ſint cara, omittimus. Inter quæ & Plinius ſanguinem menſtruum deuoratum, & homines & canes ad rabiem adigere poſſe, cenſuit.

Sicuti & à morſu animalium in rabiem conuerſorũ, per ſaliuam veneno corpus humanum ſubeunte, ſimilem rabiem illis accidere, in canibus præſertim ſæpenumerò experimur: qui faciliùs quàm cætera animalia rabioſi, circa canicularium dierum, ob hanc cauſam ſic appellatorum, æſtum nempe, vel etiã circa ſumma frigora, vt vult Dioſc. fiunt: Et ex eo quòd cibũ auerſantur, ſpumam emittunt, caudam demittũt, & in eos quoq;, quos tamen priùs amabant, inuehuntur, illoſq; mordẽt, cognoſcuntur. Quorũ morſus licet ab initio pręter vulnus & dolorem, nulla grauiora adferat incõmoda; ſi tamen negligatur, interdum quadrageſimo primùm die, aliquando citiùs, nonnunquam poſt ſemeſtre, vel annũ etiam, Hydrophobiam dictam & rabiem, hominis mentem, vti ſuperiùs dictum eſt, mirè immutantem, & in caninos mores conuertentem inducit. In qua tantã vim veneni eſſe, vt & catulos vel carnes aliquas illis ſimiles aliquos minxiſſe, nonnulli, inter quos & Auicenna eſt, pro verò teſtari auſi fuerint: ſed & malũ ad ſeptennium vſq; occultatum, tunc primùm erupiſſe teſtimonio cuiuſdam probat Dioſc. Occaſionemq; vt citiùs prodeat hæc mania, contactum lignorũ quorundam, præſertim corni arboris, & virgæ ſanguineæ præbere, ſcribit Matthiolus. Sed & ex ſola conuerſatione cum infecto, quendam ſimilem contraxiſſe affectum, Dioſc. prodidit: & Galenus rabidorum ſaliuam, ſi nuda corporis membra contingat, non aliter quàm ſi demorſi fuiſſent, homines rabidos reddere poſſe, docet.

Morſus canu rabidi, ex Venenatis cauſis Mania.

Quæ vti à canibus, cùm magna copia & familiarius cæteris animantibus cum homine viuant, rabidis frequentiùs eueniunt: Sic & à lupis in rabiem actis, accidere teſtantur, egóque bis rabiem horrendam & lethalem

inde

inde profectam, obseruaui. Nec dubium, quemadmodum idem ex aliorum animalium rabidorum morsu, vt de camelo & equo scripsit Aristoteles, & de mulo Auicenna; ita quoque à vulpis, mustelæ, martis, viuerræ, quorum alioquin morsus aliquid venenati in se habent; imò simiæ etiam & ipsius hominis iam rabie hac laborãtis, morsibus, quorum saliua veneni naturam induit, posse contingere.

Quemadmodum ab ictu bestiarũ quarundam venenatarum, Insaniam quoq;, vti ab alijs venenis alia accidentia excitari est verisimile. Quibus cùm nostris in regionibus destituamur, nec ob id periculum ab illis immineat, non necesse est hîc plura dicere.

Agitatio spirituũ, causa Animi commotionis.

Agitatio nimia spirituũ cerebri, vel confusio, non tantũ affectionem leuem aut breuem, quæ & statim cesset, sed impressum & permanentẽ aliquandiu affectum inducẽs, Cõmotionis animi causa existit; in illis maximè qui dispositi sunt, vel ob pusillanimitatem, aut rationis imbecillitatem, affectibus non possunt resistere. Id autem facit commotio quæ subitò cum impetu quodam fit: vti per gaudium, iram, terrorem: vel quæ vehementis & diuturna in mœrore solet accidere: vel quæ diuturna & deprauata in stultitia simulata euenit.

Gaudium magnũ ob consequutam rem aliquam, presertim si inopinatò accidat, idq; ferè imbecillioribus, vt senibus & fœminis, stultam illam cum fatuo gaudio Animi perturbationis speciem, vti dictum, gignit: spiritibus cum sanguine adeò profusis, vt non tantùm rubore suffundatur facies, sed & ex oculis exstillent lachrymæ, omniaq; membra excalfacta inquieta sint.

Ira, excandescẽtia, ob offensam, Furibundam illam animi commotionis speciem excitat: spiritibus & sanguine vehementer accensis, & vindictæ studio profusis, mox tamen ob animi dolorem, rursum recurrentibus, vnde adeò rubẽt ab initio, mox pallent & flauescunt. Quod & calidioribus & bilosis naturis faciliùs accidit, atque ijs qui ex vino prius incaluerunt & dementati sunt: hinc pluribus tunc causis concurrentibus, veluti insaniunt.

Terror vel metus grauis, maximè ex improuiso accidens, non tantùm animum percellit, sed & si adeò animo imprimatur, tòtumq; corpus & spiritus cõmoueat, immutet & confundat, in dispositis maximè, vt ex eo vel nunquam, vel difficulter possit eximi, Melancholiam veram, eamq; grauissmam, deterioremq; ferè quàm illa quæ ab interna causa, vti mox dicetur, euenit, sæpenumerò inducit: impressione adeò facta in spiritibus & humoribus, & cerebro ipso, vt ægrè nisi tota massa sanguinis exhauriatur, sicuti explicabitur, possit eximi. Estq; illa melancholiæ species, in qua, veluti ostensum fuit, horrendis atque impijs tentationibus diuexantur: quâ specie alia frequentiùs mihi nõ fuit oblata, tàm mulieres quàm viros exercens, nec ipsis etiam iunioribus parcens.

Hæc autem vel à visione aliqua horrenda vel per insomnia, vel reuera apparente, vt spectri alicuius, vel cadaueris hominis suspensi proficiscuntur: vt in illa puella, quæ pendentem in cruce extra vrbem intuita, in melancholiam talem incidit, quæ in convulsiones desinens, mortem illi intulit: & muliere, quæ patibulum serò prætergrediens, metuensq; ne vrbe exclusa illic pernoctare cogeretur, in diuturnam melancholiam incidit: alia item quæ cadauera furis, qui in carcere laqueo sibi gulam fregerat, dum dolio intrudebatur, vt in profluentem proijceretur, casu conspecto, animo perculsa, miserè multis annis melancholica permanens, vix ad se redire ampliùs potuit. Quæ & sæpè ex imaginatione tantùm & metu periculi alicuius, vt latronũ, dum soli in sylua, vel noctu in tenebris, in quibus omnia metũ magis incutiunt versantur, proficiscuntur: Vel ex timore æterni supplicij, ob graue peccatũ commissum; quale cõcubina illa sacerdotis, quòd tot liberos illegitimo thoro procreasset, in graui sua melancholia prætendebat, prodeunt. Quam imaginationem & conceptam ex ea persuasionem, etiam affectum hunc iam patientes retinent, atque eiusmodi res quæ illis occasionem præbuerunt, vt in melancholiæ accidentibus dictũ fuit, verbis req; ipsa exprimunt.

Tristitia vel mœror vehemẽs diutiùs perseuerans

ſeuerans Animi perturbationem melancholicam quoque gignit, quæ etiam in veram ſi altiùs radices agat, ſpiritusque perturbet, & corporis temperamentum immutet, degenerare poteſt: vel Phantaſiam quandã nunc ſtultam, nunc inſanam, & deſperationem nonnunquam, vt in generibus explicandis deſcripſimus, inducit.

Proficiſcitur autem hæc animi mœſtitia ex dolore ſeu luctu, ob rem aliquam amiſſam frequentiùs, vt iacturam pecuniæ, honorum, vel alterius rei, vti mortem liberorum, parentum, amicorum: quibus animus mirè longo ſæpè tempore torquetur & affligitur. Vel ex pudore & verecundia: quibus generoſi præſertim animi, ob commiſſum errorem adeò perturbantur, vt ad deſperationem aliquos adactos inde eſſe, ſicuti Homero, quod piſcatoribus ænigma ſoluere nequiuerit, accidiſſe ſcribunt, conſtet. Inuidia quoque adeò hominem affligit, & cor, vt conſuetum eſt dicere, rodit, vt & hi melancholici penitùs fiant, formaq; & geſtibus inuidiam, ſicuti eam Ouidius depingit, omnibus modis exprimant. Imprimis verò ex appetitu ſeu concupiſcentia nimia rei alicuius honeſtæ, vel inhoneſtę, quam vtilem vel honeſtam fore ſibi perſuadent, diuerſi quoque animi affectus prodeũt. Vt cùm ſtudio ſcientię vel artis alicuius immodico, homines ſæpe nimiùm intenti, phantaſiam quandã, vnde prouerbium Ye gelehrter/ye verkehrter/ ſibi conciliant. Et quos ambitio inaniſq; vexat gloria; ac qui amore ſui ipſius (philautia) capti, ſtulta multa & ludicra iactabundi dicũt, & faciunt: quæ eleganter in milite glorioſo, ſub perſona Thraſonis & Pyrgopolinicis, in Comœdijs ſuis oſtenderũt Comici: Vel cùm vindictæ ſtudio, non ceſſante poſt iram, in odium permanens, & inimicitiam, quę deleri vix amplius poteſt, deducti, vltionem continuò appetentes, huicque intenti, nihil rectè ſed pleraque ſiniſtrè, mente commoti, peragunt: vel auaritia, diuitiarum amore, impulſi, adeò dementantur, vt in multa vitia, peccata, & facta enormia præcipites ruant: quò & delirium illud alchymiſtarum referri debet, qui lapidem illum philoſophorum tanto ardore quærentes, etſi laborum & impenſarum iacturam ſe facere videant, nihilq; efficere, vel alios effeciſſe cognoſcant, tamen indefeſſo labore non remittunt, & ſpe continua ſeducti, à labore minimè remittentes omnem ſubſtantiam dilapidant. Dein & potiſsimùm ex amore in vtroq; ſexu ardor ille vehemens & concupiſcentia prodiens, cùm frui minimè vel non ſemper licet, mœroris illius, (nam mœret omnis amãs) cauſa exiſtit: quo tandem euicti, tot animi pathematibus diuerſis angũtur, cruciantur, & deſperabundi, res ludicras vel graues & periculoſas, vti in accidentibus dictum fuit cogitant, tentant & peragunt: cui amori nunc forma elegans, nunc mores amabiles, prout ſuum cuique pulchrum videtur, cæco plerumque iudicio, nunc ſympathia quædam & morum conformitas, principium, occaſionem & fomentum præbent.

Stultitia ſimulata & diu continuata, ſpiritus indeſinenter deprauatè exagitans, facit, vt per conſuetudinem hanc, naturam immutantem, moriones aliqui, qui gulæ, ventris & lucri cauſa, apud magnates, quibus ſtultorũ conuerſatio iucunda eſt, ſtultitiam quæſtus cauſa exercent, à teneris huic cùm ſe accõmodauerint & aſſueuerint, in eam habitum eum acquirant, qui cùm poſtea deleri ampliùs minimè poſsit, verè ſtulti permanent.

Perturbatio ſpirituũ cerebri, non illa quæ ab affectibus animi ſuſcitata, illos nimiùm exagitat, & confundit, aut qualitate occulta afficit, de quibus iam dictum eſt, ſed quæ intrinſecùs à materia aliqua ſpiritibus permixta excitata, ſpiritus animales, quos claros, ſerenos, lucidos & puriſsimos eſſe oportet, obfuſcat, obſcurat, obtenebrat, Melancholiam dictam, & Maniam quoq;, ſi vehementiùs hæc agat, inducere poteſt. *Perturbatio ſpirituum, cauſa Melancholiæ et Maniæ.*

Quam materiam, melancholicam, quia atram eam eſſe cenſent appellant: eamq; non tantùm ſpiritus perturbando, ſed & cùm frigidum & ſiccum hunc humorem ſtatuant, cerebrum quoq; refrigerando, mentem alterare, contendunt. Verùm nos, cùm à frigiditate cerebri, ſiue cum humiditate ſiue cum ſiccitate iungatur, functiones ipſius imminui vel aboleri potiùs, quàm intendi, in ſopore

pore & stupore demonstrauerimus; materiam hanc melancholicam, quàm turbulentam, impuram & tetram quoque esse dicimus, non refrigerando, sed quòd spiritibus permista eos perturbet, & cerebro, cuius substantiæ spiritus vndique connatos esse, in Anatome probauimus, malignitate quadam, quam simul quoque adepta est, noxam tandem illam, ex qua tam enormia sequuntur accidentia, quæ tamen propterea mortem mox inferre nō possit, cùm diuturnum sit malum, imprimat: Quæ materia, vel vapor vel humor est melancholicus.

Vapor, causa Perturbationis spirituũ in Melancholia hypochōdriaca.

Vapor melancholicus, teter, conturbans spiritus, caputque afficiens, melancholiæ speciem parit, quam Hypochondriacam, cùm de eo loco affecto maximè conquerantur, appellant. In partibus enim abdominis, quod mirach Arabes vocant, hancque speciem melancholiæ Mirachalem ab eo denominant, sub costis seu hypochondrijs causa huius mali latet: ab eaque sede vapor sursum certo tempore ad caput delatus, melancholiam hanc, tunc quando illud petit, se exerentem efficit.

Huius fomitem plerique in liene; quòd melancholiæ naturalis sedes existat, & quia in sinistro latere magis molestatur, esse scribunt: alij verò in ventriculo quoque, sinistrum etiam hypochondrium magis occupante, partibusque vicinis, materiam hanc contineri asserunt: alij etiam in iecinore & mesenterio, illiusq; venis meseraicis dictis eam collocant. Quam & nos in meseraicis venis, non tantùm mesenterium & omentum, sed & alia viscera naturalia perreptantibus, congeri & latêre asserimus: illis præsertim in locis, vbi plures maioresque hi venæ portæ rami versus lienem & ventriculum, in sinistro latere tendunt: licet & in alijs quoq; possit hæc materia coaceruari sedibus: quo nomine frequentiùs in sinistra, nonnunquã tamen & in dextra hypochondriorum & dorsi sede, vbi lien, pręcipuaq; viscera abstrusa latent, molestias sentiunt.

Cæterùm materiam illic latentem, à qua euaporatio hæc exsurgens mentem afficit, sanguinem melancholicũ esse pleriq; perhibent: quod & nos negare minimè possumus, sed frigidum esse negamus, cùm æstuatio quam in eo loco vbi humor latet, sentit æger, acrimoniam & caliditatem humoris illius satis declaret. Quemadmodum enim in febribus dictum est, sanguinem in venæ cauæ ramis febres continuas, illum verò qui in venæ portæ propaginibus biliosior & excrementitior continuò ex cibo & potu coaceruatur; cùm putrescit, euaporatione sua febres causare intermittentes; sic & in hoc casu accidit, quòd vti ex sanguine melancholico, in venæ cauæ ramis contento, veram melancholiam fieri mox ostendemus: ita & ex illo qui in venæ portæ ramis accumulatus, venasq; illic certis in locis implet, nondum tamen putrescit, sed adustus, fæculentus & malignitatem quoq; aliquam adeptus est, si vapores eius eleuati, cōditionem humoris à quo prodeunt seruantes, cerebrũ petant, melancholiam per vices repetentem causabunt: quæ eousque durat, donec rursum discussi, leuamen aliquod ægro, tamdiu donec noui exsurgant, quod plerumque indies fit, concedant.

Hincque fit, quòd hæc melancholia secus ac vera suas habeat intermissiones; tũc maximè quando excretio aliqua, flatuum præsertim, quibus hæc euaporatio ventriculum & intestina quoq; implet, per ructum fit: qui ardorem ratione humoris à quo prodit, & aciditatem causa ventriculi, in quo aciditatem quandam semper contineri suo loco declarabimus, præ se fert; vel quando per vomitum, aliàs quoq; per crepitus & deiectiones, vapores hi qui sursum tendunt, partim euacuantur, partim reuelluntur. Aut quando cibo frigidiore, moderatè tamen sumpto, ardores illi mitigati & vapores repressi, malum nonnihil alleuiant: sicuti verò calidiore & copiosiore sumpto, affectus ille ob æstuationem partium illarum & flatuum copiam, exacerbatur. Nam quòd his vẽtriculis compressionem sentit & dolet, inflatur, atque vnà cum intestinis, murmur, rugitum fluctuationemque edit; flatus iam dicti, in hoc affectu adeò frequentes, vt flatuosa quoque melancholia hæc dicatur, atq; excrementa varia à venis meseraicis eò propulsa, in causa existunt: quorum & causa ardores illis in lo-

tis, tum vbi materia hæc præcipuè latet, vti dictum, sentiunt. Sed & vaporibus hisce tetris sursum ascendentibus, quia cor quoque obiter, sæpe etiam grauatim afficitur, de palpitatione cordis & pulso arteriarũ, & septo nonnihil impedito, de suffocatione aliqua conqueruntur. Ita vt vix malum aliud tam diu hominem, alioquin non decumbentem ex morbo, tot accidentibus, in partium naturalium, vitalium, animalium læsionibus, de quibus infinitis continuò conqueruntur, diuexet, quàm hic affectus.

Causa autem & origo melancholici huius sanguinis, in venis meseraicis collecti, à mala victus ratione, succum illum melancholicum seu biliosum crassum gignente, diu cõtinuata, vnde magna sensim illius illuvies tãdẽ coaceruatur, procedit: sicuti in febribus intermittentibus, simili ratione sanguinem illum biliosũ nasci diximus. Quod ab omnibus cibis praui succi, difficilis concoctionis, corruptis & calidioribus potiùs quàm frigidioribus & siccis (nisi quatenus hæc ægrè digesta quoque corrũpuntur) quibus maximè gulæ & voluptatis causa, cũ dulcia, salsa, pinguia, acria sint, peccatur, evenire potest. Licet plerique carnẽ, quæ à feris & solitarijs seu melancholicis desumitur animantibus, vti leporinam, ferinam, melancholico succo gignendo aptiorem esse credant, vti & ex plantarum genere brassicam & lẽtes. Magnam quoque occasionem & præcipuam huic malo præbet, si excretiones per quas natura, hæc in ventriculo aut intestinis primùm collecta, euacuare solita, vt deiectiones alui vel vomitus, quibusdam certis tẽporibus consuetæ, non amplius fiant: aut si iã in venis meseraicis illuuies hæc collecta fit, hæmorrhoides supprimantur, præsertim si aliquando fluxerint, quæ præcipua interdum est huius mali origo.



Humor melancholicus, causa Perturbationis spirituũ in Melãcholia & Mania.

Humor Melancholiam veram procreans, sæpe & Maniã, sanguis est melãcholicus dictus, qualẽ si fæculentus, crassus, vel ipsa bilis atra sit, esse putãt. Nos verò hãc materiã malignitate aliqua minimè carere, superius iã diximus, eamq́ venenatam, cùm aliter rectè explicari non possit, sicuti Galenus ex corrupto semine & sanguine venenatam materiam generari, lib. 6. loc. affect. ostendit, iure dicere quoque possumus: quod enormia illius accidentia satis declarant, quæ se, ac si veneno perciti essent, in illis proferunt, furor præsertim; cùm tamen nulla alia sit læsio, nullus morbus manifestus, nec mortis periculum, & cùm per multos annos sæpe sine alio detrimento hæc patiantur. Quæ certè à frigido humore, qualem esse fæcem sanguinis putant, neque atra bile, quæ si sanguini confundatur, icterum nigrum aliáque cutis grauia vitia adferre solet, fieri minimè possent. Idcirco nos ad malignam venenatam & occultam vim, qualem in multis morbis eiusmodi pertinacibus & horrendis, quos ab atrabiliariis humoribus, vti dictum, nasci crediderunt, & in quibus ob malignitatem cacodæmones etiam sedem habere asseruit Matthiolus, inueniri sępe declarabimus, malumus recurrere; quã vt ea, quæ ita ex consuetudine quadam, & in sanguine emisso atro videri creduntur, cùm tamen ex natura sua sanguis cõgelatus etiam in sanis nigricare, diuque retentus, picis instar ater apparere soleat, pro veris doceamus & comprobemus: veritatemq; potiùs quàm opiniones amplectemur: vel apertè nos veram causam rectè explicare minimè posse, fatebimur.

Verùm in venæ cauæ ramis sanguis iam enarratus, vt ille qui hypochõdriacam melancholiam excitabat, in venæ portis ramis, continetur: & proin Melancholiam vel Maniam perseuerantem, nisi quatenus exacerbationes suas habere & remissiones, sicuti in febribus continuis quoque eandem ob causam id fieri diximus, non per vices vti verò facit hypochondriaca, inuadentem, excitat: sicuti & harum venarum discriminis causa, in quibus materia febrium continetur, eadem ratione continuas vel intermittentes fieri, explicatum fuit.

Cæterùm aliàs in capitis tãtùm, aliàs verò in vniuersi corporis venis, maiorib. præsertim, eam materiam contineri certum est: eoq; nomine quoq; grauiora mitioráve causare accidentia. Sicuti enim in febrib. continuis declaratũ est, si materia circa cor putrescat, ardẽtissimam febrem, causum dictam, fieri,

fieri, sic & hîc euenit, vt nimirũ si talis materia in sinibus cerebri, vbi alioquin sanguis venarum & arteriarum inuicem confusus calidior est, contineatur, mania, vel grauis melancholia excitetur. Vel si circa nobiliorem partem vt vterum sanguis qui illic abundare solet, & semen quoq; retentum corruptum in venenatã illam materiam, vt suprà Galeni testimonio adductum fuit, conuertatur. Furorem illum vterinum, in quo concubitum enormem & brutalem tantopere efflagitant, vt exemplo mulieris, quæ ex diuturno mariti morbo propter seminis retentionem, in hunc affectum inciderat, & canum congressum appetebat, demonstratum fuit, excitat. Et quo remotiorem à parte principe in inferioribus habet situm, eò mitior quoque melancholia exsurgit.

Quæ omnia quo pacto se habeant, ex accidentium natura, & ex eo, quòd causæ aliæ externæ, vt de terrore dictum fuit, à quibus melancholiam grauem quoque & frequentiùs fieri, nullæ prægressæ fuerint, potiùs quàm constitutione; quam melancholicam ex pilis, corporis cutis colore & habitu, item excretis depingunt, sunt dijudicanda; cùm hi morbi non tantùm fuscis, macilentis, & natura tristioribus, sed omnibus naturis, omni ætati, vti toties obseruaui, possint accidere.

Cæterùm causam illius, à constitutione melancholica, quam à natura, vel mala viuendi ratione, sicuti in hypochondriaca ostensum fuit, sibi compararunt, dependere posse minimè negamus, cũ & sanguis melancholicus, turbidus & impurus, malignitatem faciliùs acquirat. Quemadmodum & hypochondriacam melancholiam, sanguine in venis diutina illius euaporatione tandem infecto, in veram transire interdũ quoque deprehendimus. Sed & illa quæ ab animi affectibus procedit melãcholia, si in constitutionem aptam, melancholicam dictam, cadat, geminam causam concurrentem, veram melancholiam excitantem habebit. Dein ex suppresione excrementorum talium, quæ facilè in venenatam hanc materiam abeunt, vti ob retentionem præsertim sanguinis menstrui vel seminis, sicuti interdum vteri suffocatio, ita aliàs furor vterinus, quemadmodum explicatum fuit, prodeunt.

Intemperies calida causa Delirij.

Calida intemperies, cerebrum, illiusque meninges afficiens, capitis dolorẽ ferè primùm, & si intensior sit, delirium, mẽtis functiones nimiùm exagitando, facit. Incalescit autem à vapore calido nonnunquam: qui eleuatur à cibo & potu calido; sed nisi tunc accedat vis narcotica vel demẽtans, vt de vino dictum est, solus calor vix delirium sed capitis tantùm adferet dolorem. Ab humoribus verò calidis, sanguine nimirùm euaporante hoc citiùs fit, præsertim si malignitatem simul aliquam contrahat, quæ cerebrum mox dementare solet, vt in melancholiæ causis ostensum fuit: quod in sanguine alterato vel putrescente, siue in venis, siue extra has, facilè accidit, vt corruptione malignitatem aliquam acquirat: ab eo igitur vapor similis sursum ad cerebrum delatus, Paraphrenitidẽ dictam, in multis morbis ab eiusmodi humoribus genitis, quorũ symptoma est, parit.

Vapor calid⁹; causa Intẽperiei calidæ delirij in Paraphrenitide.

Sic à sanguine, calidam eleuatam exspirationem, in morbis ex accenso sanguine genitis, vt febribus diariis, synochis & internis inflãmationibus, delirium interdum subsequi solet. Quod inde prouenisse ex morbo comite cognoscitur. A putrescentibus quoque humoribus caliditatemque sic præternaturalem adipiscentibus, in febribus omnibus putridis, quo tempore potissimùm exspiratio calida caput admodũ ferit, sicuti in intermittentibus sæpe in principio, aliàs circa statum, vt & tunc maximè in continuis, delirium nonnunquam inuadit. Adiuuante cerebri calore, quod ratione febris vnà cum omnibus corporis partibus simul quoque incalescit. Eadem ratione & propter vermes, cùm putrescunt, accedente plerunque febri, pueri sæpenumerò delirãt. Bilis in ventriculum effusa, calidam etiam euaporationem cerebro demandans, quia acris & subtilis est, dolorem potiùs & vertiginem, vti suo loco dicetur, quàm delirium efficit.

Humor calidus, causa Intempe-

Sanguis itidem calidior, præsertim & tenuior factus, in sinibus & vasis cerebri contentus, non vapore solùm, sed propria etiam

rieí calidæ delirij in Paraphrenitide.

substantia cerebrum accedens, Paraphrenitidem inducit. Vti interdum fit, cùm ab ictu vel casu, vel in febribus eò affluit.

Inflammatio, causa Intemperiei calidæ delirij in Phrenitide.

Quòd si verò extra vasa delatus in cerebrum, illiusq; meninges effusus, inflammationem vel erysipelas, pro vt sanguis existit, pariat, veram tunc Phrenitidem excitat, quę & Syriasis, maximè si pueris accidat, dicitur. Cuius causa externa & violenta, caput concutiens vel lædens esse potest: vel interna, sanguinis plethora, illiusque inflammatio: vnde febris synochos exorta: effundens portionem sui sanguinis calidioris in hanc partem principem, sanguine iam priùs admodùm redundantem, morbum hunc grauem, cui febris continua comes est, sicuti in febribus declaratum fuit, facit. A' paraphrenitide proin, quòd febris in illa delirium præcedat: in phrenitide verò simul ambo inuadant, differens. Quo etiam signo potissimùm agnoscitur.

Conformatio praua, causa Stultitiæ.

Conformatio praua cerebri, vt si nimis magnum aut parvum, vel aliàs nō rectè formatum existat, Stultitiam dictam, ab ortu quibusdam innatam, cùm ab insitis causis, à semine parentū, qui vel ipsi stulti fuerunt, vel semen ipsorum vitium aliquod contraxit, hoc proueniat, plerunq; procreat: Facileq; ex eo, quòd stulti ab ortu fuerint cognoscuntur; & quòd caput cerebro informi, magnitudine vel exilitate aut deformatione respondeat. Quod vitium si ad neruos quoque aliasq; partes pertingat, non mirum hos interdum, sicuti descripsimus, vel surdos, vel mutos, vel incuruos, aut strumosos, alióve modo vitiatos nasci. Quā certè potissimam stultitiæ originalis causam esse vti hæc ipsorum deformatio interdùm apparens, interdùm non nisi sectione post mortem deprehensa, ostendit.

Intemperies, causa Stultitiæ.

Ita & hoc à mala cerebri intemperatura accidere posse, non negamus: quæ tamen cùm rectè explicari non possit, nec emendari, vlteriùs investiganda nō erit.

Macula in cerebro, causa Maniæ.

Maculam quandā nigram in cerebro vel meningibus deprehensam sectione, Maniæ causam fuisse aliquando inuentū fuit: sicuti & nonnunquam putredinem in cerebri meningum aliqua sede natam.

Putredo in cerebro, causa Maniæ.

A' quibus vapores tetros continuò suscitatos spiritus conturbasse verisimile est.

Vermes in cerebro, causa Maniæ.

Quod & à vermibus in cerebro genitis accidere posse aliqui prodiderunt. Quæ vitia occulta, cùm post mortem apertâ caluariâ primum manifestentur, vix viuente homine qualia sint, nisi in genere, ex eo quòd alia signa quæ alias demonstrabant causas, hîc desint, conijcere licet.

Curatio.

IN curatione, causæ erunt distinguendæ, illisque remedia accommodanda: quas diximus esse, vel spirituum malignum: vel qualitatem temulētam aut venenatam: spirituum agitationem, vel perturbationem: calidam intemperiem: & vitia quædam cerebri.

Obsessorū à dæmone curatio.

Præternaturalis causa à dæmone profecta, vti ad Medicum minimè pertinet, sic nec curatio. Nam dæmon coactus expellitur Theologorum & piorū precibus in nomine IESV: sicuti & Christus dæmones eiecit, & discipulis suis hanc potestatem dedit. Sed & sponte nonnunquam dæmon certis hominum vocibus ceremonijsq; se fugari simulans, mortalibus illudit.

Ebrietatis à vi temulenta, curatio.

A' vino alijsque, vti dictum, inebriantibus si temulentia nascatur, sponte, post horas aliquot discussis vaporibus, maximè verò interuentu somni ad se redeunt: & si vomitus sequatur, bonum: quo nomine semel in mense inebriari bonum esse censuit Auicenna.

Si verò hanc viuendi rationē continuent, neruoso genere ob frequentem illorum stuporem debilitato, quod iam tum fieri ex eo, si statim postquam etiam nō immoderatiùs adhuc biberint, balbutire & titubare incipiant, deprehenditur, tremuli, paralytici, podagrici, hydropici, sicuti in illis locis dicetur, fiunt.

Itaq; vt ab ebrietate sibi caueant, præmonendi, periculaq; enarrando deterrendi. Et si sibi temperare nequeant, vt vinum penitus fastidiant, suffocata in vino anguilla, vel rana, vel mullo pisce, vel etiam putrefacto in co rubellione pisce, vel vua marina, eoque vino postea propinato effici id posse, aliqui prodiderunt.

Cæterùm si necessitas aliquando bibendi, &

di, & poculis certandi, vti hoc tanquam ciuile in conuiuiis magno mortalium malo, in vsum introductum est, vrgeat, ad præcautionem sequentia præsumpta ebrietatem cauere, vel saltem mitiorem reddere obseruatum est.

Amygdalæ amaræ quinque vel sex ante pastum comestæ.

Absynthium item: cuius tamen vino helluones potiùs sequenti die post crapulam, vt stomachum bile offensum corrigant (cùm vt illam contemperent rursum se potu implent) vtuntur: vnde versus:

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc mane rebibas & erit tibi medicina.

Ruta quod pocula tuta, vt carmen sonat, faciat, in hunc vsum laudatur; quod ego qa à veneno præseruat, potiùs dici existimo.

Brassica in cibo sumpta ebrietatem impedit: vti & semen ipsius.

Lac si ieiunus bibat, ea die tutus erit.

Pulmones animalium assos comestos, ebrietatem arcere docet Plinius: alij Ouis pulmonem nominatim denotant.

Hirundinum combustorum puluerem sumptum, in æternum non sinere inebriari, quidam scripsit.

Puluis ebrietatem tardans, sic parabitur. Cuius cochleare vnum cum vino austero exhibetur.

℞. seminum Caulium ʒ. j. Coriandri ʒ. ß. Camphoræ gr. ij. fiat puluis.

Cōpositus magis sic fiet. Cuius cochlear vnum vel ʒ. ij. cum Vino granatorum vel alio acido, stiptico, vel cum Aqua frigida detur: vel cum Saccharo in formam tabularum redigatur: ℞. seminis Caulium ʒ. j. Plantag. Portulacæ, Berberis ana ʒ. ß. Coriandri præpar. ʒ. ij. florum Rosar. rubr. Nenupharis, Santali rubri ana ʒ. ß. Masticis, Succini ana ℈. j. Spodij ℈. j. Salis ℈. ß. Camph. gr. vj. fiat puluis.

Electuarij forma vsurpari poterit: Illudq; ante potum propinari: ℞. Conseruæ Rosarum, rob de Ribes, & de Berberis ana ℥. ß. Amygdalar. amararum excort. contusarum num. xij. seminum Caulium ʒ. j. Rosrubrarum ʒ. j. syrupi de Agresta q. s. fiat electuarium.

Syrupus elegans, Cuius ℥. j. sumi debet antequam vinum bibatur: ℞. succi Cauliū alborum Granatorum acidorum, Ribes an. ℥. ij. Aceti ℥. j. bulliant simul ad vsum.

Minùs inebriantur qui non nisi bene vētriculo cibis repleto tardissimè bibunt: citiùs verò qui ieiuni vel statim in principio mensæ potum vini accelerant.

Extrinsecùs, Hedera coronæ instar capiti apposita: vel succus capiti admotus, ebrietatem prohibet.

Gestatus item lapis Amethystus, idem facere posse creditur.

Cæterùm iam ebrios, quo minùs vinum noceat, vt cures. Vomitus maximè iuuat. Et si dentur acida mox in fine mensæ, aut quò citiùs eò meliùs, eaque affatim sumenda: quia, sicuti in narcoticis dictum fuit, vini efficaciam refringunt: qualia sunt sequentia.

Puls ex Lacte & farina Hordei cū Aceto.

Lac item acetosum vti concrescere solet.

Poma acida, comesta. Punica item mala acida illorumq; succus. Vti & Cytonia.

Caulium capita condita, & Rapæ, donec acescant, vti nostri parare solent, valde iuuant.

Acetum cum aqua dilutum bibitum: vel per se bona quantitate sumptum; ebrietatis est antidotus: quo insignis quidam potator, iam longo tempore indies ebrius, se ne inde labem contrahat, præmunire solet.

Præter hæc, Lactuca, Mentha, Absynthium, Myrthi baccæ, comesta: vel succi ipsorum assumpti ebrietatem arcent.

Croci flor. stillatitia aqua pota, idem facit.

Odor Camphoræ & Santalorum similiter prosunt.

Oxyrhodina item capiti applicata.

Et si testes Aceto vel Aqua frigida madefiant.

Quæ omnia non tantùm in ea temulentia, quæ à vino contracta est, sed & in ea, quæ à similibus inebriantibus, vti dictum, proficiscitur, sine dubio proderunt: vti & narcotica ea ratione acidis emendari diximus. Et solano furioso sumpto, Acetum remedium esse ostendimus.

Verùm quæ præter enarrata, proprietate

quadam, quibusdam, tàm narcoticis quàm alijs resistunt, suo loco explicabuntur.

A Veneno, vel assumpto vel morsu aut ictu corpus subeunte, exorta melancholia vel mania, ea tantùm quæ à Canis rabidi morsu facta est rabies, curanda hîc proponitur: cùm aliæ species raræ ob raram causam existant: nec illis alia quàm quæ cæteris quoque venenis debetur, cura accommodetur.

In morsu itaque canis vel etiam lupi, rabidorum (neq; enim cura differunt) etsi periculosus omnino sit affectus, auxilijs tamen subitò adhibitis, permulti sanantur. Postquam verò malum inualuerit eò vsque, vt iam aquam metuant, ægerrimè, vt & Dioscor. recenset, restituuntur, & plerique moriuntur: in quibus tamen salutis spes aliqua hoc signo concipitur, si speculum aut aquam intuentes, in quibus canis imago, vt dictum, illis repræsentatur, hallucinationem esse, seq; falli animaduertant: vel ea minimè apparente, suam ipsius figuram, se offerentem, agnoscant.

Statim itaq; vulnus morsu inflictum dilatandum: & labia vulneris, vt sanguis optimè fluat scarificanda. Cucurbitulisq; cũ multa flamma admotis; vel Hirũdinibus si ad manum sint, veneni vis extrahenda. Quod, etsi magna & ampla plaga, quæ ob copiam sanguinis fluentis, cum quo & virulentę saliuę portio exhauritur, melior quàm si parua & angusta sit, existat; nihilominus erit faciendum: & laniata scissaq; scalpello per ambitum caro erit amputanda.

Vstio quoque cauterio actuali facta, cùm ignis virus domet & vlteriùs progredi non patiatur, expeditissimum est auxilium. Et ne crusta decidente vlcus cicatrice obducatur, ante quadrigesimum diem, vel etiam vltra hoc tempus cauendum erit. Idq; vel septico vel erodente, quale præcipitatum est, medicamento: quo etiam si vstionẽ ferre nollit, illius loco ab initio quoq; vti possumus: vel vstio repetenda erit. Et vt sordidum vlcus maleq; dispositum potiùs quàm mundum existat, neque consolidetur, adhibitis iis, quæ præter quod venenum attrahunt, carnem quoque suppurant, procurandum erit.

Quod fiet, si Tritici grana mansa, vel pista vulneri applicentur: quia suppurant & vulnus dilatant: & propter saliuam dum masticantur propietate quoq; iuuant.

Cæpa, Allium syluestre & Ruta, simul cõtusa, & cum Melle & Sale subacta, egregiè venenum alliciunt: magisque si Theriaca quoque permisceatur: quibus & succum Cyrenaicum addit Dioscor.

Pici Brutiæ, cuius loco & vulgaris sumi potest, si Oppopanacis quarta pars & Aceti sextarium addatur, emplastrum fiet attractiuum, ad hæc efficacissimum, vt Gal. docet.

Caro salita piscis Smaridis & Omotarichi, applicata, aliaque Salsamenta prosunt. Glarum item omnium piscium, fomento adhibitum.

Rumex, Potamogeton, Ballore, Fœniculi radices, Ruta, radices Angelicæ, Laser, Panax Herculeum, cum Sale & Melle contusa, idem præstant.

Propinanda quoq; confestim, quæ proprietate huius veneni vim euincere possunt remedia. Qualia ex cancro fluuiatili vero, carcino dicto parata, Diosc. & Galen. plurimùm probarunt. Cuius loco cancrum marinum & in stagno iuxta mare Monspessuli repertum, accipit Rondel. Et nos forte nostrum astacum fluuiatilem, cùm & ille venenis resistat, non minori successu sumere possumus.

Parabuntur autem hæc antidota hoc modo: ℞. cineris Cancri fluuiatilis veri, in sarmentis Vitis albæ cremati & pulueris ati part. ij. rad. Gentianæ subtilissimè contusæ part. j. misceantur. Dentur cochlearia ij. cum Vino meraco, quadriduo: post quos dies triplicetur pondus. Hoc vnum multis profuisse testatur Dioscorides: hancque antidotum Damocrates ante Diosc. carmine descripsit: adeoque eam Gal. commendat, vt neminem mortuum fuisse, qui ea vsus fuerit, testetur.

Ex simplici cinere, vstis cancris viuis in patella æris rubri, puluerem Gal. quoq; parat & exhibet.

Vel sic compositum, quem à præceptore suo Æschione empirico se habuisse narrat, propinat, admodumque commendat: ℞.

cineris Cancrorum fluuiatiliũ vstorum, part. x. rad. Gentianæ part. v. Thuris part. j. Cuius vice resinam Terebinthi veteres addiderunt; fiat puluis: Detur quotidie mensura magni cochlearis Aquæ inspersus, ad dies quadraginta: vel si tardiùs Medicus adueniat, cochlear. ij. pro vice exhibeat.

Sunt qui hoc medicamentum sic parant: ℞. cinerum Cancrorum part. ij. rad. Gentianæ part. j. ß. Myrrhæ. par. j. fiat puluis.

Præter hæc antidota, Hepar à cane rabido tostum exhibitum, Dioscor. & Galenus magni faciunt.

Caninum item sanguinem & vrinam: vti & leporis, vulpis, capreoliq; Coagulum.

Alysson Galeni siccum, quadraginta diebus continuò ex Hydromellite datum, efficax Archigenis esse remedium testatur.

Bituminis Iudaici ʒ. j. cum aqua bibita, affectum hunc sanare docet Aetius.

Vincetoxici radices, ʒ. j. ß. pondere, cum aqua Cardui benedicti, quadraginta diebus potæ, Matthioli est remedium: Licium quoque confert & Caprifici cortex cum aqua propinatus. Scorzoneræ item radix vel eius succus: vti & Angelicæ radix cum Nitro.

Mel item cum rosaceo bibitum. Dioscor.

Mithridatum & Theriaca, vti omnibus venenis aduersantur, sic & huic.

Sed & quæ assumpta admotaq; prosunt, sequentia existunt.

Hippocampus marinus, ex Aceto & Melle subactus.

Melissophyllon, Arthemisia, Absynthiũ, Centaurium, Aristolochia, Chamedrys, Pulegium, Hippolapathi radix, Oxylapathum & Bryonia.

In cibandi ratione, veneno aduersatur, si Allium, Porros, Cæpas edant: Cancros itẽ fluuiatiles veros. Cibos aromatibus condiant. Vinum meracum & passum bibant. Aquam bibere ferratam aut chalybeatam iubet Auicenna. Lac item schistum, quod deiectionem mouet & venenum domat.

Imprimis Aquæ potus, quam adeò metuunt, hydrophobos sanat: quare omnibus modis fallendi, vt eam non intuentes per longum canalem vel alia industria bibant: quam ob causam Cicer nigrum, quod simul veneno resistit in eo decoquere iubent, vt sic obscurior facta intuenti, imaginem nullam, quæ pauorem illis incutiat, repræsentet. Sed & vt sitibundi admodum fiant, Catuli coagulum ex Aceto propinatur, tunc enim aquæ desiderium eos capere scribit, hocq; vehementer laudat Aetius.

Vrinarum prouocatio, eòusq; & tam validis medicamentis, vt & sanguinem mingant, valde iuuare Auicenna docet: qui vt dictum, catulos vel quid simile per vrinas excerni existimauit.

Eamque ob causam cantharidum vsum admodum commendat: quæ sic rectiùs exhibebuntur: ℞. Cantharidum, abruptis, alis tenuioribus, ʒ. j. Lentium mundat. ʒ. ß. Spicæ, Gariophyll. Croci ana ℈. ß. Detur ℈. ß. cum Vino ieiunis, tribus vel quatuor diebus, donec sanguinem excernant.

Rumex acutus si potandus exhibeatur, copiosam & turbulentam mictionem facit: qua sola planta exhibita, si simul decocto, illius foueatur plaga & succo ipsius illinatur, quidam morsos à cane rabido integrè sanabat, vt docet Auicenna.

Sudorum ante & post cibum prouocationem iuuare docet Dioscor.

Deiectionem per aluum, magnum etiam adferre adiumentum, si Hiera colocynthidis vel Helleboro id fiat, idem scribit: cuius tantam vim esse, vt & ferè desperatos sanet, idem censet. Quod & aliis purgantibus, melancholicis maximè humoribus destinatis, potest fieri.

Dropacismis, Sinapismis in toto corpore, quoq; vtitur Dioscor. vti & aliqua Cauteria occipiti & post aures admota, probant.

Inter amuleta, Dens caninus à cane qui momordit euulsus, & brachio alligatus: item Pili ab eodem cane euulsi, & vulneri impositi, multùm præstare creduntur.

Exorcismis hoc malum sacerdotes quibusdam in locis sanare scribunt: quæ præternaturalia cùm sint, ea relinquimus.

Ab affectu animi vehementi vel diuturno concepta mentis perturbatio, vel cõmotio, interdum sponte cessat: aliquando difficulter cedit, sæpe nunquam potest corrigi. *Animi commotionis à Spiritus agitatione, curatio.*

Gau-

Gaudium enim profusum facilè euanescit. Ira quoq; furor breuis est, in illis præsertim, qui quidem mox excandescunt & rubent, sed subitò iterum remittunt: quos & tunc ferè se iratos fuisse pœnitere solet. Tristitia ex dolore animi, cum tempore cessat, cùm nullus sit dolor, vt inquit Cicero, quem non longinquitas temporis aut mutet aut minuat. Inuidia concepta ægrè deletur. Ambitio, in quibusdam & auaritia in senescentibus præsertim, animis impressa, vix dum eradicari possunt. Quæ omnia tamen non adeò homines dementant sicuti amor: in quo etsi leuis ab initio mentis alienatio tantùm esse videatur, si tamen altiùs radices agat, adeò eam perturbat, vt ad veram insaniam & desperationem nonnunquam homines adigat. A terrore melancholia vera & perseuerans profecta, præ cæteris omnibus est pertinax, & curatu difficilis: ad multos annos hominem sæpe excrucians, consumens, & desperabundos tandem reddēs. Sed & ex consuetudine contractam stultitiam corrigere ampliùs non licet.

Curatio tamen non negligenda, si perseueret malum, & offensa adsit vel periculum: quod fiet;

Causæ ablatione primùm, & occasiones auferendo, à quibus hæc prodeunt, si illa adhuc præsentia, affectum foueant vel augeat: vt in ira id, quod offendit: in tristitia illud quod molestat: & sic de aliis illa auertendo: Imprimis verò amoris præcipuum remedium est, illius obiectum & stimulum mox & procul diuq; remouere, quod vulgus hoc prouerbio; ab oculis à corde, innuit: & quod in peste iuuare dici solet, citò, longè, tardè, hîc quoque potissima curationis est regula.

Consolando, admonendo, persuadendo, sæpe affectus animi mitigantur vel arcentur. Proponendo, prout animus afficitur, rem nullam vel nullius momenti esse: dein incommoda quæ inde sequuntur: nunc offensam Dei exponendo: & spe præsentis vitæ commutationis cum futura meliori mox successura eos consolando. Quæ si non iuuent, seuerè quoque iram Dei & gehennæ supplicium minando: coarguendo, & verberibus quoque, donec quæ amant, illis fœteant, vt Gordonius scribit, si non pareant, eos castigando.

Imprimis verò affectus animi huic affectui qui afficit contrarios mouere, & sic in contrariam passionem deducere, cùm ad moderationem, sicuti contraria contrariis curari solent, rursum adigant, magnum in quibusdam animi pathematibus adiumentum adfert, sicq; ea quæ aliàs cedere nollent tolluntur: Sic gaudio nimio elati, si aduersa audiant, mox remittunt. Et qui tristantur, lætitia inopinata & vehementi refocillantur. Ira irati si perterrefiant, mitigantur. Si perterrefacti ad iram incitentur, liberantur. Qui vehementer oderunt, misericordia moti, reconciliantur. Et qui amore graui premuntur, si in odium personæ quam amant adigi queant, certissimè liberãtur: quò nonnunquam si inhonesta & turpia de ipsa audiant, quæ vel excogitantur, vel vera sunt, sed amantes cæci non vident, adduci possunt. Præsertim verò in generosis animis, si se ab amasia contemni putent, & repulsam pati (nihil enim amorem æquè ac reciprocus amor fouet, nihilq; charius Antiphila) mox indignatio sequitur: quæ perseuerans, nisi falsa aliqua & vi expressa extinguatur lachrymula, odium parit. Huc & animi vehemens in aliam rem intentio refertur, quæ priorem conceptam solet restinguere, vel saltem imminuere: vnde Poëta ait: Otia si tollas periêre Cupidinis arcus. Et si in binos vel plures licet eosdem affectus, diuisa sit apprehensio, fit, vt partita vel dispersa minùs quàm vnita sit fortis: Nam pluribus intentus minor est ad singula sensus: vnde & Ouidius inter remedia amoris, vnum binas quoq; amicas habere, posuit.

Cæterùm quod præsertim Medici operationem attinet, in subitaneis & vehementibus animi passionibus: spirituum & humorum commotionem, qui in quibusdam affectibus à centro ad superficiem, in aliis è cõtrà mouentur, diligenter obseruare oportet, eosq; contrario motu ad sedem ipsis destinatam reducere. Euocamus autem eos qui cor veluti opprimunt in terrore, mœrore: frictionibus, & exercitiis, iucundis præsertim il-

tim il-

tim illisque idoneis; & balneo. Et vicissim eos, qui ira, gaudio effusi sunt: non tantùm contrario animi affectu, vti dictum, sed & Aquæ frigidæ perfusione, & Venæ sectione: quæ tamen non in ipso furore, sed paulò post fieri debent, ad interiora rursum repellimus.

In perseuerantibus autem corpusq; iam immutantibus animi pathematis, pro constitutione corporis & humorum redundantia, plethoræ nimirum vel cacochymiæ, euacuationes & alterationes, tum ad curationem, tum ad præseruationem, si ad hos illósve affectus dispositi sint, instituemus. Et si melancholia vera vel mania inde sequantur, vti à terrore præsertim accidere dictum fuit, eadem ratione, sicuti illic explicabitur, curatio peragenda.

Hypochôdriaca melãcholia à vapore spiritus perturbante, curatio.

Si in venis meseraicis sanguis melancholicus crassus adurens & malignus, sicuti explicatum fuit, contentus, vapore suo Melancholiam hypochondriacã dictam procreet, etsi illa mitior, quia nonnunquam mitigatur vel cessat, quam vera esse videatur, grauis tamen quoque existit; tum quòd non tantùm mentem perturbat, sed & tam multos alios affectus circa partes naturales præsertim, vti expositum fuit, sese offerentes, inducat: & quòd adeò pertinax & diuturnum, curationemque tam difficulter admittens sit malum: idque ideò, quia materia illius in venis meseraicis abstrusa, & subinde noua ab assumptorum excrementis continuò congestis aucta, nec sanguinis detractione educi, nisi hoc per venas hæmorrhoidales fiat, queat, nec purgantibus facilè cedat: sicuti & febris quartanæ diuturnitatis causam, huius loci & similis ferè materiei occasione accidere, in febribus demonstrauimus: in quam & sæpe, si putredo sanguinem illum inuadat, hic affectus commutatur: vel alioquin viscerum vicinorum, lienis, hepatis, & venarum illarum obstructiones & tumores parit. Nonnunquam & vapore suo massam sanguinis in reliquo corpore inficiens, in veram & perseuerantem melancholiam conuertitur.

Scopus curandi in eo consistit, vt materia illa melancholica in venis meseraicis cõtenta, euacuetur: vel per sanguinis detractionem: vel illam ad ventriculum & intestina euocando, per vomitum secessumque; illis quæ obstructiones soluant naturamque ad excretionem sollicitent. Dein ne rursum noua generetur, bona concoctione instituta, præcauendo. Et ne vapores sursum ferantur cerebrumque imprimis perturbent, & cordi quoque molestiam adferant, eos diuertendo. Hasq; partes principes roborando, & ventriculo, hepati, lieni ne lædantur, prospiciendo.

Sanguinis detractio valde conueniret, si ex venæ portæ ramis fieri posset: quæ cùm nullibi nisi circa podicem, vel oscula ad ventriculum & intestina pertinentia, aperiri possint, hocq; nisi sponte natura faciat, medicamentis, quæ summè acria esse oporteret, vt colocynthis (nisi vehementer amara, vt aloes quæ venas aperire solet, & hîc quoque vt dicetur competit, id facerent) aliàs tentare periculosum sit: nihil præstantius erit, quàm hæmorrhoides, nisi sponte fluant, sanguisugarum appositione, aut alijs applicationibus; etsi tumeant & appareant, sectione quoque aperire. Quibus vel per se, vel vi reseratis & fluentibus, hic affectus qui curari priùs non potuit, sæpè curatus est. Sed & per menstrua, cùm naturalis sit euacuatio, si suppressa sint, & prouocentur, plurimùm mulieres iuuabuntur: cùm & per hæc fortè venæ meseraicæ se exonerare possint. Cutaneas autem reliquas venas incidere quæ venæ cauæ rami sunt, nisi plethora id suadeat, aut iam ille sanguis quoque infectus sit, aliàs superuacaneum.

Vomitus in assuetis præsertim, & malo iam procul vsque protracto, plurimùm conuenit, cùm sic excrementa quæ in illis locis continuò ferè in prima concoctione colliguntur, subitò, & nonnunquam in venis meseraicis retenta materia, per hanc viam quoque, vt in febribus intermittentibus dictum, & aliqua portio, biliosa maximè, ejiciatur. Quod tamen leuioribus primùm, mox si non iuuant, fortioribus in robustis institui potest.

Alui irritatio & laxatio, vapores sursum petentes reuellit, & flatibus ex iis vti & ex

cruditate genitis, viam ad eruptionem facit: tantoque magis si ventris adsit constipatio, proderit. Fit hoc Suppositorijs; & majori adhuc vtilitate Clysteribus; quæ cùm intestina penitiùs subeant, à venis meseraicis quoque illuuiei partem euacuant. Quæ si alternis diebus injiciantur, vel indies, longè tutius erit, quàm nimiùm purgantia, quæ tandem fastidiunt, & ob morbi diuturnitatē ægrè ferunt, exhibere, sic successiuè materiam è partibus vicinis ad intestina deducere: quare sæpe reiteranda. Quæ ex humidis, lenientibus, flatus discutientibus, stimulantibus & purgātibus parātur hoc modo: ℞. fol. Maluæ, Brassicæ Mercurialis vel Betæ ana M. j. rad. Polypodij ℥. j. Epithymi vel Cuscutæ, Thymi ana ʒ. ij. flor. Chamomillæ, Matricariæ, Aneti, Violarum (propter ardorem) ana P. j. Furfuris P. j. fiat decoctio & in colaturæ decenti quantitate, dissolue. Mellis rosacei ℥. j. Sacchari rubri ℥. ß. Hieræ picræ ʒ. ij. oleorum Liliorum, Chamomil. ana ℥. j. ß. Salis parùm: fiat clyster. Si fortiùs euacuandum erit, in decocto adde Fumariam (lupulos quia caput tentant omittimus) & Senam: & dissolue confect. Hamech vel succum Mercurialis, &c. sicuti in clysteribus in melancholia explicabitur.

Purgatio quæ materiam è venis meseraicis propellat, facienda erit: sæpiusque per vices reiteranda. Prius reseratis vijs, quæ obstructæ esse solent: & humore ad euacuationem præparato. Cauendum tamen à validè calefacientibus, siccantibus, quia morbum augent: eodem modo ferè ea administrando, vti in quartanis febribus vsurpari debent.

Præparabitur igitur hoc Iulepo: Per dies aliquot ante purgationem eum sumēdo: ℞. syrupi de Bizantijs, Endiuiæ simplicis ana ℥. ij. de Pomis redolentibus, Epithymi ana ℥. ß. aquarum Buglossi, Cichorij, Fumariæ ana ℥. iij. fiat iulep: aromatisetur puluere Dyanth. vel illius tabulam postea sumat.

Decoctum, illius loco, tale eodem modo exhibebitur: ℞. radicum Graminis, Asparagi, Borrag. ana ℥. j. Liquiritiæ ℥. ß. Endiuiæ, Cichorij, Polytrici, Ceterach, Betonicæ ana M. j. florum Borrag. Buglossi, Scabiosæ, Tamaricis ana P. j. Anthos P. ß. seminum quat. Frig. mai. Anisi ana ʒ. ii. Fœniculi ʒ. j. fiat decoctio & in ℔. j. adde succi Pomorum sapæ instar cocti ℥. iij. arom. pauco Cinamomi.

Vel cum Vino, si vehementiùs aperiendum, vtantur hoc modo: meliori ferè successu, cùm non adeò calefaciat nostrum vinum, vt alibi dictum: ℞. radicum Cichoreæ, Graminis ana ℥. j. Enulæ (quia lætitiam adfert) ʒ. ij. Ceterach, Asparagi, Chamædreos, Fumariæ ana ʒ. ij. florum Cordialium ana ʒ. j. ß. seminum Fœniculi ʒ. j. conquassata; infundantur in Vino albo vulgari, vel diluto, si forte sit: Vtatur diebus quatuor vel quinque mané.

Purgetur dein decocto leuiore, non fortissimis medicamentis exasperatur malum: quale ex multis hoc conuenire poterit: ℞. Senæ mund. Polypodij, Garthami ana ℥. ß. Epithymi ʒ. ij. Passul. part. x. Prunorum part. v rad. Borrag. rec. ℥. j. Liquiritiæ ʒ. j. florum Cordialium ana P. j. seminis Anisi ʒ. ß. fiat decoctio in aqua & pauco vino albo: in col. ℥. iiij. dissolue Catholici ℥. ß. vel Syr. ros. sol. ℥. j.

Vel vtatur sequenti: ℞. Catholici ℥. j. confect. Hamech. ʒ. j. ß. syrupi de Rosis sol. cum inf. rhabarbari ℥. j. cum aquis Buglossi, Fumariæ q. s. & Cinamom. parum: aromatisationis gratia.

Per vices purgantia repetenda erunt in morbi diuturnitate præsertim si clysteribus vti nolit; vel hæc successiuè vsurpanda, vt resolutis obstructionibus, & natura indesinenter sollicitata, ad intestina excrementa potiùs è venis meseraicis deponat. Idq; varijs formis syruporum, vini, pilularum: sic præparatarum, vt diutiùs ad vsum asseruari possint. Quibus semper præparantia, ad dies aliquot præmitti debent: vel vnà cum ipsis in compositionibus sunt permiscenda: quorum exempla pauca hæc adferemus.

Syrupus itaque inspissatus sic parabitur: De quo alternis diebus, vel per tres dies cōtinuò vtatur, & post dies aliquot repetat: ℞. radicum Graminis, Cichoreæ ana ℥. j. Fœniculi, Petrosel. ana ℥. ß. Ireos ʒ. ij. Borrag. rec. ℥. j. ß. Azari ʒ. ij. corticum Capparum, Tama-

Tamaricis ana ℥. ß. herb. Fumariæ, Lupul. Chamædreos, Chamæpith. Ceterach, Betonicæ ana M. j. florum Cordialium quat. Tamaricis ana P. j. seminum Anisi ℥. ß. Fœniculi ʒ. ij. Passul. ℥. j. Senæ ℥. ij. ß. Polypodij, Carthami ana ℥. j. ß. Epithymi ℥. ß. fiat decoctio; & in col. infunde Rhabarbari ℥. ij. Agarici ʒ. iij. Cinamomi ʒ. j. Zingib. ʒ. ß. succi Pomorum inspissati ℥. iij. Borrag. ℥. j. Sacchari ℥. iij. fiat decoctio ad spissitudinem syrupi. Dentur ℥. ij. plus minúsve, prout operabitur; dissolue cum Aqua, Iure aut Vino.

Syrupum de Polypodio Matth. ad hanc affectionem plurimum commendat.

Vinum ex iisdem aridis infusis parabitur addendo Absynthij ʒ. iij. Maioranæ ʒ. j. sed quia diutiùs retentum corrumpitur, media illius pars duntaxat infundatur, & per biduum sumat: dein cùm rursum opus erit, ex alia parte noua fiat infusio.

Pilulæ in hoc casu, vti in omnibus eiusmodi obstructionibus vtilissimæ: quæ & hæmorrhoides & menses prouocant: ℞. Aloes ʒ. ij. Myrrhæ ʒ. ß. (ad putridos humores) Epithymi ʒ. j. rad. Gentianæ, Azari ana ʒ. ß. gummi Ammoniaci dissoluti in Aceto ℈. j. (si durities adsit circa glandulas omenti & mesenterij, vti sæpe fit.) seminis Petrosel. ʒ. ß. Rhabarb. el. ʒ. j. ß. Spicæ ℈. j. cum succo Absynthij fiat massa: Capiat ℈. ij. alternis vel tertio die.

Tryphera de Epithymo Mesuei, si alternis diebus exhibeatur, singulare est in hypochondriaca melancholia remedium.

Post vsum purgantium, corroboretur æger sequenti die: vtendo conserua rad. Buglossæ: vel similia alia.

Interea vt obstructiones soluantur, & materia è venis meseraicis ad intestina euocetur, ventri vniuerso, cùm per ipsum venæ meseraicæ omentum & mesenterium implicent, remedia adhibebuntur.

Fotusq; primùm fiat. Quo semel in die ante cibi assumptionem, vel bis quoq; manè & vesperi, ab initio, cum spongia venter fomentetur tepidè hoc modò: ℞. herb. Absynthij, Abrotani, Matricariæ, Thymi ana M. j. florum Chamomil. Meliloti, Sambuci, Genistæ ana P. j. baccarum Lauri ℥. j. ß. seminis Anisi ʒ. ij. cort. Ebuli, rad. Polypodij, Senæ, Epithymi ana ʒ. iij. fiat decoctio in Aquæ & Vini æquis partibus: addendo parum Aceti vel scyllitici: Pro fotu.

Balneum loco fotus ex aqua dulci, alijsq; temperatis & humectantibus conueniet.

Vngatur post fotum vel balneum ventriculi regio, & hypochondria venterque, vnguento tali: ℞. oleorum Amygd. dulci. Chamomill. Anethini ana ℥. j. Amygd. am. Sãbucini, de Capparibus an. ʒ. vj. Irini, Nardini an. ℥. ß. succi Absynthij ℥. j. Aceti albi scyll. ℥. j. decoquantur ad succorum consumptionem: adde gummi Ammoniaci dissoluti in Aceto ℥. j. rad. Azari ʒ. j. seminum Nigellæ, Brassicæ ana ʒ. ß. Croci ℈. j. Ceræ q. s. fiat linimentum.

Cucurbitulæ supra ventrem sine scarificatione, cum flamma interdum admotæ, flatus egregiè discutiunt, materiamq; euocãt.

Rubificantia quoq; eo nomine quandoq; adhibentur: inter quæ emplastrum ex Sinapi valdè laudatur. Sunt qui etiam Vesicatoria adhibeant.

Picatio supra ventrem, priùs oleo inunctum facta, valde in quibusdam probatur.

Ne autem de nouo materia continuò cõgeratur, Bona victus ratione cauere oportet: euchyma, temperata, sed minimè flatulenta. Quo nomine quæ flatus discutiunt, vt semen Anisi, Fœniculi, Carui, Piper, Zingiber, cibis adduntur: ea tamen quãtitate, ne nimiùm accendant, quod summoperè cauere oportet. Ob quam causam & vini vsum si intermittere possint, non indigere alio medicamento inquit Rhazis, potens nimirum intelligens: cùm quod tenue & mite est, assuetis præsertim, nocere minimè possit.

Demum vapores & flatus quoque discutiantur; Puluerem alternis diebus post pastum, vel ante, cochleari vnius pondere exhibendo: qui sic parabitur: ℞. seminum Anisi ℥. ß. Fœniculi ʒ. ij. Carui ʒ. j. florum Cordialium ana ʒ. ß. fiat puluis: adde Sacchari rosf. tab. ℥. ij.

Frictionibus, Ligaturis & Lotionibus extremitatum, rectè suo tempore adhibi-

tis, vaporum ascensum diuertere oportebit.

Partium principum capitis, cordis ventriculi, lienis, hepatis: quæ diuturnitate & malitia morbi tandem læduntur, rationẽ quoque habere oportet. Caput, quod potissimum afficitur, irrigando, vngendo, vt in vera melancholia dicetur. Cor quoque quod vaporibus hisce læditur & palpitat, epithematibus, sacculis roborando. Ventriculum qui flatibus molestatus eructat, externis internisque, confectionibus concoctionem promouentibus, non tamen nimis calidis, roborando. Hepar lienemque, ne indurentur, externis & internis, vt in illorum vitijs eiusmodi proponetur, cauendo.

Melancholiæ & Maniæ, ab Humore melancholico, spiritus perturbãte, curatio.

In vena caua sanguis melancholicus talis qualem descripsimus malignus: vel in capite, aut circa maiores trunci corporis venas, aut circa vterum, in sanguine illic, qui menstrui sanguinis & seminis est materia, abundans, melancholiam vel maniam, si deterior sit, procreans, cùm ægrè totus exhauriri queat, quamdiu adhuc sanguinis aliqua remanet portio, tam diu pertinax & diuturnum illud malum durat. Quo sæpe non tantùm mensibus aliquot, sed & annis ad vitæ finem interdum vsque miserè affliguntur: & si ferociunt, carceribus inclusi detinentur: nihilominus reliquas vitales naturalesque actiones obeuntes: nisi hæ, quia cùm mente capti sunt, multa delinquunt, & quòd, si mente aliquo modo adhuc constent, mœrore seipsos conficiunt, labefactentur. Idcirco nullam spem salutis temerè polliceri debemus. Licet multos, vti dicetur, larga præsertim sanguinis emissione curatos nouerimus. Et insanos furentesq; aliquos ab adolescentia ad extremum senium vsque, in eo ita ad se redijsse, vt postea è custodia vinculisq; liberati, circumeuntes, neminem ampliùs læderent, aut verbis lacesserent. Sed & tunc meliùs sperandum erit, si moderatè adhuc omnia perpetrent, & cum risu potiùs quàm aspectu truci res peragant, atq; aliquando monentibus obtemperent, medicamentaque admittant.

Methodus & indicatio curandi talis erit. Vt materiam illam è venis euacuemus. Et à partibus nobilioribus ab ipsa læsis, cerebro imprimis & corde diuertamus. Nam qua ratione alios quoq; morbos à maligna quadam materia genitos, multis euacuationibus interdum sanari, experientia (vt in lue venerea patet) docuit; ita & in melancholia & mania à maligna hac materia prodeuntibus, maximis & frequentibus euacuationibus empiricos multos sanasse, à reliquis medicis, qui his vti metuebant, relictos, sæpenumero vidimus, nosque ipsi felici cum successu multoties experti sumus. Quod varijs formis modisque fieri potest: vt per sanguinis è corpore extractiones: vel ad alia loca deriuationem: per aluum factas purgationes: & per vomitiones. Dein alterantibus seu immutantibus illam intemperiem, seu constitutionem melancholicam, in sanguine totius ferè corporis & præcipuis visceribus, cerebro & corde imprimis emendabimus: Exhibitis medicamentis; Externisque præsidijs, capiti, cordi, hepati, lieni, corporisque alijs quibusdam partibus adhibitis: Actuali quoque operatione per castrationem: Et appensis amuletis: Viribus interim quoque prospiciendo, idonea viuendi ratione: quæ & vitia hæc corrigere potest. Demum symptomatum quorundam aliorum, quæ interdum illis superueniunt, rationem habebimus; quæ omnia quomodo paranda administrandaque sint, ordine sumus explicaturi.

Sanguinis itaq; emissio facta, in vena aliqua cutanea maiori & apparente, cùm non tantùm sanguinem, sed vnà cum ipso morbi huius materiam, in venis latentem euacuare possit, primum & præcipuum ad curationem horum affectuum, si ab hac causa proficiscatur, remedium erit. Quod etsi plerosque non docuisse, aliquos etiam improbasse sciam, longa tamen obseruatione, innumeros hac ratione sanatos fuisse, à chirurgis quibusdam, vel alijs qui ex professo hisce morbis sanandis operam dabant, cognoui: qui vigesies, sexagesies quoq; venas tundendo, insanos penitùs, vel melancholicos ita restituerũt, vt postea incolumes adhuc longã vitam vixerint. Qui in vena certa aliqua eligenda nihil laborabant, sed nunc brachij, mox pedis, hanc illamve, nunc alibi

sine discrimine aperiebant. Quod idcirco remedii genus, nos quoque sed maiori cura & prouidetia, quàm illi, qui non nisi tanquam deploratos curandos suscipiunt, methodicè, præmissis semper alui elutionibus, & intermixtis purgationibus, vti dicetur, vsurpare minimeque negligere debemus.

Brachii itaque vena aliqua magis patens primùm aperienda, reiterandaque. Dein & in manu, saluatellam præsertim sinistrę manus venam, quæ priuatim lienis causa, cum quo consentire censetur, secanda erit. Et in pedibus quoque malleoli venam saphęnam dictam: eoq; citiùs, si menses non rectè fluant; vel quæ ad pollicem pedis excurrit, & cum capite cõmunicare censetur. Frontis enim vena, si perseueret malum, & causa pręcipuè circa caput latere deprehendatur, tundenda erit. Et è naribus sanguis, setis intrusis, sanguisugis adhibitis, aliisq; asperis immissis, erit prouocandus. Varices etiam si in cruribus aut alibi appareant, cùm magnam eiusmodi melancholicæ materiei, à natura eò detrusæ illicque coaceruatæ copiam contineant, aperiendæ, illuuiesq; per hanc viam emittenda, quod nõ nisi plurimùm prodesse poterit. Mensium prouocatio si non decenter purgentur, aut substiterint, cùm causam, vti dictum, huic malo præbere possint, multùm iuuabit. Hæmorrhoidum quoque apertio, etsi venæ portæ rami sint, in consuetis magnum adiumentum adferet.

Huc & Scarificationes referri possunt: illis maximè locis factæ, sæpeque repetitæ, vbi venam aliàs tundere deberemus, vt brachiis & pedibus: Vel vbi venam alioquin secare non solemus, vt scapulis & humeris. Quæ certè non tantùm sanguinẽ euacuant; sed si cucurbitulæ adhibeantur, etiam egregiè materiam à capite reuellunt, & sæpe, vt obseruaui, multùm prosunt.

Quo nomine & Frictiones, Dropaces, Vesicatoria, Cauteria, Sectionesq; in capite factæ, & Trepanationes in desperatis, ossis parte ablata, & per mensem foramine aperto relicto, adhibentur.

Intestina ab excremẽtis eluere frequenter conuenit suppositoriis, rectiusque clysteribus; quæ etsi non adeò materiam melancholicam in venis distantioribus latentem, vt in hypochondriaca, in qua vicina est intestinis, euacuent, tamen ante venæ sectionem, & reliquas purgationes, vt meliùs succedant, satiùs erit per clysmata crassiora excrementa priùs educere: quibus interdum ea quæ meláncholiæ euacuandæ dicata sunt, permiscenda erunt: quæ continuata, in distantiore causa quoque aliquid efficient.

Simplicius igitur quod præstantissimum est, egregiè stimulans, sic parabitur: ℞. succorum Mercurialis vel Betæ ℥.ij. Maluæ ℥.j. Mellis communis ℥.ij. dissoluentur cum Iure carnium pingui & salso: Detur.

Compositum magis sic fiet: Quo per vices vtetur: emolliens, purgans & stimulans: ℞. herbarum Maluæ, Atriplicis, Bliti, Betæ vel Mercurialis, Buglossi vtriusque, Fumariæ ana M.j. florum Chamomill. Meliloti, Sambuci ana P.j. Ficuum num. xij. Furfuris P.j. seminum Lini ℥.ß. Maluæ, Fœniculi ana ʒ.ij. fiat decoctio: dissolue, Mellis violacei vel rosacei ℥.ij. succi Mercurialis vel Betæ ℥.j. Benedict. laxat. ʒ.ij. olei Chamomill. Butyri ana ℥.j.ß. Salis parum: fiat clyster.

Ex purgãtibus validiùs, in maniacis præsertim, sic parabitur: ℞. radicum Altheæ ℥.j. herbarũ Maluę, Buglossi vtriusq;, Mercurial. Lupuli, Fumariæ, Thymi ana j. florum Chamomil. Sãbuci, Buglossi vtriusq;, Violarum ana P.j. seminum Lini, Cucurb. ana ℥.ß. seminis Maluæ, Fœniculi ana ʒ.ij. seminis Rutæ, Viticis ana ʒ.j. Ficuum part. vj. Tamarind. ℥.ß. Furfuris, Hordei añ. P.j. Polypodij, Senæ, Carthami ana ʒ.vj. Hellebori albi ʒ.ß. vel nigri ʒ.j. fiat decoctio, dissolue, Mellis viol. Sacchari rubri ana ℥.j. Hierę colocynt. Diasenæ sol. confect. Hamech ana ʒ. succi Mercurialis ℥.j.ß. olei Violarum, Chamomill. Liliorum ana ℥.j. Salis q. s. fiat clyster.

Purgare materiam hanc è venoso genere conuenit: Incipiendo à leuioribus & ad ad fortiora progrediendo. Eaque diu multumq; continuando: nam & facilè hoc plerumq; ferre possunt: & quamuis debilitentur nonnihil, cùm ea ratione magis sedati & quietiores fiant, nihilominus confert, nec adeò ipsis nocere potest, cùm cõtinuò etiam

refocillari poſsint. Itaque præparato priùs humore, euacuatio mox ſequi debet: ſemel, bis térve, continuis vicibus adminiſtranda. Eaque hebdomadatim ſemel vel bis iterum repetenda erit: intermiſcendo ſanguinis vti dictum, detractionem. Et ſemel in menſe, vt quoq; docet Auicen. fortè admodum ſolutivum exhibendo. Præcipua enim curandi ratio in magnis illis euacuationibus, ſanguinis excrementorumque, vnde ſucceſsiuè morbi materia tollitur, vti dictum, conſiſtit.

Præparatur humor ante purgationem; obſeruando an bilioſi ſint admodũ qui hoc malo affecti ſunt, tunc enim frigidioribus & acidis magis vtendum: hoc pacto: ℞. ſyrupi Viol. Borrag. ana ℥.ij Acetoſ. ſimpl. ℥.j. aquarum Bugloſsi vtriuſque, Lactucæ, Nympheę ana q.ſ. fiat iulep. Pro quatuor vel quinque vicibus: aromatiſando puluere Triaſantali, vel exhibẽdo tabulam illius poſt quamlibet doſim.

Vel ſic ex ſuccis parabitur: ℞. ſuccorum Bugloſsi vtriuſque, de Pomis redolentibus ana ℥.ij.ß. aquarum Bugloſsi vtriuſque, Fumariæ ana ℥. iij. Sacchari ℥. ij. decoquantur, & depurentur: aromatiſetur Cinamomo: Pro aliquot vicibus.

Decocto vel infuſione ſic præparetur: ℞. radicum Bugloſſæ vtriuſque, Liquiritiæ ana ℥.j. cort. Tamariciis ℥.ß. Fumariæ M.j. Ceterach M.ß. florum Cordialium an. P.j. Nympheæ P.ß. Thymi P.j. decoquantur in aqua communi, & poculo Vini, addatur Sacchari, & ſucci Pomorum ana ℥. ij. aromat. Pro aliquot doſibus.

Vel infundantur in Vino tenui: addendo odoris cauſa parum Abſynthij: Et bibat.

Purgetur dein humor, vti dictum, exhibitis varijs melancholico humori dicatis formis. Quæ, ſi ægri non obtemperent, ſic parandæ erunt, vt ſub forma vini, vel alterius medicamẽti quod illis magis familiare erit, eos fallere queamus. Qualia multa in remedijs catharticis melanagogis dicta fuerunt. Hîc ſelectiora quædam proponemus.

Ab initio igitur mox, præparato humore, hoc exhibeatur: ℞. Catholi ℥.j. confect. Hamech ʒ.ij. Syrupi roſ. ſol. ℥.j. Cum ſero Lactis vel aqua Bugloſſæ diſſolue: Et exhibeatur.

Vel: ℞. Senæ, Polyp. an. ℥.ß. Epithymi ʒ.ij. infundantur in Sero caprino: adde Mercurialis recentis ℥.j. ſem. Aniſi ʒ.ij. fl Cord. P.j. fiat decoctio: diſſ. Catholici ℥.ß. confect. Hamech ʒ.ij. ſyrupi de Fumaria compoſ. vel de Pomis redolent. ℥.ß. fiat potio.

Vel: ℞. Pilular. de quinq; generibus myrobal. Indarũ, de Lapide Lazuli an. ℈.j. Cum Vino albo: formentur pilulæ.

Succeſsiuè & multis vicibus vt corpus purgetur, ſequentia conuenient.

Apozema primùm, compoſitum: quod ſic parabitur: ℞. rad. Polyp. ℥.iij. fol. Senę ℥.ij. ſeminis Carthami ℥.j. Epithymi ℥.ß. Turbith. ʒ.ij. Myrobal. ind. citrin. chebul. confricatarum oleo Amygdal. dulc. ana ʒ.j. Hellebori nigri ʒ.j. albi ʒ.ß. (ſi leuiùs purgare velimus helleborum omittimus, ſi fortiùs, augemus) radicum Graminis, Pentaphyli, Liquiritiæ ana ℥.j. Enulæ ℥.ß. corticum Fraxini Tamaricis, Ebuli ana ℥.ß. herb. Mercurialis, Fumarię, Lupulorum, Hemionitidis, Bugloſsi vtriuſque cum toto, Ceterach, Polytrici, Thymi, Meliſſæ ana M.j. florum Cordialium, Tamaricis, Scabioſæ, Geniſtæ ana P.j. ſemin. Aniſi, Melonum ana ℥.ß. ſeminis Cucurbitæ ʒ.vj. ſeminis Portulacæ ʒ.ij. ſeminis Ocimi, Viticis ana ʒ.j. Tamarind. Paſſul. ana ℥.j.ß. Prunorum par. vj. Iuiub. Sebeſten ana par. v. fiat decoctio ſ. artem: & in col. ℔.ij. infunde, Rhabarb. el. ℥.ß. Cinamom. ʒ.ij. Spicæ ℈.j. fiat expreſsio; adde ſucci Pomorum dulc. ℔.j. decoquantur adhuc parùm: Vtatur hoc ſyrupo per dies quatuor vel quinque diluculo.

Poteſt ex eodem decocto fieri ſyrupus ad vſum conſeruandus duplicatis omnibus: ſi decoctioni Sacchari iuſta quantitas, vel illius loco defrutum ex Pomis addatur, & ad ſpiſsitudinem coquatur. Cuius cochlearia duo vel tria, prout operatur, cùm purgare volumus, exhibentur.

Alter leuior ex ſuccis ſic parari poterit: ℞. rad. Polypodij ℥. ij. Senæ mundt. ℥. iiij. Epithymi ℥.ß. florum Borrag. Violarum ana P.j. ſeminum Aniſi ℥. ß. Cinamomi ʒ. ij. conquaſſentur parùm: affunde ſucci Pomorum redolentium ℔.iij. ſucci borraginis depurati

purati ℥. iij. stent in infusione calida per xxiiij. horas: dein parum bulliant: colentur: bulliant rursum ad mediam spissitudinem defruti, vel syrupi: Capiat ℥. ij. plus minúsve, per se vel cum Vino.

In sero caprino infusa quoq; proderunt, vel iure galli decrepiti. Et decoctum exhibendum.

Vinum ad hunc vsum valde vtile sic parabitur. Quod tribus vel quatuor vicibus exhibendum erit, cùm diutiùs asseruari nequeat: nisi in dolio maiori quantitate, duplicatis omnibus vel triplicatis, prout maior minórve vini erit quantitas, vel musti, paretur: & quæ induntur valde prius exiccentur: ℞. Senæ ℥. ij. Turbith ʒ. iij. Agarici ʒ. ij. Myrob. indarum citrin. chebul. ana ʒ. j. Epithymi, Thymi ana ℥. iij. florum Cordial. ana P. i. herb. Absynthii, Fumariæ ana ʒ. iij. seminis Fœniculi ʒ. iij. Zingib. ʒ. ß. infundantur conquassata in ℔. iiij. Vini albi: decoquantur parum in duplici vase: Bibat tribus vel quatuor vicibus.

Et quia remedia mutari debent, aliæ quoque formæ excogitari possunt: vt electuarii sequentis; Cuius ad probam, prima vice ad ʒ. iij. per se vel dissolutum sumere potest, & pro successu dosim augere vel minuere: ℞. pulpæ Tamarind. & Casiæ extractæ cũ vino albo (ad gratiam) ana ℥. j. Mannæ electæ ʒ. vj. Catholici, Trypheræ de epithymo Mesuæi, vel persicæ, vel magnæ ℥. ij. cort. Myrobalan. ind. chebul. confricatarum oleo Amygdalarum dulcium ana ʒ. j. Rhabar. j. ß. in vino parum emolliti, Senæ prius vino lotæ, Epithymi ana ʒ. ij. seium Anisi ʒ. ij. Cinamom. ʒ. iij. fiat puluis subtilissimus: & cum syrup. Rof. sol. fiat electuarium. Si vis vt minori quantitate potentiùs operetur, sume ʒ. ij. & adde confect. Hamech. ʒ. j. Exhibe.

Puluis talis parari poterit, ad ægros fallendos: Qui vna vice per se vel cum vino, brodio, lacte, hydromellite, exhibebitur: ℞. lap. Lazuli multoties loti Hydromelite ℈ ij. Epithymi ℈. j. Sacchari ʒ. puluerizentur. Vel sic: ℞. lap. Lazuli præpar. ℈. j. Diacrydij ℈. ß. Turbith ʒ. j. Sacchari ʒ. j. Detur.

Vel compositus vsualis sic parabitur. Cuius prima vice ʒ. ß. probæ loco propinabitur: postea procedẽdo ea quantitate quæ rectior deprehensa fuerit: ℞. lap. Lazuli multoties loti vino & aqua ʒ. ij. Diacrydij ʒ. ß. Turbith ʒ. ij. Senæ ℥. ß. Epithymi ʒ. ij. Tartari ʒ. j. Anisi, Cinamom. ana ʒ. ij. Croci ℈. ß. Sacchari candi ad pondus omnium: pulueri sentur.

Tabulæ ex iisdem parari possunt. Vel dentur aliæ, quales sunt tabulæ electuarij de Citro, &c.

Vomitus interdum factus conferet plurimùm, cùm naturam ad excretionẽ egregiè sollicitet. Præsertim si exhibitis illis prouocetur, quæ supra infraq; simul euacuant: cùm robustiores hæc quoque vt in purgantibus dictum, facilè ferant. Inter reliqua verò Helleborus præsertim tantoperè commendatus in mania est, vt hos qui insani dicuntur, helleboro opus habere, in prouerbium venerit. Exhibetur autem variis modis: vt cùm per inferiora magis purgare volumus, nigrum potiùs eligimus, vti in purgantibus dictum fuit: si verò vomitum potissimùm ciere volumus, album sumimus: cuius puluerem, vel infusionem in vino potiùs, vbi multum comederint & iuscula biberint, vt minùs lædantur, exhiberi conuenit. Vel ramentis aut fibris illius, raphani taleolis confixis & per noctem relictis, postéaque diligenter rursum exemptis & taleolis in oxymellite maceratis; sicq; vnam propinabimus.

Helleborismus sequens à multis admodum commendatur: Si de illo cochleare vnum cum pingui iusculo exhibeatur: ℞. ramentorum Hellebori ℥. j. infundantur per triduum in aquæ pluuialis ℥. iiij. Decoquantur lento igne ad tertias: colaturę adde Mellis optimè despumati ℥. ij. seruetur ad vsum.

Quòd si deorsum simul quoque euacuare animus est, cochleare vnum sequens detur: ℞. pulueris Hieræ colocynth. ℈. iiij. Epithymi, Senæ ana ʒ. ij. fiat puluis: excipiatur Melle helleborato.

Stibij vsti donec pellucidum fiat, vel leuiter saltem calcinati, vt expertus sum, puluerem ad grana aliquot: vel infusionem illius in vino, nunc frequenter in hunc vsum exhibent: vnde biliosam, luteam vel viridem mate-

materiam copiosè solent euomere, & deiicere: quod & Matthiolus laudat, egoque in robustis sine noxa sæpè probaui.

Medicamenta quæ alterationis causa assumere debent, ex iis parantur quæ temperata humiditate vim tetri & acris huius humoris, & proprietate malignitatē illius corrigunt. Atq; intemperiem cerebri quod potissimum afficitur, & cordis, cuius complexionem in hisce casibus primùm corrumpi censet Auicenna, emendant. Lienis quoq; vbi melancholiæ sedem esse putant, & hepatis, quod illius causa etiam affici existimant, habentes rationem. Ex quibus hæc medicamenta concinnantur, quæ ferè, si compositiones consuetas cōsideremus, cordalia penitùs sunt: quæ cùm non tantùm reficiant, sed & malignæ & venenatæ, qualis hæc est, materiæ resistunt, nos quoque, sed vitatis nimium calidis & siccis, probamus, & sequenti modo præscribimus.

Pro infusione in vino, vel decoctione: qua vel simplici vtimur, addito saccharo & aromatibus; vel syrupum paramus, hæc sumi possunt: Per vices vtenda: ℞. florum Buglossi vtriusque (cordi & lieni appropriata) q. s. macerentur in Vino ordinario: vel decoquantur in iusculis.

Eadem ratione & alia in vino infundi possunt, vt folia Linguæ ceruinæ: quod in hac re vulgus facere solet.

Composita magis infusio vel decoctio sic fiet: ℞. florum Rosarum, Violarum, Buglossæ vtriusque, Scabiosæ, Tamaricis ana P.j. fol. Betonicæ, Melissæ, Linguæ ceruinæ vel Ceterach ana M.j. rad. Enulę ʒ.ij. seminis Ocimi ʒ.j. conquassentur ad vsum.

Syrupus ex hoc decocto fieri potest vt dictum. Vel sequens ex succis paratus: ℞. succorum Pomorum redolentium ℔.j. Borraginis ℥.iij. Maluæ (qui valde vtilis censetur) ℥.ij. depurentur, & addita Sacchari ℔.ß. decoquantur ad consistentiam.

Iulepos potiùs quoque vsurpamus quàm aquas illas cordiales compositas, quas aliqui docent; cùm nimis corpus inflamment. ℞. aquarum Rosarum ℥. iij. Buglossæ ʒ.ij. Melissæ ℥. j. Cinnamom. ℥. ß. flor. Aranti, (quam aquam Naffe vocant) ʒ.ij. Vini albi ℥.j. Sacchari albissimi q. s. fiat Iulepus.

Electuaria per vices alternis diebus sumenda: superbibendo parum de dicto iulepo, vel aqua illius, cum pauco vino, sic parantur: ex paucioribus pluribúsve: ℞. conseru. Rosarum, Violarum, fl. Buglossi vtriusque, Nenuph. condituræ rad. Buglossi, cort. Citri ana ʒ.ß. rad. Enulæ ʒ. j. sem. Ocimi ʒ.j. pulueris Diamarg. frig. ʒ.j. cum syr. de Pomis redolentibus: misce.

Aliud ex multis & rarioribus & preciosioribus confectum sic parabitur: ℞. conseruarum quat. flor. Cordialium ana ℥. j. cons. Nympheæ, Scabiosæ, Garyophyll. hortensium, Tamaricis, Cichoreæ, Cirsij, Iryngorum, Satyrionis, Anthos, Betonicæ ana ℥.ß. conditur. rad. Buglossæ, Lactucæ, Caulium, Cucurbitarum & carnium Citri, cort. Citri ana ℥.j. Myrobalan. emblicarum num. ij. seminum Cucurb. & Melonum mund. ana ℥. ß. seminis Citri mund. ʒ.j. sem. Ocimi ʒ.j. ß. sem. Lactucæ ʒ. j. Granorum tinctorum ʒ.ij. Santali mosc. ʒ.ß. Cinam. ʒ.j. rasuræ Eboris, cornu cerui ana ʒ.j. Vnicornu (pro diuitib.) ℈.j. Coralli rubr. ʒ.j. pulueris Diamarg. frig. vel electuar. de Gemmis ʒ.ß. Ros. nouellæ, Diamosci, Dyarrhod. Aromat. ros. Triasantali ana ℈. j. trochis. de Camphora ℈.ij. confect. Alkermes & de Hyacintho ana ʒ.j. Lætificantis Rhazis ʒ. ij. cum syrup. de Pomis redolentibus spissè cocti, ne confectio quæ diu seruari debet, corrumpatur: fiat electuarium.

Abrotanum cum Melle & Aceto Theophrast. commendat assumptum.

Pulueres quoque vsurpare possumus. Et ad ʒ.j. illorum addendo sacchari ℥. j. ß. formare tragema. Vel dissoluere saccharum in aquis in iulepo explicatis, ad parandas tabulas.

Primus talis erit: ℞. radicum Vincetoxici ʒ.j. cort. Citri, seminis Ocimi ana ʒ.ß. Margaritarum ℈ ß. fiat puluis: Ad vsum, vt dictum est.

Vel sic: ℞. florum Cordialium, fol. Melissæ, Maioranæ ana ℈.j. cort. Citri, seminis Ocimi ana ʒ.ß. Santali mosch. ℈.j. rasuræ Eboris ℈.j. Coralli ʒ.ß. Margaritarum ℈.ß. Cinamom. ℈.ß. fiat puluis.

Vel

Vel ex pulueribus vsualibus, vt Diamargaritone, vel el. de Gemmis, aliisque in electuariis dictis, & pulueres & tabulę paratur.

Tabulæ hac ratione paratæ admodũ cordiales sunt, & capiti appropriatæ: ℞. cõfect. Alkermes vel de Hyacintho ʒ. j. pulueris Diamarg. frig. el. de Gemmis ana ʒ. ß. Diamosci, Aromat. rosſ. ana ʒ. ß. seminis Ocimi ℈. j. Sacchari dissoluti in succo Pomorum redolentium q. s. fiant tabulæ.

Capiti, in quo cerebrum residens semper in hisce affectibus, siue per se, siue per consensum, afficitur, interdum & causa mali latet, remedia extrinsecùs adhibentur.

Et primùm repellentia in principio tantùm: si à vapore sursum eleuato hypochondriaca melancholia fiat: vel furor magnus in mania existat; Tunc in principio Oxyrrhodino vtimur: cui tamen oleum Violarum & Chamomelinum ne nimis siccet, addimus.

Vel oleo Rosaceo, Myrtillorum, Cytonior. Violar. & Chamomelino caput inungimus.

Postea verò humectantibus admodum vtemur, quæ & simul aliquid resoluant, & caput roborent, & somnum quoque, cùm vigiliis admodum vexentur, inducant.

Irrigationes seu embrochæ, vel capitis ablutiones & madefactiones, nostris magis consuetæ, fiant. Idque semel in die, vel bis manè & vesperi, multis diebus, prout ex vigiliis & inquietudine plus minúsve opus esse coniicimus. Quibus & si cum balneo simul vtemur, ante & post illius vsum, vt dicetur, eodem balneo caput irrigabimus.

Hîc autem lixiuiis, cùm nimis siccent, minimè vtimur: sed decoctis sequentibus: ℞. rad. Altheæ ℥. j. herbar. Violariæ, Lactucæ, Maluæ ana M. j. florum Violarum, Nenupharis, Borrag. Chamomil. Meliloti, Hordei ana P. j. seminum Lini ℥. j. (fœnogræcum propter grauem odorem omittimus) Papaueris ℥. ß. fiat decoctio in Iure capitis & intestinorum vituli; addatur parum vini: Pro irrigatione.

Alia, vbi somnum quoque simul conciliare volumus, quod plerunque necesse est: ℞. fol. Salicis, Lactucæ, Violariæ, Iuncorum teneriorum, florum Violarum, Nenuphar. Chamomillæ, Parthenij, Thymi (maximè circa finem) ana P. j. seminum Cucurbitæ conquass. ℥. j. Coriandri ʒ. ij. seminis Lactucæ Altheæ, Anethi ana ʒ. j. cort. vel capitum Papaueris vel radic. Mandragoræ ℥. j. fol. Hyosquiami M. j. fiat decoctio in Iure capitis & pedum veruecis, vel vituli, vel pipionum, vel hirundinum, vel pulmonum arietis: addito pauco vino.

Vel sic: ℞. emulsionis seminis Papau. albi, & semin. Cucurbitæ, factę in aqua Violarum ℥. iij. Lactis ℥. ij. mucilag. sem. Psilii ℥. j. agitentur: Et applicentur.

Ex vnctuosis, ablutio vel embroca vtilis sic erit paranda: ℞. oleorum Violacei, Lactucæ ana ℥. ij. Chamomil. ℥. j. Albumin. ouorum bene agitatorum numer. ij. Lactis mulieris vel alterius ℥. iiij. vel plus: misce diligenter.

Vnctuosa illitio vel applicatio in capite circa tempora, frontem, & si rasum fuerit, in pilosa quoque illius parte, eadem intentione, post irrigationem, vbi exiccatum rursum fuerit, vel etiam sine ea per se sępe quoque facienda, hoc modo: ℞. oleorum Violarum, Nympheæ, Amygdal. dulc. ana ℥. j. Chamomel. ℥. ß. axungiæ Porci recentis ℥. j. mucilag. sem. Lini ℥. j. Ceræ albæ q. s. fiat linimentum.

Simplex magis, sed nihilominus efficax, sic fiet: ℞. mucilag. seminis Lini, Fœnogræci, Maluæ, Butyri ana ℥. ij. axungiæ Porci ℥. iiij. Medullæ bouis vel porci ℥. j. Applicetur.

Compositum verò & efficacius, hoc erit: ℞. oleorum Viol. s. Cucurbitarum ana ℥. ij. Chamom. ℥. j. de semine Papau. ℥. ß. mucilag. s. Psilij ℥. j. seminum Lactucæ, Hyoscyami ana ʒ. j. Coriandri, Myrtillorum ana ʒ. ß. Croci ℈. j. misce.

Vel si vigiliæ admodum vrgeant: ℞. sem. Hyoscyam. semin. Papauer. albi ana ʒ. ij. rad. Mandragoræ ʒ. j. Opij ℈. ß. Croci gr. vj. excipiatur olei Violacei ℥. j. Chamomel. ℥. ß. Applicentur capitis regioni.

Circa declinationem magis calida addenda, in irrigationibus & vnguentis: ex Thymo, floribus Rosmarini, Stœchados, Lauandulæ, parata.

Et vt caput roboretur, pulueres sequentes capillis inspergemus noctu, & manè pectinando blandè rursum capillos purgabimus: ℞. seminum Coriandri ℥.ß. Myrtill. ʒ.ij. Lactucæ, Papau.albi ana ʒ.j. granorum Alkermes ʒ.ij. florum Viol. Rosar. ana ʒ.j.ß. Anthos Chamom. an.ʒ.j. cort. Citri ʒ.j. Maceris, Gariophyll.ana ℈.j.fiat puluis.

Plurimùm conueniet in summo furore & desipientia: si Pulmonem arietis recenter extractum, tepentem adhuc, vel si refrixerit, calefactum, capitis vertici applicemus: vel Agnum per dorsum sectum & exenteratum sic adhibeamus: vel Pullum columbinum per medium dissectũ & puluere Hyosquiami conspersum, capiti imponamus: aliaque quæ mox in phrenisi dicentur, pari ratione vsurpemus.

Cor quod in hisce affectibus quoque affici & angi docuimus, vti assumptis corroborari debere demonstratum fuit, ita & externis iisdem viribus præditis, vt venenato huic humori resistere posit, erit instruendũ.

Epithemata, syndone vti decet excepta, in ieiunis adhuc, talia cordis regioni erunt adhibenda. Vel pulsibus applicanda: ℞. aquar.Rosar.℥.iij.Violarum, Nympheæ, Buglossi ana ℥.ij. Melissæ ℥.j. succi Pomorum redolentium, Vini odoriferi ana ℥.j. Aceti rosacei ℥.ß. seminum Ocimi ʒ.ij.Acetosæ ʒ.j. ligni Aloes & Santali mosch. ana ʒ.ß. trochisc. de Camphora, pulu.Diamarg. frig. ana ʒ.ß. fiat epithema. Crocus adderetur, si flauities illius qua res commaculat, non impediret: vti & Ambra, si non nimis cara esset.

Sacculi cordiales duo parari poterunt, in forma quadrata, interbassati vt decet. Quorum vnus Vino & Aqua rosacea irrorari, & si nimium madeat, exprimi, sicque applicari indies debet: & cùm remouetur, alter siccus apponi, continuoque gestari.

Qui sic parabitur: ℞. florũ quatuor Cordialium, Nympheæ ana ʒ.ij. Anthos ʒ.j. fol. Melissæ, Maioranæ, Balsamitæ ana ʒ.j.ß. semin.Ocimi, Citri ana ʒ.ij. Acetosæ, Lactucæ, Portulacæ ana ʒ.j. granorum Alkermes ʒ.j. Santali moscatellini ʒ.j. ligni Aloes ℥.ß. Gariophyll. ʒ.j. Been albi & rubri ana ʒ.ß. puluerisentur, ad vsum: possunt & pulueres cordiales consueti Diamarg.de Gemmis, aliique addi.

Hepar & lien non sunt negligenda, tanquam partes quoq; principes, si à tetro hoc humore calorem præternaturalem, aut labem aliquam patiantur: tunc epithematib. & inunctionibus quoque reficienda erunt.

Corporis etiam quibusdã reliquis partibus remedia adhibita, illius intemperiẽ peruersam emendare possunt, illudq; reficere. Vt si pręcipua illiꝰ pars balneo immergatur; Pedes lauentur; Spina pectusq; inungantur.

Balneum aquæ fluuiatilis, in eo natando aliquandiu, dum æstatis ratione licet: vel insessione domi in eo tepefacto, in iunioribus & robustis aliquoties repetitum, proderit. Vel si additis humectantibus artificiale paretur, & in eo tepido æger ante cibum parùm insideat: & postea in lecto quiescat & sponte, nulla vi adhibita, sudet.

Quale hoc est: ℞. herbarum Maluæ, Buglossi vtriusque, Salicis, Vitis, Lactucæ, Nympheæ, Violariæ ana M.j. florum Camomil.Meliloti ana P.j. radicum Altheæ ℥.ij. seminum Lini ℥.j. decoquantur in aqua fluuiatili vel pluuiatili: cui decoctum pingue aliquod vel glutinosum, ab animantium partibus factum, addi potest: vel Lac in diuitibus.

Eodem balneo & caput irrigari, & pedes lauari poterunt.

Spinæ longitudo, sub qua trunci venæ cauæ & arteriæ magnæ latent, in quibus præcipua morbi causa inest, post balneum inungitur.

Hac ratione: ℞. oleorum Amygdal.dulc. ℥.ij. Violarum ℥.j. axungiæ Gallinæ ℥.j.ß. Ceræ albæ parum: misce.

Pectus iisdem inunctũ, illis partibus adferet commodum.

Castratio à veteribus in morbis desperatis quibusdam, vt in epilepsia dictum, vsurpari solita, quia temperamentum hominis immutat, virilitatem & vehementiam compescit, corpusque laxius & humidius reddit, in maniacis præsertim, iam diu incarceratis & desperatis, cũ alioquin inutiles sint, meo videre, aliquid emolumenti adfer-

re posset: quam circumstantiis omnibus diligenter examinatis, si alia non iuuet, tentare liceret.

Amuleta non negligenda: inter quæ de vno sic scribunt. Lapis Chelidonius, ille qui rufus est, dextro brachio alligatus, valet cōtra phantasticas illusiones ex melancholia, sanat lunaticos & insanos, facitq; amabiles & iucundos.

Viuendi ratio, seu diæticè, sic instituatur, vt & humores laudati gignantur, & maligna aliorum intemperies, corporisq; praua constitutio, emendentur & contēperentur: viresq; reficiantur: quod sic præstabitur.

Aër, locusque temperata & pura conueniunt. Sed & horum mutatio, præsertim si illis loca quædam suspecta vel aduersa sint, aut occasionem aliquam tristitiæ præbeant, plurimùm conferent: qua sola diuturni alioquin & graues morbi sæpenumerò sanātur.

Cibus alimentosus ex sua natura humiditate temperatus prodest: qui euchymus, concoctu facilis, humidiorq; esse debet. Qualis est caro tam animalium quàm piscium: non antiqua, dura, diúve asseruata, aut suffumigata, nimiúmve salsa aut aromatibus aliisve calidioribus admodum condita: sed iuuenis, recens: simpliciterq; elixa vel assa. Inter quam accipitris & noctuæ pullorum caro comesta proprietate valere, vti verò è contrà, caprina, ferina, leporina, ob causas supradictas, nocere, creduntur. Lac, caseus laudatus, non salitus nimiùm, nec putris, butyrum, in consuetis, & oleum commune & amygdalarum, concedi possunt. Oua quoque nisi corrumpantur, vt in biliosis vētriculis facilimè fit, conueniunt. Panis ex farina pura, non vitiis frugum inquinata: vnde lolij causa multi in stuporem vel insaniam redacti sunt: fermentatus; parum salitus; recteque coctus conuenit. Et ex cerealibus, leguminibusque hordeum, & pisorum genera, ita cocta & præparata, vt facilè digeri posſint, nec inflent: lentes verò & fabæ, quia succum melancholicum gignere putantur, improbantur. Ex fructibus, poma præsertim omnibus modis tanquam appropriata conueniunt, reliquique fugaces: & qui suspensi vel exciccati asseruantur, vt pruna, vuæ, passulæ, cerasa & similia: & ex durioribus, nuces recentes & amygdalæ. Ex oleribus, temperata: vt spinachia, lactuca, endiuia, beta, conceduntur: imprimis bulgossum vtrumq; tanquam appropriata extolluntur: sola brassica quòd melancholiam procreare existimetur, damnata: quam tamen ego ex gustu iudicans, rectè præparatum bonum sanguinem præ cæteris plantis cùm tenera sit & suauis, potiùs efficere censerem.

Potus imprimis habenda est ratio. Et consuetudini aliquid concedendum, in illis qui aquam vel vinum bibunt: cùm vinum debilius, vel si fortè sit, dilutum moderatè sumptum nocere minimè possit, sed cùm exhilaret, potiùs prosit: quod tamen si tristiores vel ferociores ipsius vsu fieri videamus, magis adhuc erit diluendum, vel omnino subtrahēdum. Idem de cereuisia iudicium esto. Sed & seri potus quia laxat, in hisce affectibus admodum commendatur. Vt & lac amygdalinum: quod adeò caput, vti putarunt, tentare minimè potest.

Somnus non tam quia humectat, vt volunt, sed quia corpus mentemq; reficit, valde commendatur: & proin si minùs inuitet, exhibitis soporiferis vel externis, vti explicabitur, admotis, erit conciliandus.

Motus inordinati, in maniacis prẹsertim, iisdem soporiferis compescendi erunt. Atq; iurgiis, verberibus, vinculis, custodiis, carceribus erunt coercendi: nā & hoc ad curationem maniacorū, quos virgis & flagellis empirici cædunt, facere, experientia docet.

Excretiones naturales vt decenter fiant, procurandum. Et si ob retentionem seminis, turgente materia sæuiant moniales, aut virgines, si nubant, sanantur.

Animi affectus imprimis, præsertim cùm à nulla causa manifesta prodeant, illis, vt in mentis perturbatione dictum est argumentis sunt eximendi. Et si falsas causas prætendant, vt ille nasi magnitudinem, vel alter serpentum in copore copiam, vt illis satisfaciendo opinio concepta eximatur, ingeniosè hæc amputari, vel expurgari, ostendendo tale quid, & clanculum proferendo aliisve artibus fallendi sunt. Iucundis quoq;, quæ

sensibus ipsorum offerenda sunt, & quibus maximè delectari videmus, recreandi erũt: quibus tamen plerunq; non mouentur: vel si omnino insaniant ea minimè intelligentes nec apprehendentes, negligunt nec curant, magisq; illis potiùs offenduntur.

Symptomata alia quæ melancholicis & maniacis adueniunt si nimiùm vrgeat, corrigenda erunt, vt in singulis ipsorum capitibus explicabitur: Inter quæ vigiliæ corriguntur iis quoque, quæ capiti applicari diximus: & lotionibus pedum: & si admodum infestent, exhibitis soporiferis: in vigiliis & hoc libro passim explicatis. Dolor ventriculi, ventris, vteri: tensio hypochondriorum, vnctionibus, fotibus ventris aliisq; emendantur, vt suis locis docebitur: & si qd per os eo nomine exhibetur, iis semper ea quæ melancholię resistunt sunt p̃miscenda.

Vt si in flatibus copiosis prauaq; concoctione talis puluis post pastum vsurpandus præscribatur: ℞. pulueris Diacyton. sine speciebus ʒ. ij. seminum Anisi, ʒ. iij. Coriandri præparat. ʒ. ij. Cinamom. ʒ. iij. Schœnanthi ʒ. ß. Folij Indi, Maioranæ ana ℈. j. florum Rosarum, Buglossi ana ʒ. ß. Margarit. ʒ. j. fiat puluis: addatur Sacchari ad pondus omnium.

Phrenitidis & Paraphrenitidis, ab Intemperie calida, & inflammatione cerebri, curatio.

Calida intemperies cerebri, si delirium causet, & sit Phrenitis vera, quæ ab inflammatione cerebri & meningũ oritur, & mox cum febre inuadit, morbus est periculosissimus & acutissimus, qui tertio die quandoque terminatur. Si verò minus ferociant, & cum risu delirent, spem maiorem conualescentiæ, hæc nobis adferunt. Quòd si verò Paraphrenitis sit, cerebrumq; nondum inflammetur, sed tantùm ab humore vel vapore, vti frequentiùs fit, accendatur, morbumq; calidum, febrem potissimùm sequatur, ex morbi conditione prædicendum erit. Nam si in paroxysmis febrium intermittentium, siue in principio aut statu, hoc fiat, sicuti pueris hoc frequens esse solet, vnà cum paroxysmo febris rursùm remittit. Si verò in continuis hoc accidat circa statum, periculo carere minimè potest: cerebro tunc cordi laboranti consentiente: vbi tamen si natura morbum vincat, febre declinante delirium quoq; cessat. In pestilentialibus febribus etiam pro ratione morbi qui sanatur vel interficit, delirium lethale vel minimè tale existit: nihil tamen boni si superueniat, denotat: & si tũc simul pulsus remittat, maculæq; erumpant mors vicina est. In vermibus infantiũ etiã pro ratione febris iudicatur: & sæpe cõuulsiones superuenturas p̃dicit: aliàs sine noxa cum febre tollitur.

Intentio curandi in vera phrenitide hæc est. Vt euacuantibus primùm humorẽ sanguineũ cerebrum accendẽtem, vel inflammationem, à capite reuellamus, & deriuemus: idq; imprimis sanguinis detractionibus: nec non & aluum laxantibus medicamentis. Dein & alterantibus intus forisq; vsurpatis: & viuendi ratione, calorem in capite potissimùm, nec non hepate, corde, quę quoq; vti & totum corpus ratione febris incaluerunt, emendemus. Et circa finem materiam residuam discutiamus. Symptomatum interim quoque, si quæ præter hæc adsunt, rationẽ habentes. Quæ & in paraphrenitide, sed pro ratione morbi comitis, à quo prodit directa, administrantur: in qua & vaporum ascensum hac ratione impedire, reuellereq; sursùm delatos intentio sit.

Sanguinis detractio reuulsionis causa in vera phrenitide subitò fieri debet. Eaq; larga vel repetita. In brachij vena magis patente, præsertim humeraria. Sed non nimis amplo foramine, vt Galli solent suis lanceolis scindere, vena erit aperienda, ne dum inquieti sunt, sanguinis fluxus minus compesci possit. In paraphrenitide similiter, si magnum affluxum humoris ad caput ferri ex delirij magnitudine, & oculorum venis turgentibus, videamus, nisi febris causa, quia in statu est, vel quia diutiùs perseuerans, aut malignitate sua vires prostrauit, cogamur eam intermittere, neq; aliud impediat: vena quoque erit aperienda: etsi priùs febris causa iam secta fuerit.

Deriuationis quoque causa in phrenitide semper, & paraphrenitide nonnunquam, si vehemẽs sit delirium, vnde calorẽ vehemẽtem, humoris affluxũ concitare suspicamur; etiam eo tempore, quo venam generalem aliquam incidere prohibemur, particularem.

rem, per quam non tanta sanguinis fit profusio, etsi in statu sit, metu, ne falsa in veram phrenitidem commutetur, impulsi, interdũ tundere oportet. Qualis imprimis vena sub lingua est: qua aperta plurimùm sępè in delirio iuuat. Quo nomine & frontis venam, si manifesta sit. neq; stringendo collum fascia, quo sanguis nimiùm sursũ impellitur, eam dilatare cogamur, scindere, cùm necessitas summa vrget, conuenit: Nariumq; venas setis vel alijs asperis pungendo fricandoq; aperire: Vel adhibitis, post aures, fronti, naribus, podici, sanguisugis sanguinem exsugere.

Scarificatio admotis simul cucurbitulis ad reuulsionem in vtraq; delirij specie prodest: & cùm secare venam non licet in paraphrenitide, tunc quoq; illius loco adhibebitur, reuulsionis causa in scapulis, humeris, bracchiis: quã ego deriuationis vice in colli lateribus circa iugulares, cum successu facere soleo: alij etiam in aurium pinnis factam probant. Pro qua scarificatione, si eam nolint ferre, cucurbitulæ solæ vsurpantur.

Frictionibus extremitatum, reuellere, & ligaturis, illis in locis quoq; factis, nimium motum ad superiora, cohibere debemus. Quod & lotionibus pedum, quas ad somnũ inducendum mox præscribemus, præstari poterit.

Clysmata, si non admittant, per vim ipsis sunt injicienda, & vt retineant, podex panno premendus: nam plurimùm stimulando reuellunt, & calorem corporis alterando, & excrementa biliosa excernendo, emẽdant. Quo nomine & delirij & febris comitis causa, in vtraq; phrenitidis specie conueniunt. Quæ ante venæ sectionem injici: & postea sæpè iterum repeti debent. Qualia in febribus multa præscripta fuerunt.

Exempli causa hæc saltem proponimus: ℞. Casiæ rec. ext. ʒ. vj. Sacchari rubri seu impuri ℥. j. olei Violacei ℥. iij. succi Betæ vel Mercurialis ℥. j. Salis ʒ. j. cum decocto herb. Emollitiuarum: fiat clyster.

Compositus magis sic paratur: ℞. herb. Maluæ, Altheæ cum radicibus, Parietariæ, Betæ, Mercurialis, Lactucæ, Violariæ ana M. j. Hordei integri P. j. seminum Cucurb. ℥. ß. Prunorum num. vj. fiat decoctio, in decenti quant. dissolue Mellis viol. Sacchari rubr. ana ℥. j. Catholici, Casiæ ana ℥. j. succi Betæ, vel Mercurialis ℥. j. olei Violacei ℥. iij. Salis parum: fiat clyster.

Laxantia exhibita & nonnihil stimulantia, in constipatis præsertim, aluum leniẽdo exhiberi possunt: præsertim cùm clysmata nolunt admittere, vel ea non retinent. Sed à catharticis quæ corpus accendunt, cauendum: in quo empirici, nil aliud quam purgare scientes, grauiter sæpe delinquunt.

Itaq; postridie quam vena secta fuerit, tale exhiberi poterit solutiuũ: ℞. syrupi Rof. sol. simpl. ℥. ij. aquarum Violarum, Lactucæ, Buglossæ q. s. ad diluendum: Detur.

Vel hoc: ℞. succi Rof. ℥. j. ß. Sacchari ʒ. vj. dissoluti in aqua Rof. bulliat leuiter: coletur: Et detur.

Aliter hoc pacto: ℞. syrupi Rof. sol. Violarum ana ℥. j. cum decoctione Fructuum Mesuæi: Exhibeatur.

Si quandoq; ad fortiora transeundũ erit, sic fiat: Rhabarbari ℈. iiij. infundatur in aqua Rosarum & Violarum; exprimatur; adde, syrupi Rof. sol. ℥. j. vel plus: Detur.

Vel: ℞. Senæ (cuius succus rhabarbari succo non absimilis) ʒ. ij. vel iij. Polypodij ℥. ß. Prunorum acidulorum num. vj. decoquantur, colaturæ adde, syrupi Rof. sol. Viol. ana ℥. ß. fiat potio.

Alterantia exhibentur, tùm febris comitis causa, tùm ob intemperiem calidam capitis; In forma potissimùm illis grata, potus præcipuè, cùm valde sitiant, nam medicamentosa non libenter assumunt: quibus & humorem biliosum, si quis adsit, ante purgationem præparare oportet. Horum compositiones variæ in febribus occurrunt, proin pauca hîc tantùm exempla proponuntur.

Iusculis, Acetosa, Lactuca, Buglossum, incoquuntur: & harum aqua illis permiscetur: vti & succus Citri & Acetum rosaceum.

Potus loco, Aquæ coctæ quam bibit, syrupum de Ribes, de Granatis, de Limonibus, Granatorum vinum, vel alios succos acidos, permiscebimus.

Vel Iulepos per vices quantitate decenti per se exhibebis, vel potui adjicies.

Hoc pacto: ℞. syrupi vel vini Granat. de Berberis ana ℥.ij. Viol.℥.j. de Papauer. (propter vigilias) ℥. ß. aquarum Lactucæ, Acetosæ, Rosarum, Buglossi, ana ad quadruplum: Bibat. Syruporum loco, succi vsurpari possunt.

Conserua in eundem vsum parata, frequenter sumenda: Vt: ℞. conser. iiij. Cordialium ana ℥.j. condit. Caulium Lactucar. carnium Citri ana ʒ.vj. seminum Acetosæ, Endiuiæ, Portulacæ ana ʒ.ß. pulu. Diamarg. frigid. ℈.j. syrupi de Granatis vel Ribes: fiat electuarium.

Capiti ab initio mox dum humor fluit, vel vapores ascendunt, quæ eos repellunt, sunt adhibenda, frigida & astringentia nonnihil.

Oxyrhodina in hunc vsum conueniunt, sic parata. ℞. aquæ Ros. Plantag. ana ℥.ij. olei Ros. ℥.ij. Aceti ros. ℥.j. misce.

Vel sic: ℞. olei Rosacei omphacini ℥.j.ß. vnguenti Popul. Aceti ana ℥. ß. Album. oui num.j. agitentur: Applicentur fronti.

Decoctum verò repellens sic fiet: ℞. fol. Salicis, Lactucæ, Plantag. ana M.j. florum Rosarum P.ij. Violarum P.j. seminum Plantag. Myrthi ana ʒ.ij. decoquantur in Aqua ferrata.

Refrigerantia & humectantia postea adhibentur: quibus soporifera permiscemus.

Hac forma: ℞. succorum Lactucæ, Solani ana ℥.ij. Plantag. ℥.j. Panni intincti applicentur.

Æstatis tempore ex aquis potiùs paramus: ℞. aquarum Rosarum, Solani, Lactucæ, Nenuph. ana ℥. ij. Plantag. ℥.j. Intincti panni adhibeantur.

Decoctum pro irrigatione tale fiat: ℞. fol. Violariæ, Lactucæ, Solani, Nenuph. Semperuiui, Portulacę an. M.j. florum Viol. Nenuph. Borrag. ana P. j. seminum Lactucæ, Papau. ana ʒ.ij. Hyoscyami ʒ.j. fiat decoctio: Pro irrigatione.

Inungatur postea caput sequēti vnguento: ℞. oleorum Violarũ, Nenupharis ana ℥.j. Rosacei ʒ.vj. de Papau. de Mandragora ana ℥.ß. vnguenti Popul. ℥. j. (camphoram non addimus, quia vigilias facit) misce cum pauca Cera alba: Pro inunctione.

Pulueres tunc loco inuncto inspergere possumus, hoc modo: ℞. flor. Rosarum, Violarum, Nenuph. semin. Lactucæ ana ʒ.ij. Papau. albi & nigri ana ʒ.j. Santali rubri, Coriandri ana ʒ.ß. misce.

Cùm iam remittere incipit delirium, addimus discutientia quædam cum enarratis formis: qualia in humore melancholico, melancholiam & maniam causante, præscripta fuerunt, temperatiora nonnihil. Et præsertim tunc inunctionibus contenti sumus, addendo oleum in quo Serpillum incoctum fuerit, & Chamomill. Et postea sinapizando, vt vocant, caput.

Vt sequenti puluere, qui & cerebrum confortat: ℞. seminum Coriandri ʒ.ij. florum Rosarum, Chamomil. Lauandulæ, Anthos an. ʒ.j. rad. Ireos ʒ.ß. Santal. omnium ʒ.j. fiat puluis.

Præter hæc cùm deliriũ in summo est, remedium singulare & probatum existit, ex carnibus & sanguine animalium, tepentibus adhuc, capitis vertici applicitis, paratum: quæ tanquam assa ex summo capitis æstu cùm deponuntur vaporem aliquem emittere videntur, & sola ferè iuuisse, sæpius obseruaui. Quod an discutiendo, vti voluerunt, id faciat, vel impetum sanguinis sistendo, longiùs hîc disputare nolo: hoc scio, vt in hæmorrhagijs dicetur, mirabiliter hæc sanguinem è vulnere fluentem sistere. In hunc vsum autem sequentia ferè eliguntur.

Animalia quædam integra per dorsum secta, moxque exenterata: vt agnus, catellus, pullus columbinus vel gallinaceus: vel partes illorum sanguineæ: vt pulmo arietis, castrati, agni: vel hepata: aut aliæ quoque carnes à recenter mactato animali tepida, vti & alia omnia, vel si refrigerata sint, calefacta, adhibita.

Cordis causa, illius regioni, tùm febris, tùm imbecillitatis, ob geminum morbum, ratione, roborantia applicantur epithemata. Quæ & pulsibus alligari in panno possunt. Qualia in febribus & prius in melancholia proposita fuerunt.

Fietque simplicius hoc modo: ℞. aquarum Rosarum ℥.iiij. Violarum, Buglossi ana ℥.ij. Aceti ℥.ß. Santal. omnium an. ʒ.j. Croci ℈.ß. Camphoræ gr.vj. misce.

Hepatis

Hepatis habetur quoque eandem ob caussam ratio: illiq; epithemata apponuntur.

Pectus etiam oleis relaxantibus frigidis, vt Violaceo inungitur.

Testesque actu & potentia agentibus refrigerantur.

Crura & brachia totius corporis refrigerij causa, & vt dormiant faciliùs, abluuntur: herbarum Vitis, Violariæ, Lactucæ, Papaueris & similium decocto.

Viuendi ratio nō tàm virium conseruandarum causa, quàm vt alterando nonnihil iuuet, instituenda.

Aër ad frigidum inclinet. Cæterùm an in tenebris vel luce, vt minùs delirent contineri debeant, admodum se torquent aliqui, cùm illis falsa spectra tàm in luce, quàm in tenebris appareant: satiùs tamen illos loco paulò obscuriore contineri.

Cibus refrigerans & humectans, sicuti febricitantibus conuenit esse debet. Herbis & alijs frigidis, conditus, vt Lactuca, Endiuia & similibus: Omphacio quoq; & Aceto, succisq; alijs acidis frigidis. Et cùm delirantes quid faciunt, nesciant, cibumq; sæpè non solùm, sed & alia abominabilia deuorent, non est mos ipsis gerendus, sed cùm tenuis victus esse debeat, subtrahendus: & Hordeo, Prunis, alijsque leuioribus cibandi.

Potus, dum sæuiunt, si Aqua, per se vel coctione prius præparata, bibita. Cui syrupos, vti supra dictum, præparationis & alterationis causa, permiscemus.

Quæ ad somnum, motum, animique affectus concernunt, in symptomatis iam explicabuntur.

Symptomata enim quæ præter delirium accidunt, alia quoq; tùm causa capitis morbi, tùm febris comitis illis superueniunt: quorum rationem habere oportet.

Vigiliæ ob cerebri summum calorem, illis communes & noxiæ sunt Quæ & in genere ijsdem remedijs morbo resistentibus, vt dictum, cùm refrigerent & humectent: præsertim externis, quibus soporifera eo nomine adduntur, corriguntur: & priuatim illorum causa medicamenta soporifera cordialibus permixtis, vt suo loco dicetur, exhibentur.

Motus inordinati, ob deprauatam imaginationem, illos adeò exagitant, vt è lecto surgere omni vi, & se induere, & nisi coërceantur, effugere conentur: vnde sæpè mentis impotentes ex alto cadunt, mortemque sibi inferunt. Quæ inquietudo, soporiferis similiter exhibitis, cùm animo quiescente, corpus quoque quiescere necesse sit, castigatur. Atque vt cohibeantur, quod cùm rabies illos robustos faciat, perdifficile est, vinculis interdum constringuntur: quæ tamen nonnunquam, cùm eo nomine irascantur, magisq; ferociant, relaxare illisq; aliquid concedere, cautione tamen magna adhibita, ne se ipsos aut alios lædant, oportet.

Vrinæ suppresio illis peculiare symptoma est, cùm adeò intenti in suas imaginationes, vrinæ stimulum non sentiant, proin eam reddere non curent: ex cuius retentione vesica nimium impleta distentaque, postea magna difficultate lotium reddit. Quibus non illos admonendo maturè, matulamque ostendendo, & remedijs externis admotis, de quibus in vrina retenta agemus, medebimur.

Linguæ ariditas, nigredo, quæ summum febris incendium denotant, vt suo loco explicabitur, corrigitur.

Sitis quæ illos valde ob calorē excruciat, alterantibus frigidis & humidis, præsertim in potu exhibitis, vt iam dictum est, & in siti generatim dicetur, emendatur.

Imbecillitas virium & prostratio ex pulsu cognita, cùm inquietudo illos alioquin exagitans, eis, vt dictum, robur addere videatur; victus ratione; & medicamentis cordialibus, intro forisque vsurpatis, vt & iam dictis, reparatur.


Stultitiæ à Cōformatione praua et intemperie, curatio.

A praua conformatione, ab ortu homini innatam stultitiam, cùm partes semel formatas aliter formare impossibile sit, curare velle; Æthiopem lauare, & dealbare, esset conari. Sicuti & impossibile, si à temperamento peruerso hoc accidit, aliquid velle immutare: quod tamen interdum ætatis mutatione, castratione, vti in mania dictum, emendatur. Vbi & consuetudo multùm facere potest: qua factum, vt Cimon ille amore Iphigeniæ, cùm stultos suos mores ei displi-

displicere cognoſceret, illis ſenſim commutatis, ex ſtulto ſapiens factus ſit: ſicuti hoc ſiue verum ſiue fabuloſum, rationi conſentaneum eſt.

Mania à Putredine. Macula, Vermibus, in cerebro, curatio.

A putredine vel macula, aut vermibus, vti voluerunt, ſi exorta ſit mania ob vapores inde cerebro demandatos, ægrè curam hiſce quæ ferè nos latent accomodare poſſumus. Si tamen ea cura, quæ in mania ab humore melancholico orta, deſcripta fuit, hîc quoq; adhibeatur, minimè peccabitur. Sed ſi vitium graue eſt, incurabile eſt.



DE MENTIS DEFATIGATIONE.

CAPVT IV.

Genera.



MENTIS defatigationem appellamus, cùm ſenſus interni plus vel longiùs quàm conueniat, exercentur: vel non tempore ipſis præſcripto, per ſomnum qui animi quies eſt, aut nõ ſufficienter quieſcunt. Vti fit cùm non dormiunt in vigilijs nimijs. Vel cùm dormiunt, ſed inquietè per inſomnia grauiora. Quæ & in ſanis & ægris nonnunquã debilitant, moleſtiamque pariunt, morboſq; augent.

Vigiliæ.

Vigiliæ nimiæ & præternaturales ſunt, quando omninò non dormiunt, per aliquot dies, menſes. Vel non ſufficienter, & terminum ſeptem vel octo horarum vel plurium, pro naturarum conſuetudine, cùm infantes plus dormiant quàm vigilent, adimplent. Hæ ſiue morborum ſint ſymptomata, ſiue extra hos contingant, noxam tandem inferunt: cùm ſpiritus propter nimium illorum vſum & exagitationem accendant, vnde humores quoq;, calidos præſertim accendi contingit; & eoſdem tandem abſumi.

Hincq; corporis functionũm aliquarum imbecillitatem, tandem ſequi neceſſe eſt: Vti etiam animalibus ſpiritibus cõſumptis, ſenſuum internorum defectũm aliquem, & per conſequens externorum quoque: viſionis imprimis, cùm ad illam edendam tanta ſpirituum copia opus ſit. Dein & conſecutione quadam vitalium quoque ſpirituum diſsipatione facta, languor totius ſequitur corporis. Et naturalibus ſimul offenſis, naturales læduntur actiones: concoctioque imprimis, non quòd ſomnus vti putant concoquat, ſed quòd concoctio, cùm ſpiritu & calore, vt rectè obeatur, copioſioribus indigeat, horum penuria citius quàm aliæ ferè offendatur.

Sed & moleſtias doloresque certis partibus vigiliæ immodicæ adferunt: idque quia ſpiritus non tantùm, ſed & humores ipſorum contagio accenduntur. Vnde ſpiritibus ſanguineq; per vigilias nimias in capite primùm incaleſcentibus, dolor capitis, oculorum rubedo, lachrymiſq; calidis eò affluentibus, pruritus vt oculos perfricare ſæpè cogantur, vigilantibus accidunt. Et ſi hæ diutiùs perſeuerent, ſanguiniſq; maſſa inflammetur, febres fiunt diariæ. Et ſi in alijs febribus ſymptoma hoc vrgeat, calore adaucto, febrium inualeſcũt ſymptomata. Bilis quoque in bilioſis hac ratione efferueſcens, per vigilias nimias, & in ventriculum effuſa ac ebulliens, ventriculi roſiones, aliaque illius accidentia, & per illius conſenſum capitis dolorem, vertigineſq; parit.

Inſomnia.

Inſomnia præternaturalia ſunt, quando per ſomnũ ſenſus externi tantùm quieſcere videntur, interni autem, non leuiter duntaxat, vt per inſomnia naturalia fit, ſeſe exerunt, ſed immodicè & cum vehementia & labore, ac ſi vigilarent, licet deprauatè ſe exercent, ſpiritusque etiam exagitant & diſsipant: ita vt excitati potiùs defatigati, quàm refecti, videantur.

Immoderata inſomnia, corpus laſſum & debile reddentia, ſunt, quæ preter conſuetudinem longiùs & totã ferè noctem durant. Hoc autem alijs naturaliter accidit, vt inſomnia tunc primùm, cùm vapores, qui ſomnum perfectum efficiebant, diſcuſsi iam ſunt, poſt primum, vt vocant ſomnum incipiant: Alijs verò, vti operarijs, labore defatigatis & poſt cibum mox dormientibus, ob vaporum copiam, ſomnus adeò obrepit, vt inſomnia nulla penitùs habeant, vel ſi quæ ipſis oberrent, eorum minimè recordentur.

Quod

Quod ipsum licet naturale quoque sit, rusticus tamen ille non conueniens esse, nulla posse se inter pocula suis combibonibus insomnia recitare, existimans, ob eam causam Medicum consuluit, acceptoque ab illo purgante forti pharmaco, superdormiens lectũ concacasse somniauit, post expergefactus, & insomnium sc habuisse, illudq; verum & fatidicum fuisse, re ipsa deprehendit.

Grauia insomnia sunt, quæ nõ leuiter tantùm animum exercent, vti naturalia (quæ & proin cùm non admodùm cerebro imprimantur, facilè vel omninò vel ex parte è memoria elabuntur, vt expergefacti pauca referre queant) sed admodùm exagitant, & sensus non minùs ac si verè illa acciderent, quæ illis per somnum apparent, afficiunt: adeò sæpe, vt terrore perculsi subitò excitentur: vel si in somno nihilominus perseuerent, omninò inquieti sint, & corpus variè per somnum iactent, sudent, nonnunquam & loquantur, multa garriant, plorent, rideant, vociferentur: Imò & dormientes adhuc, nihilominus è lecto surgãt, & quod Galenus sibi accidisse scribit, ambulent, vel varia loca peruadant: in quo vulgus, quomodo sine periculo, si nõ impediantur, vel proprio nomine vocati excitentur, aliàs vigilantibus imposibilia ardua loca scandere possint, multa superstitiosa & anilia sibi persuadet. Cuiusmodi quamplurima, & ægrotantibus & sanis alioquin, grauia insomnia, indies offerri, omnibus notum existit.

Talia autem sunt, si horrendæ res inter dormiendum illorum animis obuersentur; quibus vel vehementer terrentur: vt cùm se periclitari ob vim illata, casum ex alto, ignem, aquam, somniant. Vel propter offensam magnam, aut ob amisionem rei gratæ, illis repræsentatam, irascuntur, tristantur & dolent.

Portentosa quoque insomnia prognostica, præsertim mali aliquid portendentia, admodum percellunt: & licet boni quid præsagiant, nihilominus aliquomodo commouent. Quæ à spiritu bono & malo hominibus immitti, tot historiæ sacræ & prophanæ testantur.

Causa.

Causa tàm vigiliarũ, quàm insomniorum, alia est supranaturalis, à Deo, vel dæmone dependens. Alia naturalis: ex consuetudine, quæ altera est natura: vel in cerebro latet, estq; spirituum animalium nimia commotio vel perturbatio; vt cerebri intemperies calida.

Præternaturalis causa Insomniorum. Deus Opt. Max. vt vigilantibus nobis voluntatem suam patefacit, animisque nostris inserit: sic & per insomnia, de futuris, vel etiam præsentibus aut præteritis, nos quandoq; admonere vult: Visionibus interdum per se incognitis immisis, quarũ tamen interpretationem nonnullis, vt Iosepho, Danieli, concessit: Aliàs verò rem ipsam qualis est, per insomnia veluti ob oculos posuit: sicuti futuram annonæ caritatem Pharaoni: monarchias secuturas Danieli: præsens periculum Iulij Cæsaris, vxori eius: prę̨teritam mortem Cæycis mariti, vxori Alcyoniæ.

Sed & dæmon, Deo concedente, vt falsis rerum spectris & simulachris dormientibus sæpè illudit: sic & veris interdum, aliquid certi significantibus, si modò illis nocere posit, cùm alioquin mẽdax sit, in insomnijs homines perturbat.

Consuetudo, causa Vigiliarũ & Insomniorum. Consuetudo sæpe facit homines certa noctis hora excitari, diuque vigilare. Quemadmodum naturam assuetam, sua tempora obseruare, in excretionibus quoque, alijsq; illius operationibus naturalibus, sępe iam docuimus. Quod senibus in vigilijs familiare admodum est: qui licet ad somnũ procliues sint, citoq; se lecto dent, tamen vel circa medium noctis, aut citiùs aut tardiùs excitati, dormire ampliùs nequeunt: hocq; illis postea consuetũ fieri solet: accedente interim cura & cogitatione, quibus dum varia scrutantur & disponunt, magis expergefiunt. Sed & insomnia quædã, ex consuetudine quadam in habitum veniunt, vt postea diu eiusdem generis insomnia somniet, nec solùm mente concipiant, sed dictis factisque in somno exprimant.

Spirituũ animalium cõmotio. Spirituum animalium nimia commotio vel perturbatio, vigilijs & insomnijs præternaturalibus causam præbent. Quod fit in-

causa vigiliarum. ternis sensibus nimiùm affectis: tunc enim spiritibus agitatis, cùm non quiescant, dormire minimè possunt, sed vigilant: vel si dormiant, insomnijs nihilominus vel nimijs vel grauioribus diuexatur. Quæ internorũ sensuum impulsio, vel ex accidenti ratione externorum sensuum: vel per se illis accidit.

Externi enim sensus admodũ à proprijs obiectis commoti, internos quoq; mouent & quiescere non sinunt, vel si quiescant, nihilominus commouent & impellunt. Vti visus luce nimia: auditus strepitu magno, somnum auertit, & dormientes inquietos reddit vel excitat, cùm ad somnum silentium potiùs & tenebræ requirantur, Tactus imprimis dolore & molestia affectus, vigilare facit: quo nomine in morbis qui dolore excruciant, vigilijs simul molestantur: & dormientibus dolorem per insomnia repræsentant. Et qui cardialgia, stomacho nimis pleno laborant, inquietè dormiunt. Quod & illis qui aliam aliquam molestiam in morbis patiuntur accidit, vti sitientibus admodum, qui sitis causa vigilant: vel si dormiant eiusmodi appetitu bibendi per insomnia quoq; excruciantur. Vt & illis qui dispnœa in morbis varijs pectoris & hydrope anguntur, euenit, vt dormire nequeant: vel si obdormiant, suffocationis periculo angustati, talia quoque habeant insomnia.

Per se etiam sensibus nimiùm commotis intentione vehemẽti animi in rem aliquam, spiritibus agitatis, vt fit in animi affectibus vehementibus & perseuerantibus, scilicet gaudio, ira, timore, mœrore, amore, vigilijs nimijs affliguntur: vel si dormiant, suis affectibus nihilominus per insomnia exagitantur. Sed & tot rerum species & imagines, & variarum scientiarum, artium studijs, & humanis actionibus profectæ, apprehensæ & cerebro impressæ, memoriam vigilantium non tantùm exercent adeò, vt minus dormiant; sed & dormientibus adhuc obuersantia, spiritusque commouentia, per insomnia repullulant: & vel quæ eodem die, vel præcedentibus, vel diu ante occurrerunt, vel eadem forma qua erant, se repræsentant: vel ex commistione eorum varijs formis enatis, mira quæ vel non acciderunt, neq; in rerum natura inueniuntur spectra, se nobis offerunt. Hincque fit vt sæpè talia insomnia ob enormitatem, quorum tamen quoque causa naturalis est, commixtio scilicet hæc formarum (vt si quis equum elegantem interdiu viderit & hominem, centaurum se videre somniet) portentosa esse existiment: vulgusque propter insomniorum diuersitatem, quæ non mirum ob tot mentis concepta variare, singula aliquid portendere magno errore sibi persuadeat.

Sed & decubitus forma, per quam spiritus animales commoti, minus in sua sede quiescunt, sed faciliùs locum mutant (vti hoc fieri posse in membris diu non naturali situ retentis, ob spiritus impeditos stuporem patientibus, & corporis circũactu propter discurrentes spiritus in vertigine videmus) ad insomnia turbulentiora facienda multum facit. Vti per decubitum supinum capite præsertim decliui accidere cernimus: spiritibus tunc à capite spinalem medullam magis penetrantibus, motumque & sensum adeò mouentibus, vt licet minimè excitentur, nihilominus tamen per insomnia magis exagitentur.

Perturbatio quoque spirituum cerebri à vaporibus impuris, tetris, melancholicis, vel humoribus, insomnia graui & turbulenta, spectraq; similia per somnũ apparentia, efficit. Et quemadmodum iucunda & læta somnia, salubrem constitutionem, sic hæc tristia & horrenda insomnia, melancholicam plerunq; constitutionem, morbosq; sæpè futuros prænunciant. Vehementerq; in morbis eiusmodi, à melancholia malignaq; materia genitis, vnà cum alijs cerebri accidentibus & desipientijs, hominem exagitant, vigiliasq; quoq; causant. Sed & à certis quibusdam assumptis insomnia terribilia fieri, scribit Diosc. vt si fabæ, lentes, phasæoli edantur: & similacis semina & picnocomi doricnium item assumantur: spiritibus sine dubio ab horum viribus perturbari consuetis. *Spirituũ animaliũ perturbatio, causa insomniorum.*

Calida cerebri intemperies, spiritus simul accendens, quia inquietos facit, & vigiliarum & insomniorum præternaturalium causa esse potest. Quod à vaporibus non- *Calida intemperies cerebri, causa Vigi-*

nunquam

larũ & Insomniorum. nunquam calidis, ab assumptis profectis euenit: vt cibis calidioribus & præsertim vino: quod etsi somnum narcosi sua conciliet, tamen insomnia inquieta parit. Ab humoribus vel excrementis calida euaporatio: vel ipse humor sanguineus cerebrum inflammans, vti dolorem capitis, delirium sic & vigilias & insomnia grauia, turbulenta, & quę naturam humoris referunt, sæpè in febribus, in phrenitide, alijsque morbis calidis procreant.

Curatio.

IN Curatione causæ & symptomatis habetur ratio. Causam autem vigiliarum & insomniorum diximus à Deo; dæmone; consuetudine: spirituum agitatione & perturbatione; cerebriq; caliditate proficisci.

Insomniorum à causa præternaturali curatio. A Deo immissa insomnia, cùm bona sint, nihilq; à Deo nisi quod bonum est, vel in bonum finem tendit, proficiscatur, mutare nec possumus, nec debemus: dæmonis artes, precibus, ieiunio, vitæq; emendatione & fide indubitata auertuntur.

Consuetudo tanquam altera natura non facilè nisi contraria consuetudine mutatur. Quare qui certa noctis hora excitari solent, tardiùs dormitum se conferant, vel alio modo consuetudinẽ hanc immutent: & à profundis cogitationibus, somni tempore, quoad fieri potest, abstineant. Insomnia quoque si ex consuetudine hominem ita angant, vt inquietus sit, gestiat, loquatur vel ambulet, tunc aliquoties perterrefaciendo sunt excitandi: hinc enim fit, vt terror ille repetitus, per insomnia tandem se illis offerens, sponte eos excitet, & à mala hac consuetudine sensim auertat. Vti quidam cùm noctu ambulare soleret, virgis aliquoties cæsus, tandem hanc consuetudinem reliquit. Et sutor ille, qui cùm se suere per insomnia existimaret diductisq; brachijs, vti filum trahendo facere solent, vicinum socium percuteret, ab eodem simulante se, quod equitaret, somniare, pedibus egregiè sæpius iterum percussus, ab hoc errore tandem fuit liberatus.

Vigiliarũ à Spirituum commo- Si verò ex spirituum nimia copia vigilare cogantur, vel insomnijs grauentur, causæ quæ illos exagitant, primùm auertendæ erunt. *tione curatio.* Vt si luce nimia aut strepitu somnus impediatur, aut inquietiùs dormiant, tenebris inductis, & quiete, hęc erunt declaranda. Si animi affectus id faciant, sicuti in mentis alienationis illa specie dictum fuit, corrigantur, eaq; quæ lętitiam adferre possunt, & soporem simul conciliant, vt vinũ, exhibenda. Præsertim verò si in rem aliquam nimia intentio, & de ea discursus factus, somnum impediat, nec animus ab eo possit ad quietem capiendã abstrahi; meditatione alterius rei, à priore animo auocato, somnus hac ratione conciliatur faciliùs, sicuti noctu vigilantes, si precibus deuotè ad Deum admodùm intenti sint obliti aliarum curarum, citiùs obdormire obseruamus. Quòd si verò molestia quædam insomnes faciat, aut in somno perturbet; vt sitis, tunc quæ eam excitant, salsa, in cœna pręsertim erunt omittenda: somnusq;, qui superueniens sitim sedare solet, erit expectãdus: si perseueret, vt suo loco dicetur, emendanda. Ita quoq; si ex repletione inquietius dormiãt, cœna parca & sobria vitium hoc emendare solet, idq; præsertim si nõ statim à cibo sumpto dormiant. Si dispnœa propter decubitum contracta, ita angat, vt dormire nõ possint, erecti sic collocandi, vt liberiùs spirare, & corpus nihilominus quiescere possit, vt in dispnœa explicabitur. Sicuti & si decubitu supino insomnijs diuexentur grauioribus, si in latete, capite magis elato, dormiant, minus grauabuntur. Si quoque dolor grauis in morbo aliquo, somnum, vti hoc est frequentissimũ, impediat, isq; alia ratione mitigari non possit, soporiferis medicamentis, cùm & stuporem inducant, eadem opera & somnũ conciliabimus, & dolorem mitigabimus: exhibitis, si maior vrgeat necessitas, potiùs, cùm sic potentius operentur: vt vino: vel si fortioribus vtendũ sit syr. de papauere: alijsque opiatis. Aut vnguentis temporibus & fronti adhibitis: quale Populeon est; Et pedum lotionibus, quæ ad somnum inducendum plurimùm quoq; possunt; sicuti in hypnoticis varia eiusmodi explicabuntur, vtemur.

Insomniorum à Spiritu per- A perturbatione spirituum, si vigiliæ vel insomnia prodeant, causa etiã auferẽda erit. Quæ si à cibo vel medicamento proueniat;

turbatione, curatio. à leguminum vsu aliorumque sursum euaporantium, erit cauendum. Si à vaporibus vel humoribus hoc accidat, quodnam excremētum vapores sursum emittat, qui humor peccet, diligenter indagando, hisce euacuandis intenti: si plethora sit, per venæ sectionem, si cacochymia per purgationes: exhibitis quoque ijs, quæ vapores reprimant: post cœnam maximè & diæta in cœna præsertim moderata, ne tales gignantur, aut ascendant cauendo, medendi scopum adimplebimus.

Vigiliarum & insomniorũ à Calida intemperie, curatio. Si cerebri calida intemperies vigilias & insomnia causet; sitq; calida quędam euaporatio à cibo, vel vino potissimũ, vt diximus, frigida in fine mensæ; vti de aceto dictũ fuit, aliaq; sumpta quæ & actu refrigerant; eam corrigunt. Quo nomine aliqui si aquã frigidam cùm dormitũ eunt, bibant, suauius dormiunt. Si verò in morbis hoc accidat, tunc ea quæ morbo sanando competunt, cùm frigida sint, hîc quoq; iuuabũt. Præsertim si soporifera & narcotica illis quæ intus forisq; adhibentur, permisceantur: sicuti in delirijs & cephalalgijs calidis explicatum fuit.

DE TACTVS LÆSIONE.

CAPVT V.

Genera.

Stupor. ENSVS tactus primùm læditur, quando aboletur, diciturq; Stupor, Narce, nõ ea ratione, sicuti cùm mentis functiones abolentur, stuporem quoq; vel stupiditatem mentis vocamus: vel cùm ex affectu animi immoderato, eos stupere dicimus, adeò sæpè, vt etiamsi vulnerentur, illud tamen non sentiant, donec ad se redierint: Sed hîc stupor propriè appellatur, cùm pars adeò sensu tactus, quo prædita erat, priuata est, vt nõ amplius obiectæ rei qualitates sentiat. Idq; vel omnino non, ac si mortua esset: vel aliàs diminutè admodum, ac si vt vulgò dicitur, obdormiuisset.

Generalis aliàs stupor est, corporis multis partibus simul eueniens. Qui frequentiùs motu simul cum sensu abolito, accidit in paralysi, in qua pars resoluta vel omninò, vel ex parte saltem stupet. Interdum antequam motus aboletur, stupor priùs inuadit, paralysimq; præcedit, in eamq; tandem desinit. Rarius stupor ille generalis solitarius inuenitur: qualem tamen, in quo corpus vndiq; stupebat, ex vinolentia accidisse, se vidisse testatur Fernelius.

Particularis stupor certis duntaxat partibus euenit, non tantùm paralysi particulari affectis: sed & non resolutis partibus, interdum in manibus, pedibus, facie; vti mihi post epidemium morbum in coxæ parte stupor iam multis annis relictus est, id nonnunquam solet contingere. Forteq; intrinsecùs in vesica & podice non tantùm, quando resolvuntur, sed & cùm sensu saltē tactus abolito, stimulũ amittunt nec ad excretionem vt eam rectè obeat, sollicitatur, id euenire, causaq; quare aliqui ad deiectionem & mictionem adeò tardi sint quandoque, vt illic dicetur, esse potest: Sed & in partibus sensu tactus præditis, quæ motu voluntario minimè mouentur, proin nec resolui possunt, vt cute, membranis, internis visceribus, ventriculo, intestinis, solitarius hic stupor, vt in alijs quę mouentur, potest accidere.

Deprauatur sensus tactus, non quando ex obiecto suo ita afficitur, vt tristis fiat sensatio, quem dolorem vocant, & ad deprauatũ sensum tactus referunt; nos verò, quia tunc obiectum suum tale quale est, & se offert, sentit, non ad deprauatum sensum, dolorem sed accidētia simplicia inter symptomata, vt suo loco dicemus, potiùs referendũ arbitramur: sed cùm falsò sentit, & veluti hallucinatur, vt alij sensus, quando putant se videre, audire, gustare, quæ talia qualia repræsentantur minimè sunt; tactum, si sic afficiatur, deprauatè sentire dicimus.

Talis est sensus ille, qui ex contactu rei alicuius, illud nõ rectè, sed in se ipsa pars aliud quid sentit: vt cùm discursum aliquem veluti formicarum per partem fieri sentiunt; vnde Formicationem hunc affectum recentiores appellauerunt. *Formicatio.*

Item alter sensus: quando aëre vel aqua, ac si summè frigida vel calida & vrentia essent, *Sensus falsus caloris* membrum

& frigoris foris intusque.

membrum cùm tangitur, affici & perfundi deprauatè sentiunt.

Quibus & noua species rarior, à me primùm obseruata aliquoties, accidit: sensus quoq; molestus, auræ vel aquæ ardentis vel frigidę, circa œsophagum & ventriculum, in deglutione maximè se manifestans: Symptoma paralyticis vel conuulsis, cùm difficultate deglutiendi, loquendi, ridendi, tussiendi, vt in illis demonstrabitur, interdum adueniens. Vel etiam sine resolutione partium istarum, tantùm sensu hoc molesto, admodum homines diuexans.

Huc & refertur sensus ardoris vehementis & intollerabilis, quo virum in malis & buccis: item mulierem in linguæ lateribus citra apparentiam aliquam, ad extremum vsq; quàm diutissimè multis annis excruciatos vidimus.

Quos sensus ad deprauatum sensum tactus; vel si hoc semistupente membro accidat, & nihilominus molestiam hanc sentiente (vnde stupidum dolorem Archigenes non adeò inconcinnè, vt à Gal. redarguitur, vocauit) ad diminutum saltem sensum tactus referre, vel compositum ex hisce affectum statuere possemus.

Hamodia.

Quo & sensum illum molestum, qui dentibus inter masticandum aliquando euenire solet, quem Hæmodiam vocant, & stuporem esse dentium putant, referimus.

Quibus quoque etsi sensus ille summi doloris, qui refrigeratis ad stuporem vsque digitis, & repentè iterum calefactis, ad radices vsque vnguium pertingens, à Germanis Kün vel Kalt potiùs Negleu / ab vnguibus vocatus, propter præcedentem stuporem, adscribi debere videatur: quia tamen hic dolor summus & perseuerans, ob repentinam mutationem, & alterationem accidit, ad dolores relegandus, illicque explicandus erit.

Causæ.

IN neruo omnis ferè stuporis veri, causa latet, Quæ in omni neruo esse potest, cùm omnis neruus sensu tactus præditus sit, eundemque parti, cui inseritur, cum influxu spiritus animalis propriæque substantiæ communicatione, vt in nostro opere Anatomico docuimus, communicet. Quo ita affecto, vt illa communicatio intercepta, vel omnino vel ex parte impedita sit, si hoc fiat in neruo, qui in musculum insertus, simul cum sensu tactus illi motum confert, & resolutionem & stuporem, vt in paralysi dicetur, simul accidere necesse est. Quod quando in generali pluribusq; partibus communicato neruo affecto fit, generaliorem quoq; læsionem multis musculis, nec dum solùm illis, sed & cuti & membranis, cum à musculorum neruis, ad has quoq; partes propagines delatæ, illis sensum tactus conferant, communem sequi oportet. Si verò in priuato aliquo neruo ad vnam tantum partem delato accidat, eam tunc saltem lædi necesse est. Sicuti vberiùs hoc in motus voluntarij resolutione, seu paralysi cùm præstantior hæc sit functio quæ aboletur, explicabitur.

Nerui motorij affectus causa Stuporis cum resolutione, vel sine ea, accidens.

Sed & ex eiusdē nerui, siue generalis siue particularis existat enarrato affectu, accidere potest, vt motus langueat vel cesset, remanente nihilominus sensu tactus vel integro vel obtuso saltem, cùm ad motum edendum maior vis spirituum, quàm ad sensum, sicuti etiam in paralysi explicabitur, requiratur.

Nerui sensorij affectus, causa Stuporis sine resolutione.

Fieri tamen quoq; potest, vt & neruo affecto stupor tantum remanente motu in parte fiat: si nimirùm neruus sensorius solùm, hoc est, qui non in musculos sed cutem aut membranam, aut alia viscera immobilia tantùm desinit, afficiatur. Quales insignes cutaneos neruos, in neruorum magnorum diuisionibus duntaxat cutem membranasq; implicare, atque ad partes naturales deductos, neruos sextæ & septimæ coniugationis, multis illis quæ non mouētur partibus, sensum tactus saltem communicare ostendimus. Aliosq; neruos sensorios à neruis motoriis musculis insertis, ad illas quoque quæ non mouentur partes ferri. Quibus sensoriis neruis vel etiam motoriis, sed extra musculū ductis, læsis, partem nunc duntaxat eam, quibus inseruntur, vel omnino, vel ex parte, prout læsio magna est, stupere contigit. Quorum tamen omnium causa eadem quæ resolutionis, diuersa sede tantùm differens, esse potest.

Nerui tam motorij quã sensorij affectus, causans Formicationem.

Nerui etiã cuiuscunq; tàm sensorij quàm motorij causa, deprauatus ille sensus formicationis dictę, cum molestia in partibus euenire potest. Tunc nimirum, quando spiritus animalis aliquandiu retentus, in stupente vel resoluto membro, rursum vi quadam & impetu, sublato impedimento, in illud recurrit. Tunc enim circa extremitatem mẽbri maximè, vt digitos, quò spiritus primo impetu vsq; perfertur, vel alibi quoque quò peruadit, pruritus & punctionis hinc inde sensus, spiritu vndiq; membrum veluti pungente & titillante, molestat: tamdiu, donec sufficiẽter eo affluxo, pars ad pristinum sensum tactus absolutum redeat. Quod & nonnunquã validè percusso aut icto neruo sensorio accidit: vti eo qui in cubiti gibbo circumflexus, ad annularem & minimum digitum excurrit: quo violenter casu impulso, duo hi digiti formicationis illum sensum aliquãdiu donec neruus compressus ab ictu rursum dilatetur, spiritusq; sufficienter trãsmittatur, patiuntur: quod & in aliis locis in neruis cutaneis potest accidere.

Nerui tam motorij quã sensorij affectus. Sensum deprauatum caloris vel frigoris inducens.

Sicuti quoque neruo frigido humore affluente imbuto, sensum auræ illius vel aquæ frigidæ (quemadmodum similem auram frigidam è dente cauo, defluxione frigida molestato exire, lingua experimur) membra quæ afficiuntur, percipiunt. Quæ etiam calida vel aura vel aqua, à spiritus calidi copia & impetu, qui neruum impeditum transire non potest, illic copiosè collecto, suo calore talem sensum præbens, simili modo, vti de frigida dictum, membrũ quod afficit, molestat. Quod vti in omnibus neruis resolutionem quoque vel stuporem adferentibus euenire potest, sic & illis, qui à 6. & 7. coniugatione, partibus vitalibus, & naturalibus motum & sensum præbent, si accidat, circa ventriculum & œsophagum occurrentem illum ardorem, vti dictum, producit. Quorum causas rectiùs in paralysi, cùm hosce affectus illa vel præcedat, vel comitetur, vel sequatur, explicabimus.

Mẽbranarum & cutis affectus,

In instrumento sensu tactus, cute scilicet & membranis, causam stuporis esse posse, cùm illarũ substantia ex neruo dilatato conflata sit, verisimile videtur: non quando calore natiuo extincto penitùs, hæ partes per gangrænam emoriuntur, sed cùm tantùm stupent, adeò vt vel nihil, vel obtusè hæc sensus instrumenta sentiant. Quod aliquando accidisse in cute totius corporis, vt iam dictum, ex vinolentia, scripsit Fernelius: in quo casu, si vinum sua narcosi, non hoc fecit, quia generalem stuporem excitauit, vt in mentis consternatione dictum, certè vis illius narcotica tantùm in cutis sensu abolendo se manifestauit: quod tamen quin & cerebri & neruorum quoque vis obtundatur simul, à vino vel alijs narcoticis fieri, vix potest: idcirco post solutam ebrietatem, fortè ob frigiditatem aëris externam, in quo attoniti sæpè ebrij iacent, huic quoque ebrio, cute sic obstupefacta, accidere potuit: cùm frigus extrinsecùs diu perceptum, talem stuporem in cutis aliqua sede, quæ frigus hoc sustinuit, fortè aliquando excitare posit. Vix enim aliàs à causa interna hoc potest euenire: quomodo verò elephanticorum cutem insensilem & stupidam, adeò vt puncta quoque non sentiat, ab interna aliqua causa & morbo cutis reddi, hactenus creditum sit: qua ratione id verum, in elephantiasi sumus declaraturi.

Stuporẽ sine resolutione procreans.

Sed neque ab externo narcotico cuti applicato, eam stupidam aut indolentem reddi posse, licet, vt certi aliquid cognoscerem, massam opij emollitam parti podagricæ dolenti, sed sine fructu applicarim, vnquam deprehendere potui. Quod autem hoc ex contactu torpedinis fieri posse, non solùm manu apprehensa, sed & si remo piscatoris tangatur, manum illius obstupescere, pro vero scribunt, ego cùm tale quid Monspessuli, vbi torpedines tractant & comedunt, nihil obseruarim, pro vero affirmare non audeò. Quapropter rarum hunc affectum esse, & qui vix accidere posit, vt cutis sola, membro cui obducitur non simul ob nerui affectum stupente, insensilis fiat, dicimus. Nisi fortè, quando ob impedimentum, quòd cuticula crasior & callosior, quàm vt sensum verum alicuius rei exactè percipere posit, occasio præbetur,

tur, causam stuporis illius, qui tamen verè stupor minimè est, dicere velimus.

Membranis quoque intrinsecùs affectis, neruis non simul læsis, vix stupor, illarum tantùm causa, potest accidere.

Neruorum circa dentes affectus, causam Hæmodiam. Sed neq; qui dentibus accidit stupor, vel potiùs molestia in Hæmodia, à dentibus solùm, cùm sensu tactus vti reliqua ossa destituantur, existit: sed quòd dentibus; esu acidorum & frigidorum, quæ & tenuitate sua & frigiditate dentibus & neruis inimica sũt, nimiùm exasperatis & refrigeratis, & membranæ sensilis cum radicibus ipsorum continuatione, qua fit vt dens ipse sentire videatur, similis intemperies per contactum, ei sedi qua dentes tangunt, imprimatur, & sic sensu ipsorum immutato, accidit, vt cùm dentes inter masticandum presi, illa veluti tumescentia premunt, inde sensus ille molestus exurgat, quem Hæmodiam vocant.

Curatio.

Stuporis à quacunque causa curatio. STuporis curatio, cùm alia secum & plerunque grauiora symptomata coniuncta habeat, quæ ab eadem causa proficiscuntur, in illis, ne bis eandem curam repetere necesse sit, potiùs explicabitur. Vt si fiat neruorum vitio, vti omnem stuporem illorum causa accidere diximus, & resolutio quoque adsit, eadem vtrisque, vt in paralysi explicabitur, cura debetur. Vel liceet ea nondum adsit, sed solus stupor partem tentet, quia tamen ab eadem causa vt & paralysis proficiscitur, vnde stuporem, diminutam vel imperfectam paralysim vocant, eadem opera illic quoque cura illius describetur.

Cuius curationis summa hæc est. Vt si ab humore fiat, euacuetur: Si à sanguine, sanguinis detractatione reuellendo & deriuando: Si à pituita vel alijs excrementitijs humoribus, purgantibus generalibus & particularibus eam expurgando: Si ab alia aliqua causa externa, illam ante omnia remouendo: Alterantibus item neruosum genus reficiendo & roborando.

Dein vt spiritum animalem ad partem stupentem, quæ eo destituitur alliciamus, atque attrahamus, actu & potentia id agentibus. Qualia in paralysi & atrophia quoque cùm sanguinem simul alliciant, explicabuntur: inter quæ præcipua hæc in membro stupido sanando vsurpantur.

Frictione partis stupentis, manu, adhibitis quoq; pannis calidis: Cucurbitularum applicatione, cum multa flamma: Picatione item sæpiùs iterata: Alijsq; dolorem inferentibus, spiritus allicimus.

Vsurpantur quoq; Sinapismi rubificantes, parti affectæ admoti; Illinitiones oleis calidis varijs, inter quæ præsertim illud in quo semen Vrticæ coxerit, item Thymus, Ruta, aliaque neruis appropriata commendantur, alijsq; vnguentibus quibus in atrophia vti solemus, hîc quoq; vtimur.

Fotus & balnea ex Aqua calida, tepidiore primùm, mox calidiore, sensim calorem augendo, conueniunt: quibus Vinum & Lixiuium interdum addimus: sæpeq; in eo Thymum, Rutam, Saluiam, Chamomil. Seminaq; calida decoquimus.


Cataplasma ex Stercore columbino, anserino, additis baccis Lauri: item oleis & axungijs calidis herbisq;, probatur.

Calcatio racemorum, si pedes stupeant: Aut si in aceruum vinaciorum recentium feruentium membrum stupidum intrudatur: aut in musto immergatur, pro singularibus in stupore auertendo remedijs habentur.

Quæ quoq; iam enarrata topica remedia, si à nimia refrigeratione cutis subiectorumque neruorum stupor fieret, vniuerso corpori adhibita prodesse possent.

Formicationis & Sensus falsi caloris & frigoris curatio. Quòd si deprauatus vel diminutus sensus tactus in formicatione dicta; aut sensu auræ illius vel aquæ oriatur, cùm & hic stupor aliquis sit, eadem ratione curabitur.

Hæmodiæ curatio in dentium dolore explicãda. Vti & Doloris circa vngues. Si verò in deprauato eodem sensu, dolor stuporem exsuperet, vt in dentium stupore quem hæmodiam vocant: vel in digitorum dolore ad vngues pertinente, vti dictum, in doloribus earum partium, quæ affliguntur rectiùs curatio explicabitur.



DE

DE GVSTVS LÆSIONE.

CAPVT VI.

Genera.

Defectus gustandi.



GVSTVS deficit, cùm rerum sapores vel omninò non, vel diminutè, instrumentum gustatoriũ sentit. Quod cùm sensu tactus simul præditum sit, eundem vel simul amittit cum gustu: vel gustus tantùm, remanente sensu tactus, labefactatur.

Deprauatus vel falsus gustus.

Deprauatio sensus gustus fit, cùm rerum sapores non tales quales sunt sentit, sed ac si alterius essent saporis, quàm reuera sunt, ea percipit. Vt cùm ea quæ gustat, siue insipida, aut alimentosa, aut medicamentosa sint: dulcia, salsa, amara, acida, acerba, cùm tamen talis illorum sapor reuera minimè sit, esse putat.

Causæ.

CAusa gustus læsionis rariùs in neruo, nisi cerebrum vnà læsum, vt in apoplexia dictum est, omnium sensuum abolitionem gignat, de qua iam actum, latet: sed frequentius in instrumento sensus gustus: tunica nimirùm communi os succingente; maximè illic vbi linguam inuestit, palatumque succingit: Si illa vel nimiùm exiccetur; vel limo obducatur; aut humore vel vapore alieno imbuatur.

Exiccatio tunicæ os succingentis, causa Defectus gustus.

Si exiccetur & induretur nimiùm, in asperitate & scabritie dicta, tunc gustus impeditur, vel deperditur, vel imminuitur: adeò vt res omnes illis insipidæ & ligneæ, vti conqueri solent, esse videantur: cùm ad sensum rectè percipiendum mollities decens & humiditas requirantur.

Proficiscitur autem hæc, ab inspiratione seu attractatione aëris, non per nares (cùm sic naturaliter per narium amplitudinem mox asperam arteriam subiens aër, internaq; oris non attingens, ea minimè exiccare posit) sed quando ore aperto hauritur. Tunc humiditatem linguæ & faucium absorbens, eoque magis si calidus simul & siccus existat, partes illas exiccat, duriores & asperas & ad rectè gustandum ineptas inutilesque reddit. Quod vt vigilantibus, sic præsertim dormientibus, ore aperto, & sanis & ægris solet accidere. Vel ex consuetudine mala: Vel quòd naribus obstructis, cùm via respirationis naturalis, vel omninò vel ex parte interclusa sit, per os aërem, vel omnem vel pleniorem, si per nares non sufficienter subeat, attrahere coguntur. Quod & accidit, si corpore nimium accenso, maiori quoque, quàm solæ nares admittere possint, aëris inspiratione opus habeant, vt eam tunc & naribus plenis, quæ ad inspirationem eo nomine se tunc pandere solent, & ore diducto dilatatoque hauriant. Vti illis qui se calidioribus cibis implerunt inter dormiendum euenit. Et in morbis calidis, internis inflammationibus & febribus, linguæ ariditas, frequens symptoma existit. In quibus non tàm inspirationis necessitas quàm etiam expiratio calida à morbis illis calidis accensa, nec tantùm nares, sed & fauces peruadens, partes illas vehementer exiccat, nigroque vel viridi aut flauo colore inficit.

Exiccatio tunicæ os succingentis cum nigredine, causa gustandi Defectus.

Quæ linguæ, faucium, nariumque ariditas, ab ęgris ipsis cùm de iis admodum quoque conquerantur, persentitur: & chirurgus contactu & visu facilè potest cognoscere. Quæ & adeò sæpè inualescit, vt lingua fissa non solùm in longum, sed & transuersim scissa appareat. Et cùm hasce ob causas malè verba proloqui possint ægri sæpè balbutiant: Vnde Medicus hosce linguæ affectus, antequam eam inspiciat, coniectura nonnunquam assequitur.

Limus tunicæ os succingentis, causa Defectus gustus.

Limo appellato si obducantur lingua vel fauces, quominus ex contactu rerum sapores exactè percipiant, interposita hac materia insensili, impediunt; adeò vt nullius saporis ea quæ gustant illis esse videantur.

Generatur autem hic limus ex saliua naturaliter alioquin fauces irrigante; sed tunc, illis præsertim in locis vbi faucibus adhæret, vel ob permixtionem alterius rei crassi-

crassitiem adipiscente. Exiccatur enim iisdem de causis, à quibus & tunicam succingentem arescere diximus: vnde & faucium ariditas & limi huius copia, maximè in lingua sæpè in iisdem causis & morbis concurrunt, & gustui tunc magis quoque duplicata causa incommodant. Permistione autem saliua crasescit illic, ob vaporem à prima concoctione sursum continuò euaporantem, linguæ, faucibus & dentibus (quibus limosa hæc & tandem in tophum conuersa adnascitur materia) adhærentem, saliuæq; permixtum, coloreque vario nonnunquam & fœtore partes illas defœdantem. Quod in sanis etiam, præsertim si noctu ore clauso penitùs, ita vt euaporare nequeat, vapor ascendens, dormiant, & os manè non eluant, accidere solet; vnde limo hoc albo plerumque partes enarratæ successiuè inficiuntur: & in ægris conditionem putridorum & malignorum humorum referens, nunc albus pultis instar, nunc subflauus, nunc niger, linguam fauces dentesque afficit & commaculat. Sed & ex pituitæ commistione saliua tenacior facta, hisce partibus veluti adglutinata, hæret: quòd & sanis ex defluxionibus frequenter accidit: aut ægris, interdum illius causa tantam viscositatem acquirit, vt ægrè elui, vel abradi posit. Et ab alimentis tenacibus, viscositatem aliquam, qua partibus dictis accrescit, quoq; desumit.

Facileq; ex colore illius & substantia hic limus, & ex hoc affectus, vnde procedit, cognoscitur.

Imbutio linguæ, causa Deprauati gustus.

Imbuitur quoque tunica os succingens gustui destinata, humore & vapore, alieno sapore præditis: quem quamdiu persentit, alia quæ illi offeruntur gustanda, rectè sentire & qualia sunt dijudicare nequit, sed illa quoque illius saporis quo iam affecta esse putat.

Fit hoc nonnunquam ab assumptis quibusdam, quorum sapor adeò gustui imprimitur, vt non tam citò cedere aliisque saporibus locum dare posit, vt illis commixtus, falsum quoque rei saporem gustui offerat. Quod ingrata, sæpè si assumantur, faciunt: vel quæ sapore vehementi gustum admodum afficiunt: Vt cùm ægris, alimentoso sapore præditi cibi, quos fastidire plerumque solent, offeruntur, & per vim quasi intruduntur, tunc quicquid etiam alterius saporis postea capiunt, alimentosum hunc saporem habere, vel redolere sibi persuadent: & cùm dulcia febricitantibus plerumque ingrata, illis exhibentur, omnia postea dulcia esse iudicant. Sed & in sanis, vehementer amara, salsa, austera, gustata, diutiusque inhærentia, reliquorum quæ sequuntur saporem immutant. Hinq; fit, quòd post caseum putrem, post acetum in acetarijs, assumpta, si superbibant, vinum non quale est, sed vel amarum, vel alijs magis dulce, pro naturarum diuersitate, esse videatur.

Ab interna causa proueniens alienus sapor, gustum etiam deprauat, si vapor vel humor talis tunicæ quæ gustum percipit, se insinuet. Hincque fit vt interdum dulcia omnia quæ gustantur, esse existiment, si pituita dulcis, vel ab alimento è ventriculo ascendens vapor dulcis & alimentosus tunicam dictam imbuat. Et si à chylo, quem semper acidum esse alibi docuimus, vel cibo semicocto, aut assumpto vino acido, eructans acidus vapor, vel vomitu ad os vsque sursum eleuatus, acido sapore os inficiant.

Vel à sero aut pituita salsa eò defluente, salsus sapor, dictis partibus quoque imprimatur.

Aut cùm os amarescit adeò, vt & omnia quæ gustat amara quoq; esse iudicet: quod bilis causa, si in ventriculo collecta sit, communione quadam cum os succingente tunica, quæ ventriculum quoq; inuestit, sæpe numerò euenit.

Tum in sanis pycrocholis, si ieiunio longiore eò rapiatur, aut ira concitata eò effundatur: vel alijs in morbis biliosis & febribus, vel copia redundans, aut calore efferuescens, in ventriculum se exoneret: vel illic ex assumptis bilem generantibus, aut in bilem corruptione desinentibus, generentur.

Curatio.

AFfectus hic si per consensum à neruis aut cerebro proficiscatur, communis illi cura cum apoplexia aliisque neruorum resolutionibus, quæ tunc simul adsunt, erit. Si verò per idiopathian instrumentum gustatorium, linguæ & faucium tunica, afficiatur, illudque vel arescat, vel limo obducatur, vel sapore alieno imbuatur, hisce indicatio curandi accommodabitur.

Defect⁹ gustus ob Ariditate tunicæ oris, curatio.

In ariditate causa primùm erit auertenda. Quæ si ex consuetudine praua, quòd ore aperto dormiant, nascatur, desuescendo erit immutanda. Imprimis si naribus obstructis sic respirare cogantur: tunc capite altiùs collocato, & subiecto puluino eleuato, si dormiant, quod narium amplitudo tunc magis dilatata sit, liberiùs aërem sic attrahere posse experientia docet. Et si mucus aut pituita nares obstruat, per errhina erunt expurganda. Quòd si viuendi ratio calidior siccitatem hanc adferat, salsis & calidioribus cibis abstineant: vinum benè diluant: acetarijs in cœna præsertim, ex Lactuca, Cichorea & similibus vtantur: nec alia ratione corpus nimiùm accendant. Dein ne aër os frequenter subeat illudque siccet, parùm loqui debent, rariusque expuant: cùm saliua diu retenta, quia glutinosa est, linguam potissimùm humectet, & si exiccata sit, rursum leniat. In interno aliquo morbo calido præsertim, vt febribus ardentibus & continuis, si hoc accidat, ad febris incendium restinguendum, curatio potissimùm dirigetur: & imprimis tunc cordi, hepati, partibusque vnde calor maximè exsurgit, epithemata frigidiora frequentiùs erunt adhibenda.

Oris tunicæ postea remedia accommodabuntur, asperitatem hanc mollibus, glutinosis & pinguibus leniendo & humectando. Quæ vel in ore contineant, masticent, lambant; vel iis os colluant; aut si non possint, lingua ipsorum, digito vel bacillo adhibito illis illinatur.

Pruna, Tamarindi, Sebestena, qualia siccata asseruantur, si rursum emollita leui calore, ore retineantur, grato sapore leniendo, hoc vitium corrigunt.

Poma recentia incisa, masticata parùm oreq; retenta, idem præstant: vti & Melonum, Cucurbitarum, & imprimis Anguriarum caro & succus.

Portulaca recens, quemadmodum dentium asperitatem, comesta, statim corrigit, sic & fauces plurimùm lenit: quòd & Lactuca ore retenta, masticataq; facit.

Quæ actu refrigerant, si ore contineantur, calorem extinguendo siccitatem corrigunt: vt Aquam frigidam, & Lapides; inter quos Crystallum peculiare quid adferre credunt.

Lambenda quoque, vel ori ipsorum indenda sequentia remedia, linguæ & faucium siccitatem sua mucilaginositate emendantia.

Vt: ℞. Albumen oui num. j. probè agitetur cum Saccharo donec albescat. Vtatur.

Vel sic: ℞. mucilag. semin. Cytoniorum & Psyllij, extractæ cum Aqua ros. ana ℥. ß. syrupi Violacei ℥. j. misceantur probè.

Aut: ℞. prædictæ Compositionis ℥. j. cui quoq; mucilaginis sem. Pomorum addere potes, & sem. Maluæ ℥. ß. infus. gummi Tragach. in aqua Rosarum ℥. ß. Sacchari candi (præsertim si impura quoque sit lingua) Mellis ros. ana ʒ. ij. misce.

Has compositiones paulò spissiores factas in sacculis latis exceptas & sæpè aqua Rosarum madefactas, linguæ imponere, sicq; retinere aliquandiu poterit. Vel in hisce liquoribus panni madefiant, & simili modo applicentur.

Quod & in hoc decocto fieri poterit: ℞. Prunorum dulc. num. vj. flor. Violar. p. j. (quia glutinositatem habent) Hordei mundi ℥. j. sem. Cyton. ʒ. ij. Psylli ʒ. j. gummi Tragach. ʒ. ß. decoquantur in Aqua: ad vsum dictum: addendo parùm Mellis vel Sacchari.

Vnctuosa nonnihil, sed ex gratioribus parata, siccitatem hanc egregiè contemperant, eodem modo administrata.

Quale hoc est: ℞. Butyri recentis vel illius loco, olei Amygdalarum dulcium recenter expressi, quantum sufficit, Sacchari albi

albi vel candi vel rof. tab. agitetur: Et lābat.

Vel fic: ℞. Album oui num. j. Amyli ʒ. j. Lactis q. f. agitentur probè: bulliant parùm donec puls fiat: adde Butyri recentis, æquas partes, Sacchari albifs. q. f. fiat Meyennus Germ. dictum: Quo vtatur.

Axungia Gallinæ vel Capi parum cocta vt gratior fit, idem præftare poteft.

Syrupi, vt Violaceus, Iuiubinus aliíve, fic lambi oréve retineri poffunt.

Collutiones oris ad hunc vfum, ex iifdem diffolutis fieri poffunt.

Vel hac ratione: ℞. fyrupi Violacei, Iuiubini ana ℥. j. ß. decoctionis Hordei mundi ℥. iiij. Vtatur.

Vel fic: ℞. foliorum Portulacæ & Lactucæ recent. ana M. j. florum Maluæ autumnalis, Cynocephali, Hordei mundi ana P. j. radic. Liquiritiæ ℥. j. feminum Pfyllij integri ʒ. ij. fem. Papau. albi ʒ. j. decoquantur in Aqua: & in ℔. j. diffolue, Albumen oui agitat. num. j. fyrupi Viol. vel Mellis rofar. col. ana ℥. j. Vtatur.

Lacte frigido frequenter os abluere, butyrofo præfertim, admodum conuenit.

Defectus guftus, ab Ariditate linguæ cum nigredine copulata, curatio.

Quòd fi verò ficcitati nigredo, viriditas, flauities copulata, à vaporibus malignis linguam quoq; infectam effe fignificet, malum eft indicium, eoq; magis, fi calor infuper accedat. Tunc primùm illis, quæ febri ardenti malignæ aut peftiferæ debentur, adminiftratis: frigidioribus malignitatemq; reprimentibus, præfertim acidis erit vtendum: additis femper quibufdam, ne nimiùm exafperent, lenientibus. De quibus in faucium inflammationibus quoq; agemus: Quibus & fequentia adjicimus.

Acidos fructus ore contineant mafticentque: vt ex Malis medicis, arantia, limonia, citria: vel Punica, Pomáve alia: Pruna, Cerafa, Ribes & Berberis racemos. Et ex herbis Acetofam, Lactucam, Portulacam: fed in Aceto vel Succis acidis priùs macerata: vel in Acetarijs, vti & flores Cichoreæ, Violarum, cum Aceto: & fimilia.

Abluant dein os frequenter Aceto rofaceo in Aqua diluto. Vel aqua Acetofæ.

Item brodio acido, Conditurææ illius braffìcæ, & raparum, quam noftri tanquam cōpofitum Gumpift vocant, illiusque liquore acido, vel crudo vel priùs deftillato vtuntur: quod ad hæc præftantifsimum vfu cōprobatum, noftrorum Chirurgorum eft remedium.

Aquæ puræ fi tantillum Camphoræ addatur, accommodum quoq; erit remedium.

Vel paretur hoc modo: ℞. aquæ Rofar. ℥. iij. aquæ Solani ℥. ij. Album. oui agitati num. j. Camphoræ diffolutæ in Aceto ℈. ß. mifce.

Vel talis Iulepus: ℞. fyrupi Acetofi fimpl. ℥. ij. Oxymel. fimpl. ℥. j. aquarum Rofar. Viol. Nenuph. ana ℥. iij. mifce.

Aliqui hoc valde laudant: ℞. aquæ Sedi maioris: cui adde Salis ammoniaci, tantillum.

Poft horum tamen vfum ad ea quæ leniunt fimul, femper erit accedendum: qualia iam dicta funt.

Inter quæ & hoc præ cæteris commendatur: ℞. medullæ feminis Cucurbitæ, Mannæ felectæ, Sacchari candi ana ʒ. j. cum Oxymell. fimpl. fiant formulæ: Quas ore contineat.

Reliqua remedia, præfertim fi calor accedat magnus & veluti inflammatio, in faucium inflammationibus explicantur.

Defectus guftus, à Limo tunica os fuccingentis, curatio.

Limus fi linguæ & faucibus adnatus guftui incommodet, & tenacitate fua & fœtore moleftiam quoq; adferat, caufa primùm tollenda erit.

Quæ fi ab affumptis glutinofis tantùm proueniat, os poft cibum fumptum femper abluendo, donec ciborum horum reliquiæ, vel fuccus craffus, quæ adhæferunt eluantur, facilè cauebitur.

Idem quoque manè femper poftquam furrexerunt, faciendum: fi vel hanc ob caufam, vel ob vapores à cibis noctu eleuatos talis fordities collecta fit, dentesque diligenter abftergendi, & fricandi erunt: ficuti in illorum vitijs quoq; explicabitur.

Et vt pauciores minusque crafsi vapores exurgant, cœna vt fobria fit, procurandum erit.

Et ne in ore retentæ hæ exhalationes, fucceffu temporis dictis partibus accrefcant, ore parùm aperto dormire cōfuefcere

oportet: quod cùm aliqui non sint assueti facere, interposito panno, vel cannula in ore retenta, vapori exitum præbere debent.

Pituita si hanc tenacitatem in saliua pariat; illius affluxus diuertendus erit; illaque screatu propulsanda expuendaq;: præmissis si ægrè cedat, collutionibus mox dicendis, eam incidentibus & abstergentibus.

Si verò causa morbúsve calidus, febris acuta, maligna, siccando vel vapores tetros sursum emittendo saliuamq; sic incrassando limum hunc crassum tetrum gignant: morbi primùm habita ratione & causæ, vti iam supra dictum fuit, topica tùm in hac tùm alia causa perseuerante, parti affectæ, vt sequitur, adhibenda.

Ex ore itaq; à lingua potissimùm, dentibus, gingiuis & faucibus limum hunc, si admodum abundet, auferimus: iis quæ vim abstergendi, & si tenax sit admodùm, incidendi quoq; habent: quibus & lenientia, ne linguam exasperent, præsertim si sicca quoq; sit, permiscentur: actu simul agentibus adhibitis: eam subinde interim abluendo, & si non facilè cedat, abradendo.

Colluitur os, abstergentibus: vt Hordei integri decocto.

Item Sero lactis cum Melle & Saccharo.

Vel sequenti: ℞. Hordei integri, Pisorum rubrorum, vel Cicerum ana. P. j. radic. Liquirit. ℥ j. Ficuum par. x. flor. Maluæ autumnalis P. j. fiat decoctio: & in ℔. j. dissolue Mellis vel Sacchari ℥. ij.

Post collutionem, Saccharum candum ore contineat, vel Saccharum rosar. tab. vel Manus Christi: vel parùm Mellis rosacei lambat.

Si maiori abstersione & incisione opus est, calidiora quædam & acida quoque si pituita summè tenax sit, adduntur.

Vt: ℞. Hordei, Cicerum ana P. j. Liquiritiæ ℥. j. ß. fol. Saluiæ, Maioranæ, Hysopi ana ʒ. ij. semin. Cytoniorum ʒ. j. fiat decoctio in Aqua & Vino albo: adde Mellis rosl. ℥. ij. Sacchari candi ℥. j. Vini granatorum vel Aceti parùm: misce, Fiat oris collutio. Si addas tantundem Alumnis, vel etiam bona quantitate, quando admodum tenax est, potentissimè absterget.

Vel: ℞. aquarum Rosf. Plantag. Solani ana ℥. ij. aquar. Saluiæ, Maioranæ ana ℥. j. Oxymel. simpl. ℥. ij. Aceti albi parùm.

Capiat frequenter cochlease vnum Oxysacchari vel Hydromellitis, vel Oxymellitis simpl. aut squillitici, si summa adsit tenacitas: & post tempus aliquod os colluat, rursumque syrupos repetat: quibus nisi cedat, Aluminis portio hisce permiscenda erit.

Vel etiam Acetum squilliticum dilutum, ore continendum: quo tenacissimam materiam quæ nullo pacto auferri priùs poterat ex ore tandem cessisse, nonnunquam obseruaui.

Abradenda quoque materia hæc, si pertinaciter adhæreat: ita tamen ne nimiùm linguam exasperemus, si præsertim sicca admodum & fissa sit, in quo sæpè chirurgi delinquunt.

Fit autem hoc fricando linguam, vti & dentes, palatum, digito vel instrumento ad hoc apto, linteo panno obuoluto, & in collutionibus supradictis intincto. Quod & foliis Saluiæ, Menthæ simili modo madefactis commodè quoque fit. Instrumento item rotundo vsitato ex salicibus parato, vel argenteo, cuiusmodi Chirurgi habent, sensim per linguam ducto spurities illa abraditur: sæpè interim os abluendo, rursumque mox linguam inunctione leniendo. Sed & sæpè adeò tenax est pituita, & crassus pultis instar limus, vt & manibus apprehendi queat, sicq; eximi possit, vel trahi, eoq; pacto cedere cogatur.

Deprauati gustus à lingua Imbuitione curatio.

Vapor humórve si linguam sapore alieno imbuat, & oppleat, vt alia minimè vel sinistrè sentiat; causa quoque declinanda primùm erit.

Quæ si ab assumptis procedat, cùm affectum longiùs perseuerantem minimè inducat, & sponte cesset, negligitur: vel contrariis, vt iam dicetur, facilè emendabitur.

Si verò ab interno affectu hoc nascatur: vapore tetro vel humore bilioso, alimentario, illic congestis: ad hosce humores euacuandos, & morbos sanandos, curandi intentio dirigitur.

Quòd

Quòd si verò sapor ille aduersus, causa sublata minimè cesset, sed diutiùs perseuerans, & sanis alioquin vel ægris molestus sit: contrario sapore, per exhibita, conciliato, priorem qui molestabat, vel tollimus vel emendamus.

Sic dulcis sapor, tàm alimentosus quàm qui reuera dulcis est, febricitantibus & alijs ægris plerumque valde aduersus, qui tamen sanis alioquin gratissimus est, corrigitur acidis primùm, quæ illum non tantùm emendant, sed & appetitum simul, quem dulcia tollunt, adferunt, & sitim quam dulcia augent, tollunt: Quæ acida in ore contineant, lambantque, inter quæ Cerasa acida, qualia siccata asseruari solent, rursumque emollita, aliaque multa eiusmodi, quæ in siti explicabuntur, oris hanc insuauitatem nauseosam admodùm emendant.

Quam & amara, quibusdam naturis magis accepta, præsertim si odore suaui quoq; constent, vt Asynthium præcipuè in vino, quod maiorem adhuc illi addit gratiam, similiter corrigunt.

Sicuti & amarus rursum sapor diutiùs gustui inhærens, dulcibus vel acidis quoque, quæ & illorum quæ fauces aliàs inflammant vires retundunt: & insipidis etiam, emendatur.

Quibus & salsus sapor cōtemperatur. Vti vicissim salsus sapor insipidis retunditur.

DE VISVS LÆSIONE.

CAPVT VII.

Genera.



ABOLETVR penitùs visio quibusdam, adeò vt omni tempore & semper nihil videant: diciturq; Cæcitas. In qua specie si nullum vitium in oculis appareat, quod visionē impedire possit, & oculis apertis & serenis cæci sint, Amaurosis appellatur. Nam si macula, vel tunica, vel humor, circa nigrum oculi apparens cæcos reddat, priuatum nomen à causa, vt in causis dicetur, obtinet.

Cæcitas.

Amaurosis, Cæcitatis species.

Aliàs verò certo tantum tempore visum amittunt, qui tamen mox iterum redit: nullo impedimento tunc quoque in oculis conspicuo. Vt cùm à causa externa ob splendorem vel tenebras, nimia, vel subitanea oculis oblata, aliquandiu excæcatur. Et cùm ab interna euaporatione oculi ambo ita obtenebrantur, vt visio impedita, primū veluti nubecula vel fumo obstante, per quæ minuta quædam corpora, interdum colore rubro, flauo vel atro tincta discurrere videtur, mox omninò aliquandiu tollatur, in affectu, qui Scotoma dicitur.

Scotoma, Obtenebratio, Cæcitatis species.

Imminuitur nonnunquā saltem visus in aliquibus, quando rerum species quas naturaliter visus alioquin assequi deberet, vbicunq; & quandocunque, non benè vel obscurè vident; idq; plerumq; nulla quoq; causa in oculis se offerente: atq; Amblyopiam: id est, Visus obscuritatem, hebetudinem vel caliginem vocant. Licet aliqui, si oculi vitio manifesto diminutè veluti tenebris offusis videant, Hebetudinem, propriè magis dici existiment: & in senibus hoc vitium Caliginem vocent.

Amblyopia visus imbecillitas.

Caligo, visus imbecillitatis species.

Huc & refertur visionis ea imbecillitas, cùm visus res propinquas nō meliùs quàm dissitas, vt naturaliter fieri deberet; sed vicinas oculis minùs, quàm distātes assequitur: & proin cùm res minutas cernere volunt, aut legere, procul ab oculis ea remouere coguntur. Vitium senescētibus familiare; quod cùm perspicillo idoneo emendari possit, eo in rebus minutioribus apprehendēdis continuò vtuntur: ob quam causam Senum visionem appellare soleo.

Visus res distantes rectiùs quàm propinquas percipiens.

Accidit verò & contrario modo, vt aliqui res dissitas, nondum tamen adeò, vt eas sani quoque ob nimiam distantiam sufficienter videre nequeant, sed exiguo tantùm spatio, licet magnæ quoq; sint, rectè dijudicare minimè possint: vnde sæpè vicinos nō cognoscentes, insalutatos prætereunt: picturas, scripta, nisi oculis appropinquent, nec cernere decenter, aut legere possint: nisi perspicillo huic vitio corrigendo accommodo, vtantur. Iuuenibus ab ortu plerumq; innatum, & ad extremam senectam vsq; permanens; qua appropinquate, interdum fit, vt res distantiores quas minùs in iuuenta vide-

Visus res paulò distantiores nō rectè discernens.

bant, vt nunc meliùs cernant, & quantum huic accedit, tantùm propinquæ tunc visioni decedat: quam speciem ego proin Iuuenum visum dicere soleo.

Visu res nisi oculis omnino ppinquæ sint, non rectè dijudicās, Myopia.

Verùm & ex his, qui res nonnihil remotas minùs vident, alioqui inueniuntur, qui nisi res paulò minores aut scripta oculis omnino adhibeant, & naso, vt vulgus loquitur, attingant, rectè discernere aut legere nequeant: nonnihil limis & clausis oculis ea intuentes. Qui ab incunabilis ad seniū vsq; plerumq; hac ratione videntes, Myopes appellantur. Ex quibus alij perspicilli opera quoque, alij minimè iuuantur.

Nyctalopia.

Occurrit & alia vidēdi debilitas, quando noctu ad accensæ flammę lumen parùm aut ferè nihil vidēt, interdiu verò in diei luce nullum impedimentum visionis sentiunt: quos Nyctalopes, Latini Lusciosos nominant.

Vespertina acies.

Sed & in quibusdam accidit, vt noctu in tenebris sine lumine acutiùs quàm interdiu videant: vti noctuæ. Rara affectio: quam Vespertinam aciem vocāt: malumus enim nomina ea quæ vsitata sunt, resque rectè designant retinere, quàm ea inter se, vti ferè faciunt, vno nomine plura significantes, confundere.

Hallucinatio.

Deprauatur visio primùm, cùm res aliter quàm reuera sunt, illi repræsentātur. Vt si ea quæ simplicia sunt, pro geminis cernunt, vti ebrijs aliquando accidit, qui recta pro curuis, alióve modo res formatas falsò intuentur: quod vitium Hallucinatio dicitur.

Imaginatio.

Secundò si res quæ non sunt se videre existiment, & sibi imaginentur: vnde hunc affectum Imaginationem vocant. Veluti accidit cùm in mentis alienatione & delirijs, vti illic dictum est, varia spectra, qualia per insomnia aliàs occurrere solent, vigilantes cernere: aut muscas, culices, volitare, festucas, floccos rebus adhærere, se videre existimant. Quod & minimè mente captis, neque aliàs ægrotantibus, interdum euenire solet, vt vni oculo vel ambobus quoque simul, eadem insecta, aut flocci & filamenta lanarum, telæ aranearum, ac similes res minutæ & atomi, obuersari videantur. In quibus quia plerumq; nubeculam quoque se videre putant, hoc vitium Nubecula appellatur.

Nubecula, Imaginationis species.

Colores, Imaginationis species.

Tertiò, huc falsa visio pertinet: quando, citra mentis quoque læsionem, colores alij quàm sunt, visioni occurrunt: nunc rubri, nunc flaui, nunc virides, alióve modo, se plena luce repræsentantes: vel ijdem in ambitu & veluti circulo flammæ candelæ aut alterius rei accensæ, iridis instar, coloratæ apparent. Aut splendor fulguris modo, aliáve lucentia corpuscula visionem obfuscant.

Splendores Imaginationis species.

Vertigo, Dinos.

Quartò ad visionis deprauationem, hæ quoq; referendæ erunt: quando res quas intuentur, etsi firmæ & stabiles sint, eas tamen circumagi, in gyrum agi aut rotari, vel aliter inclinare & subuerti existimant: ita vt licet falsam hanc esse imaginationē cognoscant, tamen cùm ex illa rerum circumuersione, visus firmam qua corpus subsistere posit sedem non amplius cernat, illud quoque titubat & vacillat. Nonnunquam etiamsi pauimentum cui insistit inuerti illi videatur, ac si quoque simul inuerteretur, nisi sustineatur aut retineatur, cadit, subitoq; corruit, & pedibus dum se retinere cupit, terrā pulsat. Integris omnibus nihilominus sensibus: quo signo hoc vitium quod Dinos, Vertigo dicitur, ab epilepsia, apoplexia, syncope, quibus perculsi, statim quoq; prosternuntur, facilè distinguitur.

Vertigo cū Imaginationibus.

Sed & præter hanc in vertigine laborantibus inquietam visionem, accedit nonnunquam & alia illius deprauatio, quam imaginationem & nubeculam vocauimus (eoque nomine imaginationes hasce, incipientem vel paruam vertiginem, nominarunt) nube vel alijs corporibus vel coloribus simul quoque visioni occurrentibus. Quod tamen si eueniat, plerumq; vertiginē solet præcedere.

Vertigo cum obtenebratione Scotodinos.

Nonnunquam quoq; obtenebratio visus, quam scotoma superiùs vocauimus, vertiginem comitatur: cùm clausis etiam oculis nihilominus omnia ac si circumuerterētur sensui interno offeruntur, & tunc affectus ex vtrisque compositus Scotodinos appellatur.

Quæ omnes visionū deprauationes, nullo vitio in oculis conspicuo plerunque (nisi in ea, quando color alienus, quo oculos reuera extrinsecus coloratus est, interdum apparet, offertur) siue in sanis siue ægris hoc fiat, eueniunt.

Causæ.

Causæ.

Sedes affecta.

OMnium visionis enarratorũ accidentium causa, vel in parte vim videndi deferente, cerebro scilicet, existit. Vel consistit in instrumẽto recipiente vim illam & rerum simul externarum species, oculo: qui cùm ex longè pluribus quàm reliqua sensuum organa constet partibus, & humoribus simul, in singulis aliquæ causæ visioni incommodantes suboriri possunt.

Primùm in neruo visorio, seu retiformi, oculo implantato, & præcipuo visionis instrumento. Dein in humoribus tribus, oculum adimplentibus, neruoq; visorio inseruientibus. Postremò in ipsis membranis oculi globum cõstituentibus, atq; intrinsecùs humores discernentibus: si illis in locis vbi visioni peruiæ sunt, vt circa nigrum oculi, causa lateat: Vbi & tantùm si visionis impedimentum consistat, illud videri & cognosci potest; nam si alibi existant, ita abditæ sunt vt minimè intuentibus oculum, pateant.

In cerebro causa visus læsionis.

Cerebri occasione vti omnes sensus lædi possunt, sic & visio quoq; labefactatur. Tum si aut generatim, aut speciatim, & præsertim ea sede, vbi nerui optici prodeunt, affectum patiatur, vel illi ipsi nerui è cerebro producti & ad oculum vsque delati, afficiatur. Qui varij esse possunt.

Intemperies frigida cerebri, causa Cæcitatis vel Imbecillitatis visus.

Intemperies frigida cæcitatem nonnunquam parit illæsis interdum reliquis sensibus. Si ex vento frigido diu multumq; fronte & oculis, quæ minùs tecta iniurijs magis exposita sunt, refrigeratis, frigoreq; ad eam sedem vsque, vbi nerui optici originem trahunt, penetrante, dictæ partes adeò lædantur, vt cæci fiant; vel visionis postea quędam remaneat imbecillitas: quod ex oxyrhodinorum actu frigidissimorum nimia applicatione, in cephalalgia nobili matronæ, accidisse vidi, quæ ad dies vitæ visum recuperare amplius minimè potuit. Hoc quoque, si ab eadem intemperie cerebrum vniuersum lædatur, accidere, sed tunc reliquos quoq; sensus simul aboleri, in stupore ostensum fuit, facileq; ex eo, vnde causa prodit; vti & si ab externis fiat, per se cognoscitur.

Intempe-

Calidam intemperiem cerebri vnà cum mentis deprauatione, visus quoq; hallucinationem & imaginationem dictam, in qua variæ visioni offeruntur falsæ rerum imagines, adferre in phrenitide dictum fuit.

ries calida cerebri, causa visus Hallucinationis & Imaginationis.

Intemperies maligna in cerebro causa Hallucinationis visionis & Imaginationis.

Vti & eã intemperiem, quæ ex spirituum perturbatione in cerebro ab humoribus malignis nascitur, vnà cum insania & melancholia, visioni similiter falsa spectra offerre, illic quoque explicatum fuit.

Intemperies sicca cerebri, causa Cæcitatis.

Siccitas nimia nerui optici, in febribus ardentibus, faciliùs in illo neruo, cùm crassus sit, inducta, cæcitatem post has febres remanentem procreat.

Compresso vel irrigato neruorum principio, vti apoplexiam fieri ostendimus, in qua oẽs sensus simul auferuntur; sic &, si hoc tantùm circa neruorum opticorũ exortum, vel congressum, aut reliquo extra oculũ ductu fiat; quod tunc ab humoris aut sanguinei aut pituitosi affluxu fieri necesse est; cæcitatem subitò, si statim eò humor delabatur, sequi, aliquando solet contingere.

Ab excremẽtis cerebri nata Cæcitas vel Amblyopia.

Frequentiùs tamen ab excremẽtis aqueis pituitosis cerebri, quæ in media hac cerebri basis sede, vbi nerui optici prorumpunt, ad infundibulum quod proximum hisce neruis est, semper defluunt, & vnà cum neruis, & propè illos, in oculi cameram & narium amplitudinem erumpunt, irrigatis vel nimiùm humectatis neruis opticis, Amblyopia in senibus & pituitosis, solet accidere. Aut si ab eodem humore vel refrigerentur, vel in angustijs illis comprimantur, potiùs quàm, vt illi voluerunt, obstruantur, cæcitas quoq; sequi consueuit. Quæ visionis abolitio vel imbecillitas, vnà cum reliquorũ sensuum læsione, si vitium hoc ad illorũ exortum vel progressum in basi cerebri vsq; producatur, accidit: vel visus tantùm, si ea potissimùm sedes afficiatur, aboletur. idq; in vtroque ferè oculo, ob neruorum opticorum congressum, & breuem ad oculum ductũ, vt rariùs tantùm vnus neruus sic possit affici. Quod à pituita seu aqueo humore prodijsse, illius humoris in cerebro redundantis indicia, satis patefacient. Nervumq; affici, cùm nihil in oculo appareat, quod talẽ visus amissionẽ vel obscuritatem adferre possit, facilè quoq; cognoscitur: neq; enim hoc singnũ, quod certissimũ

existi-

existimarunt, nimirum si compresso oculo ægro pupilla non dilatetur, nerui vitio hoc fieri, quod influxus spiritus in oculum impeditus sit, verum comperimus; cùm spiritus animalis, non flatus instar oculum distendat, neque oculum adimpleat, sed in retiformi neruo persistat.

Cōtorsio nerui visorij in cerebro, causa Cæcitatis.

Hoc quoque non infrequens, sed à nemine quod sciam rectè descripta causa illius cęcitatis, quæ post convulsiones graues, & frequentes aliquando relinquitur, referenda erit. Quam non ab humoris affluxu, vti voluerunt, sed quia in magnis illis per paroxysmos convulsionum, partium omnium atq; oculorum simul contorsionibus, in quibus sæpè quoq; convulsi, admodumq; exerti & inflexi apparent, attracto sic nimium & tenso neruo optico, illis adnato, illoq; simul contorto & læso, spiritusq; visorij transitu impedito, oculis visione priuari contingit: atque inde prouenire, diligenti examine & consideratione inuenimus.

Solutio cōtinui, in neruo visorio cerebri causa Cæcitatis.

Læsa cerebri substantia, vti per apoplexiam omnium sensuum fit priuatio; sic neruo illic cōtuso vel vulnerato, quod aliquando ex punctura iuxta frontem facta accidisse, quidam testatur, cæcitas, ob solutam continuitatem vel callum relictum, subitò quoque, & ob ictum, manifesta, euenit.

Imbecillitas cerebri, causa Amblyopiæ.

Imbecilla cerebri constitutio, dissipatis & absumptis spiritibus propter senium, vel ob morbum grauem & diuturnum, euacuationes nimias, sanguinis potissimū & seminis, vnde magna spirituum fit profusio, venusq; immodica, ob id visioni admodùm incōmodat: item ob nimias vigilias, vt illic dictum fuit, Amblyopiam seu visionis imbecillitatem, & reliquorum quoque sensuum, maximè eorum qui subtilius obiectum habent, vt est auditus, frequenter, vt in causis illorum hisce externis patet, senibus familiarem, in conualescentibus remanentem, in intemperanterq; viuentibus consuetam, inducit.

Præter hanc quæ à spirituum defectu procedit, causam, de qua dubitari minimè potest, aliam hîc in spirituū crassitie aut tenuitate & subtilitate affingere, vti pleriq; subtiliùs sanè quàm veriùs hæc proponunt, nulla ratione induci possumus, sed pluribus vt ab illis dissentiamus, mouemur. Cùm spiritus animalis æthereus penè, tales mutationes minimè patiatur: facilimè verò dissipetur: sicuti nec vitales spiritus, crassescere aut attenuari nemo vnquam, ne fingere quidem fuit ausus. Vti & videmus, nisi iam à spiritibus defectus visionis accidat, alia illius incommoda, vnde res procul dissitæ vel propinquæ minùs rectè discernuntur, instrumenti vitio potiùs accidere, vti mox explicabitur; non ob spirituum quandam crassitiem vel subtilitatem, quemadmodum existimarunt, cùm adeò sint subtiles, vt subtiliores esse non possint.

Spirituū cerebri à vaporib. perturbatio, causa Hallucinationis & imaginationis, cum mentis alienatione.

Spirituum cerebri perturbationis vel agitationis causa, & ipsorum consensu cerebro quoq; affecto, visionis læsionis varię species, prodire solent. Vt si vapore calido subtili vel turbido aut maligno permixti, non tantùm mentem peruertant, sed & visionem quoque, ita vt multa se videre existiment, quæ non sunt, corrumpant: sicuti si ab eiusmodi vaporibus spiritus cerebrumq; incalescant, tunc vnà cum delirio spectra falsa oculis quoque obuersari, in paraphrenitide dictum fuit. Vti & si narcotica quædam cum calore accedat vis, vt ex euaporatione vini fieri ostensum fuit, tunc vnà cum temulentia mentis, visionis quoque fieri hallucinationem, in qua varia quæ non sunt, se videre putant, vel quæ sunt falsò diiudicant (sicuti historia de illo qui res geminas ebrius semper esse putans, elusus ab vxore manus combussit, huic rei fidem præbet) in temulentia declaratum fuit. Dein cùm alij tetri vapores & maligni, ab hypochondriorum regione cerebrum petant, illudque & illius spiritus perturbent, nō solùm mentem peruertunt, sed & visioni nonnunquam falsas rerum imagines proponunt; sicuti in melancholia hypochondriaca explicatum fuit. Qui omnes visionis per consensum facti affectus, cùm mentem simul perturbent, ad mentis alienationem pertinent, vbi & de illis prolixè tractatum fuit.

Spirituū cerebri nimia agitatio, causa Vertiginis.

Verùm & ex spirituum nimia agitatione, visionem lædi, sæpenumerò contingit: non illa, quæ in animi affectibus, spiritibus non tantùm agitatis, sed potiùs inuicem confusis,

fusis, simul cum humoribus in capite, corde, & toto corpore contentis, animum tantùm perturbat, & visioni vix officit. Sed ea, qua spiritibus in cerebro, vel p se, vel vaporis permixtione commixtis, sine animi perturbatione, Vertigo, Imaginatio & Scotomia appellata, excitari solent.

Spiritus enim in cerebro illiusque arteriis & finibus contentus, etiam citra vaporis permixtionem commotus agitatusque vehementiùs, similem in externis commotionem imaginationi repræsentans, vertiginem dictam parit, cuius commotionis variæ causæ esse possunt. Motus enim capitis vehemens, eadem forma diutiùs factus, efficit vt spiritus eadem ratione secuti, agitatique, postea quiescente capite, nihilominus adhuc aliquandiu, donec iterum conquiescant, eodem modo, quo motus capitis factus est, discurrant: Vt fit, si caput vnà cum corpore in gyrum diutiùs circumducatur, tunc enim vertigo sequitur: adeò quoque, si hoc longiùs agatur, valida, vt pedibus minimè consistere liceat, sed vacillandum & cadendum nonnunquam necessariò sit: sicuti hæc in hominibus & animantibus videre sæpè contingit. Ita capite deorsum diu inclinato, spiritibus tunc ab eo sursum ad neruorum principium vergentibus, cùm illud rursum eligitur, iisdẽ spiritibus impetu rursum ad sedem propriam remeantibus, ex motu illo, vertigo aliquando sentitur.

Nõ autem ex motu hoc corporis saltem, sed & animi perseuerante vel vehementi commotione, spiritibus sæpè & validè in cogitationibus profundis & assiduis, aliisque animi pathematibus, vti & vigiliis, exagitatis, accidit, vt sic assueti, ex leui causa aliqua interna commoti, in vertiginem incidant. Sicuti studiis vehementiùs inuigilantibus, cùm ieiuni sunt, ob causas mox dicendas, vertigines nonnunquam molestias exhibere, obseruamus.

Sed & ex intuitu longiore, rei quæ circumagitur, vel aliàs celeriter mouetur, siue hoc ita fiat, aut fieri illis videatur, vti nauigantibus terram moueri & currere, quod quibusdam etiam clausis oculis ex imaginatione accidit, vertigine aliqui corripiuntur: spiritibus quoq; ex visionis illa agitatione, quæ ad obiecti subitam commotionẽ sequitur, simili modo concitatis, & visionis celeritatem veluti sequentibus. Quod vt illis quibus spiritus facilius agitantur accidit, sic in dispositis ad vertiginẽ, paroxysmo vt inuadat, occasio, vel si leuis tantùm causa sit, prębetur. Ex alto quoque præcipiti periculosoque loco, deorsum prospectus vertiginem in non consuetis, spiritibus nimiùm diffusis, rursumque terrore retractis, sicque inæqualiter cõmotis parit. Proin & iis qui sibi non metuunt, hoc minimè, nisi aliàs dispositi sint, aut alia accedat causa, vt si ex eminentiore tali loco, res quæ rotantur, aut vortices aquarum inspiciant, euenit.

Cæterùm quemadmodũ ab externis causis, vertigo hæc ob spirituum impulsum nimium accidit; Ita & per se spiritus in arteriis cerebri, potissimùm feruidiores copiosioresque collecti, quia tunc inquieti sunt, facileque per se, vel etiam leui accedente occasione, agitantur, vertiginem causant. Quę diu multumque & facili ex causa homines vel sola, vel comite quoque capitis dolore diuexat. Quibus & arteriæ vehementer in capite & auribus, cum illarum tinnitu, interdum & reliquo sæpè corpore pulsant; & vixdum nisi illarum apertione, vti dicetur, sanantur. Hoc autem per se, sanguine adeò calefacto & attenuato in arteriis potest accidere: vel vaporis tenuioris, vti mox dicetur, permixtione.

Verùm & aliam vertiginis causam à spiritibus procedentem in arteriis, & vasis capitis, sectione in quodam mercatore nostrate, qui multis annis vertigine laborans, nec ambulare, nec è lecto amplius surgere, quin corrueret, poterat, deprehendimus: vas venosum nimirùm cerebri, omnesque illius arterias ab exortu & ingressu ipsarũ in caluariam, vniuerso per cerebrum ductu, coalitas induratasque, glandulisque paruis duris toto processu distinctas. A' qua ipsarum obstructione spiritus impediti retentiq; in cerebro, ex leui corporis motu circumducti, incurabilem vertiginem pepererunt.

Vaporum verò spiritibus iam enarratis cerebri permixtorũ causa, non tantùm Ver- *Vapores cerebrũ petentes,*

causa Vertiginis, Imaginationis & Scotomatis.

tigo, sed & Imaginatio dicta & Scotoma, vel simul, vel separatim occurrentia, procreari solent: Eaque pro vaporum naturæ & loci, à quo exurgunt, & in quem in cerebro feruntur, diuersitate. Si enim illi copiosè cerebri spiritibus in illius vasis confusi, loca illa adimplentes exitumque quærentes, vnà cum illis in latera circumducatur, talem sensum, vti superius dictum, & motum, in externis quoq; visioni offerẽdo, vertiginem pariunt: leuiorem vel grauiorem, prout maior minórve illorum est copia, atque agitatio.

Quæ & sola hominem, si subtilis nec aliter inquinatus sit vapor, afficit. Vel si calidior simul existat, dolor quoque accedit capitis. Si turbidus alióve modo inquinatus, coloratus, splendescens: vti à variis humoribus & bile, sicut mox dicetur, diuersimodè exhalare potest, imaginationes simul cum vertigine; per quas visui quoque varia corpuscula, insecta, atomi, colores, splendores falsò repræsentantur, tunc fiunt. Vel si obscuritate sua potiùs quàm crassitie, vti voluerunt, visionem obfuscet, nebulas, fumos, vel tenebras oculis vnà cum vertigine (nam & licet nihil videant, vt suprà de clausis oculis dictum fuit, tamen vertiginem sentire possunt) in affectu Scotodino dicto offundunt.

Quæ tamen imaginationes & obtenebrationes seu scotomata, separatim quoque sine vertigine, si circumactus ille spirituum in capite non fiat, sed sola vaporum cum illis permixtio, sæpenumerò accidunt. Quod qua ratione hoc possit visioni accidere, diligentius, in tanta opinionum de hac re varietate, inuestigare oportet.

Multi, hosce vapores ascendentes, & ex oculorum camera erumpentes, qui oculis fumi instar obuersantur, visionem vel fallere, vel impedire hac ratione moti crediderunt: quòd à vaporibus qui simili modo ad oculos penetrant eosque vellicant lachrymas elici, oculosque rubere, cernerent. Hoc tamen, cùm potius narium tunicæ sensilis vellicatione, ob cõmunicationem eius cum oculorum adnata tunica, fiat, comparatio hæc locum habere minimè poterit: & cùm vapor, si ita oculorum orbitam subiret, oculosq; perreptaret, mox euolaret, antequam eos attingeret, hanc opinionem tanquam infirmam reiicimus.

Alij verò vapores hosce oculos penitùs subire, & ad niteriora illorum vsque penetrare, adeò vt intrinsecus ab ipsis oculis cernantur, existimârunt. Verùm cùm hac ratione ad oculi globum, nulla sit via, illeque adeò spissus ob corneam tunicam, vndique integram, existat, vt vapores illam peruadere, in quem acus vix, cùm suffusio tollenda est, intrudi potest, minimè possint, vana & hæc est quorundam opinio; eoq; magis inepta, quòd corporis nostri perspirabilitate, errores suos palliare & tegere volunt.

Alij verò, vt qua ratione vapores hi oculum subire possint, explicarent, cùm non alium introitũ in oculi cameram, quàm nerui optici, venæ & arteriæ, esse cognoscerent: vapores hosce cerebrum quidem primùm petere, sed inde per venas & arterias ad oculum descendere, scripserunt: non intelligentes, quod nos in Anatome nostra prodidimus, vasa hæc tantùm per adnatam oculi tunicam discurrere, nullibique neq; in corneam oculi tunicã, nec oculi interiora peruenire, cùm sanguis si oculum subiret, suo colore, visioni (vti fit, cùm è vasis effusus in corneam excidit) omnia rubra repræsentaret. Ob eam causam neque hoc modo vapores ad oculos ferri, hac demonstratione probatum fuit.

Alij magis consideratè, nerui optici causa quod præcipuum visionis instrumentũ statuunt, id fieri docent. Quod & nos admittimus, non ea tamen ratione, vt illi qui vapores neruum opticum subire posse, perque illum tanquam canalem è caluaria in oculum vsque deferri crediderunt, hoc fieri concedimus; cùm per neruos spiritu animali plenos, vapores turbidi deferri minimè queat, & cùm hoc sit contra vaporum naturam, deorsum, nisi impetu quodam pellantur (quod hîc minimè fit) ferri.

Verùm nos ita potius id euenire probabiliter censemus. Quòd nimirum vapores hi cerebri anteriora præsertim petentes, spiritibusq; animalibus confusi, illic splendori imaginum, quæ à neruo optico cerebro, vbi

sensa-

ſenſatio omnis & diſcretio fit, offeruntur, ſcintillarum aliquot permiſtione, quibus illarum lux inæqualis, vel certis locis obfuſcata redditur, falſa eiuſmodi ſpectra, cum veris imaginibus confuſa, in hac viſionis læſione quæ nubecula vocatur, cerebro repreſentent. Quod enim hoc in cerebro non oculis fiat, vertigo, quæ plerumque has imaginationes, vti priùs demonſtratum fuit, comitatur, ſpiritibus tunc ſimul in cerebro affectis & agitatis, vnde & qui tunc vertigine laborant, non tantùm has imaginationes habent, ſed & omninò rotari & circumire ſibi videntur, ſatis oſtendit: & ſcotoma ſeu viſus obtenebratio, vt ferè cæci fiant, nonnunquam has nubeculas ſecuta, ſpiritibus tunc multitudine vaporum omninò obſcuratis, euidenter declarat. Quæ omnia in cerebri ea ſede, quæ neruis opticis originem præbet, elatiorque eſt cæteris, & propterea viſioni potiſſimùm incommodare videtur, non autem in oculis accidere, ſi à vaporibus hoc fiat, ſatis demonſtratum fuit.

Quemadmodum in oculorum vitio interno, ob tunicam illic natam oborto, quoq; nubeculas has, & alia dicta viſioni offerri poſſe, & viſum penitùs quoque obſcurari, in pupillæ ſuffuſione dicta, mox oſtendemus: quamobrem & haſce nubeculas à vaporibus genitas, falſò ſuffuſionis nomine appellârunt, quia vapores tunc quoq; oculis ſuffundi, & illic pelliculam gignere, arbitrati ſunt; quas nubeculas & imaginationes, nos rectiùs indigitauimus. Quæ & à vera ſuffuſione hiſce ſignis diſtinguũtur, quòd in nubecula & imaginatione affectorum oculis nulla macula appareat, vtrique oculo ſimul his viſionis accidentibus oblatis, quæ interdum remittunt & ceſſant, rurſumque certo tempore redeunt; cùm in vera ſuffuſione in vno oculo vitium apparens, vix autem perfectè in vtroque ſimul, viſioni ſine intermiſſione, vt illic dicetur, obſit.

Cauſa verò harum euaporationum, vnde & vertigo & imaginatio & ſcotoma proueniunt, in diuerſis corporis partibus poteſt conſiſtere: cùm aliàs ab inferioribus ſurſum elati vapores capiti demandentur: frequentiùsque à ventriculo prodeant. In quo bilioſus præſertim humor, calidam, ſubtilem euaporationem proferens, eamque non tantùm ad nares vſque (vti à cæpis, raphanis, ſinapi exſurgens vapor, nares tantùm vellicare moxque iterum diſſipari ſolet) ſed in caput ipſum emittens, nunc vertiginē, nunc imagines, quæ plerunq; naturam bilis imitatæ, interdum flauent, aliàs virent, aut nigricant, ſicuti dicitur Gål vnd grün vor den Augen/cauſat. Et cùm bilis in ventriculo dũ ieiunus adhuc eſt, magis ferociat efferveſcatque, vaporeſque tunc non impediti, liberiùs ſurſum ferantur, accidit, vt picrocholis dum ieiuni adhuc ſunt, accidentia dicta moleſta ſint: & quòd ex cibi aſſumptione, quia bilis vehementia retunditur vaporeſq; reprimuntur, miteſcant, denuoque ceſſent: quod & ſpōte diſcuſſis in capite vaporibus, eoq; citiùs quò ſubtiliores ſunt, euenit: donec nouis euaporationibus factis, hæc mala redeant. Cognoſcitur autem ex oris amaritudine, roſioneque oris ventriculi, quod cor vocant, aliiſque huius humoris indiciis, à bile hoc profectum eſſe: quæ & nonnunquã capitis dolorē, ſimul cum vertigine eadem opera adfert.

Iidē vapores à venis meſeraicis progreſſi, in quibus bilioſi ſucci, vt alibi oſtenſum fuit, frequenter redundare ſolent; vti ab eodem loco eleuatis, & per venas & arterias ſurſum delatis vaporibus, febres intermittentes, hypochondriacæ melancholiæ, per interualla hominē inuadunt, ſic & iam dicta ſymptomata frequenter excitant: quod fit ſurſum inde per venas elatis vaporibus; nōnunquam & per arterias quæ venis meſeraicis annexæ ſunt: tunc maximè, quando vapores illi ſubtiles ſunt, & tales, vt hæc potiùs accidentia, quàm mentis perturbationes, quæ è malignitate potiùs illius proficiſci oſtenſum fuit, inducant. Qui, & proin nunc vertigines ſolas, vel prout comparati ſunt, imagines aut ſcotomata ſimul cum illis, vel ſine illis procreant. Quam veriorem cauſam malumus adferre, quàm cruditates, à quibus flatus potius quàm vapores eiuſmodi generantur, prætendere.

Sed & ex reliqua aliqua corporis ſede, per venas & arterias, vapores eiuſmodi à ſan-

guine tenuiore eleuati, eadem causare possunt. Veluti ex ea quæ circa vterum est; sicuti retentis menstruis hoc quoque symptoma, vti & alia, hac ratione sæpè eueniunt. Et à pedis aliqua sede, aut alterius mẽbri prodiens vapor, auræque alicuius instar sursum delatus, vti epilepsiæ, sic & vertiginis causam fuisse obseruauimus: vnde & vertigines aliquando epilepsiam præcedunt, eamque mox secuturam presagiunt, cùm à similibus vaporibus cerebrum vellicantibus, epilepsię quoque, vt suo loco dicetur, fieri possint.

Verùm & in capite ipso, horũ affectuum causa nonnunquam consistit. In quo non tantùm sanguis spirituosus feruidior copiosiorque collectus, vti suprà dictum, id facere potest, sed & ab humoribus illic contentis, consimiles vapores suscitati, spiritibusque permixti, hæc accidentia progignere possunt. Quod à sanguine potiùs vasorum & sinuum cerebri, illique permixtis humoribus oriri, quàm à pituita credimus. Quam tamẽ vertiginis causam etiam esse, sed non quia vapores emittat, sed modo iam explicando, minimè negamus.

Humoris in cerebri aquei pituitosi fluctuatio, causa Vertiginis. Repletionem cerebri, ab humore aqueo tàm seroso quàm pituitoso factam, vertiginem illam causare, quæ apoplexiam aut carum præcedere & minari solet, certum est. Quæ frequens & diuturna, & nisi præcaueatur, in hosce morbos terminari cũ vitæ summo discrimine solet. Verùm hoc refrigerando & humectando cerebrum, non facit, cùm agitatio hæc spirituum, quæ in vertigine fit, sic potiùs impediretur, quàm promoueretur. Sed fit hoc, cùm cerebri anfractus spaciaque adimplens, maxima copia caluariam replendo, & flatuum copiam simul generando (qui ex aqueis humoribus sæpiùs, quàm vapores, gignuntur) in ea fluctuat, tunc enim sicuti in cordis inuolucro, aqua redundans, cùm agitatur, palpitationem cordis facit; ita & hîc cerebrum vndiq; opplens, cùm caput mouetur, agitatus humor & capitis motum sequutus, sicuti de spiritibus diximus, talem sensum capiti præbet. Quod ex ipsorum relatione, qui de tali fluctuatione conqueruntur, satis paret: & aperta caluaria hanc humoris immensam copiã, sicuti in apoplexia dictum fuit, sæpenumerò inuenimus: in eoque cui arterias quoq; occaluisse modò diximus, tantã illius copiam deprehendimus, vt aperto cranio vndatim defluxerit: quæ & vnà cum arteriarum illa obstructione, geminam causam vertiginis proferens, eam tam diuturnam & incurabilem effecerat, in qua humor ille diuturnitate cerebrum irrigans, carum, quo & extinctus est, pepererat. Cognoscitur autem vertiginis hanc causam esse, non solùm ex fluctuationis illo sensu, sed & aliis pituitæ redundantis indiciis, in caro & apoplexia explicatis. Ad quæ procliues, somnolenti simul & stupidiores euadunt, & in hosce affectus, nisi occurratur, tandem incidunt.

Nerui visorij seu retiformis in oculo, causa Visionis læsionis. Nerui visorij oculo iam implantati, & retis forma instar dilatati occasione, visionis incommoda pleraque, cùm is visionis præcipum sit organum, eueniunt. Idque ferè per consensum aliarum partium, cùm illarum causa, ijs quæ ad visionem requiruntur, spiritu nimirùm & obiecto proprio destituatur, vel rectè frui minimè potest. Nam alioquin oculo ita immersus munitur, vt vix dũ proprio aliquo affectu, nisi consentiente cerebro afficiatur.

Spiritus animalis priuatio in neruo retiformi, causa Cæcitatis, vel Amblyopiæ. Destituitur spiritu animali vel omninò, in cæcitate: vel ex parte, in visus imbecillitate: ob cerebri vel nerui optici affectus iam enarratos: quales sunt, intemperies, cõpressiones, læsiones, & imbecillitas, à spirituum penuria potiùs, quàm excogitata crassitie & subtilitate profecta.

Refugientibus quoque ex neruo visorio versus suum principium spiritibus, idem accidit. In diutiùs presso oculo, & per consequens retiformi neruo, humorum oculum opplentium causa, interdum euenit, eos postea tantisper donec spiritus rursum recurrant, cæcos esse.

Sed & nimis diu otiosis in neruo visorio spiritibus, & veluti sopitis, vel cùm illorum non est vsus retrogresis, aut neruo ipso torpido facto: in illis qui in tenebris diutissimè, vt in carceribus aut aliis obscuris locis detenti, nihil viderunt longo tempore, quando in lucem redeunt, visum vixdum vel tardiùs, vel nunquam amplius recuperant.

Et

Et cùm ſpiritus animalis, vitali indeſinenter opus habeat, eo quoq; per ſyncopes aliquantiſper diſsipato, & ſpiritu animali per cõſenſum impedito, viſio primùm, inter functionum ceſſationes, in animo delinquentibus obfuſcatur, & mox cum reliquis omnibus, tamdiu donec ad ſe redeant, tollitur.

Obiecti priuatio in neruo retiformi, cauſa Cæcitatis vel Amblyopiæ.

Obiecti proprij, rerum ſcilicet imaginũ, per lucem & ſplendorem oculum ſubeuntium cauſa, neruus retiformis, viſionis læſionem patitur, ſi illud nimis violenter illi offeratur, eoque adeò afficiatur, vt poſtea non amplius vel non rectè ſentiat.

Vt cùm à ſplendore ſolis, fulguris, ignis, admodum percul ſus, poſtea ſcintillas aliquamdiu ſe videre exiſtimat, & vel penitus per aliquot tempus obcæcantur oculi, vel vti ſæpè accidit, cæci poſtea maneant.

Vel ſi luce deſtitutus oculus, qua extrinſecùs res & intrinſecùs oculus vt videat, illuminari debent, propter tenebras externas, rerũ ſpecies minimè poſsit cognoſcere.

Quæ quoque, qua ratione propter pupillæ obturationem accidant, in membranarũ oculi vitijs explicabimus. Vti & quando humorum cauſa id euenit, illic quoq; dicetur.

Humores oculi, cauſa Viſionis læſionis.

Humorum in oculo contentorum cauſa, viſionis impedimentum accidere ſimiliter poteſt; præſertim cryſtallini, per quem veluti per perſpicillum, neruus retiformis rerum externarum imagines, primùm colligit, rurſumque diſperſas, dilatatas, maioresque redditas, ſinu ſuo excipit: cui cryſtallino humori reliqui humores tantùm inſeruiunt. Fitque hoc cùm vel deficiunt, quia aut effluxerunt, aut conſumpti ſunt: Vel ſitum naturalem permutant: Aut ſubſtantia ipſorum immutatur, vel colore alieno inficitur: quod quomodo fiat, in ſingulis explicabimus.

Effluxꝰ humorũ oculi, cauſa Cæcitatis.

Profluunt & ex oculo humores nonnunquam, aqueus frequentiùs, cùm ſit in anteriore ſede poſitus fluidiorque: alij rariùs niſi cauſa magna ſit: fitq; tunc Cæcitas. Aqueo enim humore effluxo, oculi globus nõnihil collabitur & corrugatur, vnde pupillæ foramen, quod ſplendorem intromittere debebat, occluditur, reliquique humores antrorſum è ſinu retiformis prolapſi, faciunt, vt ille nonnihil collabatur, vnde viſionem ceſſare neceſſe eſt. Longèque magis ſi cryſtallinus quoq; humor cum vitreo cui inhæret, procidat: cùm is ad viſionem, vti dictum, omninò requiratur, & tunc retiformis neruus penitùs collapſus, ſuo ſinu rerum ſpecies non amplius poſsit comprehendere.

Quorum omnium cauſa apparens vulnus vel vlcus oculi eſſe ſolet. Si amplo vulnere, magna cum vi per corneam tam ſpiſſam & duram, facto, aperiatur: neque enim per leuem puncturam, qua in catarrhacta tollenda oculi globum perforare ſolent, aqueus humor, qui ſuam quoque habet tenacitatem, poteſt effluere. Ab inflammatione etiam oculi abſceſſum gigni, in quo corneæ pars in pus conuertitur, qui diſruptus, cum pure, oculi humores aliquando profundit: aliquoties vidi; & in febre peſtilentiali in vtroque oculo accidiſſe, cryſtallino humore in barbam vſque defluxo, illicque hærente, notaui.

Abſumptio humoris aquei, cauſa Cæcitatis vel Amblyopiæ.

Conſumuntur quoque oculi humores, aqueus præſertim, cùm ſit tenuior: tuncque oculo non ſufficienter diſtento (quod vt pupilla exactè aperta maneat requiritur) ſed nõnihil collapſo, pupillæ foramine etſi non penitus occluſo, tamen amplitudinem ſuam vel rotunditatem amittente, & reliquorum humorum ſitu obiter conturbato, viſus ſequitur imbecillitas: vel ſi maior fiat confuſio, etiam cæcitas. Sicuti in morbis longis, acutis, ſummoq; & diuturno marcore corpus abſumentibus, rarius, frequentius in extremo ſenio, quibuſdam euenit: in quo & vitreus & cryſtallinus exiccari, vti mox dicetur, poſſunt. Quibus oculi corrugati nonnihil apparent, quos fractus vulgus ideò appellare ſolet; præſertim cùm in mortis agone, calore & ſpiritibus iam deſtituti, flacceſcunt.

Situs naturalis humorum duorum, cryſtallini & vitrei (qui ſolidiores cùm ſint, proprijs membranis coerciti, loco proprio fixi hærere debent) perueſio, viſui quoque nocumentum adfert: quorum ſedibus mutatis, aqueus, ſpacium relictum ab illis adimplens, facilè cedit.

Situs Vitrei hu-

Quod quandoq; accidit in vitreo humo-

moris peruersio, causa Hallucinationis. re (cui crystallinus humor præpositus, illiusque anteriori sedi immersus aliquousq; consistit) si is portione aliqua illius, antrorsum delata, crystallino humori præponatur. Vbi & sæpè contentus, albuginis instar sub pupilla cerni potest. Tunc enim nondum cæcitatem, cùm lucidus vitri instar sit humor, sed hallucinationē aliquam, cùm spissior sit aqueo, sicuti in suffusione incipiente, vti dicetur, fieri solet, accidere necesse est. Nisi fortè tanta illius quantitas eò delapsa sit, vt penitùs crystallinum obliteret, eumq; retrorsum premat, admodúmve inuertat: tunc enim ambobus conturbatis humoribus, grauiora, vt in crystallino humore dicetur, visus accidētia superuenire solent. Huius autem causa ictus vel contusio esse potest. Aut frequentiùs punctata in suffusione detrahenda, nimis profundè ad hosce humores adacta, illorumque tenues membranulas, quibus cohærent, disrumpens. Vix enim aliàs vti voluerunt, conatus ex respirationis retentione magnus, in deiectionibus partu, aut conuulsionibus, in quibus oculi velut exerti apparent, id intrinsecùs in oculo moliri potest.

Crystallinus præsertim humor, in medio vitrei humoris cauitatis, solis instar suspensus, à pupillæ foramine nonnihil disitus, illud rectà sua amplitudine respiciēs, & splendorem per illum æqualiter in id dispersum suscipiens, neruique visorij seu retiformis semiglobati cauitati, in posteriore illius sede positæ, diffundens, ita vt eam splendore suo vndique adimpleat, si naturalem hunc situm admodum immutet, sine visionis noxa id fieri non potest. Quæ illius vitia, cùm nec humor ipse in oculo videri posit, in eo quoque minimè, nisi penitùs in pupillam, vti de vitreo dictum, incidat, conspicua sunt.

Situs Crystallini humoris inuersus, aut in lateră à medio recedens, causa Hallucinationis & Strabismi. Fit autem hoc, si aliquomodo inuersus, latiore sua parte, quæ lentis maioris instar compressa est, pupillæ foramini non rectà opponatur, sed in latus nonnihil declinans, eam obliquè vel transuersim, respiciat: Aut cùm sursum deorsúmve, vel ad latera à media oculi sede delatus: à pupillæ foraminis aspectu nonnihil declinat. Quibus, vel ab ortu in quibusdam, in nonnullis à causa aliqua violenta, vti in vitreo modo dictum fuit, accidentibus, vel cæcitatem, si magnus à situ naturali recessus fuerit; vel si minor, visus obscuritatem, vel potiùs hallucinationem aliquam, in qua res vel geminæ, vel curuæ, vel inflexæ esse videntur, fieri contingit. Quin etiam leuis aliqua duntaxat crystallini humoris à centro pupillæ declinatio, quamuis visioni adhuc minimè obsit, Strabismi causa esse potest. Quemadmodum enim in visione, si crystallinus rectà pupillæ foramini oppositus sit, pupilla etiam res externas quas intuetur, rectà inspicit; ita si nonnihil à centro illius auertatur humor crystallinus, vt videant, pupilla non rebus rectà, sed obliquè opposita, oculum sic inuertunt, strabismo laborantes, vt aliud quid, quàm rem obiectam aspicere iudicentur, quod tamen etiam ob pupillæ situm contortum, vti mox dicetur, accidere potest. Quæ ab ortu plerumque hominibus sic eueniunt.

Imprimis verò si crystallinus humor, in posteriore paulò sede oculi, versus neruum retiformem, suam sedem obtineat, visionis huius qua res distantiores non rectè assequi possunt, causa existit. Quod ab ortu multis accidit, vt non sicuti naturaliter fieri solet, versus anteriora magis ad pupillam crystallinus humor resideat, sed in oculi medio exactè situm suum habeat, & adeò frequens est, vt Anatomici plerunque illius situm naturalem, in medio oculi centro descripserint. Vnde non mirum, multis ab ortu hanc visionem quam Iuuenem vocauimus, accidere, vt propinqua rectè & acutè, distantia verò minimè posint discernere, idque cùm perspicillum nimis à rebus quas intuemur, retrorsum inclinatum est, quod proin propinquioribus duntaxat sufficienter illustratur, à procul verò disitis imaginibus oblatis, si intermedio perspicillo crasso, ex crystallo facto, collectæ, efficaciùs sic oculo offerantur, illud illuminare sufficienter minimè possunt. Hincque accidit, vt cùm & situs illius sic permaneat, visio hæc toto vitæ curriculo, nisi alias ob causas hoc fiat, minimè immutetur. *Situs crystallini humoris retrorsũ, antrorsúmve tractus, causa Visionis, in qua res non nisi propinquas admodum: Vel disitas meliꝰ quā propinquas vident.*

Quòd si quoque à medio oculi magis adhuc

huc versus posteriora remotus sit, lõgè propiùs adhuc res, quas cernere volunt, oculis adhibere coguntur, & perspicillo crassiore vti. Quod tamen non ita frequens est, & in iis tantùm, quos Myopes vocari diximus, euenit.

Quas veriores causas, quæ propter instrumentum vitiatum accidunt, alioque proin instrumento, perspicillo nimirùm corrigi possunt, afferre malumus: quam spiritibus, qui in iuuenibus illis, quibus hoc vitium familiare est, atque acutissimè propinqua vident, nec deficiunt, nec cõmutati sunt, quòd perspicillo emendari minimè possint, accepta referre.

Sed & contrariam ob causam, diuerso quoq; modo visionis exsurgit impedimentum: cùm nimirum crystallinus humor à sede naturali dicta, antrorsum versus pupillam magis inclinat: tunc enim maiori incommodo, minus res propinquas vident, sed easdem ab oculo procul remotas, rectius intuentur, nisi perspicillo tenuiore vitreo adhibito, quod veluti crystallini vices præstans, & rerum imagines suscipiens ac diffundens, perque crystallinum maiores oculo repræsentans, defectum hunc corrigant, & proin semper ad legendum cernendùmque acutiùs, perspicillo opus habent. Quod senescentibus plerisque, aliis citiùs, aliis tardiùs euenit: non ob spirituum, vti putarunt defectum, cùm sic potius visionis imbecillitas, quàm perspicillum minimè emendaret, nec nouos spiritus suggereret, vti & reliquorum sensuum, sequeretur: sed quòd à capitis illa inclinatione, qua toto ætatis tempore, in legendo, & rebus quibuscunque tandem oculis propositis, manibusque tractandis, oculos demittere necesse sit, crystallinus humor ætatis decursu, vnà cum vitreo ad anteriora sensim feratur, tandemq; illic subsistens, hunc defectum visioni adferat. Præsertim si in illis quoque absumpto nonnihil aqueo humore, nihil illi resistat, & vitreus humor incumbens validiùs eundem deprimat. Qui defectus & longè grauior, si omninò prolabente crystallino humore ad pupillam, vt illic hærere & pupillam obturare manifestò conspiciatur, cæcitas, vel visus imbecillitas sequantur. Quæ causa & in equis aliisque animantibus, quæ prona incedunt, illorum visionis noxæ frequentior esse solet: quod vt sensim ratione ætatis, sic ab ictu subitò nonnunquam accidit.

Induratio Crystallini humoris, causa Visionis defectus.

Substantia humorum oculi immutata, vitium quoque visioni affert. Vt fit, si crystallinus humor nimiùm induretur, sicuti vel ob ætatem vel alias causas, sed quibus non nisi vehementer & diu corpus exiccatur, euenire potest. Atque tunc, quia pelluciditatem amittit, vel ex parte, vel omninò, sicuti coctus apparet, cæcitatis vel visus hebetudinis causa est. Quod vt in illo, sic & in vitreo humore eodem modo potest accidere.

Obscuritas Crystallini humoris, causa Nyctalopiæ.

Quòd si verò, naturali adhuc constitutione, vel ætatis progressu, solidior sit vel obscurior, quia tunc maiori illuminatione vt illuminetur opus habet; accidit, vt non nisi plena luce perfectè, & cùm ea deficit, licet splendore luminis nõnihil clarescat, minùs rectè videre possint. Atque inde Nyctalopia dicta sequitur.

Tenacitas aquei humoris, causa Visionis defectus, in Suffusione.

Aqueus verò humor is est, cuius substantia faciliùs immutatur, cùm tenacitatem frequenter acquirere soleat, qua pupillæ foramini sensim accrescens, tandemque obductus, & in pelliculam versus, nubeculas primùm, mox suffusionem pariendo; obcæcat. Quod vitium frequens admodũ, foris etiam conspicuum, in vuea explicabitur.

Discoloratio humoris crystallini, Hallucinationẽ pariens.

Colore alieno humores vix inficiuntur, cùm nullæ venæ aut alia vasa humores deferentia, oculi interiora subeant, eiúsve humores attingant. Quod tamen aliquando ab humiditatibus oculi fieri, in crystallino humore, eumque vti & vitreum glauco colore tingi, prodiderunt, & Glaucoma ideò vocarunt: visumque tunc, ac si per nebulam cernerent, vitiari scripserunt. Cùm tamen veteres glaucoma cum suffusione eundem affectum fecerint, tum præsertim eam sic appellantes, quando non benè confirmata adhuc pellicula, vitri instar crassioris; subuiridis, vel cæruleo colore, nec dum alba adhuc, intuentibus apparet.

Mẽbranæ seu oculi glo-

Membranarum oculi globum cõstituentium causa, visio læditur, si illa in ea sede consistat, quæ fusca seu nigra, ob pupillam

seu

Tus, causa Visionis læsionis.

seu foramen, oculi interiorem cameram nigram & opacam aperiens, apparet. Quod foramen cùm per superinductum illi cornu translucidum, splendorem externum in oculi interiora transmittat, si in ea sede ita obliteretur, vt transitus lucis in oculum impediatur, visioni obesse, necessarium est. Quod vel exterioris membranæ crassæ, oculo cornu conferentis; vel subiectæ vueæ tunicæ foramen efficientis, causa, accidit: illis vel separatim, vel simul huic rei occasionem præbentibus.

Occlusio oculi, causa Visionis læsionis.

Vtriusque membranæ ratione hoc accidit, si extra oculum impedimentum objiciatur, quòd lucem quo minus ad eam quam debet oculi sedem perueniat, intercludere posit: Vti palpebris clausis, manibus, aliísque id fieri solet.

Pupillæ, seu nigri in oculo apparentis peruersio, causa Strabismi.

Ex vitio verò hoc sequenti etiam id accidere potest; si ea oculi sedes, peruia & transparens, à vicinis, vt minùs rectè visio fiat, impediatur. Vti fit, si pupilla non in ipsa oculi globi anteriori sede, nuda & media, sed ab ea declinans, ad latera oculi magis posita sit. Quod ab ortu, in strabismo quibusdam accidit, in quorum oculorum latere vno, plus albi ob id apparet, ita vt ipsos strabos esse quilibet ex eo cognoscat: & quòd cùm res intueri volunt, vt pupillam rectà rebus opponant, oculum intorquendo, adeò toruum aspectum exhibent.

Licet hoc, pupilla etiam in loco naturali consistente, posit accidere, per conuulsionem musculorum oculi, ad latus vnum, oculo nonnihil tracto, & ita inuerso, vt pupilla eò potiùs respiciat: vnde fit, vt cùm rem aliquam intueri volunt, pupillam ad eam dirigant, vel caput ad latus inclinent, aut oculos, oppositis sanis musculis, vt ad anteriora aliquousque rursum pupilla reducatur, retrahant. Sicuti & hi, quorum oculi naturalem situm habent, hac ratione eos studio conuellendo, strabonum oculos & intuitum exprimere possunt. Quæ conuulsio, nisi in vera conuulsione totius corporis, epilepsia nimirum, oculis acciderit, in qua similem aspectum exhibent, ab ortu plerumque contractis nonnihil potiùs quàm conuulsis musculis, & eo situ permanentibus, strabonibus euenit: eaque sola strabismi causa ab alijs explicata fuit, cùm tamen illud ipsum, pupilla in latere impressa, & crystallino humore ex loco suo naturali amoto, vti dictũ, fieri posit, vt simili modo oculos distorquendo, res intueantur. Quæ tamen omnia visioni hac saltem ratione obsunt, quòd oculo in sua sede relicto, ea quæ à lateribus occurrunt potiùs quàm quæ ante faciem posita, videant donec oculo eousque reducto, vt rebus ante oculos rectè positis opponatur, ea etiam aspiciant.

Pupillæ peruersio, causa Admirãdi affectus in visione.

Sed & hoc rarum & memorabile cuidam, ex vulnere iuxta oculi interiorem angulum facto accidit, quo oculi globus adeò inuersus fuit, vt pupilla ad canthum illum maiorem vsque deducta, cuteque vulneris sanati obducta, per nasi cauitatem prospicere cogeretur, nihilque amplius, nisi per canalem nasi, tanquam per fistulam videre potuerit, vnde nasum ad illud, quod intueri volebat, dirigere necesse habebat. Quod fide dignorum hominum relatione, nostro tempore factum esse constat.

Corneæ tunicæ priuata vitia visioni tunc obsunt, cùm partem illius eam, quæ pupillę, instar vitri vel cornu pellucidi præposita est, occupant, & vel tantùm illic hærent, vel vlterius etiam per oculi album disperguntur. Quæ & tunc manifestè conspici & cognosci possunt, cùm commaculatur aut inuestitur.

Commaculata alieno colore corneæ hæc sedes diaphana, ita vt lucida & clara amplius minimè sit, sed obscura vel colorata, splendorem qui in visione oculum subire deberet, instar vitri, quod lucem intromittit, impuri, vel intercludit, vel falsum visioni offert.

Obscuritas corneæ pellucidæ sedis ex obscuro colore illius vel macula alba na ta in caligine, albugine, cicatrice, causa Vis

Fitque hoc præcipuè, si obscuro vel albo colore inficiatur: quo nõnunquam tota corneæ sedes immutata apparet; Caliginemq; dictam in senibus præsertim, quibus hoc potissimùm accidit, adfert. Quòd si verò in parte duntaxat aliqua illius, macula talis alba nascatur, Albugo dicitur: In quo vitio, si alba perfectè sit macula, pupillæque toti regioni obducta, Cæcitas oritur: si verò albescere primùm incipiat, visum ac si nube obtensa impediretur, offuscat: vel si exiguum pupillæ

ius defe-ctus. pupillæ ſpacium comprehendat, aut ab ea ad iridem magis inclinet, Hallucinationem viſus quandam parit.

Talis autem corneæ obfuſcatio vel albedo, vel à totius corneæ, vel ſi macula tantùm ſit, à partis illius duntaxat quæ alba cernitur, exiccatione & induratione naſcitur. Sicuti enim alia quæ pellucida ſunt, vt albumen oui, & cryſtallinum humorem in animalium oculis, coctione exiccata, dealbari & pelluciditatem amittere, cernimus: ita & corneæ hîc accidit, vt per ſenium, in quo membranæ exiccari ſolent, aut ex morbo oculorum poſt ophtalmias, epiphoras, vel tota exiccata, vel ſiccitate tantùm certis in locis illius relicta, integra vel ex parte dealbetur. Quod & nonnunquam à nutrimenti, quo alitur portione craſsiore eò delata, & remanente, maculamque albam relinquente, accidere, in vnguibus, qui ſimili ratione albis maculis notantur, videre licet. Quæ maculæ ſuperficiariæ aliàs ſunt: aliàs verò altiùs impreſſæ, totam corneam penetrant.

Sed & à vulnere vel vlceribus oculorum, præſertim poſt variolas in infantibus, cicatrix relicta, vel callus; nunc altior, nunc profundior & denſior, ferè in albugine oculi, talem maculam albam, interdum amplam, interdum oblongam, quæ Cicatrix appellatur, efficit. Quæ viſionem vel penitus obliterat, vel ex parte: aut ſi longa ſit & anguſta, illam veluti interſecat & diuidit.

Diſcoloratio rubra vel flaua corneæ lucidæ ſedis, cauſa Hallucinationis. Præter haſce corneæ tunicæ diſcolorationes, rubræ maculæ vel flauæ interdum, ex irruente ſanguine, ab ictu oculi, vel bilis infuſione, in ictericis, ſed in alba huius tunicæ ſede, quam adnata tunica, vaſa deferens, tantùm inueſtit, ſaltem ferè apparentes, nec viſioni tunc incommodantes, occurrunt. Quòd ſi verò in lucidam corneæ ſedem vſq; pertingant (vbi ſæpè diu macula rubra, ſanguine citra corruptionem in corneæ ſubſtantia, veluti inſecta in ſuccino perſiſtente, conſpicua eſt) eundem colorem, vel rubrũ, vel flauum, in ſingulis imaginibus, quas oculus videt, viſioni repræſentant.

Tunica cornea Inueſtitur extrinſecùs eadem tunicę corneæ ſedes tranſparens, tunica noua accreſcente. Quæ illi nunc penitùs connata, coaleſcit, vel citra connexum, niſi vbi exoritur, & in ambitu adhæreſcit, reliqua ſede tantùm obducitur: nunc ex maiori, interdum & minori oculi cantho prodiens: alboque oculi primùm expanſa, mox & nigrum illius, vel ex parte, vel totum obtegit. Eſtque primùm tenuior; mox craſſeſcens carnoſa fit, venis multis cruentis connexa, diciturque Panniculus; adeoque ſæpè augetur, vt digitis apprehendi, & ab oculo aliquouſque eleuari poſsit, portioque illius aliquando duarum vnciarũ pondere, abſecta fuerit. Aliàs verò indurata albeſcit, tuncque Vngula, Vnguis, Pterygium Zebel appellatur, Viſum, prout nigrum illius plus minùsve occupat, penitus vel ex parte delens. *obducta in Pellicula vel Vngula, cauſa Cæcitatis.*

Quæ vel ex ſanguinis affluxu ſpontaneo, aut poſt exulcerationes excreſcens, Hypoſarcoſis aut Chymoſis exiſtit. Aliàs à priuato vitio, membranis præſertim infeſto, elephanticis frequenter admodum accidit, vti illic explicabitur: rariùs aliàs in homine eueniens. Sicuti piſcibus, ſi in aqua impura diu in vinarijs retineantur, accreſcente illis limo, eosq; obcæcãte, ſæpè accidere vidi. Interdum ab eroſæ tunicæ corneæ ſuperficie naſcitur vnguis dictus: quando tunc exudans nutrimenti illius portio, in ſimilem illi, cornu vel vnguentum referentem materiam, niſi quòd pellucida non eſt, concreſcit: Sicuti eroſis oſsium perioſtiis, nodos, & cute vulnerata, cicatrices, ex ſucco quoq; illos nutrire ſolito, generari, alibi diximus.

Vueæ membranæ vitia viſui nocent, cùm foramen illius, quod pupillam vocant, in parte ea vueæ, quæ corneæ ſubtenſa eſt, minimè tamen adnaſcitur, peruium, lucemq; in oculum intromittẽs, vel humore aliquo, aut muco obturatur; vel imminuitur aut dilatatur. Quæ omnia, cùm cornea, quæ illi præponitur, tranſparens ſit, licet ſub ipſa noxa lateat, extrinſecùs quoq; nigro oculi, illiúsve ambitu, videri cognoſcique poſſunt.

Ab humore obturatur nonnunquam hoc foramen, viſuique via intercluditur. Fitq; hoc à propriis nonnunquam oculi humori- *Obſtructio vueæ foraminis*

seu pupillæ, ab humoribus proprijs oculi, causa Visus hallucinationis.

bus, crystallino & vitreo in ipsum prolapsis: sicuti ex humorum situs permutatione, vti dictum fuit, & pupillæ nimia amplitudine, sicuti dicetur, potest accidere, visioq; sic impediri. Quod & tunc, cùm albiginis instar appareat, in oculi ea sede videtur.

Obstructio pupillæ, à sanguine & pure in Hyposphagmate & Hypopio, causa Visus Hallucinationis vel Defectus.

A sanguine ab ictu, non tantùm in corneam infuso, vti priùs dictum est, sed etiam ad spacium hoc, inter corneam & vueam inane vsque penetrante, illudq; omnino, vel ex parte adimplente, & pupillam obturante, idem potest fieri. Qui ruber ab initio, tandem verò liuescens, mox nigricans, illic latêre apparet (cùm sanguis in spacia corporis infusus, mox corrumpatur, secus ac cum cornea illum imbibit, vbi citra mutationem rubeus diu sæpè, vti dictum, persistit) visumque tunc vel deprauat, vel obfuscat: plus minúsve, prout spacium exiguũ, vel totum occupat, oculiq; Sugillatio, Hyposphagma propriè appellatur.

A pure quoque in ea sede collecto, visio impediri potest, diciturq; tunc affectus ille Pyôsis. In quo si pus copiosum collectum, oculi nigrum totum occupare, aut etiam iridis spacium totum implere, perq; corneam pellucere videatur, Hypopyos dicitur. Si verò exigua illius portio, in dicta sede vnguis resecti instar tantùm translucere videatur, Onycha seu vnguis appellatur.

Cuius puris collectionis causa, sanguis, vti dictum, oculo illapsus, & in pus tandem conuersus, plerunq; esse solet. Vel inflammatio oculi prægressa, & abscessum post se relinquens: non eum, in quo cornea simul corrumpitur, & in pus conuersa, eo rupto humores oculi profundit, vt superiùs dictũ est: sed in quo, discusso post inflammationem sanguine, in ea tantùm sede portio illius remanens suppuratur. Adhæc sine inflammatione vel causa externa puris hanc collectionem, etiam interdum fieri post capitis dolores, scripserunt: quod cùm fit, verisimile, ex aqueo humore sic suppurato, & maturato, sicuti pus ex similibus humoribus generari posse, alibi docuimus, hoc factum esse: cùm sanguis aliàs huc, nisi per vim contusa cornea, perferri, venis vti dictum, eò minimè pertingentibus, vix possit.

Obstructio pupillæ à muco, tandem in pelliculam concrescente Suffusio dicta, causa Visus defectus.

Muco tenaci, in ambitu huius foraminis seu pupillæ margini adhærente, illícq; prætenso, sensimque concrescente, in vno ferè tantùm oculo, licet & alter nonnunquam mox simili ratione affici incipiat, visio frequentissimè labem patitur, diciturque, quòd pupillæ suffundatur, Suffusio Hypochyma. Quæ ab initio, cùm sit adhuc mucus pellucidus, & lucem transmittat, ob crassitiem tamen visioni, ac si nube obtensa obfuscaretur, & varijs atomis, vti dictum, volitantibus, res viderentur, impedimentum ac hallucinationẽ parit, vnde tunc Imaginatio & Nubecula, vti ostensum, appellatur. Atque hæc in oculo nondum bene conspicua est, nisi quòd illius nigrum, quod Stellam vocant, non exactè nigrum, sicuti penitùs nigrum esse debet, sed turbidum nonnihil apparet. Quo etiam, si in vno tantùm oculo hoc videatur, altero adhuc puro existente, ab illa imaginatione & nubeculis, quæ vaporum causa simili ferè modo oculo se offerunt, nisi quòd vtrumque æqualiter afficiant, distinguitur.

Tandem verò sensim magis magisque mucus ille incrassatus, perspicuitatemque amittens, faciliùs intuitu cognoscitur, glaucoq; ferè, vel cinereo, vt Oculistæ vocant, colore se manifestat, ac nigrum oculi nonnihil delens, visui tunc quoq; magis officit, Quam immaturam suffusionem & aqueam, German. Opthalmotomi, Wasserstern, quia cùm mollior adhuc sit, & aquea, acu, vti dicetur, deprimi nondum possit, vocant: quam veteres à glauco colore, Glaucoma, quod crystallini humoris vitium est, nominarunt; & quia crystallinus humor, hoc colore tinctus, suffusionis immaturæ specimen præ se fert, aliqui illud ignorantes, glaucoma propriè dictum idem cum suffusione fecerunt.

Postremò verò, muco iam enarrato, penitùs incrassato, dealbatoque, sicuti exiccatione res lucidas dealbari, & perspicuitatem omnem amittere, suprà diximus, ita & hîc accidit, visioneque penitùs tunc sublata, Cæcitas omnimoda sequitur: Nisi fortè, vti sæpè vidi, in parte aliqua illius, vel in

ambitu

ambitu tantillum nigri adhuc, punctim vel circulatim compareat, per quod exigui splendoris scintillæ, oculum adhuc luce obscura, ex qua tamen nihil rectè dijudicari posit, illustrant. Estque hæc Confirmata suffusio dicta, quam Maturam, si modo exactè videatur, quòd tunc primùm eam chirurgus tractare posit, appellare solent: & Pelliculam & Telam, German. Fäl/quòd tunicæ instar pupillæ obtensa, splendorem intercipiat, communiter appellāt: Oui albumini coctione obnatæ pelliculæ, & colore & tenacitate non absimilis: & licet per se nullius momenti esse videatur, tantam tamen calamitatem corpori, in visus priuatione, multis mortalibus adferre solet.

Causam huius mucoris pupillæ accrescētis, ad vaporis oblationem, vel humoris influxum, referunt. Cæterùm à vapore non hanc suffusionem, sed imaginationes simpliciter dictas fieri, & quomodo id accidat, supra ostensum fuit: & sanè hominis nimio otio abundantis esset, adeò vanam opinionem pluribus refellere.

Ab humoris verò influxu, reliqui omnes id fieri censent, huicq; auertendo, vti explicabitur, curam omnem frustrà accommodant: & proin hunc affectum ineptè Catarrhactam, alij Aquæ descēsum in oculos vocant. Quod tamen nec ratione vlla probari, nec demonstratione ostendi potest. Primùm enim si ab aquæ vel humoris in oculi globum fieret affluxu, non hæc exigua tantùm, & vix lentis instar ampla nasceretur materia, sed oculi globus totus distentus, & veluti hydropicus tumeret, Quin quòd nullum spatium inane in oculo inuenitur, quod aquam hanc posit admittere, cùm totus vndique proprijs humoribus, ab ortu in eo natis, adeò repletus & distentus sit, vt ne guttulæ quidem alienæ locus supersit, aut cornea vlla ratione amplius distendi dilatarive queat. Dein & per quam viam quæso, hæc aqua in oculum defluet? cùm illud per venas & arterias, quæ vt supra declaratum fuit, oculi interiora minimè subeunt, fieri nequeat. Verùm per opticum neruum aiunt id fieri: egregium sanè subterfugium, partem tam nobilem, excrementis hisce deferendis, aptam statuere, per quam præter æthereum illum spiritum animalem, transire nihil potest. Sed fac illum humorem per neruum hunc descendere, quomodo obsecro ad pupillæ foramen peruenire poterit? cùm nec retiformis neruus cauitate sua, quæ vitreo humore penitùs impleta est, illum posit admittere: nec vueam, quæ in ambitu vndique corneæ ciliaribus procesibus transuersim connata est, pertransire posit. Quæ certè illos, qui opinionibus eiusmodi, cùm sensu & ratione pugnantibus, patrocinantur, si modò oculi fabrica penitiùs ipsis est cognita & perspecta, ea qua par est diligentia perpendere priùs oportebat, & veras vias potiùs, per quas humores ferri possunt, indagare, quàm ignoratis proprijs morborum causis, ad cōmune illud ignorantię asylum, defluxiones, & corporis nescio quam transpirabilitatem semper confugere.

Nos verò hæc diu multumq; perscrutati, & longa obseruatione, suffusiones innumeras, earumque principium, augmentum, & punctionem propiùs contemplati, ab aqueo humore tenacitatem aliquam adipiscente, causam huius mucoris proficisci, deprehendimus. Ille enim (sicuti in illius & aliorum humorum explicatione superiùs dictū fuit) cùm ab ortu tenacior existat, (nam & hoc vitium recens natos secum in lucem attulisse, aut mox illis superuenisse, sæpè vidimus) vel ætatis decursu in senio, in quo frequenter accidit, exiccatus: vel à morbis calidisimis, post febres ardentes, aut oculorum inflammationes, aut calorem externum vehementem, in illis qui ad ignem sedendo, eumque intuendo pleraque munia obeunt ortus: vel colliriorum nimis calidorum & siccantium vsu, aqueus humor inspissatus, viscosiorque: vt dictum, factus, membranæ huius foraminis, quod continuò alluit, margini sensim accrescit, atq; ea sede, qua foramen illud opplet, sicuti in pulte cutem dictam nasci cernimus, paulatim concretus, ea ratione, vt ostensum, induratus, splendorem amittit, & succesiuè, sed longo tempore, in pelliculam conuersus, visionem tollit, Quæ si deprimatur, vt po-

ſteriùs explicabitur, portione aquei humoris reliqua, cuius ſuperficiei innaſcebatur, pellucida adhuc exiſtente, viſus ſtatim redit: ſin & illa quoq; iam luciditatem nimia exiccatione amiſerit, vti frequentiſsimè accidit, licet ſuperficies illius detracta ſit, cæci nihilominus manent, & ob id fruſtranea fuerit Oculiſtarum opera.

Anguſtatio pupillæ, cauſa Nyctalopiæ. Anguſtatio nimia vel imminutio, vt vocant, foraminis illius in vuea, quod pupilla vocatur, viſionem vix aufert, cùm etiam per anguſtiſsimum foramen, lux oculum ſubire, illumque quantum ad viſionem ſufficit, illuminare poſsit. Vnde & eos quibus ab ortu exigua admodum pupilla contigit, nihilominus æquè atque illos qui eam amplam habent, acutè videre, imò interdum acutiùs, reſque magis diſtantes, animaduertimus. Et quemadmodum per exiguum foramen minori oculi offenſa ſolem intueri poſſumus, ita illi minus à ſplendore externo & magna luce, quàm alij, offenduntur. Quibus & cùm præ cæteris copioſiùs ad bene videndum opus habeant; fit, vt ſub noctem aut tenebris iam nonnihil ingruentibus, minus cernant, quàm plena luce, eſtque hæc præcipua Nyctalopiæ illius, in qua ad leuem ſplendorem lunæ, ſtellarum vel accenſi luminis, non ſufficienter vident, cauſa. Licet & hoc, vt ſuperius explicatum fuit, corneæ aut humorum obſcurationis cauſa, quia tunc maiori quoque luce vt illuminentur, opus habent, poſsit accidere, neque in omnibus nyctalopis exigua pupilla obſeruetur.

Quod vt congenitum quibuſdam eſt: ita vix ob ſpirituum oculum diſtendentiū paucitatem, aut tantam oculi globi ſiccitatem, quemadmodum aliqui docent, vt ob eam penitùs pupilla concidat, fieri poteſt: ſicuti aliquando ex oculi vulnere, effluxis humoribus, & collapſis tunicis penitùs occæcari, vt ſuperiùs declaratum fuit, contingit.

Dilatatio pupillæ, ſeu Mytiriaſis cauſa Veſpertinæ aciei. Dilatatio pupillæ Mytiriaſis dicta, copioſam lucem in oculum ſpargendo, viſionis claritati obeſt, nimio ſplendore tenebras illi offundens: etſi magna illius ſit ampliatio, in obſcuriore nonnihil & tenebricoſiore luce, rectiùs quàm in nimiùm lucente vident. Hincque animaduertimus inter aues, noctuas, & inter animalia catum, quæ noctu quoque vident, pupillæ foramen nictando contrahere, & ſpontè diducere rurſum poſſe: atque ad ſplendorem lucis vel luminis ita coarctare, vt oblonga fiſſura nigra tantùm appareat, noctu verò & in tenebris adeò dilatare, vt tota anterior iridis regio nigra videatur: ob eamque cauſam etiam noctuæ obſcuras imagines, oculo admodùm aperto hauriunt, & interdiu ne ijs nimiùm apparentibus lædantur, rurſum coniungunt, tenebraſque captant. Alioquin enim ad res diſtantes meliùs aut minùs cernendas, vt putarunt aliqui, hæc pupillæ amplitudo anguſtiáve, parùm facit: cùm & ampla & anguſta pupilla præditis, viſionum hi defectus, quos iuuenum & ſenum viſiones appellauimus, poſsint, vti ſæpè notauimus, accidere, & quod in multis, meq; ipſo obſeruaui, etſi vnius oculi pupilla longè amplior, quàm alterius oculi in eodem homine exiſtat, viſionem tamen in vtroque oculo, ſimilem euadere. Nec dum, etſi talis pupillæ dilatatio eueniat, res quæ cernuntur, minores quàm ſunt, repræſentari, ſicuti aliqui opinati, obſeruare potuimus.

Ab ortu verò plerumq; hæc pupillæ dilatatio animantibus quibuſdā, ſicuti illis quæ noctu videre conueniebat, euenit, & niſi modum omninò excedat, aliter quàm dictum, viſioni minimè incommodat, ſed potiùs vtilitatem aliquam, quam mihi quidam expoſuit, adferre videtur. Cui cum pupilla contigiſſet ampliſsima, non ſolùm capite immoto, ea quæ ante faciem, ſed & quæ in lateribus diſsita erant, & ab aliis non niſi capite eò inclinato, videri poſſunt quoque per viſum comprehendere, & cognoſcere potuit. Quod eò facilius illi narranti credidi, cùm & mihi ipſi, in iuuentute hoc contigerit, & in menſa vno intuitu plures in ambitu ſedentes, ſimul cernere, ipſorumque geſtus notare potuerim. Quòd ſi verò ex vulnere vel læſione alia, oculi pupilla potius dilaceretur, quàm dilatetur, tunc eo nomine, quòd humores ad anteriora nimiùm ferantur, vti ſupra expoſitum, viſione citius officit, quàm vt eo quo dictum modo, mutationem

tionem adferat. Ab humorum influxu, vti putarunt, fieri non posse, iam declaratũ fuit. A spirituum verò impulsu vehementi, ex conatu, si oculo dilatato, pupilla etiam ampliaretur, mox tamen eodem cessante, ad naturalem rediret amplitudinem.

Curatio.

CVratio omnium harum visionis læsionum: nimirùm cæcitatis, amblyopiæ, visionis quà senem & iuuenem appellauimus, myopiæ, nyctalopiæ, vespertinæ aciei, hallucinationis, imaginum, scotomatis, vertiginis, cæterorumque, ratione causæ instituitur. Quæ est, sicuti dictum fuit, vel in cerebro, affectus illius non tantum visioni, sed & alijs sensibus noxam inferentes; Vel priuatim & præcipuè visioni incommodantes: nimirùm læsio, contorsio, siccitas, refrigeratio, spirituum agitatio & conturbatio, vel repletio ab humore aqueo. Vel est retiformis nerui, per consensum factus affectus: Aut in oculi humoribus membranisq;, morbi præsertim organici: nimirum, defectus humorum oculi: situs vueæ foraminis seu pupillæ; aut humorum oculi peruersio: substantiæue immutatio: paruitas & amplitudo pupillæ nimia: macula alba ex suffusione, albugine aut cicatrice apparens, & panniculus oculo obductus: vel humor vt bilis, sanguinis, pus in oculo, collecta. De quibus, quid in singulis prædicendum, agendumque sit, ordine explicabimus.

Visus læsionum cùm alijs sensibus, si Cerebri vitio fiant, curatio.

Cerebri vitio si visionis læsio fiat, sitq; hoc generale, non saltem visionem vitians, sed & sensus alios, tàm internos, quàm externos tollens, minuens vel deprauans, & per consequens visioni etiam incommodans; curatio, vti & illorum tota tractatio, in generalibus hisce læsionibus, explicata fuit. Vt in apoplexia, cæcitas vnà cum reliquis sensuum abolitionibus accidens. In mania & delirio, spectra, imagines & vertigines: quæ illis simul quoq; superueniunt cum alijs accidentibus. Atque in mentis imbecillitate, visionis imbecillitatem, quæ sensuum internorum defectum comitatur.

Visus defectuum propriorũ

Cæterùm si affectus hi extra oculum adhuc, in cerebro vel neruo optico consistentes, præcipuè visioni obsint, hìc tractandi erunt, & pro causæ ratione, curatio vel prædictio instituenda.

si nerui optici in cerebro adhuc læsi causa fiat, curatio.

Si itaq; ex læsione insigni, vel vulnere circa oculum adacto ad neruum opticũ vsque, visio sublata sit: sicuti aliquando accidisse, nulla alia læsione secuta, diximus; cæcitas illa immedicabilis erit.

Quòd si quoque contorto ex conuulsionibus neruo optico, vti dictum est, cæcitas inducta sit, nisi intra dies aliquot spontè visio redeat, sicuti euenisse vidi, desperata salus: vti & deinceps toto ætatis tempore cœcos mansisse notaui.

Neq; spes aliqua curationis erit, si ex siccitate nimia optici nerui, post febres ardentissimas cæcitas relicta sit: cùm ea quæ extrinsecùs fronti & capiti, humectationis causa adhiberi, in memoriæ imbecillitate ex siccitate cõtracta, debere diximus, etsi hìc quoque conueniant, tamen parùm plerumque prosunt, & ad neruum difficulter vires suas producere queunt.

Sed & si ab externo frigore à vento, vel applicatione oxyrhodinorum frigidorum, cæcitas fiat, cùm neruis frigidum omnino inimicum sit, noxa illa fere incurabilis existit. Tamen actu calidis & potentia, frons & caput fouenda inungendaque erunt. Imprimisque odorata naribus, quæ calida sunt, & penitùs ad neruum vsque pertingunt, adhibenda. Quorum remediorum formas in stupore à frigiditate facto, iam exposuimus.

Vertiginis raræ induratis Arterijs cerebri, accidentis, curatio.

Nec quoque salus aliqua speranda, si arteriarum induratarum vitio, vti aliquando inuentum fuisse diximus, vertigo illa diuturna fiat. Quod tamen cùm viuente homine, vix coniectari possit, de eo aliquid certi prædicere, temerarium esset: donec post mortem sectione facta, causa mali deprehensa Medicum excuset.

Vertiginis à Spirituũ cerebri agitatione factæ, curatio.

A spirituum verò in cerebro agitatione, à causa tantùm externa, si vertigo fiat, ob motum corporis aut animi saltem, nulla intrinsecùs alia causa concurrente, illa etiam, cessante causa, sponte cessat: Citiusq; si contrario motu facto, spiritus reducantur & sistantur. Vt si ex circumactu corporis in dextrum latus vel sinistrum, vertigo facta sit, opposito

in sinistrum vel dextrum latus motu, citius ea cessat. In quibus & supinus decubitus iuvat; qui tamen, si ab interna causa vertigo procedat, aut ex ebrietate, eam potius proritat. Si ne sic quidem cesset, frictiones extremitatum iuuāt. Et somnus superueniens eam aufert.

Vertiginis Scotomatis & imaginationis à vaporibus inductis, curatio.

Quod si verò spirituũ hæc agitatio & perturbatio à vaporibus sursum delatis oriatur: vnde & vertigines & scotomata, & imaginationes: vel separatim vel semel fiunt. Tunc humores, qui vel in ventriculo, vel venis meseraicis, circa vterum, aut in habitu corporis alicubi, & ipso nonnunquam capite continentur, à quibus vapores hi exsurgunt: quos biliosos, sanguineos, impuros potius, quàm pituitosos esse diximus (cum pituitam alia ratione & vertiginem & amblyopiam efficere ostenderimus) expurgandi, & vnà cum vaporibus diuertendi erunt: per sanguinis detractiones: scarificationes; frictiones: cauteria: vomitus & purgantia. Idq; exhibitis, admotisque. Et viuendi ratione vapores hi inhibendi: sequenti modo.

Sanguinis detractio, per brachij humerariæ venæ sectionem, in plethoricis, non tantum si alicubi in sanguine fomes mali lateat, sed & si in capite sanguis vel copiosus, vel spirituosus redundet, causamque vertigini præbeat, competit. Nam cum in cerebri finibus, sanguis tàm arteriarum quàm venarum confundatur, etiam vena aperta, spirituosus sanguis exhauriri potest: in quo, si malum totum ferè lateat, præcipuus curationis scopus in phlebotomia existit. Ob eamque causam etiam iugulares in collo aperire iubent: quod tamen non sine periculo, & metu summæ hæmorrhagiæ, & sterilitatis, si Hippocrati credimus, fieri potest. Imò spirituoso sanguine vertiginẽ causante, eam curari non posse, nisi arteriæ post aures aperiantur, plerique docent: experientiaque comprobatum est, post varia diu frustrà tentata remedia, hoc auxilij genus tandem iuvisse: quod tamen non nisi omnibus prius tentatis, & cùm certi de causa sumus, eamq; ex spirituoso illo sanguine profectam esse; ex pulsu arteriarum continuo, vti dictum, cognoscimus, summa tamen adhibita diligentia, cùm vulnus ægrè coalescat, denudata, primùm arteria, vt postea ligari possit, fieri debet. In fronte quoque, in vertigine ab hac causa orta, vena aperiri posset: & in pede, si inde vapores ascendant. Et sim enses suppresi essent, saphena. præsertim circa vteri venas, causa vapores sursum demandans, lateat. Quo nomine & hæmorrhoides, si in meseraicis mali fomes contineatur, vtilissimè prouocantur.

Scarificationes eadem ratione, loco venæ sectionis, & post illam, ad deriuationem faciendam, in colli lateribus, scapulis, adhibitis cucurbitulis, factæ, etsi causa sit in capite, vel aliunde per vapores sursum feratur, prosunt. Peculiareq; remediũ in vertigine, scarificatio in carpi regione, vel manus ea sede externa, quæ est inter pollicem & indicem censetur. Quæ & in extremitatibus, si indè aura ascendere sentiatur, eo loco, vnde primùm exsurgere cognoscitur, facta vtilis est.

Frictiones à collo per spinam ad inferiora, sensim ad extremitates veniendo, easque fricando, fieri debent: sic enim vapores, spiritusque reuocantur. Post quas, vt quod in capite collectum est, discutiatur, caput panno nouo (non calefacto, vt alioqui facere solent, ne vaporum fiat ad caput attractio) fricetur.

Sed & ligaturis, si à parte aliqua prodeat vapor, eam vinciendo, vapor ne ascendat, impedire poterit.

Cauterium in perseuerante malo, vel Vesicatorium, quod plus humoris euacuat, diuersionis maioris causa, eodem nomine in medio capitis conuexi, vel post aures applicandum: siue actuale, siue potentiale existat. Nonnunquam & in pedibus aut alijs locis: si vapor inde suscitari sentiatur.

Vomitus, si in ventriculo aut venis meseraicis, biliosa præsertim, vti dictum est, materia vapores gignat, plurimùm iuvabit: in imaginationibus, scotomatibus & vertiginibus, inde progressis. Qui leuioribus primùm; mox quoque fortioribus, si in venis meseraicis materia lateat, etiam repetitis vicibus, si ferre possint, concitandus erit.

Purgantia, si in ijsdem primis vijs, materia vapores demandans, aut alibi etiam in corporis

poris alia sede consistat, in omnibus illis speciebus erunt vsurpanda: & si in capite, à sanguine impuro talis evaporatio exurgat, illuvies illa expurganda est: Biliosis, acribus, impuris humoribus, à quibus vapores potiùs hi, qui subtiles sunt, eleuantur, educēdis, ea, potiùs quàm pituitæ expurgandæ, accommodantes: de cuius euacuatione, si vertiginis aut visus imbecillitatis causa sit, postea agemus: corporis cōstitutionis interim quoque in illis eligendis, habita ratione.

Hoc autem præstabitur, exhibendo primùm pilulas aliquas stomachales leuiores, ex Aloë paratas, & Hieris: vel Bolum.

Dein materiam, si præparatione opus habeat, priùs præparabimus: & imprimis obstructiones reserabimus: hoc modo.

Si materia in ventriculo lateat, & bilis vel cruditas illic in causa sit: ℞. Oxymel. simplic. Mellis ros. ana ℥.j. syrup. de Absynthio, Vini granatorum ana ℥.ß. aquarum Absynthij, Maioranæ q.s. fiat Iulep.

Vel si in venis meseraicis potissimùm lateat: ℞. syruporū de Cichorea, de succo Endiuiæ ana ℥.j. de duabus Rad. ℥.ß. aquarum Absynthij, Cichorij q.s. fiat iulep.

Vel Vinum absynthites detur: quod præsertim in illis vertiginis speciebus plurimùm laudatur. Idque vel simplex: aut cui Radices aperitiuæ, & Maiorana, aliaque deoppilantia priùs infusa sint.

Purgabitur dein fortiori medicamento, vt ℞. pilul. de Hiera, vel Masticinarū ʒ.ß. Cocciarum ℥.ß. olei Fœniculi, vel Anisi, vel Carui (propter vapores) guttam j. seminis Pæoniæ gr.iiij. cum Vino albo: fiant pilulæ

Vel vsuales sic fiant, de quibus ℈.ij. sumat aliquoties: ℞ pilul. de Hiera compos. Aggregatiuar. ana ʒ.ij. Agarici troch. Rhabarbari ana ʒ.j. seminum Cimini & Pæoniæ ana ℈.j. cum syrup. Ros. sol fiat massa ad vsum.

Vel sumat hunc bolum: ℞. Cassiæ ʒ. iij. Hieræ Hermetis ʒ. ij. misce.

Vel paretur bona quantitas: de qua bolus ℥.ß. quantitate per intervalla sumatur: ℞. Cassiæ ℥.j.ß. Hieræ Hermetis ℥.j. Myrobal. quinq; generum ana ʒ.ij. Epithymi ʒ.j. pulu. rad. Pæoniæ ʒ. ß. seminis Cimini ℈.j. syrupo Ros. sol. q.s. fiat electuarium.

Vel detur potio aut infusio hæc: ℞. Rhabarb. ʒ.j. Agarici ℈. ij. Myrobal. citrin. ʒ. ij. Absynthij ʒ. j. Cinamom. ʒ.ß. Zingib. ℈.j. infundantur in Vino albo tenui: exprimantur dissolve syrup. Ros. sol. ℥.j. Detur.

Vel sic: ℞ Agarici troch. in Oxymel. infusi & expres. ʒ. j. Rhabarbari in Vino, diluti aqua Absynthij & Betonicæ, infusi ʒ.ij. Cinamomi cum rhabarbaro infusi ʒ.ß. syr. Ros. sol. ℥.ij. fiat potio.

Vapores interea semper reprimēdi erūt, qui in vertigine, scotomate & imaginibus, caput petunt: loco interim considerato vnde hi exsurgunt.

Si enim hoc fiat à ventriculo & venis meseraicis electuariū sequens convenit: Quod post prandium & cœnam exhibebitur, interdum & manè, castaneæ quantitatis instar: quod ℞. conseruarum Rosarum ℥. ij. Maioranæ ℥.j. florū Pæoniæ ℥.ß. condit. Cyton. ℥.j. cort. Citri ℥.ß. Myrobal. embl. numero j. Rob de ribes (in biliosis) ℥.ß. pulu. Diacytonit. sine speciebus ʒ.j. seminis Coriandri præp. ʒ.j. Masticis ℈.ß. cum syrup. cons. cort. Citri: fiat electuarium.

Vel vtatur huius pulueris, post pastum dicti, cochleari vno, qui ℞. seminis Coriandri saccharo semicooperti ℥.j. seminis Anisi. simili modo cond. ℥.ß. pulueris Diacyton sine speciebus ℥. j. Dyarrh. abb. Santali rub. cort. Citri sicci ana ʒ.ß. fol. Euphrasiæ, Maioranæ ana ℈.j. Masticis ℈.ß. Sacch. ros. tab. ℥.ij. fiat puluis.

Tabulæ parari possunt, ex puluere Diacyton. sine speciebus ʒ.j. Coralli rub. ʒ.ß. rasuræ Eboris ℈.j. cum Saccharo dissol. in aqua Rosar. ad ℥.ij. fiant tabulæ.

Ad vapores impediendos, præstantissimum quoq; est remedium, si ieiunis, vt fieri solet, paroxysmus eueniat, cibum exhibere: quo sumpto statim mitescit, vel cessat vertigo, imaginatio & scotoma: eoq; sola aliqui, ieiunium viantes, restituti sunt.

Somnus quia vapores discutit, plurimùm in hisce casibus iuvat.

Extrinsecùs ventriculi regione emplastra, cerata, si inde vapores, & à venis meseraicis prodeant, ad eos impediendos adhibentur. Quæ noctu gestant.

Veluti

Veluti emplaſtrum de Maſtice: vel aliud pro ventriculo paratum: malaxatum oleo aſtringente aliquo. Aut ceratum Galen. pro ventriculo.

Vel tale: ℞. Roſ. rub. fol. Abſynthij an. ʒ. ij. cort. Citri ſicci, Ladani ana ℥. ß. Maſticis ʒ. ij. pulueriſentur & cum oleo Cyton. vel Maſticino, addita Cera: fiat ceratum.

Si circa vteri regionem hi vapores exurgant, eadem emplaſtra de Maſtice, vel pro Matrice, illius ſedi apponantur: & aliquandiu geſtet mulier: niſi menſium retentio id prohibeat, quibus fluentibus, omittuntur.

Si ab alia corporis ſede, vt pedibus, aut alijs, auræ inſtar aſcendens vapor, vertiginem, vt dictum, procreet: Tunc lotio illarum partium, vti & in alijs cauſis ſi fiat, plurimùm diuertit.

Quæ & ſic fieri poterit: ℞. fol. Saluiæ, Roſmarini, Spicæ celticæ, Iuæ, Hyperici, florum Chamomil. Roſarum, Lauandulæ, q. ſ. decoquantur in Vino & Lixiuio.

Poſtea vngat ſequenti inunctione pedes: ℞. oleor. Laurini, Lumbricorum, Cheirini ana ℥. j. Aquæ vitæ ℥. ß. Salis parùm: Coquantur ad vſum.

Capiti admouenda, quæ vapores repellant, Oxyrhodina, ſi neceſsitas admodùm vrgeat. Et ſi perſeueret, addendo validiùs aſtringentia: vt ſuccum Plantag.

Et ſucceſsiuè cucupha talis geſtari debet, quæ ℞. rad. Cyperi, Acori veri, cort. Citri ana ʒ. j. ſeminum Coriandri ʒ. ij. Myrtil. ʒ. j. florum Roſarum, Anthos ana ʒ. ß. Gariophyll. ʒ. ß. fiat puluis: Pro cucupha.

Supra oculos aliqui in imaginationibus & ſcotomatibus remedia poſuerunt: quæ ſuperuacanea, cùm vapor ad oculos minimè perueniat, eſſe exiſtimamus.

In viuendi ratione, moderata omnia ſint, Cibus ſimplex, non nimius. Vinum quoq; parcè vel dilutum bibant. Motus corporis nimius vitetur: & imprimis capitis nimia agitatio, aut inclinatio. Intuitus item rerum rotantium, vel admodùm ſplendentium caueatur. Et à nimia animi per ſtudia & vigilias agitatione, abſtineant.

Appenſum Cryſtallum plurimùm valere in vertigine, cenſent: atque ex poculo inde parato, eiuſdem vtilitatis gratia bibunt: vel poculis cryſtallum immergunt.

Repletionem cerebri ab aqueo, ſeroſo & pituitoſo humore, vertiginem fluctuatione ſua & flatibus efficere, & ex affluxu eiuſdem humoris ad nervum opticũ, cæcitatem, aut ex illius irrigatione, amblyopiam interdum naſci, dictum fuit. Et præter haſce viſionis læſiones, quæ cauſa cerebri fiunt, oculi vitia viſioni incommodantia, nulla alia à pituita vel affluxu talis humoris, qui neq; nervum retiformem, nec oculum ſubire poteſt, fieri poſſe demonſtratum fuit. Proin & hiſce tantùm affectibus, hanc curandi rationem, quæ huic cauſæ ſolùm debetur, accommodamus, neq; eam, vt alij fecerunt, ad ſuffuſiones, aut alios oculi affectus, quos à pituitæ influxu quoque prodire crediderunt, referimus. *Viſus imbecillitatis et Vertiginis, ab aqueo & pituitoſo cerebri humore profectorũ, curatio.*

Hîc autem, etſi talis quoque cura, qualis caro, apoplexiæ, & alijs cerebri pituitoſis affectibus debetur, cõueniat, & propterea fortè hoc loco non ampliùs repeti deberet; vt tamen, qua ratione in hiſce affectibus, ea viſioni quoque accommodanda ſint, intelligatur, hîc explicabimus.

Periculoſa autem eſt vertigo inde nata, ſi magna capitis adſit repletio: qualem, vti demonſtratũ eſt, ſæpius inuenimus: quæ cùm ægrè auferri poſſit, in carum & apoplexiam, quorum prænuntia eſt, interdum deſinit. Sicuti & amblyopia ſi inde accidat, in cæcitatem, quæ interdum mox ab initio, humore affatim affluxo, prima eſſe ſolet, temporis ſpatio conuertitur. Quibus proin præcauendis, in vertigine & amblyopia inde natis, ſequenti modo mederi ſtudebimus.

Humores illos excrementitios, ſeroſos & pituitoſos capitis, auferre primùm conabimur: illos à cerebro euacuando, reuellendo & deriuando. Dein cerebrum quod illos generat, & ab illis rurſum humectatur & refrigeratur, calefaciendo: illudq; ijs quæ illi, neruis, oculiſq; appropriata ſunt, roborando. Et ſimul cauſam ne de nouo generetur, aut foueatur, impediendo. Quod remedijs intro foriſque adhibitis præſtabitur. Purgantibus per aluum, per os & nares: Vel per ſanguinis detractiones: aut admota capiti, aliiſve partibus conſentientibus: Vel per exhibita alteran-

alterantia: Viuendique rationem: Non neglectis amuletis.

Purgationes per aluum ad pituitæ capitis eductionem, & causæ, ne de nouo generetur, impeditionē, methodicè sic instituantur.

Clystere præmittitur stimulans & acre. Quod & per interualla vel hebdomadatim vtiliter inijcitur.

Et in visionis hisce læsionibus, sic magis accommodatum erit: ℞. rad. Ireos, Pæoniæ, rec. ana ℥.ij. herb. Centaurij min. Betonicæ, Rutæ, Euphrasiæ, Fœniculi ana M.j. florum Chamomil. Lauendulæ, vel Stœchados ana P.j. seminum Fœniculi ʒ.ij. Carui ʒ.j. Senæ (quæ proprietate oculis conuenit) ℥.ß. Agarici in petia ligati ʒ.iij. Furfuris P.j. fiat decoctio: dissolue Mellis communis vel anthosati ℥.j. Hieræ logodij vel Hermetis ℥.ß. olei Rutæ, Liliorum ana ℥.j. Salis nitri, parùm: fiat clyster.

Præparatur humor ante purgationē, per dies aliquot: iulepo vel decocto, vel vino.

Iulepus sic parabitur: ℞. Mellis anthos. (loco ros. vel oxymell. quod propter acetum non adeò neruis vtile erit) syr. de Stœch. de Betonica, an. ℥.j.ß. aquar. Euphrasię, flor. Pęoniæ, Fœniculi, Maioranæ an. ℥.iij. misce: aromatisetur nuce mosch. & Cinamomo.

Decoctum tale erit: Pro aliquot vicibus: ℞. rad. Ireos, Pæoniæ ana ℥.j. herb. Veronicæ, Euphrasiæ, Fœniculi, Rosmarini, Menthæ ana M.j. florū Anthos, Stœchados, Pæoniæ ana P.j. seminum Fœniculi, Anisi ana ʒ.ij. Carui ʒ j. Prunorum Damascen. numero x. Passul. par. x. coquantur: & in ℔.j.ß. infunde puluerum Galangæ, Zingiberis ana ʒ.j. Cinamomi ʒ.ij. postea colentur: addendo Mellis optimi vel Sacchari q. s. vel ex supradictis syrupis, donec dulcescat.

Vel vinum paretur, cùm amara adduntur vt centaurium; quod hîc valde vtile: ℞. fol. Euphrasiæ, Veronicæ, Centaurij: omnium sicc. seminum Fœniculi an. ℥.ß. Carui ʒ.ij. Nucis mosch. ʒ.j. conquassentur: Pro mensura vna Vini albi: ad vsum.

Cathartica postea exhibenda phlegmagoga, sed visui appropriata: vt quæ senam & fumariam recipiunt. Atque ex compositis quæ succum fœniculi admittunt.

Cuiusmodi sunt pilul. Lucis maiores & minores, quòd oculis lucem adferant, sic appellatæ: Arabicæ item & Sine quibus dictæ: Et ex electuarijs Indum maius & minus: Nos sequentibus vti possumus.

Pilulis primùm, si modo ad deglutiendum non sit ineptus, quas media nocte assumere debet: ℞. pilul. Sine quibus ʒ.ß. Lucis mai. Arabicarum, pul. Hieræ colocynth. ana ℈.ß. cum aqua Euphrasiæ, vel succo Fœn. fiant pilul.

Vel bolum hunc capiat: ℞. elect. Indi, Hieræ Hermetis ana ʒ.ij.ß. cum Saccharo: fiat bolus.

Vel decoctum: ℞. Fumariæ, Euphrasiæ ana M.j. Senæ ℥.ß. semin. Fœniculi ʒ.ß. Carui ʒ.ß. fiat decoctio in Aqua & Vino, & Melle (loco hydromel. vel oxymell.) infunde Agarici, Turbith ana ʒ.j. Zingib. ℈.j. Salis gemmæ ℈.ß. fiat expressio: dissolue syr. de Fumaria compos. ℥.j. fiat potio.

Vel possumus sumere de sequētibus compositionibus, dosim vnam, & loco horum exhibere. Nam cùm per vices in hisce morbis diuturnis, phlegmagogis, & visui interim appropriatis purgantibus, semel in septimana vel mense vti oporteat repetitis denuò nonnunquam præparantibus, sequentes formæ ad hunc vsum parari possunt.

Pilularum forma, qua, ingrata etiam, quæ hîc necessaria sunt, commodiùs deglutire possunt, aptior & vsitatior ferè cæteris esse solet, parando massam ad vsum: Cuius ℈.ij. ad ʒ.j. exhibitionis quantitas erit: ℞. Aloës ʒ.ij. Turbith, Agarici, Rhabarb. Senæ ana ʒ.j. Myrrhæ, Masticis an. ℈.ß. Tartari, Salis gemmæ ana ℈.ß. Zingib. ℈.j. sem. Fœniculi, Rutæ ana ℈.j. Castorij gr. vj. cum succo Fœniculi & Rutæ: fiat massa: quod si addas Hieræ colocynth. & Scammon. parùm, validiùs operabuntur.

Vel ex vsitatis sic parabis: ℞. pilul. Sine quibus, Aurearum ana ʒ.j. Lucis mai. Arabicarum an. ʒ.ß. puluis Hieræ colocynth. ℈.j. olei Fœniculi gutt. ij. succi Fœniculi quantum sufficit: fiat massa.

Si malit electuario vti, tale fiet: De quo à ʒ.iij. ad ℥.ß. sumat pro vna vice, per se, vel dissoluendo cum aqua Euphrasiæ & Fœni-

culi: ℞. electuar. Indi mai. Diaphæn. ana ℥.ß. Hieræ Hermetis ʒ.v. semin. Fœniculi ʒ.j. Cinamom. Gariophyll. ana ʒ.ß. cum syrupo de Stœchade: fiat electuarium.

Si puluere magis delectetur, sequentis tertia pars cum Iulepo, ex syrupo de Stœchade, & aqua Euphrasiæ facto exhibeatur: ℞. Turbith ʒ.ij. Senæ ℥.ß. Tartari ʒ.ij. Zingib. ʒ.ß. seminis Fœniculi ʒ.j. Scammoneæ ℈.j. Sacchari ℥.j. misce: fiat puluis.

Syrupus vsualis id pręstabit, sequenti modo paratus. E quo primò decoctum paratum, tribus continuis diebus exhiberi poterit: & postea ex ijsdem, duplo omnibus auctis, syrupus decoqui: conseruandus ad vsum: ℞. radic. Fœniculi ℥.j. Ireos ℥.ß. Acori, Cyperi, Enulæ ana ʒ.ij. Liquiritiæ ʒ. vj. herb. Fœniculi, Verbenæ, Euphrasiæ, Betonicæ, Fumariæ ana M.j. Thymi, Hysopi ana M.j.ß. florum Stœchad. Anthos, Borrag. ana P.j. semin. Fœnic. ʒ.ij. Carui, Anisi, Seseleos, Sileris mont. Rutæ ana ʒ.j. Passul. par. x. Senæ ℥.ij. Polypodij, Carthami an. ℥.j.ß. Agarici troch. ℥.ß. Turbith ʒ.ij. (addere potes tantundem Rhabarbari in ditioribus) Zingiber. ʒ.j. Cinamomi ʒ.ij. fiat decoctio: adde Sacchari ℥.ij. Pro tribus dosibus: vel duplatis omnibus, vti dictũ, in formam syrupi redigatur.

Vinum purgans magis aliquibus placet, & efficacius est, cùm sola maceratione, vel leui saltem ebullitione fiat: & hoc modo amara administrata, non adeò ingrata sint. Quod eadem ratione, vt syrupus, tribus continuis diebus propinari poterit, & postea puluere in tres portiones diuiso, vnoque semper pro vna exhibitione infuso in vino, per vices sic citra corruptionem exhiberi.

Qui puluis ad macerationem talis fieri poterit: ℞. Absynthij ʒ.ij. Centaurij ʒ.j. Euphrasiæ, Verbenæ, Rutæ ana ʒ.iij. seminum Fœniculi ʒ.ij. Rutæ ʒ.j. Senæ ℥.j. Turbith ʒ.ij. Agarici ℥. ß. cort. Helleb. nigri ʒ.j. Tartari ʒ.ij. Zingib. ʒ.j. fiat puluis: Pro vino.

Per os & nares, tanquam viam pituitæ expurgandæ destinatam, eam à cerebro, postquam corpus purgatum fuerit, deriuare oportet: quæ expurgatio eò conuenientior erit, quòd statim ab ipsa sede affecta, ad quam via hæc rectà pertingit, cerebri excrementa, illic collecta, expurgat. Fitq; hoc caputpurgijs, seu apophlegmatismis dictis, in forma errhini, masticatorij, aut gargarismatis: manè dum ieiuni sunt, vsurpatis. E quibus sequentia hîc vsurpari poterunt.

Errhina quæ naribus attrahũtur, sic fient: ℞. succorum Anagallidis flor. purpureo, rad. Betæ vel Mercurialis, Maioranæ, ana ℥.j. Fœniculi, Rutæ an. ℥.j. Vini albi ℥.ß. misce: si succus Cyclaminis haberi posset, & adderetur, efficacius esset: vti & Fella: sed si in fauces attractione perueniant, nimio amarore eas offendunt.

Inunctio narium, ad profunditatem vsq; illarum, eas illiniendo, cùm non libenter errhinis vtuntur, conueniet, ex succis enarratis fortioribus, imprimis Cyclaminis.

Vel hoc linimento: ℞. succorum Sampsuci, Cyclaminis, radic. Betæ vel Mercurialis ana ʒ.ij. Elaterij gr. vj. olei Irini ʒ.iij. Mellis & Terebint. parùm: vt fiat instar nutriti.

Masticatoriũ sequens masticet: frequenter expuendo: ℞. rad. Pyrethri, seminis Staphisagriæ añ. ʒ.j. Cubeb. Piperis, sem. Fœnic. añ. ʒ.ß. Maioranæ ℈.j. Masticis ʒ.ij. excipiantur pulpa Passul. addendo si nõ hæreant parùm Ceræ: ad formandos pastillos.

Gargarismus talis conueniet: Quo os colluat, & fauces gargarizet: ℞. radic. Pyrethri, reos, Angelicæ vel Imperatoriæ an. ℥.ß. herb. Maioranæ, Saluiæ, Hysopi, Rutæ, Euphrasiæ ana M.j. flor. Lauandulæ, Anthos ana P.j. semin. Fœniculi, Rutę ana ʒ.ij. Nucis mosch. ʒ.ij. decoquantur in Vino & Aqua, addendo Mellis q.s. fiat gargarismus.

Per sanguinis detractionem, vena secta, pituitam à capite exturbare, non possumus, nisi in cerebro pituitosus sit, sicque eum educendo, excrementis hisce pituitosis gignendis, materiam aliquomodo hac ratione subtrahamus. Quod tamen non nisi in plethoricis, & quibus consuetũ hoc fuit, sanguisq; impurior esse apparet, nisi alius affectus comes, vt dolor capitis, id suadeat, faciendum.

Sed & quæ per scarificationes fit, sanguinis in partem aliam reuulsio, nõ alia ratione proderit. Nisi quatenus adhibita per cucurbitulas attractione, serosi humores simul quoque euacuantur: vti mox explicabitur.

Capiti

Capiti remedia, vt humores hi excrementitij, qui coniuncta morbi vel antecedēs causa existunt, alterentur, discutiantur atq; euocentur, & pars ipsa simul roboretur, applicantur. Idq; varijs modis.

Lotiones capitis aliquando factæ sic conueniunt: quæ valdè appropriatæ humorem absumunt: ℞. rad. Ireos, Lauri vel Cyperi ana ℥.j. fol. Sampsuci, Rutæ, Saluiæ, Fœniculi sum. & Rosmarini, Verbenæ, Chelidoniæ, Euphrasiæ, Betonicæ, Iuæ ana M.j. flor. Chamomil. Lauandulæ, Stœchados ana P.j. baccarum Lauri, Iuniperi ana P.j. seminis Fœnic. ℥.ß. Rutæ ʒ.j. Senæ ℥.j. Agar. ʒ.iij. fiat decoctio in Lixiuio, facto ex cineribus iuniperi, rosarum, lauri, addendo Vini albi quartam partem: Pro lixiuio.

Idem sed successiuè præstat pileolus, noctu præsertim gustatus: sequentibus farctus: qui & iucundū odorem spirat: ℞. rad. Ireos, Angelicæ ana ʒ.ij Acori veri, Cyperi ana ʒ.j. fol. Maioranæ, Rosmarini, florum Rosar. Lauandulæ ana ʒ.ß. Nucis mosch. Garyophyl. ana ʒ.j. semin. Coriandri præpar. ʒ.j.ß. Nigellæ ʒ.ß. fiat puluis: Pro cucupha. Qui si pilis quoque inspergatur interdum, potentiùs operabitur.

Suffitus idem efficiunt: quorum vis caput subit, & meliùs siccat: quibus conclauia potiùs & cucuphæ suffumigari, quàm nares conuenit, nam vertiginem sic mouerent, visuique nocerent.

Quæ varijs modis parantur: atq; ex granis Iuniperi parata, visioni quoq; appropriata sunt. Galbanum olfactum Dioscor. vertiginosorum accessionem tollere scribit.

Communione quadā cum capite, pedum lotiones interdum factę, plurimùm ab eo excrementa diuertunt, caputq; roborant. Quæ ex ijsdem, quibus caput ablui debere diximus, vel alijs quoq; lixiuijs, calidis, odoratis, priùs incoctis, parari possunt.

Validiùs serosos humores, & excrementa cerebri euocant, Vesicatoria & Cauteria: capitis elatiori sedi, vel post aures, aut in ceruice applicata.

Punctura in ceruicis cute facta, & chorda quā Setonem vocant, transmissa, idē præstat. Sed & scarificationem in occipitio, adhibitis cucurbitulis factam, visum nerui optici causa amissum, aliquando subitò, hærente adhuc cucurbitula, restitutum fuisse Holl. scribit.

Exhibita in vertigine, & visus imbecillitate, à pituita genitis, vtrisq; eadem competunt: quæ appropriata capiti & oculis esse debent, illaq; calefacere & roborare, prouentumq; pituitæ, cōcoctionem primam & tertiam iuvando, impedire. Atque vapores imprimis, qui caput grauando, paroxysmum prohibent, visioniq; nocent, reprimere, eosq; vti & flatus discutere. Quæ varijs formis & modis vsurpantur.

In pane quædam exhibita prosunt. Vt si semina Carui, Fœniculi, & Macis dum subigitur illi permisceantur. Vel si Zingiber, Gariophyli, contusa, affusa Aqua vitę, ea ratione illi addātur: quod Paracelsus valde probabat.

Sed & reliqui cibi hisce condiri possunt. Vel puluis pro cibo talis parari: ℞. semin. Anisi, Fœniculi ana ʒ.ij. Carui, Maceris ana ʒ.j. Cinamom. ʒ.iij. Sacchari ℥.ij. fiat puluis: Oryzæ aliisve edulijs inspergendus.

Sal tale parari poterit: Quod cum cibis vsurpatur, vel cū ouo sorbili: ℞. Salis ℥.j. Nucis mosch. Maceris, sem. Carui, fol. Euphrasiæ, Maioranæ ana ʒ.ß. misce.

Pulueres alij efficacissimi, varijs modis sic fiunt: Manè exhibendi, per se vel cum Aqua aliqua singulari, vt Euphrasiæ cum Vino permixta (cùm aquæ solæ exhibitæ ventriculo non adeò sint gratæ aut accommodæ) quorum hic singularis sæpe fœliciter vsurpatus fuit; qui ℞. Maceris ʒ.ij. Cinamom. ʒ.j. fol. Euphrasię ℥.j. Sacch. ad pondus omnium: Dentur ʒ.ij.

Alter si vertigo epilepsiā minetur, perutilis: ℞. cinerū Hirund. Cranij hominis an. ʒ.ij. Viperarū ʒ.ß. sem. Fœnic. ʒ.ij. Carui ʒ.j. Pæoniæ, Maceris ana ʒ.ß. Cubebarum ℈.j. fol. Euphrasiæ, Maioranæ ana ℈.ij. Sacchari ros. tab. ad pondus omnium: fiat puluis.

Ex enarratis, tabulæ parari possunt. Vti & ex speciebus vsualibus: præsertim Diatrion pipereon, Diacimino, Dianiso, Aromat. ros. Diagalangæ, Ros. nouellæ, Diambræ, Diamosci: additis temperatioribus, Dyarrhodon, Triasantali, Cordialiū, & de Gemmis.

Post pastum vsurpantur pulueres, ad vapores præsertim arcendos, & concoctionem bonam instituendam; hoc modo: ℞. semin. Saccharo semicoopertorũ sequentium, Coriandri ℥.j. Anisi ℥.ß. Fœnic. ʒ.ij. Carui, Cubebar. condit. quoq; ana ʒ.j. fol. Euphrasiæ, Maioranæ, Rosarum rub. ana ʒ.j.ß. Cinamom. ʒ.iij. Maceris ʒ.ß. spec. Diacyton. cum speciebus ʒ.j. Sacchari ad pondus omniũ: fiat puluis: capiat cochleare vnum.

Aliqui Senæ ℈.ij. pulueribus post pastum addunt, & sic validiùs vapores reprimi existimant.

Alij ex rhabarbaro sequenti modo, ad potentiùs adhuc vapores reprimendos sic parant: ℞. Rhabarbari ʒ.ij. Schœnanthi, Origani ana ʒ.j. Sacchari rosſ. tab. ℥.ij. cum syrupo de Mentha: fiat mixtura: capiat cochl.j. hora ante prandium.

Masticis gr.ij. vel iij. si cubitum iturus deglutiat, plurimùm vapores retunduntur.

Confectiones saccharatæ siccæ, simili modo post cibum assumuntur; ex seminibus Coriandri, Fœniculi, Anisi, Carui, Cimini, & Cubebis, saccharo obductis, cort. Citri alijsq; paratæ.

Sed & nudum semen Fœniculi, vel Carui, vel grana Iuniperi, manè deuorata, in vertigine & visus imbecillitate, prosunt: præsertim si postea anhelitum manibus ori admotis ita excipiant, vt inde ad oculos quoq; sursùm ascendat.

Electuaria manè assumenda vsualia probantur, Theriaca, Mithridatũ, Asyncritum, si antiquissima sint: item Tryphera Saboregis, & electuarium Regum, Holl. per se, vel cum alijs permixta & assumpta.

Ex reliquis asseruatis conseruis, conditis, hîc conuenientibus, tale parare possumus: ℞. conseruarum Saluiæ, Anthos, Maioranæ, Stœchados, Lauandulæ, Betonicæ, florũ Gariophyllorum hortensium, Chamæpitheos aã. ℥.ß. Rosarum, Borrag. Diacori aã. ℥.j. condit. Myrob. embl. num.j. cort. Citri ℥.j. fol. Euphrasiæ, Origani aã. ʒ.j. semin. Fœniculi ʒ.j.ß. cum syrupo conseruat. Zingib. fiat electuarium: capiat manè instar castaneæ.

Vel sequens confectio de nouo efficacissima sic parabitur: ℞. rad. Pæoniæ, Visci querc. ana ʒ.j. fol. Euphr. ʒ.iij. Maioranæ, Anthos ana ʒ.ij. Origani ʒ.j. semin. Fœniculi ʒ.ij. Anisi, Carui ana ʒ.j. Cimini, Sileris mont. Ocimi, Pæoniæ ana ʒ.ß. Cubebar. Maceris, Gariophyl. Cinamom. ana ʒ.ß. Coralli ℈.ij. Margarit. ℈.ß. Cranij hominis ʒ.j. Eboris ʒ.ß. fiat puluis: excipiatur Melle anthosato, vel cum succo Rutæ cocto: Sumat manè instar nucis moschatæ.

Aquæ stillatitiæ cõmendantur, quæ per se, vel post alia sumi possunt: vt aqua Cinamomi interdum sumpta.

Posset & talis parari: ℞. Verbenę, Euphrasiæ, Rutæ, Maioranæ, Chamæpith. ana ℥.ß. sem. Fœniculi ʒ.ij. Cinam. ℥.ß. macerentur in Vino maluatico: destillẽtur: Sumat aliquando cochl.j. cui Saccharum addi potest, vt magis grata sit. Reliquas in frigidis capitis morbis inuenies.

Salia, Essentias, & Olea, enarratorũ, Chymici magnifaciunt.

Viuendi rationem quod attinet, sic illa ad vitæ conseruationem necessaria, instituenda erit, ne causa affectuum horum, per hanc augeatur, sed potiùs minuatur, ipsaq; symptomata mitigentur. Quod temperantia & mediocritate in omnibus fiet. De quibus & iam, vti & de amuletis, in priori vertiginis causæ curatione diximus, quæ & visui conuenient. Eius remedia cętera, in oxydorcicis mox explicandis, describemus.

Visus defectus nerui retiformis in oculo per consensum affectu causa, curatio.

Neruus retiformis per consensum affectus, spirituum, quibus redundare debet causa factus: Si hoc ob spiritus influxum prohibitum, cerebri illique connati nerui optici occasione fiat, quid prædicendum & agendum, in illorum affectibus, iam est explicatum.

Quòd si presso oculo refugientibus spiritibus, & aliquandiu subsistẽtibus, cæcitas fiat, mox sponte illa, remanentibus rursùm spiritibus, nisi lęsio aliqua insignis facta sit, cessat.

Si verò illi, ob tenebrarũ diuturnitatem, in neruo sopiti, luce tandem oblata, ea frui aliquandiu non possint, & cæci vel amblyopi sint: tunc luce sensim, non nimiùm splendida ab initio, mox maiorem splendorem offerendo, vt paulatim sic eam ferre assuescant, spiritus rursùm excitãdi atq; in actum dedu-

deducendi sunt, donec ad integram rursum videndi consuetudinem perueniant.

Contrarium autem faciendum in illis, quibus ob splendorem nimium visus caligat, vt citiùs & rectiùs eius vsum recipiant: nempe iis tenebras sensim offerendo; primùm in vmbram, mox locum obscuriorem, tandem in ipsas tenebras aliquandiu illos collocando.

Quæ in vtrisque & lucis & tenebrarum sensim reducta consuetudo, nisi iuuet, de perseuerante cæcitate vel visus hebetudine periculum est: quam & prædicere, non neglectis interim oxydorcicis remediis, oportet.

Quòd si verò per consensum neruus retiformis, quia luce externa destituitur, afficiatur, eaque ob tenebras aëri inductas desierit, mox solis vel ignis splendore (præter quæ nihil hactenus compertum est, quid illud sufficienter possit efficere) rursum illuminatione facta, lux redit, oculusque iterum videt.

Si verò lux illi, humorum, vel membranarum oculi impedimento, subducatur, cura in illorum vitijs declarabitur.

Cæcitatis à defectu humorum oculi, curatio.

Defectus humorum oculi, si cæcitatem causet: Omnibus humoribus per vulnus aut vlcus simul prolapsis, nihil hîc præter vulneris & vlceris curationem, quæ in oculorum doloribus explicabuntur, tentandũ, malumq; incurabile prædicendum.

Quod & si aqueus solummodo effusus sit, cùm reparari nequeat, faciendum & dicendum. Nisi fortè si angusta punctura in oculo, siue casu aut studio, suffusionis tollendæ causa facta, humor aqueus (quod tamen vix fit, si acus tenuis sit, placideq; extrahatur) profluuium minetur: tunc occlusis palpebris, oculoq; presso postea, astringentibusque superimpositis, & adhibita fascia (sicuti mox in suffusione pungenda declarabimus) effluxum humoris, donec foramen rursum coalescat, reprimimus.

Effusa verò ex vulnere humoris aquei portione duntaxat aliqua, vel ea per morbos aut ætatem absumpta, ita vt visioni obsit: si exigua sit, nec dum aliud accedat in oculo vitium, in iuuenibus quibus humor ille reparari ex oculi nutrimento potest, adhuc bene sperandum, naturæq; illud committendum. In alijs verò nihil boni est iudicandum.

Visionis impedimentorũ quorundam & Strabismi, ob pupillæ situm cõtortum curatio.

Situs naturalis oculi structuræ peruersio, si visioni officiat: totusq; oculus ita contortus sit, vt pupilla non in medio anterioris oculi sede promineat, sed in alterutro latere occultetur; sicuti aliquando ex vulnere factum diximus, vt ad interiora nasi detrusa, non nisi per eundem prospicere potuerit. Vel aliàs ab ortu, oculo inuerso, palpebris adeò obtecta sit, vt visio impediatur; vitia hæc emẽdari nullo modo possunt. Sicuti nec illa, si à prima natiuitate pupilla non omnino occultata, sed tamen ad latus nimiùm, oculo veluti conuulso, vel alioquin illic producto, inclinans, strabismo occasionem, vti dictum, præbeat. Quæ & cùm visioni nihil aut parùm obsint, negliguntur.

Visionis noxarũ aliquarum, & Strabismi ab humoris crystallini inflexione vel commotione ad latera, curatio.

Quod si verò crystallinus humor aliquo pacto inflexus, aut ad circumferentiam eius à centro aliquousq; protractus, visionis imbecillitatem aut hallucinationem pariat, vel vna quoq; ex strabismi causis existat. Tunc si hoc à causa violenta aliqua subitò factum sit, nisi mox spontè situm naturalem repetat, arte illud efficere impossibile est: eoque minùs, si ab ortu vitium hoc contractum sit.

Visionũ illarum, qua res non nisi admodũ propinquas: vel quia res distantes meliùs quàm propinquas vident, ob crystallini humoris, antrorsum retrorsúmve deductionem, curatio.

Quòd si verò idem humor crystallinus, alioquin rectè positus, nisi quòd ab anteriore sede, quam occupare naturaliter debebat, nonnihil regressus, exactè mediam seu posteriorem magis oculi regionem possidens, visionem illam, in qua res paulò distantiores, minùs rectè vident, eamque ob causam, res propiùs vel omnino oculis adhibere coguntur inducat: cùm hoc ab ortu plerumq; accidat, humoremq; in naturalem statum reducere nequeamus, visionem hãc immutare, impossibile est. Nisi ea ætatis decursu, ob diuturnam illam toto vitæ curriculo capitis ad anteriora inclinationẽ, crystallino humore antrorsum semper nitente, sensimq; eò deducto, mutetur. Sicuti sæpè & in alijs, & me ipso expertus sum, senescentibus visionem hanc mutari, ita vt res distantiores tunc meliùs, quàm dum iuniores essent, cernere queant. Dein & hoc ac-

cedit in vitij huius (si modo vitium est, cùm quod in distantioribus rebus cognoscendis visioni decedit, illud propinquis rectiùs cernendis accedat) emendatione, commodi: quòd cùm necessitas requirit, res procul dissitas cognoscendi, perspicillo lucidissimo ex crystallino vitro crassiore parato, quod res minores quam sunt oculo repræsentat, adhibito, interioris perspicilli, crystallini nimirùm, hunc defectum, quod nimis neruo retiformi propinquus sit, corrigere, & in visione illud quod cupimus, consequi queamus. Quod tamen perspicillum, non vnius semper generis requiritur, sed prout crystallinus humor plus minúsve retrocesserit, oculo magis minúsve propinquum adhiberi, & vel crassius multò vel minus esse debet. Vti videmus illis qui Myopes sunt, alijs alia, non tamen admodum differentia conuenire. Sicuti hoc experientia potiùs, quale perspicillum eligi debeat, illud ad oculum probando, quàm vt describendo explicari possit, nisi illi qui hæc faciunt, hoc sciant, nobis demonstrat.

Verùm vt hæc ab ortu nata visio immutari minimè, sed alio instrumento adhibito saltem corrigi potest; ita & ætatis decursu visionis illud grauius impedimentum, quo res propinquas rectè videre nequeunt, sed meliùs si ab oculo procul remotæ sint, quod à crystallino humore nimiùm antrorsum delato euenire diximus, non alia ratione quoque, quàm perspicillo vitreo tenuiore, res maiores quàm sunt, oculo repræsentante, emendari potest. Quod &, vt res minores videre, tractare, legereq; possint, continuò opus habentes, perpetuò illud secum ferunt: margineq; inclusa bina vitra, sic formantur, vt nasi dorso tale instrumentum affixum, eo, maximo Dei benificio, ad res rectè cernendas, vti possint.

Nyctalopiæ ab obscuriore crystallino humore profectæ, curatio.

Solidior aut obscurior crystallinus humor factus, si visus imbecillitatem eam, in qua tenebris parum ingruentibus, obscurè aut nil vident, aut aliquando penitùs illo indurato excæcantur, inducat: nec remedijs neq; perspicillis, cùm claritatem illi adferre nequeant, corrigi potest.

Nyctalopiæ à pupillæ angustia natæ, curatio.

Paruum nimis & angustum vueæ foramen, pupilla dictũ, si nyctalopes faciat; Aut nimis amplum, si vt visus splendore nimio facilè obfuscetur, & obscuriore loco rectiùs, videat, efficiat: quia hoc originale quoque est, nec medicamentis, nec perspicillis cùm causa in membrana, non humore sit, emendari potest. Nisi quatenus illis, quorum visioni splendor obest, si lux nimia, occlusis ex pane habitaculis, aut flammæ splendor, opposito obstaculo vitreo, noctu dum legunt, vel aliud intentè intuentur, ne visionem molestent, cauetur.

Imbecillitatis aciei, à pupillæ amplitudine factæ, curatio.

Licet hæc & alia iam dicta, in oculo minimè apparentia vitia, plerique (veram causam illorum ignorantes, & ad spirituum crassitiem & defluxiones omnia referentes) curare tentent, temereq; quæstus causâ se id facturos, polliceantur; frustra purgantibus alijsque ægros excruciantes, & oxydorcica adhibentes. Quibus tamen, si ea quæ minimè nocere possunt, sed citra molestiam vsurpari, in omnem euentum experiri lubeat, vti licet. Cuiusmodi in remedijs multa inuenies, quæ tum in visus imbecillitate, cùm nyctalopia, tùm vespertina acie, & myopia, eadem ferè proponuntur. Quorum exempla hæc pauca nostra subjicimus.

OXYDORCICA remedia quæ ad Visum restaurandũ, in illius varijs læsionibus competunt, in genere hîc explicata.

Purgantia si aliquando, vel quia corpus alioquin euacuatione opus habet, vel ratione ventriculi, à quo vapores delati, visui quoque incommodant: vel alias ob causas potiùs, quàm ratione morbi in oculo, qui per se purgantia minimè requirit, exhibere necesse sit; fiunt pro ratione cacochymiæ in corpore redundantis.

Præcipuè tamen ea eligenda, quę ex purgantibus, oculis appropriata sunt. Vti sena, quàm tota proprietate visum reficere assumptam admotamque, superiùs diximus. Item fumaria, quæ visum clarificare scribitur.

E quibus talem compositionem parare possumus: additis alijs quoq; visui appropriatis: ℞. fol. Senæ ℥. j. Fumariæ siccæ ℥. ß. Epithymi ʒ. j. Euphrasiæ, Chamædreos ana ʒ. j. ß. semin. Fœniculi ʒ. ij. Sileris mont. ʒ. j. florum Anthos, Stœchados ana ʒ. j. ß. fiat decoctio in Sero caprino: infunde Rhabarbari

bari ℥. ij. Cinamom. ℥. j. Spicæ, Piperis longi ana ℥. ß. vel in pituitosis, Agarici, Turbith ana ℥. j. ß. Zingib. ℥. ß. Salis ammon. ℈. ß. fiat expreſsio, adde ſyrupi de Fumaria. & Roſar. ſol. ana ℥. j. ß. fiat potio: Pro duabus vicibus.

Iuniores dilutum ſolum Senæ & Fumariæ recentis, cum ſemine Fœniculi in Sero caprino, bibant per aliquot dies.

Fortioribus etiam compoſitionibus vtũtur: ijsque phlegmagogis ferè, quia omnes illos affectus putarunt à defluxione pituitæ proficiſci. Quæ ſi alioquin in capite redundet, & neruoſo generi ſimul incommodet, vſurpari poſſunt: ſicuti in viſus imbecillitate & vertigine à pituita cerebri, ſuperiùs diximus.

Eligendæ pilulæ Lucis, Arabicæ, El. indum, aliaq; viſui præſertim accommodata.

Ex aſſumptis, quæ viſioni appropriata ſunt, & caput & ventriculum iuuant, ſic formæ fieri poſſunt.

Quibus ſi inter alimenta vti velimus, cõdiantur cibi frequenter ſequentibus pulueribus & ſalibus.

Puluis aromaticus vtilis, quo cibi, loco aliorum aromatum condiuntur; viſui accõmodatus: ℞. Cinamom. ℥. iij. Gariophyllorum ℥. j. Nucis moſch. vel Maceris ℥. ß. Piperis longi & nigri, Zingib. ana ℈. j. miſce.

Sal oxydorcicum dictum, quo cibi, loco ſalis, ſaliuntur, ſic interdum menſæ adhiberi poteſt: ℞. ſeminum Carui, Fœnicul ana ℥. j. fol. Euphraſiæ, Maioranæ ana ℥. ß. Piperis longi & nigri ana ℈. j. Salis ℥. j. ß. miſce.

Nec Raphanus aut Sinapi adeò inter bellaria metuenda ſunt, cùm viſionem, vti in remedijs oſtenſum fuit, proprietate iuuent, eoque nomine aſſumpta conferant potiùs quàm noceant.

Raparum coctarum præſertim cum ſem. Carui, vti noſtri parare ſolent, vſus, cùm ſint appropriatæ, valde conueniet.

Vinum Euphraſiatum mirè ab omnibus commendatur. Quod vel ſimplex fit, folia illius arida in vino vel muſto dum efferueſcit, infundendo. Vel vt efficacius ſit & gratius, Abſynthium & radic. Fœniculi permiſcendo: cùm noſtri vino abſynthite potiùs delectentur, & abſynthium inter oxydorcica referat Dioſcor.

Aquæ ſtillatitiæ, interdum ſumendę quæ ad eã rem vtiles, ſic parari poſſunt: ℞. aquarum flor. Roſmarini, herbæ Fœniculi, Euphraſiæ ana ℥. ij. aquæ Cinamom. ℥. ß. Aqua vitæ ℥. ij. Sacchari ſi voles, roſ. tab. quantum placet, miſce: capiat ab ℥. ß. ad ℥. j.

Aquæ magis compoſitæ: ℞. rad. Raphani rec. ℥. j. ß. Fœniculi ℥. j. Chelidonij, Garyophyllatæ ana ℥. ß. herb. Euphraſiæ, Verbenæ, Rutæ, Chelidoniæ, Chamædreos, Fœniculi ana ℥. iij. Thymi, Saluiæ, Maioranæ, Satureiæ ana ℥. ij. florum Anthos ℥. ij. Stœchados, Hyperici ana ℥. j. ſeminum Fœniculi ℥. iij. Sileris mont. ℥. ij. Carui ℥. ij. Hepatis capræ inciſi cum ſanie & felle adhuc adhærente ℔. ß. Cinamom. ℥. ß. Gariophyllorum ℥. ij. Nucis moſch. ℥. ij. Piperis longi ℥. j. conquaſſentur conquaſſanda, & irrorentur Vino albo: deſtillentur. Capiat portionem, per ſe, vel dilutam alia aqua, ſi nimis accendat.

Pulueres qui manè per ſe, vel cum cruſta panis intincta in Vino ſumuntur, vel etiam in introitu lecti, ſic fiunt: ℞. fol. Euphraſiæ ℥. ij. Maiornaæ ℥. j. Rutæ ℥. ß. flor. Roſm. ℥. j. ſem. Fœniculi ℥. ij. Rapæ ℥. j. ß. Sileris mont. ℥. j. Carui, baccarum Lauri ana ℥. ß. Cinamom. ℥. j. ß. Nucis moſch. Gariophyll. ana ℥. ß. Piperis longi & nigri, Zingib. ana ℈. j. Corall. ℥. j. cineris cap. Hirundinum vel Serpentum ℥. ß. Sacchari duplum pondus ad hæc omnia: fiat puluis.

Tabulæ ex hoc puluere fieri poſſunt. Si illius ℥. j. cum ℥. j. Sacchari diſſoluti in aqua Fœniculi formes: addendo olei Fœniculi guttas aliquot.

Quæ & ex ſolo oleo Fœnic. cum Saccharo permixto factæ, hîc conueniunt.

Electuarium ex eodem puluere fieri poterit, ſi melle deſpumato cum vino vel aquis conuenientibus, vel ſaccharo in formam ſyrupi cocto, cum aquis iiſdem, eadem menſura vel copioſiore, (ſi quis ſic palato gratius expetat) excipias.

Vel hac ratione ex ſuccis, qui efficaciores ſunt, quàm plantarum folia, paratum: ℞. ſuccorum depuratorum, Fœniculi, Euphraſiæ,

ſiæ. Verbenæ ana ℥. j. ß. Maioranæ, Rutæ ana ℥. j. Mellis deſpumati cum vino ℥.vj.vel Sacchari tantundem: decoquantur cũ ſuccis ad conſiſtentiam: addendo conſeru. flor. Roſmar. flor. Euphraſiæ ana ℥.ß.flor. Saluiæ & Stœchados ana ʒ.ij. Nucis moſch. condit. num. ij. Cinamom. ʒ.iij. Gariophyll. Nucis moſch. Maceris ana ʒ. j. Piperis longi, Cubeb. ana ʒ. ß. ſeminum Fœnic. ʒ. j. ß. Sileris mont. ʒ. j. rad. Chelidon. ſiccæ vel fol. illius ʒ. j. ſpecierum Diambræ, Roſ. nouel. an. ʒ.ß. miſceantur: fiat electuarium.

Pulueres vel confectiones, poſt paſtum vel cibum ſumendæ, præſertim ſi vapores moleſti quoq; ſint, probantur; qui ℞. confectiones Saccharatas, ſeminum Fœniculi ℥. j. Coriandri, Aniſi, Carui, ſeminum Rapi vel Napi ſaccharo quoq; obduct. ana ℥. ß. ſeminis Erucæ ʒ.ij. miſceantur: capit poſt paſtum coh. j.

Vel addatur, radicum Liquiritiæ raſæ ℥. ß. Galangæ inciſæ, corticis Citri tenuiſsimè quoq; inciſi ana ʒ. j. Cinamomi ʒ. j. ß. fol. Euphraſiæ ʒ. j. Roſ. rub. Maioranæ ana ʒ. ß. Coralli ʒ. j. raſuræ Eboris ʒ. ß. ſpec. Diacyton. ſine ſpeciebus ʒ. j. Sacchari pondus æquale cum illis, quæ non ſunt ſaccharo obducta; fiat confectio ſicca.

Oculis admouenda remedia, ſi non nimis eos afficiunt, illis induntur, ſi verò potentiora ſunt, præſertim quando in omnem euentum, non habita cauſæ ratione, fiunt, ne nouus aliquis ijs prouocetur affectus, rectiùs foris palpebris imponuntur: & ſi eas commaculant, manè aquis Fœniculi & Euphraſiæ rurſum abluuntur. Quæ ſequenti modo fiunt.

Ex aquis ſolis hoc modo: ℞. aquarum Euphraſiæ, Verbenæ, Chelidonij, Fœniculi, Rutæ, inuicem permiſtarum, vel ſimul deſtillatarum, æquas partes. Indat frequenter oculis: vel abluat illos manè hiſce aquis; addendo interdum parùm aquæ Roſarum.

Aqua mellis ſi à tunicarum craſsitie caligo fiat, plurimùm competit:

Vel ſic: ℞. herb. rec. Fœniculi, Rutæ, Euphraſiæ, Verbenæ, Chelidoniȩ, Lactucæ ſyl. ana M. j. florum Roſmar. Saluiæ, Roſarum ana P. j. ſeminum Fœniculi ʒ. ij. Sileris mõt. ʒ. j. granorum Iuniperi ʒ. ij. Gariophyll. Piperis longi ana ʒ. ß. Sarcocollæ nutritæ, Aloës ſuccocitr. ana ʒ. ij. Camphoræ. Vitreoli albi ana ℥ ß. Tuthiæ ʒ. ij. contundantur & aſpergantur Vrina pueri, & Vino albo, donec in formam paſtæ redigantur, addendo (præſertim in nyctalopis) Hepatis hirci vel capræ inciſi, ℔.ß. relicto felle, Fellis gallinarum ʒ. j. Mellis anthoſati ℥. j. miſceantur: deſtillentur ad vſum.

Aquæ vel liquores per macerationem longam, ſine deſtillatione fiunt, hoc modo: ℞. ſuccorum Fœniculi, Rutæ, Verbenæ, Chelidon. Granat. acidorum, Lactucæ ſylu. ana ℥.j. Saniei quæ emanat ex hepate capræ, dum cum felle aſſatur ℥.ß. Fellis gallinarum vel perdicis ʒ. j. Sarcocollæ nutritæ ſucco fœniculi, Aloes ſuccoc. ana ℥. j. Mellis, Sacchari candi ana ℥ ß. Camphore ℈ ß. Vitrioli albi ℈. j. Tuthiæ ℥. j. ß. Margarit. ʒ ß. Ducatorum aureorum num. ij. Piperis longi, Gariophyl. Ligni aloës ana ʒ. j. adde Vrinæ pueri & Vini albi ana ℥. iij. in vaſe vitreo obturato, vel in ſole, vel ad fornacem diu macerentur: poſtea ſeponantur ad vſum.

Succis illinimus interdum palpebras: vel illos oculis indimus; hoc modo: ℞. ſuccorum Fœniculi, Lactucæ ſyl. Granat. acidorum parùm inſpiſſatorum, & poſtea cum Melle ſubactorum: addendo interdum parùm Fellis piſcium vel auium.

Vel hoc, quod in nyctalopia conuenit: ℞. Saniei quæ emanat ex hepate capræ ʒ. ij. Sanguinis perdicis ʒ. j. Mellis parum: miſce.

Liquoribus alijs vtimur ſequenti modo. Maſticet ſemen Fœniculi & grana Iuniperi, & ſaliua poſtea oculorum palpebras illinat, & anthelitum oppoſitis manibus ſurſum ad oculos deriuet.

Vrina propria, miſta cum Aqua Roſar. & Fœniculi, ſæpè oculos abluat.

Mixturæ variæ, quæ colliria vocant, ſic præparantur: ℞. Tuthiæ præpar. ʒ ij. Antimonij ſæpe abluti aqua Fœniculi ʒ. j. Coralli ʒ. j. Margarit. ʒ. ß. Cacochymiæ auri ʒ. ß. Sarcocollȩ nutritæ aqua fœnic. ʒ. j. Myrrhæ, Aloës ſuccocit. ana ʒ. ß. Pupillarum piſcium induratarum coctione ℈. j. cap. Hirundin. vſtorum ʒ. ß. ſtercoris Lacerti ℈. j. Salis ammoniaci,

moniaci, Vitreoli albi ana ℈.j. Camphoræ ℈.ß. Piperis longi ʒ.ß. Croci ℈.ß. Sacchari candi ʒ.ij. fiat puluis vt alchool, excipiatur Mucilag. seminis Fœnigræci, facta cum Aqua Rosæ. fiant trochisci, ad vsum. Dissoluatur vnus aquis Fœniculi, Rutæ, cùm vti volumus, addendo Succos, nonnunquam & Fella.

Inunctio pro palpebris fieri potest hoc modo: ℞. Axungiæ serpentis, quæ colligitur dum coquitur, vel Piscis thymalli, vel vtriusque, succi Chamædreos, Mellis ana æquales partes: pro illinitione. Posset & de trochiscis enarratis portio illi permisceri.

Pulueres qui oculis insperguntur, in maculis oculorum potiùs quàm hîc vsurpantur. Possent tamen ex trochiscis descriptis fieri.

Vel hoc modo: ℞. fol. Chamædreos, Euphrasiæ ana ʒ. j. Margarit. Tuthiæ ana ʒ. ß. Auri foliorum numero iij. Sacchari candi ʒ. ß. fiat puluis tenuissimus.

Fouentur nonunquam oculi, vt oxydorcica adhibita meliùs operentur. Eadem ratione vt in maculis dicetur.

Vel hoc modo: ℞. seminum Fœnigræci ℥.ß. Fœniculi ʒ.ij. Sileris montani ʒ.j. fol. Euphrasiæ, Chelidon. ana ʒ. iij. rad. Raphani ℥.ß. Paleæ auenæ ℥.j. decoquantur in Vino & Aqua: Pro fotu in spongia: vel in sacculis.

Vapor quoque huius decocti, oculis exceptus oculum præparat. Vel alij quoq; prosunt oculis. Vt nidor elixati Iecoris caprini, oculis exceptus in nyctalopia.

Panis hordeaceus cum semine Fœniculi & Carui coctus, & dum calet scissus, exhalatioque oculis excepta.

Intuitus rerum viridium oculos reficit; & politarum, vt speculi splendidi ex chalybe. Quo nomine & gemmarum & auri inspectio, potiùs quàm applicatio & visionem recreat, & spiritum vitalem roborat.

Amuleta multa prædicant, collo appensa, & in annulis gestata, prodesse, quæ studio omittimus.

Lapidem è felle, naribus inditum Matth. valdè probat.

Spodium lentis magnitudine cum oleo Violarum naribus inditum, nyctalopias citò sanare, scribit Rhazes.

Visionis defectus ab obscuritate corneæ maculis albis, & obstructione vueæ à muco, in Caligine, Albugine, Cicatrice, Suffusione inducti, curatio.

Alba macula, plus minúsve in oculo apparens. Si ex vitrei humoris aut crystallini prolapsu in pupillæ foramen nata, visionem obliteret: quod ex oculi contusione, pupillæ foramine scisso, vel tunicis humores hosce suo loco continentibus, disruptis, accidere interdum solere diximus: vel ex acu in suffusione curãda nimis profundè adacta: tunc visionis recuperandæ spe omni adempta, læsioni externæ, si quæ sit, curam tantùm accommodabimus.

Si verò hæc circa pupillæ regionem alba macula sese offerens, ex aqueo humore, sensim & longo tempore in mucum, & tandem in pelliculam dictam conuerso, sit Suffusio, hallucinationem visus ab initio, postea verò cùm induratur, perfectam cæcitatem adferens: Vel si ex corneæ nimia exiccatione & induratione profecta sit Albugo: aut ex vulnere vel punctura consolidatis, relicta sit Cicatrix: quæ duo postrema prout lata vel angusta sunt, visioni plus minúsve officiunt: tunc quid omnibus tribus prædicendum & agendum sit, quia non admodum inter se differunt, simul explicabimus.

Difficulter autem & suffusio, & albugo, & cicatrix, cùm curentur, non est temerè quicquam promittendum. Cùm si cicatrix superficiaria tantùm, corneæ laminulam occupet, in iunioribus saltem, & tamen ægrè tunc quoque extergi, si autem paulò profundior, auferri minimè possit: nisi ea erasa, continuum de nouo soluere, quod refricare vulnus esset, vellemus.

Quod idem de albugine, si altiùs radices egerit, asserere possumus. Præsertim si cornea omninò indurata in senibus caliginem dictam pepererit: Vel in lucida saltem illius parte, aliqua exiccata, albuginem causet. Quod quàm difficile sit emendare, in lamina alicuius cornu, pectinis vel vnguis, simili modo affecta, quàm vix extergi possit, videre licet. Si tamen portio aliqua nutrimenti crassioris, sub cornea relicta, hoc faciat, cùm ea nonnunquam locum mutet, & à pupillæ regione in oculi album feratur, visioni tunc non amplius nocet: quod spontè ple-

rumque potiùs, quàm medicamentorum vsu accidit.

Suffusio pertinax quoq; est affectus. Quæ cõfirmata & indurata cùm est, excæcat, nullisque remediis ampliùs, nisi acu auferri potest; quod tamen cùm fit, etiam non in omnibus, sed certis duntaxat suffusionibus, vt mox dicetur, succedit, aut iuuare potest, & sæpiùs malo cum successu tentatur. Incipiens quæ nubeculas tantùm visioni offundit, vix dum, ne cum tẽpore augeatur, præcaueri potest.

Nihilominus tamen in hisce casibus remedia non sunt negligenda, & in cicatrice, albugine & suffusione, curatio hac ratione instituenda. Vt nimirùm generatim corpus ad curationem meliorẽ faciendam rectè disponamus: & topica oculo applicemus, quæ suffusionem discutiendo absumere queant: quæ & in albugine conuenire possunt. Quã tamen vt simul ex corneæ lamina extergere valeamus, validioribus detergentibus auferre tentabimus: magisque adhuc, si cicatrix sit: in qua detergentia in suffusione confirmata adhiberi solita, discutientibus permixta vsurpãda. Ita vt hæc remedia eadem ferè omnibus competant, sic tamen distributa, vt tenuioribus in suffusione incipiente, crassioribus validioribusque albugine, cicatrice, & confirmata suffusione, vtamur remediis; sicuti externum panniculum adhuc fortiora requirere mox audiemus. Quæ tamen ita contemperanda sunt, ne oculus illorum vsu penitùs exiccetur, aut etiam inflammetur. Hæc omnia, si non iuuent, ad sectionem deueniendum.

Vt corpus mundum & purum ab excrementis sit, bona victus ratione & euacuantibus, pro ratione plethoræ vel cacochymiæ, si quæ adsint, institutis procurabimus: sic enim omnis curatio rectiùs procedit. Et licet hîc plerique Practici, multis euacuationibus corpus mirè, in suffusione, præsertim, quam existimarunt aquæ descensum in oculos, & ideò catarrhactę nomine appellandam, macerent, tàm per aluum, quàm per sudores, & per os & nares factis purgationibus: item scarificationibus, cucurbitularum applicationibus & frictionibus: dein & per cauteria, setones, factis reuulsionibus & deriuationibus, sicuti hæc in vertigine pituitosa, quomodo fieri debeant, docuimus: Nos tamen, qui causam horum in oculo consistere, & defluxionem aquę in oculi capacitatem ferri minimè posse, demonstrauimus, hæc sine fructu, nisi quatenus corpus purũ, vti diximus, seruare possunt, in corporibus administrari, multoties vidimus & experti sumus. Sufficiat itaque hæc corporis per idoneam diætam & euacuationes decenter præparatio, ex iisdem remediis, quæ in vertigine pituitosa explicata sunt, parata: leuiora fortioráve prout opus est, eligendo, corporisque constitutioni accommodando.

Sed neque oxydorcica remedia, quę tantopere in hoc casu commendantur, per os assumpta, vel appensa, aut etiam admota, nisi vim illam discutiendi & extergendi maculas habeant, sicuti multa ex illis ea prædita sunt, hîc singulare aliquid præstare possunt: cùm visio hîc non alia ratione, quàm quod externa luce & lumine oculus, propter obtensum impedimẽtum, priuatus sit, labefactetur. Quod si visum acuentibus remediis emendare vellemus, deberent illa splendorem extrinsecùs irruentem, quod certè nemo præstare poterit, oculis adferre: aut velum oculis obductum retrahere.

Topica itaque remedia in hisce casibus conuenientia, hoc ordine, vt leuiora primùm, mox fortiora, tandem fortissima, quæ & in panniculo conueniunt, describantur, selectiora proponemus. Quæ vel oculo indantur, si illa ferre possint: Vel palpebris applicentur, vbi & minori impedimẽto & noxa, noctu præsertim, dum clausas habent, diutiùs retineant; & licet vis illorum non tam citò, vt cùm oculo induntur, se exerat, tamen continuo vsu, quia per tenuem palpebram facilè facultas ipsorum penetrat, tandem sic apposita, operantur, cùm quæ oculo imponuntur, cum lachrymis mox iterum effluant, vel oculos irritent, & molestiam aliquam pariant.

Aqua mellis destillata, valde vtilis, & consueta: Quæ oculo instillatur.

Aqua quoque vini seu Vitæ dicta, egregiè

giè discutit: contemperabitur autem cum aqua Mellis, & Fœniculi, æqua cum illa addita portione.

Efficacior sic fiet: ℞. Vrinæ pueri ℥. iiij. Vini albi ℥.j. Mellis ℥.j. Fellis ℥.ß. eliciatur aqua.

Vel adhuc fortior: ℞. Vrinæ pueri ℥. iiij. succorum Fœniculi, Chelidoniæ ana ℥. ij. Vini albi ℥.j. Fellis piscium (vt salmonis vel carpionis) vel auium, vel aliorum ʒ.ij. Mellis ℥.ij. Terebinthinæ ℥.ß. Sulphuris viui ʒ.ij. destillentur. Si Vrina antequam huic compositioni addatur, in vase æneo per dies aliquot steterit, vas postea egregiè illa abluendo, erit efficax magis adhuc præparatio: quę si mordicet, Albumine oui contemperata, & inspissata, palpebris illinatur.

Puluis insufflatur nonnunquam talis: sed subtilissimus vt achool esse debet, ne oculum exasperet: ℞. Ossis sepiæ, de fungosa materia, Pumicis ana ʒ.j. Pompholygis albæ (quæ fuligo est) ʒ.ß. Sacchari candi ʒ. ij. farinæ Fabarum ℥.ß. fiat puluis.

Succus è Salicibus exudans, oculo instillatus, valde commendatur.

Ex acidis succis, valdè hi conueniunt: ℞. Omphacij spissi, succi Granator. acidor. inspissati quoque, excipiantur Mucilagine seminis Fœnogr. Applicentur palpebris.

Vel sic magis digerens: ℞. succorũ Centaurij min. Fœniculi, Chelidoniæ ana ʒ. ij. Fellis piscium ʒ. j. Aloës, Sarcocollæ, Myrrhæ ana ʒ.ß. Sacchari candi ʒ. j. Mellis q. s. fiat illinitio.

Vel sic egregiè abstergens: ℞. Stercoris lacerti ʒ.j. Ossis sepiæ. Cornu cerui vsti, Massacumiæ ana ʒ.ß. Mellis q.s. fiat illinitio.

Vel sine pulueribus, sed valdè efficax: ℞. succorum Fœniculi, Chelidon. Granatorum acid. ana ℥.ß. Cæparum, Raphani ana ʒ.j. Fellis ʒ.j. Stercoris lacerti ℥.ß. Mellis q.s. misce.

Vel fiat illinitio vnctuosa talis: ℞. Axung. thymalli ʒ.ij. Fellis ʒ.j. Stercoris lacerti ℈.j. gummi Ammon. dissoluti in aqua Vitæ ʒ.j. Sarcocollæ ʒ.ß. fiat vnctio.

Liquores acres vehementer operantes sic fiunt: quos si oculus non ferat, Lacte vel Aquis eousque donec ferre possint, contemperamus: vel mucilag. seminis Fœnogr. vel Album. oui excepta, palpebris adduntur: ℞. Antimonij ʒ.j. Marchasitæ ʒ.ß. puluerisentur & infundantur in aqua Rosar. & Fœniculi ana ℥. iiij. per philtrum sępè transfundendo: Ad vsum.

Ex Vrina sic: ℞. Vrinam pueri, stet in Vase æneo per dies aliquot, radendo vel fricando sæpè vas: Ad vsum.

Vel pannus linteus in scutella vel lamina stannea vel ferrea accenditur, & succus qui scutellæ adhæret, ad vsum sumitur.

Ex fortioribus adhuc, sic fit: ℞. Vitreoli albi ʒ.j. Æruginis æris gran. vj. puluerisata misceantur cum Albumine oui vnius: conquassentur diligenter, & supra papyrum fusa, aquaque per inclinationem collecta subviridis, sumitur ad vsum, & eousque quoad ferre possit, aqua Rosar. vel Lacte contemperatur.

Efficacissima illinitio sic fit: ℞. Vitreoli albi ℈.j. Æruginis æris ℈.ß. Antimonij ʒ. ß. Marchasitæ ℈.ß. Tuthiæ ʒ.ß. Stercoris lacerti ℈.ß. Ossis sepiæ ʒ.ß. Camphoræ gr.ij. Fellis piscium ʒ.ß. Mellis ʒ.ij. Sacchari ʒ.j. cum mucilag. seminis Fœnogræci: fiat iniectio.

Fomentatio oculi, interdum facta ante horum vsum, vt rectiùs operentur efficit, atque oculum ad ea suscipienda meliùs disponit: & per se quoque discutit.

Quæ simplex talis fieri potest: ℞. seminũ Fœnogr. ℥.j. Fœniculi ʒ.ij. florũ Chamomil. Paleæ auenæ ana p.j. rad. Altheæ ℥.j. decoquantur in Aqua & Vino: Pro fotu.

Suffitus ex hoc decocto, si oculis excipiatur, erit loco fotus.

Inhalare in oculos, post masticationem seminis Fœniculi, idem facit. Et in infantibus, si nutrix illud faciat, illorum suffusiones delet, si Ammoniacum gummi masticent priùs; & similia.

Inter Amuleta, radix Allij, serpentini appensa, à Chirurgis magni fit.

Manuali operatione vel chirurgia, in suffusione, quando in pelliculam aut Telam, vt vocant, concreuit, eam ab ambitu pupillæ, cui accreuit, liberare & secernere, immissa acu per corneã, & hanc sedẽ vsq; sensim propulsa, extremum est remedium. Quod si suc-

cedat, & visus adhuc, vt chirurgi loquuntur, sit in oculo, hoc est, propter diuturnam illam cæcitatem, quæ tot annis durauit, spiritus visorij, vt superiùs dictum est, otiosi, non extincti sint, aut nerui optici inertes facti; patefacta hac via, & illius obstaculo oblato, lux oculum rursum subiens, & illuminans, facit vt in eo ipso momento, quo tela detracta est, visum rursum recuperent.

Antequam verò operatio incipiatur, hæc priùs consideranda erunt. Primùm, vt si vtroque oculo tela obducto, penitus cęci redditi sint, eò faciliùs tentetur, cùm peius illis euenire, etiamsi non succedat operatio non possit, cæcis tunc illis, vti priùs erant, manentibus. Quod si verò vnus oculus tantùm affectus sit, altero incolumi, cùm is ad visionem sufficiat, nec maior vrgeat necessitas, minùs temerè negotium aggrediendum.

Dein vt non antequam integrè concreta sit pellicula absolutaque, & vt vocant, matura existat, eam aggrediamur: quod interdũ annorum trium, interdum quinque, vel etiam plurium spatio vix perficitur. Et ex colore illius, qui tunc exactè albus, pelliculæ oui cocti albumen ambientis instar, existit, cognoscitur. Licet interdum subcinereum colorem repræsentet: tuncque quia iudicium nonnihil fallit, magis nos, quod illius maturitatem attinet, incertos reddit: quæ tamen ex eo quòd non mutatur, sed talis diutissimè persistit, perfecta iam esse cognoscitur. Et licet plerique non absolutam illius, sed mediocrem concretionem requirant, experientia tamen comperimus, minus peccari faciliusque tractari, vbi perfectè concreuerit. Nam quæ immatura est, cùm mollis & mucosa adhuc existat, apici acus non resistit, proin nec integra potest remoueri, sed scissa diuisaque rursum concrescit, spissiorque tunc facta, & callosior, & aqueo humori perfusa, facit, vt tunc non tantùm nil videant, sed & omnis spes sanationis, per nouam operationem, cùm bis si fiat, frustrà ferè fiat, auferatur.

Quod & accidit, si profundè nimis adacta acu, crystallinus humor vel vitreus, illarùmve tunicæ lędantur, aut etiam vuea ipsa in ambitu foraminis laceretur: tunc enim confusis humoribus, cæci remanent, & albedo cum tumore, in nigro oculi apparet.

Proin anceps admodùm remedij est genus, in quo faciendo facilè peccatur, vel si rectè succedat, tamen ob diuturnam cæcitatem, vt iam dictum, visio aliquando non redit. Quare nihil temerè, vt faciunt Oculistæ circumforanei, quos pudor, licet promissa non perficiant, nihil mouet, modò spes lucri sit, erit promittendum.

Necessitate tamen vrgente, si penitus cæci sint, Dei implorato auxilio, & diligentiam omnem potiùs, quàm salutem promittendo atque adhibendo, sic operatio erit perficienda, sicuti ego toties vidi, & ipse quoque ex parte manum adhibui, cùm res alioquin, si industriam spectes & artem, non adeò sit, vt eam faciunt, ardua & perdifficilis.

Sedeat æger in sedili, & ex opposito illius faciei chirurgus, adeò propinquè, vt ægrum diductis cruribus cum sella excipiat, illiusq́, manus vtrinque femoribus suis innitentes, sustineat: caput verò erectum minister à tergo ægri stans, firmum ambabus manibus teneat, & si oculus alter sanus sit, & videat, eum fascia, ne videat, obuoluat.

Quo facto, fricetur primùm oculus æger, palpebra ipsa supra oculum tensa, pollice chirurgo eum hinc inde aliquamdiu ducente. Et in oculum apertum, masticato priùs semine fœniculi, aliquoties inhalet.

Acus dein sumitur, quam argenteam, splendoris magis quàm vtilitatis causa esse volunt, eoque magis, si apex ipsius sit deauratus. Quæ longa & manubrio intorto, vt firmiùs apprehendi queat, esse debet, versùsque apicem acuta & sensim attenuata. Sed & vulgaris acus ferrea, mediocris magnitudinis, manubrio infixa, vt retineri possit, æquè ad hæc peragenda accommoda est, nec rubigo, vt putant, in breui hac mora est metuenda.

Hæc itaque dextra manu, si sinister oculus, vel sinistra, si dexter oculus affectus sit, apprehensa, manuque iuxta oculi sedem innixa, in latere oculi externo, mediam pupillæ sedem respiciente in albo oculi, nonnihil ab iride distante, in corneam imprimi, &

non

non violenter, sed sensim eam contorquendo, donec corneam penetret, intrudi debet. Quod sine omni dolore cùm fiat, facilè etiã perferunt, quietique manent: & quia oculus acui affixus est, ab ea firmus retinetur, & quo minùs volutari posſit, cauetur.

Intrusa acus mox versus pupillam dirigitur, atque eousque, vt in margine vbi pellicula accreuit, prodiens, pelliculæ mediæ ſedi anteriori præponatur, propellitur; quod eò cõmodius fit, cùm illic acus per corneam videri, recteque ob id dirigi posſit. Eò adacta; retrorsum blandè vt pelliculam ab ambitu vueæ foraminis abrumpat, aliquoties, si non prima vice ſuccedat, premitur: & si liberata alicubi erit, acu penitùs à foramine, vbi adhuc hæret, ſeparatur, deorſumq; à pupillæ regione in obſcuram oculi infimam ſedem deprimitur. Alij verò à ſuperiore illius ſede illam primùm liberare acu ſtudentes, ſensimque deorſum procedendo, ad inferiora hac ratione propellunt. Quæ vtroq; modo rectè sic fieri posſunt, & prout pellicula ſequitur, aut hoc illóve modo faciliùs fiunt, instituì debent: Imprimis cauendum, ne perrusa tela in plures partes ſcindatur, sic enim portiones illius, licet depreſſæ, facilè rurſus ſurſum antè pupillam delatę, illic fluctuando, viſionem obfuſcarent. Quod & integra pellicula detruſa, si faciat, rurſum deprimenda erit, ne si acu extracta id fiat, denuo punctura repetenda sit, quod incõmodè, & ſine ſucceſſu ferè perficeretur.

Quibus ritè peractis, si bene ſucceſsit, pupilla nigra rurſum apparet, & ſtatim vident: ſin minus, exigua ſpes erit. Vtut autem ſit, acus, palpebra priùs depreſſa, & oculo clauſo, ſensim rurſus extrahenda, nec dum aquei humoris effluxus, cùm foramẽ in craſſa hac tunica, mox poſt acus exemptionem rurſum collabatur, metuendus erit.

Oculi dein, quæ inflammationem reprimant, cum panno quadruplicato intincto in albumine oui, cum aqua roſarum prius agitato, aliisque in inflammatione dicendis, applicanda. Eaque ter in die, ſpatio quinq; vel ſex dierum ſemper renouanda erunt, priorque applicatio, quæ si firmiter hæret, prius eodem humore vbi fuerit mollita, detrahenda, nouaque apponenda: cui si lac addas, minùs adhærebit.

Quo tempore, ne ſubitanea & multa luce viſus nondum aſſuetus, obruatur, in tenebris moram trahere, & ſensim luci aſſueſcere debent. Et ne ſpiritus, vi ad oculos propellantur, ab omni motu vehementi corporis, vt tuſsi, ſternutatione, clamore, conatúve vehementi in excrementis reddendis, aliisque ſimilibus ſibi cauere debent.

Viſionis defectus à tunica corneæ obducta, in Pãniculo & Vngula, curatio.

Panniculus incipiens impediri nonnunquam poteſt, ne augeatur: auctus ægrè medicamentis cedit: licet validiſsimis. Per ſectionem, si non corneæ connatus ſit, amputari poteſt. Si induratus ſit, vnguis inſtar, nullis præſidiis cedit. In elephanticis vti neque morbus ipſe, ſic nec hæc illius morbi pars, in oculorum membranis reſidens, tolli poteſt: aliquando tamen ne omninò excæcentur, quod illis inter omnia, quæ alioquin patiuntur, miſerrimum eſt, prohiberi poteſt.

Cauſam, quæ eſt ſanguinis affluxus, mox ab initio, ne augeatur malum, Venæ ſectione, Scarificatione, Setonibus, Cauteriis, educere, reuellere, deriuare, ſtudebimus: tenui quoque Victus ratione, & Sudoribus multis, Purgationibusque, impuri corpori conuenientibus.

Topica remedia vehementer exiccantia, & niſi hęc iuuent, erodentia tandem eſſe debent. Eligenda fortiſsima ex illis, quæ albas maculas extergere diximus, palpebriſque applicari debere iuſsimus, hîc ſupra ipſum panniculum adhibendo. Et pulueres cùm validiùs ſiccent, ipſo panniculo imponendi. Non neglectis liquidioribus mixturis, quas oculo inſtillamus. Palpebris interim quædam vt ſucceſsiuè iuuent adhibentes; & fomentationem ad præparandum oculum, interdùm etiam, vt illic dictum, applicantes.

Puluere vti poſſumus ſupradicto in albis maculis, ab initio; inde ad fortiorem progrediendum, qui tamen adhuc citra morſum exiccet: & ſæpè proin repeti debet. Qui ſic parabitur: ℞. Coralli, Tuthiæ ana ℥.j. Pumicis, teſtarum Ouorum ana ℥.ß. oſſium Dactylorum & Myrobal. ana ℈.ij. fiat puluis ſubtiliſsimus. Si Aceto aſperga-

tur, vel Vrina, & ficcetur, efficacior erit.

Vel sic potentior adhuc: ℞. pul. Nabatis ʒ.j. ossis Sepiæ vsti, Stercoris lacert. ana ʒ.ß. Hęmatitis ℈.ij. Sacchari candi ʒ.j. fiat puluis.

Adhuc vehementior: ℞. Plumbi vsti, Antimon. lap. Calamint. ana ʒ.ij. Tuthiæ, Cerusæ ana ʒ.j.ß. cineris Equiseti, ossis Sepiæ vsti ana ʒ.j. fiat puluis: lauetur aqua Fabrorum astringente, & siccetur, ad vsum.

Mixturæ sic fiunt: ℞. Aquam compositam in maculis albis, cum vrina in æneo vase macerata destillatam, descriptam, ℥.vj. adde pul. Nabatis, Stercoris lacertę, ossis Sepiæ ana ʒ.ß. puluerisata priùs, excipe mucilagine sem. Fœnogr. in prædicta aqua facta: & vtere.

Vel spissior hoc modo: ℞. succorum Omphacij & Amurcæ, & Granatorum acidorũ, exiccator. ana ʒ.ij. adde pulu. ossis Sepiæ & Stercoris lacertæ ana ʒ.ß. misce.

Vel sic: ℞. pulu. Nabatis ʒ.ij. Tuthiæ præpar. Cerusæ ablutæ ana ʒ.j. ossis Sepiæ vsti & loti ʒ.ß. Sarcocollæ, Myrrhæ, Aloës, Licij ana ℈.j. Fellis auium vel piscium ℈.ij. excipiatur Melle & Album. oui: Pro illinitione.

Ex erodentibus compositionibus conuenit illa quæ in maculis albis ex Vitreolo, Ærugine æris, Antimonio, Marchasita paratur.

Vel collyrium ex calcantho, sed cautè adhibitum, quia omnium est potentissimum, & sic paratur: ℞. Æris vsti, Calcanthi ana ʒ.ß. Æruginis æris ʒ.ij. Salis Ammoniaci, Nitri, Arsenici, Sublimati an̄. ʒ.j. fiat puluis subtilissimus, diu multumq; puluerisando: excipiatur mucagine gummi Tragach. fiant trochisci: de quibus vnus dissoluatur cum mucagine, & cautè applicetur.

Præcipitati puluerem laudat Rõdeletius. Ego cauterio meo vsus sum, quod prima vice vrit, sed mox remittit.

Manualis operatio duobus modis fit, ligatura & sectione.

Si venæ quæ panniculum nutriunt, circa radicem vinciantur, tunc carnis illius prouentũ impediri, vel si iam nata sit, eam marcescere necesse est. Quod fiet curuata acu venæ submissa, filum subducendo & ligando. Hoc si ex serico factum sit, vel ex seta, aut capillo mulieris, quia tunc vix putrescit, commodius erit.

Si secentur venæ illæ quoque, vt sanguis profluat, sæpeque repetatur, idem efficietur.

Amputatur panniculus hac ratione, sicuti fieri vidi: collocatur æger in sella, & oculus prius præparatur, vt in suffusionis sectione dictum fuit. Dein acus, filum fortè continẽs, sub panniculo, ita tamen ne corneam lædat, transmittitur, filique sub eo ducti, vtrinque extremitatibus apprehensis, à cornea sursum aliquousq; trahendo eleuatur, & postea ab ea, acuta nouacula vel cultello, sensim & cautè, ne cornea lædatur, secatur. Quo facto, si nigrum oculi clarum apparet, visio redit: sin minus, aut panniculus corneæ ita cõcreuerit, vt ab ea penitùs auferri nequeat, irrita erit operatio.

Sectione facta, dolor eadem ratione, vt in suffusionis sectione dictum fuit, sedabitur. Et ne de nouo rursum generetur, venas adnatæ tunicæ incidendo, si rursum turgeant, & impositis siccantibus, cauebitur. Sed & ne oculus, palpebræ, si exulcerata fortè esset, connascatur, frequenter oculum mouendo, impedire oportet.

Humore alieno si corneæ lucida sedes occupetur, ita vt visionis sequatur vel deprauatio, vel obfuscatio: tunc si bilis, quæ in ictericis album oculi tingere solet, & quod rariùs fit, eousque deferri, flauum rerum omnium aspectum faciat, spõte ea euanescente, hoc vitium cessat: aut abstergente aliqua ablutione, vt in ictero dicetur, aufertur. *Visus obfuscationis vel deprauationis, à bile sanguine, vel pure. in Hyposphagmate & Hypopyo, curatio.*

Sanguine verò in corneæ diaphanã partem effuso, si deprauatio visus ea, in qua omnia rubra vel liuida apparent, in hyposphagmate dicto, accidat: aut si corneam quoque penetret, & sub ea iuxta pupillæ foramen concrescat: vel in pus conuersus in hypopyo dicto, visum obfuscet: tunc curatio sic erit instituenda.

Si dolor adsit atque inflammatio propter ictum, à quo ferè hæc procedunt, metuatur: tunc venæ sectione, & repellentibus doloremque sedantibus, ab initio mox vtendum erit. Quod & si diu retentus suppuretur, & dum pus generatur, cornea, & per consensum etiam adnata, tunc affecta, dolor suboriatur,

riatur, metu inflammationis faciendum. Alioquin si nullus adsit dolor, à repellentibus, cùm sanguinem magis condensent, abstinendum. Et ad eum sanguinem digerendũ & dissoluendum, mox curam adhibere debemus. Quod etiam si in pus conuertatur, nihilominus agendum, si portio illius absumi queat: cùm resoluta puris maiori parte, quod reliquum est, à pupillæ foramine subsidens deorsum, visioni tunc non amplius incommodare possit, & tandem vel sponte, vel medicamentorum vsu absumatur.

Discutitur autem hoc modo: sumendus sanguis columbarum, turturum, vel aliarũ auium, isque dum adhuc calet, in oculum mittendus. Vel si ad manum pullus columbinus sit, ex ala illius pennam, cuius radix adhuc, quia recenter creuit, tumida, sanguine repleta est, illicque in propria vena veluti intestino continetur, euellenda, atque ex ea sanguis premendus, & in oculum instillandus. Nam quantam vim sanguis in sanguine discutiendo habeat, in hæmorrhagiis per eiusmodi sanguinem sistendis, alibi docuimus.

Possent & validiùs discutientia, si hisce non cedit, oculo indi. Qualia in suffusione discutienda explicata sunt: ex aquis, succis, lachrymis, fellibusque parata.

Quibus & hæc effectu comprobata adijcimus: ℞. aquæ Vitæ (quæ suggillationes etiam alibi mirè discutit) aquæ Raphani ana ℥.ß. dissolue Camphoræ (quæ idem quod aqua vitæ, discutiendo facit) gr.v. Instilletur.

Vel sic: ℞. aquæ Raphani ℥.j. maceretur in ea Croci ℈.ß. donec flauescat; coletur: dissolue in ea Thuris ℈.j. Fellis piscium ʒ.ß. Vtatur per se, vel cum mucilagine applicetur.

Vel spissius pro inunctione palpebrarum sic fiet: quod & in oculos poni potest: ℞. succi Raphani ʒ.ij. Fellis piscium ʒ.ß. Myrrhæ, Thuris ana ʒ.j. Croci ℈.ß. Mellis q.s. excipiantur.

Vel sic in declinatione potissimùm: ℞. Omphacij, Amurcæ ana ʒ.ij. Myrrhæ ʒ.ß. Croci ℈.ß. cum Melle misce.

Vel vt penitùs discutiatur, Aquæ compositæ in suffusionibus expositæ, per se, aut cum mucilagine applicatæ, competent.

Fomenta simul adhibebuntur, quæ plurimùm discutiunt. Qualia in suffusione præscripsimus.

Vel hoc, quod admodùm potens est: ℞. radic. Raphani ℥.ß. sem. Fœnogr. ℥.j. Fœniculi, Seseleos ana ʒ.ij. herb. Fœniculi, Chelidoniæ, Euphrasiæ ana M.j. flor. Chamom. Meliloti, Sambuci, Liliorum, Paleæ auenæ incisæ ana P.j. fiat decoctio in Vino & Aqua: Pro fotu.


Emplastra supra oculũ discussionis causa posita valent: inter quæ hoc est optimum. Si Pulmo vel Hepar columbæ, cruenta adhuc & tepentia, supra oculum posita ligentur. Quæ & si dolor & inflãmatio adessent, eo nomine quoque plurimùm iuuarent, vt in ophtalmia dicetur.

Fit & emplastrum ex Pomo putri, ad discussionem vtile.

Vel hoc modo compositum: ℞. Raphani incisi ℥.j. pulpæ Pomi putris ℥.ß. pulpæ Passular. ℥.j. Stercoris columb. ʒ.ß. mucilag. semin. Fœnogr. q.s. contundantur omnia: misce cum Lacte: & applicentur.

Suffitus ex decocto fomenti præscripti, plurimùm quoque discutiet.

Manualis operatio hîc locum etiam habet, si pus genitum, discutientibus minimè cedat, illiusque magna sit copia, pupillam obliterans. Quod Punctura vt in suffusione dictum, sed maiori acu, cùm aliàs nihil efflueret, tentari potest: & si non succedat, maiorem adhuc, sed in eodem puncturæ foramine, intrudendo: Vel cauum canaliculum, ita acutum vt foramen illud subire possit, imponendo, & pus sic exsugendo, eousque donec pupilla ab eo liberetur aliquomodo: nam si totum pus exhaurire vellemus, timendum, ne & aqueus humor sequatur. Pro suctione ista, canalis ille seu tubus ventre amplo constabit, vt pus suctum, in illum, non in os sugentis feratur; cuiusmodi chymici pro sugendis aqua vel oleo, in separatione horum ab inuicem, vsurpare solent.



DE

DE AVDITVS LÆSIONE.

CAPVT VIII.

Genera.

Surditas.



ABOLETVR omninò auditus interdum, adeò vt vel nullum penitùs sonum exteriorem audiant: Vel si sonum aliquem auribus hauriunt, illius tamen differentias discernere nequeant, proin & quid significet, dijudicare non possunt: diciturque Surditas, Cóphosis. Hi & sæpè muti sunt, si ab ortu surdi nascantur: estque tunc surditas originalis. Ex surdis tamen aliqui seipsos loquentes aliquomodo, alios verò audire minimè possunt. Sed & inuenti fuerunt, qui surdi alioquin existentes, dentibus musico instrumẽto, sonum edente, presso, & parte illius aliqua, vel saltem alia illi contigua admorsa, sonum illum apprehenderent. Quod non saltem fistulam ore continentibus & fistulãtibus, sed & illis qui alterius instrumẽti quod fidibus constat, dum pulsatur, partem mordicùs apprehendunt, contingere potest. Et sanis etiã, auribus diligenter obturatis, vt per hanc viam nihil audire queant, si idem faciant, simili modo, vti quilibet experiri potest, euenit.

Grauis auditio, Barycoia.

Imminuitur verò saltem, quando ægrè sonum percipere vel discernere possunt: in Graui auditu, Barycoia appellato: cùm non audiunt aut intelligunt sonum, nisi altus atque eleuatus admodum sit: vnde qui cum illis loquuntur, vocem extollere coguntur, & nonnunquam clamare. Alij verò ne sic quidem vocem percipere possunt, nisi colloquentes, in aures ipsis loquantur & vociferentur:

Obauditio, id est, sonus in auribus.

Deprauata auditio, siue Obauditio, fit cũ sonum externum falsè percipit. Idque propter internum sonum in ipsis auribus præternaturaliter excitatum, huicque externo obstrepentem, vel illi se immiscentem eúmque confundentem: idque vel continuò, vel per vices saltem. Præter quod impedimentum, molestiam quoque homini non leuem parit, atque inquietum reddit.

Variat autem hic sonus, in aurium cauo suscitatus, admodum, atque vti sonus exterior, ita & hic varius quoque est: cuius diuersitates, vt nec illius, nisi comparatione, rectè alioquin explicari possunt, & per onomatopœam ferè nomina illis sunt indita.

Estque species vna illius frequentior quę Tinnitus aurium dicitur: quando sonus ille, in auribus tintinnabuli, acutum plerumque sonum, dum pulsatur edentis, resonantiam exprimit, & vt nomen sonat, tinnit. *Tinnitus aurium, Obauditionis species.*

Altera; Sibilus est auriũ: sonus qui vt (SI) nominis prima syllaba sonat, & qualis cùm flatus per angustum foramen pertransit coactus, necdum rectè resonans, auditur. *Sibilus, Obauditionis species.*

Tertia species; Pulsus vel pulsatio est in auribus: Sonus qualis dũ res leuiter ex ictu vel casu guttæ per vices pulsatur, sese offert; & syllaba nominis prima (PVL) quoque illum nonnihil designare videtur. *Pulsatio in aurib. Obauditionis species.*

Quarta; Fluctus vel fluctuatio est in auribus: sonus huic qui fluctuum allisioni mutuæ, vel ad alia, interpolatis factis vicibus, non absimilis: quem & principium illius nominis (FLVC) eleganter exprimit. *Fluctuatio in aurib⁹. Obauditionis species.*

Qui præter hosce sonos, alio modo se offerunt, vel ex cõmixtione horum fiunt, generali nomine, Strepitũs auris, appellantur. *Strepit⁹ in aure, Obauditionis species.*

Causæ.

OMnis auditionis defectus & deprauationis causa est: Vel in parte mandante cerebro: vel in instrumento recipiente, auris cauitate. *Sedes affecta.*

Cerebri vitium generale, vti reliquis sensibus, sic & auditui noxã infert. Et si speciatim circa nerui auditorij exortum, aut progressum in auditus cameram, oriatur, auditui potiùs, quàm cæteris incommodat. Accid itque hoc ei, vel vitio proprio, à morbo aliquo, vel imbecillitate illius: aut per cõsensum, ratione vaporum, vel obiecti proprij. *Cerebri vitio, Auditus læsio.*

Morbus grauis & vehemens cerebri, ab intemperie frigida; repletione; læsione insigni pfectus, sicuti reliquos sensus, ita & auditũ vel abolet, vel debilitat. Quod & ab imbecillitate cerebri, spiritibus, causa senij, vel euacuationis magnæ, aut morbi grauis vel diutur-

diuturni,absumptis & dissipatis,frequenter accidit,vt quemadmodum visio hac occasione læditur,ita & auditus labefactatur. Quæ omnia qua ratione fiant, in mentis imbecillitate & consternatione dictum fuit. Calida quoq; illius intemperies, vti mentem & visionem deprauare solet,sic & in delirijs, non tantum oculis varia spectra offert, sed & auditui sonos,quos se audire existimant,repręsentant: præsertim vti mox dicetur, arterijs tunc in auribus vehementer pulsantibus.

A vapore nondum in auditus cameram irrumpente,vti mox significabitur,sed cerebrum afficiente, sicuti mens deprauatur, & visioni falsæ imaginationes offeruntur: ita & si eam sedem, vbi neruus auditorius prodit,infestet,sonos falsos,eadem ratione vt in visus hallucinatione dictum est, auditui repræsentare potest.

Obiecto proprio vti visionem affici diximus, ita & sono violento & nimio, subitò & affatim per aurem ad cerebrum vsq; penetrante,offenso neruo, spiritibusq; dissipatis, surditas nonnunquam secuta est. Vel redeuntibus spiritibus, non tamen sufficienter, tinnitus aurium relictus est. Qui tamen sonus,si impetu maiori fiat,etiam auditus organum, vti mox dicetur lædendo, noxam inferre potest.

Auris vitio, Auditus læsio. Instrumenti auditorij sonum illum exteriorem suscipientis vitio, auditus varijs modis læditur: cùm & organum hoc, quod auris nomine appellamus, ex pluribus partibus vt membranis, ossiculis, neruoq; auditorio sit constructum: quorum omnium vitia varia auditui incōmodare possunt. Quæ nos non vt in oculo fecimus, à singulis partibus incipientes, singulis sua vitia adscribemus, sed totum auris ductum,in duas cauitates distinguentes, exteriorem scilicet & interiorem, quinam morbi in vtrisq; occurrentes auditum lædant, explicabimus.

Exterior auris cauitas, quam meatū auditorium vocant, extrinsecùs aperta,patens & conspicua, ad tympani membranam vsque,qua occluditur,desinens, nihil alioquin in se præter aërem continens, & sonum externum intromittens; si à causis externis varijs occurrentibus: vel internis humoribus, aut tumoribus obturetur vel obstruatur: siue penitùs: siue tantùm ex parte, aut alioquin lædatur, auditum tunc lædi contingit. Quæ etiam causæ hîc occurrentes, à sensibus duntaxat nostris percipi, vel si penitiùs lateant, stylo immisso explorari, & si qd inde exeat, ab excretis cognosci possunt.

Obturatio auris, causa Auditus læsionis. A causis externis, si auris exterior cauitas penitùs occlusa sit (quæ aliàs naturaliter vti oculus, claudi minimè potest) vt fit, pressa auris posteriore pinnula vel cartilagine: aut adhibitis manibus, aliisve corporibus: aut aqua, dum per natationem in ea caput occultatur. Vel obstructis auribus ab intrusa vel illapsa aliqua crassiore materia; vt nucleo; vel etiam animali: quæ earum cauitates penitùs occludant; aut aqua, quæ illapsa, omninò oppleat: auditus adeò impeditur,vt exteriores sonos vel omninò nō, vel non rectè, prout plus minúsve vel vna auris, vel vtraque obturantur, possint percipere. Ni fortè, alia via, alioq; artificio, vti per os, apprehenso dentibus instrumento, sonum edente,fieri diximus,sonus ille nonnihil percipiatur. Quod duplici nomine accidere putamus. Tum propter dentium substantiæ in duritie quæ penè lapidea est, & læuitate, cum ossibus auditus cameræ (quæ ossa dentium substantiæ persimilima, & vt in ea meliùs sonus fieret, durissima atque lapidea sunt) similitudinem & consensum, atque adeò cum ipsius auditus ossiculis, eadem substantia præditis. Dein & propter neruos dentibus substratos, qui à linguæ neruis eò deriuantur, neruiq; linguæ cum auditorio neruo, propaginibus (vti inferiùs, vbi qua ratione surdi etiam muti nascantur,explicabimus) mutuò coniunguntur: quo consensu accidit,vt cùm sonus per aërem ex contactu dentes pulsat, continuatione hac, per interiora facta, auribus percipiatur. Sicuti & ore exactè clauso, dentibusq; inuicem collisis, vel lingua in oris aliquam partem impulsa, sonum, etsi extrinsecus auris non audiat, per anteriora tamen percipimus. Sed & ob consensum illum dentium cùm auditus organi substantia, videmus à sono aspero, facto ex confricatione rerum asperarum, etiam citra contactum

détes offendi. Huc fortè aliquid facit quòd, ficuti pulfatis fidibus inftrumento alicui obductis, animaduertimus chordas ad eundem tonum intenfas in alio inftrumento, etiam procul difsito moueri, adeò vt fi aliquid illis imponatur, vel tremat, vel fi leue fit, vt palea, decidat: vt & tympanum tenfum, ad omnes fonorum impulfus excipiendos, continuatione per intermedios dentes & neruos facta perculfum, fonum auditui repræfentat. De quibus multa difputari poffent, fed ad rem.

Etfi verò aure penitùs obturata, fonus exterior minimè percipiatur, fonus tamen aliquis nihilominus aliquando in aure fentitur. Quod primùm aëris caufa, qui in auris hac ciuitate remanfit, & tympanum impellere ac percuterè plus minúsve poteft, folet accidere: fitq; eò maior, quò auris, licet obturata fit, minus tamen aliena materia repleta, copiofiorem adhuc in fe continet aërem; vnde fluctuationis fonus, aëre in aure fe volutante & veluti inundante, percipitur. Hinc videmus, fi illud quod cauum eft, aëremque ob id in fe continet, auri adhibeatur, fonum hunc vehementiùs in aure fentiri: quod vola manus caui auri adhibita experimur: vnde & pueri concham auribus apprimentes, fluctus marinos in ea fe audire, referre folent: aëre tunc propter conchæ anfractus, maiorem ftrepitum edente. Quod & aquæ immerfo capite, ita vt ab ea penitùs aures obturatæ fint, accidit, aëre tunc remanente, qui fluctuationis fenfum offert: & fi fub aqua commotis lapidibus, ftrepitus fiat, illum quoque, inftar tintinabuli fonantis percipi: licet fonus extra aquam, etiam à fclopeto explofo, fummus editus, nullo pacto audiatur, multoties cùm puer natatione delectarer, obferuaui. Verùm & ob pulfum arteriarum in auribus, pulfans in illis fonus aure occlufa, nonnihil fentitur, qui aure aperta ob fonum exteriorem, cùm maior fit & minorem hunc obfufcet ac deleat, non obferuatur; quem & noctu, fi aures cucupha nimiùm ftringant, & puluino obruant, fe audire, præfertim fi caput illis calidius exiftens, pulfum vehementiorem moueat, multi narrant: & in morbis, præternaturaliter moleftiam parere, mox explicabimus.

Exiliffis in aures Obauditio. Cæterùm fi iam dictis de caufis externis, auris cauitas nō penitus occlufa fit, ita vt fonus exterior nihilominus eas fubiens, audiatur, tamen auditus fit læfio: non tantùm quòd diminutè fiat, fed deprauatè quoque, cùm auris ab omni contactu interiore, non tantùm tympani, fed & reliquæ illius cauitatis, fonum illum in aure factum, obftrepētem audiat, qui prout cōtactus fit, varius eft. Nam qui in ductu fit extra tympanum, fluctuationem quandam vel ftrepitum refert. Si verò infectum aliquod irrepens, vt pulex, aliáve, ad tympanum vfq; ferantur, illudque contingant, dum mouetur, fonus in aure volitantis papilionis inftar ftrepens admodum moleftus auditur. Si gutta vna aquæ vel plures eoufq; etiam defluant, ac fi caput cauum effet, & in eo fonus talis exfurgeret, perfentitur. Quemadmodum & fonus hi vel alij, fi vermis, falamandra, aut aliud qd aurē non penitùs obturans, fed nihilominus moleftans, in ea contineatur, percipiuntur.

Repletio exterioris auris cauitatis ab humoribus internis, caufa Auditus læfionis. Ab humoribus internis fi auris repleatur, idem accidit, vt auditio vel tollatur, vel impediatur, vel deprauetur. Vt fi fordibus aurium biliofis, quas Ceram vocant, diu retentis, incraffatis induratisque auris obftruatur; maximè fi, quod incuria interdum fit, dum eximere eas ftudent, aurifcalpio ad tympanum vfque propellantur: quæ poftea illic hærentes, cùm non facilè ampliùs cedant, auditioni magnum impedimentum adferunt. Quod & à fanguine concreto poft læfionem auris, pureq; poft abfceffum, retentis aliquamdiu, poteft accidere: quæ tamen cùm diutiùs minimè hæreant, fed fpōte effluant, non tàm auditui obfunt, quàm alia ratione auribus, vti in aurium doloribus oftendemus, incommodant.

Tumor in auris exteriore cauitate caufa Auditus læfionis. A tumore præter naturam, obftruendo potiùs quàm intemperie auribus nocente, auditio lędi poteft: idq; perfeueranter, fi farcofis vel callus poft exulcerationem aliquam auris, quod rarum eft, relinquantur.

Læfio exterioris huius meatus, nifi tympano noceat, vti dicetur, auditui vix dum obeffe, nifi excrefcentiam poft fe relinquat, vti di-

vti dictum, potest. Et ab vlcere non bene consolidato, pulsum in auribus remanere interdum, scribit Fernelius: quod, quia non bene ampliùs cute tecta est arteria, sed nuda, ob eamq; causam validiùs vicina pulsat, accidere in exterioris huius cameræ, cutanea arteria, quæ eò defertur, necesse est: sicuti in aurium vlceribus explicabitur.

Spirit⁹, vapor, flatus, in interiore auditus camera, causæ, Sonitus in auribus.

Interior auris cauitas, ab exteriore dicta, tympano interueniente distincta, admodum anfractuosa, osicula, neruumque & arteriolam continens, à spiritu, vapore, flatu, humoréve illic contentis affecta; vel si conformationis vitio ipsa, ipsiusq; partes, aut intemperie laborent, auditui quoque detrimentum adferre possunt. Quæ vitia cùm abstrusa sint, nec sensibus nostris assequi, sed signis tantùm cognoscere possumus.

Spiritu, si arteriola, quæ hanc sedem subit, copioso vel calidiore impleatur, vel is in ea nimium agitetur, validiore tunc pulsu facto in auribus, pulsans in auribus fit sonus: qui tamen manifestiùs aure clausa, vti superiùs dictum est, sentitur; eaq; aperta, si vehementior sit, sonum exteriùs irrumpentē quoq; deprauat. Quod vt calore vehementi corporis in reliquis arterijs, sic & hîc in auris arteria, pulsum intendi contingit: vti post exercitia valida, in balneis aliquando sentitur: & in morbis item acutis, cephalalgijs, pulsatio hęc in auribus molestiam parit. Motu insuper & agitatione violenta spirituum, idem euenit: vti videmus in syncope incipiente, refugientibus spiritibus, & eadem desinente, rursum illis remeantibus, pulsum & tinnitum in auribus sentiri; ex quo, referente ægro, instare syncopen cognoscimus. Quod & in multis animi affectibus eandem ob spirituum commotionem, accidit.

Vapor tenuis & subtilis, vti minutissimos meatus subire, sic & per angusta foramina (quorum sex in interiorem hanc cameram auditus desinentia, vasaq; transmittentia esse, in opere Anatomico ostēdimus) interdum huc vsque penetrare, sine dubio potest. Et sic quoq; non tantùm cerebrum, vti priùs dictum est, afficiendo deprauare (vti verò visionem à vaporibus tantùm cerebrum petentibus, nec oculū subeuntibus, cùm nulla illic sit via, deprauata, superiùs ostendimus) sed etiam propter dicta foramina, quorū aliqua è caluariæ interioribus huc desinunt: alia extra caluariam occurrentia, huc quoq; pertinent, cùm multæ sint viæ, etiam ad auditus organū peruenire posse, certum est. Quod cùm fit, sibilum, tinnitum & strepitū auditui offerri necesse est. Atq; hæc frequētior quàm humoris influxus, vti mox dicetur, huius soni præternaturalis causa, cū in ebrijs aut alijs, & in morbis quoq; multis à vaporibus, nunc tenuioribus & biliosis, vt vocant, nunc etiam crassioribus, sępè euenire soleat, vt aures eam ob causam tinniant, vel alium sonum edant; qui, vaporibus aliquamdiu persistentibus, diutiùs perseuerat; vel mox illis dissipatis, euanescit. Estq; hæc potissima causa, quare post crisim in acutis morbis, quos præsertim cephalalgiæ, inter reliqua symptomata, comitatę sunt, auditus in conualescentibus labem aliquam, diu sæpè durantē patiatur: materia, tunc quę morbi cōiuncta causa erat, è venis in vapores resoluta, & per sudores insensilemq; transpirationem euacuata, portioneq; illius è capite in auditus capacitatem, per vias dictas irrumpente, aliquandiu subsistente.

Flatus aut aër, idem potest efficere. Quid si in interiorem hanc auditus camerā irrumpat, & per angustam viam veluti coactus feratur, sibilum edit. Si per aliud foramen, sic instructum vt in fistula formari solet, tinnitum efficit. Si verò per ampliores ductus & per anfractuosos illius loci cuniculos discurrat, strepitum alium aliquem facit. Hoc sæpè, si per vim eò propellatur, euenit: vt cùm narib. compressis & spiritu siue aëre vehementer impulso, nasum emungere volumus, interdū accidit, vt illius portio per foramen è narium amplitudine ad auditus organi canalem geminū (sicuti in Anatomico nostro operę demonstrauimus) irrūpat, & sibilum vel tinnitum, diu sæpè perseuerantem excitet, interdum mox, aëre rursum eadem via erumpente, quod sæpius deglutiendo, citiùs fieri, ego ipse cerebrò expertus sum, cessantem. Ab interna etiā causa, flatus hic in auditus camera excitari po-

test, si ab excrementitijs humiditatibus circa periostia cranij collectis, inq; flatus conuersis, illic colligantur: vnde in cephaleis antiquis: & capitis & circa ossa doloribus in lue Venerea, tinnitus aurium admodum est molestus.

Humor in interiore auditus camera, causa Auditus defectus.

Humor à capite in interiorem hanc auditus cauitatem, per foramen quod neruum auditorium admittit, defluens, vel expurgatus, vti si copiosus, surditatem facit, vel grauem auditum: ita si subtilis sit & paucus, auditum deprauat. Et si ex defluxu illius hoc accidat, subitò fit: si sensim illic congeratur, sensim quoq; hæc noxa ingruit. Quæ omnes diuturnum & perseuerantem ferè, cùm humor ægrè hîc discutiatur, affectum gignunt. Prouenit autem hoc à catharro, qui & ad alias partes, & ad hanc quoq; à capite interdum delabitur. Et ex illius indicijs non solùm in ea læsione, sed & alijs apparentibus cognoscitur. Quod & senescentibus propter excrementorum copiam familiare est, & quibusdam naturis etiam à teneris consuetum, vt auditus organum molestet: vti ratione regionis accidere potest, sicuti in Alpinis regionibus, hac de causa multos difficilem auditum ab ortu, vel mox in ætatis progressu, vnà cum strumis, illis ob similem causam familiaribus, habere cernimus. Sed & in acutis morbis per crisim potissimùm, vti suprà dictum est, morbi causa non tantùm in vaporem conuersa, hanc cameram subit, sed & sæpè humoris ipsius excrementitij vel biliosi, nunc puri, nunc cum sanguine adhuc, vt aliqui voluerunt, permixti, portio in eam illabitur, pertinacioremque læsionem, quàm si à vapore fieret, parit.

Conformationis vitium in auditus interiore camera, illiusque partibus, causa Auditus defectus.

Conformationis & cõstructionis auditus organi vitio, auditus quoq; læditur. Quod cùm in interiore hac camera ex neruo auditorio, tympano, ossiculisq; tribus & cameræ huius labyrinthis conflatum sit, in quocunque illud accidit, auditui nocere potest.

Nerui auditorij non rectè formati, aut ducti, ab ortu, causa nonnunquam euenit, vt surdi nascantur. Cognoscimusq; nerui causa euenisse, quòd & muti quoq; pleriq; existant: cùm lingua, quæ ad sensum gustus, tactus & motum vehementem edendum, pluribus neruis indiguit, non tantùm proprios neruos obtinuerit, sed & aliũ insuper, à neruo auditorio, eam ob causam ex auditus camera erumpente, cuius gratia lingua cum illo continuatur, acceperit: quo læso, linguã, etsi sensus maneant, sufficienter tamen non moueri, ad loquelam edendam, cùm ad motum maior vis, quàm ad sensum perficiendum, requiratur, contingit. Nec dum obstat, quod sensorius tantùm ille neruus sit, quo hîc lingua priuatur, cùm iam sæpè probauerimus, omnem neruum vim mouendi sentiendique in se habere, quam etiam ad instrumentum conueniens delatus, exerit.

Tympani causa frequentiùs auditus labefactatur, si, vti in corio tympano militari obducto accidere videmus, non integrum, aut non sufficienter, vel nimiùm tensum existat.

Vulneratum tympanum, cùm non amplius resonet, surditatem parit. Quod cùm abstrusum sit, rarò fit, nisi per vim intruso auriscalpio. Vulgus à salamãdra insecto (quod Orenmettel. quasi auris vermem aut lumbricum, quod facilè in hortis irrepere possit, vocant) accidere posse autumat: sed cùm si vel illa, vel aliud quid, quod nocere possit, irrepat, facilè succurratur, vix dum hoc fieri potest. Vti neq; à pure retento, cùm illud mox soleat profluere, plurimumq; sæpè effluxisse sine noxa, viderim: Nisi fortè vlcus aurium tam profundum sit, vt abscessu facto, tympanum quoq; lædatur.

Laxius nec conuenienter tensum si fiat tympanum, sonum non amplius potest edere. Quod vti per vim à sono violento, clamore in aures facto, vel ab ictu bombardæ ad aurem explosæ, nonnunquam accidit: Sic & diuturnitate tẽporis, longo vsu multaq; auditione, præsertim altiorum sonorũ, toties pulsatum laxiusque factum, auditum difficiliorem in senibus, (quæ videtur frequens esse causa, grauis ipsorum auditionis) facit. Quod & à madore multo, vel vnctuositate, si oleum sæpè auribus infundatur, aut alij liquores, quod auditus restitutionis causa, aliunde deperditi, diu aliquando fieri solet, potest contingere.

Nimium quinetiam tensum, atque ita astrictum, vt ab aëre externo pulsatum, nihil penitùs cedere posit, inutile fit. Acciditque hoc, quando vel ætatis causa, vel post morbos acutos, nimiùm exiccatur induraturq́;. Quod vt reliquis omnibus membranis contingere potest, sic & huic: eoque faciliùs & frequentiùs, cùm in propinquo nulla corpora humida habeat, aut adipe, vti reliquæ multæ membranæ, inungatur, sed libera, nisi vbi in circuitu adnascitur, existat. Estque fortè hæc non minima, difficilis auditionis, quæ senescentibus ingruere, & in convalescentibus relinqui, post morbos sæpe solet, causa. Quam tympani exiccationem, post vigilias & ieiunia accidere posse, scribit Rhazes.

Osiculorum trium mutua constructio, & coarticulatio, vel conformatio vitiata, auditui nocumentum adfert. Quod ab ortu à causis insitis euenire potest: Vel aduentitijs violentis, ictu, casu, sonituque vehementi: tympano ferè, cui adhærent, simul affecto.

In ductibus varijs, cauitatibus & cuniculis illic occurrentibus, si quid non rectè ab ortu se habeat, sine dubio auditionem etiam offendit.

Intemperies frigida, causa Auditus defectus. Intemperies frigida vti neruis, membranis & osibus inimica, sic & auditus organi structuræ, ex hisce conflatæ, admodum noxia est: eoque magis, quòd aëri externo frigido, aures apertæ & nudæ semper pateant, faciliusque sic ab externis, vt vento frigido, præsertim per meatum auditorium, ad tympanum vsq; penetrante, illicq; partes etiam abditas, & nervum ipsum refrigerante, lædantur: vnde surditas nonnunquam, & auditus impedimentum frequenter subsequuta sunt. Quæ quoque vna ex præcipuis causis existit, quare in locis frigidis, vt alpibus, & ventosis, citiùs defectum auditus communiter sentiant. Quod & ab aqua frigidisima, in aures casu, vel inter natandum illapsa, accidere potest.

Narcoticorum vsus, causa Auditus defectus. Et narcoticorum vsus nimius in aures, quandoque, non quidem refrigerando, sed nervum nimiùm obstupefaciendo, adeò afficit, vt ad se redire non ampliùs posit. Quæ noua causa, ad imbecillitatem referenda est.

Curatio.

CVratio auditus læsionum omnium, quæ sunt, surditas, grauis auditio, tinnitus, sibilus, pulsatio, fluctuatio, strepitus, causæ primùm accommodatur. Quam diximus esse, vel in cerebro affecto, vel per se, vel per consensum, à vapore vel obiecto: aut in auris cauitate exteriore, obturationem, obstructionem, à causis externis, vel illapsis, aut internis humoribus, tumoribus: Vel in interiore auditus camera, à spiritu, vapore, flatu, humore, repletionem aut molestiam: vel conformationis vitium aut constructionis: vel intemperiem: De quibus singulis quid sperandum, & quid agendũ, dicemus.

Cerebri affectus causa, si auditus vnà cum alijs sensibus lædatur, causaq; illic, nec dum in instrumento lateat, eadem ratione, vti in visus læsionibus, à simili causa dictum fuit, procedendum erit. Vti & si à vapore cerebrum per consensum afficiente, hoc fiat, non alia remedia, quàm quæ in vertigine, in visus deprauatione, conuenire diximus, adhibebuntur. *Auditus læsionis si cerebri vitio fiat, curatio.*

A sono impetuoso externo, si auditus defectum patiatur, spontè nonnunquam ad se redeunt. Aliàs ægrè, aliàs nunquam: quando nimirùm spiritus adeò disipati sunt, vt remeare non posint ampliùs, vel non sufficienter, vnde tinnitus perpetuus relinquitur. Vel si tympanum vi aëris impulsum, læsum laxatúmve nimiùm existat, surditas vel grauis auditio, homini semper deinceps molesta est. *Auditus læsionis à sono violento, curatio.*

Nihilominus tamen adhibitis cucurbitulis iuxta aures: & frictionibus circa aures, alijsque calidis extrinsecùs, & intrinsecùs, auribus appropriatis, spiritum retrahere studebimus: habita corporis constitutionis ratione: de quibus mox agemus.

Ab occlusis auribus extrinsecùs, si auditus intercipiatur, remouendo ea quæ impediunt, siue adhibita saltem extrinsecus, vel aliquousque intrusa sint, facilè corrigitur. *Auditus defectus ab occlusione auriũ, curatio.*

Illapsa verò vel intrusa corpora, penitùs cauitatem subeuntia, vel si animalia irrepserint, non tam facilè cedunt, quocirca vt auferuntur, maiori arte opus est: ea vel eluen- *Auditus defectus ab illapsis in*

aures, cu ratio. do, aut excutiendo, aut extrahendo, vel alliciendo, aut enecando.

Eluendo nonnunquã hæc cedunt, si non adeò firmiter hæreant. Quod fiet, infundendo quæ viam hanc lubricam reddunt, & humectant, dilatantque. Vti olea: commune, amygd. dulc. butyrum, lac. Vel decoctum aliquod relaxans lubricansque.

Excurimus impetu quodam, Sternutatione mota: sic enim spiritus impulsu, concussis illis partibus, sæpè prosilit illud quod illapsum est, vel saltem ad anteriora propellitur: quod eò citiùs fiet, si prius via, vti dictum, dilatata fuerit. Saltu & impulsu pedis illius lateris, in quo auris affecta est, contra terram facto, tenendo interim caput manibus, & inclinando in illam sedem, excutiuntur quoq; res ex auribus. Qua ratione aquam aliaq; liquida in aures fluxa, cõmodè eijciuntur: vti pueri post balneum in profluente, si quid auribus influxerit, excutere solent.

Extrahimus si hæc non succedant, instrumento ad hoc idoneo, cauendum tamen studiosè, ne dum intromittitur, illud quod inhæret vlteriùs propellatur, vnde postea maiori difficultate eximi potest. Fit hoc auriscalpio, quo sordes auferri solent, cuius cochleare admodum tenue sit, vt illic contentis postposito, ea commodiùs extrahi possint. Vel forcipe ad id accommodata, vtrinque acuta & aspera, illa apprehendi & eximi debent. Vel si neque hoc succedat, alio instrumento apprehensa, si corpora dura sint, vt nucleus vel lapis, confringimus, & dein, vti dictum, humore infuso eluimus.

Allicimus interdũ animalia quibusdam, quæ illis grata sunt, vt extrorsum repãt, sicq; tunc apprehendi possint. Vt si Lac cum saccharo, in spongiola auri adhibeamus, vel leuiter intrudamus: aut Ficum inuersam: Vel crustam Panis: aut Pomum, & similia: Vel Lardum, quo vermiculi citiùs eliciuntur; idque præsertim si, dum hæc in auribus retinent, eas soli obuertãt. Sanguine immisso in aures, hirundines casu ingressæ, alliciuntur.

Necamus viua animalia, si in auribus hæreant, neq; cedant: tuncq; mortua non amplius auditui obstrepunt, & faciliùs eluuntur, vel excutiuntur. Idq; fit suffocatione illorum, si liquores infundantur: Sic saliuam, quam mox noctu ad manum habentes, digito exceptam, auribus instillare solent, si pulices in eas irrepserint, quæ tenacitate sua mox illorum spiracula occludit. Idem vrina propria infusa præstat. Amara si sint quæ infunduntur, insecta citiùs enecant: vt Centaurij, Absynthij succus, vel decoctum, vel Vinum, succus Nerij quoque occidit insecta: item Fella, & Aloës. Acria idem faciunt: Acetum, succus Pomi & Cæparum: & reliqua quæ in aurium vermibus explicabuntur.

A sordibus, bile, sanguine concreto, aut pure, si aures obturantur: extrahere ea auriscalpio, vel alia arte, vti dictum, oportet. Et si adeò crassa vel tenacia sint, vt non facilè cedant, tunc abstergi, dissolui atq; elui debent: sæpè immissis rursumq; emissis liquoribus: quales in pure abstergendo, in aurium vlceribus etiam explicabuntur. Confertq; imprimis Aqua mulsa vel Hydromel. Vel si potentiùs abstergendum, decocto vel succo amaro, iam dicto Absynthij, Centaurij, Lupinorum, id erit faciendum, addito Melle vel Felle, quod præ cæteris omnibus, vti sæpè dictum, ea quæ viscosa sunt, fluida facit, & in cera biliosa aurium dissoluenda, cui propter similem cum illa naturam, se egregiè insinuat, magnas vires habet. *Auditꝰ defectus à repletione aurium, cura ratio.*

Tumor carnosus, si aures occludat, tollitur, cùm secari non possit, & caustica vel septica, cum periculo tympani, intromittantur. Callus relictus vix emollitur, tamen emollientia remedia tentari possunt.

Post vlcus, si pulsatio in auribus relinquatur, eam perpetuam esse scribit Fernelius: quod tamen impedimentum, fortè cute vulneri obducta, spatio temporis magis crassescente, minuitur vel cessat. *Pulsationis in auribus, arteriarũ causa, cura.*

Pulsationis arteriarum vehementioris in auribus causa, si sonus in auribus sentiatur, ea remittente, sicuti diuturna non esse solet, etiam sonus ille desinit. Si à sensu exquisito nimis id fiat, tunc vel semper, vel ex leui pulsus intensione sentit; & ætatis decursu, remittentibus sensibus, mitigatur: Vel immissis narcoticis, si admodùm molestet, corrigitur: vt si succus Hyoscyami, cum Oleo vel Aceto instilletur.

Auditus læsionis, à repletione interioris auditus cameræ, curatio.

Ab humore vel flatu, vel etiam vapore in auditus camera contentis, si auditus lędatur: tunc si materia tenuis admodùm sit & vaporosa, sponte tandem dissipatur. Vel si crassior, hæreatque, diuturnum sæpè malum producit.

In quo sanando, siue surditas, aut grauis auditio, aut obauditio inde facta sit, pręcipuè euacuantia eodem modo, vt in vertigine & visus imbecillitate, ab aqueis, serosis & pituitosis humoribus factis, descripta sunt, vsurpantur. Atque alterutra quæ in oxydorcicis descripta, illis quoque competent. Topicaq; remedia, ad & intra aures, quæ materiam illic contentam absumere, dissipare, & discutere possunt, & proprietate auditum restituunt, adhibebuntur. Quæ omnia sequenti ordine methodicè instituentur.

Fæces intestinorũ, ante omnia eluuntur: suppositorijs vel clysteribus, vel ectoprotico exhibito, vti locis enarratis dictum est, & in alijs excrementitijs cerebri morbis dicetur.

Venæ sectio, si plethora adsit, vel biliosa materia, vnà cũ sanguine ad aures defluens, in morborum crisibus surditatem fecerit, vti dictum, competet.

Præparantur humores, si pituita in cerebro abundet, eodem modo. Vel hac ratione: dando aliquot matutinis, & noctu cubitum ituro, si magna præparatione opus sit, sequentia: ℞. syruporum de Betonica, de Stœchade ana ℥.ß. Oxymel. squill. ʒ.ij. aquarum Saluiæ, Rosmar. Maioranæ ana ℥.j. fiat iulep pro vna vice: aromatisetur: vel tabulas postea sumat: Repetendus, vt dictum.

Vel decoctum hoc paretur, quod & efficacius est: ℞. radic. Acori veri Ireos ana ℥.ß. Enulæ camp. ʒ.ij. Liquiritiæ ℥.j. herb. Saluiæ, Rorismar. Maioranæ ana M.j. Thymi, Rutæ, Melissæ ana M.ß. florum Betonicæ, Lauandulæ, Stœchados ana P.j. semin. Fœniculi ʒ.ij. Carui, Rutæ ana ʒ.j. baccarum Lauri ʒ.ij. fiat decoctio, & in colaturæ ℔.j.ß. dissolue Mellis optimi ℥.viij. coquantur ad mediã consistentiam syrupi: atq; in eo suspendatur nodulus, paratus ex Cinamom. ʒ. ij. Cubeb. Spicæ ana ℈.ij. Piperis longi, Zingib. ana ℈.j. Capiat ad ℥.iiij. pro vna vice.

Ex ijsdem & plantis & aromatibus infusio in Vino vsurpari potest. Addito, si delectetur amaris, Absynthio, Camæpith. & Marrubio, vt tanquam vinum absynthites bibatur.

Si biliosus humor in corpore redundet; ille potiùs præparandus: vti decet.

Purgetur dein eodẽ modo, vt in visus læsione à pituita cerebri dictum, pilulis imprimis Coccijs, Sine quibus, Lucis, Vel electuarijs, vt Indo, aliisve: vel si biliosa fuerit materia, illi humori expurgando accommodatis.

Et per vices pilulas leuiores, interdũ fortiores assumendo: vel alijs formis: sicuti in remedijs hæc explicata sunt.

Sudores valdè hic conueniunt, quia ab omnibus partibus etiam abditis excrementa tenuiora euocant, & flatus vaporesq; discutiunt. Quare conciliandi, corpore prius purgato, calore balnei sicci, vel humidi, artificialis vel naturalis: inter quod thermas certas auditui cõferre vulgò creditur: sulphureasq; imprimis aliqui commendant, easque adeò efficaces in surditate sananda existimant, vt si æger dum in balneo sedet, spongia ampla, quæ totum caput comprehendat, aquam calidam per epistomium effluentem excipiat, idque bis in die, præstantissimum illius esse remedium. Sed & exhibitis sudoriferis, adhibitaque si necesse sit, diæta dicta, in corporibus repletis, aliquandiu promoueri possunt: quod extremum sæpè in surditate est remedium: faciendo nimirum, vt appellare solent, diætam.

Per nares & os excrementa cerebri sunt euocanda, eoque allicienda vnde magna sæpè ab auribus fit reuulsio, & quædam interdum expurgatio. Nam per masticatoria, non tantùm dum excremẽta educuntur cerebri, ne ad aures adeò fluant, reuelluntur, sed & per frequentem expuitionem, per foramina dicta, in basi caluariæ auditus organum subeuntia, expurgatio hoc impulsu, nonnunquam & humorũ & flatuum facta, hanc sedem ab obturatione liberat: vti experientia ostendit, valida deglutitione, frequenter repetita, aliquando vapores & aërem, qui in auditus cameram, dum nasus impetu emungebatur, irrupit, sonitum illic causans, per eandem per quam subijt viam, rursum veluti extrahi, & sicuti subitò factus erat, ita subitò

sonum

ſonum illum aurium ceſſare. Quare & deglutitio, preſsis interim extrinſecùs auribus, ad flatus illic educendos, remedium eſt non aſpernandum.

Idem quoque errhina præſtare poſſunt; & valida per naſi emunctionem aëris excuſsio: vbi tamen, ſi naſus dum emungitur ita comprimatur, vt aër egredi commodè nequeat, ſed ſæpè recurrens, per foramina dicta in aurium cameram, vti oſtenſum, irrumpit, ſicq; auditum deprauat: ob quã cauſam ita mungendum eſt, ſiue manibus aut ſtrophiolo id fiat, vt aëri per nares liber pateat exitus.

Longè vehementiùs hoc facit ſternutatio, quæ ſæpè ab auribus confeſtim flatum vel humorem, per eandem viam, excutit: ſed ita facta, ne aëris impetus ſiſtatur, ea cautione ſicuti modò in emũctione declarauimus.

Scarificatio in carpo facta, multum ab auribus deriuare creditur. Proderit autem magis, ſi circa iugulares venas in collo fiat, vnde ſtatim ſæpè leuantur. Cucurbitulæ quoque adhibitæ hiſce locis, vel ſcapulis, proſunt. Poſtremò & cauterium.

Capiti applicatur remedia, ſuperiùs enarrata, ſiue extrinſecùs adhibeantur; vel in ſuffitu per nares intromittantur. Inter quæ remedia, quæ varia ſunt, ſingulare hoc præſidium, quod ex embrocatione aquarum ſulphurearum fit, vt ſuperiùs dictum, eſſe exiſtimatur.

Aſſumpta remedia eadem, quæ dictis locis explicata ſunt, & caput roborant, humores, flatus, vapores, alterant, abſumũt, diſcutiunt, hîc quoque: tàm in victus ratione decenti; in qua Vinum vetus & validũ à Rhazi probatur, quàm alijs medicamentis & confectionibus, à ieiunis & poſt paſtum aſſumendis, competunt.

Acouiſtica remedia topica. Quæ auribus in dictis cauſis induntur remedia, Acouiſtica dicta, varia ſunt. E quibus ſelectiores formas correctioreſque, hîc explicabimus.

Aqua vitæ dicta ſimplex confert.

Appropriata magis ſic fit: ℞. aquæ Origani ex ſicca herba, macerata in Vino albo, exſtillatæ: Vtatur.

Aqua compoſita magis: ℞. rad Raphani, Porri, Cæparum ana ℥.j. Cyclaminis ℥.ß. Hellebori albi ʒ.j. herbarum ſiccarum, Origani ʒ.iij. Rutæ, Maioranæ ana ʒ.ij. florum Lauandulæ ʒ.j. ſeminum Fœniculi, Cimini ana ʒ.j. baccarum Lauri numero xv. contundantur omnia, atque adde, Fellis vaccini ʒ.j. Vini albi q.ſ. vt veluti in pultem redigantur: deſtillentur.

Decoctum ſic fiet: ℞. rad. Hellebori albi, Cyclaminis ana ʒ.j. herb. Origani ʒ.ij. ſeminum Cimini ʒ.j. decoquantur in Aceto albo: colentur ad vſum: ſi Acetum ſquilliticum ſumas, efficacius erit.

Alterum decoctum adhuc excellentius & valdè commendatum: ℞. rad. Hellebori albi ʒ.ß. Croci, Caſtorij. Nitri ana ℈.j. conquaſſentur: bulliant in Aceti ℥.ß. Aquæ vitæ ℥.ij. colentur, ad vſum.

Ex ſuccis multi vſurpantur: vt Cæparum, Porri, Raphani, Rutæ: item Fraxini, & Vitium dum amputantur lachrymæ, maximè in cauſa calida.

Olea in aures frequenter vſurpari ſolent, ſecùs ac in oculis. Communia magis ſunt Amygd. am. & Nardinum.

Per deſtillationem elicita olea, ſunt efficaciſsima præ omnibus alijs medicamẽtis: ex calidis odoratis plantis & ſeminibus imprimis extracta: Vt Roſmarini, Maioranæ, Saluiæ, Rutæ, ſeminum Cimini, Carui, Fœniculi, baccarum Lauri: & quod vbiq; inuenitur, oleum Spicæ: Vel aromatum olea, præcipuè Gariophyllorum: quæ omnia ſola vix, propter nimiam vehementiam adhibentur, ſed diſſoluta liquore aliquo, vel permixta alijs fœliciſsimè immittuntur, vti dicetur.

Compoſita olea ſic fiunt: Inter quæ hoc excellens eſt: quod ℞. olei Amygd. amar. ℥.ß. ſuccorũ Origani depurati ℥.j. Aceti albi ʒ.ij. bulliant ad conſumptionem: ad vſum.

Vel ſic: ℞. oleorum Amygd. amar. Nardini ana ℥.ß. ſuccorum Porri, Rahani, Aceti ana ʒ.ij. coquantur ad ſuccorũ conſumptionem: Vtatur: ſi addas Caſtorij ℈.j. Euphorbi ℈.ß. efficacius erit.

Vel pluribus additis fiet efficaciſsimum hoc modo: ℞. oleor. Nardini, Amygd. amar. ana ℥.j.ß. ſuccorum Raphani, Porri, Cæparum & Rutæ, Aceti ana ℥.ß. Aquæ vitæ ʒ.j. adde puluerum radic. Helleb. albi, Cyclaminis

nis ana ʒ.j. pulpæ Colocynth. ℈.j. fol. Origani, ſeminis Cimini ana ʒ.j. Piperis longi ʒ.ß. Caſtorij ʒ.j. Euphorbij ℈.j. Nitri ℈.ij. coquantur ad conſumptionem: Pro vſu.

Vel excauato Cæpam magnã, aut Squillam, aut Raphanum magnum, atque imple Oleis enarratis, vno vel pluribus, addendo etiam alia, & coquendo ſub cineribus, illoq; vtere: quod in pomo Colocynthidis factum, potentius erit.

Mixturæ ex enarratis fiunt; qualis hæc eſt valde accommoda: quæ ℞. aquæ Vitæ ʒ.ij. in qua diſſolue Camphoræ gr.ij. Olei ſpicæ gut.j. vel ij. vel aliorum oleorum chymicorum guttas, & ſi nimis efficax eſſet, dilue parum aqua Origani.

Alia mixtura ex oleis & ſuccis: ℞. oleorum Nardini & de Origano eadem ratione factum ana ʒ.ß. olei ſpicæ gut.ij. Aceti gut.vj. Album oui parùm, agitentur optimè, vt omnia confundantur, & fiat inſtar lactis: & cùm vti volueris, rurſum agitentur.

Vel ſic, vt fiat inſtar vnguenti: ℞. olei de Caſtorij pingued. Anſeris ana ʒ.j. Fellis vaccini ʒ.ß. Caſtorio ℈.ß. reſinæ Lariceæ parùm, miſceantur: illinatur turunda & immittatur. Poſſunt & oleorrum chymicorum guttæ aliquot, vt Gariophyl. vel Cimini quoque permiſceri, eritq; efficacius.

Trochiſci ad vſum aſſeruandi ſic fieri poſſunt: ℞. radic. Hellebori ʒ.j. Cyclaminis ʒ.ß. pulpæ Colocynth. ℈.ß. Croci ʒ.ß. Nitri ℈.ij. Ladani ℈.j. Euphorbij ℈.ß. Moſci gr.vj, conterantur & cum ſucco Porri excipiantur: ſiccentur. Diſſoluatur vnus in Aceto vel ſucco aliquo vt Porri vel Raphani: ad vſum.

Suffitus in aures ante horum vſum intromiſſi, & poſtea quoque, plurimùm iuvat, & ad intima vſque penetrant.

Qualis hic eſſe poteſt: ℞. rad. Helleb. ʒ.j herb. Lauri, Maioranæ, Serpilli, Pulegij, Calaminthæ, Rutæ, Meliſſæ, Hyſopi, Abortani an. M.ß. Origani M.j. flor. Lauandulę, Anthos an. P.j. baccarũ Iuniperi & Lauri an. ℥.ß. ſem. Cimini, Carui, Fœnic. an. ʒ.ij. conquaſſentur, adde pulpæ Colocynthidis ʒ.ß. Nitri ʒ.j. fiat decoctio in Vino & Aceto. Excipiat vaporem vel fumum, factum extinctis in decocto lapidibus, per embotum, in aures.

Vel hoc, quod magis efficax eſt: ℞. ol. Nucum ℥.ij. Aceti ℥.j. Aquæ vitæ ℥.ß. Sulphur. ʒ.j. coquantur: & dum bullit, fumum excipiat.

Fomentari quineatiam auris poteſt ſupradicto decocto pro ſuffitu deſcripto. Vel ſpongia in eo intincta, dũ calet, auribus adhiberi.

Panis ex furfure vel farina factus, & cum ſemine Carui ſubactus antequam coquitur, dein poſt leuem coctionem, dum calet adhuc, diſruptus, & auri laboranti adhibitus, mirabiliter in ſonu aurium iuvat.

Sacculus auribus in hoſce vſus ex enarratis adhibetur. Ac puluinus auri affectæ noctu ſubijcitur. Et cucuphæ ea ſede qua aurem tangit, talia inſui poterunt.

Quæ ſic fieri poſſunt: ℞. rad. Cyclaminis, Ireos, Azari ana ʒ.ij. herb. Calamenthi, Ocimi, Pulegij ana ʒ.j. Origani ʒ.ij. florum Lauandulæ. Stœchad. Anthos ana ʒ.j. ſeminum Carui ʒ.ij. Milij parùm conquaſſ. ʒ.iij. Spicæ nardi ʒ.ß. Ligni aloës ℈.j. Storacis ʒ.ij. Salis ʒ.iij. miſceantur: impleatur ſacculus, vel puluinus.

Tabula Cupreſsi vel Iuniperi calefacta, adhibita, prodeſt. Imprimis ſi Origani puluere priùs conſpergatur: ſecretumque multorum eſt remedium.

Auditus læſionis conformationis vitio factæ, curatio.

Conformationis vitio ab ortu, ſi auditus læſio proceſſerit: ſiue ſit in neruo, vnde ſurdi & muti plerumq; ſimul naſcuntur: aut tympano, aut oſsiculis illic poſitis: aut cauitatibus & cuniculis, variè iſtic deductis, malè formatis aut conſtructis. Tunc irrita omnis illic, etſi varia acouſtica remedia tententur, erit curatio.

Læſio tympani inſignis, ab externa cauſa, vt vulnere, incurabilis. Et ſi ob eandem cauſam laxius nimiúmve tenſum fiat, ægrè ad naturalem ſtatum reducitur. In laxato tamen nimiùm, auditum reſtituentia remedia etiã competent. In aſtricto verò propter ſenium, aut poſt morbum laxantia. Quo nomine victus & viuendi rationem reficientem, & humectantem, in ſenibus & conualeſcentibus, vti aliâs, ſic vel hoc nomine vtilem, imperamus. Atq; auribus lenientia, humectantia tepida infundimus. Qualia ſunt: Lac tepidũ mulieris præſertim, & olea temperata, Amygd. dulc. Butyrum, & ſimilia.

Auditu defectu ab intemperie frigida, curatio.

Ab intemperie frigida extrinsecùs, ab aëre vel aqua auribus noxam inferente, si auditus fiat imbecillitas, remedia quæ in frigida interna causa competere diximus, hîc quoque auribus imposita, vel per suffitum intromissa, proderunt.

Auditus defectus narcoticorũ causa, curatio.

Quæ si à narcoticorum in aures immissorum vsu hoc acciderit, locum similiter habebunt, ea præcipuè quæ Acetum assumunt, quòd narcoticorum vim infringere sæpiùs diximus, præ cæteris seligentes.



DE OLFACTVS LÆSIONE.

CAPVT IX.

Genera.

Olfactus defectus.



ABOLETVR olfactus omninò, quando rerum non tantùm distantium, sed & naribus admotarum, assumptarumq; odorem nullum penitùs sentit.

Imminuitur verò saltem, cùm nõ nisi propinqua admodũ naribus, & quæ vehementem odorem expirant, olfactus sentit. Quò & referri potest casus ille, cùm res non nisi ori intrusas oderantur: quod aliquando accidisse quidam scripsit, cùm tamen hac via odor alioquin rerum ori ingestarum, naturaliter minimè percipiatur.

Olfactus deprauatio.

Deprauatur olfactus, cùm rerum odores non quales reuera sunt, sed aliter odoratas, falsò esse dijudicat; Vt cùm quæ grato odore alioquin prædita sunt, ingratum odorem expirare sentit. Vel quæ benè olent, fœtere existimat: quod plerumque gustu simul deprauato accidit, cùm iudicium assumptorum ex parte ad odoratum pertineat. Vel cùm alimenta & odore ingrata esse iudicantur. Huc autem quæ reuera fœtida sunt, etsi olfactum offendant, vti neque dolorem ad tactum deprauatum, cùm id quod reuera sic se habet, rectè sentiat, minimè referimus.

Causæ.

Cerebri vitio olfactus defectus.

IN parte mandante, cerebro nimirum, eadem quæ & gustus & tactus sensus lædit, huius læsionis causa esse potest, sicuti illic explicatum fuit: quod & ex eo, quòd hi sensus simul lædantur, cognoscitur.

In parte recipiente odorem, si causa læsionis olfactus consistat, cùm ex pluribus constet, illa vel extra caluariam, in nasi cauitate, vnà cũ naso prominente & patente erit; vel profunda & abstrusa: aut intra caluariam, in foraminibus olfactus, & illius organo.

Obturatio narium, causa olfactus defectus.

Prominentes nasi canales duo, quos nares vocant, odorem extrinsecùs haurientes, si compressis vtrinq; alis narium, vel adhibitis alijs, occludantur, sensum olfactus tantisper auferunt. Quod quomodo casu fiat, cùm noxa quam tunc respirationi adfert, maior sit, quàm quæ olfactum tollit, illic explicabitur. Et quando studio & voluntate hoc fit, idque ne fœtores externos olfaciamus, tunc pro vitio cùm minimè habeatur, non necesse est explicare. Vti & si præter nostram voluntatem, muco vel tumore refertæ sint, nisi hoc in vtraque nare simul fiat, eæq; penitùs obturentur, vnde olfactus impeditus esset (quod tamen vix fieri potest, vt illic tanta copia muci diutiùs hærere possit, & polypus vnam tantùm narem occupare soleat) quia inspirationi potiùs, quàm olfactui id incommodat, eò etiam hæc causa erit referenda.

In profunda narium amplitudine, non ea, quæ à naribus transuersim ad palatum fertur (cùm per illam odor, non solùm qui extrinsecùs occurrit, sed & qui ab illis, vti dictum, quæ ori induntur, expirans ob transuersum hunc situm, arcetur, minimè ascendat, nec nisi alia aliqua accedat causa, percipiatur) sed quæ proxima est caluariæ, ossi cribroso, & fungosis narium ossibus, si repletio ibi tanta, vel circa ossis cribrosi dicti foramina, talis obstructio fiat, quæ odorem rerum, quo minùs penetrare possit, impediat, olfactus defectus frequenter accidit.

Quod à pituita crassa, illuc ex cerebro exstillante, diutiùsq; retenta, & mucosa summeq; viscida interdum facta, sæpè euenit, olfactusq; eo nomine impeditur: & cum putre-

ſcens fœtere incipit, aut aliena graui odore prædita materia permiſcetur, deprauatur: donec excuſſa illa materia, quod vehementi emunctione, aliàs ſternutatione efficitur, eo affectu liberentur.

Hoc à gypſea materia & tophacea; vel calculo in anguſtijs illis genito, aliquando accidiſſe, hæc tandem reiecta patefecerunt.

Et quod rarum eſt, vermem illic natum diuque retentum, & poſt multos annos, piloſum reiectum in muliere Bernenſi, huic vitio occaſionem præbuiſſe, Medicus illius loci mihi ſignificauit, iconemque illius vermis transmiſit.

A pure id fieri quoq; poſſe retento docent, verùm niſi aliud quid accedat, vt ab vlcere callus aut excreſcentia, pus tàm diu retineri, aut craſſeſcere adeò minimè poteſt.

Sed & his quibus naſi oſſa, ea ſede collapſa ſunt, hic defectus nonnunquam accidit: Vel ex morbo exeſis oſſibus, vt in elephanticis, aut ozænâ laborantibus: Vel caſu & ictu in ea ſede factis, & contuſis oſſibus. Quod ab ortu etiam nonnullis contigit, vt depreſſo naſo circa radicem, non benè olfaciant.

Occluſio foraminulorum olfactus organi, cauſa Olfactus defectus.

Foraminula exigua olfactus, in craſſæ meningis cerebri ſede, quæ oſſi cribroſo ſimiliter perforato obducta eſt, ſi humore aliquo impleatur, cùm p ea nihil naturaliter, quàm odor ferri debet, olfactui defectum adferunt.

Vti fit, cùm tenuis pituita, vel ſeroſa cerebri excrementa, ad hanc partem elatiorem in caluaria defluxa, & per anguſta foramina tranſeuntia, & è naribus exſtillantia, coryzam dictam procreant, tunc remanens aliqua huius materiei portio, in dictis foraminibus, eaque obſtruens, olfactus, qui coryzam comitari, vel ſubſequi ſolet, defectum adfert. Quod & ab alia materia illic congeſta poſſet contingere.

Sed & conformationis vitio ab ortu euenit, vt foraminibus hiſce, tàm in membrana, quàm oſſe abſentibus, & defectu naturæ omiſsis, vel cæcis admodùm exiſtentibus, originale hoc homini, vt nihil olfaciat, ſit vitium: ſicuti è contra illos, quibus hæc ampliora contigerunt, qualia in canibus, qui odore præualent, eſſe videntur, acutiùs & rectiùs olfacere, credibile eſt.

Repletio olfactus organi à pituita, cauſa Olfactus defectus.

Olfactus organi ſeu nerui vitio, id quoq;, accidere poteſt, ſi à tenui, vt iam dictum eſt, humore ad hæc foramina, quibus olfactus organum incumbit, defluente, nimiùm irrigetur, vel alterius humoris affluxu, vti de reliquis ſenſorijs organis ſeu neruis dictum eſt, prematur. Quod & ab ortu, quod vel illi deſunt, vel ſitu & figura peccant, ex conformationis vitio illis poteſt contingere.

Curatio.

CVratio pro diuerſitate loci, primùm vbi morbus illiúsve cauſa latet, proponenda. Quam in cerebro, vel narium cauitatibus: aut olfactus foraminibus: aut organo, conſiſtere docuimns.

Olfact. defectus cerebri vitio, cura.

Cerebri cauſa ſi fiat, tunc vt in reliquis ſenſibus, ſimili ratione, vnà cum olfactu læſis, explicatum fuit, hîc ſuccurrendum.

Olfact. defectus propter obſtructionem narium, curatio.

Narium cauitas patens abſtruſave, ſi muco, aut pituita craſſa, viſcoſa oppleta vel obſtructa ſit, tunc, Expurgando ſi remoueri ſic poſsit: vel Emũgendo, eá ſenſim auferre tentabimus. Et Sternutatione, irritando facultatem expultricem potiſsimùm, ſi ad excretionem iam pręparata ſit, excutere ſtudebimus.

Immiſsis in nares, ſi non facilè cedat, aut profundè lateant, quæ ea emollire, ſi dura, vel incidere, ſi craſſa ſint, vel abſtergere, ſi pertinaciter hæreant, poſsint, & ſimul facultatem expultricem ſtimulent, vnde faciliùs poſtea, vti dictum, vel eximuntur, aut emungũtur, aut ſternutatione excutiuntur. Quod errhinis attractis; vel infuſis in nares commodiſsimè efficiemus.

Emollientia errhina & abſtergentia, ex Sero lactis, Hydromellite & ſimilibus fiunt.

Incidentia & abſtergentia, ex Vino, Aceto, Lixiuio, & alijs eiuſmodi parantur.

Abſtergentia & ſtimulantia ex herbis nitroſis, amaris, & acribus alijsque, inter quæ Fel imprimis viſcoſa diſsipat, fiunt: quorum omnium formæ variæ paſsim exponuntur.

Vaporé à decocto aliquo calido, pituitam incidente, & præparante, naribus excipiendo, eam ad faciliorem expulſionem præparamus. Qualia, quæ in auditus defectu auribus admiſſa, conuenire ſupra docuimus, hîc etiam, illisq; ſimilia, competere poſſunt.


Odore solo acrium, vt Sinapis, Raphani, materia illa aliquomodo inciditur, & ad excretionem concitatur. Et si vehementi odore prædita, tàm grata, vt Moschũ, Ambram: quàm fœtida, vt Castoriũ, Assam fœtidã, &c. sæpè olfacere iubeamus, non tantùm pituitam incidemus & prouocabimus, sed facultatem olfaciendi, ob olfactus intermissionem, sopitam excitabimus, & in actum rursum reuocabimus.

Quòd si corpus aliud tophaceum, aut calculosum, vel viuum, vt de verme dictum est, in cauitatibus illis lateat, quod rarum est, tunc quia vix coniectura assequi hoc valeamus, etiam remedia illis vix accommodare licebit. Et si adsint, locoq; cedere possint, ijsdem quibus humorē crassum prouocari diximus, hæc etiam per sternutationem, cum admiratione nonnunquam, reijciuntur. Si vermem adesse ex eo, quòd priùs talis eiectus fuerit, & nunc iterum eadem, quæ tunc antequam prodiret, appareant symptomata, conijciamus. amara, Fella, succos Absynthij & Aloës, &c. item Acetum, errhinis, vt illum enecemus, permiscebimus.

Olfactus foramina, & organum si pituita tenui molestata, coryzam cum olfactus defectu procreent, cura in illo symptomate quod grauius est, explicabitur: quomodo nimirum corpus expurgandum, & capitis ratio habenda, fluxusq; illi sistendi alióve deriuandi sint. *Olfactus defectus à pituita organi auditus, curatio.*

Quòd si verò organicum sit ab ortu malum, emendari tunc minimè poterit, naturæque totum illud, quæ aliquando per se in magnis mutationibus illius, aliquid præstat, committendum. Vti & si ob nasum impressum, ab ortu vel à morbis, aut ictu hoc fiat, figura hæc vitiata corrigi nunquam poterit. *Olfactus defectus cõformationis vitio, curatio.*

LIBRI PRIMI FINIS.



DE

FVNCTIONVM LAESIONIBVS,

LIBER II.

MOTVVM LAESIONES TRACTANS.



OTVVM, quorum operationes sensibus deprehẽduntur (de illis enim tantùm functionibus agimus) alij sunt voluntarij, qui volũtate nostra fiunt, vel reguntur: alij inuoluntarij, qui sponte vi naturæ, non nostro arbitratu perficiuntur.

Voluntarij motus omnes sub sensus cadunt. Quorũ alij peraguntur, dum pars de loco in locum mouetur, qui & à nostro solummodò arbitrio dependent: quod simpliciter Voluntarios vocamus. Alij fiũt aërem attrahendo & reddendo: idq; partim voluntario, partim inuoluntario motu, diciturq; Respirationis motus. Alij verò perficiuntur materiam aliquam assumendo, præsertim verò excernẽdo: vtroq; etiam motus modo, quos Excretionum motus appellamus. Vnde tria præcipua motuum læsionum exsurgent genera: voluntariorum, respirationum & excretionum. Quæ ipsorum noxæ ex accidenti nonnunquam fiunt: idq; vel ob sensuum internorum læsionem illam, quà & motus hi simul offenduntur: de quibus iam in sensuum internorum læsionibus dictum est. Vel ob vitalis motus cessationem, vnde & hos quiescere necesse est, vel illius imminutis debilitari: de quibus in vitalis motus defectu tractabitur. Aliàs verò non dictarum læsionum causâ, sed per se hi motus læduntur: sicuti nunc in tribus hisce generibus ostendemus.

Volun-

Voluntarij ſimpliciter dicti motus, membrorum ſunt externorum corporis; illique vel validiſsimi, illarum partium, quæ oſſibus firmatæ, validiùs eos ſuſtinere poſſunt: quales ſunt, corpus dorſi beneficio, & cum illo caput flectere, vel erigere: brachijs illiusq; manibus & digitis res apprehendere tractareq;: cruribus & pedibus ſtare vel incedere: mandibulâ, (quæ ſola in capite oſſibus firmata, motus robuſtiſsimos edit) mordicùs res aſſumere, dentibusq; diuidere. Debiliores hiſce ſunt, qui membris carnoſis & membraneis in facie poſitis tantùm perficiuntur: vt ſunt, os ſeu labia, palpebras ſeu oculos, aperire & claudere: oculos item mouere. Quorum motuum læſionum duæ præcipuè occurrunt differentiæ: quòd vel deficiunt, vel deprauantur.

Deficiunt voluntarij motus, cùm per ſe debilitantur, vel abolentur. Nam ex accidenti quoque, quando ob dolorem partus, motus illius, eò quod dolorem exacerbat, omittitur, impropriè tamen, moueri non poſſe dicitur: qui caſus ad dolores, vbi & explicabitur, referendus.

Motus debilitas. Debilitantur autem motus voluntarij, validiores præſertim, quando cum imbecillitate quadam fiunt: in varijs illius generibus: quæ ſunt *Pigritia, Defatigatio poſt labores. Laßitudo ſpontanea*: quæ ſimul explicabimus in MOTVS DEBILITATE CAPITE I.

Motus impotentia. Abolentur motus voluntarij, tàm validi quàm debiliores, cùm omninò non, vel ſaltem non quantùm opus erat, perficiuntur: vti in diuerſis illius generibus fieri ſolet: quorum præcipua ex illis ſunt, *Paralyſis, Spaſmus, Contractio, illorumq; diuerſæ ſpecies, vt Spaſmus flatulentus, Triſmos, Oris tortura, Cynicus ſpaſmus, Gibbus, Strabiſmus, &c.* de quibus ſimul agemus, ſub titulo de MOTVS IMPOTENTIA, CAP. II.

Motus deprauatus. Deprauantur voluntarij motus, validiores imprimis, ſed cum illis etiam debiliores, cùm non rectè, aut nimiùm quàm par erat, procedunt: ſicuti in aliquot illius generibus euenit: quæ ſunt præſertim, *Inquietudo, Tremor, Palpitatio, Rigor, Horror, Pandiculatio, Oſcitatio, Nictatio*: quæ tractabuntur in MOTV DEPRAVATO, CAP. III.

Reſpirationis motus omnes quoque ſenſibus patent, & diuerſis organis thoracis, colli & faucium perficiuntur: idque duobus modis, inſpirando & expirando aërem: quẽ motum voluntate noſtra intermittere nequimus, cum eum natura moliatur: vnde Reſpiratio naturalis vocabitur. Alter expirando aërem tantùm obitur, cum ſono, quem cum voluntate noſtra omittere poſſumus: Expiratio voluntaria dici poteſt, vel quia vocem edit, Expiratio vocalis: quę duplex quoque; quatenus vocem ſimpliciter profert. Vox dicitur: quatenus verò vocem articulatam facit, Loquela: Quæ tria, reſpiratio vox & loquela, in eo variant, quòd vel deficiunt vel deprauantur.

Deficiunt, cùm non, aut non ſufficienter fiunt: in multis illius generibus: quæ ſunt *Strangulatio, Suffocatio, Dyſpnæa, Aſthma, Vteri ſuffocatio, Incubus, Vocis & Loquelæ defectus, Balbuties*: quæ ſimul deſcribemus in RESPIRATIONIS DEFECTV, CAP. IV. *Reſpirationis defectus.*

Deprauantur, cùm vel non naturaliter, aut violenter fiunt: in varijs generibus: vt ſunt *Cita reſpiratio, Suſpirium, Oſcitatio, Singultus, Sternutatio, Tußis, Raucedo*: quæ explicabuntur in RESPIRATIONE PRAVA, CAP. V. *Reſpiratio praua.*

Excretionum motus (ſub quibus nõ tantùm eos quando aliquid è corpore excernitur, ſed & in corpus immittitur, comprehẽdimus) qui à ductibus corporis, ad illud deſtinatis, naturaliter perficiuntur, ſub ſenſum cadentes, & voluntate noſtra fiunt vel ſaltẽ reguntur, ſunt, tranſitus per gulam: deiectio: mictio: partus. Qui motus quatenus functiones ſunt corporis, deficiunt nonnunquam: quando non fiunt, aut non quantum conueniebat: interdum deprauantur, quãdo non retinentur ad deſtinatum tempus: quod fit, quando intempeſtiua fit excretio, vel nimia, ſed quia in omnibus aliquid rejicitur, in reiectis omnes eiuſmodi excretiones naturales cum præternaturalibus deſcribemus. Hic autem de illis, quatenus hæ functiones deficiunt, vel non obeuntur, tractabimus.

Tranſitus per gulam ſeu œſophagum, vnus eſt: qui fit naturaliter introrſum, in de- *Tranſitus per*

gulam defectus. glutione: alter verò coactè extrorsum, per vomitionem: de vtriusque defectus generibus: nempe *Transglutiendi, & Vomendi difficultate*, agemus in TRANSITVS PER GVLAM DEFECTV, CAP. VI.

Deiectionis defectus. Deiectionis, quæ partim natura partim voluntate obitur, defectus vnum genus, scilicet *Alui constipatio*, explicabitur in DEIECTIONIS DEFECTV, CAP. VII.

Mictionis defectus. Mictionis, quam partim voluntas & potissimùm, adiuuante tamen naturâ, efficit, defectus qui sunt *Ischuria, Dysuria*, describuntur in MICTIONIS DEFECTV, CAP. VIII.

Partus defectus. Pariendi, qui motus naturæ vi, adiuuante voluntate nostra fit, defectus duo genera; quæ sunt, *Pariendi difficultas, & Partus imperfectus*, explicabuntur in PARTVS DEFECTV, CAP. IX.

Inuoluntarij motus, non omnes sed aliqui tantùm sensibus sunt conspicui. Quos natura sola, vel ad vitę conseruationem molitur, Vitales dicti motus: vel ad nutritionem, Nutritionis motus appellantur, vel ad propagationem generis, & Generationis motus nominantur. Vnde & tria motuum inuoluntariorum læsionum prodeunt genera: vitalium scilicet, nutritionis & generationis.

Vitales motus in viribus nostris & motu cordis pulsuq; arteriarum se manifestant: Qui in eo quòd vel deficiunt vel deprauantur, læduntur.

Vitalis motus defectus. Deficiunt cùm hæc abolentur vel imminuuntur: in sequentibus generibus. *Virium lapsu, Animi defectu, Agone mortis*; quæ simul explicabimus, in VITALIS MOTVS DEFECTV, CAP. X.

Vitalis motus deprauata. Deprauantur cùm nimiùm aut sinistrè fiunt motus cordis & pulsuum: in duobus hisce generibus *Cordis motu & pulsu deprauato, Cordis palpitatione*; de quibus agemus in VITALI MOTV DEPRAVATO, CAP. XI.

Nutritionis seu qui nutritionis causa fiũt motus quatuor, attractrix nimirùm, retentrix, concoctrix, & expultrix, non omnes sensibus possunt percipi, neque enim quomodo retentrix aut concoctrix agat, sentimus, aut quando læduntur, ex propria illius motus læsione, sed alijs quæ inde sequuntur, cognoscimus: sed in attractione motum illius, quando natura cibum & potum appetit, manifestè experimur: & in excretione quando natura aliquid vi propriâ, è corpore expellit, sicuti in alijs excretionibus; in quibus voluntas nostra illi suppetias fert, motum ipsius apertè obseruamus. Vnde læsionum motuum nutritionis sub sensum cadentium, duo tantùm occurrunt genera, Appetentiæ & Excretionum.

Appetentię motus in cibi potusq; desiderio lædũtur, cùm deficiunt vel deprauantur.

Deficit appetentia, cùm nullius vel exiguus est horum appetitus: de quibus vitijs, quæ præcipuè sunt *Anorexia, Nausea, Apositia, Fastidium certorum ciborum*, agemus in APPETITVS DEFECTV, CAP. XII. *Appetitus defectus.*

Deprauatur appetitus, cùm vel nimiùm vel illud quod conueniens non est, appetit: de quorum generibus, quæ sunt *Boulimos, Canina appetentia, Sitis immodica, Pica*, tractabimus in APPETITV DEPRAVATO, CAP. XIII. *Appetitus deprauat.*

Excretionum quas natura sola perficit, necessariarum, nutritioni inseruientiũ motuum manifestorum: alius est sanguinis, alius verò seri, alius lactis. Quorum trium humorum excretionum generum læsiones in eo consistunt: quòd vel deficiunt, cùm non fiunt, vel non sufficienter: vel deprauantur, cùm immoderatè, aut intempestiuè fiunt: in quibus duobus cùm semper aliquid effluat, in excretis, eiusmodi excretiones deprauatas, vnà cum reliquis omnibus tàm naturalium, quàm præternaturalium, quæ non defectu, sed quòd fiunt etiam, quocunq; modo id fiat, peccant, excretionum læsionibus, explicabimus. Hîc autem quatenus hę functiones deficiunt, de illis agemus.

Sanguinis naturalis effluxus cessatio & diminutio, quorum genera sunt *Mensium & Hæmorrhoidum suppreßio, Purgationis post partum defectus, vti & Hæmorrhagiarum aliarum* tractabuntur in HÆMORRHAGIÆ NATVRALIS DEFECTV, CAP. XIV. *Hæmorrhagia naturalis, defectus.*

Seri exudationis defectus vnum genus, expli- *Sudoris defectus.*

explicabitur in SVDORIS DEFECTV, CAP. XV.

Lactationis defectus. Lactis deficientiæ genus vnum; explicabitur in LACTATIONIS DEFECTV, CAP. XVI.

Generationis, seu qui procreationis causâ fiunt motus inuoluntarij, quorum læsiones conspicuæ sunt versantur circa actum venereum, & conceptionem tantùm: nam de partu, cùm voluntas illum adiuuet, iam priùs est dictum.

Actus venereus, qui motu naturæ appetente, & membra ad illum exercendum, apta reddente, semenq; excernente, perficitur in vtrisq;, tàm mare quàm fœminâ, aliàs deficit, aliàs deprauatur.

Actus venerei defectus. Deficit interdum ita, vt obiri nequeat in *Impotentia, Languiditate, venere Imperfecta, vel Impedita, aut Extincta*: de quibus agemus in VENEREI ACTVS DEFECTV, CAP. XVII.

Salacitas. Deprauatur, cùm eum nimium appetunt: in *Lasciuia, Furore venereo, Priapismo*, de quibus in SALACITATE tractabitur, CAP. XVIII.

Conceptio, quæ naturæ motu semen attrahente, retinente & formante, peragitur, in muliere tantùm deficit, vel deprauatur.

Conceptus defectus. Deficit, quando non fit, vt in *Sterilitate*: vel non vt volumus, in *Mares vel Fœminas procreãdi defectu*: de quibus agemus in CONCEPTVS DEFECTV, CAP. XIX.

Deprauatur quando malè fit: qui affectus, cùm vix cognosci posit, nec sub sensus cadat, donec illud quod malè conceptum erat, rejiciatur: in reiectis potius de eo, vnà cum abortu, & cæteris excretis, agemus.

DE MOTVS DEBILITATE.

CAPVT I.

Genera.



MOTVS debilitatem vocamus, quando motus voluntarios corporis, atque inter hos validiores præsertim qui vt perficiantur robore opus habent, vel pigrè, vel tardè, vel ægrè, & cum molestia aliqua exercent: nam si aliâ ratione defectus illis accidat, vt non sufficienter obeantur, licet non omninò sed fere aboleantur, cùm ab eadem quoq; causa, vnde immobilitatem accidere dicemus, accidant, illic explicabuntur. Hæc autem de qua hîc agimus: vel consueta est pigritia: vel post labores superueniens defatigatio: vel spontanea morbos præcedens lassitudo.

Pigritia, segnities, tarditas, ignauia, ad aliquid agendum, imbecillioribus, vel à natura, toto vitæ tempore: vel ratione ætatis, infantibus & senibus: vel post morbum conualescentibus, aliquandiu vel semper postea consueta est. Et robustioribus alioquin, quoq; propter otium, quo magis delectantur & pigritiei assuescunt, familiaris existit. Qui omnes vix grauiores labores sustinere, nec diu in illis obeundis perseuerare possunt: quieti & somno potiùs intenti. *Pigritia.*

Lassitudo post labores seu defatigatio, facit vt non tantùm ad eosdẽ quos priùs subierunt labores, & alios etiã suscipiendos inepti sint, sed & molestiã non tantùm quando aliquid agunt, sed & cùm quiescũt adhuc aliquandiu remanentẽ sentiant, stuporis nimirùm illũ in mẽbris nimiùm agitatis sensum, quem formicationẽ vocant: & tensionẽ quandã, ac si illa arida seu astricta potiùs essent, ideoq; ægrè & cum molestia flectuntur aut extenduntur: vnde squalidam lassitudinem eam alicubi Galen. vocauit. Aut si cacochymici sint, sensum illũ dolorificũ, de quo mox in spontanea lassitudine dicemus, percipiunt. Hæc prout vniuersum corpus partésve illius validè exercitatæ fuerunt, plus minúsve se exerit. Cùm aliquãdo totũ illud ex defatigatione adeò prosternatur, vt & in quiete vel etiã decubitu, cũ & in eo per musculos membrorũ aliqua attractio vel extensio fiat, lassitudo nõ penitùs cesset: vnde noctu corpus volutare variè, vt situm aptũ corpori, quo quiescere & dormire cõmodè possint, inueniant, coguntur. Interdum verò certæ partes, quæ laborem sustinent, eum tantùm sentiunt: vt pedes post itinerationẽ longam; brachia post ictus diu cõtinuatos: *Defatigatio post labores.*

manus

manus non tantùm post validiores motus, sed &, vt sæpè expertus sum, diu multumq; scribendo: sicuti & mandibulam multùm loquendo defatigari posse obseruaui. Debiliores etiam palpebrarum, labiorum, oculorũ motus, defatigari, vel hoc ostendit, quòd lassis palpebræ ægrè attollantur, somnolentiæ & defatigationis certum indicium.

Lassitudo spontanea. Lassitudo spontanea, hoc est, non à labore profecto, sed spontè eueniens, qualé morbos minari vel præcedere, docet Hippoc. eũ sensu quodam doloris se in membris manifestat. Qui vel in superficie cutis, & subiectæ carnis sese offerens, contactu exacerbatur, sensum aliquem exprimens in partibus; eumq; vel vlceris, diciturq; Vlcerosa, elcodis lassitudo. Vel inflammationis, vocaturq; Inflammatoria, phlegmonodis lassitudo. Alij sensum illum dolorificum, in profundo sentiunt: idq; vel circa articulos, ac si tensi essent, quia ægrè mouentur, vocaturq; Tensiua, tonodis lassitudo. Vel circa ipsa ossa ac si contunderentur, Contundens lassitudo, quam Gal. ostiocopum nominauit. Sed & plures horum sensuum molestorum species simul occurrentes, lassitudini huic copulantur.

Causæ.

CAusa omnis mouendi debilitatis est, aut viriũ imbecillitas; vel nimia motus seu exercitij intermissio, seu ocium: aut exercitatio seu labor: vel humorum copia.

Imbecillitas, causa Motus debilitatis. In imbecillitate, vti omnes functiones labefactantur, ita præsertim motus voluntarius, cùm ad ipsum edendum maior vis requiratur. Accidit autem hæc ob caloris natiui defectum, vel ætatis causa in senibus succedentem, qui proin pigri sunt, & mox defatigantur: Vel à causa morbifica prodeũtem, vt post nimias euacuationes: Vel à morbo profectum, ob diuturnitatem illius, vel acutiem, vel malignitatem vires prosternente, remanente etiam in conualescentibus à morbo adhuc imbecillitate illâ aliquandiu: vel semper, quando ex morbo senium, vt vocant, contraxerunt.

Otium, causa Pigritiei. Qui otio, vel ex consuetudine peruersa, nimùm indulgent; vel corporis mole vel plenitudine impediti, minùs exercentur; ad labores vel leuiores subeundos pigri sunt, statimq; lassantur.

Labor, causa Defatigationis. Labore seu exercitio, cùm diuturniore tùm validiore quàm singulis naturis conueniat, corpus & pigrum & lassum fit. Cùm enim quod alternà requie caret durabile non sit, accidit, vt qui longiùs quàm par est exercentur; aut qui iter longum conficiunt: & tota die laborant, lassi fiant. Ita etiam, si validum & vehemens opus, in quo faciendo, robore, vel velocitate opus est, diutiùs peragant, defatigantur. Idq; quia tenduntur musculi, nerui & tendines, cùm mem͞bra flectuntur, extenduntur & circumducuntur articuli, tuncq; etiam quando quiescunt, similis manet sensus & affectio, qualis per motum fieri solebat, tensiuaq; sentitur lassitudo. Dein & quia incalescunt mẽbra motu, lassa fiunt: sic enim consumptio quædam fit humoris viscidi, quo ad motum faciliorem edendum articuli illinuntur: non adipis (quo articuli penitùs destituuntur) vti voluerunt, colliquatio: quo humore consumpto, tanquam arida facta membra difficiliùs flectunt, eaque tendi veluti videntur. Ob calorem quoque illum, motu in membris suscitatum, sanguis in extimam carnem & cutem prouocatus, inflammationis sensum illic mouet: Vel si acris sit & tenuis, vlceris sensum aliquem præbet: Vel si crudior, saltem grauat & tendit.

Plethora & cacochymia, causa Lassitudinis spontaneæ. Humorum copia si oneretur corpus, non tantùm cùm laborat statim defatigatur, sed & sine exercitio, spontaneâ dictâ lassitudine infestatur, quæ & morbos ex illa humorum redundantia mox sequuturos prænunciat. Ita in plethora sanguinis, tensiua & inflammatoria sentitur lassitudo. Et in cacochymia humorum biliosorum, acrium, salsorum, vlcerosa. In crudorum, frigidorum, contundens & grauans.

Curatio.

Prædictio. IN curatione defatigationis post labores facta, non adeò laborandum, cùm spontè ad se redeant. Sed in spontanea, quia morborum est prænuncia, non tàm ad corrigendam lassitudinem, quàm ne morbi sequantur,

tur, prospicere oportet. Pigritia, quia corpus eneruat & languidum facit, non est tolleranda: quæ à caloris natiui penuria oritur, vix, aut nunquam tollitur. Ad quorum tamen omnium emendationem, vtimur vel restauratione virium, per quietem; exercitia; victus rationem; balneum; aliásve applicationes vel euacuationes.

Pigritiei & lassitudinis post labores factæ et spõtaneæ, à quacũq; causa, emendatio.

Quies defatigationem post labores sanat, cessante tunc labore. Maximè verò per somnum facta, cùm per eam meliùs membra quiescant: idq; potissimùm si eo situ collocentur, & formâ quæ media dicitur, musculis omnibus relaxatis, ita vt nullam vim patiantur, siue curua, siue recta, singulis tamen membris competens sit figura: sed & cùm per somnum humores, per motum nimium prouocati, discutiantur, ideò meliùs lassa corpora, hac ratione refocillantur.

Exercitium, ab otio pigritiam natam corrigit; si illo, quod ijs maximè iucundum est, vel necessarium ad vitæ sustentationem, corpus exercere consuescant. Imbecilliores, vel qui ob molem corporis vehemẽtiorem, non possunt perferre negotia, vel exercitia, leuioribus, quæ vel ipsi obeunt, vel quibus ab alijs exercentur, vt frictionibus, ad labores tollerandos, aptiores fiunt. A labore quoque vehementi contractam defatigationem emendat; si mitius sit priore: sic enim meliùs quàm omnimoda quies, lassa corpora ad requiem reducit, cùm omnis subita mutatio obsit: vti fit eundo, deambulando post cursum, aliaque validiora opera, potiùs quàm sedendo. Ita & lassitudinem tollere inquit Galen. si hesternæ par postridie adhibeatur. Contrarius etiam priori motui, defatigata reficit corpora: vt si quis montem scandendo lassus fiat, descendendo rursum, citiùs leuabitur. Dein & quia discutit exercitium leuius humores, à vehementiore euocatos, eo nomine quoque dolorificas lassitudines sanat. Quo nomine frictione veteres non tantùm corpora ante labores, quos sanitatis plerumq; causâ subibant, ad partes laxandas, & excrementa fundenda disponebant, quam Præparatoriam vocabant; sed & post labores, ad partes magis laxandas, excrementaq; attracta repurganda, denuò eam adhibebant, eamq; Apotherapiam appellabant: fiebatq; leuis frictio, per quam corpus leuiter incalescebat, ad soluendum & laxandum, quam mollem & paucam vocabant: vel fortior, in qua pars amplius accendebatur & dilatabatur, quam duram & multam appellabant: hancque minuere, illam constringere asserebant: vel mediocris, quæ & qualitate & quantitate & viribus media inter hæc erat. Cui manuum operi, inunctionem simul, vt meliùs illud perficeretur ex oleo Communi, vel Sabinę adhibebant: cuius loco nos Chamomelinum vel Amygdalarum dulcium, sumere possumus.

Balneum humidum & calidum frictionis vsum præstare potest, nostroque seculo magis consuetum est: siue maior corporis pars, vel partes lassæ tantùm in eo, vt pedes post cursum, mergantur; quod mirè lassa corpora reficit: calore actuali moderato, vel magis minúsve aucto, vti frictio resoluens, humores prouocans, astrictásque partes relaxans. Quod ex Aqua simplici paratur: cui interdum Malua, Chamomilla, Betonica, Hysopus, Origanum, Pulegium, Saluia, Chamæpithys, Artemisia, aliaque ad vires augendas incoquuntur. Post cuius vsum inunctio, vti in frictione, conuenit.

Applicationes aliæ: vt Inunctio per se, sine balneo administrata: per spinæ præsertim longitudinem, vel partes defatigatas facta, lassitudinem, vti & frictio & balneum, sola potest mitigare: leuiùs tamen, cùm minor inunctione fiat frictio, calorque actualis in vnguento minor sit, Artemisiam cum Axungia, pedibus applicatam, fatigationem ab itinere tollere docet Diosc. Et si Artemisiam secum gestet viator, non defatigari iter faciendo, aliqui docent. Idem accidere si axungiâ Anseris pedes vngantur, aliqui pro comperto referunt.

Cibus & potus reficiens, corpora lassa egregiè reficit, idq; præsertrm vini exhibitione: quod lassos vegetos reddit & recreat. Imbecilliores quoq; ad omnes operationes segniores, hisce robur aliquod assumunt.

Euacuatio in spontanea lassitudine ab humorum copia progressa, eos auferendo, illam tollit, & ne corpora in morbos incidant, præ-

cauet: quod sanguinis eductione in plethora, & purgantibus in cacochymicis corporibus, redundantiæ excrementorũ accommodatis, præstabitur.

DE MOTVS IMPOTENTIA.

CAPVT II.

Genera.



Otvs impotentiam, quam & Immobilitatem vocare possumus, appellamus, quando motus illos qui voluntate nostra fiunt, vel omninò non, aut non sufficienter possunt perficere. Qui cum multi & varij in corpore occurrãt, multa quoq; & diuersa immobilitatis se offerunt genera. Qualia sunt, in validiorum motuum defectu, non, aut difficulter posse se erigere aut flectere: stare vel incedere: apprehendere & res tractare: mordicùs res sumere, & dentibus comminuere. Ex debiliorum verò motuum defectu; non posse aperire aut claudere os vel labra: oculos vel palpebras: aut circumducere oculos. Quæ primùm in eo potissimùm differunt: quod in eiusmodi immobilitatibus; Aliàs membrum quod moueri debebat, relaxatum & languidum est: diciturque Paralysis, resolutio, quæ veluti particularis est apoplexia, quando citra apparentem læsionem id fit: si verò cum læsione, prout illa est, nunc fractura, nunc luxatio, nunc vulnus appellatur. Aliàs verò membrum attractum est, seu conuulsum aliquandiu: tuncq; dicitur vel Spasmus, seu conuulsio particularis, ad differẽtiam generalis conuulsionis, quam epilepsiam & catalepsim vocauimus, quorum spasmus hic propriè dictus, pars est: cum spasmus impropriè quoq; dicatur ille, quem Germani Krampff Arabes Alzuzen vocant, cuius tamen longè alia est causa, quàm veri spasmi, vnde & hic flatulentus appellatur. Aliàs verò cum membrum attractum est, Contractio tantum nominatur, perseuerans quædam membri alicuius rigiditas. quæ primarim Gibbus si in dorso fiat, dicitur. Quæ nomina posthac hoc significatu vsurpabimus. Hisce autem immobilitatis generibus, alias plures simul motus deficiunt: aliàs sigillatim duntaxat aliqui.

Simul plures ex enarratis motibus interdum tolluntur in Paralysi, generali ob id dictâ: resolutis, languidis & impotentibus sine dolore membris, quę hosce motus edere debebant: sicuti quomodo hoc in singulis motibus fiat, in particularibus resolutionibus ostendemus. Quod interdũ in vtriusq; lateris membris illorumq; motibus accidit: quæ species paralyseos Paraplegia dicitur. Nonnunquam verò hoc in vno tantũ latere dextro vel sinistro contingit: quam speciem Hemiplegiam vocant: in qua tamen frequentius hoc euenit, vt resoluto corporis trunci alterutro latere, illiusque motibus abolitis, motus reliquarum partium in facie positarum, salui & integri remaneant: interdum aliqui tantum detrimentum accipiant: vti motus labiorum. Sed & prædictis motuum voluntariorũ immobilitatibus, reliqui motuum respirationis & excretionum defectus aliqui, vti suis locis explicabuntur, accedunt interdum. Inter quos loquela sæpenumerò deficit. Sed & contingit vt & vox & respiratio simul labem patiantur: vt cùm clarè aliquid effari volunt, vel validam exspirationem, clamando, ridendo, plorando, tussiendo, edere, vehementer angantur, & in suffocationis versentur periculo. Hisce accedit nonnunquam, vt mictionem retinere nequeant, aliasq; excretiones profundant. *Immobilitas plurium simul partium, seu generalis. Paralysis seu resolutio. Immobilitatis generalis species.*

Verùm & præter hosce motuũ defectus, sensus tactus in membris resolutis aboletur. Nonnunquã is quoq; remanet, cùm motus potiùs quàm sensus, paralysis fit symptoma. In alijs verò stupor potiùs cũ sensu formicationis, vel caloris aut frigoris, vt in stupore dictum fuit, deprehenditur. In peculiari, sed nostris tẽporibus perfrequenti paralysi, quæ colicos sequitur dolores, præter resolutionẽ quarundã partium, quæ cum tremore membri sæpè incipere & perseuerare solet, dolor grauis & atrox membra resoluta insuper excruciat: quæ paralysis in cõvulsiones plerumq; abire solet, hominemq; iugulare.

Omnes ex voluntarijs motibus simul aboleri, *Spasmus*

seu Convulsio particularis, Immobilitatis generalis species.

leri, membraque omnia conuelli seu potiùs rigere & veluti congelari posse, in spasmo dicto, sicuti in epilepsia vel catalepsi, aliqui voluerunt, ita vt ab illis, catalepsi præsertim, non aliter differat, quàm quòd hîc, quia secùs ac in illis sensus remanent, atroces dolores in membris sentiant: quem affectũ Celsus tetanon vel rigorem vocauit, Galenusq; inter peracutos, quòd quatuor dierum spatio hominem enecet, affectus retulit, rarumque eum admodum esse prodidit, cùm causam quæ eum excitat, non nisi magnam, vt ait, quæ tam graues dolores pariat, vel admirandam, quod non potiùs veram epilepsiam aut catalepsim causet, esse oporteat.

Tetanus seu Rigor, Spasmi species.

Frequentiùs tamen fit, vt spasmus non omnes, sed aliquas tantùm partes, quas alioquin, vti dicetur, sigillatim exercere solet, simul inuadat, & in dorso & artubus, & faciei aliquibus partibus sentiatur: aliquando quoquo loquelæ & voci, eadem ratione, vti paralysis, resolutione, sic hic contractione, incommodet. Quæ certè particulares pluribus in locis se manifestantes convulsiones, mox subsecuturæ generalis convulsionis seu epilepsię sunt prænũtiæ, & veluti prȩludia, nonnunquam & initia, aliquando verò post epilepsiæ paroxysmum prægressum, illo soluto, remanentes reliquiæ: sicuti in epilepsia hoc dictum fuit. Sed & vidimus in quodam spasmum quendam membrorum ad annos viginti perseuerantem, nunc nonnihil remittentem; nunc dorsum, pedes, brachia, contrahentem, doloreque insuper discurrente, ægrum mirè affligere; ita vt ex leui contactu alicuius rei exclamaret, dolorque eo in loco incipiens, maculaque lutea, quæ mox nascebatur se prodens, nunc in extremos digitos, nunc nasi apicem aliasque extimas sedes, quarũ contactu exclamabat, veluti aura discurreret. Verùm & spasmus ille quem flatulentum vocant, plures partes simul sæpè infestare solet, certisq; hominibus per paroxysmos molestus esse, qui à verò spasmo non adeò & causa & periculo differt.

Spasmus flatulentus. Krampff/ Germ. Spasmi species.

Separatim motus voluntarij etiam nonnunquam deficere possunt, resolutis vel conuulsis vel contractis, aut alio modo læsis illorum partibus: sicuti hæc nunc in singulis, qua ratione hoc contingere possit, expositurí, varia motus impotentiæ particulari statuemus genera.

Immobilitas privatarũ partium seu particularis Paralysis Spasmus, contractio.

Erectio vel flexio corporis nonnunquam perfici nequit, resoluto dorso: quod vix separatim hisce dorsi motibus, sed alijs aliquot simul sublatis, vt in generali paralysi dictum, euenit. Ex spasmo hoc in dorso nonnunquã accidit, vt conuellatur, sicuti integris sensibus hoc modo eum diu sursum è lecto incurvare, rursumq; relaxando lectum percutere, aliquoties vidimus. Quod & ex contractione sine spasmo euenire potest: Primùm in genere, vt flecti nequeat, corpusque rigidum & erectum in Tetano seu rigore vocato, maneat (quod nomen etsi convulso dorso tantùm accommodent, nos tamen si ex contractione fiat, illi accommodare quoque possumus) vel vt erigi non possit, corporeque incuruato incedant, & vel in anteriora in Episthotono, vel in posteriora in Opisthotono appellatis, aut latus alterutrum inclinet. Parte tantùm quoque aliqua dorsi contracta, illius motus alicubi sistitur: vel retrorsum dorsi parte aliqua protuberante, in Gibbo appellato: vel in latera: aut quod rariùs euenit antrorsum inflexo: idque in singulis plus minúsve, & maiore minoréve illius portione eò delatâ: vnde corpus erigere nequeunt, illudq; breue, incurvum, cum thoracis inconcinna figura, ostentant: pectore præsertim admodùm prominente, & dorso impresso: capiteq; retrorsum inclinante, si dorsum ad anteriora curuatum sit. Sed & alio modo dorsum immobile, illo per contusionem seu vulnus motum amittente, apparet.

Erigẽdi & flectẽdi corporis impotentia.

Tetanos, Epistotonos, Opistotonos, Contractionis species.

Gibbus, Contractionis species.

Incessus & statio, apprehensio rerum, earundemq; tractatio peragi interdum minimè possunt. Idq; frequenter resolutis cruribus, brachijs, præcipuè verò manibus, pedibus, ipsorumque digitis, separatim, aut pluribus simul motibus, vt in generali paralysi ostensum fuit, sublatis: & tunc pars vna pluresve sic affectæ languent, pendulæque sunt, nec nisi sanæ partis adminiculo, loco moueri possunt: & quia otiosæ sunt, frigidę & molles contactu deprehenduntur: interdum & insensiles vel stupidæ, diuersimodè, vti suprà dictum fuit. Motus quoque aliqui ex ijs per

Incedendi & apprehendendi Impotentia.

spasmum nonnunquam impediti sunt, certæque ipsos efficientes partes, vel plures vel pauciores eo molestantur: nō tantùm eo qui flatulentus dicitur, qui adeò frequenter digitos pedis, interdum & alias partes summo cruciatu conuellit: sed & veri spasmi rudimenta quædam, eadem ratione vti flatulentus, molestiam hisce locis pariunt: qualem à sumpto pharmaco violento, aliquando se manifestare, in epilepsiæ causis diximus. Sed & motus qui artubus obeuntur, cessant, si hæ partes, quod separatim ferè si fit, vni alicui contingere solet, contractæ subsistant: vnde incuruæ, flexæ, vel rigidæ apparent. Quod in pedibus & manibus ipsorumque digitis permanens & frequens est malum, in illis quos Contractos vulgus vocat, licet & his partibus resolutis, sic eos appellare soleant. Sed fit quoque, vt manus, circa carpum resolutæ & pendulæ in digitis astrictæ & contractæ sint: accedente atrophia insuper manuum, maximè inter pollicem & indicem, absumpta illic carne & fouea apparente conspicua: frequentissimum post colicos dolores remanens malum. Cum vitio alio quoq; in forma situq; partium enarratarum hoc accidit, vt moueri nequeant, quandò vel abbreuiatæ aut aliter curuatæ, flexæ vel læsæ, in ipsorum longitudine, vel iuxta articulos, situm mutasse deprehenduntur: idque cum dolore loci, præsertim dum hæc membra mouere conantur: accedente interdum calore cum tumore: & sinu nonnunquam in vna parte, præsertim iuxta articulos, & in opposita illi sede protuberātia quadam apparente: sicuti fractis luxatisq; ossibus accidere, in causis ostendemus. Vbi, & quomodo cum vulnere alijsq; manifestis læsionibus immobilitas harum partium contingat, explicabimus.

Contractio eorū, quos Germ. Cōtracti vocant, species Impotētia incedendi & apprehendendi.

Mordicùs res assumere dentibusq; diuidere interdum nequeunt, quandò oris interior cauitas claudi minimè potest, sed aperta, dentibus diductis, & pendente mandibula, manet. Idque fit sine dolore, illâ resolutâ: quod rariùs priuatim illi, longè minus in generali paralysi accidit: Vel cū dolore & molestia, illâ luxatâ, ore recto vel curuo, si in vno tantùm latere hoc fiat, existente. Interdum læsio alia adest insignis, aut soluta continuitas. Aliàs verò aperiri nequit mandibula, iunctisq; dentibus, exactè, vel vno tantùm latere constricta est: nec cibū aut aliud quid intromittere sinit, estq; vel spasmus, peculiari nomine, si huic parti contingat, Trismos appellatus, vel alia ab hac contractio. Quandoque dentibus stupentibus, molestiâ hac, in ciborum masticatione impeditur.

Mordendi et mādendi impotentia.

Trismos Spasmi species.

Claudere vel aperire os, vel labia coniungere & disiungere decenter interdum nequeunt: quod suctioni & sorbitioni potissimùm incommodat. Et tunc labia vel desunt; Vel resoluta in generali potissimùm, rariùs in particulari huius solùm partis paralysi, dependent: frequentiùs autem, vt nō omninò hic motus pereat, in resolutione vnius tantùm lateris accidit, cùm oris tàm dextra quàm sinistra sedes inuicē coniuncta, vnum os efficiat, cuius latere vno læso, alterum mobile permanens, immobile latus trahit, & tunc in vno latere tantùm labia cum buccis dependent. Vti etiam si in vno latere conuellantur vel contrahantur, illa simul illic sursùm trahuntur. Et quia tunc in vtraq; specie, oris vna parte deorsùm pendēte, vel sursùm tractâ, os obliquum & intortum, vti in plorantibus apparere solet, redditur, siue ex resolutione aut convulsione aut contractione fiat, Oris torturam appellàrunt. Quòd si verò vtroq; latere labia cum buccis in spasmo simul trahantur, tunc os transuersim diductum, veluti ridentibus hominibus, vel in canibus cùm irati hiant, conspici solet, Cynicumq; spasmum vocant. Vti reuera quoque risus & ploratus, spasmi particularis cuiusdam, cùm inuoluntariè adeò os distorquent, sicuti mox in causis dicetur, sint genera.

Os aperiendi et claudendi impotentia.

Oris tortura Paralysis et Spasmi species.

Cynicus spasmus, Spasmi species.

Tegere atque occultare oculos palpebris interdum quoque nequeunt: oculusque nudus & apertus manet, iniurijsque externis magis est expositus: quod malū Gesse aliqui vocant, & quibus hoc accidit, per somnum, qui rectiùs oculis clausis sic visione occultatâ perficitur, minus commodè quiescunt. Quod incommodum & per resolutionem, quoque fieri potest: nam & si resoluta esset, nihilominus in superiore oculi sede collecta maneret (sic enim se palpebra cùm non

Oculos aperīdi & claudēdi Impotentia.

trahi-

trahitur naturaliter habere debet, vnde etiam mortuis oculi aperti manent) sed vix dum hoc nisi paralysis omninò generalis sit, sicuti apoplecticis oculi aperti manent, euenit. Sicuti verò ex tumore, qui & tunc simul apparet, hoc nonnunquam contingit. Et frequenter, vt supercilium & palpebræ cùm buccæ resolutæ deorsum dependent, nonnihil exteriore latere quoq; depẽdentia, apparent. Aperiri verò oculus si omninò nequeat, tunc palpebræ oculo obductæ, atq; collectæ, visioni obstant. Quòd si verò leuiter tantùm diducantur, tunc oculis conniuere dicuntur, quod tamen quibusdam visionem rectiùs dirigit, quàm impedit. Vix quoque hoc spasmo vt oculus omninò obtegatur (nisi hoc cum oculi motus impedimento, vt iam dicetur, eueniat) accidit, sicuti autem fit, vt supercilium cum buccis nonnihil detrahatur. Aliquando tamen priuatim ex læsione, aut tumore illius, illud quoq; fit. Quæ in palpebris aut oculo interdum occurrentia, sicuti illic dicetur, impedimentum tale adferunt. Ex sopore conniuent naturaliter.

Oculos volutandi Impotentia. Volutatio aut commotio oculi, vixdum diutius, nisi in apoplexia, aboletur, quâ correpti, vti illic dictum, oculis sunt fixis, eodemque semper intuitu: & in conuulsionibus quoque conuulsi, contorti & vt vocant fracti apparent.

Interdum tamen & breuis quidem spasmus, sicuti & alia membra, ita & oculos cum dolore aliquo conuelles, eos non volutari tamdiu, vti nec palpebras aperiri sinit.

Quòd aliquibus à somno profundo excitatis accidit, vt dum oculos aperire mouereque nituntur, cùm veluti spasmo astricti sint, non nisi cum labore & dolore facere id tandem posint.

Strabismus, Contractionis species. Nonnunquam & ex contractione potiùs, ab ortu quàm conuulsione oculo nonnihil peruerso, Strabismus fit, atque oculo inuerso nonnihil huc illúcve, non rectà sed obliquè aliquem aspiciente, toruum aspectum potiùs præbet, quàm quod visui obsit: cùm pupilla vix eousque vt palpebris occultetur, feratur.

Causæ.

Causa omnis voluntariorum motuum generum, cùm validiorum, tùm debiliorum (quæ Impotentias nominamus) est vel in organo mandante, aut vim communicante mouendi, non principe cerebro; tunc enim & sensus interni simul cum motu, vt in ipsorum læsionibus dictum fuit cessarent, quod hîc non fit, sed neruo vel in instrumento, quod mouet, musculo: vel in parte quæ mouetur: sicuti nunc explicabimus.

In Neruis causa Paralyseos. Nerui (quo nomine & dorsalem medullam & neruos comprehendimus) cùm cerebri sint portiones, spiritu animali vndique pleni, qui partibus propriam substantiam cum spiritu conferendo, vim mouẽdi & sentiendi communicant; si ita lædantur, vt illud ampliùs præstare nequeant; tunc musculo vno vel pluribus, quibus inseruntur, vim illam mouendi amittente, nec amplius membrum quod mouere debebat, attrahente, illius sequitur resolutio seu Paralysis; id est, ad motum fit languidum & ineptum; parte tunc sanâ, vt aiunt, ægram trahente. Et si vehemens læsio fuerit, sensus tactus quoq; simul vel tollitur, nõ solùm in musculo, sed & illi obductâ cute, quæ neruos sensorios ab eodem neruo læso accipit; Vel si læsio non adeò sit magna, cùm maior vis ad motum edendum, quàm sensum tactus conferẽdum requiratur, sensus hîc vel integer, vel diminutus, motu tamen sublato, potest subsistere. Sicuti & si alia insuper accedat causa, dolorem vel molestiam simul in parte (etsi immobilis sit, aut ægrè moueatur,) sentiri: quemadmodum nunc, & quis nam neruus, & à quo morbo affectus, diuersas paralyseos species procreet, describemus.

Dorsalis medullæ læsio hæc frequenter contingit, cùm externis iniurijs admodum sit exposita, & quia cerebro substrata est, excremẽtis illius suscipiendis idonea. Quæ si in ductus ipsius, à cerebro per spinam facti, initio, cerebro proximo, afficiatur, omnes neruos, qui ab illa oriuntur, priuando vi animali, generalem facit paralysim: in qua omnes voluntarij motus, tàm validio-

res,corporis, quàm debiliores faciei partiũ, cessant: & præter hos respiratio, vox, & loquela,deglutitioq́; ; item, excretionũ aliqui motus,si cerebro vicina magnaque sit læsio, labem aliquam, vti dictum, patiuntur, cùm & coniugationes neruorum illic à dorsalis medullæ initio prodeant, & tunc quoq; vti mox dicetur lædantur. Si verò in progressu reliquo ipsius per spinam talis contingat lęsio,tunc illis tantùm neruis, qui illi subsunt, facultatem auferendo, membra, quibus illi inseruntur,resoluta reddit. Ex quorum læsionibus, vbi nam in dorsali medulla causa lateat,facilè cognoscitur. Quæ quocunq; loco, si in vtroq; latere fiat læsio, vtriusq; lateris, si in vno tantùm (sicuti reuera distincta esse dorsalis medulla cernitur) illius tantùm lateris causa paralysim, eoq; generaliorem, quò illa magis circa originem affecta est.

Paria neruorum à dorsali medullâ profecta si lædantur, tum prout generalis neruus multis partibus, vel specialis alicui tantùm parti neruos communicās, morbo tenetur, plures,vnáve pars resolutionem patitur. Ex quo etiam, quínam nerui affecti sint, si qui singulis partibus communicentur sciamus, facilè indagabimus. Hincque multæ particulares fieri possunt resolutiones in membris, quæ à dorsalis medullæ partibus neruos acceperunt, non tamen omnibus, cùm thoracem mouentes musculi, septum præsertim, & abdominis quoq; necessitate respirationis compulsi, præsertim cùm naturali etiam motu iuuante fiat respiratio,nihilominus officium suum in resolutis, in respiratione, & excrementorum egestione, præstent: huc facit etiam quòd septum neruos non tantùm à dorsali medulla, sed & à neruorum cōiugationibus, vt dicetur,accipiat: sicuti in respirationis defectu hæc ampliùs declarabimus: præter quas partes, reliquæ quæ musculis aguntur, resolutionem pati possunt.

Coniugationes neruorum à cerebro deductæ,motum communicantes, si morbum patiantur, tunc pars cui neruus læsus peculiaris est, læditur: & ex resolutione partis neruus affectus cognoscitur. Vti si secunda dicta neruorum coniugatio ad oculi musculos deducta, affecta sit, oculi fit resolutio: quod tamen vix in hoc neruo potest fieri,nisi cerebrum vicinum,simul, vti in apoplexia fit,lædatur. Sicuti verò frequenter neruorũ coniugatione ad faciem,in labra,palpebras, temporalemq́; musculum deducta, affectâ, labrorum, & palpebrarum, rariùs verò maxillæ inferioris, cùm temporalis musculus plures neruos accipiat,fit resolutio. Et si linguæ neruus,tertia dicta cōiugatio, patiatur, linguâ resolutâ,loquela labē patitur: tuncq́; ferè, propter illius cum auditorio neruo cōmunicationem,si læsio tenta sit, vt muti penitùs sint, etiam surdi existunt. Idem in neruorum eâ coniugatione, quam sextam & septimam vocant, potest accidere: quæ ex cerebro procidens, coniunctaq; in vnum neruum, descendentem, & multis partibus interioribus sensum tactus communicantem, & musculis quoque laryngis, linguæ, faucium, septo; item musculis vesicæ, podicis, motum simul contribuentem, si circa exortum, aut quoq; progressum alicubi lædatur, partium, quibus inseritur, resolutiones, si mobiles sint, in alijs stuporis quendam sensum parit. Hincque si recurrentes nerui affecti sint, vocis & loquelæ defectus: si nerui qui faucium accedunt musculos,lædantur, cùm ab illis,non villis,vti putârunt, œsophagi fiat deglutitio, difficultas trāsgluttiendi sequitur. Sed & respirationis impedimentum aliquod,si, qui septum accedunt nerui,læsi sint,accedit, idq́; præsertim in validâ exsufflatione, cùm intensam vocem edere volunt,vel tussire coguntur:tunc enim eam non valentes exprimere, in suffocationis quoddam periculum veniunt; cùm alioquin ad moderatam respirationem perficiendam, septum, quod eam efficit, cùm à dorsali quoque medulla, vti dictum, neruos accipiat,munus suum, etsi hi illius nerui lęsi sint, nihilominus aliquo modo obire possit. Quibus motuum læsionibus, sensus tactus accedente offensâ, ardoris & formicationis ille sensus, circa stomachum, vbi maiores sunt nerui, potissimùm, aliasque interiores partes, vti dictum, ægrotantes tantopere molestat. Sed & si generalis quædam dictæ coniugationis sit læsio, cùm & sphincteres

vesicæ & podicis, reliquique illius musculi tunc resoluantur, mictio insuper inuoluntaria, podicisque relaxatio, cæteris paralyseos speciebus copulatur. Sicuti hæc omnia prolixiùs, in respirationis & excretionum defectu & deglutiendi difficultate, explicabim⁹.

Morbi neruorum, vnde Paralysis fit.

Morbus verò, quo dorsalis medulla seu neruus tenetur, is est, qui illum spiritu animali, quo ad functionem edendam opus habuit, priuat. Sic enim affectus, musculo vim nec mouendi, nec sentiendi partibus sensibilibus, si omninò neruus eo destituatur, communicare amplius potest: ipsiusq; reliqua, à loco affecto ad partem vsque cui inseritur, portio, fit inutilis. Sicuti accidit, si illius continuitas cum parte soluatur, tunc enim via hæc interrupta est. Vel si neruus ita angustetur, vt spiritus animalis, qui liberum per ipsos transitum requirit, ipsos non ampliùs, vel non sufficienter peruadere, aut adimplere possit; cùm, licet tenuissimus sit, & subtilissimus, solisque radiorum instar neruos illustret, nihilominus tamen, vti & solares radij, impediri possit. Vti hoc, si in parte aliqua illius ita comprimatur, vt ipsius substantia penitùs subsideat, accidit. Vel si ipsius substantia adeò condensetur, vt & hac ratione spiritui via interclusa sit. Sed & idem, si portio aliqua nerui ita intemperie laboret, vt functionem suam obire minimè possit, euenire potest. Quemadmodum quomodo hi morbi, soluta nimirùm continuitas, neruorum angustatio, condensatio, atque intemperies simplex, vel cum humoris affluxu, & repletione, aut tumore præter naturam, aut organi aliquo vitio: à causis internis, externísve: humore nimirùm pituitoso, vel sanguineo, vel ab intemperie, vel lesione aliqua per compressionem ligaturas, aut à vulnere, ictúve alio proueniant, nunc explicabimus.

Pituita neruos occupās, causa Paralyseos.

A pituita, seu excremento cerebri aqueo, seroso, frigido, humido, cerebrum irrigante vel neruorum omnium principium premēte, vti apoplexiam, quæ totius corporis est, resolutio, generari, sic si hoc in neruis accidat, Paralysim fieri, in apoplexiæ causis explicatum fuit. Talis enim humor, à causis illic quoq; asignatis, in capite copiosiùs congestus, & à cerebro in apoplexia, quā prius procrearat, excussus, vel sine ea, à capite defluens, nō per dorsalis medullæ aut neruorū substantiam, sed vel per cauitatem dorsi vertebrarum dorsalem medullam continentē, descendens, illicq;, vel circa principium aut progressum illius subsistens, vel vlterius per ductus, quos neruorum paria à dorsali medulla progressa, circa omnem connexū, vndique in corpore permeant, delabens, aut etiam à capite, neruorum coniugationum, similes ductus sequens, alicubique circa neruos hærens, quocunque loco, siue hoc circa dorsalem medullam, siue neruorum paria aut coniugationes accidat, ea comprimendo, vel irrigando, vti si hoc in cerebro fiat, apoplexiam, sic, si in iam dictis locis accidat, paralysim, plurium pauciorúmve partium, prout generalis, particularísve neruus afficitur, procreat. Cùm si copiosus humor eò affluat, angustis illis in locis pondere suo neruos comprimendo, vti suprà dictum, spiritui animali viam quoque intercipere possit: eoque diutiùs, si crassior & mucosus longiore mora detentus, euadat. Præcipuè verò, quòd humiditate sua, neruorum substantiam continuò irrigans, & adimplés, refrigeransq;, eo in loco propriam ipsorum temperiem destruat, & quo minùs spiritu animali impleri eoq; perfrui possint, impediat: vnde & propter inutilē hanc interpositam nerui affecti portionem, reliquo qui ad partes deducitur nerui ductu, ad functionē edendam simul inepto facto, resolutionem perfectam, si magna sit læsio, partium quibus nerui hi communicantur, sequi necesse est: eamq; eò diuturniorem & pertinaciorem, quò maior nerui offensa existit. Quam veram paralyseos pituitosæ causam esse, in tumescente ex aqueo humore dorsali medullâ, sectione deprehendimus: vt non opus sit, obstructionem quandam in neruis hîc, qui solidi sunt, aut ex filamentis consisti, nec cauitatem vllam, quæ humorē illum crassum, vti quidam scribunt, admittere possit, excogitare: Vel si neruorum hanc humectationem quidem concedant, id tamen hac ratione, quòd nerui longiores laxioresque facti, ad motum edendum inepti fiant, cùm,

vt iam

vt iam prius dictum eſt, nerui minimè partem attrahant, fieri, aſſerere; longeq; minùs ab eadem pituita, vti neruos obſtruente, paralyſim: ſic implente cõuulſiones, quas nos contractiones vocamus, peruenire neceſſe eſt, contendere, eandemq; vtriſque ob eam cauſam curationem, aſsignare.

Humores alij neruos occupantes, cauſa Paralyſeos & Spaſmi. Sed & aliunde, quàm ex cerebro excrementitius talis humor ad neruos partiũ quarundam delatus, aut illic congeſtus, partibus quibuſdam propriam inducit Paralyſim. Qui ſæpenumerò alijs quoq; acribus humoribus & biliosis perfuſus, vel aliàs putreſcens, neruos non tantùm irrigando, ſed & irritando, dolores cum reſolutione partis ſeſe offerentes, & in conuulſiones interdum deſinentes, vti hoc in conuulſionibus dictũ eſt, cauſat: qualem paralyſim in colicis cruciatibus quoq; euenire, cum dolorib. membrorum, ardore, formicatione, alijsq; moleſtijs, in generibus explicatum fuit.

A ſanguine extra vaſa in haſce cauitates neruorum illapſo, retentoque diutiùs, idem fieri poſſet; ſed cùm ille mox putreſcat, inflammationem citiùs, vti & ſi in neruorum ſubſtantiam ſe inſinuet, vnde alia potiùs quàm reſolutionis accidentia ſequuntur, parit. In venis verò, ſi ex plethora vel ſitu membri non naturali (vt ſi brachium diu in altum eleuatum teneatur) ſanguine delato in vnum locum copioſiùs, quia tunc neruũ vicinum, cùm venarum ductum ſequi ſemper nerui ſoleant, aliquo modo premit, ſtuporem potiùs leuem aut formicationem, quàm perfectam aut diuturnam cauſat paralyſim: ſanguine facilè iterum remeante nec ita ſubſiſtente: vti verò in cerebro affatim effuſus in illius ventriculos, apoplexiã, vti illic dictum eſt, poteſt efficere.

Tumor nerui cauſa Paralyſeos. A tumore nerui duro; Vt callo vel cicatrice poſt vulnus, aut contuſionem in neruo excreſcente; Vel tuberculo, ex proprio nerui nutrimento tenaci nato, coarctatio, illius ſpiritum animalem ſiſtens, fieri quoque poteſt. Ab œdemate verò, quod ſimul illius cauſam ſtatuunt, illud fieri nequit, niſi irrigationem illam neruorum, & tumeſcentiam, vti ſuprà dictum aliquis œdema vocare velit. Ab aliarum partium tumoribus neruum vicinum prementibus, idem etiam poteſt accidere.

Conformationis vitium in neruo, cauſa Paralyſeos. Conformationis vitio, ab ortu, neruis nõ rectè formatis, aut alioquin ductis, id quoq; accidere poteſt. Quod ſæpè in neruo linguę, vti mox in loquelæ defectu explicabimus, accidit, vt muti & ſurdi, ſicuti in auditus læſione dictum fuit, naſcantur.

Frigida intemperies nerui, cauſa Paralyſeos. Ab intemperie frigida, ſeu refrigeratione nimia (ſicuti mox in muſculis explicabim⁹) ſi non tantùm muſculi, ſed & nerui ipſi cum muſculo cui inſeruntur, vel ſine illo in ductu ipſorum extra muſculum, cùm frigidum ipſis admodum inimicum ſit, ita afficiantur, vt vel frigore conſtringantur & condenſentur, vnde ſpiritu animali non ampliùs libera patet via: vel adeò lædantur, vt ipſorum pereat functio, tunc quoque Paralyſis partium, quarum nerui affecti ſunt, ſequitur.

Siccitas nerui, cauſa Paralyſeos. A ſiccitate & caliditate reſolutionem aliquam fieri Trallianus docet: quod certè, ſi talis quæ nerui ſubſtantiam adeò induret, vt ſpiritus eam permeare nequeat, ſic accidere neceſſe eſt: ſicuti idem à cauſis in muſculorum exiccatione explicandis, fieri poteſt.

Compreſſio nerui, cauſa Paralyſeos. Preſſio membri vehemens & perſeuerans, ab onere graui, vel vi aliâ facta, præſertim eo loci vbi maiores ſunt nerui, vel nudi ſub cute occurrunt, primùm ſpiritibus repulſis impeditis & diſcurrentibus, formicationis ſenſum in ſtupore dictum, mox motus abolitionem, tandem & ſtuporem perfectum in parte, cui neruus compreſſus inſeritur, inducit. Fit hoc frequenter cùm pars parti per quietem, ſomni præſertim tempore, vt corpus brachio, pes pedi incumbens, diutiùs, eademq; premens, partem immobilem & inſenſilem, &, vt vocant, dormientem reddit. Quòd ſi verò hæc compreſsio cum valido nerui ictu ſubitò fiat, tunc ſtupor tantùm aliquis; cum dolore tamen & ſenſu formicationis permixtus, ſentitur: ſicuti hoc in illiſione cubiti, illic vbi neruus nudus ferè latet, & in annulari, & minimo digito, ſæpè caſu euenire ſolet.

In ligaturis membrorum vehementioribus, maximè ſi neruus vinculo excipiatur, motus & ſenſus tactus partis ceſſant, quemadmodum & ex recurrentib. neruis vinctis, vocem

vocem perire, mox in loquelæ defectu ostendemus.

Luxatis vertebris, aliorumque articulorum ossibus, si illic nerui vicini premantur, paralysis sequitur. Quod tamen quia facilè cedunt, vixdum fieri potest: vti verò alia incommoda, sicuti luxatis vertebris ceruicis, impedimenta respirationis & deglutitionis, vt in illorum læsionibus explicabimus, sequuntur. In reliquis verò dorsi vertebris, nisi tanta fiat luxatio, quæ dorsalem medullam vehementer premat, paralysis minimè fit. Sicuti gibbosos, in quibus multæ simul vertebræ luxatæ curuitatem dorsi, quâ medulla illi indita, circa comprehensionem sequitur, efficiunt, resolutos tamen minimè videmus: nisi fortè vna aliqua vel duæ vertebræ vehementer propulsæ, angulum acutum dorsi afficientes, eam premant; quod tamen ægrè propter dorsi firmitatem potest fieri.

Læsio nerui, causa Paralyseos. Amputato ex vulnere neruo, quia tunc continuatio hæc cum parte penitùs sublata est, membrum resolutū fit, & insensile quoque, nisi ab aliis neruis illæsis adhuc, sensum accipiat. Quod & illius contusio sæpè facit, læso adeò neruo, & sanguine impleto, vt inutilis quoque fiat: vnde dorsali medullâ ex casu sic affectâ, generalis sæpè sequitur paralysis: aliàs verò alibi neruis contusis, particularis resolutio. Sæpè quoque post contusionem, callo post se relicto, illud, sicuti dictum, euenit.

In Neruis causa Spasmi particularis. A neruis affectis conuulsiones seu spasmi particulares membrorum etiam fieri possunt: non pituitâ repletis (sicuti voluerunt, & ab eodem humore in neruos illabente, diuersum effectum produci, & paralysim & spasmum fieri posse, scripserunt) sed irritatis & molestatis, ab iisdem causis, sicuti in epilepsia explicatum fuit; nondum tamē adeò grauiter, vt cerebrum in consensum trahât, offensis, tunc enim generalis conuulsio seu epilepsia fieret, sicuti hæc aliquando particularem hunc spasmum, si maiores præsertim nerui afficiantur, & noxa grauis sit, sequitur. In quo particulari spasmo etiam, sicuti in paralysi, prout generaliores vel priuati nerui afficiuntur, vt illic resolutio, sic hîc conuulsio plurium pauciorumve partium contingit: & se hîc, dorsi paribus affectis, in dorsi, brachiorum, & manuum motibus inordinatis, manifestat. Qui vel admodùm hæc membra conuellit & attrahit, in vero illorum spasmo dicto: vel saltem digitos, manus, brachia, aliáve membra leuiter allicit, rursumque relaxat, in Palpitatione conuulsiua ob id dicta, quia conuulsiones veras minatur, & Germ. Zuppen vocant. Frequenter quoque neruorum coniugationibus molestatis, oris curuitatem & distorsionem illam morbosam, quam Cynicum spasmum vocant, causat: Vel eam etiam leuem spasmi speciem, quæ plorantibus & ridentibus inuoluntariè accidit: idque ex nimio animi affectu, spiritibus cum lachrymis eò profusis, neruosque impellentibus: sicuti quomodo hoc fiat, & à sola hac causa etiam grauiores conuulsiones oriantur, in epilepsiæ & catalepseos causis explicatum fuit. Licet & hæc ab aliis genita, spasmum non saltem illum per affectus animi in ore cocitatum, & mox illis remittentibus cessantem, sed & perseuerantem, & periculosum gignant; qualis Sardonius ille risus erat, à Cicerone descriptus, homines iugulans: qui & in generali cōuulsione vnà cum aliis superueniens, pro pessimo habetur signo, sæpeque soluto paroxysmo, ob mentis alienationem, vti in epilepsia dictum, adhuc remanet. Sed & particularis hec conuulsio non tantùm in enarratis motuum læsionibus se offert, verùm & in aliis, & respirationis, & excretionum motibus, si nerui ipsis destinati, afficiantur. Inter quos difficultas transglutiendi ea, quam spasmum stomachalem Chirurgi vocant, & in vulneratis tantopere metuunt, adeò frequens esse solet. Sicuti hæc suis locis rectiùs explicabuntur.

In Musculis illorúmve lædunt, causa Paralyseos, Spasmi & aliorū; [illegible]litatis specierum. Musculus cùm sit instrumentum motus voluntarij, quod membrum mouet, si ita afficiatur, vt membrum attrahere ampliùs nequeat, illius tunc fit resolutio, seu paralysis. Vel si talis illius sit morbus, vt membrum contra nostram voluntatem trahatur, tunc illius sequitur non conuulsio propriè dicta, quam tantùm neruorū causâ fieri diximus, sed vel impropriè conuulsio dicta, spasmus

nimirum flatulentus appellatus; vel contractio à nobis vocata, permanens membri & valida, quam certè neruus, tam exilis chorda, si cum membro adeò graui conferatur, vti verò tendo musculi adeò validus, efficere minimè posset. Læduntur autem hac ratione musculi ferè, singulis partibus proprij, vnde & particulares tantùm resolutiones, vel contractiones partium illarum sequuntur; vel vnius solummodò partis, si illius peculiaris musculus læsus sit, vel plurium, si vnus muscuuls pluribus demandet tendines: interdum tamen pluribus quoque simul affectis musculis, generaliores etiam hæ læsiones partium, quas mouent, sequuntur: quod ob musculorum vicinitatem, & quod plures inuicē collecti, veluti vnâ membranâ inclusi sint, in quibusdam locis, vti dicetur, potest accidere. Quæ siue vnius siue plurium musculorum lęsiones, ab hisce causis dependent. Si nimirùm humore vel flatu occupentur: aut tumorem præter naturam patiantur: aut exiccari inaniantur: vel intemperiē frigidam patiantur: aut alio modo lędantur: vel vitium organicum contraxerint.

Humor pituitos⁹ tendines occupās, causa Paralyseos.

Ab humore musculos replente, vel imbuente, vel illorum spaciis se insinuante, rariùs paralysis, vti verò frequenter si neruos occupet, sicuti prius dictum est, gignitur. Nam si pituitosus, serosus, aut excrementitius humor, ad musculorū corpora defluat, vel illic congestus sit, tunc dolores, & illius causâ, vt membrum ægrè moueatur, potius quàm illius languorem, aut insensibilitatē parit: sicuti in doloribus, ex defluxionibus natis, explicabimus. Quod & si sanguis illuc è vasis effundatur, vnà cum inflammatione partis accidit. Fit tamen interdum, humore aqueo musculorum tendines diu alluente, atque irrigante, vt illis nimiùm laxatis, & elongatis, illius partis, quam attrahere debebant, sequatur resolutio. Quod illis tantùm in locis ferè accidit, vbi plures tendines excarni angustoque in loco iuxta flexuras articulorum, ligamentis, veluti annulis, vincti, vt in carpi, & pedij regione, simulq; coniuncti, feruntur: vbi retentus interdum ob loci angustiam humor, tendinesque humectans, & relaxans, facit, vt manus, vel pedes resolutæ, toto vitæ tempore, in quibusdam maneant, & cessante quoque reliquarum partium, harum tantùm paralysis relinquatur; absumpto etiam humore, tendinibus longioribus, quàm par erat, remanentibus. Vnde toto vitæ curriculo manus & pedes pendulas gerunt, & cùm aliquid attollere vel apprehendere conantur, quia digitos nihilominus mouere, vel incedere possunt, cū id musculorum beneficio facere nequeant, eas in altum sublatas, impulsu brachij, vel cruris, proijcere solent. Quibus & eminentia, veluti tumor quidam, in carpi superficie plerumque apparet, ortus ob extenuationem, quæ comes eius esse solet, ossibus illic prominentibus, vel ob callum, aut nodum, qui frequenter hîc nascitur, à causis postea dicendis: quos Contractus nostri Germani, cùm resoluti tamen sint, appellant. Idq; fortè, quia, vti suprà dictum, cum resolutione ipsarum circa carpum factâ, digitorum accedit simul interdum contractio: quod fit, quia in manibus atrophiâ simul laborantibus, ob compresionem venarum, quæ circa carpi angustias, à tumore, aut humore premuntur, & refrigeratæ sunt, in partibus illis exsanguibus, ita vt ob eas causas, sanguini non pateat transitus sufficiens, ligamenta & tendines quoque absumpti & siccati, faciunt, vt articuli illi digitorum tandem sistantur: minimè verò articuli per quos manus mouetur, qui iam priùs resoluti erant. In eademque sic sede partes resolutæ, & contractæ, & emaciatæ inueniuntur.

Ab eodem humore pituitoso, seu aqueo, aut excrementitio, musculi corpus, aut tendines adeò implente, vt distentus breuiorq; factus, partem, cui inseritur, attrahat, contractionem quoque fieri posse videtur. Verùm cùm humor ad musculos defluxus, spacia ipsorum, quibus inuicem iunguntur, occupet; dolor potiùs, eoque nomine difficultas illa membrum mouendi, quàm contractio partis, & si tendines aut neruos irriget, paralysis potiùs, sequuntur.

Flatus in musculorum spaciis causa Spasmi flatulēti.

A flatu eadem ratione, non in musculorum corpora, sed in illa spacia, quæ musculi inuicem iuncti, vel vicinis partibus annexi, efformant, irrumpente, suâque copiâ muscu-

lum vnum vel plures distendente, adeò vt breuiores facti, partem ad se violenter aliquamdiu trahant, spasmum illũ, quem proin flatulentum vocant, oriri pleriq; prodiderunt. Quæ tamen validißima membri extensio, à solis flatibus vix fieri potest: vti verò palpitationem flatulentam quoq; dictam inde frequenter euenire, ostendemus: nisi alia accederet causa insuper, de qua mox in attractatione nimia musculorum dicemus. Quod vt in varijs corporis partibus sæpè, sic in digitis pedum frequentißimè euenit: musculis suræ carnosis, tunc cum summo dolore, ob distentionem, & protuberantiam ipsorum, affectis.

Flatulentum autem hunc spasmum, flatuum efficit copia, adiuuante præsertim, viarum, seu spaciorum dictorum inter musculos, amplitudine, flatibus suscipiẽdis idoneâ. Quæ vel à natura quibusdam accidit: qui & huic malo magis sunt obnoxij: Vel à vehementi musculorum motu euenit; sic enim ab inuicem & à vicinis partibus veluti auulsi, spacia, quæ ipsos intercedunt, latiora sensim, præsertim si sæpe tales motus repetantur, euadunt: in quæ postea flatus facilè & leui ex causa, præsertim cùm musculi in motu admodùm contracti, viam illis faciunt, vti mox dicetur, illabuntur: sicuti & in excoriatis tergoribus eiusmodi flatus inter membranas & carnem latere, ex bullis illic apparentibus, facilè cognoscimus.

Tumor in musculo tendinéve, causa Contractionis dictæ membrorum.

Tumor præter naturam durus in musculis natus, vt membra ad se attracta, sic astricta retineant, interdum efficit. Veluti scirrhus, aut nodus, ab excrementis in musculis genitus, & præsertim circa tendines, vbi plures in articulorum regione conueniunt: vti priùs de carpo dictum: & in genu accidere aliquoties vidi, pede tunc adeò sursùm attracto, vt calcaneus podici vicinus esset. Callus item in musculo tendinéve post vulnus, quo vulnerati nondum tamen penitus absecti erant, relictus, contrahensque vulneris labra, quia musculi corpus caudámve tunc abbreuiat, vt pars, cui inseritur, plus minúsve astringatur, facit; quod & in temporali musculo læso accidisse, osque adeò constrictum tunc fuisse, vidi, vt vix liquidißimos cibos intromitteret.

Exiccatio musculorum illorúmve tendinũ, causa Contractionis membrorum.

Exiccatis musculis ipsorúmve tendinibus, & cum illis nerui interdum ipsis inserti, eousq; vt veluti indurati & callosi facti, corrugati & astricti, vlteriùs extendi flectique nequeant: tunc quo situ firmi manent, eodem quoque membrum fixum & immobile, & plus minúsve contractum, cui implantantur, retinent. Sicuti senij vel laboris nimij diuturnique causa, partes aliquas, easque maximè quæ nimiùm operando diu multumque exercitæ fuerunt, rigidas & diuersimodè curuatas existere, sæpè cernimus; dorsoque flexo incedere, nec se rectè erigere posse, illos qui onera diu grauia gestârint: digitosque incuruos & manus habere, qui illorum operâ nimiùm sunt vsi: aut tetano vel alijs contractionum speciebus senes laborare. Quod non semper articulorum, vti postea dicetur, sed & musculorum iam dictæ exiccationis causâ accidere potest: absumpto tunc à causis enarratis ipsorum humore, adeò vt macie confecti, (quæ & manifestè in membrorum illorum musculis, maioribus præsertim etiam extrinsecùs patet) ex fibris potiùs quàm carne ipsorum corpora & tendines constare, chordasque aridas, non molles neruos, repræsentare, videantur. Quam ariditatem pinguedinis defectus, quę primum à causis dictis absumi solet, adiuuat; cùm & extrinsecùs illorum membranis adnata, tùm intrinsecùs quorundam maiorum præsertim musculorum fibris innata, illos vt faciliùs in motu extendi contrahique poßint, inungens, si eâ priuentur, ineptiores ad motum reddens. Item glutinis illius, quo tendines eodem nomine obliniri solent, ab ijsdem causis, quibus & humor & adeps deficiunt, consumptio. Quam exiccationem ab atrophia dependere, superiùs iam in humore pituitoso, carpi tendines occupante, demonstrauimus. Quæ quoq; à calore vehementi extrinsecùs, per æstus magnos, si vel diu perseuerent, vel adeò potentes sint, vt ferè vrant, astrictis tunc inde tendinibus & musculis membranosioribus potiùs, quàm carnosis, accidere poßunt. Vix autem ab interno calore, etiam in febribus ardentißimis talis musculorum fieri potest

exiccatio, cùm nec in hecticis febribus, corpore alioquin in marcorem penitùs redacto, membra ob id contracta appareant, nisi fortè hoc in septo transuerso, & in lingua, qua arefacta, vti mox dicetur, ipsius functio quoque labefactatur, sicuti in respiratione læsa dicemus, accidat. Nam & conuulsiones, quas à contractione plurimùm differre diximus, febres hasce sequentes, non ab exiccatione neruorum, vti voluerunt, proficisci, sed illorum irritatione, in epilepsia explicatum fuit.

Refrigeratio musculorũ, causa Motus impotentiæ. Refrigeratis admodùm musculis à causa externa, adeò vt calore natiuo sopito, functio ipsorum labefactetur, tunc vel non rectè membrum mouere vel ægrè possunt. Vti in manibus & pedibus, iniuriis magis expositis partibus, aëris, venti, aquæ, frigoris, causâ sæpè euenit, vt digitis tunc rectè res apprehendere nequeant: illis vel simul stupentibus, vel dolore summo iuxta radices vnguium se manifestante, vti alibi dictum, affectis. Sed & à frigore spasmum illum, qui in aqua frigidissima natantibus euenire solet, musculos tendinésve astringendo, fieri existimant: cuius tamen causas alias nos exposuimus; quas tamen hæc adiuuare potest.

Soluta continuitas in musculis tendinibúsve, causa Paralyseos. Abscectis musculis, vel illorum tendinibus, aut saltem transuersim aliquousq; vulneratis, membri illius quod trahere debebant, sequitur languor vel resolutio. Quod vt in variis corporis locis accidens, multas parit resolutionum species: sic & si in téporali musculo fiat, maxilla inferior resoluitur.

Elongatio nimia tendinum, causa Motus impotentiæ. Extensis insuper nimiùm, per motũ violentum, musculi tendinibus, adeò vt veluti distracti, longiores quàm par erat, fiant, accidit, vt membrum postea sufficienter eleuare nequeant, & quia tunc ægrè rursùm se colligunt, perseuerans fit malum. Quod in manibus, grauia onera subleuando, ex valido illo nixu quandoque euenit. Vti & in genu articulo accidere vidi, per impetum adeò impulso, vt multi qui illic occurrunt tendines, ex illo subito & violento motu distracti, longioresque facti, aut à connexu vinculorum liberati, postea partem rectè flectere ampliùs non potuerint, claudicantesq; ægri postea permanserint.

Sed & attractis etiam cum impetu musculis illorumque tendinibus, sæpè contingit, vt nimiùm illis etiam vltra terminum constrictis, vel alioquin distortis seu inflexis, aut à situ naturali nonnihil declinantibus, adeò vt mox iterum relaxari nequeant, membrum vltra mediam figuram trahant, fiatq; spasmus ille, qui toties homines, cùm violenter aut inordinato motu membra extendunt, aliquamdiu detinet: vti in pedibus cùm caligas cum labore induunt, vel natando in aqua, illos non consueto more agitant, frequentiùs accidit. In quo spasmo, prominentia musculi apparens, dolorque vehemens, eum ex contractione conuolutum, & in sese nimiùm coarctatum, satis ostendit. Flatu tunc quoque in spacium illud, quod eleuatus efficit, vti suprà dictum, irrumpente, illiusque distentionem adiuuante. Idque tam diu, donec rursùm musculo relaxato, spasmus iterum cesset: quod citiùs opposito musculo, partem quam musculus illi affixus sequitur, trahente, perficitur. Qui tamen, si pars, vt suprà in flatu dictum, disposita sit, flatuumq; adsit copia, citiùs faciliusque redire, atq; aliquando non vno aliquo tantùm, sed multis in locis homines molestare solet. *Attractio nimia musculorũ, illorũq; tendinũ, causa Spasmi flatulẽti.* Quam veram spasmi impropriè dicti adeò violenter & cum dolore membra extendentis causam esse, quilibet, si rectè rem consideret, cognoscere poterit. Cùm qui neruorum causâ verus spasmus, in hisce vel aliis partibus interdũ fit, adeò violenter, sicuti quãdo musculorum causâ oritur, membra extendere, aut dolorem tantum inferre nequeat.

Organicum vitium musculi, causa Motus impotentiæ. Verùm & ab ortu, organici morbi vitium hoc, si ab insitis causis, musculis illorúmve tendinibus accidat, in pluribus paucioribúsve locis, vt longiores breuiorésve sint, membrorum illorum sequitur vel languor, vel astrictio. Sicuti aliquos rigido dorso vel inflexo aliisve partibus cõtractos, vel etiam resolutos natos, vidimus.

Partes quæ in motibus voluntariis mouentur, sunt membra externa, ossibus firmata, validos motus, vti dictum, obeuntia: in quibus si causa immobilitatis consistat, in ossibus ipsorum plerunq; vel ligamentis & cartilaginibus existit. Item partes faciei, debiliores

biliores motus edentes, labia, palpebrę, oculus. Quorũ vitia, quæ motibus ipsorum incõmodant, nunc in singulis explicabimus.

In Ossibus, causa Motus impotentiæ.

Ossa si afficiantur, vt loco moueri nequeant, tunc nec pars, quæ ex illis componitur & stabilitur, sequi potest. Quod fit ex læsione ipsorum insigni, fractis aut amputatis, vel contusis, aut alioquin pondere pressis: vel si in articulis quibus ad motum edendũ inuicem iunguntur, dislocentur.

Fractura ossiu, causa Motus impotentiæ, vel alia Læsio ipsorum.

Fractis itaque vel abscisis, aut contusis aut pressis ossibus partium mobiliũ (de aliis enim eorum læsionibus alibi agemus) fit, vt, primùm si confracta sint & penitus abrumpantur, tunc etsi pars ossis fracti, cui musculi & tendines implãtati sunt, attrahatur (quod tamen ob dolorem qui adest, & vel leuissimo illius motu exacerbatur, fieri nequit) cùm abrupta pars non sequatur, pars moueri rectè minimè possit. Quod in partiũ quæ mouentur longis ossibus & tenerioribus citiùs fit: quæ & faciliùs franguntur, si vno tantùm osse constent: & tunc si fractura tanta sit, vt abruptæ ossium extremitates ab inuicem recedant, ossis portione quæ tendinibus, qui semper tensi sunt, adnata est, sursum tractâ, cùm nihil resistat, partis sequitur abbreuiatio. Vt in femoris, humeri, digitorumque sæpè fit ossibus. In partibus verò, quæ duobus longis firmantur ossibus, vt hoc fiat, vtrumque frangi & hoc modo disiungi oportet, cùm si vnum tantùm rumpatur, alteram adhuc partem sustentet, nullàque proin illius sequitur breuitas; nec motus illius, nisi dolor hoc impediret, tunc tolleretur. Sicuti in binis tibiæ & cubiti hoc nonnunquã contingit ossibus: & in distinctis maxillæ inferiori ossibus latis, in vtroq; latere, vel vno saltem potest accidere. Quod si verò ex pluribus ossibus longis, veluti pedij & postbrachialis, pars sit composita, cùm omnes simul vix abrumpantur, dolor potiùs; quamdiu is durabit, quàm organi vitium, motum tunc impediet. Breuia item & crassa ossa, si frangantur, tunc etiam doloris causâ, motus tamdiu præpeditur: Vt cùm vertebrarum spinæ, sicuti semel obseruaui, abruptæ sunt, cùm corpora ipsorum vix penitùs confringi possint, vti nec alia ossa ex minoribus. Talo tamen confracto, quem per medium penitùs diuulsum, ex casu vidi, motus quoque per se, non solùm doloris causâ, aufertur. Et si hoc in mola fit, quam in aliquibus sæpiùs in duas partes admodum separatas & distantes, confractam notaui: tunc, cùm articulũ genu minimè constituat, sed quia tendines errantes, quos tantùm mola, ne deflectant, retinet, motus illius articuli labem patitur.

Quæ omnia ossa enarrata tàm lõga quàm breuia, per vulnus simili ratione dissecta, similem in motu impotentiam eadem ratione procreant.

Vti ex contusione illorum, quamdiu dolor molestat, ob illum potiùs, quàm alia ratione, nisi fractura adsit, motus præpeditur. Quod in dorsi vertebris nonnunquã & brachialis, aliisque minoribus pedis ossibus, solet contingere.

Quæ omnia, tàm fracturæ, quàm vulnera & contusiones, à causa violenta, ab ictu vel casu, extrinsecùs illata, illis accidũt. Ex corruptione itidem per sphacelum ossium, non tantùm minorum, sed & maiorum, portiones aliquas adeò exesas & corruptas vidimus, vt ossa, ac si fracta essent, conciderent, & ad motum inutilia redderentur, idq; tum ob luem Veneream, aliásve causas. Sicuti & ex cancro gingiuarum, maxillæ inferioris partem aliquam cum dentibus, in vno latere exemptam, & puellam quæ hoc passa fuerat, nihilominus masticare potuisse, obseruauimus.

Sed & ossa pondere carne, aut pinguedine grauata, ad motum segniùs sequuntur.

Dislocatio ossiũ articulorũ, causa Immobilitatis.

Dislocatis ossibus duobus, quæ mutuò iuncta, ligamentisque constricta, ad motum articulum formant: si hoc in articulis, qui apparente motu, per diarthrosin mouentur, fiat: tunc & hæc immobilitas manifestior erit, magisque incommodabit, præsertim si magna sit luxatio. Quo fit, si caput ossis è suo sinu penitùs excidat, & tunc exarthrema vocant: nam si ad supercilium illius tantùm feratur, leuior tunc fit luxatio, & pararthrema appellatur, quã aliqui separationem tantùm vocant. Quarum vtraq; si contingat in articulis, per enarthrosin iunctis, vti fe-

moris cum coxa, & caput è suo acetabulo elapsum & in superiora detrusum, illic subsistat, ligamento laxo retentum, crus quoque abbreuiatur, prominentiaque in eo loco apparens fit: quod &, si in posteriora vel exteriora feratur, accidit. Nam si ad interiora vel anteriora ducatur, cùm circa supercilia subsistat, pes longior tunc potius euadit. Et si in humeri cum scapula articulo hoc fiat, vti propter sinum planum, citiùs fieri potest, in inferiora sub scapulam plerumque humerus delabitur, eminentiaque tunc summi humeri deperditur, illiusque loco concauitas se manifestat. Et si maxilla hoc modo luxetur, os apertum, fixum & curvum, si in vno tantùm latere fiat luxatio, efficit. Idem in articulis per ginglymum compositis, recedentibus ipsorum capitibus finibusque ab inuicem, in hoc illúdve latus, accidere potest. Vt in tibiæ cum femore & pedibus: cubiti cum humero & brachiali, digitorumq; ossium articulorum, luxationibus. Qua ratione & mola, si è sinu suo excidat, tendines diuertendo, vti in fractura illius dictum, motui non alia ratione incommodat. In trochoide verò articuli specie, quà caput supra vertebras mouetur, cum cardo ille, quem prima vertebra cum secunda efficit, adeò sursum attolli vix queat, vt è suo sinu procidat, sitq; tam firmiter ligamentis constrictus, euenire vix potest, vt caput, luxationis causâ, motum amittat.

Quòd si verò luxatio in articulis qui obscuro motu per synarthrosin mouentur, eueniat; Fiatque hoc in ea specie, quem nexum seu coalitum mobilem vocauimus, quo dorsi vertebræ inuicem construuntur, tunc laxâ quæ vertebras simul conglutinat cartilagine, in pluribus illarum spacijs, maximè circa mediam dorsi sedem, & superiorem lumborum, cùm illic copiosior inueniatur, aliquid remittente, accidit, vt plures vertebræ (cùm vna sola vix adeò extrorsum ferri possit, illiusque quâ nectitur cartilago, adeò relaxari) ab inuicem plus minúsve succedentes, curuitatem in dorso, & cùm se erigere nequeat, breuitatem quoque illius, & cum eo totius corporis in gibbosis appellatis, procreent. Atque prominentia tunc inde nata, ad exteriora potius quàm interiora, cùm spinæ vertebrarum illas eò adeò detorqueri non sinant, protuberet, & pro diductionis vertebrarum modo vario, nunc acutum nunc obtusum, & maiorem minorémve gibbum efficiat. Nonnunquam ad latera inflexæ vertebræ, alio modo corpus intortum & breue efformant. Et in omnibus illis dorsi curuitatibus, cùm costæ dorso adnexæ sequantur, pectus quoque vel elatum vel depressum, vel aliter deformatum apparet. Vnde & difficilis, si thoracis structura admodum vitietur, sequitur respiratio: vel periculum quoque suffocationis, si ceruicis vertebræ luxatæ sint, quod tamen, cùm pauca illic intercedat cartilago, non nisi summa vi fieri potest: vti verò nonnunquam prima vertebra, quæ per arthrodiam laxè iungitur, si luxetur, sextam anginæ speciem ab Hippoc. vocatam, efficit.

In reliquis verò paruorum ossium mutuo copulatorum structuris, vt brachialis, pedij, tarsique ossium, cùm validè inuicem constrictæ sint, rariùs hoc euenit; & si eueniat, cùm singulæ admodum obscurè moueantur, impedimentum in motu non adeò magnum adferre possunt.

Situs autem naturalis articulorum hæc peruersio tanta, vt articulus immobilitatem amittat, nec cardo ille, vti dicitur, verti possit, à varijs causis proficiscitur. Ab impetu nonnunquam in ossibus facto, & coniunctiones hasce ossium dirimente: vti si alterutrum os, quod articulũ format, ictu casúve, ab alterius coniunctione impellatur, vel trudatur: quod vt in plerisque articulis, sic in humeri, naturaliter aliàs illic prominente, ex casu facile, & frequenter fieri, videmus. Ex attractu quoque ossis supra modum facto, vel ad locum, quò minimè duci debebat, idem contingere potest: vt in pandiculatione, ore nimiùm vel incuruè distento, maxillæ luxatio: vel aliorum ossium, gestiendo, vel seriò in tortura, contorsio. Sed & sensim hoc accidit, si in eandem partem sæpè pars mobilis inclinetur, eoq; situ diu retineatur, vnde tandem continuo vsu, laxati articuli diducuntur, & cùm ad naturalem situm reduci nequeant, immobilitatem membri,

cuius

cuius & figuram vitiant, causant: qua ratione in vertebris dorsi gibbus nasci solet in puellis, quando ex consuetudine curuæ nendo sedent, & in infantibus, cum situ corporis non decenti cubant. Quo modo etiam principium curuaturæ dorsi, siue ab ortu, siue casu factum, se eò inclinando, tum in incessu, tum decubitu, nec opposito motu resistendo, augent. Sponte autem quoque non ossis vitio, sed ligamentorum, luxatio accidere potest, sicuti nunc explicabimus.

In Ligamentis ossium articulorũ, causa Motus impotentiæ.

Ligamentorũ articulum obuoluentium & retinentium causâ, articulus luxari, motusq; illius sic cessare, vel aliàs citra luxationem sisti & impediri potest.

Soluta cõtinuitas ligamentorũ, causa Immobilitatis.

Ob solutam continuitatem ligamentorum, quæ vtraque ossa in articulo, ne dislocarentur, retinere debebant, luxatio ipsorum, vel elongatio membri saltem sic à quibusdam appellata, fieri etiam potest. Quod tamen ex ruptura eorum, cùm validissima sint hæc vincula, vix potest accidere, nisi tereti ligamento, quod femoris caput acetabulo nectit, ab ossibus per vim abrupto, hoc eueniat. Ex vulnere verò, ad ligamenta membranea quæ extrinsecus articulum ambiunt penetrante: illaq; dissecante, idem contingere potest: sed quia in abditis sedibus hæc latent, rarius illud contingit. Exedi à pure, suppuratione illic factâ, ligamenta quoque possunt, quod in femoris cum coxa articulo, nonnunquam euenire solet: ob sinuosa vlcera, quæ illic circa membraneas sedes nata, iuxta nares & coxam, continuò pus album, viscosum fundunt, & intrinsecùs ligamenta hæc corrumpunt. Quales multos sic affectos, luxato & abbreuiato crure, claudos perpetuò mansisse, vel saltem, non luxato, pede longiore quàm par erat, claudicasse vidimus. Interdum quoque distractis nimiùm ligamentis, articulos ambientibus, & ex parte ab ossibus cui connascuntur, veluti dilaceratis, per impetum violentum articuli, in tortura, aut casu alio, motus articuli nonnihil impeditus relinquitur; cùm dolore ab initio diu sæpè molestus. Sicuti in genu articulo, & humeri alijsque accidisse, aliquando obseruaui: & ex violenta attractione ocrearum, cùm induerentur, coxendicis articulum sic læsum sibi fuisse, Casparus Wolphius Medicus insignis, vetus amicus meus, mihi narrauit.

Laxitas ligamentorũ, causa Motus impotentiæ.

Sed & ob laxitatem ligamentorũ horum, sicuti in articulis qui manifesto motu mouentur, hoc naturaliter illis accidit, vt laxiora sint, nec articulum qui libentiùs moueri debebat, stringendo arctiùs impediant, fit, vt hi articuli faciliùs quàm alij dislocentur, sic, si & hæc, quæ per se cæteris laxiora sunt, & alia quoq;, si lata sint, magis adhuc amplientur, & quæ teretia sunt, elongentur, tunc membrum longius quàm par erat prominet, & vt faciliùs leuioriq; ab impetu luxatio fiat, causam adiuvantè præbent. Quæ ab ortu quibusdam eueniunt, vnde & membra flectere, extenderéve vltra naturalem ipsorum terminũ aliquousq; possunt: Vel vnum membrum altero longius habent: vel, vti aliqui voluerunt, dislocatis membris statim crescunt. Vel ratione ætatis, ob mollitiem ligamentorum & ossium appendicũ, articulum efformatium, qui cartilaginosi aliquandiu manent, accidit. Et pleriq; ab aqueo humore pituitoso, seroso, has partes adeò irrigante, id fieri posse putarunt: quod tamen verisimile non esse, vel inde est manifestum, quòd in leucophlegmaticis alijsq; arthritidis speciebus, diu illic humore subsistente, nulla tamen partis sequatur luxatio.

Exiccatio ligamentorũ, causa Motus impotentiæ.

Exiccatis quoque & induratis ligamentis constrictisque, & callosis, aut tophis in podagra, aut nodis, impeditis, articulorum illorum motus fixus & immobilis manet: aut alioquin ægrè mouentur, & stridorem nonnunquam & fragorem, ac si rumperentur, si maiori vi vrgeantur, edunt: cuius tamen soni causa etiam est, si vlteriùs quàm moderato motu articulus moueri debebat, vi impellatur. Talis autem ligamentorum exiccatio, ex senio & febre acutissimâ, ossa quoque & vngues, vti alibi dictum exiccante, nonnunquam proficiscitur: Vel alia læsione, vnde callus vel nodus illic nascitur: Vel humore in tophum iuxta articulos conuerso, vti suo loco explicabitur.

In Cartilaginib. ossiũ articulorum,

Cartilago quæ capita ossium mobilium incrustat, si lubricitatem & visciditatem amittat, & ab ijsdem causis exiccetur vel

exaspe-

causa Immobilitatis.

exasperetur, motui etiam, sicuti cardo rubigine infectus, officit.

In Labiis, causa illorum Immobilitatis.

Labiorum os aperientium affectus causâ, ipsorum motum labefactari, atque oris amplitudinem vitiari contingit. Si illa amputata, vel ita dissecta, vt ad motum sequi nequeant, existant. At alioquin, vt in lue Venerea euenire vidimus, vlceribus depasta & corrupta. Alia autem vitia illorum, dolore potius, vt suis in locis ostendemus, incommodant.

In Palpebris, causa illorũ Immobilitatis.

Palpebræ vitio, oculum non posse claudi, vix euenit: Nisi tumor aut excrescentia aliqua illic nata, hoc impediat. Aperiri verò oculum non posse, saltem palpebrâ superiore dissectâ, vix autem aliis de causis accidit.

In Oculo, causa illius Immobilitatis.

Oculi morbi causâ, ipsius motus vix deficit: Nisi ob tumorem illius, quo minùs liberè volutari possit, hoc fiat, dolore tunc præsertim motum impediente. Strabismus autem musculorum oculi causâ, vt dictum, licet ab ortu natus sit, potius oritur. Et si oculo vulnerato vel effosso, hoc fiat, non solùm motum amittit, sed & inutilis fit oculus.

Curatio.

CVratio omnium horum immobilitatis generum, siue generalis multarum partium, siue propria singularum mobilium, sit paralysis: aut spasmus: aut contractio; aut gibbus; luxatio; fractura; vulnus; aliáve læsio: instituitur pro ratione causæ. Quam diximus esse, humorem neruos occupantem, vel musculorũ tendines: intemperiem frigidam musculorum & neruorum: distentionem musculorum à flatibus: siccitatem vel inanitionem musculorum, tendinum, ligamentorum: tumorem durum in tendinibus, ligamentis: compresionem nerui: vulnus vel contusionem in neruo, musculo, illiusve tendine, ligamento aut membro: fracturam osium: luxationem articulorum: & tandem organicum vitium in omnibus ad motum facientibus organis. In quibus singulis nunc quid prædicendum, aut agendum sit, proponemus.

Paralyseos à pituita genitæ curatio.

Ab aqueis, excrementitiis vel pituitosis vel serosis humoribus, simplicibus vel permixtis, neruos irrigantibus aut prementibus, aut refrigerantibus, si paralysis fiat, siue ea generalis multarum, aut particularis quarundam saltem sit partium, curandi ratio sequens erit instituenda. Qualem quoque conuulsioni seu spasmo speciali sanando, quem ab eodem humore fieri crediderunt, similiter conuenire existimant, & adscribunt: nos verò, qui easdem quas generalis conuulsionis causas diximus, particularium etiam conuulsionum esse statuimus, quod generalia præsidia attinet, eadẽ quoq;, quæ in epilepsia explicata sunt, vsurpãda potiùs censemus: topica verò quæ hîc in pituitosa Paralysi cõuenientia describuntur, etiã loco affecto in spasmo, si modò conuulsio inde facta, vel dolor illud vrgeat, cõmuni Medicorum consensui subscribentes, adhibita, prodesse iudicamus: quæ tamen in spasmo membrorum attractio, plerumq; non adeò topica remedia requirit, sicuti periculũ subsecuturæ mox epilepsiæ, eorum quæ illam præcauet vsum adhibere, nos admonet, sicuti illic tam ea quæ intrinsecùs assumuntur, quàm extrinsecus eo nomine adhibentur, explicata fuerunt. Quemadmodum & si ad musculos humor pituitosus delapsus, illic cum dolore distentiones pariat, in defluxionibus curatio explicabitur.

Quã & Spasmo particulari, quę ab eodẽ humore fieri credunt, plerique accommodant.

Prædictio in Paralysi pituitosa.

In paralysi itaq; pituitosa, vt vocant, siue generali vtriusq;, vel vnius lateris, siue hæc apoplexiam sequatur, aut per se incipiat, cũ morbus sit chronicus, atq; ęgri tam diu in vsu medicamentorum, & decenti regimine, vix persistant, difficulter admodùm curatio procedit: præsertim si senibus aut alioquin viribus exhaustis accidat: aut si in quibusdã locis cesset, vitium interdum perenne, in loquela, vel manibus aut alibi relinquit. Nec minùs particularis resolutio longam curam requirit, quę & in generalem, cuius prænuntia sępe est, interdũ desinit. Periculosa quoq; nõnunquam paralysis est, quia apoplexiam minatur, in quam, nisi sanetur, sæpe finiri & ægrum iugulare solet. Interim tamen, si in cura paralyseos rectè procedamus, nec in morbo diuturno desistamus, ægriq; obtemperent, nec aliud grauius obstet, ea fœliciter nonnunquã succedit: vel ex generaliori, humore non circa originem subsistente, sed pcedente, in particularem commutatur.

Quam

Methodus curandi in paralysi pituitosa.

Quam curationem ita instituemus, vt ratione causæ, humorem neruos occupantem, ab illis aliò reuellamus, deriuemus, vel è corpore expurgemus: aut alioquin in parte discutiamus, vel absumamus; & ne noua excrementa generentur, à quibus humores hi vel augentur, vel fouentur, caueamus. Morbi verò causâ, vt intemperiem frigidam & humidam in neruoso genere corrigamus; Symptomatum tandem occasione, vt partes imbecillas roboremus: & ad musculos vim & spiritus rursum alliciamus: viribusque totius corporis prospiciamus.

Quæ hoc ordine fieri debent. Primùm ad ea quæ per aluum purgant, nos conuertimus, atque ante fortiorum vsum communia excrementa intestinorum & fæces, assumptis iniectisque eluimus; sic enim illuie hac priùs depositâ, catharcticorum vires ab ijs non refractæ, melius sese exerunt. Postea humorem pituitosum calidis incidentibus, appropriatis præparabimus. Quo facto, purgantia, quæ naturam ad humores ab alto euocandos, & per hanc viam naturalem excrementis expurgandis destinatam, excernendos, egregiè sollicitant, & sic à parte affecta reuellant, exhibebimus. Quæ omnia in hoc morbo diuturno, si non mox iuuant, sæpè erunt repetenda, vt continuò naturam, quò eò potius sese exoneret, assuefaciamus. Per alias quoque sedes euacuationes moliemur, prægressâ tamen eâ quæ per aluum fit. Vti per os & nares: quæ fiunt: vel vt excrementorum noua collectio præcaueatur, quæ cum in prima concoctione non rectè facta cumulari soleant, vomitus eo nomine, tàm assumptis quàm actu concitandus, vel præcipuè, vt cerebri excrementa, quæ naturaliter per has vias cerebrum expellere solet, huc alliciantur, & sic quò minus neruorum ductum sequantur, diuertantur: quod in os naresque immissis, præstatur. Per habitum corporis, insensili transpiratione, sudoribus manifestis humores quoque elicimus: exhibitis quæ eos mouere possunt: vel extrinsecùs admotis: vel per motus corporis. Aut manifestis aperturis illud molimur. Calefacimus etiam partes & roboramus: exhibitis & adhibitis varijs remedijs, quæ siccando, humorem possunt absumere. Interim vires tàm assumptis nutrimentis, quàm alijs, quibus corpus conseruatur, rectè administratis, conseruabimus.

Hæc autem quæ tùm ratione causæ, tùm morbi, tùm accidentium administratur, perficimus, vel per assumpta, seu deglutita in stomachum: vel per immissa in podicem: aut oris & narium amplitudinem: vel per adhibita extrinsecùs corpori, membris resolutis, spinæ, capiti: vel per ambientem aërem: vel per motus corporis & animi; vel per aperturas manifestas. De quibus hoc ordine agemus.

Quæ ægris assumēda & deglutienda propinamus remedia, licet plura simul sępè præstent, potissimùm tamen ad expurgationes faciendas, per aluum, per vomitum, per sudores, aut alias vias exhibentur. Vel ad nutritionem, virium causâ, quibus & medicamentosa permiscemus, dantur. Aut ad præparationem humorū ante purgationes. Vel ad calefaciendum & roborandos neruos.

Ad expurgandos per aluum humores & excrementa, exhibita remedia, quæ eâdem operâ, & interdum simul alterant, alia leuiora sunt, quæ reliquis purgantibus illorumq; præparationibus præmittuntur: & per vices vsurpantur: ad aluum, quæ per longum decubitum & torporem constipari facilè solet, apertam seruandam: formâque pilularum præsertim exhibentur. Conueniunt ex vsitatis pilulis, Assaiereth, quia stœchadem recipiunt, Alephanginæ, quia aromata multa continent: quæ addito agarico magis efficaces erunt: & dum fluit materia si rhabarbarum addatur, mastix, & vt potentiùs calefaciant, castorium.

Hoc modo: ℞. pilul. Assaiereth ʒ.ij. Alephang. ʒ.j.ß. Agarici, Rhabarbari ana ʒ.j. Masticis ʒ.ß. Salis gemmæ ℈.j. Castorij ℈.ß. cum syrupo de Stœchade: fiat massa: Capiat ℈.ij. pro vice; per vices.

Vel ex alijs parentur: ℞. Terebinthinæ ℥.ß. Capiat per se, vel dilutam cum Melle & aquâ Iuæ; estq; purgans & appropriatū singulare paralyseos remediū: cui species Hieræ aliqua addunt: Et sæpè exhibent.

Ex liquidis eodem modo assumptis con-

uenientibus, sic quoque minoratio, vt vocant, fieri poterit.

Cathartica dein fortiora exhibenda, vix tamen ante 14. diem morbi inuasionis, quod tempus præparatione humorum consumitur, ne vti sæpe fit in morbis ex defluxione, dum fluit adhuc, magis concitetur horum vsu, præsertim si lachrymæ, quæ materiam fundunt, compositiones has, vti in pilulis sæpe fit, ingrediantur: quæ proin si citiùs purgandum, omittendæ, & astringentia potiùs quædam permiscenda.

Pilularum forma conuenientissima hæc erit: ℞. pilul. Fœtid. Cocciarum ana ℈.j. de Oppopanace ℈.ß. cum syrup. de Stœchade fiant pilulæ: si non satis operantur acui possunt trochisc. Alhandal gr.v.

Pilularum Chamæpitheos ʒ.j. exhibita, idem magno successu præstabit: de quibus postea.

Potio talis loco pilularum sumi posset: ℞. el. Diaphæn. Indi mai. ana ʒ.ij. syrupi Diacnicu ʒ.vj. aquæ Cinamom. ʒ.ij. aquæ Chamæpith. q.s. fiat potio.

Vel ℞. tab. Diacarthami tuę descript. ʒ.j.ß. tab. de Citro sol. ʒ.ij. dissoluantur cum aqua Saluiæ, Pro vno haustu.

Decoctum loco horũ fieri potest: ℞. sem. Carthami, fol. Senæ an. ʒ.iij. Hermodact. ʒ.j. rad. Liquirit. ℥.ß. Passul. par. xx. Ficuũ par. x. semin. Anisi ʒ.ij. flor. Rosmarini P.j. fiat decoctio: infunde Agar. troch. ʒ.j.ß. Turbith. ʒ.j. Zingib. ʒ.ß. Cinamom. ʒ.j. fiat expressio: dissolue Mellis rosl. lax. ℥.ß. fiat potio.

Per vices purgantia repetenda erunt, si morbus perseueret, præsertim si magna humoris defluxi sit copia, vt in generaliore paralysi, & corpus plenum. Quod fiet de nouo humore præparato, rursumque purgato: vel exhibendo aliquandiu, per triduum, interpositis die vno vel altero, interim quiescendo, vel singulis mensibus: aut veris & autumni temporibus: ex sequentibus parata.

Pilularum forma ad quæuis recipienda, conuenientissima est: cõmendanturq; præsertim pilulæ Chamæpitheos vel tuæ appellatæ, quos Matthiolus præsentaneum statuit remedium, & Bened. Victor gloriosum vocat adiumentum. Si ℈.j. ante somnũ nocturnum quotidie: vel saltem bis in septimana sumatur: quarũ descriptionem ab vtroq; eodem modo prolatá, sic magis accõmodatam reddimus: ℞. colocynth. præpar. ʒ.ß. Scammoneæ præpar. ʒ.j. Turbith. ʒ.j.ß. Agarici ʒ.ij. Rhabarb. ʒ.j.ß. pul. Hieræ simpl. ℥.ß. Zingib. ℈.j. Spicæ, Salis fossilis an. ℈.ß. fl. Lauandulæ, Stœch. ana ʒ.j. Oppopanacis ʒ.ß. Masticis ℈.j. Castorij ℈.ß. olei Maioranæ & Rosmarini per destillat. ana guttas v. succi Chamæpith. rec. extracti & cocti instar extracti q.s. fiat massa.

Syrupus vsualis sic præparabitur, minori labore & sumptu; ℞. rad. Acori veri ℔.ß. Saluiæ siccæ ℥.j. Chamæpith. ʒ.vj. florum Stœchados & Lauandulæ an. ℥.ß. sem. Carui ʒ.ij. fiat decoctio; & in colatura infunde Agarici ℥.j.ß. fol. Senæ ℥.iiij. leuiter ebulliant: aromat. Cinam. ʒ.ij. Zingib. ʒ.j. adde Mellis quar. j.ß. fiat syrupus ad cõsistentiam coctus ad vsum: Tentando primum exhibitione ℥.j.ß.

Vel compositus admodum sic parabitur: ℞. rad. Acori veri, Ireos an. ℥.j. rad. Angelicæ vel Imper. Enulæ, Pyrethri, Peucedani, Aristol. rot. an. ℥.ß. Galangæ, Cyperi, Valerianæ, Rubiæ an. ʒ.ij. herb. Saluiæ, Maioranæ, Betonicæ, Melissæ, Pulegij, Polij, Hysopi, Thymi, Serpilli an. M.j. Iuæ M.j.ß. flor. Stœchados, Lauandulæ, Anthos, Primulæ an. P.j. seminum Carui, Fœnic. Sileris mont. Pæoniæ ana ʒ.ij. Erucæ, Rutæ, Viticis, Angelicæ ana ʒ.j. baccarum Lauri & Iuniperi an. ℥.ß. rad. Liquirit. ℥.j. Ficuum par. xij. Passul. par. xx. semin. Carthami ℥.ij. fol. Senæ quar. j.ß. Turbith ℥.ß. Agarici ʒ.vj. Hermodact. ʒ.ij. rad. Serpentariæ ʒ.ij. Mechoacæ ʒ.iij. fiat decoctio secundum artem, colatura aromat. Cinamom. ℥.ß. Zingib. ʒ.j.ß. Salis gemmę ʒ.ß. adde Sacchar. ℔.ß. decoquatur ad consistentiam syrupi: Capiat pro vice ℥.ij. vel plus.

Electuarium vsuale idem præstabit: ℞. el. Diaphæn. Indi mai. tab. de Citro sol. ana ℥.j. tab. Diacarth, tuæ descr. ʒ.vj. pulu. Hieræ colocynth. ʒ.iij. Masticis, Oppopanacis, Sagapeni ana ʒ.ß. Nucis mosch. Zingiberis, Cinamomi, Gariophyllorum ana ʒ.j. cum syrupo de Iua, vel de Stœchade: fiat electuar. Capiat à ʒ.iij. ad quatuor.

Per vomitum exhibitis etiam fortissimis, vt Stibio, aliqui expurgationes moliuntur: cuius

cuius tamen vsu resolutos subitò factos, qui priùs non erant, bis térve reuera notaui. Idcirco leuioribus potiùs (nisi sponte succedat, aut actu irritetur) propinatis, in consuetis citiùs, moueri debet.

Per sudores sæpè repetitos, decocti Guaiaci, Chinæ, aut aliorum exhibitione, cùm alia ratione auferri nequit, hic morbus diuturnus sæpè sanatur: quod accommodum fiet, si in eodem Saluia, Camepithys coquantur: illudq; Galanga & Nuce mosch. aromatizetur. Veluti sic: ℞. Sarsæ parillæ ℥.ij. Guaiaci ℥.iij. rad. Ireos ℥.j. rad. Enulę ℥.ß. rad. Acori ℥.ß. fiat decoctum in Aqua secundum artem: Pro sudatorio & ordinario potu.

Sed & alijs exhibitis interdum sudores mouere, plurimùm competet: vt rob de Ebulo ʒ.ij. dissoluantur cum aqua Chamæpith. & Saluiæ: Bibat.

Menses, Hæmorrhoides, assumptis hæc prouocantibus remedijs, si substiterint, vtiliter promouentur.

Quæ ad nutritionem & sustentationem corporis necessariò assumēda illis conceduntur, parciùs & rariùs administrari debent. Parsimoniâ enim in cibo vti, atq; famem interdum tollerâre, humorum prouentum admodum impedit. Quod fiet, si bis tantùm in die cibum moderatè sumant: vel cœnam aliquando intermittât. Aut sudoribus aliquandiu continuatis alijsque euacuationibus, in diæta vt vocant, faciendâ, cibi detractionem coniungant. Vel si alioquin parcè, cibus illis administretur.

Qui si quoque euchymus sit, sufficere poterit, paucioraq; excrementa progignet: vt si Oua; & ex Auiculis, turdos, merulas, alaudas, fringillas, ficedulas, passeres comedat: vel ea quæ peculiari vi huic morbo resistere pleriq; scribunt: vt Columbas syluestres potissimùm, Turtures, Hirundines, Leporis cerebellum, quod & confectionibus proin indunt. Quæ assa potiùs quàm elixa competent, fiuntq; insuper medicamentosa, si Saluia, Maiorana, Thymo, Serpillo, alijsq; odoratis & Aromatibus imprimis Nuce mosch. configantur infarcianturque.

Pani dum pistatur, si semina Carui, vel Fœniculi, vel Anisi vel Melanthij misceantur, fiet conuenientior. Etsi interdum aromatico pane, Saccharato, vti eleganter parare solent, vel Mellito, quē panem Vitæ, Lebkuchen/ vocant, vtatur.

Pineæ nuces, Pistacia, hîc admodùm laudantur, & neruosum genus corroborare creduntur.

Bellarium ex Sinapi, condimenti loco mensæ adhibitum, vehementer probatur: vti & Cappares salitæ

Sal, quo cibi saliuntur, Theriacale & de Viperis factum, probatur. Vel sequens: ℞. Salis ℥.j.ß. Nucis mosch. ʒ.j. rad. Pyrethri ʒ.ß. fol. Saluiæ, Maioranæ ana ℈.j. misce.

Si parùm bibant, proderit. Et à vini continuo vel meratioris vsu abstineant, illiusque loco Hydromel bibant: quod ex Aquæ mensuris decem & Mellis vnâ, decoctis ad consumptionem tertiæ partis, & in fine aromatisatis parabitur. Vel si illud compositum magis bibat, vti mox declarabitur.

Ad præparandos humores quæ exhibentur, purgationibus catharticis præmittūtur, in principio morbi: & cùm per morbi progressum purgatio reiterari debet repetūtur. Sed & alioquin exhibita, quia humores simul absumunt & alterât, vti dicetur, iuvant.

Fit hoc syrupis hoc modo: ℞. syruporum de Stœchade, de Hysopo ana ℥.j. Mellis anthosati ℥.ß. aquar. Saluiæ, Chamæpith. Hysopi ana ℥.j.ß. fiat Iulep, aromat. pulu. Ros. nouellæ: Pro quatuor aut quinque vicibus.

Conueniunt & syrupi de Iua Nicolai, conseruationis Acori, Mel scylliticum: oxymellita etsi probent, omittimus: aquæ probantur Maioranæ, Betonicæ, Primulæ, Melissæ.

Horum loco Hydromel cum Acoro, Stœchade vel Lauandulæ floribus, vel cum Saluia decoctum, valde competit.

Decoctum quoque sequens horum loco propinari potest: ℞. radic. Acori veri, Ireos ana ʒ.vj. Cyperi, Enulæ ana ʒ.iij. herbar. Saluiæ, Maioranæ, Chamæpitheos, summitat. Thymi ana M.j. Hysopi, Betonicæ, Pulegij, Calamenthi ana M.ß. flor. Rosmarini, Stœchados vel Lauandulæ, Sambuci, Primulæ ana P.j. semin. Anisi, Fœniculi ana ʒ.ij. Rutæ ʒ.j. radic. Liquirit. ℥.j. Passul. quar. ß. fiat decoctio: addendo Mel vel Saccharum q.s. aro-

mat. Cinamom. vel pulu. aromatico aliquo: Vtatur loco iulepi.

Ad calefaciendum neruos inertes & frigidos, & simul humores absumendos, quæ propinantur remedia, admodum calefacere debent, adeò vt febrem accendere possint, cùm si ea superueniat, totum corpus tunc incalescat, illiusq; humiditates egregiè absumantur. Quibus ea quæ neruoso generi appropriata sunt, & peculiari vi huic morbo resistunt, permiscentur. Hæc aūt post purgationes mox, totoq; morbi progressu vsurpātur: manè iejunis, vel versus noctē semel iterumque exhibita: Formâ vel decocti, infusionis, aquarum, puluerū, electuariorum, pilularū: quarum singularū selectiores proponemus.

Decocta, quandoq; eo nomine exhibentur, gratiora: cùm ingrata, hac forma, fastidiant; Quale est Hydromel compositum, admodum efficax, si interdū in principio mensæ; vel alioquin quoq; bibatur; quod ℞. Aquæ ℔.xx. Mellis ℔.j.ß. rad. Acori, Saluiæ siccæ ana ℥.j. rad. Ireos ℥.ß. decoquantur ad consumpt. tertiæ partis, aromat. in fine Cinam. Nucis mosch. ana ʒ.ij. Piperis ʒ.ß. fiat melicratum. Quod & cum Saccharo eadem ratione fieri potest.

Alia decocta medicata in formam syrupi reduci possunt, & vsurpari: quæ ex enarratis præparantibus & purgantibus, demptis ijs quæ purgant, decoqui possunt, vt illic dictum, & exhiberi.

Vel ex succis hoc modo: ℞. succorum Saluiæ & Chamæpith. ana ℥.j.ß. succi Maioranæ ℥.j. aquarum Lauandulæ ℥.ij. Vini præstantiss. ℥.iij. Sacchari vel Mellis ℥.vj. decoquantur ad consistentiam syrupi, aromat. nuce Mosch. & radic. Galangæ ana ʒ.j. Capiat sæpè cochl. vnum.

Infusiones in Vino præsertim factæ iuvant. Etsi enim vinum, præsertim si potens sit, minimè conueniat, tamen aliorum vires sibi concilians, easque vehiculi instar neruoso generi deferens, vtile fiet, medicamenti loco interdum sumptum. Paratur autem ex simplici infusione Saluiæ, vel alterius conuenientis plantæ.

Vel compositum sequenti modo: ℞. rad. Acori ℥.ij. fol. Saluiæ siccæ ℥.j.ß. Chamæpitheos, herbæ Paralysis ana ℥.j. Absynthij ℥.ß. nucis Mosch. ℥.j. Zedoariæ ℥.ß. Vini albi vel Musti recentis vel Vini parùm cocti ℔.xx. Si rasuræ Guaiaci, ad ℔.j. addas, vinum erit efficacius.

Aquæ stillatitiæ, vel per infusionem factæ, magni à plerisque fiunt. Quæ per se manè dantur: vel alijs permiscentur, tum simpliciores, Rosmarini, Saluiæ, Maioranæ, Thymi, Lauandulæ: præsertim si ex illis priùs in vino maceratis aridis liquor eliciatur. Cinamomi aqua vti grata est, sic & efficax: Chamæpitheos aqua & Primulæ, imprimis appropriatæ sunt.

Compositæ multæ in hosce vsus fiunt, quales in apoplexia quoque descripsimus. Scopo rectè accommodata hæc quoque erit: ℞. rad. Acori veri, Angelicæ vel Imperatoriæ, Enulæ ana ʒ.vj. fol. Saluiæ, Maioranæ, Rosmarini, Iuæ, Rutæ, florum Lauandulæ, Primulæ ana ℥.ß. Galangæ, Nucis mosc. Zedoariæ, Cinamom. Gariophyll. ana ʒ.iij. pulverisata infundantur in Vino forti, vel priùs destillato: donec pultis instar fiat: postea eliciatur liquor: Detur frequēter manè coch.j. Efficacior erit, si in portione illius paulum Castorij infundas & des: Vel si fœtor metuatur, Mosci grana aliquot addantur.

Pulueres parantur accommodi varij. Qui vel per se à ʒ.j. ad ʒ.j.ß. bibuntur dissoluti in aquis Saluiæ, Maioranæ, Lauandulæ, Cinamomi, Chamæpitheos: & Melle quoq; anthosato, vel anacardino, vel scyllitico, aliisve syrupis. Vel Sacchari octo partibus ad vnam puluerum additis, sic assumuntur. Vel priùs dissoluto saccharo cum aquis dictis fiunt tabulæ: danturq; tunc maiori quantitate. Vel conseruis & electuarijs permiscentur.

Ex vsitatis præcellunt pulu. Diamosci dulcis & amari, Diacameron. Pliris cū moscho, Ros. nouellæ. Conueniunt & alij aromatici.

Quorum loco & sequentes parari possunt, simplicior de nuce moschata dictus, hoc modo: ℞. Nucis mosc. ʒ.iij. rad. Pyrethri ʒ.ij. fiat puluis: Cuius si ʒ.j. Cum aqua Saluiæ & melle Anthosato detur aliquot matutinis, singulare erit remedium.

Alter de nuce moschata, cōpositus magis, talis erit: ℞. Nuces moschatas, non assas, vt volunt,

volunt, num. iij. vel ℥. ß. rad. Pyrethri ʒ. j. fol. Maioranæ, Saluiæ, fl. Lauandulæ, Anthos ana ʒ. ß. seminis Nigellæ ℈. j. Cinam. ʒ. j. ß. Gariophyl. Galangæ ana ʒ. ß. fiat puluis. Ex quo si additis Sacchari ℥. ix. dissolutis in aqua Saluiæ, fiant tabulæ, vices supplebunt tabularum de nuce moschata dictarum.

Tertius aromaticus appellatus sic parabitur: ℞. Cinamom. ʒ. ij. Nucis mosch. Galangæ ana ʒ. j. ß. Gariophyl. ʒ. j. Piperis, Zingib. Zedoariæ, sem. Fœniculi, Anisi, Sileris mont. Pæoniæ, fol. Maioranæ ana ʒ. ß. misce: fiat puluis.

Quartus compositus sic fiet: ℞. rad. Pyrethri ʒ. j. Azari ʒ. ß. Angelicæ ʒ. j. ß. seminum Ameos, Carui ana ʒ. j. Nucis mosc. Galangæ, Cinamom. Gariophyl. ana ʒ. ß. trium Piperum, Cardamomi vtriusq; Cubeb. Zingib. Spicæ, Ligni aloës ana ℈. j. Masticis ʒ. ß. cinerum Hirundinum & cranij Hominis ana ℈. ß. Coralli ʒ. ß. fiat puluis.

Ex conseruis & condituris. Conserua Camæpithæos cum saccharo facta, si paralyticis noctu cubitum ituris detur, continuatis vicibus, certò iuuare dicitur. Conserua item Saluiæ cum Melle despumato & cocto parata, magnum adfert emolumentum. Conditura similiter vel conserua Acori, à plerisque probatur.

Ex commixtione plurium talis parabitur conserua: ℞. consf. Saluiæ, Chamæpith. ana ℥. ij. cond. Acori veri & Nucis mosch. ana ℥. j. ß. conser. Primulæ veris ℥. j. conser. Maioranæ, Anthos, flor. Stœchados vel Lauandulæ, Zingib. condit. ana ℥. ß. misce: Capiat manè & serò ʒ. j. ß.

Additis pulueribus electuarium sequens conueniet: ℞. Confectionem hanc ex conseruis & condituris factam: adde confect. Anacardinæ ʒ. ß. & Pulueris superioris præscripti, qui incipit: ℞ rad. Pyrethri, &c. ℥. ß. Mellis anacardini q. s. fiat electuarium. Vtatur per se, superbibendo aquas Saluiæ, Maioranæ, Chamępith. &c. vel dissoluatur cum illis: Bibatur.

Anacardinæ confectionis ʒ j. sumpta prodest: præsertim si quotidie bis sumatur: à cuius vsu si febris accendatur, vti suprà dictum, duplici nomine proderit.

Opiatæ à Practicis admodum commendantur: quæ mihi propter opium, etsi antiquæ sint, suspectæ sunt in neruorum stupore & imbecillitate.

Dant autem Theriacam, Mithridatum Auream Alexandrinam: ad ʒ. j. cum aqua Saluiæ.

Aut hæ alijs permiscentur remedijs, hoc modo: ℞. Acori conditi ʒ. j. conser. Anthos, Stœchados, Saluiæ ana ℥. ß. Mithridati, Aureæ Alex. ana ʒ. ij. Pliris cum moscho ʒ. j. syr. de Stœchade q. s. misce.

Pilulæ ex ingratis, & quę alijs formis difficulter assumuntur parandæ, sic fient: ℞. radic. Pyrethri, Piperis ana ʒ. j. Mumiæ vel Bituminis ʒ. ß. Euphorbij, Castorij ana ℈. j. olei Succini & Terebinthinæ ana gut. iij. excipiantur Melle anthos. vel scyllitico, fiat massa: formentur ex ʒ. ß. pillulæ x. Capiat 5. noctu cubitum iturus, frequenter.

Olea chymica, Saluiæ, Maioranæ, Cinamomi, aliorumq; aromatum, Saccharo permixta & vsurpata: vel tabulata, admodùm sunt vtilia.

In podicem suppositoria induntur: & clysmata infunduntur: tùm ad aluum sollicitandam, & soluendam, tùm ad calefaciendum quoq;. Quæ tùm ante reliquorum catharticorum vsum, vt moris est, tùm per morbi progressum vsurpantur: simili ratione parata, sicuti in apoplexia præscripsimus: inter quæ tamen leniora cùm sensus excretionis, non vt in apoplecticis, hîc sit sublatus, plus quàm in illis, vti & fortiora adhuc ampliùs, operabuntur.

Suppositoria talia fieri possunt: ℞. Mellis, succi Mercurialis, vel Betæ, hyemis tempore ana ℥. ij. coquantur parùm, postea adde Fellis tauri ʒ. ij. iterum coquantur ad suffic. adde radic. Pyrethri ʒ. ß. Salis gemmæ ʒ. j. fiant suppositoria.

Clysmata excretionem sollicitantia, & quæ simul alterant, valde conueniunt: cauendo à nimiùm emollientibus, quibus spina ampliùs relaxata potiùs lęderetur, vt non temerè vulgus clysmata paralysi occasionē præbuisse in colicis credat: quæ tamen rectè parata, & prosunt, & si causa circa dorsi inferiora lateat, veluti topica sunt remedia.

Minus operoſum enema ſic parabitur: ℞. rad. Liliorũ ℥. ij. Maluæ, Betæ, vel Mercurialis, Saluiæ, Rutę, Hyſopi, Origani, Chamæpith. ana M. j. fl. Chamomil. Lauandulæ ana P. j. ſem. Carui ʒ. ij. baccarum Lauri ℥. j. Furfuris P. j. fiat decoctio, addendo parùm Lixiuij: diſſolue Mellis ℥. j. ß. Butyri ℥. ß. Hieræ Gal. ʒ. ij. Salis parùm: fiat clyſter.

Si ex ſuccis fiat, potentius operabitur: ℞. ſuccorum Betæ vel Mercur. ℥. ij. ſucci Rutæ, Hyſopi ana ℥. j. Mellis ℥. ij. olei Nucum vel Butyri ℥. ij. diſſoluantur Iure ſalito, vel decocto Saluiæ, vel Vrinâ pueri: fiat clyſter.

Ex pręcipuis quæ in hoc caſu competunt concinnatũ tale fiet: quod & demptis quibuſdam, nihilominus erit efficax: ℞. radic. Acori veri, (paluſtris enim vti vult Rond. non placet) Ireos ana ℥. j. herb. Betæ vel Mercurial. Maluæ, Saluiæ, Maioranæ, Rutæ, Betonicæ, Chamæpitheos, Paralyſis herbæ, Hyſopi, Origani, Pulegij, Calamenti, Centaurij min. ana M. vnum paruum, vel maiorem, ſi pauciores herbæ ſumantur, fl. Chamomil. Stœchados, Lauandulæ, Anthos, Primulæ ana P. j. ſem. Carui, Fœniculi, Vrticæ ana ʒ. ij. ſeminis Carthami ℥. j. Agarici ℥. ß. fiat decoctio: diſſolue in ſ. q. Mellis anthoſati vel communis ℥. j. ß. Hieræ Gal. vel Hermetis vel Logodij, vel el. Indi, Benedict. lax. ana ʒ. j. vel de paucioribus maiori doſi, olei Rutacei, Nardini vel Coſtini ana ℥. j. ß. Salis foſsilis ʒ. j. fiat clyſter.

Ori & faucibus quæ indi debet, hæc ſunt: Vel actualis irritatio fit faucium, ad vomitum eliciendum, quod in conſuetis, vel priùs ingurgitatis, vti in exhibitis vomitorijs dictum, procedit.

Vel ſunt maſticatoria, pituitam elicientia & ſiccantia, ſimulq; alterantia; quæ valde conueniunt. Et in paralyſi à capite euacuãt, & à neruorum principio reuellunt. In tortura oris ſimul deriuant, ſi ſæpè matutino tempore vſurpentur.

Nux moſchata frequenter manducata, excellens ab omnibus ſtatuitur remedium.

Ex Sinapi bellarium paratum, ore retentum, potenter operatur.

Compoſitio vtilis ſic fiet: ℞. Nucis moſc. ʒ. ij. radic. Pyrethri, ſeminis Sinapi ana ʒ. j. ß. Cubebar. Piperis, Galangæ, rad. Angelicæ ana ʒ. ß. Maſticis ʒ. j. ceræ parùm: fiant maſticatoria. Si Caſtorij tantillum addatur, & illius odorem non recuſent, efficaciſsimum erit.

Gangariſmata idem præſtant: ℞. radic. Angelicæ, Pyrethri, Acori veri ana ℥. ß. herb. Saluiæ, Maioranæ, Thymi, Hyſopi, Origani ana M. j. ſeminis Sinapi ʒ. ij. Staphiſagr. Piperis longi ana ʒ. j. Nucis moſc. ℥. ß. fiat decoctio in aqua: adde Mellis ſcyllitici vel anthoſati ℥. j. ß. miſce. Colluat vel gargariſet os. Addi poſſunt ſeminis Carthami ʒ. vj. Turbith. ℥. ß. vel Eſulæ ʒ. ij. ſed ſi periculum ſit ne deglutiant, omittenda ſunt.

Errhina liquida in nares attracta, vel in reſupinato ægro guttatim in nares infuſa, pituitam etiam per has vias prouocant: ℞. ſuccorum Anagallidis flore purpureo, radic. Betæ ana ℥. j. ſucci Maioranæ, Rutæ ana ℥. ß. ſem. Nigellę, rad. Pyrethri an. ʒ. ß. Caſtor. ℈. ß. Mellis ſcyll. ℥. ß. Vini ℥. j. fiat errhinum.

Vel illinantur nares ſequenti: ℞. ſucci Cyclaminis vel Anagallidis ana ʒ. ij. ſucci Maioranæ ʒ. j. trochiſ. Alhandal. ℈. j. Pyrethri, ſem. Nigellæ ana ʒ. ß. Caſtorij ℈. ß. Mellis anacardini q. ſ. fiat linimentum.

Vel inſuffletur puluis aliquando in nares: ℞. rad. Pyrethri, ſeminis Nigellæ ana ʒ. ß. Caſtorij ℈. ß. Euphorbij gr. vj. fiat puluis tenuiſsimus.

Suffumigia naribus quoq; excipiuntur. Vt ſunt ſuffitus, qui in balneo ſicco parantur, de quibus poſtea. Et pręcipuè adhibita, quæ cerebrum ſiccando, defluxiones nouas præcauent, atq; illud cum neruis roborauit.

Adhibentur extrinſecùs corpori in paralyſi, tum partibus reſolutis, tum ſpinæ, tum capiti: ea quæ calefacere quoq; admodum, vt neruorum calorem & membrorum reuocent, & quæ humores exiccare & exhaurire debent, & neruos, cerebrumq; reficere. Quę & ſpaſmo humorali competunt. Hæcque tum per illinitiones vnguentorum, aquarũ: vel admota emplaſtra, indumenta, cucuphas: vel balnea & fotus adminiſtrantur.

Illinitiones autem præcipuè vſurpantur. Quæ circa neruorum regionem, illic vbi af-

fectus in ipsis latet, adhiberi debent. Vt in generali paralysi circa ceruicis posteriorem regionem, nucham dictã, vbi & si intra caluariam malum lateat, quoque vires eousq; protendere possunt. Aut in alijs particularibus partium resolutionibus, in dorsi, aut aliorum membrorum sede affectâ. Interdum & partibus resolutis non incommodè applicantur, cùm spiritus in eas alliciant, & vires per communicationem, ad ipsorum affectos neruos vsque demandent: quo nomine etiam manus & pedes ipsorumq; partes, si resolutæ sint, & buccæ in oris tortura, illis illinuntur. Quæ cuiusque partis, vel spinæ inunctiones, meliùs operabuntur, si actu calida sit illinitio: si valida accedat per manus frictio: atque aquâ Vitæ manus quibus fricamus, vel pars quæ fricanda erit, priùs madefacta fuerit. Hîc quoque obseruandum, vt à leuioribus ad fortiora sensim in hoc morbo diuturno, progrediamur. Hæc autem remedia in forma vnguenti vel aqua administrantur.

Vnguenta ex varijs fiunt oleis, maceratione, expresione, destillatione factis: quæ ad hosce vsus asseruantur. Imprimis oleũ ex semine Trifolij asphaltitis, quod de Andacoca dicitur, pro singulari habetur præsidio.

Ex oleorum autem commixtione, talis fiat illinitio: ℞. oleorum, Rutacei, Costini ana ℥. j. de Lateribus, Vulpini, Lumbricorũ, ana ℥. ß. misce: fiat inunctio.

Ex adipe anserino singulare hoc præsidium fieri poterit: ℞. Anserem deplumatum, euisceratum, Vino albo ablutum: & configatur vndique Gariophyllis & Nuce moschatâ, incisis priùs, vt intrudi posint: & infarciatur fol. Saluiæ, iisdem folijs addendo, pingued. Vulpis vel Felis syluestris ℥. j. pulu. Myrrhæ, Thuris ana ℥. ß. Castorij, Euphorbij ana ʒ. ß. Lumbricorum in aceto suffocatorum numer. xx. insuantur omnia: & torreatur anser in veru. Aceto albo supposito in sartagine, in quam ichor & pinguedo exsudantia, distillent: posteaq; refrigerato liquore, innatans axungia colligatur: ad hosce vsus præstantisima.

Alia inunctio magis efficax, sic fit: ℞. olei de Lateribus, Nardini ana ℥ j. de Terebinth. ʒ. vj. de Euphorbio ℥. ß. Thuris ʒ. iij. sem. Nigellæ ʒ. j. ß. Castorij ʒ. j. Croci ʒ. ß. Ceræ parùm: fiat linimentum.

Vel si potentiùs operari debet: ℞. oleorum Laurini, Sinapini per expresionem ana ℥. j. ß. gummi sequentium dissolutorum in Aqua vitæ, nempe Oppopanacis, Galbani, Ammoniaci, Serapini ana ℥. ß. Euphorbij ʒ. ij. misceantur, adde ol. Terebinth. ℥. ß. olei de baccis Iuniperi, & de Spica ana ℈. j. ol. Gagatis vel Succini per destillatio. ℈. ß. rad. Hellebori albi, Pyrethri, seminis Sinapis, Piperis ana ℥. ß. Salis ammon. ℈. ij. Castorij ℈. j. Ceræ q. s. fiat vnguentum.

Oleum præstantisimum hoc erit: ℞. oleorum expressorum, oliuarum antiqui vel lucernarum: vel in quo extincti sint Lateres ℥. iiij. olei Nucum antiqui ℥. ij. olei Laurini, Sinapini, ana ℥. j. olei de baccis Iuniperi ℥. ß. Spicæ ʒ. j. de Terebinth. destill. ʒ. vj. Petrolei ʒ. iij. succorum Saluiæ, Rutæ, Chamæpith. Ireos ana ℥. j. aquæ Vitæ ℥. ij. axungiæ Vulpis & Anseris ana ℥. j. ß. Lumbricorum terrestrium priùs Vino ablutorum numer. xx. gummi Oppopan. Galbani, Ammoniaci Serapini, dissol. in Aceto squillitico ana ʒ. vj. Storacis, Myrrhæ, Masticis, Thuris ana ℥. ß. Euphorbij ʒ. j. ß. radic. Pyrethri, Hellebori, Costi, Galangæ, Nucis mosch. Piperis, seminis Sinapi, Trifolij bituminosi, Nigellæ, flor. Lauandulæ, Castorij ana ʒ. j. Anacardi, Salis ammon. Sulphuris viui Bituminis ana ʒ. ij. croci ʒ. ß. ritè omnia præparata, puluerisata & permixta, coquantur ad succorum consumptionem, igne lento: seruetur oleum ad vsum, per se vsurpatum, vel alijs permixtum.

Olea stillatitia reliqua ex plantis, præter spicæ iam dictum, & iuniperi, quæ pasim extant, magnaq; quantitate parantur, conuenientia sunt Saluiæ, Rutæ, Aromatum item: quæ hisce linimentis addita, vires ipsorum admodùm augent.

Vsitata vnguenta hîc conuenientia sunt de Bdellio, Agrippæ, Arogon, Marciatum, & similia; per se vsurpata vel reliqs permixta.

Aquæ per infusionem diutinam in loco calido factæ, vel calore elicitæ, præsertim si cũ illis oleũ quoq; copiosiùs exstillet, egregiè pe-

giè penetrant, & loco vnguentorum illitæ, plurimùm prosunt.

Simpliciores sunt si Saluia, Rosmarinus, Thymus, Lauandula, Stœchas, aliaq; appropriata, odorata in aqua Vitæ macerata, adhibeantur.

Ex compositis, Aquæ vitæ dictæ compositæ, multæ in hosce vsus fiunt. E quibus hæc admodùm erit conueniens: ℞. radic. Ireos, Peucedani, Angelicæ, Acori veri, Galangæ vtriusque, Costi, Pyrethri, Hellebori ana ℥. j. Cyperi, Zedoariæ, Zingib. ana ℥. ß. fol. Saluiæ, Thymi, Rosmarini, Rutæ, Maioranæ, Chamæpith. ana ʒ. vj. florum Lauandulæ vtriusque, Stœchados, Hyperici, Primulæ ana ℥. ß. semin. Sinapis, Nigellæ ana ʒ. ij. granorum Iuniperi & Lauri, ana ℥. j. Nucis mosch. ℥. ß. Gariophyl. Maceris ana ʒ. ij. Piperis longi & rotundi, Cubeb. Spicæ, Ligni aloës, Santali citrini ana ʒ. j. Croci ʒ. ß. Thuris, Myrrhæ ana ℥. ß. Storacis liquidæ ʒ. iij. Euphorbij, Castorij ana ʒ. ij. Lumbricorum terrestrium vino ablutorum num. xx. Salis nitri ℔. ß. præparata, puluerisata, irrorentur Vino generosissimo, donec fiat instar pultis: destillentur s. artem.

Balsama dicta artificialia, quæ plus olei reddunt, varijs modis parantur.

Simplicius vnum sic paratur: ℞. Ebuli fol. & radic. Saluiam, Lauandulam, Rutam omnium cum folijs & floribus, recẽtiorum, contusorum, irroratorum, aqua Vitæ ana M. j. Castorij ʒ. ij. Terebinthiæ ℥. ß. Salis ammon. ʒ. ij. Lumbricorum lotorum vino albo, num. xij. eliciatur aqua igne cinerum; ad hosce vsus accommodata.

Compositum balsamum sic fiet: ℞. Thuris, Masticis ana ℥. j. Storacis Benzoini, Myrrhæ, gummi Oppopan. Bdellij, Eleni, Serapini, Ammoniaci, Sarcocollæ ana ℥. ß. Euphorbij ʒ. iij. Aloës, Ladani ana ʒ. ij. Castorij ʒ. j. radic. Galangæ, Costi, Nucis mosch. ana ℥. ß. fol. Saluiæ, flor. Lauandulæ, Chamæpitheos ana ʒ. iij. baccarum Iuniperi ℥. ß. sem. Nigellæ ʒ. j. Terebinthinæ vel resinæ Lariceæ, ad pondus omnium, nimirùm ℥. x. destillentur s. artem effluet aqua & oleum: quæ simul vel separatim inungi possunt.

Si spina quoq; confectione Anacardina, & Aurea Alex. dissolutis in aqua Vitæ, in qua Saluia infusa fuerit, vngatur, efficax erit remedium.

Emplastra ex ijsdem vnguentis, addita Pice & Resina, quæ & per se prosunt, vel Cerata, auctâ ceræ quantitate, parata, idem præstant, & quia diutiùs hærere possunt, potenter operantur. Quæ spinæ etiam vel parti affectæ admota, gestantur.

Ex vsitatis laudantur, de baccis Lauri, de Betonica, Ceroneum: Vt ℞. empl. Ceronei, de Baccis lauri, ana ℥. j. Thuris ℥. ß. Castorei, Euphorbij ana ʒ. j. seminis Nigellæ, Nasturtij, Sinapis, rad. Pyrethri, Croci, Salis nitri ana ʒ. ß. cum ol. de Lateribus vel Terebint. fiat emplastrum.

Puluis Lumbricorum, cũ Pipere & Melle, emplastri instar nuchæ applicatum, mirè prodest.

Integumenta atque indumenta, non tantùm calorem in partibus retinendo & fouendo, prosunt, pellicea, plumea: sed ex illis etiam quædam proprietate iuuare creduntur, si membrum resolutum illis inuoluatur, induatur vel integatur: vt Vulpinæ pelles & Leporinę; Anserinæ plumæ, & Columbarum, Gruis, Auicularumque syluestrium. Quæ &, vti & alia quæ corpus ambire debent, si Thure, Mastice, Storace, Benzoino, Aromatibus, alijsque odoratis, carbonibus iniectis suffumigentur, efficaciùs id præstabunt.

Capiti & ceruici, hæc formâ siccâ adhiberi possunt: ℞. radic. Acori, Galangæ, Ireos, fol. Saluiæ, Maioranæ, Melissæ, flor. Lauendulæ, Stœchados. Anthos ana ʒ. j. sem. Coriandri, Nigellæ ana ʒ. ß. Nucis mosch. ʒ. ij. Cubeb. ʒ. ß. Thuris, Masticis, Storacis calam. ana ʒ. j. ß. fiat puluis: Pro puluino. Vel sacculus qui substernitur capiti, & ceruici; Vel pro cucupha, quæ gestatur.

In Arena, vel Cineribus calidis, vel Vinaceis efferuescentibus, aut Fimo calente mẽbra immergere aut sepelire aliquandiu, plurimùm iuuat.

Saluia vel sola manu gestata prodesse creditur, odore fortè potiùs, quàm contactu.

In balneo calefaciente & siccicante, si corpus

pus immergant, ita vt & membra resoluta & dorsi maiorem partem comprehendat, alterando atque euocando humores, interdum eadem ratione iuuare possunt. Quæ tamen efficacia esse debet: ne madore actuali plus humectent, quàm potentiâ siccent.

Quo nomine ad Thermas naturales, si reliqua remedia non iuuerunt, & morbus iam diu sit productus, & alioquin vitio alio non laboret æger, nihilque impediat, tanquam extremum asylum relegantur. Quibus per mensem & vlteriùs, donec cutis efflorescat, rursumque sanetur, vti iubentur. Conueniunt autem Aluminosæ & Nitrosæ potissimùm, quia siccant. Sulphureas similiter laudant, sed valde emolliunt. Atramentosæ acidæ, quia acida neruis inimica, prodesse adeò non possunt. Salsæ, aqua maris, aut fontium calefactæ, quia siccant, sine dubio vtiles erunt.

Balnea artificialia idem præstabunt. Si Aquis, exiccationis causâ, Sal, Alumē, Tartarum vini permisceas, & in ea Ferrum vel Chalybem sæpè extinguas: qualis fabrorū est aqua. Aut cineribus Vitis sarmentorum, Ossium, item Calce, additis, lixiuij instar pares. Et vt appropriatum magis balneum fiat, & calefaciat, plantas mox, in sicca stupha, enarrandas, in aqua aliqua, ex modo dictis præparata decoquas, addito lixiuio vel aquâ fabrorum. Vel si easdem plantas in decoctione Vulpis integræ decoquas.

Sed & si priuatim partes resolutæ his immergantur, aut hisce foueantur, vel illis abluantur, vt manus, vel pedes, proderunt.

Ad quæ & hoc admodùm competit: ℞. Saluiæ, baccarum Iuniperi & fol. Tithymali maioris ana q. s. decoq; in Lixiuio. Quo partem foue vel ablue.

Liquidis eiusmodi oleis vel linimentis, si partes resolutæ immergi possint, vt manus, vel aliæ, illis foueri aliquandiu, erit conueniens. Ad quod præstandum cùm bona requiratur portio, in ditioribus hæc potiùs fieri debent.

Per ambientem Aërem, non tantùm vires conseruantur, sed & si purus sit; corpus minus impurum redditur. Atq; vti frigidus summè obest, cùm alioquin paralyticorum membra sint frigida, & frigidum neruis sit inimicum: sic calidior & siccior, quia intemperiem emendat, plurimùm prodest. Talis autem vel cœli causâ est, illicque vnde haberi potest intromittendus. Vel arte, ignibus, suffitibus paratur. Sed & si columbæ in eodem aëre cubiculi, cum ægro versentur, proprietate illum paralysi resistere produnt.

Si quoque adeò medicamentosus, nimirùm calidior, vaporosus seu fumosus, factus, vt per insensilem transpirationem, vel sudores manifestos, humores exhauriat, corpore priùs decenter purgato, adhibeatur, remedium est, quod à parte affecta tàm causam coniunctam, quàm antecedentem absumit, primariumq; in hoc morbo diuturno sæpè sanando, est remedium.

Sic autem in occluso conclaui, vel sub lecto aër calefit, idq; vel solo igne, vel vapore quoq; decocti alicuius: quod sponte dum feruet, exhalat, vel si in eo candentes silices aut metalla extinguantur, vaporem & fumum reddit. In quibus æger ieiunus sudet nudus, repetatq; prout bene ferre poterit, frequenter.

Decoctum autem pro euaporatione hac, ex sequentibus parari poterit: quæ simul potenter calefaciunt & roborant: ℞. radic. Ebuli ℥. iij. Acori, in diuitibus ℥. j. Peucedani Dioscor. ℥. ij. herbar. Saluiæ, Chamæpitheos, Primulæ, ana M. ij. Origani, Pulegij, Serpilli, Calamenti, Hysopi, Maioranæ, Rosmarini, Thymi, Lauri, florum Chamomil. Sambuci, granorum Iuniperi, singular. vel quorundam M. maiorem minorémve, prout sumuntur: decoquantur in aqua, addito Lixiuio & Vino: Pro stupha vel balneo sicco, vt vocant.

Si membrum resolutū suffumigetur ante ignem Thure, Mastice aliisque odoratis, plurimùm roborabit, atque calorem in eo excitabit.

Per motus corporis iuuabimus, exercitio decenti, quod humores egregiè absumit, & partes sopitas excitat, spiritumque animalem in eas reuocat, frigidasq; calefacit, mollesq; firmat.

Quòd si sponte perficere illud nequeant,

ministrantium illis opera perfici debet. Erigendo illos & sustinendo, vt aliquo modo ambulare queant: ipseque æger membris languidis vti, & otiosas continuò agitare & exercere nitatur.

Frictio imprimis, tum diuersionis causâ, in partibus sanis facta: tum in ægris adhibita, vtilitates dictas præstans, cùm nihil potentiùs spiritus alliciat, conuenit. Quæ ab astantium manibus solis, vel etiam adhibito panno aspero & calido, perficitur: vel ipse æger sanis partibus, ægras fricando, id præstare poterit.

Quæ omnia decenti tempore, ieiuno existente ægro, corporeq; priùs purgato, meliori successu administrabuntur.

Per motus animi, in Vigilijs longioribus solitis, diutiùs continuatis, humores quoq; discutimus, & ne per somnum immodicum hi coaceruentur, præcauemus.

Per affectus illius aliquos corpus accendentes, modò non nimiùm debilitent, commodum sentiunt; vti per iram: cùm & febris vti dictum, non noceat.

Inter aperturas manifestas, sectio venæ in plethoricis tantùm locum habet, cùm crudi sanguinis copiâ, humoris huius pituitosi abundantiam produci, vel ab ea foueri, cognoscimus: sed tunc quoq; parcè, in brachio partis sanæ erit facienda: neque Arabibus, qui tantam sanguinis copiam extrahere docent, cùm per eam languidus illarum calor extinguatur, credendum.

Scarificatio quoq; adiumentum aliquod adfert, non propter sanguinis extractionē, sed propter Cucurbitulas desuper admotas. Quæ tamen, sed sine scarificatione, partibus ęgris, vt validiùs eò spiritum attrahant, commodiùs affiguntur. Et vt humorem à neruis eò occupatis, diuertant, obseruato diligenter loco, vbi causa mali latet, præsertim si hoc circa dorsalem fiat medullam, paulò subdus cucurbitulæ affixæ, sensim ad membrum resolutum descendendo, neruum sæpè ab eo liberant.

Quorum loco Rubificantia, hisq; validiora Vesicatoria remedia, idem validiusq; præstant. E quibus & validiora Vesicatoria, vel horum loco Cauteria & Setones, ceruicis posteriori sedi, quam nucham vocant, adhibere solent: quod tùm maximè conueniet, si in generali paralysi, causa cerebro vicina sit. Licet & si illic circa dorsalis medullæ initium, in hemiplegia, causa lateat, quia eam euocat, & loco mouet prosit. Sed & brachio adhibita cauteria, humores reuellunt.

Paralyseos vel Spasmi, ab alijs humoribus, curatio.

Ab humore aqueo pituitoso vel seroso, acribus, biliosis humoribus permixto, neruos non solùm imbuente, sed & irritante, si paralysis fiat: sicuti post colicos cruciatus, eam frequentissimè nostro sæculo accidere diximus, cum dolore & formicationis sensu: tunc cura, quamdiu colicus dolor perseuerat, huic potiùs erit accommodanda, & humores illi pravi, sicuti illic dictum, expurgandi. Eaque potiùs, quæ neruos leniendo, conuulsiones, in quas facilè terminari solet, impediant, admoueri exhiberique, sicuti in conuulsionibus dictum, debent. Nihil interim boni temerè, cùm si conuulsiones superueniant, facilè jugulare soleat, prædicendo. Quòd si verò cessantibus alijs affectibus resolutiones hasce comitantibus, illæ in pluribus priuatisve partibus remaneant, tunc cura eadem, quæ in pituitosa paralysi explicata fuit, administranda.

A sanguine paralysim, perseuerantem præsertim, fieri non posse, ostensum fuit. Quod si fiat, vti Practici scripserunt, quia tunc sanguis in venis adhuc consistens, facilè in versa parte, si situ illius peruerso fiat, retrocedit, mox iterum cessat. Vel si à plethora fiat, venæ sectione, alijsq; reuellentibus & deriuantibus sanabitur.

Paralyseos ex refrigeratione, curatio.

A refrigeratione nimia musculi & nerui, à frigore externo (nam de ea quæ ab humore pituitoso fit, iam dictum fuit) si non tantùm stupor, vti potiùs accidit, sed & resolutio membri fiat, tunc sicuti in stupore ostensum fuit, Calidis actu, sensim admotis, & Frictionibus emendatur. Quibus nisi cesset, ea remedia topica, quæ in pituitosa paralysi explicata fuerunt, inunctiones scilicet, & fotus & balnea, prout forma parti affectæ sese accommodat, hîc quoque locum habebunt.

Spasmi flatulen-

A flatibus spasmus, flatulentus ob id dictus,

tia, à flatibus curatio. ctus, si fiat: siue hi causam illi præbeant, aut si à nimia musculorum astrictione fiat, illam augendo, vehementiorem & diuturniorem reddant. Tunc si rariùs hoc accidat, nihil mali significare potest, cùm à causa manifesta, motu nimio vel refrigeratione procedat: proin & negligitur. Si verò sæpè repetat, quia grauem parit molestiam, & membra debilitat, cùm causam internam comitem habeat, flatuum copiam, atq; musculorum minus decentem connexum, vti dictum est, non erit negligendus, cùm interdum ægrè penitùs auelli queat.

Quòd si non tantùm in pedibus & artubus, sed & alibi, vt in dorso, vel maxilla inferiore, aut ore molestat, periculo non caret propensionis ad epilepsiam, proin, &, vt illic dictum, maturè prospiciendum erit.

In alijs verò causis, remedia tum ad præcautionem extra paroxysmum, si sæpè repetat: vel in paroxysmo si perseueret, sequentia erunt vsurpanda. Quæ flatus depellunt, musculos astrictos relaxant.

Exhibentur ad flatuum prouentum impediendum, eosq; discutiendos, tàm in victus ratione, quàm medicamentis purgantibus, calefacientibus, roborantibus, qualia in flatulentis casibus, ventriculi imprimis, suis locis explicabimus.

Adhibentur musculo affecto (quem ex protuberantia loci, & dolore cognoscimus) quæ in paroxysmo actu potentiaque calefacientia, flatus discutientia, partem leniendo & laxando, iuuant: extra paroxysmum verò, quæ & simul partem leui astrictione roborando, sæpè repetitum affectum præcauent. Eadem ferè vsurpando, quæ in paralysi pituitosa, & in contractionibus veris, leuiora esse, ostendimus, illicque descripsimus.

Inunctiones fiunt ex oleis, Chamom. Liliorum, Anethino; Vel hoc modo, si pars simul roboranda sit: ℞. olei Chamom. vel alius ex tribus enarratis ℥. j. Vulpini vel Lũbricorum, Masticini ana ℥. ß. misce: Inungatur pars, manibus vel parte priùs aquâ Vitæ madefactis, calidè.

Oleum Guaiacinum, cum aqua Vitæ & Saluiæ inunctum, mox iuuat.

Vel fiant emplastra: inter quæ & Marciatum conuenit.

Aquæ & Balsamælea in paralysi explicata, competunt. Inter quæ aqua Vitæ simplex sola adhibita, statim iuuat, si calida sit.

Theriaca in aqua Vitæ dissoluta, potiùs quàm oleis, vti docent, & inuncta, valdè proderit.

Fotus, insessiones, balnea in paralysi & contractione recensita, proderunt, actu potentiaque calida. Inter quæ Lixiuium, sicuti in podagra dicetur, quia partes laxas, & quæ humores vel flatus recipiunt, firmat, præcautionis causâ, additis corroborantibus, adhiberi poterit.

Emplastrum hoc valde probatum est: ℞. Absynthij, Pulegij, ana M. j. baccarum Lauri P. j. Cimini ℥. ß. terantur: bulliant in Vino forti & Melle; fiat cataplasma.

Sacculi irrorati priùs in Vino etiam proderunt: in paralysi præscripti. Vel sic quando præcauere malum corroborando volumus: ℞. flor. Chamomil. Meliloti, Rosarum, Furfuris, baccarum Iuniperi vel Lauri ana P. j. Myrtillorum P. ß. rad. Ireos ʒ. ß. sem. Fœnigræci, Carui, Cimini ana ʒ. iij. Salis P. j. Pro sacculo.

Ex solo Milio, Furfure, & Sale, sacculus citò ad vsum parabitur.

Pelles calidæ, aliaq; similia conueniunt.

Frictio item leuis manibus, pannísve calidis.

Retrahendo partem affectam, paroxysmum breuiorem, seu vt mox cesset, faciemus: Si musculos inuoluntariè violenter extensos, vel flexos, eoq; membrum trahentes, voluntariè contrario motu & nixu musculis qui ægris opponuntur, eos vnà cum membro retrahere nitatur: sic enim astricti vel deuij, rursum cum membris relaxantur, situmq; naturalem repetunt, & flatus, qui illorum contractorũ spacia occupârant, quando musculi in locum suum redeunt, ab ijs locis repelluntur & cedere coguntur. Quod in musculis suram constituentibus & pedes digitosq; mouentibus contractis, extensione contraria fieri, doloremq; mox cessare, indies experimur.

Ex siccitate vel inanitione, vti voluerunt,

musculorum illorúmve tendinum membra trahentium, atque neruorum interdum vel ligamentorum articulos ambientium, si Contractio partis illius, cui hæc ad motum seruiunt, fiat, siue dorso aut alijs locis accidat, si magna illorum sit ariditas, immedicabile est malum, sicuti quando ratione ætatis, & laborum hoc eueniet. Sed & difficulter sanatur, si alijs de causis facta, diu perseuerauerit: sicuti manibus, pedibus contractos, & tetano laborantes, toto vitæ spacio contractos illis locis manere, plerunq; cernimus, aut leuiter saltem in melius mutari.

Nihilominus tamen cum successu, cura sæpè à principio, vtiliter adhibetur: hacque methodo, per adhibita extrinsecùs loco affecto, humectantia & laxantia medicamenta, è quibus cùm quædam refrigerent, calidis neruosque roborantibus illis permixtis curæ potissima pars perficitur: si ea musculo nimirùm, illiusque tendini, & corpori, quod membro attrahenti, aliquando vicinum est, aliàs verò procul dissitum, & longo, quandoque longissimo tendine ad illud porrigitur; item articulo, si ligamenta astricta sint, admoueantur.

Inungitur itaq; dorsum cum spina in tetano, vel membra in alijs speciebus contractionis, hoc modo: ℞. olei Amygdal. dulc. recentiss. ℥. j. ß. Violarum, Liliorum, Chamomil. Lini, per expressionem facti, recentis, Lumbricorum ana ℥. j. ol. Hypericonis, mucilag. sem. Psilij & Lini, Axungiæ Anatis, medullæ cruris Vituli ana ℥. ß. Terebint. ℥. ij. Sulphuris ʒ. ij. ß. pul. Lumbricorum ʒ. j. sum. Thymi, flor. Hyperici ana ℥. ß. Croci ℈. j. Ceræ q. s. fiat vnguentum.

Axungiam humanã magnifaciunt in hoc casu: vti & Anguillarum, fortè quia illa appropriata, hæc, quia à piscibus desumpta, humidior censetur.

Balneum in tetano, vel in alijs, Irrigatio, aut Fotus loci affecti, ex hisce fieri possunt: tepidis adhibitis; ex Aqua dulci, Lacte, Brodio pingui capitis & intestinorum Veruecis vel Vituli, Hydræleo, solo Oleo, Violarum præsertim.

Vel ex sequenti decocto: ℞. rad. Altheæ, Bryoniæ, Liliorum ana ℔. j. radic. Ireos rec. ℔. ß. herb. Maluæ, Violariæ, Lactucæ, Atriplicis, Brassicæ ana. M. j. Saluiæ, Chamępith. ana M. ß. semin. Lini, Hordei mundi ana P. j. decoquantur in aqua pro balneo: cui & reliqua permisceri possunt.

Thermæ sulphureæ, vim emolliendi magnam habent, cùm nihil sit sulphure pinguius, sicuti alibi demonstratum est.

Emplastra parti adhibita, quia remanent, summè prosunt: quale est de Meliloto, de Mucilaginibus, Resumptiuum, & similia ex enarrata illinitione parata.

Vel fiant etiam ex prædictis in balneo plantis cataplasmata: quæ præ cæteris iuuant, diu gestata sæpeq; renouata.

Hoc etiam laudatissimum: ℞. radic. Altheæ Bryoniæ ana recentium ℥. ij. Mandragoræ ℥. j. fol. Hyosquiamini recentiũ (quæ mirè vt & mandragoram emollire, experiẽtia cognoui) Maluæ ana M. j. decoquantur in Lacte, contundantur, addendo farinæ seminis Lini ℥. ij. Psyllij, Cytonior. ana ℥. ß. axungiæ Porci, Anseris ana ℥. j. olei Amygdal. dulc. Butyri rec. ana ℥. ß. baccar. Lauri ʒ. ij. Croci ʒ. ß. fiat cataplasma.

Omentum, Mesenterium, Renes cum pinguedine, tapefacta, parti laboranti imponuntur.

Pelles per se, vel oleo priùs inunctæ recenter detractæ, Vulpinæ præsertim, prosunt: atq; Anserinum corium cum plumis.

Per assumpta aut iniecta, hîc, nisi per accidens ratione illius affectus, vix aliquid singulare præstare licebit. Vti verò in conuulsione seu spasmo particulari multum iuuãt.

Manuali operâ, membra contracta, si diduci possunt, tunc etsi mobilia non rursum fiant, quod tamen interdum fit: nihilo secius forma alia illis, quę minus in motu impedimentũ adfert, accõmodari potest. Vt si digiti extensi sistantur, tunc si cõtrahantur, paulò minus in apprehẽsione incõmodãt: si spes sursũ tractus hæreat, ad terrã vsq; retractus, etsi articulus genu fixus maneat, tamẽ incessum qui priùs sublatus erat, restituit.

Hoc autem manibus vel instrumentis adhibitis, non magnâ vi, sed sensim indies aliquantùm impellendo, successu temporis, astrictos tendines & ligamenta ita magis

magisq;

magisq; relaxando, in quibusdam locis aliquando id possumus efficere. Idq; pro membri contracti ratione, varijs modis. Vt si propter genu articulũ fixum, vt sæpè fit, pes sursum tractus sit, calceo induto, & alicubi alligato, continuò dum sedent, & aliquid agunt, eum detrahendo: Vel pondere appenso, sæpè eum deprimendo. Quod & eleganter perficitur, si laminis, duabus oblongis, in medio cauis, tibiæ & coxæ posteriori sedi accommodatis, & iuxta articulum iunctis, interpositâ cochleâ, eam inuertendo quamdiu ferre potest, pes à superioribus deorsum sensim propellatur. Vti & in alijs locis eâdem ratione, cochleâ strias habente, commodè perficitur: cùm si vertatur, sensim ea quibus inseritur premendo, membrum fixum impellat, & cum cochlea inuersa sic immota maneat, eâdem membrum, quousque protrusit, sustentet, & retineat. Quod ego in multis cum successu, ingeniosè fabricatis instrumentis, tentaui. Sicuti quoque, si digitus extensus maneat, annulo illi inserto, qui alij annulo, vicino digito adhibito, contiguus & affixus sit, dum hic digitus mouetur, alter fixus continuò impulsus, tandem cedere & flecti nonnihil, cogitur.

Contractionis vel Spasmi à tumore, curatio. A tumore duro, callo, vel nodo, vel cicatrice, in tendinibus & ligamẽtis, natis, si membrum sistatur, vel si ea nervum occupando vel premendo, resolutionem pariant: non alia curandi ratio, quàm per emollientia, quæ hisce, etiam alijs in locis prouenientibus, sicuti illic explicabitur, debetur, instituitur. Membra interim fixa, continuò, si eo situ admodùm incommodent, in rectiorem minusq; incongruam formã, actuali operâ, vti modo dictum, retrahenda.

Paralyseos ex cõpressione curatio. A compresßione nerui violentâ, ab onere, siue vinculo, si paralysis fiat, tunc impedimẽta hæc erunt remouenda, vinculaq; soluenda. Quibus ablatis, si stupor aut resolutio perseuerent: Frictionibus, alijsq; applicatis calidis, in pituitosa paralysi dictis, spiritus erunt reuocandi. Ab osse luxato, cùm vix nervus prematur, sed alia potiùs inde sequantur incommoda, ea in illis explicabuntur.

Paralysis ex soluta con- A vulnere, dissecto tendine aut neruo, vel ligamento, si resolutio fiat, incurabilis est. Sunt tamen chirurgi, qui tendines abscissos consuere solent. Musculo per transuersum vulnerato, si hoc fiat, curatio eadem quæ in alijs vulneribus facienda: quæ & sæpè iuvat: si verò penitùs amputatus sit, quia tunc vtrinq; retractus, ægrè inuicem iungitur aut retinetur, remanet curato vulnere nihilominus illius partis immobilitas. *tinuitate, curatio.*

A contusione, ab ictu vel casu, si paralysis fiat; si inflammatio in neruo sequatur, convulsio facilè sequitur, quæ lethalis est. Ne itaque illa fiat, sanguis mox reuellendus, venâ sectâ, alijsque modis. Supra partem verò contusam, non astringentia frigida sunt applicanda, sed ea quæ simul digerant.

Quale hoc est emplastrũ: ℞. Masticis, Thuris, gummi Hederæ an. ℥.ß. Mumiæ ʒ.ij. puluer. Lumbricorum ʒ.j. flor. Chamomil. Rosarum ana ʒ.ß. olei Rosſ. Chamomil. Cheirini an. ℥.j. Terebint. & Ceræ q.s. fiat emplastrum.

In fine cùm nulla ampliùs inflãmatio metuitur, vnguentis in pituitosa paralysi enarratis, inungatur. Si paralysis adhuc perseueret, vt nerui calorem reuocemus & partium resolutarum, erit hoc præstantißimum: ℞. rad. Pyrethri ʒ.iiij. Piperis ʒ.iij. Sulphuris ʒ.v. pul. Lumbricorum ʒ.ij. Castorij ℈.ij. Euphorbij ℈.j. bulliant in olei ℥.x. ad cõsumptionem medietatis. Inunge ceruicis & dorsi vertebras, item emunctoria & loca affecta.

Si callus in neruo relinquatur, quomodo procedendũ, in tumore duro dictũ iam fuit.

Musculi contusio, aut partis quæ mouetur, non aliam à generali contusione, de qua suo loco agetur, curam requirit.

Fractura osſis si in causa sit, vt membrum moueri nequeat, tunc manuali operatione potißimùm os abruptum, si ab altero declinet, membrumque abbreuiet, reponere studebimus. Dein ea iam iuncta, vel ea quæ licet confracta sunt, adhuc tamen inuicem hærent, ne secedant, retinebimus. Postea medicamenta loco affecto, dolorem compescentia & inflammationem arcentia, si hæc vrgeant, adhibebimus. Et quæ ossa simul, vt conglutinentur, & concrescant seu consolidentur, adiuvent: quod per accidens, impedimenta potißimùm auferẽdo, fracturamq; nonnihil astringendo, & emplasticâ vi veluti *Immobilitatis à Fractura ossiũ, curatio.*

obliterando, faciunt: cùm alioquin ipsa concretio ossium, succi ossa nutrientis beneficio, tanquam glutinis, vti de vulneribus dictum, naturæ tantùm operâ perficiatur.

Reponimus & coniungimus os abruptũ iterum (si nihil aliud obstet, vti spinæ ossium abruptę, quę priùs, vt suo loco dicetur, repurgandæ) vel solis manibus, aut adhibitis insuper instrumentis, vt in luxatione dicetur, sensim eousque trahendo, donec ad extremum fracturæ sui ossis, cui iunctum fuerat, perueniat: tuncq; manibus trudendo, cum illo rursum decenter iungendũ, idq; quoad fieri poterit planissimè, sic enim & subitò & facilè rursum cum illo connascitur: sin minus, & non rectè, vti prius se cum illo iungat, callo intermedio tàm magno, quàm distãtia illa remansit coalescere tunc inuicẽ necesse est, ex quo, cùm tã subitò illud fieri nequeat, cura prolongatur, & membrũ sæpè curuum, aut aliter malè formatum permanet.

Retinemus fracta ossa simul, si fascijs primùm decenter inuoluamus: inde plancis circumpositis tenuibus, schindlen/ aut cortice, aut simili instrumento parti affectæ, fascijs iam inuolutæ, quæ suâ cauitate se accommodet, sic colligemus, & ne ossa constricta loco moueri facilè queant arctè constringamus: sicq; postea partẽ quietam retineant.

Fouemus quandoq; locum affectum antequam fascia inuoluatur, prout dolorem sedare vel astringere, metu inflammationis volumus. Vel Vino rurbro stiptico. Vel decocto fol. Vlmi & Myrthi. Vel Oleo, Vino & Aceto simul permixtis, cum Lana succida. Vel fascia ipsa madefit oleo Rosaceo vel Oxycrato antequam applicetur.

Vel vngitur locus affectus prius ol. Ros. Myrtino & similibus, doloris causâ, nã cùm astringere volumus sequens forma vtilior.

Emplastris pars iam vincta, vti dictũ, ambitur, quæ & nudæ parti, si necessitas exigat, interdum adhibetur, posteaq; primùm pars vincitur, sed tunc frequẽtiùs mutanda erũt.

Simpliciora sunt: ℞. rad. Symphiti, radic. Geranij q.s. contundantur, & cum axungia Porci permixta, applicentur.

Aliud: ℞. Masticis, Thuris ana ℥.ß. Boli ℥.j. Aloës, sanguinis Draconis vel Acaciæ ana ʒ.ij. gummi Tragac. Arab. ana ʒ.j. farinæ volatilis Molendini ℥.ij. cum album. Oui, fiat emplastrum.

Vel sic: ℞. farinæ volatilis Molẽdini ℔.ß. farinæ Hordei & Fabarũ an. quar. j. Boli ℥.ij. Gypsi ℥.j. lap. Hæmat. ℥.ß. Thuris ℥.iij. radic. Consolidæ ℥.ß. cineris testarum Cancrorum ʒ.ij. fiat puluis, quem ad vsum chirurgi seruare possunt, vt tunc cùm opus erit, eum cum album. Ouorum subigant ad formam emplastri, addendo ol. Rosaceum, ne nimis siccetur & hæreat.

Propinata quædam ad ossium consolidationem, plurimùm iuvare creduntur, sicuti de vulnerarijs dicemus potionibus. Sic Verbasci decoctum probat Diosc. Primulæ succum Matthiolus. Recentiores, lapidis fabulosi Ostiocolli ʒ.j. pulu. cum Vino manè ter ad minimũ propinant: cuius efficaciam mirè commendant, egoq; expertus sum.

Quod victus rationem attinet, aliaque generalia præsidia, vt corpus mundum & purum seruetur, & ne ex decubitu constipentur, procurandum. Et sanguis si inflammatio timeatur, detrahendus.

Immobilitatis ab ossiũ dislocatione, curatio.

Luxatio articuli, vi, vel ligamentorum laxitatis causâ facta, si motum sistat: sitq; leuior tantùm illius separatio: sponte, motu proprio membri, nonnunquã iterum in locum suum redit. Si verò omnimoda sit dislocatio, maiori vi ad os reducendum opus erit, illud trahendo, impellendo, premendo, & ne rursum excidat, retinendo, firmandoq; articulum, ne rursum labatur & impedimenta auferendo. Quod in quibusdam articulis faciliùs, in alijs maiori difficultate, in quibusdam minimè, si iam diu perseuerauerit, & sibi os sinum alicubi fecerit, perficitur.

Trahimus os, quod in exarthremate ab alio osse, iuxta illud, sursum delatum, partem abbreuiauit, donec rursum sub alterius ossis sinum, reductum sit. Quod vel solis manibus, si facilè cedat, sin minus, fasciâ adhibitâ aliorum quoque operâ, vel instrumentorum etiam subsidio, perficitur: Vti in femore luxato, magno conatu, vt reponatur, opus est: maxillam verò luxatam, iuxta molares dentes apprehendentes trahentesq;, varijs modis reponimus. Retrahimus autem vertebras

bras in gibbo, extrorsum introrsumve, aut ad latera curuato, & loco motas, contrario nixu; stando vel sedẽdo dorsum ita flectẽtes, vt curuitas illius sensim erigatur, cùm hoc vi adhibitâ fieri nequeat: quapropter per decubitum talem, in quo diutiùs moram trahere possunt, id rectiùs fit, maximè ope instrumẽti, quo interim pars premitur, vti dicetur.

Impellimus, trudendo violenter os, quod in exarthemate attractũ est, vel in parathremate, à medio ad circumferentiam recessit: vti & in arthrodijs, si plura ossa secesserint. Illic comprimendo os, vbi eminentia ipsius prominet, versus oppositam sedem, quæ caua est, eousq;, donec rursum in suum sinum incidat, quod ex sono quem edit interdum cognoscimus; vel in suam sedem reponatur. Hoc autem manibus solis facilè, si modò ad rectum locum propellatur, ferè fit. Alias verò maiori vi ad illud præstandum opus, quando humerus deorsum sub scapulam delapsus est. Tunc enim humero chirurgi supposito, interim dum brachium trahitur, eleuatur, vel alio artificio sursum magnâ vi premitur, quod non sine magno dolore, & veluti torturâ perficitur.

Sensim premendo vertebras dorsi, in nexu mobili dislocatas, Gibbo dorsi retrorsum protuberante, curuitatem illius aliquando, dum adhuc in fieri est, nec dum confirmatus, in iunioribus ferè tantùm emẽdamus. Quod cùm non nisi longo tempore perficiatur, instrumento ad id apto, quod continuò parti adhærens, successiuè eam premat, opus erit: quale est, thorax indutus, ex charta, vel corio picato, vel ferri lamina formatus, partem gibbosam premens. Idem panneo thorace, cui lamina ferri vel plumbi insuitur, aut aliâ arte, efficitur.

Retinemus articulũ rursum coniunctum, ne denuò separetur aut dislocetur, quiete, si illum immotum teneamus, idq; donec partibus quæ laxatæ erãt confirmatis, articulus postea, quando rursum mouetur, suo loco possit subsistere. Quod rectiùs fiet membro suffulciendo, suppositis puluinis & culcitris: Vel etiam suspendendo fasciâ, in qua collo iniectâ, brachio indito, humerum, ne rursum delabatur, sustinemus. Sed & in periculo luxationis, elongatâ parte & laxâ, cùm à motu semper abstinere nequeamus, saltem vt minùs vehemens sit, cauebimus. Vti & à valida illa oris apertura per oscitationẽ, ne maxilla luxetur, illi, qui facilè hoc patiuntur, abstinebunt. Et quibus gibbus crescit, ne corpus admodum inclinent, aut flectant, sed quoad fieri potest, erectum seruent, mouebuntur. Et vt instrumento iam enarrato, nõ tantùm gibbus prematur, sed & dorsum erectum seruetur.

Ligaturæ quoque adhibentur, si os repositum difficulter subsistat, & pars nonnihil vinciri queat.

Remedia extrinsecùs insuper nonnunquam adhibentur, si dolor vrgeat, qui tamen mox, si membrum rectè repositum sit, cessat: Vel si aliud quid accedat, vt inflammatio, fractura vel vlcus, quod iuxta coxendicem, vti dictum, sinuosum pus interdum profundit; quorum cura suis locis explicabitur.

Ad confirmandum articulum, cùm metus est luxationis, aut si facta fuerit, rursumq; reposita, ne facilè redeat, astringentia adhibentur illi remedia, quæ siccando humiditates illius loci, maximè si causam huic quoq; præbeant, absumant.

Telâ ceratâ vtilissimè sic articulus inuoluitur, dolores sedante & iuncturâ firmante: ℞. Seui arietini, ceræ albę an. ℔. ß. dissoluantur, permisce farinæ volatilis Molendini ℥. ij. Thuris, Masticis, Boli, Sanguinis draconis an. ℥. j. rad. Consolidæ ℥. ß. & dum hæc calent, inuicem agitentur, & intingatur tela, donec illi hæc materia accrescat: Applicetur.

Emplastra qualia in fracturis descripsimus, hic quoque competunt. Vel sequens: ℞. Thuris, Masticis, Colophoniæ, Resinæ, Picis ana ℥. j. Ceræ & olei Rosati q. s. fiat emplastrum: Gestet.

Cataplasma, si necessitas requirat, sic fiet, maximè vrgente dolore: ℞. radic. Personatæ (quam dolorem admodum sedare in luxatis, docet Dioscor.) Narcissi ana ℔. ß. fol. Plantag. Vrticæ ana M. ij. coquantur in Vino rubro, adde mucilag. radic. Consolidæ ℥. ij. farinæ seminis Fœnogræc. ℥. j. Mellis ℥. ij. Salis ʒ. ij. olei Myrtill. vel Mastic. ℥. ij. contundantur pro cataplasmate.

Caute-

Cauterium quoque vel Veſicatorium ſupra partem dhibitum, potenter reſoluit, & elicit humid tates, quibus articuli occupati, facilè luxantur.

Per os, ſuccũ Primulæ aliqui exhibitum, iuvare in luxationibus ſcribunt.

Immobilitatis Organi vitio, curatio. Organicum vitium, ſi immobilitatẽ cauſet, ſitq; ab ortu, incurabile exiſtit: quia partes aliter formare nequimus. Si verò à cauſa aduentitia, laxatis nimiùm & elongatis tendinibus, vi aliquâ vel humore, eadem quæ in paralyſi dicta, pituitoſâ præſertim, topica proderunt. Quòd ſi aſtrictis illis nimiùm, ſpaſmus ille flatulentus fiat, in flatibus cura explicata fuit. Sin vera contractio & permanens ſit, eadem, quæ à ſiccitate factæ cura, vti dictum, competet.

DE MOTV DEPRAVATO.

Capvt III.

Genera.



MOTVM deprauatum vocamus, quando motus, voluntarij præſertim, vel immoderatè vel intempeſtiuè, aut aliàs non decenter exercentur. Vti fit cùm membra, motus hoſce obeuntia, irrequieta ſunt: vel conuelluntur: vel tremunt, vel palpitant, vel concutiuntur per rigorem: aut extenduntur per pandiculationem & oſcitationem, aut aliter aguntur per nictationem.

Inquietudo. Irrequieta dicuntur membra eſſe, cùm nimiùm aguntur, nec quieſcunt. Vt cùm mente capti, maniaci & phrenitici motus tam varios & violentos edunt: atq; irati, furibundi, adeò præcipitanter res peragunt: imprimis verò hi, qui ſaltu Viti appellato, laborant, pedes curſu & ſaltu ſuprà modum defatigant: de quibus in mentis alienatione dictum fuit. In alijs quoq; morbis decumbentes, tàm vigilantes quàm dormientes, admodùm interdum inquieti ſunt, & propriè inquietudo dicitur, quique eâ laborat, Aſſodis appellatur, ſymptoma eſt multorum morborum vires proſternens. Quo affecti corpus nunc variè, huc illúcve, iactant, vnde & Iactationem, aliqui Iectigationẽ, vocârunt: nunc ſe frequenter erigunt, nunc pedes manusq; continuò exercent, retrahunt, mutant: aliàs ad pedes deuoluuntur, quod in morbis acutis (quibus familiare hoc eſt accidens) inter lethalia ſigna Hippocr. recenſuit. In ſanis etiam eiuſmodi inquietudo tàm vigilantibus, quàm dormientibus moleſta eſſe ſolet, & morbos minari. Quò & referri poteſt, intempeſtiua illa nocturna per ſomnium ambulatio: de qua in vigilijs dictum fuit.

Conuelli membra dicuntur, quando motus illos inordinatos edunt, ſicuti in convulſione generali ſeu epilepſia dictum fuit. Et in particulari quoq; ſpaſmo accidit: præſertim eâ ſpecie, in qua membra adhuc agitantur, neq; adhuc per convulſionem illis attractis, motus ipſorum ſiſtitur: ſicuti in convulſiua palpitatione appellata, in particulari ſpaſmo oſtenſum fuit. *Convulſio.*

Tremere membra dicuntur, cùm motu inæquali ſurſum deorſumq; agitantur; Tremorq; appellatur: qui tunc maximè fit, cùm illis vti volumus: quæ aliquando magis, aliquando minùs tremunt. Quod in manibus frequenter accidit, cùm aliquid apprehendendum vel retinendum eſt. Nonnunquàm & in pedibus, qui ſtantibus tremunt. Interdum & capiti, quod continuò huc illúcve agitatur. Maxilla inferior quandoq; fit tremula: quod & ante vomitum, quem præſagit, ſæpè euenit. Vidimus, omnibus hiſce partibus, ſimul, iam inde ab ortu continuò ad ſenium vſque tremere, ciuem noſtrum, Gitterhans / ob id appellatum: brachijs, manibus, digitis, pedibus, quibus inter eundem veluti ſaltabat, capite item, quod agitabat, & maxillâ quâ veluti maſticabat. *Tremor.*

Palpitare membra dicuntur, non quando aliquid actura, vt in tremore, concutiuntur, ſed cùm inuoluntariè nonnihil attrahuntur, rurſumque relaxantur. Sicuti in convulſiua palpitatione eodẽ modo illud accidere, priùs diximus. Ad cuius ſpeciem illam, quam ſpaſmum flatulentum vocant, hæc palpitatio, eandem penè cauſam habens, vti dicetur, referri poteſt, & proin Flatulenta palpitatio appellari, mitiùs tamen membra exercens potiùs, *Palpitatio.*

potiùs, quàm firmiter, vti alia, ea alliciens. Cùm propriè palpitare membra dicantur, quando musculi, atq; instrata illis cutis, attolluntur nonnihil, rursumq; subsident, idq; cum dolore plerumq; & molestia, non attractis interim, vel admodùm parùm, membris.

Rigor. Concuti membra per rigorem dicimus, quando concussio quædam fit totius corporis, aut illius partium, sicuti ferè trementibus accidit, sed cum frigoris quodã sensu, & penitus inuoluntariè, vnde Rigor appellatur. Vti in febrium intermittẽtium paroxysmorum initijs, hoc modo corpus vniuersum extenditur, curuatur, concutitur, adeò sæpè validè, vt dentes collisi, strepitum edant, quem Stridorem dentium vocant. Atq; febres continuæ, cũ eiusmodi rigore quoq; inuadunt, atq; interdũ cùm crisis futura est, illius prænuncius est. *Horror.* Aliàs leuior est agitatio, & Horror tunc appellatur: in quo maior frigoris sensus corpus peruadit, stantque erectæ comæ, & pori constricti, cutem asperam reddunt. Quod & aliquando frigus solum, vti in febribus dictum, hominem molestat. Sed & extra morbos à frigore externo, metu, rigor vel horror, hisce similis, corpus nonnihil concutit. Aliquando & rigor sine frigore, à causis externis nascitur.

Pandiculatio. In Pandiculatione appellata, admodum, brachia præsertim cum dorso extenduntur atq; curuantur, cũ oris vehementi apertione seu diductione, quam Oscitationem vocant. *Oscitatio.* Quæ & separatim fieri potest. Hæc duo si citra occasionem sæpè molestẽt, morbos præsagiunt: vel febrium paroxysmorum incipientium sunt præludia. Aliàs verò extra morbos, pigritiæ signa sunt: vel ex concepta imaginatione, sicuti dicetur, nascuntur.

Nictatio. Nictationem vocamus, quando oculi nictare coguntur, hoc est palpebræ labuntur, illisque obducuntur vixque aperti retineri queunt. Sicuti cùm somno pleni & graues sunt, in pigris accidit. Interdum quoque in morbis euenit.

Causæ.

Causæ horum diuersorum motus deprauati generum, in cerebro, neruis, musculis & membris variæ esse possunt. Vel spirituum agitatio, perturbatio, vel irritatio, distentio, imbecillitas.

Mentis perturbatio, causa Inquietudinis. Spiritus agitati per animi affectus cerebri calorem: vel perturbati per commistionẽ humorum, vaporũ, mentem alienãdo, variasq; imaginationes offerendo, vt adeò inquieti sint, variaque tentent & peragant, efficiunt: sicuti in mentis alienatione explicatum fuit.

Irritatio neruorũ causa Cõvulsionis. Irritatio in neruis facta, quâ ratione vt corpus cõuellatur, seu inordinatis motibus exagitetur, efficiat, in convulsione dictum fuit. Cæterùm ab irritatione & molestia quoque, alij motus vt nimiùm vel non rectè fiant, diuersimodè pro causâ variâ impelluntur. *Calor causa Inquietudinis.* A calore enim inquietudo dicta sæpè fit, nõ tantùm quia actiones promouet, & in actum deducit, aut in cerebro accenso delirium parit, sed quando totum corpus eo æstuat in febribus, & quia molestiam magnã facit, corpus inquietum reddit: estq; febricantiũ symptoma, maximè continuarũ, continentium, ardentium: intermittentium etiã, tunc, quando in paroxysmo calor summus, præcipuè affligit: sicuti in febribus ostẽdetur. *Dolor causa Inquietudinis.* Dolore alio graui offensum corpus & eo veluti ab hoste afflictũ, nullo loco potest subsistere aut quiescere, in eoq; propulsando, mitigãdo, omnes actiones intendit. *Humores acres causa Rigoris, & Pandiculationis.* Ab humoribus acribus, biliosis vel salsis, vel putridis, partes sensiles, & carnem musculorũ permeantibus, easq; veluti pungentibus & irritantibus, quia repellere molestiam, facultas illorũ expultrix, nititur, fit concussio illa corporis in rigore dicto. Sicuti hoc in febrium initijs, à materia eiusmodi exhalante, & corpus peruadente, accidere, eoq; nomine pandiculationes & oscitationes primùm, mox & horrores vel rigores subsequi: nonnunquam ea quoq; ante crisim se manifestare, in febribus dictũ fuit. In euacuationibus alijs, in quibus similia acria excrementa profunduntur, vt in mictione, alui redditione, sudore, rigor vel horror nonnihil, dum hæc fiunt, corpus vel vniuersum, vel certis in locis concutit. Quod & antequam hæ euacuationes fiunt, sæpè accidere solet, & instantes præsagire, naturâ iam ad has moliendas incitatâ. Sicuti sudorum instantiũ horror aliquis, in crisi & extra illam interdum est prenuntius. Et maxilla inferior

ante vomitionem plerumq; tremere solet, & veluti iam os ad apertionem naturali facultate voluntariam sic impellente, sollicitare.

Vapores Halituosi, causa Pandiculationis. Ab halituosis, vt vocant, vaporibus, in spatijs musculorum collectis, copiâque potiùs, quàm vehementiore acrimoniâ naturam ad excretioné sollicitantibus, motus ille distentionis artuum seu pandiculatio quoque prouenit. Cùm in ea musculi, qui maximè ijs occupantur, ad eos propellendos constricti, membra sic trahant. Idq; maximè, quia tunc accedente simul lassitudine, vel spontaneâ, quæ ab excrementorũ horum circa musculos collectorum copiâ nascitur, vel ex labore profectâ, à quo etiá circa musculos, halituosorum vaporum fit cõgestio, per constrictionem hanc musculorum, in pandiculatione, non tantùm quia vapores tunc propelluntur, à lassitudine nonnihil recreantur, sed & quia musculi motu nimio & diuturno relaxati, & quando quiescunt, lassitudiné illam sentientes, iterum constricti cùm aguntur, lassitudinem minùs sentiunt, sicuti lassitudinem lassitudine, sanari, superiùs dictũ fuit, leuamen aliquod laborum per pandiculationem acquirũt, & proin in lassitudine ad eam edendam inuitantur, & inuitati impelluntur. *Lassitudo, causa Pandiculationis, & Oscitationis.* Estq; hæc causa, quòd naturalem defatigationem & pigritiam, ante somnũ ferè pandiculatio comitetur, donec corpus postea per somnum rectè quiescendo, à lassitudine liberetur, & post somnum quoque tamdiu, quoad illud, quod de halituoso vapore restat, adhuc corpus extendendo, expellatur. Et quòd in spontanea lassitudine morbos præcedente, tùm ob vaporum copiam, tùm corporis hanc lassitudinem, ea quoque sese manifestet. Sicuti eadem lassitudo & vaporum copia, oris illam diductioné & efflationem, in oscitatione dictâ, causat; operantibus simul & veluti consentientibus reliquorum musculorum conatui, musculis thoracis, & maxillæ inferioris, & buccarum si pandiculationi oscitatio iungatur. Vel separatim hisce musculis ad illorum defatigationem mitigandam, & vapores discutiendos agentibus, oscitatio nascitur. *Imaginatio, causa Oscitationis.* Quæ & ex imaginatione, si quis alium oscitantem videat, vel de ea cogitet, sic ad eam quoq; faciendá veluti inuitatus, oritur: faciliùs tamen in pigris & somnolentis, seu dispositis, quàm alijs. Sed & eadem causa à lassitudine musculorum, oculos palpebrasque mouentium & vaporibus, circa eos, collectis, dependens nictationem dictam oculorum parit: quæ non tantùm pandiculationi & oscitationi aliquando copulatur in pigris, sed & per se semper, cùm somnus inuitat, oritur; idq; quòd ob continuum oculorum motum, semper illi lassi fiunt, tum quòd oculorum occlusio, quam oculorum hæc grauedo adeò impellit, vt etiá dormientibus clausi maneant, ad somnum rectiùs capessendum, necessaria sint.

Vapores halituosi, causa Palpitationis. Ab ijsdem halituosis vaporibus dictis, sed crassioribus & copiosioribus, in habitu corporis collectis, atq; exitum quærendo, hinc inde discurrentibus, palpitatio dicta, fit. Qui si sub catem erumpant, atque inter illam & subiectorum musculorum membranas vagentur, cutem hinc inde, vno aliquo vel pluribus locis attollentes, varieq; locũ mutantes, apparentem illic palpitationem, cum doloris interdũ sensu efficiunt. Si verò sub musculis, illorumq; discurrant spatijs, & inquieti sint, faciunt vt membra nonnihil quoq; attrahantur, non tamen validè aut perseueranter, sicuti in spasmo flatulento dicto, fieri diximus; sed per interualla saltem, tunc quando flatus quasi in vnum locũ se colligentes, musculum impellũt, partem allicientes, sed mox eandé, refugientibus & cedentibus iterum flatibus, mittentes. Ita vt non immeritò, si ab hac causa membrorum hæc agitatio fiat, sicuti dictum est, flatulentæ conuulsionis mitior species, vel Palpitatio flatulenta dici possit: vti illa quæ neruorum irritatione fit, sicuti declaratum, Conuulsiua palpitatio. Cuius quoque flatulentæ palpitationis causæ, siue flatus aut vapores sint, non aliam originem, quàm eam quæ in spasmo flatulento proposita fuit, habent.

Imbecillitas musculorũ ea, propter quam ipsorum actio non penitus cessat, sed tantùm non sufficienter perfici potest, non omnimodam mouendi impotentiam, sed diminutam duntaxat efficit, deprauatè & cum tremore sese manifestantem. Idque quia dum membrum musculus attollere nititur, hocq; diutiùs

tiùs ob imbecillitatem retinere nequit, eo quidem ob grauitatem motu naturali relabente, musculo verò sursum motu voluntario retrahente; vicissitudine hac, & veluti contentione motuum inter se membro sursum deorsúmque agitato, Tremor appellatus nascitur: qui tantò maior erit, si membrū quod mouere debet, graue existat, vel minùs sequatur, & musculus ad mouendum aliquo modo etiam inuoluntarie incitetur: vti obseruamus aliquibus, etiamsi membra quiescunt, nihilominus tremere.

Spiritus animalis defectus, causa Tremoris.

Accidit autem hæc ipsorū debilitas nonnunquam, ob spiritus animalis defectum, non absolutum, vt in paralysi, sed talem saltem, quo sensus tactus adhuc quidem communicatur, sed musculis vis mouendi non sufficiens, subministratur: cùm maior ad motum, quàm sensum tactus illius portio requiratur. Quod absumptis illis interdū accidit, vnde tremor perseuerans oritur. Idq; vel ratione ætatis, vnde senes fiunt tremuli: vel morbi grauis & diuturni causâ, post quos sæpè diu tremunt: vel euacuationis immodicæ, per venerem præsertim, sanguinis profusiones purgationes, laboresq; magnos. Aliàs verò dissipatis duntaxat spiritibus, donec illi redeant, tremunt. Vt per animi affectum vehementem vel subitaneum, in tremore, timore, ira, gaudio, aliquandiu tremunt. Et in motu valido vel celeri, vt cùm grauia onera gestant, vel aliud aliquid, quod supra ipsorū vires est, agunt, tremūt: & cùm labores graues perpessi, quiescunt, aliquandiu membra nimiùm defatigata tremūt. Impeditis quoq; spiritibus, nondum tamen penitus interceptis, vt in paralysi, vnde resolutio musculi perfecta sequitur; sed ex parte duntaxat, imbecillitas quæ in musculo nascitur, tremorem causans, qui & tunc veluti diminuta quædā est paralysis, ab ijsdem causis nervum, vt in paralysi, nō tamen adeò potenter afficientibus, nata: præsertimq; ab humoribus excrementitijs neruos occupantibus, profecta. Sed & alij neruorū affectus, nō spiritus intercludendo, sed neruos aliâ ratione labefactando, lædendóve, tremorē inducunt. Vti si ab humoribus excremētitijs, sicuti dictū, non tantùm spiritus intercipiendo,

Neruorū læsio, causa Tremoris.

imbecillitas hæc in musculo tremorem causet, sed & irritando neruum ad motum, qui in tremore fit, nonnihil impellat, vnde & auctâ causâ vel perseuerante, tremor in conuulsionem sæpè desinit.

Quod si nerui quoq;, narcoticis nimiùm aut sępè assumptis, ex stupore illo, tandē eam imbecillitatē contrahant, vt & musculi ipsorum causa labefactentur, tremor etiā ab hoc ipsorū affectu nascitur: Sicuti non tantùm ex opij, aliorúmve fortiorum vsu, sed ex suffitu hyosquiami, aliquibus accidit. Et ex vini vi narcoticâ, illos qui ebrietati indulgent, tandem tremulos fieri, obseruamus: quòd tamē ab aquæ frigidæ potu, quā ebrij mane ad sitim ex vino conceptā, restringendam, bibūt, proficisci, ne à vino abstinere cogantur, sibi persuadent: quam ipsorū suspicionem illud quóq; auget, quòd cùm ieiuni adhuc sunt & sobri, tremunt, & postquam vino rursum incaluerunt tremor cessat, vel saltem minus se exerit: quod tamen non, quasi vinū in causa nō sit huius tremoris, accidit: sed quòd dum vinum calorem corporis adaugens, actiones ipsius vegetas reddit, vt quamdiu ex vino calet, & veluti reficitur, eam imbecillitatem, quæ aliâs semper remanet, minus sentiat, eâ ratione, vt cibo vinoq; refecti, robustiores facti, minus tremant in causa existit.

A Venenatis alijs, neruis potissimùm insidiantibus assumptis admotisq;, eadem ratione tremor aliquando nascitur. Vti ex hydrargyri suffitu (non contactu, vti aliqui voluerunt) aurifabris in inaurandis vasis, si sibi non caueant, sed illū hauriant, interdū contingere solet. Ob quam causam etiam in lue venerea cinnabari suffumigati, præsertim si tunc quoq; vinū bibant, quo facilè imbecilliores iam prius facti nerui, læduntur, in tremorem sæpè incidunt. Quod & illis frequenter euenit, qui in eodē affectu hydrargyro inuncti, tremorem inde adipiscuntur. Quæ ab hydrargyro profectæ læsiones neruorū, vel ab antipathiâ illius cū neruis, proficiscuntur: vel à proprietate illius aliâ illi ferè propriâ, quâ humores cōmouens, eos ad fauces propellendo, expuitionē copiosam mouet, ac ad superficiē & extremitates corporis propulsando, neruos quoq; afficit; eoq; grauius, si

humores qui promouentur, praui existant, nec per sudores decenter expurgētur, à quibus etiam, si vehementiùs nerui patiantur, convulsiones, quæ curas hasce, hydrargyri vsu factas sæpè sequuntur, post tremores patiuntur.

Ab ortu vitium aliquod in neruis esse potest, vnde trementes aliqui nati sunt. Sicuti exemplo cuiusdam priùs demonstratū fuit. Quod quale fuerit, ęgrè explicari potest, cùm nihilominus tremens, sua munia longo vitę curriculo peregerit, vxoremq; duxerit.

Curatio.

CVrationem pro diuersitate generum diuidimus: & in singulis quid faciendum sit, explicabimus.

Convulsionis curatio. In convulsione tàm generali, quàm particulari, quid agendum sit, in convulsionibus edoctum fuit. In convulsiua quoque palpitatione dicta, quatenus hæc convulsiones veras minatur, ijsdem adhibitis præsidijs eam præcauere, studebimus: illius verò motus causâ, nihil peculiare, cùm non adeò vrgeat, membris adhibetur.

Inquietudinis ex mētis perturbatione, curatio. In inquietudine; si illa ex mentis perturbatione nata sit, quid tùm ratione morbi, tùm huius etiam symptomatis, cuius causa, quomodo soporiferis compesci, & vi adhibitâ coërceri debeat, in mentis alienatione explicatum fuit.

Inquietudinis ob dolorem, curatio. Si ob dolorem inquieti sint, tunc anodynis dolorem mulcendo, & soporem, ac si vehementius vrgeat, stuporem inducēdo, vnà cum dolore inquietudinem, emendamus.

Inquietudinis propter calorem, cura. Ob calorem verò non solùm cordis & cerebri, sed & totius corporis in febribus, si inquietudo oboriatur, tunc symptoma hoc, quia vires deijcit, ad se curam trahit. Quæ tamen non aliter quàm quæ febribus in restinguendo incendio adhiberi solet, vsurpatur, nisi quod hîc remediorum vis augenda, eoq; nomine cùm vrget cura, Sanguinis euacuationem & diuersionem, nisi quid obstet, copiosiorem molimur, vel eam reiteramus. Refrigerantium itidem qualitatem, tùm internis externisq; remedijs augemus: atq; quæ calorem augere possunt, vt nimia integumenta, auferrimus, & conclauia occlusa, aperimus. Et symptomatis præcipuè causâ, fricando corpus, vapores qui inquietudinē causant, vel augent, à neruoso genere diuertendo, & postea illud iuunctione spinæ, oleo Viol. Amygd. dulc. &c. leniēdo, iactationem illam corporis emendamus. Quod & fit, si ægros, ne nimio motu se debilitent, aut denudando sudores impediant, admoueamus: atque vt illos nonnihil compescamus somnum conciliemus.

In tremore pro ratione causæ procedendum erit. Et si ab animi affectu tremant: vel ob laborem viribus imparem, cessantibus illis, cessat & tremor.

Tremoris ob spirituum defectum, cura. Si verò spiritibus dissipatis vel absumptis ob senium, vel venerem, aliasq; profusas euacuationes, aut post morbos graues sequatur; tunc faciliùs est dissipatas, difficilè verò admodum amissas vires reparare. Quod tamen tentandum, curâ Reficiente dictâ, quæ potissimùm perficitur: Somno decenti & mediocri; Exercitio moderato & tempestiuo; quod &, si à labore vehementi tremor inductus sit, plus proderit, si leuiter obeatur, quàm omnimodum ocium: Animo læto; vel si ab affectu illius aliquo tremor remanserit, affectu animi contrario emendatur: Aëre sereno temperato, puro, odorato: Alimentis euchymis beneq; nutrientibus: spiritus item reficientibus, & calorem augentibus, vt Vino, quod moderatè sumptum adeò reficit, vt & à vino inductum tremorem, vti dictum, si assumatur, reficiendo, corrigat.

Tremoris à neruorum affectu, curatio. Quod si verò à neruorū affectu procedat, sitq; veluti imperfecta vel diminuta paralysis. Et ab ortu fiat, vel aliàs à graui affectu, incurabilis nonnunquā est. Si verò ab humore excrementitio neruos occupante procedat, non alia curandi ratio, quàm quæ in paralysi dicta fuit, & alijs cerebri neruorumq; morbis, ab excremētis genitis, inter quos & convulsio est, huic affectui curando adhibetur. Quâ si maturè vterentur, in eaq; perseuerarent, sine dubio citiùs quàm paralytici sanarentur: sed quia, nisi maximus sit tremor, eam negligunt, aut paucis contenti esse volunt, fit vt tremor non tantùm non cesset, sed & superueniente senio augeatur.

Sicuti itaq; in paralysi dictum fuit, ita hîc quoque

quoque procedendum, Corpusq; primùm generatim est purgandum, idque si persistat malum, certo tempore repetendum: Particularesq; euacuationes & diuersiones instituendæ: Alterantia quoque eadem propinanda: Atque extrinsecùs similia sunt applicanda: Thermæque, si non alijs cedat, imperandæ: Imprimisque cauendum, ne manus tremulæ frigori exponantur: aut aquâ frigidâ abluantur. Cuius loco decocto Saluiæ florum Lauandulæ, & similibus ablui possunt: inter quas lotiones, si Vrinâ partes abluantur manè, plurimùm iuuare docent.

A veneno si tremor originem sumpsit, quæ huic resistunt alexipharmaca, vsurpanda. Et si, quod frequentiùs fit, ab hydrargyri vsu hoc fiat, Theriacam exhibet, vel Cordialia medicamenta, quibus Auri limaturã permiscent; cùm aurum tantam affinitatem cum argento viuo habere dicant, vt si in corpore sit, aurumq; propinetur, illud adeò secum trahat, vt postea per secessum excretũ, purum in excrementis auro adhærere deprehendatur: quam ipsorum cognationem ex eo, quod in deauratione aurum non metallo, nisi interueniente argento viuo, adglutinari posit, desumpserunt.

Sunt qui sudoribus hydrargyrum è corpore se elicere posse, vt manifestè instar arenæ cuti adhæreat, & postea aqua ablutum, splendere iterum appareat, hac arte docuerunt; Si alternis in stupha diebus, vno die vino decoctionis Saluiæ & Absynthij effuso in lateres ignitos, altero verò Thure carbonibus iniecto, corpus suffumigantes, sudorem eliciant: & quoties balneo egrediuntur, Aquâ vitæ cum Melissâ destillatæ, corpus perfricent; idq; per dies 12. vel 14. continuent. Postea sex diebus oleo Sesamino & Vulpino se inungant, donec, vt inquiunt, arena prædicta cuti adhæreat. Nos verò qui argentum viuum in substantiâ, nec per suffitum illius nec per inunctiones corpus subire, vti neque alia medicamenta profitemur, sed viribus tantùm eò vsque deductis, id quod præstant, moliri, falsam hanc vulgi & Medicorum quorundam opinionem esse, licet admodum mentibus hominum impressa sit, & impostores supposito clanculum argento viuo, in emplastro, eam in vulgo confirment, iudicamus. Et in simili casu, vt aurifabri dum inaurant, extra domum in aëre libero sedeant, sicuti plerunque facere solent, vt ventus ab illis fumum procul arceat, imperamus. Et si argento viuo in cura opus est, vt illud decenter & moderatè administretur, iubemus. Quod si tamen tremor inde nascatur, eadem præsidia, topica præsertim; in paralysi dicta, quæ neruos roborando potiùs & nonnihil constringendo, vt vult Rondel. quàm insigni calore afficiendo iuuant, imperamus, partesq; trementes, decoctis supradictis abluimus.

A narcoticis, si tremor suboriatur, & illorum vis adhuc operetur, quomodo illa sit infringenda, in stupore dictum fuit. Si verò tremor remanserit, eadem topica dicta tentanda erunt, quæ roborando quoque calefaciant: non quòd refrigerati sint à narcoticis nerui, vti putant, sed quia stupidi cùm sint, calore excitantur. A Vino verò ebrietas si tremorem causarit, vel sponte cessat, si illa non adeò sit consueta: si verò iam diu fuerit continuata ebrietas, tremor inde natus ægrè ampliùs tollitur, præsertim, cùm tam peruersum habitum ebrij contraxerint, vt nisi se vino iterum impleant, eoque vti in causis dictum, incalescant, tremore magis diuexentur. Interea tamen temperantiâ & sobrietate vitæ, hoc genus peruersum emẽdent: remedia quoque neruos roborantia, tàm exhibita quàm admota, proderunt.

Rigoris ab humoribus acribus, cura.

In rigore dicto, si leuis sit, vel horror tantùm, cùm non adeò molestet, aut diutiùs perseueret, in eo emendando non est laborandum. Et si quoq; vehemens sit, cùm natura per illum in principijs febrium noxiam nitatur expellere materiam, nec tunc facilè compescendus, aut naturæ motus impediendus, vti neque si crisim præcedat: cùm, vt inquit Hipp. à causone rigore superueniente, fiat solutio.

Quod si verò adeò corpus exagitet, vnà cum frigoris sensu molesto, vt ægri eum cũ magna molestia patiantur, ab eoque debilitentur, tunc mitigandus potiùs, quàm peni-

tùs impediendus erit, cùm hoc non ſine detrimento fieri poſsit, rigoreq; omninò ſublato, totius febris decurſus ſiſtatur, vel vt nõ decenter fiat, procuretur: ita vt licet ea remedia, quæ rigorem non ſinunt erumpere, febrem ſanare credantur, ea tamen potius retardando, vt poſtea deterior ſequatur, vel in grauiora accidentia commutetur, faciant. Niſi fortè rigor ille inutilis, ex conſuetudine potiùs quàm causâ morbificâ, quæ iam ſublata ſit, perſiſtat; tunc enim omninò quoq; præcauendus. Sicuti hæc in febribus copiosè explicata ſunt.

Quâ ratione autem totius febris paroxyſmus, cum rigore impediatur, in febribus ſimiliter edoctum fuit. Ad mitigationem verò ſufficient ſequentia.

Si actu corpus nonnihil calefiat; nam dũ frigori proſpicitur, etiã rigor placatur. Quod in pedibus innoxiè magis fit: eos calefaciẽdo pannis aliiſve modis: vt Aquà calidâ in vaſe æneo: vel Lapidibus aut tegulis calefactis, & panno inuolutis.

Frictionibus & ligaturis extremitatum materiam diuertendo, rigorẽ emendamus.

Imprimis inunctionibus ſpinæ id præſtatur: oleis quibuſcunque calefacientibus & neruoſo generi accõmodatis: vt ℞. ol. Chamomell. Anethini, Hypericonis ana ℥.ß. Inungatur: manib. prius irroratis Aquâ vitæ.

Vel hoc modo: ℞. flor. Chamom. Hyperici, fol. Abrotani, ſiccorum, pult. ana ʒ.ij. Pyrethri ʒ.j. affunde olei Nucum q.ſ. vt integatur, Aqua vitæ ʒ. ij. coquantur, exprimantur. Inungatur ſpina.

Vel ex ſuccis & oleis: ℞. ſuccorum Artemiſiæ, Abrotani, ana ℥.ß. olei Anethini, Rutacei ana ℥.j. Aquæ vitæ ʒ. ij. Croci ℈.ß. coquantur parùm: fiat illinitio.

Theriacam permiſcent aquæ Vitæ & oleis, & inungunt ſpinam pleriq;. Alij, ſi magnum ſit frigus, aromata immiſcent.

Inunctio ex Araneis, ex febribus expoſita, vti & alia illic explicata, id quoque præſtant. Quibus & plantæ pedum fricantur.

Sunt qui ſtuphas, ſi febrilis calor non impediat, & rigor ſummè noceat, probant, ex decoctò Pulegij, Calamenti, Rutæ, Abrotani, Artemiſiæ & flor. Chamomil. & Meliloti.

In pandiculatione & oſcitatione, cùm hæc damnum inferre minimè poſsint, ſed potiùs iuuent, nullâ curâ illic opus erit: niſi quatenus, ſi hæc vnà cum laſsitudine ſpontaneâ, tanquam ſigna morbus prænuncient, vt hiſce occurramus, remedia nos adhibere admonent. *Pandiculatio- nis & oſcitatio- nis ab halituoſis vaporibus, cura,*

Si ex oſcitatione maxilla inferior facilè luxetur, vt eam nonnihil reprimant, nec adeò patulo ore oſcitent, imperamus. Vti & in pandiculatione, cùm nimis membra extendere inciuile ſit, eos membra nonnihil cohibere, ciuilitatis causâ potiùs, quàm vtilitatis, docemus.

DE RESPIRATIONIS DEFECTV.

CAPVT IV.

Genera.

DEFECTVS reſpirationis, cùm vel aboletur, vel difficulter fit, dicitur. Quòd & reſpirationi naturali; & expirationi voluntariæ ſiue vocali, in voce & loquelâ edendis, accidere poteſt.

Reſpiratio quæ inſpirando & exſpirando naturaliter continuò cordis causâ obitur, perſeueranter omninò aboleri, viuente homine minimè, ſed ad tempus ceſſare penitus poteſt, in Syncope verâ, & eâ quæ Vteri ſtrangulatum dictum, comitatur. In quibus caſibus, quamdiu animus, vt vocant, ſeu vita, aut vitalis motus potiùs, in illis deficit, tamdiu nulla penitus in illis ſentitur reſpiratio; vel adeò obſcura eſt vt nullam aëris efflationem pennâ etiam naribus admotâ, aut motus veſtigium in poculo aquâ pleno pectori impoſito animaduertere liceat, ſed mortuorum inſtar, ſine omni motu & ſenſu iaceant. *Reſpiratio abolita in Syncope.*

Difficulter autem reſpiratio ſæpè procedit, quando cum magno labore & impedimento, eam ducunt. Et ſi hoc cum intenſo conatu fiat, ita vt in ſuffocationis verſentur initio. Suffocatio & Strangulatio appellatur, quæ etiam niſi ceſſaret, ſequeretur. In quo periculo, quia cùm decumbunt magis

verſan-

versantur, vt illud auertant, erecti, thorace eleuato, rectâque ceruice spirare coguntur: tuncq; Orthopneumatici vocantur, & quia si corpus mouent, concitatiore factâ respiratione, magis anguntur, quieti esse coguntur. Aliàs verò minori angore, difficulter tamen quoq; spirant, Dyspnœaq; simpliciter appellatur: exspiratione interdum, in spiratione quandoque, plus laborantibus, aliàs ambobus simul impeditis.

Strangulatio ab externis.

Diuersimodè autem dyspnœa vel strangulatio se offerunt. Aliàs enim concurrente aliquâ causâ manifestâ, à qua etiam vt in causis dicemus, nascitur, & se prodit.

Suffocans catharrus.

Interdum catarrhum comitem habet spirandi difficultas: in quo & nonnunquam, respiratione omni subito interceptâ, suffocantur; diciturque hoc malum Catharrus præfocans aut suffocans.

Asthma.

Frequenter cum pectoris affectibus, tussi, stertore, copulatur in Asthmate dicto; in quo cum difficultate, crebram, ac si nimio motu fatigati essent, ducunt respirationem, vnde Anhelosi & Suspiriosi dicũtur, tussiũtque sed nihil purulenti expuunt: & in pulmonibus interdum fistulatio quædam vel stertor auditur: hocq; malum vel continuò vel leui ex causa ipsos inuadit, repetitque & suas habet exacerbationes, diuturnumque est, & pertinax.

Angina.

Cum difficultate transglutiendi dyspnœa nonnunquam iungitur, doloriq; vel molestia in faucibus & collo simul adsunt, præsertim in Angina dicta, vel Cynanche, quia ob impeditam respirationem, ore aperto canum instar hiant; quem affectum febris aliquando comitatur.

Suffocatio & dyspnœa in Apolexia, Paralysi, Spasmo.

Aliâs quoq; cum resolutione totius corporis in apoplecticis, respiratio summè laborat, & ęgri suffocantur, vti illic dictum est. Dein & aliquando cum paralysi, vel spasmi aliquâ specie, sicuti illic dictum, dyspnœa iungitur. Vt tunc cùm validè expirare volunt, quod ad vocem altam edendam requiritur, & ad risum, ploratum, clamorem, vel ad tussiendum impulsi, potenter exsufflare coguntur: quod, quia ob causas illic explicatas facere non possunt, in suffocationis incidunt periculum.

Suffocatio vteri

Vterini affectus, Suffocationis veteri seu Strangulationis aut Præfocationis dictæ, eam speciem, interdum præcedunt, quâ subito præhensi, respiratione aliquando penitùs sublatâ, aliàs admodum impeditâ ita anguntur, ac si fauces vinculo stringerentur, quas sic affectas Hystericas vocant.

dyspnœa in partium naturaliũ vitijs.

Ventris tumor, distentio dispnœæ quoq; adsunt, in naturalium partium vitijs: maximè verò in Hydropicis, quibus dyspnœa admodum molesta est, ita vt erecti orthopneumaticorum instar, spirare cogantur, & decũbentes in suffocationis versentur angore.

Incubus.

Est & nocturna quædam; dormientibus eueniens suffocatio, Pignalion dicta, vel Incubus, quia à re aliqua incumbente & comprimente, se suffocari putant & somniant, & vigilantes postea illud ab hoste, vel venefica, vel dæmone se passos, ab illisq; se inuasos & oppressos, vnde Ephialten vocant, existimant, & nonnihil, aliquamdiu delirantes, sibi persuadent.

Vocis defectus in dyspnœa

Vocis defectus in Paralysi.

Vox, siue expiratio vocalis, quam ex arbitrio nostro penitùs omittere possumus, nõ tamen reddere, nisi exspiratio accedat, aboleri respirationis causâ diutiùs, cùm nec respiratio diu cessare posit, minimè potest. Obscurè tamen eam edi, illius causâ contingit, si respiratio admodùm sit exilis. Frequẽtiùs verò vt clara & elata admodùm vox proferri nequeat, in dyspnœa euenit. Verùm nõ impedita expiratione, vox nihilominus à nobis interdum exprimi nequit, vel aliàs quoque tacitè & demissè tantùm proferri. Quæ ambo in paralysi nonnunquam accidunt, alijs quoq; tunc motibus, vti illic explicatum, simul læsis. Aliàs verò citra hanc, vox aliquamdiu deperditur, rursumque redit: sicuti memini excellentem Medicum, Theodorum Zwingerum, compatrem meum & collegam, cùm in schola parentis mei Thomæ Plateri, communis nostri præceptoris versaremur, aliquoties ita obstupuisse, vt ne verbum quidem; etiam cum comminatione interrogatus, respondere potuerit, & sic mutum & attonitum domum redijsse, sensibus alioquin integris: quam speciem Apolipsin, Hippoc. Aphoniam, vocant; aliqui ad Catalepseos

Aphonia.

species

Vocis defectus cum dolore faucium. species referre voluerunt. Interdum & in voce deperdita, vel debili, dolor in faucibus tumor aut aliud vitium sentitur; nonnunquam & apparet.

Loquela, sive articulatavox, studio & voluntate nostrâ intermitti potest. Loqui verò, nisi vocalis accedat respiratio, minime possumus. *Loquela defectus, deficiente Voce.* Et proin vocis defectus, vt iam dictum, causâ, loquela vel aboletur, vel non sufficienter editur. Verùm & citra vocis impedimentum, loqui interdum non possunt, *Muti.* & Muti dicuntur, in resolutione vel privatâ linguæ, aut cæteris quoque partibus communi. *Muti & surdi.* Interdum & Muti & Surdi simul ab ortu existunt. *Balbuties.* Frequenter verò certas syllabas aut literas, eas præsertim, quæ vt efferantur, linguæ varia inflexionem requirũt, vt in R. & S. cum stridore vel sibilo efferendis, cùm non exactè possint exprimere, balbutiunt, Blesiq; dicuntur. Quod & cum labiorum vel dentium aut faucium vitijs aliquibus accidit.

Causæ.

Cerebri causâ suffocatio in Apoplexia. CAusa omnis sublatæ vel diminutæ respirationis, vocis & loquelæ, quomodo sensibus omnibus sublatis in apoplexia, ratione cerebri affecti, & in epilepsia etiam, hæc deficiant, in mentis consternatione explicatum fuit.

Cordis causâ, respiratio abolita in Syncope. Qua ratione quoq;, quamdiu cordis motus cessat, tamdiu & respiratio cessare possit, cùm ea tunc non opus fuerit, vti verò si illa impediatur, cordis motu non priùs desinente, hominem mori necesse sit, in syncope ostendemus.

Verùm si citra partium principum, cerebri & cordis affectum, hæc deficiant. Fit hoc ratione neruorum, vim deferentium; Vel musculorum mouentium; Vel instrumentorum aliorum, motum efficientium & adiuuantium.

Neruorum linguæ affectus, causa, quòd Muti interdum & surdi fiant. Neruorum affectorum occasione loquelam vocem, & respirationem labefactari posse, in motus impotentia, priùs explicatum fuit, resolutis tunc vel contractis ipsorum musculis, à causis illic enarratis. Vt loquelam priuatim interdum aboleri, coniugatione tertiâ, quæ linguæ neruum efficit, affectâ, & si noxa magna sit, præsertim ab ortu conformationis vitium auditum tunc ferè simul tolli, ob illius cum ramo dicto cõmunicationem. *Neruorum recurrentium affectus, causa Loquelæ defectus & Vocis.* Idem etiam fieri, si sextæ & septimæ coniugationis nerui, recurrentis dicti, rami musculos linguę implicantes, patiantur. Et si hoc in eorundem neruorum recurrentium propaginibus, laryngem implicantibus fiat, vocem tunc quoq; cessare, factum Anatomicorum, qui experiundi gratiâ, recurrentes vinculo in porco exceperunt, manifestè declarat. Quæ aphonia, neruorum recurrentium causâ, à causis internis nata, rariùs priuatim voci accidit: & si fit, vel à vapore tantùm aliquo crasso, vti voluerunt, vel defluxione eò solummodo delapsâ, proficiscitur. *Neruorum 6. & 7. coniugat, affectus, causa dyspnϾa cum Paralysi.* Frequentiùs verò hoc vitium voci & loquelæ in paralysi, à causis dictis, vnà cum alijs quoq; motuum impotentijs, accidit. Quibus & respirationis impedimentum illud, quale in voce validâ, vociferando, ridendo, eiulando, tussiendo, sternutando, edendâ, sese offerre diximus, interdũ accedit, si reliqui rami, intercostales musculos implicantes, affecti simul sint. Rariùs enim respiratio sola, & separatim citra alias læsiones, neruorum causâ, defectum patitur: cùm septum transuersum, cuius motus ad moderatam respirationem sufficit, neruos, vti illic explicatum fuit, non solùm à cõiugatione neruorum dictâ, sed & à dorsali medullâ insignes vtrinq; neruos, à primis illius paribus inuicem iunctis, progressos, & ad septum descendentes, acceperit. Quam ob causam, non nisi & dorsali medullâ & cõiugationibus simul læsis, quod vix, nisi circa exortum in cerebro, vt in apoplexia dictum, fieri potest, respirationem cessare contingit. Vti neque in paralysi impediri, nisi læsio vtrisque, & paribus & coniugationibus neruorum accidens, & ad septi quoque pertingens neruos, pluribus motibus incommodet. *Septi nerui defluxione molestati, causāt asthma occultum.* Fit tamen etiam, vt maiores præsertim nerui septi, à dorsali medullâ progressi, defluxionibus aut alijs morbis separatim & soli infestati, dyspnœam quandã pariant: qualem in astmaticis, nullis alijs pulmonum affectorum indicijs apparentibus, continuò ęgrotos infestare, obseruauimus.

Muscu-

Musculorũ linguæ affectus, causa Loquelæ defectus. Laryngis musculorũ affectus causa Vocis defectus.

Musculorum causâ, respiratio naturalis & vocalis deficit. Veluti loquela, si musculi linguam mouentes; (nam de linguæ vitiis, quatenus instrumẽtum est, quod mouetur, postea agemus) vox si laryngis musculi, defluxionibus molestati, officium suum, illi linguam mouẽdo, hi rimulam laryngis, pro diuersimodâ voce edendâ, dilatando arctandoque, facere minimè possint. Vel si hoc ex inflãmatione ipsorum aut tumore alio, functionem ipsorum impediente, accidat.

Thoracis musculorum affectus causa Dyspnœa.

Respirationis verò naturalis defectus, thoracem constituentium & mouentium musculorum morbi causâ, interdũ accidit: nec tantùm, cùm validam exsufflationem facere volumus, quod potissimùm hi musculi præstant, respiratio detrimentum capit, sed & si causa magna sit, naturalis quoque inspiratio impeditur. Idque ferè à defluxione, in musculos thoracis atque intercostales, defluente, vnde magna sæpè pectoris angustia, cum dolore sequitur. Quod & fit, si hi musculi contusi vel inflãmati sint, vnde tumores & dolores extrinsecùs sese offerunt: & si abdominis musculis, qui thoracem etiam mouent, excrementaque exprimunt, hoc accidat, conatum illum vehementem, qui ex spiritus retentione, & musculorum horum presione, in excrementorum egestione, requiritur, edere ampliùs nequeunt.

Septum transuersum per se affectũ, causa Dyspnœæ.

Septum transuersum, cùm naturalis respirationis præcipuum sit organum, si lædatur, non solùm per consensum neruorum illius, sicuti prius declaratum est, sed per se, tunc respirationis læsæ potissima causa existit. Fit autem hoc, præsertim si defluxio, quæ in neruos illius decumbit, vel in intercostales musculos delabitur, ad septum quoque pertingat; vnde vehementer aliquos angi vidimus. Aliis verò morbis si petatur, septi motus potiùs deprauatur, quàm debilitatur, sicuti illic explicamus. Licet & fieri possit, vt septo transuerso, quia liberum in interioribus latens, interno calori vndique expositum est, in causa exiccato & constricto, eo nomine dyspnœa, quę in febribus hisce sæpè euenit, oriatur. Frequentiùs autem motus illius impeditur, si à vaporib. flatibus, humoribus, aut viscerib. vicinis, molestetur.

Septum trãsuersum per cõsensum affectũ, causa Dyspnœæ.

Vapores quantitate aut qualitate manifestâ vel malignâ & venenatâ, in ventre inferiore suscitati, & circa hoc interstitium transuersum seu septum collecti, illicq; donec vlteriùs ferantur, aliquamdiu subsistentes, & illius liberum motum, qui in respiratione requiritur, variis modis, præsertim si copiosi sint, impedientes, nunc dyspnœam, nunc suffocationis metum inducunt, aliaq; insuper accidentia: Tùm quòd septum magnum consensum cum corde ob pericardium, tùm cum cerebro, quia neruosa est pars, neruosque insignes possidet, habeat. Vnde fit, vt si molestetur, non tantùm respirationi obsit, sed & cordis & cerebri quoque accidentia sequantur: eoque magis, si vapores vlteriùs ab eo ad hasce quoque partes pertingant: quòd, si maligna aut venenata illis insit qualitas, facilè potest contingere: quemadmodum & hæc septo non offenso, hisce partibus aliàs incommodare solent: vti in sensuum internorum læsionibus diximus, & cordis affectibus ostendemus. Quæ tamen accidentia, vaporibus, septi motu, repulsis, aut alioquin discussis & dissipatis, aut refugientibus, mox cessant; nisi ex continuo causę appulsu, septum adeò molestetur vel inficiatur, vt vel permanens aliquis sequatur affectus, vel mentis functionum, quæ septi vitio lædi solent, (sicuti eo inflammato phrenitidem sequi videmus, vnde phrenas, id est, mentem septum vocarunt) grauissima accidentia sequantur; vti epilepsia, mania, & tandẽ cerebro diu multumque percusso, apoplexia: quæ mala, hæc suffocationũ symptomata, per paroxysmos aliquoties inuadentia, præcedere & præsagire solent.

A' venoso autem genere, eiusmodi vapores, vt à sanguine crudo, impuro, prauo & maligno, nondum tamen putrido, (alioquin febris fieret) plerumque suscitari, in mania & epilepsia ostensum est. Quemadmodum enim illic, diuersimodè hinc inde in corpore, à sanguine in venæ portæ & cauæ ramis collecto, tales excitati vapores, cerebrum molestantes, enarrata procreant accidentia; sic & in ventre inferiore potissimùm, tanquam sentina excrementitij sanguinis, col-

lecti, sursumq; magnâ copiâ affatim septum petentes, illudque molestantes, vel suffocationem tantùm, vel alia insuper, vti dicetur, procreant incommoda.

Vapores à venis meseraicis septũ afficientes, causa Incubi.

A venis autẽ meseraicis, maioribus præsertim, vndique, circa præcordia ad viscera, dispersis, & in quibus, propter primæ concoctionis multa excrementa, sanguis impurus faciliùs colligitur, vapores eiusmodi aliquando exurgentes, & circa septum subsistentes, suffocationem, quam Incubum vocant, procreant. Qui noctu potiùs, tunc cùm concoctio fieri debebat, inuadit: quòd eo tempore vapores praui illic collecti, plerunque, accedentibus cruditatibus, augeri mouerique, & sursum ferri, & propter decubitum magis angere soleant. Vnde per insomnia, angustias hasce sentientes, causas varias, vnde hæ proficiscantur, somniant, sæpeq; si mens ab illis insuper nonnihil affecta sit, excitati, in eâdem manent persuasione. Et licet excitatis erectisque, discussis tunc vaporibus cesset malum, sæpè tamen, si fomes mali remaneat, repetens, tandem cerebro grauiora, vti dictum, minatur atque adfert accidentia. Cuius certè mali causa, à prauâ victus ratione, eâq; diu continuatâ, vti in aliis affectibus, à vaporibus illic quoque pronatis, potissimùm in melãcholiâ hypochondriaca & febribus intermittentibus, quemadmodũ in illis ostendimus, dependet. Pueris proin & adultis, qui in victu citiùs & diutiùs delinquunt, consuetus hic affectus.

Vapores ab vteri venis, septum afficientes, causæ suffocationis vteri.

Ab vteri venis hoc frequentiùs in fœmineo sexu proficiscitur, in strangulatu vterino ob id dicto. Quæ cùm à venæ cauæ ramis deductæ, & plures & magnæ, vterum illiúsque membranas perreptent, si in illis illuuies sanguinis, quæ à tota illius massa, in impuris corporibus eò repurgari solita est, vt stato tempore per mẽses expurgaretur, subsistat, quod suppressis mensibus innuptis frequentiùs, nuptis non tam facilè, ob congressum fieri solet, vaporesque inde septum petant, suffocationis vteri diuersa producũt genera, prout septo, & vicinis, aut illi consentientibus partibus incommodat, & vaporum illorum copia naturaque diuersa existit. Nam si septo tantùm noceat, vel dyspnœam solummodo si minor sit copia aut offensa, vel si maior, suffocationis tantùm agonem parit. Quod si verò ventriculo, septo per stomachum continuato, simul noxam adferat, tunc cum dyspnœa & compressione orificij ventriculi, quod cor vocant, nausea, vomitu, vertigine, & capitis dolore per consensum factis, hysterica accidentia sese proferunt. Qualia in grauidis mulieribus, in primis mensibus, fœtu nondum adaucto, nec sanguinem retentum absumere valente, maximè si impurus sit, euenire solent pathemata: à quibus & se grauidas esse indicium desumunt. Longè grauiùs afficiuntur fœminæ hystericæ, si cordi simul ob communionem, vti dictum, vapores hi, venenati præsertim, cõmunicati, detrimentum quoque adferant. In qua specie penitùs cessante cordis motu, omnis quoque cessat respiratio, & veluti syncope prehensæ, sensim ad terram labuntur virgines, & in eâ accessione, aliæ breuiore, aliæ horæ etiam spacio, antequam ad se redeant, detinentur. Aliàs verò septum, ob consensum quem cum cerebro, vti dictum, habet, vel vtrumq; simul, ab hisce vaporibus affectum, cum strangulatione vterinâ dictâ, furor vterinus appellatus, vel conuulsiui motus, aliæque cerebri offensi læsiones, sese manifestant.

Quæ omnia non solùm ratione partium affectarum, sed si venenata simul accedat causa, pro veneni diuersâ naturâ, quâ huic illíve parti potissimùm insidiari solent, variare quoque possunt. Quemadmodum sanguinem vitiosum, vapores eiusmodi expirantem, à causis diuersis generari, & circa vterum colligi, in vterinis aliis affectibus exposuimus. Inter quas & semen retentum corruptumq; non minimam causam in virginibus, quibus hic affectus familiaris est, esse crediderunt: quod tamen, quamdiu in propriis vasis continetur, vix potest fieri, & si ex illis effusum, retentum sit, erosionem potiùs illius loci, quàm talia procreat accidentia, sicuti alibi explicabimus.

Flat⁹ septum impedientes, causa dyspnœæ.

Flatus abdominis capacitatem implentes, quia illud vt & septum, quod illius superiora occludit, distendunt, dyspnœam causant. Quod & ventriculi & coli, ventriculo

ſuccumbentis, à flatibus inflationes, ob vicinitatem & adhærentiam cum ſepto efficiũt: atque inde proficiſci, murmure & tenſione illius loci, cognoſcunt. Incubum verò ab iiſdem flatibus aut craſsis vaporibus, vt ſcribunt, minimè fieri, vti voluerunt, longè grauiora, quæ tunc eueniunt atq; inde ſequuntur mala, ſatis declarant.

Humor ſeptũ occupans, cauſa dyſpnœæ. Humor aquoſus abdomen quoque diſtendens, thoracisque inferiores coſtas diducendo, ſeptum extendens, in hydrope aſcite, ſpirandi difficultatem parit: ſicuti in hydrope declarabitur. Humorem verò qui in thoracis cauitate colligitur, pulmones impediendo potius quàm thoracem, dyſpnœã cauſare, mox in pulmonibus oſtendemus.

Viſcera ſeptũ impedientia, cauſa dyſpnœæ. Viſcera ſepto ſubſtrata, & adnata vel appenſa, ſi molem nimiam acquirant, pondere ſuo ſeptum trahendo, liberè moueri non ſinunt. Vel in decumbentibus, illi incumbentia, illud premendo, impediunt. Sicuti cùm hepar, lien, obſtructa, indurata, & in molem aucta, in hydropicis, ſummam illam reſpirationis difficultatem, quæ hydropem antequam tumor appareat, diu ſæpè ante prodit, quâ recumbentes infeſtantur, erectiq; ob id ſedere coguntur, cauſant: adaugente ſimul eam ventris tumore, ſicuti iam dictum fuit.

A' ventriculo, cibo nimiùm impleto, dyſpnœa etiam euenire poteſt, quæ tam diu angit, donec aſſumpta digerantur, vel vomitu reddantur, aut ructu leuentur. Quod cùm non ſuccedit, ſitque magna repletio, ſuffocari poſſent. Quod vt ab ingeſtorum quantitate, ſic qualitate quorundam ciborum, vt fungorum qui ſuffocare ſolent, poteſt accidere.

Inſtrumenta per quæ reſpiratio, vox & loquela obeuntur, vel reguntur, ſunt Cauitates oris, narium & faucium, aërem ad omnia tria præſtanda continentia. Partes in ore poſitæ ad vocem articulatam, ſeu loquelam edendam: motu ſuo, lingua: vel modulatione, columella & dentes. Ductus ſeu fiſtula à faucibus ad pulmonẽ delata, vocem edens, reſpirationiq; in aëre deducendo inſeruiens, aſpera arteria. Viſcus ſeu follis, motu naturali ad reſpirationem aërem ſuſcipiens & exprimens, pulmo. Thorax, cum pulmone cui ſe accommodat, motu voluntario idem præſtans.

Oris & narium obturatio, cauſa Suffocationis. Oris, narium & fauciũ amplitudinis cauſâ, hi defectus contingunt. Si os & nares ſimul ab externis corporibus, vel aquâ obturata ſint. Vel alioquin, dentibus conſtrictis, os aperiri non poſsit, naribus interim muco oppletis; quo nomine in ſuffocationis periculo verſantur interdum apoplectici, & epileptici, præſertim cùm alioquin obſcura in ipſis fiat reſpiratio. Quòd ſi verò nares tantùm muco, aut aliis occludantur, cùm ore aperto ſpiritum haurire queant, impedita tantùm tunc, cùm aër non ſufficienter intromitti poſsit, nonnihil eſt reſpiratio: ſeu potiùs, quia cita tunc fit, deprauata, voxque inconcinna editur. Faucium poſteriore amplitudine ſimiliter obturatâ, pręſertimq; circa ipſius anguſtias, in quibus vel minimum hærens, negotium faceſsit, idem euenit. Idq; præſertim, ſi tumore in ſuccingente tunicâ aut muſculis faucium, & laryngis, aut glandulis, vel columella nato, vel ab uvulâ delapsâ, introitus in fiſtulam & gulam occupatus, obſtruatur. Vel ſi luxatis ceruicis vertebris introrſum (quod in primâ, quæ laxè cũ capite articulatur, & ob capitis pondus magnos motus ſuſtinet, frequentiùs fit) hæ viæ arctentur: maximè ſi tunc nerui ſimul & aſpera arteria comprimantur: A' quibus accidentibus nec reſpirare ſufficienter, aut vocẽ edere vel loqui, vel deglutire, interdum accedente quoque dolore, poſſunt: ſicuti hæc in angina, cuius etiam, ſi à luxata vertebra fiat, ſpecies eſſe dicitur, aliisque dolorificis faucium morbis explicabimus.

Fauciũ anguſtiæ occluſæ, cauſa Suffocationis.

Linguæ exiccatio, cauſa Balbutiei. Linguæ occaſione loquela defectum patitur: ſi illa, quatenus inſtrumentum muſculoſum eſt (nam de reliquis ipſius muſculorum læſionibus iam diximus) nimiũ à cauſis, in guſtus læſione explicatis, exiccetur & induretur: cùm enim tunc in certis literis efferendis (quæ vt planè exprimi poſsint, magis variam illius flexuram requirunt) ſufficienter volutari nequeat, dum verba formant, balbutiunt. Quod & tumore ſub eã nato; Vel ſi illa intumeſcat, aut inflãmetur, accidit. Aut alioquin ſi ab ortu molem nimiam adepta ſit, quæ ſæpè tanta eſt, vt loqui

Lingua nimiùm adducta, cauſa loquelæ impedita.

omnino non possint. Familiare vitium fatuis quibusdam, qui ab ortu stulti & muti nascuntur, sicuti in mentis alienatione dictum fuit. Quod etiam si nimis parua formata sit, accidit: Vel si amputata sit, aut mutilata: ex supplicio, vel casu alio, & in conuulsionibus linguâ mordicus prehensâ, ac dentibus præmorsâ. Ligulæ etiam illius causâ, quâ nectitur, si ea nimium astricta sit, nec sufficienter modò natis soluta, ita vt linguæ liberiorem motum impediat, idem sæpè euenit.

Lingua diminuta, causa Loquelæ defectus.

Ligula sub linguâ astricta, causa Loquelæ defectus.

Columella cùm plectrum vocis sit, si illa desit vel mutilata sit, voci incommodat. Vti & cùm Dentes anteriores absunt, cùm linguæ motui in pronunciatione quarundam literarum resistere debeant, idque in ipsorum penuriâ fieri nō possit, balbutiunt nonnihil.

Columellæ defectus causa Loquelæ defectus.

Dētium defectus, causa Balbutiei.

Asperæ arteriæ, quæ fistula est, per quam respiratio naturalis & vocalis editur, morborum causâ, respiratio, vox & loquela deficiunt. Nam si capitis illius, laryngis dictæ, rimula nimirùm astricta sit, quod membranæ occasione, in quâ illa scissa est, euenit, quando plus iusto ab aëre frigido, vel aquâ frigidâ, aut astringentium vsu, exiccata corrugataque est, tunc vox exigua, vel rauca editur. Quod & vocis impedimentum, ex diutiùs adhærente muco crasso accidit. Nam si penitus eo, vel alio aliquo illapso, vel per inspirationem attracto corpore illicque diutiùs persistente obstruatur, quod tamen, cùm tussi, quam subitò mouet, nisi propter acumen, res illic hærens infixa sit, cedere cogatur, rariùs euenit, ægrum suffocari necesse est: quemadmodum à musca in fauces inuolante, Adrianum Pontificem interiisse, historiæ testantur: nosque ab aureo floreno deglutito, infantem suffocatum, obseruauimus. Quid quoque patiantur illi, quibus aqua in hanc asperæ arteriæ fenestram, casu influit, & quam angustiam pariat, ac quomodo magnâ vi tussis eam inde per os, & per narium amplitudinem excutiat, sæpè videmus in aliis, & in nobis ipsis interdum experimur. Vix autem alio affectu laryngis, rimula laborat, nisi quando per consensum à vicinis impeditur, aut premitur, vt à luxatis ceruicis vertebris, de quibus iam dictum est. Nam vt relaxetur plus iusto, ab humore, cùm conueniens illi sit perpetuò madere, ægrè contingere potest: dilacerari illam cùm crassa sit membrana, impossibile: Vt & vulnerari, valde arduum.

Laryngis rimulæ astrictio vel obstructio, causa Vocis defectus.

Ductus asperæ arteriæ à capite illius ad pulmones vsque, si vi externâ, vt in œsophago dicetur, collo constricto, intercludatur, strangulationem adfert: & si luxatâ vertebrâ primâ ceruicis, prematur, dyspnœam, quam sextam anginæ speciem Hippocr. vocauit, parit. Vix aliâs ab illapsis, ita aspera arteria impleri potest, nisi circa rimulam, sicuti dictum, hoc fiat, vt spiritui via intercipiatur. Et qui submerguntur, non tàm ob aquæ influxum, quàm impeditum omnem aëris trāsitum, suffocantur. Et si quid in ductum hunc illapsum respirationi incommodat, id quia firmiter adhæret, tussim sine intermissione mouendo, respirationem impedit, eaq; ratione nocet.

Asperæ arteriæ fistulæ constrictio, causa Suffocationis.

Pulmonum morbi dyspnœam causantes, sunt illorum connexus & obstructio. Connexus pulmonum cum connexo thoracis per fibras strictior, eos liberè, quod verò requirebatur, moueri non sinit, anhelososque, præsertim dum se mouent, reddit. Quod quibusdā ab ortu, aliis post casum, vel pleuritidem euenisse, sectio tandē patefecit, cùm alioquin hoc non liceat, nisi coniecturis, assequi. Obstructis pulmonibus intrinsecùs, in asperæ arterię ramis, per pulmonum substantiam disseminatis, quia tunc aëri liber transitus interclusus est, difficilis sequitur respiratio. Hoc autem frequenter ab humore pituitoso aqueo, à capite, præsertim, dormientibus & recumbentibus, sensim sine sensu manifesto, per asperam arteriam ad pulmones defluente, prodire solet; qui in ramis illius angustioribus subsistens, & mucositatem acquirens, suâque visciditate vias obturās, respirationem, cum stertore & stridore, tussique aliquâ, difficilem parit. Et si propter tenacitatem excreari nequeat, affectum diuturnum, Asthma appellatum, facit: qui & nouâ accedente defluxione, eo tempore cùm hæc fit, vt noctu pręsertim, & tempore humido, ac post crapulam, suas habet exacer-

Pulmonum connexus cū thorace, causa Dyspnœæ.

Obstructio pulmonum, causa Asthmatis.

exacerbationes: Et si defluxio magnâ copiâ, subitò vias iam priùs occupatas, impleat, Catharrum suffocantem dictum efficit. Ab excremẽtis pulmonum pituitosis, illic continuò congestis retentisque & incrassatis, idem fieri potest. Sicuti enim cerebrum ob sanguinis copiam, qui sinus ipsius membranarum implet, si crudus sit, excrementa continuò colligit; ita & pulmones, quorum vasa sanguine plena sunt, si ille excrementitius sit, copiam illius coaceruat: vt non necesse sit omnem pituitam quæ expuitur, à cerebro, vti plerique putant, eò defluxisse. Vtraque autem hæc causa, ex pituitosa constitutione corporis, pituitæque redundantis indiciis & stertore, cæterisque enarratis læsionibus, facilè deprehenditur. Gypsea materia alba, dura, ex succo crasso pulmones nutriente, potiùs quàm pituitâ, quæ adassata viscida, & visci instar tenax est non friabilis, vti verò hæc est, nascitur, obstruendo intrinsecùs ramos, diuturnum asthma, in quo pituitæ nulla sunt indicia, parit: nisi fortè accedens defluxio congeminet malum, atque, vti dictum, suffocet. Quod & calculus ex seroso pulmonum excremẽto, in pulmonum angustiis natus, nunc friabilis, nunc durus, nunc planus, nunc inæqualis, & pro ratione vasorum, tophi instar formatus, eâdem ratione facere potest: quales aliquando sectione deprehensi; aliàs tussi post diuturnum & immedicabile asthma reiecti, quę fuerit causa, ostenderunt.

Thoracis affectus respirationi nocentes, præter enarratos ipsius musculorum, sunt, qui motui ipsius, vel pulmonum, vel vtrisque, cùm ambo hi motus ad respirationem faciendam requirantur, obsunt. Quod fit, si thorax extrinsecus illi incumbẽtibus comprimatur aut constringatur, cùm motui illius hæc adferant impedimentum: quod & astringentium vsu, foris pectori admotis fieri posse, vulgus Medicorum credit. Cartilagines costarum, quæ ad motum faciliorem edendum, circumferentiam pectoris ex parte componunt, si induratæ in substantiam osseam, reliquis costis similem conuertantur, quod senij causâ aliquibus, aliis citiùs, idque ferè mulieribus, mãmarum sustinendarum causâ euenit, quia tunc thorax sufficienter dilatari non potest; suspiriosos, accedente præsertim pondere mammarum, si mammosæ mulieres dorso incumbant, efficit. Ex costis, vna vel plures confractæ, introrsumque detrusæ, quia pulmonum dilatationi obstant, & thoracis motui quoque detrimentum adferunt, respirationi etiam incommodant. Quod & luxatis costis, & vertebris dorsi introrsum flexis, eadem ratione euenit. Quæ duæ læsiones, vti per vim externam costis accidere possunt, sic à valida corporis palpitatione cõfractam costam, quam ego potiùs luxatam crediderim, testatur Fernelius. Cauitas thoracis si pure repleatur, in empyemate & pulmonum corruptione; Vel aqua in hydropicis, in thorace exsudet. Aut sanguis ruptâ venâ eò defluat; si magna horum sit copia, quia thoracis, pulmonum & septi, vt priùs dictum, motibus detrimentũ adfert, dyspnœam parit. Quod & fortè à flatibus in pectore suscitatis, fieri potest: idq; accidere posse, ex murmure circa thoracem, nullo cum stertore in dyspnœa sese manifestante, in quodam colligere cœpi.

Thoracis compressio causa Dyspnœæ.

Cartilaginũ thoracis induratio, causa Dyspnœæ.

Costæ thoracis introrsum delatæ, causa Dyspnœæ.

Cauitatis thoracis repletio, causa Dyspnœæ.

Curatio.

SI cordis causâ, animo seu viribus delinquentibus, respiratio sublata sit, tunc cessante syncope, sponte rursum ad se redeunt. Quid autem syncopis causâ agendum sit, in virium defectu explicabitur.

Respirationis sublatæ in Syncope, curatio.

Cerebri affecti occasione, si apoplectici periculo suffocationis laborent, quid faciendum, in mentis consternatione expositum fuit. Vti & si conuulsis respiratio aliquomodo impedita sit.

Respirationis defectus in Apoplexia, curatio.

Neruorum causâ, si in resolutione & conuulsione particulari, respirationis, vocis vel loquelæ, fiat defectus, non alia cura, quàm quæ paralysi, & conuulsioni conuenit, hîc debetur.

Si à spasmo fiat, exhibendo ea atque adhibendo præcipuè, quæ ne conuulsio generalis sequatur, quo nomine maximè particularium harum cõuulsionum cura dirigitur, præcaueant: sicuti hæc in conuulsionibus sufficienter descripta fuerunt.

Respirationis vocis & loquelæ defectus in Paralysi & Spasmo, & Neruis particularib. affectis, curatio.

Etsi ex resolutione proficiscatur, proce-

dendum ſicuti in paralyſi explicatum fuit, per aſſumpta immiſſaque, corpus purgando & alterando.

Imprimis verò in hiſce caſibus, quæ ori & faucibus induntur, ſi loquela & vox deperdita ſint, remedia, cùm ſic ad partem affectam, linguam, laryngem illorumque neruos affectos, virtutem rectiùs tranſmittere queant, ſintque tunc non tantùm remedia, pituitam per hanc illi deſtinatam ſedem elicientia, ſed & quæ, cùm parti affectæ proxima fiant, alterando & abſumẽdo humorem in loco affecto, plurimũ iuuare poſsint. Vnde & peculiariter hîc competunt maſticatoria & gargariſmata: non quæ pituitam eò alliciant, ſicuti verò in paralyſi aliarum partiũ conferunt, ſed quæ ſiccando, vti dictum, potius humorem iam eo defluxum, exhauriãt.

Maſticatorium proin tale erit vtile: ℞. nucis Moſch. ʒ.ij. Piperis longi, Cubebarum, Galangæ, ſeminis Naſturtij, Sinapis ana ʒ.j. Salis, gummi Eleni ana ʒ.ß. Maſticis ʒ.j.ß. Terebinthinæ (quam valde prodeſſe docet) & Ceræ q.ſ. fiant formulæ, ſi Caſtorij ℈.ß. addas, erunt efficaciſsimæ.

Pilulæ hæ ſub lingua tota nocte retentæ, magni ſunt vſus: ℞. baccarum Lauri ʒ.j. Euphorbij, Caſtorij ana gr. vj. cum infuſ. gummi Tragachant. factâ in aqua Lauandulæ: fiant pilulæ.

Mitridato, addito Caſtorio, ſi lingua perfricetur, præſtantiſsimum erit remedium.

Collutiones oris ex Muria proſunt. Item ex Vino rubro, in quo Saluia maduerit, & Sal additum ſit.

Vel ſequens: ℞. rad. Acori veri ℥.j. Galangę, Cyperi, Coſti, Nucis moſch. ana ℥.ß. herb. Saluiæ, Maioranæ ana M.j. fiat decoctio in Aqua & Vino: adde ad gratiam Mellis anthoſ. q.ſ. fiat gargariſmus.

Aquam Ceraſorum nigrorum, magni facit vulgus in loquela deperdita, cùm exhibitam tùm ori inditam, ſed efficacior erit: ℞. aquarum Ceraſorum nigrorum, Lauendulæ, Saluiæ, Pulegij ana æquales partes; Colluat os frequenter.

Hîc quoque priuatim, ſi ſuccus Vrticæ auribus indatur, loquelam amiſſam reſtituere, aliqui ſcripſerunt.

Inter externa remedia, eadem quæ in paralyſi dicta ſunt, competunt. Et quæ inunguntur & peculiariter neruorum affectorũ origini applicantur, hîc in nucha, ſeu ceruicis poſteriore regione adhibentur: lateraque inſuper maxillarum nonnunquam ſimul inunguntur.

Metaſyncritica verò remedia, ſinapiſmi, dropaces, veſicatoria, cauteria, capitis poſteriori ſedi potiùs adhibentur.

Sanguinis è venis ſub lingua extractionem, in linguæ paralyſi, in latere ſano, probant, ſi adſit plethora; & cucurbitularum ſub mento applicationem. Quæ tamen occipitio adhibitæ etiam iuuant.

Exercere linguam motu multo, & nitendo loqui, iubemus: nam citiùs ad loquelam rectiùs proferendam, ſic impellitur.

Reſpirationis defect' muſculorum cauſâ, curatio.

Muſculorum cauſâ, ſi à defluxione in illos procumbente, illoſque diſtendente, vel inflammationem ſimul efficiente, vox, loquela, & nonnunquam quoque reſpiratio labem patiantur, ſiue hoc in faucium anguſtiis poſitis, vel ſepto ipſo defluxione moleſtato, aut thoracis aliis fiat muſculis, in defluxionibus & doloribus hæc aliis in locis explicabuntur.

Si verò hoc ſepti cauſâ accidat, vaporibus adeò moleſtati, vt ſuffocatio illa nocturna vel vterina ſequatur, tunc quia hoc ſymptoma præ cæteris vrget, cura hoc loco explicanda erit.

Incubi curatio.

Si itaque à præcordiis vapore exurgente & ſeptũ impediente, ſomni tempore, ſtrangulationis periculum in Inbubo dicto, vrgeat, pernicioſus interdum hic eſt affectus, cùm obęſos & pueros nonnunquam ſuffocet: aliàs verò, ſi perſeueret, ad cerebrum vapores eiuſmodi tandem tranſmittendo, grauiora accidentia, melancholiam hypochondriacam, vel veram, vel maniam, vel epilepſiam, cùm eadem illorum quæ & Incubi ſit cauſa, ſede quam afficit tantùm differentiũ, inducat; atque in apoplexiam, ſi grauiùs inde cerebrum lædatur, terminari poſsit.

Idcirco maturè proſpiciendum, & cruditas & cacochymia illa & repletio in primis viis facta, tollenda & cauenda. Vapores quoque, ne inde eleuati, ſeptum aliáſve partes offen-

offendant, tùm in paroxyſmo, tùm extrà hunc impediendi, diuertendi, atque diſcutiendi, eodem ferè modo, ſicuti in melãcholia, epilepſia, catalepſi & ſimilibus affectibus, ab eadem cauſa genitis, dictum.

Quod fiet, ſi craſsioribus primùm expurgatis fæcibus, per aſſumpta aut iniecta, ſanguinem redundantem, vel aliàs impurum extrahamus. Dein cacochymiam illam per ſeceſſum & vomitum expurgemus: aſſumptis vel immiſsis, quæ pro ratione humoris redundantis inſtituantur, catharticis, præſertim eligendo ea, quæ melancholicis affectibus adhiberi ſolent, quibus & ea quæ flatus pellunt, capiti conferunt, & epilepſiæ contraria ſunt, cum quâ hic affectus affinitatem habere creditur, permiſcent. Dein particulares euacuationes inſtituendo: hæmorrhoides, menſes, ſi ſubſtiterint, prouocando. Atque per nares apophlegmatiſmis excrementa capitis, ſi redundent, educendo. Interim quoque aſſumptis admotiſque ventriculo, vt bona fiat concoctio, omniſque vitetur cruditas, & excrementorum ac flatuũ prouentus, proſpiciendo; Capiti item, cùm imaginatio hîc quoque læſa videatur; Et cordi, propter terrorem quo concutiuntur; Thoraci etiam quòd angatur. Quæ omnia extra paroxyſmum ſucceſsiuè adminiſtrantur. In paroxyſmo verò, clyſteribus iniectis, aliiſve extrinſecùs admotis, actu potentiâque agentibus, vapores reuellere ſtudebimus: quæ & poſtmodum cùm à paroxyſmo liberi ſunt, præcautionis loco continuari poſſunt. Quomodo autem hæc diuerſis remediorum formis fieri poſsint, nunc oſtendemus.

Inter ea itaque quæ aſſumuntur, poterit tale præmitti medicamentum, alui fæces eluens, niſi hoc clyſmate fiat, de quo poſtea: ℞. Catholici ʒ.vj. Diaſenæ ſol. ʒ.j. miſce: Detur per ſe, vel cum aqua Abſynthij.

Pilulæ: ℞. ſpec. Hieræ Gal. ʒ.ß. Aggregatiu. ℈.j. cum ſyrup. de Stœchade: fiant pilulæ.

Præparetur humor hoc modo: ℞. ſyrupi de Hyſopo (propter pectus & caput) Stœchados vel Lauandulæ, mellis Anthoſati, de Bugloſſa ana ℥.j. Oxymel. ſimpl. ℥.ß. aquarũ Abſynthij, Menthę, Cichorij, Bugloſsi, Pæoniæ ana ℥.iij. arom. Nuce moſch. Pro tribus vel quat. vicibus.

Vel ſic: ℞. rad. Fœniculi, Aſparagi, Liquiritiæ ana ℥.j. Pæoniæ, cort. Cappar. ana ℥.ß. herb. Betonicæ, Hyſopi ana M.j. Endiuię, Cichor. Bugloſsi, Eupatorij, ſummit. Lupulorum ana M.ß. florum Bugloſſ. vtriuſque ana P.j. Paſſul. enucl. ℥.j. ſeminum Aniſi, Fœnic. ana ʒ.ij. Cuſcutæ ʒ.j. Squænanthi ʒ.j. fiat decoctio, & in ℔.j. colat. diſſolue Oxymel. ℥.ij. Sacchari ℥.j. aromar. puluer. Diarrh. abb. ʒ.j. Pro quatuor vicibus.

Vel in cruditatibus, per vinum: ℞. radic. Fœniculi ℥.j. cort. Cappar. ℥.ß. Galangæ ʒ.iij. Abſynthij, Chamæpith. Chamædreos ana ʒ.iij. flor. Cordialium ana ʒ.ij. ſeminum Fœniculi, Petroſel. ana ʒ.j. infundantur in vino: & vtatur.

Poſtea purgetur: ℞. rad. Liquiritiæ ℥.ß. Paſſul. ℥.j. ſem. Aniſi ʒ.ij. fl. Cord. ana P.ß. Epithymi, Senæ ana ℥.ß. fiat decoctio in col. infunde, Rhab. el. ʒ.j. cortic. Hellebori nigri præpar. ʒ.ß. (ſi robuſtus ſit, vel illius loco augeatur ſenæ doſis) Zingiberis, gran. Paradiſi ana ℈.ß. fiat expreſsio, diſſolue Syr. roſ. ſol. ℥.ß. Bibat.

Vel vtatur aliis potionibus ex electuariis ſolutiuis, vt Diaſena, vel pilulis, vt Cocciis, aliiſque, in aliis ſimilib. affectibus explicatis.

Per interualla, euacuationes repeti debẽt prædictæ: vel fiant per ſyrupos magiſtrales, electuaria, aliiſve formis, alibi in ſupradictis melancholicis affectibus propoſitis.

Vel pilulæ ad vſum tales præſtò eſſe debent, quæ ℞. ſpec. Hieræ Archig. ʒ.j. Hellebori nigri præpar. ℈.j. Agarici, Rhabarbari ana ʒ.ß. Epithymi ʒ.ß. medullæ ſeminũ Pæoniæ & rad. ana ʒ.ß. cum melle ſcyll. fiat maſſa; Capiat pilulas tres vel quat. vel plures, maiores minoréſve, prout operantur: vtatur frequenter ieiunus ante prandium vel cœnam, horis aliquot.

Hiera Archigenis ſola, id poteſt aliquando ſumpta præſtare.

Inter ea quæ aſſumuntur remedia, frugalitas in cibo, & præſertim ſi à cœna interdũ abſtineant, plurimùm iuuabit, & paroxyſmum præcauebit vel mitigabit: & ſi à crapula malum hoc oriatur, præcipuum erit remedium.

dium. Dein à crudis flatulentisque, quibus venter distentus, dyspnœam maiorem causat, sibi caueant. Vtanturque potiùs euchymis & eupeptis cibis, conditurâ ad caliditatem aliquam inclinantibus.

In potu vinum, quod mentem perturbet, aquam quia inflat, improbant, & Aquę mulsæ vsum suadent: cuius tamen continuus vsus in iuuenibus propter mel, quod facilè in bilem vertitur, conuenire minimè potest. Nos vinum cùm concoctionem iuuet, si moderatè, quod debilius est vel dilutum bibatur, nocere minimè posse, sed vt aliis melancholicis affectibus, sic hîc quoque prodere existimamus.

Melicratum, quod interdum seniores & pituitosi, loco medicamenti, in hosce vsus bibere possunt, tale decoqui potest: ℞. rad. Liquiritię ℥.j. Fœniculi ℥.ß. Passul. enucl. ℥.ij. sem. Anisi ʒ.j. fl. Buglos. P.j. fiat decoctio, & in ℔.j.ß. dissolue Mellis & Sacchari ana ℥.ij. iterum parùm bulliant & colentur.

Vinum medicatum Absynthites, vt in præparantibus dictum, etiam ad roborandũ manè per vices bibi potest.

Pulueres qui post pastum sumẽdi ad concoctionem iuuandam, & vapores impediendos præscribi solent, hîc valdè conuenient, præsertim si huic affectui accommodentur: hoc modo: ℞. seminum Coriandri præp. ℥.ß. Anisi ʒ.ij. pul. Arom. ros. ʒ.j. Diamarg. frig. ℈.j. Cinam. ʒ.ß. Maceris ℈.j. seminum Pœonię, Coralli ana ʒ.ß. Sacchari ros. tab. ad pondus omnium: capiat post cibum cochl.j.

Vel mixturâ hac post pastum vtatur: ℞. Carnium cyt. cort. Citri saccharo conditi, cons. Ros. ana ℥.ß. cons. Maioranæ ℥.ß. spec. Aromat. ros. Diamoschi dulc. Diamarg. ana ℈.j. sem. Pæoniæ ʒ.ß. Coralli rub. ʒ.j. Sacchari ros. tab. q.s. fiat mixtura: capiat coch.j.

Tabulæ Arom. ros. Diarrhodon. Diamoschi conferunt: si noctu cubitum iturus vnam sumat.

Vel de sequenti electuario: ℞. conseru. Ros. Borrag. Maioran. ana ℥.j.ß. cortic. Citri ana. & Myrobal. Zingib. condit. ana ℥.ß. rad. Enulæ, Galangæ ana ʒ.ß. sem. Pæoniæ ʒ.j. Coralli, ras. Eboris ana ʒ.ß. specier. Diarrhodon, Dianthos ana ʒ.ß. spec. Cordial. ℈.j. cum syr. de Betonica: fiat electuarium. Superbibat parum Vini diluti aqua Lilij conuallij.

Theriaca vetus, semel in hebdomada mediâ nocte sumpta proderit.

Infundimus clysmata, ad alui fæces eluendas, antequam purgantia dentur, tùm postea quoque, ad flatus hac ratione discutiendas, & aluum soluendam. Quibus in ipso paroxysmo iniectis, admodùm leuãtur. Quorum exempla pasśim descripta sunt in aliis similibus affectibus.

Naribus & ori indita caputpurgia, post purgationem, ad cauendos capitis grauiores affectus, in quos facilè hic morbus abit, vt dictum, iisdem modis, vt illic præscriptũ fuit, administrata, conducunt.

Per admota succurrimus huic affectui, Capiti cucuphas & puluinos applicando, sequenti, vel similibus pulueribus infarcta. ℞. rad. Cyperi, Angelicæ ana ʒ.ß. herb. Maioranæ, flor. Anthos, Lauandulæ, Rosarum ana ʒ.j. sem. Coriandri ʒ.j.ß. Gariophyl. ʒ.ß. fiat puluis.

Cordi & pulsibus sacculi applicentur in ipso paroxysmo: irrorati Vino & aquâ Melissæ, Rosarum & flor. Arantiorum: ℞. rad. Galangæ, Cyperi, cort. Citri ana ʒ.ij. sem. Citri, Ocimi ana ʒ.j. fol. Melissæ, fl. Cord. ana ʒ.ß. Gariophyl. ℈.j. fiat puluis.

Ventriculus & thorax inungantur, dum angitur æger: ℞. oleorum Anethini & Chamomel. ana ℥.j. Vini albi ℥.j. Aquæ vitæ ʒ.ij. coquantur ad vini consumptionem: inungantur.

Extremitatum ablutio frequens, reuellit quoque à septo & à capite vapores.

Frictiones eâdem ratione competunt, ab inferioribus ad superiora, donec ad caput perueniatur, factæ. Et si caput pectine eburneo vel cupresśino versus posteriora dicto, pectinetur.

Cucurbitulæ cruribus, in suris primùm, mox & in humeris, applicentur.

Dropaces applicati competunt, ex Pice & oleo Masticino: qui & calidi capiti, interposito tamen linteo, emplastri instar adhibentur, si caput simul affectum sit.

Sanguinis euacuatio in plethoricis & cacochymicis

cochymicis fiet, secando venam brachij aliquam conspicuam, aut illius lateris, quo magis se grauari sentiunt: postea quoque eam quæ in pede est, aliísve in locis, ad revulsionem ab ea sede faciendam, ad quam vapores maximè tendunt

Excitandi subitò, cùm per somnũ anguntur: & ne perturbentur animi pathematibus, cauendum.

Et cùm dormiunt, nonnihil erecto capite in latus decumbentes iaceant: imprimisq; à decubitu supino sibi caueant, cùm præter angustiam etiã turbulenta pariant insomnia.

Vteri suffocationis cura. Si verò circa vterum collectus vapor malignus, hysterica pariat accidentia, cùm varia illorum se offerant genera, quorum vnum veluti cardialgiam, aliud veluti syncopen, tertium furorem, quartum convulsiuos motus, cum illa suffocatione copulata, producit, in illisq; affectibus, curatio illorum partim sit exposita, hîc tamẽ ex professo, cùm in omnibus speciebus spiritus impeditus sit, omnesque proin vteri suffocationis nomen obtinuerint, de illis agemus.

Periclitantur autem non parum illæ, quas hic affectus inuadere solet, præsertim si, ac si animo defecissent, spiritum omnino non ducant, sed mortuorum instar iaceant, cùm in accessione interdũ extinguantur, frequentiùs verò ad se iterum redeant. Dein & si maniam & convulsiones comites habeant, eo nomine metuendus hic affectus, quod in hosce casus quandoque degeneret. Plerumque tamen aliquoties accidentia eiusmodi passæ, aut certo tempore sponte, vel post decentem curam, ab eo liberantur.

Methodus curandi est, excrementa circa vterũ collecta, euacuare, & menstrua retenta proritare; flatus, vapores ab vtero eleuatos, reprimere, reuellere, discutere, & absumere. Idq; varijs modis; Inter quæ, aliqua etiam in paroxysmo vsurpata, eum soluunt.

Propinantur euacuantia, qualia in sanguine vitiato & melancholico picto vsurpari solent; pro ratione corporis constitutionis, & humorum redundantium: quæ repetenda si non desinat malum; addendo semper quæ menses simul prouocant. Imprimis autem hæc laudantur exhibita.

Ad vomitum confert Agarici ʒ.j.ß. cum Oxymellite exhibere.

Ad deiectionem verò potio talis vtilis est, singulis septimanis repetita: ℞. Agarici troch. pulu. Trypheræ magnæ sine opio ana ʒ.j. dissoluantur Vino albo & Aquâ Arthemisiæ & Matricariæ: Bibat.

Vel hoc modo: ℞. Agarici, rad. Bryoniæ ana ʒ.j.ß. Zingib. Cinamom. ana ʒ.ß. infundantur in Vino albo præstantissimo, & post macerationem debitam exprimatur, adde syrup. de Artemisia ℥.j. Bibat.

Terebinthina admodùm commendatur: cuius loco, hoc purgãs exhibebitur: ℞. Agarici troch. ℈.ij. Zingib. ℈.j. infundantur in Vino & exprimatur: permisce Lariceæ, in Mellis ʒ.vj. & Vitello oui dissolutæ ʒ.iij. Bibat.

Pilulæ vsuales sic parabuntur: ℞. sp. Hieræ colocynth. ʒ.j. Agar. troch. ʒ.j.ß. seminum Dauci, Viticis ana ℈.j. Myrrhæ, Castorij ana ℈.ß. Diacrydij ℈.ß. Lariceæ quant. suff. fiat massa: capiat, à ʒ.ß. incipiendo.

Quæ nutritionis nomine sumuntur, moderata esse debent, & laudata. Et quia Vinum paroxysmum mouet, vti aliquando facit Aquam coctam cum semine Anisi, vel aquam Mulsam bibant.

Quæ alterationis causa potissimùm sumuntur medicamenta, vteri flatus & vapores eleuatos discutere debent, menses mouere, vterum & partes principes roborare, item venenato humori resistere: quæ hisce formis administrantur.

Aqua conueniens hæc erit: ℞. aquæ Melissæ & Menthæ ana ℥.j.ß. aquæ Cinamom. ʒ.ij. misce: Bibat. Si addas parùm Castorij efficatior erit. Vel destilletur ex sequentibus simplicibus aliquibus, vel omnibus, addito Castorio.

Decoctum hoc propinari poterit: ℞. rad. Sigilli Salom. Valerianæ vel Mei ana ʒ.j.ß. herb. Melissæ, Pulegij, Origani, Calamenti, lap. Gagatis ℥.j. fiat decoctio in Vino, addẽdo parùm Aceti scyllitici, coletur, adde syrupi de Artemisia ℥.ß. Bibat duabus vicibus.

Aut paretur syrupus ad vsum: ℞. rad. Sigilli Salom. Bryoniæ, Valerianæ, Mei, Tussilag. Vitis albę, Imperatoriæ, Angelicę an. ℥.ß. herb. Plantag. Melissæ, Pulegij, Calamenti,

Conizæ, Nepetæ, Betonicæ, Menthæ, Artemisiæ, Thymi ana M.j. flor. Anthos, Lauandulæ ana P.j. semin. Cimini, Dauci, Pastinacæ sylu. Acetosæ, Pæoniæ, Anisi ana ʒ.j. baccarum Lauri, Iuniperi ana ʒ.ij. fiat decoctio, & in colatura, adde succi Plantag. ℥.j.ß. Sacchari 4.j.ß. decoquantur ad consistentiam aromat. Cinamom. & Gariophyll. ana ʒ.j.ß. Vtatur ℥.j. per se, vel dissolut. cum liquore conuenienti.

Potio quoque talis, sic paratur: ℞. Mithridati ℥.j.ß. pulu. Diamoschi dulc. ℥.ß. syrupi de Artemisia ℥.ß. aquarum Melissæ q.s. & aquæ Cinamom. parùm: fiat potio.

Pulueres cum liquore bibendi, vel per se cum Saccharo, vel tabulato sumendi, aut electuarijs permiscendi.

Paratu facilis: ℞. sem. Cimini ʒ.j. gr. Iuniperi num. xj. terantur: Bibat in Vino vel aquâ Cinamom. vel Plantaginis & Rosarum.

Additis alijs efficacior sic fiet: ℞. semin. Cimini, Pastinacæ syl. Dauci ana ℈.j. Gariophyll. ℈.ß. Bibatur vt prior.

Ex pluribus compositus: ℞. semin. Cimini, Pastinaceæ syl. Dauci, ana ʒ.j. Nigellæ, Viticis, Rutæ, Pæoniæ, rad. Dictamni ana ℈.ij. Succini, Crystalli, Gagatis an. ℈.j. Gariophyl. Cinamom. Piperis, ligni Aloës ana ℈.ß. Moschi gr. v. fiat puluis: Detur ʒ.j. per se cum liquore, vel additis ℥.iiij. Sacchari fiat, vel tragema; vel eo dissoluto, tabulæ; aut cum Melle aut syrupo Artemisiæ electuarium.

Pilulæ ex fœtidis præparantur, valde efficaces: ℞. Castorij ℈.j. Assæ fœtid. ℈.ß. Myrrhæ, Galbani, Sagapeni an. ℈.j. Mellis scyllit. q.s. fiant pilulæ: capiat frequenter ℈.ß.

Vel ex vehementer odoratis: ℞. Moschi gr. vj. Benzoini ʒ.ß. Sacchari ʒ.j. cum aqua Cinamom. fiant pilulæ: capiat ℈.ß.

Immissa suppositoria reuellunt vapores & flatus, educunt etiã in paroxysmo supposita: ℞. Mellis ℥.j.ß. coquatur ad consistent. adde spec. Hieræ. sem. Cimini, Nigellæ an. ℈.j. Salis gemmæ ℈.ß. fiant suppositoria magna.

Idem facit iniectum Clystere: ℞. baccarũ Lauri, Iuniperi, ana ℥.j. Pulegij, Calamenti, Rutæ, Sabinæ an. M.j. sem. Cimini ʒ.ij. fiat decoctio, dissol. Hieræ colocynth. ʒ.ij. olei Cheirini, Rutacei ana ℥.j. Salis ʒ.j. fiat clyster.

Ori intruso digito vel pennâ, vomitum sæpè mouemus.

Ad sternutationem mouendam in ipsa accessione, naribus indatur puluis Sinapis, & si non mouet, addatur parùm Hellebori albi. Rhabarbarum aliqui cum successu insufflant; Vel aliâ irritatione narium, moueri potest: & si sternutet, bonum; ex quo etiam eos, si dubitemus, viuos adhuc esse cognoscimus.

Adhibentur naribus graui odore prædita & fœtida, in ipso paroxysmo, quibus vterum ascendentem, ad inferiora retrò cedere putant, cùm illũ ea mox sentire, & proin auersari, credant. Quæ nos potiùs, quia vapores dispergunt, & vires subitò in partibus principibus cerebro & corde, quò mox penetrare suâ subtilitate possunt, exerunt, & quia facultatem expultricem sopitam excitando, vt citiùs ad se redeant, faciunt, iuuare existimamus: eoque nomine & odores & fumos aduersos, naribus ipsorum adhibemus. Atq; extra paroxysmum quoque aliquando olfacere iubemus.

Castorium quia grauem odorem expirat, præcipuè in vsu est, naribus admotum.

Item Assa fœtida, deterrimi odoris, Galbanum, Oppopanax, Bitumen, & quæ bituminis odorem referunt, vt Trifolium asphaltite, Petroleum, Ruta item, & Cimices lectularij, atque illi Maiores, qui in plantis inueniuntur, odoris adeò horrendi.

Cepæ, Allia item, acutum & pungentem odorem exspirantia.

Acetum etiam, acerrimũ, naribus in spongiâ adhibitum; Vel si illi Castorium & Sulphur permisceas, & nares postea illinas.

Fumus fœtidus, naribus exceptus, id potentiùs adhuc præstat, excrematis Pennis, Corio, Cornibus, Vngulis, ellychnio extincto Candelæ sebaceæ, excitatus.

Vel si hoc modo trochisci fiant: ℞. Castorij ℈.j. Assæ fœtidæ ℈.ß. Picis ʒ.ß. cum Terebinth fiant trochisci. Accendatur vnus & vapor per canalem naribus admoueatur, non tamen nimiùm spissus, ne suffocet.

Vtero verò contraria hisce, nõ ingratum, sed gratum odorem spirantia admoueantur: vt eo, sicuti putant vterus allicitus, cum eo delecta-

delectetur, deorsum rursum remeet. Nos verò, quia penitùs subeundo, vapores citiùs discutiunt, cùm calida sint, id efficere potiùs existimamus.

Suffitus eo nomine in vteri orificium per infundibulum, aut aliâ arte intromittuntur: ℞. Styracis cal. Benzoini ana ʒ.j. ligni Aloës ʒ.ß. Moschi gr.v. cum infusione gummi Tragach. fiant trochisci, & sicci imponantur carbonibus.

Vel hoc modo: ℞. trochis. Galliæ Mesuæi, & mosch. Nicolai: Vtantur.

Suauem odorem hæc reddent, si in aqua Ros. bulliant in vasculo, & vapor admittatur, vt in Cassoletis dictis fieri solet.

Inungi quoque debet pudendum odoratis intrinsecùs ab obstetrice, Zibetha.

Vel hoc linimento: ℞. Galliæ mosch. Mes. ʒ.j. pulueris Diamoschi, Diambræ an. ℈.ß. Zibethæ gr. aliquot. Croci gr.vj. cum oleo Amygd. dulc. vel de Been, fiat linimentum.

Vel imprimitur bombax Moscho, Ambræ vel Zibethæ permixtione, odoratus. Vel hoc puluere cōspersus: ℞. Storacis, Benzoini Galliæ mosch. ana ℥.j. Gariophyl. Cinam. ligni Aloës ana ʒ.ß. Croci ℈.ß. fiat puluis. Qui & aquâ Rosar. irroratus, sacculoq; exceptus, pessarij modo intrudi aliquousq; potest.

Vel tale pessarium, quod non solùm odore, sed & aliâ proprietate, & quia menses mouet, operabitur: ℞. fol. Melissæ, Maioranæ ana ʒ.j. Gariophyll. Maceris ana ʒ.ß. Piperis, Croci ana ℈.j. lapid. Gagatis, Picis ana ʒ.ß. Salis nitri ℈.j. Aliptæ mosch. cùm & camphoram recipiat ʒ.ß. excipiantur oleo Laurino & Liliorum, supponatur addendo parùm Storacis liquidæ.

Quod alia pessaria & iniectiones in vterū attinet, quæ menstruorum prouocandorum causa fiunt, alijs locis explicabuntur.

Qui à seminis retentione fieri putant, acria adhuc ampliùs & stimulantia subdunt, semenq; varijs artibus proritare docet. Quibus omissis, cùm causam aliam huius affectus statuamus, legitimum tamen concubitum in viduis & virginibus, non improbamus: sed cùm & hic reuellat & menstruorum fluxum faciliorem reddat, mulierisque natura tunc admodum immutetur, plurimùm prodesse quoque posse concedimus, præcipuumq; ferè in illis esse remedium.

Ex admotis, vmbilici, & sub eo pectinis pudendique regioni, commodè sequentia admouent.

Cataplasma hoc vniuersæ iam enarratæ regioni vtilissimè applicatur: ℞. fol. Filicis, fol. Leuistici cū radicibus ana M.j. Rutæ M.ß. coquantur in Vino, contundantur: adde Axungiæ parùm: Applicetur.

Vel sic: ℞. Mellis, Ficuum ana æqu. partes, bulliant Vino & Aquâ & contundantur, addendo ol. Nardini & Anethini parùm; Admoueatur vt priùs.

Filum cannabeum, à fusis deductum, & more consueto, in longum simul multipliciter iunctum, si coquatur in Lixiuio, & expressum applicetur, plurimùm iuvare creditur, eoque magis, si priùs oleo Anethino ferventi imbuatur.

Laudant aliqui folia Hyoscyami contusa, & oleo Nardino subacta, vmbilico admota.

Emplastrum pectini admotum sequens proderit: ℞. Galbani ℥.j. Styracis liquidæ ʒ.j. malaxentur oleo Nardino, & conspergantur puluere Gariophyllorum.

Vt ex vsitatis: ℞. emplastri Ceronei, vel pro Matrice ℥.j. trochis. Aliptę mosch. ʒ.j. Styracis liquidæ ʒ.ß. cum oleo Nardino: fiat emplastrum.

Pedum lotiones quia diuertunt & vires vtero communicant, conueniunt, hoc modo: ℞. rad. Ireos, herb. Leuistici, Filicis, Matricariæ, Calamenti, Nepetæ, Pulegij ana M.j. flor. Chamomil. P.j. gr. Iuniperi & Lauri ana P.ß. semin. Dauci, Carui, Pastinacæ syl. Viticis ana ʒ.j. Coriandri ʒ.ij. bulliant in Aqua, addendo parùm Vini.

Insessio ex ijsdem facta, si in ea sedeant interdum, & continuent aliquandiu, corpore purgato priùs, sanare potest hunc affectum. Et si post multa tentata non succedat, ad Thermas mittantur.

Inter actualia remedia, quæ reuellendo in paroxysmo vsurpata eum tollunt, sunt, Frictiones tibiarum & plantarum pedum, adhibito interdum Sale & Aceto, vel ol. Laurino.

Vellicatio item aurium, narium, & pilorum circa pudenda tractio.

Ligaturæ item ad dolorem vsq; factæ, coxarum supra genua; & Hypochondriorum cingulo vel fasciâ aliquâ constrictio.

Cucurbitula magna, sub vmbilico cum multa flamma posita, & minores quoque coxis affixæ.

Dropaces, Sinapismi in lumbis & pectine, adhibita.

Cauterium postremò, si caput affectum sit, in syncipite suturæ coronali admotum proderit.

Sectio Venæ, si menstrua substiterint, in pede facta, ea prouocat. Quo nomine & Scarificatio sub poplite fit; & talo Hirudines affiguntur.

Reliqua quod attinet: Aërem vitet frigidum, in inferioribus præsertim partibus & pedibus, quæ calida semper retineri debent. Exerceat decenter corpus; Dormiat moderatè; Nec animo perturbetur.

dyspnœa à flatib⁹ humoribus, visceribus in abdomine, curatio. Quòd si verò septũ transuersum, flatuum, humorum aut partium adiacentium causâ impeditũ, in alijs morbis dyspnœam pariat, etsi interdum admodum vrgeat; quia tamen curatio morbis illis potissimùm accommodatur, ideò illa in ventriculi & coli inflatione, repletione, tympanite, hydrope, viscerum duritie & scyrrhis explicabitur.

Suffocationis à fungis factæ, curatio. Fungorum tamen nimiâ ingurgitatione & malitiâ, si strangulatio angat, Vomitus concitari debet, dando decoctum Raphani, vel Stercus gallinæ exiccatum puluerisatum cum Oxymellite, Vel ℞. Oxymell. ℥.j.ß. Salis nitri ʒ.ß. Dein sequentia propinanda: ℞. Absynthij, Melissæ, infusa in Vino & parum decocta: Bibat.

Instrumentorum per quæ respiratio, vox & loquela fiunt vel iuuantur, nimirum oris, narium, faucium, columellæ, linguæ, asperæ arteriæ, pulmonũ & thoracis læsionis causâ, si hæ functiones deficiant, pro ratione morbi procedendum, vel prædicendum erit: sicuti in singulis explicabitur.

Balbutiei ab ariditate linguæ, cura. Ariditas & induratio nimia linguæ, si loquelæ officiat: aut faucium, voci, quâ ratione subueniendum, in gustus læsione dictũ fuit. *Anhelosorum, cartilagi-* Quòd si cartilagines costarum induratæ, in senibus aut mulieribus anhelosos faciant, in illis quibus integrum pectus esse dicitur, vitium hoc curari minimè poterit: coguntúrq; *num costarũ induratarum causâ, cura.* qui sic affecti sunt, sedendo vel leuissimos saltem motus edendo, ne respirationem concitatam faciant, quod reliquum est vitæ temporis, in quiete transigere.

Loquelæ defectus ob vitiũ in magnitudine linguæ, cura. Magnitudo adaucta, vel imminuta linguæ, vel aliàs quia non rectè formata est, si loquelæ obsit nec hoc vitium, cùm originale sit, curari poterit. Fit tamen & vsu, vt qui literas aliquas pronunciare nequeant, magno tamen nixu, eas continuò effari conantes, quodammodo posse postea exprimere: sicuti Demostheni accidisse legimus. Quod si intumuerit, aut aliàs tumore præter naturam patiatur lingua, cura in tumorib⁹ explicabitur.

Loquelæ impedimentum, linguæ, columellæ, vel dentium defectus causâ, cura. Defectus partium si in causa sit, cùm pars reparari nequeat, nullum erit remedium. Vt si ob linguam mutilatam, loquela sit deperdita: & ob columellam consumptã, vel amputatam vocis defectus, aut dentium incisoriorum absentiam, loquelæ vitium; quod tamen arte, dentibus ex ebore vel ossibus fabricatis, ita vt in spacio dentium inserti, hæreant, aliqui apprimè norunt corrigere.

Strangulationis abscissâ asperâ arteriâ, cura. Solutio continui magna; Veluti abscissa aspera arteria, si spiritui viam intercludat, nullum est remedium, cùm plerumq; suffocentur: Aliquando tamen curâ diligenti, qualis vulneribus debetur, curatos aliquos fuisse, legimus.

dyspnœa à fracta vel luxata costa, cura. Ob fracturam costæ, si introrsum delata, pulmonum liberum motum impediat, ea retrahenda & in locum suum reducenda erit: quod varijs ingenijs eam apprehendendo, pellendo, prout diuersus illius situs hoc efflagitat, perficiendum; dein, sicuti in fracturis dicetur, cura instituenda. Quod &, si luxata fuerit costa, eam primùm reponendo, mox retinendo, curandoque, vt in luxatione explicabitur, faciendum.

Suspiriosorum ob connexũ pulmonũ cum thorace, cura. Connexus pulmonum per fibras cũ thorace, suspiriosos faciens, cùm organicum sit vitium & proin inemendabile, curationem nullam admittit: sed coguntur, & qui sic affecti sunt, vti & illi, qui anhelosi cartilaginũ induratarum causâ fiunt, abstinendo à motibus validis hunc defectum mitigare.

Loquelæ defectus linguæ. Si verò ligula linguæ, nimis astricta, & non rectè soluta loquelam impediat, si adhuc solui

linguæ astrictæ causâ, seu ratio.

solui poſsit, preſsione digiti, vel ſectione curabitur. Si verò iam induratum ſit ligamentum, vix dum ampliùs emendabitur.

dyſpnœa à repletione thoracis, cura.

Repletio thoracis à pure, aquâ vel ſanguine, cùm tuſsim continuò movendo, potiùs quàm ſpiritum impediendo, incommodet, & per eam talis materia interdum reijciatur vnà cum cæteris excretis, in reiectis rectiùs explicabitur.

Suffocationis ab obturatione oris, nariū, faucium cura.

Obturatio oris, narium, faucium, ſi reſpirationi incommodet, fiatq́ ab externis iniurijs, vt ſubmerſione in aqua, vel conſtrictione gutturis, aut pondere incumbente pectori, ſublatâ cauſâ, mox etiam libera iterum erit reſpiratio. Si verò dentibus conſtrictis, & naribus muco oppletis ſuffocationis adſit metus, in apoplexia & epilepſia, quomodo dentes dirimendi & quid præterea faciendum, illic fuit explicatum.

Suffocationis ob conſtrictam aſperam arteriā vel impeditā, cura.

Si verò ſuffocationem ſentiat aſpera arteria à luxatâ vertebrâ, vti voluerunt, compreſſa, quod tamen ægrè fit, ſicuti verò faciliùs, vt à gibbo introrſum reſpiciente aſperâ arteriâ & pulmonibus anguſtatis, ſuſpirioſi fiant: tunc ſi luxatio ſit ſuffocans, niſi ſponte vertebrâ reducatur, facilè interimit: ſi gibbus anheloſos faciat, cùm & ille ægrè reducatur, inemendabile eſt malum. Si ab illapſis in aſperam arteriam, ſtrangulationis adſit periculum, non aliâ ratione, quàm tuſsi, illa rejici poſſunt: quæ cùm ſponte, aliquà re incidente, concitetur, non opus eſt aliâ ratione eam mouere. Interim tamen ſternutatio excitata, valdè iuuat illius excuſsionem; & ſi dorſi ſuperiora percutiantur, eò faciliùs hæc cedere, vulgò creditum, atque proin facere vſitatum eſt. Ejicitur autem illud quod incidit, poſt multam tuſsim. Aliàs quoq; adhærente pertinaciter illa materiâ, tuſsis & anguſtia ſic angunt, vt & ſuffocari poſsint: ſicuti in cauſis id oſtenſum fuit, aliquando accidiſſe.

dyſpnœa à tumore faucium, cura.

Si tumor pręter naturam in faucibus, amygdalis, obturando, difficilem pariat reſpirationem, in doloribus & tumoribus explicabitur. Nam de illis qui muſculos occupant, in muſculis iam dictum fuit.

aſthmatis curatio.

Obſtructio in pulmonibus à craſſo, lento & pituitoſo excremēto, ſi Aſthma procreet, & diu perſeueret, aut in ſenibus fiat, curari nequit: in alijs non ſine labore, præſertim ſi nihil de materia obſtruente rejiciant, & nouâ ſæpè accedente defluxione, malum augeatur & foueatur. Quæ ſi in paroxyſmo, in quo iam priùs in ſuffocationis labore exiſtunt, ſuperueniat multa & magna, illos nonnunquam ſubitò ſuffocat. Si verò à gypſeo vel tophaceo corpore aſthma fiat, etſi vno tantùm in loco ſubſiſtens, non adeò atq; aſthma à pituita plus ſpacij occupante, profectum ſuffocet, niſi accedente defluxione, conduplicatâ anguſtiâ, id fiat, tamen nec hoc ſanari facilè poteſt; niſi longo impetu tuſsis propulſum, aliquando rejiciatur, ſicq; ſubitò à malo inueterato liberentur.

Methodus curandi in eo verſatur, vt impactam illam materiam in pulmonibus, ſi tenax ſit humor, vt loco cedere poſsit, incidamus, abſtergamus, anguſtiasque illas pectoris, vt liberiùs propelli & expui poſsit, dilatemus: quod & in tophacea materia competit & aſſumptis pectorique adhibitis, ſitu motuq; corporis variè adminiſtrandis, perficitur. Dein, vt catharri nomine, ſi hunc morbum procreârit, vel foueat, corpus euacuemus: caput ſiccemus, & humorem defluentem à capite varijs artibus aliò reuellamus. Flatuum quoque occaſione, ſi ventriculum & inteſtina diſtendendo, anguſtiā augeant, eos educamus, diſsipemus. Quæ omnia quà ratione per aſſumpta: per ſuffitus: per admota: per attrahentia: per vrentia: ſectiones & motum corporis perficiantur, nunc deſcribemus.

Exhibentur purgantia extra paroxyſmū, ſi defluxiones aſthma ꝑcrearint vel foueāt, illarum causâ, cum è pectore aliàs nil educant: & in alijs cauſis, vt corpus ab excrementis purum, commodiùs tractetur. Vbi tamen non nimis temerè, niſi corpus impurum admodum ſit, ſunt affligendi: & leuiora potiùs exhibenda, & ſucceſsiuè ſunt purgandi: niſi defluxio admodum moleſtet, cuius causâ quid faciendum, obiter hîc quoq; recenſebimus: aſthmatis verò præcipuè causâ, ſic procedendum.

Leuiora purgantia, quæ ſimul expectorant, ſunt, caſsia, manna & polypodium, ſic exhibita: ℞. rad. Liquiritię ℥.ß. Paſſul enucl.

Ficuum ana ℥. j. Iuiubar. ℥. ß. Polypodij siccati ʒ. vj. fiat decoctio, dissolue Mannæ ʒ. iij. vel Casiæ ℥. j. ß.

Ius Galli decrepiti ab omnibus commendatur, quo dissolui Casia vel Manna, vt dictum, potest: vel si fortiùs purgandum, alia electuaria phlegmagoga.

Vel hoc modo vsurpari potest: ℞. Gallum aliquot annorum, iugulatum, deplumatum, euisceratum: dein sume, Passul. Ficuum, ana 4. ß. conquassentur in pastam: semin. Carthami, radic. Polypodij ana ℥. ij. Senæ ℥. j. Agarici ʒ. ij. seminum Anisi ʒ. j. Turbith. ʒ. j. ß. Zingib. ʒ. ß. contundantur & misceantur cum pasta, quâ infarciatur gallus, & coquatur in Aqua. Sume huius decocti pro tribus vicibus, & si primâ vice non operatur, misce sequentibus aliquid de Casia, vel Manna, vel vtrisque. Possent & in iure iam priùs à gallo decocto, prædicta incoqui, & sic vsurpari.

Aliter sic præparatum diuq; exhibitum, pro præcipuo habent remedio: ℞. Gallum præparatum ad veru: infarciatur sequentibus, Pulmonis Vulpis frusto recenti, vel præparati & siccati ℥. j. Passulis enucl. & Ficubus ana ℥. ij. radic. Porri recent. mundati ℥. ij. Liquirit. ℥. j. Enulæ ʒ. j. herbar. Hysopi, Satureiæ, Marrubij, Thymi, Calamenti, Pulegij siccat. ana ʒ. j. seminis Fœniculi, Anisi ana ʒ. j. seminis Carthami conquassat. radic. Polypodij, ana ℥. ß. Tartari albi ʒ. j. Salis ℥. ß. Vitellis ouor. num. ij. Butyri rec. ℥. ß. puluerisanda puluerisentur, & incisa, contusa, mista in pastam, insuantur gallo decoquatur donec caro ab ossib. cedat, multâ Aquâ in vase amplo, ne opus sit nouam affundere, dein eã colato, & in ℔. x. adde ℔. j. Mellis despumati, ne citò corrũpatur. Capiat scutellã vnã, in quà dissolue Mannæ & Casiæ rec. ana ℥. ß. manè, continuando ad multos dies, & mensem & ampliùs. Quod eò meliùs iuuabit, si mox etiam Terebinth. ʒ. j. cum Penidijs, in formâ boli aut aliter assumat.

Trochisci de Violis sine scammonea, pectori appropriati & pituitam purgantes, hîc probantur, ʒ. iij. quantitate exhibiti, cum decocto vel aquâ pectorali dissoluti, insuper adiectis alijs si minùs sint efficaces.

Validiores sic parabuntur, in pituitosioribus vsurpandi: ℞. florum Violarum nondum omnino exiccatarum ʒ. vj. Turpethi ʒ. iiij. Agarici ʒ. iij. succi Liquiritiæ, Mannæ ana ʒ. ij. Scammon. ℈. j. cum syrupo de Violis: fiant trochisci: Dantur ʒ. ij. vt suprà.

Potio hæc competet: ℞. Agarici ʒ. j. ß. Turpethi ʒ. j. Zingib. ʒ. ß. puluerisata infundantur in Oxymel. simpl. vel Hydromellitis ℥. j. Vini albi tantundem, aquarum Hysopi, Fœniculi ana q. s. exprimantur & colentur: dissolue Diaphœn. vel Diacarthami ʒ. j. ß. Mannæ ℥. j. syr. Viol. ℥. j. fiat potio.

Pilulæ conuenientes sunt: ℞. pilul. de Agarico, Cocciarum, ana ℈. j. trochis. Alhandal. gr. vj. cum Oxymell. scyll. fiant pilulæ.

Vinum hoc valde proderit, præsertim si flatus, qui angustiam augent, vt sæpè fit, adsint: ℞. Senæ ℥. ij. Agarici trochis. ℥. ß. Turbith. trochis. ʒ. ij. radic. Scyllæ ʒ. ij. Absynth. ʒ. iij. baccarum Lauri num. x. sem. Anisi ℥. j. Fœniculi, Carui ana ʒ. ij. infunde in Vini mens. j. ß. & poculo vno Mellis depsum. Bibat aliquoties manè.

Colocynthidis pulpa infusa in Vino, & vinum exhibitum, in deploratis, magnum censetur remedium.

Electuarium vsuale: ℞. Mannæ, Casiæ rec. ex. ana ℥. ij. Diaphænici, Diacarthami tab. ana ℥. j. syrupi Viol. Oxymel. scyll. ana ℥. ß. fiat electuarium: capiat à ʒ. ij. incipiendo, ad plures procedendo.

Purgatione factâ, postridie reficimus Mithridato, & idoneâ aliquâ cõseruâ, exhibitis.

Vomitoria quandoq; exhibentur in consuetis, si fortè hoc impetu è pectore cedat materia, sed extra paroxysmum, ne nimio conatu suffocationis periculum augeatur.

Præparantia humorem pituitosum, ante purgationes exhibentur, tum etiam post eas, quia simul ad expectorationem, impactum humorem præparant.

Per syrupos & aquas hoc modo: ℞. syrupi de Liquiritia, de Hysopo, ana ℥. j. ß. Oxymel. simpl. vel scyll. si tenax sit materia ℥. j. aquarum Hysopi, Fœniculi, Vngulæ cabal. ana ℥. iij. fiat Iulep. per triduum sumendum, aromat. pulu. Diairis: vel dando tabulam postea.

Per

Per apozema ſic: ℞. Liquiritiæ ℥. j. ß. Enulæ, Ireos ana ℥.ß. herb. Marrubij, Capill. Ven. Hyſopi, Vngulæ cabal. ana M.j. florum Scabioſæ, Stæchados, Violarum, Maluæ ana P.j. ſemin. Aniſi, Fœniculi ana ʒ.ij. Paſſul. enucl. Iuiub. ana ℥.j.ß. Dactylorum enucleat. num. iij. Ficuum num. x. fiat decoctio, diſſolue in colatura Oxymell. ℥.ij. aromat. pauco Cinam. Vtatur loco Iulepi.

In cibo eadem, quæ in incubo, dicta; vt tenuis, euchymus ſit & facilis concoctionis, minimeq; flatulentus, crudus, aſtringens, obſeruanda.

Inter reliqua, Ius ſenum Gallorum probat Dioſcor. Cochleę comeſtæ à quibuſdam laudantur.

In condimentis Crocus pectori prodeſt: & bellarium Synapis cum Melle, egregiè expectorat.

Faba, Hordeum, Orobus, Amygdalæ, Pineæ, laudantur, ſi flatulenta vis, addito ſemine Carui & Fœniculi, corrigatur. Ficus, Paſſulæ, Dactyli, probantur.

Ferculum valde conueniens: ℞. Porrorum mund. inciſ. ℥. ij. coquantur in Aqua vel Iure galli decrepti, donec molleſcant & & diſſoluantur: tunc adde Vitellum vnius oui, Butyri ℥. ij. Sacchari ℥. j. iterum parùm coquantur. Comedat mediam partem in prandio, alteram in cœna.

Bibat Melicratum ſeu Aquam mulſam, quæ indies coquitur ad vſum: vel Hydromel, quod certo tempore, caniculæ imprimis, præparatur, & aſſeruatur diu ad vſum: quo nomine hæc duo differunt. Hiſce Hyſopus ſi incoquatur, efficaciora fient.

Vel Ptiſanam, quæ ſic gratior fiet: ℞. Hordei P.ß. Liquiritiæ baculos duos longos cõquaſſatos, Paſſul. enucl. num. xx. Ficuum num. xv. decoquantur in menſ. xj. donec redeant ad viij. ſi catarrhus vrget, addantur Iuiubæ, num xij.

Medicamenta alia, quæ aſſũpta, leniendo vias & detergẽdo, incidendo materiã in pulmonũ vaſis infarctam, & expulſionẽ per tuſſim idoneã reddunt, aut ſaltẽ ne in anguſtijs hæreat, ſed rurſũ in ampliores vias remeet, procurant; vnde & in qualicunque cauſâ conueniunt, varijs formis exhibentur.

Decocta eiuſmodi ſæpè bibita, manè & veſperi, proderunt: ℞. rad. Liquirit. ℥. j. Enulæ, Ireos ana ℥.ß. Capill. Ven. Hyſopi ana M.ß. Paſſul. enucl. Ficuum ana ℥.j. Croci ℈.j. decoquantur: adde Mellis q.ſ. Bibat.

Vt ſic: ℞. Marrubij ſicci, Chamædreos, Hyſopi ana M.j. flor. Stœch. P. j. decoque in Aqua & Melle: Bibat.

Vel ſic: ℞. rad. Ireos ʒ. ij. fol. Marrubij, Rutæ, Calamenti, ana ʒ. j. ſem Vrticæ, Fœnogr. ana ʒ. ij. Paſſul enucl. ℥.j. bulliant, addito Melle, vel etiam permiſcendo Oxymel. ſcyll. Vtatur.

Vel magis compoſitum: ℞. radic. Liquiritiæ ℥. ij. Ireos, Enulæ ana ℥. j. radic. Equiſeti cum tuberoſitatibus ℥. j. ß. Valerianæ, Scyllæ ana ʒ. ij. herbar. Trichomanes, Vngulæ cabal. Betonicæ, Veronicæ maris. Hyſopi, Satureiæ, Marrubij, Calamenti, Thymi ana M.j. flor. Stœchados, Anthos, Scabioſæ, ana P.j. ſemin. Fœniculi, Aniſi, ana ℥. ß. ſeminum Vrticæ, Erucæ, Naſturtij ana ʒ. j. Ficuum, Paſſul, ana 4. j. Iuiub. Sebeſten ana num. x. fiat decoctio in Aqua & Melle, q. ſ. aromat. Piperis & Spicæ ana ℈. j. Bibat ſæpè: vel auctâ doſi mellis aut ſacchari, additaque Mannâ fiat ſyr. ad vſum ſumendus: vel diſſoluendus & bibendus.

Syrupus alius admodum efficax: ℞, radic. Raphani rec. ℥. iiij. Porrorum iij. Ireos rec. ℥. ij. Enulæ, Dracunculi vel Ari, recent. ana ℥. j. Scyllæ ℥. ß. Liquirit. ℥.j.ß. herb. Satureiæ, Pulegij, Hyſopi, Sabinæ, Marrubij, Chamædreos ana M. j. Caulium rec. Vngulæ cabal. ana M. ij. flor. Stœchad. P. j. ſemin. Fœnogr. Carthami ana ʒ.vj. baccarum Lauri ℥.ß. Spicæ ʒ.ß. Croci ℈.j. fiat decoctio, addito Sacchar, vel Melle: fiat ſyrupus.

Vinum ex maceratione ſequentium hoc vtile erit: ℞. rad. Liquirit. ℥.j.ß. Ireos ℥.j. Enulæ ℥.ß. Angelicæ, Scyllæ præpar. ana ʒ. ij. Marrubij, Hyſopi ana ʒ. iij. ſeminum Aniſi, Fœniculi ana ʒ. ij. Vrticæ, Naſturtij ana ʒ. j. Mellis deſpum. ℥. vj. Vini albi, menſ.j.

Mille pedes, vel Aſelli dicti, ſi panno linteo inuoluti in Vino macerentur, & expreſſio potui detur, magnum in aſthmate remedium, aliqui ſe expertos eſſe prædicant.

Vinum, Acetum, Mel, Oxymel, cũ Scylla præ-

la pręparata, in paroxyſmo data, valde iuuāt.

Succus Scabioſę & Sonchi, per ſe, vel cum Melle, exhibiti.

Vel: ℞. ſuccorum Enulæ, Hyſopi, Marrubij ana ℥. j. aquæ Hyſopi, Vngulæ cab. ana ℥. iij. Sacchari q. ſ. decoquantur: capiat frequenter.

Vrinæ propriæ potus, plurimùm iuuare creditur.

Aqua ſequens ſenſim ſumpta, cochleari, vt ad pulmones penetret, multùm proderit: ℞. radic. Scyllæ præpar. ʒ. ij. radic. Enulæ ℥. ß. Porrorum ℥. j. ſemin. Sinapis & Naſturtij ana ʒ. j. Cinamomi ʒ. iij. contundantur, addito Vino forti, eliciatur aqua, ad vſum cui miſce Mellis ſcyll. vel anthoſati, donec dulcoretur.

Oleum Amygdalarum recens bibitum, plurimùm confert. Vel Butyrum recens affatim ſumptum.

Comeſta ſequentia proderunt; Caricæ parum aſſæ, & in Aqua vitæ maceratæ, & eſitatæ conueniunt.

Cæparum vel Porrorum radices coquantur ſub cineribus, & comedant pauperes, cũ Melle & Butyro. Vel Ari & Serpentariæ radices ſic toſtas: ſed ſi fauces nimiùm inflamment, contundantur, & cum oleo Amygdal. ſumantur, & Saccharo vel Melle: vel coquantur priùs, & aquâ abiectâ, vſurpentur. Scylla autem toſta cum Melle.

Fortè commodiùs ſic: ℞. ſuccorum Porrorum ℥. ij. ſucci, radic. Ari vel Serpent. ℥. j. ſucc. Scyllæ, Raphani ana ℥. ß. ſuccorum Hyſopi, Enulæ ana ℥. j. adde Mellis optimi ʒ. j. ß. coquantur ad conſiſtentiam electuari. De quo vtatur.

Conſeruam Enulæ & rad. Ireos frequenter ſumat.

Lariceæ ʒ. j. cum vitello Oui & melle ſumpta.

Sulphur præparatum, id eſt, ſępè ablutum aquâ Vngulæ cab. cũ rad. Ireos & pauco Sale in Ouo ſorbili; ſingulis ſumat matutinis.

Quæ lingendo ſumuntur, ex vſitatis ſunt ſyrupis præcipui in aſthmate conuenientes, de Hyſopo, Marrubio, Oxymel ſimplex, ſcyllit. & præcipuè Damocratis Et looch de Pulmone Vulpis, de Caulibus, de Farfara, de Carthamo, de Pino, de Mucilaginibus, Sanum & expertum, de Scylla. Et ex ſpeciebus, Diairis ſimpl. & Salom. Pliris arcot. & Diahyſopi.

Eclegmata alia hac ratione fieri poſſunt: ℞. gummi Ammom. diſ. in aqua Vitæ ʒ. ij. ſem. Naſturtij & Nigellæ ana ʒ. j. Salis ammom. ʒ. ß. Sulphuris præpar. ʒ. j. Croci gr. v. Pulmonis vulpis præpar. ʒ. j. ß. excipiantur Mellis ſcyll. vel Syrupi conuenientis ℥. ij. fiat looch.

Vel ſic: ℞. rad. Altheæ ʒ. ij. Ireos ʒ. j. ß. Enulæ, Ariſtol. rot. Azari, Bryoniæ ana ʒ. j. Gentianæ, Ari ana ʒ. ß. fol. Sabinæ & Tuſsilag. ana ʒ. j. ß. ſeminum Fœnogr. Lini, medullæ ſeminis Carthami ana ʒ. ij. baccarum Lauri ʒ. j. ſem. Naſturtij, Vrticæ ana ʒ. ß. Pulmonis Vulpis præpar. Gummi Ammon. in Aceto diſſol. ana ʒ. ij. Sulphuris viui abluti aquâ Vngulæ, Lariceæ coctæ ana ʒ. j. Styracis ʒ. ß. ſucci Liquirit. ʒ. j. cum Melle ſcyll. aut Syrupo aliquo ex prioribus vel Looch: fiat eclegma.

Permixtis aluum laxantibus, ſic fiet conuenientius expectorans, ſi aluus aſtricta ſit: ℞. mucilag. Altheæ & Lini ana ℥. ß. Mannę, Caſsiæ ana ℥. j. Agarici, Turbith ana ʒ. j. ol. Amygdal. vel Butyri rec. Penid. ana ℥. j. miſce: capiat.

Puluis hic conueniet: ℞. rad. Liquiritiæ, Polypod. ſicci ana ʒ. ij. Ireos, Enulæ ana ʒ. j. Ari ʒ. ß. ſeminum Naſturtij, Vrticæ ana ʒ. j. Cinamom. ʒ. j. ß. Croci ℈. j. Pulmonis vulpis præpar. ʒ. ij. Sacchari ad dimidium ponderis: fiat puluis: Vel cum aqua Tuſsilag. auctâ Sacchari quantitate: fiant tabulæ.

Laudatur & hoc admodum: ℞. Croci ℈. j. vel ß. Moſchi granum, detur cum Vino albo.

Pilulæ ex ſequentibus lachrymis ſunt efficaces: ℞. gummi Ammom. diſſoluti in Aceto ſcyll. ʒ. ij. Styracis, Sagapeni, Myrrhæ ana ʒ. ß. Lariceæ coctæ ʒ. j. Spicæ ℈. j. Croci ℈. ß. excipiantur Melle: fiant pilulæ: capiat frequenter ʒ. ß.

Si catharrus adſit, ad defluxiones ſiſtendas, ſenſum pectoris obtundendum, incraſſantia & ſtupefacientia interdum propinantur: de quibus in catharris dictum.

Hîc autem vti poſſumus Hordeato ſequēti, ſic

ti,ſic parato: ℞. Hordei mũdi ſelecti q.ſ.macerentur per ſex horas,poſtea coquatur perfectè, vt diſſolui poſsit, paſſetur, dein accipe Amygdal. dulc. excort. ℥.iij. ſem. mundat. Cucurbitæ ℥.j.ß. Melonum ℥.j. Papau. albi, Lactucæ ana ℥.ß. contuſis omnib. cum aquâ Hordei eliciatur lac, quod cum ℔. ij. pulpæ hordei permixtũ,coquatur parùm,adde Sacchari portionem. Bibat ad ℥.x. aliquot matutinis ſuperdormiẽdo, & nonnunquam in introitu lecti. Vſitatũ Italis & Gallis ad defluxiones ſiſtendas & mitigandas remediũ.

Ex narcoticis verò, dantur per interualla opiatæ, Theriaca, Mithridatum, Philonium cum puluere Liquiritiæ,etiam in ipſo paroxyſmo: vel cum Diapenid. & Looch de pulmone Vulpis.

Teneat in ore Diatragach. Vel: ℞. pul. Diatrag. frig. ʒ. ij. Thuris ʒ.j. ſucci Liquirit. ʒ.ß. Croci ℈.ß. cum ſyrup. de Violis fiant formulæ.

Suffimigium ſequens ore excipere conueniet,ad exiccandum, non tamen affatim, ne ſuffocet: ℞. fol. Tuſsilagin. ſiccor. ʒ.j. Thuris, Maſticis, Styracis ana ʒ.ß. Sulphuris ℈.j. excipiantur pulueriſata, Terebinthina: fiant trochiſci.

Iiſdem integumenta capitis ad catharrum ſiccandum ſuffumigari poſſunt, & cubiculũ.

Extrinſecùs pectus inungi debet relaxantibus, vt liberiùs ſpirent, & concoquẽtibus, vt materia præparetur: exempli gratia: ℞. oleorum Amygdal. dulc. Liliorum ana ℥.j. ſucci Hyſopi ℥.j.ß. coquantur ad ſuccorum conſumpt. adde Butyri rec. Mucilag. ſemin. Fœnogræci & rad. Lilij cocti ſub prunis ana ℥.j.ß. axungiæ Anatis ℥.ß. Croci ℈.j. Ceræ albæ parùm. Vngatur pectus.

Vel vnguento Reſumptiuo illud fiat.

Ventriculo etiam foris remedia adhibentur, ſi flatibus diſtentus, malum augeatur.

Vti & capiti, ea quæ catharros ſiſtunt, caputq; ſiccant & roborant, ſi inde oriatur vitium & exacerbetur, admouenda.

Lotiones capitis eiuſdem gratiâ fiunt. Et crurum lotio calida à capite & pectore plurimùm reuellit; facta ex decocto Saluiæ, Lauandulæ, fl. Chamomil. Sambuci, aliiſq; odoratis calidis.

Frictiones extremitatum eodem nomine competunt.

Cucurbitulæ ſcapulis affixæ, cruribus item, repetitæque diebus aliquot, humorem ad pectus fluentem, reuellunt: & ſi perſeuerante morbo ſub mammis nonnunquá affigantur, etiam materiam è pectore diſcutiũt.

Cauteria in brachijs, cruribus inuſta, ſi à catharrho fiat, reuellunt. Veſicatoria in carpo vel palma manus, aut etiam poſt aures adhibita, idem potenter præſtant. Et ſi pectoris medio quoque apponantur, in omni aſthmate magnum adferunt adiumentum. Quam partem & vrere iubet Aëtius: alij Dropaces etiam adplicant.

Sectio venæ, ſi plethora adſit, prodeſſe poterit alioquin inutilis.

Injiciuntur clyſteres potiſsimùm in conſtipatis, flatus diſcutientes & aluum ſoluentes: tunc enim flatibus & fæcibus deorſum ſubſidentibus atque erumpentibus, leuantur. Quo nomine & ſuppoſitoria induntur.

Vel ſi ructus & crepitus emittere poſſent, ſimili ratione prodeſſet ſed cum hoc ſolâ voluntate, niſi natura prius impellat, vix fieri poſsit (licet aliqui aërem deuorando, illum rurſum eructare, & decubitu in genua, podice ſurſum eleuato, crepitus reddere poſsint) natura vt illud moliatur, prædictis erit ſtimulanda. Quo nomine & vomitus digito immiſſo, vel pennâ ſæpè ſtimulatur.

Quieti, cùm paroxyſmo laborant, ſint, nec corpus admodum moueant, aut multùm loquantur, quia hiſce concitatior facta reſpiratio, magis angit. Et ſi decumbant, capite & thorace in altum, ſuppoſitis puluinaribus, collocatis, cubent.



DE DEPRAVATA RESPIRATIONE.

CAPVT V.

Genera.



RESPIRATIONEM deprauatam vel prauam dicimus, quando nimiùm, aut ſiniſtrè, non tantùm inuoluntariè, ſed & voluntariè fit.

Inuoluntariè nonnunquam fit respiratio, & precipuè inspiratio frequentior, vel maior quàm par est. Aliàs, expiratio præsertim cùm valida, & vel interrupta nonnihil & breuis, vel diutiùs continuata, exsufflatur. In varijs speciebus; aliàs cum sono diuerso, aliàs etiam cum excretione aliquâ manifestâ, se patefacientibus. Quæ in sanis alioquin, à causis leuibus excitatæ, tantùm leues sunt affectiones: aliàs verò grauiores & morbos præsagientes, affectus sunt permanentes, morborumq; symptomata, ad prauam respirationem pertinentia; licet si in illis quoq; excretiones fiant magnę, ad excreta tunc potiùs referri debeant.

Citare-spiratio. Respiratio frequens & cita est, cum aër subitò inspirando attractus, statim etiã rursum expiratur; in Concitata vel cita dicta respiratione. Quæ magna vel parua, vel mediocris simul esse potest: nondum tamẽ impedita; sicuti in dyspnœa accidere posse diximus. Quod sanis nonnunquam euenit, & morborum quandoq; est symptoma.

Suspirium. Respiratio magna in suspirio dicto fit, in quo magno nixu & conatu aër attrahitur, rursumq; exsufflatur, cum sono quodam lachrymabili. Sanis etiam consuetum, & in morbis accidens.

Oscitatio. Magna quoque respiratio in Oscitatione appellata perficitur, in qua ore aperto admodumq; diducto, aërem primùm effatim haurientes, mox halituosum iterum copiosè efflant, cum sono lamentabili. Eamq; Pandiculatio ferè comitatur. Quæ vt sanorum sunt affectiones; ita morborum nonnunquam symptomata: sicuti in pandiculatione dictum fuit.

Singultus. Expiratio interrupta & breuis in Singultu fit; aëre cum sono aliquo veluti in momento erumpente. Sanis sæpè contingens, & in ægris graue interdum accidens & periculosum, repetitis continuò vicibus illos per horas vel dies etiam plures nonnunquam affligens.

Sternutatio. Maiore impetu & vociferatione, corporisque totius concussione, aëris fit exsufflatio subita, per nares præsertim, sed mox iterum abrupta, in Sternutatione; quæ pluribus aut paucioribus vicibus, contingit, lachrymas simul, & si quid in faucibus aut narium amplitudine hæret, excutiens. Atque catharros & grauiores etiam morbos, vt epilepsiam, interdum præcedit & præsagit; vnde hæc benè precandi sternutantibus cõsuetudo nata est, sicuti in epilepsia dictum. Sed & hoc symptoma morbos interdum sequitur, quandoq; finit: aliquando etiam sanis leui ex causa euenit.

Simili vi & validitate, vocisq; contentione & interruptione, cum corporis agitatione, aër, sed per os potissimùm, excutitur in Tussi, quæ nonnunquam diutissimè durat, quandoq; cessat & certo tempore redit. Humorem plerumq; per os excutiens; aliàs in fauces vel os propellẽs, vnde postea exscreatur vel expuitur, quæ & Humida ob id tussis, vti illa in qua nihil rejicitur, Sicca dicitur, & si leuis tantùm sit, Tussicula appellatur. Sed & si vehemens sit, vomitionem sæpè cõmouet, lachrymas exprimit, nimioq; clamore raucedinem parit, vel vocem penitus aufert: & si diuturna sit, dolorem in pectore & abdomine, ob nimiam illorum concussionem, parit. Quæ tussis, & sanis, à causis externis aliquando accidit, senibus verò adeò familiaris, vt naturalis illis excretio esse videatur: in pluribus morbis molestũ, & præcipuum interdum quod affligit, symptoma. *Tussis.*

Valida magisque continuata efflatio fit, cum crepitu oris in Ructu seu Eructatione, dictis: In sanis & ægris sæpè contingens flatuum excretio; nunc nidorosum quid, nunc fœtidum, aliàs aliud quid, vel etiam nihil redolentium. *Ructus.*

Vehementiore adhuc conatu, cũ clamore & voce raucâ, fit efflatio in Vomitu: qui aliquando conatus tantùm est, materiam aliquam è ventriculo egerendi, aliàs verò eã simul profundit, Symptoma multorum morborum, diu multumq; sæpè affligens. *Vomitus.*

Voluntate nostrâ & studio, exsufflatur quoq; ex ore & naribus aër validè, non tantùm ad Vociferationem, sed & ad alios vsus, vti per Anhelationem calida exspiratio; per Exsufflationem frigida. Quæ tamen nõ prętenaturalia sunt, nec nocent, nisi coactis ad hoc vltra modum, hæc etiam fiant: vti in morbis quandoque euenit, cùm doloribus *Vociferatio. Anhelatio. Sufflatio.*

excru-

excruciati, aut mente capti, nimiùm vociferantur, aut alijs de causis nimiùm exsufflare aut anhelare coguntur.

Cum impetu & strepitu, voluntate quoq; nostrâ, excretionum causâ, aër & cum eo humor per nares propelluntur, in Emunctione, compressis naribus, vt coarctato nonnihil loco validior fiat eiaculatio, vel etiam apertis illis exsufflando expelluntur.

Emunctio.

Sed & voluntariè, ore collecto, vt spiritus coniunctus fortiùs impellat, per vehementem exsufflationem in Expuitione, humorem rejicimus: atque è faucibus eâdem vi, angustias illas nõnihil coarctâtes, per Screatum in os propellimus, & veluti per sphyringam eiaculamur. Quæ duo, symptomata interdum fiunt morborum: aliàs sanis, vel ob copiam humoris in faucibus; vel ex consuetudine vsitata; quando hęc tanquam pausam inter loquendum, vt interea aliquid meditari possint, orationi frequenter intermiscent oratores, & screatu atq; expuitione partes orationis distinguunt.

Expuitio. Screatus.

Sinistrè potiùs, quàm nimiùm obitur inter voluntariam exspirationem, ea, quæ vocalis est, vox scilicet, cùm rauca editur, nec planè, sed cum inæqualitate quâdam & sono aspero permisto, profertur, in Raucedine dictâ: idq; vel voce simul imminutâ vel clarâ nihilominus, sed vt dictum asperâ: quod vitium hûc pertinet, vti illud ad defectum respirationis.

Vox articulata, seu locutio etiam malè obitur, cùm in efferendis certis literis, balbutiunt: verùm cùm eas tunc nec exactè nec planè proferre possint, ad imminutam loquelam potiùs, sicuti in defectu respirationis dictum, refertur. Quando verò nullus defectus adest, sed certas literas gemino sono efferunt, sicuti R. aliqui duplicando, cum stridore pronunciant, tunc etiam hoc vitium ad deprauatam loquelam pertinet.

Balbuties cum stridore.

Causæ.

Causæ omnium deprauatæ respirationis generum enarratorum, cordis, vel organorum respirationis occasione procedunt.

Cordis causâ) cùm propter cor, ad spiritus vitalis generationem, respiratio fiat) respiratio & præsertim inspiratio intenditur: si aër sufficiens illi non subministretur; vel spiritus illius vehementiùs agitentur.

Aëre, quo ad generationem spiritus vitalis, continuò cor dum mouetur opus habet, si ob intermissam respirationem aliquandiu cor priuetur, tunc vt illud quod omissũ fuit, resarciatur, inspiratione magnâ per suspiriũ ducta indiguit: qua aër affatim attractus, defectum hunc illius reponit. Intermittitur autem, quando animus per illius affectiones alijs rebus adeò intentus est, vt respirationis quasi oblitus, ad eam ducendam tamdiu non impellat, donec necessitas rursum eam excitet, & vt maior fiat, incitet.

Animi affectus, causa Suspiriorũ.

Spirituum cordis nimia, per mentis perturbationes commotio, & cordis veluti quidam dolor, oppressio & suffocatio, qualem per animi affectus sentimus, inspirationis illius magnæ, quæ per Suspiria ducitur, causa est, cùm per eam cor oppressum euentiletur & refocilletur; sicuti apertè cordis dolores, vt vocant, alleuiari per suspiria sentimus. Quæ potior sanè suspiriorum causa est: nec enim tantùm ob intermissam respirationem, animo alijs intento, hæc fieri, ex eo patet, quòd & noctu quiescentes, animo tunc penitus veluti sopito, nihilominus sufficienter respiremus.

Motu vehementi vel valido totius corporis, qualis currendo, vel prærupta loca scandendo, aliisve obitur, quæ spiritus admodũ dissipant, vitales pręsertim, quod & ex debilitate, quæ mox subsequitur, satis patet, ne illi deficiant, sed continuò resarciantur, multâ inspiratione opus fuit, non ob necessitatẽ cordis refrigerij, cùm & respiratio ex motu, corpore nondum calescente, solo quoq; intendatur. Proin non hæc, sed quæ dicta fuit, quod citam respirationem & frequentem, eiusmodi exercitia commouent, causa est.

Motus vehemens, causa Citæ respirationis.

Eoq; concitatior oritur respiratio, si corpus nimio labore simul incalescat, vnde spiritus magis adhuc absumuntur; maximè, si tantus sit calor, vt & cor simul incalescat: quod non tantùm motu valido, sed & per æstuaria fit: item animi nimios motus, per iram, gaudium: & præsertim perseueranter

Calor, causa Citæ respirationis.

in febribus, in quibus cita respiratio vnum ex illorum symptomatibus existit.

Organorum respirationis causâ, exspiratio vehementior exsurgit, si illa vel grauentur; vel irritentur: Vel sinistrè fit, si illa exasperentur; aut vitiũ aliud instrumenti adsit.

Vapor, Laßitudo, Imaginatio, causa Oscitationis. Grauata illa organa halituosis vaporibus, atque ex lassitudine se relaxare cupientia, quomodo Oscitationẽ & nonnunquã cum eâ Pandiculationem faciant, in motu deprauato exposuimus. Vbi & quomodo ex imaginatione oscitatio fiat, ostendimus.

Irritata seu molestata organa respirationis exsufflationem concitant, si pars ipsorũ summè sensilis iniurijsque exposita magis, qualis est succingens ea tunica, non tantùm eo in loco vbi illa succingit, vt in aspera arteria, pulmonibus sed & alibi quo se extendit & se inserit, vt in naribus, ore, faucibus, gula, ventriculo, intestinis, septo, propter cõtinuationem offensa, vt illud expellant, aliqua ex illis, aut simul omnia quæ exspirationem faciunt, insurgant, illudq; per exsufflationẽ excutere nitantur. Tunc prout irritatio maior minórve est, & parte aliquâ illius plus minúsve sentiente & nobiliore afficitur, diuersa deprauata exspirationis genera exsurgũt. Quod quomodo à causis diuersis, splendore, vapore, aëre humorib. aliísve corporib. externis vel ab internis, aut vaporib. aliísve à causis & morbis fieri possit, nũc ostẽdemus.

Splendor solis, causa Sternutationis. Splendor solis, vel lux magna oculis oblata, sicuti lachrymas, oculos vellicando, mouent; ita vicinam narium sensilem tunicam, cum qua palpebrarum sensilis tunica quandam habet communionem, per consensum afficientia, Sternutationem mouent; in iis, qui ad eam propter humores tenues & fluxiles sunt prompti, vel ob exquisitum harum partium sensum facilè patiuntur.

Odor vellicãs, causa Sternutationis. Vice versâ, odor seu vapor acris; veluti ab allio, cæpis, sinapi, raphano, naribus adhibitis, vel assumptis, vti nares pungens sternutationem facit, sic & oculis vellicando, lachrymas elicit.

Aër & aqua frigida, causa Tußis & Raucedinis. Aër frigidus affatim attractus, faucium asperæq; arteriæ tunicam molestando, & vti frigidũ partibus sensilibus facere solet, mordicando, Tussim mouet siccam, cum raucedine coniunctam, si cõstringendo & siccitate suâ partes has, quæ leues & lubricæ esse debuerunt, exasperet: quod si admodũ fiat, vox quoque deperditur. Sed & defluxiones mouendo, humidã ex accidenti tussim causare potest. Aqua frigida affatim bibita, raucedinem simili ratione parit.

Quod quoque ab astringentium vsu fieri potest.

Illapsa in asperam arteriam, causa Tußis. Humores aliáve corpora crassiora, si in asperam arteriã incidant, cum illa exquisitissimo sensu prædita, vel solum horum contactum ferre non possit, mox tussim mouent, eamq; admodum validam, si ab illis ob acutiem aut asperitatem, simul irritetur aut acredine pungatur. Vti fit, si ex assumptis cibis aut potu, dum degluciuntur aut bibuntur, aliquid à rectâ viâ declinans, in laryngis rimulam feratur. Sicuti loquentibus, eâ dilatatâ, quando simul deglutire volunt, sæpè contingit, vt aqua, vel vinũ, vel mica panis, aut aliud quid in asperam arteriam illapsa, tussim moueant, cuius vi & mox iterum per os excutiuntur, & nonnunquam etiã in narium amplitudinem propulsa, per nares rejiciuntur, vel si magna copia fuerit, liquores illapsi effunduntur. Potest & alio casu aliud quid, vti pulueres, per aërem præsertim attracti, in hasce vias ferri & tussim mouere.

Attracta naribus, causa Sternutationis. Sed & à similibus, si in nares spiritu ducantur, sintque acria & nares vellicent, Sternutatio concitatur: vt ex piperis, pyrethri, hellebori pulueribus atque succis acribus, in errhinis attractis, euenit. Quæ si casu per narium amplitudinem, cum aëre in asperam retracta, eam subeant, tussim vehemẽtem simul excitant.

In ore cõtenta, causa Expuitionis. Verùm & fauces accendentia, tunicamq; succingentem illic stimulantia, si masticentur, aut ore contineantur, saliuã & pituitam prouocando, Expuitionem mouent: vti pyrethro, staphisagria alijsq; similib. in caputpurgijs appellatis, eã promouere solemus.

Humor à capite defluens, causa Tußis. A capite humor defluẽs, aqueus, excremẽtitius, serosus, aut pituitosus, tenuis vel mucosus, simplex aut alijs salsis, biliosis, acribúsve humorib. ꝑmixtus, in catharro dicto, si in asperam arteriam illabatur, Tussim cõcitat, eò vehementiorem, quò materia quæ

illapsa

illapsa est, acrior copiosiórve existit, diuturnioremque, quò diutius perseuerat destilatio, aut defluxus humor tenuitatem per tussim potius dispergitur quàm reijcitur. Quæ omnia mitiora fiunt, si humor aqueus & pituitosus tantùm existat; qualis & citra stimulum ad tussim, à capite per asperam arteriam, noctu præsertim, sensim descendens, in pulmonibus sæpè coaceruatur, maneque aliquot saltem tussiendi conatibus cedit, facileque reijcitur.

Humor à capite defluens, causa Screatus & Expuitionis & Raucedinis.

Sed & idem humor in fauces à capite defluens, aut ab aspera arteria in illas propulsus, illicque molestando Screatum mouens, per illum eijcitur, vel in os protrusus expuitur. Qui si tenax & mucosus sit, illisq; diutiùs adhæreat, Raucedinem parit: voci impedimentum adferens, quia inæqualitatem in illis locis efficit suâ adhæsione, vel quia sub tunica latens vt intumescant ea loca, facit. Ab vniuerso quoque corpore fœda illuuies huc propulsa, Excreationem atque expuitionem indesinentem causat: qualem ex hydrargyri inunctione, diu ægros molestare videmus. A quibus omnibus etiam vlcera in hisce locis fieri possunt, vnde vox rauca efficitur.

Hydrargyri vsus causa Expuitionis.

Humor à capite defluens, causa Sternutationis.

Verùm & humor à capite defluens, si acris sit & tenuis. & ad nares feratur, eas vellicando, Strenutationem mouet, & ad frequentem simul Emunctionem nos sollicitat. Quæ repetitis vicibus, nec paruâ molestiâ, in affectu qui Coryza dicitur, sæpè molestat; etsi defluxio persistat, naribus quandoq; inflammatis & exulceratis, calidoq; & acri humore è naribus exstillante, diu perseuerat.

Sãguis à superioribus descendens, causa Tussis & Screatus.

Sanguis etiam à superioribus in fauces descendens, Excreatur, & si in pulmones illabatur, Tussim ad sui excretionem sollicitat. Et si acris calidusque in venis circa nares colligatur, pruritum illic faciendo, Sternutationem sæpè mouet, secuturæ hæmorrhagiæ narium, prænuntiam.

Pituitæ vel Tophi in pulmonibus, causa Tussis.

Congestus in pulmonibus humor pituitosus, à crudiore illorum nutrimento natus, Tussim quoque mouere solet, eò magis perseuerantem, quò tenacior est: vti in asthmaticis eam cum dyspnœa cõcurrere diximus. Quod quoque si tophi vel calculi illic geniti hæreant, solet accidere; maximè si materia hæc obstruens, ad maiores asperæ arteriæ ramos, vbi sensus magis est exquisitus, perueniat, exitumque illic quærens, ad tussim impellat.

Pus in pulmonibus, causa Tussis.

Pus in pulmonibus collectum, simili ratione ad vias dictas progressum, Tussim cõmouere frequenter solet. Quale nonnunquã ex pituitâ diu retentâ, & veluti maturatâ, aut suppuratâ expuitur. Aliàs ex sanguine excrementitio etiam citra exulcerationem gignitur. Quâ ratione in pleuriticis quoque & peripneumonicis, inflammatis pulmonibus potiùs coaceruari, quàm à thorace per pulmones transudare, tussimq; concitare, illic ostendemus. Aliàs verò à pulmonum vlcere & abscessu hoc procedit, & in phtisicis continuò tussiendo redditur. In quibus omnibus, si pus album, coctum, temperatumq; existat, mitiorem faciet tussim: pertinaciorem verò, si ex humorum permixtione aut coruptione, flauum, subuiride, subatrum, acre & fœtidum existat.

Sanies in pulmonibus, causa Tussis.

Sanies in pleuritidis, & peripneumoniæ pincipijs, mox exsudans, Tussim quoque excitat.

Sanguis in pulmonibus, causa Tussis.

Vti & sanguis in hæmoptoica passione copiosè profusus.

Vapores maligni, causa Singultus.

Vaporibus malignis, si septum in febribus pernitiosis irritetur & molestetur, vt illos excutiat, in se contractum subitoq; relaxatum, (vti in conuulsionibus neruorum fieri diximus) veluti conuulsum, sonum illum interruptum edit, qualé in singultu in hisce morbis diu perseuerante & lethali, accidere videmus. Vix enim ob siccitatem illius, etiam in causone arefactum, hoc, vti voluerunt, accidit, vnde dyspnœa potiùs, sicuti dictum, quàm deprauatus illic & concitatus motus ederetur.

Ventriculi læsionibus, si septum illi consentiens offendatur, similiter ad motus deprauatos, per exsufflationem edendos, concitatur. Cum enim non tantùm ventriculo propinquum sit, illiq; incumbat, sed & eandem cum ventriculo communem sortiatur tunicam, eosdemq; neruos in orificium ventriculi & septum insertos acceperit, non mirum ventriculi incommoda, septum persentire, & cùm ventriculus, vt illa excutiat, in-

surgit, seq; aperit, septum quoque motu suo ventriculum, vt illud rectiùs præstare possit, impellere; adiuvantibus si magnâ vi opus sit, reliquis thoracis musculis: & quemadmodum septum opitulantibus abdominis musculis, intestina, cùm excrementa deiectura sunt, premendo, excretioné illorum promouere solet, sic & ventriculũ motu suo, ad exturbandas noxas iuvare: eoq; vel leuiore, si vi minore, fortiore, si maiore conatu opus sit.

Irritatio Ventriculi, causa Singultus. Si enim intrinsecùs tantùm à ventriculi lateribus offensa excutienda est, motus ille, qui per singultũ fit, sufficit, per quem septum ventriculum concutit, illiusq; facultaté expultricem adiuvat, vt adhærentem materiam quæ illum irritabat, in illius cavum deturbet, reliquisq; contétis permisceat; vnde mox stimulo illo cessante, quo facultas expultrix sollicitabatur, septi motus, qui singultu perficiebatur remittit, vel si materia rursum ventriculo se agglutinet aut ab eo ægrè recedat, singultus repetit, diuq; sæpè perseuerat. Irritatur autem hoc modo ventriculus, vel ab acribus, adurentibus, aut alioquin illi aduersis. Vt ab assumptis, pipere, cæpis, catharticis, veneno rancidis: vel ab humoribus illic genitis aut in ipsum effusis, biliosis, malignis, &c.

Cardialgia, causa Sternutationis. Fit etiam vt ventriculo offenso, per consensum tunicę illius interioris, validiore motu & efflatione, per Sternutationem natura hanc illius molestiam nitatur excutere: quâ & hi qui cardialgias aliquas patiuntur, subitò quandoque leuantur, per hanc vim materiâ in ventriculo ita concussa, vt minùs se illi insinuet, eumq; molestet.

Ventriculi, Intestinorũq;, causa, Tussis & Sternutationis. Sed & per eundem consensum, nõ solùm ventriculi, sed & intestinorum & viscerum illi adiacentium, septo consentiente, illis offensis & irritatis laborantibusq;, Tussis sicca nonnunquã affligit: Vti à lumbricis ventriculum, & colon illi vicinum infestantibus, tussicula pueros diuexare solet, nonnunquã & sternutatio, prodit: quã pruritus narium, quo nomine & eas fricant, eiusdem tunicæ consensu, solet præcedere. Et in alijs horum viscerum obstructionibus, septo molestato, ipsorum pondere, vel molestiâ, Tussis sicca ægros offendit.

Flatus, causa Ructus. Validiore motu, quàm per singultum fieri solet, qui per ructum fit, septum interdum ad excutiendas hasce illius offensas, ventriculum adiuvat, præsertimq; quando flatibus impletur, aut illis offenditur, septo tunc adeò illum pulsante & impellente, vt & flatus & aër simul per os cum crepitu erumpant; qui odorem materiæ illius, à quâ flatus gignitur, redolent.

Modestia ventriculi, causa Vomitionis. Longè vehementiore adhuc motu septi, thoracisq; musculorũ, cùm materia solidior in ventriculo contenta, cibus, potus, humores, excrementa, ex eo profundi debent, Vomitio perficitur: quâ ventriculus non tantùm impellitur, sed & veluti euertitur, vt & materiam illam cum aëre, magno impetu & vociferatione, sursum, per viam alioquin hisce excretionibus minimè destinatam, euomat. Quam vomitionem, eorum quæ in ventriculo continẽtur, nimia quantitas vel qualitas molesta, aduersa & nauseosa, causare solet. Sicuti hæc, quæ ventriculi hasce excretiones, attinent, in excretionibus & reiectis, alijs locis quoque explicabimus.

Morbi aliqui, causa Singultus. Inflammatio ventriculi & septi, alijq; grauiores illorũ morbi has partes lædentes. Singultum malignũ procreant: Vti & subiectarum partium morbi magni, in cõsensum has partes trahentes, singultum inferre possunt.

Morbi, causa Raucedinis Tumores præter naturã, & Vlcera in faucibus, Raucedinem pariunt; vti in varijs eiusmodi morbis, vt leprâ, & lue venereâ eam fieri cernimus.

Linguæ vitium, causa Balbutiei cũ stridore. Instrumenti vitium aliud, ab ortu ferè vitium hoc loquelæ causat, in quo geminato R R. cũ stridore verba, quæ ex R. componuntur proferunt. Quod quale in lingua sit, non satis patet, nimiùm ea vel inflexâ, vel aliter formatâ. Causas verò quare Blesi fiant, in defectu respirationis iam exposuimus.

Curatio.

EAm singulis generibus, quid prædicendum vel agendũ sit, docendo primùm, accommodabimus, cùm in quibusdam curatione non adeò opus sit, & quorundam cura, alijs in locis potiùs sit explicanda.

Cita respiratio. Cita respiratio, si à motu corporis valido procedat, quiete sponte ad moderationem redit:

[...]nis curatio. redit: quod & motu fit priori opposito, vt si montem ascendendo hoc contingat, si rursum descendat. Si ab animi motu vehementi hoc accidat, remittente eo, remittit & hæc cordis agitatio. Si ab externo calore, refrigerio sanatur. In febribus, curâ generali quæ febribus debetur refrigerante & humectante corrigitur, neq; huius symptomatis causâ, priuatim aliquid tentatur.

Suspiriorum consideratio. Suspiria si frequenter hominem fatigent ob mentis perturbationē, si animus affectus ad se redeat vel mitigetur, ea remittunt. In mente captis & delirantibus, morbi magnitudinem denuntiant. In alijs morbis grauibus constante mente, crebra suspiria, vel pusillanimitatem vel virtutē prostratam, quod nihil boni portendit, significant.

Oscitationis tractatio. Oscitatio si non ob defatigationem & somnolentiam fiat, quod naturale est, frequenter repetita, quomodo morbos venturos in quibusdam, & paroxysmi initium in febricitantibus, pręsagiat, in pandiculatione, quæ eam plerumque comitatur, iam dictum fuit. Ex imaginatione faciliùs in pigris, quàm vegetioribus naturis, commouetur.

Singultꝰ curatio. Singultus in febribus acutis si accidat, diuque perseueret, cùm septum tunc grauiter afficiatur, conuulsiones minatur, mortemq; sæpè pręsagit. Ventriculi vitio si fiat magnaq; illius sit offensa, vti ab helleboro, veneno, aut erodentib. & similibus procedēs, aut morbo alioquin graui, vt inflāmatione, eadē prædicere & inferre solet. Alijs verò à causis eueniens, facilè emēdatur, aut spontè etiā cessat.

In curatione, quod causam attinet; huic potissimùm summouendæ, cura adhibebitur. Vt si ab inflammatione, febri acutâ vel malignâ fiat, hisce accōmodabitur: si à ventriculi irritatione, vt illud quod eum molestat, auferatur: ventriculi molestia leniatur. Et in omnibus causis, vt septi motus inordinatus, qui per singultum fit, sistatur. Quæ sequentibus, nunc his illisve, prout causa calida, hoc est acris, biliosa, mordax, maligna: vel frigida, hoc est, pituitosa aut aliàs excrementitia existit, vtendo perficitur.

Vomitus, si causa in ventriculo lateat, conuenientissimus: cùm enim per singultum, septum, ventriculum in exturbanda causa, adiuvet, eamq; ob causam alleuiet, quò validior fuerit ille motus, & septi & thoracis musculorum, qui vomendo fit, per quem ventriculus adeò impellitur, vt vel offensam penitus reijciat, vel saltē ab ipsis lateribus nonnihil separet, eò plùs hîc adiumenti adferet.

Dantur itaque vomitoria, quæ humorem adhærentem abstergant: & si acris, biliosus, quæ illius efferuescentiam simul retundant, hoc modo: ℞. syrupi Acetos. simpl. Oxymel. simpl. an. ℥. vj. ol. Amygd. dulc. ℥. ij. dissoluantur aquâ Nucum vel decocto Raphani: Propinetur.

Reiteranda vomitio si alleuiet, & tamen singultus non cesset, etiam fortioribus exhibitis: sicuti in remedijs varia habentur.

Expurgatio per inferiora conuenit, si perseueret humor. Qui & si tenax sit, prius præparari debet incidentibus & abstergentibus: sumendo Iulepos vel vinum Absynthites, quod & in bilioso & pituitoso humore proderit: quæ dum materiam præparant, vt & sponte postea faciliùs euomatur, vel vt rectiùs dein deijciatur, efficiunt.

Exhibentur eo nomine purgantia stomachica, vt Hiera & similia in ventriculi noxis explicata. Vt in causa calida: ℞. fol. Absynthij ℥. j. Senæ ℥. iij. Rhabar. ℥. j. infundantur in Vino, bulliant parùm, colentur: & bibat.

In frigida verò causa: ℞. Agarici, Turbith, ana ℥. j. Zingib. ℥. ß. Salis gemmæ gr. vj. sp. Hieræ ℥. ij. Diacrydij ℈. j. cum Oximellite fiat massa: capiat ℥. j.

Repeti possunt eiusmodi euacuationes, aliæve, si perseueret malum, aut facilè redire soleat.

Quæ aliàs singultus compescendi causâ assumuntur, vt humorem vel abstergant, aut sedent, ventriculum offensum leniant, illiq; postea robur addant, sunt sequentia.

In calida causâ, hoc est, acri vrente humore, vel intemperie seu inanitione, vt illi vocant, conducunt sequentia.

Iusculum affatim & sæpè exhibitum. Ptisana, item Aqua frigida vel calida copiosè bibita. Oleum item Amygd. dulcium.

Vel: ℞. succi malorum Punicorum ℥. ß. Aceti ℥. ij. Masticis, fol. Menthæ sicc. ana ℥. ß. misce: Bibat.

Vel

Vel Syrupi alij acidi exhibeantur.

In causâ verò frigida seu pituitosâ: ℞. Galangæ, Zingib. ana ʒ.ß. vini Maluatici ℥.j.ß. aquæ Cinamom.℥.ß. Bibat. Vel sic: ℞.radic. Galangæ ʒ.iij. fol.siccorum Absynthij, Menthæ, ana ʒ.ij. Spicæ celt. Maioranæ, semin. Anethi, Carui an.ʒ.j. Cinamom.Gariophyll. ana ʒ.ß.macerentur in Vino: & de illo bibat.

Item: ℞.aquæ Vitæ ℥.j.infunde Cinamomi, Galangæ ana ʒ.j.passetur sæpè: capiat de hoc liquore.

Vel vtatur hoc electuario: ℞. Acori veri, id est, calam. aromat. & Zingib. conditi ana ℥.j. conseru.Maioranæ ʒ.ß.pulu.Diagalangæ ʒ.j.cum syrupo de Mentha: fiat electuarium.

Pilulæ sequentes exhibitæ prosunt: ℞. Castorij ʒ. ß. Mumiæ ℈. j. Masticis ℈.ß. cum Melle scyllitico fiat massula; capiat duabus vicibus.

Sensum ventriculi etiã obtundimus nonnihil, vt sic minùs noxas sentiens, minùs afficiatur. Quod fit dando Theriacam, Mithridatum, quibus Tormentillæ puluis vtiliter permiscetur: quæ, etiam si à veneno singultus fiat, prosunt: vti alia multa antidota. Sed & alia narcotica, si necessitas vrgeat, & singultus somnum impediat, dari possunt.

Inijciuntur Clysteres ad reuellendum, vt materia citiùs deorsum vergat. Suppositoriaq; induntur, vt natura illic sollicitata, huc potiùs, quàm ad superiora, noxam detrudat.

Naribus adhibetur odor Anethi decocti cum Mastice, quia singultum corrigere creditur.

Sternutatio singultum curat, cùm maiore illa vi, quàm quæ in singultu fit, citiùs offensa à ventriculo, vel etiam septo, dissipetur; eoq; nomine nares, ad eam promouendam, irritantur.

Oris ablutiones & gargarismata ex aquâ Frigidâ, singultum compescunt.

Extrinsecùs anteriori & posteriori, interdum vtrique simul, ventriculi regioni, adhibentur varia. Vti fotus hic: ℞. radic. Enulæ ʒ.iij. herbarũ Menthæ, Absynthij, Spicæ celt. Anethi, Pulegij, Calamenti ana M.j. flor. Lauendulæ, Anthos, Chamomil.ana P.j.semin. Cimini, Carui, Anethi ana ʒ.j. baccarum Lauri, Iuniperi ana ℥.ß. Masticis ʒ.ij. coquatur in Vino: Pro fotu stomachi, anteriore sede.

Item Cineres calidi irrorati in Vino maluatico, & aquê Vitæ, in sacculo vel vesica positi; Applicentur ventriculo.

Fotus cum spongia in Aceto ros. in causâ calidâ, competit.

Inungatur ventriculus oleis relaxãtibus, antè, retroque: mox astringentibus.

Vel Sacculus sequens illi apponatur: ℞. semin. Carui ℥.ß. semin Ameos, Anethi ana ʒ.ij.rad.Galangæ, Gariophyll. ana ʒ.j. Menthæ sicc.ʒ.ij.Masticis, Thuris ana ʒ.j.irrorentur Aceto ros. Applicentur.

Aliaq; emplastra conuenientia, vt in causa calida, Cerati Santalini, vnguenti Rosacei ana ℥.j. Masticis ℥.ß. cort. Citri & carnis Cyton. ana ʒ.j. cum succo Semperuiui & paucâ Lariceâ, fiant emplastra duo; quorum vnum anteriùs, aliud posteriùs stomachi sedi applicetur.

Manus & pedes Aquæ calidæ immergere, in singultu prodest. Vel si omnino in eâ sedeant.

Ligaturæ extremitatum iuvant.

Cucurbitulæ scapulis & vmbilico primùm, posteà ventriculi sedi, antè retroque affigendæ.

Spiritus seu respiratio, si aliquandiu contineatur, quia tunc septi motus sistitur, facit vt singultus minùs infestet.

Vel contrario modo, clamore & vociferatione, cursu, respirationem concitare, quia & reliqui thoracis musculi, tunc vnà cum septo ventriculum in excutiendâ noxâ iuvant, singultum compescit.

Animi motus subitanei, spiritus reuocando, singultum tollunt. Commouentur autem, Perterrefaciendo, clamore, aliísve: & imprimis aspersione Aquæ frigidæ ex improuiso in faciem.

Alysson manibus gestatum, singultum soluere docet Diosc.

Sternutatio interdum minimè obest, bonumque est, vti vulgus dicere solet signum: in sanis illud quod molestare solebat excutiens: aliquando in declinationibus morborum illorum finem præsagiens. Malum quoque interdum indicium, venturam destillationem, *Sternutationis curatio.*

tionem, vel epilepsiæ paroxysmum, in dispositis, prænuncians, è quibus tamen nulla impediri debet. Sicuti quando nocet, in malè affectis: vt in hæmorrhagia narium, quia eam cõmouet; in rupturâ, quia intestinum propellit; in oculorum affectibus, quia lachrymas excutit, sanguinemque eò propellit; aliisque dolorosis affectibus, in quibus dolorem exacerbat, compescenda erit. Vti & si adeò immoderata sit & continua, vt cacapitis dolorem pariat, spiritus dissipando nocumentum adferat.

Corrigitur tunc, propinatis iis, quæ capitis excrementa expurgant, si ab illorum in nares influxu fiat, vti in Coryza dicetur.

Exhibitionem decocti Basiliconis, cõferre in sistenda sternutatione, prædicant.

Nares irritatæ demulcentur, Vapore aquę tepidæ, si eum admittant. Tingendo vel inungendo eas similiter Lacte, Butyro, Oleo præcipuè ol. seminum Cucurbitæ, Papau. Hyosquiami. Item Albumine Oui & Mucilaginibus: omnibus tamen recentibus.

Odor narcoticorum vt Opij: item olei Rosacei & de Salicibus, humoribus acrimoniá reprimendo, sternutationem emendat. Vti verò acrium stimulantiumq; odor eam excitat, & proin vitari debet.

Auribus immittuntur eandem ob causam olea, vti Amygdal. dulc. Anethinum, Chamomil. Rosaceum, Salicum, Cucurbitę; succus item Basiliconis.

Caput quoque si decocto Basiliconis lauetur, proderit. Et si flores Chamomillæ in puluino substernantur.

Pectus si fomentetur, roborando illius loci musculos, sternutationem mitigat, hoc modo: ℞. flor. Chamomil. P.ij. flor. Meliloti, fol. Ocimi, Furfuris ana P.j. decoctis stuppa indatur, & leuiter expressa tepidè applicentur.

Extremitatum ligaturæ, seu frictiones iuuant. Item si Aures, Oculi premantur, aut fricentur: Nasus trahatur, Palatum digito fricetur, Caput pectinetur.

Spiritus retentionem vti singultum curare diximus; sic sternutationem emendat: quam rectius pressis naribus oreque constricto retinebunt.

Si perterrefiant, citiùs à sternutatione, vti & à singultu liberabuntur.

Sed & spiritus valida attractio iuuat, quod cum odorando panem facere imperent, odore panis illud fieri vulgus credit.

Somnus eandem sedat.

Tenebræ ad idem prosunt, cùm luce & splendore facilè ad sternutandum, vti dictũ, impellantur. Quâ de causâ quibus tela oculi, in illius punctura detracta est, in obscuro loco aliquamdiu collocantur. Quod & in aliis morbis, quibus sternutatio obest, facere, proderit.

Resupinatus, puluinari capiti subiecto, collocetur.

Tussis, si cum grauioribus iungatur affectibus, illic tractanda. Vti ea quæ fit cum dyspnœa in asthmate: quæ fit cum reiectione sanguinis, saniei, puris, in hæmoptoicâ, pleuritide, peripneumoniâ, phthisi. Et quæ partium naturalium vitio accidit, in aliis locis. Quæ verò per se affligit, pro causarum diuersitate, iudicanda & curanda est. Si enim ab illapsis in asperam arteriam fiat, tunc nisi suffocentur, vti in dyspnœâ aliquando accidisse, dictum fuit, illis denuò excussis, sponte postmodum tussis remittit: vel si remanserit quædam faucium irritatio, lenientibus mox dicendis emendatur. Quod si à frigiditate solâ fiat, actu potentiaq; calefacientibus, & simul lenientibus, cùm exasperatæ tunc quoq; sint fauces, facilè iterum curatur. Si verò à defluxione fiat tenui, acri, salsâ, admodum molesta est tussis, quia valdè irritat, atque ob tenuitatem, per aëris impulsum in tussi non propellitur, sed tantùm dissipatur. proin nec cessat, donec catharrus remittat, & materia defluxa, crassa, & veluti suppurata seu maturata & cocta fiat; tunc enim minore labore excutitur, sensimq; tussis remittit. Quòd si verò à pituitâ crassâ, defluxâ vel congestâ, fiat tussis, ægrè cessat, si ea cõtinuò in locũ excretæ de nouo defluat aut congeratur: facilius autem, si hęc non perseuerent. *Tussis curatio.*

In curatione autem vtriusq; tussis, ab humoribus eiusmodi excrementitiis profectę: tum causæ antecedentis ratione, humores ne coaceruentur, prohibemus, & fluentes sistimus: coniunctas verò in pectore latentis

causâ, tussimque mouentis, eam expectorare, vt vocant, studemus; eum si tenuis sit incrassando, si crassus incidendo; vtrunque concoquendo, & stupefacientibus sensum illius exquisitum, retundere nonnihil solemus: quæ & præcipuè hoc symptoma, tussim scilicet, corrigunt. Hæc omnia, hoc modo exhibitis admotisque perficiuntur.

Exhibentur præparationis nomine ante euacuationem humorum, quæ & postmodum expectorationis causâ, prodesse possũt, si tenuis sit humor & acris, Iulepi, per triduũ sumendi: ℞. syrup. Iuiubini, Violarum ana ℥. j. ß. mellis Rosacei, syrupi de Papauere ana ʒ. ß. aquarum Vngulæ caballinæ, Viol. ana ℥. iij. fiat iulepus.

Vel decoctum hoc: ℞. Iuiub. Sebesten ana numer. xv. Prunorum dulc. num. x. Hordei mundi ℥. ß. rad. Liquirit. ℥. j. flor. Viol. P. ij. Rosꝭ P. j. seminum Myrtillorum ʒ. j. fiat decoctio: adde Sacchari penid. ℥. j. Pro tribus vicibus.

Si crassior sit humor frigidus: ℞. syrupi de Liquiritia ℥. j. ß. de Hysopo, Oximell. s. ana ʒ. j. aquarum Betonicę, Marrubij, Hysopi, ana ℥. iij. fiat Iulep.

Vel decoctum hoc: ℞. rad. Liquirit. ℥. j. rad. Enulæ ʒ. ij. Passul. enucl. par. xx. Caricarum num. x. Dactylorum num. v. seminum Anisi ʒ. ij. Fœniculi ʒ. j. fol. Hysopi sicci ʒ. ij. Capill. Vener. Vngulæ caballinæ ana ʒ. j. fiat decoctio: adde Mellis ℥. ij. Ter sumenda vel quater.

Cathartica, si à defluxione tussis fiat, exhibentur: cauendo tamen ne nimiùm illis irritando, catharrum augeamus: cuius causâ, astringentia quoque permiscentur.

Si tenuis & calida sit defluxio, hoc modo: ℞. cort. Myrobal. citrin. ʒ. ij. Rhabarbari el. ℈. iiij. Agarici troch. ʒ. j. Spicæ gr. vj. infundantur omnia in Vino albo, exprimantur, dissolue in express. el. de Succo ros. ʒ. j. syrupi Ros. sol. ℥. j. Bibat.

Vel sumat pilul. Aggregat. ℥. ß. Aurearum ℈. j. cum Vino: fiant pilulæ.

In crassiore & frigidiore humore sic purgandum: ℞. Agar. ʒ. j. Turbith. ʒ. ß. Spicæ ℈. ß. Zingib. ℈. j. infundantur in Vino & Melle, exprimantur, dissolue Diaphænic. ʒ. ij. Mellis rosacei solutiui ℥. j. ß. Bibat.

Vel per pilulas: ℞. pilul. de Agarico ℈. ij. Cocciarum ℈. j. cum Vino, vel aquâ Cinam. fiant pilul.

Si corpus maiori purgatione indiget, detur decoctum tribus vel quatuor matutinis: quod ℞. rad. Liquirit. ℥. ij. Ireos ℥. j. Enulæ ℥. ß. herb. Marrubij, Vngulę caball. Hysopi, Betonicæ ana M. j. seminum Anisi, Fœniculi, ana ʒ. ij. Passul. num. xx. Ficuum num. x. Dactylorum num. v. Carthami, Senæ ana ℥. j. ß. fiat decoctio in Aqua & pauco Vino, infunde in fine Agarici ʒ. iij. Turbith. ʒ. ij. exprimantur: adde Mellis ros. ℥. j. decoquantur adhuc parùm; colentur: Bibat.

Per vices aluus laxa seruanda; atque successiuè, vt corpus purum sit, euacuandum.

Ex lenientibus confert electuarium sequens: ℞. Passul. maior. ℥. j. ß. minorum ℥. j. Sebesten numer. xv. Ficuum num. xij. Dactyl. num. v. Cassiæ è cannâ sumptæ ℥. j. ß. Tamarindorum ℥. j. macerentur, & bulliant in Vino albo: extrahatur pulpa: cui adde Mannæ el. ℥. iij. syrupi Viol. & Rosar. sol. ana ℥. j. bulliant adhuc parùm: capiat cochl. j. vel ij. ante cœnam.

Quando leuiter euacuare & catharrum simul sistere volumus: ℞. Agarici ʒ. j. Masticis, Thuris aã. ʒ. ß. cũ succo Hysopi; fiat massula: capiat ʒ. ß. noctu cubitum iturus. Vel loco horum capiat ℈. j. pilul. Masticinarum.

Aut si validiores esse volueris: ℞. pilul. Assaiareth, Agar. troch. Rhabarb. elect. ana ʒ. j. Thuris, Masticis ana ℈. j. Croci ℈. ß. cum syrupo Papau. fiat massula: capiat ʒ. ß. in introitu lecti.

Sudores mouentia, in perseuerãtibus defluxionibus exhibita, corpore purgato, plurimùm prosunt.

Alterantia, tum ad sistendum catharrum, si ille tussim foueat, emplasticâ & siccante potiùs, quàm astringente vi id præstantia; tum ad expectorãdum, incrassando si tenuis sit humor, incidendo, si crassus, abstergendo, si adhæreat; tum ad vias leniendas, & stupefaciendas, diuersis formis, vnum aliquod ex hisce vel plura simul efficiẽtia, qualia multa, præcipuè quæ materiam tenacem incidunt & abstergũt, in asthmate exposuimus.

mus, hic quoq; quæ præsertim in tussi conueniunt, & hæc, & alia, in selectioribus formulis, nunc ostendemus.

Solidiores formæ, in tussi potissimum, vt diutiùs sic in ore retineri, antequam omnino diffluant, possint, vsurpantur: quod & ad catharro viam præcludendam illic in faucibus, ne in asperam arteriam delabatur, & vt sensim quoque aliquid sputo mixtum, ad asperam arteriam perueniat, illicque operari possit, conuenientissimum existit. Quo nomine multa dantur masticanda, vel in ore retinenda: & formantur trochisci aut orbiculi lupinis similes, lupinares ob id dicti; vel tabulæ formâ siccâ, vel humidâ, sed durâ pilularum instar, vt sub linguâ vel in buccis retineant, vnde & pilulas sub linguâ vocāt, noctuq; cubitum ituris exhibent, quia inter dormiendum rectiùs retinentur, nec statim quod ab illis liquescit, deglutitur, sed vt dictum, remanet, & sensim capite præsertim in decubitu decliui, in fauces illabitur: licet & interdum illa in buccis retinere possint, vbi loquelâ minimè impediunt, atq; inter loquendū, apertę laryngi se faciliùs insinuant.

Sic Glyzyricæ radix dulcis ore retineri, sæpeq; masticari solet: quæ leniendo & abstergendo iuuat, vsitatumq; tussis est remediū. Eodēq; modo succi illius spissi & nigri, aliunde aduecti, portiuncula vsurpari, qui tñ ingratus nonnihil si solus sumatur, potest.

Saccharum candum dictum, præsertim quod in syrupo Viol. vel Ros. concrescit, & vasis adhæret, ita quoque buccis includitur.

Ex vsualibus trochiscis, Becchici Albi cōmunes in vsu sunt, & ad catharrum sistendum, leniendum & expectorandum, conueniunt.

Magis autem catharrum sistunt Rubri dicti, idque propter bolum additum; Vel tales fingi possunt: ℞. Boli rubri pinguis & puri ʒ.j. Masticis, Amyli ana ʒ. ß. Spicæ nardi, gummi Tragach. Arab. ana ℈.j. Camphoræ gr.ij. Sacchari penid. & candi ana ʒ. ij. cum mucilag. sem. Psyllij: fiant orbiculi.

Compositi fiunt Nigri appellati; ob succum liquiritiæ additum, quo denigrantur: quibus & plura adduntur expectorātia, styraxque ad catarrhum sistendum.

His & Flaui addi possunt, grati & efficaces, sic à me parari soliti: ℞. Amyli ʒ.iij. Liquirit. ʒ.ij. rad. Enulæ, Ireos añ. ʒ.ß. rad. Angelicæ ʒ.ß. Croci gr.vj. Sacchari candi & penid. ana ℥.ij. cum inf. gummi Tragach. fiant trochisci: adde ol. Anisi guttas ij.

Tabulæ vsitatæ sunt, Diatragach. frigidū, Diapenidion sine speciebus, Saccharum ros. tabulat. in causa calida: in frigida, Diaireos simpl. & Salomonis, Diatragach. calidum, & similes.

Linctus seu eclegmata, vt cùm lambendo sensim descendant, vires in pectore etiam exerant, consueta in tussi sunt: sumendo de iis cum baculo radic. Liquiritiæ.

Vsitata multa sunt: in causa calida præsertim, looch de Psyllio, de Althea, de Mucilaginibus: in aliis, looch Sanū, è Pino, de pulmone Vulpis, de Farfara, de Caulibus, &c.

De nouo quoque varia componi possunt: primùm sine pulueribus, quia magis leniunt.

Vnctuosa quædam, quia fauces veluti inungendo admodum leniunt, valde tussim corrigunt, quibus & aliâ vi operantia, simul adduntur: quæ forma infantibus quoque, quia alimentum redolet, & dulcis, non ingrata est.

Bellarium ex Butyro, Maiale dictū, Germanis valde consuetum, vtile, si sensim comedant vel lambant: ℞. Amyli ℥.j. dissoluatur in Lacte, coquatur parùm ad pultis formam, adde Butyri recentis 4.j.ß. Sacchari bonam partem: cùm refrigeratur, condensatur & firmum habet.

Ex oleo paratur eclegma, tussientibus valde vtile: ℞. olei Amygdal. dulc. recentissimè expressi ℥.j. Sacchari candi ℥.ß. mucilag. sem. Psylij extractæ simul cum aqua Rosar. ℥.j.ß. misce: Lambat frequenter.

Ex mucilaginibus hoc admodum lenit: ℞. mucilag. sem. Lini, Fœnogr. Psyllij, Cytonior. extractæ simul cum aqua Rosar. ad ℥.j.ß. Penidiarum, infus. gummi Tragach. factæ in aqua Cinamom. ℥.ß. Sacchari candi, penid. ana q.s. fiat linctus.

Ex aluum & fauces simul lenientibus & laxantibus, hoc vtile, si tussientes constipati sint, iuniores præsertim: ℞. Cassiæ, Mannæ

ana ʒ.iij. Sacchari penid. candi ana ʒ.ij. ol. Amygdal. dulc. vel Butyri recentisſimi ana q. ſ. vt fiat looch: De quo multum lambat, ſi aluum liberiorem eſſe vult.

Ex reſina hoc valde cõmendatur: ℞. Lariceæ, vel Terebinth. ʒ.j. vitellum vnum Oui, Butyri rec. ʒ.ij. Mellis ℥.ß. miſce, agitentur: Lambat.

Ex decoctis & ſuccis parantur ſyrupi & rob, quæ eclegmatum loco vſurpantur, ad lambendum vel ſenſim deglutiendum.

Vſitati ſunt ſyrupi, Myrtheus, qui plurimùm cõmendatur, Viol. Iuiubinus, in cauſâ calidâ: in reliquis, Liquiritiæ, Capill. vener. Hyſopi, ſyrupi.

Rob ex fructibus decoctis inſpiſſatum, mellis loco ſumimus, quod in tenui fluxione nimis eam mouet, niſi corrigatur; cuius loco compoſitum ſic fit: ℞. rad. Glizyricæ raſæ, Siliquarum è granis mundat. ana ℥.iij. Paſſul. mai. & min. Ficuum ana 4.j. Prunorum dulc. num. x. Iuiub. Sebeſten an. par. xij. coquantur donec fructus omnino diſſoluantur, exprimatur optimè & coquãtur ad conſiſtentiam rob. vel ſyrupi: capiat frequenter.

Vel ſic ex ſuccis: ℞. ſuccorum Tuſsilag. Caulium rub. Portulacæ ana ℥.j. ſuc. Marrubij, Hyſopi, Saluiæ ana ℥.ß. ſucci Liquirit. inſpiſſ. ʒ.ij. Sacchari & Mellis ana ℥.iij. coquantur ad ſpiſsitudinem ſyrupi.

Vel ex decocto in materia frigidâ: ℞. rad. Liquiritiæ, Altheæ ana ℥.j.ß. Enulæ, Ireos, Fœniculi ana ℥.j. Angel. ʒ.ij. Conſolidæ ℥.ß. herbar. Capill. Ven. Hyſopi, Pulegij ana M.j. Marrubij M.ß. ſem. Aniſi ℥.j. Fœniculi ℥.ß. ſemin. Lini ʒ.iij. Fœnogr. ʒ.ij. flor. Violar. Anthos añ. P.j. Siliquar. repurg. à granis ʒ.ij. Paſſul. enucl. ℥.iij. Ficuum num. xij. Iuiub. Sebeſten ana par. x. fiat decoctio, & in colatura adde Mellis & Sacchari ana 4. j. clarif. & aromat. Cinamom. coquantur ad conſiſtentiam ſyrupi.

Quæ pulueres recipiunt eclegmata, niſi admodum leuigentur, vel leui aſperitate aut inæqualitate, tuſsim commouent: Parantur ex variis.

Ex ſeminibus & rad. hoc modo: ℞. ſem. Lini, Fœnogr. ana ʒ.j. ſeminum Vrticæ, rad. Bryoniæ, Altheæ, Ireos, Enulę ana ʒ.ß. gummi Tragach. ℈.j. ſucci Liquirit. diſſ. in Oxymel. ʒ.j. miſce; fiat inſtar looch.

Vel ex fructibus nucleatis: ℞. Amygdal. dulc. Pinear. excortic. añ. ℥.j. ſem. Cucurb. & Melonum excortic. ana ℥.ß. Sacchari penid. & candi ana ℥.j. Mannæ ℥.ß. ſyr. Viol. vel de Liquirit. q. ſ. fiat looch.

Ex ſulphure probatur hoc: ℞. Sulphuris puri ʒ.j. rad. Ireos ℥.ß. Sacchari candi ʒ.j.ß. fiat puluis; Lambat, vel ſumat cum Ouo ſorbili.

Ex compoſitis vſitatis additis, varia fieri poſſunt. In cauſâ calida: ℞. pulu. elect. Diatragach. frigid. Diapenid. ſine ſpeciebus ana ʒ.j. looch de Pſyllio, de Farfara añ. ℥.ß. Sacchari penid. & candi ana ʒ.vj. ſeminis Maluæ, Bombacis ana ℥.ß. ſem. Lini ʒ.j. rad. Liquiritiæ ʒ.j.ß. cum ſyrupo de Iuiubis: fiat looch.

In cauſâ frigidâ: ℞. pulu. Diaireos ſimpl. Diatragac. calidi vel Diaireos Salom. ana ʒ.j. looch Sani & expert. de Praſsio ana ℥.ß. rad. Enulæ, ſem. Aniſi, Fœniculi ana ʒ.j. cum ſyrupo de Iuiubis: fiat eclegma.

Quæ verò, inter aſſumendum vel deuorantur, vel bibuntur, tuſsis remedia, etſi minùs operentur, eò quòd non diutiùs in faucibus ſubſiſtãt, quia tamẽ dum fauces tranſeunt, illis adhærentia ſaliuæque permixta, vires ſuas quoque deponunt, non inutiliter exhibentur.

Ficus & Paſſulæ, Pruna dulcia comeſta, proſunt.

Ficus ſi in aqua Vitæ madefiant, indeque torreantur vel accendantur, & poſtea comedantur, cõſuetum eſt vulgi in tuſsi remediũ.

Amygdalæ, Pineæ, Piſtacia eduntur vel per ſe, vel Saccharo obducta.

Martius panis, & ſimilia multa cõdimenta dulcia, ſenibus præſertim in tuſsi vtilia. Vti & Bellarium ex butyro ſuperiùs dictũ.

Hordeatum, Auenatum quoque competunt, & Fabarum eſus, Dioſcor.

Imprimis Hordeatum cum lacte Amygdalino, ad catharros ſiſtendos, valde conuenit: cuius præparatio in aſthmate deſcripta fuit.

Cuius loco, huius ferculi cochlearia aliquot, ſub veſperam cubitum ituri, comedãt: ℞. fa-

℞.farinæ Hordei, Amydi ana scutell.ß.albuminum Oui agitat. num.ij. coquantur parũ cum Lacte, adde Sacchar. q. s.

Cæpa elixa sub cineribus tosta, & cũ Butyro & Saccharo deuorata. Porrum item in iusculis, prosunt.

Raphanus cum multo oleo recẽti & pauco Aceto & Melle vtilis.

Oua sorbilia in Butyro recenti frixa, sed leuissimè salita: quia sal tussim irritat.

Spinachia & Eruca cum Butyro comesta.

Edulium ex Ouis, Sapa & Butyro. Vel Ouis, Vino, Sacchatro & Butyro, vtile, quod Weinwarm vocant.

Lac potum tepidum, permiscendo Saccharum candum & penidia, valde prodest.

Decoctum aliud leniens: ℞. Passul. Siliquarum à granis mund. rad. Liquirit. ana ℥. ij. Iuiub. Sebesten ana par. x. Hordei mundi ℥.j. decoquantur: colentur & clarificentur; Bibat sæpè haustum: potest & Saccharum & Mel addi.

Aliud expectorans: ℞. Hysopi, Pulegij, Capill. Ven. Caulium ana M.j. Ficuum num. x. Mellis q.s. decoque, spumâ ablatâ, coletur: Bibat.

Vel sic: ℞. sem. Lini, Fœnogr. parùm conquass. ana ʒ.ij. sem. Anisi, Vrticæ añ. ʒ.j. sem. Ocimi ʒ.ß. rad. Liquir. Altheę, ana ℥.ß. Pulegij, Politrici ana M.j. fl. Maluæ, Viol. ana P.j. Ficuum num. x. Dactyl. num. v. bulliant, addendo Mel. cum syr. de Liquiritia.

Et hoc laudatur, præsertim ad catharros sistendos: ℞. Thuris, Masticis ana ʒ.j. radic. Liquiritiæ ℥.j. Passul. enucl. par. x. Ficuum par. v. Iuiub. Sebesten ana par. vj. decoquantur, colaturæ adde Sacchari penid. q.s. Bibat parùm, frequenter.

Vina per infusionẽ vel decoctionem, competunt: ex vsitatis, vinum Enulatum, instar sapæ coctum, bibitum.

Vinũ in quo Iuniperi baccæ ebullierint, bibitũ, infantium tussim sanat. Potẽtius fit, si Hysopum & Serpillum simul decoquas.

Item si in Vino flores Cucurbitarum sicci coquantur, & colatura bibatur, probatur.

Ex amaris, quæ in decoctis cum dulcibus confusa, ingratum faciunt medicamentum, vina sic commoda parabuntur: ℞. rad. Enulæ ℥.ß. Ireos, Scyllæ præpar. ana ʒ.ij. Marrubij, Cardui bened. Chamædreos, Saluiæ, Pulegij, Veronicæ ana M.j. macerentur vel decoquantur in vino; Bibat sæpè.

Zingiber puluerisatum cum Vino calido datum ante somnũ, ad tyssim hyemis tempore arcendam, bibere solent aliqui: quod si à frigore tussis fiat, non potest non prodesse, & quia inflammat fauces, & per consensum vis illa ad pulmones perfertur, sic quoque expectorat: Vti & Piper delinctum conferre docet Dioscor.

Aqua ex Vino destillata, cum Saccharo cando dulcorata, vtiliter sumitur.

Veronicæ aqua cum Saccharo bibita, tussim sanat: cui interdum puluis ipsius plantæ miscetur.

Oleum Amygdal. dulc. recens sumptum.

Quæ præter quã quod catharrum sistunt & expectorãt, præsertim quia stuporẽ inducendo, irritationem quæ in tussientibus fit, mitigant; valde etiã in pertinaci tussi iuuãt.

Suntque vsitata præcipuè, Diacodium, si cubitum ituri illud lambant, vel syrupus de Papauere: vel looch de Papauere.

Vel sic: ℞. syrupi de Papau. vel Diacodij ℥.j. syrupi Iuiubini ℥.j.ß. mucilag. sem. Psyllij ℥.ß. misce; capiat lambendo.

Valde vtile hoc est: ℞. cap. Papauer. hortensium, penè maturorum ℥.iij. Siliquarum repurgat. à granis, Liquirit. ana ℥.j. decoquãtur, in colatura adde Sacchari penid. & candi ana ℥.iiij. decoquatur iterum ad consistentiam: Vtatur loco diacodij, noctu lambendo.

Vel: ℞. looch de Papau. ℥.j. looch de Psyllio ℥.ß. pulu. Diatragacli. frig. ʒ.j. seminis Hyosquiami ʒ.ß. Boli ℈.j. Sacchari penid. ℥.ß. misce.

Aquam Papaueris erratici cum Saccharo cando noctu bibitam, valde prodesse in tussi, pro secreto aliqui scripserunt: illius aquæ vncias aliquot exhibentes.

Pilulæ itẽ Cynoglossæ vel Styracis, valdè in vsu sunt. Sumendo vnã aut duas pondere gr. vj. cùm lectum intrat.

Vel si frequentiùs illis vti cõmodum videbitur, sic parabuntur: ℞. Styracis, Myrrhæ, Thuris, Galbani, Spicæ celt. ana ℈.j. Croci, Opij ana gran. v. excipiantur Melle:

fiant pilulæ. Teneat in ore vnam ponderis ℈.ß. & si non iuuat, sequenti vespere sumat ℈.j.

Induntur naribus Errhina, catharri causâ, quę illum ne ad pectus fluat, ad nares deriuent. Iniiciunturq; nonnunquã clysmata, vt & hæc aliquo pacto reuellant: quorum exempla in catharris traduntur. Masticatoria verò & Gargarismata, pituitam capitis euocantia, quia humorem ad fauces promouent, in tussi competere, nequeunt.

Suffitus ad cerebri exiccationem præscribuntur, quales alibi in destillationibus explicantur: hîc verò in tussi, qui simul ore naribusq; excepti, & ad pulmones inspiratione, & ad cerebrum odoratu attracti, vtrisque exiccãdo prodesse possunt, tales cõueniunt.

Vaporem decocti sequentis calidum ore excipiat patiens: ℞. Masticis, Thuris ana ʒ.j.ß. Salis ʒ ij. Sulphuris ʒ. j. rad. Acori ʒ. iij. fol. Tussilaginis, Marrubij ana M.j. decoquantur in aqua, Vaporemq; per embotum hauriat.

Fumus ab accensis validiùs operatur, modò non nimiâ copiâ, angustiam pariat aut acrimoniâ tussim moueat, sitque talis: ℞. fol. Vngulæ caball. sicc. ℥.ß. Schœnanthi, Styracis ana ʒ.ij. Masticis, Thuris, Myrrhæ ana ʒ.j. seminis Hyosq. ʒ.ß. cum Laricea vel infusione gummi Tragach. in aqua Ros. fiant trochisci. Pro fumo.

Pectori extrinsecùs applicantur quædam ad illud dilatandum, vt liberiùs in hoc vehementi motu, moueri queat, & ad illius dolores, quos ex concussione hac in tussi sentit, mulcendos, materiamque in eo contentam concoquendam.

Inungitur hoc modo in causa calida: ℞. olei Violacei ℥.j. ol. Amygd. dulc. Butyri loti in aqua Viol. axungiæ Gallinæ, mucilag. semin. Psyllij extractæ aquâ Tussilaginis ana ℥.ß. misce: Pro linimento.

In causa frigida hoc modo: ℞. olei Liliorum, Cheirini ana ℥.ß. mucilag. sem. Lini & Fœnigr. ana ℥.ß. rad. Ireos ʒ.ß. Croci ℈.j. Ceræ parùm: fiat linimentum. Reliqua vide in Asthmate.

Vnguentum resumptiuum horum loco quoque sumi potest.

Emplastrum, ex bulbis Liliorum & Cæparum coctis sub prunis, contusisque Butyroq; mixtis, pectori applicatum conuenit.

Epithema item sequens, tepidè adhibitũ: ℞. olei Chamomil. Viol. ana ℥.j.ß. Lactis seu emulsionis Amygdal. factæ cum decoctione Hordei mundi perfectè cocti ℥.iiij. intingantur panni, expressi parùm, applicentur.

Præsertim verò pectus diligenter pectoralibus à frigore muniendum: quæ & calefacienda, si à frigore tussis nata sit.

Capiti etiam catharri causâ, pulueres siccantes & caput corroborantes in cucuphâ applicantur, vel etiam capillis insperguntur.

Crura quoq;, ad defluxiones diuertendas, abluuntur Aquâ calida: vel in quâ herbæ capitales decoctæ sint, calefacientes. Sed & nonnunquam refrigerantes incoquuntur, in tussi calidâ & vigiliis.

Allium, sæuo Vrsino permixtum, plantis pedum inunctum, ad tussim tollendam, certum quorundam prædicatur remedium.

Ligaturæ, Cucurbitulæ, Cauteria, reuulsionis causâ in catharro conueniunt: sicuti hæc omnia, quomodo parari administrariq; debeant, in catharro diximus.

Spiritus retentionẽ, vti singultum & sternutationem compescere diximus, sic & tussim mitigare, non quòd sic calor in pectore maior excitetur, sed ob causam in singultu explicatam.

Aër calidus tussientibus conuenit, præsertim si à frigore tussis nata sit, tunc illius sola inspiratio eam sanare potest.

Dein & in balneo sicco, quia sudores mouet, qui corpore tamen prius purgato, vtiles sunt, conuenit.

Caueant autem sibi à frigidâ aëris constitutione, flante præsertim Boreâ, ab humidâ item, vt aëre nocturno & cùm flat Auster: sed & Aquilo stringit: quæ nocent, si à defluxionibus malum fiat; easque promouent radij solares, si caput iis petatur.

Decubitus supinus, quia per illum humor in fauces citiùs descendit, obest, nisi propter becchica assumpta; vt ea simul eò ferantur, illum concedamus.

Ieiunare aliquando, vel cibo parciùs vti: exercere cõuenienter corpus: Somnus moderatus,

deratus, ad prouentum humorum impediendum, conueniunt.

Raucedinis cura. Raucedo, si à tumore aliquo aut vlcere fiat faucium, illis cura sicuti suis locis ostendemus, adhibebitur. Cùm enim integrè sanata sunt, raucedo cessat: si verò ea non curentur, aut ita curentur, vt remaneat nihilominus inæqualitas, raucedo relinquitur incurabilis: sicuti ex leprâ, lue venereâ aliisq; fauciũ affectibus, raucos totâ vitâ permansisse multos vidimus. Si verò à frigiditate & siccitate accidat, calore, humiditate & lubricitate loci sponte cessat, aut vsu illorum emendatur. Quod si ab humoris defluxu in fauces eueniat, excreatione factâ, cessat: si repetat defluxio sæpè, aut humor pertinaciter adhæreat, eadem remedia, quæ in tussi catharri nomine conuenire diximus, hîc quoq; conuenient: & ex illis quæ sumuntur expectorantibus, hîc potissimùm abstergentia lenientiaque conuenient: qualia multa illic exposita fuerunt: quibus & sequentia selectiora in raucedine curanda addenda.

Myrrha electa ore contenta, dum sponte dissoluatur, magnum adiumentum in raucedine adfert.

Tragacanthæ gummi mucago, ex infusione Viol. vel Rosarum, odoris causâ, aquæ, valde quoque prodest.

Mucago seminis Psyllij & Cytoniorum, cum Saccharo cando & penid. vel Melle, vel syrup. Violarum permixta, & lincta.

Lac tepidum, in quo albumen Oui conquassatum, dissolutum est, vel Mucagines, gargarizatum conuenit.

Ouum crudum comestũ, vulgus pro experimento habet: Sorbile cum Butyro esitare vel sorbere non minus efficax, & minùs nauseosum, cùm nihil quod crudũ est, præter Lac ab animalibus desumptũ, citra nauseam, comedamus.

Cochleæ coctę comestæ, ob lentorẽ fortè, sed ægrè sine sale, sicuti & oua comeduntur.

Porrum, Brassica, Attriplex cocta & cum Butyro sumpta.

Portulaca cruda esitata, mirè asperitates lenit, non solùm dentium, vnde hæmodias sanat, sed & faucium: cocta etiam prodest.

Cubebę cũ Passulis contritæ & masticatę, raucedinẽ sanãt, pręsertim si à frigore fuerit.

Succus Liquiritiæ ore retentus iuuat.

Succus Cauliũ cũ Melle coctus & linctus.

Oleũ amygd. dulc. Butyrũ recẽs sumpta.

Aquam Phyllitidis laudat Matthiolus.

Cõposita ex his vtilia fiunt medicamenta: ℞. Myrrhæ, Thuris, Sacchari candi ana par. æqu. cum mucagine gummi Tragacanthi: fiant trochisci lupinares; teneat in ore.

Vel sic: ℞. resinæ Laricεæ ʒ.ij. dissoluatur in vitello vnius Oui minoris (nã magna nũc gallinarum inueniuntur) addendo Ireos, Myrrhæ ana ʒ.ß. Cubeb. ℈.j. farinæ Orobi & Amydi ana ʒ.ij. Sacchari penid. ℥.ß. Mellis q. s. fiat looch.

Pilulas de Benzoino, Rondel. pilulas Auicenna 5. Canone Helidæus, ore retentas, mirè commendant.

Syrupo hoc, decẽnio raucedine laborãtes iuuenculas se sanasse, Lobelus testatur, lõgo & continuo vsu: ℞. Erysimi totius recentis M.j. rad. Enulæ, Tussilaginis, recentiũ, Glicyrrhicæ ana ℥. ij. Borrag. Cichorij, Capill. Ven. ana M.j.ß. flor. Cord. Anthos, Stœchados vel Betonicæ ana M. ß. semin. Anisi ʒ.vj. Passul. mundat. ℥. ij. fiat decoctio in decocto Hordei, Hydromelite, addito succi Irionis ad ℥.vj. & in col. ℔.ij. vel iij. adde Sacchari q. s. coquantur ad formam syrupi.

Huius loco & hic fieri potest. ℞. rad. Liquiritiæ ℥.ij. Altheæ rec. ℥.iij. Ireos, Galangæ ana ℥.ß. Erysimi M.iij. Tussilaginis, Caulium, Attriplicis, Maluæ, Portulacæ, recent. ana M.j. fl. Maluæ, Violarũ ana P.j. seminum Cucurb. & Melonũ ana ℥. ß. sem. Bombacis ℥.j. Hordei mund. Fabarum ana P.j. Passul. enucl. part. xx. Cubeb. ʒ.j. fiat decoctio, coletur, & cum Melle vel Sacchαro fiat syrupus.

Gargarismus hic confert: ℞. rad. Liquirit. Altheæ ana ℥. ij. Maluæ cum toto M. j. Hordei integri, Fabarum, Orobi, conquassat. ana P.j. Passul. enucl. par. xx. Ficuum, Iuiub. Sebesten ana par. vj. Myrrhæ, Thuris ana ʒ.iij. fiat decoctio; adde Sacchari & Mellis q. s. pro gargaris.

Eructatio, Vomitio, Emunctio, Expuitio, Screatus, si præternaturaliter infestent, quia in illis excretio potiùs nimia, quàm praua respiratio, incõmodat, in excretis quomodo cu- *Aliorũ generum Deprauatæ respirationis, cura.*

do curanda, explicabitur: vbi & rectiùs quoque describentur, quæ hîc ordinis duntaxat gratiâ, vt collatione cum cæteris factâ, meliùs illorum causæ, explicarêtur, adiecimus.

Vociferatio, Anhelatio, Exsufflatio, per se vix incommodant: proin, vt nec in causis, sic nec in curatione hæc vlteriùs persequemur: quorum in generibus, vt nihil omitteremus, quod à respiratione naturali alienũ est, obiter meminimus.

DE TRANSITVS PER GVLAM DEFECTV.

CAPVT VI.

Genera.



TRansitvm per gulam seu œsophagũ deficere dicimus, quando res per hanc viam deorsum, quod semper: vel sursum, quod interdum necesse est, propellere nequeunt.

Transglutiẽdi difficultas. Deorsum cibum potumque ex faucibus ad ventriculum deprimere, seu vt vocãt deglutire, interdum omnino non, aliàs difficulter possunt, diciturq; Transglutiendi difficultas; eò maius impedimentum adferens, quòd hæc naturalis vsitataque sit. Tuncque aliquid vel in faucibus apparet: aut dolor illis in locis sentitur. Aliàs verò, nullo horum se manifestante, nihilominus deglutiendi defectus adest, paralysim vel spasmum comitatus, vel horum species, quem mox etiã alij sequuntur: sicuti in motus impotentiâ dictum fuit.

Sursum è ventriculo per eundem ductũ, res expellere aliquando non, vel cum labore, possunt. Quod etsi non adeò sit naturale, aut vsitatum, tamen cùm quandoque necessarium sit, si tunc non fieri posit, quoque incommodat. Fitque duplici modo, quando eructare aut vomere, naturâ impellente, non possunt.

Eructandi impedimentũ, Sodt Germ. Eructandi conatus aliquando infestat, & cùm non succedit, molestiam parit. In eo potissimùm affectu quem Germani Sodt/ vocant: in quo ad eructandum aliquis impellitur, sed tamen cum sensu viæ quasi in medio interclusæ & ardoris cuiusdam, quæ impediunt, quò minus ructus possit erumpere: sicut in cardialgia explicabitur.

Vomendi difficultas. Vomendi conatus, Nausea dicitur ea, in qua non certa quædam fastidiunt, quã quoque nauseam vocant, sed in qua se iam ad ad vomendum sentiunt impelli, ventriculumque conturbari, pituitamque tenuem ad os vsque propelli, neque tamen cibos aliúdve ventriculum grauans possunt effundere. Qui defectus vomendi, in quo vomitio vrget, sed non succedit, illis quibus cõsuetum est certo tẽpore vomere, eo nomine incommodat, quòd veluti hæc ipsorum naturalis exceptio suppressa est: aliis quoq; in quibus per vomitionem natura aliquid expellere vult, sed non potest, eã ipsam ob causam nocet, & correctione, vti dicetur, opus habet.

Causa.

CAusa horum motuum, qui in transitu per gulam fiunt, defectuum, vel in parte vim mouendi communicante: vel in instrumento, œsophago, stomacho aut ventriculo, consistit.

Neruorũ affectus, causa Trãsglutiẽdi difficultatis. Neruorum sextæ & septimę coniugationis ramorum, ad faucium musculos (quos primùm Fallop. deglutitionem perficere, nõ villos œsophagi ostendit) pertingentiũ causâ, si illi resoluantur vel conuellantur, deglutitionis difficultatem sequi, & ab iisdẽ morbis à quibus & reliquarum partium paralyses & conuulsiones fiunt, proficisci, atque si in vulneratis hoc symptoma eueniat, spasmum ad stomachum, appellari à chirurgis, in motus impotentiâ declaratum fuit: estque paralyseos tunc vel spasmi species, illic explicata. In quibus deglutiendi impotentiis, hoc accidere interdum experientiâ comperi*, præsertim si à paralysi fiat, quod liquida difficiliùs sorbere & bibere, quàm res solidiores deglutire possunt. Sed & eorundem neruorum affectorum causâ, in resolutionibus quibusdam, vt difficulter vocem claram edere & tussire posse diximus; ita & longè minus vomere, naturâ licet impellente, & non nisi cum periculo suffocationis, possunt.

Oesophagi caus ,transitus ille præclusus, & presertim deglutitio interdū impedita est. Quod & relaxatis vel resolutis ipsius villis, vti de ipsius musculis diximus accidere, scripserunt: verùm, cùm œsophagus non sponte proprijs villis, sed faucium musculis moueatur, vti iam ostensum, hoc minimè concedere possumus. Causæ autem deglutitionem impedientes sunt; si ille nimium exiccatus, commodè relaxari non possit, & cibos transmittere; vti in febribus ardentissimis nonnunquam euenit: Vel si obstructus sit à deglutitis, illicq; vel ob magnitudinem, vel tenacitatem, vel asperitatem, aut acutiem retentis, aut alioquin se affigentibus, vti ab hirudinibus accidisse, scribit Rhazis; à quibus inhærentibus, si magna sint, vel dura, vt nuclei, ossa, quia asperæ arteriæ latus membranosum, œsophago cōtinuatum premunt, eamque sic arctant, respiratio vnà cum deglutitione impeditur. Quemadmodum & si ab externis iniurijs, vinculis aut luxatâ vertebrâ hoc fiat, vterque ductus interclusus vel angustatus idem patiuntur, & cum morte, si abscecentur, euanescunt. Intrinsecùs quoq; tumore colli ab inflammatione aut defluxione angustatus, cibum ægrè & cum dolore transmittit. Vt & quando excoriatus aut erosus, præ dolore assumptorum transitum non patitur: quod ab acribus assumptis vel vaporibus, vel humoribus interdum illi accidit. Ex enarratis causis, aliquæ quoque vomitioni, si illa facienda esset, impedimentum adferrent, non tamen omnes, cùm vomitio maiori impetu motu naturali & voluntario facta, sibi viam citiùs faciat, quàm deglutitio, quæ ex solo nostro arbitrio dependet. Præter quos œsophagi morbos, si ille in angustiore loco positus, admodum dilatari nequeat, vomitioni præsertim impedimentum adferre, & deglutitioni etiam in crassioribus rebus deglutiendis obstare, non tantùm probabili ratione, sed ex eo etiam colligimus, quòd eos qui angusto sunt pectore, colloq; breui ad vomitionem ineptos esse, communis sit opinio: quam constitutionem thoracis & colli, hac ratione, vti iam dictum, id efficere potiùs quàm aliâ, censemus.

Oesophagi exiccatio, causa Transglutiendi difficultatis.

Obstructio œsophagi, causa Transglutiendi difficultatis.

Obstructio œsophagi, causa Vomitionis impedita.

Stomachi angustia, causa Vomitionis impedita.

Ventriculi occasione, vomitio præcipuè, ægrè succedit. Si ita constitutus sit, vt non nimis laxus, nec dextrum illius orificium seu stomachus nimis amplus & patens existat: quod cùm naturale sit in bene formato ventriculo, idcirco qui cùm sani sunt, ventriculum rectè constitutum habent, & benè concoquunt, etsi postea ægrotantes, ab assumptis vel illic collectis excrementis ad vomitum concitentur, vix tamen, & non sine magno labore vomunt: Vti è contra hi, qui multâ crapulâ stomachum & ventriculum plus quàm par erat, dilatârunt, facilimè etiam ex leui irritatione vomunt. Sicuti & illi, qui vsu frequenti vel ob ebrietatem, vel cruditates sæpè vomere consueuerunt, ventriculumque sic ampliârunt, sibiipsis vomitionem facilem, & consuetam excretionem reddiderunt.

Colli angustia, causa Vomitionis difficilis.

Humor acris & calidus, in ventriculo veluti ebulliens, sicuti in cardialgijs ostendemus, & è bullis, quas excitat, disruptis, flatum vel vaporem flammæ instar ardentem, sursum ad os ventriculi demandans, conatum eructandi illum, qui in affectu Sodt/ dicto sentitur, cum sensu ardoris parit: sed quia flatus antequam per œsophagum irrumpat, dispergitur, ructum nullum edere potest.

Humor in ventriculo ebulliēs, causa Eructationis difficilis.

Si quoque pertinaciùs humor in ventriculo hæreat, etsi ad vomitionem sollicitet, tamen cùm egeri non possit, vomitus fieri non potest, vel si fit, imperfectus est, cùm per illū assumpta tantùm, cibus & potus egerantur. Licet frequentius aliàs hoc fiat, vt humores pituitosi euomantur, cibusque interea in ventriculo remaneat, etsi iam pridem sumptus fuerit, naturâ veluti vitiosum ab vtili segregante atque rejiciente: sicuti in vomitu immodico hæc explicabuntur.

Humor tenax in ventriculo, causa Vomitionis difficilis.

Curatio.

QVid agendum in difficultate transglutiendi, vomendi, & eructandi, vt constet, de singulis speciatim agemus.

Si itaque, ob neruorum affectum, resolutis musculis faucium, difficultas transglutiendi, in paralysi generaliore, accidat, eò grauiorem paralysim esse, quòd non tantùm

Transglutiendi difficultatis, qua pa-

ralysis est species, cura.

paria dorsalium neruorum, affecta sint, sed & sexta septimaq; neruorum coniugatio, significat. Nisi particularis tantùm huius partis hæc sit paralysis, & vicinarum illi partium, vt linguæ, quæ tamen est satis pertinax, generalioremq; sæpè minatur.

Cura autem illi non alia, quàm quæ in paralysi explicata fuit, debetur, pro ratione causæ procedendo; quæ si sit ab humoris aquei defluxu ad neruos, expurgando, reuellendo, absumendo humorem, & partem confirmando.

Inter reliqua, Sinapi ore contentum, varijs modis, vti in caputpurgijs in paralysi explicatum, huic affectui sanando, conuenit.

Gargarismata item, quia faucium attingunt musculos, qui hîc affecti sunt, admodũ prosunt: quale illud esse potest: ℞. radic. Acori veri ℥. ß. herbar. Saluiæ, Rosmarini ana M. j. fl. Lauandulæ P. j. nucum cupressi numero iiij. nucis Mosch. numero ij. Gariophyl. ʒ. j. coquantur in Aqua & parte quar. Vini, & in colaturæ ℔. j. ß. dissolue, Mellis anthos. & squillit. ana ℥. ij. Aceti squill. ℥. ß. pro Gargarismate.

Vel sic: ℞. Diamoron, Oxymel. scyll. ana ℥. j. ß. aquæ Saluiæ & Lauandulæ ana ℥. iiij. fiat gargaris.

Inunctiones externæ in lateribus colli faciendæ, quales multæ in paralysi explicatæ sunt: quibus & hæc idonea adiungi potest: ℞. olei Masticini ℥. j. ol. Nardini ℥. ß. ol. Spicæ gutt. v. Ladani, Thuris, & Styracis ana ʒ. ß. Ceræ parum: fiat linimentum.

Transglutiendi difficultatis quæ spasmi est species, cura.

Quòd si verò difficultas transglutiendi quæ à neruorum affectu procedit, spasmi sit species, eandem prædictionem & curationem cum cæteris spasmi speciebus, vti illic dictum, requirit. Topica quoq; illis locis, vt in paralysi dictum, accommodanda. Imprimis verò periculosum & lethale, si à vulnere fiat, quemadmodum hæc omnia in spasmo explicata sunt.

Transglutiendi difficilis ab exiccatione œsophagi, cura.

Si verò ab exiccatione œsophagi, causâ intensi caloris in febribus, hoc fiat, cura potissima in febris incendio restinguendo adhibetur: eoque nomine, vti varia tentantur, sic & imprimis epithemata hepati adhibentur: & topica in gargarismatibus, linctibus, ea ipsa quæ in raucedine, ab exasperatis faucibus procedente exposita fuerunt, hîc etiam conueniunt. Exhibenda simul, quæ & nitantur deglutire, vt Cibos humidos, vnctuosos, brodia, Hordeatum, emulsiones Amygdalarum sem. Cucurb. Melonum. Atque inungendum totum collum vel fouendum sequenti: quod ℞. Lactis recentissimi partem j. olei Violacei, succi Lactucæ ana partem ij. mucilaginis seminis Psyllij, factæ cum aquâ Viol. par. j. misce.

Transglutiendi difficultatis ab illapsis in œsophagum, cura.

Si ab illapsis in œsophagum, via hæc obturata, deglutitionem impediat, sintq; corpora crassiora, aut tenacia, aut alioquin quæ facilè adhærent, vt membranæ, illic subsistẽtia, sursum deorsúmve propellere studebimus, varijs artibus.

Potu aquæ vel alterius liquoris affatim bibito, magno haustu, sæpè res propelluntur: vel si adhæserint, abluuntur.

Panis buccellâ, aut alio solidiore deglutito, res hæ plerumq; cedunt.

Sternutatione factâ quoq; excutiuntur: Maioreq; impetu per vomitionem: faciliusque si multam aquam & oleum priùs haurire possint: & vt vult Rhazis, ægri ceruicem interim concutiamus.

Instrumentis ad id accommodis, obstaculum hoc auferemus, si pateat & apprehendi possit, illudq; forcipe idoneâ extrahemus.

Vel alio instrumento flexili, quod gulæ ductui, se accommodare possit, intruso, illud deorsum deturbabimus. Bacillo crassiore betulæ ex scopa, quæ semper ad manum inuenitur, illud commodè præstabitur, cùm citra fracturam facilè flectatur, si recens sit; vel si aridus, in lixiuio feruenti priùs emollitus nonnihil fuerit, atque oleo inunctus. Plumbeo ad hoc vtitur Rhazis. Quod & cereâ candelâ, in oleum priùs intinctâ commodissimè efficitur.

Deglutiendo spongiolam paruam, siccã, filo alligatam, posteaque mox aquam superbibendo, vt intumescat, eamq; denuò extrahendo, impedimentum è gula hac arte euelli posse, docent: quod in acutis vel tenuibus, œsophagum molestantibus potiùs, quàm deglutitionẽ penitus impedientibus, cùm nisi spongia deglutiatur, nullus sequa-

tur ef-

tur effectus, locum habebit. Fortè & globulus precarius, filo transmisso alligatus, cùm faciliùs deglutiatur, commodiùs illud, vel vnâ vel repetitis vicibus deglutitus extractusq;, præstabit.

Ad lubricam viam reddendam, vt faciliùs cedant, Oleum, Butyrum bibendum vel sumendum damus. Et vt dilatetur, collum inungimus.

Hirudo in fauces irrepens, si œsophago adhæserit, cùm sigillatim illius curam Rhazis doceat (etsi id rarum, vti verò frequens est, lumbricos per œsophagum ad os & nares vsq; serpere) sic nos instituemns. Euellitur forcipe, si apprehendi possit, quod, caudâ adhuc illius prominente, fieri potest. Vel sursum prouocamus calidâ aquâ bibitâ, & postea frigidâ in ore retentâ. Aut deorsum, vti & reliquos vermes pellimus, exhibitione eorum, quæ illis ingrata sunt: vt si Acetum bibant: Si salsa edant; Cæpas, Allia, cruda comedant; Sinapi bellarium lambât; aliaq; multa, quæ lumbricis aduersa esse, suo loco explicabimus.

Transglutiendi difficultatis à tumore in faucibus, cura.

A tumore, ab inflammatione, aut defluxione, progresso, obstructus intrinsecùs aut angustatus aliâ ratione œsophagus; aut alioquin ab illis vel assumptis vel acutis illapsis, vti dictum, læsus, si deglutitionem difficilem & cum dolore pariat, cura in doloribus colli explicabitur.

Transglutiendi difficultatis ab œsophagi compressione, cura.

Si extrinsecis iniurijs aut luxatâ vertebrâ prematur, cùm respirationi, maiori periculo, obsit, illic quid agendum sit, expositũ fuit.

Vomitionis difficilis, cura.

Vomitio, si vtilis sit ad præcautionem morborum, vt aliquando fiat; vel semel in mense, quod bonum esse Auicenna censuit, vel etiam frequentiùs: vel si alioquin necessaria in morbis ad excernenda ea quæ ventriculum molestant, si ægrè procedat, ob constitutionem talem quæ ad vomendum inepta est, ob colli breuitatem & pectoris, atque orificij ventriculi angustiam, eam per vim sollicitare, plurimùm sæpè incommodat. Quod si tamen etiam in naturis hisce ægrè vomentibus, sit summè necessaria: vel his causis non obstantibus, alioquin non inuitet: aut etsi conatus adsit, non tamen succedat: quâ ratione vomitum prouocare debeamus, fauces & gulam irritando, ventriculumq; implendo, & vt vocant, subuertendo, passim hinc inde in affectibus, in quibus vomitio requiritur, docetur. Affectum etiam illum, in quo eructatio imperfecta cum ardore ventriculi fit, in cardialgijs explicabimus.

Eructationis difficultatis cura.



DE DEIECTIONIS DEFECTV.

CAPVT VII.

Genera.



EST defectus excretionis illius naturalis excrementorum, quæ per aluum seu podicem fieri solet, idoneo tempore: & dicitur Constipatio seu Astrictio alui. In quo, vel nihil omnino egerere possunt, ventrisq; omnimoda est suppressio; Vel rariùs, vel minus quàm par erat; vel magno cognatu & labore dejiciunt.

Alui constipatio.

Hoc sanis alioquin interdum euenit quibusdam, quorum natura talis est, vt rarò dejiciant: Vel ex mutatione ætatis, secundùm Hippoc. contingit, vt quibus iuuenibus aluus humecta est, senescentibus exiccetur, & viceuersâ. Alijs ex malâ consuetudine, vel viuendi ratione, sicuti declarabitur, accidit, morborumq; sæpè causa est.

In varijs morbis hoc symptoma occurrit. Tum ventris inferioris, cũ cardialgijs, cũ colicis cruciatibus, ictero, hernijs, alijsq; accidentibus, copulatũ. Tum in capitis affectib. cum cephalalgia, vertigine cæterisq; cõiunctum. Et in febribus, hoc symptoma familiare admodum est. Vti & in alijs morbis adeò consuetum, vt primum ferè sit in morborum initijs, & vltimum in conualescentibus, de quo ægri conqueruntur symptoma.

Causæ.

INtestina, cùm excreméta alui contineat, eaq; transmittant, in omni constipatione affici necesse est; idq; vel primario affectu, cùm angustantur vel obstruuntur; aut secundariò, si stimulum amittant.

Angustatis intestinis adeò, vt transitus, excrementorum impeditus nonnihil sit, ea retineri, aluumq; minimè respondere contingit: quod ab illorum & astrictione & conuolutione accidit.

Exiccatio intestinorũ, causa Alui constipationis. Astringi dicimus, quando exiccata, corrugata, lubricitatem, quæ ad faciliorem transitum necessaria est, amittunt; aut constricta angustiora quàm par erat, euadunt. Sic ab assumptis siccantibus, astringẽtibus, acerbis & austeris præsertim, sicuti œsophagum constringi videmus, & fauces corrugari, ita si immoderatiùs, præcipuè si ventriculus ieiunus est, assumantur, intestina, illorumq; ductus constringendo, aluũ sistunt. Quod & ex longâ inediâ & nimiâ intestinorum euacuatione, vt illa veluti exiccata & collapsa & constricta, idem patiantur, proficisci potest. A calore intestina exiccante, idem fieri potest, quod tamen fæces potiùs exiccando accidere, mox ostendemus. A tumore aliquo in mesenterio, vti voluerunt, intestina premi ac occludi posse, aliqui docent, quod tamen vix fieri, ex eo colligimus, quòd nec vteri moles magna in grauidis, nisi aliud accedat, illa obturando, constipationem pariat.

Conuolutio intestinorum, causa Constipationis alui. Conuoluuntur interdum adeò intestina tenuia, in affectu, qui Conuoluulus ob id dicitur, vt contorta & occlusa, fæces descendere non sinant: vnde illic retenta collectaq;, per superiora tandem euomunt: idque vel cum dolore, Ileo dicto, inflammatis tunc intestinis; vel etiam sine inflammatione adeò repletis & distentis ab excrementis, intestinis, vt illa contorqueant: sicuti in doloribus explicabitur. Sed frequentiùs hoc intestinis, ex abdominis cauitate, rupto peritoneo, in scrotum delapsis, in hernijs, ob situm intestinorum peruersum illis conuolutis vel contortis, solet contingere.

Obstructio intestinorũ à fæcibus, causa Constipationis alui. Obstructa intestina à fæcibus ꝓprijs quæ continent, constipationi frequenter occasionem præbent, non solùm ob copiam illorum, sicuti modò dictum, sed quando sicca & dura, vel crassa & tenacia, sciuala dicta, eaq; præsertim magna vel copiosa, in intestinis subsistunt, infarctaque non solùm non procedunt, sed & ea quæ sequuntur excrementa, retinent. Quod potissimum circa orificium, quo se tenuia intestina in crassa aperiunt, ob loci angustiam solet contingere, vbi ea hæsisse diu, lethalemque constipationem causasse sectio quibusdam patefecit. Sæpè verò hoc in colo intestino, circa magnum illius anfractum, quo antequam rectum fit, flectitur, accidit, retentis illic sciualis, & spiras illius loci opplentibus, & cum dolore colico aluum supprimentibus. Sed & in podice ipso eiusmodi sciuala nonnunquam subsistunt, & vix dum maximo conatu exprimuntur, quæ quandoque certâ arte vt reddantur, promouere necesse est.

Indurantur autem & crassescunt eiusmodi fæces, si materia ex qua generantur, cibus nimirùm, solidior sicciorque sit, vnde similia excrementa progignuntur: sicuti in canibus ossa rodentibus, videmus accidere. Præsertimq; si ob potus liquidorumq; parciorem vsum, minus diluta sint. Idem fit, si exiccentur siccantium admodum in cibis continuo vsu, vel etiam calefacientium. Aut calore partium vicinarum & hepatis præsertim, vt volunt, in naturis calidioribus; in quib. si excrementa non indies reddantur, sed ob causas aliquas, & præsertim longam sessionem in conuentibus, in equo, aut decubitum longiorem retineatur (cùm faciliùs dum corpus mouetur erectumque est, quàm cùm quiescit, procedant) calore interiore ea exiccante indurescunt. Hincque fit, vt senatores, equites, & senes otiosi, de constipatione maximè conquerantur: quod vti calore corporis moderato adhuc sic euenire potest; ita in morbis calidis harum partium, vel etiam totius corporis in febribus, hæc fæcum exiccatio, à calore illo vehementiore citiùs procedit, constipationemque parit. Ob inediam quoq; non tantùm intestina, vt dictum, sed & fæces, si quæ relictæ sunt, exiccari indurarique possunt: neque tantùm dum eam patiuntur ægri, sed & post eam, cibum rursum sumentes, præsertimq; si tunc admodum famelici sint: Idq; quòd naturâ exhaustâ, vt defectum hunc resarciat, quicquid ferè chyli & humoris in cibo sumpto consistit, per venas meseraicas exsurgit, excrementaq; sicca duraque

tantùm relinquit: quò fit vt post acutos morbos conualescentes, auideq; comedentes, de constipatione adeò conquerantur; & qui benè nutriuntur aluum siccam potiùs, quàm humidam habeant. Ab alijs quàm fœcibus, causis; intestina obturari adeò vix possunt. Nam quæ degluti untur dura corpora, etsi magna sint, si œsophagum pertransire potuerunt, etiam intestina facilè peruadunt, nisi in ipso podice aliquando subsistant: & quod de calculo intestinorum scribitur, rarum est, vixq; tantus qui intestina obstruat, esse potest, nisi sciualum, vti accidisse scribunt, in calculum conuertatur.

Obturatio intestinorum ab alijs causis, causa Constipationis.

Stimulum si intestina amittant, cùm facultas ipsorum expultrix tunc minimè sollicitetur ad excretionem, eaq; quiescente, voluntas nostra minimè admonita, quoq; quiescat, deiectio etiam nulla sequitur. Hoc, si intestina nihil vel obtusè sentiant, quia ad deiectionem non excitantur, accidit: idq; neruorum sextæ vel septimæ coniugationis, à quibus intestina neruos accipiunt, vitio: quibus vnà cum cæteris ferè neruis, in generali torpore & obstupescentiâ, affectis, cùm reliquis functionum læsionibus, etiam deiectio non procedit: quod & speciatim hîc potest accidere, vt ob sensum stupidiorem intestinorum, rariùs deijciant. Idem excrementorum causâ potest accidere; si, cùm nulla vel pauca admodum colliguntur, quantitate suâ intestina ad ea exturbanda minimè excitât: ob quam causam qui à cibis diu abstinent, aut parciùs illis vtuntur, sicuti in morbis plerisque ob appetentiam deiectam euenit, nihil vel rarò sponte egerunt: & quibus intestina à nimijs purgationibus inanita admodum sunt, non priùs aluum reddunt, donec illa fæcibus denuò impleta sint, quod dierum aliquot spacio interdum vix dum perficitur. In excrementis quoque ventris, si acrimonia illa desit, quâ naturaliter etiam intestina ad conatum illum deijciendi irritare debent, quàm à bile hancce ob causam, intestinis infusam, excrementisq; permixtam accipiunt, cùm, nisi alijs de causis hoc fiat, natura tunc non moueatur, constipatio quoq; sequitur: sicuti in obstructionibus, bile non ad intestina, sed aliò delatâ, in ictericis alijsq; similibus morbis constipatio etiam abest: atque in excrementis non coloratis, sed subcineritijs bilis hic defectus cernitur.

Sensus amissus vel obtusus, causa Alui constipationis.

Curatio.

Constipatio alui non omnis, correctione opus habet; vti ea in quâ rariùs deijciunt, quia hoc illis naturale & consuetum est; vel quia moderata & temperata victus ratione vtuntur, cùm paucitatem excrementorum significet, corpusq; benè nutriri: quod & in conualescentibus aut alioquin inediam passis, si postea minus ad excretionem aliquamdiu sollicentur, corpora illorum ob suctionis vehementiam egregiè refici denotat: nisi ob diu intermissum vsum omnis cibi, intestinis resiccatis & collapsis, omnimoda sequatur alui suppresio: quæ cùm periculosa, curatione opus habet, & sæpe ægrè perficitur. Quod si verò ab assumptis cibis siccantibus, astringentibus, calidioribus, procedat constipatio, abstinentiâ horum, & vsu contrariorum, emendatur. A calore nostro exiccata excrementa, quia diutiùs ob sessionẽ, aut otium retenta fuerunt, si laboriosam aliquomodo deiectionem pariant, neque hæc, cùm diuturna minimè sit, curâ maiore opus habet. Vti & si ob temperaturam & constitutionem calidiorem, id eueniat. In morbis verò si constipatio quoque illorum sit symptoma, ratione caloris in febribus, aut intestinorum obstructionum & conuolutionum, in conuolvulo & hernijs, (vbi si excrementa per os reddantur, mortale signum est) aut ob stimulum amissum in stupore, ictero & similibus affectibus, quid causæ occasione faciendum sit, in hisce affectibus indicabimus.

In Alui constipatione à quacũq; causâ, prædicẽdi & agendi processus.

Cæterùm ipsius potissimùm constipationis causâ, quæ vsurpantur remedia, assumenda, inijcienda, aut alter adhibenda, hîc tantùm quædam proponemus: reliquorum exempla passim in affectibus, in quibus constipatio adest, proponuntur.

Aluum soluentia Remedia.

Inter ea quæ exhibentur ex leuioribus, quæ humectando, emolliendo fæces duras emolliunt; lubricando & laxando vias laxant, stimulandoq; naturam sollicitant, sunt ex alimentosis.

Caro iuniorum animalium elixa, vitulina imprimis, pinguis item & mucilaginosa.

Butyrum affatim comestum, vel Oleum.

Herbæ pleræq; temperatæ esui aptæ, coctæ & crudæ; Spinachia, Beta Attriplex satiua, Buglossũ Brassicaq; imprimis: hisq; validiora Malua & Violaria: aliarumq; plantarum teneritates, vt Lupulorũ Asparagorum.

Fructus omnes humidi alvum laxãt, temperati, dulces. Sed & acidi, conturbando tamen magis ventrem, quàm laxando.

Aquæ potus fluidã facit alvũ; Vel Lactis.

Ex medicamentosis Cassię pulpa prodest. Manna in iusculis sumpta. Rosarũ succus vel syrupus, aquâ Fontis dissolutus & bibitus.

Ex fortioribus, quæ cathartica vi & purgando, aluum movent. Infusum fol. Senæ cũ Absynthio & seminibus, valde est vtile. Reliqua in purgantibus & diuersis affectibus, in quibus constipatio adest explicantur.

Quæ in podicem immissa, naturam ad deiectionem movent, sunt Suppositoria, varijs modis concinnata.

Clysmata, quæ stimulando dura excrementa simul dissolvunt, emolliunt, & veluti abluunt, viasq; patefaciunt. Quorum præcipuus in constipatis est vsus: formæq; horum diuersæ, in colicis cruciatibus, proponuntur.

Extrinsecùs ventri emollientia & laxantia applicata, nonnihil iuvant. Si inunctiones fiant ex oleis id præstantibus, & cataplasmata ex clysterum residentia, apponantur.

Balnea idem pręstantia, vt aquæ dulcis, & ex decoctis similibus parata, idem efficiunt.

Exercere & movere corpus eundo, vt fæces commodiùs descendant, opitulatur: & medicamenta alvum moventia citiùs, si illis sumptis obambulent, operantur.

Et cùm assellatio, vt vocant, idonea fieri non posit, nisi conatus adsit, qui voluntate nostrâ, spiritu retento, & musculis constrictis perficitur; nec tamen sola voluntas aliquid facere posit, nisi expultrix naturæ vis simul accedat; studendum ita naturam assuefacere, vt voluntati nostræ, in deiectione faciendâ, consentiat: quod fiet si certo tempore, & si fieri posit etiam horâ, post & ante somnum manè & vesperi, excrementa reddere studeamus: cùm natura suum ordinem, non solùm in mensibus, diebus, sed & horis, vt in appetitu cibi, sic & in deiectionibus obseruare soleat: quem si seruemus, & tempore ad hoc cõmodo, naturam voluntate nostrâ, ad deiectionem sollicitemus, & in eo perseueremus, ad deiectionẽ faciliùs faciendam, multum adferet adiumenti.

DE MICTIONIS DEFECTV.

CAPVT IIX.

Genera.



EST excretionis illius naturalis, quæ in vrinâ reddẽdâ stato tempore perficitur, defectus.

Hæc in totum aliàs suppressa est, diciturque Ischuria: in quâ, ne minimum quidem vrinæ, diuq; nihil mingere possunt: idq; cum distentione ferè magnâ, in pectinis regione, & tumore illic apparente, ob vesicam ab vrina adeò impletam. Interdum verò nihil horum se manifestante, mictio est abolita, vesicâ inani: quæ tamen impropriè Ischuria dicitur. *Mictio abolita, vesicâ plenâ. Ischuria. Mictio abolita, vesicâ inani.*

Aliàs verò non sufficienter mictio fit: tum quando rariùs, vel minori quantitate, si cum potu æstimetur mingitur; asciticis peculiare. Aliàs autem difficulter redditur, quando dum meijtur non continuò, vti par erat, fluit, sed vel cessat, antequam vesica penitus inanita fuerit, in Dysuria seu difficultate mingendi: vel interruptis vicibus cum molestiâ excernitur: vel stillatim & guttatim emanat, in Stranguria seu Stillicidio, appellatis affectibus: quæ tamen ambo; si cum ardente dolore, qui inter mingendum sentitur, fiant, cùm dolor tũc magis quàm difficultas mingendi vrgeat, ad dolores referuntur, illicque explicantur. *Mictio pauca et rara. Mictio interruptis vicibus Dysuria. Mictio stillatim facta Stranguria.*

Hæc per se interdum, in prius sanis contingunt. Aliàs verò cum alijs morbis, vt cum dolore colico, nephritico, hydrope, febribus, &c. concurrunt.

Causæ.

CAusa defectus mictionis, dependet; Vel à materiâ, cuius portio excrementitia vrina

rina est, sero scilicet, si illud non generetur copiosè, aut aliò feratur, aut transitus illius impediatur; Vel ab instrumentis mictionis, renibus, in quibus vrina à sanguine secernitur; & vreteribus, per quos in vesicam destillat: Vel vesicâ, quæ eam excipit: & ceruice illius, per quam redditur.

Seri paucitas, causa Mictionis pauca et rara.

Serum si paruâ quantitate generetur, cùm vrina tunc pauca colligatur, rariorem & pauciorem mictionem quoq; sequi necesse est; in illis qui minus bibūt, siccioribusq; vtuntur. Quod & si seri pars, quæ à renibus attrahi debebat, ad habitum corporis rapiatur, illicq; calore absumatur, vel sudore manifestè exhauriatur, euenit: vt illi, qui multum sudant, parùm mingant; quod & accidit si per diarrhœas, vnà cum fæcibus per aluum serum simul copiosè profundatur, in morbis eiusmodi, aut ob cathartica sumpa, vt tunc mictio diutiùs differatur, aut parum admodum reddatur. Quæ parciùs & rariùs facta mictio, vti naturalis adhuc nec nociua: sic illa præternaturalis est & morbosa, si ab obstructionibus viscerum, hepatis imprimis, transitus seri impeditus, mictionem facit tardiorem & pauciorem: & sero aliò effuso hydrops ascites sequatur, in quibus tam pauca est mictio. Verùm & serum, si tenuitatē decentem non habeat, cùm ob crassitiem tractā à renibus, difficiliùs tunc à sanguine segregetur, & vt vocant, coletur, illorumq; ductus penetret, mictionem rariorem facit. Quod ex assumptis ijs, quæ sanguinē & serum simul incrassant, proficiscitur: sicuti ex vini rubri stiptici vsu, alijsq; fieri putant: quorum vsu veluti vrinas minui, sic contrarijs attenuantibus calidis, diureticis, vrinas prouocari videmus.

Serum aliò raptū, causa Mictionis pauca et rara.

Seri trāsitus impeditus, causa Pauca et rara mictionis.

Seri crassities, causa Mictionis pauca et rara.

Renum atque vreterum causa, rariùs mictio supprimitur. Cùm enim gemini sint, rene vno debilitato: ita vt in eo secretio illa cessat, vel diminuta sit; vel aliter læso; aliter nihilominus cum suo vretere, illud munus obire potest. Vtrumque verò renem, illorùm ve vreteres, cùm procul ab inuicem dissiti sint, simul adeò affici, vt vtriusque pereat functio rariùs contingit, nec nisi à maximâ causâ, proficisci potest. Qualis fortè est, vtriusque renis substantiæ, omnimoda consumptio, à me sectione semel deprehensa. Vel obstructio in vreterum initio, vel progressu à sanguine, pure, calculo, in vtroq; rene simul, quod tamen vix fieri potest, facta. Vel si fortè in febribus ardentissimis, ambo vreteres exsiccati constrictique essent: aut vnius lateris, vitio conformationis, vretere absente, aut intorto, sicuti quoque in anatome videmus, alter morbis prędictis afficeretur. Quorū causâ si fiat vesicâ inani existente, nullo distentionis dolore, nullaq; mingendi cupiditate vrgente, mictio nulla fit.

Consumptio, obstructio, siccatio

vtriusq; renis vel vreteris, causa Mictionis suppressæ vesicâ inani.

Absentia aut contorsio vreteris altero affecto, causa Mictionis suppressæ, vesicâ inani.

Vesicę fundi seu amplitudinis causâ, mingendi defectus vix accidit, nisi illa vulnerata, vrinam profundat: sicuti in piscatore nostro illud iam multis annis fieri solet, quod vrinam nullam per penem, sed per foramen relictum ex vulnere circa inguen emittit: Præcipuè verò, illius ceruicis ductusque occasione, mictio deficit, si illa adeò astringantur, aut obstruantur, vt ea, vrina in mictione, permeare nequeat: quod, cùm angusta sit via, eò faciliùs & à varijs causis, fieri potest. Strictior fit hæc via, à frigore, sed inde potiùs, cùm dolore mictio difficulter redditur, sicuti illic dicemus. Angustatur etiam, compressione extrinsecùs factâ, si sedes illa inter podicem & penem, quam in viris peruadit, sessione aut aliâ vi, prematur, tamdiu & mictio solet subsistere. Intrinsecùs, cum recto intestino, ductus hic incumbat, fæcibus aut flatibus illic retentis pressus, vesicam exonerare rectè aut sufficienter non possunt, donec priùs flatus emiserint, aut excrementa deiecerint. Ab inflammatione partium vicinarum, vel tumore summo, idem potest contingere. Occluditur diutiùs, atque vrina tunc penitus intercepta est, quando ex longiore vrinæ retentione, vesica immodicè distenta, trahendo ceruicem adeò constringit, vt relaxari & ad molem incumbentis vrinæ, exitumque quærentis, patefieri nequeat: Quod illis sæpè contingit, qui ob pudorem in conuiuijs potantes, nec surgere ausi, aut alibi; loco ad vrinam reddendam idoneo destituti, mictionem diutius continendo, postea cùm occasio est, & reddere volunt, non possunt. Delirantibus hoc etiam nonnunquam accidit, vt dum intenti sunt cogitationibus suis functiones vti alias, sic & mi-

Vulnus vesicæ, causa Mictionis suppressæ, inani vesica.

Frigiditas, causa Stranguriæ.

Compressio ceruicis vesicæ ductus, causa Ischuriæ vel Dysuriæ.

Tumor causa Ischuriæ.

Vrinæ diutina retentiô, causa Ischuriæ.

Delirium, causa Ischuriæ.

& mictionem, quæ magis ex voluntate nostrâ dependet, edere obliuiscantur, & tale incommodum postea patiantur. Cæterùm inflexâ seu contortâ vesicæ ceruice, sicuti in intestinorum conuolvulo accidere diximus, vrinam penitus suppressam fuisse, in suprанominato piscatore obseruauimus: cui vesica, factâ rupturâ in inguine, in scrotum descenderat, vbi admodum distenta latebat, nec vrinam, vel cathetere immisso reddere potuit, donec chirurgus inscius vesicam esse, dum sectionem tentat, vesicâ vulneratâ vrinam profudit, ægroque statim leuamen, sed summum periculum peperit: à qua tamen liberatus, vti priùs dictum, fistulâ illic relictâ, per eam vrinam adhuc hodie, quando vult, extracto petaceo, quo eam alioquin retinere & formam obturare solet, emittit.

Contorta vesicæ ceruix, in illius prolapsu per herniã, causa Ischuriæ.

Ab obstructione huius vesicæ ductus si fiat, à calculo hoc frequentiùs proficiscitur, qui in vesicâ latens, si magnus sit, quotiescunque in ceruicis vesicæ initium prolabitur, illique se insinuat, vrinam retinet vel impedit eousque, donec inde recedens vel repulsus, viam rursum aperiat. Sed & calculus si paruus sit, in masculis, vlterius nonnunquam in ductum hunc progressus & alicubi, vel eâ sede antequam penem subit, vel illic vbi sub pene fertur, subsistens, viam hanc obturando, mictionem impedit: quemadmodum in nephriticis doloribus hæc omnia explicabuntur.

Calculus vesicæ ceruicem obstruẽs, causa Ischuriæ vel Strãguriæ.

Caruncula vel callus, à male curatâ inflammatione factus, alicubi in dictis locis genitus, vrinandi incommodum eadem ratione adferunt, adeò vt vrinam ægrè vel minimè, nisi cathetere immisso viam aperiant, reddere possint. Poros & verrucas illis in locis generari etiam docent, eademque adferre nocumenta.

Excrescẽtiæ in ceruice vesicæ, causa Ischuriæ vel Strãguriæ.

Sanguinis grumus quem & thrumbum vocant: & pus tenacissimum, quale aliquando emanare solet, meiendi difficultatem quandoque causant, sed non perseuerantem, cùm nec hæc diu possint subsistere. Longè minus ab alijs humoribus crassis hoc fieri posse, vti docent, id comprobat, quòd tales ad vesicam minimè ferantur, & si qui essent, adeò tamen vrinâ diluuntur, vt facilè cum illâ præterfluere possint.

Humores ceruicem vesicæ obturantes, causa Ischuriæ vel Dysuriæ.

Stimulum vesicæ amissum, neruorum illius affectorum causâ, facultate expultrice tunc non agente; sicuti hoc intestinis, alui constipationis, sic hîc, mictionis impotentiæ, causam esse censuerunt. Verùm cùm nullo quoque stimulo impellente, vesica nec plenâ nec vrinæ acrimoniâ adhuc irritatâ, mictio nihilominus ex voluntate nostrâ, pressâ vesicâ per abdominis musculos, fieri possit, secus ac in alui deiectione, quam, nisi stimulus accedat, facultasq; expultrix adiuuet, perficere arbitrio nostro solo nequimus, cùm fæces crassæ vt egerantur, longè maiore vi quam humor, opus habeant, eumq; è vesica sponte effluere, stercus verò ex intestinis à lanijs exprimi, cùm exenterantur, videamus, fit; vt licet vesica, illiusque ceruix & sphincter obtusè sentiant, hoc, quò minùs vrina reddi nihilominus possit, nullum aut paruum saltem adferat obstaculum. Vnde & paralyticis, si vesicæ neruis quoque affectis, stupor adsit vesicæ, nullum aliud meiendi accidit incommodum: aut si sphincter resolutus sit, inuoluntaria potius mictio, cùm illius functio sit vrinam retinere, non expellere, quàm illius suppressio, sequitur. Verum tamen illud quoque est, si vesica nonnihil stupeat, rariorem tunc esse mictionem: vt si exquisito sensu prædita sit, frequentiorẽ: cùm facultas expultrix tunc voluntatem nostram ad vrinam reddendam, sæpe impellat, sicuti in frequenti mictione explicabitur.

Stupor vesicæ, causa Pauca vel rara mictionis.

Curatio.

SI, quia parùm bibunt, siccioreq; viuendi ratione vtuntur, aut quia multum sudarunt, aut per sedes purgãtur, vrinâ minori copiâ rariúsve reddatur, emẽdatione, cum nihil incommodet, minimè opus habent.

In Mictionis defectu à quacũque causa; quid prædicẽdum vel agendũ.

Si verò obstructis visceribus in hydropicis hoc accidat, retento sero, vt minus mingant quàm bibant, cum hoc causa sit ventris tumoris & non minima pars curationis illius in eo sita sit, vt vrina copiosè reddatur, quomodo eam promouere debeamus, in hydrope explicabimus.

Quòd si ob seri crassitiem, assumptorum causâ, idem accidat, victus ratione contrariâ & præsertim potu tenuiore, corrigitur.

Renum vreterumq; vtriusq; lateris simul affecto-

affectorum causâ, quod rarissimum est, si nulla omnino vrina, nec in vesica deprehendatur, nec mingatur, cùm causam maximam esse oporteat, mortale plerunq; & immedicabile existit.

Quod & si vulneratâ vesicâ, in abdomen, vel per vulnus vrina profundatur, euenit, & vel moriuntur, vel fistulâ factâ, vti diximus per eam potius, quàm viam naturalem vrina excernitur: quod tamen insolitum; vti & illud, vesicam in scrotum delabi, ac nisi in casu modo dicto successisset, sine dubio mortem attulisset.

A frigore si difficultas mingendi fiat, quia cum dolore fit, illic cura explicabitur.

Compressione factâ colli vesicae, si vrina subsistat, mox causâ sublatâ, vel fecibus flatibusq; egestis, facilè iterum redditur.

Diutiùs retenta & cumulata vrina, vesicâ distendens, si supprimatur, ab inflamatione aut tumore, hisce curatio adhibenda. Si à calculo, carunculâ, aliòve tumore, aut humore ductus ipsius obstruatur, impedimentis illis ablatis, rursum vrina profluit.

Si stupidior vesica tardiorem faciat mictionem, nec in eo laborandum est, cùm impleta admodum, sponte exitum quaerat, & dum aluus excrementa reddit in illo conatu etiam propellatur.

Vrinam prouocātia et mictionem aduvantia remedia. Verùm quae ad vrinam promouendam faciunt medicamenta, interna externaq;, quâ ratione in quibusdam causis, & praecipuè cum serum crassum est, viae, circa viscera, renes, vesicam & ductus, obstructae, vsurpari debeant, nunc explicandum.

Quae autem eo nomine assumenda exhibentur medicamenta, mictionem copiosam facientia, vel illam accelerantia, Diuretica dicta, id praestant: vel quia seri copiâ gignendo vrinas augent: vel quòd illud attenuando fluxile reddunt, & vt facilè permeare possit, & vt vocant à sanguine segregari, & sic à renibus ad vesicam penetrare: vel etiam quòd dum serum, & per consequens vrinam calidiora acrioraq; efficiunt, vt illud à facultate expultrice, quâ magis tunc sollicitat, citiùs, tum ad vesicam, tum extra hanc in mictione propellatur, occasionem praebent: sicuti haec in remedijs vlterius demonstrabuntur.

Pulueres sequentes, ʒ.j. vel ij. pondere exhibebimus, cum Vino, Cereuisiâ, Lacte, aut Liquore alio conuenienti, copiosè additis, vel superbibitis: qui, si diu asseruari debent, in trochiscos prius rediguntur.

Primus: ℞. seminis Nasturtij ʒ.j.ß. fiat puluis, detur vt dictum.

Secundus: ℞. Glandium, Auellanarum exiccat. in furno ana ʒ.j.ß. fiat puluis: Bibat cum lacte caprino, manè & vesperi.

Tertius: ℞. rad. Rubię mai. Azari, sem. Foeniculi, Petros. Leuistici, Nasturtij, Nigellae, Alkekengi ana ʒ.j. Valerianae ʒ.ß. fiat puluis.

Quartus: ℞. radic. Azari, Phu, Mei, Acori, seminum Foeniculi, Apij, Petroselin. Dauci, Seseleos, Thlaspeos, an. ʒ.j. fol. Sabinę, Squaenanthi, Spicaenardi, Cinamom. Piperis ana ʒ.ß. Croci ℈.j. fiat puluis.

Quintus: ℞. Succini, gummi Prunorum, Cerasorum ana ʒ.j. resinae Lariceae coctae ʒ.ß. lap. Iudaici, semin. Alkekengi, Petros. radic. Azari ana ʒ.ß. Cinamom. ℈.j. fiat puluis.

Sextus: ℞. testae Oui è quo pullus extractus est, relictâ membranâ interiore ʒ.j. Vel Vesicas harengorum, quas ipsorum animas vocant, num. 9. fiat puluis; Detur.

Septimus: ℞. cineres, à combustis, vel pulueres ab exiccatis sensim, aut citò in furno, si necessitas expostulet, Lumbricorum, Cancrorū fluviatil. ana ʒ.j. Millepedum ʒ.ß. Cantharidum vel Cicadarum, ablatis priùs alis tenuioribus, vel Scorpionum si haberi possunt ℈.ß. Cinamomi ʒ.j. Gariophyll. ʒ.ß. Sacchari ʒ.ij. Detur.

Octavus valdè efficax, citò parandus necessitate vrgente: ℞. Cantharidum num. ij. Sacchari Candi ʒ.j. diu inuicem terantur: Detur cum aquâ Mulsâ copiosâ, vel decocto Lini, vel Lacte.

Decocta sequentia conueniunt: ℞. radic. Raphani ℥.ij. rad. Asparagi, Anonidis ana ℥.j. rad. Azari ℥.ß. Maluae, Parietariae ana M.j. semin. Alkekengi ʒ.ij. semin. Nasturtij ʒ.j. sem. Apij ʒ.ß. decoquantur in iure Cicerum rubr. Et bibat haustum.

Vel hoc: ℞. bulborum Caeparum & Allij an. j. decoquat in iusculo: & colaturam bibat.

Oxymel diureticum, in hosce vsus vsitatum est medicamentum: Cuius ℥.ij. cum a-

qua convenienti, vel vino ad vrinas ciendas, propinantur.

Vinum absynthites affatim bibitum, vrinas movet. Item si quis ieiunus Maluaticum bibat.

Compositum tale fit: ℞. radic. Petrosel. Fœniculi, Anonidis, ana ℥.j. radic. Asari, Enulæ ana ℥.ß. Absynthij, Rutæ, Fragariæ, Sabinæ, Hysopi ana M.j. florum Genistæ, Sambuci, Chamæmeli odorati ana P.j. seminum Apij, Petrosel. Leuistici, Erucæ, Nigellæ, Nasturtij an. ʒ.j. gr. Iuniperi ℥.ß. infundantur in Vino albo ad vsum: Bibendo poculum.

Lixiuium sequens potum vtile est: ℞. ligni Iuniperi, & caulium Fabarum cum corticibus siliquarum, omnium aridorum: de singulis fasciculũ combure & cineribus permisce Vinum album, & sæpè colando fac lixiuium: De quo bibat cyathum. Si cineres ramentorum Genistæ, vel Dulcamaræ reliquis cineribus permisceas, erit efficacius.

Potiones aliæ sic fiunt: ℞. olei Sulphuris gutt.ij. spiritus Vitreoli gut.j. cum Vino diluto aquâ conuenienti, Bibat.

℞. olei Scorpion. ℥.ß. Bibat cum Lacte vel Vino.

℞. olei Amygdal. dulc. ad ℥.ij. Bibat cum copioso Lacte.

Succus Mali punici, è malo recenti presso exuctus, vel è granis comestis deglutitus, aut alioquin expressus & bibitus, copiosam mictionem parit.

Vel sic: ℞. radic. Raphani recentis incisi, vel rasi & contusi: irrotetur Vino fortissimo vel maluatico, & exprimatur succus: Bibat ℥.ij.

Vel sic: ℞. succi Parietariæ ℥.ij. vel iij. succi Nasturtij ℥.j. depurentur, adde Vini q. vol. addito Saccharo vel Melle: Bibat.

Aquæ, quia egregiè penetrant, hic præsertim conueniunt: dando aquam Parietariæ, Alkekengi, Limonum, & Nucum, vt affatim bibant. Vel aquam flor. Genistæ, addendo parum aquæ Cinamomi. Sunt & efficaces aquæ, Raphani, Nasturtij, & Fœniculi marini.

Alia aqua ad vsum: ℞. rad. Raphani ℔.ß. rad. Anonidis, granorum Alkekengi recent. maturorum ana ℥.j. nucleorum Cerasorum & Persicorum ana ℥.ß. flor. Genistæ & Sambuci ana ℥.j. semin. Fœniculi ʒ.ij. resinæ Lariceæ ʒ.ß. contusis & incisis affunde Vini Maluatici vt digito vno superemineat, eliciatur aqua: Detur ab ℥.j. ad ij.

Asparagorum turiones nouiter erumpentes, comesti, cocti, longeq; magis crudi, vrinas fœtidas reddunt, & ad sæpè vrinam reddendam, vrgent.

Acetarium paretur ex folijs recentibus integris, Portulacæ, Nasturtij, hortensis & aquatici, Cerefolij, & Petroselini, addendo Cæpas iuniores cum radicibus evulsas, vti solent; permiscẽdo talleolos Raphani quamplurimos, si tempus sit idoneũ, & fructuum Cucumerum, affundendo Acetum album & oleum q.s. De eo comedat, mictionemq; admodum mouebit, præsertim si tunc parum cænet aut ferè nihil.

Bolum talem deuorare possunt: ℞. resinæ Lariceæ, vel Terebint. ʒ.ij. semin. Alkekengi ʒ.j. Succini ʒ.ß. cum Saccharo: fiat bolus.

Pilulæ ex ingratis parantur: ℞. gummi Galbani, Bdellij, Myrrhæ ana ʒ.ß. ol. Sulphuris gut. iiij. resinæ Lariceæ vel Terebint. q.s. fiant pilulæ paruæ: capiat ʒ.ß. pro vice.

Permiscentur aluum laxantia & cathartica interdum diureticis; cum fæcibus expulsis, facilius vrina reddatur, dein & quia stimulando facultatem expultricem intestinorum, vesicæ quoque eandem vim nonnihil impertiuntur.

Bolus sequens hoc præstabit: ℞. Casiæ recenter extractæ ℥.ß. Benedictę lax. Agarici troch. ana ʒ.ß. semin. Alkekengi ℈.j. Sacchari q.s. fiat bolus.

Resina Laricea vel Terebinthina, cum vtrumq; præstet, conuenientissima: ℞. Alterutrius ʒ.ij. dissolue in Melle & Vitello oui cum Vino maluatico: Exhibeatur.

Vel sic: ℞. el. Indi mai. ʒ.ij. Catholici ℥.ß. aquæ Alkekengi q.s. fiat potio.

Per os peculiaria, si à grumo sanguinis fiat, quæ concretum sanguinem dissoluant, exhibentur; inter quæ Succinum cæteris in hoc casu præfertur, reliqua alibi explicantur.

In aluum clysmata inijciuntur, tum eandem ob causam, tum vt topica, vesicæ proximè adhibita sint remedia.

Simpli-

Simplicior hic erit: ℞. Maluæ cum toto, Parietariæ ana M.j. flor. Chamomil. P.j. fiat decoctio; dissolue Casſiæ, Benedict.lax.ana ℥.ß.resinæ Lariceæ dissolutæ in vitello oui & Melle ℥.ß. ol.Chamomil.& Scorpionum ana ʒ.ij.fiat Clyster.

Alter ex pluribus: ℞. radic. Altheæ, Raphani ana ℥.ij. bulbos Ceparum, Allij, Porri ana ℥.j. herb.Parietariæ, Nasturtij, Petrosel. ana M.j.flor.Chamomil.Meliloti ana P.j.sem. Paludadij, Leuistici ana ʒ.ij. baccarum Iuniperi ℥.ß. fiat decoctio in Aqua & Vino: dissolue eadem quæ supra.

Vel ex succis: ℞. succorum Maluæ, Mercurialis, Parietariæ, Rutæ ana ℥.j.ß.Nasturtij ℥.ß.Vini albi ℥.ij.Butyri ℥.j.ß.Mellis ℥.j.Salis ʒ.j.fiat clyster.

Extrinsecùs,vesicæ regioni in pectine, varia quoque adhibentur, vesicam dilatantia & ad mictionem sollicitantia remedia.

Fotus & insesſiones ex sequentibus: ℞. rad.Valerianæ ℥.ij. herb. Maluæ, Artemisiæ, Petroselini, flor.Chamom.Meliloti,Anethi, ana P.j. semin.Lini, Fœnogr.ana ʒ.j.seminis Apij ℥.ij. fiat decoctio, adde Vinum. Eadem, si ab impletâ vesicâ distẽtâ vrinare nequeant, conueniunt. Adduntur grumos dissoluentia, si inde fiat. Ex refrigerantibus fiunt, si adsit inflammatio.

Vel emplastra: ℞.rad. Altheæ, Raphani & herb. Parietariam, coq; parùm, contundantur, misce Butyrum: Applica.

Vel ℞.Raphanum, Nasturtium, hortense & aquaticum Allium, baccas Iuniperi, contundantur & frixentur cum vino: addendo Butyrum & ol.Scorpionum: Vtere.

Stercus bouinum calidum cum Cimino, & ol.Scorpionum admotum, iuuat.

Filum crudum ex cannabi, modò filatum, decoctum in aquâ & Lixiuio, additâ Artemisiâ & Chamomillâ in decocto applicatum in stranguria prodest.

Inunctiones vnà cum prædictis, vel solæ adhibentur: ℞. ol. Scorpionum, axungiæ Cuniculi ana ℥.ß. Vngatur.

Vel ℞.succorum Nasturtij vtriusque, Petrosel. herbæ, Cæparum ana ℥.j. Fœniculi mar.si haberi posſit, ol.Scorpionum ℥.ij. coquantur ad consumptionem, adde ol. Terebinth. ʒ.ij. axungiæ Cuniculi q.s. fiat linimentum.

Vinum, Acetum & Mel, si simul coquantur ad Mellis spisſitudinem, miscendo, far. semin. Lini, pectenq; eo vngatur vel emplastretur, mictionem promouet.

In vesicam infunduntur per syringã, quæ vias laxant, vt Oleum amygdal.dulc. vel in quo Malua ebullierit: & nonnihil stimulant, vt oleum Scorpionum: si fortè faciliùs sic vrina efflueret, aut calculus si obstruit, progrederetur. Vel etiam Serum lactis, aliaq; abstergentia, vt Mel & Aloës, si humor tenax aut grumus obturet, & quæ illum dissolvunt injiciuntur: sicuti & lithontriptica, si calculus adsit. Imprimis verò si caruncula adsit, aut durities, ad ea emollienda injiciuntur, & ad excrescentiam illam abstergendam, vnguenta, vt Ægyptiacum, & postea ad validè exiccandum, illud quod ex Lythargyrio, Tuthia, Antimonio, Cerusa & Aloë, paratur, candelæ cereæ extremitati inuncta & intrusa adhibentur.

Intruditur catheter, si vrina suppresſa vesicam adimpleat, nec vllo modo reddi posſit; quod & in omnibus causis conuenit, meatum obstruentibus; cùm calculum repellat, carunculam disrumpat, grumos aliaq; tenacia dissoluat: & si ob vrinæ retentionem vesica distenta, retineatur, viam rursum aperit: qui tamen cavus esse debet vt per eum etiam antequam extrahatur, vrina effluat.

Glandis in viro foramini vrinario, cimices, pulices, pediculi, viua induntur, vel pili minutim incisi intrudũtur, vt irritando partem summè sensilem, facultatem meiendi excitent.

Si grandi illic vbi perforata est Galbanum emollitum emplastri instar apponas vrinam prouocare creditur.

Quod & suffitum ex pelle Ericij & Agarico factum, & ex Locustis, in fœminis facere scribitur.

Compresſio vesicę leviter facta, eâ sede vbi tumet, si ab eâ distentâ nimiùm, vrina profluere nequeat, sola sæpè hunc affectũ sanat. Et in calculo, aliquousq; sub penis ductu iam progresso, si sensim premendo, versus extremitatem illius pellatur, eum sæpè expellit.

Sectione frequenter calculus vel aliud subsistens, aut caruncula quoque nata, si non alijs cedant, vt eximantur, & via aperiatur, necessitas cogit: quem modum in calculo demonstrabimus.



DE PARTVS DEFECTV.

CAPVT IX.

Genera.



EST defectus excretionis illius naturalis, per quàm mulier, illud quod in vtero conceptum erat, siue fœtus sit formatus cum suis inuolucris, aut informis mola, tempore idoneo, per eandem viam rursum excludit.

Deficit autem partus, cum difficulter fit: quod non solùm præter naturam, sed & naturaliter potest accidere. Vel quando non fit tempore & termino naturaliter ad id destinato: Aut etiā ante hunc, si necessitas priùs exigat: Aut si non sufficienter partus fiat, remanente conceptus portione aliquâ.

Difficilis partus naturalis. Cum difficultate & dolore, etiam naturali modo, fit omnis partus fœtus ad maturitatem adaucti: quorum præludia paulò antè partum sentit mulier, illisque ad conatum per retentionem spiritus & compressionem abdominis musculorum, sicuti in alijs per inferiora deiectionibus fieri solet, edendum sollicitatur. Augenturque hæc omnia fœtu iam erumpente. Et post partum quoque dolores aliquandiu remanent, qui Dolores post partum dicuntur; quos, cùm naturaliter pariendi functioni copulentur, in huius functionis læsionibus potiùs, quàm in doloribus, tractamus.

Difficilis partus præternaturalis. Præternaturali modo, ob impedimentum præternaturale, maiori difficultate adhuc tardiusq; partus interdum procedit, in partus seu Pariendi difficultate dictâ: in qua, cum summo conatu, labore, calore & sudore, dolores vehementes parturientem angunt, fœtu in claustris obliquè vel transuersim hærente, (vbi & ab obstetrice immissa manu tangi potest) vel etiam manu vel pede potiùs, quàm capite, (cùm si capite in vteri ceruicem feratur, reliquis tunc facilè subsequētibus, partus rectiùs procedat) prominente: vnde non nisi cum summo periculo & matris & infantis vitæ; cùm in partu sæpè alterutrum aut ambo moriantur, tandē prodit.

Partus omnino impeditus, vel nullus. Terminum naturalem partui destinatum, qui frequentiùs decimus est mensis (non autem decimestris solùm sed & septimestris partus est legitimus) si prætergrediantur, & maturus fœtus non excludatur, aut si mola quoq; diutius retineatur, nec reijciatur, tunc partus nullus dici solet. Et tunc, vel enarratis accidentibus in partu difficili modò explicatis perseuerantibus, ob dolorem & laborem, accedente sæpè hæmorrhagiā magnâ, viribus deiectis, in syncopen cadunt, in quâ, si fœtus subsistat, citiùs quàm in alijs omnibus animi defectus causis, moriuntur. Fit tamen etiam vt conatus pariendi eo tempore sese manifestent, mulierq; paritura videatur, & ad partum ab obstetrice disponatur, aquaque iam, sicuti ante partum fieri solet, effluxerit, sed his omnibus rursum cessantibus atque euanescentibus, nullus partus sequatur, & nisi dēnuo hæc redeant, vti aliquando fit, fœtus extinctus, nunc in vtero, nunc extra hunc, hæreat, qui tandem cum inuolucris putrescens febres animique defectus, & si nihilominus retineatur, vterum partesq; vicinas simul inficiendo, matri exitium parit, sicuti in quibusdam accidisse (inter quas vna quinque, supra decimum, menses, fœtum mortuum, antequam ipsa exspiraret, profluente fœdâ interim illuuie, & venâ vmbilicali propendente, vtero inclusum gestauit) aliquoties vidimus, tantâ corruptione intrinsecus, factâ, vt & vterus simul cum fœtu, & abdominis musculis illius loci, ex putredine nigricantibus, summè fœtentia, post mortem sectione factâ, deprehensa fuerint: priusq; viuente matre, interdum tumor pellucidus vesicæ instar, circa vmbilicū eleuatus, subiectæ putredinis character, per quem fœtus vertebræ cernebantur, eoq; rupto, eximebantur, sese obtulerit.

Quæ cum ita, fœtu in vtero extincto, accidant, illeq; putrescens exhalatione putri & corruptione, vti dictum, nisi maturè excludatur,

datur, matri mortem adferat, cum hoc etiã in fœtu nondum perfecto, ante pariendi, tẽpus naturale, accidere poſsit; ſi tunc moriatur, vt per partum mox rejiciatur, opus eſt: ſicuti hoc ſi paruus adhuc eſt embryo, ſponte & citò fieri ſolet, ſi grandiuſculus verò, & qui iam viuebat & ſe mouebat, nonnunquã retinetur: quod cùm fit, partum quoque deficere, tunc poſſumus dicere: Vti & ſi conceptus preternaturalis, vt mola geſtetur, cùm, quò citius illa rejicitur, eò minori hoc fiat periculo, proin cùm de his certi ſumus, niſi ſponte hoc natura tenet, medicamentis partum accelerabimus.

Conſtat autem de fœtu mortuo, ſi illius, qui prius mouebatur motũ mater non amplius percipiat; ventris nihilominus tumore (qui nonnunquam in illis, quæ ſe grauidas eſſe putabant, neq; ſunt, & tamen intumuerunt, menſibus erumpentibus, ſubitò ſubſidet) remanente, qui tamen tunc circa illa magis propendet: ſi vteri regio frigida deprehendatur, & Mamillæ, quæ prius turgebant, nonnihil flaceſcant, tandemq; ſi diutiùs pſeueret, aqua, ſanies, virus, pus effluat: aut portiones aliquæ, ſicuti ſuperiùs dictum, præſertim inuolucrorum, promineant, febriles horrores, cardialgiæ, ſyncopes matrẽ exerceant. Molam verò non fœtum retineri quomodo cognoſcere oporteat, in conceptu deprauato explicabimus.

Partus imperfectus. Imperfectus aliquandò fit partus, quandò fœtu excluſo, ſecundina vel integra aut lacera, vtero adhuc connata, vti ferè fit, aut alioquin impedita ſubſiſtit, matremque in ſummum periculum adducit: cùm febris tunc quoque, viriumq; proſtratio ſubitanea atq; interitus, nonnunquam ſuperueniant.

Cauſæ.

Peccatũ, cauſa Partus difficilis naturalis. PArtus naturalis difficultatis, cauſam in muliere peccatum originale eſſe pp̃ter lapſum Euæ in paradiſo, cuius occaſione, creatori viſum eſt, vt cum dolore pareret illi pœnam infligere, ſacræ teſtantur literæ. Nos verò etiam naturalem, & illius & præternaturalis partus difficultatis, & quod deficit aut imperfectè fit, cauſam indagamus. Quæ vel à fœtus magnitudine, vel ſitu, vel imbecillitate: aut à matris imbecillitate: vel illius vteri ſtructuræ, trium orificiorum, vel ductus ſeu ceruicis anguſtiâ dependet.

Magnitudo fœtus, cauſa Partus difficultatis. Magnitudo fœtus maturi ad partũ, (qualis eſt, ſi eo vſq; adauctus ſit, vt iam in vtero locum amplius habere nequeat, tuncq; ſolidius nutrimentum, & aërem externum ad vitam requirens, exitumq; quærens ad partum ſollicitet) ſi cum viarum, quas in partu peruadere debuit anguſtiâ conferatur, partum non ſine illarum violenta dilatatione, & proin dolore laboreq; magno fieri poſſe, etſi naturaliter hoc fiat, ſatis demonſtrat: eoq; magis, ſi fœtus patris causâ magnus, à matre geſtetur paruâ, quæ magno vitæ periculo pariunt & in partu ſæpè ſuccumbunt: Vti & illæ quæ ſuprà modum adauctum conceptum, aut aliter monſtroſè formatum, aut plures ſimul vtero geſtant.

Situs fœtus perverſus, cauſa Partus difficilis vel nullius. Quod ſi quoq; decente conceptus rotunditate diſſolutâ in partu (qua globi inſtar oblongi fœtus, membris ritè compoſitis, cum ſuis inuolucris in vtero continetur) fœtus, ruptis inuolucris, aquaq; profluente, extenſus, non capite primùm ad exitum, ſed pedibus, aut tranſuerſo ſitu feratur, aut manus pedesve, quæ prius corpori exactè applicata erant, nimis diſtendat, vt partus vel nullus aut difficillimus fit, in cauſa quandoque exiſtit.

Imbecillitas fœtus, cauſa Partus defectus. Et, vt fœtus validus & viuidus, cùm pariendi tempus inſtat, naturam ſeque ipſum impellens & mouens, partum faciliorem, ſic imbecillis vel mortuus languidiorem, & ſi ad iuſtam magnitudinem excreuerit, & moriatur, difficiliorem parit.

Imbecillitas matris, cauſa Partus defectus. Et cùm ad partum edendum, conatus matris validus requiratur, vti fortiores & animoſæ, ſtrenuè laborantes, partum promouent; ſic debiliores naturâ & ætate, & iuuenculæ omnino, vel ſeneſcentes; & quæ puſillanimes ſunt, animoq; ob metum deiecto, pigræ in opere, vel labore diu in conatu pariendi defatigatæ, ſeipſas retardant, & in periculum adducunt.

Vaſorũ in vtero cõnexus nondum diſſolu- Vaſa quibus fœtus inuolutus membranis, intermediâ carneâ placentâ, vtero adhęret, ſi immatura adhuc, hoc eſt, non ita diſpoſita ſint; vt quemadmodum fructuum ma-

tus, causa Partus difficultatis. turorum pediculi, à ramis arborum citra læsionem & lacerationem, facilè abſcedunt: ſic hæc connexio cùm maturus eſt partus, citra vim magnam & læſionem aut ſanguinis profuſionem (neq; enim quæ partum ſequitur expurgatio, ab hiſce venis, vti mox dicetur, prouenit) facilè diſſoluitur: tunc, cùm adhuc validè hæc vaſa inuicem cohærent connataq; ſunt, & ante tempus ad partum muliere impulſa, per vim ſeparentur, partus difficilior maiorique dolore, & cum magnâ ſanguinis profuſione, vterique nonnunquam inflammatione, febre continuâ comite & vitæ periculo, procedit. Vel ſecundinâ adhærente, penitus vel ex parte, aut lacerâ, eadem ſymptomata ſequuntur. Sicuti fit, cùm ex caſu, ictu, vel ſumpto violento medicamento, mulieres intempeſtiuè pariunt: aut in quo maius frequentiusq; erratum committitur, ſi impulſæ ab obſtetricibus, vti nimis citò ſæpè, vt ſe expediant, eas ſollicitare ſolent: aut aliàs leuibus vterinis doloribus falſæ & perſuaſæ, tempus pariẽdi inſtare, quod tamen nondũ adeſt, mulieres fœtum vi quadã & conatu maximo, vt pariẽtes ſtrenuæ eſſe dicantur, extrudere conantur fœtũ, remanente interim ſecundinâ, nec membranis ſecedentibus, in diſcrimen, vti dictum, nimis nunc conſuetum, veniunt.

Orificia tria, vteri interius, & ceruicis illius exterius, cum rimâ pudendi, quæ fœtus tanquam tres portas peruadere debet, pariendi difficultatem nonnũquam & impoſſibilitatem cauſant. Cùm enim vteri interius orificium, tempore quo fœtum vtero inclusum gerit fœmina, adeò anguſtum & occluſum ſit, vt ne minimum quidem admittere, aut emittere poſsit, & ceruicis orificiũ exterius non ſit amplius, quàm quod colem poſsit excipere, eaq; in partu adeò dilatari oporteat, vt fœtus poſsit per illa egredi, non mirum difficilem partum, illorum causâ, fieri: eoque magis, ſi naturâ ſint anguſtiora aut duriora, ſicuti in illis quæ diu non pepererunt, & ſeneſcentibus, vnde & tanto labore pariunt, accidit. Vel ſi alioquin ſicciora & aridiora nec humectata ſint, propterea quòd aqua in partu erumpere ſolita, quâ irrigantur & laxantur hæ viæ, diu ante,

Interioris orificij anguſtia, cauſa Partus difficultatis. Ceruicis vteri orificij anguſtia, cauſa Partus difficultatis.

quàm ſit ſequutus, effluxerint. Rimæ quoque pudendi causâ (licet in ea penetranda cùm in cute longo ductu ſciſſa amplaque ſit, minus infans occupetur) fieri poteſt, ſi & illa breuior ſit, minusque lata, vt illic fœtus ſubſiſtat, cùm non ita, vt orificia ampliari queat, atque intumeſcere; ſicuti in canibus fieri videmus, quibus pudendum cum calent, valde intumeſcit & ampliatur: in muliere verò ſemper eandem ſeruat amplitudinem, nec ita vti interiora orificia, cùm mulier apta eſt ad conceptum, & parere debet, increſcit; quemadmodum in conceptu oſtendetur.

Rimæ pudendi anguſtia, cauſa Partus difficultatis.

Ductus ab vtero ad pudendum vſq; progreſſus, qui ceruix illius dicitur, causâ, difficultas hæc etiam oritur, etſi enim amplitudinem inſignem habeat, quia tamen fœtum, niſi admodum quoque diſtenderetur, tranſmittere nequiret, fit vt & ex hac diſtentione, vnà cum ea, quam in orificijs fieri diximus, dolor pariendi laborque, augeantur. Quod veriſimilius, quàm ſicuti Rondel. voluit, ob ſecundinæ à matrice auulſionem in partu dolorem accidere, vt etiam ſecundinâ adhærente fieri, vt ſine dolore mulier pariat, falsò opinatus eſt. Cùm hanc ſeparationem citra moleſtiam, ſi recto tempore pariat, fieri, ſupra demonſtratũ ſit, ſæpeq; obſeruarim, remanente ſecundinâ, dolores in partu nihilo leuiores fuiſſe. Sed & hæmorrhagia poſt partum aliquãdiu fluit, apertis ex diſtentione illâ venis menſtruis ceruicis vteri, vt alio mẽſtruo tempore cùm aperiuntur ꝓmanans. Imprimis verò ceruix vteri, eò potiſsimùm loci, in fœtus tranſitu, angitur patiturque vbi pubis oſsibus ſubiecta, in ſede illâ anguſtiore, rectum ſimul inteſtinũ continente, latet: etſi in muliere longè amplior quàm in viris ſit; & ob laxam cartilaginem, quæ pubis oſſa illic ſimul conglutinat, illis nonnihil cedentibus, non tamen ab inuicem vti voluerunt diuulſis: ſed imprimis coccyx ſubiectus articulatus, vim illam ſentiens retrorſum cedendo, vt via hæc minus impedita ſit, efficiunt: modò nõ anguſti lumbi, & breues in muliere breuis ſtaturæ, hanc viam anguſtiorem reddentia, difficultatem eam augeant. Quod & fit, ſi rectum

Ceruicis vteri anguſtia, cauſa Partus difficultatis.

rectum intestinum fæcibus plenum, maiorem huius cauitatis sedem occupant, aut coccyx dum sedet mulier pressus, obstaculum huic rei adferat.

Pinguedo, an causa Partus difficultatis. Obesas mulieres, & præsertim circa vteri regionem, difficulter parere docent, cùm tamen contrarium testetur experientia, nec pinguedo vlla vteri interiora illiúsve ceruicis, occupet: dein & quæ extrinsecùs abdomini instrata est, adeò hic impedire minimè potest, nisi fortè quia tardiores sunt obesæ, hoc obstet partui.

Curatio.

Prædictio. SI ob magnitudinem, fœtus excludi nequeat, diuque iam substiterit, & præsertim si ex vtero nondum descenderit, vel illic in angustijs hæreat, suffocabitur, materque periclitabitur, & si fortè succedat, eumque pariat, periculum ne in partu secundo vel tertio, si tam grandes infantes parere soleat, vti sæpè fit, succumbat. Sicuti & frequenter accidit. Et cùm transuerso situ, aut alio exitum præpediente, infans in lumbis, vt vocant, subsistit: Aut ob orificiorum & ductuum angustiam ægrè transit. Quamplurimæ etiam ex illis, quibus secundina adhæsit, extinguuntur. Si molam gestent, quid tunc prædicendum & agendum, in conceptu deprauato explicabitur. In omnibus autem causis, si vires admodum prostratæ sint, animusque deficere incipiat, in syncopem cadant, hæmorrhagias magnas patiantur, febre acutâ corripiantur, periculosum.

Partus difficultatis præcautio & curatio. Interea tamē cùm eiusmodi pericula metuimus, etiam ante tempus prospiciendum; idoneam viuendi rationem, toto quo grauida mulier est tempore, instituendo; nihil tamen, quod partum promouere possit, ante postremum mensem, præsertim si validum sit remedium, administrandum est.

Parcè itaq; cibo vtatur, parumq; nutriente, si consueta sit magnum fœtum edere, & obesa sit. A Vino vel abstineat, vel eo diluto vtatur: Sanguinem circa medium vteri gestationis tempus detrahat: idq; si plethorica sit, postea repetat, somnoq; non nimiùm indulgeat.

Reficiente verò viuendi ratione, statim à conceptu, refocillandæ sunt imbecilliores.

Humidiore victu & potu, lubricanteque vtantur, quæ angustioribus orificijs sunt præditæ, Balneoq; sæpè temperato.

Vltimo verò mense appropinquante, ad ea quoque quæ iam ad partum faciliorem mulierem præparare, non tamen antequam conatus sentiat, admodum impellere possunt, accedendum. Exhibendo, ex leuioribus partum iuuantibus, quædam. Balneo imprimis & inunctionibus vias laxando; sensim vires horum medicamentorum augendo, quò tempus pariendi propinquius est, & præludia quædam illius sentit mulier: quibus iam præsentibus, ad ea quæ naturam simul sollicitant, & si non succedat partus, ad fortiora, fœtum expellentia, & si magna exigat necessitas, & iam de fœtu extincto certi simus, aut secundina nondum eiecta sit, etiam ad fortissima, quibus prius fœtu adhuc viuente, quia eum perimere possent, vti non licebat, transeundum, & extremis extrema adhibenda remedia. Quæ omnia tum in partu, tum ante hunc, partim actu vel à viro, vel à matre ipsâ, vel ab obstetrice aut chirurgo, vel à medico, per remedia exhibita, indita admotaque, præstantur.

Vir maritus, si sæpè ante partum, vel iam instante partu, cum vxore se commisceat, partum faciliorem reddere, multumque vt leuiùs fiat, adiuuare pleriq; docent, veritatiq; consentaneum est.

Matris operâ partus accelerabitur, si vltimo mense sæpè erecta stet, sæpè deambulet, locaq; edita scandat, idq; præsertim tempore partus præsenti.

Conatus matris ad fœtus exclusionem omnino est necessarius, cùm natura sola eum qui adauctus est, propellere nequeat, sed constrictione ventris non minùs ad fœtus exclusionem, quàm alui excrementorum opus est, idque voluntas matris omnino efficiat. Eo nomine, cum naturæ stimulum, & dolores parturientiū persentit, eosque vteri & fœtus causâ, nō aliunde prouenire, ab obstetrice edocta, certò nouerit, tempusq; adesse; (neque enim priùs, ne fœtu excluso per vim,

vim, secundina remaneat, vti prius dictum, sollicitanda) tunc puerpera, retento spiritu, & constrictis musculis abdominis laborandoq;, vt vocant, fœtum ad expulsionem promouere, sensimq; conatus intendendo quãtum vires ferre potuerunt, extrudere conabitur, & ab obstetrice astantibusq;, vt strenuè agat, admonebitur. Dumque in labore est, in sella quæ amplo foramine peruia sit, vt occygem quò minus retrorsum cedere possit minimè impediat, sedeat, illiq; dorso innitatur: Vel si maiore vi opus est, erecta, lumbis innixa, aut sub brachijs sustentata, laboret. Et si obæsitas impedimento sit, prona, vultu in terram demisso, & ad genua inclinante, opus peragat. Sed & sensim præsertim conatus labore defatigata, circumducenda, vtq; passibus distãtioribus ambulet, pedibus terram nonnihil pulset, & si secundina retenta sit, aut fœtus aliquousque progressus, non cedat, validiùs terram concutiat, monenda, quâ ratione Psaltriam conceptum excussisse, scripsit Hippocr.

Sternutatio cùm conatum validum licet breuem efficiat, subitò & violenter, musculis constrictis abdominis, magnum ad fœtum vel secundinam, propellenda, adferet emolumentum; maximè si ore clauso, naribusque constrictis nonnihil fiat, admodum impellit, & proin cùm opus est, eam prouocare oportet.

Obstetrix, vbi primùm fœtus progredi incipit, eum excipiat: si verò cedere nolit, sensim & placidè trahendo, ventrisque partem superiorem comprimendo, extrahere conetur: aut, si profundiùs lateat, inuersusq; sit, immissis digitis manùve, priùs inunctis, in rectum situm, vt caput deorsum spectet disponendo, vel membra distracta colligendo, vt egredi possit, adiuuare debet.

Quibus minimè succedentibus, maximè si fœtum extinctũ cognoscat ipsa obstetrix medica, vel chirurgus adhibit⁹, speculo matricis orificium dilatare tentent: & si nec sic quidem progrediatur, certis instrumentis illum apprehendere & extrahere studeat, vel etiam in partes dissectum per portiones eximere.

Omni demum aliâs salutis spe sublata, aliqui cum successu, fœtum mortuum sectione in matris abdomine factâ, extraxerũt, matre nihilominus manente superstite: cui rei fortè primã occasionem, vt illud tentarent, præbuit, vesica illic, si fœtus putrescat, vti superiùs dictũ, eleuari nonnunquã solita, quâ apertâ, si fœtus putruerit, mox in conspectũ se dat: sicuti hoc aliquando feliciter successisse variæ testantur historiæ, egoq; ocularis huius rei testis esse possum. Quod tamen dũ viuus adhuc est fœtus, vix aggrediuntur, nisi in tale discrimẽ mulier venerit, à quo si non mox liberetur, periculum illi & fœtui immineat. Tutiùs tamen & sine calumniâ, extinctâ, partus difficultate, matre, si fœtum adhuc viuere suspicio sit, vt illi succurramus maturare, sectioneq; factâ in abdomine, fœtus eximendus: quâ ratione multos liberatos fuisse experientia testatur, Cæsariq; nomen inde quòd cæso vtero matris excisus fuerit, impositum, scribunt Historici: vnde & si cæsim partus eximatur Cæsarius dicitur. Sectione quoque rimam pudendi, si illa non satis pateat, fœtuiq; exitum præcludat, dilatamus, vel nummo in acutiem redacto, vel nouacula. Orificiũ autẽ ceruicis vteri sectione aperire periculosum, & fortè quia eandẽ quam ductus habet amplitudinem, inutile.

Exhibentur quæ vteri vias aperiunt, & facultatem ipsius excitant atq; sollicitant, vnde & menses prouocant, & vt fœtus expellatur, adiuuant: quod & proprietate quadam faciunt. E quibus leuiora maturè, validiora cùm partus instat, validissima verò quæ fœtum non solùm promouere, verùm & illi nocere possent, non nisi iam fœtus mortuus, vel secundina retenta sit, vsurpantur.

Aquæ stillatitiæ conueniunt Sabinæ, Artemisiæ, Tapsi barbati, fol. Iridis, flor. Liliorum alborum & Chamomillæ odoratæ.

Decocta in vino prosunt, Pulegij, Artemisiæ, Sabinæ, herbæ Fabarum, flor. Cheiri.

Vel hoc: ℞. rad. Dictamini ℥. ß. rad. Aristol. Rubiæ mai. cort. Cassiæ fist. an. ℥. ij. herb. Artemisiæ, Pulegij, Sabinæ ana M. j. flor. Lauandulæ, Chamom. Cheiri ana P. j. Cinamom. ℨ. iij. Croci ℨ. j. decoquantur in Vino albo: Bibat de eo haustum.

Efficacius hoc erit: ℞. rad. Aristoloc. rot. Cycla-

Cyclaminis ana ʒ.j. fol. Sabinæ, Tamaricis ana ʒ.ij. decoquantur in vino: & bibat dilutum vno haustu vel duobus.

Succi competunt, earundem plantarum, ex quibus electuarium hoc parabitur, quo instáte partu & paulò ante, se ad faciliùs pariendum, mulier disponat: ℞. rad. Enulæ, Consolidæ, Altheę ana ℥.iij. herb. Pentaphylli, Betonicæ, Hysopi ana M.j. contundantur omnia recentia, exprimatur succus, qui depuratus, addito Saccharo coquatur ad spissitudinem, permisce Cinamomum, fiat instar electuarij: capiat duo cochl. ter in die, manè ante cœnam, & cubitum itura: cõtinuando.

Vel necessitate vrgente, succum Sabinæ vel Artemisię, Porri, & imprimis rad. Cyclaminis, si haberi potest, separatim vel permixtos inuicem, cum vino bibant.

Pulueres sequentes sumat cum vino, vel aquis enarratis: vel ex iis saccharo permixto, puluerem aut tabulas formet.

℞. cort. Cassiæ fist. rad. Dictamni albi ana ʒ.j. Cinamom. ʒ.ß. Croci ℈.j. fiat puluis: capiat vt dictum.

Vel sic: ℞. sem. Lauendulæ ʒ.ß. sem. Plantag. Endiuiæ ana ℈.ij. Cinamom. Piperis ana ℈.j. Croci ℈.ß. fiat puluis: Sumat vt suprà.

Lutei apices è staminibus flor. Liliorum alborum, vtiliter bibuntur in hoc casu, per se, vel aliis permixti, Italæ mulieres in oleo maceratos insolant, hocque oleum bibunt.

Succinum ʒ.j. pondere, si cum retentâ secundinâ fluor adsit sanguinis, prodest, cùm eum cohibendo, secundinas nihilominus pellat.

Vel hic puluis: ℞. rasuræ ossium Dactylorum & cornu Cerui, cort. Cassiæ fist. ana ʒ.j. nucleorum Persicorum ℥. j. Cinam. ʒ.ij. Sacchari ℥.j. capiat cochl. ij. vel iij. superbibendo aquas idoneas.

E fortioribus hic est: ℞. Boracis ʒ.j. vel ℈. iiij. Cinam. Croci ana ℈.j. Zingib. ℈.ß. Bibat cum aqua Cinam. vel vino Maluatico, vel fiat bolus cum confect. Alkermes, & detur in summâ imbecillitate.

Alter: ℞. Boracis, Myrrhæ, Aristol. añ. ʒ.ß. Croci, Piperis ana ℈.j. fiat puluis: Bibat.

Ex inuolucris & vasis fœtus remedium, aliqui admodum commendant: quod sic rectiùs parabitur: Asseruata ab obstetric[illegible] chorda vmbilicalis cum vracho, vna vel p[illegible]res, in clibano siccantur, & pulueri[s]atis ʒ.ij. addunt Cinamom. Piperis ana ʒ.ß. Croci ℈. ß. & cum succo Sabinæ in trochiscos formant, & cùm vsus postulat, ʒ.ij. illorum puluerizatæ, vel solæ vel mixtæ cum pręcedenti puluere aliquo exhibentur.

Secundinam sic vstam & exhibitam, dolores parturientium eos qui partũ sequuntur, mirè mitigare docet Rondel.

Trochisci de myrrha & Galliæ mosch. vtiliter quoque exhibentur à ʒ.j. ad ʒ.j.ß. cum vino Saluiato, sed rectiùs pilulæ inde formatæ, propter ingratiam, dantur.

Pilulæ ex summè amaris & fœtidis valde efficaces tales fient: ℞. Galbani, Myrrhæ ana ʒ.j. rad. Aristol. rot. Dictamni, Gentianæ, ana ʒ.ß. Castorij (si assam fœtidam addas erunt efficaciores) Croci, ana ℈.j. cum succo Sabinæ, fiat massa: capiat à ʒ. ß. ad ʒ.j. procedendo.

Dantur & aluum laxantia per os, quæ si laxa sit, faciliùs pariunt, imprimisque Cassia conuenit & Tryphera: dein & simul stimulent alui facultatem expultricẽ, per consensum etiam vim vteri commouent; vnde & grauidis ne abortiant, catharctica minimè exhibemus.

Reficientia varia quoque propinantur ad vires sustentãdas, quibus hîc in conatu maximè opus est, & lassas ex labore erigendas, tum in victus ratione, tum medicamentis, quibus & partum accelerãtia cõmiscemus. Confectio Alkermes valde probatur, pręterquam enim quod cordialis, sopitam etiam facultatem excitat; datur cum vino, addito interdum borace. Vel: ℞. pulu. Diamoschi, Diamarg. cal. añ. ʒ.ß. Dentur cum Vino vel aquis: vel capiat Tabulas horum.

Suffitus & odores subtus facti, inter ea quæ hanc ob causam vtero adhibentur, cùm in eum penetrent, primas tenent; si à vehementer odoratis vel fœtidis fiant, & per embotum in vterum dirigantur.

Ex odoratis: ℞. Ladani, quod valde confert ʒ.j. Styracis ʒ.ß. Moschi, Ambræ ana ℈.ß. Sacchari ʒ.j. fiat puluis vel trochisci, vrantur in carbonibus.

Oleum ſpicę vehementi odore expirans, orificio ceruicis vteri eam ob cauſam illinatur: quod aliqui infuſum in pane,& applicatum admodum commendant.

Ex fœtidis, Succini vſti, vti & Vngulæ aſini vel equi fumus,probantur.

Vel ſic: ℞. Vngulæ aſini pulueriſatæ & cum pinguedine equi miſce; Vre.

Vel: ℞.Galbani,Myrrhæ,Aſphalti ana ʒ.ß. Caſtorij ℈.j. cum Felle vaccino fiant trochiſci; Vrantur.

Sulphuris accenſi fumum, ſi fœtus iam mortuus ſit, probat Dioſcor.

Decocti Dictamni, & Botrys herbæ ſuffitus exceptus, prodeſt.

Odores quoque ſuaues naribus, cùm vires recreent,eo nomine adhibētur: nec metuendum, ne vterus fœtū grauis, his allicitus ſurſum feratur, cùm alio modo hoc in vteri ſuffocatione,vti dictum,accidat.

Immittuntur in ſinum vteri, quæ illū relaxent, lubricum faciant,& ad excretionem ſtimulent.

Ex relaxantibus potiſsimùm decoctum hoc infunditur: ℞. rad. Altheæ ℥.j. ſemin. Lini, Fœnogr. ana ℥.ß. Sabinæ ʒ.iij. fiat decoctio,colaturę adde olei communis vel Butyri ℥.j.

Vel oleum per ſe inijcitur Amygdal.dulc. Chamomil. Vel in quo ſemen Fœnogræci coxerit, addito pauco Irino. Lac item pingue infuſum.

Vel intrudatur in collum vteri Lana ſuccida,immerſa prius in Butyro,Melle, mucilag.ſemin.Lini,ping.Anſeris,inuicem mixtis, addito pauco Croco.

Ex fœtum prouocantibus, ſuccus Porri cum Croco & Myrrha, permixta, cū Lanâ vel Spongiolâ intinctâ in illis,intruduntur.

Aut ſic: ℞. Galbani,Oppopanacis, emollitorum in Aceto ana ʒ.iij.Myrrhæ ʒ.ij.Croci ʒ.ß.cum oleo Irino malaxentur,& formetur inſtar ſuppoſitorij.

Quod ſi fœtum extinctū ſciamus, infundimus ſuccum Pulegij, Cētaurij min. Porri, Mercurialis, ſeparatim inuicémve pmixta.

Vel ſupponimus rad. Dictamni, vel Rubiæ,vel Bryoniæ, recentia in formâ peſſi ſecta,oleoque inuncta & intruſa.

Vel: ℞. Mercurialis contuſæ cum Petroſelino, quantum pro peſſario ſufficit, ſemin. Nigellæ & rad. Cyclaminis ana ʒ.j. impleatur ſacculus.

Fortiùs adhuc ſic fiet: ℞. Agarici ʒ.ij.rad. Ariſtoloch. Azari,ana ʒ.j. Hellebori albi ʒ.ß. Colocynthidis (quæ venas admodum aperit) ℈.j. Myrrhæ ʒ.iiij. ſucci Mercurialis cocti cum melle in formam ſyrupi, ſubigātur, impleantur ſacculi pro peſſariis.

Suppurantia, ſecundinam diutiùs retentam, ſi hiſce non cedat, iniicimus, vt ſic in pus conuerſa ſenſim effluat,& ab vtero ſecedat,quod citra vteri noxā poteſt fieri, naturâ partes corruptas à ſanis ſpontè ſegregante.

Tale maturans infundatur: ℞. Amydi ℥.j.diſſoluatur in decocto Maluæ & ſem. Lini, addendo Vitellos ouorum numer. ij. Terebinth.diſcolatæ ʒ.ij. inijciatur ſæpè: addendo tandem etiam Mel ad deterſionem.

Vnguentum Baſilicon diſſolutum in Lacte,vel Oleo communi, infuſum, maturatiuum eſt vſitatum.

Ægyptiacum vnguentum,vbi ſecundinā putreſcere ex pure emanante cognoſcimus, diſſolutum in Lixiuio & iniectum, potenter abſtergit & naturam ad expulſionem ſollicitat.

In aluum quoque ſuppoſitoria indita, aluum ſoluendo, non tantùm faciliorem partum reddunt,ſed & ſtimulādo,conatum augendo, qui in fœtus expulſione requiritur, præſertim ſi is ceſſarit, & tamen neceſſarius ſit, & quia vicinum vterum quoque mouet, plurimùm iuuant. Imprimis autē Clyſmata infuſa vtrumq; prętant,& veluti topica vtero proximè adhibita fiunt remedia: quæ potentiùs adhuc, quàm extrinſecùs admota operantur, de quibus nunc agemus,ex quibus & Clyſter parari poterit, ſicuti illic dicetur.

Inſeſsiones ad relaxandas vias vltimo menſe, ſi difficulter parere ſoleat,ſæpè vſurpandæ. Ex aquâ calidâ;addito interdum decocto emollientium, poſteaq; axungiis, butyro & oleo venter inungendus.

Pręſertim verò,cùm in partus eſt difficultatibus, ſi in balneo ſedeat, vel eo fomententur ventris inferiora, ad dilatandum; fœtumque

tumque promouẽdum, magnum adfert adiumentum.

Quod cùm laxare præcipuè volumus, sic fiet: ℞. bulborum Liliorum, rad. Bryoniæ, recentium ana ℔.ß. Altheæ, Maluæ, Parietariẹ, Caulium ana M.j. semin. Lini & Fœnogr. ana ℥.ß. fol. Chamom. Meliloti ana P.j. fiat decoctio pro insessione vel fotu. Vel sumatur illius ℔.j. atque additis Melle, Oleis, succo Mercurialis, Hiera: fiat clyster.

Si verò vrgere fœtum volumus aut secundinam: ℞. rad. Bryoniæ rec. ℔.ß. rad. Dictamni, Aristolochiæ vulg. ana ℥.ij. Pulegij, Sabinæ, Rutæ, Artemisiæ ana M.j. Lupinorũ, baccarum Lauri, Iuniperi conquass. ana ℥.ij. flor. Lauandulæ P.iij. fiat decoctio in aquâ, addito Vino: Vtatur vt dictum est: Vel Clystere adhibitis prædictis, ex eo fieri poterit.

Pannus intinctus in decocto rad. Aristoloch. rot. herb. Pulegij, Satureiæ, factæ cum Vino, ventrique applicatus, ad secundinas educendas probatur.

Lotiones pedum & crurum ex enarratis quibusdam, vel omnibus, cùm balneo non vtuntur, quoque adiuuabunt.

Vnctiones post balneum, vel per se factæ, idem prẹstant, quibus venter imus totus anteriore sede, & inferiùs cum pudendo, lumbique posteriùs cum coccyge inungi debẽt.

Relaxans sic fiet linimentum: ℞. ol. Liliorum, Cheirini, Anethini, Butyri, axung. Anseris & Gallinæ, mucilag. semin. Lini & Fœnogr. ana ℥.j. misceantur, adde Croci ʒ.ß.

Vnguentum resumptiuum idẽ præstabit.

Ad fœtum verò promouendum hoc modo: ℞. olei Cheirini, Rutacei ana ℥.j.ß. succi Sabinæ, Artemisiæ ana ℥.j.ß. succi Porri ℥.ß. coquantur ad succorum consumptionem: adde Myrrhæ, Galbani dissol. in Aceto ana ℥.ß. Styracis liquidæ ʒ.j. rad. Azari, Aristoloch. Cyclaminis ana ʒ.j. Cinamom. ʒ.ß. Croci ℈.j. Ceræ q.s. fiat vnguentum.

Emplastra præsertim vmbilico, pectini, pudendo adhibita, validiùs adhuc operantur. Efficacissimum hoc est: ℞. recentium omnium, rad. Porri, Polypodij ana ℥.ij. Aristoloch. vulg. ℥.j. Artemisiæ, Caulium, Origani, Tanaceti, Satureiæ, fol. Iridis ana M.j. contundantur, addendo farinæ Lupinorum ℥.j. applicetur instar cataplasmatis, renouando cùm arescere incipit.

Cucurbitulæ, Frictiones, Ligaturæ in coxis & pedibus adhibita, deorsum reuellendo, partum quoque accelerant.

Amuletis plurimùm vulgus tribuit, præsertim in partus difficultatibus, quæ si non viribus, saltem, quia dum spem bonam illorum vsu mulier concipit, animum addendo, iuuare possunt.

E' multis probata magis sunt, si exuuiæ seu spolio serpentis cingatur.

Crocus collo appensus. Magnes manu retentus.

Lapis ætites, coxæ aut plantis pedum alligatus.

Polypodium elixum pedibus admotum.

Superstitiosa verba, Intuitus, & vt certa quædam à marito masticentur antequam applicentur, omittimus.



DE VITALIS MOTVS DEFECTV.

CAPVT X.

Genera.



VITALEM motum, operationem illam vocamus, quâ omnes totius corporis partes viuunt. Vitaq; dicitur: cuius defectum, quẽ & Virium defectũ nominamus, in partibus quæ mouentur, non solùm in motu voluntario, tunc quoque, sed aliis de causis, quàm in motus impotentiâ dictum fuit, quæ, viribus vitalibus nihilominus persistentibus, accidit, labefactato cognoscimus, sed quòd & reliquæ omnes functiones vitales & naturales, in partibus tàm mobilibus quàm immobilibus, sublatæ vel imminutæ sunt. Quod aliàs generatim toti corpori, interdũ speciatim certis accidit partibus.

Totius corporis virium defectum, non solùm ex functionum omnium dictarum lapsu, sed & ex motus cordis, & arteriarũ pulsus remissione deprehendimus & iudicamus: variatq; quòd vel debiliora hæc sunt, vel omnino cessant.

Imbecillitas virium generalis, Schwachheit German.

Debiliores si sint vires in vniuersum, motusque dicti segnius procedant, Imbecillitas generalis dicitur, Germ. Schwachheit vocat. Estque imbecillitas hæc nunc maior, nunc minor; aliàs ab ortu homini connata; aliàs postea superueniens; quandoque morbos præcedit; interdum in morborum principiis vel progressu, aut circa finem inuadit.

In quâ corpus vniuersum ęgrè & difficulter actiones obit, non vt in motus impotentiâ membris resolutis, aut ipsorum actionibus alio modo impeditis, sed languidis ac veluti conquassatis: idq; plus minúsve, prout maior minórve debilitas existit.

Arteriarum motus seu pulsatio aut pulsus, vt vocant, tunc quoque imminutus est. Et vel arteria non quantum oportebat dilatatur, paruusque pulsus dicitur: Vel mox, cùm premitur remittit, pulsusque minor fit, qui Languidus vocatur: Vel tardè arteria extenditur, qui pulsus Tardus appellatur. Vel ex longis interuallis pulsus fit, qui Rarus nominatur: Vel nunc vnum, nunc duos, nunc plures ictus intermittit, qui Intermittens pulsus dicitur: Vel admodum est obscurus, in duobus vel pluribus iam enarratis generibus, delinquens, quales plures inueniuntur species, sicuti pulsus Miurus, Formicans, & Vermicularis appellati.

Extrema imbecillitas in Agone mortis.

Cordis motus imbecillis similiter existit. Et tunc remissiùs & tardiùs, vel lentè admodum mouetur. Reliquas verò differentias, quas in pulsibus obseruare solent Medici, in corde vix annotant, neq; describunt, cùm sufficiat arterias tangendo, vires vitales quo pacto se habeant, æstimare, præsertim cùm pulsui, cordis motus, nisi aliis concitetur, plerunque respondere soleat: & ex respiratione quoque, cordis defectus aliquomodo cognoscatur.

Summa viriũ est prostratio in Agone dicto, qui mortem, vitę & virium omnium terminum & finem, proximè anteire, & breuiùs longiùsve durare, grauiùs mitiùsve ante obitum ægrum exercere solet. In quo, etsi iam ob conflictum illum, quo mors cum vitâ luctatur, aut ob conuulsiones, quæ aliquando superuenire solent, membra adhuc exagitentur, vires tamen extremè deiectæ & collapsæ sunt. Et pulsus aliquoties intermittere & sensim desinere incipit; flammæ instar, quæ deficiente nutrimento, cùm ferè extinguitur, tamen pauxillum residuum veluti lambendo, rursum se erigit, quo mox absumpto, penitus deficit; sic pulsus nunc se recolligens nonnihil, mox remittens, donec omnino quiescat, inæqualiter se habet. Vti & cordis motus & respiratio, quæ antequam deficiant, prius in illo agone laborantia, valdè concitata sunt, ita vt & thorax vniuersus concutiatur, alæque narium motu agitentur: sudorque è corpore crepitusque per inferiora (vnde animam eos cacare Poëta ludit) erumpunt, & morte iam proximâ sensim exteriora, quę calor primùm deserit, vt pedes, manus, nasus; postmodumq; cæteræ partes, saltem pectore adhuc aliquamdiu calente, refrigerantur. Donec iam omni cessante respiratione, ore oculisque apertis permanẽtibus, & colore corporis in luteum conuerso, quibus certis signis illos iam extinctos cognoscimus, vitæ finem faciant, animaque corpus derelinquat.

Viriũ lapsus, Syncope.

Sublatę sunt aliquamdiu, viuente nihilominus homine, vires omnes, functionesque totius corporis, estq; præceps virium lapsus, cessante & motu & pulsu arteriarum, vel penitus, vel saltem eatenus, vt amplius tactu non deprehendi possint, in affectu qui Animi seu virium defectus; Deliquium, Lipothymia, Lipopsychia Græcis, German. Omacht quasi sine viribus, & si grauiùs afficiat, Syncope appellatur. Respiratione tunc quoque omni abolitâ, adeò vt ne minimum quidem illius, pennâ naribus admotâ, aliisve indiciis explorari possit; quæ & in hoc solo casu tamdiu, quamdiu ille perseuerat, & cordis motus sistitur, cùm tunc respiratione minimè opus habeat, nec eâ etiam frui posset, citra hominis interitum, cessare potest: sicuti verò dum cor mouetur, quia eâ continuò, ad spiritus vitalis generationem indiguit, illâ diutius, citra extinctionem carere minimè potuit, & si tunc interclusa sit respiratio, hominem mori necesse est. Corruunt quoq; & labuntur subitò & inopinatò, præcedente saltem, interdum aurium tinnitu & sibilo, ilico amissis viribus, si grauis sit syncope,

cope, vt in apoplexiâ; à qua tamen, quòd illic impulsus cordis & arteriarum, & respiratio, licet difficilis & obscura sit, persistant, quę sicuti dictum, in hoc casu omnino desinũt, distinguitur. Sudor frigidus, quem Syncopticum vel Diaphoreticum vocant, sic prehensis emanare solet: non ob digestam, vti volunt, solidorum substantiam, sed potiùs ob conflictationem naturæ & spirituum dissipationem; quæ & tanta est, vt non tantùm tenues in ea humores erumpant, sed & excrementa crassiora stercus & vrina profundantur. Et quia tunc calor in exterioribus corporis quoq; euanescit, exteriora illorum, cum sudore adhærente, frigida existunt: pallorque vniuersum corpus occupans, illis locis quæ naturaliter rubere deberent, vt labiis potissimùm, se primùm manifestat.

Imbecillitas particularis. Particularis virium debilitatio, priuatis organis tàm internis, quàm externis nonnunquam accidit: quæ se in functionum illorum omnimodâ imbecillitate prodit, atq; Imbellitas illius partis dicitur; non quæuis à morbo progressa, sed illa, quæ ob viuidam illam vim quâ viuunt, labefactatam, sicuti in causis explicabitur, euenit. Qualis, exempli gratiâ, ventriculi, hepatis, cerebri, oculorũ, artuum vel membrorum nonnunquam occurrit imbecillitas: quæ, cùm alia secũ quoque adferat accidentia, quibus melius cognoscitur, illis in locis tractabitur.

Causæ.

In spiritu vitali insito; quod spiritu influente non fouetur; aut humido viuifico nõ alatur: aut quòd alioquin absumatur, causa est omniũ Virium defectuum. CAusa virium totius corporis lapsus, animi deliquij & partium priuatarum imbecillitatis, à partium similarium spiritu illis connato & insito, vt vocant spirituosam partium substantiam constituente, & vim viuificam seu vitam, vires & calorem, vt vocant, natiuum illis conferente, dependet. Qui insitus spiritus seu calor, singulis partium substantiis ingenitus, vti & cordi ipsi, (qui ei etsi aliàs spiritu etiam abundet, nihilominus ad vitam fuit necessarius) cùm à spiritu vitali dicto, in cordis sinistro ventriculo genito, & per arterias omnibus corporis partibus, vti & ipsius cordis substantiæ per arterias coronarias communicato, atq; influente, vnde Influens spiritus dictus, vt continuò foueretur, viribusque nouis instrueretur, opus habuerit, vt influens spiritus illius insiti tanquam materia ex quâ sustentatur, copiosè generaretur necesse fuit, qui, cùm facilè rursum dissipetur, magnâ copiâ corpus vniuersum singulasq; illius partes perfundere debuit. Atque inde est, quod cor generationis illius spiritus officina materiâ requisitâ, aëre scilicet & sanguine è quibus eũ format, perpetuò indiguit: quamobrem si illis destituatur, vel hæc parciùs illi offerantur, causa vna, quare vires deficiant, existit. Vti fit si respiratione interclusâ, aëre cor diutius priuetur: tũc enim si cordis motus non priùs ob alias causas, sicuti in animi deliquij causis dicetur, cessarit, sed perseueret, suppressâ respiratione homo extinguitur; cùm cor, per motum dilatatum aliquoties, si non materiâ spiritus vitalis impleatur, concitat atque extinguatur: quod illi dum non mouetur, accidere minimè potest, cùm spiritu proprio vti & reliquę partes adhuc aliquamdiu frui, viuere & subsistere possit: sicuti per syncopes accidere, & ob eam causam in eâ satis longo spatio respiratione abolitâ, nihilominus tandem ad se redire iterum, docuimus. Verùm cùm & sanguis, aëri in pulmonibus permixtus, materiam spiritui animali gignendo idoneã præbeat, si ille adeò per magnam atrophiam absumatur; aut in vasis obstruatur, vt illius ibi sit penuria, viribus hoc quoq; plurimùm incommodabit: quod tamen viuente homine, vt adeò exanguis fiat, & vt pulmones tãtam sanguinis in se continentes copiam, ita inaniantur, aut vt vasa illius tam ampla, per quę sanguis à corde cum aëre rapitur, adeò obstruantur, euenire vix potest. Cæterùm non tantùm ex eo, quòd hi spiritus influentes non generentur, sed & quòd geniti, admodum subitoque dissipentur, cùm nec tunc insiti diutiùs persistere queant, vires concidunt. Idque quando vel omnino euanescere, corpusque deserere incipiunt, in agone mortis; illudque in morte postea penitus derelinquant: Vel saltem ad tempus à corde recedentes, mox iterum redeunt, in animi deliquio: Vel aliàs pauciores quàm oportebat existunt, in imbecillitate. Verùm, cùm

hic spiritus insitus, præter influentem quo fouetur, etiam humido primogenio appellato, in quo residet, nutriri & tanquam pabulo pasci, & cùm continuò deperdatur, sic conseruari debuerit, illiusque humidi, substantifici etiam nominati, penuria se offerat vel defectus, vires quoque collabi necesse est: atque sic prout vel in corde; (nam & illius spiritus insitus proprio illic humido sustentatur) vel pluribus paucioribúsve partibus accidit: occasionem vel morti, vel generali aut particulari imbecillitati præbet. Sed & si insiti spiritus seu spirituosa dicta partium substantia absumatur, vel, vt loquuntur, calor natiuus extinguatur, vel languidior fiat, aut, vti quoque dicere solent, pars refrigeretur, tunc si illud in corde fiat, (quod & proprium suum spiritum insitum, vt modò diximus, habet; præter vitalem, quo illius ventriculus redundat, alioquin enim propriis arteriis coronariis non indiguisset) illaque consumatur, mors, vel si imminuatur, generalis languor totius corporis, vti particularis membrorum imbecillitas, si in illis hoc accidat; sequuntur. Verùm à quibus causis, hæc spiritus insiti influentisque, à quo ille sustentatur, fiat dissipatio, illiusque humoris quo alitur, consumptio contingat, & quomodo ab insitis causis, aduentitiisque proficiscatur, non indagandum.

Aetatis decursu humidi viuifici consumptio, causa Imbecillitatis virium.

Insitis de causis accidit, vt quibus copia spiritus insiti, seu caloris natiui, & humidi primogenij contigit, robustiores & viuaciores existant: quibus verò minimè debiliores sint, & ad mortem citiùs properent. Et cùm viuidus ille humor, olei instar à calore spiritus illius sensim absumatur, tandemq; consumatur, fit ętatis decursu, vt per senium debiliores fiant, demumque extinguantur.

Morbi, spirituum influentē & fixū dissipantes, causa Imbecillitatis virium.

Inter aduentitias causas, externæ internæque & morbi omnes, quæcunque vel admodum & vehementer infestant, vel quæ diu affligunt & perseuerant, spiritus vitales dissipare, ac tandem etiam insitos cum humore in quo tanquam subiecto hærent, absumere possunt, sicque prout agunt, virium lapsus plus minúsve, grauiorem causare. Quales sequentes potissimùm, quæ id agunt, causæ existunt.

Euacuationes spirituū influentem & fixum dissipantes, causa Viriū defectuum.

Euacuationes nimiæ & frequenter factæ, vel casu vel studio, vel in morbis contingentes, spiritus exhauriendo vel dissipando, vires deijciunt: præsertim si vtilium humorū, vt seminis in gonorrheâ, vel per venerem sint excretiones, quæ immoderata admodū spiritus & humorem spirituosum absumendo, vires labefactant, & vti vocant, eneruāt: Vti & sanguinis profusæ hæmorrhagiæ. Sed & excrementorum immodicæ deiectiones, ob spirituum tunc quoq; agitationem, summopere virtutem prosternunt: vti in diarrhœis: sudoribus nimiis frequenter: & mictu copioso, interdum euenit. Cùm & eorū quæ præter naturā sunt; vt aquæ in hydropicis, & puris in empyemate, subitanea & omnimoda effusio, debilitet. Quæ excretiones violentæ, si cum dolore iungantur, veluti in dysenteria, vt vires magis corruant, pcreabunt.

Dolor spiritus exagitās, causa Viriū prostrationum.

Dolor grauis, cùm admodum spiritus exagitet, illos, vt ad partem quæ eo affligitur, affatim cum sanguine ferātur, & veluti suppetias in hoste abigendo ferant, cōmouendo; Imbecillitatem quoque & si vehemens sit dolor, animi defectum parit. Imprimisq; si pars quæ patitur, cum corde magnam habeat affinitatem: vnde & qui cardialgiâ laborant, ob oris ventriculi hunc consensum, tantopere prosternuntur, animoq; facilè deficiunt: peculiariterque hæc animi defectio Cardiaca appellatur. Sicuti in aliis etiā morbis, quòd dolore vehementi conflictantur, vel eo diu infestantur, virium prostrationis causa existit.

Orificij vētriculi dolor, causa Animi deliquij in Cardiaca.

Animi affectus spiritus exagitantes, causa Imbecillitatis & syncopes.

Animi affectus subitanei & magni, quia in illis spiritus extrorsum introrsúmve cum impetu, feruntur, debilitatem causant, quandoque lypothymiam; sæpè mortem accersunt. Sic gaudio nimio profusis spiritibus ad exteriora, aliquos syncope corripi vidimus, mortuos alios legimus. In irâ quoq; etsi spiritus admodum efferantur, adeò vt rubore irati suffundantur, cùm tamen mox iterum remeent, vti pallor mox subsequens ostendit, vix in vitæ periculum veniunt, admodum tamen eos quoque subitâ hac mutatione debilitari, tremor quem patiuntur, ostendit, & lassitudo, quæ licet ira iam deferbuerit,

rit,

rit, remanet. Neq; autem, quòd ob iram, vti ex gaudio, non moriantur, causa hæc, quod robusti tantùm irati fiant, vti putarunt, existit, cùm & senes & ægri simul ad iram proni, facilè commoueantur. Terrore verò magno, spiritibus vehementer commotis, aliquos extingui, frequentiùs verò admodum debilitari, contingit. Quod pudor & verecundia eandem ob causam facere possunt; quibus & Homerum è medio sublatũ scribunt. Sed & perseuerantes diuturniq; si validi sint affectus, tristitia aut metus aliive, cogitatione indesinenti, spiritus exagitantes, tandem eosdem absumunt, & vt inquiunt, ossa exiccant: sic hanc spirituum consumptionem appellantes.

Calor, spiritus dissipans, ipsorumq; pabulum absumẽs, causa Imbecillitatis.

Calor intensus & perseuerans, spiritus non solùm dissipare, sed & eos ipsorumque nutrimentum absumere potest. Si ab æstu, igne, labore, corpus calefactum debilitatur, animoque interdum deficit. Quod & in febribus continuis atq; intermittentibus, calore in summo existente, aliquando accidit, & in causone hominem nonnunquam conficit. Sed & in febribus hecticis calor cordis extraneus, licet non magnus, perseuerans tamen, humidum primigenium non cordis solùm, sed & partium solidarum depascens, spiritusque absumens: vires deijcit hominemque tandem consumit.

Frigus, calorẽ natiuũ restinguẽs, causa Imbecillitatis.

Frigida intemperies calorem natiuum extinguit, vel remissiorem facit. Ita refrigerato vniuerso corpore in aëre frigido, aliqui mortui sunt: quod & in aquâ frigidâ moram trahentibus, potest accidere. Et partes quoque certæ corporis frigore intẽso, interdum siderantur, & emoriuntur, vel ita debilitantur, vt postea rectè ad se ampliùs redire nequeant: Quod ex frigidæ potu, ventriculo etiam euenire potest. Quò & referre possumus, si ob intermissionem exercitij & ociũ, partes frigidiores, calore natiuo non in actũ deducto, & torpidiores fiant. Ab aliorum potentiâ refrigerãtium vsu, intrinsecùs vel extrinsecùs adhibitorum, imbecillitatem quoque partes contrahunt, vix autem omnimodam, sicuti ab actuali frigore, caloris natiui extinctionem patiuntur. Licet hoc, à narcoticorum summâ frigiditate, fieri posse, hactenus creditum sit; quæ nos non refrigerando, sed cerebrum stupefaciendo nimio ipsorum vsu mortem inferre, alibi docuimus. Sed neque obstructis frigore corporis, calorem tunc, quod non euentiletur, suffocari, vt vocant, concedimus: cùm sicuti alibi docuimus, cuius non vt aërem intromittat, sed è corpore aliquid potiùs emittat, perforata sit.

Qualitas maligna cordi infesta, causa Viriũ defectuũ.

Qualitas maligna, totâ substantiâ cordi infensa, si illud inficiat, aut spiritibus illius permisceatur, vt illius vis & calor natiuus, & per consequẽs omnium corporis partium extinguatur, vel diminuatur efficiens, mortem vel syncopen vel imbecillitatem, pro diuersitate illius qualitatis, procreat. Ita ex pestiferâ illâ aurâ, peste correpti, subitò viribus deficiunt, animo delinquunt, citoq; moriuntur. Aut aliâ noxiâ qualitate cordi aduersâ infecti, morbo contracto, adeò prosternuntur & periclitantur: sicuti in febribus syncopalibus, ob id, dictis, quòd semper cum syncope inuadant, accidit. Et ex veneno sumpto, vel ictu, corpus subeunte, aut in corpore genito, cordi insidiante, in vitæ discrimẽ veniunt, aut virium lapsum patiuntur. Quod & partibus singulis accidere potest, vt venenum quod illis potiùs quàm cordi totâ naturâ contrarium, illarum quoque vires vel omnino, vel ex parte pessundet.

Vuln⁹ in corde, causa Virium lapsus & Mortis.

Solutio continui ex vulnere in corde facto, si ad ventriculum sinistrum vsque penetret, quia tunc spiritus subitò euanescunt, omnium virium prostrationem & mortem subitaneam inducit. Si verò ad dextrum illius ventriculum permeet, aut in superficie illius venas coronarias discindat, & tunc ob hæmorrhagiam magnam, vitâ mox priuantur. Euadere aliquos vix puto posse, etsi sola ipsius substantia diuisa sit, cùm pars princeps tales læsiones perferre nequeat. Ex vlcere tamen illic à causis internis genito, ægrum sensim contabuisse, antequam extingueretur, se obseruasse Fernel. scribit. Quod & ex rumore, si cor illud pateretur, fortè contingeret; quæ tamen & rara, & cùm cor non sentiat, cognitu, homine nõ aperto, sunt difficilima.

Corruptio partiũ, causa Imbecillitatis particularis.

In partibus aliis corruptio magna & putredo, calorem illarum viuificum quoque extinguunt.

Cura-

Curatio.

Viriũ imbecillitatũ & lapſuũ: vti & Syncopes curatio.

HÆc qua ratione in virium defectibus diuerſis, & potiſsimùm in generali imbecillitate, & ſummâ virium proſtratione, atq; animi deliquiis & ſyncope, inſtitui debeat, hîc explicabitur: quæ & priuatis partium debilitatibus conueniet, licet in illorum aliis ſymptomatis, quæ illas comitari ſolent, quâ ratione vires quoque ipſorum reparari debeant, explicemus. Pro cauſæ autem varietate, quæ virium defectum parit, hîc & agendum & prædicendum. Quæ ſi ob aëris penuriam, reſpiratione ſublatâ, procedat, quomodo reſpiratio reuocanda ſit, in illius defectu explicatum fuit. Si ab ortu vel ſenij cauſâ, quod aliis citiùs, aliis tardiùs ſuperuenit, debiliores ſint: cùm neque inſitas cauſas mutare, aut humidum radicale, vt vocant, ſucceſſu ætatis amiſſum, reparare queamus, aut mortem auertere, fruſtra laboramus. Ab euacuatione nimiâ vires deiectæ ſi ſint, noxa grauior erit, ſi à Venere aut hæmorrhagia id fiat, quam imbecillitatem hydrops ferè excipit: à ſudoribus ſi deficiant, reprimendi: vti ſuo loco dicetur. Si à dolore debilitentur, cauſa illius primùm auferenda, dolorq; mitigandus eſt, imprimisq; ſi cardialgia ſyncopen aut imbecillitatem pariat, illius causâ vomitum prouocamus, euacuamus, ventriculumq; roboramus; ſicuti in cardialgiâ explicabitur. In animi affectibus, gaudio aliquos ſubitò extinctos, docuimus: imbecillitas, quæ ab aliis mentis dolorib. gignitur, ſi diutiùs perſeuerarit, & præſertim à terrore impreſſa maneat, ægrè quoq; reparatur. Si ab intemperie calidâ vel frigidâ id fiat, contrariis emendanda. Qualitas maligna, peſtilens, venenata ſępè interficit: quorũ nomine euacuationes inſtituimus, ipſorumque vim antidotis refringimus. Solutio continui in corde facta, lethalis eſt; & corruptio omnimoda viſcerum aut partium, inemẽdabilis.

Hiſce obſeruatis, nihilominus, etſi deſperatum ſit malum, vires reſtaurãtibus & cordialibus illos aliquamdiu adhuc etiã in ipſo mortis agone, ad extremum ſpiritum vſque ſuſtentare ſtudebimus. Vel ſi adhuc ſpes aliqua, aut imbecillitas non adeò impreſſa ſit, vt curari poſsit: vt ſi fiat ab euacuatione aut dolore, animi affectu, aut poſt morbum relicta ſit debilitas, illis eò audaciùs cumq; meliori ſpe ſucceſſus vtemur: & ſi ſyncopen inducant, quę illos à paroxyſmo mox liberare poſſunt, hocq; finito, quæ ab eo præſeruare, exhibebimus & adhibebimus. Quorum omnium exempla quędam hîc proponemus.

Nutriantur alimentis, quæ bonũ ſuccum & copioſum etiam minimâ quãtitate generant, quæ facilè concoquuntur, ea ſæpè parumq; de illis exhibendo: potiſsimùm ſenes & qui à morbo debilitati conualeſcunt, & ex magnis euacuationibus vires amiſerunt. Et ſi in ſummâ debilitate craſsiora digerere nequeant: dentur iuſcula, contuſa, expreſſa, congelata; ſicuti hæc variis artibus parãtur. *Reficientia vires, Cordialia dicta remedia.*

Iuſculi forma hæc eſt conueniens: ℞. iuſculum Gallinæ vel Caponis, & in eo decoque parùm Oryzæ & fol. Borraginis tenera, recẽtia, adde in fine vitellum Oui, Aceti roſ. parùm, vel ſucci Pomorum acidorũ aut Citri vel Vini, parùm, Maioranæ & Nucis moſchat. Croci tantillum, Salis q.ſ. Detur.

Vel pulpa cocta carniũ Caponis, vel Gallinæ ſumatur, contundatur & cum iure diſſoluatur, additiſque prioribus, exhibeatur.

Ex vitello Oui, Vino, Saccharo & Butyro edulium Germanorum, valde vires reparat.

Succus qui ex Capone aſſo exprimitur, vel dum torretur, emanat in ſartaginem, ſi ablatâ pinguedine, oui vitello permiſceatur, additâ Nuce moſch. & Sale, & coquatur, efficax erit reſtauratiuum.

Congelata ex ſuccis hoc nomine varia fiunt. Sumendo Caponem præparatum, inciſum cum paucâ Vitulinâ leuiter ſalitâ & aromatizatâ, nullo liquore vel pauco Vino ſaltem addito, eaque diu admodum vaſe incluſâ, in aquâ bulliente coquendo, ſuccùmque poſtea, qui ab illis ſeparatur ſenſim effundendo, & à pinguedine colando, & donec congeletur in frigore ſeruando: qui per ſe reliquiſque permixtus exhibebitur.

Vinum præ cæteris ſubitò vehementerq; reficit, cuius effectum veluti actu agentis, in momento ægri experiuntur, eoque refocillantur, etiam hi qui animi deliquium paſsi ſunt.

ſunt. Datur per ſe, fragrans ſubdulce; interdum ſaccharo dulcoratum: interdum etiam aromatizatum cinamomo aliisve.

Panis micâ intinctâ in Vino præſtanti, reficimus eos qui animo deliquerant: addito interdum ſucco Pomorum, Limonum vel Granatorum & Cinamomi.

E medicamentis quæ exhibentur ad ſpiritus, humoremque, pabulum ipſius, conſeruanda & recreanda, ſequentia ſunt.

Aqua Cinamomi ſtillatitia propinata hîc valde iuvat.

Vſitatum hoc eſt: ℞. Iulep Roſacei ℥.ij. aquæ Cinamom. ℥.ß. Capiat frequenter.

Vel ſic: ℞. ſucci Pomorum fragrantium acidulorum ℥.ß. Vini maluatici & aquæ Cinamom. ana ʒ.ij. Bibat.

Aut hoc modo in cardiacâ paſsione: ℞. aquarum Meliſſæ & flor. Lauandulæ ana ℥.ß. aquæ Cinamom. ſucci Limonum vel Pomorum, vt dictum. Vini maluat. ana ʒ.ij. Bibat.

Iulepis frequenter vtuntur, præſertim in febribus & ſiti: ℞. ſyrup. Viol. Bugloſsi, Nenuph. ana ℥.j. Iulep Roſacei ℥.ß. aquar. Roſ. Bugloſsi vtriuſque, Meliſſæ ana ℥.ij. Cinamom. ℥.ß. miſce: Bibat ad ℥.ij. vel iij.

Deſtillatum inſtaurans dictum, ſæpè exhibendũ: ſic paratur: ℞. Iuris Capi & cordis Bouis vel Ceruì, ſimul perfectè cocti menſ.j. Vini Maluatici ℔.j. pomum Arantium vel Limonium, vel aliud, vt dictum, diſſectum in partes, vnum vel duo, rad. Galangæ, fol. Meliſſæ ana ʒ.j. Cinamom. ℥.ß. Gariophyll. ʒ.ij. ſemin. Coriandri, Ocimi, florum Roſarum, Scabioſæ, Bugloſsi vtriuſque ana ʒ.j. Croci ℈.j. raſuræ cornu Cerui, Eboris ana ʒ.j. miſce; eliciatur aqua: quæ per ſe datur, vel cæteris commixta.

Vel ſic: ℞. cort. Citri ſicci, rad. Angelicæ, fol. Meliſſæ, flor. Borrag. ſem. Ocimi ana ʒ.ß. Cinamom. ʒ.iij. Gariophyl. ſpec. Diamargarit. frig. ana ʒ.j infundantur in Vino deſtillato: Detur infuſi, coch.j. vel ij. cum Sacharo roſ. tab. vel Vino albo.

Cordiales dictæ potiones, quibus in agone quoq; mortis, ægrum letho eripere ſtudemus, ſic fiunt: ℞. confect. Alkermes ℈.j. pulu. Diamarg. frig. ʒ.ß. ſyrup. de Acetoſ. Citri ℥.ß. ſyrup. de Papau. ʒ.iij. cum aquâ Roſar. Bugloſ. & Cinamom. fiat potio. Hæc & in doloribus hominem proſternentibus vtilis, auctâ præſertim ſyr. Papauerini quantitate.

Vel ſic, quæ & in veneno ſumpto conueniet: ℞. confect. de Hyacintho ʒ.ß. vel ſi non habetur, ſpec. Diamarg. frig. Diamoſchi dulc. ana ʒ.ß. ſyr. de Acetoſ. Citri ℥.j. aquarum Scabioſæ, Meliſſæ q.ſ. fiat potio.

Theriaca aliaque Antidota opiata, ſi à veneno aut cathartico violento, animo deficiant, conueniunt.

Tabulæ Manus Chriſti appellatæ, & Diamargaritonis frigidi, in vſu ſunt frequenti.

Vel tales fiant: ℞. ſpec. Diamargar. frig. ſpec. Cord. vel el. de Gemmis ana ʒ.ß. ol. Cinamom. gut. iiij. Sacchari diſſoluti in aqua Roſ. ℥.ij. fiant tabulæ.

Vel: ℞. Coralli ʒ.j. fragment. Lapidũ pretioſorum, Margarit. raſuræ Eboris ana ʒ.ß. ſem. Citri, Acetoſ. Ocimi ana ℈.j. Cinamom. Maceris ana ʒ.j. ligni Aloës ℈.j. Moſchi gr.ij. cum Saccharo: fiat puluis, vel tabulæ.

Olea Corallorum, Perlarum & ſimilia hiſce addi poſſunt.

Auro potabili, aliorũq; elicitis ſpiritibus, vt vocát, elixirq; appellatis, Chymiſtę ſe non ſolùm vires, ſed & vitã conſeruare, ſeniumq; impedire poſſe, ſatis friuolè pollicentur.

Odore ſuaui prædita, admodum refocillant, & ſyncope prehenſos, vt ad ſe citiùs redeant, efficiunt. Qualia permulta ſunt, odoramenta, ſuffitus, & quæ per cubiculum, lectumq; ſparguntur: nos quædã quæ in animi defectibus, naribus adhibentur, & ſubitò parari poſſunt, tantùm proponemus.

Acetum roſaceum ſpongia vel panno exceptum naribus adhibetur: efficacius erit, ſi Pulegium contuſum cum Aceto admoueas, vel Ocimum. Vinum item olfactum.

Gariophyllos mandere ſolent, & halitum poſtea in nares & os, animo delinquentium, inſufflare.

Vel ſic: ℞. Gariophyllorũ, Santali citrini (quod valde commendant) Roſarum an. ʒ.j. Camphoræ ℈.j. contundantur cum Aceto, adhibeantur naribus.

Aliter: ℞. aquæ Roſ. ℥.j. aceti Roſacei, ſucci Pomorum ana ℥.ß. Gariophyl. ʒ.ß. ol. Spicæ gut.j. Admoue.

Ciuetâ illinantur nares, vel Oleis chymicis odoratis, Gariophyl. Cinamom. cera albâ subactis.

Cordis & pulsuum regioni epithemata vel alia apponuntur. Vt: ℞. aquæ Rosſ. ℥.iij. Vini odor. ℥.ij. Aceti roſ. ℥.j. ſucci Pomorum redol. vel Limon. ℥. ß. Gariophyllorum ʒ.j. Croci ℈.j. miſce.

Vel ſic: ℞. aquæ Roſ. Meliſſæ, Scabioſæ ana ℥.ij. Aceti roſ. ſucci Pomorũ ana ℥.j. ſpec. Diamarg. frig. ʒ.j. Camphoræ ℈.j. Croci ℈.ß. miſce: fiat epithema.

Pulueres in ſacculo poſiti & decocti in Vino, loco illorum, pulſibus alligari poſſunt: ℞. Gariophyll. ʒ.ij. Galliæ moſch. ʒ.j. Croci ℈.ß. ſeminis Ocimi ℈.j. Camphoræ ℈.ß. pulueriſentur. Vtatur vt dictum.

Vel inungantur pulſus: ℞. ol. Gariophyl. ol. Cinamom. per deſtill. ana gut. iij. Ceræ parum, miſce: Vngantur pulſus.

Liniatur quoque cordis regio vnguentis in palpitatione cordis explicandis, vel oleo Iaſmini: vel vnguento Nenuph. Citrino hiſce vſibus deſtinato.

Vel huius loco: ℞. olei Nenuphar. ℥.ij. ſucci Citri, aceti Roſ. ana ℥.ß. coquantur ad conſiſt. adde Santal. omnium, Roſarum, ſeminis Acetoſæ an. ℈.j. Coralli ʒ.j. Margar. ʒ.ß. Camphoræ ℈.ß. Ceræ q.ſ. fiat linimentum.

Vel applicetur hoc emplaſtrum: ℞. Theriacæ ʒ.j.ß. Cerati ſantalini ʒ.ß. ſp. Diamoſchi, Diambræ ana ℈.j.ß. miſce: Applicentur.

Sacculus cordialis: ℞. Santalorũ omnium ana ʒ.j. ligni Aloës ℈.j. cort. Citri ſicci, fl. iiij. Cordial. Scabioſæ, fol. Meliſſæ ana ʒ.ß. raſuræ Eboris vel oſsis de corde Cerui ℈.ij. ſpec. Diamoſchi ʒ.j. fiat ſacculus, irroretur Vino & aqua Roſac. vel illorum vapore imbuatur. Poſtea cordi applicetur.

Facies ſi irroretur vel aſpergatur aquâ frigidâ: cui Roſacea vel Acetũ aut Vinum permiſceri poſſunt, citiùs à paroxyſmo in animi deliquio, liberabitur.

Quod & frictiones ad dolorem vſq; factæ; ligaturæ item extremitatum, faciunt.

Compreſsio etiam narium & tractio, Oriſque patefactio, Linguæque frictio.

Excitantur quoq; citiùs clamore & ſtrepitu; & ſi ad ſternutationem cõmoueantur.

Si capite decliui, corpore altiùs collocentur, citiùs ad ſe redeunt.

Quieti extra paroxyſmũ maneant: nam qui debiles ſunt, ex leui commotione animo deficiunt.

DE VITALIS MOTVS DEPRAVATIONE.

CAPVT XI.

Genera.



ITALIS motus, quem in functionibus tàm voluntarijs, quàm inuoluntarijs partium, motuq; cordis & pulſu arteriarum ſpectari diximus, ſi deprauatur, non vt in defectu illius in functionum dictarum defectu, ſic hîc in deprauatis functionibus, in illis obſeruamus: cùm nimiùm vitâ frui, vel corpus vniuerſum aut partes illius nimis robuſtæ eſſe minimè poſsint, & ſi quæ motu voluntario aguntur partes, nimium aut ſiniſtrè moueantur, hoc ad deprauatũ ipſorum motum voluntariũ, de quo diximus, pertineat. Verùm deprauationem vitalis motus hanc, in pulſu cordis & arteriarũ potiſsimùm notamus, cùm vel frequentior vel vehemẽtior hæc pulſatio, quàm naturaliter eſſe debebat, exiſtit: vel aliàs inordinatè procedit.

Frequentior, quàm par erat cordis arteriarumque pulſus ſæpè fit, tàm in ſanis alioquin, quàm ægris; reſpiratione tunc quoq; vel citâ, vel minimè concitatâ: quem & ſi magnus ſimul ſit, cũ moleſtiâ aliquâ qui hoc patiuntur in thorace, collo, & in capite, & in ipſis auribus, cum dolore in cęphalalgijs ſentiunt: atq; contactu non tantùm ſi frequens & magnus, ſed & paruus & citus ſit, in locis non ſolùm dictis, ſed & in omnibus in quibus puſus ſe manifeſtant, deprehenditur, & à Medicis in carpo tangitur. *Cordis et arteriarum cita pulſatio, ſiue magna, ſiue parua ſimul.*

Vehemens & immodica pulſatio ſeu agitatio & concuſsio cordis & arteriarum, ſymptoma eſt, ſępè per ſe, aliàs in cacecticis puellis, præſertim antequam menſes erumpant; vel melancholiâ hypochondriacâ laborantibus, eueniens; quod cordis Palpitationem *Cordis palpitatio.*

& Tre-

& Tremorem, quia cum inæqualitate aliquâ hic fit motus, appellant. Hæc quia semper valida est, manifestè in pectoris sinistrâ regione pulsare sentitur, sæpè & in iugulo, nonnunquam & sub hypochondrijs, sinistro præsertim; molestiam magnam ægro parit, eumque admodum, si perseueret, debilitat. Aliquoties quoque vi & impetu, costas thoracis vicinas impellens, interdum etiam, teste Fernelio, confringens vel potiùs laxans aut loco pellens. Quandoq; etiam arteriam ita dilatans, extrorsumq; propellens, vt tumor, quem aneurisma vocant, inde magnus in sede aliquâ corporis apparés & pulsus nascatur. Remittit quandoque hoc symptoma, citiusque vel tardiùs rursum redit, aliàs leui ex causâ; aliàs alio tempore. Duratq; paroxysmus quoque diutiùs interdum; vel breuiùs mitiúsve vel grauiùs, vti dictum, afficit: aut stato tempore exacerbatur.

Aneurisma.

Pulsus inordinatus et inæqualis.

Inordinatus & inæqualis pulsus, in prædictis, vti dictum, etiam obseruatur, molestiamq; parit. Qui verò leuiùs pulsat, non vt symptoma, sed signum tantùm, morbum & vires declarans, consideratur, eamq; ob causam à Medicis tactu exploratur.

Causæ.

Sedes affecta.

COr & arterias suo motu pulsationem hanc deprauatam efficere, cùm non aliud pulset, certum est. Quorum motum & pulsus, cùm moderatè & decenter fiunt, sani minimè sentire debuerunt, idque ne impedimentũ hic sonus & strepitus corpori nostro adferrent: sicuti accidit, quando vehementiùs, vti dictum, pulsantibus vicinasque sedes quatientibus, pulsum hunc ægri cum molestiâ sentiunt, & nonnunquam audiunt: illis præsertim in locis, vbi arteriæ sunt maiores pluresque, liberæque nec musculis immersæ, vt in sinistrâ pectoris regione, non tàm ob cordis sinistrum sinum & auriculam quoque se mouentem, quàm arteriam magnam, illic à sinistro cordis sinu prodeuntem, & per sinistrum vertebrarum latus descendentem. Dein & in iuguli vtraq; sede, quam arteria magna ascendens diuisaq; perreptat, illicq; soporales & brachij arterias profert. Sicuti & sub hypochondrijs, sinistro præsertim, tum quia arteria magna illic descendens, sinistro potissimùm lateri adhuc insistit: tum quia magnas ibi arterias, quæ venæ portæ ramos, sinistrum potissimùm, ad viscera naturalia & lienem propagatos, comitantur, promit. Ob quas causas, illis præcipuè in sedibus, cùm arteriæ vehementer pulsant, pulsus sentitur molestiamq; parit. Alijs autem in locis, vbi minores sunt arteriæ, aut absconditæ, non adeò, etsi validus quoque ipsarum sit pulsus, obseruatur: nisi ob dolorem partis vicinæ, quæ vel leui contactu exacerbatur, arteria suo motu eam percutiente, pulsum, eumq; cum dolore sentiunt. Vti in capitis doloribus, ob sinus cerebri magnos pulsantes, & in inflammationibus, pulsantem hunc dolorem ægri experiuntur, vel si ob vicinum nervum, in loco angusto, arteriolâ vel minimâ validiùs pulsante, eum afficiat: sicuti in auribus hoc accidere, pulsumq; hunc si concitatus sit, auditui obstrepere, scimus. Sed & in nudis & excarnibus corporis locis, quò arteria defertur, pulsus tàm naturalis quàm deprauatus, contactu explorari, & qualis sit dijudicari potest: quod vti in carpo maximè fieri solet, ita & in alijs locis quoque obseruatur. Causæ verò, quarum occasione, cor & arteriæ tantoperè ad pulsus illos edendos, concitentur, veriores sunt: spirituum vitalium dissipatio: & arteriarum repletio atq; dilatatio: quibus alias quoq; minus probabiles adiungunt Medici: de quibus singulis nunc iudicium nostrum interponemus.

Spiritus vitales influentes dicti, si subitò aut nimiùm dissipentur, ita vt insiti illis frui & gaudere continuò & sufficienter nequeant, cùm necesse sit, semper novos à corde vniuerso corpori subministrari; idq; per hanc pulsationem cordis & arteriarum fiat: non mirum tunc motum quoque illarum intendi, celerioremque, & si causa magna sit, vehementiorem fieri, respiratione tunc simul concitatâ, quæ spiritui vitali, sicuti dictum est, gignendo materiam semper suggerit: quod & spiritibus cum sanguine agitatis, illisq; cum corde & arterijs vehementiùs calefactis, accidit.

Agitatis nimiùm spiritibus, subitoq; huc

Spirituũ

Nimia agitatio, causa Pulsatio nis citæ & magnæ, cordis et arteriarũ.

illucve propulsis & dispersis, nec æqualiter corpori communicatis, vt noui mox reponantur, pulsatio hæc cordis & arteriarum cita insurgit, respiratioque intenditur: quæ nisi suppetias ferrent, vires mox, sicuti dictum est, collaberentur. Quod à motu corporis & animi, sicuti in respiratione, quam quoque promouet, citâ, ostensum fuit, prodire solet. Vnde per affectus animi, iram, gaudium, terrorem, metũ, pudorem, spiritibus commotis, pulsatio hæc adeò increscere solet: quod cognoscens Erasistratus, ex pulsus illa subitâ, propter intuitum nouercæ, quam deperibat, commotione, hoc ex affectu animi, amore scilicet prodire, deprehendit & coniecit. Quæ & causa est verior, quare ex motu corporis valido vel celeri, nõ solùm respiratio, vti in respiratione citâ dictum est, sed & pulsatio hæc, intendantur frequentioresq; fiant. Quod & citiùs in debilioribus vel dispositis accidit: vnde & vel leue exercitiũ cordis palpitationẽ, in ijs qui huic malo obnoxij sunt, cõmouet: sicuti eam, in veneris actu sibi statim superuenire solere, quidã mihi fassus est, ab eaq; adeò se angi, vt nisi desisteret, suffocaretur; quod & tandem illi accidit.

Spirituũ agitatio causa vt cordis palpitatio in huic affectui obnoxijs sequatur.

Sed & spiritibus alijs de causis dissipatis, & vti in agone mortis iam euanescere incipientibus, concitatior, etsi summa interim adsit debilitas, est hæc pulsatio: per quam natura, in extremo periculo positis, hoc motu, spirituumque recollectione, adhuc suppetias ferre nititur.

Spirituũ super calefactio, causa citæ & magnæ pulsationis.

Incalescentibus quoq; spiritibus vnà cùm sanguine, non tantùm quòd tunc efferuescentes inquieti sint, sed & quia tunc citiùs absumuntur, fit vt & cordis motus arteriarumque pulsus, vt quod citò deperditur, citò iterum resarciant, augeantur. Siue hoc ab externis causis, calore solis aut ignis, internisve fiat; eoq; magis, si & cor simul incalescat: diutiusque perseuerat, si calor ille in eo, sicuti in febribus contingit, diutiùs impressus hæreat. Vel si à motu corporis calor ille suscitetur: aut dum calet, corpus exerceat, geminâ tunc accedente causâ. Aut animi talis sit affectio, quæ non solùm spiritus exagitet, sed & accendit: qualis ira existit. Aut omnia hæc tria simul concurrant; sicuti in exercitio pilæ paruæ, nobilem admodum calentem, irâq; correptum, tantopere in pulsatione hac & respiratione commotum fuisse vidimus, vt cum recolligere se non ampliùs posset, nec motus hi remitterent, extinctus subitò fuerit.

Repletis arterijs nimiumq; dilatatis à sanguine, copiâ suâ arterias implente & distendente, (cum, vt spiritui vitali locum minimè præoccuparet, non adeò sanguine, vti venæ, turgidæ & impletæ, cũ naturaliter se habent, sicuti apparet, esse debeant) quia tunc amplioribus illis factis, pulsus illarum, quem priùs cùm moderatus erat non sentiebant, maior pleniorq; factus, ab ægrotantibus percipitur; vehemens illa & apparens circa cor & arterias maiores præsertim diastole, in cordis palpitatione dictâ, suboriri solet: tunc potissimùm infestans, seq; manifestans, cùm affluente hoc sanguine admodum, vel in sinistrum cordis ventriculum illique connatam auriculam, quæ admodũ dilatari potest, vel arteriæ magnæ exortũ aut progressus illius sedem aliquam, nimium eæ adimplentur distenduntur que. Et tunc iterum remittit, quando ab illis locis aliquomodo refluens, non amplius adeò illas attollit dilatátve. Vel perseuerãter quoq; molestat, si ita alicubi arteria, sicuti Fernelius se obseruasse scribit, dilatetur, vt tumor magnus, aneurisma dictus, inde sequatur: quod intrinsecùs, in magnæ arteriæ aliquâ sede, in pectore, iugulo, hypochondrijs, vel etiam in ipsâ cordis auriculâ, quæ & ipsa valdè ampliari potest, natũ, non minus quàm externum aneurisma, perpetuo pulsantem sensum, in eo loco vbi est, mouet: illiusq; cordis palpitationis dictæ, quæ tamdiu durat, hominemque tandem conficit, causam aliquando esse, sectio nobis, si in illis, qui hoc morbo extinguuntur institueretur, sicuti à quibusdam obseruatum est, sine dubio patefaceret. Ex copiâ autem sanguinis arteriosi, hæc proficisci potissimùm, cùm non aliud arteriæ in se contineant, satis patet, Galenusq; eo, quòd omnes sanguinis emissione sanari vel iuvari scribit, etiam videtur innuere. Quæ & pulsatio eò maiori vi fit, quò sanguis & spiritus illi confusus, arterias implentia feruidiora existunt. Qualem sangui-

Sanguinis arteriosi copia & feruor, arterias replens, causa Cordis palpitationis.

ſanguinem in arterijs, ſummo ex calore veluti retorridum, biliq; atræ comparatum, ſe deprehendiſſe teſtatur quoque Fernelius. Quem nos ſanguinem bilioſum feruidumq; præcipuè, nunc inquinatum & impurum in arterijs meſeraicis collectum, maioribusque arterijs infuſum eſſe, hiſce demonſtramus. Quòd eiuſmodi ſuccus, qualem in venis meſeraicis frequenter naſci ab eſculentis potulentisq; alibi docuimus, ſicuti ex venæ portæ ramis in cauam venam translatus, ſanguinem illic accendere & contaminare ſolet: ita quoque in meſeraicas arterias, ſingulis venis meſeraicis annexas, quandoque ſe inſinuat, indeq; in maiores arterias per latus, illarum ſanguini confunditur, & cum eo vndiq; etiam ad cor vſq; diffuſus, ſic illas implet, modoq; enarrato afficit: eoque faciliùs, quòd arteriæ hę meſeraicæ, propagines magnæ ſint arteriæ, venæq; meſeraicæ à venâ cauâ minimè proficiſcantur, nec illi niſi intermedio hepatis ſubſtantiæ, continuentur. Hincq; adeò frequens hic affectus virginibus, cauſâ ſuppreſſorum menſtruorum, malum acquirentibus habitum, melancholiaq; hypochondriacâ laborantibus, exiſtit: in quibus, vbi venarum, & arteriarum ſanguinis plenitudo vitiumque, cacexiæ & melancholiæ; ſic cordis & arteriarum pulſationi, occaſionem præbet.

A flatibus autem, ſicuti aliqui voluerunt, arterias implentibus, hoc quoq; fieri poſſe, cùm neque venas ijs repleri, aliquis obſeruarit, approbare minimè poſſumus. Vti neque vapores circa præcordia aut lienem aut vterum collectos, arterijsq; vel cordis ſinui inſertos; Vel craſſum vaporem cordi incluſum, aliundéve eò importatum, ſicuti ſcripſerunt, adeò illa implere poſſe, vt talis pulſatio ſequatur, concedimus. Quod alias cauſas cordis palpitationis, quas deſcribunt, attinet, atq; inter eas præcipuè aquę vel etiam flatuum in pericardio, redundantiam, nec eam, tanquam veram huius cordis pulſationis cauſam, aſsignandam cenſemus; ſed potius fluctuationis alicuius, tunc ſaltem, cùm corpus mouetur, ſe in pectore, vti palpitatio dicta, ſed longè aliter, nimirum cum fluctuationis ſono potiùs, vt dictum, quàm pulſu manifeſtantis: ſicuti de hoc vitio, quod cacecticis ſimul cum iam enarratis poteſt accidere, in ſonitibus præternaturalibus, qui in corpore audiuntur, ſuo loco dicemus.

Cordis affectus alij præter enarratos, inter quos & calorem cordis ſpiritus agitantem & diſsipantem eſſe diximus, illiusque à ſanguine arteriarum nimiam repletionẽ, ſi tales ſint, qui illud ad vehementiorem motũ edendum ſollicitant, eius quoq; motum inordinatum vel concitatiorem reddere poſſunt. Eiuſmodi hi fuerint, qui adeò illud offendunt, vt dum noxam, quam naturali ſenſatione potiùs percipit, quàm ſenſu tactus, quo cor deſtituitur, excutere nititur, ſic cõmouetur. Qualitas ſcilicet venenata ab externis cauſis, internísve humoribus, vaporibúsve prodiens, & cor petens, illudque hoc modo exagitans: aut aliàs maligna, in ſanguine iam dicto arterias implente, impreſſa, qui ſanguis tunc non ſolùm arterias diſtendendo, ſed & cor ſimul hoc modo ſollicitando, pulſationi huic duplicem cauſam prębet. *Qualitas maligna cor excitãs, cauſa Cordis palpitationis.* In quodam diuturno cordis tremore è medio ſublato, oſſeum quid vel cartilagineum in corde deprehenſum fuiſſe intellexi.

Curatio.

QVæ à vehementi motu corporis vel animi, aut calore naſcitur, cordis motus arteriarumque pulſus nimia commotio, ſponte rurſum ceſſantibus cauſis externis, & calore repreſſo, remittit, ſicuti in citâ reſpiratione, quæ interdum comes eſſe ſolet, oſtenſum fuit. Sed & pluribus concurrentibus cauſis, hæc adeò inualeſcunt, vt in periculum, ſicuti ſuperiùs declaratum eſt, hominem adducant. *Cordis motus & arteriarum pulſus nimiæ commotionis, curatio.*

Cordis verò illa arteriarumq; moleſta pulſatio, à ſanguinis, vti dictum redundantiâ nata, pertinax eſt, nonnunquam & periculoſus affectus, non ſolùm moleſtiam pariens continuo ſuo motu & pulſu, ſed & ſpiritibus per eum vitalibus exagitatis & diſsipatis, & corde quoque offenſo tandem proſternens, adeò vt hoc malo aliqui è medio tollantur, alij quam diutiſsimè eo affligantur, plurimi tamen quoque reſtituantur, ſublatâ vnde hæc affectio oriebatur, cauſâ. Quæ cum *Cordis palpitationis, curatio.*

plerunq; circa vasa meseraica, partibus naturalibus distributa, suam habeat originem, illicq; arterijs plethora & illuuies hæc inseratur, cura eadem ferè, quæ in melancholiâ hypochondriacâ & cacexiâ & cacochymiâ adhiberi solet, quæ & hunc affectum ferè comitantur, hîc instituetur. Nimirum cauendo prouentum nimium sanguinis, aliorumque humorum & flatuum, eaq; quæ hîc potissimùm redundare cognoscimus, biliosos præcipuè succos euacuando, ventriculum partesq; naturales roborando, omnibusque cordialia permiscendo; & vt, cùm coniunctam causam quæ in arterijs & corde continetur, ægrè euacuare queamus, illas tamen partes cordialibus dictis confortemus. Quæ omnia hac methodo, sequentibus ferè remedijs perficiuntur.

Sanguinis detractio, nisi quid obstet, plurimùm conuenit, quâ omnes iuuari Gal. testatur. Quæ si ex ipsis arterijs fieri posset commodè, cùm causam ipsam hunc affectũ inducentem, auferret aut minueret, sine dubio magnum adferret adiumentum: sicuti & vertiginem à tali repletione arteriarum factam, arterotomiâ sanari diximus. Verùm & è venis emisso sanguine, nihilominus proderit, tum ad causam antecedentem minuẽdam, tum quod venæ inanitæ, è vicinis arterijs sæpè rapiant sanguinem. Quapropter magna & generalis vena tundi debet in brachio, humeralis seu basilica, dextro sinistróve latere, prout pulsus hoc illóve magis inquietus est. Quæ & repeti si emolumentum inde sentiant, potest. Crurum quoq; venas aperire, vt à superioribus deorsum deriuemus, conferet: idq; præsertim, si menstrua, vti ferè in fœminis accidit, substiterint.

Hæmorrhoides prouocare in hoc casu, magnum adfert adiumentum, cùm non aliâ viâ à vasis meseraicis, sanguinem rectâ emittere queamus.

In euacuatione cacochymiæ, melancholiæ adustæ, hanc plerunque accommodant, cordialibus semper additis.

Præparatur humor, viæq; obstructæ aperiuntur ante purgationem (primis vijs priùs repurgatis, exhibitis, & imprimis Clysteribus, qui in hoc casu probantur cùm materia in illis locis hæreat) iulepis, decoctisque, per triduum vel quatriduum sumendis, hoc modo: ℞. syr. de succo Citri vel Limonum, vel de Pomis acidis redol. de Acetosa, de Buglossa ana ℥. j. aquarum Fumariæ, Buglossæ, Endiuiæ, ana ℥. iij. misce.

Vel si obstructio præualeat: ℞. syr. Capill. ven. de duabus Radicibus, de Buglossa ana ℥. j. aquarum Melissæ, Rosmarini, Buglossæ ana ℥. iij. misce.

Vel decocto hoc: ℞. rad. Aperitiuar. macerat. in vino ana ℥. ß. herb. Melissæ, Saluiæ, Fumariæ, Lupul. Ceterach, Capill. ven. ana M. j. fl. Anthos, Viol. Buglossi vtriusq; an. P. j. sem. Cuscutæ, Acetosæ, Anisi, ana ʒ. j. fiat decoct. adde succi Pomor. ℥. ij. Sacchari q. s. clarif. & arom. Cinam. pro iij. vicib. vel quat.

Vel hoc vino: ℞. rad. Aperitiuar. añ. ℥. ß. cort. Tamaricis, Absynthij, summit. Melissæ, Fumariæ ana ʒ. iij. fl. Cord. sem. Citri ana ʒ. j. macerentur in Vini debitâ quantitate: & vtatur.

Purgetur dein non violentis, sed moderatis, nisi necessitas exigat: sæpè tamen repetitis, vt potione sequenti: ℞. Rhabarbar. el. ℈. iiij. Myrobal. citrin. ʒ. ij. contundantur, irrorentur parùm succo Citri vel Pomorum, donec mollescant, postea infundantur in Vino & aqua Melissæ & ʒ. ij. aquæ Cin. expressioni adde syr. Rosar. sol. simpl. vel Mannæ ℥. ij. Bibat.

Vel si malit potionem amaram: ℞. Rhabarbari el. ℈. iiij. Myrobal. citrin. ʒ. ij. Agarici troch. ʒ. j. Cinamom. ʒ. ß. fol. Senæ ʒ. ij. macerentur in Vino absynth. q. s. Expressionem bibat.

Vel ex compositis sic: ℞. Catholici ℥. ß. el. de Citro sol. ʒ. ij. syr. Rosar. sol. ℥. j. succi Pomorum dulc. ℥. ß. aquæ Melissæ, Rosarum q. s. fiat haustus.

Decoctum pro pluribus vicibus vel syrupus sic fiet: ℞. rad. Cichoreæ, Acetosæ ana ℥. ij. cort. Tamaricis ℥. ß. herbar. Buglossi vtriusque cum toto, Fumariæ, Lupul. Thymi, Melissæ, Capill. Ven. ana M. j. flor. Cord. Scabiosæ, Nympheæ, Anthos ana P. j. sem. Anisi, Portulacæ, Citri ana ʒ. j. Passul. Tamarind. ana ℥. j. rad. Polypodij ℥. ij. fol. Senæ ℥. j. ß. fiat decoctio & in colatura feruente adhuc,

te adhuc,infunde Myrob. citrin.emblic.ana ℥.iij.Turb.el.ʒ.ij.vel Agar. ℥.ß.Zingib.Spicæ ana ʒ. ß. fiat expreſsio: adde ſyr.de Bugloſs. & Roſ. ſol. ſimpl. ana ℥.ij. pro trib.vel quat. matutinis: vel addito Sacch.q.ſ.coquatur in formam ſyr. quo vtatur per vices aliquot.

Pilulis ſi vti malit, ex extracto Myrobal. & Rhabarbari formatæ, dari poſſunt: Vel ℞. Rhabarbari ʒ.j. Myrobal. citrin. ʒ.j.ß. Agarici, Turbith ana ʒ. j. ſem. Ocimi ℈. j. Spicæ ℈. ß. cum ſucco Roſ. & Abſynthij: fiat maſſula: capiat ʒ.j.

Victus ratio imprimis ſit temperans & tenuis,potiùs quàm plenior; quâ obſeruatâ, & ſanguine interim detracto, pleroſque ſanitati reſtitutos eſſe,Galen. teſtimoniũ præbet. Imprimis autem quæ crudelitatem & flatus gignunt vitanda.

Corda animalium quadrupedum & volatilium comeſta ſæpè, proprietate iuuare creduntur in hoc caſu: præſertim aſſa, Gariophyllis prius fixa.

Aqua cordis hæc eſt efficaciſsima: ℞. cor Cerui, ſi haberi poteſt, vel Bouis vel Porci ad ℔. j. quibus corda auium imprimis Perdicum addi poſſunt: incidantur minutim, adde pulueres ſequentes, flor. iiij. Cordialium, Anthos, fol.Maioranæ, Meliſſæ, Ocimi,Phyllitidis ana ʒ. ij. ſem. Ocimi, Citri ana ʒ. j. cort. Citri ʒ. iij. Gariophyll. ʒ. ij. Cinamom. Santali moſch. ligni Aloës ana ʒ. j. Maceris, Zedoariæ, ana ʒ. ß. Croci ℈. j. Moſchi vel Ambræ ℈. ß. irrorentur omnia Vino maluatico,donec fiant inſtar pultis,eliciatur aqua: Detur ab ℥. ß. ad ʒ. vj. per ſe, vel cum iulepo Roſ. Viol. vel ſyrupo Acetoſ. Citri & ſimilibus, ſæpè.

Oleum Corallorũ & Perlarum, arte chymicâ elicitum, per ſe guttatim,vel cum Saccharo exhibitum, valde commendantur.

Syrupus hic eſt efficax: ℞. flor. Cordial. ana P.j. Gariophyl. hort. P. ij. herb. Meliſſæ, Ocimi ana M.j. Gariophyl. arom. ʒ. ij. decoquantur in Vino & Aquâ, clarif. & aromat. Cinam. additoq; Saccharo: fiat ſyrupus.

Vel ex ſuccis: ℞. ſuccorum Pomorum redol. Granatorum, ana ℥. iij. ſuccor. Bugl. Roſarum ana ℥. ij. ſucci Citri vel Limonum, & Plantag. ana ℥. j. aquæ Roſaceæ, Meliſſæ, ana ℥. ij. Sacchari ℔. ß. decoquantur in formam ſyrupi, aromat. Cinamom. & Gariophyl. pulu. Capiat ℥. j. per ſe, vel diſſolu. cum Vino, aut aquis conuenientibus.

Vinum laudatiſsimum ſic fiet: ℞. radic. Angelicæ, Enulæ, Tormentillæ, Dictamni albi ana ℥. ß. Zedoariæ, Galangæ ana ʒ. ij. cort. Citri ſicci ℥. j. Gariophyl. ℥. ß. Cinamom. ʒ. ij. flor. Cord. ana ʒ. j. flor. Anthos, Lauandulæ ana ʒ. j. ß. fol. Meliſſæ, Saluiæ, Ocimi ana ʒ. ij. ſem. Ocimi, Maioranæ, Citri ana ʒ. j. baccarum Myrthi ʒ. ij. conquaſſentur omnia, affunde Vini præſtantiſs. lib. xij. vel xv. ſeruetur in dolio, priùs Vino ferventi, cum puluere Gariophyl. permixto, imbuto; Bibat de eo manè, cùm iuſculum ſumit,vel in principio menſæ,hauſtum.

In ſubſtantiâ pulueriʒatâ, multa varijs formis exhibentur, dando pulueres cum aqua flor. Gariophyl. hortenſ. Meliſſæ,Ocimi, Acetoſæ, Plantag. Scabioſæ, bibendos: vel formando Tabulas & exhibendo. Sunt autem ſequentes.

Primus: ℞. ſem. Ocimi ʒ. j. rad. Galangæ ℈. j. Gariophyl. ℈. ß. fiat puluis.

Secundus: ℞. rad. Angelicæ, Galangæ, Zedoariæ,cort. Citri ſicci, fol. Meliſſæ an. ʒ. ß. ſem. Ocimi, Gariophyl. ana ʒ. j. ſem. Portulacæ, Maceris, Cinamom. Santali moſch. ana ʒ. j. Croci, Camphoræ ana ℈. ß. Coralli ʒ. j. fiat puluis: Vſurpetur ʒ. j. vt dictum.

Tertius: ℞. Coralli, Margarit. Cryſtalli, raſuræ Eboris, vel oſsis de corde Cerui, vel Vnicornu ana ʒ. ß. ſem. Ocimi ℈. ij. Gariophyl. ℈. j. fiat puluis.

Vel dentur tabulæ Diamarg. frigid. Diamoſchi Diambræ.

Vel ſic: ℞. ſpec. Diamarg. frig. ʒ. j. ſpec. Diambræ, Diamoſchi ana ʒ. ß. trochiſc. de Camphora ℈. ß. Sacchari diſſol. in aqua Roſar. ℥. iij. & Meliſſæ ℥. ij. aquæ Cinamom. ℥. j. fiant tabulæ, deaurentur.

In forma electuariorum hæc quoq; vſurpari poſſunt, ſi ſyrupis excipiantur, vt ſyrupo de Bugloſſo vtroque, Violar. Roſar. Citri, de Acetoſâ, Pomorum & ſimilibus: vel Conſeruis horum.

Vel ſic fiant: ℞. conſeruarum iiij. fl. Cordial. conſeru. Acetoſæ, Meliſſæ ana ℥. ß. condit. cort.

dit. cort. Citri, Myrobal. chebul. an. ℥.j. condit. Zingib. Nucis mosch. ana ʒ. ij. puluerum prædictorum ʒ. ij. cum syr. de Pomis redol. fiat electuarium: capiat ʒ. ij. superbibendo de Vino supradicto vel aquis.

Confectio Alkermes, de Hyacintho, & multæ aliæ cordiales competunt: de quibus in Virium defectu egimus.

Pilulæ hę conuenientissimæ quoq; sunt: ℞. Charabe ʒ. ß. Smaragdi, Hyacinthi ana ℈. ij. Margarit. ℈. j. sem. Ocimi ʒ. j. Camphoræ ℈. ß. cum succo Citri: fiat massula: Da ʒ. ß. cùm hoc affectu premuntur.

Sacculos cordi applicatos gestent, in syndone rubrâ interpastatos, qui Vino albo & aquâ Melissæ & Rosar. aliquando irrorantur: qualis hic est: ℞. cort. Citri, fol. Melissæ, Spicæ celt. Lauri, flor. Ros. rubr. Rosmarini, Lauandulæ, Borrag. ana ʒ. j. sem. Ocimi ʒ. ij. sem. Citri, baccarum Myrti ana ʒ. j. granorum Tinct. ʒ. ß. Santal. omnium, ligni Aloës, Gariophyl. Maceris ana ʒ. ß. Corallorum ʒ. j. lap. Preciosorum ʒ. ß. si velis trochis. de Camphora, spec. Diambæ ana ℈. j. misce: fiant puluis pro sacculo.

Vnguento sequenti cordis regio manè & vesperi illinatur & pulsuum: ℞. succi Cardiacæ, ol. Nardini ana ℥. ß. coquantur parùm, adde ol. Gariophyl. ℈. ß. Camphoræ ℈. j. Croci ℈. ß. Ceræ albæ quantum sufficit, fiat linimentum. Si addas tantillum Moschi, efficacius erit.

Vel Epithemate hoc cordiali sæpe vtatur: ℞. aquæ Ros. ℥. iij. aqua Melissæ, Lauandulæ, Vini albi od. ana ℥. j. ß. Camphoræ ℈. j. fiat Epithema.

Si Melissa calefiat supra laterem calentē, Vinoq; maluatico aspergatur, & applicetur, singulare est præsidium.

Odoramenta cum rectâ cor petant, vtilia in hoc casu, præsertim hoc: ℞. fol. Melissæ, Ocimi, rad. Gariophyllatæ sicc. ana ʒ. ij. radic. Angelicæ, cort. Citri sicci ana ʒ. j. Croci ℈. ß. Camphoræ gr. vj. misce, ligentur in nodulo, irrorentur aquâ Ros. & Melissæ, & Vino maluatico: Odoretur.

Hypochondrij sinistri fotus conuenit, cū spongiâ in hoc decocto madefactâ: ℞. flor. Chamomil. Meliloti ana P. j. sem. Anisi, Fœniculi ana ʒ. ij. Fœnogr. ℥. ß. decoquantur in Vino albo mediocri: Pro fotu.

Frictiones extremitatum, cruris præsertim & lateris sinistri, conferunt.

Cucurbitulæ item sinistro hypochondrio affixæ.

Quies palpitationem cordis mitigat, vti motus eam auget, & quiescentem prouocat.

Camphora appensa in collo, valde iuuare creditur.

DE APPETITVS DEFECTV.

CAPVT XII.

Genera.



APPETITVS defectum vocamus, quando non esuriunt, vel non sitiunt: aut quando certa quædam, quæ aliàs comeduntur aut bibuntur, fastidiunt.

Non esuriunt aliqui tempore conuenienti, hoc est ventriculo inanito, appetentiaque cibi vel omnino vel maxima ex parte, vel longiùs quàm par erat deiecta & prostrata est, diciturque Anorexia, & si simul cibum fastidiant, ingratumque, etsi gratus sit, esse iudicent, Cisti fastidium, Nausea. Hoc sanis alioquin accidens, nisi causam manifestam habeat, morborum futurorum est præsagium, cùm omnes qui rectè constituti sunt, suo tempore, cuilibet naturæ accommodo, cibum expetant. In plerisq; quoq; morbis symptoma consuetum est: ex quo etiam, vt in brutis animantibus, sic in infantibus cùm ægrotant, nec tamen illud verbis aliisve indicijs declarare possunt, si cibum respuant, eos malè habere cognoscimus. *Anorexia, seu Appetentia deiecta.* *Fastidiū ciborū, seu illorū Nausea.*

Si non sitiant, potumq; omnem respuant, Apositia dicitur: quod rariùs euenit: Nam etsi ex illis qui sani adhuc sunt, aliqui naturâ parùm bibant: aliqui etiam sine potu, humidioribus tantùm cibis sustentati, vixerint, quod licet rarissimum; frequentissimum tamen hoc est, vt qui cibum minimè cupiant, potum nihilominus appetant, & qui *Apositia.*

qui cibum expetunt eoq; fruuntur, mox potum quoq; requirant. In morbis quoque licet appetentia cibi plerumq; deiecta sit, tantùm tamen abest, vt interim non sitiant, vt potiùs siti premantur immodicâ, adeò vt & cibos qui illis obtruduntur, liquidos tantùm, quos bibere potiùs, quàm edere possint, admittant.

Fastidiũ ciborum quorundam.

Accidit verò frequentiùs, vt ex illis quæ aliàs consueta sunt, & gustui inter edendum & bibendum grata sapidaq; esse solent, qualia sunt alimentario sapore prædita; item dulcia & vinosa (sic enim acidodulcia vocamus) eaq; rectè præparata & munda, certa quædam, aliqui fastidiant. Idq; vel à naturâ adeò quædam auersantes, vt & ab illis abhorreant, illorumq; vsu lædantur. Sicuti à caseo multis accidere videmus, quem tantopere etsi lac & butyrum comedant, fastidiunt. Aliquos etiam ex suâ naturâ vinum non bibere, qui proin Abstemij, quasi abs temeto esse velint, dicuntur. Alios verò alios cibos odisse. Quod in illis, qui morbis obnoxij sunt, vel iam ijs detinentur, valde est consuetum, certos cibos fastidire, & ex illis plerunq; alimentosos, quorum non tantùm sapor carnosus, pinguis, vnctuosus, sed & odor quoq; nauseam parit. Dulcia quinimò, omnibus alioquin grata, in morbis quibusdam: vti in alijs quæ vinosa sunt, vinumque ipsum adeò auersantur, vt & alia, etsi talia non sint, si offerantur, hoc sapore prædita esse existimantes, sicuti in gustu deprauato dictum fuit, respuant.

Abstemij.

Causæ.

CVm ventriculus is sit, qui suo sensu naturali cibum potumq; appetit, hũc in omnibus appetentiæ defectuum generibus affici necesse est, adeò vt sensum illum seu appetitum, famem scilicet aut sitim penitus, aut aliquomodo amittat: vel sensu potiùs contrario affectus, nauseâ nimirum, cibos vel in genere, vel aliquos saltem respuat. Quæ cùm ex plerisq; ventriculi affectibus, vel leuioribus etiam possint accidere, cùm vt rectè appetat ventriculus, benè constitutus esse debuerit, fit, vt tam frequẽs hic defectus, tàm in sanis quàm ægris eueniat: cuius causæ vel à constitutione quadam illius; aut repletione; aut offensione; vel intemperie aut imbecillitate dependent.

Constitutio certa ventriculi, causa Fastidij certorũ ciborum.

Talem ab ortu sæpè constitutionem seu temperaturam accepit ventriculus, ab insitis causis dependentem, vt certa quædam, alijs naturis non abominabilia, vt caseum vel vinum aut alia, fastidiat: quã explicare qualis sit, non magis possumus, quam eam eius temperiem, quà certis cibis delectatur: aut quã quædam animalia, illa quæ homo non potest, vti aues, lapides, sturio ferrum, possunt concoquere. Huic tamen à semine parentum prouenienti causæ, occasionem sæpè præbuit impresśio in eo facta, ab apprehẽsione matrum, dum grauidæ sunt, ex nauseâ certorum ciborum, præsertim dum picâ laborant, in fœtus deriuata: quos & quã primùm nati sunt, eos cibos, vt caseum vel alia renuere videmus, quorum fastidium secum in lucem attulerunt. Sed & ex apprehensione, in alijs causis quoq;, ventriculi constitutionem adeò nonnunquam immutari videmus, vt quos cibos priùs sumere soliti erant, postea respuant: Idq;, quòd illis aliquãdo vel immoderatè aut indecenter vel immundè vsi sint. Vel quod in morbis adeò illis displicuerint, vt postea sanitati restituti, nausea adhuc ventriculo illorum impressa maneat: sicuti post febrem, hanc ob causam, postea ab omni carnis vsu aliquos diu, alios semper abstinuisse, obseruauimus.

Apprehensio, causa Fastidij certorũ ciborũ.

Desuetudo, causa Fastidij certorum ciborum.

Consuetudo, cùm sit altera natura, facit, vt ex osculentis & poculẽtis ea potisśimùm appetamus, illisq; delectemur, quibus à teneris vti assueti sumus, & insueta, vel quorum vsus rarus est, etsi sapida interim existant, fastidiamus: quæ & causa est, quare certorum animalium carnes, nisi summâ fame vrgente, in ciborum vsum minimè veniant, & quòd qui consueuerunt, ranas, limaces, similiaq; cum voluptate edant, quæ non consuetis nauseâ pariunt; & quòd crudæ carnes, & quæ immunda sunt, similiaq;, hominibus mundis, aduersa sint.

Repletio ventriculi, à qua sensus hic illius appetendi obtunditur, appetentiam tollit: quæ illi à chylo quem conficit diutiùs illic retẽto nonnunquam euenit: sicuti enim

inanitus ab eo, ad alium conficiendum, nouum cibum appetit; sic quamdiu ille subsistit, tamdiu non famescit. Quod illi ex distributionis chyli defectu accidit: quod vti ab obstructionibus venarum meseraicarum, contingere potest; sic & ob sanguinis, in venis meseraicis & præsertim in ventriculum dispersi, redundantiam, ob quam, cùm nulla vel exigua fiat suctio, appetentia quoq; nulla vel pauca existit. Et præsertim quòd vētriculus sanguine plenus, eoq; veluti saturatus, nouum succum minimè appetat. Sicuti in plethoricis, illisq; qui otiosi non se exercent (cum tardiùs substantiæ corporis absumptio, & proin pro restitutione illius, non tam subitò alio succo opus habeant, tardiusque illius fiat distributio) vt tardiùs minusq; esuriant, contingit: nisi fortè famem sibi prę ternaturalem, ex nimiâ crapulæ malâ consuetudine, conciliauerint.

Distributionis chyli tarditas, causa Appetentiæ imminutæ.

Humore alieno, si ventriculus refertus sit, idem accidit. Vt si lentore illo, quo, vt lubrica essent, ventriculus & intestina, naturaliter aliàs inunguntur, lanijq; dū ea abluunt, abradere solent, nimiùm abundet. Tunc enim hoc limo illi obducto veluti incrustatus, sensus illius retunditur, & ventriculus eo, cùm dulcis sit, nec ita adhuc alienus, ac si chylus esset, satiatur: cui cibi glutinosi & pinguis, immoderatior vsus occasionē præbet. Quod & à pinguedine, si illa, vt in valdé obesis fieri potest; sinistro illius fundi latere, vbi plerunque inuenitur, vel circa illius orificium, vt vult Fernel. copiosiùs accreuerit, eâdem ratione euenit. Et si humor alius vel excrementum crudum, insipidum, aqueum, vel lentum, atque pituitosum ex cibo & potu natum, aut eò defluxum, vētriculum adimpleat, vel illi pertinaciter adhæreat, eodem modo appetentiam dejicit: atq; si ventriculus eo humectetur continuò, vt & minimè sitiant, efficit.

Lentor. Pinguedo. Humor in ventriculo, causæ Appetentiæ deiectæ.

Humectatio ventriculi, causa Apositiæ.

Offensio seu irritatio vētriculi, sicuti cùm grauis est, eum vt illam excutiat, ad vomitionem excitat, sic si leuior sit, propensionem ad vomitionem, quæ nausea dicitur, parit: per quam & ea quæ continet, & quæ assumere debebat, fastidit. Quod illi tum ab assumptis cibis acribus, medicamentis irritantibus, catharticis, venenatis, accidere potest. Præsertim verò biliosus humor, & flauus & viridis & ater, ex cibis genitus, vel in ventriculum effusus, in varijs, qui inde sequuntur, morbis, illum molestando, cibi fastidium cum nausea aliisque quæ inde sequuntur accidentibus, parit. Quod & alij praui humores illic collecti, vel eò delati, suâ malignitate possunt efficere.

Offensio ventriculi causa Fastidij certorum ciborum.

Intemperies calida ventriculi, non tàm relaxando illum, quàm, quòd sitim parit, famemq; tollit, appetitum prosternit: cùm diuersi hi ventriculi sensus, sitis nimirum & fames, vix possint simul concurrere, vnoque præualente alter quiescat: sicuti de hoc alibi disputatum est. Ita si ab externis internísve causis, corpus adeò incalescat, vt & ventriculo accenso sitiant, potum tunc citiùs, quàm cibum expetunt: & si cibis calidioribus vtantur, ieiuno præsertim adhuc ventriculo, vt si in principio mox mensæ vina generosa bibant, vel dulcia aut aromatizata comedant, appetitum edendi amittunt. Et in omnibus morbis calidis, in quibus vel solus ventriculus, vel cum illo vicina viscera, vel totum corpus in febribus incalescit, appetentia prostrata est.

Calor ventriculi, causa Appetentiæ prostratæ.

Imbecillitates ventriculi aliæ, quæ functiones illius, concoctionem & distributionem, labefactant, etiam hunc illius sensum, appetitum, qui illis inseruit prosternunt, & si illæ rectè procedant, quoque suo hoc munere fungitur. Quod vt ab ortu quibusdam, aut ob ætatem senibus accidit, sic & ex diuturnis morbis & grauibus, ventriculo tandem debilitato contingit, vt sicuti tardiùs cibos digerit, ita & minùs & rariùs appetat. Et cùm affectus animi aliqui cardialgiam causent, fit, vt qui mærent, & ex dolore animi circa præcordia anguntur, appetitum omnem amittant: & cùm ventriculus propter eximium sensum, tot partibus consentiat, accidit, vt in tam diuersis etiam aliarum partium morbis & doloribus consentiente ventriculo, symptoma hoc appetentiæ deiectæ, reliquos affectus comitetur.

Imbecillitas ventriculi, causa Appetitionis defectus.

Huc & referimus, si ob stuporem ventriculus, sensu tactus illius, qui etiam gustatus est particeps labefactato, nihil appetat: quod ab ex-

Stupor ventriculi, causa A-

petitus defectus. ab exhibitis narcoticis accidere posse, vt in aliis experimur, sic in solani furiosi radicis infusione in vino factâ, propinatâque fieri, & ab eâ etiam famelicos mox omnem ciborum appetentiam amittere, testatur Matthiolus. Quam & non minimam causam, quòd ebriosi parùm comedant, & multùm bibant, non tantùm ex calore vini, vti superiùs dictum, sed & narcoticâ illius vi, profectum esse existimo.

Curatio.

Anorexiæ, seu appetentiæ deiectæ, Fastidij ciborum, & Apositiæ cura. CVm appetẽtia in illis qui alioquin sani sunt deficit, quia de eâ deiectâ conqueruntur, & hac voluptate, quam edendo percipiunt, cum molestia carent, huic potissimùm reparandæ cura adhibetur: vti & si in morbis diuturnis hoc accidat. In aliis verò morbis, cùm grauiora tunc adsint accidentia, hoc non adeò curatur, præsertim cùm, si multùm appeterent, plus illis obesset, quàm prodesset, & curato morbo sponte redeat appetitus, licet illud ferè postremũ sit, ex quo etiam conualescentiæ signum petimus. Sitis defectus, cùm non per se incommodet, non aliâ ratione, quàm causam quæ ventriculo etiam alias noxas adfert, auferendo, si præternaturalis sit, curatur. Nausea ferè tàm in sanis quàm in ægris, quia molestiam parit, illius rationem habemus, & si iam ad vomitum inclinet, sicuti in vomitu explicabitur, sanabitur. Certorum ciborum fastidium ab ortu, vix emendatur. In omnibus tamen hisce generibus, à quacunq; causâ dependentibus, in diuersis medendi modis, sic nos gerere debemus.

Consuetudo ad appetitum ita conseruandum, vt decenti tempore exsurgat, magnũ adfert adiumentum. Quod fit, si ordinem rectum in cibis sumendis tum in prandio tum cœna, certâ horâ semper eos capiendo, seruemus: sic enim naturam, vt tunc semper appetat, assuefaciemus: cùm, si temporis nulla habeatur ratio, naturæ opus in hisce vt in aliis operationibus, confundamus. Et cùm consuetudo in causa sit, vt à teneris certa quædam appetamus, alia fastidiamus, sicuti in causis dictum, eâdem consuetudine efficere possumus, vt quædam, quæ omnino priùs auersabantur, & tamen illis vtilia esse censemus, sensim eis offerendo, persuadendo, fallendo, postea familiaria reddamus: vti abstemios aliquos, & eos qui caseum aut aliud quid non comedebant, assuetos, tandem sumpsisse, vidimus.

Ieiunium, moderatè & strictiùs nonnunquam etiam obseruatum, quia ventriculum ob penuriam alimenti ad appetentiam excitat, in anorexiâ conuenit, si à repletione ex cibo, chylo vel sanguinis aut pinguedinis redundantiâ, nata sit. Aut ex eo, quòd humore lento ventriculus sordidus sit, vel humore copioso madeat: cùm omnia hæc, si diu ieiunus maneat, sponte absumat, eaque à venis meseraicis, quæ vix ociosæ sunt, tandem quoque rapiantur. Quod tamen, si bilis in causa sit, præter quam quòd non prodest, etiam quia inediam acuit, magis obest.

Exercitium decens & validum in illis, qui hoc ferre possunt, cùm omnes functiones acuat, etiam ventriculi appetitum, distributionem ciborum potiùs, quam concoctionem promouendo, prouocat augetque. Quod & ante cibum fieri debet. Hinc sanos opera validiora exercentes, etiam terquatérve, cibum appetere in die, videmus, ociosos è contra, vix semel auidè eum expetere. In ægris verò si exercere se nequeant, etiam frictiones id præstant.

Somnum nauseam depellere scribunt, sed appetentiam minimè prouocare ex eo constat, quòd distributio chyli per vigilias potius fiat, eaq; factâ, primùm appetitus redeat, nisi ex accidenti hoc somnus faciat. Proin & vigilantes citiùs esurimus: spaciumq; illud, quod inter prandium & cœnam vigilantes obimus, etsi breue sit, nos ad cibum iterum capiendum æquè inuitat, atque longum illud, quod inter cœnam & prandium sequentis diei, cui horæ somni septem vel octo accedunt, intercedit.

Vomitus, si à recrementis vel ab humoribus pituitosis, aut biliosis, aut aliis quibuscunque, ventriculum replentibus, vel offendentibus fiat anorexia aut nausea, competit. Quæ si tenaciter adhæreant, vomitorio abstergente & incidente prouoca-

ri debent, Oxymel. simplex & syrupum Acetosum simpl. liquoribus permiscendo.

Expurgandus quoque eadem ratione repletus stomachus, si vomitu non cedant humores, vel ægrè vomant: catharticis huic illíve humori expurgando destinatis, & imprimis amaris: quæ quia simul abstergunt, ventriculo accommodata sunt. Quo nomine Aloe stomacho amica dicitur atque vsurpatur: sicuti in pilulis de Hiera, Alephang. & similibus.

Quorum loco vsuales hoc modo facere possumus, in quocunq; humore redundante: ℞. Rhabarbari, Myrobal. citrin. ana ʒ. j. spec. Hieræ ʒ. ij. Masticis, Santali albi od. ana ℈. ß. cum syr. de Absynth. fiat massula: cuius ʒ. j. datur: vel potest acui Diacrydio si validiùs purgare volumus.

Vinum Absynthites in quo infusa sint Rhabarbarum, Myrobalani, Sena, & in pituita, Agaricus, loco pilul. dari potest.

Quæ aliâ vi & qualitate, ex assumptis causæ contraria, appetitus defectum corrigunt: faciunt illud, vel quia refrigerant ventriculum, quorum vsus, si à caliditate illius anorexia procedat: quod vel actu faciunt vel potentiâ: atque inter ea imprimis quæ acida sunt, quæ &, si bilis in causa sit simul illius acrimoniam quâ stomachum vellit, retundunt. Alia quia ventriculum leuiter stimulando, illius hunc sensum mouent & torpidum excitant, appetentiam prouocant: vti acida imprimis, quæ proin non tantùm in supradictis causis, qualitate illâ, sed & in alijs quoque multis aciditate suâ & tenuitate, ventriculum obiter vellicando, accedente insuper proprietate quadam, vti in deprauato appetitu dicetur, vt appetat, impellunt. Sicuti naturaliter à melancholici succi aciditate; in ventriculum ob eam causam, vt appetentiam faceret, à liene, vti voluerunt, infundi soliti, fieri scribunt: nos verò à chyli aciditate, quam ex sua natura in se habere, & ab assumptis sibi asciscere, & sic veluti fermentari, ex eo quod omnis vomitus etiam in illis qui vinum non biberunt, sit acidus, conjicimus proficisci, ab eoque ventriculum ita sollicitari putamus; eoque magis, si acida, sicuti iam dictum, assumantur: quæ & stupente omnino ventriculo ex narcoticorum vsu, eum reuocant, viresque stupefacientium assumptorum, sicuti alibi dictum, infringunt. Alia quoque abstergendo ventriculum à sordibus, id præsertim præstant: qualia sunt salsa, à limo & dulci succo ventriculum abstergendo, appetitum conciliantia, & fortè quod eundem quoque inertem, stimulo suo, vti dictum de acidis, excitent: amara abstergendo easdem sordes & pituitam & bilem, si hæc appetentiam dejiciant, eadem ratione illam reuocant. Alia, proprietate quadam incognitâ hoc faciunt. Imprimis quæ gustui grata sunt, si exhibeantur, appetitum excitant, nauseamq; corrigunt, præsertim si insuauitatem reliquorum emendent: quo nomine in febribus & morbis calidis, vbi dulcia tantoperè respuunt, acida appetunt: & insipidos, si sale sapida facta, expetunt. Sed & quæ ventriculum roborant, sicuti alias illius functiones, ita & appetentiam iuuant, & nauseam quoque emendant; quæ in illius imbecillitate potissimùm conueniunt: quod & astringentia calidaque faciunt: quæ calida in apositia, si interdum fiat, exhibita, vt & rursum potum appetant, procurant. Cæterùm quibus formis hæc vsurpentur, obiter nunc in præcipuis quibusdam ostendemus.

Esculenta poculentaque actu frigida propinata si à calore appetitus deficiat, iuuant.

Quo nomine & Aquæ frigidæ potus laudatur: potentiùsque operatur, si ante cibum bibatur.

Et qui loco vini Aquam bibunt, auidiùs cibum expetunt. Quæ & non minima est causa, quòd animalia quæ crudis continuò vescuntur, adeò voracia existant.

Cibi si acidorum fructuum succis, qui fructus & eo nomine eduntur, condiantur, appetitum excitant: imprimis Omphacio & Agrestâ.

Et si panis bene fermentatus salitusque edatur, appetentiam auget.

Vinum acidulum in naturis calidioribus consuetim bibitum, vt maiori appetitu edant, facit.

Acetum appetentiam valde excitat, iuscu-

lis inditum, alióve modo vsurpatum, in acetarijs. Vel aliàs per se ante pastum bibitum. Quo pacto & si bonâ quantitate bibatur, fastidium illud cibi à vini potu, in quo radices solani furiosi maceratæ fuerint, vt in causis dictum, profectum, vti scribit Matthiol. iterum tollit. Etsi ab alijs narcoticis sumptis appetitus sublatus esset, idem faceret.

Persica in principio mensæ sumpta appetentiam provocare, si à causa calida ablata sit, docent: quod gratâ quoque aciditate, nisi alia accedat proprietas, faciunt.

Mala arantia, limonia, acida, diuisa aspersaq; aquâ Rosaceâ, & Saccharo, condimenti loco mensæ apposita, iuvant.

Brassica capitata, Rapæ, cocta & condita donec acescant, sicuti Germani solent, comesta in principio mensæ, appetitum mouent.

Acetosa si edatur, prodest; & Portulaca Aceto condita.

Oliuæ & Capparum fructus, Sale condita, cum Aceto, ad appetitum excitandũ communiter mensæ apponuntur & eduntur.

Allium appetitum excitare docent, atque ex eo tale ferculũ parant. Allio contuso mortarium & pistillum inficiunt, eoque abiecto, micam Panis & Amygdalas in eodem mortario, vt odorem allij hauriat; contundunt, posteaque cum iure carnium miscent & propinant: quod quibus gratum est, fortè gratâ magis quàm aliâ vi appetitum mouet.

Vinum Absynthites in principio mensæ bibitum, si modo non à calore proficiscatur, aliàs in quibuscunq; excrementis & pituita & bile etiam redundantibus, in ventriculo appetitum deiectum reuocat.

Syrupi conueniunt de succo Persicorum: de succo Citri, Granatorum, Ribes, de Agresta, Acetosus, Oxysacchara. Syrupus de Absynthio quoq; datur, qui si Aceto addito, coquatur, magis illud præstabit.

Compositus ad eosdem vsus sic fit: ℞. succi Persicorum acidulorum ℔.j. succi Granatorum vel Pomorum acidorũ ℔.j. succi Cytonior. ℔.ß. coquantur, addito Sacchari q.s. addendo Acetum album, vt aciditatẽ decentem acquirat: coquatur: capiat ℥.j. vel plus.

Et hoc electuarium, abstergendo ventriculum à limo appetentiam excitare compertum est: ℞. Mellis ℔.j. despumetur, adde succi Absynthij, Parietariæ ana ℥.iiij. coquantur in formam decentem: capiat manè & vesperi instar castaneæ.

Conseruæ & conditurae fructuum acidorum, si modo non nimiâ sacchari additione aciditatem amittant, sic quoq; dantur: tum per se, tum inuicem permixtæ hoc modo: ℞. conseru. Rosarum, Acetosæ, rob de Ribes ana ℥.j. Vtatur.

Aqua Chamæmeli bibita, appetentiam excitare creditur.

Quæ ventriculum corroborando iuvant, alibi explicantur: inter quæ Piper eo nomine fortè comestum, appetitum iuvare docuit Dioscor. Vti & alia multa quæ concoctionem iuvant, appetitum quoq; reparare scribunt: quæ tamẽ nauseam potius impediunt: qualia sunt, Panem ex vino Maluatico sumere: Aromatibus cibum condire, Menthâ, Calamenthâ alijsq; similibus vti. Quæ & Apositiam, vti supra dictum, emendant.

Iniecta clysmata abstergentia, appetentiam excitant, si sordibus, pituitâ, aliísve recrementis, vnà cum ventriculo etiam intestina scateat. Quale ex Vrina pueri paratum laudatur: vel ex Lixiuio non nimis acri.

Item quod ℞. Betæ albæ cum toto, Mercurialis, Caulium, ana M.j. Hordei P.j. Agarici ʒ.j. Senæ ʒ.ij. sem. Carui ʒ.j. fiat decoctio, addendo parùm Vrinæ pueri vel Lixiuij ad ℥.iiij. dissolue in colatura succi Mercurialis vel Betæ ℥.j. Mellis ℥.j.ß. Salis ʒ.j. Detur, sine oleo, quia potenter tunc abstergit.

Si à calore nausea vrgeat in febribus, ex refrigerantibus Clysmata aliqui ad eam emendandam injiciunt: quale hoc est: ℞. aquarum Lactucæ, Endiuiæ, Viol. ana ℥.iiij. succi Portulacæ, Lactucæ ana ℥.j. ol. Nenuph. Violacei ana ℥.j.ß. fiat clyster.

Odores suaues nauseam corrigunt. Sicuti quando, quomodo vomitus impediri debeat, docebimus, ostendemus: vt Aceti, fructuum Acidorum, Absynthij, &c.

Extrinsecùs, ventriculi regioni eum corroborantia applicantur, calida frigidáve astringentia, pro causæ diuersitate: cauendo ab vnctuoso odore præditis, ingratis, quia nauseam excitant. Qualia multa eiusmodi

aliorum ventriculi affectuum causâ potiùs, quàm ratione appetentiæ, in alijs symptomatibus illius, describuntur.

Epithemata quæ hepar refrigerant, si à calore fastidium cibi procedat, tum huius quoque affectus, tum aliorum inde profectorum causâ, in febribus vsurpantur.

Corporis refrigeratio externa appetitum excitat in calidiore causa. Vt si in aëre frigidiore versentur, rectiùs esuriunt quàm si in calido moram trahant. Balnea, Pedum lotiones ex aqua frigida, idem præstant. Quò & indusiorum frequens refertur permutatio, vnde appetitus egregiè promouetur.

Sanguinis detractio in illius plethora conuenit: si morbus, cuius appetitus defectus symptoma est, eam requirat.



DE APPETITV DEPRAVATO.

CAPVT XIII.

Genera.



PPETITVM deprauatum vocamus, si immoderatiùs, quàm per famem aut sitim naturalem fieri solet, cibum potúmve appetant, hoc est, esuriant, sitiántve: Vel si vitiosus sit, hoc est, aliud quid quàm cibum potumque expetant.

Boulimos, Appetentia nimia. Esuriunt immoderatè, cum auidiùs cibum quàm par est, appetunt, eoque vel vix dum satiari possunt, vel vix priore concocto, nouum expetunt. Quod sanis alioquin nonnunquam contingit: aliàs morborum quorundam est symptoma: Appetentiaque seu Appetitio immodica, Boulimos, & si magis vigeat, Fames insatiabilis, dicitur: alia quoque interdum adferens accidẽtia, in illis qui hoc patiuntur: aliàs enim ob cibum nimium ingestũ, qui illos grauat, compressionis dolorem in regione ventriculi sentiunt, tamdiu donec ille concoctus digestusque fuerit. *Canina appetentia, Boulimi species.* Alij ventriculo non ferente onus, cibum nimiâ copiâ ingurgitatum mox iterum euomunt, &, vt canis ad vomitum, vt prouerbium habet, sic & illi à cibo ad vomitum se conferunt, ob eamq; causam Caninam appetentiam aut famem, hanc speciem appellãt. Alijs dyarrhœa potius quàm vomitus superuenire, & repletionem illam deorsum potiùs quàm sursum excutere solet. Aliqui nisi famem mox sedare possint, animo deficiunt, & syncope graui, quam mors nonnunquam subsequi solet, corripiuntur: quod tamen quibusdã debilitato primùm ventriculo, & dolente ob hanc immoderationẽ, appetentiâ iam potiùs prostratâ, quàm auctâ, ex cardialgia illa contingit: cùm in illis qui hoc malum aliquandiu passi sunt, tandem summa stomachi imbecillitas & ciborum fastidium subsequi soleant.

Sitis immodica. Sitiunt immoderatè, cùm intempestiuè, hoc est, extra tempus quo cibum capiunt (quo tempore primùm sitire deberent) sitis ipsos admodũ vrget: aut alioquin adeò magna est, vt largo potu vix dum expleri sedaríve possit, diciturque Sitis immodica: & sanis & ægris frequentissimè accidens, atque intollerabilem adferens molestiam, magisq; quàm fames immodica, affligens: cùm eorũ, quæ citò nos satiant, summamque voluptatem subitò adferunt, penuria, maiorem adferat dolorem, quàm illorum, quæ id tardiùs præstant. Ob quam causam, sitim tam ægrè ferunt, & cùm valida est, de eo potissimùm symptomate in morbis & maximè in febribus, conqueruntur: & qui hac premuntur, alba spumosaq; sæpè expuunt, ægreq; cùm lingua palatui aut faucibus, vt aiunt, hæreat, loquuntur, balbutiuntque, & nisi potu reficiantur, interdum animo deficiunt.

Pica. Aliena à cibi potusq; natura quando appetunt, Vitiosam vel alienam appetentiam vocamus, quam Picam quoq; appellant. *Malacia, Picæ species.* Rariùs viris, sed frequenter mulieribus vterum gerentibus, quibusdam primis mensibus euueniens, tuncq; Malacia præsertim nominatur. Interdum & puellis cacecticis accidens.

Huius varietas, pro diuersitate illorũ quæ appetunt, exurgit. Cùm aliæ crudas partes animalium, & carnem edere anthropophagorum instar, gestiant: cuius inordinato appetitu adeò commotam quandam fuisse narrant, vt bestiarum instar in hominem sæuiret, illiusq; brachium morderet. Aliæ verò,

ea quæ

ea quæ per se non sumuntur, sed condimenti loco tantùm cibis adhibentur, sola magnaq; copiâ citra noxam deuorant: sicuti illa quæ libras zingiberis innoxiè comedit: alia quæ acetū fortissimum affatim bibebat, aliaq; similia. Plerumq; autem sicca, vt farinā, cineres, cretam, lutū, testas, pannos attritos, coria putrida, cum voluptate comedunt. Nonnunquam & noxia ex illis, vt calcem viuam: cuius insignem portionem quandam citra noxam deuorasse, testatur Fernelius.

Causæ.

Omnis fames aut sitis immodica procedit aliquando à causa naturali, eâ scilicet, quæ si moderata sit, naturalem appetitum, si immoderata, præternaturalem causat. Qualis est sensus ventriculi: penuriâ nutrimenti vel madoris. Interdum verò à præternaturali causâ appetitus hic nimius, vti & alienus, nascitur: quæ est vel intemperies frigida & sicca ventriculi: vel alia qualitas.

Sensus ventriculi exquisitus, causa Appetentiæ nimiæ. Sensu suo, ex tactu & gustu permixto, vti ventriculus appetit, sic, si exquisito admodū ventriculus prẹditus sit, cùm tunc faciliùs afficiatur, fit, vt & defectum citiùs sentiat, & ad appetentiam magis sit procliuis. Quod alijs naturâ ab ortu euenit, vt à teneris voratiores sint cẹteris. Alijs à consuetudine vitiosâ contingit, vt dum ob crapulā continuam, illum sine intermissione adimplent & vacuum esse non sinunt, ita assuefaciunt, vt non nisi distentus & plenus esse velit, ob eamq; causam, nisi talis sit, perpetuò esuriat, &, vt vocant, latret: sicuti helluonibus hoc consuetum esse, eosq; ventri dies noctesq; inseruire, non tantùm voluptatis, sed & huius innatæ vel acquisitæ voracitatis causâ, videmus. *Consuetudo vitiosa causa Appetentiæ inordinatæ.*

Nutrimenti penuria, causa Famis immodicæ. Nutrimenti penuria, quæ indies eo absumpto accidit, vti famem naturalem excitat, si sic diutiùs perseueret per inediam diuturniorē, nimiùm famelicos facit. Acciditq; hoc vel propter ciborū longiorem defectum: vel quòd illis qui pauci sunt nutrimenti aut facilimè digeruntur, diu vsi sint: vel quia diebus aliquot vel multis, in morbis diuturnis, præsertim ob appetentiam prostratam, nihil omnino vel saltem quod alere satis potuerit, comederunt: vnde postea conualescentes tam auidè cibos appetunt, & licet cibentur, cùm natura exhausta, subitò chylum confectum rapiat & exugat, vnde & constipari facilè illos superiùs, in deiectione alui suppressâ, diximus, mox iterum esuriunt, & nisi sibi temperent, se ipsos grauiter lædunt, accidentiaque supradicta boulimo superuenire solita, morbiq; recidiuam, interdum patiuntur. Si quoque alia ratione citiùs quàm par erat in distributione nimis citò factâ, chylus è ventriculo rapiatur, propter exercitia, euacuationes, sudores, idem accidit: vel si ex humidiori cibo, aut naturam sollicitante & detergente, vt vult Rondel. sæpiùs vsurpato, vel potu nimiùm dilutus chylus, in ventriculo moram non trahat, sed statim descendat: vel si à lumbricis, vti scribunt, ventriculo subripiatur: quos sanè, cùm magna consumptio chyli, vt boulimos inde sequatur, fieri debeat, plures numero, si illud faciant, esse oportet. Vnde alij à lato lumbrico, cùm longissimus sit, illud potius fieri autumant: quod si fit, illud non ea ratione, quòd chylo pascantur, cùm viuus non sit vermis, sicuti alibi ostendimus, sed quod ex chylo generetur & nutriatur hæc fascia, contingit. *Distributio chyli nimis citò facta, causa Appetentia nimis cita.*

Madoris vētriculi defectus, causa Sitis vehementis. Madoris illius defectus, quem nisi ventriculus eo madeat & refrigeretur, mox per sensum illum sitis denuò expetit, vti sitim naturalem parit; sic si diutiùs magisve eò destituatur, sitim accrescere necesse est. Quod eadem ratione, vti fames ob defectum cibi, quando potu diutiùs caruerunt, aut ille frigidus actu minimè est, quod ad sitim sedandam naturaliter requiritur, euenit. Item si frequenti expuitione, multâ humiditate, quâ fauces semper madere debuerunt, absumptâ, & fauces, & per consequens ventriculus madore priuentur. Vnde & multam locutionem, per quam frequenter expuunt, sitim conciliare docent.

Refrigeratio vētriculi calidioris, causa vt Appetitus redeat. Frigidam intemperiem ventriculi appetentiam immodicā excitare, pleriq; statuerunt: idq; cùm viderent eos qui in aëre frigido versantur, aut aquā frigidam bibūt, quam voracem ob id vocat Hippocr. auidiùs cibos sumere. Verùm cùm frigus sensum non acuat, sed potiùs obtundat, aliam huius rei

causam

causam proponimus, quòd nimirum, si calidior sit ventriculus, indeque appetentia prostrata, sicuti in appetitus defectu dictum, frigiditas calorem illius corrigendo, & ventriculum ad temperiem naturalem reducendo, potius quàm intemperiem frigidam in illo excitando, appetentiam prouocet. Et quòd ob frigus externum hyemis tempore, & in locis frigidioribus calore ad interiora repulso, illicq; collecto & abundante, & vt inquit Hippoc. quia ventres tunc sunt calidissimi, copiosiore alimento indigentes, illud auidiùs tunc appetũt, ita vt caloris natiui abundantia, sicuti idem Hippoc. in illis qui dum crescunt plurimùm calidi innati habent, fieri docet, appetentiam potius augeat, & frigiditas ventriculi illam è contra imminuat. Quod cùm ita sit, neque acidus humor quia refrigerat, etsi in calidioribus ventriculis appetentiam deiectam hac ratione reuocet, & ventriculum nonnihil excitet, vt in appetitus defectu ostensum est, immoderatæ illius appetentiæ, quam caninam vocant, causa esse poterit. Vti neque melancholicus humor aut pituitosus, quemadmodum voluerunt, sua frigiditate aut aciditate, ob supra dictas causas, illud poterit efficere.

Siccitas ventriculi, causa Sitis præternaturalis.

Siccitas seu ariditas ventriculi interioris tunicæ, quæ quoque per œsophagum & fauces expansa est, si in ventriculo, aut simul etiam iam dictis in locis oboriatur, sitis præternaturalis causa est: sicuti solius madoris illius defectum naturalem, sitim efficere, prius dictum est: quæ exiccatio quò maior erit, eò sitim grauiorem procreabit. Hanc autem calor, madorem hunc absumens, interdum excitat, tuncque sitis eò maior fit, quòd incalescente simul ventriculo, non tantùm humiditatem, sed & frigiditatem, quam ex potu actu frigido consequitur, expetat, ideoque magis bibere cupiat. Vti fit, si vniuerso corpore à calore accenso, illoque ventriculum occupante, per æstus solis, balneorum, per nimios motus corporis aut animi, & in febribus, vt tantopere sitiant, & si ardor magnus sit, sitim intollerabilem patiantur. Vel si priuatim ventriculus incalescat ab assumptis calidioribus: vt vino meraciore vel dulcibus, vel aromatibus, aut alijs acribus, herbis, caseo putri & similibus: quæ omnia intemperanter sumpta, sitim enormem causant. Ita ex catharticorũ medicamentorum caliditate, dum purgantur, sitis plerumq; vrget. Et bilis in ventriculo ex cibis genita, vel in eum, in varijs morbis effusa, sitim excitat: eò vehementiorẽ quò hæc magis est ardens. Quod & à vaporibus calidis eò delatis, potest fieri. Sed & ea quæ tantùm exiccãt, nec dum ex sua natura calorem adferunt, assumpta, sitim cõciliant: Vti salsa omnia, aridaq; & suffumigata. Aër quoq; ore patulo attractus diutiùs, quia fauces & per consequens ventriculum exiccat, sitim parit. A tracheæ arteriæ & pulmonum caliditate & siccitate, in illis partibus, vt in ventriculo, sitim quoq; oriri posse, aliqui scripserunt. Verùm, cùm pulmones sensu hoc, vti & tactus destituantur, si illorũ, vti & thoracis morborum causâ, sitis fiat, illud nõ hac ratione, sed quòd per consensum tunicæ, ventriculum, œsophagũ & asperam arteriam simul succingẽtis, ventriculus quoque afficiatur, vel ob multam in illis morbis expuitionem, aut quia febris comes est, euenit: nec saliua alba, quam sitientes expuere solent, à pulmonibus hoc proficisci, ostendit, cùm & in ore, in ariditate illius, saliua tenacitatem acquirens, aëris confusione albedinem illam & spumositatem adipiscatur.

Qualitas occulta in ventriculo, causa Boulimi & Caninæ appetentiæ.

Qualitas alia & proprietas rei alicuius, sic ventriculum alterans, vt in eo appetitus excitetur, potiùs quàm deijciatur, vti alia contrariâ vi prædita id faciunt, appetitus immodici vel etiam vitiosi causa esse potest. Qualem, in humoribus, quos melancholicos vocant, nonnunquam inueniri putamus: qui in venis meseraicis interdum nati, sanguinique permixti, nec tantùm, vti credunt, à lienis venis, sed & alijs venæ portæ ramis ad ventriculum desinentibus, in illum effusi, boulimum illum possunt efficere. Quod non tam ab aciditate illorum aut austeritate, quæ in melancholico naturali humore esse dicitur; vel ab atrâ bile, aut etiam pituitâ acidis, vt putarunt, quòd ea ventriculum constringendo appetitum excitent proficisci; quàm ab occulta illius proprietate, quâ sensum hunc immoderatum excitat, euenire, ex eo conijcimus: quod neq; talis ab acidis, ventri-

ventriculi constrictio, aut sicuti nos volumus, extimulatio, aut frigiditas, vt suprà dictum, aut alia qualitas manifesta, adeò functionem illius, quę potius à causis hisce prosternitur, quàm augetur, posit intendere, vt tam insatiabilis fames sequatur, nisi abstrusa quædam in humore esset vis, illud efficiēs. Sicuti humores eiusmodi, quos pasim Medici melancholiæ & atræ bilis nomine designant, nuncque corruptos, adustos, ac incineratos vocant, venenatas qualitates diuersas induere possunt, atque effectus tam varios & incredibiles, inter quos & certa quædam qualitas est quæ caninam hanc appetentiam facere potest; alia verò vitiosum illum alterius rei aduersæ & abominabilis aliàs appetitum, qualis in pica occurrit, proferre. Et proin appetituum horum præternaturalium causam non aliam, quàm venenatam & malignam vim, quæ ex effectu potius cognoscitur, quàm describi potest, in humoribus in ventriculum, vti dictum, effusis, vel etiam nōnunquam ex cibo in illo genitis, statuere possumus. Sicuti venena quoque quædam esse, quæ extrinsecùs illata vel assumpta, talia accidentia appetitus deprauati producant, Diosc. docet. Veluti & alia sitim potius intollerabilem, vt ex morsu dipsadis serpentis euenit, aliisque, excitant. Qualia in corpore quoque nasci, humoresq; in venena conuerti, Gal. sæpius monet: vt non sit mirum, in mulieribus grauidis, aut puellis cacecticis, sanguine retento menstruo, in eo talem qualitatem exsurgere, quę picâ, in quâ pro diuersitate huius qualitatis tam diuersa appetunt, in illis excitet. Quod & nōnunquā aliis de causis cacochymia tali nata, in aliis appetitum prauū potest efficere.

Qualitas occulta in vetriculo, causa Picæ.

Venena quædā, causa Boulimi & Sitis intollerabilis.

Curatio.

Boulimi seu appetentiæ nimiæ, Sitis immodicæ, & Picæ curatio.

EX tribus generibus prauæ appetentiæ. Si adeò immoderatè esuriant, aut sitiant, vt vix famem explere vel sitim restinguere queant, & si hoc faciant lædantur, vel cardialgias sentiant, vel vomitu aut diarrhœa infestentur, quinimò si appetitui satisfacere nolint, grauius afficiantur, imbecillitatem & lipothymias patientes, succurrendum erit. Quod longè faciliùs in fame quàm siti, cùm modum excedunt, perficitur, sicuti & famem nimiam minori negotio tollimus, quàm reparamus. Quando aliena à cibis appetunt, vitium hoc negligi minimè debet: idque quia causam præternaturalem in corpore delitescere significat: tum quia aduersa alioquin corpori ingerentes, etsi se illis, quibus delectantur, lædi minimè posse putant, tandem tamen, eoque citiùs si noxia sint, afficiantur. Quibus omnibus hoc modo occurrimus.

Temperantiam in cibo & potu sumendis adhibere imprimis oportet. Non nimiùm abstinendo, nec immoderatiùs se implendo. Præsertim si post longam inediam prægressam, aut corporis cōsumptionem vehementer esuriant. Tunc modicâ quantitate sed sæpius, benè nutrientibus facilibusque concoctu datis, sensim refici debent. In alijs verò causis, etiam illis, quæ multum satiant, & solidiora cùm sint, minus citò conficiuntur & digerúntur, quantitate tamē moderatiore, cibandi sunt. Et sic famem sitimque decenter compescere, assuescere debent. Nam vti consuetudo peruersa, eos qui crapulæ & ebrietati dediti sunt, voraces bibulosque facit, vt nisi pleni sint, rectè minimè se habeāt; sic & decens, immodicos illos & inordinatos appetitus ad veram redigit mediocritatem & ordinem conuenientem.

Vomitus probatur, si humor prauus in ventriculo latens, appetentiam nimiam vel vitiosam causet. Qui, nisi sponte superueniat, conciliandus. In canina appetētia quoque etsi vomant, in principio præsertim, antequam vomitio nimiùm inualuerit, vt per eam non saltem assumpta, sed & humor noxius educatur, promouenda. In aliis verò causis vomitus non conuenit. In siti vomitus etiā potius auget, quàm minuit, nisi bilis eam excitarit: in cuius tamen etiam euomitione, sitis concitatur, quæ tamen mox bile euacuatâ, cessat.

Purgatio per inferiora facta, in iam enarratis causis, tàm famis quàm sitis præternaturalis, in alijs minimè cōpetit, nisi diarrhœa spōtanea, sicuti interdum fit, accedat: in qua nihilominus tamen, vt per eam humor prauus educi queat, natura catharticis est adiu-

uanda, ex leuioribus & astringentibus paratis. Præparato prius humore si illud opus sit. Quæ omnia nos, alia potius obseruantes, quàm melancholiæ vel pituitæ aciditatem, eligimus & dextrè exhibemus. Quæ & in siti, licet eam cathartica moueant, ad bilem exturbandã, si ab illa fiat, cõmodè exhibentur. Et si à vermib. fiat, vt illi deorsum simul pellãtur, ex amaris cõcinnata propinantur.

Calefacientia & siccantia vẽtriculum remedia, in boulimo ab humoribus genito, plerumque post expurgationem illorum vsurpantur: quæ non tã, quod illis stomachus refrigeratus alteretur, quàm quod ventriculus hisce accensus atq; exsiccatus magis sitiat quàm esuriat, famẽ sic compescunt. Hoc autẽ præstant; Assumptus cibus calidus actu & potentiâ: aromatibus condîtus, & dulcis factus: quæ validiùs operantur, si ieiuno adhuc ventriculo, vel nondum admodum cibis impleto, assumantur. Quod & citò valideque, potus Vini meracioris, à natura dulcis, vel alioquin potentis, aut arte aromatizati & dulcorati facit, imprimisq; Aqua Vitæ, quam vt famem diutiùs ferre posśint, rustici ieiuni bibere solent. Idem medicamenta alia ventriculum calefaciẽtia: qualia sunt dulcia & acria & adurentia, item vehementer odorata, præstant. Vel si extrinsecùs calidis actu potentiáve ventriculus foueatur, vngatur, emplastretur: aut corpus vniuersum exercitiis aut balneis incalescat.

Relaxantia ventriculũ, pinguia, & viscosa, quia illum veluti subuertunt, & illinendo sensum illius nõnihil retundunt, appetitum deijciunt: quo nomine vnctuosa, Butyrum, Oleum, Adipes: & glutinosa, Extremitates vituli, agni, hœdi, similiaque dantur, è quibus si quæ nauseosam in se vim habeãt, tantò magis appetitum prosternent; vti de glirium pingui carne asśâ exhibita, scribunt.

Proprietate quæ appetitum tollunt immoderatum, faciunt illud vel ob vim aduersam, quam nauseosam vocamus. Quâ ratione fortè Glirium pinguium caro assa deuorata appetitum prosternere dicitur. Vinum in quo Anguilla suffocata fuerit, propinatũ, vt abstemij postmodum omnino fiant, facere scribitur: quod tamen, cùm hoc etiã ignorantibus se eiusmodi vinum bibisse, accidat, si modò verum est illud, aliâ proprietate facere ostendit. Quod alia qualitate alexiteria præstant, si à venenatâ causâ procedat. Alia verò narcoticâ vi sensum ventriculi nõnihil retundentia, sicuti in appetitus deiecti causis dictum, illum tollunt: Qua & fortè Vinũ præstãs, illiusq; aqua stillatitia, adhuc efficaciùs, si ieiunis detur, vti suprà dictum, non tam calefaciendo quàm stupefaciendo famem tollit: & infusio radicum Solani furiosi in vino facta, & bibita, vti superiùs quoque explicatum, subitò omnem appetentiam, etiam in summè famelicis euertit. Et cùm Theriacã, Mithridatum cum vino exhibita caninã appetentiam sanare scribunt, illud eâdem vi narcoticâ, tanquã opiatas, facere putamus. Adiuuante etiam alexiteriâ, cùm sint simul antidota, si à malignis perniciosisque, vti ferè fit, hæc prodeant humoribus. Quod & alia Opiata medicamenta, etsi antidota minimè sint, aut admodum calefaciant, similiter facere, ex eo conijcimus, quòd post horum vsum, etiam alterius rei causâ, appetitũ inde minui experiantur; illeq; aceto, quod illorũ vires infringere diximus, dato, reuocetur.

Refrigerantia & humectantia, sitim quacunque de causâ genitam, emendant: sed & famem nimiam, frigore vehementi, vt aquæ frigidisśimæ magno haustu, fortè quia ventriculi actiones lædit: & aëris quoque frigidisśimi inspiratione, tolli docet Rhazes.

Hoc potisśimùm potus, ventriculum aridum egregiè madefaciens, facit: eoq; magis si actu quoque frigidus sit; & adhuc validiùs, si potentiâ etiam refrigeret. Sicuti varias eiusmodi potiones, hinc inde in morbis conuenientes, quæ sitis causâ vsurpantur, suis in locis explicabimus: hîc verò quasdam saltem adijciemus.

Aqua madore suo atque actuali frigiditate (nam potentiâ eam temperatam esse alibi docuimus) id præsertim præstat, potusq; est, sitis pellendæ gratiâ, omnibus animantibus cõmunis, & tantopere expetitus ab ægris sitientibus. Quæ & cruda; vel si quid obstat cocta, ne cruditatem & flatus procreet, exhibetur. Vel si magis refrigerare volumus, tantillo Aceti, alisve succis acidis acetositatem

illi

illi conciliantes, propinamus. Cui guttulas spiritus Vitreoli eo nomine addũt Chymici.

Aquæ atramentosæ acidæ naturales, sic bibuntur, & qui diu siti afflicti fuerũt, si diutiùs illas bibant, liberantur.

Vinum, vti vsitatus est adultis sitis sedandæ causâ potus, sic & ad præternaturalem sitim extinguendam, in assuetis præsertim, concedi potest. Cùm si vinosum sit, vti ferè nostra esse solent, non adeò calore suo, præsertim si diluatur aquâ, nocere, moderatè sumptum in certis morbis, queat.

Lac iuuenibus & consuetis idem præstat, & in quibusdam affectibus, illiusque serum in constipatione nõnunquam permittitur: in quibus verò morbis facilè corrumpitur, improbatur.

Emulsio amygdalarum dulcium, cum aqua crudâ vel coctâ extractâ, quam Lac amygdalinum vocant, ad sitim restinguendã in ęgrotantibus, communissimus est, quem Medici docent, ægriq; non respuunt, potus.

Decocta varia fiunt ad sitim pellẽdam: vti Aquæ decoctum cum pauco Hordeo. Item cum pane, ex Siligine, Rogga dicta, præsertim pisto. Item cum seminibus Cucumerũ excorticatis, vel aliis frigidis maioribus dictis. Vel si fiat cum Prunis, Cerasis, Passulis: cum Cinamomo: Vel seminibus Anisi, Fœniculi, aliisve, cùm flatus timentur.

Iuscula huc referuntur ex decocto Carnium, vel Caponis, quæ colata primùm, frigida, vt pinguedo separetur, sitis causâ, cùm magna restauratione opus, dantur.

Consueta & in vsu sunt Ceruisia, Ptisana, pro cuiusq; naturæ & morbi ratione parata.

Alia aliter fiunt, vt addito succo: ℞. Aquę mens. ij. succi Granat. vel Agrestæ ℥. ij. Sacchari ℥. ß. coquatur parùm.

Vel ex aquis stillatitiis: ℞. aquarum Acetosæ, Endiuiæ ana ℔. ij. succi Ribes, vel Agrestæ, vel Granat. ℥. iij. succi Limonum vel Pomorum acid. parùm, coquantur, addito saccharo, vel sine eo.

Iulep Alexandrinum dictum vsitatum ad sitim: ℞. aquæ Ros. ℔. j. Sacchari ℔. ß. coquantur ad consist. Diluatur ad vsum, aquâ fontis vel coctâ.

Vel sic: ℞. aquæ Fontis ℔. j. aquæ Rosar. ℥. iiij. succi Cerasorum vel Agrestæ ℥. ij. Sacchari ℥. iiij. coquantur parùm, vel ad consistentiam, si dissolui debet.

Syrupi varij acidi, imprimis de Ribes, de Agresta, de succo malorum Medicorum, vel etiam vulgariũ, de Cerasis, Prunis, de Granatis, de Acetosa. Vel ex aceto parati, vt Acetosus, Oxysaccharum, sic dissoluta in aqua fontis, vel stillatitiis, aut vtrisque, dantur. Et si dulcia non respuant, syrup. Violaceus.

Anguriarum maturarum succus exsuctus, ad sitim sedandam, valde in vsu est, illic vbi bene maturescunt. Quod & è granatis recentibus priùs sæpè pressis & perforatis, vtiliter fit.

Præter hæc, in solidiore formâ, multa masticata & sensim deglutita, licet minùs quã quæ bibuntur madefaciant; vel deuorata, sitim compescunt.

Qualia sunt ex acidis, Acetosa, Trifolium acetosum, mansa, Lactuca, Portulaca, Endiuia, Cichorea, Buglossi vtriusque flores, in acetariis.

Brassica capitata, Rapæ, Poma, cocta, aciditatemque adepta, addita racemis Berberis, sicuti condiri solent.

Medica mala, Poma, Cerasa, Pruna, Mala Punica, Ribes, Berberis, Vua crispa, Passulæ, Vuæ, acida præsertim vel saltem vinosa, recentia, vel etiam siccata rursumq; macerata, vt Pruna, Cerasa, Passulæ, comesta sitim extinguunt: minùs si Saccharo condita dentur.

Ex dulcibus, licet ea sitim plerisq; augeãt, tamen quibus grata sunt, vt senibus, radix Liquiritiæ masticata recens, sitim sedat.

Saccharum item candum, & præcipuè è syrupo Violaceo sumptum, refrigeratum ore retentum, Manna item: & Saccharum ros. tabul. vel Manus Christi commesta: & conser. Rosarum præsertim, si cum spiritu Vitreoli, ruborem & aciditatem contraxerit, & conserua Violarum: conditũ caulium Lactucarum, & carnis Cucurbitarum, Citri.

Vel hoc modo electuarium paratum: ℞. conser. Ros. ℥. ij. conser. Acetosæ ℥. j. conseru. Viol. Bugloss. Nenuph. ana ℥. ß. rob de Ribes q. s. & prout acidulum esse cupimus; Vtatur.

Linctus ad idem paratur: ℞. mucilag. seminis Psyllij, Cytonior. vel gummi Traga-

chant. extractæ cum aqua Rof. addito Sacc- charo, vel Syrupo conuenienti.

℞. mucilag. prædictarum ℥.j. syrupi de Agresta ℥.ß. Sacchari parùm: fiat linctus.

Vel semina Psyllij, Cytoniorum, sacculo indita, addito Saccharo, refrigerataque in aqua. Sæpè linguæ imponantur.

Trochisci in ore eandem ob causam donec sensim diffluant, retinentur: ℞. medullæ 4. sem. frig. mai. ana ʒ. j. sem. Portulacæ, Amyli, succi Liquirit. ana ʒ.ß. incorporentur cum inf. gummi Tragach. fiant formulæ.

Oris refrigeratio actualis plurimùm iuuat. Si sæpè colluatur Aquâ frigidâ, addito præsertim Acero; brodio item Brassicę conditæ, vt dictum; vel aquâ stillatitiâ Rosarũ, Vitium, Acetosæ, &c. Et si in ore Chrystallum refrigeratum, vel Lapillos, vel etiã Glaciem teneant, sæpeque permutent.

Sunt qui Mucilaginibus seminum, & oleo Rosaceo, linguam illinunt.

Aër frigidus inspiratus frequenter, non quòd refrigerando pulmones, sitim illorum causâ tantum factam, emendet, sed quia calorem in genere corrigit totius corporis, quia succingentem oris tunicam stomacho & ventriculo connatam, refrigerat, vt minus sitiant, efficit.

Sicuti & aliæ externę refrigerationes, per Balnea, Pedum & extremitatum lotiones, Linteaminum, Indusiorum mutationes, idem efficiunt.

Quod & Epithemata hepatis cordisq; regioni adhibita, præstant.

Colli & gutturis inunctio ex ol. Violaceo, Nenupharino, de Salicibus, Papauerino, aliquid quoque adiumenti adferre creditur.

Sunt qui & caput ijsdem oleis, ad sitim in febribus corrigendam, inungunt: consensu, quod caput cum ventriculo neruorum causâ habet, iuuare existimantes: quòd ego quia somnum prouocat, illud facere potius existimauerim.

Somnus sitim sedat, vt inquit Hipp. non quòd humectet, vti voluerunt: sed quia per somnum calor ad exteriora potius feratur, sicuti hoc sudores, qui tunc faciliùs fiunt, satis declarant.

Quies, cùm per eam corpus minus incalescat, minusq; humor dissipetur, conuenit.

Quò & pauca locutio, cùm multa sitim augeat, refertur.

DE HÆMORRHAGIÆ DEFECTV.

Cap. XIV.

Genera.



HÆMORRHAGIARVM, quas natura certo tempore, per certas vias molitur vtiliter, defectus, ꝓ ratione loci primùm differunt: prout nimirum illæ vel nõ fiunt, vel non sufficienter, quæ per vterum, vel podicẽ, vel nares, aut alia loca fluere debebant.

Quæ per vterum fit in fœmineo sexu sanguinis euacuatio menstrua dicta, singulis mensibus toto ætatis tempore, annis quadraginta quodammodo comprehenso, quo fœmina ad conceptum habilis est, & nec vterum gestat, nec lactat, consueta & necessaria, si deficiat, Mensium suppressio dicitur. *Mẽstruorum suppressio.* Hæcq; varians quòd vel nunquam quibusdam, quod tamen rarum est, etiam citra incõmodum menses fluxerint: quæ ideò quasi virilem naturam induissent, Viragines dicuntur. Aliis verò etsi manarint, postea cessarunt, nec ampliùs redierunt. Aliis toto anni spacio, vel mensibus aliquot substiterunt. In quibus, primùm lassitudo spontanea sese offerens morbos præsagit: Dein cardialgia, appetitu prostrato, & nausea, in vomitionem aliquando tendens, infestat: Cordis & arteriarum palpitatio molesta est: Capitisq; dolores adsunt: Insomnia grauia mentem perturbant: Pallor faciei & liuiditas, vitium hoc prodit: Vrinarum cruditas inter reliqua signa quoque demonstrat. Quæ vt præter naturaliter menstruis suppressis, in plethoricis magisque in cacochymicis succedunt; ita etiam naturaliter cessantibus mensibus in puerperis quibusdam, ex illis accidentibus, quædam illis eueniunt: & vomitus inprimis mensibus admodùm vrget easq; afficit. Ad hunc defectum, si parciùs quàm constitutio cuiusque requirebat, fluant, refertur.

fertur. Vt cùm minori quantitate quàm par erat, redduntur. Aut vix vnum aut alterum diem perseuerant. Quod si frequentiùs accidat, damnum quoq; tandem inferre solet.

Purgationis post partum defectus.

Est & alius, qui partum mox subsequitur, per vterum sanguinis effluxus, necessarius, per dies aliquot perseuerans, abundantiúsque quàm menstruus fluxus fluens: quem Purgationem post partum appellant. Quæ si nõ fiat, aut diminutè, morbis grauissimis, dolori colico, conuulsionibus, aliisque occasionem præbet.

Hæmorrhoidum suppressio.

Per podicem in vtroque sexu sanguinis effluxus, hæmorrhois generali vocabulo appellatus, quibusdam saltem naturis consuetus, vel semel in anno, vel certo anni tempore, deficere dicitur, si tunc solita hæc euacuatio, illis præsertim quibus peculiaris fit, non superueniat: vocaturque Hæmorrhoidum suppresio. Quem defectum tunc potissimùm explicant Medici, si qui eo laborant, accidentia quædam patiantur, quæ ex retentis hæmorrhoidibus prouenire cognoscant: in illis præsertim quibus priùs aliquando hæmorrhoides fluxerunt, & tunc suppressæ sunt, cùm cacochymicos morbos, vt cacexiam, febrem quartanam, melancholiam, aliosque similes patiuntur. Verùm & ægri ipsi, cùm hunc fluxum fastidiant, nec expetant, proin nec de illius effectu conqueruntur; tunc maximè ex illius suppressione se malè habere & affici præsentiunt, quando venæ hæmorrhoidales inflatæ, magnum cruciatum illis adferunt, neq; aperiri, quod necesse erat, possunt, quas Cæcas hæmorrhoides vocant.

Narium Hæmorrhagiæ defectus.

Per nares, hæmorrhagia generatim sic dicta, quæ suo tempore facta, quibusdam naturalis est euacuatio, plethoricis imprimis iuuenibus & viris consueta, cùm alias illius euacuationes non habeant: mulieribus item quibus menses decenter non fluunt: & grauidis quandoque: virginibusque antequam menses erumpant: & in morbis interdum critica, aut aliàs necessaria euacuatio, si subsistat, huc quoq; referri potest: cùm in ea prouocanda Medici tunc quoque laborent.

Partium aliarum Hæmorrhagiæ defectus.

Per alias vias si sanguis effluat, etsi quandoque iuuet, tamẽ cùm non adeò fiat secundùm naturam, aut Medicus id moliri soleat, si non fiat, ad defectus hæmorrhagiarum naturalium pertinet.

Causæ.

HÆmorrhagiarum dictarum defectus, vel ob sanguinis qui fluere debebat, penuriã aut vitium accidit. Vel ob venarum obstructionem, aut coarctationem euenit.

Cùm in fœminis eâ ætate, quâ ad conceptum maturæ habilesque sunt, non tantùm sanguinis ea quãtitas, quæ pro corporis nutritione necessaria erat, sufficiat, sed & pro fœtus enutritione, maior adhuc illius, singulis mensibus requiratur, & circa venas vteri colligatur, isque si illo mense conceptus fiat, ad illius augmentum & nutritionem retineatur, si verò non cõcipiat, absoluto mense è corpore repurgetur: si copia hæc sanguinis desit, aut non sufficiens adsit, menstruorum quoque fluxus vel nullus, vel diminutus erit. Quæ penuria sanguinis, etsi à diuersis causis procedere possit, non tamẽ omnes causam huic suppressioni præbent.

Cõstitutio virilis, causa Mensiũ suppressorum.

Constitutionis cuiusdam peculiaris occasione, sed rarò euenit, vt fœminæ inueniantur, in quibus, vti natura, cùm ad cõceptum nondum idoneæ sunt, non plus sanguinis quàm corpori nutriendo opus erat, generat, sic & deinceps in illis iam ad concipiendum aptis, hanc moderationem seruat: quæ proin etiam sine noxâ menstruis destituuntur, atque steriles ob hunc defectum, manent. Quam illarum hanc constitutionem, quia cum virili nonnihil conuenire videtur, virilem vocant, ipsasque Viragines appellant.

Parsimonia in cibis, causa Mẽsium suppressorum.

Ob succi è quo sanguis gigni debuit defectum, vt menses parciùs potius fluant, quàm omnino desinant, accidit: cùm natura consuetum hunc ordinem, etiam in sanguine non adeò redundante, nihilominus seruet. Fieri tamen potest per longam inediam, aut ciborum paucioris succi diuturniorem vsum: & in morbis potissimùm, in quibus ob longam abstinentiam corpus marcescit, vt in mensibus defectus aliquis se offerat.

Sanguinis per alias vias effusio.

Absumpto quoque in morbis acutis sanguine ob caloris vehementiam, si diu persisteret, idem euenire posset: sed quia breues

causæ suppressorũ mensium & Hæmorrhoidum. sunt, in illis calor potius intempestiuum vel immoderatum fluxum concitat, quàm supprimit, sæpè etiam vt in crisi superueniens, morbum soluat, facit. Quod & à nimiis euacuationibus, vt magis promoueantur, comcommotâ per eas excretrice facultate, quàm sistantur menstrua, euenit. Nisi hoc per magnas fiat hæmorrhagias: inter quas & hæmorrhoidum nimius fluxus, menstruum sistere vel imminuere potest: & vice versâ mẽstruorum fluor, hæmorrhoides, & vtrumq; narium hæmorrhagia, aliæq;, & econtrà, hæ illas. In quibus tamen hæmorrhagijs, non tàm quòd sanguis nimiùm profundatur, quàm quòd ad alia loca deriuetur, fluores dicti subsistunt, vel segniùs fluunt. Quæ & præcipua hæmorrhoidum suppressorũ causa est, quòd natura illuuiem illam nõ ad venas hæmorrhoidales deriuat, sed alibi retinet, aut aliò propellit.

Sanguinis vitium menstruorum suppressioni, vti & hæmorrhoidum, sæpius occasionem præbet. Si tale sit, quod illum minus fluxilem reddat. *Crassities sanguinis, causa Mensiũ suppressorum.* Vti fit si crassior quàm illius natura requirebat, fiat: vel ciborum ingestorum crassiorem succum gignentium causâ: vel quia sero minimè dilutus, vehiculo hoc suo destitutus, crassescit. Quæ & causa, quòd in cacecticis & hydropicis, sero è venis exudante, menstrua suppressa sint, sectaque venâ, crassus sanguis potius quàm serosus detrahatur. Sed & coralli alicuius rubri vel etiam albi instar, si illum congelari contingat, qualem alij quoq; se vidisse prodiderunt, & nos è venis aliquando extraximus, illud longè magis efficiet.

Cruditas & impuritas sanguinis, causa Mensiũ suppressorum. Crudus quoque sanguis, aut aliàs impurus & cacochymicus, non solùm ob crassitiem, si modò crassus simul sit, (sicuti aliquando è vena secta, sanguine extracto & concreto, in superficie illius eiusmodi tenacem & crassam, in cutem veluti cõdensatam materiam extensam videmus) sed & quia laudatus minimè est, sed vitiosus, vt à naturâ minimè menstruatim euacuetur, in causa est: quæ vt fœtui prospiceret, laudatũ & purum potius sanguinẽ ad vterum, quàm impurum, quo minimè fœtus frui potuisset, sicuti & in modò natis purissimum mamillis, ad lactis generationem demandare solet, & proin cùm talis non est, natura in eo propulsando minimè sollicita, vt menstrua non fluant, accedentibus præsertim aliis quoq; impedimentis, vt obstructione, de qua mox dicetur, occasionem præbet. Quæ & causa, quòd cacecticis, leucophlegmaticis virginibus, menstrua, quamdiu vitioso sanguine scatent; retenta sint, donec rursum sanguine repurgato, coloreque viuido redeunte, ad menstruas pristinas expurgationes redeant. Ex quo satis quoq; patet, menstruum hunc fluxum naturalem, non, vti communis est opinio, ad vitiosi sanguinis euacuationẽ, cùm si is superabundet, fluxus hic potius cesset, à natura institutum esse, & proin non quod qualitate peccet sanguis, sed quantitate redundet, euacuari: aut si eiusmodi redundantia, per hæmorrhagias vteri, vel menstruo tempore, aut extra hoc expurgetur, etsi eo quòd corpus purgat, iuuet, pręternaturalem tamen, sicuti & tunc immoderatiùs plerunque, nulloque ordine fluere solet, existere. Qualem & mulieribus, quibus iam ob ætatem menses desierunt, nihilominus frequenter accidere, in hęmorrhagijs immoderatiùs fluentibus, ostendemus. Nec nos mouere debet, quòd hæc sanguinis impuritas hæmorrhoidibus, vt fluant, occasionem præbet, cũ huius fluxus longè alius quàm menstrui sit vsus & ratio. Qui &, licet per eum crassus fœculentusque sanguis expurgetur, nisi quid aliud obstet, & à natura ad venas hæmorrhoidales deriuetur, facilè tamen in consuetis, per illas expurgabitur.

Obstructio venarum, hæmorrhagiarum naturalium defectuum, causa interdum existit; *Obstructio in visceribus & extra hæc causa suppressorũ Mensiũ & Hæmorrhoidum.* Imprimis in visceribus & vasis maioribus, vel illis quæ ad partem per quam sanguis fluere debebat, pertinent, facta. Idque, quòd illius naturalis distributio & deriuatio ad partes, per quas illum excerni oportebat, impedita sit: sicuti videmus per cucurbitam visceribus admotam retracto sanguine, aut aliàs per venam sectam reuulso, quia cursus hic illius sistitur, hæmorrhagias cessare, contrarioq; motu in pede sanguine detracto eo ad inferiora commoto, menses moueri. Hincq; cacecticis, non tã quòd impuro sangui-

sanguine redundent, de quo priùs dictum, quàm obstructionum harum causâ, mẽstrua supprimuntur. Et obstructionibus factis in venis meseraicis, hæmorrhoides consuetæ nõ ampliùs fluunt, ob eamq; causam postea in graues morbos, qui ob putredinem & impuritatem, à sanguine venarum meseraicarum nascuntur, vt febres, melancholias, epilepsias incidunt: à quibus vix, nisi hæmorrhoides redeant, liberãtur. Verùm & in ipsis partibus quæ sanguinem effundunt, si hæc obstructio fiat, fluxus illius intercipitur menstruus, si venæ ceruicis vteri, vel quæ post partum fit expurgatio, si etiam venæ vteri obturatæ sint: hæmorrhoidalis aut narium hæmorrhagia, si illis in locis hoc fiat. Idque vel ipso sanguine crasso, tenaci, illic subsistente, sibiq; viam prçcludente, aut alioquin concreto & grumoso, qui post partum, purgationes solitas, frequentiùs præcludit: aut ab alijs humoribus.

Obstructio in vasis partium per quas sanguis fluit, causa Mensiũ, Hæmorrhoidum, & Purgationis post partum defectus.

Coarctatio etiam venarum in illis locis, osculorumq; illorum occlusio, sanguinis fluxum supprimit. Quod aliquando à pinguedine nimia, venas, illorumq; orificia oblite-rante, si copiosior vteri venis adnascatur, ꝓdire docent: Aut è callo seu cicatrice, post vteri exulcerationes relicta: Vel alio aliquo duro scyrrhosoque tumore. A' quibus posterioribus, etiam podicis venæ hæmorrhoidales occludi possunt. Imprimis verò, si in tumorem hæ venæ eleuatæ, qui interdum durus & verrucosus est, sanguinem, quo impletæ sunt, naturaque euacuare nititur, profundere nequeant: sicuti in dolentibus hæmorrhoidibus cæcis dictis explicabitur. Conformationis vitio, ab ortu, vterus sic potest esse formatus, vt vel venæ hæ desint, aut penitus occaluerint, in illis quibus nunquam menses fluxerunt, viraginibus.

Pinguedo, causa Mensiũ defectus.

Callus, cicatrix, Scyrrh⁹, causa Mensiũ & Hæmorrhoidum suppressorũ.

Tumor verrucosus, causa Hæmorrhoidum suppressorũ cum dolore.

Cõformationis vitium circa vterũ causa suppressorũ Mensiũ.

Ab intemperie vteri frigidiore, (vti volũt & mulieres sibi potissimùm persuadent, & proin adeò à frigore sibi cauent, & à frigidis cibis abstinent, & si illis menstrua cessent, quòd certis cibis, frigidioribus imprimis vsę sint, inde accidisse credunt) si fiat menstruorum defectus, cùm adeò hæ partes, vt venarum astringantur orificia diuque constricta maneant, refrigerare difficulter possint, vix hoc euenire potest. Nisi hoc ea ratione, quòd frigiditas, vt sanguis minùs aptè fluat, efficit, cõtingat. Aut si frigiditas ea dicatur, quæ calore partis natiuo debilitato, superuenit, ꝙ tũc facultate expultrice lãguidiore existẽte, menstrua rariùs vel parciùs fluant, accidit.

Imbecillitas vteri, causa Mẽsium deficientium.

Curatio.

IN mensium defectu (de reliquis enim postea agemus) hęc methodus obseruanda. Si eo ætatis tempore, quo mulier non fœcunda est, menstrua non fluant, quia hoc naturale est, mutari minimè debet: Proin nisi præteritis iam pubertatis annis, qui decimoquarto ætatis in alijs citiùs, in alijs tardius incipiunt, nondũ fluxerint; vti plerunque in virginibus accidit malè tunc coloratis & affectis, priùs cura nulla instituenda. Et si annis quatuor, quinque vel sex ante quinquagesimum menstrua cessarint, non amplius reuocanda sunt. Nec eo tempore, quo mulier fœtum conceptũ, proprio sanguine, aut in lucem editum eo in lac conuerso enutrire debuit, etsi plus sanguinis quàm fœtus absumat, in ea cumuletur, & in quibusdam menstrua adhuc aliquoties se manifestent; neq; in grauidis, etsi accidentia quoq; quædam, quibus menses deficere solent accidunt, primis mensibus appareant: neq; in lactantibus, temerè menses ciere oportet. Vt nec illis septimanis, etsi menses prouocandi sint, quibus priùs non fluxerunt, nisi hoc ad præparationem corporis fiat; sed ea demum septimanâ, quâ menses antè fluere consueuerant, aut indicia quędam ac si fluxurę quidem essent, si modò possent, quod ex supputatione, dolore dorsi, aliisque coniecturis sese offerentibus assequimur, aut eo tempore, quo se quidem manifestant, sed leuiter tantùm, & gutta vna aut paucæ tantùm apparent; menses prouocantia, validiora præsertim exhiberi adhiberique debent.

Mẽstruorum suppressorũ cura.

In illis quæ ab ortu, ob naturam virilem, aut constitutionem vteri occlusam, à mensibus immunes & steriles sunt, menstruum fluxum ordinarium reddere, impossibile.

Ob sanguinis defectum, si menstrua purgatio cesset, aut imminuatur, frustra eam ꝓuocare in macilẽtis & attenuatis tẽtabimus, sed

sed potius vt is reparetur, bonâ viuendi ratione studebimus; tuncque sponte redit, vel facilè in ordinem suum reducitur. Si verò aliò raptus, non ampliùs per vterum effluat, eò reducendus erit.

Si vitium sanguinis, aut obstructiones in visceribus factæ in causa sint: hisce soluendis & repurgationi sanguinis intendendũ, admixtis ijs, quæ muliebria ducunt. Quæ &, si hæmorrhoides, remanẽte impuro sanguine in venis meseraicis, non fluant, locũ habent.

Durities callosa, scirrhosa, vteri ceruicis, si menses impediat, hæc prius auferenda, dein menses, nisi per se redeant, sollicitandi. A pinguedine si vteri venæ occultatæ sanguinem minimè profundant, ieiunio illum absumere oportet.

In reliquis causis, ab humorum crassitie, & ab vteri venarum obstructione profectis, aut refrigeratione, sicuti & in aliis, quando menses mouere consultum est, sequẽti modo procedendum.

Purgantia per aluum conueniunt, si à sanguinis vitio & impuritate menses subsistãt: quæ, etsi facultatem expultricem stimulando, deiectiones promoueant, quia tamen simul vteri venarum vim sollicitant, eâ quoq; ratione menses prouocant: ob quam causam etiam illis quibus fluunt menses, ne nimiũ fluant, cathartica exhibere veremur, & in illis quibus substiterunt, plus sæpè catharticis, præsertim si ea quæ menses simul mouent, illis commisceantur, quàm aliis, quæ tantùm menses propriâ vi mouent, efficimus. Quæ nos prout pituitosos, vel biliosos, aut melancholicos humores redundare cognoscimus, seligimus.

Præmittitur autem alui lenitio ex Catholico, Tryphera, Hiera & similibus.

Præparatur dein humor: ℞.syrup. de Artemisia, de quinque Radicibus ana ℥.j.ß. Oxymel. simpl. ℥.j. aquarum Artemisię, Matricariæ ana ℥.ij. aq. Pulegij, Nepetæ ana ℥.j. fiat iulep. pro trib. vel quatuor dosibus, aromat. Cinamomo.

Vel hoc decocto: ℞.quinq; rad. Aperit. in vino macerat. ana ℥.ß. rad. Rubiæ mai. Eryngij ana ʒ.vj. rad. Valerianæ ℥.ß. herb. Artemis. Pulegij, Matricariæ, Melissæ, Nepetæ, Chamædreos, Chamæpith. Thymi ana M.j. summit. Lupul. Cicerum rub. ana P.j. baccarum Lauri ℥.ß. sem. Anisi, Fœnic. ana ʒ.ij. sem. Petrosel. Cuscutæ ana ʒ.j. fl. Rosmar. Sambuci, Buglossi vtriusque ana P.j. rad. Polypodij ℥.j. fiat decoctio, cuius colatura dulcoretur Saccharo & aromat. Cinam. Pro diebus aliquot bibenda.

Dein purgabitur hac potione: ℞.Catholici ʒ.vj. Agarici troch. ʒ.j. sp. Benedictæ lax. ʒ.ß. Croci gr.v. cum saccharo fiat bolus: Vel bibat cum vino Antos. vel Absynthite.

Vel sic in biliosioribus: ℞.Trypherę Persicæ ʒ.vj. Rhabarbari el. ʒ.j. Spicæ ℈.j. el. de succo Ros. ʒ.j. syrupi Rosar. sol. ℥.j. cum aqua Buglossi & Fumariæ, fiat potio.

Vel hoc decocto: ℞.rad. Liquiritiæ ℥.j. Cicerum rub. P.j. Artemisiæ M.j. sem. Anisi, Fœnic. añ. ʒ.ij. flor. Cord. P.j. rad. Polyp. sem. Carthami, fol. Senæ ana ℥.ß. Epithymi ʒ. ij. fiat decoctio: infunde Agarici trochisc. ʒ.ij. fiat expressio; adde syr. Rosar. sol. ℥.j. fiat potio.

Vel per puluerem: ℞.Turpethi ℈.iiij. Agarici ℈.ij. Cinam. Zingib. ana ʒ.ß. Salis fossilis ℈.j. Croci gr.v. Sacchari ʒ.ij. fiat puluis: sumat cum Vino albo infus. Artemisiæ: vel aliâ ratione.

Vel per pilulas: ℞.spec. Hieræ & Bened. lax. ana ʒ.ß. pilul. Fœtidarũ ℈.j. vel plus si fortiores esse velis, cum Vino albo, fiant pilulæ.

Per vices purgantia mensesq; simul mouentia, eâ septimana quâ mẽses instare coniectamus, commodè exhibentur: quæ etiam inter ea quæ sumuntur medicamenta, citiùs illud, vti dictum, præstant.

Imbecilliorib. & virginibus leuiora dantur: & quia amara menses mouent, in forma pilularum præcipuè: quales hæ sunt: ℞. Aloës ʒ.j.ß. Agarici, Rhabarbari ana ʒ.j. Myrrhæ, gũmi Ammon. dissoluti in Aceto, rad. Gentianæ & Azari ana ʒ.ß. Spicæ, Cinamomi, Masticis añ. ℈.j. Croci gr.v. cum syr. de Artemisia, fiat massa: capiat ʒ.ß. vel ℈.ij. acuuntur interdum addito Diacrydio.

Vel fit infusio: ℞.rad. Cichoreæ, Petrosel. Fœniculi añ. ℥.ß. rad. Azari ʒ.ij. Absynthij, Artemisiæ ana ʒ.j.ß. fol. Senæ ℥.j. Rhabarbari ʒ. ij. Spicæ ℈.j. Agarici ʒ.ij. Zingib. ʒ.j. conquassentur ꝑ Vino: Pro duabus vel trib. vicibus.

Fortio-

Fortioribus & ex pluribus concinnatis, in forma syr. ad vsum sic paratur: ℞. rad. Aperitiuarum ℥. j. ß. rad. Liquiritiæ, Pæoniæ rec. ana ℥. j. rad. Ireos, Azari, Rubiæ mai. Eryngij, Dictamni albi ana ℥. j. radic. Aristoloc. Valerianæ ana ℥. ß. Cyclaminis ʒ. ij. herb. Artemisiæ, Matricariæ, Pulegij, Maioranæ, Melissæ, ana M. j. herb. Sabinæ, Serpilli, Marrubij, Cardui ben. Thymi ana M. ß. flor. Rosmar. Sambuci, Cordial. ana P. j. flor. Cheiri P. j. ß. Cicerum rub. P. j. baccar. Iuniperi & Lauri ana ℥. ß. sem. Anisi, Fœnic. ana ʒ. ij. semin. Cuscutæ, Apij, Petrosel. Leuistici ana ʒ. j. Passul. ℥. j. ß. Ficuum num. x. fiat decoctio in Aqua & Vino, & in colatura infunde rad. Polypodij, sem. Carthami ana ℥. ij. ß. fol. Senæ ℥. j. ß. radic. Bryoniæ siccatæ ℥. j. iterum coquantur & colentur, infunde Agarici, Turpethi ana ℥. ß. & si validam operationem requiris Hellebori ʒ. j. Zingib. ʒ. j. ß. denuò bulliant, sed leuiter, colentur: adde Sacchari ℥. j. ß. coquatur ad consistentiam syrupi, de quo sumat ℥. j. augendo vel minuendo dosim prout operabitur: cum iure Cicerum, bis aut ter: instante tempore mẽstruo: vel in plenilunio, quod idoneum ad hæc esse putant.

Infusio in vino ex amaris & efficacibus, prius siccatis, id quoq; præstat: ℞. radic. Azari ℥. ß. radic. Cyclaminis ʒ. ij. rad. Gentianæ ʒ. j. ß. herb. Absynthij, summ. Centaurij, Sabinæ, Marrubij, Carduibened. ʒ. ij. Maioranæ, Pulegij ana ʒ. j. flor. Anthos, Cheiri ana ʒ. ij. sem. Fœnic. Apij ana ʒ. j. fol. Senæ ℥. j. Agarici, radic. Bryoniæ ana ℥. ß. Turbith ʒ. ij. Zingib. ʒ. j. puluerisetur, infundantur in Vino vt superemineat duobus digitis: & vtatur diebus aliquot loco syrupi.

Quæ mensium prouocandorum causâ per os exhibentur remedia; Vel quia sanguinẽ augent in exanguibus fœminis, vt hic fluxus redeat, occasionem præbent: quod, quę corpus bene saginant, efficiunt. Vel quòd calefaciendo & attenuando sanguinem fluxui aptum reddunt: atq; venarum oscula aperiunt, eâdem ratione vt diuretica, à quibus hæc non admodum differunt, id faciunt. Accedente fortè proprietate quoque aliquâ nobis incognitâ: de quibus hîc agemus.

Præparantur autem varijs modis, & exhibentur tempore quo menses aliàs fluere solebant, ieiunis. Aliquando etiam cùm balneum intrant, vel ex eo egrediuntur, sic enim potentiùs operantur, & vnum aliud adiuuat: Vti & ante venæ sectionem in pede. Quorum exempla præcipua sequuntur.

Inter ea quæ in cibis sumuntur, iusculum hoc sæpè sumptum conuenit: ℞. Cicerum rubr. P. j. radic. Petros. ℥. ij. flor. Borrag. P. j. Porrorum vel Cæparum mund. num. j. decoquantur, sumat ius, Butyro & Sale decenter conditum, & Croco & Cinam. aromatizatum, quod singulis matutinis bibat.

Acetarium ex Nasturtio, Sio, addito Raphano & Cæpis, comestum sæpè in robustioribus conducet.

Ex medicamentosis in substantia, dantur in formâ pulueris per se, cum vino, aquis, decoctis, aliísve liquoribus, vel cum melle, melicrato, hydromellite, aliísve syrupis: vel cum saccharo, & tunc tabulæ formantur: vel fiunt electuaria aut pilulæ, superbibendo quoq; liquores.

Puluer es autẽ sic fiunt. Primus: ℞. Croci ℈. ß. Maceris, Cinamom. ana ℈. j. fiat puluis; Bibat aliquot matutinis.

Secundus: ℞. semin. Nigellæ ʒ. ß. Myrrhæ ℈. j. Cinam. ʒ. j. Croci ℈. ß. fiat puluis.

Tertius: ℞. trochisc. de Myrrha, sine assâ fœtidâ ob fœtorem, ʒ. ß. sem. Nigellæ, Boracis ana ℈. j. fiat puluis pro vnâ vice.

Quartus: ℞. rad. Azari, fol. Sabinæ ana ʒ ß. sem. Paludapij, Petrosel. ana ʒ. j. Cinam. ʒ. ß. Croci ℈. j. Myrrhæ, Succini ana ʒ. ß. fiat puluis: capiat ʒ. j.

Quintus: ℞. rad. Azari, Dictamni albi, Rubiæ, Ireos ana ʒ. ß. radic. Cyclami. fol. Sabinæ, Pulegij, Rutæ, flor. Cheiri, sem. Nigellæ, cort. Casiæ fist. & Casiæ ligneæ, ossium Dactylorum ana ℈. j. Cinam. ʒ. j. Schœnanthi ℥. ß. Croci ℈. ß. fiat puluis: Pro pluribus vicibus.

Sextus: ℞. ossium Dactylor. Borracis, sem. Lauandulæ ana ℈. j. Maceris ℈. ß. Croci gr. v. fiat puluis, pro vnâ vice sumendus.

Septimus ex splene paratur, quod remedium singulare perhibetur, potest sic parari: ℞. Splenem bouis iunioris castrati, torrea-

tur in clibano, cuius ℥. j. addito Cinam ℥. ß. Croci gr. iij. puluerisata, cum decocto Cicerum vel Pisorum, sæpè propinetur. Paracelsus ipsius essentiam elicit atq; exhibet.

Salia chymistarum probantur, Artemisię, Melissæ, & radicis Chelidonij.

Inter electuaria, Theriaca diatessaron ad ℥. j. exhibita, ad menstrua prouocanda approbatum est remedium.

Tryphera magna sine opio, ad ℥. j. ß. propinata idem præstat.

Electuarium Hæmagogon, præter quod alias sanguinis excretiones iuuat, imprimis in sanguine menstruo euacuando valet, si illius ℥. j. vel ij. exhibeantur.

Electuarium de Scoria, vel limatura Ferri Rhazis, ad quantitatem castaneæ propinatum, quoque confert: in cacecticis præsertim fœminis.

Aliud sic parari potest: ℞. radic. Aristol. Ireos, Rubiæ ana ℥. j. fol. Sabinæ, Marrubij ana ℥. ß. Schœnanthi, Spicæ, Xyloaloes ana ℈. j. gummi Laccæ ℥. ß. cum Melle fiat electuarium: Vel datur alio modo.

Efficacissimum hoc est: ℞. succi Mercurialis & Mellis ana æquales par. coquantur in formam syrupi: quo excipe puluerem semin. Nigellæ, addito pauco Cinam. & ℈. ß. Croci, donec spissum fiat electuarium: De quo sumat cochl. j. Vel si inspissare velis, vt pilulæ formentur, eâ formâ deglutiat.

Conseruam Borraginis cum Vino, pro secreto habent in hoc casu mulieres.

Inter pilulas, vsuales de Castorio pilulæ exhibitæ, menses educunt.

Ex trochiscis, de Myrrha, qui ad menses mouendos potissimùm in vsu sunt, rectiùs, ob fœtorem assæ, quam si alia forma eas sumerent nemo ferre posset, pilulas ex illis parabimus, & aliquot exhibebimus.

Vel hoc modó: ℞. trochis. de Myrrha ℥. j. Castorij ℈. ß. cum succo Artemisiæ, fiant pilulæ paruæ; & sumat.

Vel hoc pacto: ℞. Myrrhæ ℥. j. Aloës ℥. ß. sem. Lupinorum & Nigellæ, radic. Rubiæ tinct. Gentianæ ana ℥. ß. Croci ℈. j. Boracis ℥. ß. cum syr. de Artemisiâ fiat massa: capiat ℥. ß. pro vice.

Vel ex lachrymis: ℞. Myrrhæ ℥. j. Galbani, Assæ fœtidæ ana ℥. ß. Castorij ℈. j. Croci ℈. ß. sem. Nigellæ, rad. Azari ana ℈. ij. cum succo Sabinæ & Melle, fiat massa: capiat ℥. ß.

Vel sic: ℞. Agarici, Hermodactyl. ana ℥. ß. fimi Caprarum sylu. exiccati ℈. j. gum. Laccæ, Myrrhæ ana ℈. ij. cum syr. de Artemisia, fiat massa: capiat ℈. j.

In cacecticis virginibus ad obstructiones soluendas & menses mouendos: ℞. troch. de Capparibus, de Rhabarb. ana ℥. ß. gum. Ammon. dissol. in Aceto forti ℈. j. rad. Gentianæ, semin. Apij, Petros. rad. Azari ana ℈. ij. trochis. de Myrrha ℥. ß. cum syrupo de Artemisia, vel de Radicibus, fiat massa: capiat alternis diebus, vel triduo ℥. ß. vel ℈. ij.

Liquidâ formâ bibenda dantur, aquę, succi, decocta & infusa, vel simplicia, vel inuicem permixta: additis interdum pulueribus, electuarijs aliisve in illis dissolutis.

Aquæ elicitæ laudantur præcipuè, Artemisiæ, Sabinæ, Pulegij, Matricariæ, Melissæ, Calamenti, Mentastri, Nepetæ, Petroselini, Fœniculi, Raphani, Acori, & Cinamomi: per se datæ, vel inuicem permixtæ.

Succi conueniunt ab iisdem plantis expresi: sed magis grati sunt, succus Raphani, Eryngij, Porri: item succus ex virgultis Salicum rubrarum expressus: Vinum item album tenue: quæ cęteris pmixta sumũtur.

Vel hoc modo: ℞. succi Raphani & Eryngij ana ℥. ij. succi rad. Ireos ℥. j. additâ Sacchari æquâ portione: Detur ℥. j. ß. cum Vino.

Vel sic: ℞. iam enarratos succos, addendo succi Artemisiæ, Pulegij, Petrosel. añ. ℥. j. Sacchari æquas ad omnia portiones: coque in formam syrupi: Da ℥. j. ß. vel plus, cum Vino, vel per se.

Decocta vel infusâ in aqua vel vino, vel alio liquore, fiunt ex prædictis plantis, ad hũc vsum, ex quibus aquas elici diximus. Et, prærer hæc Cicerum decoctum valde hîc commendatur: seminis item Iuniperi & Lupulorum: Item Phasæolorum, Pimpinellæ, florum Chamomil. & Hordei quoq; decoctum.

Ex his fiunt composita hoc modo: ℞. Artemisiæ, Pule. Melissæ foliorum siccator. ana ℥. iij. baccarum Lauri, Iuniperi, ana ℥. ß. decoquantur in Vino: Bibat.

Vel

Vel sic: ℞. radic. Paludapij, Apij veri Fœniculi ana ℥. j. ß. Cicerum rubr. Hordei ana P. j. decoquantur, addendo in ℔. j. Mellis crudi ℥. iiij. Vini ℥. ij. iterum bulliant, despumentur: Bibat aliquot vicibus.

Vinum amarum valde efficax: ℞. radic. Gentianæ, Valerianæ sicc. Azari ana ʒ. ij. radic. Rubiæ mai. ℥. ß. Scyllæ præpar. ʒ. j. herbar. Absynthij, Cardui bened. Artemisiæ, Sabinæ, Rutæ sicc. ana ʒ. iij. infundantur in Vini mens. j. bulliant in duplici vase: Bibat de eo ℥. iij.

Vinum ex infusione aromatum & mellitum quoq;, mensium fluxum iuuat: Hippocraticum vel Claretum dictum.

Syrupus ad vsum sic paratur: ℞. rad. Aperitiuarum ana ℥. ij. rad. Eryngij, Rubiæ mai. ana ℥. j. rad. Azari ℥. ß. herb. Artemisiæ, Pulegij vtriusque, Serpilli, Sabinæ, Melissæ, Calamenti, Nepetæ, Rutæ ana M. j. florum Anthos, Camomil. odor. Cheiri, Genistæ, Hyperici ana P. j. semin. Apij veri, Leuistici, Fœniculi ana ʒ. ij. Cicerum rub. P. j. granorum Iuniperi P. ß. fiat decoctio in Aqua & Vino, & in colaturæ ℔. iij. dissolue Mellis crudi ℥. vj. decoquantur & despumentur: & vtatur. Vel redigatur in formam syrupi, vt ad vsum seruari queat.

Syrupus de Artemisia, de Calamenta, de duabus & quinq; Radicibus, Oxymel. simpl. compos. diureticum & scylliticum, vsitati ad hæc asseruantur.

Potiones aliæ ex horum omnium mixtura variè fieri possunt. Exempli gratiâ: ℞. syr. de Artemisia, ℥. j. ß. aquarum Pulegij, Melissæ ana ℥. ij. aquæ Cinamom. ʒ. ij. fiat iulep. Pro vno haustu.

Vel sic: ℞. rad. Petros. ℥. j. Cicerum rub. P. j. Pulegij M. j. semin. Fœniculi, Petros. ana ʒ. j. fiat decoctio in Vino, in colatura dissolue Trypheræ magnæ sine opio, vel Theriacæ diatessaron ʒ. j. syrup. de Artemisia ℥. j. Croci ℈. ß. fiat potio: Pro vnâ vice.

Ex topicis, balnea humida, vel pro insessione facienda, vel ad fotum regionis vteri, ad menstrua prouocanda vsurpantur; Eo maximè tempore, cùm menses instant: diebus aliquot repetitis manè & vesperi: per horam vnam. Quem tamen non adeò, vt sudores prouocent, quibus menses impediuntur, actu calefacere debent. Ob quam & causam non siccare aut astringere, sed potius relaxare debent: vnde & accidit, quod quando thermas siccantes eo nomine adeunt mulieres, harum vsu nullum emolumentum sentiant. Parantur autem ex decoctis plantarum odoratarum, aliarumq; calidarum, varijs modis: maiore quantitate pro insessione: minore pro fotu sumendo, & in aquâ addito Vino coquendo.

Paratur facilè etiam hyemis tempore: ℞. fol. Sabinæ, Rutæ recent. flor. Lauandulæ, M. ij. vel plures, baccarum Iuniperi P. ij. coquantur pro insessione vel fotu. Æstatis tempore adde Mercurialis rec. M. ij.

Aliud pro pauperibus: ℞. Cæpas, Porros, & nisi odor impediat, Allia, cum toto, decoquat per se, vel cum supradictis quantitatem aliquam.

Tertium tale erit: ℞. rad. Liliorum, Valerianæ, herb. Artemisiæ, Sabinæ, Rutæ, Melissæ, Leuistici, Pulegij, Calamenti ana M. j. vel ij. flor. Chamom. Sambuci ana P. j. vel ij. sem. Lini, Fœnogr. ana ℥. j. semin. Carui ℥. ß. baccarum Lauri, Iuniperi, Cicerum rubr. ana P. j. coquantur.

Compositum ex multis sic fit: quod & etsi non omnia recipiat, efficax tamen erit, si reliqua maiori quantitate addantur: ℞. radic. Liliorum, Altheæ, Ireos ana quar. j. rad. Rubiæ mai. Aristoloch. vulgaris, Valerianæ ana ℥. iij. rad. Azari ℥. j. ß. radic. Acori veri, Enulæ camp. ana ℥. j. herbarum Artemisiæ, Sabinæ, Rutæ, Abrotani, Matricariæ, Melissæ, Calamenthi, Nepetæ, Pulegij, Origani, Spicæ celt. Leuistici, Satureiæ, virgultarum Salicum rubrarum confractarum ana M. ij. semin. Centaurij min. Cardui bened. Maioranæ, fol. Lauri ana M. j. florum Chamomil. Anethi, Sambuci, Lauandulæ, Cheiri, & Leucoij ana P. j. seminum Lini. Fœnogr. ana ℥. j. seminum Nigellæ, Nasturtij ana ℥. ß. bacc. Iuniperi, Lauri ana P. j. seminis Apij. Leuistici ana ʒ. ij. decoquantur pro balneo.

Fotus ex efficacioribus sic fit: ℞. rad. Rubiæ, Azari, Aristolochiæ, Cyclaminis ana ℥. j. fol. Cucumeris asini Mercurialis añ. M. j.

Myrrhæ ℥.ß. coquantur in Vino & aqua, dissoluantur ſucci Artemiſiæ & Sabinæ ana ℥.j. fellis Vaccæ ℥.ß. Pro fotu.

Iiſdem decoctis, ſi crura calidè manè & ſerò, à ſummo ad imum pedem deſcendendo abluantur: vel aliàs pedes aliquamdiu profundè in illis immergantur, idemquoq; ſæpè repetita, facere poterunt.

Et ſi per clyſmata injiciantur, quia vteri ceruix recto inteſtino incumbit, non minus quàm extrinſecùs operabuntur. Quod tunc maximè cùm aluus ſuppreſſa, clyſmatum vſum requirit faciendum: cùm & clyſmata ſtimulantia aluum, ex Mercuriali, Benedicta, Hieris parata, vterum quoq; vicinum ad menſes ſollicitent. Quod & rectius præſtabunt, ſi prædictorum quoq; ſimplicium decocta vel ſucci permiſceantur.

Vel hoc modo, valde efficax, ſi aliquoties ſumatur, enema: ℞. rad. Liliorum ℥. iij. radic. Ireos rec. ℥. j. ß. rad. Valerianæ ℥.j. herb. Artemiſiæ, Sabinæ, Rutæ ana M.j. ſum. Centaurij, flor. Chamom. Meliloti, Lauandulæ ana P. j. ſeminum Lini, Fœnogr. ana ℥. ß. ſemin. Carui. Nigellæ ana ʒ. ij. baccar. Lauri P.j. Cicerum rubr. P.j. fiat decoctio: diſſolue Bened. lax. Hieræ Logod. ana ʒ. iij. ſucci Mercurialis & rad. Ireos ana ℥.j. Mellis ſcyll. ℥. j. ß. olei Cheirini ℥. ij. fellis Tauri ʒ. j. fiat clyſter; Datur ſine ſale, ſi diutiùs retinere poſſet.

Illinitiones in pubis ſeu pectinis regione & lumbis, poſt balnea præſertim factæ, illius operationem iuuant, & ſine illis quoq; proſunt. Qualia omnia ex relaxantibus & calefacientibus oleis & axungijs factæ proſunt.

Appropriatum magis huic affectui hoc erit: ℞. oleorum Cheirini, Irini ana ℥.j. miſce.

Oleum Muſcatum, muſcellinum dictum, idem præſtabit.

Vel hoc vnguentum: ℞. olei Amygdal. am. Liliorum ana ℥.j. ol. Cheirini, Irini, è floribus Geniſtæ ana ℥. ß. axungiæ Anſeris, medull. cruris Vituli ana ℥. ß. mucilag. ſem. Fœnogr. ʒ. vj. rad. Azari, Ariſtoloc. Cyclaminis, Ireos ana ʒ. j. Ceræ quant. ſ. fiat Vnguentum.

Emplaſtra quoque admouentur pectini, & ſupra pudendum, ex præcedentibus, Veluti; ℞. rad. Liliorum, Ireos ana ℥. ij. bulborum Porrorum ℥. j. herb. Artemiſiæ, Sabinæ, Pulegij ana M.j. Ficuum numero x. coquantur in Vino; piſtentur; adde fimi Caprarum ſyl. ʒ. ij. ol. Lilior. & Cheirini ana ℥. j. fiat Cataplaſ.

Vel: ℞. olei Cheirini, Irini, Muſcellini ana ℥. j. Styracis, Galbani diſſol. in aqua Vitæ ana ℥. ß. Salis nitri ʒ. j. reſinæ Lariceæ q. ſ. fiat emplaſtrum.

Suffitus ceruice vteri excepti per infundibulum, aut in ſella perforata, muliebria ducunt, ſi ex aromatibus, vt vult Hipp. alijsq; calidis fiant: quibus & poſt balnea, alioque tempore, vtantur.

Ex vapore decoctorum, inſeſsionum prædictorum, admiſſorum, facti conueniunt.

Aut hoc modo: ℞. radic. Dictamni albi, Rubiæ ana ℥. j. herb. Artemiſiæ, Pulegij, Botryos, Sabinæ, Lauri ana M.j. bacc. Lauri, Iuniperi ana P. j. rad. Galangæ, Zingib. ana ʒ. ij. Myrrhæ, Bdellij ana ℥. ß. decoquantur in Vino: & dum calet, ſuffitum excipiat.

Si quoq; oleum Spicæ, vel Zibetum pudendis apponas, vel illis ea illinas, ſubtili & vehementi expiratione, vehementer menſes cient.

Fumus, idem præſtabit, ſequens, ſuauis adhuc: ℞. Storacis ʒ. ij. Benzoini, Thur. Galliæ vel Aliptæ moſ. an. ʒ. ß. Garioph. ligni Aloës, Scænanthi, Caſs. ligneæ ana ℈. j. Sacch. ʒ. ij. excipiantur infuſione gummi Trag. factâ in aqua Cinam. fiant trochiſci pro fumo.

Vel ſic: ℞. ligni, Sabinæ bacciferæ, & Iuniperi: & ſupra carbones projiciantur: Vel baccæ Iuniperi.

Validior hic erit ſed fœtidus: ℞. Mumiæ ʒ. ij. Galbani, Bdellij, Oppopanacis ana ʒ. j. Thuris, Storacis ana ʒ. j. ß. rad. Azari, Schœnanthi ana ʒ. j. Vngulæ aſini vel equi ℈. j. puluerizentur, & cum reſina Laricea fiant trochiſci: Vrantur in ſella occluſa, dum mulier ſedet, vt fumus incluſus maneat.

Peſſaria in ceruicem vteri intruſa: vel naſcalia admota in virginibus, extrema ſunt remedia, quæ vteri oſcula ſuo calore & acrimoniâ aperiant, non tamen nimiùm irritent, aut exulcerent.

Rapha-

Raphanus in formam pessi sectus, subditus id facit.

Mercurialis contusa, in sacculo indita, valde iuvat: cui Centaurij flores si addátur, ampliùs operabitur. Idem facit Scordium verum vel Alliaria contusa.

Vel sic: ℞. succi Mercurialis, Cæparum, Fellis vaccæ ana ℥.j. Mellis ℥.ij. coquantur ad consistentiam suppositorij: & vnum indatur.

Quibus permisceri possunt hi pulueres: ℞. radic. Azari, Cyclam. ana ʒ.ß. Agarici ʒ.j. Myrrhæ ʒ.ij. excipiátur Melle cocto vt prius, vel solo: fiant pessaria.

Vel sic: ℞. Aloës ℥.ß. Myrrhę ʒ.ij. rad. Gentianæ ʒ.j.ß. sem. Nigellæ ʒ.j. excipiantur Felle bouis: fiat pasta pro pessarijs.

Aliud ex speciebus: ℞. spec. Hieræ Picræ, & Bened. Lax. & troch. de Myrrha ana ʒ.j.ß. cum Mellis cocti ad tenacitatem q.s. fiat pessarium.

Vel ex antidotis: ℞. Trypheræ Persicæ sine opio, Theriacæ diatessaron ana ʒ.ij. inspissentur puluere semin. Nigellæ: Pro pessarijs.

Efficacissimum: ℞. Myrrhæ ℥.ß. sem. Nigellæ ʒ.ij. Agarici ʒ.j. salis Nitri ʒ.ß. cum succo Brassicæ vel Melle in pastam redigatur: Pro pessario. Si addas troch. Alhandal ℈.ß. fiet potentissimum.

Vel ex odoratis: ℞. troch. Galliæ & Aliptæ mosch. ana ʒ.iij. Zibetæ, Mosci, Ambræ portionem, prout diues est: excipiantur Styrace: Pro pessar.

Vel sic additis oleis: ℞. ol. Muscellini ʒ.ij. Styracis liquirit. ʒ. j. ol. baccarum Iuniperi gut. vj. misceantur: & lana in eo intincto apponatur vel intrudatur.

Infusiones in sinum vteri ex decoctis pro balneo suprà expositis, si fiant, longè validiùs, quàm si extrinsecùs tantùm adhibeantur, id præstabunt.

Vel hoc: ℞. radic. Rubiæ & Azari ana ℥.ß. Artemisiæ, Pulegij an. M.j. sem. Nigellæ ʒ.iij. Lupinorum ℥. j. fiat decoctio, & in ℔.ß. dissolue succi Sabinæ ℥.ij. Inijciatur portio.

Ex actu agentibus præsidijs, Venæ sectio in pede facta, eo tempore, quo instát, ad menstruum fluxum cōmouendum præcipuum & vsitatissimum est remedium: cùm enim ad inanitum ex inferioribus venis sanguinem, alius ex superioribus in locum vacuum mox sequatur, concitato sic sanguine, qui prius otiosus & segnis circa vteri venas hærebat, viam illic naturalem potius quàm aliam secutus, per oscula ceruicis vteri erumpens, fluxum consuetum efficit. Ob quam causam non solùm in plethoricis, in quibus plethoræ causâ è venis primùm brachij, antequam in pede aperiatur, sanguis mittitur, sed & in macilentis, nisi quid aliud obstet, hoc remedij genus vsurpari potest. Aperiturq; ea communiter, quæ sub malleolo seu talo interiore dispersa est, Saphena dicta, in eo pede vbi hæ venæ magis turgidæ videntur: quem & priùs in aquâ feruidâ, & postea quoque cùm secta est, vt vena magis pateat, sanguisq; citiùs fluat, immergere, & tamdiu retinere debent. Sed & in poplitis regione si secetur æquè prodesit, citiusq; sanguis effluet. In vtroq; pede eodem tempore, vel in vno manè, in altero vesperi facta, potentiùs adhuc operabitur. In quibus agendis, si fasciâ coxa tota interim strictè cincta sit, cùm sanguis descendere nequeat, maiori impetu ad vterum præcipitabitur.

Sanguisugæ talo appositæ, si sanguinem sugant copiosum, venæ sectionem ex parte supplere possunt.

Cucurbitulæ in poplite, coxarum interiore sede, & in pube quoque eodem nomine adhibitæ, sanguinem eò rapiunt: præsertim si accedat scarificatio.

Ligaturæ factæ in coxis & pedibus idem præstant. Frictionesq; fortes, per vniuersum pedem deorsum factæ.

Congressus, si legitimè fieri posit, virginibus tempore virginitatis, menstruorum defectu laborantibus, pallidis & morbosis, hunc fluxum, si nubant, interdum primâ nocte, sicuti hoc etiam sanis, vt citiùs quam par erat fluant, quod pro virginitatis indicio certo habent, commouet, & in certum ordinem cum colore viuido & incolumitate restituit.

Purgatio post partum appellata, species illa hæmorrhagiæ, si non rectè procedat, quia, vti dictum, grauissimis morbis occasionem præbet, promouenda erit. Quod ijsdem medicamentis exhibitis, quæ menses aperire docuimus, præstatur. E quibus tamen cùm *Purgationis post partum defectus, cura.*

habenda sit ratio puerperæ doloribus exagitatæ & imbecillis, non nimis violenta eligemus, nec quæ corpus admodum accendant, præsertim si febris, vt sæpè fit, adsit, propinabimus.

Et in tali casu febris, hunc puluerem exhibere possumus: ℞. rad. Pæoniæ (quæ menses prouocat, & si metuatur convulsio duplici nomine proderit) ʒ.j. semin. Maluæ ʒ.ß. Myrrhæ, Cinamom. ana ℈.j. Sacchari ʒ.j. capiat duabus vicibus cum Vino albo, vel aquâ Pæoniæ, vel aliâ supradictâ.

Vel hoc decoctum: ℞. radic. Pæoniæ ℥.ß. Capill. Ven. Chelidoniæ, ana M.j. Artemisiæ M.ß. fl. Viol. P.j. Cicerum rub. P.j. Hordei P.ß. fiat decoctio: adde Sacchari q.s. aromat. Cinamom. ʒ.j. & Schœnanthi ʒ.ß. Pro duabus vicibus.

Damus & efficaciora si nihil obstet; qualia multa dicta sunt, & imprimis hoc decoctum: ℞. Artemisiæ, Verbenæ, Chelidoniæ, gran. Iuniperi q. s. decoquantur in Vino: & bibat.

Vel hæ pilulæ: ℞. radic. Aristolochiæ ʒ.j. Myrrhæ ʒ.ß. Piperis ℈.j. cum succo Pomi, fiant paruæ pilulæ: capiat ʒ.ß.

Reliqua quoque quod attinet remedia, eadem quæ menses mouere diximus, vsurpantur: vt Insessiones ex Altheâ, Chamomillâ, & Artemisiâ, similibusque. Et vnguenta, suffitus, pessaria, frictiones, ligaturæ cucurbitulæ; nonnunquam & venæ in pedibus sectio, consideratis viribus & accidentibus, ex illis quæ menses mouent, conuenientia eligendo administrabuntur.

Hæmorrhoidum suppressarũ cura.

In hæmorrhoidibus, si consuetæ priùs fuerint & substiterint, manifestumque inde nocumentum imminere vel iam adesse videamus, eas mouere studebimus. Vti & si priùs non fluxerint, nihilominus aliquando prouocare nitemur, si illuvies illa quæ morbos parit, per hæmorrhoidum fluxum euacuari potest: sicuti cùm in venis meseraicis causa febrium, melancholiæ, aliorumque morborum latet, facere oportet & conuenit. Dein & quando in venis hæmorrhoidalibus dilatatis & tumidis sanguis turget, exitumque quærit, nec tamen via illi patet, hæc aperienda naturaque iuvanda est. Quod in iam dictis causis, quæ illud suadent, hac methodo perficitur.

Purgantia per sedes, ob impuritatem sanguinis, qui in hæmorrhoidibus suppresis retinetur, quandoque exhibentur, nec tantùm eo nomine, sed & quia vim irritando deiectoriam, intestina podicemque stimulando, sic quoque hæmorrhoidum fluxum nonnihil promouent. Imprimis si hæc illis permisceantur, quæ, præterquam quòd vtrumq; præstant, oscula venarum suâ amaritudine, vt aloë, colocynthis, aliáve, aperiũt: eodem modo sicuti in mensium fluxu purgationes, institui docuimus. Quorum exempla huc quoque referri possunt.

Sicuti & ea, quæ per os ad hæmorrhoides promouendas exhibentur, non alia, quàm quæ & menses prouocare, varijs formis proposuimus, cùm sint, non hîc de nouo repetere necesse est. Sicuti & electuarium Hæmagogon aliaq; vsitata, quæ mensibus mouendis ascribunt, idem in hæmorrhoidibus efficere traduntur.

Topica tamen hîc potiùs in hæmorrhoidibus mouendis, quàm quæ assumuntur, locum habent, cùm venæ hæmorrhoidales non adeò, sicuti menstruæ venæ in corpore lateant & absconditæ sint, rectiùsque & propinquiùs ob id illis admoueri efficaciusque sic operari possint: cùm interdum foris quoque prominere & tumere conspiciantur, aliàs cæcæ, hoc est, conspicuæ minimè sint; & non procul ab extremo annulo podicis absint, vt remedia facilè eò pertingant, ac inuerso etiam podice illis quoque rectà applicari queat.

Vnguentis autẽ hoc præstari potest, quæ podici inunguntur, aut alioquin applicantur. E leuioribus hoc est: ℞. radic. Ireos, Cyclaminis ana ℥.ß. summ. Centaurij, Matricariæ ana ʒ.ij. puluerizentur, affunde olei Nucum vt supereminet digito, succi Cæparum rubrar. ℥.j. coquantur parùm, colentur; hoc oleo inungat.

Vel sic: ℞. Lardi saliti, à membranis mundi & cortice ℥.j. fellis Porci ℥.ß. Fimi Columbini ʒ.ij. Nitri ʒ.ß. misce fiat vnguentum.

Aliud: ℞. spec. Hieræ picræ, Bened. lax. ana ʒ.ij. radic. Cyclam. Aristol. summ. Centaurij

taurij min. ana ℥.j. excipiantur Melle & Felle: fiat vnguentum.

Efficaciora adhuc hæc sunt: ℞. succi Porri, Cæparum rub. ana ℥.j. fellis Porci vel Bubuli ʒ.vj. radic. Cyclaminis ʒ.j. pulpæ Colocynth. Euphorbij ana ℈.ß. cum Melle fiat linimentum. Si succum Esulæ vel Lathyridis addas, erit efficacissimum: sed si vrat, remouendum.

Suppositoriorum forma, præsertim si intrinsecùs hæmorrhoides lateant, est conuenientior, si modò non cum dolore intumuerint, & diutiùs ea retinere queant: hoc modo: ℞. Mellis, succi Cæparum acrium, Fellis ana ℥.j.ß. coquantur, permisce in fine spec. Hieræ picræ ʒ.j. Myrrhæ ʒ.ß. radic. Cyclami. ʒ.ß. Salis nitri parum: fiat suppos. Si parùm Hellebori addas, erunt efficacissima.

Radix Ireos recens in formam suppositorij secta, atque intincta in Felle: vel si acrimonia metuatur, in oleo Irino, & subdita idem facit.

Cepæ vel Allij bulbus, detracto externo cortice, intrusus idem efficiet: magisque adhuc radic. Cyclaminis recens eodem modo vsurpata.

Insessiones vel externi fottus, & iniecta clysmata, eadem quæ & menses prouocant, hîc quoque competere possunt.

Suctione factâ per sanguisugas, ad sanguinem hæmorrhoidalem eliciendum, vtimur: & vt deinceps libentiùs spontè quoq; fluant, hac ratione efficimus: podicem primùm sanguine illinendo, vt eò sanguisugæ allectæ, auidiùs eum apprehendāt, & postea per arundinem eas adhibendo. Quod, cùm hæmorrhoidum fluxum requirimus, tutius & certius est remedium.

Frictio podicis panno aspero facta: vel folijs asperis ficus, aut borraginis aliisve, hæmorrhoides interdum aperit, vel vt medicamenta postea meliùs operentur, promouet.

Sectione cum plebotomo, si vena tumens appareat, sanguinem quoque emittere possumus, cauentes tamen ne ab eâ errantes, podicem qui summè sensilis est, vulneremus. Sunt qui setis eas pungere, donec sanguinem profundunt, doceant. Cæterùm venæ sectio alijs in locis facta, vti neq; si in pede fiat, hæmorrhoides, sicuti verò in mulieribus menses, promouere potest: cum hæmorrhoidales venæ, à venæ portæ, non à venæ cauæ ramis, sicuti menstruæ prodeant: quæ cùm nullibi ad cutem ferantur, etsi venæ cutaneæ secentur, nulla ab illis fieri potest sanguinis euacuatio aut agitatio.

Narium hæmorrhagiæ defectus, cura.

E naribus sanguinem elicere in illis, quibus consueta cùm esset hæc hæmorrhagia, non amplius fit, non inconsultum, præsertim si capitis & oculorum aut aurium ex plethora immineant morbi, ad hosce præcauendos, sicuti & ad eosdem curandos, cùm infestant, nisi sponte natura has venas aperiat, fluxum hunc promouere, non minima pars est curationis.

Actu autem eas aperire phlebotomo, cùm paruæ sint, & nares inuerti nequeant, valde arduum. Setis tamen aliqui pungendo sanguinem eliciunt.

Si nares, asperis & aculeatis plantis complicatis in pessum, impleantur, rectiùs hoc succedit: præsertim si nares hisce oppletæ premantur, aut percutiantur: veluti folijs Millefolij, Borraginis, Rubiæ tinctorum, Aparines, floribusque graminis, fortè Harundinacei, & similibus.

Vnguentis si nares illinantur, id effici docent, paratis ex Mentha cum Melle: vel Rubiâ tinctorum in oleo dissolutâ.

Dococtum Crocodilij radicis bibitū, sanguinem è naribus elicere docet Dioscor.

Partiū aliarum hæmorrhagiæ defectus, cura.

In alijs locis internis, vt sub lingua, vel externis, vt in fronte, vel brachijs aut pedibus, (vbi, qui venas malleoli aliquando secuerunt, pruritum nonnunquam in ambitu cicatricis sectionis sentiunt, sanguine exitum quærente, quem & aliquando sponte apertâ illic cute, effluxisse, vti hoc in equis consuetum, vidimus) si sanguinis fluxus requiratur, tum ad morborum præcautionem tum curationem, hoc venæ sectione potissimùm perficitur. Antequam, vt venæ tumidæ fiant, meliusque appareant, decocto Saluiæ, alijsque priùs foueri possunt. Corpus quoque exhibitis admotisq; calefacere, cùm sanguinem faciat fluidum, vt rectiùs educatur, iuuat.

DE SVDORIS DEFECTV.

CAPVT XV.

Genera.



SIc hunc affectum appellamus, quando excretio illa, quæ per poros cutis cum madore, quem sudorem vocant, perficitur, tunc cùm fieri debebat, & necessaria erat, non succedit: Vel illius loco halitus potiùs, quàm mador, erumpit: aut cùm generalem sudorem esse oportebat, pauciores duntaxat partes, vt caput vel pedes, sudant.

Sudoris consueti Suppressio. In sanis alioquin hic defectus accidit, quando in quibusdam naturis plethoricis, vel cacochymicis, aut humidioribus natura sponte per sudores, excretiones certo tempore molitur, sicq; corpus alleuiat & postea intermittit: tuncque Sudoris suppresio dici potest. *Sudoris ad sanitatê necessarij, Defectus.* Vel cùm alioquin ad sanitatem conseruandam sudoribus opus erat, eosq; exercitijs aut balneis elicere student, nullus tamen sequitur effectus: sicuti aliquibus in ipso æstu balnei sedentibus, sudores tamen minimè emanare, aut tenaci tantùm madore cutem obliniri, nec dignâ quantitate profluere, sæpè vidimus.

Sudoris in morbis necessarij, Defectus. In morbis in quibus sudores necessarij erant, vt per illos morbifica causa expurgaretur, hic defectus quoque sese offert, vt sudores naturæ vel artis commoueri nequeant: aut alioquin non rectè procedant. Sicuti in morborum acutorũ imperfectis crisibus, & in morbis etiã diuturnis quibusdam euenit.

Causæ.

Serum quando deficit, vel aliò rapitur, aut impeditum est, vel crassum, causa Sudoris defectus. OB easdem à sero dependentes causas, sicuti mictio pauca, sic & sudores pauci fiunt, cùm materiam & sudori & vrinæ serum præbeat. Vti fit, si exigua illius in corpore sit copia: Aut si non ad habitum corporis, sed aliò serum feratur, atque per multam mictionem, diarrhœas, aliòve modo euacuetur. Quâ ratione in morbis, cùm natura per sudores euacuationem tentat, per alias purgationes factas sæpè impeditur, & non eò quò vergit, sed aliò ducitur, sudoresq; non procedunt. Dein & ab obstructionibus fieri potest, vt transitu seri impedito, sudores æquè atq; vrina difficulter erumpãt: ob quam causam hydropici vti parùm mingunt, sic & ægrè sudant, quod tamen illis necessarium erat. Sed & crassities & tenacitas seri, vti mictionem, sic & sudores impedire potest: quæ & in hydropicis leucophlegmaticis, vt minus aptè sudent, facit; & in morbis acutis sudores non priùs, donec concocto humore, attenuati sint, erumpunt: atq; ideò quæ sudores mouent, attenuantia sint remedia. Quarum omnium quæ à sero dependent causarum, causas prægressas, in mictionis defectu docuimus.

Serum quia ad habitum corporis non allicitur, causa Sudoris defectus. Verùm præter has à sero dependẽtes causas, frequentior sudoris defectus causa est, quòd serum ad externum corporis habitum non alliciatur, cùm ad sudorem euocandum, calor exterior requiratur, quo deficiente, nisi natura spontè in morbis vi quadam eos protrudat, sudare minimè possunt.

Longeque minùs, si accedente contrariâ qualitate, frigore, sudor repellatur, & pori simul astringantur: cùm alioquin vix sola pororum obstructio, sudores impedire possit.

Curatio.

Sudoris defectus curatio SI sudores non erumpant ob seri defectũ, frustra in illis euocandis laboraremus, neque illud conueniret. Vti nec, etsi redundet, sed aliò rapiatur, aut per alias vias euacuetur, nisi hoc sinistrè & contrà quàm natura tentat fiat: tunc enim naturâ ad sudores vergente, nec aliæ euacuationes instituendæ sunt, & quæ sinistrè fiunt, impediendæ. In obstructionibus quoque & cruditatibus, si per sudores excrementa expurgare consultum est, hæ priùs soluendæ, materiaque præparanda. Verùm si præsente, serosi humoris excrementitij, collecti in venis & corporis habitu, redundantiâ, cùm ad præcautionem morborum, tum ad curationem, hac euacuatione opus sit, eaq; ob crassitiem aut cruditatem non procedat, attenuandus & concoquendus, vt vocant, primùm erit, & si externa aliqua causa sudores impediat, illa

ante

ante omnia auferenda, & postea ad ea, quæ sudores prouocant, deueniendum. Quæ cùm in eiusmodi casibus in quibus sudores necessarij sunt, hinc inde explicentur, hîc saltem diuersos modos, quibus illud præstatur, generatim attingemus.

Sudatoria seu Sudorẽ elicitia remedia. Inter ea quæ assumuntur, ad sudorem eliciendum, remedia: alia quæ largâ liquoris alicuius ingestione, sudori materiam præbent, illum prouocant, maximè accedente calore corporis externo, ad interiora illum euocante, nullaque re aliâ impediente. Ita si, dum calent siue in lecto, aut aliâs, & præsertim dum ieiuni sunt, affatim bibant, mox sudor sequitur.

Nec solùm si tepida sint sed & frigida, quòd tunc interioribus subitò refrigeratis, calor in ambitu corporis citiùs ad se serum trahat, vel quòd, ob frigidam potionem in calente corpore, exhalatione factam, hæc extrorsum dispersa, sudoribus materiam præbeat.

Præsertim verò si talia sumantur, quæ facilè penetrant, hoc citiùs efficient, suntque hæc, quæ Sudorifera dicuntur, remedia.

Inter quæ, aquæ stillatitiæ ob tenuitatem præualent, eæq; præcipuè, quæ subtiliores magisq; à crassamento repurgatæ existunt, Vti exempli gratia, ex calidis: Cerefolij, Cardui bened. ex alijs Fumariæ, Limonum, &c.

Decocta multa fiunt ad hanc rem. Qualia sunt vsitata decocta, Gaiaci, Zarsæ parillæ, radic. Chinæ, aliorumque lignorum, radic. & herbarum, in multa aqua decocta. Vel Poligoni minoris, Caudæ equinæ, & similia in Vino decocta.

Vel sequens tantopere commendatum & in vsu: quod ℞. Milij excorticati, cuius loco & Panicum sumi potest, P.j. decoq; in aqua ad crepaturam vsq; colaturæ sume ℥.iiij. permisce Vini ℥.ij. Pro vno haustu, Syrupum S. Ambrosij vocant.

Vel sic: ℞. Hysopi, Maioranæ, decoquantur in brodio pulli, adde emulsionis de ʒ.ij. semin. Cannabis factæ; Bibat.

In substantia varijs modis dissoluta, aliòve modo, exhibentur, Theriaca, aliaque Antidota narcotica: cùm in somno forti sudores facilè erumpant.

Item rob de Sambuco, Ebulo, cum aquis vel decocto datum.

Vel: ℞. Croci ℈.j. Zingib. ʒ.ß. puluerizentur; Detur cum lacte amygdalino.

Aut: ℞. Sulphuris ʒ.j. Sumat cum vitello Oui.

Salia, Olea certa aut Spiritus exhibent Chymici, Spiritus Vitreoli guttas, cum liquore conuenienti, dant.

Extrinsecùs quæcunque corpus calefaciunt adeò, vt sanguis eò rapiatur, & cum eo serum corpusque rarum fiat, sudores prouocant. Quod mitiori maioréve calore, pro humoris copiâ & corporis constitutione perficitur. Quem sequentia accendunt.

Indumenta integumentaque, multa, & quæ bene se applicant, pellicea, plumea.

Aër, igne, sole calefactus, extrinsecùs corpus inflammans.

Aqua calida, naturâ vel arte, in qua corpus immergitur.

Vnguenta quibus spina dorsi, atque vbi maiores sunt venæ, corpus illinitur, nõ adeò violenter sed sensim excalefacientia & rarefacientia, ex oleis conuenientibus parata, vt ol. Liliorum, Pyrethri & simil.

Corporis motus vehemens eâ ratione sudores elicit.

Animi quoque affectus, qui spiritus & humores inflammant, vt Ira, Gaudium; vel exagitant, (nam & spirituum agitatio sudores prolicit) vt Terror, vel Metus, id præstant.

DE LACTATIONIS DEFECTV.

CAPVT XVI.

Genera.



ETSI hæc excretio naturalis, lactis, Lactatio dicta, quæ per papillas suctione infantis, eo tempore, cùm mulier illum enixa est, eousque donec aliquantum adauctus sit, procedere debet, non adeò matri necessaria sit, vt nisi lactet omnino lædatur, cùm multas videamus, studio vt habitiores fiant mamillasq; elegantiores retineant,

sui ipsius corporis venustati potiùs, quàm liberorum commodo studentes, à lactatione abstinere, nec proin lædi; quod tamen etiam aliquando accidit, quando plethorá sibi, vel in mamillis inflammationem ob neglectam lactationé accersunt: tamen quia infanti hoc vtile, quem mater vel nutrix lacte alere debet, si tunc fieri nequeat, quia incommodat, defectus quoq; huius functionis appellatur. Hicq; variat, quòd aliquando non succedit, quia vel suctio fieri nequit in Suctione impedita: vel quia Lac deest, vel omnino, vel ex parte, Lactisq; defectus tunc dicitur.

Suctio impedita. Lactis defectus.

Causæ.

DEfectus autem lactationis ob sanguinis penuriam in venis mamillarum accidit: cùm enim is lacti materiam præbeat, eo deficiente, lac quoque deficit, lactatioq; procedere nequit. Sicuti hoc varijs de causis, vt in mensium defectu ab hac quoque causa oriente, dictũ fuit, potest accidere. Imprimis verò in puerperis, si ob fastidium cibi dum grauidæ erant, parcè vixerint, vel cibo non benè nutriente, ob picam dictam, dum vterum gerebant, pastæ fuerint. Vel si post partũ immoderatiùs purgatæ sint, aut illis menses, qui quamdiu lactant, non redire debent, eo tempore fluant, & præsertim immoderatiùs, quàm ipsorum natura ferre possit. Aut alioquin magnas hæmorrhagias passæ sint. Aut dum lactant, morbo diuturno acutóve extenuentur. Impuritas quoque sanguinis si tanta sit, vt ad mamillas feratur, cùm non nisi ex puro sanguine, qui fœtus in vtero existentis est pabulum, etiam lac vtile generetur, lac ex eo concoqui non potest, vt deficiat, in causa est. Sed & crassities sanguinis, sicuti mensium suppressorũ causa est, ita &, si eo nomine mamillarũ venas peruadere nequeat, lactationem tollit vel imminuit.

Sanguinis penuria, impuritas, craßities, causa Lactationis defectus.

Mamillarum causâ, si venæ in ipsis ob tumorem durum, aut alio modo obturatæ sint, lactatio deficit. Vel si papillæ non perforatæ existant, quia tunc egredi lac non potest. Aut si desint papillæ, cùm tunc apprehendi, quod ad suctionem requiritur, minimè possint, lactatio nulla quoque fieri potest, sicuti frequenter euenit ex fricatione, ob pruritum, quem puellæ in papillis sentiunt, præsertim cùm nubiles fieri incipiunt, papillas ita lædi, vt vlceribus illic natis absumantur, vel relicto callo, obturentur. Sed & ob papillarum fissuras & dolores, quando matres, labiorum infantis firmam cõstrictionem dum sugere volunt, in illis ferre nequeunt, lactatio, donec hæ cessent, omittitur.

Venarũ in mamillas obturatio, causa Lactationis defectus. Papillæ quia non protusæ, aut quia desunt vel læsa sunt, causa Suctionis impedita.

Curatio.

SI ob sanguinis defectum lactatio impedita sit, optimè nutrienda est mulier. Si ob illius cacochymiam, purganda decenter. Si ob sanguinis crassitiem, attenuandus. Si mamillarum aut papillarum vitio, hæc priùs emendanda: sicuti alijs in locis hæc explicantur.

Lactationis defectus, curatio.

Hîc autem ea quæ proprietate quadã lac gignere, atque sanguinem calore suo attenuando fluidumq; reddendo, & ad mamillas deriuando, lactiq; sic materiam subministrando, lac augere dicuntur, describenda.

Lac gignentia vel augentia remedia.

Exhibentur autem commodè eo nomine inter alimenta, Lac, Oua, Vbera animalium lactantium, Cerebra: non tantùm quia bene nutriunt, sed quòd & proprietate quadam lactis prouentum faciunt.

Fructus item lacteum succum reddentes, Amygdalæ, Pineæ, similesque comestæ: aut emulsio eorum propinata.

Puls ex Ouis, Vino, Butyro & Sacchаro, Germanis vsitata, valde conuenit.

Oryza item cum Lacte cocta.

In iusculis coquantur herbæ recentes, Caulium, Maluarum, (Lactucam lac augere etsi scribant, cùm tamen genituram extinguat, credere minimè possumus.) Erucæ, Anethi, Fœniculi, Petroselini, & Anisi, herbæ pauciores, vel omnes, iusculumque bibant, herbasque comedant.

Cæpe quoque in brodio coctæ, alióve modo tostæ, & comestæ, prosunt.

Radix Tragopogi flore purpureo, decocta in iusculo & comesta cum Zingibere.

Cicerum & Hordei decocta itidẽ prosunt.

Vinum optimum cùm nutriat & calefaciat, nutricibus magnum in lactatione adfert adiumentum.

Decocta medicata hęc sunt: ℞. Hordei p. j.

herb.

herb.Fœniculi,Petrosel.ana M.j. coquantur, dulcorentur Saccharo: & bibat.

Vel sic: ℞.rad.Echij ℥.ß. herb.rec.Maluæ, Brassicæ,Polygalæ,Fœniculi,Petrosel. Anethi,Erucæ,Ocimi,Menthæ, ana M.j.Hordei, Cicerum,añ.P.j.sem.Lini ʒ.ij.sem.Anisi ʒ.iij. sem. Nigellæ ʒ.j. fiat decoctio addendo Sacchari q.s.Bibat singulis matutinis.

Ex succis sic: ℞.succorum Sonchi,& Tragopogi añ.℥.ß.Detur cum Vino albo,vel addito Saccharo exhibeatur.

Lumbricorum decoctũ,valde laudatur in brodio factum carnium simplici, vel in quo Fœniculum,Hordeum,aliaq; incocta sint,& nesciat nutrix, quid sit illi exhibitum.

Quæ sicciora sunt, minùs lac generare possunt, tamen probantur multa semina, quorum herbæ vtiliores sunt,aliaque.

Vt: ℞. semin.Anisi ʒ.iij. semin. Fœnic.ʒ.j. sem.Erucæ,Nigellæ ana ʒ.ß.fiat puluis: Dentur ʒ.ij.cum decocto aliquo simplici vel composito supradicto.

Vel: ℞.Lumbricorum exiccat.puluerisatorum ℥.iij.Sacchari ℥.ß.semin.Anisi ʒ.j.Zingiberis,Cinamom.ana ʒ.ß. fiat puluis: Detur cochlear cum decoctis.

Vel: ℞. Crystalli subtilissimè triti ʒ.j. detur vt suprà,Corallum eodem modo exhibitum laudant.

Lac Lunæ appellatũ, ex alpium cauernis abrasum, ad lactis generationem, si ʒ.j. pondere sæpè exhibeatur, vtilissimum censent

Mammis ad sanguinis attractionem varia adhibentur.

Fotus calidi, venas dilatantes id faciunt.

Mentha contusa mamillis imposita, lac allicit.

Vel fiat hoc emplastrum: ℞. fol. Petrosel. Fœniculi, Menthæ, recentium ana M.j. coquantur & contundantur,adde farinæ Hordei P.j.Storacis cal.ʒ.ij. semin.Nigellæ ʒ.j.ol. Liliorum ℥.ij. fiat cataplasma.

Sinapismis & Dropacibus mammis appositis, aliqui sanguinem, si omnino eò ferri nolit, attrahunt: sed leuioribus vtendum, cùm facilè inflammentur.

Frictio mamillarum tutiùs illud facit.

Et si cucurbitulæ iuxta axillas, illic vbi maiores venæ,quæ lactis materiam ferre solent,& liuidæ apparêre, ad mamillas descendunt,apponantur.

Sugere sæpè mamillas,vel ex illis lac mulgere, vt libentiùs lactatio procedat, efficit.

Si quoq; ob absentiam papillarum suctio fieri nequeat, certo instrumẽto cauo vitreo, papillarum regioni adhibito,si canalem inde prominentem sugat infans, lac eliciet.

DE VENEREI ACTVS DEFECTV.

CAPVT XVII.

Genera.



QVANDO commixtio, seu coitio aut congressus maris & fœminæ, qui membris ad id destinatis mutuò iunctis, seminumque inuicem permixtione, ad generationem potissimùm vel mutuum amorem, suo tempore perfici debet, vel nullo modò, aut non absolutè fieri potest, Actus Venerei defectus, esse dicitur.

In masculis hi frequentiùs, quàm in fœminis, cum in hoc actu peragendo plus vir quàm mulier prẹstet, obseruantur. Præcipuè in eo, quòd membrum virile, quod non semper tensum, sed ne impedimentum adferret, pendulum & molle esse debuit, tunc cùm commixtio hæc fit, vt dirigi possit, non attollatur indureturque, quod voluntate nostrâ minimè perfici potest. Hincq; fit, vt qui hac impotentiâ laborant, venerẽ exercere omnino nequeant, ob eamq; causam Impotentes esse dicantur. Sed & huc referuntur illi, quibus licet membrum aliquatenus vt eo nonnihil ad venerẽ vti possint, intumescat, quia tamen languidius, quàm oportebat, existit, segniter & imperfectè suum opus peragit: quos Languidos vocare possumus. Si quoque in ipso actu, siue eum strenuè aut lentè obeant, semen non profundant, cùm illud quoque ad absolutum hunc actum perficiendum, requiratur, impedimentumque quod & vir & mulier sentit, adferat, Imperfecta venus dici potest. Neque autem si rariùs, rectè tamen hoc munus obeant, defectus dici

Impotẽtia in masculis.

Languiditas in masculis.

Ven⁹ imperfecta in masculis.

debet, cùm hæc functio generationis causâ instituta, finem citiùs assequatur, si rariùs fiat. Et cùm vlteriùs adhuc ad pruritum compescendum, & debitũ vxori persoluendum, Venus concessa sit, in hoc quò maior moderatio adhibetur, eò rectiùs hæc actio & secundùm naturæ ductum, peragitur.

In fœminis, etsi rariùs hunc defectum, membri ipsarum causâ, accidere obseruetur, quod in illis semper ad suscipiendum, dum sanę sunt, aptũ est, nec vt in viris subinde nouo robore instrui, aut, vt in canibus, cùm certo duntaxat tempore caleant, mulier verò nullum definitum tempus habeat, dilatari debuerit: fit tamen ob illius sinus vteri vitium aliquod Apparens vel Abditum nonnunquam, vt maritum non admittere vel ægrè, aut etiam admissum diutiùs ferre minimè posint: Venusq; sic impedita sit aut molesta. Sicuti & Imperfecta est, quando in congressu aliquæ nullam aut exiguam voluptatem sentiunt: præsertim si hoc non illis, quæ nimio illius vsu satiatæ eam aliquandiu ampliùs nõ curant; sed his quæ temperatè eâ alioquin vtuntur, accidat: aut etiã perpetuum quibusdam sit; sicuti multis annis durante matrimonio, tres non plus delectationis aut sensus in coitu, quàm ex contactu externo alioquin fieri solet, percepisse ex maritis ipsarum, consilium à me petentibus, cognoui: in quibus Venus extincta esse dicitur.

Venus impedita in mulieribus.

Venus imperfecta in mulieribus.

Venus extincta in mulieribus.

Causæ.

IN vtroque & mare & fœminâ horum defectuum, quòd membris idoneis ad Venerem exercendã destituantur; vel quòd semen non eiaculari posint; in membris genitalibus, per quos actus exercetur, quæ sunt in viro, virga; in muliere, sinus vteri: Vel vasis seminalibus, quæ materiam seminis & semen continent, aut deferunt, causa perquirenda.

Membri virilis causâ actus hic deficit, si eo vir destituatur. Quemadmodum aliquos eunuchos in lucem prodijsse, scribunt. Quod & si casu membrum amputetur, aut aliàs eunuchizẽtur, accidit: vel si ita mutiletur, vt glande abscectâ, reliqua pars illius ad congressum sit inutilis: Vel si ab ortu adeò sit exile, quale in Hermaphroditis, mulierem potiùs referentibus, leuiter tantùm prominere interdũ videmus, vt nullius ad hanc rem sit vsus: aut si ad eam crassitiem excreuerit, aut alijs de causis adeò intumuerit, vt sinus vteri id aut planè non excipere, aut non nisi magno cum cruciatu intromittere posit: aut aliàs incuruum naturâ vel inflatione, & vt in hydropicis conuolutum inflati farciminis instar, dirigi nequeat: aut tumor aliquis adnatus, obstaculum illi adferat: Vel aliter læsum, vlceratum, in glande præsertim & præputio, impetum hunc ferre nequeat; sicuti in congressu violento interdum, vel ex impuro concubitu, illi nonnunquam contingit: quò & refertur, si præputio angusto adhuc glans obtecta, denudari nequeat: quibus de causis, Venus vel non perfici, vel ægrè, vel non perfectè potest. Et si ab intemperie frigidâ adeò sit refrigeratum vt sanguinis influxus, qui ad illius distentionem, vti mox dicetur, requiritur, præpeditus sit, idem euenit: aut si alioquin ita stupeat & insensile sit, quod neruorum vitio ab ijsdẽ causis, vt in stupore dictum & paralysi, accidere potest; vel incantamẽtis effici, vt exquisitũ illum sensum amittẽs, nec titillatione aut stimulo, quẽ à semine prodire mox dicemus, incitatum, assurgat. Vnde quoq; sępè Venus nulla vel languida obitur.

In membro virili Defectus, Conformatio mala, Læsio, Stupor, causæ Impotentiæ.

vel Languiditatis.

Vteri sinus seu ceruicis vitio, Venus deficit; si via seu introitus ad ipsum per cutem non satis apertus sit; nam si rimâ nullâ apparente infantes nascantur, sicuti interdum accidit, diutiùs, cùm vrinã reddere nequeant, nisi patefiat, viuere nequeunt. Quod ab ortu, vel post exulcerationes, coalescente ex parte hac sede, fieri potest, sed rarum est. Vti & illud, vt orificium sinus vteri penitus coalescat: quod tamen mulieri cuidam ex partus difficultate, hac parte læsâ, accidisse vidimus, vt cùm curam illius, pudore impedita, naturæ committeret, luxuriante carne, os illud ceruicis vteri adeò occaluisse, vt ne menstruis quidem pateret effluxus, & cicatrice spissâ, sicuti postea sectione post mortem illius, quã viua ferre nolebat, deprehendi, profundè admodum & penitus obliteratum fuisse. Frequentius autẽ orificium hoc, hymene in virginibus occlusum, primam coitionem

In Vteri sinus rima vel orificio Coalitus, Angustia, Læsio, causæ Veneris impeditæ.

coitionem acerbam facit, & si spissum sit, tádiu donec liberetur, impedit. Dein & angustius ab ortu, vel adnata carne, aut tumore, aut callo factum; Vel alia huius oris vel sinus ipsius læsio dolorem adferens, vt virum excipere vel pati nequeat, facit.

In vasis seminariis, quia semen nullum, vel non decens generatur, causa Veneris impedita, vel imperfecta in vtroque sexu: vel etiam extincta, in fœminis.

Vasorum seminalium, quæ seminis materiam, sanguinem scilicet adferunt, vel semen generant, continent & effundunt, affectuum causâ, in vtroque sexu, venus aut impedita aut languida est, si tales sint, vt eorum causâ nullum semen, vel non tale, quale ad stimulum venereum excitandum requiritur, generetur. Cum enim hunc pruritum seu stimulum, quo natura excitata, in maturis, sanguine arteriarum spirituoso, corpora penis fungosa & glandem perfundens & replens, (quod hactenus à flatibus fieri malè creditum est) vt ille inde dilatatus, tumens, rigidus, rubens & calidus, qualis ad actum hunc exercendum requirebatur fiat, seminis causet acrimonia; tunc præsertim, cum illud in proprijs vasculis redundans, seu vt vocant turgens, aut calidius, aut aliàs commotum, exitum querens naturam sollicitat, eoq; modo quo dictum membrum intendit: fit sanè, vt si inualidum, aqueum, crudum; vel quantitate minimè decenti, aut omnino non generetur, cùm nec stimulus tunc adsit, sine quo membrum rectè minimè potest erigi, sicuti in Eunuchis videmus, vt actum venereum mares vel nullo modo, vel languidè obeant. Et si hoc in muliere contingat, stimulusque ille desit, cùm non incalescant, vt venerem non expetant, aut sine voluptate eam peragant, euenit. Sed & illi affectus vasorum seminalium, qui seminis, etsi non deficiat, excretionem impediunt (cùm & nisi hoc fiat in vtroq; sexu satietas in actu perficiendo hoc, non fit) vt Imperfectus sit, efficiunt.

Imbecillitas, Refrigeratio, Conformatio mala vasorum seminaliũ, causa Veneris defectus in vtroque sexu, & in viris specia tim illius vnde Frigidi dicuntur.

Eiusmodi autem affectus, per quos semen deficit, aut languidius nascitur, vel excerni minimè potest, sunt, vel imbecillitas vasorum seminalium, ratione senij vel morbi alicuius, præsertim circa has partes; aut ob nimis frequentem, ab immoderato veneris vsu seminis profusionem, laxatis admodum & debilitatis hisce vasis contracta. Vel refrigeratio nimia harum partium, præsertim si in viro, illius membrum similem contrahat, vti dictum, intemperiem, cùm & tunc sanguine minus impleri distendique possit: qui & soli inter impotentes rectius Frigidi vel Refrigerati dicuntur, licet in genere sic eos appellare soleant. Quorum omnium dictorum morborum causâ, semine vel nullo, vel pauco, vel inerti genito, non stimulantur, & ad venerem minimè excitantur, nec etiam si desit, ejicitur; vel spontè & sine sensu effluit. Quod & à mala conformatione vasorum horum, ab ortu quibusdam innatum est: quæ qualis sit, difficilè est in viuis discernere, nisi ex eo, quòd perfectis alioquin membris genitalibus & nulla prægressâ causâ, ad venerem tamen apti minimè sunt: & in mortuis sectio quandoq; vasorum semen deferentium aut generantiũ, absentiam, aut ductum peruersum, si in vtroque præsertim hoc latere inueniatur, sicuti ipse deprehendi, vel aliud quid eiusmodi in causa fuisse, patefacit.

Incantatio, causa Impotentiæ illius in viris, vnde Ligati appellantur.

Ab incantatione magicis artibus hac imbecillitate, in vasis genitalibus genitâ, vel pene, vt suprà dictum, vel vtrisque; vt coire nequeat vir, frequenter procedit: quos Ligatos & Maleficiatos appellare solent. Quod quâ ratione fiat, cùm præternaturale sit, non est nostrum indagare.

Castratio, causa Impotentiæ in Eunuchis.

Dissectis vasis adferentibus seminis materiam, execto in castratione, non vno (non enim hoc impedit) sed vtroque teste, in masculis, cùm semẽ ampliùs generari nequeat, illud profundere minimè quoque possunt, & cùm stimulum amittant, neq; hunc ampliùs exercere. Nisi fortè membro, alijs de causis affluente sanguine inflato, vt se mulieribus miscere queant, aliquantum irritentur, vnde tamen nullus sequitur effectus. Quo nomine cùm Eunuchos perfectos reddere volunt, quibus mulierum curam committant, membrum radicitùs, vt dictũ, amputant: licet & enarrata castratio illos impotentes & effœminatos reddat. Quæ, vt viris eo nomine, tum ad hernias sanandas, sæpè fit; sic in fœminis vel morbi alicuius causâ, vel ad lasciuiam illis demendam, tentatam fuisse (quæ tamen in scrophis fre-

quentissima est) nec audiuisse, nec legisse me memini.

Obstructio vasorum seminalium causa veneris defectus.

Obstructio quoque horum vasorum ab humore crasso, tumoréve, defectum aliquem causare potest. Et præcipuè in viris, si ductus ille seu canalis sub penis corporibus, seminis & vrinæ excretionibus communis, à caruncula, callo, calculo & similibus obturatus sit, vt nec vrina, nec semen excerni possint, impedit. Aut si aliàs ob languorem membri dum venus exercetur, hic canalis non directus, nec sufficienter dilatatus sit, vt in congressu semen, præsertim si paucum sit, non rectâ ejiciatur, sed impingens subsistat, donec postea sponte effluat, sæpè occasionem præbet. Vel si alicubi perforatus, sub penis ductu, per fistulam illic genitam, vti vidi aliquoties, semen non per præputij foramen, sed per alterum effundant; quòd impedimentum tamen non veneris actum, sed conceptionem, vt illic dicetur, potiùs impedit.

Obturatio vel angustia, aut perforatio canalis in pene, causa Veneris impeditæ, vel imperfectæ, in viris.

A sanguinis penuriâ, quæ semini gignendo non sufficiat, actus venereus vix penitus sistitur, cùm illius non tanta requiratur copia: ob quam causam, & qui inedias patiuntur, parcè tenuiterque viuunt, à morbo conualescunt, & phtisici ipsi adhuc, ad hunc actum peragendum habiles sunt. Magis tamen hi, quibus sanguinis suppetit copia. Quod autem in morbis quibusdam, vel animi affectibus doloribusq;, hæc penitus cesset actio, non mirum, cùm voluptas quæ hunc actum primùm excitat, sublata sit.

A sanguinis crassitie vix quoque, quò minus, cùm mouetur ad virgæ extensionem, in eam dispergatur, accidere potest: cùm sanguis spirituosus ex arteriis potiùs eò, quàm crassus feratur. Salaciores tamen eos, quibus sanguis calidior tenuiorq; existit, esse existimamus.

Curatio.

Considerandum prius, an apparens vel occultum sit vitium: sicq; prædicendum & agendum.

Impotentiæ, Languiditatis, Veneris impeditæ vel imperfectæ aut extinctæ, in mare & fœmina curatio.

Si in viris membrum ab ortu desit, vel alioquin ita sit formatum, vt ad vsum accommodari nequeat: Aut si amputatum sit penitus, vel saltem glans præcisa: aut si testes vtrinq; castrati sint, cura impossibilis. Vti & in mulieribus, si ab origine sinus vteri ita occlusus angustatusq; sit, vt nullâ arte & citra discrimen vitæ, aperiri queat. Reliqui defectus, tàm in membro virili, quàm mulieris apparentes; tumores præter naturam, vlcera, læsiones, obstructio penis ductus, semen deferentis, cùm cæteris quoque locis communes sint affectus, alibi explicantur. Quomodo verò proprij hisce locis, vt præputij & ductus seminis angustia, & hymenis amplitudo, affectus curari debeant, hîc explicabitur. Si verò nullo horum apparente, virga erigi nequeat, nec semen profundi; vel mulier sine omni delectationis sensu, aut cum exiguo, hunc actum peragat: tunc si hi defectus in sanis alioquin perseuerent; vel erit originale aliquod vitium internum; quod ex eo, quòd à teneris tales fuerint, cognoscimus, atque idcirco incurabile: Vel ab incantatione procedit, quam soluere non nostrum est: Vel alioquin ab imbecillitate, refrigeratione, aut morbo aliquo alio descendit, vnde seminis prouentus impeditur, vel semen inutile gignitur. Quæ si diu perseuerauerint, etsi difficulter emendantur, tamen in hisce causis potissimùm cura adhibebitur.

Exhibentur autem eo nomine ea, quæ semen generant, quod genitum suâ copiâ & acrimoniâ stimulum venereum excitare, & ad hunc actum membra rectè disponere, diximus. Sunt autem hæc, quæ dum sanguinem copiosum procreant, semini gignendo materiam vberiorem subministrant. Quibus calefacientia permiscemus, vt sanguis calidior inde redditus, semen feruentius, quod ad venerem eò magis incitet, generet: quod &, vt sanguis sic calefactus & attenuatus, citiùs & copiosiùs ad virgę dilatationem influat, iuuat. Et cùm serum hac quoque ratione accendatur, fit, vt cùm illud ad vesicam defertur, non solùm illam, sed & propter vicinam, partes genitales calefaciens, actionem hanc quoque illarum promoueat. Sicuti vsu cantharidum vesicam vehementer accendi, & ad exulcerationem sæpè vsque irritari, vt mictio inde frequens & cruenta fe-

ta sequatur, & per consequens, calore in viciniam vsque deriuato, venerem simul iisdem excitari, videmus. Quam seminis acrimoniam, salsa hisce permixta, sicuti dicetur, adiuuare quoque possunt. Quæ remedia nos, quatenus manifestâ qualitate operantur, eo modo potiùs, quàm flatus gignendo, quibus penis corpora minimè distendi, ostendimus, venereum actum iuuare credimus: accedente præsertim propietate quadam nobis incognitâ, quam ex albedine carnium, fructuum, radicum, &c. tanquam semini similia, fortè primùm, qui hæc docuerunt, obseruarunt: Vel ex eo, quòd à salacibus animalibus desumpta sint; Vel quòd formâ testes referant, vti orchides, & satyria: vel scrotum rugosum, vt tubera terræ.

Exhibentur eo nomine varia remedia, præsertim in cœna, vel post eam cubitum ituris, si statim effectum eâ nocte quærimus; aut si succesiuè operari debent, etiam manè.

Ex alimentosis quæ benè nutriunt, multumque sanguinem generant, conueniunt, eliguntur que præsertim, quæ alba & medullosa sunt. Qualia sunt Cerebra, Testes, salaciorum præsertim animalium, vt gallorum, coturnicum, passerum, vulpis. Caro quoq; castoris, fortè quòd testibus præualere, cùm tamen vesicæ sunt, non testes, credant, & cùm eas ob fœtorem non posint comedere, carnem illius substituerunt. Et quia lutra, castoris naturæ non adeò absimilis, illius quoque carnem, in hac re vtilem, probarunt. Caro cancrorum, ostreorum, testudinum nemoralium, aliorumq; piscium cartilaginosorum, vt Sepiarum, Polyporum. Ex humoribus animalium, Lac & Oua. Ex fructibus amygdalæ, auellanæ, pineæ, pistacia, castaneæ, phasæoli, fabæ, cicer album, oryza, hordeum, cinaræ item echinus. Ex radicibus, pastinaca, rapum, napus, siser, fortè & tragopogi radix, cùm quæ lac gignunt, semen quoque procreent, Item cæpa, porrum, tubera terræ. Inter herbas, eruca, caules, asparagorum teneritates. Quæ omnia sola, inuicémve permixta, variis modis pręparata, assumpta in cibis id præstabunt, si modò, vt in plerisque in illis quia insipida sunt, fieri solet, aromatibus, inter quæ piper cæteris præualet, optimè condiantur & saliantur. Cuius conditur æ causâ, magis ferè venerem stimulare, quàm proprietate suspiciamur; hincque factum, vt cùm ab hisce piperatis sumptis, veneris stimulum sentirent, non ratione conditur æ, sed ipsius quod conditum erat causâ, hoc profectum fuisse crederent. Proin & nos, sic potius illis inter cibaria vtimur, quàm quod ea pręsertim, quæ carnea sunt, medicamentis, vti aliàs facere solent, & vt citiùs sic corrumpantur efficiunt, permisceamus.

Vsitata Venerem iuuantia edulia sunt, Puls alba. Weinwarm dicta, ex Vino, Ouis, Saccharo & Butyro parata, quâ nouiter nuptos manè recreant. Vel crocea Lebersultz appellata, ex hepate porcellorum, quod conceptum, proprietate iuuare assumptum, scribunt: addito Vino dulci, multisq; aromatibus & Croco, quòd quoque Venerem acuere docet Dioscor. præparata: quam ipsa nuptiarum die, Germani solent apponere. Quò & puls atra, Pfeffer nominata tantopere Piperata: & congelatum illud croceum Galrey / ex succo carnium vel piscibus factum, egregiè quoque aromatizatum & Croci tinctum, referri possunt.

Inter bellaria reliqua saccharata, mellita, aromatizata, varia parantur, quæ hîc competunt, atque eo nomine vel in fine cœnæ, vel ante somnum in postcœnio Epidorpismo Græcorum, quem Schlafftrunck vocant, fortè ad hunc vsum primum instituto dantur.

Vt sunt confectiones siccæ ex fructibus nucleatis, & seminibus Saccharo obductis, paratæ. Inter quas Pineæ, Fistici, semen Erucæ, sic condita, præferuntur.

Vel Martius panis datur, imprimisq; hic erit vtilis: ℞. Amygdalarum, Auellan. excort. ana ℥. j. Pinearum. Pistacior. excort. ana ℥. j. contundantur diligenter, adde Cinamom. ℥ ß. Piperis ʒ. j. Zingib. Gariophyl. Nucis mosch. Cardamom. mai. ana ʒ. ß. semin. Erucæ ʒ. ij. & si luteum habere vis, Croci, vel si rubrum, Santali q. s. & Sacchari q. s. misceantur, coquantur in clibano forma placentæ vel panis; Vtatur.

Panis

Panis vitæ quem Lebkuchen vocant admodum aromatizatus & mellitus, valde conuenit: Quæ omnia veneris promouendæ causâ, primum excogitata fuisse credimus.

Eruca, Nasturtium hortense & aquaticum, aliæq; acres herbæ, crudæ, cum garo piscium aut melle, vt Hispani solent, comesta in cœna, stimulum addunt.

Vinum generosum dulce, & imprimis aromatizatum Cinam. & Pipere, moderatè sumptum, cùm vniuersum corpus calefaciat, illudq; vegetum reddat, hanc quoque actionem intendit. Immoderatè verò sumptum, narcoticâ vi, ad eam ineptos potius reddit.

Ex medicamentosis Pulueres varij fiunt, qui cum Vino, Lacte, aliísve exhibentur: aut per se saccharo addito puluerisata vel tabulata dantur: hac ratione parati.

Primus puluis: ℞. Piperis gr. x. confracta saltem, ne fauces vrat; Bibat in Vino generoso cubitum iturus: vel Lacte tepido.

Secundus: ℞. Piperis ʒ. ß. Croci ℈. ß. fiat puluis, imponat Hordeato: & comedat.

Tertius: ℞. Piperis ʒ. j. Nucis mosch. ʒ. ß. Salis ʒ. j. (si sumatur, quo stinci saliti fuerint, erit vtilius) Vtatur cum Ouo sorbili.

Quartus: ℞. Piperis ʒ. j. Zingib. semin. Erucæ, Porri ana ʒ. ß. Sacchari ʒ. ij. Capiat ʒ. j.

Quintus: ℞. seminum Erucæ ʒ. ij. sem. Fraxini, Bulbi, Lini, Anisi ana ʒ. j. seminis Pastinacæ, Napi, Raphani, Cæparum, Porri, Sinapis, Vrticæ, Nasturtij, Asparagi ana ʒ. ß. Piperis ʒ. j. ß. Zingib. Galangæ, Gariophyl. Maceris ana ʒ. ß. Croci ℈. j. ras. Eboris ʒ. j. Priapi cerui vel tauri, vel ericij, carnis Stincorum ana ʒ. ß. Sacchari ad pondus omniũ. Cinamom. ʒ. ij. fiat puluis subtilissimus: Exhibeatur ad ʒ. ij.

Sextus efficax admodum: ℞. seminum Erucæ ℥. ß. seminis Pastinacæ, Rapæ, Porri ana ʒ. j. seminis Nasturtij, rad. Pyrethri ana ʒ. ß. Piperis ʒ. j. Zingib. Cinamom. ana ʒ. ß. Croci ℈. j. Cantharidum ablatis alis num. 9. Boracis ʒ. j. Moschi gr. aliquot, Sacchari ℥. j. fiat puluis subtilissimus: capiat coch. j. ab initio: augendo dosim si non succedat: Bibat cum Lacte tepido.

Septimus omnium validissimus: ℞. Cantharidum abruptis alis num. ij. Cinamom. ℈. j. Sacchari candi ʒ. j. Bibat in Lacte: si non iuuerit, capiat secundâ vice Cantharides tres.

Inter electuaria; Diasatyrion Nicolai ʒ. j. quantitate exhibitum, huius rei gratiâ, excogitata est compositio. Anacardina quoque compositio, quia vehementer accendit, iuuat.

Aliud sic fieri potest: ℞. rad. Satyrionis & Eryngij cond. ana ℥. j. Zingib. cond. cons. Acori veri ana ℥. ß. Pinearum, Fisticorum mundat. ana ʒ. iij. medullæ nucis Indicæ ʒ. j. seminum Lini, Fraxini ana ʒ. ij. semin. Erucæ ʒ. j. ß. sp. Diatrionpip. ʒ. j. spec. Diambræ, Diamoschi ana ʒ. ß. Cinamom, ʒ. j. Priapi cerui vel tauri, vel ericij, Stincorum carnis sicc. ana ʒ. ß. in mulieribus, matrix Leporis sicca quoq; additur, Sacchari ℥. j. adde Mellis q. s. fiat electuarium: capiat ʒ. ij. vel plus.

Pilulæ ex ingratis sic fiunt: ℞. stercoris Muris ʒ. ß. sem. Erucæ ʒ. j. Piperis ʒ. ß. Cantharidum abruptis alis numero v. excipiantur Terebinthinâ: capiat ʒ. j.

Syrupus ad vsum asseruandus hoc pacto fieri posset: ℞. radicum recent. Satyrionis, Eryngij, Pastinacæ, ana ℥. ij. radic. Bulbi, Porri, Cæparum ana ℥. j. radic. Pyrethri, Dracunculi ana ℥. ß. herb. rec. Erucæ M. ij. Nasturtij, Erisymi ana M. j. seminum Erucæ ℥. ß. semin Lini, Fraxini, Asparagri ana ʒ. ij. sem. Anisi (cùm & lac gignere credatur) ℥. ß. Dactylorum num. v. fiat decoctio in Vino albo, & in colatura adde Sacchari quant. sem. aromat. Piperis ʒ. j. Cinamom. ʒ. iij. coquatur ad consistentiam. Capiat ʒ. j. per se, vel cum Vino dulci.

Cathartica exhibita, si calidis & aromatibus correcta, vti parantur, & leuiora sint, quàm vt aluum vehementer moueant: vel si mouent, quoq; venerem vehementer stimulare, obseruauimus: ita vt illis antequam purgare incipiant, virga admodum erigatur: sicuti mihi aliquando fassi sunt, in pharmaco errorem commissum fuisse, existimantes.

Odores suaues, non tàm recreando, quàm vi calefaciendi & penetrandi, ad venerem aptiores

ptiores reddunt: & ex ijs vehementes præcipuè, vt Ambræ, Moschi, Ciuetæ.

Admouentur extrinsecùs illinitiones, in masculis potius; quibus penis non solùm prominens pars, sed & ea quæ subtus in perinæi regione latet, inungitur; vt eo calefacto, sanguis ad illius erectionem, libentiùs adfluat. Et vt ad seminis quoque generationem, sanguis in vasa seminaria feratur, testes, lumborum & pubis regionem, & plantas interdum pedum inungimus. Ex calidis attrahentibus proinde hæc parantur.

Ex vsitatis oleis: ℞. oleorum de Piperibus, de Euphorbio, de Castorio ana æq. partes. Inungat.

Vel sic: ℞. succorum Erucæ, Nasturtij, Aquæ vitæ ana ℥.j. rad. Pyrethri ʒ.ij. semin. Sinapi ʒ.j. Euphorbij ʒ.ß. ol. Lini ℥.j.ß. coquantur, colentur: Vtatur eo oleo.

Aliter: ℞. ol. nucis Mosc. per expres. ʒ.ij. ol. Spicæ gr. vj. ol. Garyophyl. ℈.ß. misce pro inunctione.

Sine oleis sic paratur: ℞. Fellis apri vel verris ʒ.j. Ciuetæ ℈.ß. Mellis parùm, inungat penis & perinæi regionem: si addas Canthārides tres vel quat. erit efficacissimum.

Oleum formicarum, ex decoctis formicis alas habentibus, in oleo, paratum, efficacissimum est.

Pinguedo item ericij.

Vnguentum conueniens: ℞. rad. Pyrethri, Piperis, Zingib. sem. Sinapi ana ʒ.j. Euphorbij ʒ.ß. Castorij ℈.j. Formicarum siccat. ʒ.ß. puluerisentur, adde ol. Laurini q. s. ad excipiendum, addendo parùm ol. Spicæ, & Ceræ: fiat vnguentum.

Pollex pedis dextri, si oleo in quo Cantharides dissolutæ sint, vngatur, admodum Venerem incitare scribunt: quod ob eximiā cantharidum vim, quâ extrinsecùs applicatas cruentam mictionem promouisse, alibi ostendimus, experientiâ hac persuasi, fieri posse non negamus.

In muliere, hæ illinitiones in lumborum & pubis regione factæ, illam quoque stupidam & inertem, excitare possunt. Priuatim verò in illis, vt maiorem voluptatem in congressu sentiant, iuuabit, si ante congressum vir glandem Zi̇ueta inungat, vel Felle gallinæ, aut Lucij piscis: quod illi loco pessarij est.

Thermarum calidarum vsus, calorem fouendo & reuocando in Refrigeratis dictis & imbecillioribus, veluti postremum adhibetur remedium.

Quod & balnea & insessiones, fotus, pedum lotiones, ex calidis actu potentiaque, possunt efficere. Qualia ex decocto rad. Ireos, herb. Nepetæ, Calamenthæ, Vrticæ, Maioranæ, Erucæ, Erysimi, flor. Lauandulæ, Chamomillæ, similiumque, parari possunt.

Pellibus quoque diligenter munire has partes, vt calor conseruetur: & pedes à frigore præcauere, cùm frigus valde noceat, calor iuuet, admodum proderit.

Manualis operatio impotentiam nonnunquam tollit. In viro, si præputium ita angustatum, vt glans detegi nequeat, artibus varijs dilatemus, & si aliter fieri nequeat, sectione diuidamus. In muliere, si sinus vteri foramen, hymene obductum, aut aliàs angustius, vel etiam omnino callo occlusum, sectione, quod nummo acuto aliqui facere docent, aperiamus vel dilatemus. Quod ego cauterio meo sine dolore, in illâ fœminâ, cuius casum exposui, sectionem quam conaturus eram renuente, iam aliquousque via factâ, nisi mors superuenisset, tandē pfecissem.

Quæ & incantatos & ligatos, vt vocant, soluendos, aliæ operationes pertinent; Vt excutere puluinaria: Vt per annulum sponsalem mingant, iubere: Vel per axim aratri, & similia multa, non nostri est instituti, aut etiam officij, explicare.

Sicuti nec amuleta, quibus si ab hac causa procedat, magnam efficaciam tribuunt. Cineres tamen stellionis nigri, in petiâ ligatos, & manu sinistrâ gestatos, membrum virile erigere, etiam in alijs causis docent: si verò in dextrâ teneatur, impedire.

Imaginatio & apprehensio prægressæ voluptatis, venerem potenter excitat: quæ recordatione & intuitu, vel auditu eorum, quę hæc in memoriam nobis reuocant, perficitur: longeque magis contactu.

Animi affectus suaues, vt gaudium, aptiores ad hunc actum, sicuti cōtrarij mœrorem & dolorem adferentes, ineptiores reddunt.

Quam lætitiam ſenſuum recreatio, per viſum, auditum, imprimis muſices, aliosque ſenſus facta, adfert.

DE SALACITATE.

Cap. XVIII.

Genera.

Pruritus venere?.



IMMODERATAM ad venerē propenſionem, Salacitatis nomine comprehendimus: quæ variat primùm eo, quod eſt vel continuus, vel frequenter incitans pruritus, & vehemens admodum veneris deſiderium, quod quando expleri nequeat, admodum inquietos reddit, & niſi ſibi temperare queant, vt turpia facinora committant, adigit. Maſculis & fœminis nonnunquam contingens; diuerſimodè tamen in eo, quòd mares citiùs incaleſcant, fœminæ difficiliùs ſatientur.

Furor venereus.

Altera ſpecies longè grauior & præternaturalis magis eſt, inſatiabilis Venereus furor, cùm, etſi eam exerceant, ab eâ minimè leuantur, ſed potius ampliùs accenduntur, vel non niſi diutiùs durante ſæpeque repetitâ venere ſatiantur.

Fœminis autem, hæc Veneris nimia potentia citiùs contingere poteſt, quàm viris: ſicuti verò impotentiam ad Venerem, frequentiùs viris quàm fœminis accidere diximus. Veluti impuris & contagioſis mulieribus; vel ex morbo alio aliquo quibuſdam accidit, & Priapiſmus vteri à quibuſdam ineptè vocatur. Sed alias hoc vitio laboraſſe, illisque innumeris congreſsibus multorum virorū vix ſatisfieri potuiſſe, hiſtoria reginæ Semiramidis impudiciſsimæ fœminæ aliarumq; exempla teſtantur, quod & multis, vt ad ſedandam libidinem multa illicita tentent, & in turpiſsima vitia peccataq; ruant, occaſionē præbet. Atq; interdum accedente Furore, qui vterinus dicitur, beſtiarum congreſſus (veluti illa, quæ mente capta, canes Anglicos admittere cupiebat, ſicuti in mentis alienatione explicatum fuit) expetant.

Priapiſmus.

Viris rariùs hoc euenit, etſi enim aliqui admodùm luxurioſi ſint, qui Venerem vnâ nocte ſæpius exercere poſsint, hoc tamen non naturæ ſtimulo quodam quaſi coacti, ſed vt robuſtiores eſſe videantur, ſtudio, irritamentis ad illud præſtandum ſe ipſos pellicientes, peragunt. Inuenti tamen etiā ſunt, hac prurigine laborantes; cui plerumq; viroſa gonorrhœa, vti dicetur, coniuncta eſt. Hunc autem affectum, quia membrū quamdiu ille perſeuerat, illis extēſum & rigidum eſt, Priapiſmum, Tentiginem, & à ſatyris, qui laſciui erectâ virgâ pinguntur, Satyriaſim vocant. Licet & alium affectum, in quo penis continuò riget, & ſupra modum intumeſcit, ſed ſine deſiderio coëundi priapiſmum, & ſi cum palpitatione fiat, Satyriaſim appellent: qui tamen à morbo aliquo illius loci dependentes, cùm ad magnitdinem adauctam & dolores pertineant, illic potius tractabitur.

Cauſæ.

OMnis ſalacitatis immoderatę cauſa; Vel à ſeminis copiâ, vel acrimoniâ, vel commotione, quę ſtimulum venereum commouent: Vel à ſanguine, cuius affluxu in viris membrum extendi in actus Venerei defectu oſtendimus, proficiſcitur.

Semen ſi copioſum generetur, vel ſi ob plethoram: vel calorem vaſorum ſeminariorum, ſanguinem continuò allicientium, quia tunc redundans turgensq;, vt vocant, ad ſui expulſionem naturam ſollicitat, vt ad Venerem ſanguinei magis incitentur, facit. *Seminis copia, caliditas, cauſa Pruritus venerei.*

Imprimis verò, ſi ſemen vltra naturalem, quam in ſe habet, maiorem adhuc & pręternaturalem acrimoniam & caliditatem acquirat, etſi non ita redundet, magis tamen ſi ſimul exuperet, continuò ad Venerem exſtimulans, Libidinoſos facit. Hoc autem à ciborum nimiâ conditura & aromatiſatione, calefacientium frequenti vſu, vel à medicamentis eiuſmodi proficiſci poſſe, in remedijs impotentiæ ſanandæ, expoſuimus. Quod & ab humoribus calidis, acribus, non in vtero fœminis collectis, ſicuti ex pituita ſalſa & bile illic coaceruatis, accidere ſcribunt, ſed non in vtroque ſexu, ſemini permixtis, illudque viroſum ſummeq; acre reddentibus, fieri poteſt. A cuius ardore pruritus ille Veneris inſatiabilis oritur, qui mulieribus *Seminis acrimonia, cauſa Furoris venerei, in fœminis p. ternis dicti.*

lieribus impuris & vitiosum semen habentibus (quo & eos, qui cum ipsis congrediuntur, sæpè inficiunt) potius quàm viris, consuetus est: cùm viri, quando à peruerso eiusmodi semine hunc pruritum patiuntur, gonorrhœa, virosâ ob id dictâ, infestati, illud continuò profundant, qui seminis fluxus, mulieribus non adeò facilè vt viris, euenit. Vnde nec leprosos eo nomine salaces esse, vti aliqui causam illius hanc esse scripserunt, concedimus, cùm hoc illis potius quòd separati ab vxoribus, vel à matrimonio & concubitu prohibiti viuant, sicque ob abstinentiam coactam libidinosi fiant, accidat.

Seminis cõmotio, causa Pruritus venerei. Excitatum quoque in propriis vesiculis, & veluti iam loco motum, exitum quęrens, pruritum vehementem, vt parùm quin effundatur, absit, facit. Cùm hæc illius sit natura dum sanum est, vt in suo loco retentũ, nisi copiâ nimiâ redundet, non adeò stimulum excitet; sic quando iam ab eo nonnihil recedit, & vix ampliùs, longeque minus si è vesiculis in ductum iam effundatur, potest subsistere, fit, vt sic commotum non reijciatur, admodùm pruriens, ad excretionem valde sollicitet. Sicuti per imagines, insomnia, contactus, semen commoueri in vtroque sexu potest.

Sãguinis spirituosi in colem adfluxus causa Priapismi. Sanguis spirituosus arteriarum, affatim penis corpora & glandem adimplens, idque diu, Priapismi causa est, in quo ille continuò riget. Quod, quando cum veneris appetitu fit, (quam illius speciem tantùm huc pertinere diximus) tunc illius sanguinis influxus, seminis causâ, sicuti iam dictum, stimulantis accidit. Sed & aliis de causis illud fieri potest, vt ante huius stimuli sensum sanguine affluente, penis erigatur, erectusque diutiùs maneat, eamque ob causam semine cõmoto, veneris inde sequatur appetentia. A' calore autem lumborum & renum, vt vocãt, partiumq; vicinarũ procedere solet, sanguine copiosiùs tunc ad hasce sedes affluente. Cuius caloris vt multæ causæ esse possũt, sic decubitum supinum, ob quem lumbi in culcitra plumea immersi, vel à duro subiecto cui incumbunt, vt scamno, stramine pressi, incalescunt, adiuuante situ corporis, cuius causâ sanguis faciliùs eò fluit, penis erectionis, & per consequens ad venerem inclinationis maioris, causam esse, docet experientia. Atque ob lecti calorem, vt prouerbium affirmat, circa mediam noctem ad venerem excitati magis apti sunt. Si aliis de causis, ob dolorem, inflammationem, flatuum aut aquæ influxum, membrum intumescat, aliò, sicuti dictum, pertinet.

Curatio.

Pruritus & Furoris venerei, & Priapismi curatio. VEnereo stimulo si admodùm & frequenter incitetur mares vel fœminæ, ne committant actus venereos illicitos, si à legitimo congressu qui per matrimonium fit, vel legibus, vel alio modo prohibeantur, aut in coniugio vnius culpâ, mariti præsertim, alteri non satisfiat; ardor ille præsertim immodicus compescitur, si seminis potissimùm prouentus, illiusque nimia caliditas & ardor, vt & sanguinis, impediantur, & ne sperma sic irritetur aut moueatur, caueatur: sequentibus modis.

Quæ euacuationis causâ exhibentur purgantia, tunc potissimùm in hoc casu locum habent; si à vitiosis humoribus, vel acribus succis, semen corrumpentibus & acuentibus, salacitas hęc vehemẽs oriatur. Quæ nos illis quæ maximè redundare cognoscimus, & in causa esse putamus, accõmodabimus.

Ad refrigerandam lasciuiam, quę refrigerando seminis feruorem extinguunt, vel siccando, etsi calida sint, illud absumunt, dantur: quibus fortè & proprietas quædam insita opitulatur. Neque hîc in flatibus pellendis, absumendis, quos in causa esse minimè posse diximus, laboramus. Dantur autem sub noctem vel manè: sæpè repetita, cùm citò effectus minimè sentitur.

Acetarium in cœna comestum, paratum ex Lactucæ, Portulacæ, Mentæ, (quæ venerem proprietate extinguit) foliis recẽtibus, addito Aceto, plus proderit, si sæpè hoc fiat, quàm multa alia; si modò interim ab aromatum & acrium vsu sibi temperent.

Electuarium hoc vtile erit: ℞. conf. flor. Nenupharis, & Menthę ana ℥.j. caulium Lactucæ cond. ʒ.vj. seminis Viticis, Agni casti (ob hasce vires sic dicti) ʒ.j.ß. seminis Ru-

tæ ʒ.ß. Coralli ʒ.j. Coralli ʒ.j. Crystalli ʒ.ß. Camphoræ ℈.j. cum syrup. de Portulaca q.s. fiat electuarium.

Puluis conueniens: ℞. rad. Bistortæ ʒ.j. fol. Mentæ, Rutæ, flor. Nympheæ sicc. ana ʒ.ß. sem. Viticis ʒ.j.ß. semin. Cannabis, Vuarũ, Lactucæ ana ʒ.ß. Crystalli ʒ.j. Camphoræ ℈.j. fiat puluis: capiat ʒ.j. cum iusculo vel syrup. Portulacæ: vel addito Saccharo exhibetur: vel in tabulas redigatur, Saccharo dissoluto in aqua Ros. & Lactucæ.

Syrupus conueniens: ℞. succorum Lactucæ, Portulacæ ana ℥.ij. succi Menthæ ℥.ß. aquarum Rosarum, Viol. ana ℥.j. Aceti ros. ℥.ß. Sacchari ℥.iij. coquantur in formam syrupi. Detur ℥.j. frequenter.

Decoctum Lactucæ, Portulacæ, Intibi, Menthæ in iusculis proderit.

Aquæ frigidæ potus ordinarius, venerem restinguit.

Vt omne veneris desiderium & vsus tollatur, aliqui pro certo hisce effici posse affirmant; si vinum in quo Mullus piscis extinctus fuerit, propinetur. Alij, si Formicæ quadraginta in potu dentur.

Extrinsecùs si actu refrigerentur pedes, genitalia, lumbi, admodùm venerem compescit. Immersio membri virilis in aquam frigidam, mox illum facit languidum.

Quæ potentiâ refrigerant, additis siccantibus, in fotu adhibita genitalibus, venerem quoque extinguunt. Vt decoctum Lactucæ, Plãtaginis, Portulacæ, fol. Salicis, flor. Nympheæ & similium.

Quod &, si pedes eo sæpè lauentur, præstant, addito præsertim Aceto.

Vel si ex succis harum plantarum, fomentum testibus in viris, addito Aceto & Camphoræ momento, adhibeamus, efficacius erit. Quæ etiam in vterum iniecta, inhibere nimiam mulierum salacitatem credunt.

Oxyrrhodinum idem præstat, si testes in eo immergantur.

Inunctio regionis renum frequẽs tali vnguento, iuuabit: ℞. ol. Nenupharini ℥.ij. succi Lactucæ ℥.j.ß. coquatur ad succorum consumpt. adde seminis Viticis ʒ.j. Camphoræ ʒ.ß. Ceræ albæ parum: fiat inunctio.

Vnguentum album camphoratum: vel refrigerans renes, Gal. additâ Camphorâ, idem præstabit.

Lamina plumbea renibus imposita id quoque facit.

Odor Camphoræ venerẽ consopit: quare castitatis nomine camphoram gestare docent; tantamque illi vim, vt & contactu quoque admota brachiisve alligata, id efficere possit, attribuunt. Vti & Vitici & Verbenæ, si ea in cubiculo spargantur.

Ieiunium seuerum lasciuiam aliquomodo sedat. Sed præsertim abstinẽtia ciborum calidorum, aromatum & vini imprimis; quam regulam hi potius seruare debẽt, qui abstinentiâ certorum ciborum, castitatem seruare se posse, profitentur.

Affectus animi tristes & molesti, ob offensam, mœrorem perseuerantem adferentes, lasciuiam tollunt.

Morbi, ob dolorem vel intemperiem calidam aut frigidam, idem faciunt.

Sanguinis per venam sectam detractione parùm efficimus, nisi tanta sit, vt corpus inde penitus emacietur, aut debilitetur, quod tamen citra grauiorem offensam vix potest fieri. Quâ ratione, exhaustis per venæ sectionem omnibus penè venis, quendam vxoris petulantiam repressisse scribunt. Priuatim tamen venarum post aures apertionem, impotentes reddere, exemplo Scytharum probat & docet Hippocrates.

Castratio, salacitatis extremæ, extremum est remedium: quæ in viris tantùm exectis testibus, vel amputato membro, quod certius & tutius est, fieri potest. Quâ ratione seipsum, castitatis causâ, Origenem castrasse scribunt: egoq; sacerdotem, quia sæpè propter lasciuiam mulctatus fuerat, offensum, idẽ fecisse scio. Quod aliàs seruis, quos vxoribus ministros adiungũt, ne ab illis corrumpantur, heri facere solent: rectiusque hanc pœnã illi, qui adulterio, vel scortatione delinquunt, & in iis peccatis perseuerãt, luerẽt.

Congressus legitimus coniugum, fœdere matrimonij sociatorum, certissimum ad luxuriam sedandam & castè emendandam, est remedium, omnibus à Deo, qui dono continentiæ carent, concessum & liberum mortalibus.

DE

DE CONCEPTVS DEFECTV.

CAPVT XIX.

Genera.

Sterilitas.



VANDO mulier eâ ætate quâ ad concipiendum habilis esse debebat, mensesque illi naturaliter fluunt, viri consuetudine vtens, non concipit nec generat, Sterilitas, Agonia, Atechnia dicitur. Et si quoque semel aut iterum conceperit & pepererit, & postea annis præsertim consuetis, (qui in aliis biennium, in aliis triennium, in aliis amplius temporis spatium est, quo rursum concipere solent) vel etiam nunquam postea amplius concipiat, defectus huius functionis, & per consequens generationis, quę ad propagationem generis humani, vt aliquoties vel multoties fiat, necessaria est, existit.

Ex illis autem quæ hoc modo steriles & infœcundæ sunt: Aliæ sanæ nihilominus & benè habitæ sunt, magisque quàm quæ aliquoties procrearunt plerumque pinguescunt, tardiusque senescunt. Plerunque verò accidentia vteri quædam huic defectui copulata sunt. Quod vel menstrua nunquam illis apparuerunt: quæ & viragines tùm ob hanc causam, tùm quòd non generant, appellantur. Vel quòd quæ priùs fluxerant, nunc suppressa sint, aut parciùs vel nullo ordine fluunt; aut cum difficultate coloreque alieno. Quibus frequens hoc accedit malum, quòd vterinus albus fluor dictus mulieribus infœcundis consuetus est. Sed & alia etiam interdum patiuntur incōmoda: quæ omnia sterilitati occasionem vel præbent, vel inde nascuntur.

Viragines.

Huc & hoc incommodum referre posset, quod aliquæ fœminæ tantùm fœminas pariunt, & nullos masculos; præsertim si hoc succesionem stirpis euertat. Verùm & quæ masculos tantùm procreant, fœminas interdum habere optant.

Mares vel fœminas procreandi defectus.

Causæ.

QVòd autem non concipiat mulier, licet in actu venereo nullus obseruetur defectus, cuius causâ, si & congressus & per consequens procreatio impedita sint, eâ iam in Impotentia explicata fuit) fit hoc, vel quia semen vtero minimè excipit: aut exceptum non retinet. Quod viri vel mulieris seminis, aut instrumentorum genitalium causâ, accidit.

Seminis virilis occasione potissimū hoc accidit, si non sufficiens, aut prolificum ad generationem à viro conferatur: etsi enim tunc mulier illud concipit, procreatio vel nulla, vel irrita, sicuti in mola dicetur, sequitur. Nisi enim tanta illius sit quantitas, vt vteri cauitatem, quæ proin exigua facta fuit, in conceptu adimpleat, ex eo fœtus minimè procreabitur. Quæ & causa est, si semen iustâ quantitate, quæ ad generationem requiritur, colligi nequeat, sed frequentiùs quàm conueniat, per veneris nimium vsum, aut inuoluntarium illius in gonorrhœâ effluxū, excernatur, vt illi non generent; vti verò alij qui rariùs eam exercent, & vel procreationis vel sanitatis causâ, sibi temperare possunt. Vnde & euenit, quòd senes aliqui matrimonium cum iuuenculis contrahentes, cùm minùs quàm iuuenes feruidi parciùs venere vtantur, liberos adhuc etiam extremâ senectâ, sicuti parens meus octuagenario maior, procreent. Quod si quoq; semen non coctum & elaboratum, sed crudum sit, tenue, aquosum; & vt vocant, frigidius, vel spiritu non perfusum, vel alioquin vitia ea in se contineat, quę illius generatricem vim tollunt, cùm non sit prolificum, ex eo nihil generari poterit. Tale autem ob imbecillitatem vasorum seminalium: vel permixtionem prauorum humorum, à causis in impotentia & salacitate explicatis; nascitur. Fit tamen sæpè, vt tacitum vitium aliquod in semine procreationem minimè impediens lateat, quod in sobolem ex eo genitam transiens, suo tempore sese exerit, similemq; affectum à parente hęreditarium in eo, eâ ferè ætate quâ parer eo primum laborare incepit, profert: vnde podagra, elephantiasis, si-

Seminis virilis Paucitas, Cruditas, Vitiū, causa Conceptus defectus, seu Sterilitatis à viro dependentis.

Semē viri & mulieris in causa, quòd Mares vel Fœminæ generētur.

milesque affectus, ab insitis causis in liberos propagantur. In semine viri defectum hunc quoq; existere, quòd fœminę tantùm & nulli mares ex eo nascantur, credibile est, cùm inualidius tunc à fœmineo semine in sexu conferendo, vincatur: quorũ abditas causas relinquere satiùs est, quàm temperaturę alicui, aut quòd ex hoc illóve teste semen prodiens sexum immutet, affingere, cùm execto vno teste, vel hoc illóve temperamento præditus, nihilominus vtriusque sexus sobolem generent.

Seminis mulieris defectus, cruditas, impuritas, causa Conceptus defect⁹ seu Sterilitatis à fœmina pfecta.

Mulieris seminis causâ, (quod ad fœtus generationem cum virili cõmiscere necesse esse, sexus in fœtu fœmineo, & similitudo matris in mascula & fœminea prole apparens, satis declaret) si illud deficiat penitùs, vel minori quàm opus erat quantitate conferatur, idem sine dubio contingit, & frequentiùs fortè quàm in viris, cùm mulier & si semine destituatur penitus, congressum tamen ferre possit, vir autem eo priuatus, ad illum exercendum ineptus sit. Quæ & causa, quòd meretrices quę quæstus gratia illud adeò profundunt, vt exsuctæ penitus fiant, tam multis & variis se commiscentes, illorum semen licet excipiant, tamen non concipiant. Quod & si illud labe aliquâ affectũ, impurum, aut crudum existat, non solùm scortis sed & alijs solet accidere, quę plerũq; malè habitæ aliisque morbis affectæ sunt. Sed & si seminis mulieris temperatura, eadem cũ virilis seminis existat, ex cõmixtionis horum æquabilitate nihil generari posse contendunt, & vt ex diuersis illorum naturis, medium & temperatum ex vtrisq; mixtum exsurgat, requirunt. Verùm nos omne semen calidum statuentes, non prolificam vim in eo, sed cuiusque decenti temperaturâ constituimus.

Virilis membri causâ, modò tale sit, vt actum venereum perficere possit, rariùs hoc fit. Neque enim si eam longitudinem, quâ aliqui aliis præualent, non habeat, modò rectè formatum actum obire possit, hoc quò minùs semen ab ipso eiectum, vtero (qui cũ calet seminis appetens, facilè eousque progreditur, illudq; arripit) concipi queat; nisi aliud obstet, impedimentum adferet. Si tamen, foramen semen & vrinam in glande emittens, non in medio illius, vt rectà interius orificium vteri aspicere possit, sit, sed in latere vel subtùs, sicuti in quibusdam ab ortu hoc accidisse vidi, vel alioquin ductus alicubi sub pene fistulâ perseuerante perforatus, ita vt dum semen emittit, illud non ad osculum matricis dictũ eiaculetur, aut peruenire possit, illud concipi nequit.

Penis nõ in recto loco apertura, causa Conceptus defectus.

Si ab vtero sterilitas procedit, rariùs illius ceruicis causâ, vt conceptio non fiat, nisi per accidens, quatenus congressum impedit, vti iam dictum, accidit. Sicuti verò vteri fundi orificij vel illius substantiæ occasione, hoc frequentius fieri solet.

Vteri orificij interioris, Amplitudo, Laxatio, occlusio, causa Sterilitatis.

Orificium interius dictum vteri, seu trãsuersa rimula angusta & occlusa, quæ tempore conceptionis se aperit, semenque haurit, si ampla nimiùm fiat, etsi tunc facilè admittat, quia tamen illud diutiùs minimè retinetur, vt nihil ex eo generetur, in causa est. Hoc autem, diducto eo vltra modum partu violento, ob fœtus magnitudinem aut peruersionem, adeò vt ad pristinam angustiam, sicuti aliàs post partum fieri solet, redire nequeat, solet contingere. Quæ & causa aliquando est, quòd mulieres post partum difficilem non ampliùs concipiant. Laxato quoque hoc orificio, ab humidioribus multis excrementis, vel in vtero genitis, aut in ceruicem illius, in fluxu alborum mensium continuo, effusis, retentisq; aliquamdiu, sedemq; hanc alluendo madefacientibus, idẽ accidit, vt ad conceptum aliquæ mulieres, profluuio hoc muliebri obnoxiæ, non sint idoneæ. Occlusâ quoq; & obstructâ penitus hac viâ, adeò vt aperiri nequeat, cùm semini tunc minimè pateat in vterũ introitus, conceptio nulla fit: sicuti ab ortu, à cicatrice, aut excrescentiâ carnis, vlceratis aut laceratis in partu arduo, hisce sedibus relictis, obstrui potest: quâ ratione etiam exterius orificiũ, etsi longè patentius sit, occaluisse, superiùs declaratum fuit. Ab alijs verò causis vix obstruitur. Nam quod de adipe fertur, sterilitatem in pinguibus mulieribus efficere, non quòd in vteri ceruice aut fundo abundet, in quibus nullus esse deprehenditur, sed aliam ob causam hoc agere, si modò hoc verum, priùs

prius demonstrauimus. Quòd verò non aperiatur ad conceptum hoc orificium, alio enim tempore naturaliter semper occlusum manet, & post conceptum in grauidis rursum mox se claudit, nec nisi de nouo in superfœtatione, sicuti & postea in partu se aperit vterus, sicuti iam ostendetur, in causa est.

Vteri substantiæ Soliditas, Durities & Siccitas, causa Sterilitatis.

Corpus ipsum seu substãtia vteri, si nimis compacta & dura sit, vel sanguine non perfundatur, conceptionis defectus potissima est causa. Cùm enim tunc primùm mulier ad concipiendum apta fiat, quando vterus ipsius, qui densus & neruosus est, & quamdiu talis manet ad concipiendũ ineptus, calore insito, affluenteque sanguine adauctus, carnosus & mollis fit, & sicuti canibus dum calent, pudendũ turgescere videmus, in ambitu orificij intumescit, rimaq; illius ampliatur, (sic enim auidiùs semẽ excipere potest) fit sanè, vt si in naturali dẽsitate persistat, aut etiam præter naturam durior adhuc euadat, cùm ipsius orificium ad semen sugendum, sicuti dictum, aperiri nequeat, nulla sequatur conceptio. Hoc autem vel à constitutione & temperamento illius tali, ab ortu procedit, vt statim siccior & solidior, quàm par erat illius substãtia euadat: Qualis aliàs primùm senio appropinquante, fieri solet, & naturalis quoq;, quòd tunc mulieres parere desinant, causa est. Sic & si ante senium mulieri hoc accidat, fit, vt sanæ alioquin mulieres, steriles fiant talesq; permaneant. Quod & illis quæ venere nimiâ, aut aliis rebus vterum vehementiùs exiccarunt, euenit: aut quibus alioquin vterus à tumore aliquo pręter naturam, aut post inflãmationem induratus est.

Vteri substantia, quòd sanguine, nõ irrigetur, causa Sterilitatis.

Sed & si sanguis vteri substantiam imbuere nequeat, cùm non solùm ad dilatationem & mollitiem vteri dictam, influxus illius requiratur, sed &, vt quando semen vtero concipitur, illique adnasci incipit, mox sanguis, ex quo & incrementum sumat, fœtusque alatur, præstò esse debuerit. vnde & principium generationis statuitur: duplici huius necessitatis causâ, si vel omnino nullibi ad vterum feratur; vel aliàs suppressis menstruis impeditus sit, à causis illic recensitis; vel licet per ceruicem illius menstruatim euacuetur, tamen ad fundum vteri peruenire nequeat, ob vteri dictam soliditatem, vel venarum vterũ implicantium angustiã, aut obstructiones, accidit, vt viragines, vel quæ menstruorum suppressione laborarũt, aut etiam quibus menstra fluunt, præsertim immoderatiùs (vnde minus quoq; vteri venis, tunc, cùm vterus calere debuit, distribui potuit) non concipiant, sterilesq; sint. Quod & illis euenire potest, quæ à matrimonio & consortio viri diu abstinentes, vel alijs de causis, quia diu non conceperunt, atq; vterũ hoc otio & desuetudine, vt nunquã sanguine admodum perfusus fuerit, aut intumuerit, habilisq; ad cõceptionem factus sit, exanguem veluti reliquerunt, sanguine ad ceruicis illius venas potius defluente, & per menstruas euacuationes expurgari solito; ex consuetudine hac longâ, sanguine eò potius quã ad vterum defluente, fit vt postea, etsi cum viro misceantur, iam ætate prouectiores, nõ tam facilè, vti quæ mox in iuuentute venerem exercent, imprægnentur.

Imbecillitas vteri, causa Sterilitatis.

Imbecillitas vteri, causa est, vt neq; ad cõceptionem aptus, sicuti dictum, tẽpore idoneo, fieri possit, & quòd functionib. illis lęsis, quarũ præcipua seminis est conceptio, illud nõ attrahat, vel apprehensum retineat. Quæ illius debilitas, vel ab ortu illi connata est, vel quia aliàs refrigeratus est, aut morbis quibusdam debilitatus, illi cõtingit. Suntq; hæ ad venerem tardiores, alijsq; vteri morbis sæpè obnoxiæ.

Intemperies humida vteri, causa Sterilitatis.

Intemperies, præter siccam iam dictam vteri constitutionem, & debilem, quam frigidam appellare solet, humida præsertim cum frigiditate copulata, conceptioni quoq; incommodat, huicque tanquam frequentiori ferè soli, curationem accommodant. Quod ab excrementis humidis, in vtero ex crudo vel prauo illius nutrimento, natis collectisque, illumq; humectantibus atque refrigerantibus, ac illius orificium, vt suprà dictum, laxantibus, ferè contingit. Cùm ex defluxu illius in vterum, nullâ patente viâ, hoc vixdum fieri possit: vti verò corpus eiusmodi excrementa per consuetas, etiam sanguinis expurgationum, venas, transactis plerunque mensibus, vel etiam vnà cum illis, quæ tunc

tunc malè coloratæ & impuræ ſunt, expurgare ſolet. Fit tamen in vtriſque, vt cùm à ſanguinis vitio hæc proueniant, eiuſmodi fœminæ quæ non concipiunt, malè habitæ & decoloratæ exiſtant.

Curatio.

Cõceptus defectuũ curandi ratio.

SI mulier non concipiat, nullo alio defectu actus venerei obeundi, nec in viro, aut in illa apparente (cuius curationem illic expoſuimus) cauſas diligenter expendentes, hac methodo procedemus. Si ob ſeminis penuriam, quod in viris citiùs contingit, hoc fiat, tunc rariùs coëant, illiſque quæ ſemen augere poſſunt, de quibus in impotentia dictum, vtantur. Si quia crudum eſt ſemen, aut vitioſum non procreent, vt ſanguis laudatus generetur, & ſi quod ineſt vitij ab eo expurgetur, vaſaque ſemen generantia corroborentur, curandum. Si membri virilis vitio, eò quòd foramen ſemen emittens alicubi apertum ſit, illud accidat, ſectione factâ vel eroſione labiorum huius fiſtulæ, vt connaſcatur denuò & claudatur, procurandum: quò, eo occluſo, ſemen rectam viam rurſum ſequi, & per glandis foramen rectà rurſum effundi poſsit: quod quando ab ortu deeſt, deſperata tunc eſt curatio. Si verò vteri cauſâ, ſterilitas contingat, idque quia vterum adeò induratum vel orificium illius, ex partu læſum laxatumque nimis, aut tumore aliquo obturatum habent, in illis mulieribus, quæ ſanæ alioquin, vel nunquam conceperunt, vel poſt partum aut læſionem vteri inſignem, non amplius concipiunt, deſperata ferè eſt curatio. Sicuti & in illis viraginibus, quibus à teneris menſes nunquam fluxerunt. In reliquis verò, quibus propter imbecillitatem, vel humiditatẽ, aut refrigerationem, aut excrementorũ vteri copiam cõceptio impedita eſt, quibus & mẽſes plerunq; non decenter fluunt, aut fluor vterinus dictus, moleſtus eſt, aut alij morbi comites exiſtunt, curandis potius intenti ad conceptionem illarum permouendã curam, cum meliori ſpe, ſequenti modo accommodare poterimus. Quæ, & in deſperatis, in omnem euentum, tentatur.

Ante omnia generatim hoc modo mulier euacuabitur. Purgamus primùm illas: in quo corporis conſtitutionem, humorum redundantiam & præcipuè an menſes non rectè fluant, vti ferè fit, & albo fluore vterino laborent, obſeruamus.

Conceptionem procurãtia remedia.

In genere autem ſic procedimus: ℞. Catholici ℥.j. ſyr. Roſ. ſol. ℥.ij. aquæ Borrag. & Artemiſiæ q. ſ. fiat potio: Detur.

Venam dein aperimus: ſi plethorica ſit.

Dein præparationis nomine: ℞. ſyr. de Artemiſia, Capill. Vener. ana ℥.j.ß. aquarum Borrag. Artemiſiæ, Nepetæ ana ℥. j. miſce, fiat iulep. aromat. Cinam. Capiat tribus matutinis.

Huius loco hoc decoctum ſumi poteſt: ℞. rad. Aperitiu. temperat. in Vino ana ℥.ß. rad. Eryngij ℥.j. rad. Enulæ, Valerianæ, Imperatoriæ ana ℥.ß. herb. Artemiſiæ, Matricariæ, Nepetæ, Pulegij, Chamædreos, Alchimillæ, Maioranæ ana M.j. Bugloſsi vtriuſq; cum toto, Cichorij, Endiuiæ, Fumariæ ana M.ß. florum Leucoij, Geniſtæ, Roſmarini, Borrag. Cicerum rub. ana P.j. ſem. Aniſi, Fœniculi, ana ʒ. ij. ſemin. Petroſel. Sileris mont. Paſtinacæ ſylu. ana ʒ.j. conquaſſentur, decoquantur, clarificentur & aromat. Cinam. atque addito Saccharo q. ſ. fiat apozema pro tribus doſibus, vel quatuor aut quinque, Vel ex infuſis in Vino & decoctis in duplici vaſe, vinum exhibeatur.

Si ſimul purgare velimus, requirente illud corporis impuritate, præcedentibus addimus, radic. Liquirit. ℥. ij. rad. Azari ʒ. ij. Mercurialis recentis M.j. Paſſul. par. xx. fol. Senæ, radic. Polypodij ana ℥.j.ß. ſemin. Carthami conquaſſ. ʒ. vj. & prædicto modo cum Aqua vel Vino decocta exhibemus.

Purgamus dein hac potione: ℞. Rhabarbari ℈.iiij. Cinam. ℈.j. infundantur in Vino, diluto parùm aquâ Endiuiæ, exprimantur, diſſolue elect. de Citro ſol. vel Diaphæn. ʒ.ij. ſyrupi Roſar. ſol. ℥.ij. fiat potio.

Si pilulas malit: ℞. pilul. Cocciar. Aggregatiu. Sine quibus, ana ℈.j. cum Vino albo, fiant pilulæ.

Abſolutè purgatione Trypheræ magnæ ſine opio ad ʒ.j. ſequenti mane propinamus.

Vt per vices euacuetur, pilulis vſualibus vel electuario aliquo laxãte illud efficimus:

Quæ

Quæ tunc dantur singulis mensibus antequam balneis aliisve topicis, sicuti dicetur, vtantur: Vt ℞.Catholici ℥.ij. Diaphænic.℥.j. Cassiæ rec.extr. ℥.ij. pulpæ Sebesten ℥.j. syr. Rosar.sol.℥.j.ß. misce: capiat bolum per se, cum iure Cicerum aut Vino.

Pilulæ vsuales, repetantur priores: Vel ℞.pilul.de Aromat.de Agarico an̄.ʒ.j.ß.Cocciarum ʒ.j. troch.Alhandal ℈.ß.cum syr.Rosar.sol. cum infus. purgantium, fiat massa: capiat ʒ.j.

Sudores in humidioribus mulieribus, si frequenter prouocentur, cùm ab vniuerso corpore euacuent, valde illis vtile erit. Quo nomine decoctum Guaiaci, adhibitâ cibi parsimoniâ, more vsitato interdum bibant, qua dum quædam ex meo præscripto, vtebatur, grauida antequã absolueret facta est. Item balneo sicco humidoque, vti mox dicetur, eos eliciant.

Menses prouocentur, exhibitis admotisque, in illis quibus deficiunt: & præsertim venæ sectione iuxta malleolum factâ: vt hæc in menstruis suppresis explicata sunt.

Conceptionis autem potissimùm iuuandæ gratiâ, exhibentur mulieribus ea remedia, quæ venerem excitare, semen augere, in venereo actu iuuãdo superiùs descripta sunt: quæ vt in eo defectu viris potissimùm, quibus impotentia citiùs accidit, quàm fœminis, exhibentur: sic hîc, mulieribus ad conceptum promouendum, qui citiùs fit, si in venere magis caleant, & semine abundent, dantur: atque interdum, ne in viris mora sit, illis quoque simul propinantur. Addendo illis quæ fœminæ assumere debent, ea quæ vterum proprietate iuuant, & calefaciendo & siccando intemperiem corrigunt, mensesq; si suppresi sint, promoueant, humiditatesq; si redundent, absument. Sequenti modo.

Pulueres sequentes id præstent. Primus: ℞. Nucis mosch. ℈.j. Moschi gr.ij. Salis q.s. pro ouo saliendo; cum ouo Sorbili capiat singulis matutinis.

Secundus: ℞. sem. Sileris mont. ʒ.j. sem Erucæ ʒ.ß.rasuræ Eboris ʒ.ij.Cinamom.Nucis moschatæ an̄.ʒ.j.Moschi gr.vj.Sacchari ℥ ij.fiat puluis: capiat ʒ.j.cum Vino generoso.

Tertius: ℞. spec.Diamoschi, Diambræ ana ʒ.ß. ras.Eboris ʒ.j. semin. Sileris mont.ʒ. ij. Cinamom.ʒ.j. Sacchari ℥.ij.fiat puluis: vel dissoluto Saccharo in aqua Cinamom. & Artemisiæ, fiant tabulæ: Dentur ad ʒ.ij.

Quartus: ℞. Testiculorũ verris ʒ.ij.Priapi tauri ʒ.j. Matricis leporis, Coaguli leporis ana ʒ.ß.exiccata omnia & puluerisata sumantur, addendo Cinamom. ʒ.j.ß. Nucis mosch. Gariophyll.ana ʒ.ß. Piperis, Zingib. ana ℈.j. semin. Erucæ, Pastinacæ syl. Sileris mont. Fraxini ana ʒ.ß. sem.Nasturtij, Pœoniæ ana ℈.j. ras. Eboris, Cornu capræ, ana ʒ.ß. Moschi, Ambræ ana gr.vj. Sacchari ℥.x. In forma pulueris vel tabularum exhibeatur pondere ʒ.ij.

Ex fructibus nucleatis, rectiùs confectiones sequentes paramus, quàm illos pulueribus aut electuarijs permiscendo compositionibus quæ diu asseruari debent, & rancorem acquirunt.

Confectio sicca: ℞. nucleos fructuum sequentium saccharo obductos, Amygdalarũ, Auellanarum, Pinearum, Fisticorum ana ℥.j. cort.Citri, Cinamom.Gariophyl.Zingib.incisorum & Saccharo quoque vti solent condit.ana ℥.ß. sem.Erucæ condit.ʒ.ij.misce: capiat cochl.j. pro vice cubitùm itura.

Martius panis sic fieri potest: ℞. nucleor. Amygd.dulc. ℥.j. Auellanarum ℥.ß. Pinearum ℥.ij. Fisticorum ℥.j. macerentur in Lacte, & postea contundantur, addendo spec. Diambræ, Diamoschi ana ʒ.ß. Cinamom.ʒ. ij. ras.Eboris ʒ.j. vel de pulueribus prædictis ʒ.j. coquantur in panes rotundos, vel aliter formatos.

Electuaria sequentia proderunt: ℞. conseru.Eryngij, Orchidis, ana ℥.j.ß. conser.flor. Rosmarini, Scabiosę, cond.cort.Citri, Nucis mosch. Zingib.ana ℥.j. commisceantur, addendo puluerum prædictorum sine sacchato, primi, secundi, vel tertij ʒ.ij.vel iij.

Reliqua in remedijs venerem mouẽtibus inuenienda erunt.

Tryphera maior sine opio ʒ.j. quantitate, cum Vino generoso, laudatur.

Edulia efficacia hoc modo fiunt: ℞. Nucis mosch.ʒ.j.Zingib.Piperis ana ʒ.ß.Maioranæ siccæ ℈.j. sem.Erucæ, Sileris mont. Carui ana ʒ.ß. fiat puluis: ad sequentes vsus.

℞. Cerebellum porci, coquatur in Vino maluatico, in fine addendo pulueris prædicti,& Salis q.s. Comedat frequẽter in cœna.

Vel: ℞. Testiculos & cristas gallorũ dum castrantur,& coquantur eo modo,& puluere condiantur: & comedantur.

Vel: ℞. Testiculos arietis, incidantur, vt solent antequam torrentur, voluantur frusta in dicto puluere,atq; folijs Saluiæ & Omento pingui desuper inuoluta, bacilloque affixa, torreantur: Pro cœna.

Sed & alia alimenta bene nutrientia, si illis egregiè reficiantur fœminæ, vt ad conceptum aptiores fiant, efficiunt.

Ferculum sequens pro impraegnatione mulieris mirè commendatum, sic suauius & efficacius parabitur: Sumendo fol. Menthæ, flores Scabiosæ & Pimpinellę, omnia recentia, incidãtur, minutim, affunde duo vel tria Oua confracta, adde Cæpas incisas, Nucem mosch. & Salis q. s. coquantur in sartagine in placentam, Pfankuch: vel inuoluatur pasta folijs Cauliũ & coquatur sub cineribus: comedant de eo vir & mulier ieiuni, & post horas quat. commisceantur, octiduo postquam è mensibus purgata fuerit.

Decoctum sequens infallibile prædicant esse remedium. Fit, radicem Eryngij, fol. Artemisiæ & Sanamundæ decoquendo in Vino rubro: & cyathum vnum tepidum mulieri manè & vesperi exhibendo: cũ ℥.j. Trypheræ magnæ sine opio, per dies nouem.

Hoc quoque arcanum, ob singulares vires esse volunt. Exhibere olei Maioranæ arte chymica eliciti, & Moschi ana gr.j. vel ij. cum Coagulo leporis.

Topicis adhibitis balneis, suffitibus, inunctionibus, pessarijs, vterum calefacere, exiccare, roborare, interdum relaxare si durus, astringere si nimis laxus & humidus, studebimus.

Balnea, insessiones, præcipuè cõueniunt. Vt illis per dies quinque, sex vel octo, absolutis menstruis purgationibus, antequam maritum admittat, vtatur: horam vnam aut alteram ante introitum lecti, vel ante cœnã aut etiam manè in eo ventris inferiora immergendo, vel omnino in eo sedendo. Repetendo illorum vsum sequenti mense, & tertio & quarto quoque, si interea non concipiat: quod ex eo, si menses sistantur, cognoscimus.

Si itaque ex calefacientibus, siccantibus, vterumque roborantibus balneumque concinnare volumus, ex pluribus paucioribúsve, hoc modo fieri poterit: ℞. rad. Liliorum alb. Valerianæ, Ireos, herb. Matricariæ, Artemisiæ, Pulegij, Nepetæ, Origani, Calamẽti, Maioranæ, fol. Lauri, summit. Sabinæ & Iuniperi, fl. Sambuci, Rosmarini, Lauandulæ ana q. s. addendo baccarum Lauri & Iuniperi ana P.j. sem. Sileris mont. ℥.ß. Aluminis ʒ.iij, vel plus, aut salis, decoquatur in Aqua pluuiali, addendo Lixiuium, aquam ferratam & Vinum.

Vel si magis astringere & exiccare velis, supradictis adde, Gallarum, Balaust. ana P.j. fol. Rubi, Quercus ana M.j. Aluminis ℥.ß. decoquantur vt suprà, augendo mensuram aquæ extinctionis Ferri.

Cùm relaxare potius volumus: ℞. rad. Liliorum, Altheæ & Maluæ cum toto, Parietariæ, ana q. s. addendo paulò minùs Matricarię, Pulegij, & de alijs supradictis vterum roborantibus. Item seminis Lini, Fœnogr. ana P.j. fol. Chamom. Meliloti ana P.ij. p balneo.

Si expurgare vterum ab humiditatibus præcipuè studemus, adde balneo calefacienti, rad. Bryoniam, herbã Mercurialẽ & Persicariam, vt reliqua quantitate exuperent.

Iisdem, præsertim quæ efficacia sunt, vterum fouere, si in eo multoties sedere tædiosum illi sit, loco balnei conueniet.

Vel si tota mulieris constitutio humidior, balnei vsum diuturnum requirat, eo corporis inferiora penitus immergendo, per mensis spatium vti poterit.

Thermarum item naturalium siccantiũ vsus, per mensis spatium & vlterius, mulierum infœcundarum vltimum est refugium, ad quas eo nomine proficiscuntur; in illisq; multas horas indies sedent, & sudant. Quæ efficaciores erunt, si naturã actu calidæ quoque sint: quales aluminosæ & nitrosę, & gypsum redolentes, Plumbariæ dictæ, passim inueniuntur. Sulphureæ item: quę cùm vim emolliendi habeant maximam, in duritie vteri naturali sanas mulieres steriles reddẽte,

vidictum, extremum remedium, & quia siccant, in aliis quoq; conuenient. Salsæ etiam maris & puteorum aquæ, arte calefactæ & vsurpatæ, per se vel cum decocto conuenienti, proderunt.

Suffitus vtero excepti idem quoque præstant: qui ex decocto feruenti excitati, atque à muliere dum in stupha sudat, vel quandocunque balneum humidum egreditur, aliquamdiu admittuntur.

Calefaciens potissimum & roborans, ex odoratis plantis sic fiet, efficacioribus. Vt decocto Matricariæ, Pulegij, Calamenti, Origani, Saluiæ, Hysopi, Ocimi, Maioranæ, Rosmarini, Chamomillæ, addendo Fumariam, & Pimpinellam, quæ priuatim hîc comendantur. Item rad. Imperatoriæ, Valerianæ & Acori veri, ana q. s. ea in aqua & Vino decoquendo.

Vel si magis astringendum & siccandum, addimus rad. Bistortæ, Agrimoniam, Glandium capulas, nuces Cupressi, decoctioneq́; addito Vino rubro stiptico, facimus.

Fumũ iniectis pulueribus vel trochiscis, supra accensos carbones excitatum, mulier quotiescunq; ab insessione surgit, excipiat.

Qui sic parabitur, bonique odoris erit: ℞. Benzoini, Storacis, ana ʒ. ij. Ladani ʒ. j. ligni Aloës ℈. j. Moschi ℈. ß. Sacchari ʒ. iij. misce; fiant trochisci cum infus. gummi Tragach. Vratur vnus.

Vel hoc modo: ℞. trochisc. Galliæ & Aliptæ mosch. Imponatur vnus carbonibus.

Vel sequens non ita suauis: ℞. Masticis, Thuris, Storacis, Ladani ana ʒ. j. Garyophyl. Cinamom. rad. Cyperi, Nucis mosch. Santali citr. ana ʒ. ß. Castorij ℈. j. fiat puluis: Proijciatur portio illius supra carbones ignitos, & fumum excipiat.

Quæ sinui vteri admouentur proximè, nascalia, vel quæ profundè intruduntur, pessaria, ad vterum ab humiditatib. expurgandum, si illis redundet, instituuntur, purgato prius generatim corpore, & transactis mensibus, quo tempore alba vteri excrementa fluere solent, ante balnei vsum, vel dũ eo vtitur: vnâ vel duabus aut trib. noctibus ea continendo, vel si menses nõ rectè fluant, etiam paulò ante ipsorum aduentum illis vtendo.

Hoc modo: ℞. folia Mercurialis recentia, contundantur, atque in sacculo sericeo butyro illito supponantur. Quod si nimis mordicant, Melle & Vitellis ouorum potius subacta, vsurpantur.

Vel sic: ℞. pulu. Benedictæ ℥. ß. Agarici ʒ. iij. seminum Nigellæ ʒ. j. fellis Hirci ʒ. j. ß. farinæ Cicerum ℥. j. cum succo Mercurialis vel Betæ: fiant pessaria.

Ad calefaciendum vterum, eumque ad conceptum disponendum, alia subijciuntur, cùm balneo vsa est & suffitu, seque in lectum composuit mulier, tribus postremis balnei diebus, totam noctem relinquẽdo, vt sic absoluto balneo, viro se commiscens, ad conceptum fiat idonea.

Hoc pacto: ℞. Trypheræ magnæ sine opio ℥. j. Masticis ℥. ß. Styracis liquidæ ʒ. ß. Coaguli hœdi vel leporis ℥. ß. Zibetæ vel moschi ℈. ß. Impleantur sacculo pro pessariis.

Vel sic: ℞. Masticis ℥. ß. Thuris ʒ. iij. rasuræ Eboris ʒ j. ß. Nucis cupres. ʒ. j. fol. Melissę, Nepetæ, Gariophyl. Spicænardi ana ʒ. ß. Zibetæ vel Moschi ℈. ß. vel ad pretium minuendũ, Castorij ℈. j. excipiantur coagulo Hœdi vel leporis recenti, addendo Styracis liquidæ ʒ. iij. fiant pessaria.

In viraginibus & quibus vterus durus & siccus est, eum potius dilatare oportet, hoc modo: ℞. axungiæ Anseris & Gallinæ, mucilag. sem. Fœnogr. extractæ cum Vino, Vitelli oui ana ℥. ß. resinæ Lariceæ, Coaguli hœdi ana ʒ. ij. rad. Ireos ʒ. iij. Storacis cal. ʒ. ij. Ceræ albæ q. s. addendo parùm Moschi vel Castorij: fiant pessaria.

Vnctiones, post balneum & suffitum peracta, in pectinis regione & vmbilici fieri debent. Probatur autem imprimis ol. Muscatum seu Muscellinum dictum.

Vel fiat tale: ℞. olei Cheirini, Nardini, axung. Gallinæ & Anseris ana ℥. ß. Styracis liquidæ ʒ. ij. Gariophyl. Nucis mosch. Maceris ana ʒ. j. Ligni aloës, Schœnanthi ana ℥. ß. Galliæ mosch. ʒ. j. Ceræ q. s. fiat linimentum.

Efficacissimum hoc est: ℞. olei Maioranę & Gariophyl. per destillat. ana ℈. j. olei Nucis mosch. per expres. ʒ. j. Zibetæ & Moschi gr. aliquot. Ceræ albæ q. s. fiat linimentum: quo vmbilicus & introitus sinus vteri illinatur,

diebus postremis balnei, antequã cum marito concumbat.

Emplastra vterum, vt semen auidiùs rapiat, & conceptum retineat confirmantia, in perinęi & lumborum regione vel eodẽ tempore vel mutatis vicibus, gestare debẽt, tunc primùm, quando peractis diebus balnei, suffitus, inunctionum & pessariorum, ab illis cessant, & viri consuetudine iterum vti incipiunt mulieres; continuò vel saltem singulis noctibus, ad vltimam septimanam, quâ menses erumpere debent, vsque illa ferendo.

Quale hoc est: ℞. emplastri pro Matrice ℥. j. Galliæ mosc. ʒ. ij. Styracis liquidæ ʒ. j. ß. Gariophyll. ʒ. j. Masticis ʒ. ij. malaxentur oleo Muscellino vel Cheirino: fiat emplastrum.

Quòd si menses, exactâ curâ vnius aut alterius mensis, sistantur, suspicioq; sit grauidam illam esse, per septimanam vnam aut alteram expectandum: quo tempore quieta mulier esse debet, & nisi interea redeant, sequens emplastrum ad conceptum retinendum abortumque vitandum locis dictis applicare, & singulis noctibus retinere debet: ℞. emplastri de Mastice ℥. j. rad. Bistortæ ʒ. iij. nucum Cupresi, Hypocistidis ana ʒ. ij. Santali rubr. Ros. rubr. Gariopyl. ana ʒ. j. malaxentur oleo masticino: fiat emplastrum.

Congressus decens, vt conceptio fiat, omnino requiritur. Qui sic institui debet, vt non fiat, nisi tàm mare quàm fœmina, eum magno desiderio appetente, si desiderium illud ex aliquandiu intermisso concubitu potiùs, quàm irritamẽtis nascatur: quæ & non minima causa est, quare post peregrinationem longã, maritis diu absentibus, & quòd mulieres, dum thermis vtuntur, aliquãdiu à maritis separatę, aut dum remedijs vtũtur, diutius à concubitu abstinẽtes, postea citiùs concipiant. Dein quoq; sic actus perfici debet, vt eodem tempore vtrinq; semen emittatur, nec mox ab inuicem separentur. Et cùm mulier se grauidam esse, suspicatur, à Venere, donec embryo vtero adnatus, beneq; confirmatus fuerit, abstineat. Absolutis mensibus, die vno aut altero, si congrediantur, tunc tantùm conceptum fieri posse, alio minimè, existimatur. Alij citiùs hoc fieri, si illud dum menses adhuc fluunt, fiat, autumant. Quod nos omni tempore, cùm vterus calet, vt suprà demonstratum, fieri posse credimus. Sunt qui varios congrediendi modos ad conceptionem facientes, turpiter docent, & quod scelus est, depingunt.

Si vir ante concubitum glandem Zibetâ inungat, cùm odore illius vterus delectetur, citiùs eum semen excipere, plerique docent.

Odorem Zibetæ, Ambræ, Moschi in pomis, chirothecis, puluinis, noctu præsertim, mulieres ad conceptum aptiores reddere, scribunt.

Marium, fœminarumq; procreandarũ ratio.

Vt masculus potius quàm fœmina generetur: Alij si vir & mulier victus ratione calidiore & sicciore vtantur, fieri posse autumant, hisce rationibus, quòd quia mares calidiores fœminis esse censentur, à calidioribus naturis procreentur, adducti. Alij verò si vir ante congressum matricẽ leporis, mulier verò testiculos illius exiccata & pulueriza ta cum vino bibant, id fieri posse, docent. Vel si vir adipe anseris cum terebinthina virgam inungat, tertioque die coëat. Alij qui ex semine testiculi dextri mares, ex sinistri fœminas generari putant, ligaturâ huius illiúsve testis in coitu, vt mas vel fœmina procreetur, effici posse, Aristotelem secuti, qui in pecoribus hoc facere iubet, scribunt: quod falsum esse non solùm in castratis, vno teste vtrisque generis sobolem tamen generantibus, vti superiùs demonstratum est, cernere est; sed & ratio docet, quòd nisi vinculum adeò arctè stringatur, vt vasa seminaria intercipiat, penitus, seminis trãsitum impedire minimè posit, illud verò si tentetur, cùm sine summo dolore fieri non posit, vir tunc ad actum Venereum exercendum, ineptus redditur.

Alij qui mares, si dextrâ; fœminas, si sinistrâ vteri sede semen excipiatur, formari censent, marem generari, si fœmina à concubitu semper in dextrum latus recubuerit, volunt. Superstitiosè quidam, vt hoc fiat, fasciâ pueri albâ pede dextrum, nigrâ sinistrum, ligare iubent.

INDEX.

AFfectuum omnium, qui in hoc opere tractantur, & in margine plerunque adnotati reperiuntur, tàm Symptomatum in generibus propositorum, quàm Morborum in causis descriptorum. Quibus, vbi cuiusq; cura (quo nomine omnem actionem Medici, quæ prædicẽdo operandoq; perficitur, intelligimus) inueniatur, numero indice, singulis addito, significatur.

A



ABstemij 481. vide, Fastidium certorum ciborum.
Agonia, Atechnia: vide Sterilitas.
Albugo oculi, causa Visus defectus 192. cura 226
Alui constipatio 422. causa 423. 425. cura 426
Amaurosis: vide, Visus defectus.
Amblyopia: vide, Visus defectus.
Amor, Hereos: vide, Animi commotio.
Aneurisma in cordis palpitatione: vide, Cordis palpitatio.
Anhelatio 388.415
Anhelosi, Suspiriosi: vide, Asthma.
Animi commotio 82. causæ 93. cura 110
Animi deliquium: vide, Virium lapsus.
Animi affectus, causa Suspiriorũ 390. cura 397
Anorexia: vide, Appetentia deiecta.
Aphonia: vide, Vocis defectus 351
Apolipsis: vide Aphonia.
Apoplexia 113. causæ 20.22.27. cura 30.51.53.57
Apositia 482. causæ 483. cura 485
Appetitus defectus 480. causæ 483. cura 485
Appetitus deprauatus 491. causæ 494. cura 497
Appetentia deiecta seu imminuta 482. causæ 483.484. cura 485
Appetentia nimia ciborum 491. causæ 493.494.496.497. cura ibid.
Appetentia canina: vide, Boulimos.
Appetentia vitiosa 492. causa 497. cura ibid.
Apprehensio, causa Fastidij certorum ciborum 482. cura 485
Aquei humoris tenacitas, causa Suffusionis 190. cura 236
Arteriarum repletio à sanguine arterioso, copioso & feruido, causa Cordis palpitationis 472. cura 474
Aspera arteria amputata, causa Strangulationis 376. cura ibid.
Asperæ arteriæ constrictio, causa Suffocationis 360. cura 377
Asperæ arteriæ irritatio ab illapsis, causa Tussis 392. cura 393
Asperæ arteriæ irritatio à defluxione, causa Tussis 393. cura 402
Asthma 349. causa 360. cura 377
Asthmatis species diuersa à communi 352. causa ibid. cura 362
Auditus læsio 239. causæ 240. cura 250
Auditus defectus in Surditate 239. in Auditu graui ibid. causæ 239.241.242.244.247.249.250. cura 252.258.259
Auditio grauis, Barycoia; vide Auditus defectus.
Auditio praua, Obauditio 239. causæ 240.241.242.244. cura 250.252.253
Auditorij nerui refrigeratio, causa Auditus defectus 249. cura 259
Auditorij nerui stupor, causa Auditus defectus 249. cura 259
Auditus organi repletio, ab humore, causa Auditus defectus 247. cura 258
Auditus organi cõformationis vitium, læsio, causa Auditus defectus 247. cura 258
Auditus organi affectus à spiritu, vapore, flatu, causa Auditionis prauæ 245. cura 252
Auditus organi offensio, à sono, causa Auditus defectus & deprauationis 242. cura 250
Auris obstructio ab excrementis, tumore, causa Auditus defectus & deprauationis 242. cura 252

B

BAlbuties 351. causa 358.359. cura 375.376
Balbuties cum stridore 389. causa 396
Boulimos: vide, Appetentia nimia.

C

CAecitas: vide, Visus defectus.
Caligo 170. causæ 192. cura 226
Callus, Cicatrix, causa Mensium & Hæmorrhoidum suppressorũ 509. cura 510.524
Caloris natiui extinctio, causa Virium imbecillitatis 461. cura 463
Cardiaca: vide, Ventriculi orificij dolor.
Caros 12. causæ 20.22. cura 39.51
Cartilaginũ ossium articulos incrustantium exiccatio & exasperatio, causa Immobilitatis 302. cura: vide Ligamentorum exiccatio.

Castratio, causa impotentia in eunuchis 538
Catalepsis 18. causa 28. cura 57
Catalepseos species, Aphonia 351
Cataphora: vide, Caros.
Catoche: vide, Catalepsis.
Cerebri calida intemperies, causa Insomniorum 148. cura 151
Cerebri calida intemperies, causa Vigiliarum 148. cura 150
Cerebri calida intemperies, causa Visus hallucinationis 174. cura 201
Cerebri frigida intemperies, causa Stuporis 19. cura 38
Cerebri frigida intemperies, causa Visus defectus 173. cura 202
Cerebri frigiditas, calor, imbecillitas, repletio, ab humore, vapore, læsio, causa Auditus defectus & deprauationis 240. cura 250
Cerebri humida intemperies, causa Memoriæ imminutæ 3. cura 4
Cerebri humida intemperies, causa Somni immodici 19. cura 38
Cerebri sicca intemperies, causa Memoriæ imminutæ 3. cura 10
Cerebri maligna intẽperies, causa Visus hallucinationis 174. cura 201
Cerebri à qualitate maligna affectus, causa Maniæ 92. cura 106
Cerebri à qualitate venenata affectus, causa Soporis & Stuporis 27. cura 56
Cerebri à vi narcotica affectus, causa Soporis & Stuporis 26. cura 55
Cerebri à vi temulenta dementatio, causa Temulentiæ 90. cura 104
Cerebri intẽperatura, causa Mentis imbecillitatis 4. cura ibid.
Cerebri intemperatura, causa Stultitiæ 103. cura 142
Cerebri affectus, causa Suffocationis & Dyspnœæ in Apoplexia & Epilepsia 351. cura 362
Cerebri affectus, causa Olfactus defectus 260. cura 262
Cerebri imbecillitas, causa Mentis imbecillitatis 2. cura 4
Cerebri imbecillitas, causa Visus defectus 175. cura 201
Cerebri vitium organicum, causa Mentis imbecillitatis 3. cura 4
Cerebri praua conformatio, causa Stultitiæ 103. cura 142
Cerebri tumor, causa Soporis cum Stupore 24. cura 53
Cerebri inflãmatio, causa Phrenitidis 103. cura 135
Cerebri læsio, causa Stuporis & Apoplexiæ 24. cura 53
Cerebri putredo, causa Maniæ 103. cura 143
Cerebri vermes, causa Maniæ 104 cura 143
Cerebri macula, causa Maniæ 103 cura 143
Cerebri à sanguine affectus, causa Cari & Apoplexiæ 22. cura 51
Cerebri à pituita affectus, causa Cari & Apoplexiæ 20. cura 39
Cerebri à pituita, seu aqueo humore fluctuante affectus, causa Vertiginis 183. cura 208
Cerebri ab humore melancholico affectus, causa Melancholiæ & Maniæ 99. cura 119
Cerebri à vapore copioso aggrauatio, causa Somni profundi 25. cura 54
Cerebri à vapore halituoso irrigatio, causa Somni immodici 25 cura 53
Cerebri à vaporibus affectus, causa Vertiginis, Hallucinationis & Scotomatis 178. cura 203
Cerebri à vaporibus incalefactio, causa Paraphrenitidis 103. cura 135
Cerebri à vaporibus petiti in febribus affectus, causa Lethargi & Cari 25. cura in Lethargo 54
Cerebri spiritus animalis defectus causa Tremoris 341. cura 344
Cerebri spirituũ absumptio, causa Apoplexiæ 27 cura 57
Cerebri spirituum agitatio, causa Animi commotionis 93
Cerebri spirituum agitatio, causa Vertiginis 176. cura 202
Cerebri spirituũ agitatio & perturbatio, causa Inquietudinis 338. cura 343
Cerebri spirituum cõmotio, causa Vigiliarum 146. cura 149
Cerebri spirituum perturbatio, causa Melancholiæ hypochondriacæ 97. cura 113
Cerebri spirituũ perturbatio, causa Insomniorum 148. cura 150
Cerebri spirituum perturbatio, causa Visus hallucinationis 176. cura 202
Cerebri spirituum in neruos profusio, causa Epilepsiæ, Conuulsionis, Catalepsis, & Stuporum diuersorũ generum 28. cura 57
Cerebri arteriarum, & vasis venosi induratio, causa Vertiginis 179. cura 202
Chrystallini humoris deflexus à sua sede, causa Visionis, quâ res non nisi propinquas vel distitas cernunt 188. cura 218
Chrystallini humoris peruersio, causa Visus hallucinationis & Strabismi 187. cura 218
Chrystallini humoris discoloratio causa Visus hallucinationis & Glaucomatis 190
Chrystallini humoris obscuritas, causa Nyctalopiæ 190. cura 219
Chrystallini humoris, seu vitrei induratio, causa Visus defectus 190. cura 219
Ciborum parcior vsus, causa Menstruorum suppressorum 506. cura 510

Cicatrix oculi, causa Visus defectus 192. cura 226
Colli angustia, causa Vomitionis difficilis 418. cura 421
Columellæ defectus, causa Loquelæ defectus 359. cura 376
Conceptus defectus 553. causa 554. cura 559
Congelatio: vide Catalepsis.
Consuetudo vitiosa, causa Appetentiæ nimiæ 493. cura 497
Contractio 276.278. causa 293. cura 329
Contractio, Contrackt / Germ. 279. Paralysis vel Contractionis species, vbi & causa, & cura.
Conuulsio, Fallend Siechtag: vide, Epilepsia.
Conuulsio, Gegicht 15. causa 28. cura 57
Cordis & arteriarum pulsatio, siue magna siue parua sit 468. causa 471
Cordis palpitatio vel tremor 468. causæ 471. 472. 474. cura ibidem
Cordis affectus, causa Respirationis abolitæ in Syncope 351. cura 362
Cor impetens maligna qualitas, causa Virium defectuum 462. cura 463
Cor offendens maligna qualitas, causa Cordis palpitationis 474 cura ibid.
Cordis vulnus, causa Virium lapsus & mortis 462. cura 463
Corneæ discoloratio, causa Visionis falsum colorem repræsentantis 193. cura 236
Corneæ obscuritas, causa Caliginis 192. cura 226
Corporis calor, causa Inquietudinis 338. cura 343
Corporis calor causa Respirationis citæ 390. cura 396
Corporis dolor causa Inquietudinis 338. cura 343
Corporis motus vehemens, causa Respirationis citæ 390. cura 396
Corporis habitum peruadētes vapores, causa Palpitationis 340. cura 348
Corporis plethora & cacothymia, causa Lassitudinis spōtaneæ 272. cura 273
Coryza 393. causa ibid. cura 401
Cynicus spasmus, spasmi species 280. causa 289. cura in Spasmo 324

D

Dæmonis fascinatio, causa Soporis dæmoniaci 27. cura 57
Dæmonis fascinatio, causa Obsessorum 89. cura 104
Defatigatio post labores 270. causa 272. cura 273
Deiectionis defectus 422. causa ibid. cura 426
Delirium: vide, Phrenitis, Paraphrenitis.
Dentium defectus, causa Balbutiei 359. cura 336
Dentium stupor, causa Mandendi defectus 279. cura in Hæmodia.
Desuetudo, causa Fastidij certorū ciborum 482. cura 485
Distributionis Chyli tarditas, causa Appetentiæ imminutæ 483. cura 485
Distributio chyli nimis citò facta, causa Appetentiæ nimiæ 494. cura 497
Dyspnœa, Difficilis respiratio 349 causa 353. 360. 362. cura 364. 375. 376. 377
Dyspnœa in partium naturalium vitijs, præsertim Hydropicis 356. causæ 357. cura 375
Dysuria: vide, Mictio interruptis vicibus.

E

Ebrietas: vide Temulentia.
Ecstasis: vide, Sopor grauis cū insomnijs, & Stupor remanente auditu.
Ecplixis: vide, Stupor.
Emunctio 389
Ephialtes: vide Incubus.
Epilepsia seu Conuulsio 14. causa 28. cura 57. iterum 336. causa 338. cura 343
Epistotonos, Contractionis species 278. vide Contractio.
Erigendi & flectendi corporis Impotentia 278. causas & curam: vide, in Spasmo, Tetano, Gibbo, Musculorum, Ossium, Ligamentorum, affectibus, motus impotentiam facientibus.
Eructandi impedimentum, Sodt Germ. 415. causa 418. cura 422
Eunuchi 514. vide, Impotentia.
Expuitio, Screatus 389. causa 392.393. cura 414
Expuitio copiosa ab Hydrargyri vsu 393. causa ibid.
Exsufflatio 388

F

Fames insatiabilis vel immodica: vide Appetentia nimia.
Fastidium ciborum 480. causæ 483. cura 485
Fastidium ciborum certorum 481 causa 482.485
Faucium angustiæ occlusæ, causa Suffocationis & Dyspnœa 358 cura 377
Faucium, aspeniæq; arteriæ ab aëre frigido, vel aqua, refrigeratio, causa Tussis & Raucedinis 391
Faucium irritatio à defluxione, causa Screatus, Expuitionis & Raucedinis 393. cura 413.414
Faucium morbi, causa Raucedinis 396. cura 413
Faucium à sanguine oppletio, causa Excretionis illius 393
Fœtus magnitudo, causa Partus difficultatis 442. cura 448

Fœtus

Fœtus situs peruersus, causa Partus difficilis, vel nullius 442. cura 445
Fœtus imbecillitas, causa Partus defectus 442. cura 445
Fluctuatio in auribus: vide, Auditio praua.
Formicatio: vide, Stupor.
Fractura ossium: vide, Ossium fractura.
Frigidi 538. vide, Impotentia.
Furor venereus in masculis: vide, Pruritus venereus.
Furor venereus Vterinus in fœminis 545. causa 546. cura 550

G

GEsse: vide, Oculos claudendi impotentia.
Gibbus, Contractionis species 278. causam & curam vide in Contractione.
Gibbus Luxationis ossium species 301. causa ibid. cura 330
Glaucoma 290. vide, Chrystallini discoloratio & suffusio.
Gustus læsio 159. causa ibid. cura 163
Gustus defectus 159. causa 160. ibid. cura 163.165. 166
Gustus falsus 159. causa 161. cura 168

H

HAemodia, Stupor dentium 153. causa 157. cura 158
Hæmorrhagiæ defectus 504. causa 505. cura 510
Hæmorrhagiæ nariũ defectus 504. causæ 507. cura 526
Hæmorrhagiæ partium defectus 505. causa 506. cura 526
Hæmorrhoidum suppreßio 505. causæ 506.508.509. cura 524
Hemiplegia, Paralysis vnius lateris 276. vide, Paralysis.
Hermaphroditi 535. vide, Impotentia.
Horror: vide Rigor.
Hydrophobia 86. causa 89. cura 107
Hypochyma: vide, Suffusio.
Hypopios: vide, Oculi pus.
Hyposphasma: vide, Sugillatio.
Hystericæ mulieres: vide, Vteri suffocatio.

I

IMaginatio, causa Oscitationis 339. cura 348. iterum 391. cura 397
Imaginatio: vide, Visus hallucinatio, cuius species existit.
Immobilitas generalis seu pluriũ partium simul 276. vide Paralysis seu Spasmus, vbi hoc tãtum euenit.
Immobilitas particularis seu peculiarium partium 277. veluti dorsi, in brachijs & cruribus 278 maxillæ inferioris & oris 280. palpebrarum ib. oculi ibid. quorum causas & curam vide in Paralysi, Spasmo, Contractione musculorum, tendinum, ligamentorum, oßium, cartilaginũ affectibus, Immobilitatem procurantibus.
Impotentia in masculis, qui Impotentes dicuntur 534. causa ibid. 536.537. cura 540
Incedendi & apprehendendi Impotentia 278. causas & curam vide in Paralysi, Spasmo vero & flatulẽto, Contractione Musculorum, Oßium, Ligamentorum, Cartilaginum, motus impotentiam gignentibus affectibus.
Incantatio, causa Impotentiæ illius in viris, vnde Ligati appellantur 538. cura 539.540
Incubus, Pignalion 350. causa 355. cura 364
Ingenij tarditas: vide Mentis imbecillitas.
Insomnia præternaturalia 144. causæ 146. ibid. 148. cura 149. 150.151
Inquietudo 335. causa 338. cura 343
Ischuria: vide, Mictio abolita, vesicâ plenâ.
Ischuria in Delirio 430. causa ibid. cura 432
Intestinorum exiccatio, causa Alui constipationis 423. cura 426
Intestinorum obstructio à fæcib. causa Alui coustipationis 432. cura 426
Intestinorum obturatio alia, causa Alui constipationis 425. cura 426
Intestinorum conuolutio, causa Alui constipationis 423. cura 426
Intestinorum sensus ablatus, vel obtusus 425
Iudicij defectus: vide, Mentis imbecillitas.

L

LAbiorũ amputatio, dissectio, vlcera, aliáve vitia, causa immobilitatis illius 303. vide, Os claudendi & aperiendi impotentia.
Lactationis defectus 530. causa 531. cura 532
Lactis defectus 531. causa ibid. cura 532
Languiditas in masculis, qui Languidi dicuntur 534. causa 535. cura 540
Laryngis musculorũ affectus, causa Vocis defectus 353. cura 364
Laryngis rimulæ astrictio vel obstructio, causa Vocis defectus 359 cura 377
Laßitudo spontanea 271. causæ 272. cura 273
Lethargus sine febre: vide, Carus: cum febre, vide, Sopor cũ febre.
Ligamentorũ morbi, causa Motus impotẽtiæ 301. cura 327.330.332
Ligamentorum exiccatio, durities, tumor, causa Motus impotentiæ 302. cura 327.329
Ligamẽtorum laxitas, causa Motus impotentiæ 302. cura 332
Ligamentorum soluta continuitas, causa Immobilitatis 301. cura

cura 329
Ligati, Maleficiati: vide, Impotentia.
Ligula sub lingua astricta, causa Loquelæ defectus 359. cura 376
Lingua diminuta, causa Loquelæ defectus 359. cura 376
Lingua nimium adaucta, causa Loquelæ impeditæ 358. cura 376
Linguæ exiccatio, causa Balbutiei 358. cura 375
Linguæ vitium, causa Balbutiei cum stridore 396
Linguæ imbuitio, causa Gustus falsi 161. cura 168
Linguæ neruorum affectus, causa quòd Muti & Surdi fiunt 351. cura 362
Linguæ musculorum affectus, causa Loquelæ defectus 353. cura 364
Lipothymia, Lipopsychia: vide Virium Lapsus.
Loquelæ defectus 351. causa 353. 359. cura 364.376
Loquelæ defectus, deficiente voce 351. vide, Vocis defectus.
Luxatio ossium: vide, Ossium dislocatio.

M

Malacia: vide Pica.
Mamillarum venarum obturatio, causa Lactationis defectus 531. cura 532
Mania 85. causa 91. cura 99.103.104
Mares vel fœminas procreãdi defectus 553. causa 555 cura 562
Matris parturientis imbecillitas, causa Partus defectus 442. cura 445
Melancholia 83. causa 99. cura 119
Melancholia hypochondriaca 85. causa 97. cura 113
Membranarum & cutis affectus, causa Stuporis 156. cura 157
Membri virilis defectus, conformatio mala, stupor, causa Impotentiæ & Languiditatis 535. cura 539
Membri virilis canalis obturatio, angustia aut perforatio, causa Veneris impeditæ, vel imperfectæ in Viris 539. cura ibid.
Membri virilis non in recto loco apertura, causa Conceptus defectus 556. cura 559
Membrorũ ex labore nimius motus, causa Defatigationis 272. cura 273
Membrorum ex otio torpor, causa Pigritiei 271. cura 273
Membrorum imbecillitas, causa Motus debilitatis 371. cura 273
Membrorum laßitudo, causa Pandiculationis & Oscitationis 339. cura 348
Memoria imminuta: vide Mentis imbecillitas.
Menstruorum suppreßio 504. causæ 506.507.508.509. cura 510
Mentis imbecillitas 1. causæ 3. cura 4.10
Mentis hebetudo: vide, Mentis imbecillitas.
Mentis consternatio 11. causæ 18. cura 38
Mentis defatigatio 143. causa 146. cura 149
Mentis alienatio 80. causæ 89. cura 104
Mictionis defectus 428. causa 429. cura 432
Mictio abolita, vesicâ plenâ, Ischuria 428. causa 430.431. cura 432
Mictio abolita, vesicâ inani 428. causa 430. cura 432
Mictio interruptis vicibus, Dysuria 428. causa 430. cura 432
Mictio pauca & rara 428. causa 429. cura 432
Mictio stillatim facta, Stranguria 428. causa 430.431. cura 432
Morbus caducus, Comitialis, Sacer, Lunaticus, Herculeus: vide, Epilepsia.
Mordendi & mandendi impotentia 279. causas & curam: vide in Paralysi, Trismo, Oßium, Musculorum, Ligamentorum affectibus, motus impotentiam causantibus.
Morsus canis rabidi, causa Hydrophobiæ 92. cura 107.
Motus debilitas 270. causæ 271. cura 272
Motus impotentia 275. causæ 282. cura 303
Motus deprauatus 335. causæ 337.338. cura 343
Musculorum, illorúmve tẽdinum exiccatio, causa Contractionis 293. cura 329
Musculorum, illorúmve tẽdinum tumor, causa Paralysis 295. cura 329
Musculorum, illorúmve tẽdinum morbi, causa Paralyseos, Spasmi flatulenti: aliarumq; Immobilitatis specierum 290. cura: vide in illis speciebus.
Musculorum, illorúmve tẽdinum nimia attractio: causa Spasmi flatulenti 296. cura 325.335
Musculorum organicum vitium, causa Motus impotentiæ 296. cura 335
Musculorum refrigeratio, causa Motus impotentiæ 295. cura 324
Musculorum spacia flatibus oppleta, causa Spasmi flatulenti 292. cura 325
Musculorum distentio ab halituosis vaporibus, causa Pandiculationis 339. cura 348
Muti 351. vide, Loquelæ defectus.
Muti & surdi simul 351. causa 351. cura 352
Myopia: vide, Visus res nõ nisi pro-

pinquas discernens.
Mytiriasis: vide, Pupillæ dilatatio.

N

NARiū obturatio, causa Olfactus defectus 259. cura 262
Narium circa ossa cribrosa obstructio, causa Olfactus defectus 260. cura 262
Narium irritatio ab acribus, causa Sternutationis 392. cura 400
Narium pruritus à sanguine, causa Sternutationis 393. cura 400
Narium vellicatio ab odore, causa Sternutationis 391. cura 400
Narium vellicatio à defluxione, causa Sternutationis 393. cura 400
Natura ex consuetudine mutata, causa Vigiliarum 146. cura 149.150
Natura ex consuetudine mutata, causa Insomniorum 146. cura 149.150
Nausea: vide, Fastidium ciborum.
Neruorum morbi, causæ Paralysis 285. cura 324. 329. 335
Neruorum à pituita affectus, causa Paralysis 285. cura 304
Neruorum frigida intemperies, causa Paralysis 288. cura 324
Neruorum siccitas, causa Paralysis 288. cura 326
Neruorum cōformationis vitium, causa Paralysis 288. cura 325
Neruorum tumor, causa Paralysis 287. cura 329
Neruorum læsio, causa Paralysis 289. cura 329
Neruorum compressio, causa Paralysis 288. cura 329
Neruorum ab alijs humoribus quàm pituitâ affectus, causa Paralysis speciei, colicos dolores sequi solitæ 287. cura 324.
Neruorum affectus, causa Transglutiendi difficultatis quæ Paralysis vel Spasmi est species 416 417. cura 418
Neruorum irritatio, causa Spasmi seu conuulsionis particularis, illiusq; diuersarum specierum 289.290. cura 304.324. Iterum 338. cura 343
Neruorum læsio, causa Tremoris 341. cura 344
Neruorum princ pij irrigatio, refrigeratio, compressio, causa Visus defectus 173. cura 202
Nerui optici contorsio, causa Visus defectus 175. cura 201
Nerui optici soluta continuitas, causa Visus defectus 175. cura 201
Nerui optici siccitas, causa Visus defectus 174. cura 202
Nerui optici refrigeratio, causa Visus defectus 173. cura 202
Nerui retiformis affectus, ob spiritus animalis priuationem, causa Visus defectus 185. cura 216
Nerui retiformis affectus, ob obiecti priuationem, causa Visus defectus 185. cura 217
Neruorum sextæ & septimæ coniugationis affectus, causa Dyspnœa in Paralysi 352. cura 362
Neruorum recurrētium affectus, causa Loquelæ & vocis defectus 352. cura 362
Neruorum tàm motoriorum, quā sensoriorum affectus, causa Formicationis 155. cura 158
Neruorum tàm motoriorū, quàm sensoriorum affectus, causa sensus falsi caloris & frigoris 155. cura 158
Neruorum motoriorum affectus, causa Stuporis 153. cura 157
Neruorum sensoriorum affectus, causa Stuporis 154. cura 157
Nictatio 337
Nubecula 171. causæ, cura: vide Visus hallucinatio.
Nutrimenti penuria, causa Famis immodicæ 171. cura 497
Nyctalopia 171. causa 190. cura 219

O

OBliuio: vide Memoria imminuta.
Obsessio à dæmone 86. causa 89. cura 104
Obstructio in visceribus & extra hæc, causa Mensium & Hæmorrhoidum suppressorum 508. cura 510.523.
Obstructio in vasis partium per quas sanguis fluit, causa Mensium, Hæmorrhoidum & Purgationis post partum defectus 509. cura 510.523.522
Oculi occlusio, causa Visus defectus 191
Oculi humorum absumptio, causa Visus defectus 186. cura 217
Oculi humorum effluxus, causa Visus defectus 185. cura 217
Oculi humorum prolapsus, causa Visus defectus 190. cura 217
Oculi pus, causa Visus hallucinationis & defectus 195. cura 237
Oculi peruersio, causa Strabismi 191. cura 218
Oculi musculorū contractio, causa Strabismi 303. cura in Contractione.
Oculos aperiendi & claudēdi impotentia 280. causas & curam: vide in Paralysi, Spasmo & Palpebrarum affectibus, motus impotentiam gignentibus.
Oculi post somnum aperiēdi difficultas, Spasmi leuioris species 281
Oculos volutandi impotentia ib. causas & curam vide in Apoplexia, Epilepsia, vbi hoc euenit.
Oculorum tumor, vulnus, causa illius Immobilitatis 303. vide Oculos claudendi & aperiendi Impotentia.
Oculorū offensa à splendore, causa Sternutationis 391. cura 400
Oesophagi cōpressio, causa Transglutiendi

glutiendi difficultatis 417. cura 421
Oesophagi exiccatio, causa Trāsglutiendi difficultatis 417. cura 419.420
Oesophagi obstructio à deglutitis illic hærentibus, causa Transglutiendi difficultatis 417. cura 419
Oesophagi obstructio à tumore, causa Transglutiendi difficultatis 417. cura 421
Oesophagi obstructio, causa Vomitionis impeditæ 417. cura 421
Oesophagi vel stomachi angustia, causa Vomitionis impeditæ 417. cura 421
Olfactus læsio 259. causæ 260. cura 262
Olfactus defectus 259. causæ 260. 261.262.263
Olfactus deprauatus 259
Olfactus foraminulorum occlusio, causa Olfactus defectus 261. cura 263
Olfactus organum, humore tenui affectum, causa Olfactus defectus 262. cura 263
Opistotonos, Contractionis species 263. vide, Contractio.
Orthopneumatici, qui recta ceruice respirare coguntur 349. causas, curam: vide in Suffocatione & Dyspnœa.
Os aperiendi & claudendi impotentia 280. causas & curam vide in Paralysi, Spasmo & Labiorum affectibus motus impotentiam gignentibus.
Oris tortura ibid. Paralysis & Spasmi species: vbi & causa & cura.
Oris distorsio seu leuis Spasmus, in plorantibus & ridentibus 280. causa 290
Oris & narium obturatio, causa Suffocationis 358. cura 377
Oris irritatio, causa Expuitionis 392. cura 414
Os succingētis tunicæ limus, causa Gustus defectus 160. cura 166
Os succingētis tunicæ siccitas, causa Gustus defectus 159. cura 163
Os succingentis tunicæ siccitas & nigredo, causa Gustus defectus 160. cura 165
Oscitatio 387. causa 291. cura 397. iterum 337. causæ 339. cura 348
Ossium articulorū dislocatio, causa Immobilitatis 298. cura 332
Ossium fractura vel alia læsio, causa Motus impotentiæ 297. cura 330
Ossium morbi, causa Impotentiæ 297

P

Palpebrarū tumor, vulnus, causa Immobilitatis 303. vide Oculos claudendi & aperiendi impotentia.
Palpitatio conuulsiua, Zupffen Germ. 290. causa ibid. cura in Spasmo 336. causa 340. cura 343
Pandiculatio 337. causa 338. 339. cura 348
Panniculus oculi, causa Visus defectus & hallucinationis 185. cura 234
Papillarum defectus vel coalitus, aut læsio, causa Suctionis impeditæ 531.532. cura ibid.
Paralysis, Resolutio 276. causæ ib. 285.287.288.289.290.295. cura 303.324.326.329.335
Paralysis cum sensu formicationis 276. causa 288. cura: vide Paralysis.
Paralysis species colicos dolores sequi solita 276. causæ 287. cura 324
Paraphrenitis 88. causa 103. cura 135
Paraplegia, Paralysis vtriusq; lateris 276. vide Paralysis.
Partium imbecillitas particularis 457. causa 562. cura 563
Partium corruptio, causa Partiū imbecillitatis 462
Partium sensibiliū irritatio, causa Rigoris & Pandiculationis 338. cura 346
Partus defectus 439. causa 441. cura 445
Partus difficilis naturalis 439
Partus difficilis præternaturalis ibid. causæ 442.443. cura 445
Partus omnino impeditus vel nullus 440. causæ 442. cura 445
Peccatum, causa Partus difficilis naturalis 441
Phrenitis 88. causa 103. cura 135
Pica: vide, Appetentia vitiosa.
Pigritia, Segnities, Tarditas, Ignauia ad aliquid agendum 269. causa 271. cura 273
Pinguedo an Partus difficultatis 445
Præternaturalis causa Insomniorum 146. cura 149
Priapismus 547. causa 549. cura 550
Priapismus vteri: vide, Furor vterinus.
Pruritus venereus 547. causa 548.549. cura 550
Pudendi mulieris rimæ angustia, causa Partus difficultatis 444. cura 445
Puerilis morbus, Kindtlin wehe: vide, Epilepsia.
Pulmonum connexus cū thorace, causa Dyspnœæ 360. cura 377
Pulmonum obstructio, causa Asthmatis 360. cura 378
Pulmonum pituita ex congestione, causa Tussis 393. cura 402
Pulmonum pus, causa Tussis 394. cura 402
Pulmonum sanies, causa Tussis 349. cura 402
Pulmonum sanguis, tàm eò defluxus, quàm inde suscitatus, causa Tussis 394. cura 402
Pulmonū tophi, causa Tussis 393. cura 402
Pulsatio in auribus: vide, Auditio praua.

Pulsus inordinatus & inæqualis 469
Pupillæ obstructio ab oculi humoribus, causa Visus defectus 195
Pupillæ angustia, causa Nyctalopiæ 199. cura 220
Pupillæ dilatatio, causa Vespertinæ acici 199. cura 220
Pupillæ peruersio, causa Strabismi 191. cura 218
Pupillæ peruersio, causa Visionis per nasum 192. cura 218
Purgationis post partum defectus 505. causa 509. cura 522

R

Raucedo 389. causa 391. 393.396. cura 413
Rigor, Motus deprauati genus 337 causa 338. cura 346.
Rigor, Spasmi species 277. vide Tetanum.
Risus Sardonius 290. causa ib. cura in spasmo.
Renum vel vreterum cōsumptio, obstructio, exiccatio, causa Mictionis suppressæ vesica inani 430. cura 432
Respirationis defectus 348. causa 351. cura 363
Respiratio abolita in Syncope 348 causa 351. cura 362
Respiratio cita 387. causa 390. cura 396
Respiratio deprauata 386. causa 389. cura 396
Respirationis organi laßitudo, & à vaporibus aggrauatio, causa Oscitationis 391. cura 397
Ructus 388. causa 396. cura 414

S

Salacitas 547. causa 548. cura 550
Sanguinis craßities, causa Mensiū suppressorum 507. cura 510
Sanguinis cruditas & impuritas, causa Mensium suppressorum 507. cura 510
Sanguinis per alias vias effusio, causa Mensium & Hæmorrhoidum suppressorum 506. cura 510.523
Sāguinis penuria, impuritas, craßities, causa Lactationis defectus 531. cura 532
Sanguinis spirituosi in colem adfluxus, causa Priapismi 549. cura 550
Satyriasis: vide Priapismus.
Scotoma. Obtenebratio 170. causæ 178.179. cura 203
Scotodinos 169. causæ, cura: vide Vertigo.
Scirrhus, causa Mensium & Hæmorrhoidum suppressorum 509. cura 510.523
Seminis acrimonia causa Furoris venerei vterini in fœminis 548. cura 550
Seminis commotio, causa Pruritus venerei 549. cura 550
Seminis copia, caliditas, causa Pruritus venerei 550. cura 548
Seminis mulieris defectus, cruditas, impuritas, causa Sterilitatis à fœminæ profectæ 555. cura 559
Seminis virilis paucitas, cruditas, vitium, causa Sterilitatis à viro dependentis 554. cura 559
Semen viri & mulieris in causa, quòd Mares vel Fœminæ generentur 555. cura 568
Sensus falsus caloris & frigoris, foris intusq; 152.153. causa 155. cura 158
Septi quatenus musculus, affectus, causa Dyspnœæ 353. cura 364
Septi per consensum affectus, causa Dyspnœæ 353. cura 364
Septum flatibus in abdomine collectis distentum, causa Dyspnœæ 357. cura 375
Septum humore, abdomen replente, distentum, causa Dyspnœæ 355. cura 357
Septum visceribus ventris impeditum, causa Dyspnœæ 357. cura 375
Septi nerui defluxione molestati, causa Asthmatis occulti 352. cura 362
Septum vaporibus à venis meseraicis ascendentibus affectum, causa Incubi 355. cura 364
Septum vaporibus ab vteri venis venientibus affectum, causa Suffocationis vteri 355. cura 369
Septi irritatio, causa Singultus 394. cura 397
Septi & subiectarum partiū morbi aliqui, causa singultus 396. cura ibid.
Septi paucitas, causa Mictionis paucæ & raræ 429. cura 432
Serum aliò raptum, causa Mictionis paucæ & raræ 429. cura 432
Seri craßities, causa Mictionis paucæ & raræ 430. cura 432
Seri transitus impeditus, causa Mictionis paucæ & raræ 429. cura 432
Serum quia ad habitum corporis non allicitur, causa Sudoris defectus 527. cura 528
Serum deficiens, aliò raptum, impeditum, crassum, causa Sudoris defectus 527. cura 528
Sibilus auriū: vide Auditio praua.
Singultus 387. causæ 394.395. 396. cura 397
Sitis defectus: vide, Adpositia.
Sitis immodica, præternaturalis vel vehemens 492. causæ 495. 497. cura ibid.
Somnus immodicus 11. causæ 19. 20. cura 38.53
Somnus profundus 12. causæ 25. 26. cura 54.55.56
Sopor grauis, Veternus Subeth: vide Caros.
Sopor cum stupore 13. causæ 24. cura 53
Sopor grauis cum insomnijs horrendis: vide, Sopor cum delirio.
Sopor cum delirio, Cataphora seu Coma

Coma agripnion 13. causam & curam vide in Lethargo.

Sopor dæmoniacus 13. causa 27. cura 57

Spasmus seu Conuulsio particularis 276.277. causæ 289. cura 304.324

Spasmus ad stomachum chirurgorum 290. ibid. cura in spasmo.

Spasmus mirus hinc inde per membra discurrens 277. causam & curam: vide in Spasmo.

Spasmus flatulentus, Krampff Germ. 276.277. causæ 292. 296. cura 325.335

Sterilitas 553. causæ 554.555. 556.557.558. cura 559.

Sternutatio 387. causæ 391. 392.393.395. cura 400

Strabismus 187. causa 187.191. cura 218

Strabismus, Contractionis species 281. causa 304. cura in Contractione.

Strepitus in auribus: vide Auditio praua.

Stultitia, Moria, Fatuitas, Infantia 80. causæ 103. cura 142

Stupor, Narce 151. causa 154.156. cura 157.158

Stupor, Obstupescentia 13. causæ 19.20. cura 38.56

Stupor cum resolutione: vide, Apoplexia.

Stupor cum conuulsione: vide, Epilepsia.

Stupor cum rigiditate: vide, Catalepsis.

Stupor remanēte auditu, vel motu 18. causa 29. cura 57

Suctio impedita 531. causa 532. cura ibid.

Sudoris defectus 527. causæ ib. cura 528

Sudoris consueti suppreßio 527. causæ 527. cura 528

Sudoris ad sanitatem necessarij defectus 527. causæ ibid. cura 528

Sudoris in morbis necessarij defectus 527. causæ ibid. cura 528

Sugillatio in oculo, causa visus hallucinationis & defectus 195. cura 236

Suffocatio & Strangulatio ab externis 349. causæ 358.360. cura 376.377

Suffocatio à fungorum esu 757. cura 375

Suffocatio seu Strangulatio aut Præfocatio vteri 350. causa 355. cura 369

Suffocatio & Dyspnœa in Angina 349. causa 358.559. cura 377

Suffocatio & Dyspnœa in Apoplexia, Paralysi, Spasmo 349. causa 351.352. cura 362

Suffocans catarrhus 349. causa & cura in Asthmate.

Suffusio causa Visus hallucinationis & defectus 196. cura 226

Surditas, Cophosis: vide, Auditus defectus.

Surdi & Muti simul: vide, Auditus defectus.

Suspirium 387. causa 390. cura 397

Syncope: vide, Virium lapsus.

T

Tactus læsio 151. causæ 153. cura 157

Temulentia 81. causa 90. cura 104

Tendinum exiccatio, tumor, soluta continuitas, attractio, causæ Motus impotentiæ: vide Musculorum illorúmve tendinum eiusmodi morbos.

Tendinum nimia elongatio, causa Motus impotentiæ 295. cura 335

Tendines pituitâ imbuti, causa Paralyseos 290. cura 304.335

Tentigo: vide, Priapismus.

Tetanos, Spasmi species 277. vide, Spasmus.

Tetanos, Contractionis species 278 vide Contractio.

Thoracis cauitatis repletio, causa Dyspnœæ 362. cura 376

Thoracis compreßio, causa Dyspnœæ 361. cura 377

Thoracis costæ introrsum delatæ, causa Dyspnœæ 362. cura 376

Thoracis cartilaginum induratio, causa Dyspnœæ 361. cura 375

Thoracis musculorū affectus, causa Dyspnœæ 353. cura 364

Tinnitus aurium: vide, Auditio praua.

Transitus per gulam defectus 415. causæ 416. cura 418

Transglutiendi difficultas 415. causa 416.417. cura 419. 421

Transglutiendi difficultas, Paralysis vel Spasmi species 415. causa 416. cura 418

Tremor 336. causa 341. cura 344

Trismos 280. Spasmi vel Contractionis species, vbi & causæ & cura.

Tumor verrucosus, causa Hæmorrhoidum suppressorum, cum dolore 509. cura 523

Tußis 388. causa 391.392.393. 394.402

Tußis sicca 395. causa ibid. cura 402

Typhomania: vide, Sopor cum delirio.

V

Vasorum seminalium affectus, vnde semen vel nullum, vel non decens generatur, causa Veneris impeditæ, vel imperfectæ in vtroque sexu: vel extinctæ in mulieribus 537. cura 539

Vasorum seminalium obstructio, causa Veneris defectus 539. cura ibid.

Vasorum seminalium refrigeratio, cōformatio mala, causa Veneris defectus in vtroque sexu, & in viris speciatim illius, vnde

Frigidi dicuntur 538. cura 539
Venerei actus defectus 534. causa 535. cura 539
Venena quædam, causa Boulimi, & Sitis intollerabilis 497. cura ibid.
Ventriculi lentor, pinguedo, humor, causa Appetentiæ deiectæ 483. cura 485
Ventriculi calor, causa Appetentiæ prostratæ 484. cura 485
Ventriculi imbecillitas, causa Appetitionis defectus 484. cura 485
Ventriculi stupor, causa Appetitus defectus 484. cura 485
Ventriculi offensio, causa Fastidij ciborum 483. cura 485
Ventriculi certa constitutio, causa fastidij certorum ciborum 483. cura 485
Ventriculi sensus exquisitus, causa Appetẽtiæ nimiæ 493. cura 497
Ventriculi qualitas occulta, causa Boulimi & Appetentiæ caninæ 496. & Picæ 497. cura ibid.
Ventriculi siccitas, causa sitis præternaturalis 495. cura 497
Ventriculi humectatio, causa Apositiæ 476. cura 485
Ventriculi madoris defectus, causa Sitis vehementis 495. cura 497
Ventriculi morbi aliqui, causa singultus 396. cura 397
Ventriculi irritatio, causa Singultus 395. cura 397
Ventriculi cardialgia, causa Sternutationis 395. cura 400
Ventriculi & intestinorum irritatio, causa Tussis siccæ & sternutationis 395. cura 400.402
Ventriculi ebulliens humor, causa Eructationis difficilis quẽ Sodt vocant 418. cura 422
Vetriculi flatus, causa Ructus 396. cura 414
Ventriculi tenax humor, causa Vomitionis difficilis 418. cura 421
Ventriculi constitutio ad vomitũ inepta 417. cura 421
Ventriculi molestia, causa Vomitionis 396. cura 414
Ventriculi orificij dolor, causa Animi deliquij in Cardiaca 460. cura 463
Venus imperfecta in masculis 535. causæ 537.538. cura 539
Venus imperfecta in mulieribus 535. causa 535.537. cura 539
Venus extincta in mulieribus 535. causa 537. cura 539
Vertigo, Dinos 172. causæ 176. 179.183. cura 202.203.208
Vertigo cum imaginationibus 172. causa 179. cura: vide, Vertigo.
Vermis in profundo nariũ natus, causa Olfactus defectus 261
Vesicæ distentio ob vrinam diu retentam, causa Ischuriæ 430. cura 432
Vesicæ vulnus vesicâ inani, causa Mictionis suppressæ 430. cura 432
Vesicæ stupor, causa Mictionis paucæ vel raræ 431. cura 432
Vesicæ ceruicis contorsio, causa Ischuriæ 430. cura 432
Vesicæ ceruicis refrigeratio, causa Stranguriæ 430. cura 432
Vesicæ ceruicis calculus, eam obstruens, causa Ischuriæ vel Stranguriæ 431. cura 432
Vesicæ ceruicis excrescentia, causa Ischuriæ vel Stranguriæ 431. cura 432
Vesicæ ceruicis compressio, aliquando à tumore vicino, causa Ischuriæ vel Dysuriæ 430. cura 432
Vesicæ ceruicis obstructio ab humore, causa Ischuriæ vel Dysuriæ 431. cura 432
Vespertina acies 171. causæ 199. cura 220
Vigiliæ nimiæ 143. causa 146. 147. cura 150.151
Viragines, quibus citra incommodum menses nunquam fluxerũt 504. causa 506. cura 510. iterum 553
Virilis constitutio, causa Mẽstruorum suppressorum 506. cura 510
Virium imbecillitas generalis, Schwachheit Germ. 455. causa 459.460. cura 463
Virium extrema imbecillitas in Agone mortis 455. causa 461. 462. cura 463
Virium lapsus, Syncope 456. causa 461. cura 463
Visus læsio 169. causæ 173. cura 201
Visus defectus in Cæcitate 169. Imbecillitate 170. causæ 173.174. 175.184.185.190.191.192.194.196. cura 201.202.208.216.218.226. 234.236
Visus imbecillitas: vide, Visus defectus.
Visus res distantes rectiùs quàm propinquas discernens 170. causa 188. cura 218
Visus res paulò distantiores nõ rectè discernens 170. causa 188. cura 218
Visus res non nisi oculo propinquas rectè dijudicans 171. causæ 189. cura 218
Visus hallucinatio 171. causæ 174. 176.187.190.193.195. cura 201. 203.226.236
Visio cui falsus color & splendor offertur 172. causæ 182.190. 193. cura 236
Visio non nisi per nasum facta, casus admirandus 190
Vitalis motus defectus 454. causæ 457. cura 463
Vitalem spiritum influentem & fixum dissipantes morbi, causa Virium imbecillitatis 490. cura 463
Vitalem spiritum influentem & fixum dissipantes euacuationes, causa Virium defectuum 460. cura 463
Vitales spiritus exagitans dolor, causa

causa Virium prostrationũ 460.
cura 463
Vitales spiritus exagitantes Animi affectus, causa Virium imbecillitatis & syncopes 460.
cura 463
Vitalium spirituum dissipatio: ipsorumq; pabuli à calore, causa Virium imbecillitatis 461.
cura 463
Vitalis spiritus insiti penuria, causa Virium defectuum 457.
cura 463
Vitalium spirituum supercalefactio, causæ Pulsationis citæ & magnæ 471. cura 474
Vitalium spirituum nimia agitatio causa Pulsationis citæ & magnæ cordis & arteriarum 471.
cura 474
Vitalium spirituum agitatio, causa Cordis palpitationis 471.
cura 474
Viti saltus, Veitsdantz 87.
cura in Mania.
Vitrei humoris situs peruersio, causa Visus hallucinationis 187.188
Viuifici humidi, seu Primogenij consumptio; causa Virium imbecillitatis 459. cura 463
Vnguis, Vngula, Pterygium, Zebel; vide, Panniculus, oculi.
Vociferatio 388
Vocis defectus 350. causa 351.
cura 362.377
Vocis defectus in Dyspnœa 350.
vide Dyspnœam.
Vocis defectus in Paralysi 350.
causa 352. cura 362
Vocis defectus cum dolore fauciũ 351. causa 353.358. cura 364.377
Vomendi difficultas 416. causæ 117.118. cura 421
Vomitio 388. causa 396.
cura 414
Vreteris absentia vel contorsio, causa Mictionis suppressæ, vesicâ inani 430. cura 432
Vteri sinus rimæ vel orificij Coalitus, angustia, læsio, causa Veneris impeditæ 536. cura 439
Vteri orificij interioris amplitudo, laxatio, occlusio, causa Sterilitatis 556. cura 559
Vteri substantiæ soliditas, durities & siccitas causa Sterilitatis 557
cura 559
Vteri substantia quòd sanguine nõ irrigetur, causa Sterilitatis 557.
cura 559
Vteri imbecillitas, causa Sterilitatis 558. cura 559
Vteri humida intemperies, causa Sterilitatis 558. cura 559
Vteri vasorum connexus non dissolutus, causa Partus difficultatis 442. cura 445
Vteri orificij interioris angustia, causa Partus difficultatis 443.
cura 445
Vteri ceruicis orificij angustia, causa Partus difficultatis 443.
cura 445
Vteri ceruicis angustia, causa Partus difficultatis 444.
cura 445
Vteri conformationis vitium, causa Mensium suppressorum 509.
cura 510
Vteri imbecillitas, causa Mensium deficientium 510. cura ibid.
Vteri suffocatio: vide Suffocatio vteri.

INDEX Remediorum quorundam.

REmedia, quorum innumera, non solùm prius vsitata (ex quibus pleraque correctiora proponuntur) sed etiam noua & rara, (inter quæ & chymica) multa hinc inde variis formis præscripta reperiuntur, indici inserere noluimus, cùm ea ex affectibus quibus in curatione accommodantur, facilè peti, atque illic inueniri possint. Diligentem enim Lectorem, non talem qui obiter saltem hæc mea scripta inspiciat, & neglectis aliis, remedia tantùm enucleet, requirimus. Vt tamen vbi remedia quædam expresè, & copiosè proponuntur, pateat, hæc pauca huic indici subiungere voluimus.

ACouistica, auditum iuuantia remedia 225
Aluum soluentia remedia 426
Conceptionem procurantia remedia 560
Lac gignentia vel augentia remedia 532
Reficientia vires, cordialia medicamenta 464
Sudatoria seu sudorem elicientia remedia 529
Visum restaurantia Oxydorcica remedia 220
Vrinam prouocantia & mictionem adiuuantia remedia 433

FINIS.

FELICIS PLATERI ARCHIATRI ET PROFESS. BASIL.

Praxeos

Seu

DE COGNOSCENDIS, PRÆDICENDIS, præcauendis, curandisq́; affectibus homini incommodantibus,

TOMVS SECVNDVS

DE

DOLORIBVS,


Libro vno, qui tertius totius est operis, agens:

Singula ipsorum Symptomata, in generibus: Morbos eorumq́; Causas, in causis: & Curam in curatione proponens.



BASILEÆ, IMPENSIS LVDOV. REGIS,
TYPIS IOANNIS SCHROETERI.

MDCXXV.



Ad Illustrißimum Potentißimumq́ S. Rom. Imp. Principem,

FRIDERICHVM DVCEM WIRTEMBERGENSEM ET TECCENsem, Comitem Montisbeligard. Dominum in Heidenheim, Equitem ordinis Regij Francorum & Anglorum,

Principem Dominumq́ meum clementiß.

FELIX PLATERVS ARCHIATROS BASIL.



SINGVLARI Dei Opt. Max. prouidentiâ, quâ & hactenus clementißimè conseruatum me, grato animo agnosco, factum omnino arbitror, Illustrißime & Potentißime Princeps, quòd, cùm studij, obseruantiæ fideiq́ erga Illustriß. T. Cels. testandæ causâ, primam medicæ meæ Praxeos partem, Illustr. T. Cels. coràm offerrem, non solùm benignißimè acceptus, sed & exoptatißimo responso, mirum in modum fuerim exhilaratus. Siquidem Illustr. T. Cels. hoc consilium & institutum meum, non tantummodo comprobauit collaudauitq́, sed & patrocinio illius tractatus, animo planè beneuolo suscepto, eorum quæ superessent, defensorem se quoque futuram, idq́ sermone & scripto testata, obtulit, atque ad reliquorum editionem maturandam, publicæ vtilitatis iuuandæ gratiâ, me est cohortata. Cuius Cels. T. clementiæ & summi fauoris recordatio, aßiduarum mearum meditationum & lucubrationum laborem, mihi aliquomodo faciliorem reddidit, animumq́ sub cogitationum & negotiorum mole pressum ac fatiscentem, subleuauit, atque ad cœptam commentationum medicarum telam, alacriùs pertexendam, accendit.

Quòd autem Illustr. Cels. T. mihi homini medico, licet immerenti, benignitatis & gratiæ indicia adeò luculenta exhibere voluerit, fecit id, præterquam quòd naturali quadam erga omnes literatos animi inclinatione est propensa, etiam celeberrimorum, omnium ætatum Principum virorum exemplo mota, quos medicis plurimum semper tri-

buisse, eosq́ maximo in pretio habuisse, ex historiarum abundè constat monumentis. Hippocrates quippe apud Alexandrum & Perdiccam, reges Macedoniæ, eum dignitatis obtinuit locum, vt licet amplissimis propositis præmiis, à potentissimo Persarum monarcha Artaxerxe, fuisset inuitatus, illis tamen reiectis, maluerit apud popularem suum regem in Græcia subsistere, quàm ad illum commigrare. Vnde factum, vt eius etiam posteri, sequentibus Macedoniæ regibus essent chari, cùm Aristotelis pater ab Amynta rege, eo præcipuè nomine, in medicum domesticum fuerit cooptatus, quòd ex Hippocratis familia esset oriundus. Quæ res etiam ipsi Aristoteli, apud Alexandrum magnum, Amyntæ ex filio nepotem, præter doctrinam insignem, eam conciliauit gratiam, vt cùm eius mandato, à Philosopho præclari illi libri, de animalium historia essent conscribendi, suis sumptibus animantia, venatores, aucupes & piscatores, in eius rei vsum aluerit. Quin idem Alexander, tantùm tribuit Philippo, vni ex medicis suis, vt licet Parmenionis epistolis suspectus ei fuisset redditus, qui gnarus infirmitatis Alexandri, scripserat à Philippo medico vt caueret, nam corruptum illum à Dario ingenti pecuniâ esse: accepto tamen ab illo poculo, epistolas interim medico tradiderit, atque ita inter bibendum, oculis in vultum legentis intentis, eum vt securum conspexit, lætior factus, sanitatem quarto die receperit. Floruerunt & alij medici complures, fauore & gratiâ apud reges diuersos. Apud Antigonum Diocles: apud Antiochum Erasistratus. Iure ciuitatis Romanæ, C. Iulius Cæsar medicos donauit. Sed & in altissimo dignitatis & honoris gradu, Octauius Augustus, Antonium Musam collocauit, quòd de illo belli & pacis temporibus, præclarè esset meritus. Galenus etiam apud Impp. Verum & Marcum Antoninum, in tanta fuit existimatione, vt huius filij, M. Aurelij Commodi valetudo, illi curanda concrederetur. Verùm omissis hisce, quæ olim & apud exteros euenerunt, quædam recentioris memoriæ, propiusq́ nos attingentia exempla commemorasse, non abs re fuerit. Wilhelmus Copus Basileensis, ante centum plus minúsve annos, apud Ludouicum XII. & eius successorem ac generum, Franciscum I. Galliæ Reges, magno cum vtriusque fauore, laudeq́ suâ, medici regij officio est functus. Et nostra ætate, Monspessulanæ Academiæ florentissimæ, Professores aliquando eximij, quibus ibidem præceptoribus etiam sum vsus, Guilelmus Rondeletius, à Principibus compluribus, Antonius Saporta à Nauarræ, Honoratus Castellanus à Franciæ regibus, amplissimis honoribus & præmiis fuerunt condecorati. Ioannes quinetiam Fernelius, maximi nominis medicus, cum quo Parisiis memini familiariter me conuersatum, regi Henrico II. & Reginæ, quæ eius consilio se fœcundam, cùm priùs sterilis esset, factam prædicabat, erat summè charus. Quid Andream Vesalium Basileæ apud parentem meum, piæ memoriæ, mihi puero adhuc, visum, & Carolum Clusium, ante quinquaginta & plures annos Monspessuli mihi familiarem, adhuc superstitem commemorem? quorum ille rei anatomicæ peritiâ immortalem sibi gloriam acquisiuit, & à Carolo V. Imp. in medicum fuit allectus; hic stirpium cognitione exactissimâ, indefesso studio longisq́ peregrinationibus auctâ, rei herbariæ scientiam supra modum illustrauit, & Philippum II. Hispaniarum regem demeruit: quemadmodum amborum scripta satis superq́ testantur. Vestigiis horum institerunt Illustr. Cels. T. Principes antecessores, Duces Wirtembergenses, à posteris meritò omnigenarum laudum encomiis concelebrandi, qui duo illa præclara inclytæ Tübingensis Academiæ lumina, Leonhardum Fuchsium & Iacobum Schekium fouerunt maximique fecerunt. Vt alios complures, partim vitâ

functos, partim adhuc luce hac fruentes, quos Principes singulari amore prosequuti sunt, & adhuc prosequuntur, ne illos in os laudando, palpum iis obtrudere velle videar, silentio prætercam. Et ne aliorum etiam Principum & Magnatum erga me quoque fauorem ac beneficia, quæ meo iure recensere possem, altiùs repetam, vel maiorum saltem Illustr. T. Cels. Illustrißimorum Ducum Wirtembergensium clementiam & munificentiam in me, deprædicasse suffecerit. Cui nuper Illustr. T. Cels. maximum adiecit cumulum, cùm pro insitâ suâ lenitate, me quoque in Rhenani tractus veteranorum medicorum numerum referre, sic compellare, atque vnà cum fratre Thoma Platero, tanquam fidei spectatæ medicos, licet longiùs remotos, gratiosißimè complecti, liberalißimè magnificentißimeq; habere, nec non de variis morbis, eorum causis, curatione & remediis, fusè mecum colloqui, fuerit dignata. Vt igitur præclaræ T. Cels. de me conceptæ opinioni, vti æquum est, responderem, & in euulgandis reliquis, communi bono, pro captus mei modo, consulere studerem, ac vt votis plurimorum præstantißimorum medicorum, qui primam partem cùm vidissent, exactiq; iudicij sui calculo comprobauissent, & ad illis, quæ supersunt, supremam manum imponendam, me vehementer sollicitarunt, satisfacerem, Secundam hanc operis practici mei partem, sub Illustrißimi nominis tui faustis auspiciis, vti & primam, in lucem edere visum est. Nullum autem mihi est dubium, hoc meum qualecunque opus, ex clarißimorum quorumcunque veterum ac neotericorum medicorum & chirurgorum, meis insuper propriis obseruationibus, longo vsu à me compertis, maximis laboribus congestum, eò fore bonis quibusq; gratius, quod de Doloribus inscriptionem præferens, in eo cum ferocißimis hostibus, qui sæuißimis cruciatibus, tenerrima hominum corpora excarnificant, mihi fuerit depugnandum. Ex quorum numerosißimâ acie, qui doloribus molestiisq; variis irruentes, exitium nobis intentant, sunt imprimis calculus, podagra, colici dolores, febrium intolerabiles æstus, pestis, eiusmodiq; sexcenti alij venenati morbi, lethalesq; affectus, atque externas corporis partes, horrendum in modum infestans, tumorum, vulnerum, vlcerumq; myrias: quibus præcauendis, propulsandis vel saltem mitigandis, infinita hîc proponuntur salutaria alexipharmaca, antidota, medicamenta & remedia, causæq; eorum, de quibus tamdiu maximi quiq; medici, inter se sunt digladiati, adhucq; disceptant, rationum firmamentis, pro humani iudicij mediocritate, suffultæ, ita diducuntur, vt non videantur à veri scopo aberrare. De quibus omnibus, iudicandi potestatem liberam, candido lectori, haud inuitus permitto, quem pro suâ, æquanimitate, in bonam partem ea accepturum, & æquâ iudicij lance ponderaturum, confido. Illos verò, apud quos tanta est, vt ille ait, autoritas vetustatis, vt inquirere in eam scelus esse ducant, meminisse velim eius, quod idem dicit, dedisse omnibus Deum pro virili portione sapientiam, vt & inaudita inuestigare poßint, & audita perpendere: nec quia nos antiqui temporibus antecesserunt, sapientiâ quoque antecessisse, quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non poßit: cumq; sapere, id est veritatem quærere, omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimere, qui sine vllo iudicio, inuenta maiorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Quibus per me quidem licet suo abundare sensu, modò per ipsos mihi quoque integrum sit, mea placita publici iuris facere, atque liberè cum bonis quibusvis communicare.

Tuam autem Illustrissime Princeps Celsit. quantâ possum animi subiectione, oro obtestorq́;, vt alteram hanc scriptionis meæ partem, variorum ingeniorum censuræ multiplici exponendam, pro innatâ clementiâ, in protectionem suam comiter suscipere, heroico præsidio, contra criticorum morsus defendere, me meosq́; in posterum quoque commendatos habere, ac fauore & clementia, vt hactenus, prosequi non dedignetur.

Deum Patrem Domini nostri IESV CHRISTI, supplicibus votis precor, vt Illustr. T. Cels. in omni bono confirmet, consiliis salutaribus instruat, virtute armet, omnibusq́; benedictionibus cumulatissimè exornet, & ab omni malo incolumem integramq́;, cum Illustrissimis filiis Regulis conseruet, ad gloriam suam & Reipubl. commodum. Basileæ 1. Aprilis, Anno Christi 1603.



DE DO-

DE DOLORIBVS,

LIBER III.



DOLORIS nomine hîc generatim omnem sensum molestum, tristem ob id vocatum, quem quinque sensus percipiunt, intelligimus: de quo cùm ægri magis, quàm de functionis læsione aliqua conquerantur, etsi ea dolori iungatur, nos hîc potiùs peculiari libro, de dolore, qui tot partibus accidere solet, quàm in deprauatis sensibus, quò dolorem, quem sensus tactus præsertim patitur, referre aliàs solent, agemus. Idquè eò rectiùs, cùm dolor non sensus tactus symptoma, vtpote qui obiectum, quod dolorē infert, non aliter, quàm reuera est, sentit & dijudicat, existat, sed offensa, quæ sensum hunc sequitur, ex secundo symptomatum genere sit, simplicium scilicet affectuum, qui sensibus percipiuntur, & hîc ad tactiles referuntur.

Variant autem primùm dolores, pro diuersitate sensuum, qui illos percipiunt, cùm omnes quinque sensus, obiectæ rei violentiâ, offensam patiantur & doleant, licet non eodem modo hoc fiat. Aliter enim proprij in facie positi sensus quatuor: aliter communis vniuerso corpori, quintus, molestiam percipiunt, vnde prima dolorum oritur differentia.

Proprij in facie tantùm constituti quatuor sensus, visus, auditus, olfactus, gustus, cùm non adeò ab obiectorum suorum vehementiâ dolores acerbos, sicuti sensus tactus, patiantur, citiusque remittant, nos simul explicabimus, VISVS, AVDITVS, OLFACTVS, GVSTVS DOLORES, CAP. I. Pag. 1

Communis vniuersis corporis partibus sensibilibus, sensus tactus, qualitatum exuperantiâ eundem afficientium, varios dolores, eosque sæpè atrocissimos & diuturnos persentit: Vt sunt calores, frigora, pruritus, titillationes, punctiones, ardores, lancinationes. Quorum differentias, non ex diuersis hisce illorū generibus, seu sensuum proprietatibus desumemus, sed quatenus hi dolores vel in vniuersum corpus, aut certas illius partes aliquas cadunt, in illisque obseruantur, describemus.

Vniuersi corporis partes sensu tactus prędità simul dolere omnes vix possunt: interdum tamen plures vnà, vel aliquæ per corporis superficiem expansæ, vt cutis, dolore infestatæ, eum generaliorem reddunt. Et cùm corpus imbecille aut lassum est, licet vniuersum dolere videatur, tamē cùm tunc potiùs de motus illius, & virium imbecillitate, quàm de dolore conquerantur, etsi in lassitudine dicta comes quoque sit, in motus imbecillitate & virium defectu (quò hæc pertinent) explicata fuerunt. Intemperie tamen cùm omnes totius corporis partes simul possint affici, si id fiat, molestiam inde & dolorem partes omnes sensiles, si modò magna sit, etiam sentire necesse est. Quod à frigida intemperie vix, vt cunctæ simul afficiantur, potest contingere, nisi mors, sicuti frigore extremo affectis accidit, mox sequatur. Quemadmodum verò à calida intemperie, quà veluti vniuersum corpus ab externo calore, non foris tantùm, vt per frigus ferè fit, sed & intrinsecùs incalescere, & offensam aliquam inde sentire videmus: Ita maximè in febribus calore perseuerante, omnes totius corporis partes accenduntur, eumq; partes quæ sentire possunt, sentiunt cum molestia: vt ita sola tantùm intemperies calida, generalem vniuerso corpori dolorem hunc, in caloris sensu aduersum, procreet; de quo agemus in FEBRIBVS, CAP. II. pag. 3

Partium certarum dolores omnis generis inueniuntur: qui vel abstrusi, vel patentes in diuersis partibus occurrunt.

Abstrusi seu latentes dolores, intrinsecùs

in

in corporis quatuor distinctis sedibus, capite, collo, pectore, ventre, illarumque cauitatibus interioribus consistunt, & secundùm illas distinguuntur.

In capitis sede interna, intra caluariam dolores existentes; explicabuntur in CAPITIS DOLORE, CAP. III. pag. 203

In faciei cauitatibus internis, dolores qui se offerunt, describentur sequenti modo:

Qui in oculorum sedibus consistunt; in OCVLORVM DOLORE, CAP. IV. pag. 227

Qui in aurium cauitatibus; in AVRIVM DOLORE, CAP. V. pag. 266

Qui in naribus; in NARIVM DOLORE, CAP. VI. pag. 276

Qui in oris interioribus; in ORIS DOLORE, CAP. VII. pag. 282

Qui in oris osseis sedibus; in DENTIVM DOLORE, CAP. IIX. pag. 297

In colli interioribus dolores accidentes; explicabuntur in FAVCIVM DOLORE, CAP. IX. pag. 313

In pectoris seu thoracis cauitate, qui se exhibent dolores; proponentur in PECTORIS DOLORE, CAP. X. pag. 335

In ventris seu abdominis cauitate, dolores interni qui occurrunt, hoc ordine tractabuntur.

Qui in elatiori sede media, circa foueam cordis, vt vocant, occurrunt; in CORDIS DOLORE, CAP. XI. pag. 377

Qui in lateribus vtrinque sub costis; in HYPOCHONDRIACO DOLORE, CAP. XII. pag. 438

Qui in reliqua sede abdominis; in VENTRIS DOLORE, CAP. XIII. pag. 483

In ventri adnatis locis reliquis, dolores interni alij cum excretionibus illic factis potissimùm se manifestant, vt cum deiectione per aluum, vel cum vrinæ redditione, quæ cùm præcipuè in illis obseruentur, in reiectis de his potiùs agemus: alij verò dolores in certis illius loci sedibus seu foraminibus residentes, demonstrabuntur hac serie.

Qui in pudendorum interioribus fiunt dolores; explicabuntur in GENITALIVM DOLORE, CAP. XIV. pag. 492

Qui in podice latent dolores; in PODICIS DOLORE, CAP. XV. pag. 543

Patentes dolores extrinsecùs in corpore se magis manifestant, qui hoc pacto potissimùm distinguuntur.

Profundiores sunt alij nonnihil; qui describentur in HABITVS CORPORIS DOLORE, CAP. XVI. pag. 567

Elatiores qui sunt & apparentes; in SVPERFICIEI CORPORIS DOLORE, CAP. XVII. pag. 630



DE VI-

DE VISVS, AVDITVS, OLFACTVS, GVSTVS, DOLORIBVS.

CAPVT I.

Genera.



DOLOREM, etsi propriè tristem illum sensum quem tactus sentit vocent, sic tamen etiam appellare possumus molestias illas quas interdum quatuor reliqui sensus, non in functionum læsione, sed in hac illarum offensa persentiunt patiunturque. Quæ diuersimodè admodum tum visui, tum auditui, tum olfactui, tum gustui eueniunt: vnde & diuersa prodeunt genera: quorum varietas etsi sensibus facilè dijudicetur, difficilè tamen est eam quo pacto fiat describere, propriisve nominibus exprimere: nisi quòd offensam hác quæ visui & auditui accidit, horum sensuum Offensionem, & quæ olfactui & gustui accidit Insuauitatem, appellare posimus.

Visus & Auditus offensio. Olfactus & Gustus Insuauitas.

Causæ.

PRocedunt autem hæ enarratæ quatuor sensuum noxę, ab obiectorum ipsorum violenta vel inimica qualitate, sensus hosce nimiùm pulsante vel malè afficiente. Idq; vel per obiectum visus in splendore, vel auditus in strepitu, vel olfactus in fœtore, aut saporis in insuauitate.

Splendor causa Visionis offensæ.

Splendor seu lux nimia, si vehemens sit, vt solis aut flammæ: vel subitò oculo offeratur, vt fulguris, eiusmodi molestiam illi adfert. Vnde oculos ad illius splendoris occursum, vt eum declinet, mox claudunt. Quam molestiam etiá sensus tactus in oculo & naribus vicinis præsentiens interdum, sternutationem, vt hanc offensam excutiat, sicuti in sternutatione dictum, mouet. Sed & lux colore alio aliquo intensiùs aut diutiùs lucens, visumque diu multumq; feriens, ei aduersa nonnunquam fit.

Strepitus causa Auditus offensionis.

Strepitus magnus per clamorem, clangorem campanæ, tubæ, fistulæ, subitóve alioquin factus, præsertim iuxta aures, vt crepitus sclopeti aut tormenti maioris, auditus offensionem talem parit.

Fœtor causa Olfactus insuauitatis.

Fœtor magnus, seu odor quilibet aduersus, qualis est fuliginosus ab ambustis, vel putris ab excrementis exsurgens, aut aliud quid spirans, olfactum afficit atque molestat. Simulq; aliquando nares vellicádo tactumq; ipsarum mouendo sternutationem quoque mouet: interdum & vicinum gustum afficiens, nauseam illi etiam conciliat.

Sapor aduersus causa Gustus insuauitatis.

Insuauitas seu ingratus & alienus sapor, qualis imprimis est amarus, vel nimiùm salsus, acidúsve aut alioquin nauseosus, ab externis assumptis, vel internis humoribus aut exhalationibus, gustui oblatus, molestiam & tristem sensum illi adfert: tactumque simul ferit.

Curatio.

SVblatâ causâ cessat & effectus. Quæ si externa fuerit, quæ omnibus quatuor sensibus hanc offensam parere solet, vel subitò cessat, vel amoueri potest. Si interna, quæ gustui tantùm incommodat, expurgatione humorum prauorum atque exhalationum fœtidarum repressione, corrigitur. Si impressione facta in sensibus hisce aliquandiu hæc offensa permaneat, tunc euacuationibus adhibitis, tum alterando hasce impressiones, contrarijs, vt splendorem nimium tenebris, vel colores aliquos visui aduersos contrarijs coloribus, fœtores, odoratis, insuauitatem sapore conuenienti emendabimus. Sicuti hæc in deprauatione horum sensuum, quos tunc simul deprauant, explicata fuerunt.

DE FEBRIBVS.

CAPVT II.

Genera.

EBRIS, πυρετὸς Graecis dicta, affectus est, in quo vniuersum corpus calore praeternaturali perseuerante incalescit: plerumque à frigore cum aliquo horrore vel rigore incipiens: variasque molestias, diuersasq; alia symptomata proferens. Genera autem duo prima & summa ipsarum statuuntur, variantia praesertim in eo, quòd vel continuò perseuerant: vel cessant, rursumq; redeunt: quarum illae continuae, hae intermittentes dicuntur.

Cõtinuae febres. Continuae febres sunt, quarum calor à prima inuasione ad extremam vsq; solutionem nunquam integrè cessat. Harum varia occurrunt genera; quae primùm ratione caloris distinguimus in acutas & lentas. Acutasq; vocamus, in quibus calorem manifestè aegri sentiunt, ab eoq; molestiam percipiunt. Quae rursum sunt duplices: aliae Purae, quarum calor purus tangentis manum tantùm calefacit, nec dum adeò sicuti impurarum ferit: Impurae aliae, quarum calor impurus tangentis manum non tantùm calefacit, sed & pungit & veluti mordicat. Lentas verò appellamus, in quibus aegri calorem vix dum aut leuiter saltem, nec tamen semper, etsi continuae sint, persentiunt: quae quoque duplices sunt: Hecticae, quasi corpus eas tanquam habitum contraxerit, dictae: quod cùm nondum factum, simpliciter Lentae vocantur. Hisce omnibus, siue acutae, siue lentae sint, si malignitas accedat, Malignae dicuntur: quae ob causam diuersam triplices sunt: Putridae malignae, si causa putris maligna: Pestilentes, si pestilens venenũ: Venenatę, si venenũ aliud eas excitet. Vt sic prima & summa febrium genera, partim à calore, partim à permanentia, partim à causa denominata, septem sint: Purae, Impurę, Hecticae, Lentae, Putridae malignae, Pestilentes, & Venenatae. Verùm vt ea secundùm apparentia accidentia (vt cognosci possint) primùm diuidamus, variant hae febres primùm inter se: quòd aliae febris solius, aliae etiam aliorum morborum comitum accidentia proferunt, illisq; se manifestãt & cognoscuntur: illasq; solitarias, has comitatas appellamus.

Solitariae continuę seu incomitatae febres sunt, quae febrium tantùm, nec aliorũ morborum accidẽtia, à calore ipsorum acuto, vel lento, vel maligno prodeuntia, producunt. Qualia ex plerisq; supradictis generibus inueniuntur: vel simpliciter occurrentia, vel inuicem coniuncta; è quibus febres illas simplices, has compositas vocamus.

Simplices continuae febres. Simplices continuae solitariae febres sunt, si vnius generis febris corpus occupet. Quae denuò ex eo potissimùm, quòd nunc breuiores, nunc longiores, nunc diuturnae sunt, si modò cursum perficiant, nec degenerent, discernuntur.

Breuiores continuae solitariae febres sunt, quae septimum diem vix attingunt, vel integram septimanam non complent: Quales ex acutis, & malignis aliquae existunt.

Pura febris, continuarũ febrium genus. Acuta breuis febris cõtinua solitaria vna est ex illis, quas Puras vocauimus, & quae cõtinua nõ putrida, vt in causis dicetur, aliàs appellatur: &, quòd paucis diebus finiatur, Diaria dicitur. *Ephemera febris, purae continuae species.* Quae à causis externis incipiens, nunc vnũ saltem diem durat, & viginti quatuor horarũ spatium vix cõplet, Ephemeraq; tunc nominatur. Aliàs in duos, tres, vel quatuor dies prolongatur, & tunc Diaria pluriũ dierũ, vel Synochus simplex pura, nõ putrida, ad differentiã impurae seu putridae, vocatur. *Synochus febris purae continuae species.* Desinunt aũt non subita mutatione, quã crisim vocant, sed sensim per occultã transpirationem, vel madorem, sudorémve manifestum: vel si exacto triduo quadriduóve non cessat synochus pura, in impurã synochum, quae longior est, quod frequentius fit, vel hecticam, quae diuturnior existit, quod tamen rarum, commutatur: atque in quam abierit, signis illic explicandis cognoscitur.

Accidentia siue symptomata febrium diariarum haec sunt: Cum horrore leui interdũ incipiunt, praesertim si non adeò purae nonnihil degenerẽt: vel sine eo, si exquisitae existant; idq; praesertim si iam priùs antequam febris incepit, corpus à calore aliquo externo, febres hasce accendente incaluerit, & febrae

bre superueniente, calor tunc non primùm incipere, sed augeri tantùm videatur.

Calor febrilis horrorẽ subsequens, vel per se incipiens, à principio ad finẽ vsq; nullis paroxysmis interuenientibus exacerbatur: sed vel in æquali gradu manet in Ephemera, & in Synocho Acmastica, Homotono, Vniformi ob id dicta: vel augeri videtur in Epacmastica, Anabatica, Inualescente: vel decrescere in Paracmastica, synochis, sic tunc appellatis: idq; donec, vti dictũ, sensim desinat. Variat aũt calor in illis, quòd vel mitior est & remissior, quò breuior est febris, vt in ephemera; quem blandũ & halituosum, quòd tactu cutis mollis & vda magis sentiatur, vocant: vel vehementior, si diutiùs perseueret, in synocho sanguinea à causa appellata, accedẽte nonnunquam acrimonia quadã, in synocho quam biliosam vocabimus, eaque quæ iam impura fieri, & in putridam conuerti incipit.

Reliqua accidentia, quæ magis minúsve pro ratione caloris & corporis cõstitutionis vrgent, sunt; Dolor capitis cum pulsatione: Sitis magna vel exigua: Orisq; amaritudo in biliosa: Inquietudo: Lassitudo: Vigiliæ vel Somnus profundus. Ad hæc accedunt; Respiratio concitata: Pulsus celer, frequens & validus, magnusq;, nõ tamen inæqualis aut inordinatus, vel saltem non admodùm: Facies rubra, tumida: Venæ turgidæ: Cutis mollis: aridáve in biliosa. Vrinæ si hæ febres sint breues, à naturali non multùm mutatæ: si longiores, rubræ & tinctæ: Sudores, qui sæpè citiùs quàm docent, erumpunt, nec graueolentes, nec molesti.

Pestilens febris cõtinuarũ febrium genus. Maligna breuis continua febris, vna quoque ex Pestilentibus dictis inuenitur, quæ priori acutæ synochæ dictæ non admodùm est absimilis, ita vt, nisi ex eo quòd populariter grassetur, & vires tam subitò deijciat, aliquo pacto cognosceretur, ab illa vix discerneretur: vti &, si bubone comite, sicuti ferè fit, prodeat: cùm & hoc in synocho fieri possit, neq; tunc ab illa hoc signo certò distingui potest: vt non sit mirum, eos qui peste primùm correpti sunt, se febre synocho prehensos esse existimare: eoque se ab initio consolari. Procedit enim pestilens febris quoque ab externis causis, sed occultis: subitoq; & clandestinò corpus, ac veluti in momento ferit, & paucis diebus, nisi mors præueniat, nullâ quoque crisi, vti synochus desinit.

Quod accidentia illius attinet. Cum horrore quoque leui plerumq; inuadit. Calore mox subsequente: qui interdum adeò mitis est, vt de eo minimè conquerantur: vrinæq; à sanorum vrinis nihil, vel non multùm differentes conspiciantur. Quorum tamen imbecillitatem pulsus arguit. Sed & interdum calor vehemens, vt in synocho, aliquando etiam acris, si nonnihil degeneret, existit: & tunc accidentia sicuti in synochis: qualia sunt, Dolor capitis; Delirium; Vigiliæ; Sitis quoque, eam comitantur: quibus accedunt virium subitaneus lapsus. Sudoresque qui in febribus pestilentibus mox ab initio prodeunt, redeuntque, morbum tamen minimè finiunt.

Longiores continuæ solitariæ sunt, quæ in septimanam vnam vel alteram, aut plures producuntur. Quales ex acutis & malignis aliquæ depræhenduntur.

Putrida febris, cõtinuarũ febrium genus. Acuta longior continua solitaria febris vna est, ex illis quas Impuras nominauimus, & quæ Continua putrida, vel conclusa, aut continens aliàs quoque appellatur, & septimanaria ad differentiam diariæ vocari posset. Quæ per se, vel ex commutatione (vti dictum) synochi febris puræ in hanc impuram, incipiens (quod ex eo, si quarto die ad summum synochus pura non cesset, & calor acrior appareat, præsertim si tunc novus horror, vti sæpè fit, suboriatur, cognoscitur) postquam absoluto principio in augmento aliquandiu hæserit, eoq; finito ad statum vsque peruenerit, per subitaneam mutationem, quam crisim seu iudicium vocant, nisi moriantur, mox declinante febre ab ea liberantur: vel si crisis imperfecta fuerit, de nouo rediens, ad salutem, mortémve eum deducit. Aliquando quoque sed raròadmodum hæc febris, & inprimis illius species quæ ardens est, si non extinguatur, sed altiùs imprimatur, in nouam veluti febrem degenerare videtur, quæ breui tempore corpus consumit: proin & febris Colliquans ardens dicitur, quam hæcticæ febris speciem aliqui quoque fecerunt. Nonnunquam & in

Hecticam verã, sicuti diariæ, vti illic dictum, commutatur.

Accidentia autem harum febrium & plura & vehementiora quàm diariarum occurrunt, ita vt ob quorundam violentiam ab illis febris novum nomen, ac si diuersæ illius essent species, sortiatur. Tum quæ molestiã ægro, horrore, calore, siti, linguæ ariditate, dolore capitis, pariũt: tum functiones ipsius lædentia; mentem delirio perturbant, vires prosternunt: & quæ in corporis consumptione, excrementisq; obseruantur: quæ omnia se hoc modo proferunt.

Horror in prima tantum harum inuasione corpus nonnihil concutit, maximè si per se incipiant, & non ex diariarum commutatione exordium sumant, vbi vel nullus, vel leuis tantùm sentitur; quo mox cessante in reliquo febris decursu, nisi interdum & præsertim instante crisi leuiter perhorrescant, nullus amplius aliàs horror se offert, neque etiamsi hæc febris paroxysmis exacerbetur, rursum redit: aut si novus suboriatur, non ille à continua hac febre, sed intermittente, quę tunc illi copulata erit, sicuti mox in compositis febribus dicemus, proficiscitur. Verùm & per hunc horrorem, & exteriora & interiora interdum frigent, aliàs interiora solùm horrent: Sed & frigus, nonnunquam calore etiam inualescente, exteriora adhuc aliquousque obsidet.

Calor qui horrorem mox sequitur, secundùm quatuor harum febrium tempora, varias habet mutationes. Nam mox in principio vehemens est & acris: statimque in augmento ad statum vsq; augetur. Quo tempore interdum suas habet exacerbationes seu paroxysmos, quos accessiones seu reduplicationes quoq; vocant, febresq; tunc Synechas continuas, O in E conuerso, ad differentiam synochorum putridarũ, de quibus mox agetur, vocant: In quibus, si paroxysmi die eodem semel atq; iterum redeant, ita vt bis terve vno die excandescat febris, quod & frequentiùs fit. Inordinata continua tunc dicitur, præsertim si altero post die semel tantùm vel minimè acuatur. Quòd si verò altero die primùm paroxysmus redeat, eumq; ordinem deinceps seruet, quod rarò fit, Quotidiana vocatur continua. Tertio verò die frequentiùs paroxysmi repetunt in illis febribus, quæ ordinem seruant, Tertianaque est continua, Quod quarto demum die vix accidit; vt tam diu paroxysmi protrahantur: vnde rara admodum est Quartana dicta continua. Verùm & nullis interdum distinctis paroxysmis hæ febres exacerbantur, tuncq; Synochus putrida ad differentiã prioris synochi non putridæ breuioris existentis appellatur: quæ quoque vti & alia quatenus ad statum vsque, vel augetur, vel minuitur, vel eundem tenorem seruat, Epacmastica, Paracmastica vel Homotonos dicitur. Quod si verò maximum in febre continua putrida sit incendium; atque ardor in eadem vehementia continuò persistat, & veluti vnus tantùm ad statum vsque perseuerans paroxysmus sit, tunc ardens febris, Causos nominatur: in qua specie si interiora vri videantur, extremis frigescentibus, Leipyrias vocatur febris. Postquam autem ad vigorem vsque hæ febres peruenerunt, cùm calor ad summum vsque progressus diutiùs consistere nequeat, tunc si per crisim in melius vergat, calore sensim remittente & dissipato, declinatio sequitur, fitque aliqua per sudores, mictiones, aliásve vias euacuatio: si verò crisis in deterius abeat, prægresso mortis agone, viribus deficientibus extinguuntur: vel si non sit absoluta crisis, calore nondum remittente per nouam crisim, quæ rursum superuenit, vel ad salutem, vel ad mortem fit adiudicatio.

Sitis admodum in hisce febribus molesta est, ad quam sedandam, ea quæ frigida sunt & madent, vehementer appetunt, acidisque recreantur. Appetentia autem ciborum penitus prostrata est, estque magna, præsertim eorum quæ dulcia, alimentosa & nidorosa existunt nausea: ita vt & acida, grata alioquin ipsis, interdum fastidiant.

Linguæ ariditas, nigredo & inflammatio interdum ardentes comitatur febres: cuius quoque occasione, (& præsertim si accedente malignitate, vti mox dicetur, eiusmodi febres epidemiæ passim grassentur, si hoc symptoma ipsis consuetum habeant) totum affectum à puniceo linguæ colore, quem nostra-

Synechs febris Inordinata, Quotidiana, Quartana: putridæ continuæ species.

Synochus febris putrida cõtinuæ species.

Causos febris putridæ cõtinuæ species.

Leipyrias febris causonis species.

Breune Ger. putridæ cõtinuæ species.

nostrates *braunrot* vocant; *Breune* vulgus appellat, quasi dicas inflammationem ad nigredinem tendentem. Labiorum item inflammatio, scissuræ, exulceratio cum crustis, interdum citiùs, aliàs tardiùs, in declinatione superueniunt.

Hauptwe Ger. putridæ cõtinuæ species.

Dolor capitis, nisi mente capti eum minimè sentiant, circa initium præsertim magnã parit molestiam: propter quod euidens & frequens in febribus hisce putridis symptoma, vulgus eas *Hauptwe*, cephalalgias vocat: quæ cum temporum pulsu, & rubore faciei ægros affligunt. Sed & cordis dolor, vt vocant, cardialgia dicta, vt in plerisq; morbis, sic & hîc, molestus est. Atque contundens quidam ossium dolor in lumbis, dorso, & artubus sentitur.

Daubhauptwe Ger. putridæ cõtinuæ species.

Delirium plerumque diebus aliquot elapsis superuenire solet: interdum leuius, aliàs grauius: ita vt & furiant: ob cuius symptomatis enormitatem, & quòd frequens sit in eiusmodi febribus, vulgus Germanorum insanas cephalalgias, *Daubhauptwe*, præsertim si maligna quoq; sit febris, & populariter grassetur (vti postea dicetur) appellat. Conuulsio nonnunquam has quoq; febres sequitur. Sed & vigiliæ admodum illos detinent.

Syncopalis febris, putridæ cõtinuæ species.

Vires admodum ob febris perseuerantiam prosternuntur, nonnunquam & penitus concidunt. Syncope quandoq; in ipsa exacerbationis die superuenit, illisque redeuntibus repetit: tunc ob graue hoc & periculosum symptoma, febres hæ syncopales appellantur. Pulsus autem, pro virium ratione, paruus vel magnus existit.

Emaciatur corpus tandem ob febrium diuturnitatem, & colliquantem calorem, idque maximè in ipsarum declinationibus, si copiosis sudoribus aut mictionibus corpus tunc quoq; inaniatur. Sed & subita corporis consumptio aliquando has febres, causonem præsertim, sequitur, vti superiùs in colliquante febre dicta, ostensum fuit.

Colliquans ardens febris causonis species.

Excretiones quod attinet: Vomitio quibusdam molesta est: Singultus aliquos affligit: Diarrhœa nonnunquam superuenit: Mictio copiosa post crisim in morbi declinatione sæpè adest: Sudores erumpunt, crebrò simq; sequuntur: Sanguinis è naribus fluxus, vti & menstruus, criticè, aliàs extra crisim, prorumpunt. Excrementa quoq; quæ redduntur, variè se offerunt, vti vrinæ diuersæ substantiæ & coloris: Sudoresq; diuerso odore, vel nullo præditi. Quorum omnium mutationes, & quid præsagiant, curationi harum febrium præmittemus.

Putrida maligna febris, cõtinuarum febrium genus.

Maligna longior continua febris, vna quoq; solitaria ex putridis malignis dictis, admodum frequenter occurrit: à priore acuta longiore putrida dicta non multùm differens: nisi quòd populariter quoque pestis alicuius instar in plurimos, adultos potiùs, & præsertim in viros sæuiat: licet & priuatim nonnunquam aliquos inuadat, viresq; subitò prosternat. Quæ per se incipiens in septimanas quoq; vti putrida prolongatur, & per crisim, sed non ita certam, vt in illis, euacuationesq; aliquas soluitur.

Accidentia quoq; eadem quæ in putrida, in illa adsunt: sed grauiora magisq; periculosa. Calor tamen in suis mutationibus & exacerbationibus non eum ordinem quem in putrida seruat, sed inæqualis, atq; inordinatus existit.

Capitis inprimis dolor & Delirium subsequens, hîc tanquam magis conspicua & frequentiora symptomata, vt tota febris ab illis denominetur, vti in putrida dictum, occasionem vulgo præbuit.

Vti & faucium illa linguæque inflammatio, si vt sæpè fit, cæteris præualeat symptomatis, nomen febris quoq; immutat.

Sudor Anglicus, putridæ malignæ cõtinuæ species.

Sed & inuenta est malignarum febrium species ex Anglia primùm per Europam diuagata, sudore perpetuo suam perniciem manifestans, multosque passim iugulans: quam Sudorem Anglicum ob id vocarunt.

Hectica febris, continuarum febrium genus.

Diuturna continua solitaria febris, non solum ad septimanas aliquot, sed & menses multos vsq; se extendens, vna quoq; est ex illis quas Hecticas vocant. Quæ ex commutatione, febrium prædictarum in hanc desinentium, nascitur. Vt diaria, si post elapsos tres vel quatuor dies non in putridam conuersa sit, quod frequentiùs tamen euenit, in hanc, quod rarissimum, permutatur. Vel putrida diu perseuerans; vel si ardens

sit, tandemq; cessans, hanc hecticam post se relinquit. Quæ & ab intermittentibus, si diuturnæ & vehemens sint, prodire potest. Quæ postea quàm diutissimè permanens, sensim hominem conficit.

Quod accidentia illius attinet. Calorem non magnum in ea experiuntur ægri, vnde quoq; se febricitare vix putant: qui tamen post cibum sumptum, vnâ duabúsve horis acuitur, sed eo confecto, mox ad pristinam æqualitatem redit. Quin & arteriæ calidiores circumpositis partibus esse tactu sentiuntur, & dum pulsant, veluti tensæ & puræ, celeri quoq; & frequenti, vt in reliquis febribus, motu esse videntur.

Marcor mox hanc febrem sequitur: vel si iam prius ob febrem putridam præcedentem corpus emaciatum fuerit, magis augetur, atque tandem adeò, vt totum corpus contabescat, increscit. Cuius causâ (prout hæc corporis consumptio, vel incipit, vel augetur, & ad summum peruenit) tres hecticæ gradus, non à calore sed hoc marcore statuuntur, incipiensq; vel adaucta, aut confirmata dicitur hectica, in cuius postremo gradu ad pellem & ossa vsque corpus absumitur, hecticaque Marasmodes dicitur. Verùm & per vrinas colliquescentis corporis pinguedines vel portiones aliquæ vti voluerunt, excretæ eas pingues, mox furfuraceas, tandem orobeas dictas reddere scribunt, quod tamen vix nisi renum & vesicæ affectuum causâ accidere posse, alibi docuimus.

Marasmodes hecticæ species.

Imbecillitatem magnam cum languore, viriumq; tandem collapsum ob morbi diuturnitatem sequi necesse est: vnde & Pulsus, etsi celer, paruus tamen est, & debilis.

Composita continuæ febres.

Compositæ febres sunt, cum diuersi generis febres simul in corpore coincidunt, illudq; eodem tempore afficiunt. Quod varijs modis fieri potest: tum in continuarum permixtione inuicem: tum si cum intermittentibus copulentur.

Putrida cum Hectica cōposita febris.

Continuarum enarratarum genera diuersa inuicem permixta corpus afficiunt: si Putrida cum Hectica, quam excitauit, adhuc coniuncta sit.

In qua calor vehemens putridæ febris, huic copulatæ, lentum illius calorem obfuscat, ita vt ille tantùm præualere sentiatur. Ex marcore tantùm extremo hecticam subesse tandem deprehenditur: præsertim si tunc putrida languidior fieri incipiat. Quæ etiam hectica citiùs ægrum conficit. Distinguiturque à colliquante illa post febres ardentes nata, de qua superiùs dictum: quòd in ea febris sit ardentissima, quæ corpus subitò, non sensim, conficit.

Sed & reliquæ omnes continuarum dictę species, hecticæ, cùm diuturna sit, si priùs hac æger laboret, atque illæ de nouo superueniant, complicari possunt: quarum causâ vti & aliorum morborum si accedant, æger citiùs conficitur. Quæ etiam commixtio facilè ex nouo febrili calore inuadente, & quæ nam sit febribus, ex prædictis illius indicijs cognosci potest.

Putrida cum intermittente, cōposita febris, Hemitritæus.

Cum intermittentibus, mox explicandis febribus, continuæ frequenter permixtæ, febrem constituunt, continuò quoque perseuerantem (quo nomine hîc inter continuas explicatur) sed quæ interueniente nouo horrore aut rigore, quando paroxysmi intermittentium redeunt, facilè ab illis, mox discernitur & cognoscitur. Hæc autem permixtio ipsarum etsi varijs modis fieri, & in omnibus continuarum speciebus, intermittens singulis iungi possit: præcipuè tamen ea continuarum febrium cum intermittentibus permistarum species frequentior est, adeoque intricata, vt vna, etsi ex duabus, intermittente nimirum & continua acuta putrida dicta constet, esse videatur; quæ quia tertiana intermittens continuæ quotidianæ vt volunt, copulatur frequentiùs, Hemitritæus siue Semitertiana, quasi media totius febris pars tertiana sit, dicitur: eaque Minor, si cum hac febre continua, vel Maior, si cum quartana continua copuletur.

Non dubium tamen est, & quartanam intermittentem cum continua iungi quoque posse.

Incipit autem hæc primùm cum horrore, si continua prima sit: si intermittens, cum rigore: moxq; alia illic copulata, deinceps hunc processum seruat, vt vna die binæ fiant:

fiant: quarum vna cum rigore febris intermittentis fit, altera exacerbatio tantum est febris continuæ, sine horrore; quæ secundo pòst die rediens, vnam tantùm accessionem parit: quem ordinem deinceps quoq;, donec vel simul, vel successiuè remittant, seruat; nisi fortè intermittens quartana continuæ copulata, die quarto primùm geminas accessiones proferat.

Symptomata quælibet febris suo generi consentanea profert, maximè verò, quia frigus cum rigore in corpus iam accensum continuæ febris calore coincidit, fit vt eo tempore quo accessio tertiana febris incipit, & calorem & frigus simul æger persentiat. Quæ fortassis ea est febris Epiala, quam superius quoque hac ratione fieri posse diximus, & ad quotidianas continuas à quibusdam referri, cùm in ea quotidie accessiones fiant, licet altero tantùm die frigus cum calore concurrat. Sed & calor eò in compositis hisce, quàm simplicibus febribus maior erit, quòd calor tertianæ febris cum continuæ calore alternis diebus concurrens, duplicem veluti æstum tunc adferat: Vnde & tunc symptomata quæ calor proferre solet, admodùm erunt vehementia, corpusque & ipsius excrementa valde alterabunt, viresq; prosternent, inter quæ syncope, cùm ambæ febres concurrunt, adeò ipsis familiaris; vt syncopalem febrem eandem cum Hemitræo fecerit Rondeletius.

Epiala febris, hemitritæi species.

Syncopalis febris, hemitritæi species.

Verùm & intermittens hecticæ quam excitauit, adhuc copulata esse, corpusque simul afficere potest. Quod non solùm ex summo corporis marcore, qui febrem intermittentem sequitur, sed & quòd die quietis lenta hæc febris nihilominus adsit; pulsuq;, alijsq; illius indicijs deprehenditur. Vti & si iam prius hecticâ laborans æger intermittente corripiatur, facilè eam superuenisse, ex illius signis cognoscitur.

Intermittens cum hectica, composita febris.

Comitatæ febres continuæ sunt, quæ aliquem morbum qui ipsas vel excitauit, vel qui ab illis prodijt, comitem habent, aliaque præter ea quæ febris solitaria adfert symptomata, à morbo comite prodeuntia & cum febrium accidentibus complicata, febriumque naturam aliquando permutantia. Cuius generis, & puræ, & impuræ, & malignæ, & pestilentes, & venenatæ, & hecticæ, & lentæ inueniuntur febres. Quæ si morbum præcedant, Primariæ: si sequantur, Secundariæ, & Symptomaticæ communiter nominantur febres. Variantque, quòd morbi comites vel extrinsecus apparent: suntque vel inflammationes, vel erysipelata, vel bubones, vel anthraces, vel ecthymata, vel exanthemata. Vel in interioribus latent, & doloribus, tussi cachexia, excretisque alijs se præcipuè produnt & manifestant.

Comitatæ continuæ febres.

Inflammationes externas febris interdum sequitur, nunc Ephemeræ, nunc Synochæ puræ instar cursum perficiens, suaq; accidentia promens.

Inflammationi externæ comes febris Ephemerat. Synocha pura, Venenata.

Quod si ab ictu bestiæ venenatæ productæ inflammationes febrem comitem habeant, Venenata à nobis appellata erit, ephemeræ instar breuis, cùm, etsi hominem non interimat, supra diem vnum durare vix possit. Accidentia grauia alia quoque, vt tremorem, conuulsionem, similiaque subitò superuenientia (quibus, vti & ex prægresso ictu, cognoscitur) simul adiuncta habens.

Erysipelata externa febris synochus pura frequenter protrudit: quam & tunc erysipelas communiter vocant. Germani verò nostri Carfunckel / id est, Carbunculum, quòd gemmæ sic appellatæ, quæ aliàs hyacinthus dicitur, ruborem flauescentem, erysipelas inde natum referat, appellant. Hæc febris processum eundem vti solitaria synochus seruat, atque diebus aliquot elapsis finitur, vel commutatur. Accidentiaque similia quoque profert, & præter hæc die, vel eodem, vel altero aut tertio, rariùs, tardiùs, erysipelas cum rubore & ardore si simplex sit: aliàs accedente simul tumore; si phlegmonodes, eoque maximo; si œdematodes sit, in cruribus præsertim, interdum & in facie, rariùs in alijs locis, protrudit: glandulis vicinis simul interdum intumescentibus. Quæ & febre soluta nonnunquam remanent, seq; sicuti in tumoribus hisce suis in locis explicatur, habent.

Erysipelati externo comes febris: Synochus pura; Carbunculus Germ.

Bubones febris Ephemera vel Synochus

Buboni comes fe-

bris, Ephemera, Synochus pura, Pestilens, Venenata.

chus pura, sæpenumerò profert, à solitarijs, aut synocho modò dicta quæ erysipelata producit, non differens: nisi quòd primo statim die, vel mox eum sequentibus, vti in priore erysipelas, hîc bubones in adenibus, paucioribus pluribúsve in locis, in collo, Knüttel vocant, in inguinibus, sub alis, cum dolore, ruboreq; interdum in ambitu apparente, prorumpant. Quam febrem & ob similitudinem febrium inter se, vti & eam quæ erysipelas parit, Carbunculum nostri quoq; appellant: nomenq; hoc etiam solitariæ ephemeræ & synocho eandem ob causam accommodant.

Verùm & Pestilens febris, bubonem nūc vnum, nunc plures, mox in prima illius inuasione, vel non diu post eam, frequentiùs in inguinibus, & sub axillis, nonnunquam & iuxta aures, cum dolore se in illis locis manifestante protrudit: qui nisi denuò euanescant, adaucti inflammatique in panum seu phygethlon abeuntes, tandem in abscessum versi, admodum ægrotantes molestant, nouamque febrem synochum interdum accersunt. Sed & absconditi aliquando bubones, in pinguibus præsertim, dolore, soloque rubore illis in locis se produnt.

In Venenata dicta febre, aliquando in vtroque inguine dolores graues suboriri, in causis ostendemus.

anthraci comes febris, Pura, Putrida, Putrida maligna, Pestilens.

Anthrax in febribus quibusdam & inprimis in Pestilenti in corporis aliqua sede, frequenter in extremitatibus prosilit. Qui ab initio pustulam paruam referens, pruritu & ardore molestat, mox verò in vlcus crustosum conuertitur. A quo anthrace ab initio lineam rubram ad bubonem, qui plerunque illum comitari solet, longo etiam interdum spatio, porrigi, sæpè obseruauimus.

Sed & anthracem non pestilentem, febris quandoque Putrida continua, vel simplex, vel maligna simul, rariùs Pura, præire multoque minus, nisi maximus in eo sit ardor, subsequi solet.

Ecthymatibus comes febris, Synochus

Ecthymata, febres aliquæ continuæ frequenter protrudunt: quæ rariùs sunt Synochi simplices; frequentiùs Putridæ; frequētissimè Putridæ malignæ dictæ. Quæ infantibus adeò consuetæ sunt, vt pauci inueniantur, qui non febres pustulas illas proferentes in infantia passi sint: quibus & plures eodem tempore iisdem in ædibus vel locis sæpè corripiuntur, & proin illis contagiosæ & populares existunt. Sed & in adultis, rarissimè tamen, & tantùm malignę putridæ febres eiusmodi pustulas proferunt, quæ proin & deteriores nihil boni portendunt. Sunt autem hæ febres, nunc breuiores, in quibus & citiùs erumpunt pustulæ: nunc longiores & tunc tardiùs ferè prodeunt, febrisque in septimanam, & vltrà quoque in adultis præsertim extendi potest: nullâ tamen crisi certâ, sed sensim superueniente, nonnunquam fœdâ alui proluuie, desinunt.

pura & Putrida, Putrida, maligna Pestilens.

Accidentia eadem quæ synochus putrida, sed mitiora in infantibus, in adultis grauiora adfert: interdum & deteriora in maligna putrida, si non rectè prodeant ecthymata, in ætate præsertim prouectioribus. Erumpuntq; die tertio vel quarto, vel etiam tardiùs, nulla tamen crisi aut febris solutione pustulæ, corporis vniuersam vel maiorem illius partem defœdantes, tamque diu, donec vel denuò euanescant, vel pustulæ suppurentur, sicuti suis locis explicabitur, perseuerantes.

Sed & febris inuenta est Pestilens aliqua, quæ non alijs, quàm pustularum eiusmodi eruptionum indicijs, multa millia infantiū è medio sustulit, & quandoq; in adultos, sed rariùs iisdem characteribus sæuiebat.

Exanthematis bus comes febris, Synochus pura & putrida: Putrida maligna: Pestilens, Venenata.

Exanthemata in eadem febre, quæ ecthymata producit, & vel Synochus simplex est, vel putrida aut maligna, efflorescunt: & sicuti illic pustulis, ita hîc maculis rubris latis corporis superficiem, præsertim in facie & pectore, conspergit. Infantibus quoque, vti prior peculiaris, ita vt plerique quoque febres ambas, tum eam quæ maculas, tum eam, quæ pustulas profert, sed diuersis temporibus patiantur. Per cætera cursu atque accidentibus, eodem modo vti & prior febris se habens.

Sed & in febribus putridis malignis, maculæ rubræ, quales post pulicum morsus aliàs apparere solent, vel subfuscæ aut nigræ, vel

vel violaceæ, quas Itali *Petechias*, German. Rechflecken vocant, circa statum harum febrium erumpere interdum, & per cutem hinc inde dispersæ, illius malignitatis indices & mortis propinquæ prænunciæ esse solent. Nonnunquam & latam eiusmodi maculam solitariam sub papilla apparentem, in febre maligna cuiusdam puellæ mortem ipsius anteire & præsagire vidi.

Verùm & similes maculæ subfuscæ in febribus Pestilentibus, vti in putridis malignis, non solùm febrem pestilentem detegunt, sed & mortem instare denunciant.

In Venenatis febribus, maculæ diuersi generis, venenum latens quoq; produnt.

Doloribus comes febris Ephemera, Synochus pura.

Dolores aliquos summos, vt podagricos, nephriticos, colicos, dysentericos, & dentium quoq; in dentitione infantium, aliosq; vt in partus difficultatibus, febricula interdum comitatur Ephemera vel Synochus pura; quæ breuis est, nec per se grauia adfert symptomata.

Inflammationibus internis comes febris, Synochus pura & putrida.

Alios quoque dolores, aliaq; accidentia ab inflammationibus internis producta, febris Synochus pura, degenerans tamen aliquando circa finem, comitatur. Quæ si eas sequatur & symptomatica sit, non adeò longa, aut vehemens esse potest, nec ita, nisi inflammationis causâ hoc fiat, periculosa. Si verò febris primaria sit, inflammatioque eam sequatur, (quod plerunque tam subitò fit, vt non solùm vnà hæc simul prodiisse, sed & inflammationem febrem præcessisse, febremque tunc quoque symptomaticam esse creditum sit) tunc si cum tussi in qua cruenta purulentaque excreantur in peripneumonia, accedente simul dolore punctorio in pleuritide; vel cum ardoris dolore & tensione in hepatitide; splenitide febris hæc iungatur, decursus illius longior, quàm in synocho solitaria esse solet, & pro morbi comitis ratione, citiùs tardiúsve finiri, vel in putridam interdum permutari, nonnunquam etiam recrudescere, sicuti in causis explicabitur. Accidentia tamen, quæ à febribus hisce proficiscuntur, leuiora plerunque quàm in synochis solitarijs existunt: vnde & capitis dolorem rariùs experiuntur, etsi ea symptomata, quæ à morbo prodeunt, grauia & periculosa sint: quorum causâ affectus hi acuti, non febris nomine, dicuntur. Quod si quoque delirium graue in phrenitide vera, vel suffocationis periculum in angina, quæ has febres vti & linguæ inflammatio in affectu Breune dicto, interdum sequitur, hisce febribus accedat: febris comes tunc quoque non alio modo quàm prior se habet: etsi accidentia alia à morbo prodeuntia summè periculosa, quorum causâ affectus hi peracuti nominantur, existant.

Phthisi comes febris Hectica.

Tussim cum exscreatione purulenta & tabe in phthisi, Lenta primùm symptomatica comitatur febris quæ diuturnitate in Hecticam symptomaticam tunc quoque dictam conuertitur, à solitaria non admodum differentem; cùm & hæc sensim longoque tempore ægrum conficiat. Calorque in ea mitis, nulla grauia adferat symptomata; quem tamen noctu aliquo modo increscere, magisque tunc ægrotantes sentire scribunt. Pulsus etiam frequens, celer atque inæqualis, non tamen validus in perseuerante febre, ob imbecillitatem quæ sequitur, existit. Dein & vrinæ febris causâ vix alteratæ apparent.

Cachexia comes febris Lenta.

Cachexiam, nunc colore alieno, nunc vitioso corporis habitu tumente in leucophlegmatia, vel gracilescente in atrophia, se manifestantem, febris interdum comitatur, Lenta symptomatica appellata, ob calorem illius minimè acutum, sed adeò mitem & lentum, vt vix eum ægri depræhendant; hecticæ febris calori non absimilem, vnde & vulgus eas hecticas quoque, vti & nostri Germani Ettitum communiter appellant, hasque febres, infantibus & virginibus, inprimis antequam menses erumpant familiares, ex cita respiratione & cordis palpitatione, accedente marcore corporis, quem ex ossis xiphoeidis prominentia, & costarum scapularumque eminentijs colligunt, esse iudicant & propter macilentiam alij eas Rippsucht / & à cordis palpitatione, quæ ferè quoque adest, Hertzgespert / circumforanei noua excogitantes nomina appellant. Quæ febres diuturnæ quoque admodum sunt, & nonnunquam in veras hecticas de-

sinunt; aliàs verò morbo vnde prodeunt sanato, iterum abolentur.

Retentis quibusdam putrescentibus comes febris Lenta.

Retentæ secundinæ, fœtus mortui, aut vermium, aut sanguinis concreti accidentia, calore præternaturali, illiusque indicijs, pulsuque concitato, non tamen vehementibus, nec diutiùs durantibus, cùm causa diutiùs quoque (vt illic dicetur) minimè subsistat, sese offerentia, comitatur febris interdum, quæ nisi aliud accedat, Lenta quoque symptomatica existit. Sicuti de hac & alijs morbos alios comitantibus febribus, vlteriùs in tractatione singulorum morborum, vti & tunc de morbis ipsis quo pacto se habeant, febribusque se accommodent, agemus.

Intermittentes febres.

Intermittentes febres sunt, quæ certis temporibus intermittunt, certisq; redeunt. Harum vnum tantùm est genus, omnisque intermittens febris, cùm calorem apparentem, molestumque, eumque impurum & pungentem diffundat. Acuta impura seu putrida, vt in causis demonstrabitur, existit. Cuius tamen diuersæ species, pro dierum, quibus redire consueuerunt, numero statuuntur.

Hæ autem solitariæ tantùm, non vti continuæ comitatæ esse deprehenduntur. Nam etsi morbum alium aliquem producant, hic tamen cum à febre diuersus sit, illiusque naturam minimè immutet, nec cum febris accidentibus implicatus, vti in continuis fit, sed seiunctus existat, comitata eo modo, sicuti eas appellamus, dici non potest. Dein & cùm nullæ morbos sequantur, & morbi si febrem accendunt, ea semper continua sit, vt in causis declarabitur, nec symptomaticæ aliquæ ex illis rectè dici possunt, sed primariæ, cùm per se incipiant, appellabuntur.

Verùm simplices & vnius generis aliquando, vti & continuæ sunt intermittentes febres; in quibus tamen non vna solùm semper, sed frequenter duæ vel tres etiam species ipsarum, non vno paroxysmo concurrentes, sed diuersis paroxysmis, ægrum infestant; eoque nomine vel simplex, vel duplex, vel triplex intermittens febris dicta occurrit. Quæ quocunque modo se habeant, si cum continua febre aliqua iungantur, Compositæ erunt febres, vel Hemitritæus dicta, vel aliæ febres; quæ in compositis continuis, cùm si hoc fiat, continuò nihilominus æger febricitet, descriptæ fuerunt.

Cæterùm acutæ huius impuræ seu putridæ febris intermittentis, cuiuscunque speciei decursus, totius illius morbi temporis, nunc vna septimana, nunc pluribus perficitur, interdum vix mensibus aliquot absoluitur. Quo tempore febris aliquoties inuadit, tempusque illud inuasionis Accessio dicitur: quâ tamen reliquum quoque febris tempus, quod horis nunc paucioribus, nunc pluribus completur, comprehendunt; quod Paroxysmum seu exacerbationem quoque vocant: licet magis propriè deterius febris tempus, vti in continuis quæ statis temporibus exacerbantur, dictum, sic appelletur. Tempus verò quietis, quo febris cessat, Remissio, anesis dicitur. Vtriusque verò temporis & febris accessionem, & remissionem comprehendentes, per circulum veluti decursum, Periodum, circuitúmve nominant: qui non eadem latitudine in singulis febrium generibus perficitur, sed ab eo die, quo accessio facta est supputando, die vel eodem, vel sequenti, vel tertio, vel quarto, vel quinto recurrit.

Tertiana febris intermittens.

Tertio die quæ redeunt febres intermittentes, sunt frequentissimæ, Tertianæ dictæ; & nonnunquam in eandem horam, quâ prior accessio inceperat, incidunt: frequentiùs horis aliquot anticipant: aliàs maximè cùm declinare incipiunt, cunctantur: eumq; ordinem vel aliquamdiu seruant, vel nullo certo ordine recurrunt. Harum accessio horarum interdum est quatuor, frequentiùs septem, nonnunquam ad horas duodecim & quatuordecim vsq; exporrigitur; totidemq; circuitibus quatuor scilicet, septem, duodecim, quatuordecim nonnunquam etiam pluribus factis cessat. Hæc omni tempore, æstati tamen magis consuetæ sunt, vti & iunioribus: quæ autumno accidunt, & in senibus, diuturnæ sunt, periculoq; non vacant.

Quartana febris intermittens. Quarto die, quæ rursum inuadunt, frequentes quoque sunt febres, Quartanæ dictæ. Idque vel eodem anticipationis, aut cunctationis ordine, vel inordinatè. Quarum accessiones totidem horis, vti tertianæ perficiuntur, plerumque tamen longiores sunt. Vti & totius febris decursus, longus admodum existit: cùm rariùs trium, frequentiùs sex mensium spatio primùm conficiatur: vltra annum quoque nonnũquam, sed errore prorogatus, & ad duos vsque aliquando productus. Hæ autumni tempore plerunque incipientes, vix ante veris initium desinunt, & mediæ ætatis hominibus magis familiares existunt.

Quotidiana febris intermittens. Altero die quæ mox redeunt febres, Quotidianæ, quia quotidie inuadunt, dicuntur. Harum priuatum genus veteres statuerunt, ipsarumque accessionem horis octodecim, intermissionem sex perfici scripserunt, Amphemerinam quoque vocantes. Alij verò rarissimam eam & ex sexcentis febribus, vix vnam talem inueniri testantur: alij penitus eam è febrium intermittentium classe excludunt: quibus & nos consentimus. Ergo quæ quotidie inuadunt febres, non nouæ, sed ex priorum quoque generum sunt numero, tertianæ scilicet vel quartanæ, quarum alterutrum genus si corpus præhendat, & vel mox, vel in morbi progressu, vti ferè fit, illi altera accedat febris, vel sui generis vel alterius tunc cùm plures sint vnâ cessante vno die, altera mox alio die sequitur, sicque quotidie accessiones, sed ob diuersitatem febrium non pares, nec ijsdem horis fiunt: idque tamdiu, donec priore terminatâ, alteraque adhuc permanente, ad pristinum ordinem diei, vel tertij, vel quarti, prout febris quæ remanserit, fuerit, redeat. Quod in Duplici tertiana, & Triplici quartana, quas Hemitritæos quoque sed non veros Font. vocauit, ordine tali ferè euenit. Sed & ordo hic interruptus est, duobusque diebus febris exercet, vno intermittit, si Duplex quartana extiterit, vel tribus diebus accessio redit, vno desinit, si Tertiana cum quartana febre coincidat.

Tertiana duplex. Quartana triplex. Quartana duplex.

Eodem die quo desiit febris, si repetat, nec tunc nouum intermittentium febrium genus esse dicendum est: sed quando iam enarratæ febres quotidie redeuntes multùm accipiant, hoc euenire potest, vt vnâ cessante, mox eodem die altera quoque inuadat. Quod si anticipatio succedentis febris adeò præcurrat, vt in accessionem prioris febris nondum finitam incidat, tunc paroxysmum, præterquam aliàs consuetum est, admodum prolongari necesse est; præsertim si quæ secuta est febris, circa finem alterius inceperit: quod si fiat, quod tamen rarum est, accessio ad horas decem & octo prorogari potest. Quod cùm obseruassent veteres, fortè hunc terminum longum quotidianis ab illis constitutis accommodarunt: cùm tamen duæ potiùs sint accessiones, horrore nouo interueniente, qui tunc cùm altera incipit, accedit.

Quinto & sexto quoque die, febres aliquas redijsse obseruatum est: quod tamen cùm fit, nisi febris quæ penitùs cessarat, per recidiuam quinto vel sexto die factam, suspicionem quintanæ vel sextanæ mouerit, cuius quòd hoc semel tantùm vel iterum fieret, indicium foret; non alia quàm Quartana erit febris: vtpote quæ tantam moram trahat, vt quinto vel sexto die primùm redeat: quod tamen insolens est. *Quintana, Sextana febris.*

Accidentia febrium intermittentium varia sunt; quæ & ægro molestiam pariunt, vt frigus, calor, sitis, capitisq; dolor; & functiones illius lædunt; excrementaq; immutant, de quibus ordine agemus.

Cum frigore non tantùm febres intermittentes incipiunt, vti & continuæ, sed & singuli ipsorum paroxysmi postquam redeunt, cum oscitatione, pandiculatione, & frigore extremitatum, manuum, pedum, nasi, aurium se primùm manifestant: succedente postea plerumque Rigore; cui symptomati præcipuè Germani intenti, tanquam illi quod primò se offert, febres has Kaltwee vel Frierer / frigidum morbum vocant. Hoc autem plus minùsve vrget, corpusque diuersimodè afficit, in varijs illius speciebus. Vehementer friget interdum corpus, rigorque vel derepente in tertiana, tardiùs paulò in quarta- *Kaltwee Germ. intermittens febris.*

na succedit, quo corpus omne concutitur, dentesque strident, & corpus veluti feriri, membraq; contundi, & grauari sentit æger. Sed & frigore mitiore vtraque nonnunquam, accedente horrore aliquo, vel etiam nullo incipit, diutiùs tamen tunc perseuerat. Vniuersum quoque corpus plerunque frigus occupat, & tam in exterioribus, quàm interioribus sentitur: nonnunquam exteriora, aliàs interiora magis infestat. Sed & eodem tempore interdum quælibet corporis pars frigus & rigorem cum calore simul percipit, & tunc febrem Epialam vocant, & febris quotidianæ speciem, alij intermittentis, alij continuæ faciunt. Nos tamen hoc, tum cùm intermittentes febres eodem die, vti dictum est, coincidunt, & frigus vnius, antequam calor alterius febris cessarit, incipit, accidere posse putamus. Vel etiam quando intermittentes cum continuis, sicuti in hemitritæo ostensum fuit, concurrunt: cùm in continuis calor semper perseueret, & intermittente febre accedente horror quidam & frigus in principio simul infestent.

Epiala febris, intermittentium febrium species.

Calor qui frigus & rigorem mox sequitur, vel, vti dictum est, cum frigore mox se, vel in iisdem partibus diuersisve intus forisve profert, vehementissimus est in tertianis quibusdam, mox accensus, & in vniuersum corpus effusus, acer, & tangentis sensum quoque feriens, mox ad vigorem tendens, sed statim mitescens. In alijs remissior, nec adeò totum corpus occupat, atque igni è viridibus lignis succenso comparatus: sicuti in tertianis diuturnioribus euenit. Vehemens quoq; in quartanis non tamen toto corpore æquabilis, sed cum quadam frigoris permixtione, & artuum, ossiumq; veluti dolore sensum mouet.

Sitis præ cæteris symptomatibus vehementer tum in tertianis, tum in quartanis ægros affligit, quâ veluti enecti, continuò frigidam efflagitant, eaque haustâ mox aliam expetunt. Sed & nonnunquam durante adhuc frigore, tum præsertim cùm foris est, interiora verò calent, potum quoque expetunt.

Dolor capitis interdum superuenit: aliàs ab initio mox molestat, in processu verò illius cessat.

Functionum mutationes spectantur potissimùm in hisce. Quòd delirant interdum durante paroxysmo: Inquieti quoque sunt, corpusque iactant & denudant, dum calor in summo est; Vigiliæ interdum adsunt: Aliàs somnolentia quoque premit, præsertim in infantibus. Respiratione magna multum hauriunt spiritum: Pulsus initio paroxysmi paruus, postea celer & creber, magnusq; fit inæqualis plus minúsve. Debilitas, nisi vires quietis tempore recolligantur, sequitur. Syncope quoque in quadam specie, quam etiam Syncopalem vocant, interuenire solet. Vomitiones sub finem rigoris amaræ frequenter accidunt: Sudores copiosi, vaporosi, & calidi plerumque post singulos paroxysmos sequuntur; per quos febres hæ inclinant, & tandem ijs perseuerantibus iudicantur: Accedente quoque nonnunquam frequenti mictione. Hæmorrhoides quandoque, vel menses superueniunt.

Syncopalis febris intermittentium febrium species.

Excrementorum alterationes in Vrinis spectantur, quæ flauæ aut flammeę, substantiæ mediocris, vel mox in tertianis, vel postmodum in quartanis, in quibus primis ferè diebus albæ seu aquosæ existunt, apparent: sed & nigra in quartanis non semper mala, si materiæ per illam fiat expurgatio, censebitur. Deiectiones quoq; biliosæ flauæ admodum, interdum & atræ, tum sumpto pharmaco, tum naturâ sponte agente, videntur.

Causæ.

FEbrium omnium enarratarum generũ causa prima est morbus. Qui est intemperies calida, seu calor præter naturam, omnes totius corporis partes, calidiores quàm par est reddens. Sic autem & febris ipsa tanquam morbus definitur, licet calor ille febrilis, qui certis in locis tactu depræhenditur, & ab ægro persentitur, quatenus molestiam illi præbet, inter symptomata quoq; fuerit recensitus. Huius autem caloris, seu morbi, seu febris, primùm sedes; dein essentia consideranda veniunt.

Intemperies calida, vt morbus, causa omnium febrium.

Sedes

Intemperiei calidæ subiecta sedes, sunt omnes totius corporis partes, in omnibus febribus.

Sedes huic morbo subiecta, & quæ afficitur, non tantùm aliqua est pars, sed omnes totius corporis partes: non solùm carnosæ, quæ tamen faciliùs accendũtur, sed & membranæ, osseæq; calorem hunc præternaturalem concipiunt. Inter quas tamen cor ipsum priùs, antequam reliquæ omnes partes incalescant, accendi necesse est: cui mox consentientes promptè celeriterq; simul omnes, plus minúsve, prout naturâ suâ magis aut minùs calidiores sunt, accenduntur: quæ etsi corpus vndique ferè incaluerit & æstuet, spiritus sanguisque efferuescant, aut aliæ quoque partes principes, vt cerebrum, hepar, intemperie calidâ laborent; non tamen febrem, nisi cordi calorem prius communicent, aut illud antea calore affectum sit, efficient. Sed nec cordis calor leuis, aut, etsi vehemens, momentaneus tamen sit, qualem per motum & iram, nõ tantùm vniuerso corpori, sed & cordi ipsi accidere, ex pulsu & respiratione tunc concitatis deprehendimus, verùm impressus & permanens, febrem potest inducere.

Essentia huius caloris febrilis præternaturalis non eadem in omnibus febribus inuenitur: pro cuius diuersitate, diuersa febrium superiùs explicatarum exurgunt genera. Est enim calor is vel aduentitius & mutabilis, quem igneum vocant. Isq; vel purus & simplex, corpus tantùm accendens, puras seu non putridas dictas febres efficiens. Vel impurus & putredine permixtus, corpus simul inquinans, impuras seu putridas febres creans. Vel malignus & putris simul: vel malignus tantùm, corpus insuper inficiens: malignas, putridas, pestilentes, venenatas nominatas sub se comprehendens. Aut est insitus & constans calor hic febrilis, seu temperamenti in calidius conuersio, vnde corpus calidius redditur, à quo hecticæ febres appellatæ prodeunt. Quæ omnia qua ratione fiant, tum à calore puro, tum putredine, vel qualitate maligna permixto, in his tribus causis iam ostendemus.

Calor purus, causa febriũ Purarũ seu non putridarum.

Purus calor & simplex, qui solius caloris est exuperãtia, priùs ferè in spiritibus & sanguine, in venis & arterijs accensus, atque per has vias cordi continuatas, in hac materia quæ cordi continuò infunditur, illudque alluit, cordi altiùs impressus, atq; inde per consequens singulis partibus communicatus; febres efficit Puras quoque seu simplices vocatas, continuas omnes: calore semel accenso non remittente, donec extinguatur: easq; vel solitarias sine alio affectu cursum suum absoluentes: vel alio morbo, qui illas sequitur, vel præcedit, comitatas. Quæ varietas inde primùm procedit: quòd causa morbifica harum febrium, vel in vasis permanet, vel extra hæc quoque profunditur.

In vasis cordi cõtinuatis, sanguinis et spirituũ inflammatio, causa febrium Purarũ continuarum, et si in vasis maneat, solitariarum.

In vasis, venis scilicet & arterijs, si sanguis accensus seu inflammatus, cor accendens, & febrem sic inducens, ad solutionem vsq; persistat, nec ex illis in alias partes effundatur; tunc prout vel nõ à morbo vel à morbo prodeunt, solitariæ vel comitatę, quæ tunc symptomaticæ sunt, hæ fiunt febres.

Causa procatarctica sanguinẽ & spiritus accẽdens causa febriũ Purarum solitariarũ primariarum.

Si nullus morbus has febres excitarit, sed à causa procatarctica initiũ sumpserint, sanguisq;, vti dictum, accensus, in vasis permaneat; tunc solitarię nullo alio morbo illiúsve accidentibus comitatæ aut impeditæ & primariæ dictæ, cùm per se incipiant, erunt hæ febres; & pro ratione caloris plus minúsve acutæ; breuiores ferè, cùm illarum calor die vno vel altero, nisi in putrem conuersus putridas febres excitet; vel altiùs impressus, hecticas pariat, mox iterũ remittat, penitusq; cesset. Quod illis non ea ratione, sicuti voluerunt, accidit; vt nimirum si spiritus tantùm incalescant, eodem die calor rursum euanescat, ephemeræq; tunc fiant febres: si sanguis verò accendatur, paulò longiùs calore perseuerante, synochi: si cordis substantiam occupet, diuturnæ hecticę febres existant: cùm in omnibus hisce speciebus, & spiritus & sanguis, quæ in vasis confusa, separatim accendi nequeunt, simul, & vnà cum illis cordis quoq; substantia, inflammẽtur: omnisq; febris, vti & morbi omnes pro subiecto in quo resideant, non spiritus & humores, sed partem solidam habere debuerint. Sed hæc febrium diuersitas cùm ratione causæ, à qua excitantur; tùm subiecti corporis quod occupant, accidit.

Causæ externæ, quæ has febres excitat, ratione, prout hæc in corpus agit, diutiúsve

perseuerat, hæ febres in tempore & magnitudine variant. Quæ causæ, vel ex ambientibus, aut assumptis, vel motu corporis procedunt.

Ex ambientibus, corpus accendunt per se, Aër calidissimus, Aqua feruens, si diutiùs in ijs præsertim in sole vel balneo moram trahant. Ex accidenti quoque vehemens refrigeratio, & subitanea, extrinsecùs ab aëre vel aqua, potissimùm dum corpus admodum calet, facta: quia calor ad interiora subitò à frigore externo repercussus, spiritus, humores, visceraque interna, & vnà cum illis cor inflammat, febres eiusmodi nonnunquam excitat: quod hac ratione accidere probabiliùs est dicere, quàm quòd à frigore cute astrictâ, porisque obturatis, quia tunc aëris via interclusa, ab eo sanguis perflari (quod illi euentilationem vocant) non possit, is accendatur vel putrescat (sicuti existimarunt) hoc eueniat; cùm nos sicuti respirationis necessitatem non cordis refrigerij causâ, quò cor, cùm secundùm naturam se habet, non indigebat, institutam fuisse alibi docuimus: ita quoque transpirationis vsum, non vt sanguis refrigeretur, cùm temperatus existens id non requirat; sed excrementorum potiùs euacuandorum causâ, vt in putridis febribus, quæ ab hac intercepta proueniunt, explicabimus, ordinatum fuisse, asseramus.

Assumpta quæ actu vel potentiâ vehementer inflammant, præsertim si subitò penetrent, idem præstare possunt. Qualia inprimis vinum meracissimum, & ab illo elicita aqua, ardens dicta, affatim bibita, possunt efficere. Sic & anacardinam confectionem sumptam, febrem suo calore excitare posse scribunt. Verùm nec cruditatem, nec ciborum corruptionem, has febres, sicuti docuerunt, sed vel alios morbos, aut febres putridas potiùs quàm puras excitare, suo loco ostendemus.

Motus corporis vehemens, celer præsertim, corpus nimiùm calefaciendo, febrium harum causa esse potest: sicuti in equis, si nimiùm impellantur, videmus accidere: quos tunc febricitare ex cita respiratione & calore extremitatum, & sudore, facilè deprehendimus. Quod & validus motus corporis continuatus, vel repetitus potest efficere: cuius causâ mulieres, si in partus difficultate diu laborent, febre quoque accenduntur: quam & dolor, si ille simul adsit, adauget. Sed & animi motus immodici per vigilias, inprimis subitanei, & præsertim per iram, nonnunquam & per terrorem & gaudium facti, si nõ tantùm spiritus & sanguinem agitent, sed & cor simul admodùm accendant, febres excitant. Mœrorem verò & metum non nisi interueniente putredine, has febres efficere posse existimamus.

Subiecti corporis, quod febribus hisce corripitur occasione hæ febres præcipuè variant. Corporis autem quæuis constitutio hasce febres suscipere potest, si causa eam euincat externa, à qua calor excitatus, prout vel in corpus quod temperatũ, vel calidiùs, vel impurum etiam, incidit, febres hæ pro diuersitate constitutionum variant.

Sanguinis et spirituum, in temperato corpore, in vasis, à causa externa inflammatio, causa febris Ephemera.

Temperatum enim corpus, si à causis aduentitijs accendatur, cùm diutiùs in eo calor persistere nequeat, sed corpus mox iterum ad suam temperiem redeat, breues Ephemeræ, quæ primo die plerunq; cessare solent, febres gignũtur. Quarum & calor ob eandem causam mitior existens, nullas insignes in corpore mutationes parit, & cùm impurus minimè sit, sine horrore incipit, & sine crisi, sensim per sudores, quia in illis quoq; aliqua fit propter calorem exhalatio, expirat.

Calidior corporis constitutio ea est, quæ ad calorem suscipiendum magis apta existit. Quæ si à causis externis accendatur, tunc vtrinque accedente calore, Synochi simplices febres, quæ diutiùs perseuerant, caloreq; vehementiore vrgent, prodeunt. Talem autem constitutionem, vel sanguineam, vel biliosam existere necesse est.

Sanguinis et spirituũ, in plethorico corpore, in vasis, à causa externa, inflãmatio, causa Synochi sanguinea.

Sanguinea dispositio, eo citiùs à causis aduentitijs calorem cõcipit, quò maior est sanguinis copia, vel is calidior existit. Proin & iunioribus, & plethoricis, & naturâ calidioribus, & quibus consuetæ sanguinis hæmorrhagiæ per menses, hæmorrhoides, narium fluores, suppressæ sunt, febres hæ faciliùs accidunt, quæ & ob causæ efficientis cum adiuuante concursum, supra vnum diem, ad duos

duos vel tres vsq; extenduntur, Synochiq; simplices sanguineæ dici possunt: Maiore æstu, alijsq; symptomatis ob enarratas causas quoque affligentes: alioquin, eodem modo, vt ephemeræ, incipientes & desinentes.

Sanguinis et spirituū, in bilioso corpore in vasis, à causa externa inflammatio, causa Synochi biliosæ.

Biliosam constitutionem promptè quoque, cùm calidior sit, eædem causæ accendunt, febremque synochis similem efficiunt, quam synochum simplicem biliosam vocare possumus. Cùm præter ea accidentia, quæ bilis proferre solet, quibus insuper molestat, in reliquis, nisi in putridam commutetur, eundem processum, quem sanguinea febris, seruat.

Sanguinis et spirituū, in impuro corpore, in vasis à causa externa inflammatio, causa Synochi degenerantis.

Impurum corpus si à causis exterioribus febrem cōcipiat, tunc si sanguis impurus ad putredinem aptus sit, simplex & pura febris diutiùs minimè manet, sed cùm putredinem mox sanguis concipiat, febres hæ in putridas (sicuti in illis explicabimus) synochos quoque, sed putridas dictas, longioresque permutantur. Quod si verò sanguis impurus nonnihil, nondum tamen putredini obnoxius sit, tunc Synochus simplex & pura adhuc, nondum tamen putrida permanet, accidentiaque quoque & plura, & vehementiora, quàm priores synochi, hæc adfert; Frequentiùs tamen de vitioso hoc sanguine naturâ portionem illius aliquam è venis propellente, synochus inde comitata, vti illic dicetur, nascitur.

Morbus calidus sanguinē & spiritus accendens, causa febriū Purarū symptomaticarum comitatarum.

Si à morbo aliquo eiusmodi febres oriantur, sanguisque accensus in vasis adhuc persistat, tum symptomaticæ, cùm morbum sequantur, Simplices hæ febres appellantur. Quæ quoque, nisi ratione morbi permutati in putridas symptomaticas abeant, aliquo modo ad prædictarum à causa externa genitarum febrium, ephemerarum nimirum vel synocharum naturam, etsi causa morbi comitis decursus, symptomataq; ipsarum nonnihil commutentur, accedunt.

Cæterùm morbos, qui hasce febres inflammatas symptomaticas excitare posint, eos partis alicuius esse necesse est, qui calorem tantùm effundant, vt vicinum primùm sanguinem in parte contentum, & copiosiùs nonnunquam doloris causâ, quem eiusmodi calidi morbi plerumq; adferre solent, ad eam attractum, atque inde continuatione sanguineam massam reliquam, corque ipsum intermedio huius accendant. Quales morbi calidi, qui febres excitare possunt ab humoribus calidis, sanguine scilicet & bile tantùm, cùm ex humoribus soli hi citra putredinem aut corruptionem febres accendere queant, ferè nascuntur.

Sanguineus morbus, causa febris Ephemeræ, vel Synochi, Symptomaticarum.

Sanguis, non è venis causâ febris præcedentis excidens (de quo postea agemus) sed aliam ob causam, veluti calore, doloréve commotus in partem influens, illicque vel intemperiem solam, quæ in tenerioribus corporibus quoque febrem excitare potest; vel inflãmationes, erysipelata, diuersorum, pro sanguinis influxi varietate, generum, accendens, febris eiusmodi inflammationes sequentes procreat. In quibus febribus, sanguis accensus è venis quandoque excidens (sicuti postea ostendetur) inflammationes has, vt iterum recrudescant efficere, vel alias de nouo excitare potest. Quæ simplices & puræ non putridæ (vti voluerunt) ab initio harum inflammationum, cùm adhuc nihil in illis sit putridi, quoque existunt, & pro ratione morbi caloris vel adaucti augentur, vel remittentis remittunt: atque antequam ille penitus soluatur, ferè cessant; nisi suppuratione facta, nouo superueniente dolore, vel putredine tunc oborta, recrudescant. Tales autem febres symptomaticæ in varijs morbis calidis (sicuti in illis morbis explicabitur) occurrunt; tum viscerum carnosorum, membranosorum; tum aliarum partium: Eò vehemẽtiores longioresve, si morbus cordi, maioribúsve venis magis vicinus sit, calorque in eo maior, corporaque calidioris naturæ existunt, quæ & faciliùs febre incalescunt: sicuti & infantes, ex sola dentitione, gingiuis accensis, febriculâ affici videmus. Aliàs verò mitiores, breuioresque, si procul à fonte caloris absint, & præsertim extrinsecùs occurrant: in quibus vix calor, sed horror duntaxat aliquis, vnde horripilationes vocant, deprehenditur. Interdum verò neque ille adest, suntque in quibusdam inflammationibus omnino apyreti.

Biliosus morbus causa fe-

Biliosus humor calidissimus & feruentissimus, interdum, sed rariùs eiusmodi febribus oc-

bris Ephemeræ, vel Synochi, symptomaticarum.

bus occasionem prębet. Quando nimirum is non in proprio receptaculo contentus, quod minimè solet afficere, neque sanguini adhuc confusus, seroq; dilutus, quibus ardor illius cōtemperatur, & nonnihil restinguitur (qua de causa nec ictericis febres inde prodire obseruamus) sed secretus ab ijs in partes sensiles, ventriculū & intestina infusus, substantiæ ipsorum se insinuans, erysipelataq; procreans, qualia circa ventrem fieri, & febres Lipyrias, in quibus interiora vruntur, excitare solere docet Aëtius, ardorem & dolorem intolerabilem, circa ea loca efficiens, sitimq; inextinguibilem procreans, nisi à natura, vti ferè fit, per excretiones cōtinuò reijciatur, retentus, vicina quęque, vna cum sanguine & spiritibus accendens, eiusmodi febriculas quoque, interdum tales morbos sequentes, profert. Quales in cholera morbo, bile supra infraque, & dysenteria, per sedem, meracissimâ reiectâ; & colicis cruciatibus ijs, quos à bile & erysipelate intestinorū accidere, suo loco explicabimus, comites aliquando adesse, sæpenumerò deprehendimus. Quæ tamen magnæ, cùm causa illarum procul à corde, circa venas meseraicas lateat, esse minimè possunt.

E Vasis sanguinis inflāmati, Synochum febrē excitantis portio in partes effusa, causa febriū Synochorum, primariarum, comitatarum.

Extra vasa iam enarrata maiora si sanguis accensus, à causis explicatis, cor inflāmans, febremq; excitans, portionē illius aliquam in partem internam externámve effuderit, (sicuti sæpissimè fit, quando ob copiam illius, vel feruorem & tenuitatem, vel etiam impuritatem aliquam naturæ grauem, in venis subsistere nequit, & vel statim in prima febris inuasione, vel mox postea vi naturæ propulsus, è venis expellitur, veluti in crisi harum febrium aliquando per hæmorrhagias se natura exonerat) tunc in partibus ad quas fertur, nouum morbum excitando, febres comitatas dictas, quia tunc morbos comites nanciscuntur, non tamen symptomaticas, vti hactenus creditum est, cùm morbum non sequantur, sed illum præcedant, illiusq; sint causæ, sicuti declarabitur, procreabunt. Quæ proin iam non omnino reliquarum solitariarum simplicium febrium cursum aut naturam seruabunt, sed morbi superuenientis accidentibus vel auctæ, vel impeditæ, pro diuersitate illorum, breuiores vel longiores, & plus minúsve acutæ euadent: & quando natura bonam quantitatem sanguinis accensi à venis effudit, non ita æstuant, sitim inferunt, aut capitis dolore, sicuti solitariæ, angunt. Quod maximè, prout in viscera interiora, vel corporis superficiem influens sanguis has illásve afficit, contingit.

Sanguinis inflāmati, in febre Synocho, in viscera interna effusio, causa febriū Synochorū, quas eiusmodi viscerū inflammationes comitātur.

In viscera interiora aliqua ad suscipiendum idonea, eiusmodi influxus in hisce febribus sæpè fiunt: eaque præsertim quæ carnosa & sanguinea, venisque copiosis referta, illarum intermedio maioribus venis continuata, ac illis vti & cordi vicina sunt: Potissimumq; eo nomine in pulmones; quos dum inflammant, pleuritidem vel peripneumoniam (sicuti in illis affectibus ostendetur) procreant. Neq; enim vti hactenus persuasum, eiusmodi inflammationes febres istas præcedere nec procreare, vti multis ostendere possemus, sic hoc satis declarat; quòd hæ febres antequam punctorius dolor aut inflammationis indicia se demonstrent, cum horrore & subsequente calore inuadant, & quandoq; horis aliquot illa præueniant, nec proin ab illis inflammationibus, aliter quàm quòd à febribus priùs excitatæ, nouo calore in viscere cordi vicino augeantur, accendantur. Quod tamen febrem non tunc primùm incepisse satis demonstrat: multoque minus putridam eam esse (sicuti quoque existimarunt) cùm & ab inflammatione calor ille suscitatus, copiâ suâ potiùs quàm putredine febrem augeat: nec dum aliquam, ab inflammatione præsertim primùm facta, putredinem sibi asciscat: nisi fortè quando sanguis in hisce inflammationibus suppuratur, hoc fiat, vnde & tunc pure genito eas augeri docuit Hippoc. Quod tamen fortè quia propter dolorem, qui tunc quoque augetur, febris exacerbatur, potiùs, quàm quòd ex putrida exhalatione noua putrida febris superueniat, cùm mox quoque cesset, fieri credimus. Nisi vlcere aut corruptione aliqua viscerum, hasce inflāmationes sequente, vt cùm pleuritis vel peripneumonia in phthisim conuertuntur, febre hac tunc in putridam hecticam symptomaticam dictam conuersa, hoc accidat: & sicuti mox in putridis dicemus febribus,

bus, sanguine in illis putrido excusso è venis, illud eueniat. Quæ omnia vti in pulmonibus frequentissimè, ob situm illorum & constitutionem ad influxum hunc recipiendum apta, vti dictum, eueniunt: Sic & sanguine in hisce febribus synochis, in hepar lienémve effuso, cùm viscera quoque sint sanguinea, vasaque magna admittant, eadem ratione inflammationes in illis, quæ febres hasce sequuntur, easque augent, nasci possunt. Quæ febres in omnibus enarratis viscerũ inflammationibus, cæteris synochis solitarijs longiores, pro ratione morbi comitis, fiunt: atq; variant prout vel inflammationes verę sunt, quarum febres Phlegmonodeis vocant: vel erysipelas potiùs, cuius febres tunc acutiores existunt, & Typhodeis appellantur, etsi hoc nomen febri, quæ hepatis erysipelati copulatur, propriè accommodatum sit: vti & febres ab erysipelate pulmonum, priuatim Crymnodeis vocarunt. Sed & sanguine nonnunquã in eiusmodi febribus in cerebrum, quod sinibus amplis suis sanguine facilè impletur, excusso, idem fieri potest: tuncque huic febri cerebri inflammatio, quæ subitò cum delirio in phrenitide, aliàs tardiùs, dolore capitis præcedente, & vt ad cerebrum potiùs sanguis feratur, occasionem quoque præbente, copulatur, eamque acutam & periculosam facit. Quod & in ventriculum, intestina, vterum, vesicam, sanguine in febribus dictis expulso, vt hæ inflammationes eas comitentur, fieri potest. Verùm cùm alia via, quæ in viscera carnosa ducit, ad suscipiendum conuenientior sit, illaque viscera membranea venas meseraicas tantùm admittant, vel alioquin procul à vasis maioribus & corde absint; cùm hæ partes inflammantur, ob dolorem qui partibus illis sensibilibus facilè accidit, euenit, vt febres potiùs inflãmationes sequantur quàm antecedant, & (vti superiùs dictum est) symptomaticæ existant. Sicuti quæ partibus carnosis accidit inflammatio, cùm sine sensu existentes, dolore non ita afficiantur, à febribus potiùs, vt dictum, procedit, illarumq; est symptoma.

Sanguinis inflãmati in febre Synocho, in corporis habitu alicubi effusio, causa febriũ Synochorũ, quas inflammationes, vel rubores & dolores comitãtur.

In alias partes internas febres dictæ, sanguinem è venis interdũ quoq; profundunt. Vti in colli musculos & glandulas, illicq; inflammationes in ore, lingua, faucibus, & anginas, quæ eas sæpè sequuntur excitant. Sed & fit, vt licet non à febribus, sed alijs de causis incipiant, tum hæ, tum priores inflammationes, febre superueniente, nouaq; materiâ affusâ, vt in inflammationibus priùs dictum, denuò repetant vel augeantur. Verùm & arthriticos tumores & dolores, eiusmodi febriculæ interdum præcedunt, naturâ per eas sanguinem in articulorum sedes propellente, qui proinde nisi abstruso sint loco, rubore & tumore tunc fiunt conspicui: ita vt qui ad articulorum morbos dispositi sint, ex leui causa febre hac præhensi, naturâ ad extremitates corporis se exonerare consuetâ, vel in articulorum regionem, vel cutis superficiem, in podagra vel carbunculo dicto, vt mox ostendemus, quæ duo mutatis vicibus, aliquos affligere solent, in hos affectus incidant. Cæterùm licet & hæ febres, catarrhos nonnunquam præcedant, eosque promoueant, quia tamen hoc non materiam illis præbendo faciunt, sed calore suo fluxiones mouent, à solitarijs non differunt: quæ & alijs morbis quoque copulari possunt.

Sanguinis inflãmati, in corporis superficiem, in febre Synocho effusio, causa febriũ Synochorũ, quas bubones, erysipelata, ecthymata, exanthemata, anthraces, comitãtur.

In corporis superficiem, cutem præsertim, glandulas, interdum & membranas interiores simul, sanguinem in hisce febribus synochis natura sæpè exonerare solet, illicq; rubores, ardores, tumores vel pustulas excitare: quæ aliàs citiùs, aliàs tardiùs prorumpunt: & prout sanguis vel purus, isq; vel tenuis aut crassus, vel flavus, vel ater, vel serosus, aut aliàs impurus, nondum tamen putris (de quo postea) tumore, colore, dolore, diuersimodè se, cùm hæc conspicua fiunt, manifestant: sicuti hæc prolixiùs alibi in illis morbis explicabuntur; cùm hîc tantùm obiter, quatenus febres, quæ hęc producunt, inter se differant, sit ostendendum. Quæ differentia potissimùm ex eo, quatenus vel tumores, vel pustulas procreant, oritur.

Tumores vel rubores frequenter proferunt hæ febres Synochi, quas Carbunculum (vti dictum) nominant. Quæ adeò consuetæ sunt multis naturis ad hasce inflammationes (ob sanguinis caliditatem, tenuita-

rem, serositatem, vel impuritatem) dispositis, vt vel leui aliqua ex causa, vel saltem sanguine in venis efferuescente accensæ, certo tempore illos inuadant, nec senibus, & illis qui etiam alijs morbis conflictantur, vt podagrâ, parcant. Hæ diariarum instar se proferunt, vti iam explicatũ: quas rariùs eodem, frequentiùs altero primùm vel tertio etiam die, tumor in glandulis venarum maiorum diuisionibus astratis in inguinibus, in alis, in circuitu menti, si in illas sanguis feratur, sequitur, cũ molestia saltem aliqua interdum in illis locis se offerente, nonnunquam & inflammatione. Frequentissimè verò sanguine, in crurũ infimas sedes descendente, pruritus illic primùm & ardor, sedem illam in ambitu malleolorum diuexant, posteaq; rubore pars illa, si erysipelas sit, flauescente, nonnihil interdũ, vel fusco, prout sanguis tenuis qui affluit, existit, suffunditur: aliquando & in tumorem attollitur & inflammatur, si erysipelas sit phlegmonodes, sanguine puriore eò defluxo; & si serosus sit, crure vniuerso in erysipelate œdematoso intumescente. Quos tumores, bubones, in inguinibus ex sanguine illos in defluxu alluente, nati, præcedere, & præsagire plerumque solent. Quibus omnibus citiùs, tardiúsve erumpentibus (vti dictum) febris remittere plerumq; solet; tantùm abest, vt (sicuti hactenus crediderunt) hæ febres tunc primùm incipiant, illorumq; affectuum sint symptemata, cùm hi potiùs illorum existant; & febres hæ, antequam vllum indicium harum inflammationum appareat, iampridem eas præcesserint; & si glandulæ tantùm intumescãt, cùm tunc ardor magnus minimè sit, hæ febres illas accendere minimè potuerint.

Ecthymata in eiusmodi febribus puris, etsi in putridis & præsertim malignis hoc frequentiùs fiat, vti & ex supradictis eruptionibus, aliquas quoq; prodire posse illic ostendemus, interdum erumpunt. Vti & exanthemata illa rubra frequentiùs; quæ infantibus in febribus hisce synochis etiã nondum putridis, sanguine ob copiam illius, vel dispositionem eam, quæ facilè inflammatur, in infantibus accenso, erumpere interdum 3. vel 4. quoque demum die solent, & hac via se expurgare. Quæ tamen tunc contagiosæ minimè sunt, sæpeq; sponte euanescunt.

Quod & eadem ratione per anthracem nondum pestilentem, vel solùm alicubi erumpentem, vel cum bubone, natura interdum in febribus istis synochis nondum putridis, si sanguis ater sit, nondum tamen putris aut malignus, adusti portionem aliquam sic expellens, moliri solet. Eodem ferè modo, vti in peste correptis, vnde quibus priùs hæc non contigerunt, si vel supradictæ eruptiones, vel anthrax prodeant; se peste correptos sibi ex metu persuadent.

Calor putris causa febris Putridarum. Putredine permixtus calor in putrescentibus humoribus, vel corporis partibus primùm excitatus, atq; inde cum exhalatione putri, vel aliqua putredinis portione ad cor vsque delatus, illudque putri calore accendens, & à corde in singulas corporis partes effusus, febres facit Putridas dictas, tamdiu perseuerantes, vel toties redeuntes, quamdiu & quoties putris hic vapor, vel humor cor ferit. Quod tunc faciunt, quando illis in locis excitantur, à quibus ad cor vsque per certos veluti canales deferri queant, venas nimirum & arterias. Cùm enim hæ tantùm sint viæ, quæ cordi continuatæ, in ipsius sinus se amplissimis orificijs aperiunt, in eosque & humores & spiritus continuò infundunt, non per aliam viam putrida hæc exhalatio, aut materia, cor accedere, illudq; intrinsecùs quoque, vti si febris fieri debuit, necesse erat, accendere potuit. Nam si citra horum ductuum adminiculum, vapor putridus thoracis cauitatem penetrare, & capsulam cordis posset peruadere, eaque ratione cor accendere, perpetuò, ob putres exhalationes excrementorum in ventre inferiore continuò congestas, febricitaremus: quarum tamen fœtidam euaporationem, licet adeò subtilis & calida sit, vt per crepitum excussa, ac adhibitâ flammâ accendatur, ad superiora vsque pertingere minimè posse, aut partes aliquas illic inficere, nisi fortè ob vitium, quod suo loco ostendemus, anhelitum fœtidum faciat, ex eo, quòd nullæ partes inde afficiantur, manifestè patet. Et licet venenata qualitas vbicunque ea fuerit & per quascunque vias feratur, cor

ipsum;

ipsum petere possit, hoc tamen in putrida hac materia crassiore, quæ certis locis comprehensa coërcetur, nec nisi per patentes vias corpus potest peruadere, minimè fieri potest: nisi ea manifestos hosce ductus, vti dictum, sequatur. Per quos sicuti calor simplex ad cor vsque in spiritibus & sanguine delatus, febres simplices & puras dictas parit: sic quoque per eadem vasa putris exhalatio seu materia ad cor perueniens, febres putridas excitat, diuersorum generum, prout diuersis in locis materia hæc putrescit. Atque illa quoque non eiusdem est naturæ. Loci autem diuersitas, vnde præcipua oritur ipsarum varietas, potissima hæc est: quòd materia quæ putrescit, vel in venis & arterijs, hoc est, in vasis, vel extra hæc vasa in partis alicuius humore: vel substantia, vti explicabitur, continetur.

In vasis, hoc est, venis & arterijs, humores qui febres putridas excitare debent, putrescunt: vel cordi continuatis: vel ijs quæ cordi nulla continuatione iuncta sunt: nihilominus tamen per vasa cordi continuata putrem exhalationem ad cor, possunt transmittere. Hæcque est causa, quòd ex putridis febribus, aliæ continuæ sint, aliæ intermittentes.

In vasis cordi continuatis sanguinis putredo, causa febrium Putridarum continuarũ.

Continuata cordis substantiæ vasa sunt, vti dictum, arteriæ & venæ quoque, si meseraicas demas. In hisce itaque & amplissimis, & copiosis quoque per vniuersum corpus dispersis, si humor putrescat, cùm illi per hæc vasa, in quibus latet, ad cor aperta semper pateat via, assiduò putres vapores, vel ipsius quoque putridi humoris portiones ad cor demandans, illudque continuò accendens; continuas febres, quæ à principio ad integram vsque solutionem non cessant, & conclusæ, quòd harum causa vasis inclusa sit, dicuntur, procreant. Quæ nisi ægrum prius ob causæ morbique vehementiam iugulent, aut corpus vti dicetur, summo ardore colliquet, tardiùs cessant, & tamdiu perseuerant, donec materia hæc putris, continuis exhalationibus, quas diffundit, calorq; febrilis assiduò dissipat, tandem consumatur, & quod reliquum est naturæ efficaciâ, vbi concoctum elaboratumq; fuerit, impetu quodam violento, per crisim perfectam, in qua natura morbo non oppressa succumbat, expellatur. Cæterùm humor in vasis putrescens, qui febris causa est coniuncta, causaq; illius antecedens, putredinem in eo accersens, rursum consideranda veniunt.

Humor in venis & arterijs putrescens, Sanguis est: cùm enim calidus & humidus sit, facilè putrescit: eadem ratione, quâ illum extra vasa effusum corrumpi videmus & putrescere. Verùm vniuersus, nisi ad extremum vitium peruenerit, vix putrescit, sed quantitas quædam illius duntaxat, remanente semper sanguinis aliqua portione meliore (etiamsi & propter morbum & inediam, quam patiuntur ægri, nullus novus dum ægrotant gignatur sanguis) qui vel à putri sanguine separatus alijs in locis consistit: vel etsi illi permixtus est, ab eoque incaluit, nondum tamen, quia minùs aptus erat, computruit, & dissipatâ putri materiâ, mox ad pristinam puritatem redit: sicuti hæc ex sanguine detracto consideratoque, qui nunc purus, mox impurus, interdum, vti dictum, confusus effluit, obseruamus. Sed nec, etsi ex diuersis partibus constet sanguis, separatim vna aliqua ex istis, reliquâ intactâ, potest putrescere: sed quocunque loco putredo illum inuaserit, & tenuiorem, & crassiorem, & mediæ consistentiæ, & pinguiorem potiùs quàm crudiorem (cùm talis sanguinem elaboratum perfectumq; minimè, sicuti alibi ostendetur, constituat) illius partem affici simul necesse est, cùm ex ijs non distinctis separatisque (quales tamen in sanguine detracto frigoreque concreto, aliquo modo dissitas ostendere nobis conantur) sed penitùs inuicem confusis, sanguinea massa, quamdiu in venis existit, confletur: nullaque vel minima sanguinis portio, quæ non ex illis partibus constet, existat: & serum quoq; putredinis hac labe infectum, manifesta illius, tum per vrinas, tum per sudores excretum, proferat indicia. Ob quam causam febrium putridarum diuersa genera, non ex eo, quòd diuersæ illius partes, quas humores, sanguinẽ, bilem flauam, & atram, pituitamq; vocant, putrescant, vti voluerunt, proficiscuntur, sed pro loci in quo

putreſcit, & ſanguinis qui putreſcit, diuerſitate exurgunt.

Loci cauſâ in quo ſanguis putreſcit, febres hæ admodum variant: primùm quatenus in Venis vel Arterijs putreſcit.

In venæ cauæ ramis, ſanguinis hæc putredo, febres putridas gignens, perpetuò ferè latet: ijsque plerumque maioribus: in quibus & maiori copiâ coaceruari, & promptiùs inde cor poteſt afficere: quod tamen ſi in minoribus duntaxat conſiſteret, fieri minimè poſſet: vel ſi plures impleret, in vicinas magnas venas mox quoque penetraret. Itaque in trunco venæ cauæ ſurſum deorſumque à cordis regione iuxta ſpinam delato: vel ramis maioribus ab illo, circa iugulum & inguina propagatis, putredo hæc in ſanguine contenta, cor continuò afficiens, putridas diuerſas, prout cordi plus minúſve putredo vicina eſt, efficit.

In venæ cauæ ſede cordi vicina, ſanguinis putredo cauſa febrium, Synochi putridæ, Cauſonis, Lypiriæ.

Vicina cordi putredo, cùm cor pari vehementia exerceat, ipſiq; tum portionem, tum exhalationes cõtinuò demandet, febres quæ nullo ordine exacerbãtur, quales Synochos eſſe diximus, procreat: quæ tamẽ increſcunt decreſcúntve, vel in eodem perſiſtunt, prout putris vel augetur, vel minuitur, vel aliquandiu æqualis perſiſtit materia. Sed & in Cauſone, quia focus illius cordi propinquus, illud quoque æquali igne continuò flagrat, nullæ mutationes manifeſtè apparent: præſertim cùm ad ſummum progreſſus calor, intendi vix vlteriùs citra ægrotantis interitum poſſit: niſi quòd interdum circa thoracem, vel præcordia, circa ſpinæ ductum in dorſo, vbi putris latet materia, non tantùm cordi, ſed & vicinis quoque partibus illic moleſta, ardor intenſus ab ægro percipitur: quæ & cauſa eſt, cur in ea Lipyria febre, quam aliqui cauſonis ſpeciem faciunt, interiora vri videantur.

In venæ cauæ ſede à corde magis diſtante, ſanguinis putredo, cauſa febrium Synochorum, quæ exacerbantur.

Diſtans nonnihil à corde putredo in venæ cauæ ramis, quia cor pari impetu, vti ea quæ cordi propinqua eſt, non pulſat; idcirco & febres, quarum calor non ſemper idem exiſtit, ſed quæ ſuas exacerbationes ſeu paroxyſmos habent, gignit. Cùm enim exhalatio tunc putris, cuius focus procul abeſt, ob viarum ambages nonnihil impedita, nõ poſſit, eâdem menſurâ ſemper & ordine ad cor perferri, fit, vt tunc præſertim cùm maiori copiâ coaceruata eſt, ad cor potentiùs feratur, illudque tunc validiùs pulſans, calore aucto, exacerbationes nouas cauſet; non tamen cum horrore, vti in prima febris inuaſione fit, incipientes redeuntesque, cùm in corpus iam febre accenſum, acceſsiones hæ non à febre liberum, vti prima, incidant. Quæ rurſum, cùm euaporatio hæc nonnihil diſcuſſa eſt, remittunt, non tamen febris ceſſat, ſudoréve aut alia excretione ad extremam morbi ſolutionem, ſicuti febrium intermittentiũ paroxyſmi, finiuntur, cùm calor ſemel accenſus, etſi cauſa eam excitans nonnihil remittat, nondum tamen ceſſet, extingui ob eam cauſam minimè poſsit: ſicuti nec ſimplicem calorem à cauſa externa excitatum, etſi cauſa remota ſit, non tamen, donec ſenſim cor ad ſuam intemperiem redierit, citiùs febres ceſſare, oſtenſum eſt. Eſtque hæc potiſsima veriorque cauſa, quare febres paroxyſmis quibuſdam interdum acuantur: qui frequentiùs Vno die bis, cùm exhalatio putris multa nec adeò procul diſſita eſt: Altero verò ſemel tantùm diſsipatâ priore die inſigni illius portione, redeunt, eumque ordinem pro cauſæ agentis ratione vel aliquoties ſeruant, vel immutant. Sed & fit, vt cùm cauſa procul abeſt, parciórve exiſtit, Tertio primùm die, ordine hoc aliquandiu deinceps ſeruato, exacerbationes hæ redeant: rariùs Quarto, Alteróve tantum die: quorum omnium cauſâ febres continuæ putridæ, vel ordinatæ, vel inordinatæ, quotidianæ, tertianæ, quartanæ dictæ ſunt. In eiuſmodi autem febribus continuis, quarum cauſa à corde procul remota in venis latet, ijs in locis vbi ea conſiſtit, grauedo, dolor & ardor in vicinis locis, iuxta ceruicem, lumbos, & ipſis quoque artubus ægrotantem affligunt: capitiſque ferè dolor omnes, nonnunquam & delirium, ob euaporationem potiùs calidam eò vſq; quoque pertingentem, quàm quod in cerebro putris hæc materia lateat, infeſtãt. Fieri etiam poteſt in hiſce omnibus febribus putridis, ſiue materia cordi vicina, aut diſtans in venis lateat, vt portione illius aliquâ è venis vi naturæ excuſſâ,

E vena caua, ſanguinis putridi febrem putridã extra

distantis portio in partes effusa, causa febriũ Putridarum continuarũ, morbo alio comitatarũ.

excusſâ, ſicuti hoc in puris febribus frequẽter accidere diximus, vt eâdem ratione ſe exonerans natura in interiores exterioréſve corporis partes, in illis vt in alijs, vitia, non iam puram inflammationem, ſed putredinis indicia proferentia, tumores nimirum, puſtulas, & maculas excitet. Sicuti hoc frequenter in iunioribus euenit, illaque ecthymata & exanthemata tam copioſa, in febre ipſarum, ſynochum putridam tunc vt & Fernel. teſtatur referente, erumpunt; quæ tamen contagioſa minimè erunt: qualia nihilominus vitia, non ſolùm putredinis, ſed & malignitatis notas præ ſe ferentia, tuncq; contagioſa, in malignis febribus ſe manifeſtare, illic oſtendemus.

In arteria magna sanguinis putredo causa Causonis.

In arterijs ſanguinis hæc putredo an fieri poſsit, eâdemq; ratione febres excitare dubium eſt. Hic enim cùm ſpirituoſus ſit & calidus, facilè quidem accendi poteſt, caloremq; ſimplicem cordi communicando febres puras ſeu ſimplices, vti in illis dictum eſt, excitare: vix tamen ſolus aut ſeparatim à venæ cauæ ſanguine, cùm puriſsimus ſit, poterit putreſcere: niſi vel ſimul cum ab illo ab eadem cauſa mox putreſcat, vel ob viciniam, ab eo ſemina quoq; putredinis concipiat: præſertim cùm exhalationes à putrido ſanguine profectæ, per has quoq; vias, tum in hiſce febribus putridis, tum intermittentibus, vti dicetur ad cor deferri queant. Quòd ſi igitur in arterijs quoq;, enarratis de cauſis, putredo naſcatur, febres ſine dubio prodibunt ardentiſsimæ: quales Cauſones eſſe diximus: idque præſertim, ſi in arteriæ magnæ trunco cordi vicino hoc accidat.

Sanguinis diuerſitatis cauſâ, hæ febres inter ſe quoque nonnihil differunt: prout is Temperatus, Intemperatúſve antequam ipſius occaſione febris excitetur, ſeſe offert.

Sanguinis temperati in vasis putredo, causa Synochi putridæ.

Temperatus ſanguis, nullo vitio, niſi fortè copiâ ſuâ peccans, & proin ex ſua natura minimè putreſcens, ſi putreſcat, febres efficit Synochos dictas putridas: quæ vel ex ſimplici ſynocho, ſanguine priùs accenſo, & poſtea demum putreſcente, putridæ fiunt: vel etiam tales mox à principio cauſarum externarum occaſione euadunt. Vnde & harum principiũ ephemeras aliqui putres, cùm à cauſis externis prodeant, vocant: nos tamen cùm putris hic calor, vti ſimplex, non die vno, imò pluribus vix dum ceſſare poſſit, ephemeras appellare minimè poſſumus, ſed ſynochos putridas, cùm in illis tum ratione ſanguinis moderati, calor mitior quã in cæteris cõtinuis putridis, & æqualis magis, depræhendatur, nullas exacerbationes habens (niſi quatenus is calor augeri minuíue poteſt) tum eiuſdem ſanguinis æqualitatis cauſâ, tum quia cordi vicinus in maioribus vaſis primùm à cauſis externis afficitur, vnde pari impetu cor feriri diximus.

Sanguinis calidioris in vasis putredo, causa Causonis.

Intemperatus verò, ſi antequam putreſcat ſit ſanguis, calidiorem eum, quàm naturaliter aliàs exiſtit, eſſe neceſſe eſt: cùm frigidior & crudior cachexiam potiùs, quàm febres procreet. Talis autem ſi ante febris inuaſionem exiſtat, ſiue tenuior aut craſsior ſit, maius quoq; cùm computruit, parit incendium: eoq; maius adhuc, ſi, vti dictum eſt, in arterias quoq; eiuſmodi putredo prorepat; vel aliàs cordi admodum vicino loco oriatur: quibus cauſis concurrentibus febres fiunt Cauſones, immenſo æſtu, in eodem ſtatu aliquandiu, vt dictum, perſeuerantes, ægrumq; fatigantes, adeoq; ſæpè, ſi plures accedant cauſæ, inflammantes, vt (niſi æger cum febre priùs extinguatur) cordis ſubſtantia per febrem colliquata, ſeu potiùs arefacta, totius corporis conſumptio, quâ breui ſpatio æger conſumitur, ſequatur, ſicuti hoc in febre ardente Colliquante appellata, accidere diximus.

Sanguinis calidioris in vena caua sede cordi vicina, & arterijs simul putredo, causa causonis colliquãtis.

Cauſa antecedens hanc putredinem ſanguinis in venis, eamq; accerſens, eſt vel Calor præternaturalis, vel Vitium ſanguinis.

Calore nimio ſi accendatur ſanguis, febres inde prodire diarias oſtenſum eſt: quæ ſi in ſanguineum & plethoricum corpus incidant, vt in ſynocho ſimplici fieri diximus, niſi magnum hoc ſanguinis incendium, vel ſponte mox remittat, aut vehementer refrigerantibus remedijs, quibus, vt in curatione dicemus, præcipuè hæ febres ſanantur, reſtinguatur; tunc ſicuti in alijs partibus ſupercalefactis & inflammatis, non diſcuſſa inflammatione, ſuppurationem aliquã, vel

in sanguine, vel in partium quoque substantia fieri videmus; ita & hîc massa sanguinis labem aliquam & corruptionem ex diutiùs perseuerante calore concipiens, febrem, non iam à solo calore simplici, vti ab initio, sed cum putredine copulato productam, parit. Hæcque est causa, quare synochus febris altero tertióve die non cessans, in synochum putridam commutetur. Quam inde prodijsse ex prægressis ephemeræ & synochi simplicis indicijs cognoscimus, inter quæ illud, quòd ab externo calore accensæ sint, etiam ab initio mox tales fuisse, declarat. Et hac ratione potiùs quàm aliâ, Plethora sanguinis, quam plerique putridarum febrium causam statuunt, febres, ex commutatione simplicium in putridas, enatas procreat.

Vitiosus sanguis vel cacochymicus, qui vel innata iam habet semina putredinis, vel saltem ad putredinem aptus & habilis est, si vel copiâ suâ, vel impuritate eò vsque progressus est, vt iam non ampliùs à natura regi, emendaríve vel repurgari queat, tunc putrescens, febres putridas diuersas, pro loci materiæq; putrescentis varietate, vti dictum, creat. Quas diu sæpè, antequam incipiant, ob sanguinis vitium intrinsecùs latens, neutra quædam corporis constitutio nondum perfectè ægra, nec integrè sana, præcedit, easq; prænunciat. In qua spontanea lassitudo, capitis grauedo & dolor, insomnia turbulenta, distentio hypochondriorum, cardialgia, cibi fastidium, excrementorum consuetorum mutationes & fœtores, & non consuetorum per sudores, exspuitiones, vomitiones, eruptiones frequenter se manifestant. Tale autem vitium sanguini vel ab Assumptis: aut Retentis excrementis: vel Ambientibus extrinsecùs aduenit.

Assumpta cibus & potus cùm materiam sanguini præbeant, si vel cacochymica sint, aut corrumpantur, vitium eiusmodi sanguini possunt imprimere.

Cacochymici cibi, succo maligno ex sua natura referti, etsi postquam assumpti sunt, concoctione aliquas mutationes subeant, & in sanguinem conuertantur in eo tamen pristinæ conditionis vitia cùm remanserint, si continua congestione accumulentur, tandem putridas hasce febres producunt, easque sæpenumerò populares, si vitium in alimentis, quibus omnes passim ex necessitate vtuntur, consistit. Qualia multa in herbarum leguminumque generibus inueniuntur, vitiaque frugum præsertim existunt, quæ dum frumentis, vel necessitate ob annonæ caritatem à pauperioribus, vel casu cùm nimiùm luxuriant, copiosè permixta è plerisque esitantur, sanguinem inficiendo, febribus hisce epidemijs, in societatibus ciuium, vel expeditionibus militum grassantibus, occasionem præbent.

Corrupta quoque alimenta & putredinis labe infecta, eandem in sanguine noxam deponunt: vt quæ laudata alioquin nec per se vitiosa, Vel antequam assumantur, talia euadunt, Vel ingesta primùm corrumpuntur.

Antequam ingerantur multa alimenta, vetustate, vel humiditate putrescentia, vti salsamenta carnis pisciumque semiputrida, caseus putris; fœtore & putredine sanguinis massam vsu assiduo tandem inficientia, febres accersunt. Et quæ cùm multis sint communia, veluti aqua, panis, caro, in longinquis nauigationibus, aut aliàs corrupta, vel frumentum madidum in horrea congestum, ex necessitate comesta, febres multis communes generant.

Ingesti cibi facilè corrumpuntur, qui humido excrementitio abundant; Vt sunt fructus præsertim horarij, quorum vsus continuus, æstatis tempore, febribus, quæ vel mox in autumno vel sequenti vere inuadunt, ansam præbet. Quæ verò vel alimentosa, vti lac, & oua: vel dulcia alioquin, in calidis ventriculis citò corrumpuntur, in bilem meracissimam conuersa, biliosos alios potiùs morbos, quàm febres procreant. Sicuti & si ob ciborum duritiem, tenacitatē; vel potiùs ob ventriculi, iecoris & lienis affectus, assumpta alimenta, ægrè cocta, crudiorem sanguinem gignant, alij affectus citiùs tunc, vti obstructiones, quàm febres, nisi aliud quid accedat, sequuntur.

Reten-

Retentio excrementorum sanguinis fuliginosorum, vt vocant, seu potiùs serosorum & ichorum, quæ continuò per insensilem transpirationem, interdum quoque per manifestos madores sudoresque expurgantur, quia sanguinem impurum, & coaceruatis hisce excrementis, vitiosum tandem reddit, putridas quoque hasce febres gignit. Hæc autem vti varijs de causis supprimi possunt, præsertim si ob otium & naturæ inertiam hæc excrementa non discutiantur: sic id astrictâ cute porisque obstructis, corporeque extrinsecùs à liberiore aëre impedito, si hæc diutiùs perseuerent, maximè si aliæ insuper accedant causæ, accidere quoque potest. Non quod sanguinis per poros refrigeratione, aëre intercluso, impedita, sanguis accendatur primùm, moxque putrescat; sicuti in causis febrium diariarum, hoc à subitaneo frigiditatis, dum corpus calet, occursu prouenire posse diximus: sed quia cute condensatâ, excrementa tenuiora per habitum corporis exspirare consueta, subsistant: dein & cùm tunc ab aëre liberiore corpus perflari nequeat seu euentilari, humiditates excrementitiæ sub cute non consumantur & difflentur: sicuti videmus in locis occlusis, quæ aër subire nequit, res muco situque tandem obductas corrumpi: ita & ex humiditatibus hisce retentisque excrementis sanguine infecto, febres putridas, non tamen, nisi diu hæc causa perseueret, quoque prodire.

Ambiens non aër à putridis fœtidisque exhalationibus, vel exspirationibus corporum putrescentium corruptus, inspiratione continuò attractus, & transpiratione corpora subiens, labem suam tandem spiritibus, sanguini, cordi imprimens, febres putridas quoq; excitare potest: easq; si multi in tali aëre versentur, accedatq; dispositio ad suscipiendum apta, populares: nonnunquam etiam, si ab ægrotante talis per expirationem & sudores in aërem quem haurimus, vel corpora mox nostra deriuetur putredo, contagiosas. Quæ tamen frequentiùs à maligna qualitate vel venenata, quâ potiùs corpus per contagionem afficitur, quàm simplici putredine, sicuti illic demonstrabitur, accidunt.

In vasis meseraicis, sanguinis putredo causa febrium Putridarum intermittentium.

Non continuata cordi vasa, ex venarum & arteriarum genere, quæ sic appellamus, sunt venæ tantùm Meseraicæ: dictæ, venæ portæ ab hepate prodeuntis propagines, ad viscera naturalia in ventre inferiore dispersæ, nullibi ad alias partes, nec è profundo ad cutem vllibi, nisi iuxta podicem, vbi hæmorrhoidales venas dictas constituunt, emergentes. Arteriæ enim, quæ has comitantur, eadem ratione, vti illæ quæ cauæ venæ ramos sequuntur, omnes ab arteria magna progressæ, intermedio illius cum corde quoque continuantur. In venis itaque meseraicis si humor putrescat, etsi ductus ab ijs ad cor pertinens, interueniente hepatis substantia, in quam venarum meseraicarum rami omnes prius collecti; rursumque per eam dispersi cessant, sit interruptus; quia tamen in eandem substantiam hepatis, venæ cauæ rami inseruntur, & cum osculis venæ portæ communionem quandam habent, fiatque ab illis in illa continuò sanguinis transitus; dein & arteriæ à corde progressæ, in lienis præsertim substantia, necnon & alibi, in ventriculo & intestinis, venis meseraicis coniungantur: huius communionis & vicinitatis causâ accidit, vt quoties vapores putridi à venis meseraicis excitati, venæ cauæ & arteriæ ramos proximos implent, per eandem viam, vti continuæ cor ipsum putri exhalatione petentes; putridas febres excitent: non tamen continuò ad finem vsque perfectum, sicuti continuæ dictæ febres perseuerantes, sed statis temporibus intermittentes rursumque redeuntes: Idque quòd materia partis non saltem procul à corde sit dissita, quo nomine & continuas febres nonnihil remittere aliquo modo, non tamen cessare penitùs, cùm cor semel accensum, antequam calor penitùs remittat, nouâ in venis cordi continuatis euaporatione collectâ, de nouo impulsum, caloris exacerbationes, sicuti diximus, certo tempore reduntes proferat; Sed & alijs de causis hoc euenit, vt in venis meseraicis collecta putrida exhalatio

halatio, & ob loci distantiam, non assiduò cor pari impetu feriens, febres procreet, quæ non solùm in eodem statu similes minimè permanent, sed penitùs quoque, ob viarum, per quas ad cor perferri debet, interclusionem aliquam, cessent: & tamdiu intermittant, quamdiu materia putris in suo quasi foco coërcita, non priùs suas exhalationes ad cor vsque transmittere potest, donec veluti turgens, & excandescens, & multum de se, & tetrum vaporem diffundat: qui cùm ob copiam & aduersam qualitatem subsistere nequeat, naturamque irritet, ab ea quoque impulsus, per dictarum viarum transitum in venæ cauæ & arteriarum vicinos ramos irrumpens, & ad cor vsque penetrans, febres accendit, tamdiu perseuerantes, donec quicquid è foco excussum est, calore crematum dissipetur, nonnunquam & in sudores abiens discutiatur: quo pacto intermittit penitùs febris, donec alio materiei motu succedente & efferuescentiâ, nouus paroxysmus, citiùs aut seriùs, necdum eadem forma, sicuti hęc mox explicabimus, recurrat. Cæterùm quis nam Humor in venis meseraicis putrescat, qui causa coniuncta febrium est intermittentium; dein Antecedens putredinem accersens causa, consideranda veniunt.

Humor in venis meseraicis contentus, Sanguis est quoque, non tamen adeò purus & elaboratus, sicuti cùm in hepate denuò concoctus, & ab excrementis serosis, biliosisque repurgatus, corpori nutriendo magis idoneus factus est: etsi quamdiu adhuc in venis est meseraicis, portio ipsius purior, partibus illic membraneis alendis possit sufficere: quæ ex diuersis quoque partibus, tenuiore nimirum & crassiore constat, seroque diluta est. Præter quas tamen portiones, excrementitijs insuper humoribus ex cibi potusque portione continuò genitis, & cum chylo transeuntibus, plus minúsve, prout excrementa hæc redundant, permiscetur: à quibus in secunda primùm concoctione repurgatus denuoque elaboratus, in venam cauam transfertur. Eiusmodi autem excrementitij humores, quatenus sensus quoque iudicat, serosi & biliosi existunt. Serum enim ex potu largo, & cibi humidioris vsu assiduo genitum, venasque meseraicas pertransiens, secumque alios humores, nunc crudos, nunc pituitosos, aqueos potiùs quàm mucosos deferens, ad venas emulgentes maiori sua quantitate, indeque ad renes & vesicam deriuatur. Biliosa quoq; materia ex assumptorum portione aliqua continuò nata, sanguini huic confusa, in hepate primùm ab ea in propriam illi vesiculam destinatam repurgatur. Præter quos humores excrementitios, nullos alios in hisce venis sanguini commisceri; quibus natura, sicuti prædictis duobus certas vesicas aut receptacula condiderit, sensibus inuenire possumus: vti neque lienem hoc nomine conditum, nec sensu, nec ratione licet colligere. Putredo itaque in meseraicis venis suscitata, vixdum, vti neque in vena caua quoque fieri posse diximus, separatim in aliqua parte huius sanguinis, vel excrementis illi permixtis, cùm hæc non distincta, sed inuicem confusa sint, poterit consistere, sed vbicunque fuerit, totam illius quoque massam eo in loco inquinat: quæ si ad eam putredinem perueniat, à qua calidissimæ exhalationes & feruentissimæ expirent (cùm nisi tales sint, ad cor vsque penetrare, illudque accendere vix possint) tunc febres hasce procreabit. Proin neque à crudo, pituitosoque aut serosiore sanguine, eiusmodi febres, cùm nec ea ratione putrescere, & vehementem calorem concipere, aut exhalationes feruentes diffundere queant, gignuntur, sed ab eo redundante, alij potiùs affectus proueniunt. Sicuti verò cum biliosa, quæ huic sanguini semper permixta est materia, immoderatiùs collecta, nec in vesiculam, vti solita erat, aut non sufficienter expurgata, sanguinem biliosiorem reddens, putrescit; accidit, quòd tunc efferuescens, eiusmodi euaporationes feruentes, subtilesque ad cor vsque facilè transeuntes, illudque inflammantes, & quæ mox iterum dissipantur, exspirans, febres intermittentes causet. Eamque ob causam hunc sanguinem bile, vel flauâ, vel atrâ nimiùm perfusum, qualem per hæmorrhoides nonnunquam

quam excretum febres has soluisse comperimus, & ab infantibus modò natis copiosè per aluum excerni videmus, putrescentem febribus intermittentibus causam præbere, hoc modo, quo nunc explicabimus, asseueramus. Biliosus sanguis diu sæpè antequam febrem producat, in venis coaceruatus, tandem putrescens & circa præcordia turgens atque efferuescens, exhalationesque ardentes diffundens, sensiles primùm partes, neruosas præsertim vellicans, facultatemque expultricem stimulans, frigus in principio paroxysmi (calore cum sanguine ad interiora reuocato) excitat, moxque naturâ id quod molestat excutere nitente, oscitationes, pandiculationes, horrores, rigoresque, seu corporis totius concussiones sequuntur: vti & alijs locis, si acris materia partes sensiles irritet, corpus quoque horrere obseruamus: sed & vomitio ob hanc facultatis expultricis commotionem in principio sæpè molesta est. Quibus circa initia se offerentibus, mox vbi exhalatio hæc à præcordijs, per dictas vias ad cor vsque ascendens, illud accendit, calor succedit, remittentibus tum eiusmodi frigoribus & rigoribus, nisi, sicuti aliquando accidit, tam subitò vapores cor petant, vt calor, antequam frigus desinit, iam sua profert indicia, & eodem tempore, & frigus, & calor simul, sicuti in febribus epialis euenire diximus, sese offerant. Calore itaque eiusmodi accenso, qui nonnunquam à præcordijs veluti exurgere videtur, vniuersum corpus æstuat, sitisque intolerabilis, aliaque à calore prodeuntia accidentia tamdiu perseuerant, donec vaporibus hisce per insensilem transpirationem sudorésve manifestos discussis, febris sensim desinat seu intermittat: tamdiu, donec noua portio, quietis tempore putrescens denuò exhalationum eam quantitatem, quæ nouum paroxysmum inducere possit, diffundat. Duratque hæc paroxysmorum per vices continuatio, donec omnis ea quæ putredini apta erat materia, è corpore educta fuerit, quod per varia euacuationum genera natura, Medici operâ interdum adiuta, præstat: nam & successiuè in singulis paroxysmis pars biliosæ illius materiæ putrescentis, partim in vaporem conuersa, caloreque discussa consumitur: vel per corporis habitum occultè, madoréve manifesto exhalat: partim verò sero permixta per sudores graueolentes & vrinas, quæ ob bilis permixtionem & calorem admodum flauæ & tanquam rubræ, acres & fœtidæ post paroxysmos redduntur, excernitur: morbusque frequenter totus sudoribus soluitur: in quibus si crassior biliosæ huius materiei portio in cute subsistat, scabies morbos curato, sæpè succedit, nonnunquam & alia externa vitia: sed & per vomitionem in quibusdam, non tantùm vel pituita, vel bilis è vesicula effusa in ventriculum, sed & de materia hac è venis excussa aliquid interdum rejicitur. Quibus euacuationibus, paroxysmorum aliquot vicibus factis, tandem causa febrilis penitùs tollitur, febresque desinunt: quod & interdum maiori vi per vomitiones vel diarrhœas ars, naturáve præstat, materiam hanc febrium è venis meseraicis à sanguine secretam hac ratione euacuando: quo modo frequenter hæ febres sanantur, vti rariùs confusam hanc cum sanguine materiam, per easdem cruentas vomitiones deiectionésve ejiciendo: quæ etsi fiant, periculo tamen, cùm non sit vsitata via, minimè carent: nisi venis meseraicis, quæ ad podicem feruntur apertis, per hæmorrhoides hæc febrilis causa vnà cum sanguine permixta, excernatur: quo pacto diuturnas quoque febres plerunque quartanas, hac hæmorrhagia cessare obseruamus, cùm vix per alias sanguinis detractiones, quæ venæ sectione fiunt, aut spontaneo narium sanguinis fluore, cùm hæ sanguinem è venæ cauæ ramis duntaxat exhauriant, venæque meseraicæ nullibi ad exteriora cutis, nisi circa anum, vt dictum est, desinant, proin nec causa sic tollatur, nisi fortè, inanitis venæ cauæ per hasce euacuationes ramis, è venis meseraicis febrilis in has rapiatur materia, febres intermittentes desinant: sed frequentiùs si talis fiat transitus, putrisq; sanguis, sanguini in venæ cauæ ramis commisceatur, in continuas, vti ex intempestiua phlebotomia

facta sæpè accidere videmus, commutantur. Sed & fit, vt biliosa hæc materia à sanguine repurgata, seroq; tandem confusa, ab eoque contemperata, illiusq; beneficio in venæ cauæ ramos translata, in corporis habitum & vrinas, quæ admodùm tingit & colorat, infundatur: quod dum fit, febris comite ictero vel mox cessat, si tota illius causa eò excussa fuerit, vel si portio illius remanserit, nihilominus adhuc persistit. Interdum verò & hæc materia in fibras intestinorum infusa, erysipelata, colicos cruciatus enormes proferentia, cessante vel remanente febre, prout tota, parsúe illius duntaxat eò profusa fuerit, excitat: è quibus dein resolutiones & conuulsiones, vti in illis locis explicatum fuit, perniciosæ sequuntur. Sed & biliosam hanc materiam pondo libræ, circa iecoris membranam coëcitam, & portione aliqua spinæ neruis inhærentem, post mortem febricitantis cuiusdam sectione factâ, Fernelse deprehendisse testatur. Biliosus itaque sanguis nimiùm in venis meseraicis coaceruatus, si putrescat, causa proxima & vera est febrium omnium intermittentium, quæ tum ob interruptam viam, tum tenues vapores intermittere potest aliquandiu & redire. Verum quod diversimodè hoc fiat, ratione diversitatis Materiæ, tum etiam loci accidit.

Materia hæc sanguinis biliosi putrescentis, non eadem semper est, sed quemadmodum videmus bilem segregatam à sanguine, nunc flauam, nunc viridem, nunc atram inueniri: eamque vel tenuiorem, vel crassiorem: sic & dum sanguini venarum meseraicarum adhuc confusa est, vel saltem in venis adhuc residet, variat; præcipueque in eo quod nunc Tenuior: nunc Crassior existit.

Sanguinis tenuioris, in vasis meseraicis putredo, causa Tertianæ intermittentis, Exquisitæ.

Tenuioris & fluidæ bilis, qualis ferè esse solet, quæ huic sanguini permiscetur, putredo, antequam eò deueniat, vt febrem excitare posit, ad triduum vsque ex sua natura, ab eo tempore, quo iam prior illius putredo discussa est, supputando, ferè extenditur: vnde tertio die tunc rursum inuadens Tertianam dictam febrem efficit: Quæ, si æqualis portio cum priore computruerit, eâdem quoque horâ rediens, iustum aliquem seruat ordinem: vel quod frequentiùs accidit, si maiorem illius copiam putredo inuaserit, horam vnam aut aliquot anticipat: vel cùm minor iam restat humoris illius ad putredinem apti portio, fereque tota consumpta est, tunc & paroxysmi cunctantur, sensimq; febres desinunt. Sed & prout hæc materia biliosa, pura, impuráve fuerit, totius febris, tum singulorum paroxysmorum decursus variant.

si purus: Notha, si impurus sit.

Pura & nisi quòd sanguini permixta sit, syncera aliàs bilis, cùm calidior sit, Exquisitam tertianam, ardentem admodum efficit: cuius vapores cùm citiùs discutiantur, paroxysmi quoq; breuiores sunt: febrisque ipsa ob materiei citum motum non diuturna, vix septem circuitus excedens, existit.

Impura verò si fuerit hæc materia, crudo potiùs quàm pituitoso, serosoq; humore, & sanguine permixta, vti ferè euenit, tertianam Notham (in qua paroxysmi longiùs perseuerant, magisque inordinati existunt, febrisque totius tempus longiùs producitur, quia materia & copiosa & inæqualis est) excitat.

Sanguinis crassioris in vasis meseraicis putredo, causa Quartanæ intermittentis, Exquisitæ, si purus; Nothæ si impurus, vel Quintana aut Sextana.

Crassior ac veluti adusta si sit bilis, quia tardiùs tunc putrescit, antequam eò deueniat: vt febrem excitare posit, longius tempus quoque requirit, proin & ad quartum diem vsque paroxysmus protrahitur, Quartanamque ob id dictam febrem efficit. Quæ eâdem ratione, ijsdemque de causis, vt in tertiana dictum, vel anticipiat: vel eodem modo inuadit: vel cunctatur, & vel exquisita, vel notha existens, circuitus breuiores longiorésve obtinet. Et calore quoq; alijsque accidentibus non adeò à tertiana discrepat: nisi quòd, vti dictum, ob humoris crassitiem, diuturna & pertinax existit, donec multis vicibus materiâ tandem absumptâ, paroxysmi mitiùs inuadant, cunctentur, sensimq; febris penitus tandem desinat. Sed & si materia hæc ad eam tenacitatem perueniat, vt non nisi quinto vel sexto die putrescens, euaporationes eas, quæ febrem excitare queant, diffundat: tunc, quod tamen rarissimùm est, si modò fit, Quintanæ vel Sextanæ dictæ fiunt febres.

Loci diuersitatis occasione, in quo materia putrescit, variant hæ febres, prout vel Eodem in loco, vel in Diuersis latet.

Eodem in loco si putrescat, Simplices fiunt febres, eæq; vel tertianæ, vel quartanæ: legitimæ vel spuriæ: pro materiei, vti dictum, varietate.

Diuersis in locis si putredo sit, in venis erit, vel meseraicis tantùm, vel simul quoque in venæ cauæ ramis.

In vasorum meseraicorum diuersis locis simul sanguinis facta putredo, causa Tertianæ duplicis vel Quartanæ triplicis, vel duplicis, vel inuicem confusarum si illic tenuis, alibi crassior putrescat.

In solis meseraicis venis, si non vno aliquo in loco, sed duobus vel tribus, circa hepar, lienem, mesenterium, omentum, vel alibi bilis putrescat, febres fiunt duplices, vel etiam triplices: atque vnâ cessante, altera sequente mox die inuadit; vel nonnunquã etiam eodem die quo febris desijt. Hinc iam quotidianæ dictæ fiunt febres, non eæ quas practici à pituita fieri scribunt, & qui veritati magis adstipulantur, tales se nunquam obseruasse, vel apertè fatentur, vel tacitè innuunt, sed quæ Tertianæ duplices, vel Quartanæ triplices dicuntur, quæ quotidie suas accessiones, raro pares, habent. Sed & huc Quartanæ duplices, quæ duobus diebus inuadunt, vnoque intermittunt, referendæ sunt. Et quemadmodum si eiusdem naturæ bilis diuersis in locis putrescat, hæc fiunt: sic & diuersæ naturæ, tenuis & crassa simul diuersis in locis si putrescat, Confusas tertianas cum quartanis, diuersis diebus inuadentes febres faciunt: Quæ signis inter ipsorum symptomata commemoratis distinguuntur & cognoscuntur.

In vasis meseraicis & vasis continuatis, eodem tempore facta sanguinis putredo, causa Hemitritæi.

Non in solis meseraicis venis, sed & in venæ cauæ ramis si putrescat sanguis, siue ea per se inceperit, aut per transitum, vti declaratum fuit, facta sit, tunc continua febris intermittenti copulatur, fitque Hemitritæus, seu semitertiana dicta febris. Vbi rursum pro diuersitate materiæ, vel tertianæ, vel quartanæ, simplices vel duplices: nothæ vel legitimæ, cùm continua, vel nullas exacerbationes, vel certis diebus habente, implicentur. Vnde fit, vt nunquam sint sine febre, sed vel exacerbatione certo tempore ex continuis succedente, vel paroxysmo febris intermittentis indies, vel altero, vel tertio die simul inuadente, varias mutationes in symptomatis, sicuti enarratum fuit, persentiant.

Causa antecedens putredinis illius, in humoribus venarum meseraicarum, quæ febres hasce intermittentes facit. Alia est Efficiens, alia Adiuuans.

Efficiens, cibus & potus, è quibus calidus, acris, biliosus & adustus succus, tum in ventriculo, tum primis vijs mox gignitur. Is enim diutiùs illic collectus, nec rectè à sanguine separatus, in venis meseraicis, vel certo loco, vel diuersis, vti dictum, coaceruatus, cùm putredo illum inuadit, febres gignit, suo humori consentaneas: breuiores, longiorésve, vel alio modo variantes. Talis autem succus à cibo & potu, qui vel succum talem in se habet, vel corruptione primùm acquirit, gignitur.

Succum acrem biliosum in se habent, cæpæ, allia, porri, caseus putris, aliaque similia, quæ ex sua natura eo abundant.

Corruptione in succum hunc abeunt, in calidis præsertim ventriculis, dulcia, quæ in bilem facilè commutantur vti & pinguia: Horarij item fructus, ob quorum esum, autumni tempore, sicuti dysenteriæ à bile, ita & quartanæ eandem ob causam, facilè generantur. Sed & humida alia, etsi euchyma per se sint, vti lac & oua, corruptione, in meracissimam bilem frequenter degenerant. E quibus omnibus illuuies hæc nata, nisi per excrementa alui rejiciatur, tandem in venas rapta accumulataque febres gignit: quas tamen ab alia aliqua externa causa, quæ tunc primùm, cùm febris incipit, occurrebat, initium sumpsisse, vel quia frigidam biberunt, hoc illudúe comederunt, vulgus sibi persuadet.

Adiuuans causa, dispositio corporis est apta ad febres hasce suscipiendas: idq; vel ratione Constitutionis: vel Anni temporis.

Constitutione qui calidiores sunt & biliosi, faciliùs hisce febribus præhenduntur. Proin, qui mediæ ætatis sunt, citò hisce corripiuntur, & viri & adolescentes. Sed & infantes ob intemperantiam ijs sunt obnoxij, & cùm in vtero matris existentes adhuc talem materiam coaceruare soleant, a-

tro ſanguini ſimilem & bilioſam, niſi ab ea in partu rectè expurgentur, has febres ſecum nonnunquam in lucem adferunt. Verùm & ſenes eas nonnunquam, rariùs tamen patiuntur.

Anni tempus febribus gignendis idoneũ illud eſt, quod calidius exiſtit, & in quo victus ratione deteriore vti conſueuerunt. Sic autumni tempore, ob præcedentem alimentorum illuuiem, & tertianæ & quartanæ accidunt. Veris & æſtatis tempore, tertianæ plerumq; vigere ſolent.

Extra vaſa putredo facta, cauſa febriũ Lentarũ, ſymptomaticarum.

Extra vaſa, hoc eſt, venas & arterias putredo facta, febres excitare quoque poteſt, ſi ea vapores tetros vel putredinis portionem per vaſa eadem ad cor vſque tranſmittendo, illud calore aliquo putri afficiat: vnde febres Symptomaticæ cùm affectum aliquem, qui hanc putredinem efficit, ſequantur, prodeunt. Eæque Lentæ plerumque atque inæquales, cùm materia extra vaſa poſita, tantam copiam, ſicuti cùm in vaſis conſiſtit: eoq; ordine ad cor nequeat tranſmittere: ceſſantes citiùs tardiúſve, vel ad extremum vſque perſeuerantes, prout putredo ipſa perſiſtit. Quæ vel in Humore aliquo naturali, vel præternaturali: aut Corpore præternaturali, vel naturali: aut Parte corporis aliqua conſiſtit.

Humorum quorundam extra vaſa putredo, cauſa febrium Lentarum ſymptomaticarum

Humores contenti extra vaſa putreſcentes pauci, citra partium eos continentium corruptionem, febres putridas excitant: cùm tamen ſingulos humores putreſcentes extra vaſa febres putres excitare poſſe plurimi opinati ſint: quod nos an & quomodo id fieri poſsit, in ſingulis tam calidis quàm humidis humoribus, quotquot extra venas inueniuntur, cùm hi tantùm ad putredinem apti ſint, examinabimus. Calidi autem ſunt: ſanguis naturalis è venis nonnunquam excidens: & bilis excrementitia diuerſorum generum. Humidi verò, ſeroſus & pituitoſus humor.

Sanguinem, ſi è venis in partem influat, inflammationemque illic excitet, febrem ſymptomaticam ſimplicem ſeu puram tantùm, necdum, etiamſi illic ſuppuretur, putridam, niſi vera illius putredo, & partis corruptio, vti poſtea dicetur, ſequatur, excitare, ſuprà oſtenſum eſt. Quòd ſi verò è venis vel ruptis aut apertis effuſus ſanguis concreſcat, diutiusque retentus putreſcat, magnâ præſertim copiâ, locisve cordi proximis: vti in thorace, pulmonibúſve; tunc febres quoq; putridæ, ſed lentæ nonnunquã, eiuſmodi affectus comitantur. Quod rariùs tunc, quando in ventriculum, aut inteſtina, vterúmve illapſus, cùm diutiùs illic vix poſſit ſubſiſtere: aut cùm in renib. veſicáve collectus, cùm illic ab vrina continuò eluatur, accidit.

Bilem, tam eam quæ à ſanguine venarum meſeraicarum continuò in veſiculam illi propriam, vel lienem, vti quoq; voluerunt, repurgatur: quàm illam quæ in ventriculo interdum ex aſſumptis naſcitur, ſi harum aliqua vel in proprijs receptaculis, aut in alia loca effuſa putreſcat, febres putridas intermittentes procreare plerique exiſtimarunt, & à bile flaua tertianas, ab atra quartanas, easque exquiſitas, ſi ſyncera, nothas, ſi permixta exiſtat: ſicuti nos bilioſæ illius materiei, quæ ſanguini venarum meſeraicarum permixta eſt, varietate accidere docuimus, fieri affirmant. Nos verò cùm atram eiuſmodi bilem, qualem deſcribunt, in lienis ſubſtantia nullibi obſeruemus, nec illic veſiculam atræ bili excipiendæ exſtructam, vti in hepate pro flaua bile, deprehendamus, & lienis vſum longè excellentiorem, quàm vt bilis atræ eſſet receptaculum, ſicuti alibi docuimus, eſſe ſciamus: nec alijs quoque in locis bilem atram aliam quàm quæ ex flaua bile præternaturaliter in hanc degenerat, omniaque excedens, ab ea, quam frigidum humorem ſtatuunt, plurimùm differt inueniamus: nulla ratione conuinci poſſumus, vt talem aliquem humorem in liene poſitum febres quartanas, aut alias excitare credamus. Quòd ſi verò ſuccum melancholicum putreſcentem ſic appellent, & quartanæ febris cauſam, ſi putreſcat, ſtatuant: neque hunc in lienis ſubſtantia, aut alibi ſeparatim, à ſanguine, cuius fæx eſſe dicitur, conſiſtere, concedimus. Si verò craſsiorem ſanguinis partem intelligant, in eo ſententiam noſtram, quâ in venis meſeraicis ſanguinis portio-

portionem aliquã putrescentē febres intermittentes efficere diximus, cōfirmant: cùm fæculentus sanguis in maioribus venarum meseraicarum ramis potiùs, quàm in exiguis lienis vasis ob arteriarum copiam, tenuiore potiùs sanguine quàm crassiore impletis, contineatur. In quibus meseraicis venis, si putredo in fæce sanguinis facta quartanas, vti admittunt, procreat: concedent & necessariò, tertianarum febrium, quæ ex intermittentium quoq; vti quartanæ sunt genere, causam in eodem sanguine, sed diuersâ solùm illius parte, vti testatum fecimus, latere. Sed nec bilem excrementitiam aliam extra venas alicubi collectam, siue flaua, siue viridis & æruginosa, siue atra existat, febriū intermittentium causam, si putrescat, vti aliqui voluerūt, statuimus: cùm ea in parte aliqua ventris collecta, aut in eam effusa, quandoquidem calidissimus & acris ex sua natura est humor, præsertim si accedente putredine, vel aliâ causâ calidâ, alium insuper calorē suscipiens efferuescat, partes sensiles vellicando, adurendoque, colicos cruciatus, cardialgias & vomitiones diarrhœasq; biliosas potiùs quàm febres, procreat, nisi quatenus dolore & calore corpus interdū inflammando, febriculas aliquas, quæ tamen rariùs, vti dictū, hosce affectus comitantur, excitat: nec dum si sic efferuescat, tamdiu in loco aliquo queat consistere, vt vaporibus inde tetris emissis, ad cor vsq; penetrādo putridas febres possit inuehere: in quibus tamen ob calorē febrilem, hæc quoq; nonnunquam loco mota excandescensque, præsertim si in corpore redundet, accidentia bilis prouentum significantia, vti in febribus intermittentibus dictum est, profert: quorum potiùs ipsa febris causa, quàm bilis ipsius febris, statuenda erit: cùm & ipsa excremētis alui naturaliter permixta, atque vnà cum ipsis putrescens, sicuti priùs monuimus, vapores tetros & fœtidissimos expirans, superiora tamen minimè petat aut inficiat.

Pituitam superuacaneam, cùm eam, quæ in ventriculo, intestinis, mesenterio, tum quæ circum viscera coaceruatur, putrescentem, febres intermittentes quotidianas generare scribunt: & si vitrea, acidaque fuerit, epialas inde prodire. Sed & serosæ pituitæ in corpus effusæ putredinem, lentam aliquam febrem, leucophlegmaticis & cachecticis interdum peperisse, à quibusdam proditum est. Cæterùm qua ratione pituita, cùm sit humor frigidus, ex putredine tantum calorem possit concipere, vt putres exhalationes tam acres calidasque proferat, quales, vt ex illis febres gignantur, requiruntur, nō video: cùm quoque si diutiùs retineatur, accedatq; partis alicuius caliditas, mucositatem potiùs quàm putredinem adipiscatur, pituitæq; putrescentis nullibi in generibus illius explicandis, vt aliarum specierum, authores meminerint. Accedit & hoc, quòd eiusmodi febres quotidianæ, quales fortè, vt singulis tribus humoribus excrementitijs, pituitæ, bili flauæ & atræ, suas febres accommodarent, excogitatæ fuerunt; nunquā sicuti hoc priùs explicatum fuit, obseruatæ fuerint: aliaq; sit febrium epialarum, quòd & calor & frigus simul tunc vrgeant, vti quoq; dictū fuit, causa. Quod serosam verò pituitā febres inducentem attinet, id feri potiùs quàm pituitæ causâ accidere, iam in sero demonstrabimus.

Serum sicuti in venis sanguinem diluit, illiusque calorem humiditate sua contemperando, febres mitiores reddit, & quando bilis illi excrementitia permiscetur, in ictericis, illius feruorem compescendo, facit, vt febrem non accendat: ita & in venis meseraicis, biliosæ sanguinis materiæ putrescenti, maiori copiâ permixtū, efficit, vt febres lentæ magis, sed diuturniores, quales nothas esse descripsimus, prodeant. Cæterùm à sanguine separatum, & in abdominis, thoracisque capacitatem maximâ copiâ effusum, vel sub cute collectum, illisque locis quàm diutissimè retentum, corruptumque, fœtorem & acrimoniam acquirens, quale in hydropicis subuiride & fœtidum sectione sæpiùs, illis in locis contineri obseruauimus, febriculas aliquas, sed lentas, præsertim si in cordi vicinis locis abundet, tum ab ipsius calore & tenuitate, tum accedēte ferè partium, vti dicetur, corruptione, nasci comperimus: quales & in leucophlegmaticis virginibus eo nomine prouenire posse, vti Fernel. quoque docet, concedimus.

Corpora carnosa & humida, quia facilè putrescunt, & putrescendo calorem præternaturalem acquirunt, febres putridas frequentiùs, quàm humores extra vasa positi, inducunt. Siue sint naturalia; partes nimirum corporis corpus constituentes: vel in eo contentæ certo tempore: vti fœtus ipsiusq; secundina. Siue præternaturalia, vermes.

Partium quarundam putredo, causa febriū Lentarū symptomaticarum.

Partium corporis quarundam corruptio: propriæque substantiæ putredo, febres lentas putridas, si per venas & arterias partibus insertas, & vnà sæpè cum parte putrescentes, portio putredinis vel vapor saltem, ad cor vsque penetret, excitat: easque si nobile præsertim aliquod viscus occupet putredo, cordique vicinum, pertinaces magis diuturnasque: in quibus tum ob febrium istarum perseuerantiam, tum viscerum corruptionem, corpus sensim contabescit & absumitur. Quæ putredo vel ab impacto humore putrescente, partemque simul inficiente, aut erodente, incipit: vel ab abscessu & vlcere, post inflammationes, aut externas iniurias, aut venam ruptam in parte aliqua exoritur. Quod qua ratione in quibusdam partibus accidens, febres has excitet, in alijs verò minimè, explicandum erit.

Pulmo omnium frequentissimè in phthisicis vlceratus, tandemq; corruptus & in pus conuersus, maioriq; ex parte absumptus, vicinitatis causâ cor indesinēter putredine lacessens, febrem eiusmodi Lentam symptomaticam vocatā comitem semper habet: quę tandem temperamentū illius destruens, in hecticam quoq; symptomatica dictam conuertitur: cuius occasione, & quia viscus nobile deperditur, corpus ad extremum marcorem redactum, tandem extinguitur.

Hepatis, Lienisque putredines, quæ cùm non ita diuersa ipsorum sit substantia, vtrisq; ab ijsdem causis, certis ipsorum in locis frequenter accidunt, & post mortem perscrutatis visceribus magno cum fœtore sæpè occurrunt, febres quoq; Lentas symptomaticas diuturnas proferunt, quas cum atrophia & cachexia (læsâ sanguificatione, siue hepar aut lien corrumpatur) sequatur, priuatim id vulgus obseruans, has tantùm febres infantibus & virginibus magis consuetas hecticas, Etttfum Germanicè, cùm tamen plures earum, vti dictū fuit, sint species, appellant.

Renum verò putredo, etsi horripilationes, vt vocant, aliquas pariat, perseuerantem tamen febrem minimè inducit; cùm portio illius putrescens minimè subsistat, sed per vrinam continuò diffluat: vnde nec corpus adeò contabescit: præsertim cùm rene vno affecto, penitusq; sæpiùs absumpto, alter nihilominus sua munia obire, homoque diutiùs sic adhuc conseruari queat.

Cerebrum, vti & Cor ipsum, cùm nobilissima sint viscera, ad eam putredinem, quæ febrem eiusmodi quoq; gignat, viuente homine peruenire minimè possunt: etsi quandoque vlcera in cordis substantia depræhensa sint, illa tamen mortem citiùs quàm febrem pepererunt.

Sed & in Membranosis partibus, circa ventriculum, intestina, vesicam, & vterum, quin & in alijs membranis mesenterij, vel omenti, insignis facta putredo, febres Lentas comites protulit. Sicuti & in habitu corporis alicubi extrinsecùs intrinsecùsve genita partis alicuius magna corruptio, febriculas tales symptomaticas solet inducere: quarum causa tamen quò magis à corde abest, eò magis inæquales febres, aliàs veluti remittentes, nunc rursum recrudescentes, efficit.

Fœtus quoque vnà cum secundina ipsum inuoluente membrana, de nouo in corpore genita, vteroq; vasorum beneficio connexa, si putrescant: præsertim si diutiùs retenta vterum eadem labe inficiant, vicinisq; partibus, vti vidi, corruptionem quoque adferant: febres similiter enarratas, non eodem modo, sed diuersimodè corpus exagitantes, & nisi æger priùs extinguatur, diuturnas excitant.

Corporū præternaturalium quorundam putredo, causa febriū Lentarū symptomaticarum.

Præternaturalia quoque in corpore genita, Vermes, aliáve corpora carnosa, membraneáve partibus adnexa, si corrumpantur, præsertim verò si putredinis labem partibus simul aspergant, easdem febres Lentas, inordinatè corpora horrore concutientes confusu mentesq; proferunt. Quas tamen antequam hæc putrescant, vix inducunt. Etsi infantes interdum, cùm viuis adhuc scatent lumbricis, febricitent: cùm hæc illorum febris, tunc

reliqua-

reliquarum synochorum instar, à causa aliqua externa progressa, acuta proin nec lenta, vti sæpè cum hisce febribus alij affectus occurrere solent, sic in infantibus vermes illis consueti se offerunt.

Qualitate malignâ permixtus calor, cor feriens, febres malignas creat, easque continuas ferè, & si hæc vis maligna in vicina corpora à corpore ægri rursum diffundatur, contagiosas. Differentes primùm, quatenus exitiosus hic calor, vel à sola maligna vi procedit, vel à putridine cum maligna qualitate copulata, nascitur.

Calor Putris & Malignus, causa febriũ Putridarum malignarũ. Putredo non simplex, sed cui perniciosa accessit qualitas, iam non putredine solâ, vti in reliquis putridis febribus explicatũ fuit, cor accendens, sed malignâ vi cuius particeps simul est, cor fatigans, febres malignas & contagiosas nondum tamen pestilentes, parit: infantibus cùm ecthymata & exanthemata erumpere solent consuetas & populares; rariùs adultis accidentes. Dein & in adultis potiùs communes epidemias eas gignit, quæ pestè minimè grassante, nullis apparentibus veræ pestilentiæ in bubone præsertim vel anthrace indicijs, nihilominus in plurimos sæuiunt, multosq; interdum sine grauioribus symptomatis, aliàs verò capitis dolore & delirio præcipuè apparentibus, vnde hæ febres denominari quoque solent, iugulant. In quibus, in quo loco, & quomodo putredo facta malignitatem eam possit concipere; Et quæ illius sit causa exponendum.

Locum autem in quo putredo hæc maligna gignitur, eundem, in quo & simplicem putredinem fieri diximus, esse oportet: Et in vasis vel venæ cauæ, vel meseraicis, vel extra hæc quoque consistere: atque in ijsdem, sicuti ostensum fuit, quoq; humoribus vel corporibus.

In vasis cordi cõtinuatis, sanguinis putredo maligna causa febriũ Putridarum malignarũ continua- In vasis enim maioribus venæ cauæ sanguis putrescens, si præter simplicem putredinem, venenatam quoque vim adipiscatur, & per vasa quoque cordi copulata, vti in putridis febribus dictum est, cor afficiat, illudq; non solum calore putri, sed & maligno exagitet, febres continuas, easque duplicem ob noxam perniciosas, excitat. In quibus si portionem illius sanguinis maligni, natura in cutis poros, membranasq; aliquas excutiat, maculas vel pustulas enarratas profert: si verò minimè, nihil eiusmodi tunc erumpit: nisi fortè iam prostratâ naturâ, maculæ aliquæ veneni latentis indices se manifestent, mortemque præsagiant. Cæterùm tunc pro ratione Putredinis & Malignitatis, quæ simul hîc concurrunt, hæ febres variant. *rum, ob easdem quoque causas, vt in reliquis putridis diuersarũ specierũ.*

Putredinis sanguinis causâ, hæ febres ad synochorum putridarum, vel reliquarũ continuarum naturam quoque aliquo pacto accedunt: & prout in sanguinem temperatum, vel intemperatũ putredo hæc inciderit, vel in loco cordi magis vicino, aut longiùs ab eo dissito facta fuerit, mitiora grauioráve in calore, & quæ illum sequuntur symptomata profert, totiusq; morbi decursus variat. Vnde fit, quòd harum febrium aliquæ in eodem statu synochorũ instar ferè permanent, nullasq; insignes exacerbationes adferunt: quales febres, cùm in infantibus ecthymata efflorescunt, plerunq; existunt: quæ &, si natura putrem materiam ad exteriora vndiq; corporis mox propellat, tutiores simul mitioresq; existunt. Sed & in adultorum febribus malignis si putredo vehemens minimè sit, neq; in vrinis aut sanguine illius indicia magna deprehendantur, immitis calor, aut quæ eum sequuntur, accidentia grauiora occurrunt. Sicuti verò putredine in illis inualescente, maximè si corpus intemperatum occupet, circaq; cor proximè versetur, aut alias partes principes possideat, accidit, tunc enim reliquarum continuarũ instar cum horrore incipiunt, caloreq; immiti, vti & illæ, interdum & causonum modo proferunt, vt dictum est, symptomata.

Qualitatis verò malignæ putredini iunctæ occasione, præsertim si ea præualeat, corque labefactando vires mox deijciat, cùm natura tunc impedita, morbum ordine quodam seruato fortiter aggredi nequeat, accidit, vt hæ febres, siue mitiores, siue vehementiores, caloris causâ existant, non certam rationem in motu, quo dijudicari queant, obseruent, nec stato tempore exacerbentur: licèt per crisim aliquam quoq; interdum soluantur: aliæ verò quæ synochos putridas referunt minimè, sed per fœdas excretiones

sensim,

ſenſim, vt in ea quæ ecthymata profert fit, deſinant.

In meſeraicis venis biliosa quam diximus materia, ſi præter putredinem eam, quâ febres intermittentes gignit, malignam inſuper naturam acquirat, fortè & intermittentes, pernicie non carentes, procreabit: verùm cùm eiuſmodi materiam quandoque in primis hiſce vijs natam, ſiue viridis, cærulea, atráve fuerit, ſi venenata inſuper vis acceſſerit, natura ipſius pernicie offenſa, mox tentet eijcere, & per lienterias, diarrhœas, vomitiones peruerſas excutere, rariùs fit, vt febres intermittentes malignæ inueniantur, & ſi quandoq; ob retentam eam materiam diutiùs ſuperueniant, excretiones eiuſmodi lethales comites habeant.

Extra vaſa verò humores putreſcentes, cùm febres, vti docuimus, ſimplices excitare vix queant, ita & ſi malignitas quædam accedat, febres putridas malignas minimè, ſed ſyncopes, conuulſiones, aliaque potiùs accidentia procreabunt. Vel ſi venenata ea vis, quæ & ſuapte naturâ etiam ſine putredinis opera febres gignere poteſt, acceſſerit, tunc febres, quas à ſola maligna vi accendi poſſe mox explicabimus, non putridas malignas excitabit. Corpora verò putreſcentia, lentasq; febres continuas producentia hecticas, ſi perniciem ſimul conſequantur, infeſtas quoque febres eas progignent.

Cauſa verò malignam hanc qualitatem in ſanguine producens, & putredini iungens, vnde poſtea hæ febres putridæ malignæ oriuntur, ab Ambientibus, vel Aſſumptis Retentíſve proficiſcitur.

Ambientia nos, aër, aliáve corpora, ſi non ſolùm putredinis, ſed & malignitatis ſemina in ſe contineant: eaq; vel per inſpirationem attracta, aut per contactum corporibus infuſa, ſanguinem inficiant, febribus enarratis cauſam, præſertim ſi iam priùs putredo in ſanguine extiterit, frequenter præbet. Quod vitium ab ambientibus procedens; Vel à mutationibus magnis; Aut exhalationibus proficiſcitur.

Mutationes temporum ſeu tempeſtates inordinatæ, magnæ ſubitæque, quas meteora quædam præcedentia vel comitantia præſagiunt, vel indicant potiùs quàm cauſant, eiuſmodi in aëre vitia, febres haſce epidemias procreantia malignas, quibus multi paſsim corripiuntur, & quæ in vulgus peſtis inſtar ſæuiunt, efficiunt. Inter quas ver pluvioſum, auſtro diu flante, cauſa non infrequens ſtatuitur.

Exhalationes, exſpirationesque, non ſolùm putridæ, ſed & pernicioſæ, quas terra, aquæ, lacus, proferunt: animaliumque præſertim iam priùs hac lue infectorum excrementa, ſudores, exſpirationes, cadauera, reddunt, aërem inquinantia, corporaq; inficientia, febres eiuſmodi, illis tamen qui in talibus locis verſantur, vnde ſemina contagij prodeunt communiores, procreant.

Aſſumpti cibi vitioſi, non qui putredinem ſaltem in ſanguine, vti ſuprà oſtenſum eſt, acceſſunt, ſed & qui vitium aliquod malignitatis illius, quā deſcripſimus, in ſe continent, ſi ſanguini, quem gignunt, vtramque noxam inurant, febres iam non ſimpliciter putridas continuas, ſed malignas inſuper, illisque qui hoc viuendi genere vſi ſunt, infeſtas proferunt. Quales quoque poſt famem diuturnam hominū ſocietatibus, & militum expeditionibus ſequi ſolere, dictū hoc vetus, μετὰ λιμὸν λοιμός, poſt famem peſtis (ſic febres malignas quoque vocantes) oſtendit.

Retentus quoque diutiùs in corpore ſanguis putris, quemadmodum ſi alicubi è venis effuſus in corporis aliqua ſede hæreat, venenatamque naturam induat, ſymptomata, qualia in ijs, qui à beſtijs virulentis icti proueniunt, excitat: ſic & in venis ſanguis alicubi putreſcens, certoque loco, vbi febrem excitare nondum poteſt, diutiùs ſubſiſtens, ſi vetuſtate adeò degeneret & corrumpatur, vt iam non ſolùm putris, ſed & pernicioſus exiſtat: non tantùm putridis exhalationibus febres putridas, ſed & maligna vi exitioſas, & characteribus quibuſdam interdum notatas inducet. Quales in adultis præſertim, ſed certis duntaxat naturis impuris, etiam nulla graſſante febre epidemia, ijs ſolent accidere, qui diu priùs, antequam febre illa corripiuntur, in neutra veluti conſtitutione poſiti, affectionibus tamen quibuſdam præſagis grauati, tandem in febrem incidunt:

cidunt: Quam malignam esse, subita virium prostratio & maculæ, aliaq; latentis veneni indicia nonnunquã erumpentis coarguunt. Sed & in infantibus præcipuè febres eandem ob causam, etsi ob robur naturæ mox virus propellentis, non ita perniciosè ecthymatibus tamen & exanthematibus copiosè erumpentibus, totumque corpus contaminantibus, horrendæ & contagiosæ, pleraq; ipsorum certò ętatis tempore inuadunt corpora. Per quas illuuiem illam impuri putridiq; ipsorum sanguinis, quam à primo ortu ad illud infantiæ tempus vsq; quo hæc putredo iam inualescens febrem parit, coaceruarunt, excutiunt, & sic corpus primâ hac ętate, à putredine hac in sanguine natâ, vti postea sequentibus ætatibus per scabiem, aliasq; naturæ expurgationes, purificant & veluti renouant. Quæ excrementa per ecthymata primùm erumpentia, non solùm à materno sanguine, quem menstruũ vocant, vti voluerunt, dependent: cùm non impuro, sed laudato matris sanguine fœtus alatur, & quæ excrementa inde colliguntur, ad pariendi tempus vsque coaceruata, mox vbi fœtus in lucem prodit, per secessum, non solùm biliosa & subuiridia, sed & atri sanguinis instar copiosè dejiciantur: verùm etiam postquam fœtus natus est, ex victus illa mutatione noua illuuies, vti postea, eâ rursum immutata, aliæ superfluitates congeruntur.

Calor Malignus tãtùm, causa febriũ tantùm Malignarum.

Maligna sola qualitas, non iam putredini copulata; sed per se febres accendit, eas quas Pestilentes & Venenatas nominauimus. Quæ qualitas in corpore rariùs, nisi putredo eam præueniat, & proin cum putredine iuncta sit, suscitatur: sed à veneno extrinsecùs corpori illato prodit: illo scilicet, quod eam vim habeat, vt statim postquam corpus subijt, primo insultu cordi venenatam suam vim imprimens, malignamque hanc in illo qualitatem, excitans, vires illius totiusque corporis simul mox prosternat: illudque & vnà cum illo spiritus & humores, corporisque partes accendat: febresque sic pariat, ad ephemerarum vel synochorum naturam quoque nonnihil accedentes, sed cum summa virium imbecillitate coniunctas, easq; sicuti & illas, vel solitarias, vel affectu alio aliquo externo comitatas: Quæ tamen differunt pro ratione veneni præcipuè, à quo hæ febres oriuntur, Cùm enim venenorum multa occurrant genera, quæ non solùm certis corporis partibus insidiantur (sicuti illorum sunt variæ noxæ) sed cor, vti dictum, afficientia, atque inter ea quædam etiam illud inflammantia febres accendant, & hanc in ipsis proprietatem, qualis sit, explicare minimè possimus: illud tamen præstare ex effectu cognoscamus; Ex effectuum quos proferunt diuersitatibus præcipuis, omnia hæc venena febres inducentia in duo genera referemus. Vnum venena à manifestis causis prodeuntia in genere comprehendens: quod venenum inflammans vocabimus. Alterum à causa occulta profectum: venenum pestilens appellatum.

Venenũ inflammãs causa febriũ malignarum Venenatarum.

Inflammans venenum aliquod inueniri, quod ab ictu bestiæ venenatæ, fortè & aliunde, corpus subiens febres Venenatas ob id dictas accendere possit; ex accidentibus, inflammatione nimirùm vehementi, calore summo totius corporis; siti immensâ, horrore & rigore, superuenientibus, colligere possumus, vti Nicander & Diosc. hæc describunt: Nicandro expressè testante dipsadis serpentis morsu cor prorsum accendi. Quæ febres propriæ tantùm illis, qui hoc veneno tacti sunt, sæuissimis, iam dictis, alijsque nonnunquam accidentibus coniunctæ sunt. In quibus si portio aliqua veneni, vi naturæ ad exteriora propellatur, characteres aliqui, per maculas aut liuores erumpentes, se in cute alicubi manifestant. Sed & nonnunquam bubones, vt in peste correptis, erumpere, Nicander in cerastæ serpentis morsu, vnde in vtroque inguine incessantem dolorem oriri scribit, comprobat. Interdum & illic vbi morsus factus est, virusque hoc corpus subijt, pustula vel inflammatio aliquando apparent, illamque per quam venenum corpori infusum sit, viam manifestat.

Venenũ pestilens causa febriũ malignarũ Pestilentium.

Pestilens venenum omne cuiuscunq; sit generis corpus subiens, febrem accendit, Pestilentem dictam: cùm rarò inueniatur pestis, licet in quibusdam calor vix aliunde

quàm ex solo pulsu deprehendatur, sine febre existens: quæ & sicuti aliæ venenatæ, exitiosa est, & præterquam illæ, contagiosa quoq;: & contagij causâ, generalis multis & popularis. Hoc autem virus pestilens, reliquorum venenorum instar, ab exterioribus corpora primùm inuadere, ex eo, quòd veluti in momento hominem feriat, satis patet. Verùm vbi extra corpus quod afficit adhuc positum lateat, cùm occultè, non cognito loco, à quo emergit, inuadat, secus ac reliqua venena, quorum plerumque sedem, vnde prodierint, cognoscere possumus, hîc verò, nisi à vicino corpore affecto illud prouenisse suspicemur, vnde nam venerit incognitum nobis existat, valde dubium est. Plerique in aëre venenum hoc latere, atque vnà cum illo corpora nostra subire contendunt: vel cælitùs seminibus pestiferis in aërem immissis: vel, aëre magnis temporum mutationibus atque exhalationibus, adeò vitiato, vt non tantùm malignitatem eam, qualem in putridis malignis febribus inde excitari posse diximus, concipiat, sed & pestiferam illam vim adipiscatur. Quæ tamen quò minùs probare possimus, omissis multis alijs argumentis, hæc ostendere satis videntur, quòd post magnas eiusmodi sæpè tempestates diuque durantes, etsi alij morbi, nulla tamen pestis, illis præsertim in locis, vbi contagium corporum ægrorum vitatur, sequatur: & quòd pestis sæpenumerò, nullis eiusmodi temporum, syderum, astrorum mutationibus prægressis, aut præsentibus, aut illis saltem quæ nullius momenti sunt, nihilominus grassetur, interdumque populariter: sicuti Anno 64. præsertim in peste illa magna, quæ apud nos fuit, nemoque aëris inclementiam accusare potuit, diligenter obseruauimus. Inprimis verò, si ab aëre venenato, vt vocant, pestis suam originem sumeret, omnes quicunque in eo versantur, eumque hauriunt, hanc luem mox contraherent: cùm venenorum in ea sit natura, vt cùm totâ substantiâ nobis aduersa sint, qualiacunque vel quomodocunq; disposita corpora petant, virus illi imprimant: quòd cùm hîc minimè accidat, & pestis è vicinis, eodemque aëre fruentibus, vnum vel alterum, vel aliquos saltem appræhendat, in aëre causam pestis subsistere, atque inde in humanum genus propagari, affirmare minimè possumus.

Verisimile magis esse videtur, quemadmodum & reliqua venena, in corporibus certis, ab origine mundi innata, hærent; sic & pestilens hocce venenum, non tantùm hominum quibus corporibus, qui iam peste ægrotant, sed & aliorum, nondum, vti iam dicetur, febricitantium, & in vestibus quoque, aliisve quibuscunque delitescere posse, & de corpore in corpus, non solùm mutuo contactu, sed & intermedio aëre, corpora hæc interueniente, & venenata illa semina ab vno suscipiente, & in aliud deriuante, transferri. Quod & virus pestilens, vel inspiratione attractum, cor mox afficit, febremque in momento accendit: vel alioquin corporis aliquam sedem occupans, inde vel ad cor vsque inspiratione, vel per cæcas vias, progressum, idem facit: vel illic aliquamdiu subsistens nec vlteriùs propagatum: corpus infectum, nondum tamen pestilenti febre laborans reddit: à quo tamen vel proprium corpus, vel aliorum, nunc citiùs, nunc tardiùs, potest affici. Quæ & causa est, quòd aliqui ab infectis locis in alia loca: vbi nulla est pestis, fugientes, illicque aliquamdiu hærentes, post multos sæpè dies peste primùm corripiantur, vel non correpti alios inficiant: sicuti & scortum, quod cum eo qui lue Venerea inquinatus fuit, coierit, ab eo nondum ita infectum, vt eo morbo ægrotet, alios tamen dein qui cum illo congrediuntur, eâdem lue inficere posse experientia docet, Ferneliusq; etiam testatur. Et proin affirmare hoc non veremur, seminaria hæc pestis, vti & alia venena, in aliqua mundi plaga semper in quibusdam corporibus residere, ab eaq; in alia loca, eo modo, vti dictum est, propagari. Sicuti & luis Venereæ venenum, homini saltem, vti ferè & pestilens hoc venenum contagiosum & noxium, simili modo, primùm ab Indis, de corpore in corpus serpendo, ad nos vsque peruenisse, atque nunc quoque nullibi quàm in corporibus subsistere, & nunc in nos, illósve per

ve per contagium vagari ſcimus. Quæ lues, ſicuti quandoque in quibuſdam regionibus nullibi ſe manifeſtans, alijs tamen in locis in certis corporibus reſidet, & per vnum aliquem rurſum in regionem eandem transfertur: ſic & peſtis, etſi diu ſæpè quibuſdam in locis ceſſarit, nihilominus alicubi terrarum corporibus quibuſdam inhærens, inde ſuo tempore in alia corpora, vti dictum, deriuatur: vt non neceſſe ſit, eo nomine, quia interdum nihil de ea vbi vigeat audimus, quaſi penitùs extincta è mundo ſublata ſit, eam cùm redit, in aëre, de nouo genitam, indeq; delapſam ſtatuere: licet aërem quoque maligna qualitate imbui, & cum ea corpora ſubire poſſe, ſicuti in putridis malignis modo dictum fuit, minimè negemus: vti & peſtis contagio à corporibus affici infectis, ab eoque in vicina corpora, modo prius dicto, deduci, quoque concedimus: exordium verò illius ab aëre proficiſci, admittere ob cauſas enarratas minimè poſſumus. Quæ omnia in veneni huius peſtilentis ſede & origine inuenienda, vti probabilia ſunt: ita valde arduum, explicare quâ ratione venenum hoc peſtilens per contagium de corpore in corpus migret, aut quare hæc illáve corpora potiùs inuadat, alijs in eadem vicinia exiſtentibus parcat: cùm hoc non adeò apertè, vt in cæteris venenis, ſed occultè, vti dictum, fiat, vti verò facilius eſt oſtendere, quare febres non eiuſdem naturæ exiſtentes, aut iiſdem accidentibus & characteribus comitatæ, inde naſcantur. Quæ omnia vel ratione veneni: vel ſubiecti corporis, quod hoc veneno infectum eſt, diſpoſitionis: vel virium cauſâ accidunt.

Venenum peſtilens eiuſdem naturæ minimè eſſe, ſed diuerſæ, effectus illius tantopere differentes, qui corporis affecti conſtitutionis ſolius cauſâ, non ſic variare poſſent, oſtendunt; cùm aliqua regnet peſtis, quæ ſine diſcrimine in omnes vel pleroſque ſæuiat: alia verò quæ paucos tantùm inuadat: alia quæ quoſquos tetigerit interficiat, magnamque ſtragem edat: alia, quâ correptorum multi ſanantur: Verùm quidnam in veneno latens illius varietatis cauſa ſit, atque vnde proficiſcatur, vti & in cæteris venenis, deſcribi minimè poteſt.

Diſpoſitionem corporis, vel cordis, vt vult Fernel. aptam quæ hoc venenum facilè ſuſcipiat, inuenire, æquè impoſſibile, atque veneni huius naturam oſtendere, videtur. Cùm cuiuſcunq; conſtitutionis & temperamenti ſint homines: atque inter eos, non ſolùm qui impuro corpore exiſtunt, ſed & qui puro & ſano præditi ſunt, faciliùs hac lue affici videamus: ita vt vel nullam aptitudinem hîc requiri: vel ſi quæ eſt, qualis ea ſit, non ſolùm cognitu difficillimam, vt ait Fernel. ſed incognitam penitùs & abſtruſam eſſe, fateri cogamur: & proin in cauſa tam priore, quæ in veneno occulta, quàm in hac, quæ in corporis aptitudine ignota latet, ad diuinam ſolùm prouidentiam confugere, quæ peſtiferam hanc luem, vel pœnæ nomine, in certis regionibus, nunc hîc, nunc illic latentem excitat, atque in ea loca quæ vult, per ſe, vel per medium aliquod, in eos quos Deus ſignauit, transfert, quibuſdamque è medio ſublatis, alijs ſaltem caſtigatis rurſum prout diſpoſuit, vt aliò tranſmigret, procurat. Verùm etſi diſpoſitionem illam, quæ vnumquemque ad peſtem ſuſcipiendam aptum ineptúmve facit, non aliter explicare poſſimus: tamen quòd febris peſtilens non vna eademque à veneno hoc peſtifero exoriatur, ſubiecti corporis quod afficitur diuerſitatis cauſâ accidere, demonſtrare poſſumus; cùm quemadmodum & ignis pro materiæ accenſæ varietate vehementiùs leniúſve vrit, ſic cùm in quæuis corpora graſſari queat peſtis, pro eorum varietate febris inde nata alio alioq; modo ſe habet.

Temperata corpora ſi inuadat (nec illis enim parcit, ſed & hæc præcipueque infantes, virgines, adoleſcentes, beneque habitos corripit) febrem nunc mitiorem, Diariæ ſimilem, facit; accenſis cum corde tantùm ferè ſpiritibus: proin & tunc calor, & quæ hunc ſequuntur accidentia mitiora apparent, nec vrinæ admodùm mutantur.

Sanguineos & plethoricos ſi peſtis corripiat, tunc ſimul cum corde, ſpiritibus & ſanguine quoq; inflammatis, febris hæc pe-

ſtilens Synochis affinis erit: in qua maior æſtus, & quæ ab eo prodeunt, capitis dolor, cum rubore faciei, aliaq; ægrotantem vehementiùs vrgent ſymptomata.

Bilioſos verò ſi peſtis præhendat, tunc ob calorem cordis, ſpirituum & humorum, bile quoque efferueſcente motaque præter caloris enarrata ſymptomata, vomitus, deiectiones, aliaque accidentia, à bile prodire ſolita, ægrum moleſtant.

Impura corpora, præſertim autem ea quorum ſanguis putredine priùs nonnihil infectus eſt, & quæ ad febres putridas iam erant diſpoſita, ſi peſtis occupet; tunc ad Putridas continuas, malignas præſertim, febris hæc peſtilens accedens, & calore acri, alijsq; grauioribus peſte correptum affligit ſymptomatibus: & impuritatis cauſa excretiones fœdas profert.

Virium quoque nec tantùm veneni, vti priùs dictum, causâ accidit, vt in maiori minoríve periculo peſte laborantes verſentur: cùm validæ vires validiùs huic noxæ reſiſtant, debiliores citiùs ſuccumbant. Sed & earum causâ potiſsimùm euenit, vt characteres aliqui, latentis veneni indices, in exterioribus erumpentes, ſe manifeſtent, vel minimè appareant. Nam ſi ob naturæ debilitatem, venenum peſtiferum circa cor, corporísve interiora penitùs ſubſiſtat, nullum illius indicium foris profert. Quòd ſi verò naturæ robore portio illius in partes extimas excutiatur, tunc quamcunque attigerit, vi ſuâ quam in ſe habet ardente inflammans, vel cauſticâ etiam adurens, ruborem, dolorem, ſtigmata, ſub axillis: vel bubones in adenibus, vel iuxta aures: vel anthracem alicubi quorum causâ, ſi magna ſit inflammatio, febris incrementum quoque ſumere poteſt, parit. Nonnunquam verò in poros cutis, ſi ſe exoneret, maculas, puſtulas, illic, ſicuti in generibus oſtenſum, protrudit. Quos omnes characteres, venenum, eò à natura, vti dictum, protuſum potiùs profert, quàm quòd cùm corpus ſubit, in ingreſſu ſuo, notam hanc, ſicuti aliqui exiſtimarunt, mox imprimat; cùm natura, etſi ex his aliqua ſubitò in prima febris inuaſione appareant, vbi primum offenſam ſentit, ſtatim eam repellere & venenata hæc vis vti in momento cor petit, ita illico quoque retrocedere poſsit. Niſi fortè ex contactu corporum infectorum, tale quid naſcatur; ſicuti mihi in manibus, cùm peſte laborantem ſudorem mortalem exudantem tangerem, ſoceroque chirurgo in pedibus, puſtula, hanc ob cauſam peſtilentialis, citra febrem & aliam noxam nata, mox tamen iterum euanuit. Sed & fit vt bubones in peſte correptis, non ſemper à venenatâ illâ vi in corporis emunctoria excuſsâ, verùm ob carbonis vicini ardorem, doloremque, influxum hunc in adenes commouentis, vti in alijs quoque inflammationibus accidit, proueniant. Licet & quandoque ab vtriſq; cauſis proficiſcantur, tunc plures numero ferè, vel iiſdem, vel diuerſis in locis proueniunt, qui dein inflammati ſuppuratique nouam interdum febrem priori veluti coniungunt. Quæ omnia diligenti & longa obſeruatione perſcrutatus, qui iam ſexies peſtilentiæ apud nos regnanti interfui, & ad ſingulorum finem vſque perſeueraui, peſteque correptis fideliter adſtiti, manumque adhibui, in medium, ſicuti hæc vidi & cognoui, proferre, veritati potiùs quàm vlli addictus magiſtro, non dubitaui.

Calor inſitus & impreſſus cauſa febrium Hecticarum.

Inſitus & conſtans calor in corde, ſingulisque partibus impreſſus, non vti illi quem aduentitium & mutabilem eſſe diximus, Græcique ignem vocant, qui citra temperaturæ ipſorum ſpeciei permutationem, has partes accendere atque rurſum euaneſcere poteſt, partibus quæ incaluerant ad priſtinam conſtitutionem iterum redeuntibus: (quod ita fieri poſſe Fernel. lib. de temperamentis cap. 9. quoque eleganter oſtendit) ſed hic in quo temperamentum iſaque elementorum proportio, vt verbis vtar Fernelij, in calidius atq; ſiccius ita conuerſa ſunt, vt ægrè calor ille ampliùs ex illis auferri, ſeu temperamentum hoc calidius & ſiccius permutari poſsit, febres excitabit, quæ perſeuerantes & diuturnæ ſunt, & vix aut nunquam ampliùs è corpore exſtirpari poſſunt: vnde Hecticæ, quòd corporis habitu, quem ἕξιν appellant, firmiter conſiſtât, cùm

cùm ἕξις à suo subiecto ægrè separetur, appellatæ sunt. Et cùm calor in ipsis non igneus, vt reliquarum febrium sit, sed vti dictũ, temperamenti duntaxat quædam in calidius & siccius cõmutatio: idcircò calorem vix dum persentiunt, licet & totius corporis partes similares alteratæ, calidiores & sicciores esse tactu, vti & cor ex pulsu cito & duro deprehendantur. Quorum tamen calor non similis semper permanet, sed tunc cùm corpus alioquin calidius redditur, quod non tantùm cibo sumpto, cuius saltem meminerunt, sed & ex motu vehementiore alijsque de causis accidit, augetur atque exacerbatur, pulsusq; & cordis motus admodùm intenduntur. Sed & corporis hæc, quæ febres hasce sequitur, consumptio & marasmus, non illius est à calore vehemẽtiore facta colliquatio, quâ portiones aliquas corporis dissolutas per vrinas excerni, temerè excogitarunt, falsi fortè ijs, quæ à renibus impuris & vesica prodeuntia, vrinis nonnunquam innatant, cùm aliàs nullo modo id fieri possit, vt nec in ardentissimo causone adeò partes assentur vel liquescant: cùm hic marcor ob partium similarium temperamenti quoq; in calidius & siccius, cordis causâ, permutationem, quo nomine non rectè nutriuntur, sed sensim emarcescunt, eueniat.

Causa verò efficiens istarum hecticarum, est febris alia, hasce præueniens, illisq; occasionem præbens, cùm vix ab alijs causis cordis temperamentũ adeò peruerti posset, nisi interueniente priùs febris alterius igneo calore; qui vel suâ efficaciâ aut diuturnitate, cor tandem sic immutaret. Vnde & rariùs à simplici & puro calore, in febribus diarijs excitantur, quæ exacto tempore quo aliàs cessare solent, si non desinant, nec in putridas commutentur, in has abeunt. Sicuti verò frequentiùs à putridis tam solis quàm malignis, cùm diuturniores sint, generantur, præsertimque si calidissimo causone cor diu flagrarit, qui tandem restinctus hanc post se intemperiem relinquit, hectica tunc illa diuturna, in qua corpus sensim cõsumitur, causone cessante, succedit: non autem illa, in qua causone adhuc remanente, ob illius magnum incendium cor adeò torretur, vt totum corpus subitò consumatur, quam hecticam colliquantem quoque vocant, cùm tamen nulla alia à causone sit noua febris. Verùm & ab intermittentibus diuturnis, caloreq; vehementi flagrantibus, hecticæ quoq; eo modo produci possunt: Vti & si continuis copulatæ, in hæmitritæo diu perseuerante, idem accidere posse, Fontan. quoque docet. Sed & ab alijs putridis etsi lento calore præditæ sint febres, si diuturnæ admodùm existant, corque continuo suo calore longo tempore pulsent, tandem illud ita permutari potest, vt febris hectica, lento calore quoq; prædita, hasce lentas putridas febres sequatur: sicuti in cachecticis, & præsertim phthisicis, cùm causa cor afficiens illi adeò vicina sit, lentas hasce febres in hecticas conuerti videmus. Sed & putridis continuis & intermittentibus quæ hasce febres hecticas pariunt, febribus adhuc vigentibus, hecticæ sæpè incipiunt, & cum ipsis complicantur: quod sicuti superiùs ostensum fuit, ex febrium prædictarũ accidentibus adhuc perseuerantibus, & corporis maiore consumptione, quàm alioquin in febribus putridis eueniat, depræhẽdimus, vt cùm hectica cum putrida acuta lentaq; vel intermittente coniuncta est; quò plurimùm facit cordis dispositio, si illud naturâ temperamẽtum calidius adeptum sit: quod faciliùs à febribus dictis, atque ampliùs incalescit & exiccatur. Vti & cor tenerius adhuc, in quo calor ille extraneus facilè imprimitur: illiusque natiuum temperamentum destruit, occasionem præbet: ob quam causam infantibus iunioribus, febres hecticæ tam sunt consuetæ, vt non solùm prægressâ diuturna febri, sed & diariâ, in hecticas labantur.

Curatio.

CVratio omnium febrium, à morbo indicatione desumptâ, generalis est refrigerare & humectare: cùm omnis sit calida & sicca. Verùm cùm non vnus idemq; sit calor in omnibus illius speciebus, & causæ illius admodum diuersæ existant, vnde tot febrium oriuntur genera, prout hæc causis, vel conueniunt, vel discrepant, cura diuersis febrium generibus erit accom-

modanda. Quorum præcipua esse diximus: quod aliæ febres Solitariæ seu solæ, nullo alio morbo comite se offerunt: quæ rursum vel simplices, vel compositæ sunt: aliæ verò alio morbo Comitatæ existunt: quorũ trium summorum ipsorum generum causâ, primùm cura febrium variat.

Simplices solitarias febres eas appellauimus, quæ vnius generis sunt. Quæ tamen ob causam diuersam varia rursum sub se cõpræhendunt genera: quorum causâ & cura ipsorũ variat: cùm vel à calore simplici prodeant, Puræ & simplices dictæ febres Ephemeræ & Synochi: vel putrido, Putridæ continuæ & intermittentes: vel maligno, Malignæ putridæ, & Pestilentiales & Venenatæ: vel à calore fixo, Hecticæ. Quibus octo generibus, priuatim singulis curationem accommodabimus.

Ephemeræ febris curatio.

Ephemera febris pura seu simplex, solitaria, sponte, primo die plerumque ante viginti quatuor horarum spatium elapsum cessat, nec periculum adfert. Quòd si vlteriùs ob errorem commissum, aut causæ magnitudinem perseueret, in synochum, rariùs in hecticam, vti dictum, commutatur. Quod ne fiat, sic eas, per ea quæ euacuant atque alterant, gubernare oportet.

Ad euacuationem materiei illius subtilis seu fuliginosæ, vt vocant, quæ ab accenso non nihil sanguine in vaporem resoluitur & expirat, per insensilem transpirationem, vel madores manifestos, naturã, quæ & sponte illud, nisi impediatur, per eiusmodi excretiones facit, iuvabimus.

Corpus ægri tectum, ne repercussio fiat, seruando.

Cibum nullum antequã declinet febris, ne naturæ motum impediamus: vel si vires in corpore debili langueant, tenuem saltem exhibendo.

Propinandoque ea interdum, quæ transpirationem illam, vel etiam sudores mouere possunt, vti in synocho comitata mox explicabitur.

Alvus si laxa fuerit, minus de commutatione huius febris in synochum erit periculi. Quod suppositorio vel clysmate, non per assumpta, hoc breui tẽpore rectiùs perficitur.

Vomitus si ab assumptis, & vino præsertim corpus adeò incaluerit, non erit inutilis.

Alteratio non magna, cùm calor mitis sit, instituitur. Nisi quòd aërem, in quo decumbit æger, si calidior sit, contemperamus potiùs quàm admodùm refrigeramus: ne calore subitò ad cor represso, febrem augeamus, aut transpirationem sudorésve impediamus. Potu quoque moderato, si sitiant, leuiter eos refrigeramus, seu potiùs refocillamus: quo & sudoribus, vt meliùs prodeant, occasionem præbemus.

Synochi febris nõ putridæ curatio.

Synochus simplex seu pura, si solitaria manet, etsi vehemens in ea sit calor, citra tamen noxam, si rectè tractetur, tertio vel ad summum quarto die, vel expirat, vel sudore soluitur. Quod nisi fiat, in putridam vel hecticam abit. Frequentiùs verò, effusâ è venis portione sanguinis, erysipelata, bubones aliosq; externos affectus, citiùs tardiúsve: vel internas inflammationes subitò plerunque producit, sicuti mox in comitata synocho explicabitur.

Quibus vt occurratur maturè, dum solitaria adhuc est febris, & præsertim ne internæ inflammationes, quæ summè periculosæ sunt, sequantur: morbi causâ incendium hoc sanguinis subitò restinguere studebimus: sanguinemque ne è venis excidat, retinere: & quicquid ab eo in vapores abijt, discutere: accidentiaque insuper grauiora corrigere. Quæ nos obseruatâ interim corporis constitutione, an sanguinea, biliosáve sit, hisce remedijs perficiemus.

Sanguinis detractio primum locũ tenet, & ad sanguinem inflammatum euentilandum, vt vocant, eumque, ne è venis in partes nobiliores irrumpens, illic periculosas inflammationes procreet, reuellendum, (quo nomine & Fontanonus eam maturandam censet, sicque meæ sententiæ has inflammationes synochos sequi, non anteire, subscribit) præcipuum est remedium. Quam ob causam in plethoricis subitò illa fieri debet: & si die primo, quia ephemera esse existimabatur, intermissa fuerit; altero, cùm iam synochum esse, ex eo quòd febris non remiserit, constat, mox erit instituenda, & per venæ generalis aperturam molienda. Atq; insignis

insignis illius quantitas detrahenda: & in robustioribus & summè plethoricis, ad animi deliquium vsque, teste Galeno, facienda: vel saltem iteratis vicibus, quod & tutiùs est, repetenda. In biliosis tamen & iunioribus (quibus etiam decimum annum egressis, si periculum inflammationis immineret, venam aperire non vererer) parciùs erit administranda.

Per alvum euacuatio, cùm de causa nihil demat, & corpus tantùm accendat, minimè competit. Ante venæ sectionem tamen, alvus si laxetur, vtile erit: idq; vt citiùs fiat, per Clysterem, qui simul etiã refrigeret, rectiùs perficitur, hoc modo: ℞. herb. Emollitiuarum quatuor ana M.j. Lactucæ M.ß. Hordei P.j. fiat decoctio, in qua dissolue Cassiæ rec. extractę ℥.j. vel succi Betæ & Lactucæ an. ℥.ß. Mellis, Butyri rec. ana ℥.j. Salis parum, fiat Clyster. Sed & post venæ sectionem, reiterari potest, si alvus astricta sit.

Vel illius loco syrupus Viol. vel Rosat. sol. ad ℥.ij. cum aqua fontis dissoluti dantur: vel Diaprunis simplex, aliáve ex leuioribus: quibus & cacochymia, si illa adsit, minuitur.

Vomitus in consuetis, maximè naturâ ad eum impellente, conceditur. Præsertim verò conuenit, si à vino, aut alijs assumptis, febris hæc nata sit. Et si bilis in synocho, in ventriculo efferuescat, molestetque, plurimùm iuvabit.

Exhibentur quæ feruorem sanguinis restinguendo extinguunt, vel mitigãt: eumq; ne facilè è venis excidat, incrassant. Quod actu potentiaque frigida præstabunt. Et quæ putredinem, in quam sanguis inflammatus facilè conuertitur, arcent, & sic, ne in putridam synochus abeat, præcauent: qualia acida sunt, quæ vtrumq; refrigerando & putredinem inhibendo præstare possunt. Quæ & cùm bilis feruorem compescant, in illius redundantia & efferuescentia eam egregiè retundunt: oris amaritudinem & sitim potenter emendãt, sic triplici nomine iuvant. Quæ omnia varijs formis sic vsurpantur.

Aquæ frigidæ potus, præcipuũ quod sanguinis feruorem compescere potest, est remedium: qui & ad satietatem vsq; fa[illegible]us vnà cum sanguinis ad animi defectum vsq; eductione, ad curationem huius febris sufficere, duoq; hæc esse potissima illius remedia hactenus creditũ est. In quo tamen constitutio corporis, & cõsuetudo, huius remedij quantitatem, vel augere, vel minuere possunt.

Aqua cruda, vel cocta, addito interdum Hordeo, Aceti pauxillo, vel succo Granatorum, Limonũ, aliorúmve, acidula facta, loco potus exhibita, plurimùm quoq; proderit.

Aquæ stillatitiæ etiam cõmendantur: vt Portulacæ, Acetosæ, affatim bibitæ: quibus decoctum Hordei permiscere possumus. Pleriq; Lentium decoctum commendant, quod tamen si erysipelas appareat, vt materia foràs euocetur, potiùs locum habet, sicuti illic explicabitur.

Iulepi quoq; ex syrupis de Ribes, Granatorum, Limonum, Acetosæ, Citri, vel Iuiubinus, ad sanguinem incrassandũ, permiscendo illis aquas conuenientes facti: atq; vsitati iulepi Rosar. Viol. Capill. Ven. conueniunt.

Vel si aluus astricta sit, hoc modo: ℞. syrupi, vel iulepi Viol. (differunt enim tantùm quòd ille ex succo, hic ex aqua Violarum parantur) ana ℥.j.ß. syrupi Ribes ℥.j. decocti Hordei ℥. vj. aquæ stillat. Buglos. Acetosæ. an. ℥. ij. fiat iulepus: aromat. tantillo Cinamom. in delicatis, vel Galangâ, ad gratiam.

Quod si alvus nimiùm fluat: ℞. iulep. Alexandrini, vel illius loco iulep. Rosacei (qui propter aquam ros. astringit, cùm syrupus laxet) ℥.ij. decocti Hordei duplum: Vtatur per vices.

Syrupi etiam supradicti per se, cochlearis vnius vel duorum mensurâ dantur.

Olei Vitreoli guttas aliqui permiscent Aquæ, acidamq; sic redditam propinant.

Conseruæ & conditurææ sic exhiberi possunt: ℞. cons. Ros. ℥.j. cons. Acetosæ, rob. de Ribes ana ℥.ß. cort. Citri cond. ℥.ß. cum syrupo de Ribes.

Vel tale conditum: ℞. cons. Ros. Acetosæ, rob de Ribes sicci parùm, & rob. de Berberis, si alvus nimiùm fluat, an. ʒ.ij. Coralli ʒ.j. Santali rubri ʒ.ß. Sacchari ros. tab. quantum sufficit, fiat conditum.

Externis remedijs alteramus, cordi, hepati & renibus frigida adhibendo: quorũ consensu vniuersum corpus refrigerium sentit.

Cordi

Cordi hoc epithema: ℞. aquæ Rosar. ℥.iij. aq. Buglos. Borrag. ana ℥.ij. aceti Rosacei ℥.ß. succi Pomorum acidorum, vel Limonum ana ʒ.ij. Santali rub. ʒ.j. fiat Epithema.

Hepati verò tale: ℞. aquarum Endiuiæ, Acetosæ ana ℥.iij. aceti Rosacei ℥.ß. Spicæ ℈.j. misce.

Renes inungimus Cerato albo Gal. vel Santalino vnguento.

Balneum aquæ dulcis in declinatione, ad refectionem, & vt quod residuum est discutiatur, prodest. Post quod Oleo humectante, corpus, vel spina vnguntur.

Frictio in declinatione quoque, ad vapores à sanguine calido excitatos, resoluendos, lenis, pannis calidis, competit. Postquam Oleo chamæmelino corpus inungendum.

Somnus, tum quia reficit, sitim sedat, sudorem prouocat, commendatur.

Accidentium correctionem quod attinet, Vt vires sustententur, Victus conceditur nutriens, sed tenuis: vt Ptisana seu cremor hordei: Lac Amygdalinum, Fructus cocti. Remedijs alijs, præter ea, quæ priùs inter refrigerantia enarrata sunt, cordialibus, si restaurare illos velimus, possumus.

Dolor capitis, Vigiliæ, Delirium, Sitis, Oris siccitas, Linguæ asperitas, si grauiùs afficiant, vti suis locis dictum est, emendantur: quæ tamen plerunque, prioribus rectè administratis, sponte cessant.

Cōtinuarum putridarū febrium curatio.

Continua putrida solitaria febris, etsi varias species sub se compræhendant, veluti continuam Tertianam, Quotidianam, Quartanam, & quæ illis frequentior est Inordinatam dictam: Synochum item putridā & Causonem: cùm tamen harum omnium causa sit eadem, sanguis in venis putrescens, licet ob illius diuersitatem lociq; varietatem, hæ illius species pro exacerbationū ratione tantùm differentes oriantur: nos tamen omniū curam simul, cùm pleraque, si non omnino, saltem ex parte singulis accommodari possint remedia, explicabimus.

Prædictionem verò quod attinet: cùm vt inquit Hippoc. acutorum morborum (febres intelligens) incerta sint iudicia, non temerè salutem aut mortem polliceri debemus: periculum tamen aut bonam spem, nec hæc tamen friuolè nimiùm, sed ambiguè patefacere possumus, obseruatis signis atq; accidentibus, diebusque in primis decretorijs, sic quod aliquid decernant, appellatis; atque inter eos indices vocatos, obseruare conuenit, vt prout in illis signa bona maláve se offerunt, an crisis bona, maláve aut dubia, in certos quoque dies cadere solita, futura sit, prædicere queamus: ex quibus vti veteres iudicare soliti sunt, sic & nos singulis diligenter consideratis, aliquid, circumspectè tamen, pronuntiare possumus. Nam si in melius crisis vergere debet, quæ ad salutem ducit, in diem decretorium bonum cadere debet, qui Septimus est primæ septimanæ, & Decimus quartus secundæ. Vigesimus verò non vigesimus primus, tertiæ: eodemq; ordine deinceps Vigesimus septimus, Trigesimus quartus & Quadragesimus: quos Quartus, Vndecimus, Decimus septimus, reliquique eos triduo semper præeuntes indicare solent, Indices ob id dies dicti. In deterius verò si crisis abire debet, quæ mortem adfert, tunc in diem malum decretorium incidere solet: qui est vel Sextus, vel Octavus, vel Decimus, vel Duodecimus. Incerta crisis ea est, in qua non omnino remittit febris, proin & imperfecta dicitur & dubia, in bonam aut malam partem postquam redierit, tendens. Hæc autem die frequentiùs, Tertio, Quinto, vel Nono fieri solet. Cæterùm signa prognostica, accidentiaq; quibus de euentu febrium iudicamus, præcipua sunt sequentia.

Vrinæ, cùm materia in venoso sit genere, atque ob id maximè mutentur, inter hæc signa toto febris decursus tempore maximè obseruantur. Quæ si colore fuerint intensè croceo, aut ex aureo colore rubescentes, calorem ostendunt: vel bilis per vrinas expurgationes. Nigrescentes verò maius incendium cùm denotent, perniciosæ sunt: nisi atrabiliarius humor per criticas euacuationes effusus eas obfuscet. Substantiâ, si tenues sint, quocunq; calore præditæ, crudæ, proin & deteriores quàm crassæ iudicantur. Perspicuæ si sint, siue tenues siue crassæ, cùm ad naturales accedant, bonæ. Turbulentæ: si ab aëre externo corruptæ sint, quia hoc crassis & coctis solet accidere, nihil mali portendunt:

dunt: si confusæ statim turbidæ mingantur, nisi hoc in critica aliqua expurgatione fiat, malum significat. Hypostasis in vrinis bona est, si in fundo subsideat: collecta sit, non dispersa aut discerpta, vbique æqualis, alba, crassiuscula: præsertim si diebus indicibus & decretorijs mox talis appareat: quæ ab enarratis notis recedit, minus bona est.

Pulsus maximè hîc calorem & vires quo pacto se habeant, patefacit. Qui quò frequentior & celerior est, maximè in diastole, eò maiorem adesse calorem declarat. Et prout parvus, vel magnus esse deprehenditur, vires dijudicat. Inæqualis admodum, Intercidens, Myuros & Vermicularis, nihil boni significat.

Respiratio difficilis, parua, summè concitata, non bona.

Sudores quos æger facilè fert, & qui totum corpus madefaciunt, calidiq; sunt, boni existunt. Graueolentes si idoneo tempore prodeant, non sunt noxij. Frigidi verò mali, & in agone mortem præcedunt.

Mictio copiosa vtilis, & critico die bono superueniens, febrem tollit.

Sanguinis è naribus fluor, vti & mẽstruus, intempestiuè superuenientia, nõ leuant; criticè verò, febrem solvunt.

Diarrhœa subsequens nisi de causa morbi aliquid auferẽdo iuvet, cùm debilitando plus obsit, periculosa. Vti & deiectiones nigræ perniciem morbi portendunt.

Exacerbatio febris si perpetua sit: & si corpus continuò aduri videatur, vt in ardente febre: vti & si quotidie illa fiat, & bis terve repetat in febribus quæ inordinatæ & quotidianæ dicuntur, periculosa existit.

Corporis vehemens iactatio & summa inquietudo, denudatioque, & ad pedes, vt inquit Hipp. deuolutio, febris magnitudinem & virium prostrationẽ denuntiant. Somnus si laborem facit, pro malo signo quoque ab Hippoc. habetur. Collapsa tempora, nares acutæ, linguæ nigredo & siccitas, extremorum frigiditas, pro malignis signis habentur. Vti & subita totius corporis in causone colliquante dicta consumptio.

Syncope grauis & frequens, Singultus perseuerans, & Conuulsio, Caros, accidentia peruersa & nonnunquam lethalia existunt.

Curatio febrium continuarum putridarum, etsi à natura perficiatur, quæ sola hunc morbum potest euincere, sicuti & sæpè hoc peragit, adiuta tamen Medici operâ; rectiùs & citiùs illud præstabit. Si de causa morbi, quæ illum facit, vel auget aliquid euacuetur; Morbique huius calida intemperies alteretur; Viresque, vt ad statum vsque in quo crisis fieri debet, constent, conseruemus; Symptomata, si quæ grauiùs vrgeant, & iam dictis causam morbumque emendantibus, viresque retinentibus non tollantur, sed ob violentiam ad se curationem trahant, corrigamus. Quod varijs artibus & remedijs perficitur. *Cõtinuarum putridarũ febrium curatio.*

Euacuantia autẽ causam quæ febres procreauit, fouet vel auget, sub se, sanguinis per sectiones; humorum & excrementorum, per aluum, vrinas, sudores, euacuationes, compræhendunt.

Sanguinis detractio (nisi quid impediat, inter quæ virium subita prostratio, syncope, eaque præsertim, quæ in febre quam syncopalem vocant, ex diarrhœa vel bile commota prodit, sunt præcipua) quæ venâ sectâ & scarificatâ cute perficitur, locum hîc potissimùm habet: tum vt causa morbi minuatur: tum vt accidentia mitigentur.

Causam minuet, si vena aliqua patens generalis in brachio aperiatur, sanguisq; inde extrahatur. Quod certè primarium in hisce febribus (cùm causâ in sanguine & in venæ cauæ ramis, à quibus sanguis extrahitur, lateat) est remedium, cùm & vnà cum sanguine putredinis portio euacuetur: sicuti manifestè talem ferè in principio dum effluit, prodire videmus: naturâ ad extremitates portione aliquâ huius causæ febrilis in venas maiores cutaneas, quæ & eo nomine tumidæ sunt, ijs in locis, vbi maior illius est copia, protrudente: quod & cùm talem materiam mox primo ictu effluere solere viderem, occasionem mihi præbuit, talem potiùs venam, quæ hac materiâ turgeret eligere, quàm discrimen aliquod inter brachij venas, cùm vno in loco omnes à caua vena iuxta iugulum prodeant, facere, & vulgi, & chirurgorum, non ita magni, in hisce, vti & in

ſignis cæleſtibus, obſeruationes facere. Sed & per venæ ſectionem ſi calor euentiletur, & refrigerij nomine conuenit, febriſque calorem minuit.

Tempus autem ad plebotomiam faciendam idoneum, mox ipſius febris eſt principium, in quo & ſtatim fieri debet, vt ſic incrementum morbi impediamus, & à cauſa morbi ilicò aliquid, dum vires conſtant, detrahamus. Sed & in augmento, ſi neglecta fuerit ab initio, fieri poteſt. In vigore tamen, qui aliàs citiùs, aliàs tardiùs ſuperuenit, ab ea, ne naturæ motum impediamus, abſtinendum: in principio enim, teſte Hippoc. ſi quid mouendum videtur, mouendũ, cùm verò conſiſtit morbus, quieſcere oportet.

Quantitas verò ſanguinis detrahendi, pro ratione cauſæ & morbi æſtimanda eſt. Cauſæ occaſione, ſanguinem, ſi impurus & putris effluat, aliquandiu vt fluat permittendo, ſin minùs, citiùs ſiſtendo: & ſi, quia dum adhuc fluebat ſanguis & calebat, non ita vti poſtea cùm refrigeratus congelatur, impuritas illius cognoſcebatur, copioſiùs minimè detractus ſit, eam rurſum quoque, quia morbus exigit, nonnunquam reiterando, & tertiò quoque aliquando, ſi nulla adſint impedimenta, viresque ferant, adminiſtrando. Morbi quoque ratione, quantitas ſanguinis detrahendi eſt metienda. Sic enim in ſynocho putri, vt in ſimplici, cùm & hæc in plethoricos ſoleat incidere, magna illius requiritur euacuatio. Quæ & in cauſone, ob ſummum incendium, larga fieri debet, etſi hoc, qui eum à bile pura naſci autumant, quod nos improbauimus, damnent. In reliquis, prout maius minúſve eſt incendium, largiùs parciúſve, obſeruatis ad hæc corporis conſtitutione & viribus, vſurpanda.

Accidentia quæ ſanguinis detractione mitigantur, ſunt cephalalgiæ & deliria, quæ haſce febres frequentiùs comitantur, & quæ vulgus mox obſeruare ſolet. In quibus cùm materia ad cerebrum feratur, generali venæ apertione præmiſsâ, venâ in pedibus ſectâ, & ſcarificatione in extremitatibus factâ, ſanguinem inde reuellimus. Deriuationis quoque causâ, frontis venam, in delirio præſertim aperimus: vel ſub lingua tutiùs venam tundimus: præſertim cùm colli vel faucium, aut linguæ metuitur inflammatio. Sed & ſcarificationes in collo & ſcapulis plurimùm commendantur.

Humorum & excrementorum reliquorum purgationes, in continuis putridis febribus nonnunquam inſtituuntur: tum vt cauſam, quæ febrem fouet vel auget, amoueamus: tum vt eam, quæ febrem facit, illiq; proximè iuncta eſt, imminuamus, præparemus & auferamus.

Cauſa quæ febrem fouere & augere poteſt, retentio excrementorum inteſtinorum, & ventriculi, exiſtit.

Retentio excrementorũ craſsiorum ſeu fæcum in inteſtinis, duplici nomine in hiſce febribus acutis obeſſe poteſt. Tum quia, ſi copioſa adſint, venæ per ſanguinis detractionem inanitæ, in ſe illuuiem ex venis meſeraicis primùm, illæq; ab inteſtinis ea, vti voluerunt, rapiant: quo nomine plerunq; venæ ſectioni excrementorum alui quædam ablutio præmittitur. Tum quòd ſi humores purgare volumus, & priùs alui fæces nõ fuerint elutæ, nec corpus, vt inquit Hippoc. fluidum ſit factum, medicamentum hiſce fæcibus expurgandis impeditum, minùs de reliquis euacuat, quo nomine catharticis hęc ferè præmitti ſolent. Inprimis verò quòd cùm in fæcibus alui, varia excrementa putrida, bilioſa contineantur, ſi ea retineantur diutiùs, vapores fœtido & putri quem exhalant, calorem, ſi non cordis (quò vt in cauſis diximus, penetrare minimè poſſunt) ſaltem partium vicinarum, illarumque quò hic vapor poteſt pertingere, adaugent, & ſic febrem illiusque ſymptomata, ſitim præſertim, capitis dolorem, reliquaq;, grauiora & vehementia reddunt. Quo nomine ne alvus, vel ab initio, nec etiam toto morbi progreſſu, conſtipata ſit, & à principio, & toto morbi decurſu laxantibus exhibitis & iniectis cauebimus: Quæ naturam leuiter vi abſtergente ad excretionem ſollicitet, at nullo tamen pacto calefaciant, ſed vel temperata & humida ſint, vel, quod & alterationis causâ iuuat, ſimul refrigerent. Quæ varijs formis ſequentibus per indita & aſſumpta adminiſtrantur.

Clyſmata, cùm citiùs operentur, maximè conue-

conueniunt: proinde & ante venæ sectionem, quam longiùs differre nolumus, plerunq; inijciuntur. Quæ & humiditate actuali, meliùs intestina eluunt, & non adeò, vti exhibita, irritant, nec calefaciunt: dein & alvum humectam diutiùs retinent, & ne tam facilè rursum sistatur, vti ferè post reliquas purgationes solet accidere, cauent. Vnde & per totum morbi decursum, cùm præsertim constipatio, ob calorem summum, adest, atq; alijs naturam irritare non licet, vt in statu quoque morbi, inijci possunt.

Paratu facilis, laxans, humectans, abstergens, refrigerans sic fiet: ℞. Hordei, Furfuris ana P.j. herb. Maluæ, Violariæ ana M.ij. Semperuiui mai. squamas iij. vel iiij. fiat decoctio, & in lib.1. dissolue. Mellis communis coch. ij. Butyri saliti coch. iij. succi Betæ ℥.j. fiat Clyster.

Eadem præstabit sequens, sed magis abstergendo stimulabit: ℞. quatuor herb. Emollitiuarum (loco brancæ vrsinæ, si non habetur, Atriplicem sumẽdo) Bliti, Spinachiæ, Betæ, Caulium, Lactucæ ana M.j. rad. Altheæ ℥.j. herb. Parietariæ, Mercurialis an. M.ß. Prunorum n.x. sem. lini ℥. ß. sem. Cucurb. conquassat. ℥.ß. (loco iiij. s. frig. mai. quæ ferè rancida sunt) fiat decoctio, & in lib.1. dissolue, Sacchari rub. Mellis Viol. ana ℥.j. (quæ duo præter vim abstergendi etiam putredini resistunt) olei Violarum ℥.iij. vitellos ouorum n.ij. Casſiæ, vel Diaprunis simp. ℥.j. Lariceæ, dissolutę priùs cum vitello oui sec. artem ʒ.ij. (quæ præ cæteris stimulat) Salis parùm, fiat Clyster.

Cùm amplius refrigerandum est, vt in causone, sic parabitur: ℞. herb. Emollit. iiij. fol. Lactucæ, Portulacæ, Semperuiui, Endiuiæ, ana M.j. flor. Violar. Nymphææ, Hordei ana P.j. s. Cucurb. ℥.ß. s. Melonum ʒ.ij. Prunorum dulc. n.x. fiat decoctio, & in lib.1. dissolue Sacchari rub. ℥.j. Mellis violar. ℥.j.ß. Casſiæ ℥.ß. succi Lactucæ ℥.j. Salis parùm, fiat Clyster.

Quòd si verò æger pituitosus sit aut senex, febrisque minùs sit ardens, qualem quotidianam continuam esse putarunt, tunc temperata magis eligenda, & leuiter calida reliquis permisceri possunt, atque abstergentia, propter pituitam, augeri debent, hoc modo: ℞. Maluæ, Parietariæ, Mercurialis, Betæ, ana M.j. Hordei, Furfuris, ana P.j. Passul. Ficuum, ana paria xij. sem. Fœniculi, Carui, ana ʒ.j.ß. flor. Cord. Chamæmeli ana P.j. fiat decoctio, & in lib.1. colaturæ dissolue Mellis ros. Sacchari rub. ana ℥.ij. succi Betæ, vel Mercurialis ℥.j. olei Chamæmel. & Viol. an. ℥.j.ß. Salis parùm, fiat Clyster.

Suppositoria, clysmatum loco, si incommoditas aliqua clysmatum vsum, aut ægri nimia modestia, impediant, vsurpari possunt: quæ tamen stimulando tantùm, vt naturæ fæces protrudat, illas prouocant. Commune sumi potest ex Melle & Sale coctũ: vel aliud aliquod paratu facilè ex Ficubus: vel Vitello oui & Sale, in infantibus.

Exhibita fæces educentia, minoratiua dicta, loco clysmatis venæ sectioni, vel purgationi præmittuntur, varijs formis.

In forma boli sic: ℞. Casſiæ rec. extr. pulpæ Tamarind. an. ℥.ß. cum Saccharo, vel sine eo fiat bolus.

Vel sic: ℞. Catholici, Diaprunis simpl. ana ʒ.iij. cum Saccharo fiat bolus.

In forma potionis, pro delicatioribus: ℞. Mannæ el. ℥.j.ß. dissoluatur cum brodio Ciceru: Et bibat.

Vel: ℞. Prunorum Damaſ. n.x. Passul. enucl. ℥.ß. Dactyl. n. iiij. florum trium Cordial. P.j. sem. Cucurbitæ ℥.ß. s. Melonum conquassat. ʒ.ij. fiat decoctio, dissolue Casſiæ, syr. Ros. lax. simpl. ana ℥.ß. fiat haustus.

In biliosis & calidioribus, sic potest fieri: ℞. syr. Ros. sol. & Viol. ana ℥.j. Caſ. rec. extr. ℥.j. fiat haustus.

Eadem repeti possunt per morbi progressum, si non Clysteribus vtimur, & alvus est constipata.

Vel hoc, quo ego alvum sine noxa apertam seruare soleo: ℞. syrup. Ros. sol. simpl. & Viol. rec. ana ℥.iij. vtatur cum aqua cocta, instar iulepi loco potus: sic enim alvus semper lubrica manet. A cuius tamen vsu, si rugitu & alijs signis fluorem alui metuamus, desistendum est.

In Ventriculo si excrementitij aut crudi humores sint, eadem ratione, leuioribus illis

expurgantur. Præsertim verò quia tunc vomitus vrget, & si bilis in illum feratur, sitis immensa affligit, orisque amaritudo molesta est, natura, vt per vomitum illud quod molestat, eijciat, iuuanda erit. Idque vel actu fauces irritando: vel exhibitis simul vomitorijs leuioribus, quæ relaxando & abstergendo potiùs iuvent, & calorem simul contemperent.

Quale hoc est: ℞. Aquæ tepidæ, poculum vnum, Aceti albi, parùm: Bibat.

Vel: ℞. Aquæ tepidæ, vel Brodij pinguis, cyathum, addendo syrup. Acetos. simp. vel Oxymelitis ℥.j.ß. Olei communis loti à salsedine ℥.j. misce.

Coniunctam causam febris, in sanguine scilicet putredinē, etsi venæ sectio, vt dictum, potiùs educat: tamen purgantibus per alvum, vrinas, & sudores, de illa quoque aliquid euacuare possumus, cùm ex venis quoque per has vias euacuatio fieri queat.

Purgantibus per secessum primùm ferè vtimur, vt non tantùm excrementa intestinorum & ventriculi, vti dictum fuit, eleuantur, sed & illuvies in primis venis, quæ putredini in maioribus venis occasionem præbuit, educatur, & per consequens ex venis ipsis, cùm natura medicamentis sollicitata, etiam ab intimis locis excrementa præternaturalia, quibus grauatur, soleat ad sentinam illam excrementorum protrudere, de causa morbifica aliquid tollatur. Quo nomine statim, vbi intestina abluta, vel expurgata priùs fuerint, post venæ sectionem altero die, vel si ea locum non habeat, eodem, maximè cùm morbus non dat inducias, vel materia iam turget, vbi præparatione longiore opus non est, illa exhibentur. Interdum verò cùm febris diutiùs perseuerat, præmissâ priùs præparatione, dantur. Sed & in progressu morbi purgationes, vti & præparationes ante illas, interdum, sicuti explicabitur, repetimus. A vehementioribus autem & calidioribus catharticis, vel abstinebimus, vel illa sic præparata, ne corpus nimiùm exagitent, vel inflamment, exhibebimus. Et licet Practici in intermittentibus & continuis febribus, non admodùm diuersis remedijs purgantibus vtantur: cùm tamen in intermittentibus, quietis diei causâ, cùm æger tunc à febre liber sit, etiam fortioribus liceat vti remedijs purgantibus, hîc verò cùm febris nunquam desinat, non ita commodè facere queamus: purgantia in continuis febribus moderanda, & pro febris natura sequenti modo varianda sunt.

In causone enim seu summè ardente febre, minùs calidis laxantibus, illisque quæ simul ardorem contemperent, vtemur: Vt ℞. Prunorū Damasc. n.x. Passul. repurg. ℥.j. Sebesten n.xij. Tamarind. ℥.j. Dactylorum n.iiij. trium florum Cord. ana P.j. semin. iiij. frig. mai. rec. ana ʒ.j. sem. iiij. frig. min. ana ʒ.ß. fiat decoctio, addendo, si voles, parùm aquæ Endiuiæ & Lactucæ, vt omnis vitetur caliditas, dissolue Mannæ (quæ hisce commixta non facilè in bilem, vti aiunt, vertitur.) Cassiæ ana ℥.ß. (quæ valde, cùm aliquid etiam aciditatis Tamarindorū instar habeant, conuenit) syrup. Viol. ℥.j. vel syr. Viol. & Ros. ex infus. sem. ana ℥.ß. fiat haustus.

Vel sic, paulò efficacior: ℞. Cassiæ recent. extr. pulpæ Tamarind. ana ℥.ß. el. de succo Ros. ʒ.ij. fiat bolus: vel dissoluatur cum decocto aliquo, vt Hordei, aut iure.

Vel: ℞. el. Diaprunis sol. & de succo Ros. ana ʒ.j.ß. syr. Viol. ℥.j. cum decocto Hordei, vel aqua Endiuiæ, fiat potio.

Quâ sumptâ, vti & post alia diagridiata, syr. Viol. ℥.j.ß. cum aqua Endiuiæ, ad scammoneæ ardorem reprimendum, superbibere possunt: vel post euacuationem factam, illud, ad restinguendum incendium, sumere, aut alia alterantia, vti mox dicetur.

Rhabarbarum propter astrictionem aliqui improbant: quæ tamen minimè in eo est metuenda, præsertim cùm infusum hac ratione datur.

℞. syrupi Viol. ℥.j.ß. ros. sol. sem. ℥.j. Rhabarb. infusi in aqua Endiuiæ, & expres. ʒ.ß. fiat potio.

Vel sic: ℞. Rhabarb. el. ℈.iiij. Spicæ ℈.j. infundantur in aqua Endiuiæ & sero Lactis, & expres. dissolue Mannæ gran. ℥.j. Cassiæ ʒ.vj. syr. Viol. ℥.j. fiat potio.

In synochio putri & in constitutione sanguinea, eadem vsurpari possunt, vti & hoc quod sequitur: ℞. Rhabarb. el. infusi in aqua Acetosæ

Acetosæ & Endiuiæ ℈. iiij. Mirobal. citrin. inf. in sero Lactis ʒ. iij. fiat exp. dissol. syr. Ros. sol. s. ℥. ij. fiat haustus.

In tertiana & biliosis corporibus, à calidioribus & fortioribus, quia facilè diarrhœa sequitur, cauendum quoque erit: vix itaque ad scammoneata, nisi facilè ferant, remedia, descendendum: Proin & supradicta in causone descripta, & quæ bilem maximè respiciunt, hîc conueniunt: Vt ℞. decoctionis florum & fructuum Laxantium, quant. suff. quæ sic eleganter parari potest, ex Prunis num. x. Tamarind. ℥. i. Sebesten. Iuiubar. an. n. x. Passul. ℥. j. Dactylis n v. floribus Violar. Buglos. Borrag. an. p. j. s. Cucurb. ℥. ß. In hoc decocto, infunde Rhabarb. ℈. iiij. Myrobal. citrin. ʒ ij. Spicæ ℈. j. fiat expresio, adde Casiæ ℥. ß. Mannæ ʒ. vj. fiat potio.

Vel sic ℞. syr. Rosar. sol. cum inf. Rhabarb. ℥. j. ß. dissolue cum aqua Buglossæ vel Endiuiæ.

Vel: ℞. syrupi Diasereos (qui multa refrigerantia & deoppilantia recipit) ℥. j. ß. dissolue vt supra.

Vel sic, cùm vrinæ quoque promouendæ sunt: ℞. rad. Cichoreæ, Graminis, Asparagi an. ʒ. ij. infundantur in Vino acidulo, herbarum Endiuiæ, Borrag. Acetosæ ana m. j. Tamarind. ℥. j. florum trium Cord. an. p. j. fol. Senæ ʒ. iij. fiat decoctio & in colatura dissolue syr. Violarum Rosarum sol. ana ℥. j. fiat haustus.

Aut sic: ℞. Diaprunis lenit. Casiæ ana ℥. ß. el. de succo Ros. ʒ. ij. dissolue cum aqua Acetosæ, Buglos. & Viol. fiat potus.

In quotidianis adjiciunt pituitæ educendæ cathartica accommodata: sed cùm hæ febres ob frequentes exacerbationes, vires admodum dejiciant, cautè ijs vtendum, vel supradictis leuioribus potiùs insistendum. In pituitosis tamen naturis: ℞. Agar. troch. ʒ. j. medullæ s. Carthami ʒ. ij. macerentur in Oxymel. & aqua Endiuiæ, Violar. Capill. Ven. exprimantur, adde Catholici ℥. j. fiat potio.

Vel sic: ℞. pilul. Agregat. ℈. ij. cum aqua Endiuiæ, fiant pil.

In quartanis continuis, quæ melancholicis competunt, adjiciuntur, vt ℞. Rhabarb. ℈. iiij. Myrobal. ind. ʒ ij. infundantur in sero Lactis, & expresionem dissolue cum decocto facto ex mercurialis m. j. Epithymi ʒ. ij. & fol. senæ ʒ. iij. addendo, syr. de Pomis redolentibus ad ℥. j.

In progressu morbi, febre perseuerante, antequam status appropinquet; vel si imperfectâ crisi factâ, febris nondum soluta fuerit, rursum aliquid euacuandum: diligenter tamen priùs obseruando, an per alias euacuationes, vt per sanguinis fluorem, vel vrinas, aut sudores, natura excretionem tentet: quòd nisi ante septimum fiat, aut harum euacuationum signa adsint, denuò euacuare, viasq; obstructas aperire, tentabimus.

Idq; hoc modo: ℞. Rhab. el. ℈. iiij. Myrobal. chebul. ind. an. ʒ. j. ß. infundantur in aquis Endiuiæ, Absynthij & pauco Vino albo, fiat exp. diss. syr. Bizantini. Ros. sol simpl. an. ℥. j. vel cum inf. Senæ ℥. ß. fiat potio.

Vel sic: ℞. Diaprunis lent. ʒ. vj. electuarij de succo Rosato ʒ. ij. syrupi Rosati sol. ℥. j. cum aquis supradictis, vel decocto communi.

Aut hoc modo in robustioribus: ℞. pilul. Aggregat. de Rhabarb. an. ℈. j. Aurearum ℈. ß. cum aqua Viol. fiant pilulæ.

In declinatione morbi, si quid residui, sæpè ijsdem purgantibus repetitis educitur.

Præparatio humorum ante purgationem interdum statim in morbi principio, excrementis seu fæcib. priùs expulsis, & in morbi progressu quoq;, si febris perseueret, vti dictum fuit, instituitur. Quæ ex ijs quæ humores calidos ferocientes frigiditate compescunt, tenues incrassant, illorumq; putredinem reprimunt, atq; adhærentes & impactos abstergunt, parantur: ea addendo, quæ simul vias obstructas expediunt, vt sic humores rectiùs per illas, per vrinas, sudores & aluum quoque, educi queant: quæ si simul alterando calorem febris reprimant, & partibus principibus cordi & hepati, quæ duo viscera maximè incaluerunt, appropriata sint, tanto magis iuuabunt. Hæc itaq; secundùm causam, & pro constitutionis ægri ratione, instituitur.

In causone, cùm sit acutisimus morbus, vixque longas concedat inducias, humo-

rem educimus, & summè frigidis, vti dicetur, alteramus.

In synocho quæ in sanguineos incidit, sic humor præparabitur: ℞. syr. de Limonibus, vel de acetositate Citri, Acetos. simpl. Violarum ana ℥. j. ß. aquæ Acetosæ, Endiuiæ, Portulacæ, Buglos. ana ℥. ij. misce: Vtatur per triduum.

Vel sic: ℞. syrupi de granatis, de Limonibus, de Acetosa ana ℥. j. de Nenuph. ℥. ß. aquarum Violar. Nenuph. Lactucæ an. ℥. ij. fiat vt priùs.

Vel ex succis hoc modo: ℞. syrupi de succo Endiuiæ, de succo Plantag. de succo Portulacæ ana ℥. ß. aquarum Endiuiæ, Plantag. Portulacæ ana ℥. ij. syr. de Ribes ℥. ß. Vtatur vt priùs.

In tertiana & biliosis corporibus, eadem conueniunt, quia acida bilem retundunt. Vel sic: ℞. syrupi Acetosa simpl. Oxysacch. Violarum ana ℥. j. aquarum Acetosæ, Endiuiæ, Buglossæ ana ℥. ij. Bibat per biduum vel triduum.

In quotidianis febribus & pituitosis naturis, vti & senibus: ℞. Mellis ros. Oxymel. simp. syr. de Bizantijs ana ℥. j. aquarum Polytrichi, Cichorij, & Graminis an. ℥. ij. misce.

In quartanis febribus & melancholicis: ℞. syr. Viol. Buglossi, Borrag. de Fumaria ana ℥. j. aquarum Portulacæ, Fumariæ, Buglos. Borrag. ana ℥. j. ß. fiat Iulep pro tribus dosibus. Qui, vti & cæteri, puluere Santali, aut alijs aromatizari possunt: vel illius loco post haustum, semper tab. vna Triasantali vel Diarrhod. exhiberi.

Vrinæ & sudores (cùm per hæc natura plerunque causam morbificam iam concoctam & præparatam expellere soleat) promoueri, naturæque in ijs prouocandis suppetiæ ferri debent, remedijs vias aperientibus, & vti vocant, de obstruentibus: quæ & vtrumq; præstare possunt, & quatenus attenuant etiam sudores promouent. Hîc autem potissimùm motum naturæ, an ad vrinas vel sudores vergat, obseruare, & quò vergit eò ducere conuenit. Quod ex vrinis, si illæ crassescant, multam hypostasim habeant, eamq; copiosè & plus ferè quam bibant, mingant, eò naturam tendere, & contrarium eueniat, & sudores eruptionem aliquam tentent, ad sudores potiùs inclinare, cognoscemus.

Diuretica autem aperientia & attenuantia, hîc non calefacere, vel saltē minùs quàm alia debent: aut saltem si illis vtamur, refrigerantibus additis, ne noceant, contēperari.

Quod varijs formis in potu exhibitis, quibus purgantia interdum permiscemus, si aluus constipata, hoc modo, per hoc decoctum perficitur: ℞. radic. Cichoreæ, Graminis ana ℥. j. Glycyrrhizæ, radic. Fœniculi, Petros. ana ℥. ß. herb. Capill. Vend. Endiuiæ ana M. j. rad. Polypodij ʒ. vj. fol. Senæ ℥. ß. s. Anisi ʒ. j. iiij. sem. frig. mai. & min. ana ʒ. ß. fl. Cord. p. j. s. Petrosel. ʒ. ß. fiat decoctio: dissolue in colatura syr. de duabus Rad ℥. ij. Syr. ros. sol. ℥ j. fiat potio pro duabus vicibus: Bibat vnum haustum, & repetat si necesse erit.

Quæ verò non purgant, sed solùm ad vrinas promouendas vsurpantur, per morbi progressum, vnâ, duabus vel tribus vicibus exhibentur. Quibus absolutis, rursum quoque interdum ijsdem purgantibus in progressu morbi iam explicatis, euacuamus: vel, si natura per vrinam & sudores euacuare incipit, omissis purgantibus, ne ab officio eam reuocemus, potiùs, vti mox dicetur, eam refocillabimus.

Decoctum Asparagorum in iure exhibitum, admodum vrinas prouocat: Sicuti & Granatorum succus exhibitus.

Quod & iulepus hic præstat: ℞. syrup. de Bizantijs de Endiuia an. ℥. j. aquarum Endiuiæ, Absynthij, Polytrichi an. ℥. j. Bibat.

Vel si maiore apertione opus sit: ℞. Mellis ros. Oxymelitis symp. syr. Capill. Vend. ana ʒ. vij. aquarum vel decocti Graminis, Asparagi, Cichoreæ ana ℥. j. misce.

Emulsio ad vrinas promouendas à multis commendata, rectiùs sic parabitur: ℞. seminum Cucurb. ℥. ß. s. Melonum ʒ. ij. s. Cucum. Citruli Endiuiæ, Portulacæ an. ʒ. j. contundantur, & cum aqua Endiuiæ extrahatur emulsio, adde syrup. Acetos. simpl. ℥. j. ß. fiat potus. Sed & simplici emulsione, iiij. semin. frig. mai. ad aquosos & serosos humores expurgandos, aliqui vti solent.

Pilulæ

Pilulæ ad hæc præstanda accommodæ hoc modo ex vrinas mouentibus & aperientibus, attenuantibus parantur: ℞. troch. de Rosis, de Eupatorio an. ℥. ß. de Capparibus (in melancholicis) ℈. j. fiat puluis, & cum aqua Apij, fiant pilulæ: Capiat alternis diebus, superbibendo parùm decocti Hordei & Fœniculi.

Aquam Adianti cum decocto Hordei, & rad. Fœniculi, per se exhibet Fontanonus.

Sudores, si natura eò potiùs vergat, vti ferè circa declinationem fit, mouendi: & si natura in illis propellendis deficere videatur, vel etiam antequam erumpant, si eò inclinet, adiuuanda. Ad eos autem mouendos diuretica prædicta remedia, aperiendo & attenuando quoq; conducunt. Vti & potus alij, iulepi, aliaq; quia sudori materiam præbent, vti in alterantibus dicetur, & in præparantibus iam dictum est, id præstant.

Aquæ solæ cùm valde tenues sint, stillatitiæ, affatim exhibitæ in vsu frequenti sunt: quales etiam in Synocho simplici explicatæ fuerunt. Quibus spiritus Vitreoli, vt vocant Chymici, guttam vnam vel duas permiscet.

Inunctio etiam spinæ dorsi & extremitatum, sudores euocat. Qualis hæc est: ℞. oleor. Chamæmel. Anethini an. ℥. ß. ol. Viol. Amygdal. dulc. an. ℥. j. misce: Inungantur manibus priùs Aquâ vitæ madefactis.

Frictio huc referri potest, quæ materiam ad exteriora alliciendo, vt per sudores exhauriatur, vel discutiatur, adiuuat.

Alterantia vsurpanda: quæ calorem febrilem refrigerando & humectando emendantia, morbo contraria sunt: quæ vnà & causæ putridæ calorem & euaporationem retundunt, & simul putredinem emendant; Causæ quoque opponuntur, & per consequens symptomata, quæ à febris calore emergunt, vt sunt dolores capitis, vigiliæ, sitis, inquietudo, &c. emendant. Refrigerantibus itaque & humectantibus vtendum, quæ communis cùm in omnibus febribus sit regula, vt Hippoc. in victu docet, maximè in hisce acutis, tum quia magnus in illis est calor, & causa in sanguine accenso & putri latet, locum habet. Inter quæ acida, cùm putredini simul resistant, id maximè præstant. Additis quæ obstructiones quoque, si illæ adsint, tollant. Hîc tamen non vt in synocha simplici subitò, & affatim est refrigerandum, sed sensim: ne humorum impediatur concoctio, quæ solis refrigerantibus perfici nequit, cùm ipsorum portionem corruptam maturescere oporteat. Hæc itaq; & exhibitis, & iniectis, & admotis sequentibus perficiuntur.

In potu ordinario, Aqua, quia humectat, actuq; refrigerat, & madefacit, eo nomine & sitim compescit, eamq; huius sedandæ causâ ægri maximè appetunt, præcipuè competit. Quæ vel cruda, vel cocta, vel præparata datur.

Cruda, nisi ventriculi imbecillitas, aliúdue suadeat, concedi potest: quam tamen aliqui, antequam humores aliquo pacto saltem concocti sint, exhibere verentur: quod tamen alij non curant. Interdum verò etiam affatim, quantũ quis vno haustu capere potest, ebibita, in causone & Synocho & tertiana, ad magnum illud incendium restinguẽdũ confert: adeò vt aliqui hac ratione, quia sudores superuenire solent, mox à febre liberentur: Dein & ne à calore vẽtriculi mox emendetur, vel vti voluerunt, in bilem conuertatur, affatim bibenda permittitur: & ante concoctionem Auërrores quatuor librarũ mensurâ se exhibuisse, & à morte se hoc modo multos liberasse, gloriatur. Cuius nocumentũ, si sentiãt, vomitus emẽdat, & si eo facto, vẽter calidis integatur pãnis. Sicq; vomitorij vsum quoq; si illud requiratur, pstabit.

Cocta aqua simplex, cùm nihilominus humiditatem suam seruet & grata sit, in stomacho debiliore, quia flatulentiam & cruditatem deposuit, melior est.

Composita interdum datur, additis ijs, quæ vel simul nutriunt, vel putredini resistunt, illiusq; penetrationem iuuant, vel potentiâ refrigerant, vel alioquin eã corrigunt.

Ex nutrientibus potiùs quàm refrigerantibus, vt vulgus putat, est hordeum. Quo nomine Hordei decoctũ vsitatum est, quòd cùm paruam nutriendi materiam conferat, affatim quoq; bibere conceditur. Quod & in exacerbatione, cùm calor ad exteriora iam peruenit, datur.

Panis

Panis in aqua agitatus, ſuccumq; deponens, eamque dealbans, nutritiuam aliquo pacto illam facit.

Amygdalarum in aqua cruda vel cocta contuſarum emulſio, Lac dictum, valde apud Germanos vſitata eſt: quæ tamen, cùm nimiùm alat, & victus tenuis hîc requiratur, non ita vt ad ſatietatem illam bibant, ſicuti ferè faciunt, concedenda, & potiùs alimenti loco quàm ſitis extinguendæ gratiâ, vt in victus ratione dicetur, propinanda. Quòd ſi diluta admodum detur, paucas amygdalas ad menſuram vnam aquę addendo, incommodum hoc minimè adferet.

Putredini reſiſtentia acida plerumque & dulcia ſunt.

Acida cùm ſimul refrigerent egregiè, ijsque ægri ſummopere delectentur, præ cæteris competunt. Quo nomine Aceti guttas aliquot, vt ſic ſe mutuo corrigant, aquæ permiſcet Galenus. Sed & ſucci alij vt Granatorum, hoc modo addi poſſunt. Vinumque granatorum, vinoſorum, muſorum dictorum, plurimùm commendatur.

Syrupi aciduli id præſtant, aquis permixti. Quales ſunt Acetoſus ſim. Oxyſacch. ſ. de Limonibus, de Acetoſ. citri, de Ribes, de ſucco Oxalidis, de Agreſta, de Omphacio, Granatorum, Pomorum & Prunorum acidorum. Omittendo eos qui auſteri ſimul ſunt, qualis ille de Berberis exiſtit: qui tamen, ſi fluxus adſit alui, non inutiles erunt.

Aquæ his permiſcentur, fiuntq; Iulepi: vt aqua Endiuiæ, Lactucæ, (quæ & per ſe ſola affatim quoque bibitur) Cichorij, Acetoſę, quibus & aqua Roſarum, ſi aſtrictio requiratur, addi poteſt.

Dulcia aliqua putredini quoq; reſiſtunt. Atque ex illis Saccharum potiùs quàm mel, cùm facilè in bilem conuertatur, in adultioribus ſi illis delectentur, interdum potionibus miſcetur: ſed quia dulcia plerumque faſtidiunt, potiùs acidodulcibus ſyrupis, vti dictum, permiſcentur. Sed & Paſſularum quoque decoctum in vſu, & aliquibus gratum eſt.

Corrigentia cruditatem in ventriculis debilioribus, quædam addi poſſunt interdum: quorum caliditas, ſi quam habeant, copiâ aquæ euicta facilè deperditur. Inter quæ Cinamomi tantillum, vt odor tantùm ſuauis aquæ concilietur, in ea decoquere, vel potiùs eâ aquam aromatizare vulgatiſſimum eſt. Alij ſemen Coriandri incoquũt: quorum loco radix Galangæ, aliaq; vſurpari poſſunt; Santalum rubrum ſi ſumatur, quod aquæ, vini rubri colorem addit, ad fallendos ægrotantes delirantes, & vinum expetentes, iuuat: præſertim ſi vino Granatorum, vinoſus aquæ odor quoque concilietur.

Inter medicamentoſa alterantia, potiones variæ & iulepi, quales in præparantibus dicti fuerunt, cùm vtrumq; præſtent, humores nimirum & corporis inde natam intemperiem emendent, per totum morbi decurſum eo nomine vſurpari poſſunt.

Quorum tamen formas ſi mutare velimus, hoc decoctum parari poteſt: ℞. radic. Cichorij, Aſparagi, ana ℥. j. herbar. Endiuiæ, Lactucæ, Portulacæ, Hepaticæ, Lenticulæ aquæ an. m. j. fl. Viol. Bugloſſ. Borrag. an. p. j. Hordei p. j. ſ. Cucurb. ℥. ß. ſ. Pſyllij (quod admodum refrigerare creditur) ʒ. j. fiat decoctio, adde Sacchari q. ſ. Aceti parùm, decoquatur ad mediam conſiſtentiam. Capiat ℥. ij. vel iij. per ſe vel cum alio potu.

Vel ſic: ℞. herb. Endiuiæ, Acetoſæ, Cichorij, Hepat. ana m. j. Hordei mundi p. j. fiat decoctio, coletur: adde parùm Aceti in pauperibus, in ditioribus ſyrupos.

Vel ſic: ℞. ſyr. Acetoſ. ſimpl. ℥. ij. mucilag, ſ. Pſyllij ℥. ß. Capiat frequenter tria cochlearia.

Solidiora medicamentoſa admodum reſpuunt ægri febricitantes, eaque, quæ bibere poſſunt, illis ob ſitim gratiora ſunt. Ad variandas tamen remediorum formas, confectionibus ſiccis in forma tabularum, non tantùm poſt iulepos præparantes, vti ſupra dictum, ſed & per reliquum morbi proceſſum, vti poſſunt. Vt tabulis vſitatis Triaſantali.

Vel ſequentibus: ℞. pul. Triaſantali ʒ. j. Diarrh. ℈. j. troch. de Camphora ℈. ß. Coralli rubr. ʒ. ß. conſ. Roſar. Violar. Bugloſ. ana ʒ. ß. Sacchari diſſoluti in aqua Roſ. & Endiuiæ q. ſ. fiant tabulæ: Vtatur frequenter manè &

ne & vesperi: superbibendo aquam Endiuię.

Electuaria mollia ex conseruis facta, non solùm altero die post purgationes ad roborandum & corrigendum calorem à pharmaco conceptum, sed & alio quoque morbi tempore, hoc modo exhibentur: ℞. conseruæ Rof. Buglof. Viol. ana ʒ. ß. cum Sacchard vel rob de Ribes, quo magis delectantur, fiat bolus, quem capiat.

Gratius ægrotanti hoc erit: ℞. conf. Rof. Acetosæ ana ℥. j. carnium Citri, Lactucarum caulium, Cucurbitarum condit. ana ℥. ß. cum syr. de Ribes fiat, elect. Capiat frequenter, superbibendo aquam Endiuiæ, Buglof. & Acetosæ.

Clysteres non solùm cùm constipatio adest, vt ea tollatur, & vt humores ad aluum deriuentur, sed quoque alterationis causâ, injiciuntur. Qui tamen minùs id quàm assumpta præstare possunt, cùm non actu, vt illa quæ sumuntur, hos frigidos injicere tutum sit, nec adeò vti illa ventriculum afficiant: cuius consensu maximè corpus refrigeratur, & sitis extinguitur, idcircò laxationis potiùs nomine quàm refrigerationis vsurpantur. Quorum exempla iam in principio inter laxantia posuimus.

Præcipuè tamen refrigerationis causâ talis injici potest: ℞. Lactucæ, Portulacæ, Violariæ, Maluæ, Semperuiui, ana M. j. Hordei p. j. fl. Cord. p. ij. Cucurbit. ℥. ß. fiat decoctio, adde olei Viol. ℥. iij. Mellis Violar. ℥. ij. Diaprunis simp. vel Cassiæ ℥. j. fiat Clyster.

Cibis alterantia permixta, aut condimenti loco illis addita, vt illi non solùm nutriant & reficiant, sed & refrigerêt, efficiunt: quod & vulgus hac ratione fieri, cùm illis semper cibos velit obtrudere, magis probat, ægri autem in potu fieri potiùs expetunt. Quod hisce modis rectiùs perficitur.

Iusculis eo nomine, Lactuca, Acetosa, Portulaca, Borrago, Endiuia, quæ gratiora præ cæteris sunt, incoquantur: quæ & aluum laxam, præsertim si Spinachia, Melta, aliaque emollientia seu laxantia addantur, seruant.

Formulas in iusculis decoquere solent, quæ tamen gratiam iusculo minimè addũt. Veluti: ℞. seminum Acetosæ, Lactucæ ana ʒ. j. ſ. Melonum ʒ. ij. sp. Triasantali ʒ. ß. Coralli ʒ. j. sp. Diamarg. frig. ʒ. j. ß. fiant formulæ lupinares: coquantur in iusculis.

Condimenta varijs modis in hunc vsum ex Arantiorum, Limonum, Cerasorum, Granatorum, Ribes, Vuæ crispæ, Berberis succis & carne: Vel ex aridis fructibus Cerasorum, Prunorum, parùm decoctione emollitis, quæ valde grata sunt, parantur. Et poma Acida, vti Limonia in taleolas secta, additoque Saccharo, interdum & aqua Rof. condita, laudantur. Reliqua cucurbitacea & cucumeracea, quia facilè corrumpuntur, satiùs est omittere.

Bellaria alia ex succo Acetosæ, Aceto & Saccharo, vti & Portulaca aceto condita, vtilia quoq; existunt, aliaq; multa similia.

Extrinsecùs occurrentia, alterationis causâ vsurpanda, sunt aër quem attrahimus: remediaq; quæ adhibemus.

Aër frigidissimus à natura, vel sic arte paratus, inspiratus, plurimùm alterat, cùm illius actualis & potentialis frigiditas pulmonibus communicata, vicinitatis causâ, magnum cordi accenso adferat, leuamen. Interea tamen etsi sic inspiratione attractus conferat aër, non tamen ad occursum illius corpus subitò denudare & refrigerare ægri (quod tamen maximè, dum ob calorem inquieti sunt, præcipuè dum exacerbationes fiunt, expetunt) debent: idque ne ex subita illa repercussione lædantur, & sudores, præsertim si illi instent, impediantur. Interim tamen ne integumentis nimijs, & præsertim plumeis & pelliceis, corpus magis incalescat, cauendum, quo nomine & lecti linteamina & indusia frequenter mutare: vti & lectum ipsum: plumasq; ex eo auferre, vel puluinari corium insternere, valde iuuat. Vti & si radios solares à conclaui, hominumque frequentiam, ne illis incalescat, auertamus: aëremq; salubriorem intromittamus, meridianum impediamus. Cubiculum Aquâ cum Aceto conspergamus. Floribusq; & herbis frigidis, folijs Salicis, Vitis, Nenupharis, consternamus.

Applicantur extinsecùs alterationis causâ, quæ partes principaliores potissimùm, quarũ causâ præcipuè adeò incaluit, vt cor,

hepar, renes, refrigerant. Sed & cerebrum refrigerantia, idque doloris capitis & delirij causâ, quæ ob illius calorem quoque accidunt, sicuti in symptomatibus dicemus, adhibentur. Vti & illis partibus: quarum magnus cum capite consensus, vt sunt, testes, extremitatesq; corporis, existit.

Cor potissimùm, admotis, vel statim in principio, si ardens sit febris, in alijs verò in augmento & statu primùm, materiâ priùs euacuatâ aliquo modo, refrigerandum erit: cùm ab illius febrili calore concepto, cæteræ omnes partes similares calorem præternaturalem conceperint: additis semper, quę nobilissimum hoc viscus proprietate reficere & roborare possint: & medicamenti vim penetrando ad cor deducere. Quæ in pectore cordis regioni, in forma epithematum, vel vnctionum: & pulsuum quoque in carpo, alijsque vbi sub cute arteriæ se offerunt, regionibus applicantur. Sicque parari possunt.

Epithema cordiale in causone & alijs speciebus, cùm magnum est incendium, subitò adhibendum: ℞. aquarum Ros. ℥. ij. aq. Violar. Bugloss. vtriusque Lactucæ an. ℥. j. Scabiosæ ℥. ß. Aceti rosac. vel de floribus Garyophyl. hortensium ℥. ß. succi Limonum, vel Pomorum acidorum ʒ. ij. pul. Diamarg. frig. ʒ. j. misce: fiat Epithema: Applicetur panno sericeo, qui succo chermes tinctus, & charmesinum dicitur, eo madefacto: actu, si magnus sit ardor, frig. in alijs tepidè.

Aliud epithema admodùm cordiale: ℞. aquarum Ros. ℥. ij. aquæ Acetosæ, Bugloss. vtriusq;, Viol. Nenupharis an. ℥. j. Scabiosæ, Melissæ, Aceti & Vini albi an. ℥. ß. succi Limonum, vel Citri, vel Arant. vel Pomorum odor. acid. ʒ. ij. Santal. omnium ʒ. j. rasuræ Eboris, cornu Cerui an. ʒ. ß. Coralli rub. Lap. prætios. an. ℈. ij. Margar. ℈. ß. Crystalli ʒ. ß. Croci ℈. ß. misceantur, fiat epithema pro corde & pulsibus.

Vel sacculus talis pulsibus in carpo & pedibus quoque alligetur: ℞. flor. Ros. Rub. Violar. Buglos. vtriusque an. ʒ. ß. fiat puluis: adde, pul. Gariophyl. ʒ. ß. Santal. omnium, ligni Aloës ana ℈. j. Croci gran. v. pul. Diamarg. frig. ʒ. ß. misceantur omnia, ligentur in duobus paruis sacculis: irrorentur Vino albo & Aceto, & succis dictis: Ligentur supra pulsus.

Vnguentum pro cordis regione & pulsuum: ℞. olei Viol. Ros. an. ℥. j. mucil. s. psyllij ℥. ß. Galliæ mos. ʒ. j. Camphoræ gran. vj. Croci ℈. ß. succi Limonum ʒ. ij. misceatur.

Hepati quoq; refrigerationis causâ epithemata adhibentur, atq; vnctiones: additis quæ viscus hoc nobile simul corroborent, & quę simul obstructiones, si adsit, aperiant. Hoc enim fiscus in febrib. admodùm quoq; incalescit, & ipsius consensu cæterorum calor etiam augetur vel minuitur.

Epithema admodum refrigerans, ardentibus febribus accommodum sic parabitur: ℞. aquarum Lactucæ, Nenuphar. Solani an. ℥. j. ß. aquæ Ros. ℥. j. aq. Endiuiæ, Cichorij an. ℥. ß. Aceti ros. ℥. j. Camphoræ gran. vj. misce, fiat epithema, applicetur vt moris.

Aliud hepati magis appropriatum, & cùm obstructiones adsunt, vtile: ℞. aquarum Endiuiæ, Hepaticæ, Cichorij, ana ℥. ij. aquæ Rosar. ℥. j. ß. aquæ Lactucæ, Semperuiui ana ℥. j. aquæ Absynthij ʒ. vj. pul. Triasant. Spicæ, Ros. rub. ana ʒ. ß. Aceti ℥. j. troch. Camphoræ ℈. ß. fiat Epith.

Sacculus talis parari potest, idem præstans: ℞. fl. Ros. rub. Viol. & fl. Cichorij ana p. j. omnium Santal. an. ʒ. ß. seminum Acetosæ, Endiuiæ, Portulacæ an. ʒ. j. s. Petrosel. ʒ. ß. Spicæ nardi ℈. j. contundantur: insuantur in sindone rubra, fiat sacculus: maceretur in aqua Endiuiæ & Rosar. & pauco Aceto: Adhibeatur regioni hepatis tepidè.

Vnctio hepatis regionis, post epithematum vsum, ex vnguento Santalino commodè instituitur. Quod & vnguento ex oleo Rosar. & Violar. additâ Spicâ nardi & Cerâ, præstari potest.

Renibus cùm & horum calor in febribus acutis magnus sit, & reliquorum calore augeat, vnguenta talia etiam adhibentur, illisque dorsum & lumbi inunguntur. Quale Vnguentum refrigerans renes est Gal.

Vel quod sic parabitur: ℞. vnguenti Refriger Gal. ℥. ij. ol. Violar. Rosarum an. ℥. j. Aceti ℥. ß. Camphoræ gran. v. agitentur simul, fiat vnctio.

Testes

Teſtes cum renibus atq; vniuerſo corpore, propter vaſa multa ad ipſos deſcendentia, conſenſum habent maximum: ob quam cauſam illis refrigeratis, corporum magnũ incendium ex parte quoq; reſtinguitur.

Quod vt diuerſimodè, ſic & hoc fotu poteſt fieri: ℞. aquarum Plantag. Nymphęæ an ℥. iiij. Aceti roſar. ℥. j. Vini rubri ℥. j. ß miſceantur, & intincti panni actu frigidi teſtibus applicentur.

Extremitatum lotiones frigidæ, ob eundem conſenſum magnum, quem cum reliquo corpore habent, idque propter vaſorum illic ſub cute conuenientium congeriem, vti & neruorum, idem præſtant: & ſomnum ſimul conciliant.

Quarum exemplar hoc ſit: ℞. Lactucæ, Violariæ, Semperuiui, Portulacæ, fol. Vitis, Salicum an. M. j. cap. Papau. n. xij. vel herb. ſi vigiliæ adſint, M. j. Aceti ℥. j. Vini albi menſ. ß. aquæ Fontis q. ſ. coquantur adde Lixiuij parùm ad corroborationem articulorum: Hocq; decocto manus, & brachia, & pedes, & tibiæ, bis in die, vel ſemel ſub noctem, tepidè lauentur.

Iuuat & ſi manibus frigida vt Lapides, Poma, ſimiliaq; retineant.

Virium conſeruatio in febribus continuis acutis ſummè neceſſaria, quas altero oculo, vt docent, ſemper intueri oportet: nam illis deficientibus fruſtra Medicus laborat, cùm naturæ opus ſit, febrem euincere, quâ ſuccumbente, morboque ſuperante, criſis perfecta, fieri nequit: ſed vel imperfecta fit, vel in ea lucta ſuccumbit, ægerq; extinguitur. Conſeruantur autem & viuendi ratione, ſeu vſu decenti aëris, cibi & potus, aliorumq;: dein & medicamentis.

Aër plurimùm eos reficit, ſi præter frigiditatem competentem, vti dictum, liber ſit, & purus: eaq; ratione vires refocillat, & ſimul alterat.

Cibus, vti ſanis & ægris quamdiu viuunt ad reſtaurationem deperditi neceſſarius eſt; ſic & hîc, cùm præſertim corpora vehementer calore exoluantur, requiritur. Sed quia is, vt nutriat, à natura noſtra euinci & concoqui priùs aliquoties debet, eoque nomine naturam cibi exhibitione à morbi materia concoquenda reuocamus, maximè ſi illi copioſum, aut qui ægrè euinceretur, exhiberemus: hanc ob cauſam ille cibus qui ægrum aliquo pacto ſuſtentare queat, atque interim naturæ minimum negotij præbere poſsit, illi debet ſufficere. Talis autem Tenuis eſſe debet: qualem Hippocra. in acutis morbis eſſe voluit. Qualis dicitur, qui parùm nutrit, rariuſque certoque duntaxat tempore exhibetur. Qui tamen ſecundùm magis & minus differens, vel tenuis: vel tenuiſsimus: vel medio modo ſe habens, exiſtit. Interim conſuetudinem, quæ altera eſt natura, diligenter obſeruantes, illiq; aliquid condonantes.

Tenuiſsimus victus, nunc extremè tenuiſsimus eſt, quo in vigore morbi vtendum eſſe docet Hippoc. Quem & ægri ob breue hoc tempus, quo natura in morbo expugnando impedita eſt, faciliùs perferunt: qui aliàs ſi ſummè exquiſitus diutiùs perſeueraret, vt idem ſcribit Hipp. periculoſus eſſet: ob quam cauſam tenuiſsimus quidem, non tamen extremè tunc eſſe debet. In quo tamen minus, ſicuti in eo frequentiùs, quod pleniorem, quàm par erat, exhibent, ſic morbum faciliùs ægrum ſuperaturum vulgo ineptè exiſtimante, peccatur.

Rariùs autem qui exhibetur, tenuiſsimus eſſe dicitur, vt ſemel in die: vel ſi bis detur, pauci tamen ſit nutrimenti.

Parùm nutriens cibus inprimus huc refertur. Vt ſi decoctum Hordei non potus, ſed cibationis cauſâ, bis in die, in ſtatu tantùm morbi, illis propinetur.

Ptiſana veteribus dicta, cùm paulò ſit efficacior, vbi hoc decocto perſeuerare nequeũt, illis conceditur. Quæ cremor, vt nunc vocant, ſeu ſuccus eſt hordei, ex eo excorticato vel mundo, vt vocant, vnde ptiſanæ nomen, decocto paratus. Qui nunc ſpiſsior, nunc dilutus magis, ſi minùs eum nutrire volumus, exhibetur. Qui & ſimul bilis, ſi illa efferueſcat, vti in hiſce febribus fieri ſolet, acrimoniam admodum retundit.

Cuius loco & ſuccus tritici, Amylum dictum, vel Oryza bene cocta, quæ faciliùs digeritur, minuſq; inflat, vſurpari poteſt.

Iuſculo gallinæ, vel pulli, additis inter-

dum alterantibus, vti priùs dictum, nostri vti solent: quòd certè, cum in eo conficiendo natura non adeò occupetur, improbari non omnino potest.

Lac vocatum seu emulsio Amygdalarum, non loco potus, quia nunc nimiâ copiâ ingeritur, sed cibi datum, huc quoque referri potest, cui emulsionem aliorum seminum Frigid. vt melonum, interdum permiscent.

Tenuis verò victus, qui hoc paulò plenior est, dicitur, quo à principio æger (vti quoq; docet Hipp.) vti eoq; tamdiu donec status immineat, (tunc enim sensim iterum detrahendum) perdurare debet, & diebus pluribus aut paucioribus, prout status morbi citiùs, vt in causone & tertiana, tardiúsve in reliquis, aduenit, perseuerare. Sed & cùm acerbatio febris adest, eo tempore & paulo antè, non cibandus erit æger, non tam ob naturæ motum non impediendum, quàm ne calor, quod cibo sumpto solet fieri, vt & in hecticis dicetur, augeatur.

Plenior autē victus, attamen tenuis is erit, tum qui frequentiùs vt bis, térue in die exhibetur, tum is qui solidiorem cibum præbet.

Vti est contusum carnis Pulli alicuius, priùs bene decoctæ, & cum suo iure dilutæ. Vel brodium, in quo hæc diu multumque coxerint.

Oua cùm in biliosis facilè corrumpantur, non temerè exhibenda erunt. Vti & eandem ob causam Lac, quod Hipp. febricitantibus malum esse docet, minimè conuenit.

Panis lotus priùs, cùm iure, huc quoque refertur.

Pruna, Poma, Pyraque, non austera tamen, recentia, vel potiùs aliquamdiu asseruata, aut etiam siccata penitùs (tunc enim in illis succus est laudatissimus, vti nostri omnis generis fructus eiusmodi asseruare solent) cocta, cum suo iure, qui ab aridis instar syrupi spissus coquitur, vtiliter exhibentur.

Quæ reliqua à plantis, exceptis fructibus, sumuntur, alterationis causâ potiùs quàm nutritionis, vt & fructus acidi, vt dictum, vsurpantur.

Vinū præ cæteris omnibus illud est, quod magis reficit: sed non tam ob calorem, cùm si dulce non sit, sed vinosum aut acidulum, tunc minimè corpus inflammet, quàm ob capitis dolorem, quem in hoc affectu consuetum augeret, non, donec hæc remittant, & in declinatione sit febris, cōceditur: Tunc enim & ad vrinarum prouocationem, & reficiendum ægrum, permittitur, vti & conualescentibus. Victus ratio quoque plenior, quæ fit sæpè & paucis nutriendo, cōceditur.

Somnus quoque admodùm vires reficit. Qui tamen à multis toto febris tempore, quo calor ad exteriora vergit, ne per eum ad interiora repat, improbatur. Verùm cùm calorem per somnum ad externa potiùs quā interna rapi, quod somni tempore plus calere & sudare soleant, satis ostendat, eoque nomine, vti & quod sitim sedet, quoq; prosit, non necesse erat hoc quod potiùs iuuat metuere, & ob id à somno eos arcere, sicque magis debilitare: cùm nec per somnum natura ab officio, quòd tunc magis concoctioni ciborum intenta sit, cùm minùs tempore somni, vt alibi ostensum est, concoctio fiat, reuocetur, sed naturæ vis in morbi causa elaboranda minimè cùm dormit, quiescat. Interim tamen in ipsa febris exacerbatione, satiùs est à somno abstinere: & reliquo tempore, habitâ ratione ætatis, consuetudinis, & prout se post somnum bene maléue habent, eum ita regere, ne immoderatus aut intempestiuus obsit. Et si quoq; omnino in somnis sit æger, eum interdum exhibitis admotis prouocare.

Frictiones loco exercitij, quod maius obire nequeunt, viribus aliquo modo excitandis quoque, sed maximè ad causam morbificam tollendam, vt dictum, adhibentur.

Animus fortis, nec nimiùm tristis: inprimis fiducia in Deum, ipsiusque ministrum Medicum, spesque salutis, vel in præsenti, vel futura vita, magnum viribus adiumentum adfert.

Medicamenta quod attinet, restaurantia in alterantibus ijs quæ & simul vires conseruant, iam sunt ex parte explicata. Præter quæ multa alia in syncope, in praxi nostra descripta, præsertim in febribus hisce Syncopalibus dictis, locum habent.

Possumus tamen cùm vires omnino deiectæ

iectæ sunt, sequentem Iulepum exhibere: ℞. aqua Rosſ. Buglosſ. Scabiosæ an. ℥.j.ß. aquæ Cinamom. cum aqua elicitæ, vel etiã vino (nec enim in summa virium prostratione calor illius metuendus) ℥.ß. spec. Diamargarit. frigid. ʒ.ß. colentur, adde Manus Christi perlati ℥.j. succi Limonum ʒ.j. misce: Capiat frequenter cochl.j.

Vel sic: ℞. confect. Alkermes ℥.j. (modo non alui fluor, quem lapis lazuli promouet, adsit) syrup. de Papau. ℥.ß. (qui & ipse reficit) aquæ Cinamom. ℥.ij. aquę Buglosſ. q.s. sumat: addendo interdum parùm Vini.

Externa quæ pulsibus applicantur & cordi, in alterantibus iam recitata sunt.

Symptomata quod attinet, quorum præcipuè etiam ratio habetur, multa ex illis, iam enarratâ curâ, causæ morboq; accommodatâ, quoq; emendantur, alia etiam curam aliquando peculiarem requirunt, qualis in singulis symptomatis in praxi dicta explicabitur, & hîc tantùm summatim, quomodo procedendum, docebitur.

Capitis dolor & quod mox sequitur delirium, quæ potissimùm vrgent, illis quæ causæ & morbo debentur remedijs iam dictis, cùm & vapores quoq; reprimant, & incendium illud in capite contemperent, etiam emendantur. Illorum tamen nomine cùm inualescunt, Venam sub lingua aperimus, & Scarificatione, Cucurbitulis, Frictionibus, reuulsionis causâ vtimur, Topicaq; capiti ab initio repellentia, inde dolorem sedantia, mox discutientia, vt in cephalalgijs ostensum, admouemus.

Vigilias nimias soporiferis, & in summa necessitate narcoticis, vnà cum cordialibus, vt suprà dictum, & refrigerantibus, cùm illa calefaciant, potiùs, capitisque dolorem faciant, exhibitis, corrigimus. Vel si somnus profundus adsit, reuellentibus eum arcere studebimus.

Sitis, quæ maximè vexat, potu actu frigido, acidisque, vti explicatum, emendatur. Quam & multis conditis, quæ tamen propter dulcedinem eam potiùs promouent, sedare conantur. Verùm & somnus, vti dictum, sitim sedat.

Inquietudo frigidis, & potu inprimis mitigatur. Et si aëre externo liberiore & frigidiusculo refocillentur: frequenterq; locum, quem continuò calefaciunt, mutent.

Linguæ, oris, faucíumve inflammationes variæ: inter quas & angina occurrit, in febribus hisce, quas tunc Breune vocant, Ariditas item oris & glutinositas, linguæq; nigredo, quomodo curentur, alibi docetur.

Cardialgia inunctione ventriculi tollitur. Syncopæ, vt in viribus restaurandis iam dictum, prospicitur. Ardores in hypochondrijs, extrinsecùs hepati, renibus applicatis, supra expositis, mitigantur.

Dyspnœæ nomine pectus inungimus.

Diarrhœa, ventri applicitis sistitur: & propinatis illis, quæ astringendo citra calorem, qualis est syrupus Cydon. prosint. Constipationem alui, laxantia dicta soluunt.

Marcor corporis si hecticam minetur, illiúsve metus & suspicio sit, non solùm cordialia in cordis regione, sed & vniuerso pectori epithemata, & vnguenta humectantia applicamus, potionesque cordiales supradictas frequentiùs repetimus, sicuti hæc in hecticæ cura explicabuntur.

Intermittentes putridę febres, sub se compræhendunt Tertianas, Quartanas: Tum simplices, quarum illæ vnum, aliæ duos dies dant inducias: Tum duplices quæ mox altero die redeunt: Easq; vel Exquisitas ab humore simplici, vel Nothas à mixtis humoribus, vel Diuersæ naturæ genitas. Plures enim species harum, vti in causis dictum est, minimè statuimus: cùm reliquę omnes quas alij adijciunt, diuersimodâ humorũ mixtione ab enarratis variantes, & quotidianę quoque ipsorum, vel sub his comprehendantur, vel minimè in rerũ natura inueniantur. De compositis ex intermittentibus & continuis priuatim agemus. *Intermittentium putridarum febriũ curatio.*

Harum autem omnium iudicium certius est quam continuarum. Cùm, vti dictum, tertianæ breuiores sint, si sint exquisitæ, sintq; æstiuales & vernales: Longiores verò nothæ & autumnales. Quartanæ verò omnium longissimæ, autumno incipientes, & per menses sex plerunque perseuerantes: interdum tribus mensibus cessantes, errore nonnunquam ad annum vsque productæ.

Ex duplicatis febribus, singulæ suam naturam seruant.

Sunt autem febres hæ per se minimè lethales: etsi quæ exquisitæ sunt, admodum acutæ existant, cùm ipsarum causa procul à corde in ventre inferiore circa excrementorum sentinam, vti dictum est, lateat, à quo loco meliùs quoq; expurgari potest. Nisi ea in maiores venas translata continuam excitet, quæ dein periculosa est. Fit tamen quoque, si diutiùs febres intermittentes perseuerent, aut frequentiùs infestent, vt visceribus vicinis læsis, hepate, liene, ventriculo, & intestinis, noui inde morbi & grauiora periculosioraque sequantur symptomata, vt colicus dolor, icterus, hydrops, similiaque quæ ob errorem ægri nonnunquam & medici, possunt accidere.

Febrium autem istarum omnium tam tertianarum quàm quartanarum cuiuscunque generis curationem, simul explicabimus, cùm causa non adeò, quod ipsius naturam attinet, quam in vtrisque nos biliosam statuimus: nec loco, quem in vtrisque venas meseraicas posuimus, discrepent. Et si plerique pro diuersitate humorum tam naturalium quàm præternaturalium, quotquot ferè in corpore inueniri possunt & excogitari, singulorum putredini suas accommodantes febres, singulis, vel saltem pluribus, certa curationis capita assignarint: non tantùm tertianis & quartanis, quatenus exquisitæ vel spuriæ, simplices vel duplices sunt (quo nomine & nos ipsarum curationem variare dicemus) separatim singulis curationes præfigentes: sed & tertianis nothis à bile citrina (sic eam, quæ pituitâ tenui & aquâ diluta sit, vocantes) genitis: vel à bile vitellina (sic eam cui crassa pituita permixta sit, appellantes & vtramque tertianam Maioris famæ vocantes) vti & huic tertianæ quam Minoris famæ notham vocant, eamque à bilis cum melancholici succi, vel atræ bilis præternaturali permixtione oriri existimant: item huic quam à bile prasina vel æruginosa fieri dicunt, peculiarem curationẽ accommodantes. Quod & diuersis quartanis faciunt nothis, non tantùm, vti volunt, à fæce sanguinis, sed & bile & pituita adustis ortis. Sed & quotidianæ, quam non saltem à pituita simplici pronatam, sed & à dulci, acida, salsa, vitrea, epialas, lipyrias dictas, & ex illius mistione cũ melancholia vel bile, fieri credunt, singularum quoq; harum specierum, priuatam curationem docent. Eas item quæ ab hisce non alia ratione, quàm quòd graui syncope, vt & continuæ quædã, in paroxysmis ægrum exagitant, & syncopales ob id dicuntur, ac si diuersum constituerent febrium genus, peculiariter quoq; quomodo curari debeant, explicant. Vnde factum, vt tam confusa & multiplex febrium curandarum descripta sit vndiq; tractatio, tamq; varij purgationum pro humorum diuersitatibus, à quibus febres nasci crediderũt, modi sint propositi, quibus scatent integra febrium curandarum volumina: quæ si quis imitari vellet, ægro curam incertiorem redderet, quàm si totum negotium naturæ committeret: quæ per se sola sæpè ad febres sanandas sufficit.

Itaq; curationem omnibus intermittentibus simul accommodantes. Primùm quid causæ summouendæ ratione, euacuantibus moliendum; Et ob morbum alterãtibus efficiendum; Viriumq; restaurandarum causâ, in viuendi ratione obseruandum sit; Deniq; symptomatum grauiorum occasione faciendum: curandi methodum ad singulas interim tertianarum, quartanarumq; diuersitates respecturi, explicabimus.

Euacuantia ratione causæ administrantur, vt ea tollatur vel minuatur: quam in venis meseraicis sanguinem putrem biliosum esse diximus: quæ causa nisi priùs sublata sit, qui volunt alijs paroxysmorum cursum & motum hunc naturæ, per quem portionem illius causæ excutit, impediendo febres sanare, vti maior empiricorum vel indoctorum turba facit, quia causa tunc remanet, grauiores morbos, qui vel cessante febre, vel vnà cum illa superueniunt, vt colicam, icterum, cachexiam, cæterosque inducent. Ergo primùm per euacuantia causa morbi tollenda erit, vnde & morbi calor emendatur, & symptomata mitigantur. Fit autem hoc formis sequentibus.

Sanguinis detractio si fieri posset ex venarum meseraicarum ramis, vbi causam putrem

trem harum febrium latere diximus, sine dubio, quia eam euacuaret, præstantissimum esset remedium: vti in febribus continuis, si rami venæ cauæ aperiantur. Verùm cùm venæ meseraicæ nullibi ad cutem pertingant, nulla ipsarũ sectio, vti venæ cauæ ramorum cutaneas venas constituentium, illic fieri potest. Nec etiam intrinsecùs medicamẽtis exhibitis tutum esset hisce venis reseratis, sanguinem ex illis in ventriculum & intestina emissis per vomitum & alvum, vti tamen natura aliquando sponte facit, educere: cùm talia medicamẽta vehementiora & adurentia esse oporteret: quæ erodendo nõ tantùm venas aperirent, sed & exulcerando dysenterias facerent: vti ex colocynthidis vsu sinistro sæpè factum esse vidimus. Hæc etsi se ita habeant: nihilominus in febribus hisce sanguinem educimus interdum hac ratione.

Hæmorrhoidum fluxus in hisce febribus, non solùm quartanis, vti existimarunt, sed & tertianis reliquisq; omnibus speciebus, plurimùm competit, hasq; febres, etsi longissimæ sint, nec alio artis præsidio sanentur, per fluxum hunc sanari subitò interdum videmus. Nec mirum, cùm venæ hæ venarum meseraicarum rami, causam morbi proximam, si sanguinem effundant, euacuent. Ergo harũ fluxus, si sponte à natura, vt in consuetis ferè fieri solet, concitetur, non est sistendus, & si parciùs fiat, promouendus. Sed & in diuturnioribus febribus, quartanis præsertim, quibus ob sanguinis crassitiem, qui hac ratione meliùs euacuatur, priuatim competere existimant: si naturam eò inclinare præsertim videmus, vel quòd notæ aliquæ sanguinis interdum apparent, vel pruritus in podice sentitur, proritandæ sunt. Quod fit incipiendo à fotibus leuioribus; Sanguisugarũ applicatione, quod omnium est commodissimum: Vel frictionibus cum folijs ficus, caprifolij, sicuti hæc in hæmorrhoidibus explicata fuerunt. Sunt qui eas secando aperiunt, quod tamen, nisi vena manifestò appareat, ne podex vulneretur, cauere oportet, vnde eos summos postea cruciatus passos esse, obseruaui.

Menstrua quoque in fæmineo sexu, si suppressa sint, etsi hæc non vt hæmorrhoides à venis meseraicis, sed venæ cauæ ramis effluant, atque adeò à causa proxima febris nil videantur educere, quia tamen naturalis hęc excretio certo tempore fieri debet, & si impedita sit, collectionis illuviei in vniuerso corpore, causam quoque præbet, vti & hisce febribus, ea est promouenda: vt sic corpus purum reddatur, & eosdem vsus, quos venæ sectionem præstare quoque dicemus, præstet. Præsertim cùm per hanc viam in impuris corporibus natura suam illuviem soleat deponere: & fortè etiam ex venis meseraicis propter vicinitatem venarum hæmorrhoidalium, aliquis fiat ad hanc sedem transitus, quæ venulæ, etsi non ita ob exilitatem pateant, impletæ tamen distendi, vt in reliquis quoque videmus, possint. Ergo menses si non fluant, aut non decenter, promouere eos oportet: quod varijs fit modis. Inprimis verò venâ sectâ, saphenâ dictâ: quæ vel statim menses prouocat, vel illorum materiam exhaurit. Sed & licet priùs ob generalem euacuationem vena secta sit, altero tamen mox die vel sequentibus, malleoli hæc vena nihilominus aperiri debet, vnde sæpè febris mox cessat, vel vt citiùs desinat, vnà cum alijs remedijs adhibita, facit. Sed & purgantia, de quibus postea, vti naturam sollicitando excretiones mouent, sic & menses prouocant, sicuti hæmorrhoides.

Phlebotomia in vena cutanea aliqua patente, aliquando conceditur, aliquando improbatur. Omittenda est enim in tertianis exquisitis, alijsque, quæ vehementi calore ob bilem magis adurentem, vnde hæ febres fiunt, excruciant. Quin & in pituitosis, & senibus, & in reliquis quoq; nõ temerè, vti tamen vulgus facit, potioremq; curationis partem hanc esse iudicat, administranda: cùm enim nihil de causa coniuncta febrium, vti dictum, detrahat, hac ratione iuvare minimè potest. Sed & sæpè sinistrè vel temerè instituta, raptâ materiâ intra venam cauam, ex intermittente continuam facit: vel puriore sanguine ob exhaustos venæ cauæ ramos, ex venis meseraicis retracto, is qui remansit biliosus putrisque, cuius frenum sanguis erat, quo cõtemperabatur, magis ferocit. Vnde plus in febribus venam aperiendo, quàm

eam negligendo (nisi hæc, quòd grauius aliquod symptoma, vt ex sanguine accenso partium internarum inflãmatio metuitur, fiat) peccari obseruaui. Conceditur tamen interdum in plethoricis & cacochymicis, hac ratione. Si summa plethora adsit: quã ex constitutione corporis cognoscimus, & vrinis admodum rubicundis ac crassis, quas potissimùm eo nomine obseruant: & si quoque permanens post febrẽ in corpore calor, non tamen febris adsit, tunc ad summouendam eam plenitudinem, cùm sit naturæ grauis, vti & ad caloris euentilationem, vti in synochis ab accenso sanguine factis diximus, probatur, & in die quietis fieri debet. Licet enim nonnunquam in paroxysmi principio facta, calorem reprimendo, & vapores ascendentes reuellendo, paroxysmum vel impediat aut tardet: quia tamen sic naturæ motus impeditur, quo causæ morbificæ portio excutitur, conuenire minimè potest. Ergo tempore quietis (diligenter illud præsertim in duplicibus febribus obseruando & eligendo) non in morbi principio, sed augmento, vel statu quoq; in tertianis, vix ante tertium paroxysmum vel quartum, qui grauissimus esse solet, mitti debet: prædicendo tamen paroxysmi qui sequetur malitiam, ne venæ sectionis causâ id accidisse putent. Eligendo venam communem, latam brachij, vt tutiùs secari possit: cui magis, quàm vt iecoraria, medianáve eligatur, intendendum. Quantitas autem illius ad ℥.5. 6. 7. vel 8. educenda. In quartanis tamen priuatim in sinistro brachio facta, sed tardiùs, cùm iam aliquamdiu perseuerarint (sunt enim quartanæ ab initio leuiter tractandæ, ne duplex vel triplex fiat, aut vires concidant, quas ob morbi diuturnitatem conseruare oportet) prodesse creditur. Aut si sinistræ manus vena minimo digito proxima, saluatella dicta, secetur, quam singulari quodam modo quartanas sanare credunt. In cachecticis, quia non tantùm sanguis venarum meseraicarũ impurus est, sed & ille qui in venæ cauæ ramis continetur, vel antequam febris incepit (facilè enim impura corpora hisce febribus corripiuntur) vel febre iam vigente, vt tunc quoque aliqua illius portio educatur, venæ sectio, ne febris augeatur, aut noua accedat, conceditur. Etsi emissus sanguis putris quoq; appareat, longiùs fluere finitur, & si crassus & niger in quartanis appareat, maior ipsius quoq; portio educitur: sin minùs, sistitur. Et si necessitas exigat, sæpè reiteratur. Verùm ne bilis, sanguine detracto, ampliùs ferociat, syrupum aliquem refrigerantem, vt de Limonibus, vel Viol. mox post venam sectam exhibere consultum est; vel, vti consuetum, iusculo mox exhibito illud cauemus.

Humorum reliquorum & excrementorum expurgationes in febribus intermittentibus, Crassiorum, per deiectiones, vomitiones: Tenuiorum per vrinas & sudores, instituuntur.

Fæces crassiores expurgantia, & intestina eluentia primum locum habent: tum statim in morbi principio: tum in progressu illius.

In principio ante reliquorum vsum & venæ sectionem, si illa facienda sit, intestina ab excrementis quibus perpetuò scatent, elui debent, tum vt quæ sequuntur remedia reliqua meliùs operentur, tum ne per venæ sectionem, venæ inanitæ excrementa, vti voluerunt, rapiant. Quod iniectis exhibitisq; perficitur.

Iniecta clysmata citiùs id pręstant, & cùm intestina tantùm eluere cupimus, præsertim vsurpantur. Inter quæ ea quoque quæ in febribus continuis descripta sunt, conuenire possunt, si leuioribus vti velimus: cùm plerunque hìc & fortioribus vti liceat. Quæ secundùm morbum & constitutionem sic distingui possunt.

In tertianis & vehementer calidis febribus, sic fiunt: ℞. radic. Altheæ ℥.j. herb. iiij. Emollitiuar. ana M.j. Hordei P.j. sem. Cucurb. ℥.ß. fiat decoctio, dissolu. in lib. 1. ß. Cassiæ ℥.ß. Mellis Violar. ℥.j. ol. Violar. ℥. ij. fiat Clyster cum Sale.

In quartanis verò: ℞. herb. iiij. Emollitiuar. Mercurialis, Betæ ana M.j. radic. Buglos. ℥.ij. Prunorum n. x. iiij. sem. frig. mai. ana ʒ.ij. Epithymi ʒ.ij. sem. Anisi ʒ.ij. fiat decoctio dis. Catholici, Sacchari rub. ana ℥.j. ol. Viol. ℥.ij. ol. Chamomil. ℥.j. fiat Clyster cum Sale.

In pituitosis constitutionibus, & si copia phle-

phlegmatis in intestinis sit, ad potentiùs abstergendum hoc vtendum: ℞. rad. Liquiritiæ ℥.ij. herb. Maluæ, & Betæ cum radicibus, Parietariæ, Betonicæ ana M.j. Hordei integ. Furfuris ana P.j. fl. Cham. Meliloti, Buglossi ana P.j. Agarici ʒ.ij. Ficuum n.x. sem. iiij. frig. mai. ana ʒ.ij. s. Fœniculi ʒ.iij. fiat decoctio, dissolue, Diaphœn. Hierę picræ an. ʒ.ij. Sacchari rub. Melis. ros. ana ℥.j. ol. Violar. Chamæm. ana ℥.j.ß. Salis parùm, fiat Clyster.

Suppositoria loco clysmatũ vsurpari possunt, quibus iteratis eodem die bis aut ter, naturam potentiùs nonnunquam quàm per clysmata operari vidimus.

Quòd si verò mox in prima inuasione ventriculum cruditatibus & excrementis pituitosis aut lentore, aut bile infestari videmus: sicuti ex cardialgia, quæ ferè semper comes est, nausea & desiderio vomendi, cognoscimus: tunc potiùs ante venæ sectionem, vel si illa minimè fieri debeat, mox à principio, minorans dictum damus: vel vomitum, maximè in consuetis, mouemus.

Minorantia dicta, & ventriculum, & intestina à cruditatibus, & excrementis crassis, & humoribus obuijs expurgant: quibus nos, vt inquit Hippoc. corpora ante purgationem fluida facimus. Quæ cum in die quietis dentur, non tam curiosè, vt in continuis, in quibus cùm ea sumunt adhuc febricitant, sunt eligenda. Quæ tamen quoque in tres classes, vti clysmata, distinguimus.

In tertianis exquisitis, vel quando admodum calore sæuit febris: ℞. Casiæ rec. extr. ʒ.x. pulu. sem. Anisi vel Liquirit. ℈.j. cum Sacharo fiat bolus: Capiat per se, vel dissoluendo cum aqua Endiuiæ vel Cichorij.

Vel: ℞. Casiæ rec. extr. pulpæ Tamarind. ana ℥.ß. sem. Anisi ana vt suprà.

Vel: ℞. Casiæ rec. extr. ℥.ß. syrup. Ros. sol. (vel succi Ros.) & Violar. ana ℥.j. cum aqua Cichorij & Bugloss. fiat potio.

Vel: ℞. Prunorum Damascen. n.x. Tamarind. n.xij. decoquantur in iusculo vel aqua, donec omnia dissoluantur, exprimatur ius & bibatur.

Paulò efficacius hoc est: ℞. Rhabarb. ℈.iiij. Spicæ ℈.j. infund. in aqua Endiuiæ & exp. diss. Casiæ ℥.ß. syr. Ros. sol. ℥.j. fiat potio.

In quartanis, melancholicis & diuturnis febribus: ℞. Casiæ ℥.j. pul. Epithymi ʒ.j. Sacchari q.s. fiat bolus, vel dis. cum aq. Buglossi.

Vel. ℞. Epithymi ʒ.ij. decoquatur in iure, adde Mannæ gr. ℥.ij. Bibat.

Vel: ℞. Prunorum n.x. Dactyl. n.ij. Epithymi ʒ.ij. fl. Cord. ana P.j. fiat decoctio, diss. Catholici ʒ.vj. syr. de floribus Persicorum ℥.j. fiat potus.

Fortius hoc erit: ℞. confect. Hamech. ʒ.j.ß. Cathol. ℥.ß. diss. in aquis Buglos. & Fumariæ.

In pituitosis constitutionibus eadem dari possunt, & paulò quoq; fortiora: Vt ℞. Catholici ℥.ß. Diaph. ʒ.ij. cum saccharo fiat bolus.

Vel: ℞. Dactylorum n.v. Prunorum n.x. Passul. paria x. Ficuum n.iiij. rad. Liquirit. ℥.ß. fiat decoctio, dissolue Diaphœnic. tab. Diacarth. ana ʒ.j. Bibat.

Si pilulas malint: ℞. pilul. de Agar. vel de Rhabarbaro, vel si leuiores, Masticinarum ℈.ij. fiant pilulæ.

Validiores hę sunt: ℞. pilul. Aggregat. ʒ.ß. cum syr. Ros. sol. fiant pilulæ.

Vomitus cùm per superiora, & crudam materiam, vel lentá pituitosam, quæ in ventriculis febricitantium interdum, non tanquam causa coniuncta, sed tanquam redundantia excrementorum, hæret, & biliosam quoque, si illa motu febris ad ventriculum concitetur, excutiat, plurimùm alleuat, & nonnunquam febrem mitigat, & proin minoratiui vices obit. Qui tamen, si constipatio adsit, nisi priùs aluus soluatur, promoueri minimè debet: vti hoc mox, quando eodẽ remedio febrilem causam coniunctá quoq; euacuari posse explicabimus, ostẽdemus. Vbi & remedia vomitum conciliantia adijcientur: in quibus à leuioribus incipiendum est.

Purgatio humorum per cathartica, quæ naturam iam validiùs vrgent & stimulant, vt sic à venis meseraicis materia putris febrium educatur, instituitur. Per quam, sensim semper aliquid demendo, vt sic febres mitigentur, & tandem penitùs cessent, efficimus. Cæterùm in hac ritè facienda, priùs crassioribus excremẽtis, vti dictum, eductis, humores ad purgationẽ præparari, posteaq; euacuari debent. Quæ duo & statim in principio peragenda erunt: nisi materia morbi

tam sit copiosa, vel adeò turgeat, vt sponte iam exitum quærens, præparatione minimè opus habeat. Tunc enim naturæ motus statim exhibito purgante medicamento iuvandus. Sed & nisi febris remittat, sed longiùs perseueret, per morbi quoq; progressum ad præparationes & purgationes rursum redeundum. Quòd si nec sic cesset, tertiò & in summè pertinacibus & longis febribus, quartò quoque repetendum erit.

In principio itaque hoc modo præparare & purgare conuenit. Præparatio humorum in febribus intermittentibus, æquè ac continuis necessaria: eoque magis, cùm materia hîc in venis meseraicis latens, putris, maiori præparatione concoctioneque opus habeat, & ne vlteriùs putrescat, putredo sit inhibenda, viæque aperiendæ; vt sic ex venis illis in intestina per cathartica rectiùs propellatur. Quæ vt meliùs operentur, hypochondria, dum his vtuntur, ol. Chamæmel. Vino albo permixto aliqui inungere iubent. Hæc pro ratione febris & corporis constitutionis distinguenda quoque erunt.

In tertianis & acutioribus febribus, ad calorem contemperandū, putredinem arcendam, bilis feruorem extinguendum: ℞. syr. Acetos. s. Oxysacch. s. ana ʒ.vj. syr. Endiuiæ, Viol. an. ℥.ß. aquar. Endiuiæ, Acetosæ an. ℥.iij. misce fiat iulep: Capiat per triduum.

Vel sic: ℞. syr. de acetos. Citri, vel Limonibus ℥.j. syr. de Endiuia, Viol. an. ℥.ß. aquarum Endiuiæ, Lactucæ ana q.s. Capiat ter.

In pauperibus: ℞. Sacchari ℥.ij. Aceti albi ℥.ß. decoctionis Hordei & Endiuiæ ℔.j.ß. succi Ribes vel Pomorum admodum acidorum ℥.j. decoquantur, despumentur: Bibat tribus vel quatuor vicibus.

Vel fiat decoctum sequens: ℞. rad. Cichoreæ, Dentis leonis cū toto an. M.ß. herb. Endiuiæ, Lactucæ, Hepaticæ, Acetosæ an. M.j. flor. Viol. Buglos. an. P.j. 4. s. frig. mai. an. ʒ.j. fiat decoctio & in ℔.j.ß. dissolue syr. Acetos. s. Oxysacchar. s. ana ℥.ij. vel vini Granat. acid. & vinosorum ℥.iiij. misce: Capiat quatuor vel quinque vicibus.

In tertianis longis, nothis, & cùm adsunt obstructiones: ℞. Oxymel. s. ℥.j. syrup. de Endiuia, de Cich. s. an. ℥.ß. aquarum Capill. Ven. Endiuiæ, Cichorij ana ʒ.j. fiat syrupus: Reiterando per vices tres vel quatuor.

Vel: ℞. Oxymel. compos. syr. de Cichor. compos. ana ℥.j. syr. Capill. Ven. ℥.ß. aquarum Endiuiæ, Capill. Ven. ana ℥.ij. misce: Reiterandum vt dictum.

Vel: ℞. rad. Cichoreæ, Graminis, Asparagi, Plantag. ana ℥.j. rad. Fœnic. Petros. an. ℥.ß. herb. Endiuiæ, Cichorij, Dentis leonis, Capill. Ven. Hepaticæ an. M.j. Betonicæ M.ß. iiij. s. frig. mai. ana ʒ.ij. s. Endiuiæ, Portul. ana ʒ.j. s. Fœniculi, Anisi, Petros. ana ʒ.ß. Hordei P.j. Prunorum acid. n.vj. fl. Cord. ana P.j. fiat decoctio, diss. in ℔.j.ß. Oxymel. sem. ℥.iij. fiat Iulepus aromatisatus ʒ.j. Santal. Pro tribus vel quatuor vicibus.

Pro pauperibus: ℞. aquæ Mulsæ mens.ß. Aceti albi q. s. vt acidulum fiat: Bibant, vt dictum.

In quartanis sic præparandum, in principio morbi, dum adhuc calor febris magnus est: nam si diu perseuerauerint, calor diuturnitate debilitatur: ℞. Oxymel. s. syrup. de Bizantijs ana ℥.j.ß. de Fumaria ℥.j. aq. Buglos. Borraginis, Lupul. ana ℥.iij. misce pro tribus vicibus.

Vel sic: ℞. syr. Acetos. compos. de Bizantijs, de Buglos. an. ℥.j. aquarum Fumariæ, Buglos. Borrag. Endiuiæ ana ℥.iij. misce.

Vel hoc decocto: ℞. rad. Buglos. Rusci, Asparagi, Cichoreæ, macerat. in Vino albo an. ℥.j. rad. Fœnic. Petros. an. ℥.ß. Liquir. ʒ.vj. cort. Tamaricis ℥.ß. herb. Buglossi vtriusq;, Capillarium, Chamædr. Chamępyth. Beton. ana M.j. fl. Cord. Genistæ ana P.j. Passul. purg. ab acinis ℥.ij. Prunorum n.x. s. quatuor Frig. mai. ana ʒ.ij. s. Cuscutæ, Petros. Endiuiæ ana ʒ.j. Cicerum rubr. P.j. fiat decoctio, dissolue syrup. de Bizant. ℥.ij. Oxymel. sem. ℥.iij. fiat apozema pro tribus vel quatuor dosibus aromat. ʒ.j. Cinamomi.

Purgatio deinde, vel statim non concocto humore si turgeat: vel concocto priùs, vti dictum, exhibenda: eâq; sumptâ, horis aliquot si necesse sit, Lauativum ex aqua seu decocto Hordei vel Iusculo cum saccharo Ros. dandum. Et sequenti post eam die confortatiuum, vt dicetur, exhibendum.

In Tertianis exquisitis, & breuioribus, & arden-

ardentioribus, & duplicatis febribus, minùs calida, vel mitiora vsurpanda sunt, hoc modo: ℞. Rhabarbari el. ℈.iiij. Spicæ gr.vj. Myrobal. citrin. confric. oleo Amygd. amar. ʒ.ij. infundantur in aqua Endiuiæ, priùs parùm irrotata Vino, & post horas duodecim exprimantur, addendo syrup. Rosſ. sol. simpl. ℥.ij. ſ. Viol. ℥.j. Bibat.

Alia: ℞. Caſsiæ rec. extr. ℥. ß. el. de Succo Roſ. ʒ.ij. ſyr. Roſ. ſol. ſimp. & de floribus Perſicorum an. ℥.j. cũ aq. Endiuiæ vel Viol. miſce.

Tertia: ℞. Hordei P.j. Prunorum n.vj. Iuiub. Sebeſten an. n.x. Tamarind. ℥.ß. fl. Cord. P.j. Senæ ʒ.ij. fiat decoctio, diſſolue in colatura Mannæ gr. ℥.j. ſyr. Diaſereos vel Roſ. ſol. cum infuſ. Rhabarbari ℥.j. fiat potio.

In tertianis & quartanis nothis, longis, & in pituitoſiore conſtitutione, Potio: ℞. rad. Cichor. ℥.ß. Liquiritiæ ℥.j. flor. Cord. P.j. Prunorum n.x. radic. Polypod. ʒ.vj. ſemin. Carthami ℥.ß. ſemin. Aniſi ʒ.j. Senæ ʒ.iij. fiat decoctio, diſſolue Rhabarb. infuſi in vino albo & aqua Endiuiæ, æquis partibus ʒ.j. ſyr. Diaſereos ℥.j. fiat potio.

Alia: ℞. Rhabarb. ʒ.j. Spicæ ℈.ß. infuſa in Vino albo & aqua End. Agarici ʒ.j. cum zingib. gran. vj. infuſi in Oxymel. exprimantur: adde Mannæ el. ℥.ij. fiat potio.

Tertia: ℞. Cathol. ℥.ß. Diaph. el. de ſucco Roſ. ana ʒ.ij. aqua End. & Beton. fiat potio.

Pilulæ: ℞. pilul. Aggregat. ʒ.j. cum Vino albo odorato fiant pilulæ.

Puluis: ℞. Rhabarb. el. ʒ.j. Cinamom. ℈.ß. Turpet. el. ℈.ij. zingib. ℈.j. fol. Senæ ʒ.j.ß. fiat puluis: Detur cum iure Cicerum.

In quartanis ab initio non ſunt fortiora vſurpanda, cùm adhuc vehementer æſtuent, Potio: ℞. Rhabarb. ʒ.j. Myrobal. Ind. confricat. ʒ.ij. Spicæ, Cinamom. an. gr.v.j. Epithymi ʒ.ij. infundantur in ſero Lactis, fiat expreſsio: diſſolue ſyrupi de floribus Perſicorum ℥.j. vel de Pomis redolét. compoſ. Rond. qui helleborum recipit ℥.j. fiat potio.

Alia: ℞. flor. Borrag. Bugloſ. Viol. ana P.j. Ceterach veri M.j. ſum. Thymi & Epithymi ana ʒ.ij. rad. Liquirit. ℥.j. Paſſul. Sebeſten an. n.x. ſ. Aniſi ʒ.ij. ſ. Cuſcutæ ʒ.j. radic. Polypod. ʒ.vj. Senæ ℥.ß. Tamar. ℥.ß. cort. Myrob. Ind. ʒ.ij. fiat decoctio: diſſ. in ℥.iiij. col. ſyr. de floribus Perſicorum vel Roſ. ſol. cum inf. Senæ ℥.j. vel de Pomis redol. fiat potio.

Tertia: ℞. Catholici ℥.ß. vel ʒ.vj. vel illius loco Diaſenæ tantundem, quæ in quartanis admodum laudatur, Confect. hamech ʒ.ij.ß. ſyrup. de Bugloſſ. de Fumaria ana ℥.j. aquæ Bugloſ. q.ſ. fiat potio.

Vomitus etſi obuia tantùm prima fronte educere videatur, & ſic ventriculum euacuare, is tamen ſæpè, naturâ motâ, ſiue à principio fiat, & poſtea in morbi progreſſu, cauſam coniunctam illam bilioſam è venis meſeraicis egregiè excutiens, febrem mitiorem reddit, vel penitùs tollit: atque ea ratione febres interdum mox curantur, vel ſi diuturnæ ſunt, vt quartanæ, & poſt multas purgationes non ceſſent, interdum repetitis vomitionibus per duos tréſve dies, ſanatur. Quod & ſæpè, ſi magnâ copiâ bilis per violentas vomitiones, quod tamen non adeò tutum, reijciatur, accidit: cùm materia bilioſa febrilis in venis meſeraicis contenta, ſicuti cùm circa inteſtinorum venas hæret, per purgationes tandem euocatur, ſic ſi in ſuperioribus, circa ventriculum, venis meſeraicis lateat, vomitionibus, vel pluribus, vel magnis educitur.

Probatur idcirco in omnibus febrium intermittentium ſpeciebus vomitus, maximè ſi nauſea, cardialgia, vti ferè fit, adſint & vomere conſueti ſint, nec alia, inter quæ & ventris cenſetur cõſtipatio, impediant: cùm, niſi ea priùs laxetur, vomitus noceat, aluumque magis, niſi vomitoria ob violentiam illam moueant, ſupprimat. Hunc tamen dum cruditas adhuc eſt, in ventriculo, quod in quotidianis accidere putant, aliqui improbãt, nec volunt vt vomitus ante ſeptem vel octo dies prouocetur: tutiusq; concitari, ſi ſigna concoctionis adſint, docent, & pituitæ cauſâ incidentia vt oxymel. ſcyll. vomitorijs permiſcent: in quo, cùm pituitam febris cauſam proximam minimè eſſe poſſe oſtenderimus, nimis ſollicitè laborare videntur. In quartanis plures vomitu, quàm ferè alio medicamento, liberatos ſcimus: vnde vomitum radicem curæ febriũ Auicen. vocauit. Tempus autem vomitioni aptum interdũ dies quietis eſt. Debetque ieiuno ventriculo ſi facilè

vomant, fieri: sin minùs, ventriculo cibis pleno: idq; præsertim, si cibum adhuc vt in progressu quartanæ & tertianæ sæpè fit, sumere possint. Tunc & antequam vomant, vel iusculum Pisorum, aut Cicerum, aut Pulli affatim bibant. Raphanos & alias radices esuales, Caules, Pisces salsos, ad abstersionem comedant, vinumque dulce bibant, & paruo post tempore vomitum actu vel potentiâ irritent. Sed & in principio accessionis vomitus factus, & aliquoties, cùm paroxysmi incipiūt, repetitus, plurimùm iuuat febrisq; inde mitior vel breuior fit, citiusq; cessat.

Proritatur autem leuioribus minusq; irritantibus, cùm debiliores sunt, & calor non magnus existit: fortioribus verò in diuturnis febribus, vt quartanis, & pituitosis, ventriculis, qui validissima ferre possunt. Quod sequentibus perficitur.

Actu si irritentur fauces digito vel pennâ, vomitio rectiùs succedit: quod & sine vomitorio exhibito in consuetis ad vomitum mouendum sufficit: quando priùs cibo impleto, vt dictum, stomacho: aliàs post vomitoria exhibita hæc irritatio vomitum promouet; præsertim si post sumptum vomitorium, quartâ horæ parte, iuris Pulli scutellam superbibat, posteaque fauces irritet & vomat.

Vomitoria autem læuiora hæc sunt: ℞. aquæ Endiuiæ poculum, Bibat affatim, & digito in fauces intruso vomat.

Vel: ℞. Oxymel. simpl. (quod omnes in omnibus speciebus probant) ℥.j. vel ℥.j.ß. aut ij. vel iij. aquæ, vel Communis, vel Pluuiæ, vel decocti Hordei, insignē portionem: Bibat tepidè.

Vel: ℞. Oxymel. s. ℥.ij. aquæ decoctionis Mellis, & seminis Raphani ℥.vj. Bibat.

Item: ℞. aquæ Nucum viridium cum Aceto destillatæ, Bibat ℥.iij. & vomat.

Vel: ℞. flor. Chamomil. ℥.j. Anthos, & Anethi ana ℥.ß. fiat decoctio in aqua stillatitia, vel decocto Raphani: Bibatque initio. Quo multos liberatos fuisse testatur Rond.

Decoctum Lapatij, Atriplicis, & Portulacæ alij probant.

Vel: ℞. seminum Atriplicis, Anethi, Raphani ana ℥.j. fiat decoctio in aqua, dis. Oxymel. succi vel scyl. (si crassus in ventriculo sit humor) Bibat.

Fortiora hæc sunt: ℞. semin. Erucæ, Porri, Raphani an. ℥.ß. s. Atriplicis ʒ.ij. rad. Azari ʒ.j. fiat decoctio, diss. Oxymel. simpl. ℥ ij. Bibat.

Azari seminis, & radicis, & Genistæ seminis decoctum magni facit Rond. addito Cinamom. & Macere, decoctioneque in Vino factâ, vt vult Diosc.

℞. rad. Palmæ Christi ʒ.j.ß. Detur cum Vino Maluat. illius puluis.

℞. Azari cum radic. ℥. ß. coquatur, decoctumq; propinetur.

Vel: ℞. Phaseolorum p.ß. seminum Atriplicis, Anethi, & Raphani an. ʒ.iij. Calamenti sicci ʒ.j.ß. fiat decoctio, & in ℥.iiij. dis. Oxymel. succi vel scyl. (si crassa pituita in Ventriculo) ℥.j.ß. fiat potio.

Stibio alijsq; fortissimis exhibitis, vt Helleboro albo, plurimi fuerunt restituti: tunc enim immēsam copiam serosi humoris cum bile citrina vel porracea vomunt, fitque magna è venis meseraicis à natura, quæ tunc admodum irritata est, euacuatio. Sed quia non caret summo hæc vis periculo, non temerè in quibusuis, sicuti alibi diximus, propinari hæc, vt Empirici faciunt, debent.

Repetuntur, si febres perseuerent, altera vice per aluum expurgationes, pro diuersitate febrium variantes, hoc modo.

In tertianis exquisitis & duplicibus & acutioribus, corpore purgato, si nō cessent: satis erit Clysmate deinceps ventrem laxum seruare, & naturam aliquo pacto, vt è venis meseraicis portionem huc excutiat, sollicitare. Quo nomine clyster supradictus repetendus, vel alter magis stimulās inijciendus.

Vel sequens altero, vel tertio die dari poterit: ℞. Hordei, Cicerum ana p.j. Maluæ, Violar. Bliti, Betæ, Atriplicis ana m.j. fl. Chamæmel. p.j. sem. Anisi ʒ.j. fiat decoctio, dissol. Mell. Viol. Sacchari rub. an. ℥.j.ß. ol. Viol. ℥.iiij. vitellum Oui n.j. Salis parùm, fiat Clyster.

Purgans quoque si febris non cessat, sed leuius, exhibendum. Veluti ius in quo Melta, Violaria, Spinachia, Malua, ebullierint. Vel potiones ex Rhabarbaro, Casia, vti supra dictum, repetendæ.

In nothis, & longis febribus præsertim, de nouo

de nouo præparare & purgare oportet. Idq; vel repetitis supra dictorum præparantium purgantiumq; formulis: easque cùm variæ illic explicatæ sint mutando, ita vt nouas hîc adjicere non sint necesse.

Inprimis verò hîc ea quæ simul & præparant, & vias & materiam, & simul euacuant, laudantur, si aliquoties illis vtantur, & postea nihilominus adhuc validiore medicamento purgentur. Quæ varijs formis vsurpantur.

Apozema hoc illud præstabit: ℞. radic. Cichorij, Asparagi, Graminis, ana ℥. j. ß. rad. Lapatij, Acetosæ, ana ℥. j. radic. Petros. Fœniculi ana ℥. ß. Liquiritiæ ʒ. vj. herb. Endiuię, Cichorij, Acetosæ fol. rot. Capillarium, Bugloss. ana M. j. Betonicæ, Pinpin. an. M. ß. iiij. s. frig. mai. ana ʒ. ij. Anisi ʒ. j. ß. s. Fœniculi ʒ. j. Cord. ana p. j. flor. Chamæm. p. ß. Prunorum, Sebesten an. n. x. Tamarind. ʒ. vj. s. Carthami conquas. ℥. j. ß. macerentur radic. in Vino acidulo, postea omnia decoquantur in aqua, & in colatura feruida adhuc q. s. infunde Agaric. troch. ℥. ß. fiat iterum leuis decoctio, in fine addendo Myrob. citrin. Rhabarbari el. ana ℥. ß. & in fine aromat. Cinam. ʒ. j. Spicæ ℈. j. dissolue syr. Rosar. sol. ʒ. iij. miscendo. Vtatur alternis diebus, diu continuando: poculum vnum, augendo vel minuendo dosim, prout prima potio operabitur, bibendo.

Potest media illius pars addito plus Sacchari vel syrupi, ad formam syrupi, vt diutiùs conseruari citra corruptionem possit, decoqui. Et cùm aliquoties Apozemate vsus est, syrupo dein vti. Et si totum apozema ad formam syrupi coquatur, tunc per se, vel cum aquis conuenientibus, vel decocto Hordei, aut Cicerum, aut cum Iusculo vnciç illius aliquot exhiberi.

Ante cuius vsum, donec ille paretur, vel illius etiam loco, syrupus vsualis Diasereos, vel de Rosis sol. cum infus. Rhabarb. dari potest.

Infusio in vino facta, nostro sæculo, quo absynthite vino pleriq; delectantur, ægrotis magis grata esse solet: cùm & absynthiũ plus quàm quoduis aliud, senæ tetrum odorem reprimat, & vnà cum vino, purgantiũ, quam ventriculo adferre solent noxam; corrigat: & vinum cùm aperiendum simul est, suâ vi penetrandi, illud egregiè promoueat, cuius & calor, si vinosum præsertim sit vinum, aut dilutum, cùm illud tantopere non calefaciat, exigua hæc illius quantitas, eius vsum impedire minimè poterit.

Quod ad aperiendum & laxandum sic parabitur: ℞. rad. Cichor. ℥. j. ß. rad. Graminis ℥. j. rad. Petros. Fæniculi an. ℥. ß. rad. Ireos ʒ. ij. herb. Absynthij ʒ. iij. Chamæd. Chamępit. Capill. Ven. an. ʒ. ij. fol. Acetosæ, Hepaticæ, Eupatorij Mes. an. ʒ. ij. fl. Cord. an. ʒ. j. seminum Anisi ʒ. j. s. Petros. ʒ. ß. fol. Senæ ℥. j. ß. conquassentur omnia, adde Rhabarb. ʒ. iij. cum Spicæ ℥. ß. in nodulo ligati: Agar. ʒ. 4. cum Zingib. ℈. j. similiter ligati, affunde Vini albi vinosi parum diluti atque Endiuiæ lib. v. (quia bonam portionem absorbet materia) stent & per noctem infusa, & manè bulliant parùm in duplici vase, sensim refrigescant: Vtatur vti de apozemate dictum fuit. Et ne corrumpatur, quod post dies aliquot interdum fit, rursum calefaciendo post triduum vel quatriduum, cauetur.

Electuaria vsualia ad hosce vsus, si qui illis delectentur, sic parari potuerunt: ℞. Cassiæ fist. rec. ext. ℥. ij. pulpæ Tamarind. extr. cum aqua Endiuiæ ℥. j. ß. Mannæ gran. ℥. j. Catholiconis, Diaprunis simpl. elect. Lenitiui ana ℥. ß. Rhabarbari el. infusi in Vino albo donec mollescat ʒ. ij. Spicæ ℈. j. Senæ ʒ. j. ß. irroratæ priùs Vino, Cinam. s. Anisi ana ʒ. ß. syrupi de quinque Radicibus & de Cich. cum Rhabarb. an. q. s. fiat electuarium: Capiat prima vice ℥. ß. experiundi causâ, postea augeat sensim dosim: idque alternis diebus, vel per se, vel, si mauelit, liquore aliquo dissolutum.

Pilulæ vsuales, horum loco, hæ sumi possunt: ℞. Agar. troch. ʒ. ij. Turbith. ʒ. j. zingib. ℈. j. Rhabarb. elect. ʒ. iij. Spicæ ℈. ß. Diagrydij, præpar: cum succo Ros. ℈. j. extracti Absynthij ʒ. j. cum syrupo de Rosis sol. cum infusionibus, fiat massa: Capiat tertio die vel alternis: à ʒ. ß. incipiendo: manè ieiunus, parùm syr. Viol. diluti aquâ Endiuiæ superbibendo.

Hisce aliquamdiu si vsi sint, nec febris re-

mittat, & non nimiùm hæc remedia per vices vsurpata ægrum purgando fatigarint, rursum paulò fortioribus, hac portione purgabitur: ℞. rad. Liquirit. ℥. j. Passul. ℥. j. ß. Prunorum num. vj. Tamarind. ʒ. vj. sum. Thymi ʒ. j. Polypod. Senæ ana ℥. ß. s. Carthami ʒ. vj. s. Anisi, Fœniculi ana ʒ. j. fiat decoctio, infunde Rhabarb. el. ℈. iij. Spicæ ℈. ß. Agar. troch. ʒ. j. ß. fiat expresſio, dissol. Diaph. ʒ. j. ß. fiat potus.

Vel: ℞. el. de succo Ros. Diaphœn. conf. Hamech an. ʒ. j. ß. syr. Ros. sol. cum inf. fol. Senæ ℥. j. dissolue in vino Abs. & aqua Endiuiæ, fiat potio.

Vel hisce pilulis: ℞. pilul. Aggregat. de quinque gener. Myrob. Sine quibus an. ℈. j. cum Vino albo od. fiant pilulæ n. viiij.

In quartanis, perseuerante morbo, cùm sit admodum diuturnus & pertinax, interdum quiescere etiam per mensis vsque aliquando spatium, oportet: postea rursum concoquendo & purgando hac ratione procedendum.

Præparatur humor tenax & crassus biliosus & fæculentus sanguis hoc modo: ℞. syr. de Fumaria, de Epithymo an. ℥. j. syr. Viol. Endiuiæ an. ℥. ß. aquarum Buglos. Fumariæ, Endiuiæ an. ℥. j. ß. arom. Santal. citr. Bibat per 5. vel. 6. dies.

Ineunte Vere cùm herbę haberi possunt, aut adhuc circa autumnum, sic præparari potest: ℞. Buglossi vtriusque sum. Lupul. Fumariæ, Cirsij an. M. j. recent contundantur addendo Aceti ℥. ij. exprimatur succus, addendo, succi Pomor. redol. ℔. j. Sacchari q. s. misce: Vtatur per vices.

Purgetur postea vel eodem vt supra, vel validiore adhuc, quàm in principio factum est, medicamento: ℞. Prunorum Damasc. n. x. Pass. Iuiub. Sebest. an. n. xij. fl. trium Cord. P. j. s. Anisi ʒ. j. fiat decoctio in aqua & vino albo, infunde Myrobal. citr. Ind. confric. ol. Amygd. dulc. an. ʒ. iij. Rhabarb. el. ʒ. j. Spicæ gran. vj. Senæ ℥. ß. Epithymi & summitatum Thymi an. ʒ. j. ß. fiat expresſio, dissolue syr. Ros. sol. s. ℥. j. ß. Catholic. ℥. ß. cont. Hamech ʒ. j. fiat potio.

Vel hisce pilulis: ℞. pilul. Aggregat. de quinque generibus Myrob. Turbith puluerizati an. ℈. j. Zingib. gran. v. cum Vino albo fiant pilulæ.

Vt verò simul præparetur & purgetur materia, tale fiat apozema: ℞. rad. Asparagi, Graminis, an. ℥. j. ß. rad. Apij, Petros. an. ℥. j. Liquirit ℥. ij. cort. rad. Cappar. Fraxini, Tamaricis, Sambuci, an. ℥. j. macerentur omnia in Vino albo, herbar. Borrag. Buglos. cum toto, Adianti, Polytrichi, Ceterach veri ana M. j. Chamæd. Chamæpythios, Betonicæ an. M. ß. Mercurialis recent. M. j. vel aridi M. ij. fl. Cord. Anthos, Genistæ an. P. j. seminum Anisi, Petros. an. ʒ. ij. s. Cuscutæ, Fœnic. an. ʒ. j. iiij. s. frig. mai. an. ʒ. ij. Passul. ℥. ij. Prunorum n. x. fiat decoctio, in colatura infunde rursum s. Carthami contusi ℥. j. ß. rad. Polypod. ℥. iiij. fol. Senæ ℥. ij. Agarici troch. ʒ. iij. Myrobal. Ind. Citrin. confricat. ol. Amygd. dulc. an. ℥. ß. Epithymi, summit. Thymi an. ʒ. iij. stent in infus. feruenti: atque in fine parùm bulliant, dein colentur, adde succi Pomorum redol. vinosorum quartarium j. Sacchari quartarium j. ß. fiat apozema: vel decoquendo ad spisſitudinem iustam, syrupus, arom. ʒ. ij. Cinamom. Vtatur per vices, ab ℥. j. ad plures, vt dictum priùs de alijs, vel per se, vel dissoluendo cum sero Caprino, vel aqua Buglos. Borrag. &c. procedendo.

Vini infusio ex ijsdem fieri potest: quæ & æquè, vti dictum conueniens: contemperando interim parùm vinum, si nimis potens sit: & addendo absynthium: cùm vina amara magis, secùs ac decocta, placeant.

Minùs itaque operosa talis fiat ex aridis sequentibus infusio: ℞. rad. Graminis, Cichorii, Petrosel. Fœniculi an. ℥. j. cort. Tamaric. Sambuci an. ℥. ß. herbar. Absynth. Chamæd. Chamæpit. Betonicæ, an. ʒ. j. Fumariæ, Linguæ ceruinæ an. ʒ ij. flor. Cord. an. P. j. Epithymi, sum. Thymi an. ʒ. ij. s. Anisi, Fœniculi an. ʒ. j. s Petrosel. Coriand. ana ʒ. ß. radic. Polypod. sicci, Senæ an. ℥. ij. Agarici ʒ. iij. zingib. ℈. ß. affunde Vini albi, vel meri, vel diluti q. s. vt supereemineat, maceretur: coquatur, vti de priore dictum, & vtatur. Non aromatisatur autem, cùm minùs crudum propter vinum sit, & absynthij odor præualere debeat.

In for-

In forma electuarij sic fieri potest: ℞. Catholiconis ℥. j. Diasenæ sol. conf. Hamech. an. ℥. ß. medul. s. Carthami bene pistatæ ʒ. vj. Turbith puluerizati ʒ. ij. Zingib. infusi in Oxymel. ℈. j. fol. senæ mund. subtiliss. pul. ʒ. ij. ß. s. Anisi ʒ. ß. syrupi de Epithymo q. s. fiat electuarium: Capiat per vices, per se: à ʒ. vj. incipiendo: vel cum sero Caprino dissolutum.

Vel pilulis his vtatur: ℞. Myrobal. Ind. Citr. confricat. ol. Amygdali. an. ʒ. j. Rhabarb. el. ʒ. ij. Turbith ʒ. j. ß. Thymi, Epithymi an. ʒ. j. Senæ ʒ. j. ß. Tartari ℈. j. zingib. Spicæ an. gran. vj. irrorentur omnia sero Caprino, donec mollescant, dein cum syr. de Epithymo fiat massa: Capiat ℈. ij. augendo dosim, prout necesse erit.

Pilulæ ex Agarico, cum succo Eupatorij veri, & pauxillo Spicæ, in quartanis commendantur.

Hisce si aliquandiu vsi fuerint, mox postea, vel pauco post tempore iterum purgandi erunt: & tertiò quoque, si perseueret febris, cura hoc modo, vti dictum, erit repetenda: quietem interim & inducias interpolatis vicibus ægro concedendo.

Sed & clysmata per morbi progressum vsurpata plurimùm competunt, ad materiam è venis meseraicis continuò prouocandam, & ne aluus constipetur, vti ex decubitu, & propter calorem, & inediam fieri solet, cauendum. Quorum exempla in principio, ex stimulantibus & aperientibus parata, proposita fuerunt.

In melancholicis febribus tale sæpè injici poterit: ℞. herb. Emollitiu. an. M. j. Melissæ, Fumariæ, Buglossi vtriusq; an. M. ß. Mercurialis, Thymi an. M. j. ß. fl. Chamæm. Meliloti, Genistæ, Sambuci an. P. j. s. Carui ʒ. j. s. Lini, Fœnogræc. an. ʒ. ij. Furfuris P. j. ß. Cicerum P. j. fol. Senæ ℥. j. fiat decoctio, dissol. Mel. Viol. & Anthos. an. ʒ. ß. conf. Hamech. Bened. lax. an. ʒ. ij. ol. Violar. & Chamæm. an. ℥. j. ß Salis parùm: fiat Clyster.

In nothis febribus, & pituitosis corporibus, tale enema vsurpari potest: ℞. rad. Liliorum, Altheæ an. ℥. j. Liquiritiæ ℥. j. ß. herbarum Emollit. Atriplicis Mercurialis, Melissæ, Betonicæ an. M. j. Ficuum ping. P. vj. s. Anethi, Fœniculi an. ʒ. j. s. Carthami contusi ʒ. vj. fol. Senæ ʒ. x. fl. Chamæm. Sambuci, Anthos an. P. j. fiat decoctio dissol. in ℔. j. col. Catholici, Diaphœn. an. ʒ. ij. Hieræ Gal. ʒ. iij. Mellis, Sacchari rubr. an. ʒ. j. olei Violar. Liliorum, Chamæmel. an. ℥. j. Salis parùm, fiat Clyster.

Inedia ad euacuationes quoque pertinet: per quam, cùm non tantùm, ne noua causa accedat, impediatur, sed & ea quæ in venis meseraicis congesta est, ab intestinis & ventriculo rapiatur, febres quoque aliquando cessare possunt. Vti non solùm Thessalus suâ triduanâ inediâ febres curabat, sed & Empirici quoque nostro sæculo idem facere conantur. Verùm cùm per omnimodam cibi abstinentiam bilis admodum ferociat, & partibus enarratis, à quibus rapitur, ventriculo præsertim & intestinis, etiam si se substantiæ ipsorum insinuet, vnde colicam prodire alibi docuimus, incommodet, grauioresque sæpè morbos excitet, non temerè inediâ, in qua omnino nihil sumunt, cùm sic etiam sudores & vrinæ impedirentur, febres sanare conabimur.

Tenuium humorum expurgationes, cum sero & ichoribus, per ea quæ per vias vrinę, vnà cum vrina, aut per sudores cum sero, aut insensilem transpirationem euacuant, fiunt. Quæ quidem si priùs materia, quæ febres facit, purgatione aliquousque detracta, aut crassior illius portio ablata fuerit, remanente adhuc tenuiore illius parte, & ichoribus; si per dictas vias euacuent, febres hasce sanant, materiam eam quæ residua est, per vrinas aut sudores, (cùm vnà cum sero quaquauersum excrementa corporis ferri possint) euacuando. Quod natura sponte ferè facit, & per has vias, tum plerunque cùm iam concocta & ad excretiones habilis facta est, expurgat. Quam & Medicus naturæ minister imitari, eoq; tempore, quando signa concoctionis apparent, vti & circa declinationem, vt si quid remansit, tollatur sequenti modo, præmissis, vti dictum, purgantibus, per vrinas, sudores, & insensibilem transpirationem, excretiones instituere debet.

Per vrinas itaq; euacuantia remedia habita

bitâ ratione febris, partim præparantibus, vti supra dictum, permiscemus: partim illis, purgatione iam factâ, circa declinationem vtimur.

In tertianis breuioribus & acutioribus, leuiora & quæ minus corpus accendant, exhibemus. Vt cùm in iusculo semen Melonum cum Ciceribus rubris, additâ radic. Petroselini decoquimus, illisq; vt manè per aliquot dies bibant, propinamus.

Quod & decoctum teneritatum Asparagorum, Ceruisia bibita, vel emulsio quatuor ſ. Frig. mai. cum lacte Amygdalino, inter potum data, præstant.

Vinum Granatorum vinosorum dictorũ, medij saporis, valde vrinas bibitum mouet.

In tertianis nothis & longis febribus eadem competunt, & his quoque validiora. Vt decoctum Pulli cum rad. Petrosel. & Fœniculi, Borragine & Ciceribus: Alijsq; in victus ratione explicatis.

Vel hoc: ℞. Cicerum rub. p. j. Hordei p. ß. Liquiritiæ ℥. j. Passul. ℥. j. ß. rad. Fœniculi, Petros. an. ℥. ij. ſ. Melonum & Cucurb. ana ʒ. ij. fiat decoctio in iure Pulli macro: Vtatur aliquot matutinis.

Vel sic: ℞. decocti Hordei cum rad. Fœniculi ℔. j. adde syr. Capill. Ven. ℥. ij. misce.

Fortius hoc modo, si calor non metuatur, parabitur: ℞. rad. Rusci, Asparagi, ana ℥. j. radic. Fœniculi, Apij, Petros. ana ℥. ß. radic. Azari ʒ. j. herbar. Endiuiæ, Hepaticæ, Capill. Vend. ana M. ß. Hyssopi tertiam partem M. j. seminum Fœniculi ʒ. ij. iiij. ſ. frig. mai. ana ʒ. iij. Cicerum P. j. fiat decoctio, adde Sacchari q. ſ. vel Mel in senibus, Aceti tantillum: Vtatur.

Decoctum ab aliquibus valde probatum: ℞. summit. Absynth. ʒ. ij. Cicerum rubr. ʒ. vj. coquantur: Bibat patiens ℥. iiij. post inunctionem dorsi, vt infrà dicetur.

Anethi decoctum cum Ruta & Melicrato: vel decoctum Hyssopi, idem præstat.

Aquæ Gentianæ, Absynthij, Centaurij: vel Graminis, Asparagi, Apij, Petrosel. Ligustici, Valerianæ horum loco vsurpari possint.

Pilulæ in obstructionibus magnis ad vrinas mouendas accommodæ hæ sunt: ℞. troch. de Absynthio de Rosis, de Eupat. ana ʒ. j. cum aqua Gentianæ fiant pilulæ: Capiat ʒ. j. diebus aliquot continuis, superbibendo decoctum Cicerum rubr. sem. Melonum & rad. Petroselini.

Vinum dilutum album tenue, vrinas mouet, & circa declinationem eo nomine conceditur.

Sed & medicamenti loco infusio in ipso facta, sic vsurpari potest: ℞. radic. Fœniculi, Asparagi ana ℥. j. herb. Absynthij, Hyssopi ana ʒ. j. ß. fl. Chamæm. Anethi ana ʒ. ſ. Fœniculi ʒ. j. infundantur in mens. j. Vini, & dilutum aquâ coctâ vel præparatâ, vel elicitâ, vt dictum, bibat.

In quartanis longis, cùm diu durarunt, leuiora iam descripta, atque illis adhuc fortiora quoque, cùm non magnus amplius sit calor, conueniunt: Vt ℞. Liquirit. Passul. ana ℥. j. radic. Petros. ℥. j. ß. radic. Azari ʒ. j. herb. Adianti, Polytrichi, Ceterah, Hyssopi, ana M. ß. Lupul. P. j. ſ. Asparagi ʒ. iij. ſ. Fœniculi ʒ. j. Melonum ʒ. ij. Cicerum rub. P. j. fl. Chamæmel. ʒ. j. ß. fiat decoctio in ℔. vj. aquæ: adde vini Granat. ℥. iiij. Sacchari q. ſ. Bibat aliquot matutinis.

Vinum maximè quartanarijs confert, quare dilutum datur.

Vti & hæc infusio: ℞. herb. trium Capillarium an. M. j. Hyssopi M. ß. fl. Cham. P. ß. rad. Fœniculi, Apij, an. ℥. j. radic. Azari ʒ. ij. ſ. Fœniculi ʒ. j. ſ. Cuscutæ ʒ. j. ß. fiat infusio in Vini mens. j. Vtatur, vt suprà.

Pilulæ supradictæ quoque, vel tales competunt: ℞. troch. de Absynt. de Eupat. de Rhabarb. an. ʒ. j. cum syr. de Byzant. fiant pilulæ: Capiat vt suprà dictum, cum iure Cicerum, in quo radices decoctæ sint.

Sudorum prouocatio, si eò maximè tendat critica excretio, vt naturæ motus iuuetur, & in declinatione ad residuum expellendum conuenit. Quod sequentibus præstabitur: inter quæ, ea quæ leuiora sunt, si non sudores mouent, saltem per insensilem transpirationem euacuant.

Frictiones eo nomine, tum ante paroxysmum duabus horis, tum in principio paroxysmi, cùm incipit calere, vt vapores discutiantur, & calor per totum corpus dispergatur,

tur, competunt. Quæ si validè fiant, sudores quoque promouent.

Abstergere sudorem frequenter, sudores validiùs prouocat.

Aqua cocta cum pauco vino exhibita, sudores elicit. Sed & sola affatim bibita, sudores potenter promouet. Vnde qui ægris potum adeò interdicunt, eosque siti ferè enecant, cùm sic minùs sudent, & corpus ipsorum valde inflammetur, vnde hectica faciliùs sequitur, temerè illos affligunt.

Aqua Buglossæ bonâ quantitate bibita, sudorem potenter elicit, & præsertim in quartanarijs vtilis est. Vti & aliæ aquæ, vt Fumariæ, Scabiosæ, Cardui benedicti illis appropriatæ sunt.

Decoctum sequens ad sudores eliciendos laudatur: quod & vrinas mouet: ℞. Hordei P.j. rad. Apij, Petros. Rusci, Asparagi, Vrticæ ana ℥.j. rad. Ireos, Enulæ an. ℥.ß. baccarum Lauri n.xij. fl. Anethi, Chamæmel. ana P.j. Pulegij, Calamenti an. M.ß. sem. Cymini, Anisi, Fœniculi, Citri an. ʒ.j. bulliant in multa aqua: Vtatur frequenter.

Theriaca quoque eo nomine exhibetur: Vti & alia: Quæ in ijs, quæ paroxysmos impediunt, explicabimus.

Inunctio spinæ ex oleis relaxantibus, aliaque illic quoq; describenda, idem præstant.

Balneum in quartanis longis, tum quia sudores prouocat, tum quia simul humectat & reficit, vtilissimum est. Proin & actu humidum ex Aqua dulci paratum esse debet: in qua nonnunquam Hordeum & herbæ emollientes, humectantes, coquuntur. Quo in die quietis, vel saltem quinque horis ante aduentum paroxysmi, actu non nimis calido, vti debet. Et post illius vsum, corpore priùs absterso, propinataque Mithridati vel Diaborraginati an. ʒ.j. in lecto sudare, superdormireq;. Quo pacto multi à febre quartana diuturna liberati fuerunt.

Alterantia, morbi caliditati & siccitati resistere, atq; idcircò refrigerare & humectare in genere debẽt: ea quoq; illis quę causę putridæ resistunt: & vias aperiũt obstructas: viresq; roborant, permiscendo. Quę cùm non adeò inter se differant, non secundùm febriũ genera, sed formas potiùs distinguemus.

In potu quicquid eo nomine ægrotantibus exhibetur, cùm illis sit gratiùs, hac forma potiùs illis alterando subueniendum: quâ non solum delectantur, sed & refocillantur.

In Paroxysmo autem quia magis sitiunt, id præstat Aqua cocta, si cruditas timetur: vel cruda, vt in continuis dictum est: vel in qua Hordeum coquitur, quæ tamen, si multùm hordei addatur, quia multum nutrit, in paroxysmo improbatur. Nec dum in paroxysmo postquam rigor desijt, à potu adeò, vti ferè fit, arcendi sunt, cùm sicuti & Fernel. testatur, & Ioubertus in paradoxis, æger calore accensus & sitibundus, si diutiùs sitim perferat, & sic incendio non subueniatur, eò faciliùs corporis colliquatio, calore solidas corporis partes inuadente & depopulante, sequatur: & sudores quoque, sicuti priùs dictum, qui à potu materiam desumunt, hac ratione impediantur, qui frigido potu copiosoque promouentur. In quo tamen ne nimiùm & affatim refrigerando, subitanea hac mutatione, viscera lædantur, vnde hydrops, sicuti in quartanis nonnunquam ob hoc peccatum accidit, facilè sequitur, moderatio quædam adhibenda erit: idque præsertim si ventriculus à frigido potu offendatur: tunc enim non tam largam, nec nisi correctam aquam concedimus. Consuetudine non neglectâ interim, & prout illa fuerit, potum augentes minuentésue.

Extra paroxysmum verò si corpus minùs biliosum sit, aut calor febrilis non adeò vehementer corpus accenderit, sed illud integrè ad se solutâ accessione redeat: Vinum dilutum aquâ communi vel Buglossi in quartanarijs præsertim, & in nothis febribus, tenue, acidulum, quod nullo pacto accendere, cùm potiùs refrigeret, potest, conceditur: cùm & sicuti dictum vrinas quoq; moueat, & vti dicetur, vires interim conseruet. Quo nomine & tunc in ipso calidiora quædam, vt Hyssopum & Gal. iubente Piper: alij Gariophyllos, decoquunt. Alij Ceruisiam, cùm vrinam moueat, propinant.

Sed & extra paroxysmum & in paroxysmo, potentiâ refrigerantia, & humectan-

tia, præsertim in calidioribus febribus, visceribusque appropriata, sequenti formâ liquidâ, in potu quoque, exhibentur: ℞. Aquæ Endiuiæ, Acetosæ, Buglos. an. quart. j. vini Granat. ℥. ij. Sacchari q. s. fiat Iulepus: vel potest addi syrupus acidus, si bilis ferociat, vt de Pomis acidis, vel Ribes, vel Acetos. s. aut Oxysacch.

Vel: ℞. Aquæ coctæ mens. j. syrupi de Limonib. vel de acet. Citri ℥. ij. Viol. ℥. j. misce.

Vel vtatur hoc syrupo Acetoso appellato: ℞. Aquæ ℔. x. Aceti ℥. iiij. Sacchari ℥. iiij. decoquantur, & bibat.

Iulep Alexandrinum, ex aqua Rosar. & Saccharo, prodest. Aliaque multa in siti suo loco explicata: inter quæ succus Portulacæ valde laudatur à Dioscorid.

Electuaria mollia & solida variis modis dantur.

Post cathartici assumptionem, sequenti die ad roborationem hoc detur: ℞. conf. Ros. Viol. an. ʒ. j. pul. Triasant. ℈. ß. cum Saccharo fiat bolus.

In nothis & quartanis: ℞. conf. fl. Borrag. & radic. Buglos. an. ʒ. j. cort. Citri condit. ʒ. ß. pul. Diamarg. frig. ℈. ß. misce.

Vel: ℞. Theriacæ ʒ. j. conf. Buglos. ʒ. ß.

In paroxysmo etiam electuaria pro siti dantur, quæ tamen, si dulcia nimis sint, sitim potiùs excitant. Alterationis tamen causâ talia fiunt.

Electuarium siccum: ℞. conf. Rosar. Buglos. an. ℥. j. carnium Citri condit. cort. Citri condit. an. ʒ. ij. rub. de Ribes ℥. ß. spec. Diamarg. ʒ. ß. Sacchari Ros. tab. q. s. fiat mixtura.

Vel hæc mixtura: ℞. confer. Ros. rob de Ribes, Cerasorum acid. condit. Prunorum acid. cond. an. ℥. j. conf. Bugloss. ℥. ß. misce: Capiat tempore sitis.

Per morbi progressum sic alterandi & corroborandi erunt, tabulis: ℞. spec. elect. Triasant. duplicato Rhabarbar. ʒ. j. Diarrh. alb. ℈. j. Diamarg. frigid. ℈. ß. conf. Rosar. & radic. Buglos. an. ʒ. j. Sacchari dissol. in aqua Ros. & Endiuiæ: cum pauco Aceto, si calor adsit, fiant tabulæ: Capiat intermediis diebus, in die quietis.

Saccharum Rosar. tab. per se & cum aliis permixtum valde commendatur, vti & manus Christi vocatum & tabul. Triasantali & Diacorallium.

Aliæ tabulæ in quartana & melancholicis: ℞. spec. Diarrhod. Triasantali ana ʒ. ß. Diamoschi ℈. ß. sp. Lætitiæ Gal. ℈. ß. sacchari diss. in aqua Ros. & Bugloss. q. s. fiant tab.

Mollia electuaria sic vsurpantur: ℞. conf. iiij. fl. Cord. an. ℥. j. conf. Scolopend. Capill. Vend. Cirsij an. ℥. ß. cort. Citri condit. ʒ. ij. spec. Diarrhod. Diatrag. frig. Diamarg. frig. an. ℈. j. cum syr. conf. cort. citri.

Vel: ℞. Diabuglossati, Diaborragin ana ℥. j. Lætitiæ Almans. ʒ. ij. spec. el. de Gemmis, Arom. ros. an. ℥. ß. cum syr. de pomis.

Vel in melancholicis: ℞. iiij. conf. Cordial. an. ℥. j. spec. Cord. pro cibo, frag. Lap. pretiosorum, Margarit. an. ℈. ß. adde si vis ad formam folia Auri, cum syr. de Ribes & Cerasorum acidorum, vel de Pomis acidis, qui mirè gratus, fiat electuarium.

Pilulæ valde à quibusdam ad refrigerandum commendatæ: ℞. troch. de Camph. ℈. ß. cum Aceto fiant pilulæ: Capiat ℈. ß.

Clysteres supradicti laxantes per morbi progressum vsurpati, alterationis quoque vsum præstant.

Cibi alterationis causâ humidiores, vt & in continuis dictum, quoq; vsurpantur.

Carnes humidiores: Vt sunt iuniorum quadrupedum, vituli lactantis, porcelli, hædi, pullorum, elixæ potiùs, exhibentur. Item piscium saxatilium, quos Pipere in quartanis, aliis tamen de causis, condiunt.

Oua sorbilia, nisi facilè, vt in biliosis ventriculis fit, corrumpantur, conueniunt.

Vuæ suspensæ aliquamdiu valde ægros recreant. Rapæ laudantur à quibusdam. Vti & Persica, & Pepones.

Panis lotus cum iusculo datur. Et cremor Hordei.

Iuscula, Lactucâ, Borrag. Bugl. (inprimis in quartanis) Endiuiâ, condiantur: & aqua Buglossi brodiis permiscetur.

Condimenta ex Agresta & Aceto, Cappa. Oliuis, bene à sale ablutis, vtilia sunt: vti & nostrum compositũ quod Gumpiſt vocant.

Confectiones item fructuum acidorum: Et fructus hi recentes, nisi quid obstet, vel siccati potiùs, rursumq; emolliti.

Acetaria

Acetaria ex Lactuca cum Aceto, & pauco Oleo. Item radic. Cichor. parùm cocta, cum Aceto & oleo comesta, prodest, vel teneritates ipsius.

Aër frigidiusculus vt & in cõtinuis dictũ, naturâ talis, vel arte paratus eligendus.

Epithemata hepati refrigerationis causâ, vbi magnus calor, hoc modo applicantur: ℞. aquarum Cichor. Endiuiæ, an. ℥. iiij. aq. Absynth. ℥. ij. Santali citrin. Ros. an. ℈. j. Spicæ ℈. ß. aceti Ros. ℥. ß. fiat epithema.

Postea vngatur cerato Santalino, oleo Viol. lotis aq. frig. an. ℥. j. Spicæ ℈. ß. misce.

Pro corde epithema hoc conuenit: ℞. aquæ Rosarum ℥. ij. aq. Borrag. Bugl. an. ℥. j. aq. Melissæ ℥. ß. aceti Ros. ʒ. vj. spec. Cordial. vel Diamarg. ʒ. j. Croci ℈. j. misce.

Postea vngatur regio cordis vel pulsuum sequenti: ℞. Ther. ʒ. ij. vnguenti Nenuph. citrini ʒ. j. succi Limonum ʒ. ß. Croci, Camphoræ an. gran. v. fiat linimentum.

Renes, si incaluerint, refrigerationis causâ inunguntur: ℞. mucilag. s. Psyllij, extractæ cum aqua Ros. ℥. j. Santal. ʒ. ij. Camphoræ ℈. ß. olei Ros. Viol. ana ℥. j. Ceræ albæ q. s. fiat vnguentum.

Balneum alterationis causâ & non tantùm ad sudores mouendos, vti superiùs dictum est, in quartanis, humectando, ex humectantibus paratum commendatur: quod tamen extra paroxysmum, iam diu perseuerante morbo, tutiùs adhibetur. Licet vulgò in febribus intermittentib. omnibus madefacere adeò metuant, vt si vel iuxta flumina aut fontes ambulent, recidiuam se pati sibi persuadeant: eoq; nomine, ne qui à febre liberati sunt, pontes transeant, aut nauigia cõscendant, aut supra terram nouiter cultam ambulent, vehemẽter anili superstitione cauent: cùm tamẽ madefactio illa in febrib. illis diuturnis calore nõnihil remittente, p̃sertim si corporis adsit consumptio non im p̃betur.

Virium conseruationis causâ, vt æger, si acuta præsertim sit febris, non succumbat, vel si diuturna, sufficere possit, viuendi ratio recta, per decentem victum, aërem, somnũ, exercitia, instituitur.

Aër purus & liber esse debet, & nonnunquam odoratis efficax, fieri.

Cibus & potus, quatenus nutritionis causâ instituitur, Tenuior in genere, in febrium omnium intermittentium principijs esse debet. In quibus famem & sitim primâ septimâ tolerare multùm ad curam facere Auicen. docet. Et si diuturniores sunt & chronicæ, vti nothæ, & quartanæ, & in tribus primis septimanis parciùs viuant, citiùs sanantur. Inde verò, vti & si bilis efferuescat in tertianis & quartanis, cùm inediam ægrè ferant, plenior conceditur.

In accessione ipsa, ne natura in morbificæ materiæ concoctione impediatur, néue calore præternaturali cibus corrumpatur, febrisque augeatur, cùm & cibo sumpto corpus magis incalescat, vt in hecticis priuatim fieri solet: cibum ferè subtrahimus. Quo tempore & potum nutrientem ex decocto multi Hordei paratum, vti priùs dictum, improbant, nosq; eo nomine lac amygdalinum, spissius præsertim, quod tamen tantopere vsitatum est, longè minùs concedere possumus. Interim tamen si biliosus & valde attenuatus vel raræ texturæ sit æger, ne bilis ferociat, aut hectica sequatur: etiam in paroxysmo nonnunquam aliquid cibi, vti & pueris ob consuetudinem, permittitur.

Extra verò paroxysmum, in biliosis, in declinatione febris, ægri cibandi erunt: & rursum ante inuasionem paroxysmi, horis duabus vel tribus. In longioribus verò febribus, vt quartanis, die accessionis totâ, si ieiunent, consultum erit: cibusq; horis sex vel septem ante paroxysmum, vel tanto tẽpore, vt priùs concoctio, antequam paroxysmus inuadit, absoluatur, exhibeatur. Quod & in duplicibus febribus indies inuadentibus obseruandum est, semper quietis tempus, quod febrem longiùs antecedit, eligendo, & proin mox post declinationem febris, cùm morbus non det inducias longiores, cibandum. Cibus autem facilis concoctionis, vt iam dictum, in alterantibus & continuis, eligitur.

Vinum inprimis cùm reficiat, in quartanis & alijs fere nothis conuenit: sed extra paroxysmum, cùm æger cibatur, nec dum adeò immoderatè sit exhibitum: cùm si sitis

magna sit, aqua tunc potiùs cocta propinari debeat. Hoc autem dilutum, tenue & album datur: nouumq; antiquo melius præsertim in biliosis erit, cùm antiquum empyreumate suo vehementer accendat. Sed nec rubrum, si clarum & dilutũ sit, improbatur.

Somnus plurimùm reficit, in declinatione & tempore quietis factus: cùm per vigilias nimias lædantur. In principijs tamen paroxysmorum nocet.

Exercitium moderatum, in quartanarijs præsertim, valde est vtile.

Animi affectus immoderati & tristes nocent, Moderati & iucundi prosunt.

Medicamentis quo pacto vires conseruare & restaurare debeamus, partim in alterantibus, partim alibi indicatum est.

Symptomata seu accidentia febrium intermittentium, curatione methodicâ iam explicatâ, vnà cum morbo quoq; mitigantur, tandemque penitùs eo sublato cum illo tolluntur. Si quæ tamen ex illis, grauiora cùm sint, potissimùm vrgeant, ad hæc quoque cura dirigitur. Idque vel omnibus in genere accidentibus eam accommodando, quod fit paroxysmum febrilem impediendo: vel priuatim certis subueniendo, de quibus in fine dicetur.

Paroxysmus seu accessio febrilis in febribus intermittentibus, totius morbi decursus est, in quo omnia febris accidentia, quę à frigore & calore proficiscuntur, se proferunt, eoque cessante, cessant. Qui paroxysmus, & per consequens febrium hæc accidentia, si impediantur, ne eueniant: cura quoq;, sed illegitima est, qualis symptomatis attribuitur, cùm causa non auferatur, sed duntaxat illius euaporatio, vel motus cor accendens impediatur. Hæc autem quæ illud præstant, potissimùm rigorem prohibent, qui principium est febrium intermittentiũ, quo impedito, cùm hunc maximè vulgus respiciat, etsi calor aliquis leuis superueniat, nihilominus febrem cessasse vel mitiorem factam esse, existimat. Sed & fit, vt cùm rigor, per quem materiæ febrilis corpus peruadentis rigoremque excitantis fit per corpus transitus, impeditur, cùm tunc illa non per rigorem mota subsistat, tam rigor quàm calor minimè superueniant, & febrilis paroxysmus sic illorum vsu, quibus rigorem impedimus, penitùs cesset. Quod tamen, nisi purgata priùs & concocta sit materia, si fiat, tutò minimè aut rectè fieri potest, cum causâ relictâ, etsi febris desinat, grauiora tamen inde sequantur accidentia. Sicuti Empirici his tantùm intenti, vt mox ita febrem sanent, in colicos cruciatus, icteros, hydropos, vt alibi dictum ægrotantem inducunt. Fit tamen quoque hoc interdum etiam secundùm rationem, si paroxysmorum multitudo vires vehementer prosternat, vt aliquando, licet causa penitùs sublata minimè sit, paroxysmum hisce extraordinarijs remedijs cogamur mitigare, aut sistere, sed ita, vt nihilominus in cura methodica in causæ sublatione procedamus. Sed & fit, vt licet causa ablata sit, adeò habitum contraxerit febris, & naturam in consuetudinem pertraxerit, vt hac consuetudine mota, hunc ordinem deinceps aliquandiu nihilominus, vt sæpè accidit, seruet: tunc vt illum naturæ motum, sistamus, maximè eo tempore quo febris inuadere solet, vel cùm iam præludia rigoris, oscitatio, pandiculatio, aut frigus, incipiunt, vel etiam paulò ante horum aduentum, ad rigorem impediendum, & per consequens sic paroxysmi partem aliquam, aut etiam vnà cum rigore calorem subsequentem, totumque paroxysmum retardandum, aut tollendum, ea quæ rigorem mitigare, vel penitùs summouere possunt, remedia vsurpabimus: quorum mentio in praxi nostra, vbi de motu deprauato egimus, in rigoris descriptione quoque facta est. Quæ id faciunt, vel materiam, quæ corpus sensim peruadendo concutiendoque rigorem efficit, per euacuationes diuersas diuertendo: vel sensum nonnihil, vt minùs irritationem partes sentiant, stupefaciendo: vel corpus subitò in principio, antequam frigus & rigor superueniant, calefaciendo. Quæ tamen omnia cautè, & non priùs (si modò non aliquid aliud, vti dictum, hoc vrgeat) nisi materia præparata & aliquo modo purgata sit, erunt administranda: & tunc primùm ex vno aliquo horum, vel

euacuante, vel ſtupefaciente, vel alterante, vel ex inuicem commixtis, vti iam dicetur, præparanda.

Victus ratione ſeu nutrimentorum exhibitione, cùm natura à cauſa morbi ad cibum coquendum reuocetur, ſæpè fit, vt ſi largiùs ante paroxyſmum comedant, ille impediatur: hinc vulgò, Sie haben das Feber abgeſſen/ Germ. dicere ſolent.

Euacuantibus idem, naturam aliò reuocando, in excretionibus ſurſum deorſúmve factis, perficitur.

Per vomitum, quem in principio paroxyſmi inſtituimus, cùm veluti reuulſio quædam à venis meſeraicis, è quibus materia ad cor euaporat, ad ventriculum fiat; paroxyſmi impediri poſſunt: ſicuti & hoc ſæpè fit, vt cùm per vomitum cauſa in ventriculum & inteſtina excutiatur, non tantùm paroxyſmus impediatur, ſed & febris, vti ſuperiùs dictum, penitùs ſanetur.

Purgantia paulò ante paroxyſmum horâ ferè vnâ exhibita, non tamen fortiora (quia cùm ipſorum operatio in febris ſtatum tunc incideret, & plurimùm ægrum debilitaret, & dum deijcere cogeretur, commoueret) ſed leuiora, quę potiùs ſollicitando naturã quàm purgando reuellunt, eo modo, vt dictum, ſæpè paroxyſmos præcauent: quo nomine, agaricum, ſenam, aliaq; dant: quibus quædam alterantia ob cauſam dicendam addũt. Ex pluribus autem compoſitionibus, quæ hoc modo illud præſtant, hæc vtiliora ſunt.

Decoctum ſequens: ℞. Epithymi, Thymi, Polypodij, Senæ, ana ℥.j. flor. Borrag. p.j. fiat decoctio, coletur: Capiat per horam ante aduentum paroxyſmi hauſtum, addendo interdum parùm Vini. Hoc in quartana præſertim commendatur.

Vel puluis: ℞. Senæ ʒ.iij. Turbith ʒ.j. Piperis ℈.j. Zingib. ℈.ß. Cinam. Myrrhę ana ʒ.ß. Sacchari ad pondus omnium, fiat puluis, diuidatur in tres partes: Detur vna pars ante acceſsionem cum Vino albo.

Agaricus cum ſucco Fumariæ & Fœniculi datur ad ʒ.j. ab Helidæo.

Sunt qui Diagrydij ʒ.j. cum ſyr. Viol. ℥.iiij. permiſcent, & ægrotanti, horâ vnâ ante paroxyſmum inſtar caſtaneæ exhibent.

Mercurij puluerem cũ Aceto fortiſſ. Theriaca & Saccharo in robuſtis exhibẽt aliqui.

Stupefacientia nonnihil, vti diximus, quia ſenſum partium minuunt, & interea ſudores mouent, vti alibi dictum, ante inuaſionem quoque eo nomine exhibentur.

Vt Theriacæ ʒ.j.ß. vel paulò plus aut minùs, cum Vino optimo data, ab omnibus, in perſeuerantibus febribus, laudatur. Aliqui eam cum vino Abſynthite, vel aqua Cardui bened. vel Menthæ, vel aqua Roſ. miſcent. Cui alij Diatrionpipereon, alij Myrrham, vt Dioſc. quoque addunt.

Sed & aliæ opiatæ, & Antidota, ſi cõmendantur: vt Panchreſtum Nicolai, cum vino quoq; exhibitum. Item Mithridatũ, & cum liquore Cyrenaico, apud Glauconem.

Hyoſcyamum in hepialis laudat Dioſcor. dando folia tria vel quatuor. Seminis illius ʒ.j. cum Vino aromatico in principio paroxyſmi exhibita, iterando bis vel ter, pro certo habetur præſidio.

Alterantia varijs modis exhibita paroxyſmos quoque ſiſtunt, intus foriſq; admota: quibus & motus corporis iungitur.

Intrinſecùs & calefacientia & refrigerantia vſurpantur.

Calida, quia ſtatim corpus accendunt, frigus & rigorem, & ſic primam febris inuaſionem, arcere videntur, vnde nec calor poſtea, quem rigoris motus propellit, aut leuior ſaltem, ſequitur. Sed & quia bonam portionem febrilis materiei, tenuioris præſertim, diſsipant, calida illud præſtare aliqui putant. Vti & ſi ſudores mox moueant, hoc pacto quoq; febrem præcipitant. Quæ tamen ſi vehementer calida ſint, non ſtatim in principio febrium, donec materia concocta ſit, ſunt exhibenda, ne abſumptis tenuioribus materiebus, craſsiore manente, ex ſimplici duplex vel triplex fiat febris, vel in continuam tranſeat. Quod & in ſupradictis ſtupefacientibus, ex theriaca cum calidis illis permixtis paratis, obſeruandum erit. Cæterùm ex illis quæ calore operantur, hæc longâ obſeruatione potiſsimùm probantur.

Decoctum hoc: ℞. Zingib. ℥.ß. Piperis ʒ.j. membranarũ Nucum interiorum, ſeu nauci ʒ.ij. bulliant in ℔.ij. Vini ſtiptici: de col.

sume ℥.v. adde syr. Viol.℥.j. Bibat horis duabus vel tribus ante accessionem: cooperiatur, & in lecto maneat & sudet.

Aliud: ℞.rad.Gentianæ ℥.j.summit.Centaurij min. Serpilli ana ℥ij. bulliant in Vino: Bibat haustum, vt suprà.

Vel potio hæc: ℞. succi Calamentæ ʒ.iij. vel illius loco syr. de Calamenta ℥.j.ß. Detur cum Vino & aqua Borraginis.

Vel hæc ex aquis parata: ℞. aquarũ Gentianæ, Centaurij, Plantag. ana ℥.j.ß. Bibat: Multi ol.Vitreoli guttam vnam addunt.

Alia: ℞. Plantag.quam febrifugã vocant, recentis M.j. Acetosæ rec. M.ß. Aceti quart.j. Theriacæ quart.j. destillentur: Bibat huius aquæ ℥.iij. dimidia horâ ante paroxysmum.

Vel puluis mirè in omnibus febribus vti & pestilentialibus commendatus: ℞. Sacchari candi ʒ.iij. Zingib. ʒ.ij. Camphoræ ʒ.j. fiat puluis: Datur ʒ.j. cum aqua calida: hunc & Crato laudat.

Alter: ℞.pul.Cancrorũ fluuiatilium, cranij Humani, rasuræ Eboris an.℈.j.Cinam.ʒ.ß. Croci ℈.j.fiat puluis: Detur ℈.j.cum Vino.

Tertius: ℞.Myrrhæ ℈.j.Piperis gr.vj.Zingib.℈.ß. Sacchari ʒ.iij. fiat puluis: Detur ʒ.j. vel ex eo fiant pilulæ cum succo Gentianæ.

Electuarium: ℞. Rubiæ trochis.Nicol.ʒ.j. detur cum Vino albo.Eodem modo datur electuarium ex Asa Mesuæi, Triomphyllon Nicolai, Elect.Petri Arnol.Villanouani.

Vel: ℞. Cinamomi ʒ.ij. Piperis ʒ.j. Croci ʒ.ß. Myrrhæ, Styracis, Serapini ana ʒ.ß.Benzoini ʒ.iij. rad. Gentianæ ʒ.ij. cum Melle fiat elect. Datur à ʒ.ß. ad ℈.ij. duabus horis ante paroxysmum.

Refrigerantia nonnunquam id præstant, & febrilem paroxysmum sistunt: sed cùm magna refrigeratione vt id faciant sit opus, adeò subitò cor refrigerare per assumpta, non ita tutum est, atq; si hoc externis perficiatur, vti mox dicetur.

Potu frigidæ affatim facto in ipso paroxysmo, vel extra hũc, multi paroxysmos sistũt, & dicunt cõmuniter, Das Feber abtrincken.

Vinum Granatorum ad ℥.ij. in principio paroxysmi si bibatur, & postea pulsibus vnguenta, vti dicetur, admoueantur, febres sanare potest.

Externa remedia febres curantia per exercitia, applicationes, iniectiones, amuleta, superstitiosaq; interdum, administrantur.

Exercitiũ si ita instituatur, vt corpus ante inuasionẽ paroxysmi incalescat & sudet, paroxysmos diuturnarũ febrium nonnunquã sistit. Hoc autẽ, motu corporis, eundo, equitando, currendo ante aduentum paroxysmi, donec corpus incalescat, perficitur.

Horum loco, si debiliores qui ambulare nequeunt, fricentur, & postea tegantur & calefiant, pannis aliísve artibus, nonnunquam etiam vti dicetur, vngantur, eaq; omnia, antequam frigus incipiat, fiant, vt rigor minimè superueniat, efficere possunt.

Applicationes, illic vbi pulsus arteriarum sentitur, factæ, multùm in hac re, vel solæ, vel vnà cum cæteris administratæ, præstare possunt, vt in vtriusq; carpi regione: interdum & in temporibus vtrinque, & pedibus iuxta malleolos. Hæc autem ex illis quæ vel materiam diuertere & reuellere à corde possunt, quod maximè acria præstant, parantur: vel alioquin ex illis quæ cordis intemperiem nonnihil mutant, & ne facilè à vapore mox eleuando in paroxysmo inflammetur, veluti muniunt, & proin, & ex acribus, & temperatis, & nonnunquam refrigerantibus, quibus multa penetrationem iuuantia adduntur, vt virtus ad cor vsque peruenire queat, componuntur.

Adurens & vesicas eleuans, applicatum sic fiet: ℞.fol.Ranunculi, Pedis Columbini, recent. contundantur & applicetur cum Sale & Aceto.

Alia calefaciens: ℞.fol. Thlaspi contusa & similiter cum Sale & Aceto applicata.

Idem præstant Bursa pastoris, Dentillaria Rond. Ruta, Saluia, Calendula, Angelica, Vrtica, similiaque.

Vt hoc modo: ℞.fol.Sambuci, Rutæ, Calendulæ, Vrticæ ana M.j. contundantur cum Sale & Aceto: Applicentur.

Item: ℞. Allij, Cæparum ana q.s. contundantur & applicentur.

Minùs calefacientia & potiùs nonnihil refrigerantia, sic fiunt: ℞. Plantag. Sonchi ana M.j. contundantur, adde fuliginis Furni parùm, Salis & Aceti q.s. Applicentur.

Vel

Vel hoc, quod maculam nigram parit, & erodit nõnihil: ℞. corticum interiorũ Nucis ramorum, q. s. macerentur in Aceto, & applicentur: quo remedio feliciter sæpè vsus sum.

Panis item maceratus aliquoties in Aceto, pulsibus applicatus, prodest.

Remedium sæpè à multis cõmendatum, experientiâq; crebrò comprobatum: ℞. vnguenti Populeonis portionem, subige cum telis Aranearum mundis: fiant pilulæ magnæ: De quibus duas brachijs, duas pedibus, duas temporibus cum folio Vitis ante inuasionem paroxysmi applicabis: repetendo alijs quoque vicibus.

Inunctiones similem ob vsum fiunt pulsuum, spinæ & extremitatum.

Ad pulsus: ℞. succi Rutæ, Vrinæ pueri an. æq. partes, misce: Vnge vel laua omnes pulsus, paulò ante inuasionem paroxysmi.

Vel: ℞. ol. Chamæmel. q. s. & in eo decoq; Araneas: inunge pulsus & spinam.

Spinæ inunctiones multùm quoque præsertim ad rigorem compescendum, vti alibi dictum fuit, possunt: vt, ℞. olei Chamæmel. ℥. iij. Laurini ℥. j. de Castoreo ℥. ß. Araneas, Lumbricos an. n. x. teste Dioscor. aquæ Vitæ ℥. ij. coquantur ad aquæ vitæ consumpt. Inungatur tota spina.

Oleo in quo pastilli ex Anthemidis floribus parati, dissoluti sint, si febrientes à vertice capitis ad pedes inungantur, sanari docet Matthiolus.

Suffumigiũ de merda Cati laudat quidã.

Anthemidem per Clysterem iniectam, alij probant.

Amuleta quàm plurima passim describuntur: Inter quæ & hæc à multis certa esse prædicantur. Araneã in nuce Auellana collo appensam; Vel Limacis lapidem: aut Iaspidem gestare: item Talpam manibus, donec moriatur, in ipso paroxysmo retinere.

Superstitiosa, vt characteres certos, vel notas, aut scripta secum ferre, febrem carminibus pellere, lustrare, vendere, aliaq; incantamenta seu nugas, omittimus.

Reliqua priuata symptomata, quæ in febribus intermittentibus occurrunt, etsi suis singula locis in praxi nostra explicentur: tamen hîc obiter quomodo dijudicanda, tractandaque sint, dum adhuc æger febricitat, explicandum.

Vigiliæ, & Capitis dolor propter euaporationes, si nimiùm infestent, vapores impedimus, & soporem conciliamus. Si sopor profundus accedat, & huius ratio habenda.

Sitis, Linguæ ariditas, ob calorem & euaporationem maximè molesta sunt: quibus vti in alterantibus dictum, succurrimus.

Appetitum prostratum, euacuantia emendant, & morbi diuturnitas sponte corrigit, ita vt tandem omnino fiant in declinatione & cùm conualescũt famelici, vt, ne nimiùm comedant, tunc potiùs cauendum sit.

Syncope in febribus syncopalibus, inprimis prospiciendum. Et si syncope, bilis vitio, oris ventriculi causâ fiat, illius acrimonia infringenda: vt in ventriculi dolore dicetur: dein & roborantibus, vt in syncope dictum, muniendi.

Dolor ventriculi, si à bile vitellina, vel porracea excitetur: vel à flatibus cum rugitu, aut ob potum nimium fiat: ille ijs quæ bilis acrimoniam retundunt: alter & roborantibus, & flatus discutientibus curatur.

Alui profluuium eiusdem bilis causâ sæpè accedit, quo nomine, si nimis vrgeat; ea quoque, quæ in dolore ventriculi diximus, adhibentur: & clysmata abstersoria, quale illud, quod ex decocto Hordei cum Sacchari rubri ℥. ij. fit, existit, inijcienda.

Colicus dolor vnà cum febre interdum inuadit, bile intestinis se insinuante, quo & sæpè, vt dictum, febre cessante relictâ causâ, euenit, & vt in colico dolore in praxi dictum, curatur. A pituita vitrea in Lipyria febre, quam quoque ab eo humore prodire putant, colicum dolorem nasci scribunt: verùm ab hoc humore frigidissimo febrem fieri minimè posse, iam ostendimus.

Cachexia, Hydrops: Durities hypochondriorum, Oedemata crurum, in febribus diuturnis sæpè accidunt, ob viscerum internorum naturalium læsiones: quorum cura suis locis explicabitur.

Marcor corporis in declinatione, interdũ ex atrophia: interdum propter incipientem hecticam, post acutas & duplices hasce febres, superuenit.

Parotis aliàs quoq; in quartana erumpit.

Vermesq; quandoq; reijciuntur. Quibus singulis sua adhibentur remedia.

Cõtinua putridæ malignæ febris curatio.

Cõtinua putrida maligna solitaria febris, quæ epidemia plerunque, rariùs priuata est, quam German. propter insigne symptoma Hauptwe/ alij simpliciter Malignam, Arabes Malè morigeratã, Itali propter maculas Petechiam vocant, & Rond. quia omnes symptomaticas febres malignas censuit, Symptomaticam appellat: eandem curandi rationem, cùm putrida nondum maligna ferè requirit. Quam & aliqui semitertianis sanandis, quia illas quoque malignas esse existimarunt, accommodarunt.

Prædictionem autem quod attinet, ijsdem signis, quæ in putridis continuis prioribus descripsimus obseruatis, hæc facienda. Quæ tamen signa cùm in putridis non malignis dubia sint, illarumq; iudicium sit incertum, hîc cùm simul adsit malignitas, longè magis ambigua erunt: cùm hæc malignitas adeò cordi insidietur: vt sæpè etiam apparentibus signis concoctionis, æger nihilominus inopinatò extinguatur. Dein & cùm criticos illos motus natura, quæ hîc magis adhuc oppressa est, non eo ordine, vt in non malignis, perficiat: si in illis dubiè, hic sanè longè magis cautè & ambiguè, de salute vel morte, ex prædictorum obseruatione, prædicendum erit. Inter quæ, maculæ interdum erumpentes pulicum morsibus similes, vel fuscæ, Petechiæ dictæ, mortem plerunque propinquam denuntiant.

Curatio malignarum febrium, vti & in alijs simpliciter putridis, hoc modo perficitur. Vt de causa morbi, quæ & putrida & maligna simul est, quæ illum facit vel auget, aliquid euacuare studeamus: Caloremq; putridum malignum, ijs quæ non tantùm refrigerant, sed & putredini, inprimis malignis eorum seminibus, resistunt, alteremus, Virium, quæ præsertim hîc plurimum labefactantur, habitâ ratione: Vti & quorundam aliorum accidentium.

Euacuationes autem tam sanguinis quàm humorum aliorum, sequentibus modis vsurpantur.

Sanguinis detractio per phlebotomiam, scarificationes, vt in continuis putridis, consideratis ijdem quæ illic obseruari debere diximus, institui potest: inter quæ, vires, quæ hîc statim labuntur, præcipuè sunt æstimandæ.

Humorum reliquorũ expurgationes, eodem modo, vt in putridis alijs instituendæ: additis semper quæ malignitati resistũt: qualia etiam in malignis febribus, ecthymata & exanthemata protrudentibus, describentur.

Per vrinas, sudores euacuantia medicamenta, vt in alijs quoque, locum habent.

Alterantia similia quoq; competunt. Exhibendo ea præsertim, quæ, præter quàm quòd refrigerant, putredini resistunt: vt sunt acida, additis semper cordialibus, illic quoque explicatis. Vti & externa, quæ hîc quoque adhiberi possunt.

Vires etiam, obseruatâ victus ratione, consimili modo sunt conseruandæ, alijs medicamentis cordialibus: quæ cùm in malignis citiùs & grauiùs quàm in alijs putridis offendantur, eò magis restaurantia exigunt. Ita vt Vinum acidulum retectionis causâ interdum illis permittatur.

Accidentia alia eadem ratione, vt & illic, corriguntur.

Pestilentis febris præcautio et curatio

Pestilens febris seu pestis, cùm sit morbus contagiosus, ab externa pestifera qualitate, de corpore in corpus, contagio, per contactum, vel etiam intermedio aëris, transeunte, procedens: Partim quâ ratione liberi adhuc ab illa præseruari; Vel ea iam infecti curari debeant, explicandum.

Præseruatio autem, etsi seminaria pestis abscondita occultè alicubi lateant, nobisq; ignorantibus in corpus penetrent: tamen in causa externa declinanda, vel corrigenda, & corporis præparatione, ne facilè ab ea afficiatur, perficitur.

Declinamus verò causam, Fugiendo potissimùm loca illa, vbi pestis grassatur. Quod fiet, si, quatenus vocatio, pietas & honestas non prohibent, ægros non accedamus: nec ipsorum vestes, tegumenta, aliáve, attingamus: domos, plateas in quibus decumbunt, vitemus. Et cùm vbi nam causa hęreat, ignoretur, multique semina pestis, vti dictum, secum gestare, etsi ab illis nondum afficiantur,

diu

diu possint: loca vbi magna hominum esse solet congregatio, in concionibus, consultationibus, & inprimis balnea publica, choreæ, vbi citiùs, vti mox ostendetur, hæc contrahuntur, fugienda. Et cùm ab aliis quoq; tam animatis quàm inanimatis corporibus contagium hoc prodire possit: nihil tutiùs, quàm vti vulgò fertur, citò & longè seu procul abire, tardeque reuerti.

Emendamus causam illam pestilentem alicubi latentem, ne aliquē possit inficere, aut vt penitùs quoq; tollatur: Si ea quæ infecti attigerunt, integumēta, vestes, aliaq;, aëri libero, antequam iis vtamur, priùs aliquādiu perflanda exponamus, & lauemus: quo nomine & pecuniam, pestis tempore, antequā in manus accipiāt, aliqui priùs abluere solēt.

Plerique autem, aëris infectionem pestis causam statuentes, eum emendare student. Quod & nos, licet in corporibus semina pestifera potiùs, quàm in aëre hærere, probauerimus, nō improbamus: cùm iisdem quibus aër corrigitur, etiam corpora nostra, quæ aër continuò alluit, & per inspirationem subit, aëris correcti intermedio, alterentur, & præsertim cùm & per aëris medium seminaria pestis de corpore in corpus, vti dictum, trāsferantur, hæc illius alteratio vim illius pestilentem retundere poterit. Quæ aëris alteratio & repurgatio variis modis sequentibus perficitur.

Inquinamenta primùm omnia, è quibus aër impurus fieri, aut infici potest, auferendo, à sordidis, putridis, corruptis humoribus, corporibúsve expirantia, & fœtorem exhalantia.

Et si aër purus, siccus, qualis ab ortu vel occasu prodit in conclauia, quę homines inhabitant, intromittatur: alius verò arceatur. Aues si in hypocaustis aut cameris alantur, aërem purgare scribunt, & præsertim passeres: quos & circa loca, vbi pestis regnat, minimè permanere, vulgus credit. Ignis luculentus accensus, aërem purgat: quo Hippoc. pestem grassantem cessare fecit.

Suffitus in locis publicis, priuatisque ex quibúsvis odoratis facti, aërē corrigunt. Quo nomine ligna Iuniperi, quod præ cæteris consuetum, plerunque accenduntur. Et pomorum cortices sicci in hypocausto vruntur, reliquaque eiusmodi sicca, vt Sabinæ lignum, bacciferæ præsertim, quod admodū odoratum est, vel Lauri, Rosmarini, Viticis, vsurpari possunt. Ignisq; qui in foco accenditur, ex ligno Quercino, Vitium, Salicum, iniectâ rutâ, Iunipero, aliisque parari potest.

Carbonibus ardentibus baccas Iuniperi suffitus causâ vulgò imponunt, vti & Mastichem, Thus, Succinum, Caryophyllos, aliáque innumera: quæ si vrantur, gratum odorem spirant.

Trochisci sequentes in eum vsum parati idonei sunt: ℞. Benzoini, Styracis cal. an. ℥. ß. ligni Iuniperini, vel Sabinæ bacciferæ ʒ. j. rad. Angelicæ ℈. j. cum infus. gummi Tragac. in aqua Ros. addendo Moschi gran. aliquot, fiant trochisci pro fumo.

Vel fiant candelæ, quæ ignem concipientes, fumum, donec consumantur, reddunt: ℞. Myrrhæ, Thuris an. ʒ. ij. Benzoini, Styracis an. ʒ. iij. Ladani ʒ. j. ß. Succini ʒ. ß. baccar. Iuniperi ʒ. ij. cort. Pomorum sicc. ʒ. j. cort. Citri sicci, Santal. citrini ʒ. ß. ligni Iuniper. ʒ. j. lig. Aloës, Caryoph. an. ℈. j. carbonum Salicis vel Tiliæ ad duplum ponderis, cum inf. gummi Tragac. addendo Camphoræ gran. vj. vt fiant candelæ nigræ, seu aues cypriæ, vt vocant.

Odoramenta non accensa, sed per se bonum odorem spirantia, hoc modo fiunt. Si odoratos flores & herbas, inprimis Rutam, mala Citria, Limonia, Arantia & similia, vel secum quis gestet, vel cubiculum illis odoratum reddat.

Item si spōgiam, vel linteum pannum ex Aceto & Aqua rosacea, vel Aceto rutaceo madefacta gestet, naribusq; sæpè adhibeat.

Vel hoc modo: ℞. Rutæ contusæ P. j. affunde Aceti optimi portionem aliquam, & siccum exprime, cui adde rad. Angelicæ ʒ. ß. Camphoræ, Croci an. ℈. ß. hæcque spongiâ ad vsum dictum excipiantur.

Vel hoc balsamo, vt vocant, alas narium, aut labrum sub naribus inungat. Quod fit ex oleo seminis vel rad. Angelicæ, per destillationem eliciti cum Cera alba: subigatur, vsurpetur.

Poma odorata manibus gestare quoque

conducit: ℞. rad. Angelicæ, Myrrhidis ana ʒ.ij. Zedoariæ ʒ.ß. Rof.rub. ʒ. j. Lauand. ʒ.ß. seminum Angelicæ, Nigellæ, Coriandri an. ℈. j. ſ. Ocimi ℈.ß. cort. Citri ſic. ℈. ij. nucis Moſc. Caryoph. an. ʒ.ß. Cinam. ligni Aloës, Iuniperi, Santal. citri, an. ℈. ij. Ladani, Styracis cal. an. ℥.ß. Benzoini ʒ.ij. Myrrh. ʒ.j. Camphoræ gran. vj. cum infuſ. gummi Trag. facta in aqua Angel. vel Roſ. fiat pomum. Odoratius fiet, ſi parùm olei Caryoph. vel ſem. Angelicæ permiſceas, & in ſuperficie bombace Moſchatâ inuoluas.

Faciem, manus, axillas, pudenda, odoratis lauare vtile quoque eſt, veluti Aceto ſimplici vel roſaceo: aquis item Roſarum, Angelicæ, Lauandulæ, addendo aliquid Camphoræ: vel florum Citrangulorum, quam aquam *Naffe* vocant.

In aures immittit olea deſtillata aromatum odoratorum Droëtus.

Veſtes vapore vel ſuffitu odorato perfumare, vel aquis irrorare iam dictis, aut alijs additis odorem conciliare, prodeſt. Vel ſi cheirothecas perfumatas, vt vocant, odoratas induant, & geſtent, aut ſacculos in ſinu ferant. Qui ex pulueribus Cypri, Viol. appellatis, alijsq; permultis ſimilibus paratur.

Vel hoc modo: ℞. rad. Angelicæ ℥.ß. rad. Ireos od. ʒ. ij. ſeminis Coriandri, ligni Iuniperini an. ʒ.j. Benzoini, Styracis an. ʒ.ij. fiat puluis, addendo Moſc. vel Ambrâ, ſi velint.

Corpora autem ne facilè hac lue inficiantur præſeruabimus præcipuè, ſi ne accendantur admodùm, aut humores in ijs vehementer commoueantur, caueamus. Et repletio, & impuritas in illis vitetur & emendetur. Si prophylacticis, quæ peſti aduerſantur, ipſa muniamus.

Ne corpora itaq; incaleſcant nimiùm, eo tempore, dum peſtis viget, ſibi homines cauere debent: cùm ſupercalefacta faciliùs vti febrem, ſic & qualitatem hanc malignam hauriant.

Aërem igitur calidiorem, arte calefactum, vt in hypocauſtis, qui nimium incaluit, vitent. Et inprimis illum, qui in balneis ſiccis illos inflammat: vnde pleroſque tempore peſtifero, ſi tunc ijs vtantur, peſte correptos obſeruaui.

Motus quoque nimius corporis, qui curſu, ſaltu & in choræis præcipuè obitur: vel animi, per iram, gaudium, vehemens commotio, eo quoque nomine obeſt.

Vti & aſſumptorum calidiorum, vt aromatum & potus, inprimis vini meracioris, immodicus & frequens vſus. Quæ proin tunc temporis, acidis frigidisq; corrigi, corpusq; eiuſmodi potiùs alterari debet.

Agitatio humorum, quia faciliùs illis cōmotis corpus ab externis cauſis afficitur, nocet. Vnde & metus, vt citiùs qui peſtem metuunt, minùs qui animo quieto ſunt, eâ corripiantur, facit. Imaginatione tamen hic quoque (quæ vt vulgò fertur, facit caſum) plurimùm opitulante. Sed & Veneris vſus eo nomine improbatur. Atq; intempeſtiuè, vel nimiùm ſanguinem detrahere, vel purgare, nocuum.

Repletio tamen omnis & vitanda, & ſi adſit, corrigenda erit; nam licet quælibet corpora peſtem ſuſcipere poſsint, faciliùs tamen plethorici & cacochymici inficiuntur. Ob quam cauſam corpora pura ſeruare, & ſi immunda ſint, euacuantibus munda reddere oportet: hoc modo.

Venæ ſectio, etſi non temerè, ne humores turbentur, præſertim in iunioribus, qui magis peſti ſunt obnoxij, facienda ſit: ſi tamen corpus plethoricum ſit, in adultis, & præſertim, ſi huic aſſueti ſint, iuuabit.

Clyſter, ſi prauis abundent humoribus, alternis diebus iniectus, probatur.

Purgatio in cacochymicis, ſi modò non nimiùm corpus exagitet, conuenit. Tum ea, quæ in conſuetis, veris & autumni tempore, præparatis prius humoribus redundantibus, bilioſis, vel pituitoſis, vel melancholicis, poſteaque expurgatis, inſtituitur. Tum ea, quâ ſucceſsiuè vt corpus purum ſeruetur, ſæpè purgamus, ex leuioribus tamen parata. Quibus ſi ea, quæ peſtiferæ qualitati reſiſtunt, putredinem arcent, addamus: præſtantiora erunt.

Inter pilularum forma, cùm amara, vt aloën, quæ optima eſt, recipere poſsit, primas tenet, eoq; nomine pilulæ Peſtilentiales, vel Communes, alias de Tribus, vel Rufi ab authore appellatæ, tantoperè commendantur.

Quo-

Quorum vetus hęc est descriptio: ℞. Aloës, Ammoniaci, Myrrhæ, æquale singul. pondus: cum Vino fragranti formentur.

Neoterici sic eas parant; ℞. Aloës ʒ. j. Myrrhæ, Croci ana ʒ. ß. cum Vino odorato: vel, in calidioribus naturis, cum succo Limonum vel Citri fiant pilulæ. Quibus prophylactica varia permisceri possunt.

Efficaciores ad purgandum, addito Rhabarb. vel Agaric. hoc modo fiunt: ℞. Aloës ʒ. ij. Rhabarb. Myrrhæ ana ʒ. j. Zedoariæ, Croci an. ℈. j. cum succo acetos. Citri vel Limonum fiat massula.

Vel: ℞. Aloës ʒ. iij. Rhab. puluerizati, aspersi aquâ Cin. ʒ. j. ß. Agar. troch. ʒ. j. Myrrh. el. gummi Ammoniaci dissoluti in Aceto an. ʒ. ij. Croci ʒ. ß. Camphoræ ℈. j. olei rad. Imperat. gutt. ij. cum Aceto subigantur.

Quibus hisce leuioribus, frequenter, vt hebdomadatim semel vel bis vti possunt, & ʒ. ß. vel ℈. j. vel pil. j. manè, vesperi alteram sumere: quæ & infantibus, si illas deglutire possent, essent vtiles.

Hisce paulò fortiores in magis cacochymicis, sed rariùs tunc vsurpari possunt: Vt, ℞. priorem Massam cum rhabarb. & agarico, addendo pilul. Aggregat. ʒ. j. Diagridij ℈. j. cum syr. Ros. sol. fiant pilulæ.

Ex Terebinthina, loco pilul. Rufi, veteres pilulas exhibuerunt: cuius loco si illa desit, nos resinam laricearn æquè vtilem, cùm egregiè purget, hoc modo substituere possumus: ℞. Terebinthinæ resinæ, vel Lariceæ coctæ, vt puluerizari possit. Rhabarb. optimi irrorati aqua Cinam. an. ʒ. ij. Turbith. ʒ. j. Zingib. ℈. ß. cum puluere Liquirit. fiat massa. De qua ʒ j. vel plus, si eas purgare volumus, dabimus.

Dilutum ex Terebinthinæ vel Laric. ʒ. j. cum vitello oui, & aqua Cardui bened. factum, loco pilular. datum, egregiè purgat.

Potiones variæ in hunc vsum parari possunt hoc modo: ℞. Triph. Persicæ (quam plurimùm Mesues laudat) ab ℥. ß. ad. ʒ. vj. aquæ Acetos. Scabios. Cardui ben. q. s. misce: Capiat singulis quinq; diebus talē potionē.

Infantibus, Manna in iusculo dissoluta dari potest, vel rhabarbarum hoc modo: ℞. extractum Rhabarbari, misceatur cum succo Ros. & cum Saccharo, dissoluatur in aqua Acetosæ, reducatur in tabulas. Conditum Rhabarbari pro pueris Droetus parat.

Antidota multa prophylactica, atque inter illa opiata quoq;, quibus Rhabarbarum præsertim, nonnunquam & Tryphera admixta, descripta sunt. Quæ tamen, cùm non tanquam purgantia, sed quatenus antidota, composita sint, eò potiùs referenda erunt.

Fortissimè purgantia in summè cacochymicis probantur, & pro expertis habentur: qualia ex diagrydio, colocynthide, rad. cucum. as. terra Armenia, stibio, quod & magnis compositionibus aliqui miscuerunt, & similibus, parantur.

Vt puluis hic: ℞. trochisc. Alhand. Diagrydij, Turbith an. ʒ. j. Euphorbij ℈. j. Mastichæ ʒ. ß. Croci ℈. j. radic. Serpent. Pimpinellæ, an. ℈. ß. fiat puluis: Capiat ʒ. ß. cum aqua aliqua conuenienti.

Vel electuarium hoc: ℞. rad. Cucum. agr. Apij, Coriandri, Semperuiui foliorum, terantur simul: adde Mellis q. s. & Piperis parùm, fiat electuarium, instar auellanæ vsurpandum. Quod miris laudibus, & ad præcautionem, & curationem pestis, ab Honorat. Castellano extollebatur.

Prophylactica, quibus corpus, ne facilè inficiatur, præparatur, multa sunt, experientiâ potiùs, quàm ratione inuenta: cùm antidota vera, quæ huic veneno resistant, minimè, vti neq; huius qualitatis pestiferæ vera natura, cognoscātur. Idcircò cùm certa, quæ huic pestifero veneno aduersentur, ignorentur: quæ in genere venenis resistūt, hîc quoque vsurpantur. Quorum præcipua tantùm & à multis diu probata proponemus: Atq; quatenus ea vel sumuntur, vel saltem in ore tenentur, vel extrinsecùs pulsui, cordis regioni, adhibentur, vel alioquin pro amuletis habentur, primùm distinguemus.

Quæ assumuntur antidota, cùm præter proprietatem illam, quâ venenis resistunt, alia insuper sint vehementer calida, alia minùs, alia frigida potiùs quàm temperata, habitâ ratione ætatis & constitutionis, hæc illáue potiùs eligenda, nec temerè quæuis, calidissima illa pſertim vt euphorbiū & aqua vitę, quas sinistrè vsurpatas aquas mortis nō

nunquam faciunt, iunioribus potissimùm exhibenda. E quibus quaedam in forma liquida dantur, quae cùm diu asseruari nequeant, cùm magna vrget necessitas, & aliç quç ad vsum parantur, non sunt ad manum, illis praesertim, qui in aedibus infectorum habitant, vel illos accedunt, propinantur. Qualia sequentia sunt.

Decoctum hoc: ℞. rad. Tormẽtillae, Pimpinellae an. ℥.j. radic. Valerianae ℥.ß. rad. Enulae, Angelicae an. ʒ.ij. fol. Galegae; Sanguisorbae ana M. j. decoquantur in Vino & aqua, addito pauco Aceto & Croco.

Vel vini infusum, quod magis ingrata & amara ferre potest: ℞. rad. Tormentil. Dictamni, Succisae, Pimpinel. an. ℥.j.ß. rad. Valerianae, Imperatoriae, Angelicae an. ℥.j. rad. Serpent. Gentianae ana ℥.ß. fol. Cardui bened. sem. Coriandri an. ʒ.j. Cinam. iij. incidantur & infundantur in Vino albo & pauco Aceto, vel Vino: Bibat saepè manè.

Lac ouillum ieiunè bibitum, mirè à quibusdam ad praeseruationem commendatur.

Succi nonnunquam in condimentis, & praesertim acetariis, acidi exhibentur: veluti Acetum ipsum: vel succus ex pomis Citranguli, succus Ribes, Crespini, Vuae crispae, Punicorum, Cerasorum, Prunorum, Pomorũ.

Item Caryophyllorum hortensium florũ succus, seu potiùs acetum, vt parant Germani, Galegae succus cũ Theriaca datus à Matthiolo, Verbenae succus cũ Vino vel brodio, Cçparum itẽ succus, variis modis exhibitus.

Quae asseruari diutiùs queunt prophylactica, cùm pestis, vbi semel regionem inuadit, diu soleat subsistere, & proin semper ad vsum praestò esse debeant, variis formis hoc modo idonea fiunt.

Succi inspissati, quos Rob Arabes, nostri Extracta vocant, ad hanc rem ex efficacioribus, vt Carduo benedicto, Verbena, aliísve, vtiliter vsurpantur. Iuniperi extractum valde consuetum est & vtile, quod & infantes, cùm ingratum minimè sit, admittunt.

Syrupi quoq;, addito Saccharo, vt gratiores sint, praesertim infantibus, sic parari possunt: ℞. Verbenae, Scabiosae, Galegae an. M. j. gran. Iuniperi P. j. decoquantur in Aqua & pauco Aceto, addito Saccharo, fiat syrupus.

Vel succi Granat. succi Limonum, ana ℥.ß. Aceti Rof. ʒ.ij. aquae Rof. ℥.iij. Sacchari q.s. fiat syrupus.

Conseruata, per se nonnunquam siccata, aliàs saccharo, melle, aceto, sale, aliísve permixta, aut aliter cõdita, praecautionis causâ manduntur.

Vt Zedoaria incisa, manè comesta: vel cũ Vino bibita.

Vel Caryophylli, in Aceto prius macerati.

Citriorum, Arantiorum genera, per se, vel priùs condita, mansa.

Verbena, manè comesta.

Tormẽtillae radix, cum rasura Cornu cerui, & Aceto sumpta, vel Saccharo cõdita. Vti & Pimpinella.

Acetosa, Buglossum, Borrago, & radix Tapsi barbati, eodem modo praeparata.

Radix item Petasitidis, in Aceto macerata, & rad. Myrrhidis.

Baccae Iuniperi, in Aceto maceratae.

Vel permixta hoc modo: ℞. fol. Rutç, Saluiae, Plantag. baccas Lauri, contunde cum Aceto, misce: Comedant manè cochl. vnum: cui Bolus interdum additur.

Remedium ex nucibus vsitatum, de quo manè toti familiae datur, hoc modo paratur: ℞. Nucum nucleos, folia Rutae & grana Iuniperi, contusa & cum Aceto permixta.

Aliud ex iisdem Apollonij, vel Mithridatis, vt volunt à multis laudatum praesidium: ℞. nucleorum Nucum ℥.iiij. Caricarũ ping. ℥.iij. fol. Rutae sicc. ʒ.ij. subige cum Aceto & Sale, vel Melle, si magis dulcibus delectatur.

Compositum magis sic fieri potest. Si supradictae compos. addatur rad. Tormentillç, Pimpinel. an. ℥.ß. Boli praep. ʒ.vj. Croci ℈.j. & cum Aceto, & Sale, & Melle subigatur. Ex sequentibus pulueribus aliqui huic compositioni quoque addi possunt. Et Myrrha à quibusdam additur.

Confectiones variae prophylacticç ex pulueribus, & aliis omnibus simul mixtis, in forma tragematum, vel tabularum, vel electuariorum, fiunt. Quae primùm, quatenus temperata, & gratiora, odoratioraq;, vel ingrata, aut narcotica simul sunt, distinguuntur.

Temperatiores confectiones, minusque dira-

[illegible] adeò ingratę, pro infantibus, grauidis & delicatioribus, non nimiùm corpora exagitantes, aut continuo vsu lædentes, ex varijs præparantur.

E quibus vsualia multa in hosce vsus antidota & cordialia sequentia parata inueniuntur: Diamargariton frigid. Cordiale electuarium: De Nucibus & Angelica, quorundam compositio. De Hyacintho confectio Falconis ad pestem maximè accommodata. Pulueres item varij Bezoartici & Prophylactici appellati.

Ex illis quae de nouo parantur, confectio talis erit accommoda, quæ & si vermium sit suspicio, vt in iunioribus sæpè euenit, eo quoque nomine proderit: ℞. Boli Arm. præpar. cum succo Limonũ ʒ.ij. ras. cornu Cerui ʒ.ß. s. Citri, medullæ ℈.j. rad. Tormentil. ʒ.j. spec. Diamarg. ʒ.ß. Sacchari dissoluti in aqua Acetos. & Portulacæ: fiant tabulæ: vel cum syr. aut Melle electuarium.

Alia compositio efficacior adhuc ex pluribus additis sic fit: ℞. seminum Citri, Acetosæ an. ʒ.j. s. Ocimi ℈.j. rad. Tormentillæ ʒ.j. ß. radic. Angelicæ ʒ.ß. Boli præpar. ʒ.ij. Coralli ʒ.ß. Margar. ℈.j. ras. Eboris ℈.j. lap. Smaragd. Hyacinthi an. ℈.ß. Cinamom. ʒ.j. Santal. omnium ʒ.ß. Sacchari ℥.vj. fiat puluis, vel Saccharo dissoluto in aquis cõuenientibus, tabulæ vel electuarium.

Magis operosus ex collectis inuicem precipuis ad hunc vsum pertinentibus, sic à me An. 93. peste grassante, paratus fuit: ℞. Boli ꝑpar. ℥.ß. Coralli ʒ.ij. Succini ʒ.j.ß. ras. Eboris, & cornu Cerui ana ʒ.ß. rad. Tormentil. ʒ.j.ß. radic. Dictamni, Carlinæ, Pimpinel. radic. Angelicæ, Imperatoriæ, Myrrhidis, an. ʒ.j. rad. Aristol. rot. Zedoariæ, cort. Limonum, Caryophyll. ana ʒ.ß. Cinamom. ʒ.ij. sem. Acetosæ ʒ.j. s. Cardui ben. Angelicæ, Ocimi, Coriandri ana ʒ.ß. s. Citri medullæ ℈.j. Croci ℈.ß. Ros. rubr. fol. Verbenæ, Rutæ, Scordij, Cardui bened. an. ʒ.ß. Galegæ ʒ.j. spec. Diamarg. frig. (loco multorum cordialium) ʒ.j. fiat puluis. Cuius ʒ.j. cum Sacchari ℥.j. in formam pulueris, vel tabularum, saccharo in aquis Acetosæ, vel Angelicæ, vel Rosarum, vel Cardui bened. dissoluto: vel electuarij, redigi potest. Si Camphoræ ℈.j. vel ʒ.ß. vel ʒ.j. addatur pulueribus iam enarratis, vis ipsorum erit efficacior: tunc autem pueris & grauidis minùs conuenit.

Ambra & Moschum si illis addantur, prędterquam quod cordiales magis fiunt, odor suauis illis quoque conciliatur.

In infantibus simpliciores hi trochisci sic parantur: ℞. rad. Angelicæ ʒ.ß. Boli præpar. cum succo Limonum ℥.ß. Moschi grana aliquot, Sacchari q. s. cum infus. gũmi Tragac. fiant trochisci.

Compositus ex multis puluis, moscho addito sic fit: ℞. rad. Angelicæ, Myrrhidis, Imperatoriæ an. ʒ.ij. rad. Tormentil. Pimpinel. Dictãni, Scorzoneræ, Vincetoxici, Cruciatæ, Morsus diaboli, rad. Enulæ, Zedoarię, Galangæ an. ʒ.j. rad. Aristol. Gentianæ, Aronis, vel Serpentariæ an. ʒ.ß. Santal. omnium ʒ.j. Cinam. ʒ.ij. ligni Aloës ʒ.ß. herb. Cardui ben. Scordij, Melissæ, Saluiæ, an. ʒ.j. Rutæ ʒ.ß. herb. Scabiosæ, Verbenæ, Acetosæ, Lysimachiæ, florum Cord. an. ʒ.j. seminum Acetosæ, Coriandri, Fœniculi, Cardui ben. an. ʒ.j. s. Citri, Ocimi an. ʒ.ß. baccarum Lauri, Iuniperi, an. ʒ.ij. Nucis mosch. Maceris an. ʒ.ß. Succini ʒ.iij. ras. Eboris, cornu Cerui an. ʒ.j. Vnicornu ℈.j. lap. Preciosorum ʒ.j. Bezoartici in magnatibus parùm, Margarit. ℈.j. Boli præpar. ℥.ß. Coralli ʒ.ß. Moschi, Ambræ an. ℈.ß. Camphoræ (sed moschi odorem retundit) ℈.j. puluerizentur omnia, Et ex huius pulueris additâ Sacchari ℥.j. fiunt vel trochisci, vel tabulæ, vel cum melle, vt illic dicetur, electuaria.

Ingrati ex myrrha, aloë & castoreo, qui valde efficaces sunt, parantur. Quæ tamẽ in forma pilularum, minori nauseâ, exhibẽtur.

Puluis sequens Hispaniarum regis secretum esse dicitur: ℞. Myrrhæ selectæ, Mastichæ, Boli Arm. Terræ sigillatæ, ligni Aloës, Caryophyll. Maceris, Croci, an. æquales partes, fiat puluis: Capiat singulis matutinis.

Alius ex aloë & myrrha sic fit: ℞. seminum Acetosę ʒ.ij. s. Citri mundi ℈.j. rad. Tormentillæ ʒ.j.ß. Boli præpar. ʒ.iij. Aloës lotæ, Myrrhæ, Coralli rub. an. ʒ.j. cort. Citri sicci, Caryphyll. Cinam. an. ʒ.ß. Croci ℈.ß. sp. Diamarg. frig. & Triasant. an. ʒ.ß. fiat puluis.

Castoreum nõnunquam his permiscetur,

quod tamen ob fœtorem non nisi magnis compositionibus & parua quantitate, vt in theriaca fieri videmus, addendum erit.

Opiata antidota in vsu præcipua sunt, quę tamen si nimiùm sumantur, propter opium tandem lædere possunt.

E quibus vsitata sunt, Theriaca, Mithrid. & inprimis antidotus illa magna Matthioli.

Electuarium de ouo valde probatur. Quod rectiùs, ne aduratur, sic parabitur: ℞. vitellũ vnius Oui, coctum ad duritiẽ, cui adde Croci contriti æquale pondus, agitenturq; probè simul: addendo dein pulueris rad. Tormentil. Dictamni an. ℥. ß. rad. Angelicæ ℥. j. rad. Vincetoxici, Succisæ, Zedoariæ an. ʒ. ij. sem. Erucæ ʒ. j. Myrrhæ ℈. j. Theriacæ, Mithrid. optimi an. q. s. ad formandam massam satis duram. Cuius ʒ. j. cum Aquis, Vino, vel Aceto propinatur.

Electuario sequenti An. 82. feliciter vsi sumus: ℞. rad. Angel. Imper. an. ʒ. ij. radic. Tormentillæ, Carlinæ, Vincetoxici, Pimpinellæ, Morsus diaboli, Phu veri an. ʒ. j. Zedoariæ ʒ. ß. gran. Iuniperi ʒ. ij. bacc. Lauri ʒ. j. seminum Angelicæ, Acetosę, Cardui bened. an. ʒ. j. s. Citri mund. ʒ. ß. fol. Rutæ, Cardui ben. an. ʒ. j. Croci Piperis, Maceris an. ʒ. ß. rasuræ cornu Cerui & Eboris an. ʒ. j. Boli pręp. cum succo Citri ℥ ß. Opij ℈. j. fiat puluis, adde Camphoræ ℈. ß. nucleorum Nucum rec. Ficuum an. ℥. ß. Sacchari finissimi ℥. ij. Mellis ℥. xij. fiat electuarium. Ad tabulas formandas cape ʒ. j. pulueris, ad ℥. j. ß. Sacchari, cum aqua conuenienti dissoluti.

Quæ prædictæ omnes compositiones, vel per se vsurpantur, deq; illis manè aliqua portio sumitur: vel alijs permixtæ in nouas formas rediguntur.

Veluti ex mithridato communes hæ tabulæ sic fiunt: ℞. Mithridati ℥. ß. Sacchari candi & communis puri ana ℥. iiij. cum Vino maluatico fiant tabulæ.

Vel electuarium excellens hoc modo paratur: ℞. Theriacæ optimæ ℥. iij. rad. Tormentil. seminum Iuniperi, Cardui ben. Acetosæ an. ʒ. ij. Boli præpar. ℥. ß. ras. Eboris ʒ. j. Coralli ʒ. j. ß. sp. Diamarg. frig. ʒ. j. cum syr. de acetos. Citri fiat electuarium: Capiat per se, vel cum Aquis, aut Vino.

Sed & supradictis confectionibus varijs, vel speciebus prophylacticis si Theriaca addatur, opiatæ fiunt. Quibus & ingrata, & alia supradicta misceri possunt, & omnia veluti in vnum congeri.

Aquæ stillatitiæ prophylacticæ, quia omnes sudorem mouent, & ob id expulsiuæ dictæ sunt, in curatione pestis recensentur: vbi omnis generis tam prophylacticę, quàm curatiuę, & vtrũq; præstantes explicabũtur.

In ore tenenda quædam quoq; præcautionis causâ sunt, sic enim, cùm per aërem attractum pestem corpus subire existimant, eum quasi in ipso ingressu corrigi autumãt. Quod tum maximè cùm in publicum prodeunt, vel loca suspecta, & inprimis cùm ægros adeunt, erit faciendum.

Ex simplicioribus, Angelicæ radix, ore retenta, valde iuuat, & bonum odorem simul ori conciliat. Vti & Zedoaria eodem modo efficax, Enulæ item campanæ radix, & Galanga, Citri cortex vel Arantiorum, & semina illorum, Fœniculi semen aliqui similiter cõmendant. Reliqua inodorata vt Verbena, quę valde probatur, Tormentilla, Pentaphyllum, vel ingrata, cùm difficulter diu in ore retineri posint, omittimus.

Trochisci vel formulæ, vt in ore hanc ob causam contineantur, frequenter parantur. Quæ nos, omissis multis inodoris, ex odoratis potiùs & validis, permiscendo grata quoq; quædã, si illa simul deglutire debent, hoc modo componimus: ℞. rad. Angel. ʒ. ij. Ireos ʒ. j. Zedoariæ ʒ. ß. cort. Citri sicci, s. Coriandri an. ʒ. ß. Caryoph. Nucis mosch. Santali citri, an. ʒ. j. Cinam. ℈. ij. Boli Arm. præp. cum succo Limonum, vel Aceto ʒ. j. ß. Sacchari ʒ. vj. cum inf. gummi Tragac. in aqua Ros. addendo gran. j. vel ij. Moschi, vel Ambræ, fiant trochisci, vel morselli.

Alij faciliores & grati: ℞. rad. Angelicæ ʒ. j. ligni Iunip. ʒ. ß. lig. Aloës ℈. j. Sacchari ℥. ß. cum infus. Moschata fiant trochisci.

Myrrham aliqui solam in ore tenent, vel alijs permiscent: sed quia valde ingrata est, si eam alijs permisceamus, moschum, cuius odorem tunc euincit, possumus omittere.

Moschati trochisci simplices ex solo Saccharo & Bolo fiunt.

Externa

Externa remedia, varijs applicantur partibus.

Cordi autem præcipuè, quæ pulsantibus arterijs in carpo & alibi, & cordis regioni admoventur, & cùm nisi cor pestiferâ illâ qualitate afficiatur, pestem minimè contrahat, nec febricitet, plurimum prosunt. Proin cor cordialibus applicationibus, & venenatis quoq; cùm venenum venenum pellere credant, vt dicetur, muniunt.

Cordialia autem in forma sacculi vel vnguenti, vt hæreant diutiùs, cùm epithemata mox siccentur, potissimùm administrantur.

Sacculus itaq; ex odoratis efficacibus (omittentes ea quæ forinsecus inutilia sunt, vt lapides) sic poterit fieri: ℞. flor. Cord. an. p. j. Anthos p. ß. fol. Scordij, Maioranæ, Melissæ an. M. j. radic. Angelicæ ℥. ß. cort. Citri sicci ʒ. ij. rad. Ireos ʒ. j. seminum Acetosę, Coriandri an. ʒ. ij. s. Ocimi ʒ. j. s. Citri, Santali citr. ligni Aloës, nucis Mosc. Materis an. ʒ. ß. Croci ℈. j. fiat puluis, E quo sindone excepto, & cum bombace interpastato, sacculi formantur: Quibus Moschum vel Ambra addi possunt.

Illinuntur pulsuum & cordis sedes varijs modis. Veluti ex aceto ad id parato, hoc modo: ℞. rad. Angelicæ ℥. ß. fl. Cord. Caryoph. hortens. an. p. j. cort. Citri ʒ. vj. Croci, Camphoræ an. ʒ. j. fol. Melissæ, Cardiacæ an. M. j. Theriacæ ʒ. ij. misceantur, affunde aquæ Rosar. q. s. permiscendo quartā partē Aceti ros. Hoc aceto pulsus, nares & cor inungantur.

Vel sequenti linimento: ℞. Theriac. opt. ʒ. ij. vnguenti Nenuph. citrini ʒ. iij. sp. Cord. ʒ. ß. succi Limonum q. s. fiat instar linimenti.

Aut balsamo hoc odorato: ℞. ol. Caryophyll. ol. seminis vel rad. Angelicæ per destil. ana gut. v. Ceræ albæ parùm, addendo paululum Moschi. Arteriæ pulsantes inungantur.

Vel sequenti: ℞. succi Cardiacæ, Melissæ ana ʒ. ij. Camphoræ dissol. in aqua Vitæ ʒ. ß. Croci ℈. j. Mellis parùm: Fiat pro pulsibus linimentum.

Venenata, quæ cor à pestifero veneno munire existimant, non solùm ab empyricis, sed & à doctis quibusdam mirè commendantur, quæ tamen alij improbant.

Ex scorpionibus oleum, Matthiolus vehementer extollit. Quod minori labore sic parabitur: ℞. olei Scorpionum rectè parati ʒ. ij. Theriacę ʒ. j. misce: Et pulsuum regio inungatur, vel cùm ægrè misceantur, cum panno applicentur.

Huic Rhabarbarum aliqui permiscentes, præstantius reddi credunt: quale oleum Scorpionum Clementis existit.

Ex arsenico aliqui tabellam hanc paratam magnis laudibus efferunt: ℞. Arsenici crystallini & rubri an. par. æq. fiat puluis, excipiatur albumine Oui, vel mucilag. Tragac. fiat tabella spissa: Quæ serico duplici inuoluta, in cordis regione gestetur.

Nonnunquam & pulueribus cordialibus arsenicum permixtum, hoc modo gestatur: ℞. lap. fragm. Præciosorum, Coralli, Marg. cornu Cerui vsti an. ʒ. j. Ireos ℥. ß. Croci ℈. j. Arsenici albi ℥. j. Auripig. ℥. ß. fiat puluis pro sacculo, cui parum Ambræ quoq; additur.

Bufonis exiccati puluerē ad ℥. ij. magno, vt inquiunt, successu aliqui permiscent.

Hepar, si vnguentis illud roborantibus & refrigerantibus vngatur, corpus à peste magis tutum reddere, aliqui existimant.

Emissaria, vt alas, inguina, alij Aceto cum Benzoino, Styrace, Ladano, & Lithargyrio fricare docent, & pro secreto habent.

Vlcera externa casu vel caustico inducta, si adsint, & aperta eo tempore, dum pestis viget, diu seruentur, præcauere corpora quoque censetur.

Cauterium in brachijs & tibijs, si illis qui cum ægris versantur, actu vratur, vel potentia inducatur, eos præmunire creditur.

Scrotum monachus quidā Lugd. An. 64. peste regnante, perforabat, vulneriq; radic. Hellebori, sicuti equis in morbo Hünschs fieri solet, infigebat, sicq; viros à peste tutos fore pollicebatur.

Amuleta, Periammata dicta, magni quoque fiunt. Vt Auellana perforata eousq; vt nucleus eximi posit, repleta Argento viuo, obturataq;, & in collo suspensa: quod mirè iuuare, à Marsil. Ficino, exemplis adhibitis, probatur. Quam aliqui appensam, ita vt cordis regionem attingat, esse volunt.

Idem Saphyrus, Hyacinth. Smaragdus, Vnicor-

Vnicornu, Ebur, collo gestata, vt nudum pectus attingant, præstare putantur.

Sicuti & Pentaphylli, Dictamnique radices, Betonica item cum radice si manibus gestetur.

Curatio febris pestilentialis, variis modis à Practicis, prout eam ab hoc illóve humore natam existimant, instituitur, illiq; euacuando scopos accommodant. Nos verò qui eam à pestifera qualitate corpus inficiente natam ostendimus, huic magis propellendæ & alterandæ medendi scopum accõmodamus. Ætatis interim, & an mulier grauida sit, cũ illis quoq; insidietur, vt & infantibus & iuuenibus, ratione habita.

Prognostico tamen priùs præmisso, cùm periculosa sit omnis pestis, eaq; plures semper extinguantur, quàm euadant. In qua nisi viginti quatuor horarum spacio natura venenum totum, vel præcipuam illius portionem à corde extrorsum, vel aliò, vbi minùs nocet, propellat, nulla ampliùs spes, irritaq; Medici opera erit. Maculæ si appareant, cùm per illas nulla fiat critica, vti putarunt, expulsio, plerunque lethales sunt, mortemque iam imminere prænuntiant. Bubones quo plures erumpunt, & anthraces, sanari eos citiùs posse spem aliquam faciunt. Virium subitanea & magna prostratio, Syncope præsertim superueniens, Extremorum frigus, pro malis signis habentur. Si mulier grauida, peste correpta abortiat, vti ferè fit, plerunque moritur.

Curatio autẽ, vel à natura sola, cùm multi sanentur, vel Medici operâ adiutâ, perficitur. Quam, Morbo pellendo, Viribus seruandis, & Symptomatibus corrigendis, accommodamus.

Morbum, qualitatem venenatam, cordi & per consequẽs vniuersi corporis partibus similaribus, vnà cum calore febrili præternaturali impressam esse diximus. Cuius causâ qualitatem hãc pestiferam à corde, & humores quoque, qui febrem augent, euacuare primùm studemus. Simulque venenatam illam vim alterare, eamque alexipharmacis, vt minùs noceat, retundere. Et calorẽ quoque mitigare. Quod & simul & separatim variis modis tentatur.

Euacuantia autem hoc venenum, illudq; à corde reuellentia, humoresque febrem augentes expellentia, hoc ordine, hisce modis, vsurpare debent.

Sanguinis detractio per phlebotomiam facta, primum consuetumq; remedium esse solet, cùm per eam magnam veneni pestiferi copiam educi posse, plerique sibi persuadeant. Verùm in iuuenibus ante ætatis tempus maturum eam minimè faciendam esse generalis est regula. In grauidis quoque, præsertim in pede, vbi aliàs, vti dicetur, fieri solet, propter metum abortus, tutò minimè fit. In reliquis verò, quomodo ad pestiferam illam qualitatem à corde reuellendam, vel è corpore vnà cum sanguine educẽdam, cùm in eo minimè contineatur, prodesse queat, non video; cùm per eam, venis inanitis, vt lues hæc extrinsecùs corpus subiens, spiritusque mox afficiens, magis introrsum rapiatur, potiùs promoueatur: Dein & naturæ motus, quo statim in prima inuasione per sudores & externas pustulas, bubones, extrorsum venenum nititur excutere, sanguinis hac ꝓfusione impediatur. Viresq; tunc, quas hîc ad propellendum illud venenum necessarias, omnino cõseruare debemus, labefactentur. Neque sanguinis detractione ad causam morbi educendam, vel euentilandum calorem, qui hîc adeò magnus non est, tantùm emolumenti, quantum ferè nocumenti, ob causas dictas, accidit. Vnde magno mortalium malo, non obseruatis hisce, vti neque aliis circumstantiis, nisi quòd ætatis sola habita ratione in iunioribus eam negligunt, in aliis omnibus, mox, siue morbus sudorem, bubonem, anthracem proferat, vt ferè in prima statim inuasione fit, mox in principio venam aperiunt, sanguinemq; copiosè sinunt effluere, & in omnibus, etiamsi videant plerosque nihilominus mori, hoc remedij genere inconsideratè vtuntur. Quod tamen non, nisi consideratione omnium diligenti factâ, tentare, & tunc tantùm vsurpare deberemus, quando febris pestilens corpora summè plethorica, vel cachectica inuadens, febrem in illis, ob copiam sanguinis, vel putredinem, quæ simul accendit, non simplicem, sed synochum

chum, vel putridam facit, cuius causâ postea vena secta, si sanguinis copia vel putredo nonnihil tollatur, mitior febris euadit, tolerabilioraq; profert symptomata. Quæ tamen, vel tunc quoque parcè, virium causâ, fieri debet: &, si illæ statim in principio prostratæ sint, nec tunc, etsi iam dicta repletio eam requirat, facienda. Sicuti & experientia plures ex adultis venâ non sectâ, quàm eâ apertâ, euasisse toties comperimus. Licet aliqui extremum ex ea facientes remediũ, tam copiosâ sanguinis emisione factâ, vt animi inde sequeretur deliquium, se multos liberasse fateantur, & nullam aliam, nisi vehementem sanguinis detractionem probent.

Nos verò minùs peccari, si ea omittatur, quàm temerè vsurpetur, putamus: & si fiat, ratione febris aliquid potiùs, quàm pestiferæ qualitatis, opitulari: cùm ea non in sanguine consistat, sed extrinsecùs adueniens cor subitò occupet, neque ab eo per hanc posit reduci, aut expelli, existimamus. Tempus autem, si hæc fieri debet, conueniens, mox illius erit principium: in quo nisi ante diem naturalem absolutum, hoc est, intra viginti quatuor horas fiat, postea non ampliùs conueniet, sed naturam tantùm impediet. Quo tempore si sudor adsit, vti ferè accidit; donec ille perficiatur, differenda: nec enim ille vllo modo, vel sanguinis effluxu, vel motu corporis, seu denudatione, quod dum vena secari debet requiritur, impediri debet, sed tunc primùm postquam sudauit, & nonnihil refocillatus est, vel cibo, vel medicamento paululum æger, vena, si necesitas exigat, mox est aperienda. Quod & ante sudorem, si ille non mox adsit, fieri potest. Nec hîc in alui laxatione, quæ aliàs venæ sectioni præmitti solet, cùm tempus non tam diu det inducias, tardandum. Vena autem communis aliqua, si nil appareat: si verò dolor alicubi sentiatur, vena lateris dolentis eligitur. Si eruptio circa inferiora, vt in inguine circa pudenda fiat in pede vena malleoli, saphena dicta, vel pedis aliqua insignis eiusdem lateris, aperitur. Si in superioribus, vena brachij, vel manus eiusdem lateris: vbi etiam priuatim, si sub axillis sit, basilicam, si circa aures, vel axillam, cephalicam secant: sed & in facie si aliquid appareat, sub lingua venam tundunt. Dein & anthraci, vel bubonibus apparentibus, cucurbitulas aliqui, priùs antequam venam secent, imponere iubent, vt venenum eo locó, per naturam expulsum, maneat, neq; per venæ sectionem ad interiora reuocetur: quo nomine &, sicuti supra dictum est, venæ sectionem plerunque plus nocere quàm iuuare comprobauimus. Verùm sunt & qui venenum per venæ sectionis factum vulnus elici posse credentes, postquam sanguis fluere desijt, vulneri Scordium vel Alliariam, scordio viribus fortè non absimilem, contusa applicant. Alij Ostrea viua apponunt: illisque venenum allicere student.

Cucurbitularum applicationes aliquando venæ sectionis locum supplent, præsertim in iunioribus: sed & in adultis, cùm per eas nulla fiat ab interioribus venis sanguinis extractio, vti per venam sectam, vnde vires debilitari, & ad interiora pestiferam qualitatem reuocari, eoque nomine minùs conuenire diximus, tutiùs fortè erit, & cucurbitulis ad exteriora mox ab initio quod corpus subijt venenum euocare, & naturæ motum statim etiam, sudore & characteribus pestiferis iam erumpentibus, sic adiuuare. Proin & illis in locis, quo natura venenum propellere nititur, vt si character pestilens circa superiora prodeat, scapulis & collo, si circa inguina, natibus, suris & in poplite, cucurbitulæ affigi debent.

Scarificatio ante cucurbitularum vsum, iisdem in locis priùs facta, potentiùs ad exteriora elicit, nec adeò cùm exterior tantùm superficiarius educatur sanguis, vt si per venam sectam euacuetur, debilitat, aut naturæ motum impedit.

Sanguisugæ illis quoq; in sedibus admotæ, scarificationis locum supplere possunt.

Vesicatorium pollici pedis, aut annulari digito manus, ex Ranunculo, vel Flammula applicatum admodum deriuat, eoq; magis, si vesica excitata, filo trajiciatur, illudque vt saniem meliùs profundat, sæpè trahatur, & ne pertusa citò denuò coalescat, applica-

to desuper folio Betæ, vel Brassicæ, butyro inunctio, caueatur.

Plantis pedum Columbus viuus per medium scissus superligatus, valde diuertit. Quod & piscis Tinca per medium sectus: & Raphanus tritus: item Vrtica cum radicibus: & Hedera terrestris, contusa, faciunt.

Capiti quoq; pullus Columbinus viuus discerptus, si calidus adhuc applicetur, à quibusdam laudatur.

Per habitum corporis, manifesta euacuatione, per sudores, vel insensili transpiratione, huius pestiferæ qualitatis facta euacuatio, vel saltem à corde, seu interioribus ad exteriora, seu centro ad superficiem euocatio, præcipua curationis pars est. Quam & natura sponte ferè semper mox à prima inuasione molitur: cuius motum Medicus iuuare debet, vel si nil tentet, eam ad expulsionem excitare.

Fitque hoc exhibitis plerunque per os: nonnunquam, sed raro, suffitu, vel frictione. Exhibitis verò illud efficimus diaphoreticis, epispasticis, quæ & expulsiua, quod venenum expellant, à neotericis appellantur. Eligendo ea præsertim, quæ venenis resistere longa experientia deprehensa sunt. Ex quibus, vel solis, vel saltem reliquis permistis, hæc Expulsiua dicta remedia varijs formis parantur.

Quorum remediorum vsus statim in prima huius febris inuasione esse debet, vt si fieri possit, antequam qualitas illa venenata cor pessundet, quod statim nisi propellatur facit, sponte à natura, vel adiuta, exhibitis hisce expulsiuis, vnà cum spiritu & calore ad exteriora propellatur, illiusque malignitas antidotis hisce infringatur. Itaque quò citiùs hæc exhibentur, eò rectiùs hoc fiet: cùm in ipso præcipuus curationis cardo versetur: & nisi intra viginti quatuor horarum spatium, vel citiùs, (cùm sæpè etiam hoc breui tempore pestis iugulet) exhibeantur, quæ postea fiunt, ad veram curationem parui sunt momenti, neglectaque hac occasione, nisi natura sponte id faciat, frustra postea laboramus. Neque hîc venæ sectio, vti dictum, aut purgatio, si quando, vt mox dicetur, facienda est, illud impedire debet: et si sudorem multi post venam sectam hisce prouocare primùm malè doceant, qui tamen, si fortè non consulto Medico vena secta sit, nihilominus non omitti debet. Sed & altero die eadem repetuntur remedia. Quin & in progressu morbi, viribus constantibus, si natura rursum eò vergat, repeti possunt. Non tamen ægri adeò ad sudores per vim, nisi sponte erumpant, impelli (cùm & sine illis, ex vsu horum, per insensilem transpirationem, fiat euacuatio, & pestifera illa vis retundatur) debent.

Formâ autem variâ, humida præsertim, quæ & ad sudores mouendos magis est accommoda: vt decocti, vel aquæ, vel infusionis, vel potionis, vel electuarij, &c. hæc exhibentur.

Decoctum simplex nonnunquam citra aliorum permistionem, paratur. Vel commune decoctum, quod in morbillis ad propellendas pustulas & maculas in vsu est, vti illic explicabitur, hîc quoque nonnunquam exhibetur.

Quod tamen rectiùs parabitur, si antipharmaca illi addas: sicuti pro infantibus & iunioribus commodius hoc modo fit: ℞. Lentium, Hordei an. P. j. Ficuum n. x. Dactylor. n. v. rad. Tormentil. Dictam. an. ʒ. j. fiat decoctio, addendo parùm Vini: Detur.

Ex alijs verò antipharmacis, decoctũ rad. Angelicæ, Bardanæ, Petasitidis, Chelidonię, Tormentillæ, Dictamni albi, conuenit.

Item si Acetosa, Plantago, Tanacetum, Verbena, Scordium, Ruta, aliaque plura vel pauciora in aqua & Aceto, vel Vino, vel Aqua conuenienti stillatitia decoquantur, haustusq; de hoc decocto detur.

Allium in Hydromelite decoctum, & ad ℥. ij. vel paulò plus exhibitum, potenter sudores & vrinas elicit.

Guaiaci decoctum tale idem præstabit: ℞. Guaiaci ℥. ij. Zarsæ parillæ ℥. j. fiat decoctio, in qua decoque granorum Iunip. bacc. Lauri rad. Angelicæ, Enulæ an. ʒ. ij. Cinam. parùm, fiat decoctio.

Succi per se vix dantur, sed potionibus, vnà cum alijs permiscentur. Calendulæ succum ad ℥. iij. potum, multùm conferre docet Rondel.

Aquæ

Aquæ exstillatæ, idem præstabunt: è quibus selectiores hæ sunt, Ex simplicioribus. Arantij florum aqua, *Naffe* dicta: & quæ ex succo Limonum, vel folijs quoque, cùm odorata sint, elicitur. Angelicæ item fol. aqua, cum pauca aqua Vitæ data, mirè sudores, vti sæpè expertus sum, conciliat.

Quernorum foliorum, Lentis palustris, Sanguisorbæ, Acetosæ, Tormentillæ, Dracuntij, Pimpinellæ aquæ, idem præstant.

Chelidoniæ item sublimatio, cum Vino & Aceto facta.

Vel hæc magni vsus aqua: ℞. radic. Personatæ mai. seu Bardanæ ℔. j. cort. medij Fraxini tenerioris M. ij. eliciatur aqua: Cuius ℥. iij. propinentur.

Nucum viridium aqua summopere etiam laudatur.

Composita magis sic fit: ℞. Nucum nondum omnino, sed penè, maturorum, minutim incisorum q. vol. adde recentes has herbas, Acetosæ, Scabiosæ, Verbenæ, Rutæ, an. M. j. Solani, Semperuiui an. M. ß. destillentur. Hisce si priùs antequam aqua elicitur, Acetum addatur, facilè vomitum mouebis, sed nihilominus sudores mouet.

Citria mala vel limonia, sic destillantur: ℞. Limonia mala, vel Citria minora n. x. si maiora sint, duo vel tria sufficiant, incidantur, adde herbar. Borrag. Acetosæ ana M. ij. vel iij. Vini albi odorati ℔. iij. destillentur. Dosis ℥. ij.

Ex varijs concinnatæ aquæ selectiores, probatæque sunt sequentes. Quarum prima hæc est: ℞. radic. Angelicæ, Imperatoriæ, Tormentillæ, Valerianæ, Dictamni, Succisæ, Pimpinellæ, Bistortæ an. ℥. j. herbarum Verbenæ, Scabiosæ an. M. j. Aquæ vitæ, vel Vini optimi mens. j. destillentur, Detur ℥. j.

Secunda: ℞. fol. Rutæ, Calendulæ, Saluiæ, Verbenæ, Scabiosæ an. M. j. rad. Bardanæ, Succisæ an. ℥. ij. in Vino albo macer. destillentur, Dosis ℥. j.

Tertia hæc existit: ℞. ligni Guaiaci ℔. ß. radic. Angelicæ, Imperat. Gentianæ an. ℥. j. Ireos, Zedoariæ an. ℥. ß. fol. Cardui ben. Rutæ, Scordij ana M. ij. Ocimi M. j. poma Limonia incisa n. vj. destillētur ter, Quantitas ℥. ß.

Quarta, quâ sæpè feliciter vsus sum: ℞. radic. Valerianæ, Pentaphylli, Dictamni albi, Apij, Pimpinel. Serpentariæ, Tormentillæ an. ℥. j. Gentianæ ℥. ß. radic. Ebuli, Aristoloch. Angelicæ an. ʒ. ij. Galangæ ʒ. vj. fol. Valerianæ, Apij, Chelidoniæ ana M. j. Rutæ M. ß. baccar. Lauri & Iuniperi an. ℥. ß. ligni Aloës ʒ. ij. Cinamom. ʒ. vj. incidantur & contundantur, adde Aquæ vitæ mensur. j. aquarum Borrag. Bugloss. Acetosæ, Scabiosæ an. M. ß. destillentur, Dosis ℥. ij.

Quinta ex pluribus & efficacioribus, sic parabitur: in qua studio ea quæ terrea, dura, lapidosa sunt, cùm ab illis vis hac ratione elici nequeat, omittimus: ℞. radic. Tormentil. Pimpinellæ, Dictamni, Vincetoxici, Pentaphylli, Barbanæ, Petasitidis, Succisæ, an. ℥. j. radic. Angelicæ, Imperat. Enulæ, Myrrhidis, Valerianæ, an. ℥. ß. radic. Gentianæ, Aristolochiæ veræ, licet & vulgaris bona sit, an. ʒ. iij. Zedoariæ, Galangæ, Zingib. an. ʒ. ij. radic. serpentariæ, Aronis, Allij, Cæpæ an. ʒ. ij. cort. Laureolæ ʒ. j. herbar. Scabiosæ, Verbenæ, Calendulę, Chelidonię, Lysimachiæ, Scordij, Rutę, Tanaceti, Saluię, Melissæ, Plantaginis, Veronicæ maris, Cardui ben. Absynthij an. ʒ. ij. flor. Rosarum, Buglos. Borrag. Nympheæ, Violar. an. ʒ. j. Croci ʒ. ß. seminum Coriandri, Ocimi, Citri, Angelicæ an. ʒ. j. s. Acetosæ, Cardui ben. an. ʒ. ij. gran. Iuniperi, Lauri an. ℥ j. Nucis mosc. Maceris, Caryophyll. an. ʒ. j. Limonia mala incisa n. v. nucleorum Nucum n. xv. Boli Arm. præp. ℥. j. incidantur omnia minutim, & affunde Vini præstantiss. q. s. vt superemineat, Aceti ros. ℥. ij. Aquæ vitæ quart. j. macerentur, destillentur. Posset & infusio horum sola, si in spiritu Vini fieret, cùm tunc non corrumpatur, vsurpari.

Camphoram si prædictis compositionibus, quas destillare volumus, addamus, aquas illas odorem illius spirantes, admodumque efficaces reddemus. Quod & fieri poterit, si Camphoræ portionem addendo, vel in ea maceremus: vel dissolutam prius cum Aqua vitæ illi permisceamus.

Theriaca quoque vel Mithridatum, vel alia antidota, vel electuarium de Ouo, si enarratis compositionibus, antequam destil-

lentur, addantur: aquæ fiunt ad hosce vsus accommodæ, Theriacales dictæ.

Quæ & hoc modo fieri possunt. Inter quas Prima hæc admodum excellit: ℞. Theriacæ optimæ ℥. v. Myrrhæ sol. ℥. j. ß. Croci ℥. ß. Aquæ vitæ ℥. x. destillentur, Dosis ℥. ß. cui nonnunquam de spiritu Vitreoli guttulam addunt.

Secunda hæc sæpiùs quoque experta est: ℞. Cæparum albarum mund. incisarum n. vj. Allij mundati n. iij. herb. Rutæ, Chelid. Plantag. an. M. j. Theriacæ optimæ ℥. j. ß. Aquæ vitæ ℥. ij. Aceti ℥. j. Vini ℥. ij. destillentur: valde est efficax, & proin ℥. ß. pro vna vice fortè sufficiet.

Tertia, quam peste An. 94. sæuiente, cùm in vsum pauperum potissimùm composuissem, tam vtilis & tantùm profecisse deprehensa est, vt tunc alio remedio vix dum vterentur, multique eâ restituerentur: ℞. radic. Tormentillæ, Bardanæ, Pimpinellæ, Succisæ, Phu veri hort. recentium an. ℥. iiij. rad. Imperat. Angelicæ, Dictamni albi, Gentianæ, Serpentariæ an. siccarum ℥. j. Cæparum recent. excort. Nucum recentium nondum plenè maturar. an. ℥. vj. fol. Rutæ, Acetosæ, Cardui ben. rec. an. M. ij. incidantur omnia, addendo Camphoræ ʒ. j. ß. dissolutæ in Aqua vitæ ℥. j. adde Mithridati ℥. j. ß. Vini albi præstantis. mens. j. ß. Aceti ros. ℥. ij. eliciatur aqua: cuius dosis summa ℥. ij. est. Cui syr. Acetos. simp. vel de Limonibus in delicatioribus vtiliter permiscentur.

Quarta à veteribus ex helleboro parata, hoc modo correcta est: ℞. radic. Angel. ℥. ij. Zedoariæ ℥. ß. rad. Hellebori nigri ʒ. ij. Succisæ, Tormentil. Dictamni, Chamæleontis albi, Gentianæ an. ℥. j. Theriacæ iiij. Nucum immat. n. xx. aquæ Veronicæ ℔. iij. Aceti ℔. j. ß. destillentur: Dosis ℥. ij. ß.

Infusiones aquarũ loco vsurpari possunt: quibus & viribus minimè cedunt, sed potiùs eas exuperant. Quales tum ex supradictis, vti dictum, parari possunt: tũ sequentes.

Prima ex camphora infusio: ℞. Camphoræ ℥. ß. Zingib. albi ℥. j. Caryophyl. ℥. j. ß. Sacchari candi ℥. j. Aquæ vitæ mens. j. stent diu infusa, Dosis ʒ. ij. homini adulto.

Altera ex antidotis opiatis: ℞. Antidoti Matth. rectè præpar. vel illius loco Mithridati, vel Theriacæ optimæ ℥. ij. vel amborum ℥. j. Aqua vitæ optimæ ℥. x. syr. de succo acetoso Limonium, vel Citri ℥. v. stent in infusione per mensem, vel in bal. Mar. Dos. ℥. j.

Tertia: ℞. aquæ Vitæ ex vino generoso quater destillatæ ℔. j. ß. Vini maluatici ℥. ij. syr. de succo Limonum, vel Citri ℥. ij. Antid. Matth. vel Theriacę, vel Mithridati ℥. x. rad. Angelicæ ℥. ß. Zedoariæ ʒ. ij. Camphoræ ʒ. j. Croci ʒ. ß. pulueris alicuius Liberantis, (sicuti mox describentur) ʒ. j. ß. spec. Diamargar. frigid. ʒ. j. de Gemmis ʒ. ß. Cinamom. ʒ. ij. Mosci ℈. ß. infundantur, vt dictum, Dosis ℥. j.

Quarta: ℞. rad. Angelicæ domest. Imperatoriæ, Zedoariæ, an. ʒ. ij. radic. Angel. sylu. Pimpinellæ, Phu veri, Vincetoxici, Tormentillæ, Personatæ, Carlinæ, Enulæ (nam sudores mouet) an. ʒ. iij. bacc. Iuniperi, Lauri an. ℥. j. sem. Angelicæ ʒ. j. fol. Rutæ ʒ. ij. fol. Calendulæ, Verbenæ, Scabiosæ ana ʒ. j. Cinam. ʒ. j. ß. Piperis longi ℈. ß. Croci ℈. j. Myrrhæ ʒ. ß. fiat puluis: affunde spiritum Vini rectè præpar. q. s. vt trium vel quatuor digitorum spacio superemineat: adde syr. de succo acetoso Limonum, vel Citri, ad calorem contemperandum, vel de Acetosa ℥. ij. stent bene obturata in vase vitreo, in sole, vel, si statim vtendum eâ, in bal. Mar. vel vtrinque. Et quando opus erit, da ℥. j. cum electuario aliquo, vt Theriacâ, vel Mithridato, vel Antidoto Matth. ʒ. j. Si iunior & calidior sit, da minus, & dissolue cum aqua Calendulæ.

Possunt & alij pulueres, qui in prophylacticis expositi sunt, simili ratione infundi, & liquor exhiberi. Vel pulueres, à quibus aquas destillari iussimus, non destillari, sed tuntùm macerari, infusumq; dari.

Syrupi formâ interdum hac exhibentur. Qui ex multis supradictorum decoctis, vel succis fieri possunt, si hæc Saccharo addito, vt diutiùs asseruari queant, inspissantur.

Vel sic: ℞. rad. Angelicæ, Tormentil. Dictamni, Pimpinel. Cruciatæ an. ℥. j. rad. Imperat. Zedoar. an. ℥. ß. fol. Cardui ben. Verbenæ, Rutæ, Chelidonij, Calendulæ cum floribus, Saluiæ an. aridor. ʒ. iij. gran. Iunip. ℥. ij.

bacc. Lauri ℥.j.ß. fiat decoctio in Vino, col. adde Sacchari quart.j. decoquantur in formam syrupi: Capiat ℥.j. per se vel dissol. in Aquis conuenientibus.

Extracta dicta, inprimis Angelicæ, Verbenæ, Enulæ, competunt: quæ & ferè cum aquis dantur. Vti & rob de Sambuco, quod quoque probatur.

Oleum Vitreoli ℈.j. pondere cùm Aquis dat Matthiolus.

In substantia pulueres dantur vix per se, sed in portionibus dissoluti, vel electuarijs, opiatisve permixti: nisi fortè ex illis infantium causâ, qui alia respuunt, tabulas formemus: quales superiùs enarratæ fuerunt.

Vel sequentes tabulæ, quibus & in grauidis vti possumus: ℞. rad. Angelicæ ℥.ß. rad. Tormentil. Dictamni ana ʒ.j. Theriacæ ʒ.ß. spec. Diamarg. frig. ℈.ß. Sacchari dissoluti in aqua Acetosæ ℥.iij. Dos. ʒ.ij.

Ex pulueribus verò, in potionibus dissoluti exhibentur, sequentes. Primus hic erit pro imbecillioribus: ℞. rad. Tormentil. Petasitidis, an. ʒ.ß. fiat puluis tenuissimus, adde spec. Diamarg. vel alt. Cordialis ℈.j. cum aqua Acetosæ & syr. de Limonibus, Sumat.

Secundus: ℞. Boli arm. præp. ʒ.ij. rasuræ cornu Cerui ℈.j. Margarit. ℈.ß. succi Limon. ʒ.ij. aquæ Acetosæ, vel Cardui ben. q.s. misce.

Tertius amarus est: ℞. radic. Tormentil. Dictamni, Gentianæ, fol. Cardui bened. pul. ana ʒ.ß. Boli præp. Coralli ana ʒ.j. Detur cum aqua Acetosæ.

Quartus: ℞. Succini albi, Coralli ana ʒ.j. Margar. ℈.j. vngulæ Alcis, Eboris an. ℈.ß. fiat puluis: Detur cum aqua Portul. vel Scabiosę, Qui & infantibus vtilis, præsertim si in tabulas redigatur, cùm ægrè pulueres bibant.

Quintus nonnihil ingratus: ℞. spec. Cordial. vel Diamargar. ℈.ij. ras. cornu Cerui ℈.j. s. Ocimi ℈.ß. s. Acetosæ ℈.j. medullæ s. Citri gran. vj. Myrrhæ ℈.ß. Aceti q.s. fiat potio.

Ex camphora facti pulueres, valde in peste cōmendantur, quos & refrigerare credunt. Præsertim hoc pacto exhibitus: ℞. troch. de Camphora syr. de acetos. Citri ana ʒ.j. aquarum Scabiosæ, Acetosæ, q.s. fiat potio.

Alius puluis, qui omnes febres curare, & in peste valde vtilis quoque esse censetur, ex camphora paratur: cui calida, cùm camphoram frigidā esse existiment, addunt: ℞. Camphoræ ʒ.j. Zingib. ʒ.ij. Sacchari candi ʒ.iij. fiat puluis, Dosis ʒ.j. cum aquis Cardui ben. vel Scabiosæ, vel Calendulæ.

Hunc paulisper immutatum, infundunt, illiusq; dilutū, vt superiùs dictum exhibent. Alij cū Theriaca, vt infrà dicetur, permiscēt.

Ex euphorbio, cui in hoc casu multùm tribuunt Itali, puluis sic paratus admodū est efficax: ℞. Euphorbij, Mastichæ an. ℈.ß. Croci gr. v. Sacchari candi ʒ.j. fiat puluis, dissol. cum aquis Acetosæ, & Aceti rosa. ℥.ß.

Vel sic: ℞. Euphorbij, Mastichæ, gummi Elemi ana ℈.ß. radic. Tormentil. Angelicæ ana ʒ.ß. Camphoræ ℈.ß. fiat puluis: aquarum Acetosæ q.s. Aceti ros. ℥.ß.

Alij quoque compositi pulueres ex varijs concinnantur, quos Liberantes vocāt, quorum variæ sunt descriptiones, hinc inde in Practicis inueniendæ.

Salia sua Chymici quoq; extollunt, quæ & Crato valde laudat, vt sal Angelicæ, Scabiosæ, Scordij, Cardui ben. Zedoariæ, Fraxini, Guaiaci, Absynthij: quorum gr. 10. vel 12. cum cons. Ros. vel aqua Citrij mali, aut alijs, dantur. Salis Polypodij ʒ.j. cum Vino data, mirè à quodam probabatur.

Diasulphur, si rectè præparatum detur, validum expulsivum esse dicit Crato.

Antimonium diaphoreticū ex multis fusionibus cum Sale nitro paratum, tanquam validum expulsivum, hîc quoque, non tamen satis tutò, vsurpant chymici.

Electuaria in hunc vsum varijs modis fiunt, quæ per se interdum, frequentiùs pulueribus mixta, vel sine illis dissoluta, exhibentur. Fiunt autem ex superiùs explicatis in aqua & infusionibus simplicibus: quibus ea quoque, quæ in substantia data operantur, in infusione verò vel destillatione minimè permiscere possumus.

Qualia sunt si electuarium præseruans, vel aliæ compositiones in prophylacticis explicatæ, cùm & in curatione similiter valeant, exhibeantur. Vel si puluerem in aquis curatiuis explicatum, compositum quartum vel quintum sumamus, illique species Cordiales, Margaritas, lap. Pretiosos, & similia, per-

misceamus, & cum Melle, vel syrupo in formam electuarij redigamus, ita vt nouas compositiones hîc explicare non sit opus.

Mixtura illa ex rad. Cucum. asini cum fol. Apij, Semperuiui, &c. vt in prophylacticis dictum, curatiua quoque insignis est, ab Hon. Castel. & Cratone etiam commendata.

Opiata antidota, cùm sicuti in omnibus venenis alexipharmaca, sic & in peste esse censeantur, prę sertim in vsu sunt. Quæ interdum per se, interdum diluta, interdum additis pulueribus vsurpantur, vti & aquis & infusionibus ea permixta exhiberi ostẽdimus.

Ex vsitatis autem antiquorũ antidota sunt Theriaca & Mithridatum, quæ ʒ.j. pondere, per se, vel diluta aquis conuenientibus, dantur: Philonium Gesnerus quibusdam quoq; permiscet. Recentiorum verò sunt Diascordium Fracastorij, Antidotus Matthioli præ cæteris laudata. Aliaque multa, à varijs (vbi quilibet suam compositionem extollit) prodita: inter quæ electuarium illud de Ouo, seu Diacroceum tantopere ab omnibus æstimatur. Vel parentur sequentibus modis.

Primo: ℞. Theriacæ, vel Mithrid. vel Antidot. Matth. vel elect. de Ouo ʒ.j.ß. dissolue cum decocto Zedoariæ, adde syrup. Acetos. simp. ℥.j. fiat potio.

Secundo: ℞. Theriacæ ʒ.j. succi Scabiosæ, Cardui ben. an. ℥.j. dissoluatur cum vino.

Tertio: ℞. Theriacæ, vel Mithridati ʒ.j. rad. Angelicæ, sem. Acetosæ, ras. cornu Cerui an. ℈.j. aquarum Angelicæ q.s. misce.

Quarto: ℞. Theriacę ℈.ij. pul. Verbenę ʒ.j. Croci gr. vij. aquæ Nucum recent. ℥.iiij. Bibatur calidum, Helidæus.

Quinto: ℞. Theriacæ ʒ.j. Boli præpar. ʒ.ß. spec. Diamarg. frig. spec. Liberantis ana ℈.j. aquarum Scabiosæ, Acetosæ, Cardui bened. ana ℥.j. syr. de succo acido Limonum vel Citri ℥.ß. fiat potio.

Sexto: ℞. Theriacæ, Mithridati ana ℥.ß. el. de Ouo ʒ.ij. spec. Liberantis ʒ.j. Boli præpar. ℥.ß. misce cum syrupo de acetos. Citri fiat electuarium. Dosis ʒ.ij.

Septimo fit addita camphora: ℞. Theriacæ ʒ.j. Verbenę ʒ.ß. Croci, Camphoræ an. ℈.ß. aquæ Nucum q.s. Aceti parùm, fiat potio.

Octauo, ad formam pulueris supradicti ex camphora curatiui, mixtura quorundã: ℞. Theriacæ ʒ.iij. Camphoræ, Zingiberis, Sacchari candi ana ℥.ß. fiat mixtura: Detur cum aquis, vel per se, pondere ʒ.j.

Nono, camphorata quoque compositio: ℞. radic. Tormentillæ, Dictamni, Angelicæ, ana ʒ.ij. Zedoariæ, Gentianæ ana ʒ.j. Scordij ʒ.ij. Verbenæ ʒ.j. Zingib. Camphoræ, Croci ana ʒ.ß. fiat puluis, & cum Theriacæ, Mithridati ana ℥.ij. fiat electuarium: Datur ʒ.j.ß. per se, vel cum aquis.

Decimo, cùm cæpa à multis probatum remedium, in qua cùm coquant theriacã, nos rectiùs sic parabimus: ℞. Cæpam parùm coctam, infunde in Aceto & postea succum exprime, cui adde Theriacæ ʒ.j. syr. de acetos. Citri vel Limon. ℥.j. Bibat. Ex Allio, vel allio & cæpa simul, simili modo fit in robustioribus efficax medicamentum.

Vndecimo, cum castoreo: ℞. Castorei ℈.ß. rad. Arist. Gentianæ, Theriacæ an. ʒ.ß. Detur cum Aceto acerrimo, & aqua Acetosæ.

Duodecimo, aliud mirificum ex succis, Elect. Lupi Monspessuli vocatum remedium: ℞. succorũ Rutæ, Saluiæ, Pimpinellæ, Centaurij, Pulegij, Absynthij, Valerianæ, Matricariæ, Nucum iuglandum immaturarum ana part. æq. Mellis ad medietatem totius: decoquantur ad consistentiam syrupi, sume huius confectionis ℥.j. Theriacæ ℥.ß. Boli Armen. terræ Sigillat. ana ʒ.ij. cum Aceto, vel cum Vino, si non magna adsit febris, Sumat statim correptus.

Decimo tertio, cũ sulphure tale fit: ℞. Sulphuris ℈.j. Croci ℈.ß. Thuris ʒ.ß. Theriacæ ʒ.j. Cum aquis detur conuenientibus.

Decimo quarto, oleo vitreoli addito: ℞. Theriacæ ʒ.j. el. de Ouo ʒ.ß. ol. Vitreoli gut. 7. Aceti fortis. ʒ.j. aquæ Acetosæ, Borrag. an. ℥.j. fiat potus.

Decimo quinto, ex calidissimis & causticis: ℞. rad. Ari, Serpentar. ʒ.j. vel an. ʒ.ß. rad. Angel. ʒ.j. fol. Rutę, Verbenę an. ʒ.ß. Croci ℈.j. Camphoræ ℈.ß. fiat puluis: Detur ʒ.j. cũ Theriacæ ʒ.j. dissol. Aceto & aqua Scabiosæ.

Decimo sexto, ex laureola tale paratur, quod cùm valde vrens sit, aceto in præparatione corrigitur: ℞. antidoti Saxonicæ contra venena, Theriacæ an. ʒ.ß. dissolue in aqua Acetosæ,

Acetosæ, addendo Aceti rosſ.℥.vj. ſyr. de Limonibus ℥.ß.fiat potio.

Suffitus aliqui ad ſudores proliciendos quoque hoc modo adhibentur: ℞. Acetoſæ, Rutæ, Scabioſæ ana M.j.cum Aloe, Myrrha, Maſtice, Croco, in Aqua & Aceto macerata priùs,calenti lapidi inijciantur,fumusq; toto corpore excipiatur.

Quidam ad ſudores eliciendos,in decocto Guaiaci,radices Tormentil.Ebuli & Bardanæ decoquebat, illiq; parùm Sublimati addebat,eoq; linteamen madefaciens, peste laborantes, eo madido calidè inuoluebat.

Sunt qui Cinnabaris fumo,eadem ratione vt in Venerea lue,ſudores ægrotis,additis etiam fortioribus,vt Antimonio,commouent.

Frictiones ad exteriora quoque euocant, ſudoresque promouent, & ſic per illum, vel ſaltem inſenſilem tranſpirationem, per habitum corporis euacuant: vti & alij corporis motus, qui cùm ob imbecillitatem obiri nequeant,frictio quæ ab aſtantibus fit, illorum vices obibit.Hæ autem ante ſudoris eruptionem fieri debent, & ſurſum deorſumq; corpus fricari: Quod & commodiùs, ſi manus aquâ calidâ priùs madefiant,aut ſi panno rubro ſcarlato fricentur, præſtatur: eatenusq; meliùs humores euocantur. Quo facto, corpus calido lecto inditum, linteaminibus, vel panno rubro, vt aliqui volunt, inuolutum, ad ſudores diſponi, & quietum eſſe debet. Sed & maculæ ſi erumpere incipiant,vt meliùs prodeant,frictio inſtituitur.

Vomitio inter euacuantia remedia interdum locũ habet: non tantùm,quando ſponte ad eam inuitantur: vel quando propter hoc ſymptoma, vt illud emendemus, vomitu vomitum curamus: ſed & ad venenatæ illius qualitatis propulſionem, quod per hanc violentam corporis cõmotionem fieri quoque poſſe creditur, bubonesque citiùs, vnà cum vomitu erumpere,vomitoria exhibent. Quod alij mox ab initio: alij priùs iniecto clyſmate: alij priùs antidoto exhibito, facere iubent: alij primùm poſt ſanguinem miſſum vomitoria exhibent, atque ſe miracula feciſſe prædicant.

E quibus leuiora ex relaxantibus & incidentibus acidis, vt ſyr. Acetoſo parant. Vel ex ſucci Eryſimi ℥.ij. cum aquis Scabioſæ, Cardui ben. & Bugloſſi, potionẽ propinant. Quidã vomitorio ex aq.Acetoſ.ſyl. Aceto & tantillo ol.Vitreoli parato,mira ſe expertũ in peſte infectis ſcribit. Sunt qui Azarũ,nucem Indicam, Ricinum,eo nomine exhibent.

Fortiſſima quoq; dant Empirici, aliquiq; Medici,ſeq; multos hoc pacto ſanaſſe gloriãtur.Ex Chalcantho pręparato,vomitorio parato, chyrurgum mira effeciſſe ſcribit Droëtus,quod mox poſt venã ſectam propinabat.

Stibij grana quinq; cum electuario Liberantis porrigit Matthiolus: Quem & empiricus quidã An.64.hìc apud nos imitabatur.

Argentum vivum præcipitatum ex Rhodo ſaccharo exhibet Matthiolus.

Deiectiones per alvum hoc modo,per clyſmata,tum per exhibita,inſtituuntur.

Clyſmata venæ ſectioni, ſi illa locũ habet, præmitti ſolent. Quorum loco & ſuppoſitoria indi poſſunt. Sed & ſi vena minimè aperta,ante expulſivum,clyſter inijciatur,vt meliùs & rectiùs antidotus operetur, facit. Vnde quidã ſe tribus hiſce auxilijs, clyſtere, venæ ſectione & antidoto exhibito, maturè vſurpatis, certò peſtẽ ſanare ſolere gloriatur. Ob quam cauſam,cùm per enema ſubita fiat operatio, nec illud reliquorũ vſum remoretur,in impuris præſertim corporibus,ante omnia, vel etiã poſt ſudores, & in morbi progreſſu, cùm non debilitet, eo vti poſſumus.

Et quod laxando ſimul abſtergat, putredinique reſiſtat, eligendum. Veluti commune, in cuius decocto Caſſiâ, Catholicũ,Tryphera diſſolvuntur. Decoctũ Veronicæ cum Butyro bene ſalito inijcit Crato. Alij cremorem Hordei, ad humores, vt inquiunt, contemperandos infundunt.

Purgatio per cathartica exhibita, cùm ſeminarium peſtis non expellat, ad curationem vix aliquid facit, niſi fortè ex fortiſſimorum ſupra infraq; deijcientium medicamentorum exhibitione,ſtatim ab initio propinatorum, natura commota, aliquid etiam de hac noxia qualitate propellat: quod tamen periculoſum admodum exiſtit,cùm vires ſic vehementer,quæ aliàs hìc mox debilitantur,deijciantur. Dein & quia alioquin ad alui fluorem propenſi ſunt, metuendum, ne

eo con-

eo concitato, nec cessante, æger intereat: sicuti cuidã ex nostris, cui Empiricus stibium, quod præsentaneum remedium vocabat, dederat, accidisse vidi, qui ex immoderata subsecuta vomitione & diarrhœa, in ipsa sella deiectoria adhuc sedens expirauit. Diligenter itaque ante omnia, an pestis purum aut impurum corpus inuaserit, considerare oportet: & si purum sit, non temerè cathartica exhibenda, cùm illud sine vsu, & cum noxa potiùs (cùm nec febris alia tunc sit, quàm synochi simplicis instar) fieret. Sin verò impuro corpore peste correptus existat, vnde febrem putridæ instar, pestilentem, tunc fieri diximus, non veneni, sed febris putridæ pestilentis nomine, purgantia aliquo pacto conferre possunt. Omni tamen cura virium interim ratio habenda, quæ si prostratæ mox sunt, ea omittere satiùs erit, & ad declinationem morbi, cùm iam status præterijt, differre. Quod si verò constent, ab initio facta aliquomodo prodesse potest. Licet & tunc plerique, si bubones vel alia, vti consuetum ferè est, eruperint, à purgantibus abstinere iubeant: quibus tamen si vtamur, sic instituendæ erunt, ne præcipuorum remediorum, quæ expulsiua esse diximus, vsum retardent, cùm illa alijs omnibus præmitti semper debeant, naturaque mox in prima febris inuasione sponte eò vergat, quò & ducenda erit. Postquam verò iam per sudores (quod cito sæpè, vel saltem primo die fit, & per horam vnam aut alteram durat) facta fuerit euacuatio, viresque constent, & videamus febris putridæ accidentia veneni noxis præualere, medicamentum catharticum, sed leue, ad putredinis aliquam portionem quæ in corpore continetur, febremque auget, exturbandam, exhibere possumus: vt sic eâ expurgatâ, natura validiùs morbum euincere queat. Neque hic longâ ante purgationem præparatione, vt verò aliqui docent, vti, tempus patitur: nisi quatenus in processu morbi alterantia, vti dicetur, ad putridos humores contemperandos, & simul corroborandum, exhibentur, & postea quoque etiam discussâ iam venenata qualitate, relictâ interdum febre putridâ, ad febrem illam putridam exactè sanandam, præparantia & euacuantia repetimus, eodem omnino modo, sicuti in febre putrida ea exposuimus.

Ergo cùm necessitas exigit, habita ratione ætatis, corporisque constitutionis, talia purgantia ex vsu præsertim erunt. Trypheræ, (quæ ab omnibus commendantur) Persicæ vel Sarracenicæ, quæ melior hic quibusdam esse censetur ℥. j. cum aquis Acetosæ, Scabiosæ, Buglossæ propinata.

Vel sic: ℞. Myrobal. citrin. chebul. an. ʒ. j. ß. Tamarind. ℥. j. flor. Cordialium & Scabiosæ an. P. j. fiat decoctio, infunde in col. Rhabarb. el. ʒ. j. Cinamom. ʒ. ß. fiat expressio: dissolue Trypheræ Persicæ ʒ. ij. syr. Ros. lax. ℥. ß. fiat potio: quæ optima est & tuta.

Potionem Rufi, quam nunc in forma pilul. dant, exhibere, etiam in ipso mox principio, non inutile erit: quâ datâ, anthracem statim postea erumpere, aliquoties obseruaui.

Extractum Rhabarbari, cùm & proprietate veneno rhabarbarum resistat, quo nomine antidotis inditur, vtile quoque erit.

Quæ violenter ex Stibio & Præcipitato parata purgãt: in vomitorijs, cùm vomitum simul moueant, fuerunt descripta.

Alterantia, quæ venenatæ qualitati resistunt, antipharmaca, cùm non tantùm vim illius infringant, sed & venenum euocent, & propellant, iam in illis quæ per habitum corporis euacuant, proposita fuerunt. Quæ verò febris calori & putredini interdũ, quæ nonnunquam in corporibus impuris, vt dictum fuit, accedit, contraria sunt, in alijs febribus putridis quoque explicata sunt. In quibus tamen hîc maximè ea eligimus, quæ præter quòd calorem contemperant, putredinem arcent, veneno quoque resistunt, & cordi maximè, quod hic præsertim patitur, appropriata sunt, quæ & ad virium conseruationem plurimùm faciunt. Illisq; intrinsecùs, extrinsecusq; vtimur.

Intrinsecùs varijs ea formis, modisq; hoc modo exhibentur.

Aqua frigida, in qua rasura cornu Cerui vel Eboris, vel Aurum macerantur, vel decoquuntur, vel in qua aurum extinguitur, loco potus sumpta proderit.

Vel decoctum rad. Acetosæ, vel Tormentillæ in aqua, pro potu vsurpatum.

Sene-

Senecionis decoctum, si in Ceruisia fiat, valde commendat Crato.

In ferculis, Acetosa, Borrago, Portulaca, Lactuca, Scabiosa, Cichorium, Endiuia, decoquuntur.

Succi acidi, Limonũ, Citri, Arantiorum, Granatorũ, Acetum, Agresta, Ribes, Berberis, iusculis induntur, & potui permiscentur.

Aquæ item Acetosæ, Rosarum, flor. Labruscæ, Scabiosæ & similes.

Syrupi acidi varij, præscripti in febribus continuis hîc quoque conueniunt.

E quibus syrupis, aquis & succis, iulepi fiunt. Primus hoc modo: ℞. syrup. de aciditate Citri vel Limonum, de Acetosa ana ℥.ij. de Granatis ℥.j. aquarum Acetosæ, Buglosi ana ℥.v. fiat iulep.

Secundus: ℞. syrup. de Ribes, vel vini Granatorum ℥.ij. succi Pomorum acid. ℥.j. aquæ Acetos. Scabiosæ, Melissæ, Buglosi ana ℥.iiij. fiat iulep.

Tertius: ℞. succi Acetosæ, Borrag. Pomorum redol. Scabiosæ, ana ℥.j.ß. Aceti ros. ℥.ß. aquarum Cardui bened. (loco succi, quia nimiùm amarus) Rosarum, Scordij ana ℥.iiij. decoquantur, fiat iulep, clarif. & aromat. Santalis, addendo Camphoræ gran.v. Vtatur frequenter.

Quartus: ℞. aquarũ Ros. Acetos. Borrag. ana ℥.ij. aquæ Cinamom. ℥.j. Vini albi od. ℥.ß. syr. de acetos. Citri vel Limon. ℥.j.ß. Manus Christi perl. ℥.ß. Boli Armen. ʒ.j. ras. cornu Cerui ʒ.ß. bulliant parùm, colentur: Vtatur.

Vel cum decocto sic miscentur: ℞. radic. Tormentillæ ℥.j. radic. Angelicæ ℥.ß. Zedoariæ ʒ.j. flor. Cord. & Scabiosæ ana P.j. fol. Acetosæ rotundo folio M.j. Santal. omnium ʒ.j. fiat decoctio, & in col. adde syr. Acetosæ, de acetos. Citri vel Limonum ana ℥.j. misce, vtatur. Vnicornu pro magnatibus addunt.

In substantia puluerizata varia cõmixta, diuersimodè propinantur. Primò: ℞. Boli præpar. loti ter in aqua Ros. Coralli ana ʒ.j. rasuræ cornu Cerui, Eboris ana ʒ.ß. Cinam. ʒ.ß. Manus Christi ℥.j. fiat puluis. Capiat per se vel cum Vino, vel iusculis.

Secundò: ℞. confect. Alkermes, si non adsit fluor alui, ℈.j. spec. Diamarg. frig. ras. Eboris, cornu Cerui ana ℈.ß. Boli præpar. ℈.j. syr. de Limonibus ℥.ß. aquarum Acetosæ, Scabiosæ ana q.s. fiat potio cordial.

Tertio: ℞. confect. de Hyacintho, quæ huic morbo peculiaris ℈.j. syr. de Limonibus ℥.j. Detur cum aquis.

Quartò: ℞. succorum Scabiosæ, Verbenæ, depuratorum ana ℥.j. syr. de acetos. Citri vel Limonum ℥.ß. spec. Diamarg. frig. el. de Bolo, de Gemmis ana ℈.ß. aquarum Rosar. Buglos. Acetosæ q.s. fiat potio.

Aquæ destillatæ, Instauratiuæ dictæ, huc quoque referuntur, quæ hîc huic veneno accommodandæ sunt: ℞. fol. Scabiosæ, Melissæ, Acetosæ, Verbenæ ana M.j. rad. Tormentil. Dictamni ana ℥.j. fl. Ros. Viol. Buglosi vtriusque, Scabiosæ an. P.j. s. Acetosæ ʒ.ij. s. Citri ʒ.ß. fiat decoctio in iure Pulli, quod postea sume, addendo sp. Diamarg. frig. el. de Gemmis, Bezoartici, vel de Bolo ana ʒ.j. succi Pomorum redol. ℥.iij. Cinamom. ℥.ß. Santal. omnium ʒ.j. destillentur in baln. Mar. Detur de illa aqua cum iusculis vel aliter.

Aliter ex capone sic fit: ℞. Caponem præparatum, coquatur, addẽdo, micæ Panis albi ℔.ß. Limonia mala incisa, duo, fl. Borrag. P.j. seminis Citri ʒ.ß. sem. Coriandri ʒ.j. ras. cornu Cerui ℥.ij. puluerizentur, adde Vini generosi ℥.iiij. conser. Cordialium ana ℥.j. destillentur: Detur aqua per se vel in iusculis, vel cum aqua Cinamom. iulep. Rosaceo, aut Oxysaccharo.

Instaurans magis nutriens, & roborans: ℞. caponem euisceratum, & à pinguedine mundum, incidatur cum ossibus, adde carnis Vitulinæ frustum: incisis, permisce Salis parùm, addendo spec. Diamarg. frig. ʒ.j. cons. Acetosæ, Nenuph. & Buglos. ana ℥.j. Cinamom. ʒ.iij. aquæ Ros. ℥.j. Vini odorati ℥.j. decoquantur in vase duplici, effundatur liquor, fiat congelatum.

Ex conseruis & condituris, laudantur cons. Rosarum, Viol. Buglosi vtriusque, Nenupharis, Acetosæ, flor. Garyophyl. hortensium, Scabiosæ, Melissæ, Anthos: Plantago condita: Cõditura item cort. Citri, Fructuum acidorum, Fragorum.

Quæ p se dantur, vel alijs cõmixta, in forma boli: Vt cõserua aliqua permixta Theriacæ, vel Mithridato, p vices, tertio semper die.

Vel additis pulueribus, syrupis conuenientibus, aliisve electuarijs fiat electuarium: Vt ℞. conseruarum Cordialium iiij. ana ℥.j. con. flor. Scabiosæ ℥.j.ß. cort. Citri cond.℥.j. Boli Armen.præpar.ʒ.j. Coralli ʒ.ß. rasuræ Eboris ℈.j. Santali rub. ʒ.ß. spec. Diamarg.frig.℈.j.pul.Bezoartici ℈.ß.ſ.Citri, Acetosæ, ana ℈.j. cum syr. aliquo, vt de Limonibus fiat electuarium.

Aliud valde cordiale: ℞.conſ.Cordial.iiij. Acetosæ ana ℥.j.ß.conſ.Melissæ ℥.ß.cort.Citri cond.℥.j. Boli præpar.Coralli præpar.ana ʒ.j. Margarit.præpar.℈.j.raſ.Eboris, cornu Cerui,vel Vnicornu in magnatibus ana ʒ.j.ſ.Citri,Coriandri præpar.Acetosæ an.ʒ.ß.fragm. lap.Præciosorum ℈.j.lap.Bezoar.℈.ß.fol.Auri n.x. Camphoræ gr.v. misceantur omnia, fiat electuarium.

Tabulæ interdũ ex vsitatis speciebus, vt Diamarg.frig.de Gemmis, puluere Bezoartico,de Bolo,alijsq; paratæ dantur. Et ad Hepatis alterationẽ tab. Triasantali & Diarrh.

Vel hæ: ℞. Santali rub. & albi, cort.Citri ana ʒ.ß. Cinam.℈.ij.Coralli,Boli præp.an.ʒ.j. Margarit.℈.j.Roſ.rub.℈.j.lap.Sapphyri,Smaragdi, Granati, Rubini ana ℈.ß. Auri limati ℈.j. raſ.Eboris, cornu Cerui ana ℈.ß. fiat puluis, & cum Sacchar o albiſs. q. ſ. dissoluto in aqua Roſ. & succo Limonum fiant tabulæ.

Formulæ sequentes in fine iusculorũ bullitæ,illa efficacia reddunt: ℞.seminum Acetosæ ℥.ß.ſ.Melonum ʒ.ij.ſ.Citri ʒ.ß. Santal.omnium ℈.ij. Coralli ʒ.j. Boli ʒ.j.ß. spec. Diamarg.frig.ʒ.ß.fiant formulæ.

Pilulæ ex trochiscis de Camphora, cum syr.Limonum,cordiales sunt, & veneno resistunt: quarum duæ vel tres aliquando exhiberi possunt.

Aurum potabile Chymici vehementer extollunt.

Oleum Scorpionum ad ℥.ß. infecto Crato porrigit.

Extrinsecus cordis, pulsuum, hepatis,renum,cerebri,ventriculi regionibus,testibus item, & extremitatibus, varia applicantur: atque aër quoque, qui attrahitur,corrigitur.

Cordi & pulsibus epithemata, statim post sudores & morbi progressum, applicantur, hoc modo: ℞. aquarum Acetosæ, Scabiosæ, Melissæ, Verbenæ, Rosarum ana ℥. ij. Aceti roſ. ℥.j. succi Limonum ℥.ß. Vini maluat.℥.j. Santali rub.& albi ʒ.j. cort.Citri ℈.j. troch.de Camphora ℈.j. spec.Diamarg.frig.ʒ.j. misce, fiat epithema.

Vnguentũ, quo cordis regio,& pulsuum, inungi debet,vel petia ex scarlato vel carmasino, & bis in die applicari: ℞.Theriacæ ℥.ß. succi Limonum, vel Citri ℥.ß. Aceti roſ.ʒ.ij. Camphoræ ℈.j. Croci ℈.ß. Moschi gr.iij. misce,fiat inunctio.

Vel vngatur Aceto, in quo rad.Angelicæ macerata fuerit.

Emplastrum hoc idem præstabit: ℞. Rosas rubras puluerisatas: coquantur in aqua Rosarum ad consistentiam: addendo parùm succi Pomorum, & Aceti, adde cort. Citri, Santalum: Applicetur emplastri instar pulsibus.

Oleo Scorpionum composito contra venena, pulsus inungit Matthiolus.

Quod & Balsamis dictis,sicuti in prophylacticis dictum est, fieri potest.

Sacculus loco epithematum, vt illic quoque ostensum, cordi & pulsibus apponitur.

Hepati epithemata & vnguenta refrigerantia,roborantia,vt in febribus putridis explicatum,adhibebimus. Vti & renibus,si illi nimiùm incalescant.

Cerebri causâ, capiti Oxyrrhodina, si incaluerit,imponuntur.

Ventriculi quoque habetur ratio,eum inungendo si debilitatus sit.

Testibus etiam ad moderandum calorem & refocillationem, cùm magnum consensum cum principibus partibus habeant, aliqua admoueantur: Vt, ℞. aquæ Roſ.℥.iiij. Aceti roſ.℥.ß. Vini generosi ℥.j. succi Granat. ℥.ß.Madefiant panni & applicentur.

Aëris locique emendatio plurimùm ad alterationem facit. Quod fit, si ab alijs ægris infectis in locum salubriorem separentur: Aër salubris intromittatur: Indusia, linteamina, lecticinia, culcitræ, conclauia, sæpè permutentur: Atque cubiculum Aceto roſ. aquâ Lauandulę,Rosarum,Citrangulorum, irroretur, illisque fornax hyemis tempore conspergatur. Vti æstate, si herbis & fructibus illud fiat: Suffumigeturque, vt in prophylacti-

phylacticis dictum fuit: Et suauia æger, vt illic quoque ostensum, odoretur.

Virium autem conseruandarum causâ, viuendi ratio talis instituitur.

Cibus (secus ac in alijs febribus continuis acutis) sæpè illis exhibendus, idque propter vires, quæ subitò restaurari debent; Parùm tamen per vices, ne grauet, offerendo: Et si comedere nolint, eos cogendo: Euchymus autem, & qui parua quantitate multùm nutrire & roborare possit, dandus.

Veluti iusculũ & caro pulli, hœdi, auium nemoralium, perdicum, vituli: è quibus varia fercula & inprimis congelata, vt superiùs dictum est, fiunt. Oua cùm facilè corrumpantur, vti & in pinguia, rectiùs omittuntur. Fructus aliaque, vt in febribus putridis dictum, conceduntur. Cibique aceto, succis acidis, & alijs, condiuntur & corriguntur.

Potus ipsorum Aqua præp. Iulepi, decoctum vel aqua Caponis, virium causâ esse debet. Vinum bene dilutũ eadem ratione conceditur, quod tamen temperatè bibant.

Somnus dum sudant, inhibendus. Quem aliqui ante viginti quatuor horarum spacium, præsertim anthrace apparente aut bubone, non concedunt. Qui tamen cùm vires restauret, & in somno ad exteriora potiùs quàm interiora calor, vt alibi ostensum, feratur: non vltra modum inhiberi debet.

Lætetur & bene speret, spe vitæ præsentis retinendæ diutiùs, vel æternæ obtinendæ.

Symptomata, quorum in febribus pestilentibus potissimùm est habenda ratio, sunt sequentia, Bubo & Anthrax: quæ duo, quâ ratione gubernari, & in ea loca, vbi hæc se manifestant, venenum trahi, & posteà curari debeant, suis locis explicabitur.

Virium prostrationi imprimis, sicuti in alterantibus & viuendi ratione explicatum, subueniendum. Et si Syncope superueniat, vel Cordis palpitatio, cordialia enarrata, intus forisq; administranda. Quòd si syncope stomachi causâ accidat, ventriculus inungendus, fouendusque. Vinumq; laudatum exhibendum. Panisque in succo Granat. Agrestæ & Vino intinctus propinandus. Manusq; & pedes in aqua calida immergenda. Extremaque, & facies fricanda.

Delirium & Vigiliæ, Catulo applicato, Opiatis, Extremitatum lotione, alijsque, corriguntur. Somnus si profundus sit, cùm obsit, impediri & Oxyrhodinũ applicari debet.

Sitis, potu, iulepis, alijsq; iam dictis corrigitur: quod & iulepus hic præstabit: ℞. aquæ ex Acetosa, & Pane è Rocka recenti destillatæ, quæ valde dulcis & suauis ana ℥.vj. aquæ Rosf. Scabiosæ ana ℥.iiij. aquæ Verbenæ, Buglossi an. ℥.ij. fiat iulep. cum Saccharo: Detur tempore sitis.

Vel conditum: ℞. conser. Acetosæ, Rosarum an. ℥.j. rob de Ribes ℥ j.ß. spec. Diamarg. frig. ʒ.j. Sacchari rosf. tab. q.s. fiat conditum.

Diarrhœa si accedat, cùm periculosa sit, Clyster abluens ex aqua Hordei cum Saccharo inijcitur.

Et: ℞. rad. Tormẽt. ʒ.ß. Boli Arm. Cum Vino stiptico datur. Vti & aliæ confectiones ad hác rem vtiles. Venterq; stipticis inungitur.

Abortus mulieribus grauidis peste laborantibus facillimè superuenit: quem, cùm lethalis ferè sit, cauere oportet.

Reliqua symptomata, vt Linguæ & Faucium vitium, aliáve, hîc nihil peculiare, ab illis, quæ in febribus putridis accidunt, in emendatione requirunt.

Venenatarũ febrium curatio.

Venenatæ febres, quæ à veneno, per morsum virulentæ bestiæ cor inflammante accidunt, paucis horis, vel primo die, sæpè, nisi suppetias feramus, interficiunt.

Curatio autem harũ præcipua in eo consistit, vt venenum illic, vbi corpus subijt, & plaga apparet, retrahere varijs artibus studeamus. Atq; antidoto, prout venenũ fuerit, illius vires infringente vtamur. Sicuti hæc alibi in venenis copiosè explicata sunt.

Febris autem occasione, si ea magna sit, Alterantia, Virium animiq; defectus causâ, cordialia extra intusque vsurpata, sicuti iam sæpè ostensum est, conueniunt.

Hecticæ febris curatio.

Hectica febris solitaria, siue febres continuas, diarias, vel putridas diuturnas, ardentes (non ea quæ colliquans dicitur, & ardentis febris est symptoma, non noua febris) vel intermittentes, aut hæmitritæos sequatur, sitque iam simplex & sola, & à febre, quæ eam præcessit atque excitauit, libera, (nam de alia in compositis febribus agemus) tunc

prout vel non ita pridem incepit, vel aliquousque progressa, vel iam confirmata est, prædictionem & curationem instituere oportet.

In iunioribus adhuc & infantibus, vti facilè cordis ipsorum, vti dictum, temperamentum, etiam leuioribus de causis alteratur, & mutabile est, ita & faciliùs in illis alteratum ad temperiem rursum reducitur. Ob quam causam & hectica in illis, nondum tamen confirmata, sæpè quoque sanatur. Quæ in adultis longè difficiliùs, atque ea tantùm quæ vel incipit, vel nondum diu perstitit, sanatur. In senibus verò quocunque modo se habeat, incurabilis ferè existit.

Curatio tamen in omnibus tentanda. In qua morbi causa, cùm sit temperamenti cordis, & solidarum partium in calidius & siccius permutatio permanens, nec humor aut excrementũ illud ampliùs foueat, corpusq; iam à febre prægressa inanitum exiccatumq; sit: euacuantia hîc prodesse non possunt, catharticaq; proin locum minimè habebunt, nisi fortè excrementorum & cruditatum in hoc longo morbo prouentus id exigat, tunc enim leuiora clysmata vel laxantia tantùm id præstabũt. Sed alterantibus intemperiem hanc corrigere vel reducere studebimus: Viresque quæ labuntur, sustentare: Et accidentia, si quæ accedunt, grauiora corrigere.

Alteratio in principio præcipuè humectantibus siccitatem illam partium & cordis, leuiterq; simul refrigerantibus, cùm calor tam intensus minimè sit, & moderatè frigidis vel temperatis contemperari quoq; possit, perficitur. Proin & narcotica, quæ maioris refrigerationis causâ aliqui exhibent, nos verò cùm minimè frigida esse, & potiùs corpus indè incalescere, alibi ostenderimus, studio, nisi vigiliæ vrgeant, omittimus. In progressu verò cùm iam consumptio incipit, reficientibus, tunc maximè opus erit. Quod alimentosis, humectantibus potiùs quàm alijs vehementioribus remedijs præstatur, cùm illa ad partes nutriendas tracta vndiq; in corpore suas vires rectiùs exerant. Hæc autem internis, externisque remedijs hoc modo fieri poterit.

In cibis commodè hæc, quæ exhibentur, dantur, cùm & alimenta quædam, præter quàm quòd reficiunt, simul humectant. Quæ proin hîc eligimus, illisq; interdũ, quę humidiora magis sunt restaurãtq; permista, propinamus. Qui elixi magis humectant, sed assi humiditatẽ substantificam magis augent.

Caro vitulina, hædina, & porcellorũ laudatur. Cerebrum item porcellorũ, & vituli.

Gallinacea item caro. Capi vel pulli gallinacei si nutriantur hordeo, vel saginentur pastâ intrusâ formâ pilularum, quæ paratur ex carne cancrorum fluuiatilium, & ranarum cum farina tritici, vel hordei subacta, in hoc casu vtilissima.

Aues quoq; competunt, elixæ potiùs vel leuiter assæ, nam in bilem, si nimis torrentur, facilè conuerti Gal. testatur, quod ego tamen lardi causâ potiùs euenire puto. Harum cerebrum & testes præcipuè prosunt.

Pisces saxatiles conueniunt, Cancri fluuiatiles, Testudines nemorales, & aquaticæ, Ranæ presertim, hecticis accommodati sunt cibi, Limaces quoq; aliqui probant, alij, nec immeritò, cùm tenacissimi sint, improbant. Contusum Carthusianorum ex caudis Cancrorum fluuiatiliũ, Hordeo, Amygd. & Saccharo paratum, mirè commendatur.

Oua probantur, vitelli imprimis, maximè cum Vino & Saccharo cocti, vti nostrum Weinwarm / Caseus item recens & Recoctum non improbantur.

Ex cerealibus, Panatella dicta vtilis, quæ ex Pane loto, expresso coctoque in brodio paratur. Vel tale ferculum: ℞. medullæ Panis lotæ in lacte, & postea cum Lacte amygd. aqua Rosar. & Saccharo permixtæ. Ptisana item seu cremor Hordei, qui si ex auena paratur, cum decocto carnis, vt humidior sit, misceri debet.

Amygdalæ, Pinei nuclei, Pistacia, per se, vel cum Lacte, vel Saccharo priùs obducta, comesta, aut alio modo ferculis permista.

Ex oleribus in cibis, rad. Eryngij, Satyrionis, & Tragopogi flore purpureo, Portulaca, Buglossum, Malua, Violaria, Endiuia, Spinachia, Beta, Caules, Fructusque humidi varij: diuersimodè præparata, vsurpantur, alijsq; supradictis permiscentur.

In potu, quo ægri magis delectantur, & reficiuntur, & recreantur, cùm & sitim illis perferre

ferre sit noxium, hæc commodè exhibebuntur.

Vinum vinosum, hoc est medium inter dulce & acidum, quia temperatum est, & inter omnia reficientia præstantissimum consuetis conceditur. Si fortius sit, diluendo contemperamus. Quod dulce est, sæpè nimium bibitum corpus accendit, nec in hac specie, vt si cum phthisi hectica copulata est, tussisq; adsit, vti & alia dulcia competunt.

Lac, vbi manifesta iam apparet consumptio, & nulla suspicio ampliùs seminum relictorum putridæ febris adest, vtilissimum est. Exhibetur autem longo tempore, indies: primum ℥. iiij. & ab illis ad ℔. j. sensim ascendendo. Muliebre, si à muliere, quæ à partu menses quatuor superauerit, desumantur, optimum est. Inde primas tenet asininum, quo si vllo modo hectica sanari potest, sanari posse creditur. Caprinum deinde, butyro priùs detracto, præ cæteris laudatur: in quo si corruptio timetur, addito Saccharo præcauetur. Si alui profluuium metuitur, chalybeetur: Reliqua in phtysicis, quibus potissimùm conuenit, explicabuntur.

Lac Amygdalinum, præstantissimum est remedium, additis interdum Pineis, s. Cucurbitarum & Melonum emulsionibus: vel etiam seminis Papaueris.

Vel si decoctum Capi, colatum à pinguedine, continuò bibant. Vel ex pulpa Capi & caudis Cancrorum decoctum in vsu habeant.

Decoctum Hord. in iure Pulli factũ, vtile.

Iulepus talis exhiberi potest: ℞. aquæ Violarum, Rosar. an. quart. j. Sacchari albis. ℔. ß. aquæ Buglosi ℥. ij. coquantur in formam iulepi: Vtatur cum Aqua cocta, vel Iure non pingui, vel Hordei decocto.

Vel sic: ℞. succi Portulacæ (quem mirè in hoc casu extollunt) ℥. iij. succi Buglosi ℥. j. depurati priùs, coquantur cum Sacchàro ad formam iulepi mediæ cõsistentiæ, Cuius bonam portionem frequenter capiat.

Pimpinellæ & Raparum succos sunt qui commendant.

Syrupus alius: ℞. radic. Bugloss. Eryngiorum rec. an. ℥. ij. Satyrionis ℥. j. Liquirit. recent. ℥. iij. Lactucæ, Portulacæ an M. j. florum Viol. Buglossæ, Borrag. an. P. j. Iuiub. Sebesten an. P. viij. seminum Cucurb. conquas. ʒ. ij. fiat decoctio & colaturæ adde Sacchari q. s. arom. ʒ. j. Sant. rub. fiat syrupus, decoctus ad consistentiam, vt diu asseruari possit, Vel bibat illum per se vel dissolutum.

Aquæ Portulacæ & Scabiosæ, infantibus præsertim, cùm ægrè medicamentosa sumant, dantur. Carnis item & imprimis Limacum & Cancrorum fluuiatilũ aquæ, & è Sanguine humano recenti extracta, valde quoque commendantur: quæ si confert, & illa quæ è Lacte recenti elicitur, æquè erit vtilis.

Vel composita hæc: ℞. iuris Caponis bene cocti, de pulposa ipsius carne, mens. j. adde carnium Testud. nemoralium vel Cancrorum, vel Ranarum an. P. j. cons. Rosar. Borrag. Bugloss. Scabiosæ, Violarum an. ℥. j. spec. Diamarg. frig. Diatragac. frig. an. ʒ. j. Cinam. ʒ. ij. eliciatur aqua sec. art. Aurum & alia inutilia hîc omittimus.

Confectiones variæ restaurantes potissimùm fiunt, quas gratas quoque, cùm diu illis in hoc morbo diuturno vti debeant, quoad fieri poterit, parabimus.

Martius panis dictus, & gratus, & conueniens illis erit. Qui & sic fieri poterit: ℞. pastæ, ex quo Martius fieri solet, ℔. j. adde nucleorum Pinearum quartarium ß. & sem. Cucurb. mundata ad ℥. j. in Lacte priùs macerata, & postea contusa, spec. Diapen. Diatrag. frig. an. ʒ. j. Diamarg. frig. ʒ. ß. misce, formetur placenta, coquatur sec. art.

Vel sic: ℞. pulpæ Caponis, pulpæ coxarum Ranarum, pulpæ caudarum Cancrorum fluuiatil. coctarum in aqua Portulacę & Rosarum an. quartarium ß. contundantur optimè, addendo Amygd. dulc. mund. ℥. ij. nucleorum Pinearum & Pistaciorum macerat. parùm in Lacte priùs, an. ℥. j. s. Cucurb. mund. ℥. ß. Amyli ℥. ij. Sacchari albis. quart. j. Margarit. contus. ʒ. ß. irrorentur paucâ aquâ Cinam. fiat pasta cum Lacte, & Vitellis ouorum duorum, coquantur in clibano, fiant parui panes: Vtatur.

Vel hoc modo: ℞. pulpæ coxarum Ranarum, & Cancrorum fluuiatilium an. quar-

tarium ß. vel Testud. nemoral. si haberi possunt, coquantur in aqua Portulacæ & Hordei mundi, addẽdo quatuor seminum Frig. mai. rec. mund. an. ʒ. j. seminis Papau. albi rec. ʒ.ij. Passul. enucl. Sebesten. an. ℥. j. dein hisce pulpis permisce, spec. el. Resumptiui, Diatragac. frigid. Diapenid. sine speciebus an. ʒ. ß. nucl. Pini & Pistac. an. ℥. ß. Sacchari penid. candi, an. ℥. ij. cum inf. gummi Tragac. facta in aqua Ros. (sic enim minùs corrumpuntur) fiant tabulæ, vel pandalia, vel aliæ placentæ ad vsum.

Saccharum Rosarum tabulatum in frequenti vsu habere debent, vel illius loco saccharum in aqua Violarum, Portulacæ, coctum in tabulas, vsurpare.

Condito hoc quoq; vti possunt: ℞. conser. Viol. Portulacæ, Buglossi an. ℥. j. cons. Ros. ℥. ß. sp. Diamarg. frig. ʒ.j. Sacchari q. s. fiat mixtura.

Inter externa remedia. Aër vdus nonnihil, & gelidus, magis illis quàm calidus & siccus conuenit.

Balnea corpus humectantia & leuiter refrigerantia, cùm hecticorum partes aridiores & calidiores sint, relaxantiaq; vt sic nutrimentum melius eò peruenire possit, easque alere, valde hecticis conueniunt. Quæ veteres tribus modis hoc ordine administrabant. Primumque ex aqua calida, vt relaxaret: secundum ex tepida tantùm, vt humectaret: tertium ex frigida, vt poris condensatis humiditas attracta minùs expiraret, parabant: vel aquâ frigidâ illius loco post balneum corpus perfundebant.

Nostro verò sæculo, ex aqua fit fluuiali, vel pluuiali, quæ melior censetur, eousq; calefacta, vel si nimiùm incaluit, rursum sponte refrigerata, vt illius vsu, nec corpus vltra suum naturalem calorem incalescat, aut æger siti corripiatur, nec sudet, quod hic minimè requiritur. Quo & non longiùs quàm hora vna semel aut bis in die, ante cibum corpus reficiendum erit, aut si illud bene ferre possit, paulò diutiùs in eo moram trahere sinemus. Sed & vaporem balnei per pannũ lineum vt excipiant, antequam corpus balneo immergant, aliqui vtile esse censet.

Artificiale balneum ex radic. Althææ, Malua, Violaria, Portulaca, Buglosso vtroque cum radicibus, flor. Chamæmel. in decocto pingui vel Intestinorum, & capitis Vituli, vel Veruecis, decoctis præparatum, accommodum erit. Cui in diuitibus, Lac, Oleum, Butyrum permixta, illud efficacius reddent.

Thermas Sulphureas, si ad manũ essent, succesiuè & per horas, vti dictum, vsurpatas, cùm admodum corpus inungant, sicuti experientia comperi, non improbarem.

Inunctiones post balneum, vel etiam extra hoc tempus manè & vesperi, eiusdem vtilitatis causâ instituuntur. Sic spinam dorsi hypochondria, ventrem, oleis relaxantibus vngimus.

Vel sequenti: ℞. mucilag. semin. Psyllij, Cydon. ana ℥.ß. gummi Tragac. infusi in Lacte ʒ.ß. Butyri rec. ℥.j. axungiæ Gallinæ pulli, quæ alba est, & Anatis an. ℥.j. olei Amygd. dulc. ol. Violacei ana ℥. ij. Ceræ albæ parùm, fiat linimentum.

Pectoris & cordis regio hoc modo inungi potest: ℞. ol. Violar. ex semine Cucurbit. Amygd. dulc. an. ℥. ß. axung. Anatis ℥. j. vngatur pectus, quod & vnguento Resumptiuo commodè præstatur.

Sunt & qui hepatis regionem ijsdem inungunt, quod tamen, cùm hic multùm iuuare non possit, ventriculum verò nimis laxando plus noceat, omittimus. Multò minus carnes, vti aliqui fecerunt, vnguentis permiscemus.

Epithemata pectori vniuerso, & cordis præsertim regioni, & pulsibus quoque, cùm & arterię calidiores sint, vtiliter adhibentur. Quale hoc est: ℞. emuls. Amygd. factæ cum decocto Hordei & Portulacæ, & Violarum q. s. adde Butyri rec. axung. Capi portionem, & in eo intincti panni tepidè pectori applicentur.

Cordiale epithema: ℞. aquæ Violar. Ros. Portulacæ, Scabiosæ, Borrag. Buglossi. ana ℥.ij. succi Pomorum ℥.j. succi semperuiui, vel Lactucæ ℥. ß. Vini albi ℥. j. succi Limonum ℥.ß. (acetum propter illius siccitatem omittitur) misce.

Ventriculo Portulaca contusa si applicetur, à multis iuuare in hectica censetur.

Frictio-

Frictiones extrinsecùs, post balnea, sed leues, vt corpus meliùs nutriatur, prosunt.

Virium causâ iam enarrata quæ exhibentur alimentosa, illas simul restaurant. Imprimis verò in victus ratione sæpè & parùm eum sumere, vti omnium qui imbecilles sunt, & restauratione opus habent, & quorum corpus absumitur, sic & hecticorum est conueniens regula.

Verùm & per clysmata iniecta, in extremè debilibus, præsertim si ob cibi fastidium, aut aliud incommodum, eum difficulter sumāt, nutriri eos posse persuasum multis est, hoc modo: ℞. Lactis ℔. ß. brodij Caponis ℥. ij. vitellos Ouorum ij. Injiciatur, diuq; retineat, & sæpè repetat.

Præcipuè verò quæ vires dejiciunt, vitanda. Vti inedia, cùm & famem tolerare malū sit. Item motus validi corporis & animi. Vigiliæq; cùm somnus illis plurimùm conducat. Omnisq; inanitio; coitus inprimis nocet.

Accidens præcipuum, cuius ratio habetur, si superueniat, alui fluxus est, qui si perseueret mortem accelerat: cui symptomati inunctione ventris, alijsq; prospicimus.

Interim tamen constipatio alui, si consueta sit, illis negotium quoq; facessit: cui medebimur clysmate iniecto, quod & simul humectet & leniat, hoc modo: ℞. brodij Pulli, vel intest. Veruecis, bulliant in eo fol. Lactucæ & Maluæ, dissolue in col. Cassiam vel pulpam Tamarind. ad ℥ j. ol. Violarum Nenuph. an. ℥. ij. Mellis ℥. j. Detur.

Vel lenis exhibetur potio: vt Manna cum Pulli brodio, vel Cassia, vel syrupus Ros. sol. aut Violarum.

Duplicium & triplicium febrium putridarum curatio. Compositas febres eas potissimùm esse diximus, cùm diuersi generis febres simul ægrum occupant. In quibus etiam præcipuè cura variat: Nam si ex illis quæ vnius sunt generis putridæ duæ, vel tres etiam febres, vt duæ continuæ, vel duplices intermittentes, aut triplices concurrant: cum ratione causæ non aliter, quàm quòd diuersis in locis in ijsdem tamen vasis, putrescens, diebus non ijsdem exacerbetur, febres hæ inter se differat, pluresq; proin potiùs quàm compositæ tunc se offerant febres: curatio quoq; eadem, ac si vna tantum esset, vti iam in putridis intermittentibus & continuis dictum fuit, adhibetur.

Diuersi verò generis si febres inuicem cōponantur, quod duobus præcipuè modis fieri diximus: Cum nimirum putrida continua, cum putrida intermittente copulatur: Vel putrida continua aut intermittens cum Hectica iungitur; cùm causæ diuersæ admodum concurrant: curatio vtrisq; tunc accommodanda est, & à simplicium curatione nonnihil eatenus offert.

Continua namque putrida si intermittēti, in Hemitritæo dicto iuncta sit, cuiuscunq; speciei ea sit, cùm causa gemina adsit, & putredo tam in vena caua quàm in venis meseraicis consistat, & non solùm indesinenter ægrum grauiter affligat, sed & altero tertióue die, nouo horrore superueniente, caloreque, & illius symptomatis, magis augeatur, periculosam eam omnem esse prædicere possumus. Præsertim si graue symptoma, vt syncope, in ea quoq; quam Syncopalem vocant, tunc quandò febres concurrunt, se offerat. Sed & eo nomine hemitritæus noxius, quòd in hecticam sæpe conuertatur, vel hydropem post se relinquat, esse solet. *Hemitritæi siue Semitertianæ febris curatio.*

Curationem verò hemitritæi eandem quam in reliquis febribus (in fæcibus communibus primùm educendis: venæ sectione vtriusque materiei; purgatione: & per vrinas sudoresque euacuatione, vna pluribusque repetitis vicibus) Practici instituunt, & humoribus singulis, vel biliosis, vel pituitosis, vel atrabiliariis, prout febrem ab illis nasci putant, accommodant. Inprimis verò ad syncopen emendandam omnes remedia describunt, & cordialibus etiam, quæ venenis resistunt, & pestilentiæ antidota sunt, permiscent.

Nos verò, cùm hoc symptoma vrget, inprimis quoque huic attendendum cordialibus remedijs, vt in syncope aliarum febriū dictum fuit, intus forisque admotis, censemus. Et quod febrem attinet, pro ratione corporis constitutionis, & humoris prædominantis, sic remedia, euacuantia, præparātia, alterantia, dirigenda; vt prout vel paroxysmi vrgent vel cessant, sicuti in continuis & in-

& intermittentibus dictum fuit, remedia ea, qualia illis quoque locis dicta fuerunt, disponamus. Et si reliqua quoque præter animi defectionem accedant symptomata, ea, sicuti in fine singularum febrium, tam continuarum quàm intermittentium dictum fuit, corrigamus.

Hectica cum putrida febre copulatæ, cura.

Hectica, si febrem, à qua prodijt, adhuc comitem habeat, vix synochus pura, cùm illa non supra triduum aut quatriduum perseueret, erit. Sed vel putrida quædam continua diu perseuerans: (cui hecticam copulatam esse, ex consumptione corporis maiore, quàm aliàs fieri solet, cognoscimus) vel intermittens potiùs aliqua diuturna tertiana, vel quartana: tuncq; non solùm ex marcore, sed & ex pulsu febrili, paroxysmo cessante, hecticam deprehendimus. Quod cùm fit, vtriusq; ratio habebitur, sequenti modo.

In concoquenda materia, obstructionibus aperiendis, hecticæ causâ quędam adjiciuntur, hoc modo: ℞. syr. Endiuiæ Viol. an. ℥.j. aquæ Endiuiæ, Portulacæ an. ℥.ij. misce. aromat. sp. Diam. frig. Capiat per aliquot dies.

Purgetur leuioribus hoc modo: ℞. Rhabarbari el. ʒ.j. infunde in aqua Endiuię, Portulacæ, exprimatur, adde syr. Ros. sol. Mannæ an. ℥.j. fiat potio.

Quæ præparantia & purgantia, si febris illud exigat, nec hecticæ obsint, reiteranda quoq; erunt.

Alterantia egregiè hîc humectare, propter cordis intemperiem, in hectica debent, ob quam causam potus liberalior in illis cōceditur. Lac verò propter putridam febrē, in qua lac, vti & capite dolentibus dare malum, vt inquit Hippoc. non conceditur, nisi fortè ob consuetudinem extra paroxysmū aliquid illis permittatur.

In iulepis, conseruis, alijsq; formis exhibendis, humectantia in hectica explicata, illis quæ ratione febris continuæ, vel intermittentis, obstructiones soluere debent, vel putredini resistere, & refrigerare permisceri, sicq; vsurpari possunt.

Epithemata inprimis, tum cùm metuitur hectica in febribus, & cùm iá adest, cordi, pulsibus, & hepati, eò frequentiora, magisq; refrigerantia & humectantia apponi debēt.

Balneum quoque si nihil aliud impediat, præsertim in quartanis, eò citiùs, imperare conueniet.

Comitatæ febres alio aliquo morbo, siue primariæ sint & morbum præcedant, siue symptomaticæ & morbum sequantur, curâ quoque potissimùm differunt: quatenus, vel cum erysipelate, vel bubonibus, vel cum morbis alijs calidis, vel cum ecthymatibus aut exanthematibus, vel cum pustulis alijs, vel cum phthisi, aut cachexiâ, vel cum alijs accidentibus retentorum in corpore, hæ febres se produnt. Sicuti singulis sex generibus comitatarum febrium curationes hoc ordine subjiciemus.

Synochorum & ephemerarū febrium, bub nes & erysipelata externa producentium Carfunctel d̄ctarum præcautio & curatio.

Cùm erysipelate, vel bubonibus quæ se offert febris, si adsit, quam synochum seu ephemeram hisce comitatam appellauimus, nostrique Carfunctel vocant: eodem modo quod febrem attinet, vti solitariæ, nisi quoque permutentur, finiuntur: nec aliter affectus hic, nisi hoc tumorum, quos produxit, causâ fiat, vti mox dicetur, periculosus est. Eo tamen nomine, quòd sæpè in quibusdam naturis: quibus vti podagra familiaris, annuatim, vel etiam frequentiùs redire soleat, quòd eo sæpe affligantur, debilitenturque, præsertim si etiam podagra illos infestet, vti sæpè fit, molestus grauisque existit: idque senibus præsertim, quibus & hic affectus infensus esse solet, eosque frequenter inuadere, accidit.

Quorum causâ & quia grauius accidens metuitur, non solùm ob tumores quos protrudit, verùm & quia inflammationes internas etiam proferre posset, inprimisque vti obseruaui, peripneumonias & pleuritides: vt illa declinemus, tum antequam inuadit, febrem hanc præcauere, tum quando inuasit, eam decenter curare, sicuti breuiter declarabitur, oportet.

Præcauebimus autem hanc febrem synochum comitatā, si sanguis redundet, prouentum illius impediendo: si calidus & feruidus, eum contemperando: si tenuis, illum incrassando: si impurus, eum ab ichoribus, serositate, aliisue excrementis repurgando. Quod sequentibus præsidijs perficitur.

Venæ sectio in plethoricis facienda annuatim

nuatim veris & autumni, & si opus sit, intermedijs quoque temporibus.

Scarificatio ad præcautionem à Germ. nostris singulare censetur esse præsidium. Vnde singulis mensibus ad impediendum hunc affectum in scapulis scarificatione, adhibitis post eam cucurbitulis, vti solent.

Purgationes hoc nomine, bis quoque anno, post & ante hyemem, instituuntur, quibus corpus ab excrementis supradictis mundum reddere studebimus: atque etiam, si cacochymia adsit, frequentiùs. Intempestiuas autem & violentas purgationes, hasce febres promouisse potiùs, commotâ materiâ, quàm impediuisse obseruaui.

Serum caprinum, in quo teneritates Lupulorum, Fumariæ, Sambuci germina noua, Sena, Epithymum, Polypodium decocta, quantitate conuenienti, fuerint, toto Maio mense, vel aliquandiu vsurpatum, nisi aliud impediat, in robustioribus & iunioribus valde conuenit.

Apozemate hoc illius loco diu vti poterit; ℞. Polypodij querc. rec. ℥. iij. vel sicci, fol. Senæ ana ℥. j. ß. s. Carthami ℥. j. Thymi, Epithymi ana ℥. ß. Tamarind. ℥. ij. rad. Lapati, ℥. j. Liquiritæ ℥. j. ß. radic. Cichoreæ ℥. ij. herb. Viol. Endiuiæ, Lactucæ, Buglossi ana M. j. Prunorum, Sebesten an. P. xx. Passul. P. x. sem. Anisi ℥. ß. flor. Cord. an. P. j. s. Cucurb. ℥. ß. fiat decoctio, & in ℔. j. col. dissolue succi Rosar. & Buglossi ana ℥. j. succi Pomorum redol. ℥. iij. vel Sapæ ex pomis ℥. j. Sacchari q. s. fiat syr. clarif. & arom. pauco Cinam. coquatur ad mediam consistentiam vt diutiùs remaneat. Capiat ab ℥. j. ad maiorem quantitatem ascendendo, per se, vel cum sero, aut alio liquore.

Acidarum aquarũ potus aliquandiu continuatus, vti consuetum est, septimanis aliquot, nisi quid obstet, multos ab hoc affectu, priùs illis familiari, præseruauit.

Quarum loco & alijs quæ assumuntur, hepar calidius, aliaque viscera, spiritus & sanguinem contemperantibus, præcautionis loco, vti possunt.

Sudores frequenter & decenti tempore mouere, hîc vtilissimum, quibus sanguinis massa à tenuioribus præsertim excrementis, bene repurgatur. Quod exercitijs & stuphis, nonnunquam & exhibitis eos promouentibus, molimur.

Victus inprimis deceti quantitate & moderatione obseruatâ. Cauendoque ab omnibus quæ sanguinem, spiritusq; facilè accendunt, illiusq; fluxum concitant.

Curatio autẽ huius affectus, partim febri, partim morbi comiti accõmodatur. Et quod febrẽ attinet, quod natura in hac febre sponte mox ab initio tentat, per transpirationem sudorésve, euaporationes illas à sanguine accenso eleuatas discutere, & per corporis habitum occultè manifestéve expurgare: illud idem nos tentare, naturæq; hunc motum iuvare, studebimus: vt sic aliquâ portione de causa morbifica detracta, nulla, vel non ita magna sanguinis in adenes, aut cutis superficiem, & pręsertim in alia loca interna, quod grauiùs esset, effusio fiat: inprimis vt per hãc viam causa morbi potiùs resoluatur, quàm in alias, in quibus novum damnum adferret, & morbum, propellatur. Ob quam causam, si natura, quod aliàs in synocho solitaria tardiùs facit, hîc mox aggrediatur, & ad sudores corpus inclinare videatur, statim ab initio quæ illos euocant, non tamen violenter, ne corpus iam priùs supercalefactum magis accendatur: aut quæ faciliùs saltem sudent, adiumentum præbent, adhibebimus.

Quo nomine æger quietus & tectus esse debet, & ne aëri frigidiori se exponat cauendum: in quo si peccetur, cùm in periculum magnum aliquos adduxerit; tantopere frigida & madida in hoc affectu extrinsecùs adhibere nostri metuunt, nec etiam vt erysipelati adhibeantur, permittunt.

Decoctum Hordei vt affatim bibãt, aliqui docent, & vt materia meliùs euocetur, lentes in eo decoquunt, & sicuti in ecthymatum febribus ad sudores eliciendos, exhibent.

Aquæ variæ stillatitiæ propinatæ idem præstant. E quibus tamen hîc temperatiores ratione febris potiùs sumendæ sunt: vt Violæ tricoloris, quæ mirè in hoc casu commendata est. Fumariæ item, Cardui ben. Calendulæ, Cerefolij, quæ etiam quando an pestis sit dubitatur, cùm simili modo, sicuti dictum, hæ febres inuadant, quippe quæ in vtrisque conueniant, certiùs exhibentur.

Quibus aquis interdùm rob Sambuci, vel Ebuli vulgò & nonnunquã syrupus de Ambrosia, Theriacaq; permiscentur. Interea tamen dum sudant, nonnihil quoque & præsertim eo peracto refici debent.

Sanguinis emissio non tantopere hîc vt in solitaria necessaria est, nisi plethora & metus grauioris internæ inflammationis ex illius præludijs quibusdam conceptus, eam suadeat, cùm quæ in emunctoria corporis & extremitates hîc fit sanguinis profusio, non adeò sit metuenda, vt sanguinis detractione impedienda sit.

Alvus verò si constipata sit, eo modo, vt in synocho solitaria lenienda erit, & nonnihil quoque si cacochymia adsit, sed lenibus, vt Cassiâ, Mannâ, sollicitanda.

Exhibenda quoque alterantia eadem, & si magnus calor sit, extrinsecùs etiam adhibenda, quæ in solitaria exposita fuerunt.

Accidentia febris alia, vt illic quoque explicatum, corriguntur.

Bubones quod attinet, sponte plerunque iterum dissipantur, nec illis aliud quid applicatur, nisi quod si in nudis locis, vt collo erumpãt, pannis aut pellibus inuolvuntur, & ab aëre muniuntur. Non rectè tractati aut irritati nonnunquã in abscessum, sicuti in bubonibus in praxi nostra explicatur, vertũtur.

Erysipelas quod concernit, illud quoque, vel mox postquã febris desijt, aut paulò post, remittit, discutiturque. Quòd si verò admodum dolore ardoréve vrgeat, vti suo loco explicabitur, sanatur. Sæpe malè curatum in erysipelas exulceratum, indeq; in deteriores affectus, aliquando & in gangrænam, conuertitur. Quæ & causa, vt tam solliciti in hoc ne quid peccetur, existant: & quicquid illis, vel diu postea accidit, præsertimque externa vlcera, tumorésve, & lepra ipsa se offerant, à malè curato erysipelate, vel madefacto, vulgus hoc prodiisse sibi persuadet.

Synochorum vel ephemerarum febriũ, ab Inflammationibus exter nis pro- Cum morbis calidis, & præsertim inflammationibus, illorumq; accidentibus, si se febris synochus dicta aliquando (neque enim semper adest) offerat: fitque externa aliqua inflammatio cum tumore, vel contusione, vel vulnere, aut ictu sclopeti se manifestans, febremq; inducens: Si leuis duntaxat sit febricula, illius causâ, non aliquid singulare tentatur, nisi quòd quæ tumorum horum causâ vsurpantur, febribus quoq; accommodantur. Qualia sunt venæ sectio, quæ revulsionis causâ, inflãmationis nomine facta, hîc quoq; competit. Vti & alui lenitio, aliaq; alterantia varijs formis modisq; propinata & adhibita, è quibus aliqua in alijs febribus descripta hîc quoque conueniunt. *ductarũ cura.*

Synochorum febrium, Inflammationes internas producẽtium, curatio. In internis verò inflãmationibus, & præsertim pulmonum, in pleuritide, peripneumonia, vel hepatis, lienis, aliorúmve viscerum, ad inflammationes potiùs, quàm febrem, remedia diriguntur, cùm febris hîc non adeò, vti hæc, vrgeat, sponteque morbo declinante, nisi, vti in causis dictum, recrudescat, cesset. Ita tamen hæc administrentur, vt & febris nihilominus habeatur ratio, ne eam augeant. Quæ si, & morbo, & febri simul contraria sint, eo efficaciora erunt. Quod in sequentibus maximè obseruatur.

Sanguinis missio vtriusque nomine summè conuenit, cùm & in febre synocho præcipuum illius sit remedium, & inflammationis incrementum, cùm à parte nobili sanguinem reuellat, impediat. Ob quas commoditates minimè negligitur, sanguisq; copiosè extrahitur, & phlebotomia interdum, nisi quid impediat, reiteratur.

Alvus si laxa seruetur, & clysmate alijsq; leuioribus laxantibus, & inflammationibus eiusmodi, & febribus, vtile. Validiora verò cathartica vtrisque noxia sunt, cùm præter quàm quòd de causa morbi nihil educant, interea tamen corpus inflamment, sanguinemque fluentem in inflammationibus ampliùs concitent, viresque, quæ hic maximè requiruntur, deijciant: eoque magis fugienda, si illorum vsu diarrhœam, quæ in internis inflammationibus periculosa & lethalis, ne superueniat, metuamus: Ab illorum itaq; vsu, in quo tamen empirici plerunque delinquunt, cauendum.

Quæ exhibentur frigida, etsi & febri, & inflammationi contraria sint, hîc tamen habitâ ratione partis sic dirigenda, ne dum vni prosint, alteri noceant. Etsi enim potus aquæ frigidissimæ febris synochi sit conueniens remedium, in internis tamen inflammationibus:

nibus subitaneâ repercussione noceret, ob quam causam minùs frigida exhibetur, sicq; præparata, vt parti simul appropriata sit: vt cùm in pectoris affectibus expectorantia, in hepatis, obstructiones soluentia, illi permiscemus. Ita & quæ acida sunt, etsi & febri, & plerisq; internis inflammationibus competant, tamen in pectoris affectibus, maximè si vim aliquam astringendi & austeritatem habeant, locum minimè habent. Quod non solum in potu, sed & in alijs medicamentis, iulepis, syrupis, conseruis, &c. obseruandum.

Extrinsecùs adhibita remedia, sic quoque vt vtrisque vtilia sint, instituuntur: inprimis verò inflammationi non obsint: vti epithemata, etsi in alijs omnibus febribus, cordis regioni adhibita prosint, in pulmonum tamen inflammationibus obessent.

Victus ratio, quæ febris nomine tenuis esse debet, inflammationis causâ, præsertim dum materia adhuc fluit, talis quoque requiritur, vt sic dum partes ieiunæ alimenti loco sanguinem ad se rapiunt, minùs ille in partem affectam fluat.

Verùm quâ ratione inflammationes internæ, vt & alij morbi, quos febris comitatur, eosque vel præcessit, vel sequitur, tractari debeant, pleniùs in horum singulis affectibus in praxi nostra explicatur.

Synochorũ puratrũ, putridarum, malignarum pestilẽtium febrium, Ecthymata, et Exãthemata pducentiũ cura.

Cum ecthymatibus, vel exanthematibus quæ se manifestant febres, quas Synochos, rariùs non putridas, frequentiùs putridas, frequentissimè putridas malignas, aliàs etiam pestilentes, hisce eruptionibus seu efflorescentijs comitatas esse diximus, pro diuersitate causæ, atque etiam ægrotantis ætatis, & iudicantur, & tractantur.

Minùs periculosæ sunt, si non à maligna causa prodierint: & tunc eundem decursum, vti synochus solitaria putris, aut non putris, seruant. Quòd si maligna insuper accedat causa, nondum tamen sit pestilens: neq; hæ febres in infantibus per se sunt exitiosæ, si natura causam, quæ in sanguine est putris & maligna, egregiè per hasce eruptiones, maturè & copiosè erumpentes, in exteriora propellat: vti verò si hoc non fiat, periculo non carent, & præsertim si morbilli dicti, fauces, pulmones, oculos infestantes, hisce partibus noceant. In adultis verò, siue pustulas siue maculas protrudês sit febris, cùm semper maligna subsit causa, eaque quæ diu sæpè antè in sanguine latuit, primisque annis aut nunquam in illis, qui non in iuuentute hæc passi sunt, vel non sufficienter in alijs fuit expurgata: periculosa omnis existit, processumq; malignarum febrium populariter aliquando grassantium seruat: licet hic affectus rariùs & priuatis tantùm accidat. Ex pustulis tamen quoq; signa prognostica desumentes, si signis concoctionis apparentibus in vrinis, pulsu meliore existente, & reliquis febris accidentibus nonnihil remittentibus, erumpant, bonum; è contra malum. Febris autem pestilens si talis, quæ hæc potiùs quàm alia externa vitia proferat, quod tamen rarum, regnet, plerunq; exitiosa existit: quâ ratione multa millia infantium aliquando è viuis sublata diximus.

Curatio præcipuè in eo versatur, vt cùm febris inuasit, & de illis efflorescentijs suspicio ex eo nascitur, vel quòd tunc in locis vicinis inter infantes regnet, aut iam vestigia quædam illarum apparere incipiant, vt naturæ propellentis motum, eas quoque euocando, eoque magis, si maligna subsit causa, expulsiuis dictis remedijs exhibitis, admotisque adiuvemus, alijsque & euacuantibus atque alterantibus febrem decenter regamus, viribus prospiciamus, & si quæ grauiora impendent symptomata, corrigamus. Quod hoc ordine ferè perficitur.

Expulsiua dicta medicamenta exhibenda, quæ & putrem, & malignam materiam à centro ad superficiem propellunt, statimq; à principio vsurpanda: pro ratione causæ variantia, prout illa vel putris, vel maligna, vel pestilens esse iudicatur: ætatis causâ in iunioribus mitiora, in adultis efficaciora: Hoc modo, à leuioribus exordiendo.

Ex ficubus, lentibus & hordeo decoctum loco potus propinatum vtile est, hoc modo: ℞. Ficuum sicc. n. xij. Hordei, Lentium ana p. j. decoquantur: Bibat.

Vel: ℞. Lentium excort. Hordei ana p. j. Ficuum sicc. n. xij. Iuiubarum n. xv. Dactylorum n. iiij. Passul. p. xx. rad. Liquir. ℥. ß. fiat de-

coctio, cui addi potest Saccharum, interdum Croci parùm.

Vel, iam dictæ materiei, adde sem. Fœniculi ʒ.ij. sem. Cydon. gummi Tragac. Laccæ ana ʒ.j Croci ℥.ß. fiat decoctio: Bibat.

Arabes hoc modo parare solent: ℞. Ficuum pinguium sicc. ʒ.ij. Lentium excort. Laccæ ana ʒ.iij. gummi Tragac. sem. Fœnic. ana ʒ.ij. decoquantur in aqua ad tertias.

Si obstructiones adsint, & corpus cacochymicum existat, hoc modo exhiberi poterit: ℞. rad. Graminis, Asparagi, Fœniculi ana ℥.j. Liquirit. ℥.j.ß. fol. Acetosæ, & Capill. Ven. ana M.j. flor. Cord. P.j. Ficuum n.xx. Passul. enucl. P.xij. sem. Fœniculi ʒ.j. fiat decoctio. In dosi vna dissolue syr. de acetos. Citri, vel Limonum ℥.ß. Mithridati ℈.j. vel plus, cum aquis Acetosæ, Calendulæ: Detur.

Item: ℞. seminum Cardui ben. ʒ.j. s. Napi ℈.j. s. Citri ℈.ß. s. Acetosæ ʒ.ß. contundantur, adde aquæ Cardui ben. Acetosæ, Veronicæ ana ℥.j.ß. exprimatur emulsio, adde syr. de acetos. Citri, vel Limon. ℥.j. cornu Cerui vsti ℈.j. Margarit. ℈.ß. Boli præp. ʒ.ß. sp. Diamarg. frig. ℈.ß. fiat potio.

Vel: ℞. decoctionis Hordei & Lentiũ q.s. adde s. Acetos. ʒ.j. gran. Paradisi ℈.j. s. Citri ℥.ß. decoquantur: adde Terræ sigil. ℈.j. Bibat.

Vel detur puluis noster Prophylacticus, si non magnus adsit calor.

Vel sic: ℞. rad. Myrrhidis (quæ nunquam omittitur si haberi potest) incisę ℥.ij. rad. Tormentil. Fraxinellę an. ʒ.ij. fl. Cord. an. P.j Acetosæ M.j. Lentium M.ß. Terræ Lemniæ ʒ.j. bulliant in aqua ad ℔.ij. arom. Santal. citrin. adde Sacchari ℥.v. Bibat sæpe ad libitum.

Vel detur sequens, quod valde conuenit, & cuius vsu, statim erumpũt maculæ vel pustulæ: ℞. Rhapont. veri. rad. Tormentil. Fraxinellę, Graminis an. ℥.j. aquę Fontis mens. j. maceretur, postea bulliant ad consumpt. tertiæ partis, adde Sacchari ℥.iij. Aceti ℥.j. vel succi acetos. Citri ℥.j. vel syr. illius ℥.j.ß. Bibat per biduum, vel triduum.

Vel si febris magna adsit: ℞. syr. de acetos. Citri, vel Limonum, de Acetosa: vtatur cum aqua cocta, vel alijs aquis, vt Acetosæ, addendo Bolum, vel pulueriza[t]um Bezoarticum.

Inunctiones spinæ, quas & reliquo corpori aliqui adhibent, morbillos quoque euocant, hoc modo: ℞. olei Amygdal. dulc. ℥.j.ß. ol. Chamæm. ℥.ß. Vnguenti resumpt. ℥.j. Vngatur spina.

Fotus interdum eo nomine adhibentur calidi, ℞. fl. Chamæm. Meliloti, ana P.j. Maluæ M.j. fiat decoctio; pro fotu partium.

Sed & in lecto se contineant: aëriq; frigido minimè exponant.

Scarificationes, adhibitis cucurbitulis, in dorso, pustulis & maculis etiam apparentibus, eas prouocant.

Frictiones panno, vt volunt, rubro, egregiè illas eliciunt.

Intuitum rerum rubrarum exanthemata rubra admodum prouocare vulgò creditur, eoq; nomine rubris quoq; integunt pannis: inter quæ ex scarlato tincta efficaciora esse creduntur.

Sanguinis detractio per venæ sectionem in brachio facta ab initio, si synochi hæ sint febres, cuiuscunq; generis, ad sanguinis accensi, vel simul putridi, vel maligni etiam portionem educendam, causamque sic minuendam, in adultis, plurimùm competet. Quæ & infantibus maioribus, cùm in minoribus natu non liceat, non inutiliter administraretur. Quæ tamen, si iam maculæ & pustulæ eruperint, ne naturæ motus impediatur, omittenda erit.

Si maligna admodum sit febris, vel etiam pestifera, quæ eiusmodi eruptiones exitiosas & contagiosas proferat, & præsertim in adultis, sequentia exhibere possumus.

Aluum tum ante venæ sectionem: tum si ea non fiat, in principio, si illa astricta sit, ne fæces calorem augeant, sed leuibus tantùm laxamus. Idq; vel Clysmate iniecto.

Vel exhibita potione, qualis hæc exempli loco erit, in adultis, & infantibus quoq;, sed minori quantitate, conueniens: ℞. flor. Viol. P.j. Sebesten, iuiub. an. n.x. Tamarind. decoctio diss. Mannæ ℥.j. Cass. ʒ.x. fiat potio.

Fortioribus si vtendum est, quod in adultis interdum conuenit, nec ea tamen fortiùs operari debent, ne diarrhœa, vel dysenteria quæ metuuntur, superueniant: addendo illis semper quæ malignitati huic resistant.

Quale hoc est: ℞. Rhabarb. el. ℈ iiij. Spicæ ℈.ß.

cæ ℈. ß. Scordij ʒ.ß. Myrobal. citrin. ʒ.j.ß.infundantur simul in aqua Acetosæ, & Cardui bened. & in expreſsione diſſolue ſyr. de floribus Perſicorum,& Roſ. ſol. cum inf. Senæ ana ℥.j. miſce.

Vel: ℞. Trypheræ Perſicæ, quæ valde laudatur, ℥.vj. Mannæ ℥.j.ß. ſyr. de Limonibus ℥.j. ſyr. Viol.Roſ.ſol. qui omnes cordiales ſimul ſunt ana ℥.j.aquæ Acetoſæ,Scabioſæ, Cardui ben. q.ſ. fiat potio.

In forma pilul. hoc modo: ℞. Aloës ℈.ij. Rhabarbari ℈.j. Myrob. ℈, ß. Agar. ℈. j. cum ſucco Acetoſ. fiant pilulæ.

Clyſmata per vices injiciuntur,vti priora, vel hoc huic febri accommodatum: ℞.Maluæ, Betæ, Mercurialis, Acetoſæ, Bugloſſæ, Borrag. ana M.j.Meliſſæ M.ß.fl.Cord. Furfuris,Hordei an. P.j. fiat decoctio, diſſol. in col. q. ſ. Trypheræ Perſ. ℥.j. Caſsiæ ℥. vj. Mellis ℥. j. olei Viol. ℥. iij. Salis parùm, fiat Clyſter.

Alterantia quod attinet, Refrigerantia & putredini ſimul & malignitati reſiſtentia, eadem quæ in putrida febre continua & maligna deſcripta ſunt,hîc quoq; cõpetunt. Extrinſecùs verò frigida,actu præſertim, applicare,ne fiat repercuſsio, non ſatis eſt tutum.

Vires reficiuntur ijſdem. Et in cibo Lentes & Hordeum quoq; competunt; Vinumque non niſi in declinatione conceditur.

Accidentia quod attinet potiora; Quo pacto puſtulæ gubernari debeant, maculæq;, alibi dicetur.

Diarrhœa ſi nimium moleſtet,præſertim in principio (cùm in fine ſæpè morbum ſoluat) vel etiam Dyſenteria, malignis & perniciosis humoribus ad inteſtina detruſis, ſequatur: priuatam quoq; curam requirunt. In qua trochiſci de ſpodio expulſiuis eo nomine permiſcentur.

Colicus dolor,Clyſteribus,vel exhibitione ol. Amygd. dulc. mitigatur.

Vomitus vehemens,cruſtâ panis in aceto intinctâ,exhibitâ, adhibitâq; compeſcitur.

Syncope ſi infeſtet,Cordialia vſurpantur. Inter quæ & hoc iuuat: ℞. Margarit, ʒ. ß. Boli ʒ. j. Auri limati, Vnicornu an.℈.j.ſ. Citri ʒ.ß. frag. Lap. pretioſorum an. ℈. j. Sacchari albiſſ. diſſoluti in aqua Roſ. q.ſ. fiant rotulæ.

Synochorum: Somnus profundus, ſi attonitos reddat, Frictionibus, Ligaturis, Cucurbitulis pellitur. Reliqua ſuis locis explicabuntur.

puratū, putridarum, malignarū, anthracem producentium cura.

Cum puſtulis alijs, vt Anthrace nondum peſtilentiali (de illo enim in peſte egimus) ſi febris ſe offert Synochus nõ putrida, vel putrida ſimpliciter, vel maligna ſimul, non tamen peſtilens, de qua in peſte agemus; Nec tunc quod febrẽ attinet, aliter quàm in iam priùs dictis,puſtulas quoq; proferentibus febribus comitatis,procedimus. In illorum vſu quæ cauſam, ſi præſertim peruerſa ſit, euocant; quo nomine & anthraci ea,quæ virus hoc alliciant,imponuntur. Dein & venã aperimus; Aluũ lenimus; Atq; internis externisq; cordi admotis refrigerãtibus putredinem & malignitatem arcentibus, corroborantibus,vtimur, Viribus ꝓſpicimus; Accidentiaq; grauiora emendamus; Atq; anthracem, ſicuti alibi docebitur, ſanamus.

Lentarū & Hecticarū febriū, Phthiſim & Cachexiam comitantium curatio.

Cum phthiſi aut cachexia quæ ſe offert febris Lenta ſymptomatica, ſi in Hecticam ſymptomaticam conuertatur, vt in phthiſi plerunq; fit, non alia ratione, quàm vt hectica ſolitaria tractari debet: quæ tamen incurabilis, cùm & altè impreſſa ſit, & morbus qui eam excitat, non deſinat, exiſtit. Quòd ſi verò in principio, & antequam in hecticam conuertantur, hæ febres adſint, cùm lentæ ſint, & proin calor in illis exiguus, illiusq; accidentia leuia, illorum cauſâ priuatim vix quid tentatur, ſed tota cura morbo comiti, cuius ſymptomata & noxæ magis vrgent, vti in hiſce morbis alibi explicabitur, accommodatur, ita tamen vt febris interim habeatur ratio.

Cuius tamen cauſâ, ſi ſanguis morbi cachexiam producentis nomine detrahendus eſt,nec plus, nec minus educitur.

Purgantia verò ſi in cachecticis neceſſaria ſunt, febris occaſione ne nimiùm corpus accendant, mitiora & leuiora exhibentur.

Alterantia quoque,ſi calidiora fortè morbi comitis cauſâ requirerentur, minùs calida propter febrem,ne ea augeatur,eligimus. Et in phthiſi eadem quæ in hectica humectando potiùs quàm vehementer refrigerando, febris cauſâ vſurpantur, vt illic dicetur, hîc quoq; etiam antequam hectica perfecta ſit, competunt.

Lentarum febrium à Secundina, Fœtus mortui, & Sanguinis concreti retentione prodeuntium cura.

Cum reliquis accidentibus retentarum secundinarum: fœtus mortui: sanguinis concreti, febris si iuncta sit, Lenta quoque symptomatica: nec in ea aliter, quàm iam dictum procedendum erit: Nisi inflammatio quædam iungatur: tunc enim sicuti in febribus cum inflãmatione copulatis cura instituitur.

DE CAPITIS DOLORE.

CAPVT III.

Genera.



CAPITIS dolores interni, qui contactu sicuti externi (de quibus suo loco) nisi ad exteriora ijdem quoque pertingant, non acuuntur, alij sunt insoliti, alij consueti: alij solitarij, alij comitati: vnde præcipua ipsorum exurgunt genera.

Cephalalgia, Soda Arab.

Insolitos vocamus eos qui recentes & noui sunt, hoc est, de nouo à causa aliqua recenti prodeunt, nec ægro priùs consueti erant: quod genus Cephalalgiam propriè vocant, Arabes Sodam: In qua caput vel indistinctè hinc inde, vel distinctè certo aliquo in loco dolet.

Indistinctè totum caput in cephalalgia aliquando, non certa aliqua tantùm in sede dolore afficitur, Vago, hac illáve in parte magis vrgente: Nunc distendente ac si caput esset divulsurus, quem caput premendo ligandóve mitigari nonnihil sentiunt: Nunc pulsante & feriente, in temporibus præsertim: Nunc pungēte in auribus potissimùm: Nunc graui & ponderis sensum præbente, qui & peculiari nomine Grauedo capitis dicitur.

Grauedo capitis, Cephalalgiæ species.

Aliàs verò distinctè dolorē anteriore in capitis sede, circa tempora sentiūt, latere dextro vel sinistro, vel vtroque, & in fronte atque oculorum radicibus, hoc est in oculorum orbitis, ac si oculi prolapsuri essent, sensum præbens: oculis tunc ferè rubentibus, temporibusque pulsantibus; comitantibus in auribus quandoque punctionibus: quæ frequentiùs in cephalalgijs eueniunt. Nonnunquam verò posteriore loco, circa occiput, dolor ponderis sensum præbens, sæpiùs in mulieribus, in viris rariùs se offert. Interdum superiore loco circa verticem dolor residet.

Consueti capitis dolores sunt, qui vel leui de causa commoti redeunt: vel alioquin inueterati sunt. Et nunc vtramque, aliàs verò alterutram capitis duntaxat sedem occupant.

Cephalea.

Vtramque seu maiorem capitis partem cùm afficiunt, priuatim hoc genus Cephalea dicitur. In qua dolor vel continuus est, qui diu perseuerat, nec omnino cessat, cùm etsi interdum aliquomodo mitior sit, mox tamē rursum exacerbetur. Aliàs verò in ea intermittit penitùs dolor, & per interualla veluti per paroxysmos redit: Qui vel sunt ordinati, certis diebus septimanisue, vel mane, vel sub noctem redeuntes: Vel inordinati, tunc plerunq; cùm à causa aliqua externa vel leuissima excitantur, remeantes.

Hemicrania.

Alterutram partem, dextram vel sinistram duntaxat, exquisitè, ac si caput, per medium diuisum esset, si infestet dolor, Hemicrania vocatur: Quæ à temporum pulsatione ferè incipit, & ad futuram sagittalem, caput per medium longitudinis diuidentem, protenditur, & per circuitus tertianos vel quartanos, quòd tertio vel quarto die redire soleant dictos, ferè ægrum exercet.

Solitarij capitis dolores sunt, qui per se incipiunt nullo prægresso morbo, à causis (vti dicetur) externis internísue cephalalgiæ: Quarum illa quæ à vino oritur, peculiariter Ebrietas dicitur, incipitque ferè postquam mentis alienatio & stupor à vino cessarunt.

Comitati capitis dolores sunt, qui alios morbos comites habent, quos & plerumq; sequuntur, illorumque existunt symptomata. Sicuti febres, quas & continuas & intermittentes, cephalalgia ferè semper comitatur, præcipuumque interdum in illis, quod affligit, est symptoma. Vel aliæ cephalalgiæ & cephaleæ, quæ morbos alios capitis, vt melancholiam, epilepsiam comitantur. Vel quæ in coryza, alijsque catarrhis occurrunt grauedines capitis circa frontem aut posteriora. Aut quæ in morbis partium natura-

turalium eueniunt, quos diuersa alia accidentia, vt cachexia, mensium suppresio, & cætera eiusmodi comitantur. Vel quando in lue venerea, cephalea tantopere molesta est, noctu plerumq; non tantùm circa interiora, sed & circa exteriora affligens.

Causa.

Pars affecta. INter caluariam causam doloris residere, vel in meningibus cerebri, vel cerebro ipso, cùm nihil aliud illic occurrat, necesse est.

In meningibus autem cerebri dolorem hunc fieri posse, quòd sensu tactus præditæ sunt, documento est. Quæ cùm geminæ sint, crassa nimirum & tenuis, illæque arctè inter se coniunctæ, vasisq; cohærentes, dolorem, ab vtralibet primùm incipiat, ferè cõmunicant: ita vt ægrè, quænam ex illis potissimùm afficiatur, liceat discernere, nisi ex eo coniecturam aliquã capiamus, quòd cùm affectus in exteriore crassa membrana potissimùm residet, ad exteriora capitis dolor quoq;, propter pericranium illi connexum, aliquomodo pertineat: si verò interior tenuis tunica magis afficiatur, profundior tũc, cerebroque veluti immersus esse videatur. In vtraq; tamen affecta, dolor ad oculorum radices, cùm oculi globus à cerebri membranis tunicas accipiat, potest pertingere. Sed & cùm ambæ tunicæ in duas veluti partes vnà cum cerebro per longitudinem mediæ caluariæ examussim distinctæ sint, fit, vt si affectus in vna saltem illarum parte vel latere consistat, medium quoque tantùm capitis latus in hemicrania patiatur: si in vtroque fit, in vtrisq; simul dolor, & nunc in hac illáue capitis parte, plus minúsue prout causa residet, molestet.

In cerebri substantia, cùm insensilis esse credatur, dolorem fieri minimè posse, plerique statuunt. Verùm cùm cerebri illas portiones quibus tenuis meninx proximè adnascitur, quæ neruos sensorios promit, sensu adeò penitùs destitui minime credamus, eas quoq;, vel per se, vel potiùs meningum causâ per consensum affectas, non tamen eo usque, vt mente læsa, stupeant potiùs quàm sentiant, dolori occasionem etiam præbere cum meningibus, existimamus. Et in grauedine capitis, quam vocant, circa frontem & posteriora capitis, ponderis illum sensum, ob cerebrum ea sede, quâ neruos & dorsalem medullam promit, molestatum, ægros sentire putamus.

Affectus autem meninges cerebri, illiúsue portiones sensiles neruorumque initium occupans, qui causa efficiens est doloris capitis, est vel manifestus; intemperies calida partes enarratas accendens, vel frigida conuellens, aut solutio continui vellicans, distendens aut grauiùs lædens. Vel est occulta qualitas hisce partibus aduersa, easque molestans. Adiuuans verò causa, partium harum ad patiendum dispositio. A quibus causis, si leuiores sint, leuis duntaxat fit affectio; si grauiores, aut plures concurrant, permanens & grauior nascitur affectus.

Calida intemperies, perfrequens capitis doloris causa existit, cùm caput facilè ob sanguinis spirituosi copiam (vt mox dicetur) incalescat, atque calorem præternaturalem concipiens, doleat: eoq; magis, si vti ferè accidit, accedẽte materia aliqua calorem hunc excitante, ab ea simul vellicetur, vel distendatur: aut qualitas quoque aliqua in illis sit cerebro noxia: Sicuti à vapore humoreq; calido, sanguine scilicet & bile solet accidere. *Calida intemperies cerebri, causa Capitis doloris.*

Vapores, subtiliores præsertim, cùm caput in eminentissima corporis sede positum facilè suscipiat, illud calefaciendo vel vellicando, doloribus capitis per consensum factis & appellatis, sæpe occasionem præbent. Quod extrinsecus à vehementer odoratis exhalantes, naribusq; affatim excepti & in caput delati interdum faciunt: vnde tamen, vt consuetus potiùs priùs capitis dolor redeat, vel recrudescat, quàm q;, nisi aliud accedat, nouus inde suboriatur, accidit. Quod & ab assumptis vapore suo caput ferientibus eodem modo euenit: à quibus etiam noui capitis dolores, si id vaporibus admodũ impleant, excitari possunt: veluti à vino immoderatiùs hausto in ebrijs fit, à quo vapores tenuissimi eleuati, caliditate sua cerebrum accendendo & vellicando potiùs, quàm distendendo, accedente interim aduersa cerebro & neruis vi (vt postea dicetur) dolorem capitis pariunt; qui plerunque cessante somno *Vapores cerebrũ petentes, causa Capitis doloris.*

mno

mno & ſtupore, à narcotica vini vi excitatis, remanenteq; diutiùs illi impreſſa caliditate, ſe exerit, & aliquamdiu adhuc, donec ſternutatione ferè vapores hi excutiantur, perſeuerat. Ab humoribus calidis, bilioſis, putridis, in venis, vt in febribus dictum eſt, collectis, vapores capiti demandati, in eo dolores capitis, plerisque febribus conſuetos excitant: qui & extra febres è præcordijs ſurſum elati, hemicraniæ paroxyſmos inducunt: bilisq; in ventriculum effuſa, euaporans, vti ſuffuſiones, vertigines, ſic & capitis dolorem per conſenſum efficit.

Sanguis in capite cauſa Cephalalgiæ.

Sanguis ſpirituoſus & copioſus, cùm in cerebri amplis & multis ſinibus ſeu ductibus contineatur, nimiâ copiâ illos adimplens, diſtendendo, vel calidior factus, accendendo (nondum tamen omnino inflammando, vnde deliriũ potiùs ſequeretur) Cephalalgiæ ſeu ſodæ ſanguineæ dictæ, perfrequens cauſa exiſtit. Cuius plures differentias, prout ſanguis qui exuperat vel incaluit, vel tenuis vel craſſus aut crudus (vt volunt) exiſtit, ſtatuunt & Cephalalgias bilioſas, melancholicas, pituitoſas nominant. Coaceruatur autem ille ſanguis in capite, vel ob plethoram in corpore redundantẽ, quæ varijs de cauſis accumulatur. Vel alioquin eò attractus aut impulſus: vt calore ſolis, balnei, hypocauſti: vel clamore, tuſsi, ictu, caſu motúue nimio corporis aut animi affectu vehementiori. Calidior quàm par eſt ab ijſdẽ cauſis quibuſdam fieri poteſt: Imprimis verò in morbis calidis, quorũ ſymptoma cephalalgia hęc exiſtit: & potiſsimùm in febribus, in quibus ſanguis cum ſpiritibus, vti in maioribus venis, ſic & in hoc loco accenduntur: ſicuti & in plerisque febribus, capitis dolor, tunc hanc ob cauſam, tũ ob euaporationes, vt dictũ, tũ quia in omnibus febribus, vti omnes corporis partes, ſic & cerebrũ calidius redditur, moleſtus eſt. A ſanguine autem capitis dolorem exortum eſſe, tum à prægreſſis, tum pulſante dolore, oculorumq; rubore, alijsq; cauſis facilè deprehendimus.

Bilis excrementitia, ſi qualis in capite à ſero ſegregata in aures mera & pura expurgatur, talis ad meninges cerebrumq; effunderetur, dolorem quoque ſine dubio pungentem efficeret, ſed vix niſi ſero diluta, vti dicetur, eò peruenit: nec tunc ſemper (cùm ictericis caput, niſi alia accedat cauſa, minimè doleat) dolorem parit.

Frigida intemperies cerebri cauſa Capitis doloris.

Frigida intemperies, vti in membranoſis neruoſisq; partibus corporis hinc inde non ſolum conſtringendo & mordicando, ſed & aduerſa ſua hiſce partibus exquiſitè ſentientibus qualitate ita & in capite dolorem excitare poteſt. Quod à pituitoſis cerebri excrementis, non cerebrum (inde enim ſopor vel ſtupor ſequeretur) ſed mẽbranas potiùs refrigerantibus, accidere poteſt: vti in coryza, actu frigida quandoq; è naribus effluere, ijsque fluentibus dolorẽ capitis remittere aut ceſſare videmus. Sed & ab actuali externa aliqua frigiditate, vel quia aſtringit aut alioquin inimica eſt, dolor oboritur: ab aëre ſcilicet, ventoq; imprimis, alijsq; foris capiti adhibitis frigidis: à quibus dolores capitis, ſi ad interiora capitis vſque frigus penetret, ſæpè procedunt. Quin & leue frigus externũ, illis quorum caput doloribus facilè poteſt affici, & quibus conſuetum eſt illud tectũ ſeruare, ſi diutiùs aperto ſint capite, dolorẽ infert, ob eamq; cauſam illud tam ſtudioſè muniunt, vel vt tectum ſit, pilos nutriunt. Quos hi qui à calore facile offenduntur detondent, & ſi prolixiores geſtent, capitis potiùs dolorem ſe percipere fatẽtur: quod in ſenibus quoq; caluis pręſertim qui dies noctesq; capite nudo eſſe geſtiunt, euenire obſeruauimus. Ex accidenti etiam frigus externum calorẽ ad interiora propellendo (maximè ſi à frigore paſsio, in calidum locum ſe ſubitò quis conferat) caput calefaciendo potiùs quàm refrigerando, capitis dolorem adfert.

Solutio continui manifeſta ab externis cauſis facta, vti ab ictu vel vulnere ad meninges cerebri vſque penetrante, dolorem capitis internum cum externo coniunctum facit.

Vellicatio & diſtentio in cerebro, cauſa Capitis doloris.

Quæ verò vellicando & diſtendendo fit, partim à vaporibus humoribusq; iam enarratis calidis (vti dictum) partim verò ab alijs iam dicendis proficiſcitur. Pituitoſa enim & ſeroſa cerebri excrementa, copioſiùs congeſta retentaque, non tam copiâ ſua, quàm frigiditate interdum (vti priùs oſtenſum) vel acrimoniâ, quam ex corruptio-

ne aut salsedine adipiscuntur, accedente actuali interdum quoque calore quem simul concipiunt, doloré capitis, nunc circa frontem, nunc circa occiput prout humor ille anteriorem posterioremue cauitatem implet, ponderis instar grauantem, distendentem quoque & vellicantem simul, interdum efficiunt. Qualis dolor, nunc breuior, præsertim si non subsistát hæc excrementa, nũc diuturnus, si aliquamdiu perseuerent, occurrit: interdum verò capitis aliquos alios affectus, vt vertiginem quandam, & imprimis defluxiones quasdam præcedere & comitari solet. Quem ab eiusmodi humoribus excrementitijs prodijsse, redundantis ipsorum copiæ indicia manifestant, humorque ille aqueus, tenuis, acris & calidus, in coryza dicta, cum capitis hoc dolore coniuncta, ex oculis naribusq; exstillant, quæ nam & qualis illius causa fuerit, & qualis in alijs etiam esse possit, satis demonstrat. Quorum & immensam copiam, non solùm è naribus, sed & ex auribus aliquando effluxisse, capitisq; dolorem diuturnum soluisse, vidimus.

Qualitas cerebro inimica, causa Capitis doloris.

Qualitas cerebri membranis proprietate aliqua inimica, dolorem in illis, & per consequens capitis, vel sola vi hac occulta, vel accedente simul manifesta qualitate, interdum parit. Sicuti ex narcoticorum vsu hæc excitata, postquam assumpta sunt, non solùm cerebrum afficit, sed & dolorem capitis, quẽ cùm sensus rursum ad se redeunt, demum persentiunt, post se aliquamdiu perseuerantem relinquit: vt & in ebrijs à vini nimia ingurgitatione, non tantùm à calore illius & vapore, sed ob hanc quoq; eius vim videmus accidere: quemadmodum & à ceruisia, simili aliquo modo contingit, cùm illa non minùs propter lupulos vim aliquam narcoticam habeat, quâ eos muscas interficere animaduertimus: & post vsum opiatorum medicamentorum capitis dolorem facilè subsequi, sæpe obseruauimus. Quod & ab alijs nõ narcoticâ, sed aliâs cerebro infensâ vi contingit: vt croco, apij semine & similibus, non solùm copiosè assumptis, sed & olfactu perceptis. A malignis alijs vaporibus vel humoribus caput infestantibus, vti aliæ ipsius functionum læsiones, sic & capitis dolores suboriri possunt: sicuti in melancholicis, similibusq; cerebri affectibus accidit. In contagiosis morbis, vis quædam pernitiosa, illud quoq; potest efficere: qualis ea est, quę in lue venerea, non tantùm extrinsecus periostia & pericranium afficiendo, dolorem in exterioribus capitis sedibus, alijsq; locis (sicuti illic dicetur) parit: sed & interiores meninges cerebri molestando, dolorem ad interiora etiam vsque pertingentem, qui in lue hac quandoque simul occurrit, inducit. Quod & pestilens aut venenata qualitas in peste correptis, aut veneno alio infectis, eadem ratione, si non solùm cordi, sed & cerebro aduersa sit, potest efficere, vt videlicet capitis dolor illis morbis aliquãdo, non solùm ob febrilem calorem (vnde quoq; hic capitis dolor, si putredo maximè malignis hisce febribus copuletur, oritur) sed & ob hanc pernitiosam vim, vel ob vtrumq; excitetur.

Dispositio patibilis vel imbecillitas cerebri, causa capitis doloris.

Dispositio seu constitutio capitis si talis sit, quæ facilè dolorem patiatur, occasionem vt sæpè leuiq; ex causa capitis dolor oboriatur, præbet, nec minima cephaleæ & hemicraniæ causa existit. Quam dispositionem patibilem appellare, sed vix qualis sit, explicare possumus. Nisi quòd sit vel sensibilitas nimia, aut aliàs præternaturalis, ob quã citò & facilè patitur: vel ab insitis causis, à parentibus hæreditario modo in liberos deriuata, profecta: Aut ex consuetudine praua, in illis qui sępè dolores capitis passi sunt, contracta: Vel aliàs imbecillitas quædam capitis, non ea in qua functiones capitis debilitantur potiùs quàm dolor infertur, sed quæ, vt caput ob hanc debilitatem faciliùs patiatur, efficit: qualis post morbos capitis graues vel diuturnos: vt vulnera, luem veneream, aliósue sæpe relinquitur: aut ob congeriem continuam excrementorum capitis, tale vitium illi imprimitur.

Curatio.

Cephalalgiæ, Cephaleæ Hemicraniæ à quacunque eau-

CEphalalgia calida dicta, quæ à vapore calido, vel bilioso, vel putri, aut sanguine nunc puro nunc impuro, nimiùm caput calefaciente, aut distendẽte, aut vellicante nascitur: & vel à causis externis vel internis, per se vel per consensum, in ventriculi alia-

rúmue partium morbis,calidis præsertim,vt in febrib. potissimùm prouenit,si per se sanguine fiat eò affluente, is statim à capite retrahendus, repellendus, & calor inde excitatus contẽperandus aut restinguendus,dolorq; ne de nouo influxum moueat, compescendus,& quicquid residui mansit,discutiẽdum absumendumq; est. Quod si verò per consensum à vaporibus sursum eleuatis fiat, cura morbis, quorum cephalalgia hoc symptoma existit,potiùs accõmodanda, huiusq; symptomatis causa,imprimis focus,vnde vapores exsurgunt, repurgandus erit, vaporeq; intercludendi, & à capite quoq; reuellendi,repellendi,discutiendiq;. Cephalalgia verò frigida dicta,si à frigore externo fiat,facilè per se, vel calore temperato sensim corrigitur remittitq;. Quæ verò pituitosa dicitur, quam nos ab excrementis alijs quoque cerebri nasci posse ostẽdimus, si cephalalgia recens sit,vel cephalea aut hemicrania antiqua existat, quæ difficulter admodũ sanantur; tunc in hisce tam nouis quàm consuetis capitis doloribus,ab eiusmodi cerebri superfluitatibus dependentibus, eadem ratione vt in alijs à similibus excrementis genitis cerebri morbis euacuationibus generalibus & particularib. varijs, cerebrum repurgare studebimus,atq; illud alterare, roborare,humoresque in illo collectos discutere,& per vias occultas aut manifestas, natura arteq; patefactas educere. A narcoticis,& à vino præsertim, aut alijs noxiâ vi caput molestantibus: vel à malignis vaporib. alijs,capitis dolores inducti, harũ causarum euacuatione,& virium illarum repressione, curantur. Si à lue venerea,pertinax ille capitis dolor affligat,nõ nisi multis magnisq; euacuationibus sanatur: sicuti hæc in morbis illis quorum capitis dolores symptomata sunt, explicata fuerunt. Quid verò potissimũ huius symptomatis causâ sit faciendũ, nos hîc qd per euacuantia & alterãtia remedia (quæ singulis dolorũ generib. & causis interim accommodabimus) pstari possit,ostendemus.

Quæ euacuationis potissimum causâ adhibentur remedia, vsurpantur; Vel vt sanguinem præcipuè, sæpeque cum eo ad alios humores & vapores à parte affecta retrahãt: idq; vel per emissionẽ sanguinis; vel suctionem;aut calorem: Vel vt humores alios,aut deorsum per aluũ, per os & nares; vel sursũ per vomitum;vel hinc inde è corpore,per sudores;vel priuatim per cutẽ capitis,educant.

Sanguinis emissionẽ phlebotomiâ potissimùm molimur. Quę,si sanguinis copia aut caliditas capitis dolorem inducat, tum vt is à loco affecto reuellatur, tum deriuetur, instituitur. Reuellimus illum è distantioribus venis sanguinẽ emittẽdo, quod mox à principio dum sanguis adhuc affluit, fieri debet: sed & successiuè veris & autumni tempore, in plethoricis quib. caput frequenter, dolore solet,hoc modo generalem sanguinis detractionem faciendo,capitis consuetus dolor pcauetur.Fitq; hoc brachij,vel etiam pedis lateris dolentis vena aliqua patente secta, cõmuniter cephalica dicta in cubito incidi solet: vel ea quæ in pollice pedis apparet, quã peculiariter in capitis affectibus incisá prodesse credunt, cephalicamq; ob id quod appellãt: in fœminis malleoli interioris saphena dicta, præsertim si menses non rectè procedant,tundi solet. In quib.omnib. quãtitas decẽs ex eo maximè, vt in pura plethora copiosiùs, in impura parciùs sanguis detrahatur,virũ interim & corporis constitutionis habita ratione,ęstimatur.Et si morá morbus ferre possit,aluus primùm leniatur. Deriuamus è vicinis capiti venis apertis sanguinẽ educendo,si is copiosus in partem iam influxus sit: idq; præmissa primum illarũ venarũ sectione,quâ sanguinem reuellimus, cùm iã fluxionis impetus cessauit,neq; nouus affluxus timetur. Quod iugulari externâ in lateribus,colli sectâ commodè (vti & Arabes iubent,alijq; in diuturnis capitis doloribus pdesse docent) præstaretur,nisi periculũ,quòd vulneratâ, ob amplitudinẽ, & quia in valida spiritus retentione & conatu ac vociferatione admodũ tumet, ægrè sanguinis fluxus iterũ sisti queat, impediret: eoq; magis quòd ea incisa,si Hipp. credimus,ob copiosã forte hęmorrhagiam,quæ inde sequitur,sterilitas viris succedat: rectiùs proin rami ipsius minores cutem capitis perreptantes in temporib.vel in fronte potiùs,maximè si pars capitis posterior doleat,aperiuntur: in quo tamẽ

faciendo,

faciendo, cùm vt venæ se patefaciant, colli constrictione opus sit, eaq; sanguis ad cerebrum pellatur, tutiùs erit, si venæ sub lingua tundantur, cùm iugularis interioris os subeuntis sint propagines; vel alij illius rami ad nares dispersi, frictione aut alio modo, vt sanguinem profundant, irritentur; Vel admotis sanguisugis nasi extremo, sanguis eliciatur; aut illę post aures, vel supra externas colli iugulares venas adhibeantur.

Arterotomiam, in contumaci dolore & perseuerante cum pulsationis & caloris sensu, sæpe iuuisse multi testantur, præsertim si vertigo adsit: quæ eodem modo, vt illic explicatum fuit, in fronte, aut temporibus, aut post aures fiat.

Suctio per cucurbitulas fit: quæ, cùm sugendo sanguinem à parte affecta trahant, & si scarificatio accedat, simul euacuent, in caussis, in quibus phlebotomia conuenit, idem quod illa pstabunt, & proin illius loco, quippe cuius vices obeat, vel post illam factam, vt illius actionem iuuent, vsurpantur. Quę colli lateribus, summo humero, scapulis, brachijs, coxis, suris & natibus quoq; eo nomine adhibentur: sensim à superioribus versus inferiora cucurbitularum applicatione procedendo, repetendoq; eodé vel etiam sequétibus diebus: adhibita simul postmodũ scarificatione, si validius à parte trahere velimus. Priuatim scarificatio in manu inter pollicé & indicé facta, in capitis dolore, vti & vertigine laudatur: vel si in carpi regione fiat: sunt qui & in auriculis scarificationé factá ꝓbant.

Calore attrahimus per frictiones, quæ ad reuulsionem nõ solum sanguinis, sed & humoris & vaporis, capiti dolorem inferentis similiter iuuant: si in extremitatibus, hoc est brachijs & pedibus, vel in dorso, à scapulis ad pedes vsq; descendendo fiant. Et si caput pectatur frequenter: vnde si pecten leuiter ducatur resolutio aliqua fit, si fortiùs, ipsiusq; dentes acutiores sint, etiam ad superficiem capitis aliqua ab intimis attractio: Quod in antiquis capitis doloribus, vel declinatione in reliquis locũ habebit. Ligaturæ extremitatũ, potentiùs adhuc quàm illarum solæ frictiones reuellũt. Quod & ablutiones extremitatum ex decocto actu calido factæ, additis herbis capitalib. præstant, admodumq; à capite humores vaporesq; reuellunt. Quæ simul & dolorem, vti in alterantibus dicetur, mitigare possunt.

Per aluum deiectiones, iniecta in aluum clysmata efficiunt, quæ venæ sectioni præmitti solent, aluum lenientia & fęces eluentia: & postea quoq; ad reuulsionem sanguinis, spirituum & vaporum, quæ simul stimulant commodè injiciuntur: & in diuturno dolore sæpe repetuntur, pręsertimq; si aluus constipata sit, cùm ex retentis excrementis vapores eleuati, morbum irritare, aut si consuetus sit, promouere soleant.

In causa calida, præsertim in febribus tale poterit injici: ℞. Maluæ, Altheæ, Violariæ, Betæ, Mercurialis, Brassicæ rubræ) quæ pręterquam quod stimulat, vapores reprimit, vnde ebrietatem arcet) an. M. j. Betonicæ (vt capiti approprietur clyster) M. ß. fl. Viol. P. j. fl. Chamom. P. ß. Hordei, Furfuris an. P. j. sem. Cucurbitæ ℥. ß. s. Fœniculi ʒ. j. fiat decoct. & in col. quant. suff. dissolue Sacchari rubri, Mellis viol. an. ℥. j. succi Betæ vel Mercurialis ℥. j. ß. Cassiæ ℥. j. ol. Viol. ℥. ij. Butyri ℥. j. Salis parum, fiat Clyster.

In alijs causis, maximè in diuturnis doloribus: ℞. rad. liliorum ℥. ij. herb. Emollitiu. Betæ vel Mercurialis, Brassicæ rubræ, Parietariæ, Betonicæ, Saluiæ, Hysopi an. M. j. flor. Chamom. Lauandulæ vel Stœchados, Anthos, Furfuris an. P. j. Ficuum n. x. s. Anisi, Fœniculi an. ʒ. j. fiat decoct. dissol. in col. suf. quant. Hieræ picræ. Diaphæn. an. ʒ. ij. Sacchari rub. Mellis anthos. an. ℥ j. ß. succi Mercurialis vel Betæ ℥. j. ol. Chamom. Liliorum an. ℥. j. ß. Salis parum, fiat Clyster.

Exhibitis, deiectiones mouemus: purgãtiaq; si ab humoribus aut inde eleuatis vaporib. aut alia qualitate maligna capitis dolores fiant, aut alioquin corpus impurũ morbũ augeat aut foueat, varia exhibentur: qualia etiá in alijs capitis affectibus à simili causa natis vsurpari solent, variantia hîc pro ratione causæ, & corporis constitutionis diuersitate. Leuioribus minusq; calidis vtendo in causa naturaq; calidiore: fortioribus verò & calidiorib. in alijs: quæ omnia capiti accommodata esse debent. Præmissis fęces eluen-

tibus ante venæ sectionem loco clysmatis. Dein præparato priùs humore antequã purgetur, si opus sit; Inde semel multotiésue purgando, & repetendo quoq; si causa persistat: sicuti & in dolore capitis in lue venerea, non nisi sæpe repetita purgatio eum sanabit. Quę sequenti modo vsurpari possunt.

Præparatur humor ante purgationem in corporibus biliosis hoc modo: ℞. syr. de Endiuia ℥.ij. syr. Viol. Acetos. simp. ana ℥.j. aquarum Cichorij, Buglosi an. ℥. iiij. aquæ Verbenæ (quæ peculiaris est in capitis dolore) ℥.ij. aq. Betonicæ (propter caput) ℥.j. misce, Vtatur pro tribus vicibus: Capiat tabulam vnam Dyarrh. post singulos haustus.

In melancholicis hoc modo: ℞. syr. de Buglosso vtroq; an. ℥.j.ß. syr. de Scolopend. de Epithymo ana ℥. j. aquarum Buglosi, Verbenæ, Melissæ, Betonicæ an. ℥. ij. misce: Vtatur vt priùs.

In pituitosis & antiquis doloribus, vbi calor non est magnus: ℞. Mellis ros. Oxymel. simp. syr. Capill. Ven. an. ℥.j.ß. de Hysopo, de Stœchade an. ℥.j. aquarum Maioranæ, Betonicæ, Verbenæ, Melissæ, Hysopi, Saluiæ ana q. s. Detur vt supra per triduum, sumendo semper postea tabulam vnam Diamosci.

Vel hoc decocto vtatur: ℞. rad. Fœniculi ℥. ij. Acori veri ℥. j. Liquiritiæ ℥ j.ß. herbar. Betonicæ, Maioranæ, Saluiæ, Verbenæ ana M.j. fl. Lauandulæ, Stœchados, Anthos ana P.j.s. Anisi, Fœniculi an. ʒ.j. Passul. enuc. ℥.ij. fiat decoct. & in col. q. s. dissolue Mellis q. s. denuò coquatur, despumentur, arom. Nuce mosc. & Cin. Capiat trib. vel iiij. matutinis.

Purgationes quod attinet: Si ab humore calido sanguine vel bile fiat, vel alioquin in constitutione calidiore, sicuti in febrib. aut alijs morbis calidis capitis dolorem inferentibus dictum fuit, purgandi sunt.

Vel leuiore hoc: ℞. pulpæ Casiæ, Tamarind. Prunorũ an. ℥.ß. addito Sacchar. vel sine eo, Comedat, vel diluat sero lactis & bibat.

Vel hoc modo: ℞. pulpæ Casiæ ʒ. vj. electuar. de succo Rosar. ʒ. ij. Diaprunis sol. ʒ.j. Syr. Ros. sol. ℥.j.ß. cum aqua Buglosi & Ros. (quæ priuatim capiti conuenit) fiat potio.

Vel hoc decocto: ℞. rad. Betæ rec. ℥. j. rad. Lapatij mai. ℥.ß. fl. Viol. ʒ. ij. flor. Buglos. ʒ.j. (si recẽtia haberi possunt dupletur pondus) semin. Cucurb. Melonum, Viol. (si inueniatur) ana ʒ. ij. s. Anisi ʒ. j. Prunorum Tamarin. à nucleis repurgat. an. P. vj. radic. Polypodij ʒ. vj. fol. Senæ ℥. ß. fiat decoctio & in col. pro vna dosi, dissolue Syr. Rosar. sol. ℥.j. vel cum infus. Rhabarbari, si efficaciùs esse velis medicamentum ʒ. vj. fiat potio. Quæ si opus sit repeti poterit: vel duplicatis aut triplicatis simplicibus, statim ad plures vices sumẽdo, decoqui.

Vel detur hæc infusio: ℞. Rhabarb. ℈. iiij. Myrob. citrin. ʒ. ij. Spicæ ℈. ß. contundantur, irrorentur parum Vino absynthite, donec mollescant: postea infundantur in Sero lactis vel aqua Endiuiæ & Verbenæ: expressioni adde Diaprun. sol. ʒ. ij. syr. Violar. ℥.j. misce, Capiat.

In biliosioribus hoc apozemate pluries vti possumus, quod simul humoris feruorem contemperat: ℞. rad. Cichoreæ, Buglosi, Betæ, an. ℥ j. herbar. Endiuiæ, Cichorij, Borrag. an. M.j. Mercurialis M.ß. flor. Cordialium an. P.j. sem. iiij. frig. maio. an. ʒ. ij. s. Portulacę, Lactucæ, Anisi an. ʒ.j. Cicerum rub. P.j. Passul. enucl. Tamarind. an. ℥. j. ß. Prunorum n. xij. Sebesten paria x. rad. Polypodij ℥. ij. fol. Senæ ℥.j. sem. Carthami ℥ j. fiat decoctio, in col. q. s. dissolue succi Ros. ℥. ij. Mannę ℥.j. (in diuitib. Rhabarbarum infundi potest) Sacchari q. s. aromat. parùm Cinam. fiat apozema: Pro trib. matutinis vtendum.

Vel si mauelit pilulas æger, leuioribus vtatur, Assaiereth dictis, quæ etiam cùm ventriculi causa caput dolet, conueniunt. Vel fortioribus, Agregatiuis, Vel sine quibus appellatis ʒ.j. quantitate eas sumendo.

In melancholicis minusq; calida causa & constitutione, purgantur vt in alijs morbis melancholicis capitis dictum. Vel datur sequens: ℞. Catholici ℥. ß. Diaphœn. ʒ. ij. Hamech. ʒ.j. Sumat per se cum Saccharo, vel addito Syr. de Fumaria ad ℥. j. Cum sero lactis, aut decocto Galli antiqui diluta, bibat.

Vel hoc decocto vtatur: ℞. rad. Bugl. ℥. j. cort. Tamaricis ℥. ß. fl. Buglosi vtriusque, Scabiosæ an. P.j. fl. Stœchados P.ß. sem. Melonum ʒ.j.ß.s. Anisi ʒ.j, Passul. repurg. ʒ.j. Prunorum n. x. Dactyl. n. v. rad. Polypodij, ʒ. vj. fol.

fol. Senæ ℥.ß. Thymi summit.ʒ.ij. fiat decoctio & in col.q.s.infunde Myrobal.indarum, chebul.an.ʒ.j.fiat expreßio, dissolue syr.Ros. sol.& de flor.Persicorum an.℥.ß.Sacchari q.s. aromat.parùm Nuce mosc.fiat potio: Repetatur si opus sit, aut pluribus vicibus vtatur.

Syrupus de Pomis Mesuæi ex helleboro nigro paratus valde vtilis censetur, vel is qui à Rondel. correctus, Helleboro albo substituto describitur, ad ℥.j.ß. plus minúsve exhibendo: per se, vel dilutum prius liquore conuenienti.

Cuius loco ex plurimis talis componi poterit: ℞.radic.Aperit.macer.in Aceto, cort. Cappar.& Tamaricis ana ʒ.vj.radic.Liquiritiæ ℥.j. herb. Buglossi vtriusque cum radicibus, Fumariæ, Lupuli sum. Eupatorij Mesuæi, Capilli Ven. Ceterach. Chamædreos, Chamæpitheos ana M.j. herb.Melissæ, Sampsuci ana M.ß. flor. Cord. Tamaricis ana P.j. flor.Stœchados & Chamom. ana P.ß.semin. Anisi, Fœniculi ana ʒ.ij.sem.Petros.Cuscutæ an.ʒ.j.Passul.enucl.℥.j.ß.Ficuum, Prunorum ana P.x. Dactylorum n.vj.rad.Polypodij ℥.ij. s.Carthami ℥.j.fol.Senæ ℥.j.ß.Thymi sum.Epithymi ana ℥.ß. Hellebori albi ʒ.j. vel plus, Schænanthi ʒ.ij. fiat decoctio, & in fine adde Myrobal.chebul.beller.indarum ana ʒ.j.ß.& in col. q.s.adde succi Pomorum dulcium redolent.℔.ß.Sacchari q.s. fiat apozema pro tribus vel iiij.vicibus, vel coquatur in formã syrupi: Et vtatur loco syrupi de pomis compos.

Pilulæ horum loco tales fieri possunt: ℞. pilul.Indar.℈.ij. Agregat.ʒ.ß. cum succo Fumariæ vel aqua Melissæ fiant pilulæ.

Vel vsuales: ℞.spec.Hierę sine croco ʒ.j.ß. extracti Polypod. & Myrobal. omnium ana ℈.ij. Hellebori, pul.Scammon.an.℈.j.lap.Lazuli præp.ʒ.ß.ol.de floribus Lauendulæ guttas iij. cum syrup.Fumariæ fiat massa. Detur à ʒ.ß.ad ʒ.j prout operabitur.

Si à pituitosis & serosis cerebri excrementis cephalalgiæ fiant aut etiam diuturnæ cephaleæ aut hemicraniæ, sicuti in alijs eiusmodi cerebri morbis ostensum alibi, purgandum erit, vel hoc modo.

Pilulas leuiores de Hiera vel Alephanginas sæpe degluttiat, quæ & si à ventriculo vapores eleuati caput molestent, competunt:

Vel fortioribus vtatur, Coccijs, Fœtidis: aut medijs de Sarcocoll.vel Agarico.

Vel sequentibus: ℞.spec.Hieræ picræ ʒ.ij. Agarici troch.Turbith ana ʒ.j.troch.Alhandal. Diacrydij. Nucis mosc. ana ʒ.ß. Zingib. ℈.j.Salis gemmæ ℈.ß. Masticis ʒ.ß.ol.Garyophyl.fl.Lauandulæ ana gut.ij.syrupi de Stœchade q.s.fiat massa: Capiat ℈.ij.repetendo in diuturnis cephaleis: acuendoq; pilulis Coccijs si minus validè operentur.

Puluere hoc horum loco vti poterit: ℞. Turbith ℈.ij. Diacrydij gran.iij. Tartari vini albi, Zingib. flor.Lauandulæ ana ℈.j. Sacchari q.s.fiat puluis: Detur cum iusculo.

Vel tabulæ Diacarthami exhibeantur: aut electuarium Diaphœnicon, aliáve.

Aut hæc potio: ℞.rad. Liquirit.ʒ.vj. rad. Acori veri ℥.ß.herb. Hysopi, Maioranæ ana M.ß. flor.Stœchados, Anthos ana P.j.Ficuum P.v.Dactylorum n.iij. semin.Anisi, Fœniculi ana ʒ.j. fol. Senæ ʒ.ij. sem.Carthami ʒ.iij. fiat decoctio & in col.q.s.inf.Agarici ʒ.j. Zingib. ℈.j. fiat expres. dissolue Diaphœnic. el. Indi ana ʒ.j. fiat potio.

Aut hoc Apozema aliquoties sumendum: ℞.rad.Liquiritiæ ℥.ß. rad.Graminis, Petrosel.ana ℥.j.rad.Acori, Ireos, Galangæ ana ℥.ß. herb.Betonicæ, Saluiæ, Maioranæ, Hysopi, Verbenæ, Capill.Ven. ana M.j.flor.Rosmar. Stœchados, Lauandulæ, Buglossi vtriusque ana P.j.semin. Anisi, Fœniculi ana ʒ.ij.semin. Petrosel.Carui, Seseleos ana ʒ.j.sem.Pæoniæ ʒ.j.ß.Passul.enucl.P.xij.Ficuum P.viij.Dactylorum, P.v.Prunorum dulc.n.viij. rad.Polypod.℥.ij.fol.Senæ, seminis Carthami an.℥.j.ß. Agarici ℥.ß. Turbith ʒ.iij. fiat decoctio, & in col. q.s. adde Mellis q.s. aromat. Cinam.ʒ.ij. Zingib. ʒ.j. Cubeb. Nucis mosc. ana ʒ.ij. fiat apozema pro tribus vel iiij. vicibus: quod & auctis singulis in syrupum vsualem decoqui potest.

Per nares & os quæ caput purgant, caputpurgia dicta, ori & naribus indita, in cephalalgijs & cephaleis, in quibus pituitosi & serosi in capite redundant humores probantur: eoque magis si illorum effluxus per hæc loca priùs consuetus fuerit, nuncq; substiterit. Sed & in biliosis & melancholicis eiusmodi doloribus, vti vocant, locum interdum

habent. Quibus tamen post alias saltem euacuationes vtimur, illisq; tunc successiuè caput purgamus. Quæ sternutationem ex illis mouent, dolorem capitis grauem nonnunquam irritant: si verò à vaporibus caput tentatum doleat, eum mox leuant, cùm & sponte ebrijs eo nomine superuenire soleat, & dolorem tollere. Hæc autem, vti & in alijs capitis morbis sic parantur.

Masticatorium sequens vsurpari potest. ℞. Masticis ℥.ß. seminis Angelicæ, Nucis mosc. ana ℈.j. Puluis horum Cera exceptus, vel panno linteo inuolutus masticetur.

Fortius sic fit: ℞. Masticis ʒ.ij. sem. Staphis. agr. rad. Pyreth. an. ʒ.j. Piperis longi, Cubeb. Nucis mosc. an. ℈.j. fiat pul. excipiatur pauca Cera, fiant formulæ ad masticandum.

Collutio oris vel gargarisma idem præstabit: ℞. rad. Ireos, Capparum, Pyrethri an. ℥.ß. radic. Imperat. ʒ.ij. Hysopi, Origani, Saluiæ, Thymi an. M.j. flor. Stœchad. Anthos an. P.j. sem. Sinapis ℥.ß. sem. Vrticæ ℥.j. Nucis mosc. ʒ.ij. fiat decoctio in Vino & Aqua, & in col. ℔.j.ß. dissol. Oxymel. scyll. ℥.ij. Vtatur.

Errhinũ quod naribus attrahi debet, sic fit: ℞. succorum Maioranæ ℥.j.ß. Betæ, Anagallidis, Aceti scill. an. ℥.j. Mannæ ℥.ß. Vtetur.

Vel inungantur nares hoc linimento: ℞. Scammoneæ ʒ.j. seminis Nigellæ, rad. Pyrethri, Cyclaminis ana ℈.j. Fellis piscis alicuius gut. v. Oxymel. scill. q.s. in formam vnguenti reducendum.

Aut indat pessarium: ℞. materiam prædictam, adde farinæ Orobi q.s. ad inspissandum, trudat in nares: Vel Maioranam contusam, aut rad. Betæ, detracto interno cortice; Aut fibram Hellebori illiúsve interius filum, medullam referens, si sternutationem mouere animus sit: vel puluis illius attrahatur: quod & odor Flammulæ contusæ efficiet multumque humoris euocabit.

Per vomitum expurgatio, si per consensum ventriculi à vaporibus inde suscitatis, vti & in ebrietate, dolor capitis fiat, cùm causam subitò euacuet, conuenientissima erit. Quæ etsi maturè antequam vapor exurgat & caput tentet, fiat, vt citiùs desinat, efficit. Ob quam causam nisi spontè à natura concitetur, actúve irritando fauces succedat, propinatis quoque vomitorijs illum promouebimus. Sicuti & in alijs capitis affectibus à consensu quoque simili factis, in vertigine & ebrietate, alijsque in locis dictum fuit. Cæterùm in alijs causis cùm per idiopathiam, præsertim dolor capitis fit, non temerè dum caput vehementer dolet, proritandus, cùm per validum illum qui vomendo fit conatum, sanguine, spiritibus, humoribusque ad caput impulsis, capiteque concusso, dolor exacerbetur: nisi hoc extra paroxysmum in quibusdam, ad excrementorum prouentum impediendum concedatur.

Per sudores factæ euacuationes, si, quia cerebrum aqueis excrementis multis abundat, dolores capitis fiant, plurimùm, priùs tamen generali prægressa purgatione, competunt, cùm ab intimis excrementa euocent. Vnde in diuturnis cephalæis instituuntur, & in lue venerea, vti eam sanare, sic & symptoma hoc illius graue tollere solent: ob quã causam decocta sudatoria exhibentur, & obseruata simul parca cibandi ratione, per dies aliquot vel septimanas quoq; (sicuti alibi dicetur) continuantur. Verùm in causa cephalalgiæ calida, & quando caput æstuat, cùm non nisi calore vehementi adhibito sudores proliciantur, ij, quippe qui dolorem tunc augerent, conuenire minimè possunt.

Per cutem capitis euacuationes peculiares (nam & sudor, sed generatim per hanc viam vniuersum corpus euacuat) vi eorum quæ capiti applicantur factæ, & quibus insignes euacuationes efficiuntur, ideoque reliquias tantùm applicatæ, quæ discutiunt, in alterantibus postea explicantur, in pertinacibus & diuturnis cephalæis, hemicranijs, vt excrementa à cerebri membranis euocent, illisq; viam interdum aperiant, tanquam extrema remedia in extremis hisce morbis vsurpantur. Qualia sunt calidissima metasyncritica, quæ ex alto humores attrahunt, attractosq; absumunt, lixiuia, vnguenta. Quod & cucurbitulæ capiti affixæ præstant: Vel hisce validiora, partem nonnihil accendendo, rubificantia dicta: Vel etiam adurentia vesicatoria: Aut crustam facientia cauteria, actu potentiáve illud agentia, quæ capitis sedi elatiori aut etiam humiliori, in ceruicis posteriore

posteriore sede applicantur: cuiusmodi in alijs capitis affectibus quoque passim sunt descripta.

Sectiones in cute capitis factæ, vel etiã trepanaziones, ablata portione caluariæ, vt humor illic latẽs per vias apertas effluat, in antiquis & desperatis capitis doloribus, interdum tanquã extrema adhibentur remedia.

Quæ alterationis potissimùm causâ vsurpantur remedia, non aliter quàm in alijs capitis affectibus pro ratione humorum prædominantium & morbi, nunc refrigerantia, nunc calefacientia, & imprimis caput corroborantia, ac si ventriculi causâ fiat, ea quæ vapores reprimunt, bilis efferuescentiam infringunt, sicuti illis in locis descripta sunt, exhibẽda. Quæ tamẽ in victus ratione quàm medicamentis administrantur.

Imprimis cauendum ab illis, quæ odore vehementi aut vapore dolorem capitis promouent; vt vino, sinapi & similibus: quæ tamen in certa causa, pituitosa scilicet, in capitis dolore quoque iuvare possunt, sicuti de sinapi dicetur: & vinum insuper, quia caput demulcet, nonnunquam iuvat, propriam noxam interdum corrigit: vnde ebrios non priùs leuamen sentire videmus, donec denuò vinum bibant, & præsertim cibum simul capientes, sic vapores reprimant. Quo nomine & lac potum, etsi cùm corrumpitur dolores capitis pariat, hoc modo eosdẽ nonnihil mitigare potest.

Stupefacientia sensum, in summo capitis dolore, præsertim si vigiliæ quoque adsint, exhibere, necessitas quandoque cogit, idq; maximè in causa calida. Tuncque syrupum de Papauere: vel alia narcotica leuiora, vt puluerem Diapapaueris exhibemus. In alijs verò causis narcotica non facilè dantur, præsertim cùm (sicuti alibi dictum) postquam suas vires exercuerunt, capitis dolores post se relinquere soleant: nisi fortè illa sic contemperata sint, vt minus noceãt; sicuti Theriacam, Mithridatum tutiùs eo nomine, vel Diacodium, Requiémve Galeni, minima tamen quantitate damus: quod & Vinum generosum largiùs sumptum, ob narcoticam vim illius præstare potest.

Capiti extrinsecus quæ adhibentur alterationis præcipuè nomine remedia, in tres classes, nimirum refrigerantia, anodyna & calefacientia rediguntur. Refrigerantia, si à causa calida cephalalgia fiat, vsurpantur, eaq; astringentia in principio, quando sanguinis affluxus adest vel metuitur: mox etiam humectantia, ad calorem restinguendum, illis permiscenda. Anodyna, quæ vel calore moderato nec nimis sicco demulcent partem, vel somnum aut stuporem inducẽdo, vt minus dolor sentiatur, efficiũt, cùm admodum vrget, etiam in principio, ne illius causâ defluxio magis cõcitetur, capiti, rariùs sola, frequentiùs frigidis iam dictis permixta, apponuntur. Calefacientia & quæ simul siccando humores vaporésve tenuiores discutiunt, in declinatione etiã calidarum cephalalgiarũ, vt quod residuũ remansit tollatur, parsq; debilitata firmetur, locum habent: primumq; prædictis permixta, mox sola vsurpantur. Quibus omnibus vel ex alto caput perfunditur, aut abluitur: aut stuppæ, panni, spongiæ in illis madefactæ, fronti & temporibus applicantur: vel hæ partes istis inunguntur: aut hæc alio modo in sacculis, cucuphis madidis aut siccis, applicantur. Quorum formulæ sequenti modo distinctæ adhibentur.

Cùm refrigerare & simul repellere volumus, oxyrhodina dicta magis consueta sunt, quale vsitatum ferè hoc est: ℞. aquæ Rosaceæ ℥.iiij. Aceti albi vel Rosacei ℥.ij. ol. Rosacei ℥.j. misce: Infundatur vel applicetur: quòd si magis astringere volumus, aceti dosis augeatur.

Admixtis succis efficaciùs fiet hoc modo: ℞. aquæ peculi Ros. ℥.iij. Aceti ros. ℥.j. succi fol. Salicis & Plantag. an. ℥.j. album. Oui n.j. (vt diutiùs mador hæreat) misce: Si ab ebrietate fiat, succus Hederæ additur.

Vel decoctum hoc repellens ampliusq; refrigerans vsurpetur: ℞. fol. Plantag. Salicũ, Vitis, Solani an. M.j. Ros. rub. P.j. fiat decoctio, & in colat. ℥.vj. adde succi Plantag. & Semperuiui ana ℥.j.ß. Aceti ros. ℥.j. misce.

Vnguentis repellẽtibus frons temporaq; illini possunt: vt vnguento vel cerato Albo Galeni, vel Rosaceo.

Vel: ℞. oleo Rosacei, succi Salicum, Aceti ros. Album, oui ana æquas partes, agi-

tentur & conquassentur diu, illinatur vel applicetur.

Vel fiat tale vnguentum: ℞. olei Myrtillorum ℥.ij. ol.Ros. omphacini ℥.j. succi Granat.acid.Aceti ros.ana ℥.j. Omphacij ʒ.j.sem. Myrtill.Berberis,Coriandri ana ʒ.ß.Laricеæ q.s.misceantur & agitentur: Vtatur vt priùs.

Vel emplastrum hoc applicetur: ℞. succi fol.Salicis & Vitis vel Plantag. hyemis tempore, & Semperuiui ana ℥.j.ß.Aceti ℥.j.subigantur farinâ s.Lini,& Album.oui,fiant emplastra duo, vtrinque ad tempora.

Ex Rosis rubris in Vino maceratis frontale Galenus parat,quod efficacius erit,si rubrum & stipticum sit vinum: aut Acetum illius loco sumatur.

Folia Salicis & Vitis recentia applicata, idem præstant,magisque si parùm conquassata aut contusa sint, aut sicuti de rosis dictum,macerata.

Quod si repellendum & dolor simul sedandus: ℞. aquæ Ros.℥.iij. aquæ Plantag. ℥.ij. succi fol.Salicum vel Plantag.℥.j.ß. aceti flor.Papau.Rhœas, sicuti parare solent ℥.ij. ol.Ros.Viol.ana ʒ.vj.Album. oui, mucilag. s.Psylij ana ℥.j. agitentur probè ad vsum.

Vel vtatur hac cucupha aut frontali: ℞. Ros.rub.ʒ.ij.flor.Viol.Nenuph. ana ʒ.j.sem. Coriandri præpar.ʒ.ij.sem.Myrtill.ʒ.j.ß.sem. Lactucæ, Papau. albi ana ʒ.j. cort. Mandragoræ ʒ.ß. Santali rubri ʒ.j. Coralli rubri ʒ.j. fiat puluis.

Si refrigerare & humectare simul volumus, sequentibus vtimur: ℞. aquæ Lactucæ,Nenuph.Solani ana ℥.ij.Aceti ros. (ad penetrationem & aliquã repercusionem) ℥.ß. misce,Pro epithemate capitis.

Quo nomine & Solanum & Portulaca, recentia capiti admouētur,quæ si priùs contundantur,meliùs operabuntur.

Quod si simul dolorem lenire cupimus: ℞. aquæ Lactucæ, Solani ana ℥.ij. Aceti ℥.ß. mucilag.sem.Altheæ & Maluæ an.℥.ß.Camphoræ ℈.ß.misce.

Vel hoc decoctum: ℞.rad.Altheæ,fol.Lactucæ,Solani an.M.j.Semperuiui M.ß.fl.Ros. Viol.Nenuph.ana P.j.Hordei integri P.ß.semin.Lini ℥.ß.fiat decoctio in aqua, & vtatur.

Vel hoc epithemate admodum dolorem compescente: ℞. aquæ Ros.℥.ij. aquæ Hyosciami ℥.j. Aceti ℥.ß. emulsionis 15. nucleorũ Persicorum,factę cum iam dictis liquoribus, ol.Ros.℥.ß. misce.

Vel vnguento hoc anodyno vngatur: ℞. ol. Ros. Viol. ana ℥.j. ol.de semine Papau.de semine Lactucæ, Chamomil. ana ℥.ß. Aceti ros.ʒ.ij.Lactis ℥.j.ß.Album.oui n.j.misce.

Potentiùs sedat sequens: ℞. ol.Viol.Ros. ana ℥.j.ß. ol.ex semine Papau.℥.ß. succi Semperuiui, Solani ana ℥.j. Aceti ℥.ß. coquantur ad succorum consump. adde Santali albi & rubri,cort.Mandragoræ ana ʒ.ß.seminis Lactucæ,Portulacæ ana ʒ.j.mucilag.sem.Psylij ℥.j.Camphoræ dissolutæ in pauca aquæ vitæ ℈.j.Ceræ q.s.fiat vnguentum.

Vnguentum Populeon vsitatum dolorem sedat.

Vel hoc cataplasma admoueatur: ℞. nucleorum Persicorum & Amygd.dulc.an.℥.ij. contundantur, addendo Amyli ℥.j. far.sem. Psylij ℥.ß. s.Hyosciami ʒ.ij. ol.Ros. Viol.ana ℥.j.Lactis q.s.fiat cataplasma.

Quæ doloris tantùm ferè compescendi causâ adhibentur, sunt sequentia.

Anodynum embrocũ vel epithema. Lac recens tepens sumitur: adde Albumen oui vel Mucilaginem aliquam, benè conquassata,misceantur,& vtatur.

Vel decoctum: ℞.decoctionis capitis Veruecis vel Vituli: in quo rursum decoq; Maluæ M.j.fl. Chamomil. P.j. seminis Lini ℥.j.ß. seminis Psylij & Papau. albi ana ℥.ß. fiat decoctio.Vtatur.

Vel linimenta hæc, quæ & auribus instillari possunt: ℞. olei Viol.& Salicum ana ℥.ß. ol.ex semin.Papau.ʒ.ij.misce,illinatur frons & tempora.

Aliud: ℞. olei ex fructu Momordicæ, vel Solani pomiferi, per macerationem facti,vel de vtroque ad ℥.j. mucilag.semin.Psylij,cremoris Lactis ana ℥.ß.misce.

Item ex opio parata stupefacientia vnguenta: ℞. aquæ Vitæ ℥.j.Opij ℈.j.Croci ℈.ß. macerentur, vel parum bulliant in duplici vase: Illinantur tempora.

Alij hoc modo vtuntur: quod rectiùs sic parabitur: ℞.cremoris Lactis pinguis ℥.j.Opij ʒ.ß. Croci gr.vj.Spodij, Amyli ana ʒ.j.misce pro

ſce pro illinitione: Vel oleo Nenupharino aut Violaceo hæc admiſcent.

Papaueris, Mandragoræ, Hyoſciami folia recentia, per ſe capiti admota, ſtupefaciendo dolorem compeſcunt, & validius, ſi priùs contundantur, illud facient. Aliqui ſtuppis canabinis folia Hyoſciami priùs inuoluta, ſub cineribus coquunt, & ſic poſtea emplaſtri inſtar adhibent: quæ tamen maniam excitare Rond. ſcribit.

Si ſimul diſcutere volumus, eaque refrigerantibus & dolorem ſedantibus permiſcere, tunc hac embrocha vti poſſumus: ℞. rad. Altheæ ℥.j. fol. Salicis vel Plantag. Betonicę an. M.j. fl. Roſ. Chamom. Sãbuci, Anethi an. P.j. Senæ (quam admodum probant) ʒ.iij. ſeminis Anethi ʒ.ij. fiat decoctio in Aqua & Vino: Vtatur.

Vel hoc emplaſtrum applicetur, quod & nonnihil diſcutit: ℞. fl. Viol. Nenuph. an. P.j. fl. Meliloti, Anethi an. P.ß. ſeminis Papau. albi & Lactucæ an. ʒ.j. pulueriſentur, adde farinæ Hordei ℥.j. cum Oxyrhodino ſubigantur, fiat emplaſtrum.

Sunt qui conſeruas flor. Viol. & Nenuph. loco plantæ ſumunt, additiſque reliquis, frontale parant.

Vel ſic: ℞. fl. Roſ. Viol. Anethi, Chamom. an. P.j. granorum Iuniperi P.ß. coquantur in Lacte, & contundantur, adde farinæ Fabarũ ℥.j. farin. ſ. Papauer. albi ʒ.ij. ſ. Lactucæ ʒ.j. olei Roſ. Chamom. an. ℥.j.ß. fiat frontale.

Anethum capiti adhibitum, quocunque modo, diſcutit, dolorem ſedat, & ſomnum conciliat.

Validiùs diſcutit ſequens: ℞. meli. Anethini ℥.j. ol. Liliorum, Cheirini an. ℥.ß. ſucci Verbenæ ℥.j. aquæ Vitę infuſionis fl. Lauendulæ ℥.ß. coquãtur ad conſumptionem ſuccorum, adde Axungiæ Capi ℥.j. Ceræ parùm, fiat vnguentum.

Inprimis verò vnguentum Alabaſtrinum diſcutiendo iuuat, & in omnibus capitis doloribus vtiliſsimum cenſetur, quod ſic fit: ℞. ſucci Chamemeli (ex odoratiore) ℥.iiij. ſucci Roſ. & rad. Altheæ an. ℥.ij. ſucci Rutæ, Betonic. an. ℥.j.ß. olei Omphacini ℔.j.ß. Alabaſtri puriſsimi & albiſsimi ſubtiliſsimè triti ℥.iij. macerentur aliquandiu poſtea lentè coquantur, additaque Cerâ fiat vnguentum: cui cimas Rubi, Album oui & Rutam aliqui addunt.

Dialtheæ vnguentum vtile quoque.

In antiquis dolorib. emplaſtrũ de Ranis vel Vigonis dictum, ſi capiti raſo applicetur, remedium eſt præſtantiſsimum: continuo vſu tandem multa efficiens.

Puluis pro cucupha vel frontali, leniẽs & nonnihil diſcutiens hic erit: ℞. ſeminis Coriandri præpar. ʒ.iij. ſeminis Anethi ʒ.ij. ſeminis Lactucæ, gr. Tinctorum, fl. Roſ. rubr. Anethi an. ʒ.j. Santal. omnium an. ʒ.ß. Nucis moſch. ℈.ij. miſce: fiat puluis.

Alter diſcutiens & roborãs: ℞. ſ. Coriandri præpar. ℥.ß. ſeminis Anethi ʒ.j.ß. fl. Chamom. Meliloti, Anethi, Lauandulæ an. ʒ.j. fol. Majoranæ, Meliſſæ, Anthos an. ʒ.ß. Santali citrini ʒ.j. Gariophyl. ʒ.ß. fiat puluis.

Proprietate quadã amuleta hæc creduntur iuuare. Verbena ſertæ inſtar capiti impoſita, capitis dolorem arcere dicitur.

Hedera ſi ebrijs imponatur, dolorem capitis mitigat, cùm & ebrietatem impediat.

Senecta Anguium capiti circumdata; Lapis item Ophites geſtatus, iuuant in dolore capitis.

Naribus quoque alterationis causâ quædam adhibentur. Inter quæ, odores non nimiùm caput ferientes; ſed illud mulcentes, prodeſſe quoque poſſunt.

Vt ſi frequenter Camphoram in Aceto & Aqua roſacea diſſolutam olfaciat.

Vel hoc modo: ℞. Camphoræ ʒ.ß. olei Styracis ʒ.j.ß. (quod Dioſc. probat) miſce diligenter: adde parùm Ladani, fiat maſſula vel globulus, quem ſæpè odoretur.

Vel ſic: ℞. fl. Roſ. rubr. Viol. an. ʒ.j. fl. Anethi, Chamomil. nobilioris an. ʒ.ß. ſ. Coriandri præpar. ʒ.j. ſ. Lactucæ ʒ.ß. Santal. omnium an. ℈.j. Camphoræ ℈.ß. fiat puluis, quem in ſacculo vel nodulo ligatum, aquaque Roſaceâ & Aceto madefactum, naribus frequenter adhibeat.

Vel ſuffitum huius decocti dum calet interdum naribus hauriat, qui dolorem ſedat & ſimul diſcutit: ℞. fol. Salicis, Solani, Lactucæ, recent. an. M.j. flor. Roſ. Viol. Nenuph. Anethi, Meliloti, an. P.j. ſeminum Lactucæ

℥.ij.ſeminis Papaueris ſatiui ʒ.j.ſeminis Ocimi ʒ.ß.decoquantur,& colaturæ aquam Roſaceam & Acetum Roſ.permiſce:Vtatur.

Aut in nares aquam Roſaceam cum pauco Aceti,errhini inſtar attrahat.

Aut ſequenti eas inungat,quod & ſtuporem faciendo dolorem leuat: ℞. olei Nenuphar.℥.j.Opij,Camphoræ an.gr.vj.miſce:fiat inſtar linimenti.

Quod & auribus inſtillatum valde proderit: vti & reliqua olea vel linimenta infra dicta refrigerantia, anodyna, & calefacientia, cùm diſcutiendũ erit: vt ſi oleum Anethinũ addito tantillo olei Croci,auribus indatur.

Ablutiones extremitatum à genu & cubito factæ deorſum,non tantùm à capite vti dictum diuertunt,ſed & ſomnum ſimul cõciliant,dolorem mitigant, & ſi cephalalgia calida ſit,inſuper refrigerant. Quæ ex folijs Salicis,Lactucæ,Violariæ,Vitis albæ,Nenupharis cum floribus:additis Malua,Chamomillæ floribus,& capitalibus interdum,Betonica, Calamenta, Abrotano,nõnunquam & narcoticis, cap.Papaueris decoctis in aqua: addita interdum portione Vini vel Lixiuij,parantur.

Ablutio faciei aquâ Roſaceâ cum pauco Aceto,ſimiliter prodeſt.

DE OCVLORVM DOLORE.

CAPVT IV.

Genera.

OMNES dolores qui in oculi nudo globo, illiúſve canthis dictis ſeu angulis vtrinque,tùm maiore interno ad radicem naſi poſito,(qui Rantir dicitur) tùm minore exteriore,aut palpebrarum interna & nuda rubicundaq; nonnihil ſuperficie occurrunt, oculorum doloris nomine hîc comprehendimus: reliquos palpebrarũ externos affectus dolorificos qui ad interiora minimè pertingũt,ad externos cutaneos affectus relegantes. In quib. nudis iam dictis locis,cùm dolores oriũtur,alijq; nullo aliàs apparente accidente fiant: alij verò alia ſimul manifeſta accidentia,quæ apertis oculis patent (ſiue morbi aut cauſæ illorum,vel alia ſymptomata ſint) ſimul coniuncta habeant: inter quæ precipuè elucent,vel rubedo,vel tumor aut inflammatio in oculo,aut maiore illius angulo; aut veſicula in oculo nata; aut inæqualitas in palpebris; aut excoriatio,exulceratio, vulnus in oculo illiúſve palpebris, pro diuerſitate iam dictorum accidentium patentium, horum dolorum genera ſenſibus manifeſta ſtatuemus.

Nullo alio affectu in hiſce locis apparente, dolores ſeu moleſtiæ potiùs eas ſedes impetere poſſunt. Vt pruritus: ſicuti interdum fit in ſanis alioquin, à vento aliiſque de cauſis, vel in vigiliis,qui tamẽ niſi mox ceſſet,præſertimq; ſi ad oculi frictionẽ impellat,ſtatim ruborem conciliat. Punctiones item in oculo,nulla alia noxa præſente depræhenduntur: idque interdum per ſe; aliàs in cephalalgia,in qua dolor ad radices oculorũ quoq; ſæpè pertingit. Conuellens item quidam dolor in quibuſdam, poſt ſomnum, oculos palpebraſque ſomno adhuc grauatas, aliquamdiu non ſine dolore aliquo oculos aperire mouereque ſinit: ſicuti in ſpaſmo oculi demonſtratum fuit. *Pruritus Punctio, Contractio in oculo, nullo apparente indicio alio.*

Cum rubore,citra tumorem & exulcerationem,frequenter moleſtiæ vel dolores in oculis ſe manifeſtant,Ophthalmiamque,ſed falſam, ad differentiam illius quæ cum inflammatione facta vera dicitur,vocant. Rubetque tunc vel oculi album totum,vel aliquouſque ſaltem: vel palpebrarum tantùm interna ſuperficies,non ſolùm naturali rubore,ſed intenſiore & veluti cruento rubet, vel ambo ſimul,non tamen adeò vt in vera ophthalmia venis amplis aut dilatatis. Vti neq; tunc tantus adeſt ardor,ſed lancinans interdum ſolùm dolor,quem Schmirtzen vocant: vel pruritus in oculorũ præſertim angulis palpebrarumque marginibus diuexat, Xenophthalmiam eoq; nomine appellant. In hac ſpecie oculi plerumq; madẽt,lachrymæq; ſubtiles ab initio,mox tenaciores ex oculo emanãt: quæ ſi admodũm copioſè fluant,illiq; affectui,vti dicetur,cauſam præbuerint,Epiphorã tunc ob hunc fluxũ,idq; ſi palpebræ præſertim laborent, nominãt,alij Taraxim,alij Lippitudinem humidam quoque indigitant: in quibus tandem purulenta exit *Ophthalmia nõ vera. Xenophthalmia, Pſeudophthalmiæ ſpecies. Epiphora, Pſeudophthalmiæ ſpecies.*

Taraxis, Lippitudo. ta exit materia, sordescuntq; affecti oculi anguli, ciliaque inuicem lentore humoris conglutinata, præsertim inter somnum oculis clausis cohærent, nec ea donec purgétur separari, oculúsve sponte aperiri potest: *Sclirophtalmia, Epiphoræ species.* Arenæque tum separatæ tum compactæ in oculorum angulis & ciliis vndique accrescunt, Sclirophtalmiamque inde nuncupant. Nonnunquam & palpebræ vtrinq; intumescunt etiam extrinsecus, moxq; iterum subsident rursumque inflantur. *Xirophtalmia, Pseudophtalmiæ species.* Aliquando verò oculi rubri, sicci sunt, minimeque madent, tuncq; Xirophtalmia dicitur. Eiusmodi autem oculorum affectus cum rubore, interdum recentes sunt, à causa aliqua noua suscitati; aliàs diuturni, epiphora præsertim, in qua palpebræ tantùm rubent & madent, oculo nihil vel parum mutato. Vnde vulgò fenestras minimè, sed ambitum quibus includuntur, affici tantùm dicitur. Quod vitium senibus atq; ebriis adeò consuetum, vt vix in illis emendari possit, nec iis magnam, nisi aliud accedat propter pruritum aliquando & lancinationem aliquam, aut sensum asperitatis parit molestiam: quos etiam Lippos vocare solent. Quòd si rubicundi & calidiores solito tantùm, sine dolore tamen fiant oculi: vti accidit interdum, cùm corpus admodum calet, à causa externa, vel in febribus, vbi tamẽ dolor capitis ad radices oculorum vsque sæpè pertingens, illic quoq; dolorem mouet, hæc cùm ad deformationes potiùs, vti & sugillationes illic factæ, & palpebræ inuersæ pars interior rubrũ & turpem oculi aspectũ præbens, pertineant, illic describuntur.

Ophthalmia vera. Cum tumore seu phlegmone & rubore interdum dolor se offert, in Ophthalmia vera tunc dicta. In qua totũ oculi album vehementer rubet, venæque aliàs obscurè in hac sede, tunc in palpebris conspicuæ euadunt, plenæq; apparent. Tumetq; adeò sæpè hæc pars, vt elatior quàm fusca esse appareat, sæpeque illi obducatur, & quia tunc hiatus veluti in oculo apparet, Chymosis dicitur. *Chymosis ophthalmiæ species.* Sed & pugni magnitudine oculum inflammatũ cum palpebris intumuisse obseruaui. Ardor in vera ophthalmia vehemens affligit, ita vt nullo modo, vel quàm minimùm oculum aperire queant. In palpebris solis inflãmatio vera vix fit (cuius tamen meminit Dioscor.) quin ad adnatam quoque perueniat.

Cum tuberculo & rubedine dolor aliquãdo (accedente interdum capitis tempo umque vicinorum loco affecto dolore, vti & in ipso oculo pulsatione) oritur in maiori oculi angulo, in affectu qui Aegylops dicitur. *Aegylops.* In quo tuberculum inflammatum in medio, rubore in ambitu circumfusum prominet, dolorq; lancinans, summus interdum, molestat. Sed & palpebras malamque oculo subjectam simul inflammari obseruaui.

Vesica oculi. Cùm vesica oborta in oculi albo, dolor lancinans nonnunquam molestat, illaq; vti & eius ambitus rubet. Quæ si in fusca sede oboriatur, dolorẽ minimè parit, pellucidaq; omnino est Phlictena, alibi explicanda: vti & aliæ pellucidæ, maculæque illius loci, visui potiùs incommodantes, quàm dolorem adferentes.

Asperitas in oculo. Cùm inæqualitate aliqua & non decenti læuitate, quæ in oculo & palpebris esse debet, asperitatis quidam sensus & molestia in palpebrarum interioribus, præsertim dum mouentur, sæpè sentitur. In quo casu, interdum aliquid, quod hunc sensum mouet, in oculo hæret: aliàs verò minimè: interdum quoq; etsi quod illapsum fuit, palpebrasque exasperauit, rursum exciderit, aut exemptũ sit, sensus tamen ac si adhuc hæreret, nihilominus aliquamdiu manet.

Scabrities, Scabies Psorophtalmia oculi. Cùm erosione vel excoriatione, idẽ asperitatis sensus, dolorq; simul lancinãs & pruriens in angulis oculorum interdum occurrit, cuius & Diosc. cùm remedia ad erosos oculorum angulos præscribit, meminit. Frequentiùs verò in palpebrarum interioribus hoc accidit, vt aliquomodo erodantur: tuncque sæpè crustæ illi innatæ scabiem, in cilijs potissimùm apparentem, ibi generant: diciturq; vitium hoc Psorophtalmia, Scabrities vel Scabies oculorũ: quæ & sicca Lippitudo, & Xirophtalmia ab aliquibus vocatur. *Lippitudo sicca. Xirophtalmia alia.*

Vlcera in cantho maiori oculi. Cùm vlcere in interno oculi angulo dolor lancinans & pruriens sæpè oritur: idque ferè post ægylopem in abscessum conuersum & ruptũ: Vnde vlcus illic vel simplex remanet, è quo pus coctum plerumq; exsudat; vel serpens & malignum, &, vt vocant, phagæde-

Phagadenica & Sinuosa vlcera canthi maioris. nicum fit, tuncq; pus nunc album & coctũ; nunc aqueum & crudũ ex oculi angulo, & præsertim cùm premitur, emanat. Aliquádo verò sub inferiore palpebra alicubi sibi viam faciens, tuberculum in cute facit, eoq; disrupto, vlcusculum illic quoq; factum, aquosam purulentamq; hanc materiá profundit. *Fistula lachrymalis in cátho oculi.* Sæpiùs etiá, si abscessus post ęgylopem relictus tardiùs rumpatur, vlcus sinuosum relinquitur, cuius latera callosa & dura fiũt, mediũq; foramine lachrymali dicto, quod etiam naturaliter ex hoc angulo in nares fertur, peruium est, eoq; amplius dilatato in fistulam conuertitur, Fistulaque lachrymalis dicitur: in qua per narem quoque proximam pus illudq; sæpè graveolens effluit, lachrymisque continuò oculi stillant. Interdum etiam diuturnitate & malignitate vlceris, absumptâ carunculâ, illius anguli, eoq; latiore facto, os tenue illic oculi orbitam foramenq; lachrymarum fluxui paratũ formans, exesum perforatumque conspicitur: cuius ossis portionem cum pure crasso & fœtido diutiùs illic retento, è nare procidisse vidi. De quo vitio in deformationibus agemus.

Vlcera oculi globi. In oculi globo, cum vlcere dolores quandoq; etiam se proferunt. Quod aliàs superficiarium tãtum est, rubore subcruento, in eo loco vbi vlcus est, ardore cæterisq; accidentibus, vt ophthalmia molestans, inflammationemq; aliquãdo accersens. Aliàs profundum, inflãmationes in abscessus maturatas sequens: quod cum sordidũ fit & purulentũ, *Epicauma vlcus oculi.* Epicauma dicitur: si duris constet labijs, *Condyloma oculi.* Condyloma: quod sanatum cicatricem post se relinquit: in oculi verò cauum penetrãs, humorum profusionem facit, quos aliquando quatriduo post inflammationem ex vtroque oculo effluxisse, crystallinumque in barba hæsisse vidimus.

Vulnera in oculo. Cum vulnere in oculi globo punctim sectimve facto, aut contuso, dolores se etiam patefaciunt: quos non solùm rubedo & dolor lachrymarumq; fluxus, sed & vera inflãmatio nonnũquam comitatur: & si vulnus oculi globum penetret, humorum sequitur effusio, oculusq; concidit. Intrinsecus quoq; palpebræ, ab illapsis acutis si vulnerentur, dolores cum rubore, vti in excoriatione dictum, majoresque adhuc, si magna sit læsio, excitantur.

Causa.

CAusa omnis doloris in oculorũ sede vniuersa dicta occurrẽte, morbus est, in parte aliqua oculi sensibili consistens: sentiunt autem in dicta oculi sede, tunica externa illius exquisitè admodùm, quæ palpebras vndiq; succingit, & angulis vtrinq;, oculiq; albo aliquousq; obducta est, cum adnata illi in externo oculi cantho caruncula: multi item & crassi musculi oculum ambientes. Præter quæ, oculi globus ex cornea tunica constitutus, alijsq; membranis compositus & humorib. plenus, nullibi (sicuti ex cataractæ punctura, quę sine dolore in cornea fit, obseruare licet) sentit, nisi extrinsecus illic vbi tunica adnata illum, vti dictum, in circumferentia eius apprehendit: cuius causâ dolores in oculorum morbis ad oculi globum vsq; pertingunt. Morbi verò dolores in hisce locis producentes, sunt, vel intemperies: vel humoris sanguinei aut serosi affluxus: vel solutiones continui occultæ manifestæue.

Intemperies calida simplex nondum fluxionem concitans, calorem potiùs & pruritum quàm dolorem in oculis excitat; qui si superveniat fluxionem, mox commouet. *Calida, Frigida & Sicca intemperies, causa Pruritus & Punctionis in oculo.* Qualis à calore externo atque interno in morbis calidis & febribus, in cephalalgijs & deliriis, in quibus oculos prurientes perfricare solent, subsecuturæ interdum narium hæmorrhagiæ, sanguine calidiore eò vergente, indicium, in oculis nonnunquam excitari solet: quæ & punctiones interdum in oculis mouet. Dein & frigida intemperies à vento frigido præsertim, aliisq; prodiens, mordicando oculos vt pruriant facit. *Siccitas causa Asperitatis in oculo.* Siccitas insuper nimia, asperitatis sensum & pruritum etiam excitare potest: quæ & fortè causa est, quòd vigilantibus diutiùs, tùm in morbis, tùm extra hos, oculi qui tunc & nõnihil rubent, adeò pruriant, vt eos fricare cogantur: nisi fortè grauedo oculorum, quæ cùm somnus inuitat adest, occasionem huic præbeat.

Calida intemperies cum Cum affluxu humoris sanguinei, intemperies calida si oculum palpebrásve occu-

pet.

affluxu sanguinis, causa Ophthalmiæ non veræ illiusq; specierũ.

pet, ruboremque illic excitet, nec dum vera adhuc sit inflammatio, ophthalmiam falsam dictam, quæ mitior quàm vera est, procreabit: eamque humidam, si lachrymæ ob molestiam partis summè sensilis proritatæ, simul hunc affectum comitentur: vel siccam appellatam, si hæ (quod fortè quia caput in illis minus humidum est euenit) desint: vel etiam aridam seu duram vocatam, si serum tenacius, quod lachrymas parit, palpebris adhærens illas conglutinet, suamque terrestreitatem illic deponens (sicuti seri causa arenas gigni alibi docuimus) arenas palpebris accrescentes, procreet.

Inflammatio oculi, causa Ophthalmiæ veræ.

Quod si verò in hoc sanguinis influxu, sanguis non solùm in venas, sed & in tunicam oculo adnatam, palpebrisque succinctam erumpat, veramque inflammationem pariat, ophthalmia tunc vera dicta sequetur, in qua proin omnia accidentia grauiora existunt, dolorque magis intensus, & propter pericranij cum tunica adnata consensum & connexum, caput quoque interdum afficiens, vrget: grauior adhuc si in musculos oculorum hic sanguis defluxus etiam feratur: qui & in corneam tunicam, & sub eam nonnunquam effunditur. Dolor quinetiam eò maior erit, quo sanguis qui defluxit calidior, biliosus acriórve existet. Quo priuatim in maiorem oculi angulum incidente, illicque inflammationem excitãte, ægylops dictus, eam partem præcipuè torquens, sequitur. Causa verò, quæ hunc influxum sanguinis in oculos efficit; est vel illius plethora, vel tenuitas aut caliditas, siue acrimonia: cuius nomine cùm illis in locis redundat aut turget, à natura propulsus, in hanc partem potiùs quàm aliam propellitur, Ophthalmiaque tunc ex plenitudine facta vocata sequitur. Adiuuante interdum ad hoc oculi dispositione ad suscipiendum aptâ, si oculorum venæ vel per se, aut quia defluxione hac priùs sæpè infestatæ fuerunt, ampliores sint. Plerumque tamen huic influxui in oculos, vnde calefiunt vel inflammantur, causæ aliæ, quæ eos accendendo vel irritando, graviúsve lædenda, defluxionem in ipsos mouent, occasionem præbent, eoque faciliùs, si supradictæ quoque accedant. Vti à splẽdore nimio fieri potest: quem proinde ophthalmiâ laborãtes nulla ratione, vti nec aliquam lucem, si grauis sit ophthalmia, ferre possunt, ab eaque grauiùs adhuc afficiuntur, & proin oculos vix aperiunt, aut non diu apertos retinent. Quod & interdum ab aëre calidiore æstuãte, & oculos accendente euenire solet. Et à vento frigido oculos mordicante. A fumo acri oculos vellicãte. Vel ab aliis oculo illapsis quibuscunq;, cùm contactum alienũ oculus minimè ferre posit, sed eo molestetur, eoque magis, si simul acuta & aspera sint, vt pulueres, muscæ, aliáve, quę oculum rodunt vel pungunt. Quod & pili in cilijs curuati in oculum, nonnunquam faciunt. Vel si calida & adurentia sint, vt piper: vel acria alioquin, vt sal vinumq; inspersa, & similia. Læsiones item grauiores oculi, vnde & vlcerantur vulneranturque, quæ in illa oculi dolorum causa explicabuntur, ophthalmiam, quæ hosce illius alios morbos comitatur, tàm veram quàm falsam concitare possunt. Lachrymę item ophthalmiæ interdum superuenientes, ab eaque illiusq; causis commotæ, tùm etiam ab aliis causis excitatæ eam præcedentes, si acres sint & calidę, ophthalmiam vel de nouo excitare, vel iam factam deteriorem reddere possunt. Quæ omnes causæ enarratæ oculum molestantes, si pruritum simul moueant, illeq; vt oculum affectum ægri fricare cogantur, impellat, fit, vt ob frictionem illam, à qua sibi vix temperare possunt, grauiùs oculi afficiantur, nouaque sæpè concitetur defluxio.

Inflammatio oculi canthi, causa Ægylopis.

Serosus humor simplex, pituitæ, aliísve humorib. permixtus, in oculos palpebrasq; potissimùm decumbens & defluens, si plus ad pituitæ aqueæ naturam accedat, vix dolore vehementiore, vti verò cõtinuo lachrymarum fluore, nonnunquam & tumore palpebrarum externo, molestiam parit: de quo vitio in lachrymarum nimio fluore agemus. Si verò serosus sit, salsedinisque particeps, nonnihil pruritum mouet: sin acris insuper calidúsve existat, tunc rubore, pruritu, ardore, plus minúsve dolorem inferens, lachrymarumque instar continuò ex oculis destillans, epiphoram dictam parit: idque nunc in vno solum, nunc in vtroq; (cùm vno oculo

Serosi humoris influxus, causa Pruritus in oculo & Epiphora.

fluxione tentato, alter facilè illi cõsentiat) oculo: quæ & epiphora nonnunquã, si dolore admodũ excruciat, sanguinis influxũ simul concitans ophthalmię insuper, quæ epiphorá tunc sequitur, occasionem præbet. Causa verò huius defluxionis materialis, est humoris huius serosi qualiscunq; in capite, intra vel extra caluariam redundantia, sicuti eiusmodi excrementa illic frequenter congesta, defluxionibus occasionẽ præbere solent. Efficiens verò mouens defluxionem in hanc potiùs oculorũ sedem causa in illis consistit, quę oculũ irritare, & sicuti naturales lachrymas, sic & præternaturalẽ hunc humorem, vt vna cum lachrymis, huc fluat, cõmouere possunt: qualia in sanguinis influxus in oculos causis, cùm & hunc quoq; proritare possint, explicata sunt, partimque in lachrymarum causis, in excretis demonstrabimus.

Atque hæc omnia adiuuat oculorum dispositio ad suscipiendum apta, si sæpe fluxionibus tentati laxiores imbecillioresque redditi sint: vnde etiam euenit, vt malum hoc hisce postea consuetum & diuturnum sit, si causæ hæ concurrant, vt palpebris rubentibus & madidis cõtinuò, pro ratione humoris defluentis plus minúsve afficiantur: nonnunquam & palpebræ exulcerentur, interdum & nullum ferè dolorem, sed leuem pruritum tantùm sentiant.

A flatibus dolores oculorum ophthalmiasque fieri posse aliqui scripserunt, verùm cùm flatus nullibi oculũ subire possint, nec locum vbi in oculo colligantur vacuum habeant, & si illic nascerentur, oculi globũ spissum adeò dilatare nequirent, aut cùm insensilis sit tantopere afficere, nõ video quomodo hac ratione fieri queat. Extra oculi globũ verò si vapores halituosi dicti musculorum interstitijs se inserant, accedente lassitudine, nictationem illam oculorum potiùs, quàm dolores fieri in motu deprauato ostendimus: nisi fortè copiosiùs collecti, adeò eos distendant, vt (sicuti dictum) conuellens dolor, oculos aliquandiu, antequam post somnum aperiuntur, nonnunquam affligens, oriatur: accedentibus insuper alijs causis, sicuti in spasmo flatulento nominato hoc explicatum fuit.

Vapores, causa Conuellentis doloris in oculo, seu Contractionis.

Solutio continui in oculi sedibus facta, diuersa, prout ea vel leuis vel grauis existit, molestiarum dolorumq; oculi inducit genera. Si enim occulta adhuc sit & vellicatio tãtùm, nondum aliquid in oculo separans aut diuellens, pruritũ statim & asperitatẽ parit: & si perseueret doloremq; grauiorem faciat, vti dictum, ophthalmijs & epiphoris causam præbet. Si verò manifesta sit solutio, tunc si adnata tunica à subiecto oculo separetur, aquaque illud spatiũ impleat, vesica nascetur. Vel si tunica illic aut in angulis vel palpebris separetur, erosiones, abrasiones, scabies, vlcusculaq; fiunt. Si verò profundior sit soluta continuitas, vlcus vel simplex vel cauũ, vel fistulosum, vel vulnus gignentur. Quorum omniũ variæ sunt causæ. Alias enim ab extrinsecis iniurijs hæc in oculo contingunt: inter quas perfrictio frequẽs & valida, quam variæ causæ pruritum in oculo excitãtes (vt priùs dictum) vrgere & cõmouere possunt, oculi phlyctenas & excoriationes quoque promouere potest. Incidentia in oculum aspera si sint, non solùm oculum exasperare, eundemq; sensum vt aliquamdiu retineat, efficere, sed & adeò vt abrasiones tunicæ sequãtur, afficere possunt: quæ verò simul vrũt aut acria sunt, si oculo illabantur, non solùm (vti dictum) illum inflammare, sed & vrendo, vt tunica abscedat, phlyctenas & erosiones excitare possunt, sicuti ex succo cucumeris asinini, fructu maturo disrupto, & in oculum casu effuso, vidi accidere. Frequentiùs à collyrijs fortioribus, quibus maculas extergere volũt euenit: quæ omnes erosiones in verũ vlcus degenerare possunt. Quòd si ea quę secant vel pungunt in oculum incidant, eum non solùm irritare sed & vulnerare possunt. Quod & ab ictu puncturaque oculo sæpe accidit, tum casu: tum cùm in oculi suffusione ad detractionem pelliculæ acu, necessariò oculi globus perforatur: quas oculi solutas continuitates, inflammatio (vti ostensum) sæpe comitatur. Lachrymę quoque vel alius serosus humor à causis suprà enarratis; oculum diu madefacientia & irritantia, tandem partes hasce erodunt, scabiemque palpebrarum inducunt, vlcusque verum interdum procreant: quæ vitia epipho-

Vellicatio oculi causa Pruritus Asperitatis in oculo, & Ophthalmiæ, & Epiphoræ. Solutio continui manifesta, causa Vesicæ, Scabriciei, Vlcerum, Fistularum, Vulnerum in oculo.

phoram sæpè comitantur nonnunquam sequuntur Morbi prægressi alij, hisce solutionibus continui ansam frequenter præbent. Sic phlyctenæ ruptæ excoriationem post se relinquunt. Ophthalmia vera, inflammatione non discussa sed suppurata, in abscessum conuertitur: quo rupto vlcus profundum interdū manet. Aegylops quoque phlegmone in abscessum abeunte, eo rupto in vlcus plerumque abit. Quod vel simplex est: vel malignum, si sanguis qui inflammationem hanc genuit deterior fuerit: vel sinuosum, si pure acri, ob abscessum non maturè apertum, retento, aut alioquin in vlcere hærente, illud locum illum exedat. Vnde tandem, si labra diuturnitate vlceris callosa fiant, tunicáve illis accrescat, fistula suboritur, in narium profunditatem descendens: absumptisq; ab eodem pure aut acribus medicamentis, quibus vlcus sanare nituntur, caruncula anguli illius, carneque, affectus qui Rhyas appellatur, sequitur: aliquando & os vicinum tenue eroditur & deperditur.

Rhyas, caruncula oculi absumptio.

Curatio.

PRo diuersitate causarum, diuersorum dolorum oculi generum; prædictio & curatio instituitur.

Prognostica in singulis Oculorū dolorum generib.

Intemperies calida simplex sine affluxu alicuius humoris, pruritū tantùm, interdum punctiones accersens, si in cephalalgijs accidat, dolorque in illis ad oculorum quoq; radices pertingat, dolori capitis cura potiùs accommodatur. In quibus calor & rubedo oculorum venarumque dilatatio, indice die præsertim vrgens, hæmorrhagiā narium superuenturam portendit. Si verò ob causam aliam extra hos morbos: vel calidam, vt æstum, motum vehementem: vel frigidam, vt ventū: aut vigilias, oculi pruriant & rubeāt, sublatis causis & correctis, aëre temperato, quiete & somno hæc remittunt, aut leui negotio (vti in topicis dicetur) emendantur.

Post somnum remanens grauedo oculi & palpebrarū tāta, vt oculū veluti cōtorqueat, nec aliquamdiu sine molestia aperiri sinat, capitis grauedinem vaporumq; & humorū copiā præsagit: quibus nisi sæpè negotium facessat, corrigendis potiùs hoc indice admoniti, quā vt huius leuis impedimenti causa aliquid moliamur, intenti esse debemus.

Ex sanguinis affluxu, si ophthalmia nondū vera nascatur (nisi hæc in verā transeat) minus est periculi. Si verò oculi sequatur inflāmatio, periculosior est vera hæc ophthalmia: eoq; deterior, si tumor magnus nigrum oculi obducens, adsit: pessima autem ea est, quæ suppurata in abscessum cōuertitur, qui in vlcus abit, quod si profundum sit, in periculum de oculi amissione inducit. Sed & nō suppurata ophthalmia, tàm vera quàm non vera, diuturna tamen, pupillam tandem obscurans, aut maculam in ea relinquens, visus obscuritatem vel cæcitatem potest efficere: Inflāmatio verò, in externo oculi angulo in ægylope facta, aliàs citò euanescit, frequentiùs neglecta, suppurata, diuturno & peruerso vlceri occasionem præbet: quod in fistulam conuersum ægrè ampliùs sanatur.

Ex serosi humoris influxu, epiphora pertinax quoque est admodum, sæpè multos dies, aliquando menses, totum interdum hyemen, nonnunquam, in senibus præsertim, ad extremos vitæ dies vsque persistens.

Phlyctenas à causa externa natas, pellucidas, sine rubore, sponte iterum subsedisse atque euanuisse vidi. Quæ cum rubore & dolore eueniunt disruptæ, excoriationem post se relinquunt.

Excoriationes & scabies non tam citò ob loci madorem sanantur; difficiliùs si in vlcus abeant. Quod si purulentum fit aut callosum, curatu pertinax, nonnūquam & immedicabile oculum penetrans, illius amissionem parit, vel callo obductum & cicatrice visui incommodat.

Ex vulnere oculi corneam penetrante, humores effunduntur, oculusque collapsus fit inutilis. Superficiarium vulnus in vlcus abit, curatu (vti dictum fuit) facilè vel difficilè. Punctura inflammationem, nisi caueatur, causat.

Cæterùm quod curationem attinet illorum affectuū qui illam requirūt, nec sponte sanari possunt, causis hæc primùm accōmodanda est. Quæ vel extrinsecus adueniunt, vt sunt corpora dura oculo illapsa: vel pili ciliarum oculos subeuntes, aut aër & splen-

Oculorū dolorum omnium generum vt Pruritus, Pūctionis, Con

tractionis, Ophthalmia falsa & vera. Aegylopis, Asperitatis, Scabritiei. Vlcerum, Fistulæ, Vulnerũ, in oculo, per causæ ablationem curatio.

splendor oculis molestiam adferẽtia. Vel ab assumptis: aut motu corporis & animi oculorum noxæ. Vel alia sunt impedimenta, vt sordes, lachrymæ oculis molesta. Quas causas si morbos hosce, vt ophthalmias, exulcerationes, ab initio procrearint, nec dum agere cessent, vel postmodũ superuenientia malũ augeant aut irritẽt, prius remouere oportet, vel auertere, aut emẽdare, vel vt ab illis sibi æger caueat, procurare. Si verò à defluxione humoris sanguinei in oculos, ophthalmia, aut serosi, epiphora nata sit, aut oculi iam priùs affecti nouis defluxionibus superuenientibus molestentur, tunc euacuando per phlebotomiã arterotomiã, aut cutis parencentesim vel vstionem, per cauteria; aut attractionibus institutis per cucurbitulas, hirudines, frictiones, vel expurgationes, alias per aluum, nares, os, vomitum, sudores, vrinas, humorem expurgare, aut ab oculis aliò dirigere & deriuare debemus: eumque exhibitis admotisq; absumere, atque influxum in oculos extrinsecus admotis impedire. Morbi verò ipsius causâ, pro eius diuersitate, topicis oculo appositis medebimur. Quæ omnia ordine enarrato causis morboq; vt dictum accommodato, sequenti modo perficiuntur.

Illapsa in oculos sponte frequenter rursum ex oculis, si fluida sint, emanant; & si solidiora sint, motu oculi & palpebrarum propulsa, lachrymisque quæ mox superuenire solent abluta, sæpe recedunt. Si verò subsistant arte vt inde auferantur procurandum.

Quod fiet eò faciliùs, si ea vel in angulis hærentia, oculo aperto vel palpebris eleuatis sub illis possunt conspici, tuncque panno linteo in forma turundæ formato, aliòve stylo molliore, industriè eximi debent.

Quòd si verò in abdito latẽtia minimè cõspiciantur, aut priùs visa dum tanguntur eò retrocedant, aut motu oculi propellantur: tunc leuibus lubricisq; in oculum impositis, grauiusculis præsertim, oculoq; conuoluto, ex profundo in apertum horũ impulsu sunt priùs propellenda, posteaq; eximenda: sicuti lapillis exiguis & planis id cõmodè præstatur. Vel vulgaribus silicibus, quos Ophthalmicos huius vsus causâ vocãt. Vel prætiosis lapidibus sic formatis: inter quos lapis Chelidonites dictus, ac si ab hirundinib. desumptus, in oculorũ affectibus peculiarem vim haberet (cùm tamen ex marmore vel iaspide fului coloris sic formetur, aut alioquin in saxis inueniatur) præsertim vsurpari solet. Vel lapilli illi astacorum fluuiatilium, quos Oculos cancri vocant, ad hoc præstandum formam à natura adepti, in eo, quòd in vna parte parum caui, altera parte rotundi, palpebrarum conuexo & oculi globo egregiè se accommodant.

Quod & Rhazis pistillo exiguo resinâ pinea illito, per oculum sub palpebris ducto eò rectiùs fieri posse docet, quòd huic glutini, quod tamen statim oculi madore madefactum inutile fit, res illapsæ adhęrentes commodiùs sic possint extrahi.

Sternutatio vel emunctio frequens, ad excutiendas, vel saltem ex alto prouocandas res in oculo subsistentes, tum per se, excussu aëris valido per nares facto, quo & oculi impelluntur, tùm intermedio lachrymarum quas simul concitat, admodum iuuant.

Alia quoq; quæ lachrymas mouẽt, eluendo hæc, proderunt. Vti & motus oculi frequens, si palpebræ apertæ interim retineantur, res extrorsum promouet.

Incurui & deorsũm contorti ciliorũ pili si oculos pungant, quod fit cùm ob flãmam oculis propinquã ex parte vsti vel inflexi curuantur, aliámve externam ob causam, si amputentur, nullum ampliùs recrescentes pili cùm recti sint, damnum adferũt. Si verò qui recrescunt tales causâ pororum quoq; fiant, eos cõtinuò abscecare vel euellere necesse est, aut vrendo cilia ne recrescant procurare: quod cùm non tantùm cum dolore fiat, sed & indecorum sit, ciliis carere, vt recti fiant sicque retineantur, infusione gummi Tragachãti, aliòve visco, vel Mastiche dissoluta inuncti firmantur, inuicemque glutinati ne oculum subintrent, cauetur: sicuti mustacem ne os subeat, sed transversim rigeat, sic illinendo aliqui procurant, quod & quibusdam pulchrum esse videtur.

Aër calidus oculis rubicundis & inflãmatis

tis cùm obsit, avertendus vel contemperandus, aut etiam refrigerandus: cùm aër frigidiusculus, oculis sic affectis prosit. Summè verò frigidus, vento præsertim agitatus, in omnibus oculi læsionibus nocet. Vti & is qui fumo aut etiam aliis tenuioribus exhalationibus perturbatus, acrisque factus, oculos mordet & irritat. Sicuti & à vehementer odoratis quibusdam, vt oleo spicæ & fœtidis, vt excrementorum nidore oculos vellicari videmus. Quæ proin omnia oculis dolentibus noxia, vitanda sunt.

Vti & inprimis splendor tum solis tum flammæ, quem oculi dolentes pati minimè possunt, ab eoque grauiùs læduntur. Sed & lucem quoque, si vehementiùs affecti sint, cùm ferre nequeant, oculos vix ęgri aperiũt. Et proin in hisce morbis, ægri oculum affectum obtectum velo atro, nisi hoc aliis fiat oculo applicatis, lucem arcere, vel in tenebris se continere debent.

Cibi à quibus corpus accenditur, vnde facies & oculi, illis sumptis rubent, vt imprimis à vino forti; vel hi à quibus vapores calidi exurgentes, oculum vellicando lachrymas eliciunt: vti ex cõsuetis bellaria & condimenta ex cæpis, & sinapi & raphano, aliisque parata, vitandi. Sed & tenui vti victu, & aliquãdo à cœna abstinere, plurimùm in epiphora prodest.

Commotio oculorũ indecens vel nimia, oculis dolentibus quoque est noxia. Vti in illis qui alias lucem ferre possunt, intuitio rerum sedula vel lectio nimia. Motus corporis vehemens aut validus aut indecens, per capitis præsertim inclinationem: ob quam causam erectus potiùs stare & supinus dormire debet, in latere oculo dolenti opposito. Aut frictio oculi; à qua sibi ob pruritum cùm vix temperare ægri posʃint, malũ frequenter exacerbant.

Animi diuturnior commotio per vigilias nocet quoque. Vel perturbatio tanta, vt ploratum causet, quo valde cùm lachrymæ affluant, oculus læditur. A' quibus omnibus æger quantùm fieri potest, sibi cauere debet.

Vti & ab illis quæ casu extrinsecus accidentia, vel quæ dum oculis mederi volumus, illis indũtur collyria, quia nimis acria, oculos lædere possunt: sicuti & ab illis quæ alioquin in aëre volitantia, vt pulueres, muscæ, quæ facilè oculos subeunt, eosdemque affligunt.

Impedimenta alia quoque remouenda, quæ in oculo se offerunt. Vt sunt cilia inuicem conglutinantia, quæ oculum quò minùs aperiri & non sine vi & dolore posʃit, retinent: quorum gluten, limum & arenosam materiam adhærentem pilis, manibus placidè & sensim, ne oculum dolentem irritemus, ab illis detrahere oportet. Et nisi facilè cedant, priùs ea humore aliquo, vt cedere posʃint, emollire: vt Aqua tepidula simplici vel Rosarum: aliáve oculo affecto commoda: in qua mucago vel albumen, cùm magis emollire volumus, dissoluimus.

Sordes aliæ quoque oculis inhærentes, quando pupillæ præsertim præpositę visum impediunt, leuiter & molliter palpebrã versus angulos fricando, ducendæ, indeq; tum hæ tum aliæ illic collectæ, vt de aliis illapsis dictum, eximendæ.

Lachrymæ cùm fluunt, quò minus exterguntur, eò minus oculus offensus priùs irritatur: cùm verò vrgent, non sæpè & validè linteo eum fricando, sed tantùm adhibendo leuiterque apprimendo, eas excipere auferreque oportet.

Phlebotomia, si à sanguinis affluxu fiant dolores, cõuenit: vt in ophthalmia & ægylope: Et in aliis causis, vt in vlcere vel vulnere: si ob dolorem noua defluxio sanguinis in oculos metuatur, ad præcautioem quoq; proderit: eoque magis si inflammatio adsit vel immineat, corpusque sit plethoricum, tunc enim copiosiùs sanguis detrahi debet, & nonnunquam repeti, illudque vel in eadem vel diuersis venis. Aperitur autem reuulsionis causâ cubiti vena humeraria; vel ea quæ magis illic patet, eiusdem lateris cum oculo affecto, quam in opposito latere, dum adhuc sanguis in oculum fluit, Arabes tundere iubent. Fit & in pollice manus, vel in pede eodem nomine venæ incisio. Eamque quæ inter spatulas est, aliqui secant, E' propinquiore vena, cùm è loco affecto meliùs educere & deriuare sanguinem iam fluxum cupimus, emittitur; vt frontis vel temporum,

vel linguæ venâ. Vel vt aliqui voluerunt, etiam syncipitis.

Arterotomia in capite, vt in dolore capitis dictum, facta in ophthalmia graui vel diuturna, magnum adfert adiumentum. Et in epiphora perseuerante, qualis sæpe esse solet, si serosus humor lachrymātes oculos causans per exteriores venas descendat, eam præ cęteris omnibus sanare, aliqui docent.

Paracentesis, cute capitis ad radicem occipitij pertusâ facta, & transmisso filo crasso aut chordâ sericeâ, vel setaceâ, aperta aliquādiu retenta, in epiphoræ fluxu diuertendo, vltimum ferè est remedium.

Cauterium actuale vel potentiale in ceruice è regione oculi dolentis, vel in medio nuchæ, vel in capite ad suturam coronalem, adhibitum, tanquam extremum efficacissimumque præsidium, in perseuerante ophthalmia & epiphora, necnon aliis fluxibus in oculos, vsurpatur.

Cucurbitularum applicatio in omnibus fluxibus, tam à sanguine quàm seroso humore ad oculos factis competit: vel sola, vel adhibita simul scarificatione: inprimis si fluxus sit sanguineus. Quæ colli lateribus, in summo humero, scapulis, brachiisq;, vel simul vel separatim vno aliquo in loco affiguntur, & perseuerante morbo sæpe repetūtur: cùm hac ratione magna fiat reuulsio deriuatioq;. Auriculæ in latere oculi dolentis, scarificationem, sunt qui magni in hoc casu momenti esse censeant.

Hirudinum applicatio, eo modo, vt in dolore capitis dictum: venæ sectionis vices supplet.

Frictio extremitatum aliquo pacto quoq; reuellit.

Per aluum euacuationes, infusis clysteribus, vel intrusis suppositoriis instituuntur: quibus excrementa obuia ante venæ sectionem, vel alia purgantia, nōnihil priùs eluuntur. Quæ & tunc & postea quoque iteratæ, si defluxio quæcunque in oculos, dolores pariat, vel ea timenda sit, egregiè reuellunt: quæ vel emollire vel stimulare plus minúsve, prout morbus exigit, debent. Qualia passim hinc inde describuntur.

Propinantur purgantia ad eiusmodi per inferiora excretiones moliendas, leuiora: tum vt alui constipationem, quæ oculorum affectibus incōmodare solet, soluamus: tum vt primas fæces, vti de clysteribus dictum, eluamus. Quæ & in omnibus causis, si prædicta hæc alui solutionem requirant, vsurpari possunt. Vti & in oculorum inflammationibus ne exhalationibus tetris malum irritetur, hoc pacto præcauemus; abstinendo tamen à calidioribus, contemperandoque ea frigidioribus. Quæ & in ophthalmia falsa, etsi nulla inflammatio, calor tamen & rubedo adsint, cōueniut: in qua & paulo fortioribus vti possumus: idq; præsertim in ꝓgressu morbi, cùm lachrymę oculo molestæ esse incipiunt. Quorum exempla in biliosis affectibus hinc inde proponuntur, & in capitis dolore à causa calida ostensa sunt: addendo interim ea, quæ ea oculis appropriata, hæc illis accommodent.

Præparatione præmissa hoc modo: ℞. syrup. Viol. ℥.j. syrup. Nenuph. de Rosis rubris siccis ana ℥.ß. aquæ Verbenæ, Rosarū, Plantag. an. q. s. fiat Zulapium: Capiat aliquoties.

Purgetur dein. ℞. syr. Ros. sol. ℥.j.ß. syrup. Viol. ℥.j. Diagr. gr. ij. vel iij. dissolue cum aqua Endiuiæ & Rosarum: Bibat.

Vel: ℞. syr. Ros. sol. cum inf. Senæ (quæ oculis appropriata esse dicitur) ℥.j.ß. diluatur sero Lactis.

Vel: ℞. Casiæ rec. extr. vel ext. cum Sena ℥.j. elect. de succo Rosar. ʒ.ij. cum Sacchoro fiat bolus: vel dissoluatur aquâ Buglossæ, & sumat.

Aut: ℞. Rhabarbari el. ℈.iiij. Myrobal. citrin. ʒ.j. irrorentur pauco vino vt vis eliciatur meliùs, postea infundantur in aqua Rosarum & Viol. fiat expresio, adde syrup. Rosar. sol. ℥.j. fiat potio.

Vel decoctum hoc: ℞. rad. Fœniculi ℥.ß. flor. Cord. P. j. semin. Fœniculi ʒ.ß. sem. Violarum ʒ.j. Tamarind. ℥.j. Prunorum num. vj. Myrobal. citrin. ʒ.iij. fol. Senæ ʒ.ij. fiat decoctio: diss. in s. q. syr. Ros. sol. vel Viol. ℥.j.

Pilularum Sine quibus (oculis appropriatarum) ʒ.ß. idem efficiet.

Fortioribus catharticis & calidioribus, si humores serosi ad oculos defluant, lachrymæque copiosè infestent, præsertim in epiphora,

phora, tum in ophthalmia, vbi non tantus calor est, & in oculi vlceribus cum fluxibus, vt in fistula lacrymali vtimur; Iisdem ferè, quæ & in capitis dolore melancholico & pituitoso explicata sunt; quę & oculis hoc modo appropriantur.

Præparatione præmissa: ℞. Mellis rof. ℥. j. syr. de Betonica, Capill. Ven. ana ℥. ß. aquarũ Chelidonij, Buglossi, Cichorij an. q. s. arom. Santalo: Vtatur pro vna vice, & repetat.

Vel cùm fluxus potiùs quàm calor adest: ℞. syrupi de Hysopo ℥. j. de Stœchade, de Betonica ana ℥. ß. aquarum Fœniculi, Verbenę, Euphrasiæ q. s. Vtatur vt priùs.

Postea euacuãdi, cùm rubedo & calor adhuc sunt in oculis, catharticis, minus corpus inflammantibus: si verò fluxio lachrymæq; magis infestent, etiã istis, quibus serosos & pituitosos humores educimus, vtimur. Quę & si diuturnæ sint epiphoræ vel ophthalmiæ vel exulcerationes, sæpe repetẽda sunt.

Pilularum forma magis hìc consueta est: vtimurque illis potissimùm, quæ oculis appropriatæ sunt: vt sunt pilulæ Fumariæ, Sine quibus, & Lucis mai: quibus ʒ. j. pondere separatim vel inuicem permixtis vtimur, aquâque Euphrasiæ, Verbenæ, Fœniculi: vel syrup. de Stœchade emollimus formamusque. Sed & Cocciæ & Aggregatiuæ vsurpantur.

Vel Diacarthamo, Diaphœnico, Diacario nostro, aliisque tabulis aut electuariis phlegmagogis, hydragogis, dissoluendo ea in aquis oculis appropriatis, illud efficimus.

Vel hoc decocto: ℞. rad. Fœniculi ℥. j. ß. radic. Acori veri & Liquir. an. ℥. j. herb. Fœniculi (si recens haberi potest) Euphrasiæ, Verbenæ, Chelidoniæ, Fumarię an. M. j. Rutæ M. ß. fl. Rosmarini. Stœchados, Rosarum an. P. j. seminum Fœniculi, Sileris mont. an. ʒ. ij. fol. Senæ ℥. ij. ß. sem. Carthami conquass. ℥. ij. fiat decoctio, & in col. calente, infunde Agar. trochisc. ʒ. iij. Rhabarb. ʒ. ij. (quo in fluxionibus serosis vti solemus) Spicæ ʒ. ß. fiat expressio, arom. Cinam. & dulcoretur Saccharo: Vtatur tribus matutinis.

Et si post vsum huius apozematis nõ sufficienter purgatus fuerit, Pilulis exhibitis ea quæ supersunt, educantur.

Plura eiusmodi, & in hisce affectibus oculorum conuenientia purgantia, in visus imbecillitatis à serosis & pituitosis cerebri redundantiis profectæ curatione, copiosè tradita sunt.

Vbi & qua ratione tum cùm præparantia dantur, tabulas simul exhibere, & quo pacto post purgationes caput, ventriculum denuò roborare debeamus, ostensum fuit.

Per nares & os cerebri excremẽta repurgantia caputpurgia, in causa calida, quia nares faucesque accendendo vicinos oculos quoque inflammant, sanguinisq; influxum commouent, non conueniunt: minusq; errhina cùm sternutationem moueant, quæ oculos admodũ ad rubedinem lachrymásque solet impellere. In reliquis verò causis, cùm lachrymæ citra calorem alioquin, vel etiam in exulcerationibus manant, quando masticatoriis aut gargarismatis, per narium amplitudinem ad fauces trahuntur, eas ab oculis diuertunt, caputque ab humoribus euacuando, post purgationes alias vsurpata, profluxionem hoc modo impediunt. Quod & errhina, nisi sternutationẽ mouendo (vti dictum) oculos irritarent, facerent, cùm ex oculorum orbita per foramen lachrymale dictum in nares lachrymæ naturaliter, vt & præternaturaliter cùm puræ ferantur, quam euacuationem promouendo, nisi aliam ob causam nocerent, prodesse possent.

Per vomitum cùm oculi dolent, expurgationes non sunt instituendæ, cùm in hoc impulsu valido sanguis in oculos propellatur, lachrymæque proliciantur, causaq; mali sic augeatur, vel de nouo prouocetur, dolorque exacerbetur.

Per sudores, euacuationes (vti in dolore capitis dictum) cùm non, nisi corpus caleat, prodeant, dum oculi calent, si promouerentur, obessent. Si verò sine calore & ardore adsunt vlcera, lachrymæque infestant, tunc quia corpus siccant, excrementaque absumunt. vtiliter prouocantur: nec tantùm vnâ duabusq; vicibus, sed & continuis aliquamdiu; adhibita insuper, vti fieri tunc solet, in cibis abstinentiâ: sicuti in lachrymarum fluxu in reiectis, quo pacto hoc cum diæta fieri posit, & vtile sit, demonstrabimus.

Quo & balnea referri debent, quæ in ophthalmiæ declinatione, si in illis se lauent, quod reliquum est per corpus excernunt dissoluuntque. Quo nomine & meri potus tunc laudatur, cùm alio tempore calentibus adhuc oculis, hæc duo potiùs obsint.

Per vrinas serosi humoris redundantia, atque vnà cum eo corporis excrementa, quę oculorum morbis vel causam præbuerant, vel adiumentum saltem attulerant, si expurgentur, ad curationem quorundam illorum affectuum aliquid præstare poterit: Cuius præcipuè nomine, præter quàm quòd siccando easdem redundantias absumunt, & proprietate sua aliquid fortè præstant, potiones in fistulis oculorum sanandis propinare solent.

Hoc modo: ℞. fol. Tanaceti, Cauliũ rubr. Agrimoniæ, Filicis maris, Filipédulæ, Pimpinellæ, Ceterach M. j. Oleæ syl. turionum vel fol. Myrti M. ß. rad. Glyzyrizæ ℥. j. Cicerum rub. P. ij. fiat decoctio: sumatur de colatura pro 5. dosibus, dulcoretur Saccharo, & vtatur in fistula lachrymali.

Absumentibus humores superfluos capitis, in epiphora atq; exulcerationibus quoque, cùm illi oculos frequenter petunt, vtimur: quibus caput siccatur roboraturque; Idque diuersimodè, exhibitis forisque capiti admotis, iisdem ferè, quæ & in capitis dolore & vertigine, aliisque morbis à defluxionibus genitis etiam competere, illis locis proposuimus.

Quo & referri possunt, quæ inspecta aut gestata, in illis affectibus iuuare creduntur. Veluti in ophthalmiis Achatem lapidem inspicere, Lapatij vulgaris radicem, luna decrescente effossam gestare, lapidem Bubuli fellis naribus indere, vtilia esse & prodesse scribuntur.

Impedimus fluxionem in oculos, siue à sanguine, siue à seroso fiat humore, illis quæ viam per quam fertur, constringendo eum nonnihil remorantur, humoremque frigiditate sua aliquo modo repellunt. Quibus & in ophthalmia & ægylope mox in principio, & in epiphora sæpè adhibitis: & in aliis quoq; causis cùm defluxio timetur, humorum influxum reprimere tentamus. Eaque oculo vicinis locis frequentiùs, nonnunquã & oculo, clauso tamen priùs, applicamus.

Vicinis oculo sedibus illis, per quas defluxio fertur, hæc admouentur: vt fronti & temporibus, ea regione vbi oculus dolet, vel si ambo affecti sint, vniuersæ illi sedi, ab vna aure ad alteram vsque; interdum & in oculi ambitu, ad buccas vsque descendendo aliquando. Quæ & in ophthalmia, vt sanguinis impetus compescatur, si supra iugulares venas apponãtur, vel etiam iuxta occipitiũ, proderunt. In quibus omnibus locis, ea quę potentiùs astringunt, siccant & emplastica sunt, refrigerantque & potentiâ & actu, tutiùs quàm supra oculum adhibentur.

Epithemata panno vel spongiâ excepta, rursumque ex illis, ne in oculum defluant, nonnihil expressa, in ophthalmia præsertim vera, aut alioquin, cùm magnus in oculo calor est, sic admota, prosunt: Validiusque reprimunt, si actu frigida vsurpentur: ad frigidissima tamen, & niue (vt aliqui docent) refrigerata, vix procedentes, cùm visioni hoc damnum inferre posset, indeq; cęcam quandam factam obseruarim. Quorum formulæ in capitis calidis morbis describuntur: si illis, omissis oleo & aceto, quæ oculis inimica sunt, vtamur; Quæ tamen si non fronti, sed iugularibus apponantur, negligi non debent, & summè frigida quoque illic adhiberi possunt.

Ex Plantaginis succo epithema valde est vtile: cui Albumen oui bene conquassatum nonnunquam permiscemus.

Emplastra cùm diutiùs hæreant, nec ab illis aliquid in oculos destillet, potiùs dictis locis adglutinantur vel alligantur, diuque, si perseueret, defluxio retinentur, triduoq; renouantur. Quibus in omnibus defluxionibus vti possumus. Qualia multa alibi in aliis defluxionibus explicantur.

Vel sic paretur: ℞. Masticis, Thuris, Vernicis an. ʒ. ij. Amyli vel Farinæ volatilis ʒ. j. excipiantur Album. oui & infusi gũmi Tragac. pro emplast.

Aliud: ℞. Picis q. s. dissoluatur pauco oleo Myrtino, adde Vernicis, Thuris masculi, an. mediam partem, formetur emplastrũ: quod & occipitio applicatum proderit.

Vel hoc valde astringens: ℞. Boli Arm. ℥. ß. Sanguinis draconis, Acatiæ an. ʒ. ij. cortic. Granat. Gallarum an. ʒ. j. fiat puluis: excipiatur Album. oui & pauco aceto rubro, fiat emplastrum pro fronte & temporibus.

Operosum magis: ℞. Boli Arm. Gypsi vsti, lap. Hæmat. an. ʒ. ij. Vitreoli ʒ. ß. Asphalti, Thuris, Masticis, Vernicis an. ʒ. j. sang. Draconis, Acatiæ, Hypocist. Picis an. ʒ. j. Balaustiorum, cort. Granat. Gallarum, nucis Cupressi an. ʒ. ß. pulueriſentur, adde Amyli ℥. ß. cum infus. gummi Tragach. & Vitello oui & pauco Aceto, oleoque Rosaceo, formetur magdaleon ad vsum.

Vsitata emplastra de Mastice, & pro Ruptura Comitissæ dicta, horum vices supplere possunt.

Sunt qui si Opij circiter ℈. j. pro vno emplastro addatur, admodum fluxiones sistere doceant. Quod verò si capitis adsit simul dolor, iuuare credimus: quo nomine & loco seminis Papaueris albi, quod etiam permiscet, syrupo Papauerino rectiùs emplastra excipiemus, cùm aliud sit inualidum, vti & reliqua frigida quæ istis commiscentur.

Defensivum commune ex Bolo puluerizato & subacto cum Aceto & Album. oui fit: cui & æqualis cum bolo si Gypsi portio addatur, fiet efficacissimum: quod & post aures in ophthalmia applicatum conuenit.

Ex prædictis, additis oleis, vnguẽta quoque fiunt, quibus ambitus oculi dolentis illinitur, præsertim si is facilè intumescat, vti sæpè fit; quæ tamen crassiora vt hæreant, superciliisque sustentari possint, ne in oculum perueniant, esse debent: noctuque præsertim dum oculi clausi manent, illiniri.

Qualia etiã ex succis hoc modo fieri possunt, omissis pulueribus, ne siccatis vnguẽtis oculo illapsi, eũ molestent: ℞. succi Plantag. ℥. ij. Aceti rub. ℥. j. in quo Vitreoli albi ℈. j. dissolutus sit, Sanguinis draconis, Acatiæ, Hypocistidis, Ladani ana ʒ. ß. dissoluantur omnia: addendo Album. oui & ol. Ros. q. s. fiat instar nutriti, sed spissi, additâ paucâ Lariceâ.

Oculo clauso eiusmodi remedia quæ fluxiones cohibent, nõnunquam apponuntur, supra palpebras, nam fortia hæc astringentia in oculum immittere, cùm oculum exasperarent, qui læuis & lubricus esse debet, minimè tutum.

Veluti hoc emplastrum: ℞. Boli albi vel rubr. pinguis ʒ. iij. farinæ Hordei ℥. j. ß. infus. gummi Tragach. factæ in aqua Myrti vel rosac. ℥. j. Camphoræ ʒ. ß. Lactis cremoris (ne induretur siccando) & succi Plantag. an. q. s. ad subigendum, fiat emplastrum, Quod supra pannum dilatatum oculo clauso applicetur.

Hoc idem præstant refrigerantia repellendo. Qualia in topicis ad sanguinis influxum potissimùm repellendum in principio mox explicabimus: & quæ lachrymas siccando simul astringendo nonnihil, in fluore serosi humoris in oculos ad eum sistendum adhibentur.

Topica in Oculorum dolorib. cuiuscunq; generis remedia.

Oculo affecto quæ applicantur topica remedia: Vel aperto oculo induntur, Et vel instillantur, liquores tum simplices, tum permixti cum materia solidiore; quos collyria vocant, etsi propriè inde habeant nomen, si priùs trochiscos vel alias formas redigãtur, vt postea cùm illis vti volumus, præstò ad manum sint & ad vsum dissoluantur. Sed & inijciuntur atq; interdũ in sinus illic factos: vel imponuntur si spissiora aut sicciora sint, idq; ferè in oculi angulos, maiorem præsertim: aliàs palpebris apponuntur. Alij stylum argenteum vel osseum politum in pulueribus liquore intinctis volutum, transuersim oculo impositum, clausisq; palpebris tractũ, vt puluis in oculis maneat, sic oculo indunt: aliisve artibus adhibent. Nonnunquam & pulueres subtilissimè, vt achool, sicuti vocãt, in cote triti oculis insufflantur. Interdũ emplastra exigua oculi angulo affecto maiori imponunt, sic vt simul circa nasum cuti illic adhæreant. Alia verò oculo clauso foris emplastri modo, vel fotus cum panno, bombace, spongiolâ applicãt. Quæ remedia pro diuersitate causæ & affectuum variant, & præcipuè prout vel intemperies est simplex à calore, frigore, siccitate; vel grauedo; aut cum affluxu sanguinis, ophthalmia vel ægylops: vel serosi humoris, epiphora; aut cum solutione cõtinui, phlictena, excoriatio, vlcus, fistula, singulis accõmodantur: sequẽti modo.

Pruritus Punctionis in oculo ab intemperie remedia.

Intemperies simplex calida, sine affluxu humoris, pruritum tantùm adferens, ne fluxum concitet, frigidis actu & potentiâ adhibitis, astringentibus, mox corrigitur.

Si ex frigore oculi pruriant & rubere incipiant, idem tentandum, maximeque siccantibus & nonnihil quoq; mordacibus, si pruritus perseueret, ille sedandus. Quorum remediorum formulæ in ophthalmiis & epiphoris explicabuntur.

Ex siccitate palpebrarum si oculi pruriant aut asperi fiant, lenientibus anodynis emendantur. Iuuat & vapor aquæ calidæ oculo exceptus, similiaque.

Contractionis in oculo remedia.

Si grauedo oculorum (vti vocant) post somnum (sicuti dictum) molesta sit, sensim, non vi diductis palpebris, caloreque actuali manus aut alterius rei adhibitæ, leuique frictione palpebrarum facilè remittit.

Ophthalmiæ falsæ & veræ remedia.

Si cum affluxu sanguinis vel sine inflammatione, vel cum inflammatione, ophthalmia falsa vel vera dicta fiat, nunc topica ab initio dolorem mitigantia, humoris influxum cohibentia, postmodumque simul siccantia, tandemque aliquid quoque digerentia, & in fine, quod residuum est, discutientia adhibere hoc ordine oportet.

Dolorem lenientibus anodynis & narcoticis quoque, si admodum vrgeat, subitò, nõ tantùm quia ægro molestus præcipuè est, sed & quia defluxionem auget, succurrendum: simulq; mox refrigerantibus & nonnihil astringentibus fluxus inhibẽdus; quin & calor, tam diu quàm hæc perseuerant, contemperandus erit. Vel separatim illis, nunc hoc illóve, prout dolor fluxusque magis vrgent, vel inuicem commixtis cùm simul infestant, vtendum. Quorum simplex forma talis erit.

Albumen oui agitatum donec aquæ instar fluat, spumâ demptâ, plerumq; ad doloris sedationem vsurpatur: tum per se, tum cæteris additum medicamentis. Vtilis & liquor illius, qui dum ouum assatur exsudat, oculo inditus. Vitellum item oui solum, vel simul cum Albumine tostum vel coctum.

Lac quoduis, quia anodynum est, imprimis muliebre, frequenter reliquis permisceatur medicamentis.

Caseus recens non salitus, applicatus, idem facit.

Caro vitulina recens abluta, singulare Empiricorum in dolore oculorum est remedium.

Pomorum dulcium assorum priùs ad ignem vel sub cineribus, vel decoctorũ pulpa, cùm dolor sedandus, valde est vtilis. Sunt qui ex semiputridis pomis parùm assis pulpam præferunt. Idem faciunt, & adhuc validiùs, poma matura Amoris, Strychnodendri & Mandragoræ, contusa, vel decocta priùs. Quando verò fluxus reprimendus, Poma acida, Pyra austera vel Cydonia, eodem modo (vt de dulcibus dictum) parata, sumuntur.

Sedum maius, Portulaca, & folia Solani, Hyoscyami, Mandragoræ, viridia contusa, vel inuoluta panno & sub cineribus parùm cocta, apposita dolorem compescunt. Et si astringendum, Plantaginis & Rubi & Myrti folia recentia, vel decocta parùm & contusa adhibita. Quibus omnibus polentam seu farinam Hordei, vt meliùs hæreant, veteres permiscebant.

Aqua rosarum valde in vsu est: tum per se vsurpata, tum cæteris permixta: quæ ardorem mitigat: & cùm astringere magis volumus, aquam Calicum rosarum potiùs sumimus: vel Plantaginis, Prunellæ aut Myrti: vti si leniendum, aquâ Portulacæ, Solani vel Lentis palustris, vel Fragariæ vtimur. Aqua album. Ouorum coctione induratorum, elicita quoque confert.

Composita forma ex hisce variis modis fit. Vt cùm dolorem sedare & ardorem compescere volumus, sequẽtibus potiùs vtimur.

Primum: ℞. Albumin. oui vnius mediocris, agitatum: adde tantundem aquæ Ros. & Lactis mulieris parùm. Si decoctum Papau. albi loco aquæ Ros. sumatur, magis fiet anodynum.

Secundum: ℞. sem. Fœnograeci ʒ. ß. sem. Papau. albi ʒ. ij. coquantur in aqua Ros. decoctoque albumen Oui permisceatur.

Tertium: ℞. Panis medullam maceratam per noctem vel decoctam in aqua Ros. vel Lacte, vel vtroque, applicetur: Vel succus expressus instilletur.

Quar-

Quartum: ℞. Poma dulcia eodem modo decocta & vsurpata. Vel medulla Panis pulpaque Pomorum sic præparata simul administrata.

Pilulam Sambuci in aqua communi vel Rosar. maceratam, aliáve conuenienti, chirurgi applicare solent.

Aliud anodynum: ℞. mucilag. vel Psylij, vel Cydon. vel Fœnogræci, vel gummi Tragachanti, Arabici, & cum aqua Ros. & Lacte dissoluta, vsurpentur.

Si dolor admodum vrgeat: ℞. mucilag. s. Psylij & Fœnogræci an. ℥.j. infus. gũmi Tragach. factæ in aqua Ros. Album. oui ana ℥.ß. Camphoræ gr.v. Opij gr.ij. Croci grana aliquot addunt quidam.

Vel hoc emplastrum: ℞. Panis medullæ maceratæ in Lacte, & in pultem cõtusæ, pulpæ pomorum dulcium assorum priùs, farinæ Hordei an. ℥.j. ß. mucilag. seminis Psylij & Fœnogr. ana ℥.j. Vitellos ouorum num.ij. Camphoræ ʒ.ß. Croci gr.iij. Opij gr.ij. Rosacei recentis non rancidi, vel Butyri recent. aut cremoris Lactis ʒ.vj. (quæ pinguia alioquin oculo nõ vtilia, ne aridum factum medicamẽtum, oculum premat, adduntur) fiat cataplasmatis instar: imponatur oculo clauso. Sunt qui fronti potiùs applicari volunt, & sic quoque dolorem compescere. Interdum & succi permiscentur refrigerantes, vt Portulacæ vel Solani, si magnus sit ardor. Potest & ex paucioribus parari.

Anodynum Diosc. remedium: ℞. Vitellum oui tostum, misce cum pauco oleo Rosaceo & tantillo Croci: dolorem admodum compescit.

Idem facit hoc quoque anodynum: ℞. succi Chamomil. Meliloti ana ℥.ß. vel vnius ℥.j. Lactis mulieris, Album. oui ana ℥.ij. aq. Ros. ℥.j. agitentur simul: & panni madefacti oculo applicentur. Si Opij gr.ij. permisceantur, magis dolorem mitigabit.

Vel decocto hoc anodyno foueatur oculus: ℞ fl. Maluæ, Viol. Ros. ana P.j. flor. Chamom. Meliloti an. P.ß. sem. Fœnogr. ℥.j. sem. Lini, Psylij ana ʒ.ij. sem. Papau. albi ʒ.j. decoquantur pro fotu oculi.

Cataplasma anodynum: ℞. florum Chamom. Meliloti ana P.j. seminis Fœnogræci ℥.j. coquantur, & in colatura decoque Micæ Panis ℥.iij. Vitellos oui num.ij. Croci ℈.j. Lactis parùm, fiat cataplasma.

Cùm verò potiùs repellere & astringere animus est, & refrigerare: ℞. aquę Rosarum calicum ℥.ij. succi Plantag. ℥.j. Alb. oui conquass. ℥.ß. misce. Succus rubi fructus exiccatus priùs si addatur, efficaciùs repellet.

Decocto hoc vti possumus cùm astringere volumus: ℞. fol. Plantag. Ros. rubr. aridorum ana ʒ.j. Balaustiorum ʒ.ij. decoquantur in aqua Peculi ros. & Plantag.

Vel cùm astringere & dolorẽ simul lenire volumus: ℞. fol. Plantag. Portulacę vel Sedi, hyemis tempore, Solani an. M.ß. flor. Ros. Viol. ana P.ß. seminum Psylij, Papau. albi an. ʒ.ij. decoquãtur in aqua: si radicis Mãdragoræ ʒ.ij. addantur, dolorem citiùs compescet.

Idem facit hoc cataplasma: ℞. pulpæ Pomorum acidorum, vel Pyrorum vel Cytoniorum, decoctorum in aqua Rosar. & Plantag. vel in decocto supradicto astringente, vel Vino, vt vult Galenus, fiat cataplasma.

Aut tali vtatur: ℞. pulu. Cyton. coctorũ, vel si desint, aliorum, vt dictum, ℥.j. farinæ Hordei ℥.j. Sumach. cort. Gran. an. ʒ.j. succi Portulacæ vel Sedi & Plantag. an. q.s. ad subigendum, fiat cataplasma.

Siccantia nonnunquã citra morsum, prædictis repellentibus & dolorem sedantibus, ad humiditates absumendas permiscentur: quorum & quantitas sedato aliquantũ ardore, cùm morbus declinare incipit, augetur, tunc quoque nonnihil digerentibus.

Ex Cerusa lota priùs, collyria alba in hũc vsum parantur: ℞. Cerusæ ablutæ aqua Rosar. ʒ.ij. aquæ Plantag. vel Myrti, si repellendum: si leniendum, Lactis mulieris ℥.ij. Alb. oui conquass. ℥.ß. misce.

Vel: ℞. Cerusæ ablutæ ʒ.ij. mucilag. sem. Psylij vel Cyton. vel Lini vel Fœnogr. ʒ.vj. aquæ Rosar. & Lactis q.s. misce.

Trochisci albi ex cerusa, è quibus collyria alba fiunt, sic parari possunt: ℞. Cerusæ lotæ ℥.ß. Amyli ʒ.ij. gummi Tragach. infusi in aqua Ros. donec mollescat in mucaginem ʒ.ß. fiant trochisci: quibus & Opij ℈.ß. si dolor vrget, addi potest. Qui cũ aquis & lacte cùm iis vti volumus, dissoluuntur.

Hisce Sarcocolla, cùm nonnihil digerendum, simul permiscetur: sicq; trochisci Rhazis albi dicti parantur: ℞. Cerusæ lotæ ʒ.x. Sarcocollæ nutritæ in Lacte mulieris ʒ. iij. gummi Tragach. ʒ.j. cum aq. Ros. fiant trochisci: qui cum ʒ.ß. Opij aliquando, aliàs sine illo parantur.

Additur & Camphora interdum, vt: ℞. Cerusæ lotæ ʒ.ij. Amyli ʒ.j. mucilag. semin. Psylij & Lini vel Fœnogræci an. ℥.ß. Sarcocollæ nutritæ ʒ.j. Camphoræ ℈.j. aquæ Ros. ℥.ij. Lactis, Album. oui ana ℥.ß. misce: possunt & gr.vj. Opij addi: vel cum decocto Papau. aut fol. Hyosciami hæc dilui. Et Croci grana tria vel quatuor, maximè versus augmentum addi possunt: quod tamen aliqui ratione opij, cuius correctiuum esse putant, quotiescunque illud collyrijs additur, simul permiscent: sed tunc collyrium album non ampliùs erit dicendum, sed luteum.

Ex Cadmia fornacum quam tuthiam vocant, hæc plerunque fiunt, quę oculis tantopere appropriata esse censetur. Quę ad vsum vsta lotaque præparatur, aliisque modis parata vsurpatur: veluti hoc modo. Abluitur aquâ frigidâ: dein puluerisata maceratur in succo Cydoniorum, vel in malo Cydonio, illius laminis per transuersim sectis interspersa; posteaquo stuppis pomo inuoluto in furno coquitur: rursumque inde abluta in Aceto albo infunditur: iterumque siccata puluerisitaque, denuò in aqua rosarum mergitur: postremoque vt achool cōminuta ad vsum seruatur.

Sic vsurpari potest: ℞. Tuthiæ præpar. ʒ.ß. aquæ Ros. ℥.j. Album. oui agitati ℥.ß. misce.

Additâ camphorâ tale fit: ℞. Tuthiæ præpar. ʒ.j. Camphoræ gr. iiij. aquæ Plantag. calicum Rosar. & Fœniculi ana ℥.j. misce: validius erit si Sumach vel Lycij ex eo facti ℈.j. addatur. In vigore Sacchari candi ʒ. ß. additur.

Cerusâ additâ, collyrium album dictum Gal. sic parat: ℞. Tuthiæ lotæ ʒ.iiij. Cerusæ ʒ.j.ß. Amyli, gummi Tragach. an. ʒ.j. cum aqua pluuiæ, fiat collyrium. Additur in dolore Opij ʒ.ß.

Vel sic: ℞. Tuthiæ præpar. ʒ. j. ß. Cerusæ lotæ ʒ.j. Amyli ʒ.ß. mucilag. s. Fœnogr. ℥.ß. aquæ Fœniculi ʒ.j. aquæ Ros. ℥.ij. misce: potest & Camphoræ ℈.ß. addi.

In dolore summo collyrium Citrinum dictum sic fit: ℞. Tuthiæ vstæ & in Lacte mulieris extinctæ & lotæ ℥.ß. Cerusæ lotæ ℥.j. gummi Tragach. ʒ.j. Croci ʒ.ij. Opij ʒ.ß. aquę Pluuiæ q.s. Vsus illius cum Oui albumine.

Vnguentum de Tuthia, vel de Nihili vsitata sunt ad hunc vsum pro oculis affectis remedia.

Quorum loco sequenti vti possumus: ℞. Butyri vel Axungiæ porci, vel ol. Rosacei, recentia omnia vel diligenter lota: addita interdum Ceræ albæ, aut Vnguenti Rosacei vel Alabastrini ℥.j. Tuthię prępar. ʒ.j.ß. Pompholygos ʒ.ß. misce diligenter: efficaciùs fit si Camphoræ ℈. j. eoque magis, si Antimonij ℈.ß. addatur.

Quando verò digerere magis volumus, circa declinationis ophthalmię principium, sequentibus, in quibus digerentia præualent, vtimur.

Ex sarcocolla puluis Citrinus Rhazis oculo inditus illud præstat: ℞. Sarcocollæ ʒ.v. Aloës, Croci ana ʒ.j. Myrrhæ ʒ.ß. Lycij ʒ.j. terantur subtilissimè in cote.

Vel sic, dolore adhuc remanente vel redeunte: ℞. Sarcocollæ ʒ.v. Aloës lotæ in aqua Ros. ʒ.j. Tragach. ʒ.ß. Opij ℈. ß. & gr.vj. Croci gr.vj. misce.

Thus extinctum in aqua Rosacea aliquoties vel Lacte, vel vtrisque, & liquor oculo inditus, idem facit.

Vel hoc collyrium: ℞. Thuris ʒ.ß. Sarcocollæ nutritæ ʒ.j.ß. Aloës ʒ.ß. Croci ℈.ß. mucilag. Fœnogr. ℥.ß. aquæ Euphrasiæ, Rosarum ana ℥.j.ß. in declinatione, cum aqua Fœniculi.

Collyrium ex Thure Rhazis digerit quoque, & quando ad suppurationem tendit ophthalmia, maturat: ℞. Thuris ʒ.v. Sarcocollæ, Ammoniaci ana ʒ.ij.ß. Croci ʒ.j. læuigata, Fœnogræci succo excipiantur.

Vel vbi magis siccandum & dolor adhuc adest, collyrium Thuris Galeni: ℞. Thuris, Tuthiæ ana ʒ.v. Cerusæ ʒ.x. gummi Tragacant. Opij ana ʒ.j.ß. cum aqua Pluuiali conficiatur: Pompholygem alibi addit.

Cùm siccandum & digerendum: ℞. Sarcocollæ

cocollæ nutritæ ʒ.j.ß. Tuthiæ præparat. ʒ.j. Aloës ℈.j. Myrrhæ ℈.ß. mucilag.sem.Fœnogræc.℥.ß. aquæ Verbenæ ℥.ij.aquæ Fœniculi ℥.j.misce.

Vel si calor adhuc supersit: ℞. Sarcocollæ nutritæ ℥.iiij. Tuthiæ præparat.ʒ.ij. Aloës ʒ.j. Sacchari candi ʒ.j.ß. Cāphoræ gr.iiij. Croci gr.iiij. aquæ Rosar.℥.iiij. misce: macerentur diu,sæpè agitando: Vtere.

In prurientibus & rubicundis oculis: ℞. Tuthiæ præparat. ℈.ß. Aloës,Sacchari an. ʒ.v. Camphoræ gr.ij. Vini albi,aquæ Fœniculi ana ℥.ij. misce.

Vt discutiatur penitus residuum,in declinatione ophthalmiæ,sequentia adhibemus.

Fotus oculi ad ophthalmiæ reliquias tollendas: ℞.herb.Euphrasiæ, Pulegij ana M.j. fl.Chamom.Meliloti, Rof.rubr. Paleæ Auenæ ana P.j. sem.Fœnogr.ʒ.ij. s.Fœnic.ʒ.j. fiat decoctio,addendo parum Vini: intincti pāni vel sacculi oculo applicentur. Suffitus etiam decocti huius oculo exceptus,idem facit.

Cataplasma hoc itidem præstat: ℞. Abrotani M.j. fl.Chamom. P.j. sem.Fœnogr.℥.j. sem. Fœnic.ʒ.j. sem. Cimini ʒ.ß. coquantur & subigantur,adde farinæ Fabarum ℥.j. mucilag. semin. Lini & Fœnogr. ana ℥.ß. Croci ℈.j. Lact.pinguis q.s. fiat catapl.

Vino astringente aquâ Fœniculi diluto, postremò ad oculi corroborationem aliqui eum fouent.

Ouum coctum detractâ testâ, Pomum item putre, calida, oculo admota ruboris reliquias absumunt.

Si in abscessum abeat inflammatio,maturandus ille erit, quod fiet maturante emplastro supra oculum posito: quod & hoc modo parari poterit: ℞. rad. Altheæ ℥.j. Maluæ M.j. flor.Chamomil.P.j. decoquantur in Lacte, contundantur, adde farinæ Hordei, semin. Fœnogr. ana ℥.j. olei Chamomil. parū, fiat cataplasma.

Idem facit collyrium è Thure Rhazis: & vnguentum de Tuthia superiùs explicata, applicata.

Abscessu rupto, vlcus, sicuti dicetur, curandum.

Aegylopis remedia. Si sanguine bilioso in maiorem oculi angulum illabēte, ægylops nascatur, remedia topica, si inflāmatio manifesta sit, repellentia doloremque sedantia, vt in ophthalmia vera, adhiberi debent: indeque statim tumorem discutere, illic quoq; explicatis collyriis, quæ siccant & digerunt simul, antequam suppuretur, quod mox fieri solet, oportet: idq; eò citiùs, si exigua aut ferè nulla adsit inflammatio, sensimq; tuberculum illud ægylopis natum sit.

Discutientis remedij forma talis erit: ℞. Plantag. Maluæ, folia & flores Chamomillæ,recentia omnia & contusa:permisce Nucum iuglandium veterum nucleos contusos, ligetur instar cataplasmatis supra oculi angulum: si parū Salis addatur & Fimi Gallinacei,efficacius erit.

Ægylops herba, contusa & apposita, singularis censetur Diosc.

Emplastrum Diapalma, Diuinum, Ceroneum,alij imponunt.

Quòd si in abscessum tumor cōuersus fuerit, citò aperiendus perforandusque erit, ne pus retentum vicina exedens, sinuosum vlcus,vti plerumque incuriâ fit,reddat. Deinde vt vlcus, sicuti in vlceribus mox dicetur, curandum.

Si à serosi humoris influxu, in palpebras potissimū, epiphora suboriatur, & cum rubore,ardore,pruritus & dolor adsint,à principio hunc defluxum reprimere, doloremq; & pruritum compescere,iisdem remediis in ophthalmia expositis,oportet: quibus tamē siccantia humiditates,quæ hîc copiosæ sunt in hoc casu,mox permiscere debemus: collyriaque ex cerusa & tuthia parata illic descripta, adhibere. *Epiphoræ remedia.*

Sed & in perseuerante diuturna epiphora, in qua lachrymarum fluxus & pruritus cum rubore tantùm citra ardorem molestiā præbent, vehementiùs adhuc siccantibus vtendum. Qualia sunt quæ sequuntur.

Pruritum admodum compescens collyrium: ℞. Antimonij præpar. ʒ.ß. aquarum Rof.Fœniculi an.℥ ij.colentur sępè ad vsum.

Puluis: ℞. Cadmiæ fossilis, quam lapidē calaminarem vocant ℈.j. Tuthiæ præpar.ʒ.j. Coralli, cortic.Myrobal. torrefacti an.℈. fiat puluis, indatur oculo.

Vel vtatur sequenti: ℞. Antimonij præ-

par.ʒ.ß. Tuthiæ præpar.ʒ.j. Coralli ʒ.iij. Margarit.℈.ij. Cryſtallini humoris piſcium oculorum coctorũ ℈.ß. fiat puluis ſubtiliſsimus.

De Hæmatite collyrium, in hoc caſu quoque vſitatum eſt. Cuius loco ſequens parari poteſt: ℞. Lap. Hæmatitis, Antimonij loti ana ʒ.j. Tuthiæ præpar.ʒ.ij. Cadmiæ foſs.℈.j. Aloës ſuccocitrin.ʒ.j. Camphoræ ℈.j. oſsium Myrobal.combuſtarum ʒ.ß. Vini granat.℥.ij. aquæ Roſ.℥.iiij. miſce.

Cùm ſimul digerendum eſt, ſic paramus: ℞. Antimonij loti, Tuthiæ præpar. ana ʒ.j. Sarcocollæ nutritæ ʒ.j.ß. Myrrhæ, Aloës ana ℈.j. Croci ℈.ß. diſſoluantur in aqua Fœnic. Euphraſiæ, & pauco Vino.

Huc referri poteſt fumus ab illis quæ citra morſum ſiccant accenſis excitatus, oculiſque obiter exceptus: qui eos mirabiliter ſiccat. Qualis à Thure, Pice aliiſque vſtis fieri poteſt: cautè tamen illis vtendo.

Suffitus ex Sale decocto exceptus, citra morſum admodum ſiccat.

Hiſce adhuc validiùs ſiccantia, ex acribus ſuccis parata collyria, quando pertinax eſt epiphora, & pruritus admodũ diuexat (qui mordacibus nõnihil iuuatur, cùm alios dolores alioquin exaſperare ſoleant) vſurpantur hoc modo.

Vitreoli albi portiuncula diſſoluatur in Aqua communi vel Roſarum, aut alia appropriata, ea quantitate quam oculus ferre poteſt, oculiſque indatur: quo fœliciſsimè vti poſſumus in pruritu, rubore & calore oculorum in epiphora, ob quem ipſius inſignem vſum Germ. illud Augſtein vocant. Vnde & nonnihil adhuc inflammatis oculis aliqui id adhibent. Chymici olei vel ſpiritus Vitreoli guttam aquâ diluunt, ſicq; vtuntur. Alij Sal Vitreoli albi potiùs probant, aquæq; miſcẽt.

Alio modo: ℞. Vitreo.albi ℈.j.ß.gr.xij. Tuthiæ præp. ʒ.ß. album. Ouorum cocta priùs, nu.iiij. in panno lineo incluſa, piſtentur ſenſim affundendo aquæ Roſ.℥.iiij. colentur per philtrum: hæcque aqua frigida oculis inſtilletur, iiſdem affectibus.

Aliter: ℞. Vitreoli ℥.ß. Album. ouorum n.xv. Aquæ ℔.j. miſceantur, & coquantur in vaſe teſtaceo bene clauſo, dein in vas vitreũ effundantur, addendo Camphoræ in nodulo ligatæ ʒ.j. & ſic vſui accommodentur.

Vel ſic: ℞. Vitreoli albi gr.ij. Camphoræ gr.iiij. Tuthiæ præpar.℈.ß. Pomphol.albi gr.vj. aquæ Roſ.℥.j. aquæ Fœniculi ℥.ß. fiat collyrium.

Vel: ℞. Vitreoli albi ʒ.ij. Camphoræ ʒ.ß. Tuthiæ præp.ʒ.j. Aloës ſuccocit.ʒ.j. Sacchari cãdi ʒ.ij. fiat puluis: miſceatur cum aquis, Roſarum, Fœniculi, Verbenæ, Chelidoniæ, cum Vino elicitis, q.ſ.

Additis aromatibus, ſi nullus timetur ardor, ſic fit: ℞. Vitreoli albi, Tuthiæ an.ʒ.j. Nucis moſch.ʒ.ß. Sacchari albi ℥.ß. Vini albi ℥.ij. aquæ Chelidoniæ ℔.j. decoquantur, colentur, ſeruentur in vitro.

Vel ſic: ℞. Vitreoli albi ʒ.ß. Camphoræ ʒ.j. Tuthiæ præp.ʒ.ij. Zingib. Gariophyl. an.ʒ.ß. pulueriſatis adde Vini albi veteris, in quo chalybs ignitus extinctus ſit ℥.j. aquæ Roſ. Chelidoniæ, Fœniculi an.℥.ij. coquantur vel macerentur ad vſum.

Puluis ocularis: ℞. Vitreoli albi ℈.ß. Camphoræ ℈.j. Tuthiæ ʒ.ij. Pompholygis, Ceruſæ, Cadmiæ foſsilis, Coralli, Matris perlarũ, cort. Myrobal. citrin. an.ʒ.ß. Aloës ſuccocitrini, Myrrhæ an.℈.j. Sacchari candi ʒ.j. Zingib.albi, Gariophyl.an.℈.j. fiat puluis ſubtiliſsimus: Ponatur lentis inſtar in oculum.

Vnguentum, quod pro ſingulari experimento habetur: ℞. æruginis Æris gran. xij. Camphoræ ʒ.j. Tuthiæ præp. ℥.ß. aliàs ℥.j.ß. Butyri rec. quod cum aqua Roſ. liquefiat, & parum bulliat, ʒ.vj. miſceantur decenter, fiat vnguentum: indatur piſi magnitudo in oculi canthum maiorem, leuiterq; vngantur palpebræ: eſtque ad epiphoras & pruritus ſingulare experimentum.

Aqua æruginoſa valde excellens: ℞. peluim ex Orichalco Chirurgorum, & Melle inunge, eamque inuerſam in ouili per dies quatuordecim collocato: totidemque dies Fraga matura in vitro obturata in fimo equino immerſa ſeruato, exactoq; tempore, peluim dictam fragis diligenter abluito, fricandoque abſtergito, per pannum deinceps fraga colando: quibus Camphoræ portionem Vitreolique albi parumper permiſceto.

Alia: ℞. Peluim, vti dictum, ſterne in ea Fragorum ℥.vj. Salis ℥.ij. ſtratum vt vocant,

ſupra

ſupra ſtratum ponendo: in caua ſubterranea per tres ſeptimanas retineantur, donec liquor inde emaneat, colentur: liquorq; quieſcat donec ſal fundum petat: à quo ſeparetur: iterumque quieſcat & repurgetur, donec nihil ampliùs ſalis in fundo remaneat: fundatur hæc aqua in vas ſtanneũ, tunc dulceſcit aqua: quæ ad vſum aſſeruatur.

Veſicæ in oculo remedia. Si adnata oculi tunica à cornea ſeparata veſicam excitet humore acri plenam, vnde dolor & rubedo quoque ſuperueniunt, dolor mitigari, humor influens repelli, fluxúsque ſiccari, vt in epiphora, remediis in ophthalmia expoſitis, debet. Si diſrupta veſica eroſionem aliquam poſt ſe relinquat, vt eroſio ſanari. Curatur autem leuis eroſio ſeu excoriatio, ſiccãtibus ſine morſu medicamentis, in ophthalmia & epiphora explicatis, & in vlceribus quoque dicendis.

Scabriciei & abraſionis Oculi tunicæ remedia. Si abraſa in palpebris tunica, palpebrarũ ſcabies aut ſcabrities dicta, ſequatur: tunc ſi rubedo & calor & dolor adhuc adſint, iiſdẽ remediis quibus in ophthalmia vtimur, hæc emendamus: dein ad ſiccantia accedimus, quæ ſi ſcabies tantùm infeſtet, nec dolor impediat, validiora adhiberi debent. Qualia in augmento ophthalmiæ remedia propoſuimus, & in vlcerib. reliqua adijciemus. Quibus & hæc addi poſſunt.

Tuthia præparata, præſertim cum ſucco Cyton. & Aceto, vti ſuprà dictum, puluerizata, palpebris addita, ſcabiem illarum ſanat.

Vel hic puluis: ℞. Tuthiæ præp. ʒ.j. teſtarum Ouorum in Aceto maceratarum priùs ʒ.ß. oſsis Sepiæ ℈.j. fiat puluis ſubtiliſsimus, qui imponatur.

Tertius puluis: ℞. Tuthiæ prꝑp. ʒ.j. Pumicis ʒ.ß. Coralli vſti & loti ʒ.j. puluerisentur.

Vnguentũ conueniens: ℞. Tuthiæ prꝑp. Acatiæ vel Omphacij an. ʒ.j. lap. Hæmatitis, Antimonij an. ʒ.ß. excipiantur gummi Tragach. infuſione & Melle vel Pomada: Vngantur palpebræ.

Aliud: ℞. Tuthiæ præpar. Ceruſæ lotæ, Mareaſitæ in aceto extinctæ an. ʒ.j. Antimõnij, Hypociſtidis, cort. Thuris an. ʒ.ß. Spodij, Pumicis, oſsis Sepiæ an. ℈.j. puluerisentur, excipiantur vt ſuprà, ad vſum.

Acribus abſtergentibus niſi cedat malum vti oportet, & ſi dolor aut ardor inde ſequãtur, poſtea compeſcendus.

Dioſcoridis remedium: ℞. ſucci Cæparum & Spodij, æquas portiones, miſce.

Aliud: ℞. Fellis carpi, alteriúsve piſcis, oſſis Sepiæ, æquas portiones, miſce.

Lac ficuum inungit Dioſc. quod cùm exulceret, contemperari quoque Tuthiâ aliíſve ſiccantibus poteſt.

Ex Vitreolo albo & Æris ærugine ſupradicta remedia in epiphora, hîc quoq; locum habent.

Abraditur interdum ſcabies palpebrarum ſpecillo, vel panno lineo, aut foliis nonnihil aſperis, vſque dum ſanguis effluat, poſteaq; ſiccantia adhibentur remedia.

Vlceris in oculo remedia. Si vlcus verum excoriationem prægreſſam ſequatur: aut poſt abſceſſum ruptum in ophthalmia relinquatur: tunc primùm abſtergi, dein ſiccantibus conſolidari, cicatríxque generari debet.

Abſtergentia leuiora, ſi non adeò vlcus ſordeſcat: fortiora ſi admodum ſit ſordidum Epicauma dictum, aut labiis duris, Condyloma appellatum exiſtat, adhibenda. Qualia multa in maculis oculorum & pelliculis, in viſus imbecillitate propoſita ſunt.

E mitioribus: ℞. Lactis caprini vel humani ℥.j. Sacchari candi ʒ.j. ß. Myrrhæ ℈.j. miſce: abſtergit vlcera.

Vel: ℞. aquæ Mellis ℥.j. Sacchari candi ʒ.ß. Stercoris lacerti ℈.ß. miſce.

Aqua ex Laricea elicita, admodũ ad abſtergendum eſt vtilis.

Egregium abſtergens & conſolidans: ℞. Lariceæ ʒ.ß. & de Vitello oui parùm, agitentur probè, dilueque aquâ Plantaginis & Roſarum, vt liquidum fiat, & oculus ferre poſsit.

Si validiùs abſtergendum callusque vlcerum extergendus, iiſdem hoc fiet medicamentis mox explicandis, quæ & fiſtulæ callum abradunt.

Poſt hæc ea quæ vlcera ſiccant, oculo indenda: qualia multa iam priùs in epiphoris explicata ſunt: præter quæ & ſequẽtia competunt, ea veluti in formã vnguenti redacta oculis imponẽdo, vel palpebras illis illinẽdo.

Album conſolidans: ℞. Ceruſæ lotæ aquâ

Plantag.ʒ.j.ß. Amyli ʒ.j. Coralli albi & Cornu cerui, vstorum & lotorum an.ʒ.ß. mucilaginis rad. Consolidæ ℥.ß. ſucci ex attritu lap. Galactidis facti cum aqua calicum Roſ. q. ſ. miſce.

Rubrum conſolidans: ℞. ſucci Hypociſtidis vel Lycij, Sanguinis draconis an.ʒ.ß. Aloës ℈.j. Myrrhæ ℈.ß. cort. Thuris ʒ.ß. infuſ. gummi Tragachan. in aqua Plātag.℥.ß. ſucci lap. Hæmatitis fricati cum aqua Equiſeti q.ſ. miſce.

Nigrum collyrium conſolidans: ℞. fuliginis à Pice exceptæ, inſtar auellanæ, Omphacij tantundem, excipiantur Vitello oui: Et vtatur. Tale ad eroſos oculorum angulos probatur Dioſc.

Vel: ℞. fuliginis ab accēſo Thure & Larice exceptæ, inſtar auellanæ, Acatię ʒ.ß. album. Oui agitati ℥.ß. & ſyrup. de Roſis rubris ſiccis q.ſ. miſce.

Aliud collyrium: ℞. Sarcocollæ nutritæ, Thuris an.ʒ.ß. Myrrhæ, Aloës, Lycij ana ℈.j. Tuthiæ præp.ʒ.ß. Antimon.℈.j. pulueriſata excipiantur Melle roſaceo.

Vel potentius: ℞. Tuthiæ præp.ʒ. Antimon.℈.j. Æris, Plumbi, Coralli, Cornu cerui, omnium vſtor. & lotor. aquâ Equiſeti an.ʒ.ß. Sacchari ℈.ij. excipiantur Vitello oui coctione indurato priùs, ad vſum.

Ex Plumbo collyrium Rhazis: quod ſuppuratione iam facta poſt inflāmationem & in vlcere conuenit: ℞. Plumbi vſti & loti, Antimonij, Pompholygis ablutæ, Æris vſti & loti, Antimonij, Pompholygis ablutæ, Æris vſti, gummi Arab. Tragach. an.ʒ.iij.ß. Opij ℈.ß.gr.vj. trita excipiantur aquâ pluuiali.

Eleiſer collyrium Rhazis: quod cum abſceſſu magno facto, poſt inflammationem, ex vlcere procidētiam pupillæ metuimus, vtile eſt: ℞. Antimonij, lap. Hæmatitis an.ʒ.v. Acatię ʒ.j.ß. Aloës ʒ.ß. excipiatur ſucco Cyton.

Polycreſton collyrium Rhazis, carnem in vlceribus regenerās, & pupillæ procidentiam interim prohibens, cicatriceſque extergens: ℞. Tuthiæ, Pompholygis, Ceruſæ, ablutorum, Antimonij, Thuris, an.ʒ.j. Myrrhæ ʒ.ß. Sarcocollæ ℈.ij.gr.vj. Cinnabaris, Aloës, Opij, an.ʒ.ß. fiat collyrium.

Vlcus poſt abſceſſum ruptum aut apertū in ægylope relictum abſtergendum, ſiccandum: ſicuti & in aliis oculi vlceribus diximus: fortiora eligendo, cùm pars hæc admodū humore & ſordibus cōtinuò madeat. *Vlceris in cantho oculi remedia.*

Lixiuio commodè hoc fiet, quo vlcus abluitur, vel fouetur; vel quod etiamſi profundum ſit, per ſyringam infunditur, vnde ſæpe per nares effluit. Quoduis lixiuium ex cineribus atque oſſibus vſtis factum conueniet: mitius potentiúſve (quod ex glutinoſitate illius cognoſcitur tale eſſe) prout ferre poterit, eligendo.

Idem Vrina ſimili modo vſurpata pſtabit.

Efficacius lixiuium: ℞. Lixiuij ℔.j.ß. Aceti roſ.℥.ß. Balauſt. Gallarum an.℥.ß. fol. Rutæ M.ß. coquantur, & vtatur.

Aliud: ℞. Lixiuij ℔.ß. Aluminis ʒ.ß. Vitreoli albi ℈.j. immittatur. Quæ omnia, prout oculus ferre poteſt, in quantitate moderari debent.

Decoctum ſiccans & abſtergens: ℞. rad. Biſtortæ, Tormentil. Tapſi, ſiccarum an.℥.ß. herb. Agrimoniæ ſiccæ M.j. Rutæ, Chamom. (quæ in hoc affectu laudatur) an.M.ß. Nucis rancidæ nucl.j. Balauſt. Gallarum an.℥.ß. decoquantur in Vino rubro, addendo parùm Aceti rubri: Vtatur.

Vnguentum abſterſiuum: ℞. Aloës ʒ.j. Myrrhæ ʒ.ß. Mellis ʒ.j. Fellis, Croci an.℈.ß. reſinæ Lariceæ q.ſ. fiat inſtar vnguenti.

Aliud: ℞. ſucci Plantag. Agrimoniæ an.℥.j. ſucci Rutæ, Aceti rub. Mellis an.℥.ß. ol. Roſacei ℥.j. coquantur ad ſpiſſitudinē aliquam, addendo Lariceæ parùm, fiat vnguentum.

Vlcus iam abſterſum ſanans vnguētum: ℞. Antimonij, Plumbi vſti & loti: Tuthiæ, Lythargyrij an.ʒ.j. Aluminis vſti ℈.ij. Æris æruginis ℈.ß. lap. Hæmatitis ʒ.j. Sanguinis Draconis, Aloës, Sarcocollæ diſſolutæ in Aceto an.ʒ.ß. Ariſtoloch. rot. ℈.ij. Spodij, Coralli vſti an. ℈.j. excipiantur comminuta & diſſoluta Melle & Lariceâ vnguentum.

Vel ſic: ℞. Scoriæ ferri ʒ.j. Chalcitidis vſtę ʒ.ß. Aluminis vſti ℈.j. Plumbi vſti, Antimonij an.℈.ij. pulueriſata excipiātur pauco Butyro & Cerâ albâ.

Emplaſtrum efficax, ad vlceris ſanationē: ℞. Boli ʒ.j.ß. Sanguinis draconis, Mumiæ, Acaciæ, Hypociſt. vel Lycij (ſi verum haberi

poteſt,

potest, si non, succedaneum eius ex fol. Sumach non periclymeno, paratum) Thuris, Masticis an. ʒ.ß. capul. Glandium, rad. Aristoloch. Gallarum, nucis Cupressi ana ℈.ij. Ichtyocollæ in Aceto infusæ q.s. fiat sicuti emplastrum: cuius portio exigua supra linteum diducta paruum, applicetur in angulum oculi, illicque cuti nonnihil adglutinatum retineatur.

Fistulæ lachrymalis remedia. Si fistulosum fiat vlcus, fistulaq; perpetuò lachrymarum fluore molestiam exhibeat: tunc vt sanari possit, callosa illius interior superficies detrahenda, & si os vicinum cariosum quoque sit factum, ossis læsi portio auferenda erit: quibus factis, sarcoticorum vsu facilè dein cauitas hæc vel penitùs, vel ex parte, relicto exiguæ foueæ vestigio, oppletur, affectusque sanatur.

Callum fistulæ erodunt vnguentum Ægyptiacum, cum turunda sæpe impositum. Aut aliud vnguentum abstergens, cui ærugo æris additur. Vel aquæ Fortis contemperatæ tamen, si nimis vrat, portio. Vel aqua decoctionis Sublimati. Vel ipsum Sublimatum immissum: aliáve in fistulis alibi dicẽda.

Ego cauterij mei potentialis indolentis micam aliquando in foramen intrusi, vnde eschara nata fuit. Quod citiùs cauterio actuali, locum illum atque os quoque subiectum vrendo perficietur, si præsertim iam cariosum factum sit: quod carne nouaculâ parùm apertâ, vel sublatâ, manifestum fiet. Sicq; vri debet, Oculum priùs panno lineo, in albumine Oui aquâ Ros. intincto, tegendo, cochlearique argenteo muniendo, dein candentis ferri per cannulam transmissi capitulum rotundum, loco dicto, semel iterumque imprimendo. Vel aliàs ferrum sine cannula studiosè, ne oculus palpebræve lædantur, loco affecto adhibendo.

Quæ actu potentiáve agentibus cauteriis facta, donec eschara cadat, Mucilagines cum Oui vitello, Butyroque adhibenda.

Indeq; sarcoticis vlcus, vti cætera quoq; sanandum hoc modo: ℞. Aristolochiæ rot. rad. Ireos, cort. Thuris ana ʒ.j.ß. Myrrhę, Mastich. Sarcocollæ, Aloës, Cadmiæ fossilis an. ʒ.j. Mellis parũ, fiat vnguentũ, cui æruginis Æris pauxillum nonnunquã permiscetur.

Vidimus in diuturno hoc affectu, supra anni spacium & vltra perseuerante, post tentata aliqua remedia, portionem ossis exesi in angulo maiore oculi, vnà cum carne fœtida illi adnata, à parte sana, sponte regressam, in narium amplitudinem subitò delapsam, excretamque fuisse, indeque nec pus, nec lachrymas ampliùs ex oculi sede profluxisse, sed per hanc viam in nares descendisse, partemque sarcoticorum vsu carne obductam rursum coaluisse.

Si ab ictu vel vulnere oculus læsus sit, sanguinem sistentibus, siccantibus & consolidãtibus mox vtendum. *Vulnerũ in oculo remedia.*

Sanguis Columbæ vel Gallinæ vel Turturis tepidus, si oculo læso indatur, hæmorrhagiam sistit.

Idem facit & simul siccat sequens: ℞. lap. Hæmatitem vel Galactitem, fricetur supra cotem cum Lacte, donec succum, ille rubrũ, hic album copiosè reddat: è quibus vnus, vel ambo simul permixti oculo indantur.

Vel: ℞. succi rubri Hæmatitis ex attritu cum lapide emulsi ℥.j. album. Oui agitati ℥.ß. succi Hypericonis ʒ.j. Thuris ʒ.ß. misceantur: potest addi parùm Opij si dolor vrgeat.

Postea sequens adhibeatur: ℞. album. Oui agitati, mucilaginis rad. Consolidæ ana ℥.ß. Cerusæ, Tuthiæ lotæ aquâ Plantag. ana ʒ.ß. Antimon. ℈.j. aquæ Hyperici, Chalybeatæ ℥.j. misce.

Stœbis folia emplastri modo imposita laudat Dioscor.

Dein vt vlcus, sanare oportet, iisdem quæ in vlceribus dicta sunt.

DE AVRIVM DOLORE.

CAPVT V.

Genera.



AVRIVM dolorum, qui interiora illarũ occupant (nam qui in vanno aurium externo, aut post aures se offerunt, in externis explicabuntur) genera, potissimùm diuersitate proprietatis dolorum, & prout aliquid in illis, vel nihil, se manifestat, statuuntur.

Pruritus in auribus.

Pruritus interdum duntaxat aurium interna diuexat: adeò molestus quandoque, vt vt qui eum patiuntur, digito vel auriscalpio aliòve intruso, partem prurientem perfricare cogantur.

Dolor punctorius, diuellens, pulsans, ardēs in auribus.

Punctorius aliàs & pulsans dolor, nōnunquam & diuellens, hanc sedem, nunc grauissimè, nunc mitiùs impellens, infestat: Cū ardoris interdum sensu. Idque cum capitis, illius lateris præsertim dolore, aliàs sine eo. Qui dolor contactu eorum quæ auribus induntur, vel exacerbatur, vel minimè.

Apparet interdum in eiusmodi doloribus morbus aliquis. Vt rubedo ad exteriora vsque huius meatus, nonnunquam & ad aurium vannum vsque diffusa: quæ & aliàs in profundiore nonnihil sede, adhibitâ luce, conspicua fit. Vti & exulceratio. Frequenter aliquid ex aure emanat, vt sanguis, sanies: aliquando & pus, quod diu sæpè sponte certis horis effluit, aliàs cùm regio sub aure premitur, tunc primùm prodit. Nonnunquam & serum, copiosè profluxisse vidimus: Rariùs & vermiculos emersisse. Interdum nullis eiusmodi indiciis se offerentibus, dolor in profundo excruciat.

Causæ.

Locus affectus & morbi.

CVm inter ea omnia quæ in omnibus latent, solæ membranæ, cauitates succingentes, sensu tactus sint præditæ: harum affectuum causâ dolorem fieri necesse est. Idq; vel in exterioris auris cauitatis ante tympanum cutaneâ membranâ: quæ cùm exquisitissimè sentiat, grauissimos dolores patitur: qui & cùm eousque contactus exterior progredi possit, eo exacerbantur. In interioris cauitatis post tympanū membranâ, ex neruo dilatato per anfractus illius loci expansâ, dolores si fiant, cum sono aliquo alieno, aut tinnitu coniuncti, plerumq; molestiam pariunt. Affectus autem in membranis hisce, dolorem adferētes, sunt, intemperies calida vel frigida, vel maligna: irritatio, distentio, & læsio manifesta.

Calida intemperies causa Pruritus in auribus.

Calida intemperies pruritum saltem aliquē in auribus gignere solet: si verò inflammatio vera nascatur, vti alibi in membranis dolorem, sic & in his si sic afficiantur, parit: eumq; punctorium, pulsantem & diuellentem, qualis circa membranas solet fieri, accedente quoq; interdum ardoris sensu: qui dolores eò sunt atrociores, quo sanguis qui isthuc defluxit, est feruentior, maiorque inflammatio existit. Eosque febricula nōnunquam cum horrore & calore se prodens comitatur, vnà cum dolore, vti dictum, capitis. Et cùm inflammatio in abscessum conuertitur, dolor augetur; eodemque disrupto dolor remittit, pusque saniosum primùm, mox coctum, aliàs coloratum & virosum ex aure affecta effluit: quod retentum, pruritum & nouum quandoq; accersit dolorem: putrescensque aliquando vermes, qui postea prodeunt, procreat. Hoc pus ab vlcere quodam extra auris canalem fistulosum factum prodire interdum, ex eo quod cùm pars auri vicina premitur, primùm pus emaneat, coniecimus. Huius autem intemperiei calidæ causa est, vel dolor ab externis iniuriis inductus, in hac sede hanc defluxionem concitans: vel sanguinis plenitudo & feruor in venis, in hanc sedem, præcedente plerumque febricula doloreque capitis, se effundens.

Inflammatio in auribus causa doloris in ipsis.

Frigida intemperies, causa Doloris in auribus.

Frigida intemperies, extrinsecùs ab aëre frigidissimo, cùm ille præsertim per flatum venti in aurem impellitur, inducta, membranas exterioris auris cauitatis afficiens, dolorem in illis conciliat. Quod & ab aqua frigida in aures illapsa fieri potest. In interiore auris camera idem ex defluxione serosi vel pituitosi humoris quandoque euenit, vt si ille admodum sit frigidus, qualem è naribus nonnunquam exstillare deprehendimus, frigiditate suâ membranis illius loci molestiam hanc pariat.

Maligna qualitas, causa Doloris aurium.

Maligna qualitas, dolores illos acerbos inducens, qui circa periostia potissimùm capitis in Cephalæa diuturna, tum etiam circa alias nudas osseas sedes, in capitis dolore, qui in lue venerea occurrit, se offerunt, hasce membranas quæ aurium cauitatibus attextæ sunt, cum aliis infestans, dolorem in auribus, punctione præcipuè molestū, cum iam dictis aliis doloribus concurrentem in modò commemoratis affectibus parit.

Irritatio aurium.

Irritatio pruritum vel titillationem in exteriore

causa Pruritus & Titillationis in illis. terioremaximè cauitate occurrentem, frequenter efficit. Quæ vel à sanguine calidiore in membranarum harum vasis pruriente: vel pure, vel aurium biliosis & acribus sordibus: aut aliis illapsis in aures, membranam exteriorem potissimùm vellicante, nascitur.

Distētio in auribus, causa Doloris in illis. Distentio, per quam membranæ hę ab ossibus quibus connexæ sunt, veluti auelli videntur, dolorem distendentem in auribus parit. Quod à flatibus fieri posse plerique statuunt: à quibus tamen sonus in auribus potiùs alienus excitatus quàm dolor, molestiá, vt in auditus læsione diximus, parit: nisi ille interiorem auditus cameram adeò repleat, vt premendo membranas, dolorem aliquem quoque procreet: vel sub membranis tam exterioris quàm interioris cauitatis genitus, (vti flatus in vniuerso corpore gigni, & sub membranis maximè coërceri solent) eas ab ossibus separando, diuellentē & veluti lancinantē seu lacerātem dolorem inferat.

Vulnus aliáve læsio, causa Doloris in auribus. Læsio manifesta ab externis iniuriis, illapsis, intrusis, vnde punctim sectimque aurium membranæ diuiduntur, dolorem efficit: in qua prægressa violentia & sanguis prodiens, vulnus adesse patefacit. Cui si accedat inflammatio, dolor augetur, eoq; magis, si abscessus sequatur, quo rupto sanies vel pus effluunt.

Curatio.

PRo ratione morbi, prout vel intemperies calida, inflammatio, vlcus, aut intemperies frigida, maligna, vel alia irritatio aut læsio est, curatio variat.

Pruritus aurium ab intemperie calida, curatio. Si ab intemperie calida, aures tantùm intrinsecùs pruriant, sponte, aëre præsertim subeunte frigidiusculo, remittit: vel immissis nonnullis refrigerantibus, mox dicendis, corrigitur. Vel si in vasis adhuc permanens sanguis calidior, pruritum excitet, eo reuulso; vt iam dicetur, purgatoque & refrigerato, rursum emendatur. *Inflammationis aurium curatio.* Si verò inflammatio dolorem gignat, influxus sanguinis, reuellentibus illum à parte affecta ab initio mox retrahendus; & ne influere amplius possit impediendus, dolor compescendus, calor restinguendus, demumque quod residuum est, discutiendum, vel si in abscessum vergat, eoque rupto vlcus post se relinquat, vti in ea causa dicetur, procedendum. Quæ sequenti modo fieri debent.

Venæ sectione, Scarificatione, Cucurbitularum & Sanguisugarum applicatione; Frictione, eodem modo vt in ophthalmia vsurpatis, sanguinis affluxum reuellimus, & deriuamus.

Iniectis clysteribus; exhibitis purgantibus, presertim si aluus astricta sit, excrementorumque adsit redundantia, iisdem ferè quæ illic quoque exposita sunt, idem aliquo pacto molimur.

Propinamus, refrigerando & incrassando sanguinem fluentem, calidiorem presertim, sistentia. Et quæ proprietate aurium dolorem sedare creduntur: sicuti Glirium carnem melle subactam comestamque illud efficere posse, aliqui scripserunt.

Extrinsecùs, iugularibus venis & temporibus adhibitis, similibus remediis quibus in ophthalmia vsi sumus, fluxionem impedimus. Et si dolor capitis simul adsit, oxyrhodinis quoque aliisque capiti admotis, vtrique dolori occurrimus.

Parti affectæ, auri scilicet, varij indūtur liquores: ex quib. gutta vna aut altera vel plures instillandæ, qui & si aurē impleant, postquam tamen latera bene madefecerunt, ne auditum diutiùs impediant, presertim si fortiora fuerint, ne tympanū lædant, vt rursum effluant, capite inclinato, curandum. Vel extrinsecùs cataplasmata tepida supra aurē dolentem apponuntur, ita vt & illius cauum nōnihil impleant: vel fotus cum spongia noua adhibetur: à quo & suffitus dum calet, in aures intromitti potest. Vtimurq; dolorē sedantibus quandocunq; ille vrget, & mox ab initio repellētibus, si fluxus adhuc fiat, & refrigerātibus: atq; in ꝑgressu & declinatione digerentibus; & si in abscessum vergat, maturantibus: Sequentibus modis & formulis.

Ad dolorem sedandum. Lac recens tepidum in aures immissum, iuuat. Itē Albumen oui, priùs agitatione in liquorem redactum; Adepsq; anseris vel gallinę, vel alius recens, Olea insup ex Amygdalis dulcibus, & vitellis ouorum expressum: & in quo Lumbrici, Cochleæ, exēptæ priùs ex testis cum muco, Mille-

Millepedes, Scarabaei decocti fuerint. Validiùs id prestant: oleum ex semine Hyoscyami vel semine Papaueris elicitum: succusq; Papaueris vel Hyoscyami.

Vel hæ compositiones auri instillantur: ℞.Lactis recentis (mulieris, si haberi potest, præfertur) ℥.ij. Album.oui agitati ℥.ß.axungiæ Anseris dissolutæ ʒ.ij.misce.

Alia: ℞.mucilag.semin.Psylij & Fœnogr. album.Oui agitati ana ℥.ß.adipis Anserini ʒ. ij. diluantur oleo Amygd. & Lacte: si Opij gr.iij.vel iiij.addas, efficacius erit.

Tertia: ℞.olei Amygdal. dulc. ℥.ij. succi Maluæ ℥.ß. Myrrhæ ʒ.ß. Croci ℈.ß. Opij gr. iij.vel iiij.

Quarta: ℞.ol.sem.Hyoscyami (albi præsertim) ʒ.j. Croci & Castorei an. instar pisi: misce.

Emplastrum anodynum foris applicandum: ℞.medullę Panis ℔.j.coquatur in Lacte, adde farin.sem.Lini & Fœnogr.an.℥.j.ol. Chamom. ℥.ß. Croci ℈.j. vitellos Ouorũ numer.ij.misce: si Opium addas, magis sedabit.

Vel: ℞.rad.Altheæ ℥.j.fol.Maluæ, Solani, Hyperici ana M.j.flor.Anethi, Chamom.Rosarum ana P.j.sem.lini ℥.ß.sem.Altheæ, Maluæ, Papau. ana ʒ.ij. fiat decoctio in aqua vel Lacte, pro fotu, vel suffitu: si addas fol.Papaueris vel Hyoscyami aut radic. Mãdragoræ, vel cap. Papaueris, cũ dolor vrget, proderit.

Vel: ℞. residentiam huius decocti, pistetur, addendo axung. Porci, medullæ Vituli, mucilag.seminis Psylij & Fœnogr.an.℥.j.ol. Chamomel.Violacei an.℥.j. Butyri recent:℥. j.ß. Croci ʒ.ß. fiat catapl.

Cùm repellere & dolorem sedare volumus: ℞.ol.Rosacei, Violac.Amygd.dulc.an. ęquas partes, inijce Lumbricos, Millepedes, Cochleas, addendo parùm Vini: decoque & cola ad vsum.

Vel: ℞.ol.Ros.℥.ij.Aceti ℥.j. Croci ℈.ß. Opij gr.iij. vel iiij. coquantur ad aceti consumptionem, si loco Opij & croci, Philonij Rom. ʒ.ij. addas, & in oleo & aceto decoquas, idem præstabit.

Ad refrigerandum & repellendum, ol. Violaceum, Rosaceum induntur: & succi Plantag. Lactucæ, Solani, Salicis, Vmbilici veneris, similesque.

Vel sequens, ex his inuicem compositis: ℞.ol.Rosacei ℥.j.succi Granat.Plantag.an.℥. ß.Aceti albi ʒ. ij. coquantur ad succorũ consumptionem: Vtatur.

Vel fiat fotus extrinsecùs: ℞.fol.Plantag. Salicum, Violariæ, Lactucæ M.j. fl. Ros.rub. P.j.Balaust.P.ß.cort.Granat.℥.ß. fiat decoctio in Vino rub. stiptico: vel addatur parùm Aceti: Foueatur auris.

Vel: ℞. residentiam huius decocti: adde far. Lentium P.j. ol.Ros. & Myrtillorum an. ℥.j.ß. Ouum crudum vnum: fiat cataplasma supra aurem.

Ad discussionem inflammationis, calida prædictis permiscentur, & circa declinationem sola vsurpantur: veluti ol.Chamom. de Meliloto, Anethinum, Liliorum, auribus instillantur: aliáve calida intus forisque applicantur: : qualia si à causa frigida dolor oriatur, dicentur.

Si ad maturationem tendat inflammatio, illudque expulsu, & dolore non remittente, sed aucto potiùs cognoscatur, maturantia, vt vnguentum Basilicon dissolutũ in oleo Lini auribus imponitur. *Abscessus in auribꝰ post inflāmationem illius secutæ, curatio.*

Foris cataplasma sequẽs applicatur, quod dolorem admodum quoque compescit: ℞. bulbum vnũ Cepæ maioris, & radices duas Liliorum alborum: coquantur sub cineribus, contundantur, adde farinæ f.Lini ℥.j. Butyri ℥.j.ß. ol.Chamomil.Lini an.℥.ß. Croci ʒ.ß. fiat Cataplasma.

Abscessũ maturatũ aperit succus Cepæ, in quo Fermentum dissolutum sit, instillatus.

Si vlcus post abscessum ruptum sequatur, abstergentibus primùm pus erit auferendũ: quibus mox vlcus siccantia permiscentur: tandemque illis solis vlcus est sanandum. *Vlceris aurium post abscessũ relicti curatio.*

Abstergentia eadem quæ in auditu à pure impedito descripta sunt, hîc quoque competent: quibus sequentia addimus.

Leuiora sunt, Saccharũ simplex vel candum: aut Mel dissoluta in sero Lactis vel decocto Hordei.

Validiùs abstergunt, Mel scylliticum, succi Apij, Fœniculi, Betæ, Ceparũ, Porri, Prassij, Absynthij, Cẽtaurij, per se vel addito Melle instillati. (stant.

Decoctum Lupinorum, Agarici, idẽ præ-

Vrina

Vrina infusa egregiè abstergit: vti & Lixiuium: quibus & alia permisceri possunt.

Laricea dissoluta cum Melle, additis, Vino vel iam dictis liquoribus, idem facit.

Fel tauri, aut alterius animalis, cum sero Lactis & Melle, egregium est abstersorium.

Potentius omnibus est vnguetum Ægyptiacum: quo, cùm admodum sordidum est vlcus, vtimur, succo vel Melle diluto, & contemperato si nimis sit efficax.

Ad siccandum & consolidandum succi sequentes conueniunt: Plantag. Bursæ & Virgæ pastoris, Scabiosæ, Aristolochiæ, Polygoni, Psylij: & ex inspissatis succis, Agresta, Omphacium, Hypocistis: per se, vel Vino, Aceto, Melle permixta.

Vel decoctum, Aristolochiæ, Gallarum, cort. Granatorum, aliorumque siccantium in Vino, aqua Chalybeata factum, additis interdum quoque alijs.

Ferri scoria in vino stiptico, vel cui parùm Aceti permixtum sit decocta, efficacissimũ est præsidium. Eodem modo Lithargyrium decoctum prodest.

Efficaciùs adhuc fiet hoc modo: ℞. limaturæ Ferri subtiliss. ℥. ß. Vitreoli ʒ. j. coquantur in Vino & Aceto, vel solo Aceto, si validius esse velis, colatura indatur.

Linimentum conveniens: ℞. Cinnabaris, Lithargyrij an. æquales partes: excipe Melle rosaceo vel syrupo de Rosis rubr. s siccis, fiat linimentum: cuius portiuncula instilletur, vel cum lana specillo obuoluta, & in eo intincta, in aures immittatur.

Vel tale sarcoticum: ℞. Cerusæ, Tuthiæ præp. an. ʒ. j. rad. Arist. Myrrhæ, Sarcocollæ, Aloës an. ʒ. ß. rad. Ireos ℈. j. fiat puluis subtiliss. excipiatur Melle & succo Agrestæ vel Omphatij, fiat Linimentum.

Fortius erit, si tantillum æruginis Æris addas, & scoriam Ferri, in Aceto extinctam & tritam: præsertim cùm cicatrix inducenda est.

Collyria varia siccantia in oculorum vlceribus descripta, & validiora quoque in Epiphoris explicata, hic locum habere possunt, cùm auris minùs ab illis quàm oculus lædatur.

Præter quæ fumus siccans, fuliginosus, intra aures admissus, cùm penitius eas subeat, admodumque siccet, plurimùm ad curationem vlceris proderit. Qualis erit, si ex Pice, Laricea, Thure alijsque gummosis siccantibus accensis suscitetur: vel alijs enarratis pulueribus carbonibus iniectis: imprimis si Cinnabaris portiuncula addatur, cuius fumus validè siccando, operatur.

Si Vermes ex pure aurium vel sordibus nati irritent, eadem ratione & extrahendi & necandi, vti in auditus defectu ab illapsis fieri debere docuimus. *Vermes aurium, illorumq; curatio.*

Imprimis verò illos enecant succi Absynthij, Centaurij min. Persicariæ & fol. Persici, Vermicularis herbæ, Cucum. asinini.

Vel decoctum horum: vti & Lupinorum, præcipuéque Colocynthidis & Hellebori albi in Vino & Aceto factum.

Fella item animalium indita.

Oleaque amara; præsertim nucleorum Persicorum, & Amygdalarum amararum.

Vel sic: ℞. Colocynth. ℈. ß. Hellebori albi ℈. j. Aloës ʒ. ß. cum succo Persicariæ fiat instar linimenti: Indatur illis portio.

Si à frigida intemperie simplici vel cum materia, aut à flatibus dolor oriatur; tunc si humor aut flatus adsint, quæ hæc revellunt, vt Cucurbitulæ, Frictiones, vsurpantur: & Clysteribus iniectis, Purgantibusque exhibitis, idem facere, humorũq; redundantiam simul euacuare, studebimus. Per os & nares materiam simul deriuare; sicuti in auditus læsione ab hisce causis factâ, fieri debere, ostendimus. Balneis etiam alijsque sudorificis eam discutere oportet. Vel si intemperies tantùm sit, calefaciendo eam alterare; Victusque ratione calida idem efficere; in qua Glirium caro, vti superius dictum, proprietate etiam quadam iuuat. *Doloris aurium à frigida intemperie & distentione curatio.*

Auribus quoq; eadem quæ in auditus defectu explicata sunt, induntur, forisque applicantur: quibus & sequentia addi possunt, doloris potissimùm mitigandi gratia.

℞. ol. Amygd. am. è nucleis Persicorũ expressum, Chamomel. de Meliloto, Anethinum, separatim vel simul mixta vsurpata.

Cùm dolor immitis admodum est: ℞. olei ex semine Hyoscyami ʒ. ß. Castorei ℈. ß. Croci gr. vj. misceantur.

Vel: ℞.Cæpam excauatam,inde; Castorei,Euphorbij an.℈.ß. Opij gr.vj. imple oleo Amygd.amar. vel alio ex supradictis:coquatur sub prunis: coletur & vtere.

Aut: ℞.senectæ Anguium portionem, decoque in oleo Lumbricorum, addendo Millepedes, si haberi possunt, colatumque adhibe: cui ol.Scorpionum parùm addere potes: vel per se eo vti.

Vel: ℞.succi Parietariæ, Marrubij vel Mentastri an.℥.j.ol.Laurini ℥.j.ß.fellis Tauri ℈.j.axung.Gallinæ parùm,coquátur ad succorum consumpt. Indatur illius portio & extrinsecùs auris vngatur.

Spongiola intincta in Aceto,in quo Salis portio priùs dissoluta fuerit, admodum probatur, auribus adhibita, vel etiam impressa.

Decocto sequenti fouetur auris,vel suffitus ab eo aure excipitur:℞.fol.Origani,Pulegij, Rutæ, Lauri an.M.j. Absynthij M.ß.fl. Chamom.Meliloti, Anethi an.P.j. baccarũ Lauri,Sambuci vel Hederæ an.℥.j. seminis Fœnogr.ʒ.ij. semin.Carui ʒ.j.fiat decoctio in Vino & Aqua,ad vsum dictum.

Sacculi ex aridis hisce fieri possunt & apponi.

Vel sic: ℞.Panici P.j.Origani, Maioranæ an.M.j.fl.Chamom.P.j.Croci ʒ.ß.puluerisentur,fiat sacculus.

Cataplasma idem præstabit: ℞.bulborũ Cæparum & Porrorum tostorũ sub prunis an.℥.iij.contundantur, adde farinæ seminis Lini & Fœnogr.an.℥.ß.nucleorum Persicorum ℥.j.coquantur in Lacte & contundátur, adde axung. Anseris ℥.j. ol. Anethini vel Lumbricorum aut alterius supradicti, vel Butyri ℥.ij.Croci ℈.j.misce.

Si Allio auris fricetur,dolorem sedari scribunt: cùm reuulsionis causâ ab interioribus ad exteriora materiã eliciat. Quod validiùs, si rad.Scyllæ vel Cyclaminis aut Ari vel Serpentariæ illud fiat,præstabit.

Doloris aurium à maligna qualitate curatio. Qualitas maligna in cephalæa diuturna, & in lue venerea, si punctiones in auribus, cum tinnitu vnà cum alijs accidentibus procreet; Vsurpatis primùm magnis multisq; per varias vias & imprimis per sudores euacuationibus, tandem cum affectu cessant: vti in illis affectibus explicatum fuit. Et si quid remanserit,ijsdem topicis vt in frigida causa,& in tinnitu aurium dictum fuit,quoque tollitur.

Doloris auriũ & Pruritus ab irritatione curatio. Irritationes,pruritus & dolores alij in auribus,si à sordibus biliosis aliísve excrementis illic natis, aut etiam ab extrinsecus illapsis & in auribus hærentibus fiant: quâ ratione ea eximere debeamus,in auditus læsione, cùm & huic impedimẽtum adferunt, explicatum fuit.

Doloris auriũ à vulnere curatio. Læsiones verò adeò violentæ,vt vulnus inde sequatur, non alia ratione quàm aliæ puncturæ,vulneraque sanantur. Primumq; si inflammatio metuitur,vt in auris inflammatione priùs dictum,sanguis emittitur retrahiturque, inditisque auri repellentibus propellitur. Dein quæ dolorem sedant,sanguinis fluxum compescunt (vt suo quoque loco dicetur) immittuntur: Tandem ad siccantia & consolidantia, sicuti in vlceribus dictum,transitur.

DE NARIVM DOLORE.

CAPVT VI.

Genera.

DOLORVM qui in interioribus narium sentiuntur genera,præcipuè ex varietate dolorum deumuntur.

Pruritus & Titillatio in naribus. Pruritus sæpè naribus accidit: estque vel leuis tantùm titillatio: vel admodum quoque pruriunt: quibus sternutatio quandoq; succedit; aliàs nulla: interdum & nares simul stillant.

Ardens dolor in naribus. Ardor aliquando vrget, calentque plus minùsve nares & rubent,aliàs etiam veluti accensæ esse videntur: accedente nonnunquam intrinsecùs tumore apparente,seu inflammatione,narium transitum impediente vel etiam obstruente.

Vlcerosus dolor in naribus. Vlcerosus dolor,vlceris sensum præbens nonnunquam adest: Emungiturque interdum nunc sanguis, nunc sanies, nunc crustula,in vlcere simplici dicto. Aliàs mucus seu pus graueolens,fœtorque adest narium,

quem

quem aſtantes magis quàm ægri perſentiſcunt, in ozænis appellatis: Accedit quoque ſæpiùs naſi deformitas, quo collapſo, vniuerſa facies deformatur. Vox rauca & veluti ex cauo prodiens (vnde caua hole Red German. dicitur) redditur: Palatumq; exeſum amploque ſæpè foramine peruium eſſe videmus. Reſpiratio item nonnihil impedita eſt: vti in elephantiaſi ferè ſemper in lue venerea aliquando hæc ſuperuenire videmus.

Cauſæ.

A Morbo procedit: qui eſt vel irritatio, vel intemperies calida, vel ſolutio continui.

Irritatio narium, cauſa Pruritus & Titillationis.

Irritantur nares cùm ſint admodum ſenſiles facilimè, vnde titillatio ſaltem vel moleſtus quoque pruritus, accedente nonnunquam & ſternutatione oriuntur. Ab iiſdem penitùs cauſis à quibus & ſternutationem prouenire diximus: externis nimirum: ſplendore & luce nimia. Odore vehementi & pungente. Immiſsis acribus adurentibúsve errhinis, vel caſu illatis: Vel ab internis humoribus; vt ſanguine tenuiori in vaſis, ſicuti in auribus, vt illic dictum, ita & in naribus pruriente: aut ſeroſo, pituitoſo, acri, ſalſo humore cum lachrymis, aut aliter à capite huc defluente naresque vellicante: cui & bilis, quæ ad aures aliàs expurgatur, permixta, hucque delata, idem facit.

Calida intemperies & Inflammatio narium, cauſa Doloris ardentis in ipſis.

Calor intenſus narium, ardentem in naribus interdum dolorem parit: cui vera nonnunquam cum tumore & obſtructione narium accedit inflammatio. Sicuti à læſione aliqua externa, maiore quàm vt tantùm irritet, poteſt euenire. Vel interna quoque cauſa vehementiùs vellicante: vnde tamen etiam ferè extrinſecùs nares ſimul afficiuntur, ſicuti in coryza, nares non ſolùm intrinſecùs, ſed & alas ipſarum extrinſecùs valde calere, rubere & nonnunquam inflammare videmus, veluti in externis doloribus exactiùs oſtendetur.

Excoriatio, Vulnus, Vlcus, cauſa Doloris vlceroſi in naribus.

Soluta continuitas intrinſecùs in naſi internis lateribus, vel excoriatio vel vulnus aut vlcus exiſtit, ad exteriora quoque aliquando pertingens. Quæ ab externis iniurijs, pungentibus, vel vulnerantibus, vti & ab vnguibus, dum naſus purgatur; contundentibus, vrentibus item errhinis aliíſve medicamentis, quibus in polypo ſanando vtimur, fieri poſſunt. Nonnunquam & ab acri defluxione diu per has vias profluente, nares intrinſecùs & in ambitu quoque exulcerantur, adiuuante ad hæc vi illâ quæ in frequenti emunctione, quæ tunc ferè fit, adhibetur.

In profundo narium vbi oſſa fungoſa ſunt, & in illarum amplitudine vlcera naſcuntur putrida, pertinacia, diuturna; interdum ſerpentia, aliàs carcinomatis naturam habentia; aliàs quoque in narium amplitudine palati craſſam tunicam perforantia, nariumque ſæpè interſtitia exedentia, vnde naſus collabitur. Sæpè & oſſa maxillæ ſuperiori vicina, quæ magno ſpacio corrupta abruptaque poſtquam reiecta fuiſſent, amplam foueam in palato reliquiſſe vidimus, vnde tantus fœtor exhalabatur, vt vniuerſum conclaue eo repleretur. Sed & Vermiculos ex putredine hac natos aliquando prodijſſe conſtat.

Vermes in narib.

Talia autem ab iiſdem cauſis iam explicatis, ſi in profundo nares ab illis lædantur, vlcusque negligatur, aut ob loci humiditatem, & ad quem remedia facilè peruenire non poſſunt, nō facilè ſanetur, fieri poſſunt. Imprimis verò ab affluxu humoris adurentis vel maligni, in hunc locum à natura propulſi, Ozænæ hæ naſcuntur, & narium vlcera ſicuti in alia loca effuſi, tumores & vlcera peruerſa ac cancroſa, generantur. Quod cùm non ſolùm in hoc loco fit, ſed & malignus humor & qualitas alijs locis præcipueque in membranoſis inſidietur, vt in elephantiaſi, lueque venerea (eà ratione ſicuti illic explicabitur) tunc vnà cum alijs malignis vlceribus & vitijs, etiam naſi hæc putrida naſcuntur vlcera, naſum vicinaque oſſa, vti dictum, deuaſtantia, aliaq; illius rei cauſâ dicta accidentia producentia.

Ozæna.

Curatio.

Pruritus narium.

SI ab irritatione tantùm nares pruriant, cauſa primùm ſiue externa ſiue inter-

ab irritatione curatio. na sit, amouenda, & si non mox cessat, vti ferè fit, nares irritatæ demulcendæ: sicuti hæc in sternutatione, quæ tunc vtplurimùm sequitur, dictum fuit, atque in defluxione in nares & coryzâ explicabuntur.

Inflāmationis & caloris nariū curatio. Si nares incalescant nimiùm aut inflamentur, quia tunc rubedo, calor atque tumor extrinsecùs quoque apparent, illicque frequentiùs occurrunt, quâ ratione mederi oporteat, in doloribus qui ab affectibus in superficie corporis euenientibus prodeunt, docebitur.

Vlcerum in narib. curatio. Exulcerationes narium internæ simplices adhuc sine pure aut fœtore, siccantibus admodum, cùm locus sit valde humidus, sanantur. Purulentæ verò priùs abstergi debent, eoque validiùs, quò maior in illis puris est copia, magisque adhuc si putredo simul adsit, aut carnis excrescentia, quæ ægrè sanantur: nonnunquam & insanabilia fiunt, interdum post se nasi deformitatem (vti declaratum est) relinquunt. Quibus topicis, expurgationes excrementorum, si vlcera hæc procrearint vel foueant, præmitti debent. Imprimisque si à prauis & malignis procedat humoribus, varijs euacuationibus totius corporis generalibus, in elephantiasi factis, & per sudores præsertim, in lue venerea, hæc ab illis vitia nata, vti & alia, sicuti illic ostendetur, curare studebimus.

Naribus induntur hæc remedia, formâ vel errhini naribus attractâ, vel vnguenti, cum bombace, aut suppositorij in nares immissâ: vel fumi naribus excepti, vel pulueris insufflati. Quæ ne in fauces per narium amplitudinem cadentia noceant, si aqua ore interim retineatur, prohibetur.

Abstergentia leuiora ex sero Lactis cum Melle, vel Saccharo rubro permixto fiunt: vel ex Vinomelite: aut fortius paulò ex Oxymelite.

Magis abstergit Lixiuium & Vrina: eoq; ampliùs si Aluminis addatur portio: vel si hęc in vase Æneo parùm retenta æruginem cōtrahant. Quod & Omphacium hoc modo Ærugine permixtum facit.

Decoctum ligni Guaiaci factum in lixiuio, addito Melle quando magis abstergendum: quando verò plus siccandum, in Vino astringente, in lue præsertim venerea, vlcera narium sanat.

Succus Hederæ putredinem in narium vlceribus cohibet & emendat: vnde ad narium tænia à Diosc. præscribitur.

Abstergens & siccans errhinum sic fit: ℞. succi Granatorum, Plantag. an. ℥. ij. Mellis, Vini an. ℥. j. misce addendo Aluminis & Vitreoli parum.

Aliud in forma vnguenti: ℞. succi Hederæ & Plantag. an. ℥. ij. vini Granatorum, aceti Ros. mellis Ros. an. ℥. j. ol. Ros. & Myrtini an. ℥. j. ß. coquantur ad consumpt. adde Ceræ viridis cum ærugine Æris coloratæ, fiat vnguentum.

Vnguentum Ægyptiacum in putridis admodum adhibetur vlceribus, dilutum nōnihil prædictis liquoribus, vel per se cùm magnâ abstersione opus est, & caro putris adest.

Aqua Fortis vel Sublimati, Spiritus Vitreoli: parùm diluta, penicillo cautè vlceri adhibentur: Quod & aqua, in qua Calx extincta fuerit, facit.

Siccans & consolidans errhinum hoc modo paratur: ℞. fol. Plantaginis, Equiseti, Agrimoniæ, Rubi, Polygoni maris vel minoris Herniariæ dictæ an. M. j. cort. Granat. ℥. j. Gallarum, rad. Consolidæ an. ℥. ß. fiat decoctio in Aqua & Vino rubr. austero, vel mixto cum pauco Aceto, exprimantur, addendo parùm Mellis: misce.

Vel sic, cùm cartilagines narium erodi incipiunt, naresque resimæ fieri: ℞. succi Plantag. Agrimoniæ, Pilosellæ, vel Polytrici, Pimpinellæ, succi Rosarum & Apij an. ℥. j. Aceti, Mellis an. ℥. ß. Aluminis ʒ. ij. cort. Thuris, Myrrhę an ʒ. j. Calcytidis ℈. j. misceantur diligenter pro errhino.

Vnguentum ad idem: ℞. Lithargyrij, Cerusæ lotæ aquâ Plantag. an. ℥. ß. Tuthiæ præpar. Plumbi vsti & loti an. ʒ. ij. Myrrhæ, cort. Thuris an. ʒ. j. rad. Aristoloch. rot. ʒ. ß. succi Plantag. & ol. Ros. omphacini an. q. s. ad incorporandum vt indi posit.

Vel sic: ℞. rad. Aristoloch. rot. cort. mali Granati vel Balaust. an. ʒ. ij. cort. Thuris, Myrrhæ, Aloës, Ladani, Sanguinis draconis, gummi Tragach. parùm assi an. ʒ. j. Cal-

cis

cis sæpiùs extinctæ ℥.ij. Aluminis, Chalcytidis an.ʒ.ß. Omphacij ℥.ß. mucilaginis factæ ex Ichtycolla infusa in aqua Plantag.℥.j.olei Rof.omphacini q. f. ad incorporandum, addendo parùm Ceræ rubræ, cum Cinnabari præparatæ, fiat instar linimenti, vel vnguenti spisioris, aut etiam magdaleonis, qui intrudi posit.

Puluis qui in nares insufflatur: ℞.Tuthię præpar. Coralli vsti & loti an.ʒ.j.cort.Thuris, rad. Aristolochiæ an.ʒ.ß. fiat puluis subtilisimus: Qui & ex alijs, in vnguentis enarratis pulueribus parari potest, & in forma pulueris vsurpari.

Multa alia in oculorum & aurium vlceribus exposita remedia, tàm abstergentia, quàm consolidantia hic quoque proderunt.

Fumi, qui rectiùs cæteris remedijs ad vlcera si in abdito sint, perueniunt, eaque vndique attingunt, ad exiccationem illorum, tùm vi siccante, tùm fuligine sua, quam dum vruntur vel accendũtur reddunt, plurimùm conducunt. Qui dum excipiuntur naribus, si à vehementioribus aut malignis assurgãt, spiritus interim retineri nec respiratione attrahi debet, & relaxatione concessa, fumi per interualla intromitti.

Excitatur hoc modo: ℞.Thuris, Masticis, Ladani an.ʒ.ij.Storacis, Benzoini, gummi Iuniperi an.ʒ.j.ß.Santali odor.ʒ.j. ligni Aloës ʒ.ß. fiat puluis: cuius portione carbonibus ignitis inspersa, fumus fit.

In deterioribus vlceribus: ℞.Puluerem prædictum, adde Myrrhæ ʒ j.Marcasitæ, Auripig.rubr.Cinnabaris (in lue venerea præsertim) an.ʒ.ß. fiat puluis pro fumo: vel exceptus Lariceâ aut inf.gummi Tragach.in trochiscos priùs redactus, vnus ex illis vratur.

Fumus Cinnabaris, quo vniuersum corpus in cura luis venereæ suffumigatur, ad nares quoque perueniens, non solùm generale huius morbi est remedium, sed & topicum in narium vlceribus sanandis fit, si caput in hoc fumo eo nomine aliquantisper contineatur.

Candela vlcera hæc sanans fit ex Cera rubra, Minio vel Cinnabari colorata, accensa, rursumque extincta; quo modo & fumus commodiùs naribus excipitur.

Vel sic: ℞.Ceræ instar nucis, in loco calido collocetur, donec ita mollescat vt manibus malaxari posit, permiscendo diligenter pulueris primi vel secundi portionem, indeque in formam candelæ manibus diducendo, cui secundùm longitudinem ad medium vsque sectæ, elychnium imponatur, rursumque voluatur: quę deinde in eosdem vsus accenditur extinguiturque.

Aliud valde efficax, copiosam fuliginem reddens, & denigrãs: ℞.Picis, Resinæ, part. aq.Sulphuris tantillum, dissoluantur ad ignem, atque intincto aliquoties elychnio fit candela, à qua accensa fuligo assurgens ad nares per canalem deriuatur, sed mox iterum amouetur.

Si crustæ in naribus vlceri obnascantur, potenterque hæreant, nec facilè cedant, Butyro, Mucilaginibúsve, vti escharæ casus, sic vt & hæ sensim abscedant, procuratur.

Si illis curatis caro luxurians quæ excreuit relinquatur, ea, sicuti in polypo dicetur, auferenda.

Vulnera narium interna, eadem ratione, vt si in auribus fiant, illicque dictum, immissis sanguinem cohibentibus, mox siccantibus & consolidantibus, curantur: si in vlcus abeant, vlceris iam explicata cura adhibetur. *Vulnerũ in naribus cura.*

DE ORIS DOLORE.

CAPVT VII.

Genera.



DOLORVM, qui in oris carnosis sedibus, nimirum lingua, gingiuis, buccis & palato occurrunt, & vel separatim in quibusdam hisce partibus, vel pluribus simul se manifestant, nonnunquam & ad fauces pertingunt (de quarum doloribus postea peculiari capite agemus) genera distinguuntur primùm, quatenus hi dolores cum sensu asperitatis aut caloris seu ardoris vel lancinationis, aut vlceris, apparentibus aliquibus vitijs, vel nullis, se repræsentant.

Asperitas linguæ & oris. Cum asperitatis sensu solo molestia in lingua & ore quando sentitur, quia gustui & loquelæ quoque incommodat, in vtriusque læsionibus explicata fuit.

Punctio & ardor linguæ, nullo apparente morbo. Cum ardore & punctione in linguæ lateribus & apice, nullo in lingua morbo apparente, dolores sæpè redeuntes, diu & multis quoque annis affligere aliquos vidi; interdum in hac solùm parte, aliàs etiá in labijs, aliisve in locis corporis quibusdam partium extremitatibus sese patefacientes: sicuti de hoc affectu in habitus corporis doloribus quoque mentio fiet.

Calor solus: vel cum tumore & ardore: nonnunquam & fissione & pustulis linguæ oris'q; partium. Calore solo lingua interdum molestatur: aliàs etiam cum ardore, morboque tunc se manifestante in illa, afficitur: & tunc non vt aliæ partes quæ albæ sunt exactè rubet, sed potiùs puniceo colore prædita est: tumetq; interdum & inflámata est: nonnunquam & simul sicca aridaq; existit, & finditur: pustulæque quandoq; in ea eleuantur: quæ adeò sæpè inualescunt, vt ad loquelam ægrè & non sine dolore moueatur, balbutiantq; ob id ægri: & vicinæ ori partes, faucesq; interdum simul, sicuti dicetur, afficiantur, anginaque dicta tunc illi comes sit, & æger in suffocationis periculo versetur. Quæ per se rariùs, sæpiùs in febribus, sicuti in illis ostensum, eueniunt, & præsertim in continuis malignisq; adeò vrgent, frequentiaq; sunt, vt vulgus hunc affectũ, ob hoc graue & manifestum symptoma, linguæque puniceum colorem, Breune/sicuti in febribus dictum, vocet. *Breune Germ.* Verùm & hæc oris partium inflammatio, in lue venerea, dum ea hydrargiri vsu sanatur, superuenire solet.

Tument & calent gingiuæ sæpè intus forisq; ad radices dentium: tumore foris aliquando se quoq; manifestante; tum in prædictis oris affectibus, tum in détium dolore, cum vicinis illis sedibus nonnunquam inflámatur: dolorq; intensus, præsertim cùm suppuratur inflammatio, existit, sicuti in dolore dentium quoque explicabitur.

Sed & buccæ palatumque, tùm per consensum iam dictarum partium, tùm per se inflammari & tumere solent.

Rana sub lingua. Sub lingua in carne laxa, quæ linguá vinculi instar nectit, talis interdũ nascitur cum tumore & inflámatione dolor, in Batrachio seu Rana dicto affectu: vlterius quoque in proximas partes se quádoq; diffundens, qui suppuratus in abscassum plerunq; conuertitur. E quo & calculum oblongum in quodam, postquá magnos diu cruciatus passus fuisset, prodijsse vidi. *Calculus sub lingua.* De indolente, qui in eodem se interdum loco offert tumore, alibi dicetur.

Vlcerosus dolor, nunc cũ excoriatione, nunc fissuris, nũc exulceratione in ore & lingua. Vlcerosus, lancinans cum ardore, vel sine eo dolor, in varijs oris locis frequenter accidit: Occurritque is nunc cum pustulis vel in lingua vel palato vel buccis vel gingiuis erumpentibus diuersimodè: & plerumque in infantibus à morbillis per oris sedes hinc inde dispersis.

Aliàs verò cum excoriatione aliqua in ijsdem locis facta, ex pustulis disruptis relicta, vel alijs de causis, excitata.

Cum fissuris & scissuris in lingua, in longũ & transuersum ductis, dolor quoq; se offert: vehemens interdũ: cui nonnunquá linguę ariditas, aliàs etiam inflámatio illius, vti superiùs dictum, copulata est. Qui dolor, vti & alij grauiores in ore facti, ab ingestis, calidis præsertim seu acribus cibis, exacerbatur.

Cum exulcerationibus veris dolor se manifestat sæpiùs: quæ interdum post excoriationem relinquuntur: aut pustulas suppuratas, & in vlcus conuersas, aut variolas in infantibus: aut post inflammationem aliquam in abscessum mutatam, præsertimq; sub lingua factam, aut in radice gingiuarum, in dolore dentium.

Aphta, Alcola Arab. Aliàs verò parua sunt vlcuscula, quæ Aphtas vocant, Arabes Alcolas, buccas, linguæ latera & radices, gingiuas, palatum occupantia: nunc vno, nunc duobus, nunc pluribus in locis: admodum frequentia, in iunioribus præcipuè, & in lue venerea sæpè occurrentia. Suntque parua ab initio lentis instar ampla rotundaque, alba in medio, in ambitu verò rubra & veluti inflammata, doloremque inferentia, quæ tamen mox dilatantur, admodumque nisi caueatur, serpunt, & vicinas partes corrumpunt.

Cancer vel Herpes exedens gingiuarum. Vlcus malignũ ex aphtis sordidis neglectis, in infantibus præsertim, aliisve de causis natum, gingiuas ferè sine dolore aut non magno

gingiuarum Durchfeule. Germ.

magno occupat: quod Cancrum gingiuarum, Herpetem exedentem Rhazis, Germ. Durchfeule vocant. Purulentum & album primùm est, mox flauescit, inde nigrescit, serpit & cauernosum fit, gingiuasq; eo loco vbi est, penitus depascitur, sępè & subiectam maxillam vitians, in sphacelum abit: à qua corruptam portionem illius cum dentibus à reliqua maxilla abscedentem exemptam vidi: vnde facies postea eo loco deformata manet.

Scorbutus. Schorbuck.

Huc quoque gingiuarum tumor & exulceratio, in affectu illo maritimis Septentrionalibus populis cōsueto & epidemio, quem Scorbutum vulgo vocant, referri debet: In quo gingiuæ intumescunt, cruoremque exsudantes, putrescunt & corrumpuntur, atque adeò absumuntur, vt dentium radices nudæ pateant. De quo affectu, cùm etiam alia corporis loca, pedesque imprimis, maculis, tumoribus, interdum & vlceribus inficiat, nos pleniorem tractationem illius in affectibus corpus defœdantibus, vbi & de alijs contagiosis eiusmodi malis, vt elephantiasi, lue venerea agemus, instituemus: hîc tantùm quatenus os infestat, illius mentionem facientes.

Cum vulnere dolor interdum occurrit: quod punctum vel sectum, vel morsum & inæquale est. Cui inflammatio aliquando iungitur. Quod si buccas penetret, ad exteriora pertinet.

Causæ.

Morbus qui causam præbet hisce oris doloribus: vel in neruo consistit, nec apparet: vel in iam enarratis partibus oris sensibilibus quibusdam existit & manifestus est. Estq; is vel intemperies calida sola, vel cum inflammatione: vel solutio continui.

Nerui affectus, causa Punctionis & Ardoris linguæ, nullo apparente morbo.

Nerui affecti causâ, ardor ille in lingua, nulla illius læsione apparente, diuturnus sæpeq; excrucians fit. Qui quo pacto affectus, hunc dolorem in lingua procreet, vti & alijs in locis, partim in stupore, partim in paralysi declaratum fuit, atque in habitus corporis doloribus explicabitur.

Calida intemperies, causa caloris solitus. Inflammatio verò tumoris & ardoris nonnunquam & fissurarũ pustularum linguæ orisque partium.

Intemperies calida sola, molestiam illam calore solo se exerentem in lingua potissimùm parit. Si cum inflammatione sit, dolorem & ardorem cum tumore procreat. Quorum causa si ab externis procedit, illis nimirum quæ linguam adurunt, pustulæ atque excoriatio simul adsunt. Ab interna verò causa hæc plerumque nascuntur: vt vapore feruente, in morbis calidissimis & febribus ardentibus & malignis, sursum euaporante, hasque sedes accendente, atque inficiente: vnde & Breune dicta, semper cum febre cōtinua copulata nascitur: cui & angina, si inflāmatio linguæ, affluxum sanguinis ad fauces vicinas calore & dolore concitaret, iungi potest. Ab humore sanguineo puro vel impuro vel maligno, affluente ad has sedes idem potest fieri, linguaque & gingiuæ potissimùm inflammari: quod vt in varijs morbis, sic & in lue venerea, vti dicetur, accidit. Vel si in subiectam linguæ carnem laxam fluat, illic tumorem cum inflammatione excitat, eoque suppurato, in abscessum conuertitur. Cui influxui, calculus ea in sede ex seroso humore natus, doloremq; immensum antequam prodiret causans, vt & in alijs locis, ob dolorem, phlegmoni partium, sic & hîc in eo qui talem ex eo loco excreuit, occasionem præbuit. Frequentiùs autem ex dolore dentium, vt illic dicetur, defluxio in gingiuas concitata, ibi inflammationem tumoremque, quæ in dolore dentium superuenire solent, efficit.

Soluta continuitas, causa Vlcerosi doloris cum excoriatione, fissuris, vlcere in Ore & lingua.

Solutio continui, oris partium dolores cum pustulis, excoriatione, fissuris, vlcere, seproferentes, facit. Quæ vel ab illis quæ vulnerant hasce sedes proficiscitur, ori inditis: frequentiùs verò à morsu proprio, casu linguâ buccisve læsis.

Adurantia actu potentiaque assumpta, tunicam eleuantia, vesiculas, illisque ruptis excoriationem pariunt. Quod & acria sola in ore tenero præcipuè, vt infantium, possunt efficere: vti & à lacte acri & pane à muribus atroso, aphtas gigni scribunt: quod potentiùs acria facient, si vim penetrandi simul magnam habeant: quâ ratione si nucleos, nucum recentes, vuasque eodem tempore comedant iuniores, linguam ipsorum findi admodumque dolere in me ipso & alijs sæpè obseruaui.

Verùm

Verùm & nimiùm exiccata lingua arefactaque, à causis in gustus læsione explicatis, adeò sæpè vt vulnerata doleat, finditur.

A sanguine calidiore, feruentiore, biliosiore, atrabiliario, acri & salso, redundante, vti alia in superficie corporis vitia, sic & in hisce locis humidis & tenerioribus, pustulæ, aphtæ, aliaque vlcera, eaque interdum maligna, si talis subsit causa, excitari possunt.

Quod & à sputo, quo hæ partes continuò madent, si talis illi commisceatur materia, vnà cum sero eò delata illique permixta, fieri potest: qualem ex hydrargyrij inunctione vel suffitu ad os copiosè cum sputo, peculiari quadam & ferè propriâ argenti viui vi propulsam, oris non solùm inflãmationem, sed & vlcera gignere obseruamus.

A morbo alio prægresso hæc quoque nascuntur vlcera, vel immutantur. Veluti ex abscessu post inflammationem facto ruptoq; relinquitur vlcus sordidum. Vulnus aut excoriatio simplex, ob loci humiditatem facilè in verum vlcus abeunt. Aphtæ neclectæ in peruersa degenerant vlcera. In elephantiasi & lue venerea etsi hydrargyro minimè vsi sint & scorbuto appellato affectu, ob venenatam illam vim morbi, vt illis in locis dicetur, in ore ac faucibus, vti & alijs in locis vlcera peruersa, quemadmodum illic explicabitur, se quandoque exerunt.

Curatio.

Inflãmationum caliditatum linguæ, gingiuarum buccarũ & palati curatio.

INflammationes & calores præternaturales oris partium, si à morbis alijs, calidis præsertim, & febribus potissimùm proueniant, hisce primùm cura generatim adhibetur, sicuti in morbis eiusmodi & febribus præcipuè explicatum fuit: Harum scilicet febrium causâ, quas propter linguam tunc adeò affectam Breune (vt dictum) vocant, vt in reliquis, sanguinem emittendo; sudores prouocando; per exhibita admotaque cordi, hepati, renibus, refrigerando: putredinem malignitatemque refringendo; viresque conseruando. Imprimis verò linguæ tantopere affectæ causâ, ne si huius inflammatio negligeretur, ad fauces quoq; se extendens, anginam simul induceret, mortisq; afferret periculum (vnde tàm studiosè vt linguæ potiùs quàm febris ratio habeatur, cùm aliquos inde suffocari vident, vulgus vrgere solet) vena sub lingua, etsi ratione febris iam priùs alibi secta fuerit, nisi quid impediat, deriuationis causa aperitur: diuersionesque à superioribus deorsum per cucurbitulas, scarificationes, frictiones, sedulò faciendæ repetendæque: & quæ euaporationes tetras sursum factas reprimunt, caloremque illum immensum extinguunt, non solùm febris causâ, sed & huius affectus potissimùm, frequentiùs vsurpanda: quorum exempla in febribus enarratis multa proposuimus. In reliquis causis diuersiones quoque faciendæ, quemadmodum si hæc in febribus eueniant, dictum fuit: sanguinem emittendo retrahendoque. Vti & si gingiuæ in dentium dolore inflammentur: sicuti illic ostendetur.

Quod si verò ab inunctione hydrargyri os inflãmetur, hoc ne fiat, priùs antequam vngatur, os sæpè Lacte, Iusculo pingui abluendo, Butyro oleoque Amygdal. dulc. recentibus linguam reliquumque os inungendo, præcaueri debet.

Topica verò, quibus os colluitur, vel quæ in ore retinentur, vel alio modo adhibentur, si simplex sit calor, refrigerare & propter siccitatem quæ simul copulatur, humectare & emollire, si inflammatio adsit vel metuatur, astringere potiùs & repellere debent: quibus abstergentia, propter limum, qui in ore facilè colligitur, sensim permiscemus: nonnunquam & vim malignam si adsit refringentia: indeque ad digerentia procedimus: & maturantia quoque, si in abscessum vergat.

Quæ calorem & ariditatem linguæ contemperare possunt, in gustus læsione ab hac causa, explicata sunt.

Cùm verò in inflammationis principio refrigerare & repellere simul volumus, tunc sequentibus vtimur.

Aqua fontis, quæ si frigida sit actu refrigerat, vel putei, cisternæ aut pluuiæ, quæ nonnihil quoq; astringunt: Acetum album vel rubrum vel rosaceum astrictionis quoque causâ, eâ mensurâ, vt decentem aqua acquirat aciditatẽ permiscetur, eâque os abluitur. Idem præstabunt aquæ stillatitiæ refrigeran-

rantes, Violarum, Nenupharis, Solani, Portulacæ, Lactucæ, atque astringentes, florum vel calicum Rosarum, Plantaginis, Ligustri, Caprifolij, Myrti: & imprimis aqua Prunellæ, quæ adeò efficax in Breune dicto affectu sanando censetur, vt nomen ab eo planta obtinuerit: quæ cùm refrigerare volumus, Aceto permixta vsurpatur, per se, vel alijs aquis frigidis miscetur, cùm ipsa non adeò refrigeret.

Vel hoc pacto aquis vtimur in collutionibus: ℞. aquæ Prunellæ ℥.iiij. aquę Rosarum, Plãtaginis, Fragariæ, Portulacæ an. ℥.ij. Aceti rosſ. Mellis rosſ. an. ℥.j. si tantillum Aluminis vel guttam vnam aut alteram spiritus Vitreoli addas, potentiùs astringet.

Succi acidi vel austeri fructuum; vt Mororum, Ribes vel Berberis, Vuarum, Cerasorum, malorum Arantiorum, Limoniorum, Citriorum, herbæque Acetosæ; Aceto permixti vel soli vsurpati idem præstabunt. Lactucæ quoque succus imprimis vtilis censetur. Vel si hæc, cùm ingrata minimè sint, sępè masticentur, aut succi hi lambantur.

Vel si fructus ipsi decoquantur, decoctoq; os colluatur.

Vel si succi prædictarum plantarum, quarum aquæ conueniunt per se aut cum Melle permixti adhibeantur.

Aut syrupi ex hisce succis parati, vel rob, Diamoron imprimis, oris collutionibus permisceatur, aut eclegmatis instar lambantur. Syrupus Violaceus, cum decocto Hordei & Rosarum, in lue venerea inflammationem corrigit.

Aqua quæ ex acido liquore in quo brassicam capitatam nostri condire solent & asseruare, Gumpistbrey dicto, exstillata, vulgò magno successu vsurpatur. Vel liquor ipse, si glutinosus sit conquassatus. Quibus & alij succi misceri possunt.

Decoctum refrigerans & repellẽs: ℞. fol. Viol. Lactucæ, Plantag. Prunellæ, Salicis, Acetosæ, Vitis, Fragariæ recent. an. M.j. fl. Rosſ. rubr. & Antirrhini mai. Maluæ autum. Hordei integri an. P.j. seminum Cucurb. ʒ.ij. Berberis ʒ.j. Cerasorum acid. sicc. paria x. Prunorum acid. n. vj. fiat decoctio in aqua & Vino acido: adde parum Sacchari vel Mellis rosſ. Vtatur hoc modo, aut succis, syrupis aut rob. permixto.

Aliud magis astringens: ℞. fol. Pilosellæ, Ligustri, Prunellę, Caprifolij, Plantag. Rubi, Lentisci vel Myrrhi an. M.j. flor. Rosſ. rubr. & Nympheæ, Hordei. Lentium an P.j. Prunorum vel Cerasorum, Sorborum vel Carnorum vel Cotoneorum, recentium vel exiccat. paria aliquot, fructus Berberis & Ribes, similiter siccatorum vti hæc ad vsum asseruari solent, si eo tempore non recentia habeantur ad ℥.j. decoquantur in Vino rubro stiptico, & in col. Mensſ.j. dissolue Mellis rosſ. ℥.iij. syrupi Granat. ℥.ij. misce, fiat oris collutio.

In progressu inflammationis, digerentia permiscenda hoc modo: ℞. Glycyrizæ rasę ℥.j. Prunellæ M.ij. Plantag. M.j. Hysopi M.ß. fl. Maluæ autum. Rosſ. rubr. an. P.j. fl. Saluiæ vel Rosmarini P.ß. Lentium, Fabarum an. ℥.j. seminum Lini & Fœnogr. an. ℥.ß. capul. Glandium ʒ.vj. Ficuum num. x. Passul. non enucl. P.xx. fiat decoctio in aqua, addendo parùm Vini: dissolue in Mensſ.1. Mellis ℥.ij. syrup. de Rosis rub. siccis ℥.j. Diamoron ℥.ß. misce.

Vel hoc pacto: ℞. Prunellæ M.ij. Senecionis, Cruciatæ, Aquilegiæ, Plantag. Hysopi, Saluiæ, Capill. Ven. an. M.j. fl. Rosſ. rub. P.j. Myrrhæ ʒ.ij. Croci parùm, Mellis ℥.ij. decoquatur in aqua, addendo Aluminis parùm: Vtatur.

Vel sic ex aquis: ℞. aquæ Prunellæ ℥.vj. aquæ Plantag. Rosarum, Saluiæ, Hysopi an. ℥.ij. Mellis rosſ. q. s. Aluminis tantillum, misce.

Priuatim verò in inflammationibus iam in vlcera abeuntibus, ex vsu hydrargyri natis, aliqui Theriacâ cum aqua vitæ & Aceto permixtâ, partes inflammatas inungunt. Vel aquam priùs ex illis elicitam adhibent: cui Bolum aliaque similia siccantia miscent: quibus argenti viui venenatam vim infringi credunt. Quo nomine & Guaiaci decocto os abluere iubent.

Cùm ad maturationem tendunt inflammationes: ℞. rad. Altheæ ℥.j.ß. Caricarum num. xij. Dactylorum num. vj. Tamarindorum, vel Casiæ grana recentia cum pulpa num. x. semin. Lini & Fœnogræc. an. ℥.ß.

fl. Maluæ & Chamomil. an. P. j. fiat decoctio in Lacte caprino: dissolue Albumen oui vnius agitatum, Croci parùm & Mellis ad dulcorationem: Vtatur.

Foris quoque, si inflammatio non in sola lingua, sed cæteris quoque sit partibus, vel tantùm in illis, vel si sub lingua sit, sub mento inunctiones vtiliter fiunt; ab initio ex oleis repellentibus, vt Rosaceo: mox discutientibus, vt Chamomelino, Liliorum.

Et si ad suppurationem vergat sub lingua inflammatio, cataplasmata ex rad. Altheæ, semine Lini & Farinis parata, cum Croco, applicataque dolorem compescunt atque egregiè maturant, vel si hæc in Lacte cocta in ore retineantur. Quorum formas, tùm eorum quæ abscessus aperiunt, tùm aliorum multorum, quibus inflammationes hæ tractari curarique debent, in faucium inflammationibus, quarum remedia quædam hîc quoque locum habent, copiosiùs explicabimus. Quæ & si angina linguæ inflammationi coniuncta sit, vel eam sequatur eò citiùs sunt vsurpanda.

Pustularũ, Excoriationũ, Fissurarũ, Vlcerum linguæ oris'q; curatio.

In solutionibus continui: pustulis nimirum, excoriationibus, fissuris, vlceribus curandis, si hæc à causa interna proficiscantur: illa primùm euacuantibus est auferenda: vel licet aliunde prouenient, si tamen in corpus cacochymicum aut plethoricum cadant, eo priùs repurgato, faciliùs sanantur. Vel si maligna causa subsit, ea sicuti in lue venerea & elephantiasi & scorbuto explicabitur, primùm est exterminanda: quæ si auferri nequeat, ægrè vel nunquam hæc inde nata vlcera curari possunt. Quibus omnibus præmissis aut simul vsurpatis, vel illis etiam omissis, si nullam causam quæ illas foueat, habeant, topica alia pustulis, alia fissuris, alia excoriationibus & vlceribus adhibenda.

In pustulis si inflammatio simul adsit, eadem quæ illic dicta sunt remedia, conueniunt: si sine illa fiant, sponte mox disruptæ, vlcusculum post se relinquunt, quod vt aphtæ, sicuti dicetur, sanatur. Si diutiùs persistant & molestent, ad eas maturandas Fermentum applicatur: vel Amylum cum sapa permixtum: cui oleum nonnunquam additur, adhibetur.

In scissuris linguæ si quoque inflammatio adsit, huic potiùs curandæ intendendum. Si ex ariditate fiat, cura vt in gustu deprauato, qui tunc quoque adest, dictum, instituenda. Si profundæ sint fissuræ, linguam admodum diuidentes doloremque inferentes, siccantibus vti cæteræ exulcerationes sanandæ, addendo interdum propter linguam quæ humida & mollis naturaliter esse vult, lenientia, quæ tamen simul glutinent. Qualia in externis scissuris labiorum & cutis quoque describentur.

Quibus & hoc exempli loco potest adjici: ℞. Alumin. vsti ʒ.ß. Boli ping. albi vel rubri ʒ.ij. Mellis ros. & mucilag. gummi Tragach. vel Psylij an. q.s. fiat instar vnguenti: quo lingua fissa sæpè vngatur.

In exulcerationibus reliquis, siue excoriationes tantùm sint, siue vlcera in lingua, buccis, palato, siue vlcuscula illa adeò frequentia aphtæ, & gingiuarum vlcera, tàm communia quàm serpentia, easque corrumpentia, topica admodum exiccantia, ob loci humiditatem, eaque sæpè validissima, adhibenda; quibus detergentia, si vlcera simul sordida sint, carnemque putrem exedentia vel auferentia, si putrescant, permiscenda; Et si inflammatio vlceribus copuletur, frigida repellentia simul addenda: Eaque remedia tunc ferè adhibenda, quæ in inflammatione oris dicta sunt: cùm & hæc astringengendo siccent, proindeque multa ex illis etsi calor non adsit, hîc quoque in vlceribus sanandis conferre possunt: sed & quæ malignitatem vlcerum reprimunt, quandoque si maligna sint, apponuntur.

Quæ remedia diversimodè administrantur: atque os illis vel generatim collui potest, vel masticando imbui, aut suffumigari: vel priuatim hæc vlceribus tantùm ferè adhibentur.

Quæ ad os communiter colluendum vel abluendum vsurpantur: licet & saltem in oris sede vbi vlcera sunt, aliquandiu retineri possint, aut vlcera quoque illis fricari, ex varijs fiunt hoc modo.

Ex decocto, siccans & abstergens oris fit collu-

collutio: quod ex plantis varijs austeris, astringentibus,& nitrosis abstergentibus fit: veluti ex folijs Ligustri, Plantaginis, Pilosellæ, Agrimoniæ, Caudæ equinę, Heliāthemi, Cyani maioris, Oleæ, Bellidis, Caprifolij, Virgæ aureæ, Rubi, Milij solis, Geranij Robertiani, Pyri syluestris, Fagi, Polygoni vel Herniariæ, Ceterach, Myrti, Lētisci, Arbuti: ex radicib. Pentaphyli, Pruni sylu. Cōsolidę: cort. Oxyachantæ, Granatorum: ex floribus Rof. rubr. Balaust. Cap. glandium, Labruscę, Oxyacāthæ ex Hordeo, Lentib. non excort. fructu Cupresi, ex seminib. Myrtillorū, Coriandri: ex baccis Pruni sylu. Sumach: fructu Mororum, Sorborum,& ex Gallis. Quibus, si lentor in ore simul adsit,& putredo, calida quoq; vt Saluia, Serpillum, Origanū, Mentastrum, fol. Lauri, radixq; Ireos adduntur. Atque imprimis in Scorbuto Cochlearia, Nasturtium, Sysimbrium. Ex quibus enarratis simplicibus vel pluribus vel paucioribus decoctum ex Aqua, quę si priùs ferrata aut chalybeata sit, etiam astringit, paratur: addendo interdū & Vini, mediam, tertiam, vel quartā partem, nonnunquam & Aceti rubri vel rosacei tantum donec acescat: & vt gratū magis sit, abstergatque ampliùs, Mellis vel Sacchari simplicis vel rosacei: vel syrup. Rosac. Myrtillorum & Diamoron, tantum donec dulcescat: & si potentiùs illud operari volumus, succos aliquos à dictis plantis expressos vt Granatorum, Acetū, & Salis vel Aluminis, aut Vitreoli eam quantitatem, vnde salsedinem vel nitrositatem aliquam adipiscatur: Vel Bolum etiam, aut lap. Hæmatitis attritum succum elicitum.

Aliud decoctum ex terrestribus solis fit, cùm admodum siccare volumus: ℞. Boli Armen. ℥.j. Gypsi vsti ℥.ß. Aluminis ʒ.ij. Vitreoli ʒ.j. Vini albi mens.ß. coquantur parùm & os colluat.

Ex aquis enarratorum simplicium,& imprimis in quibus astrictio aliqua remanet, vt Rosarum florum & calicum, Ligustri, Plantag. Caprifolij, similiumque collutiones hæ fiunt, si loco decocti sumantur, in illisq; iam dicta, eo modo vt ostensum, dissoluantur, auctâ etiam illarum dosi, cùm aquæ minùs, quàm decocta siccent.

Fiunt & ex aqua destillata aluminosa appellata eiusmodi collutiones, quæ in omnibus oris vlceribus sanādis quibusdam in locis in vsu est, quæ ℞. Vuarum vitium syluestrium nondum plenè maturarum ℔.iij. fol. Portulacæ, Plantag. recentium an. ℔.ij. Album. ouorum num. vj. Aluminis ℔.j. ex his contusis inuicemque mixtis, aqua elicitur, eâq; vlcera lauantur vel fricantur.

Efficacior fit, si antequam aqua extrahatur, cort. malorum Granatorum recent. ℔.j. Vitreoli ℥.iij Aceti ℥.iiij. addas.

Priuatim in vlceribus in lue venerea hæc aqua venenatam illorum vim reprimens laudatur: sumendo Theriacam, & cum æquis partibus Aquæ vitæ & Aceti miscendo aquamque eliciendo. Vel hoc gargarismo vtendo: ℞. aquæ Ros. Plantag. an. ℥.ij. Aquæ vitæ, Aceti an. ℥.ß. Diamoron Mellis ros. an. ʒ.iij. Theriacæ, Boli vel Terræ Lemniæ an. ʒ.ß. misce.

Ex succis fructuum quorundam gratorū & copiosum succū reddentium potiùs quàm herbarum, cùm ingrati illorum sint succi, hoc modo vsurpati, collutiones fiunt hæ aliquando, maximeque abstersionis causâ, vt succo vel vino dicto Granatorum, vel Vino ex vuis facto, rubro vel austero; vel etiam Aceto,& præsertim rosaceo,& si admodum abstergere velimus Scyllitico, per se, aquáve priùs nonnihil contemperatis: quibus vlcera abluta adeò expurgantur, vt veluti excocta post illorum vsum esse videantur. Quo nomine,& vt siccantia postea meliùs agant, hisce os priùs interdum colluitur. Sed & Cytoniorum succus, cùm siccandum, in ore retineri potest.

Quædam commansa seu masticata, vires suas in ore exerunt, vlceraq; sanant: vt sunt Fructus esui apti, austeritatem aliquam præsertim ante perfectam maturitatem habentes: imprimis Mora, Corna, Cytonia, Mespila, similiaque: minusq; grata sed efficacia tamen folia Ligustri, quæ comesta aphtas sanant. Qua ratione & aliæ multæ plantæ in decoctis explicandæ, mansæ proderunt.

Fumi fuliginosi, quales in narium vlceribus conferre diximus, ore excepti, siccando quoque proderunt. Illique qui ex suffitu

hydrargyri fiunt, etsi inde vlcera nata sint, in os tamen obiter intromissi, eadem curant.

Quæ priuatim vlceribus tantùm ferè adhibentur, & quibus ea tantùm vel illinimus, vel aspergimus, aut etiam vt putredo simul auferatur, fricamus, adeoq; sæpè vt sanguis exeat, vel si validissima sint, bombace aut linteo obuoluto exceptis, solùm tangimus: sunt sequentia.

Ex Melle rosaceo & Alumine crudo vstóve mixtura, à chirurgis plerumq; ad vlcera abstergenda, os inungi solet.

Ex succis prædictorum fructuum vel herbarum, Melle permixtis vel inspissatis coctione, idem fieri potest. Suntque præsertim in vsu succi ex moris & vuis acerbis cocti, Diamoron & Omphacium dictum: quæ adhibita, vlcera hæc sanant: & cùm simul abstergere volumus, Alumen aut Vitreolum album addimus.

Ex plantis siccis alijsve comminutis vel vstis, pulueres facti, per se, vel etiam Melle, Omphacio, Diamoro excepti, vlceribus, vti dictum, adhibentur.

Siccans puluis sic paratur: ℞.sem. Myrtillorum, fol. Lauri, Cornu cerui vel Eboris vsti vel Spodij an.ʒ.ß. Coralli vsti ʒ.j. fiat puluis.

Alter magis efficax: ℞. Gallarum, cort. Granat. an.ʒ.j. ossium Dactylorum, capul. Glandium vstorum, rad. Cyperi an.ʒ.ß. Ros. rub. ℈.j. misce.

Validior adhuc tertius sic fit: ℞. Acaciæ, Hypocist. an.ʒ.j. Vitreoli albi ʒ.ß. Salis gemmæ ℈.j. rad. Angelicæ ℈.ß. fiat puluis.

Abstergens simul, qui in vlceribus sordidis qualia gingiuarum ferè sunt, sic paratur: ℞. Pumicis ʒ.ij. cineris testarum Cancrorũ & Cochlearum vstarum an.ʒ.j. Tuthiæ præpar. Aluminis, Tartari an.ʒ.ß. rad. Ireos ℈.ij. fiat puluis.

Alter puluis bryoniæ nominatus, in cancro dicto gingiuarum vsurpari solitus & excellens: ℞. Tuthiæ præpar. cum aqua Rosar. ʒ.ij. gummi Arab. Tragach. torrefacti an. ʒ.j. Sarcocollæ, Thuris, Masticis an.ʒ.ß. rad. Ireos, cineris Calamenti vsti an.ʒ.ß. fiat puluis subtilissimus, qui succo Bryoniæ permisceatur, donec in pultem veluti subigatur; dein in calore solis vel fumi exiccetur, rursumq; pulueriseur succoq; eodem irroretur & exiccetur: qđ vbi quinquies factũ fuerit, Puluere hoc solo vel priùs Melle excepto, gingiuæ putrescentes fricentur, adeò sæpè tum in hoc tum alijs affricando, tamque diu, donec putri hac materiâ abrasâ, sanguis prodeat.

Vnguentum Ægyptiacum putridis & serpentibus oris & gingiuarum vlceribus, illorum loco aliquando inungitur.

Cum gingiuæ consumi incipiunt, isto vtimur: ℞. rad. Consolidæ, cort. Granat. an.ʒ.j. Thuris, Myrrhæ an.ʒ.ß. Chalcitidis vstæ ℈.j. Vitreoli albi ʒ.ß. fiat puluis.

Ex liquoribus validis & erodentibus parantur remedia, quibus vlcera pertinacia tacta, vel si lata sint etiam fricata, sanãtur: post quorum vsum, ne quid in faucibus hæreat, os vino liquoréve alio abluimus, sunt sequentia.

Atramentum scriptorium licet denigret, adhibitum egregiè ea siccat: quod validiùs, si æruginem Æris illi addas, operabitur.

Aqua sequens viridis appellata, si vlcera eâ fricentur maximi est vsus. ℞. Æruginis æris ʒ.j. Auripigmenti ʒ.j.ß. terantur subtilissimè & coquantur in Vini albi ℥.iiij. ad consumpt. mediæ partis, vbi refriguerit adde aquæ Ros. & Solani ℥.j.ß.

Quæ & hoc modo paratur: ℞. Æruginis æris, Auripigmenti, Nitri, Aluminis an.℈.j. (Addunt & Gallas aliqui, sed denigrant) coquantur in aquis Ros. Plantag. ad ℥.iiij.

Decoctum sublimati simplex. Quod fit si ʒ.j. illius in aqua comm. ros. vel plantag. coquatur, si eo vlcera leuiter madefiant, idem facit. Quod mitius fiet si ℥.j. illius aquæ, solani, vel alt. ℥.ij. diluatur.

Vel hoc, quod ℞. Sublimati ʒ.iij. Minij ʒ.j.ß. æruginis Æris, Vitreoli an.ʒ.ß. Aluminis vst. ℥.j. Boli Arm. ʒ.ij. Vini albi ℥.x. aquæ Ros. ℥.ij. coquãtur ad consumpt. aliquam: Vtatur.

Aquâ forti appellatâ, vel eâ quæ ex Chalcantho elicitur, parùm dilutis, vti narium vlcera tacta, sic & aphtæ, si illis leuiter madefiant, vel etiam alia vlcera sordida, curantur.

Cauteria potentialia ex calce & fæce vini parata, ita adhibita vt vlcera tantùm tangãt, nec

nec vllibi alias partes inficiant, quod arte fieri poteſt, in quibusdam locis, idem faciunt. Sed certius eſt actuale cauterium, ſi ſubitò vratur pars, hinc enim eſcharâ factâ, ſi ea auferatur, vlcus ſanabitur.

DE DENTIVM DOLORE.

CAPVT IIX.

Genera.



OLORES qui in dentium regione occurrunt, cùm ſic appellentur, nos hoc nomine quoque eos ſignificamus: qui primùm in eo, quòd vel verò dolore excruciant: vel moleſtiam ſaltem quandam pariunt, diſtingui poſſunt.

Dolor dentiū. Verus dolor circa regionem vnius dentis, vel etiam plurium rariùs anteriorum ſed plerumque lateralium, in vno vt plurimùm latere, aliàs vtroque, & nunc in ſuperiore, nunc inferiore maxillâ, rariùs in vtraque occurrit: Dentiumque propriè dolor dicitur, frequens admodum & grauis.

Dolor in dentitione infantium. Infantibus, cùm dentes molares illis prodire incipiunt, ſæpè ſuperueniens: quem ploratu & inquietudine exprimũt. Cognoſciturque, quòd illic in latere loci affecti, malæ rubent & calent, atque è gingiuis tumidis dehiſcentibus dentes ſe manifeſtant. Febriculaque, calore aliiſq; indicijs ſe prodens, comes plerumq; eſt. Nonnunquam & conuulſiones, non tamen adeò periculoſæ, vt ſi alijs de cauſis fiant, ſequuntur.

Sed & poſtmodum omni ætati dentium dolor accidere ſolet, vt vix aliquis ab eo immunis euadat, præſertimque hi quibus dentes caui, confracti vel alioquin vitiati ſunt, huic ſubiecti ſunt. Qui atrox ſæpè, nunc perſeuerans aliquamdiu, nunc per vices affligens. Diſtentione ferè, & cum pulſationis ſenſu aliquando, quem in dente ipſo dolente ſe ſentire putant, ſe prodens. Gingiuis eo loco interdum tunc plus iuſto calentibus, rubentibus, ſæpeque etiam tumentibus, vnà cum vicina buccarum regione, quæ frequenter in tumorem quoque attollitur, dolorque tunc dentium remittit, aliquando verò, abſceſſu intrinſecùs circa radicem gingiuarum genito, inualeſcit, eoque rupto ſtatim ceſſat, purulentaque materia, quæ nonnunquam putris & fœtida eſt, expuitur: atque interdum vlcus illic aliquandiu permanet, aliàs quoque ſinuoſum factum, maxillam inferiorem penetrans, ad exteriora ſe aperit, illicque aqueam purulentamque materiam diu ſæpè profundit.

Fit quoq; vt hiſce minimè apparentibus, dolor grauis dentium ſedem diuexet, qualis à frigore in manibus circa radicem vnguiũ vehemens quandoque ſentiri ſolet. In quo & multum expuunt ægri, & ſi dentes caui ſint, ex illis auram frigidam prodeuntem linguâ admotâ, ſibi videntur ſentire.

Dolor euulſo dente. Ad dentium dolorem & ille referri poteſt, qui cùm dentes vi euelluntur euenit, in alijs tolerabilior, in alijs vehementior, ſed qui euulſo dente plerumq; mox remittit: niſi fortè illo ſede ſua dũtaxat moto, aut per inſtrumentum tractorium confracto, aut portione tãtùm illius ablatâ, cùm adhuc impedimentum hæreat, dolor qui ob hanc vim vel primùm obortus eſt, vel priùs, ob dolorem dentium, cuius cauſâ dens extrahi debebat, iam adfuit, & de nouo hoc impetu irritatur, perſeueret augeatúrve.

Hæmodia. Moleſtia potiùs quàm dolor in dentibus tantùm inter maſticandum ſentiri videtur, in affectu quem Hæmodiam vocant, & ſtuporem dentium eſſe exiſtimant: quem exprimere non aliter poſſumus, quàm quòd cùm inter mordendum dentes premuntur, titillatio quædã moleſta ſuboritur, & quod cùm longiores cæteris eſſe tunc videantur, eo nomine magis premi inter mordendum exiſtimetur.

Cauſæ.

Pars affecta. EAm partem in dentium dolore affici neceſſe eſt, doloremque ſentire, quæ ſenſu tactus prædita eſt, eoque exquiſitiſsimè, quando dentium dolor, vti ſæpè fit, eſt acerbiſsimus. Verùm dentes non ſolùm exacto hoc, ſed & omni ſenſu deſtitui, alibi oſtendimus; hæcque præſertim agunt, quòd toti

ſint oſſei cæteriſque oſsibus duriores, nec perioſtio, vti cætera oſſa, obducũtur, neruuſque corpus illorum nullibi ſubeat. Ob quam cauſam nõ dens, ſed pars alia ſenſilis, & quæ denti propinqua atq; contigua eſt, cùm dentes dolere videntur, patitur: fitq; huius vicinitatis & contactus cum dente cauſâ, vt in ipſo dente tunc dolor eſſe exiſtimetur. Hæc autem pars frequẽtiùs eſt membrana, alueolos quibus dentium radices infixi ſunt, ſuccingens, dentiumque radices proximè ambiens, ad quam neruorum ad maxillam vtramque delatorum fibellæ diſperſæ dilatatæq; ſenſum exactum illum conferunt, quâ affectâ, dolor non tàm in profundo, quàm ac ſi in ipſo dente eſſet, perſentitur.

Sed & gingiuæ ipſiſque ſubiecta maxillæ perioſtia, ſi ex graui offenſa dolorem patiantur, eum dentibus vicinitatis nomine communicare quoque videntur.

Affectus autem quibus hæ partes affectæ hunc circa dentium regionem apparentem dolorem efficiunt, ſunt vel intemperies calida; vel frigida; aut irritatio; vel continui ſolutio.

Calida intemperies & Inflammatio, cauſa Dentiũ doloris.

Calida intemperies cum influxu ſanguinis, accedente ſæpè inflammatione, membranas haſce afficiens, non ſolùm quòd illæ tunc accenſæ diſtentæ ſint, ſed & quòd tumefactæ, in loco arcto, à dente duro ipſis infixo nunc prẽmantur, dolorem eo modo, vti dictum, dentium exiſtimatum & vocatum parit, eumq; diſtendentẽ & pulſantem, cùm & pulſatio, quæ tamen in ſubiectis fit membranę arteriolis, à quibus dens pulſatur, ſentiatur tàm apertè, vt & Galenus pulſationẽ hanc vti & inflãmationem in dente ipſo fieri, (quod tamen in oſſe tàm ſolido quod nec venas nec arterias admittit, vt inflammetur aut pulſet fieri nequit) crediderit, atq; in ſeipſo ſe expertum eſſe ſcripſerit. Cęterùm accidit quoque, vt ſi hic ſanguinis influxus ſimul in gingiuas perioſtiaque illic ſubſtrata feratur: quòd vel mox in principio, vel poſtmodum, perſeuerante dolore, nouamq; fluxionem concitante, fit, dolorem augeri, eoq; ampliùs, ſi abſceſſus illic gignatur, donec illo rupto vlcus genitum, pus intus, ſæpè & foris, vti dictum eſt, profundat.

Huius autem influxus cauſa non alia, quàm illa quæ alias quoque ſanguinis fluxiones concitare ſolet, exiſtit: Illius nimirum plethora & caliditas, vel dolor alius prægreſſus ab alijs cauſis, hunc influxum concitans, doloremque geminans: Vel cauſæ aliæ externæ hunc commouentes.

Frigida intemperies, cauſa Dentium doloris.

Frigida intemperies inimicâ ſuâ neruoſo & membranoſo generi qualitate, haſce circa dentium ſedem partes afficiens, dolorem parit, ob vicinitatem, vti dictum, dentium etiam appellatũ: Acerbum quoque, adeoq; frequentem, vt nõ immeritò frigidum dentibus inimicum eſſe, vulgò dici ſoleat.

Quod à cauſis externis; aëre, aſſumptis, potuque imprimis frigido, dentes ſubitò affatimque refrigerantibus, adeò vt ipſorum frigiditatem membranæ vicinæ etiam ſentiant, fieri ſolet: eoq; citiùs, ſi dente non integro, ſed cauo aut fracto, frigiditas mox membranas tangat: vnde & dentibus vitioſis exiſtentibus frequentiùs dolor commouetur, dentium quoque putatus, cùm tamen illo vitio adeò ſint corrupti, vt non ampliùs viua, ſed mortua ſint corpora, quæ tunc ſentire, nemo poſsit dicere.

Quod eâdem ratione à defluxione frigida pituitoſi humoris, non in dentem, qui eam admittere nõ poteſt, ſed ſubiectas membranas factâ, contingit, dentiumque dolor nullis apparentibus caloris, ſed frigoris potiùs, ac ſi flatus frigidus, vti dictum, è dente cauo efflaretur, indicijs, naſcitur; niſi dolor hic ſanguinis influxum quoque, vti ſæpè fit, moueat, tunc enim calor, tumor, abſceſſus, vt priùs dictum, ſubſequi quoque poſſunt.

Irritatio, cauſa Doloris dentiũ.

Irritatio membranæ huius neruoſæ ſummeque ſenſilis, moleſtiam eam quoque parit, quam dentium dolorem vocant.

Quæ illi à dente proprio, cùm illius confracti tantùm quædam remanet portio, aut ſitus peruertitur, aut alioquin ille fit inutilis, euenit: tunc enim tanquam corpus alienũ membranam inter manducandũ premens, afficit, & quò minùs in latere affecto cibum maſticare poſsint, impedit.

Quod & ab alijs in dentem cauum perforatumque dum repurgantur, immiſsis: vel etiam à cibo ſolidiore inter maſticandum intru-

intruso, cùm contactum, hæc membrana alieni corporis ferre nequeat, contingit.

Sed etsi adhuc integris dentibus existentibus, vis talis inferatur, vt non decenti modo impellantur, præsertimque cùm dolent: vel si interstitijs ipsorũ, aliquid vi inter masticandũ impressum, pertinaciter inhæreat, quia tunc dentibus ab inuicem ad latera detrusis, radices membranas ipsis adnatas coarctant, molestia quoque inde nascitur: vnde cùm aliquid in dentium cauitatibus aut interstitijs hæret, in illis repurgandis adeò sunt occupati.

Asperitas dentiũ causa Hæmodia. Cæterùm dentium causâ, non solùm hac ratione cùm vitiati sunt, vel stricti, aut aliter impulsi, membranæ hæ irritantur, sed & quando dentes adeò exasperantur, vt læuitatem dicentem amittant, tunc asperitatem & inæqualitatem hanc quoque membranæ persentientes, molestiam quandam quotiescunque dentes masticando impelluntur, premunturque, ac si alieni quid membranis infixum esset, qualem in hæmodia accidere diximus, patiuntur: accedente præsertim stupore aliquo tunc quoque harum membranarum (sicuti in stupore in tactus læsione diximus) quem à frigiditate eorum quæ dentes exasperant, per contagium veluti simul concipiunt, adeò vt dentes tunc, quorum causâ hoc membranis accidit, stupere (quod tamen cùm non sentiant, fieri nequit) existiment. Quæ exasperatio frigiditasque, dentibus, & per consequens membranis, ab esu fructuum quorundam, nonnunquam etiam ab humore simili eo defluxo, vel potiùs vomitione per os reddito, euenit: si acida & austera simul ferè sint, cùm non solùm hæc potenter astringendo exasperent, sed & aciditate (quæ neruoso generi ossibusque inimica est) penetrantia, dentes & vicinas illis membranas, vti dictum, afficiant. Idque eò citiùs, si dentes molliores adhuc, nec vetustate penitùs indurati existant: vnde & iunioribus hoc frequentiùs quàm senioribus solet accidere.

A defluxione, tenuis, acris vel salsi, serosi pituitosiue humoris irritatæ hæ membranę potiùs quàm refrigeratæ (de qua refrigeratione iam dictum) dolor dentiũ dictus molestus, etiam inducitur: Illis consuetus, qui hisce excrementis & proin defluxionibus obnoxij sunt: Et in quibus eò potiùs quàm aliò defluxio, ob viarum eo pertinentium laxitatem aut imbecillitatem loci, quæ dentiũ vitiatorum causâ præsertim accidit, fertur, aut alioquin allicitur: Quibus & humor defluens ex ore copiosus simul plerumque emanat expuiturque, & ad nares quoque delatus, per illas exstillat.

Solutio continui manifesta in hisce sedibus facta, dolorem dentibus adscriptum parit. *Solutio continui causa Doloris dentiũ.* Si dente à subiecta membrana adnatisque gingiuis per vim auulso, vel penitus extracto, dolor suboriatur: qui eò maior, si distantem radicẽ, qualem maiores dentes habere solent, habeat: eaq; maxillæ, sicuti aliquando fit, aliqua ex parte penitus connata sit, adeò, vt maxillæ portio illi adhærens simul cum dente interdum euellatur, vnde & maxilla per hanc violentiam tracta laborat, admodumq; patitur, inde & grauiora interdum sequuntur accidentia. Quod facilè accidere posse, si canini dentes, quos quia oculos spectant, oculares vocant, extrahantur, vulgus chirurgorum credit.

Sed & dentes, maiores præsertim, gingiuisq; obtecti, adhuc in infantibus dum crescendo gingiuas perforant, easq; diuellunt distenduntque, dolorem illum qui illis eo tempore peculiaris est, infantesque admodũ afficit, procreant. Qui dolor etsi gingiuarum causâ tantùm accidat, nihilominus dentium quoque dolor dicitur: vti & alij dolores ex solutionibus iam dictis facti, in quibus tamen partes enarratæ sensiles potiùs quàm dentes patiuntur.

Curatio.

PRo causæ diuersitate instituenda: quatenus ea procedit vel à defluxione humoris sanguinei, aut alterius excrementitij: vel ab intemperie frigida: vel irritatione profecta à dentibus vitiosis, vel alioquin impulsis aut exasperatis: aut soluta continuitate, cùm gingiuæ perforantur aut dentes euelluntur.

Si ab influxu humoris sanguinei aut serosi

Dētium doloris ab Intemperie calida, frigida ob influxū sāguinis pituitæve, cura.

rosi vel pituitosi, dolor dentium oboriatur. Tunc causa defluxionem mouens, si adhuc agat, tollēda: humor defluens, ne in partem feratur, aliò ducēdus, repellendus, defluxus absumendus: & intemperies quæ inde nata est, corrigenda: dolorque interim sedandus. Quod sequentibus fiet præsidijs.

Venæ sectio, si à sanguinis influxu dolor fiat, capitisq; præsertim dolor eum comitetur, à principio facta eum reuellit.

Scarificatio & cucurbitularum applicatio, in collo, scapulis, humeris facta, in quacunq; defluxione, eam deriuat. Quibus & certo tempore factis, dentium dolorem pręcauere vulgus solet: & ad eum tollendum, priuatim scarificationem in carpo, aut manus externâ sede inter pollicem & indicem, eo latere vbi dolor est, instituunt.

Vesicatorijs & cauterijs vti alias defluxiones, sic & has, si sæpè superueniant, auertimus. Et vesicatoria quoque carpo & manus sedi dictæ, priuatim huius doloris causâ adhibemus. Quod & bulbus Allij contusus, supra dictas partes ligatus, facit.

Frictiones & ligaturæ reuulsionis & deriuationis causâ, locum hîc quoque, vt in cęteris defluxionibus, habent.

Per nares caput expurgantia, in pituitosorum serosorumq; humorum defluxione, admodum à loco affecto eos diuertūt. Quod per frequentem emunctionem fieri, quæ & plurimùm iuuat, potest. Vel errhinis naribus immissis præstabitur. Inter quæ succus Anagallidis & Calendulæ priuatim in dentium dolore iuuare creditur.

Per os pituitam educentia hoc idem præstant: quæ cùm in ore contineātur, & proin topica simul sint remedia, mox inter ea explicabuntur. Quæ particulares tamen per os & nares factæ euacuationes, si humoris magna sit copia, eaque adhuc in fluxu sit, ne humorē magis ad partem affectam præcipitēt, quàm deriuent, rectiùs generali purgatione priùs præmissa, administrabuntur.

Per aluum, in humorum illorum redundantia, varijs purgantibus exhibitis iniectisque quoque purgatio instituitur. Iisdem remedijs, quæ & in cæteris eiusmodi fluxionibus conueniunt.

Temporibus, ea quæ fluxiones sistunt, à quocunque humore fiant, ne ad dentes ferantur, applicantur. Ea quoque remedia vsurpando, quæ in oculorum fluxionibus illas impedire diximus: præsertimque emplastra, quæ rectiùs retinentur, vt illic dictū, in fouea, quæ media est inter frontē & tempora, è regione sedis laborantis collocando, & dies noctesque gestando: quæ adeò illic humorem fluentem interdum retinent, vt dolor in subiecta maxilla cesset, in temporū verò dicta regione suboriatur.

Dentium regioni, si defluxio calida sit, ab initio dum adhuc fluit, ea quæ astringendo citra calorem eam repellunt, postquam verò fluere desijt, quæ calore aliquo discutiunt & absumunt: in frigida verò defluxione, calida ab initio repellentibus permixta, postea etiam calidissima sola, adhibentur: dolorem sedantibus, si ille intensus sit, in omnibus causis semper additis. Quæ diuersâ formâ, nunc in oris sede vbi dentes dolent, vel retinentur, vel alijs modis dentibus apponuntur, aut etiam si caui sint imponuntur: aut dentes ijsdem suffumigantur: Ex sequentibus parantur.

Cùm astringere præcipuè volumus defluxionemque sic cohibere, decocta in ore tepida retinenda sic parantur. Ex selectioribus simplicibus solis factis, probatur imprimis decoctum Tormentillæ, item Verbenæ, in Vino facta, & corticis interioris Frangulæ.

Vel compositū ex paucioribus pluribusq; sequentibus decoctum: ℞. rad. Tormentill. Pentaphyli, Bistortæ, Tapsi barbati an. ℥. ß. rad. Cyperi ʒ. ij. cort. Buxi vel Mori, Capparorū an. ℥. ß. fol. Hederæ, Verbenæ, Plantag. an. M. j. fl. Balaust. Ros. rubr. an. P. j. nucū Cupressi, Gallarum, capul. Glandium an. ʒ. ij. seminis Coriandri, Myrti, Santali rub. an. ʒ. j. coquātur in Vino rub. stiptico, addito si magis astringere volumus etiam Aceto.

Aqua Rosarum astrictionis causâ similiter conuenit: cui & aqua Plantaginis misce-tur. Vinumq; interdum rubrum, vel etiam Acetum.

Aqua Tapsi barbati efficax à quibusdam esse censetur.

Stipticum admodũ decoctum fit hoc pacto: ℞.scoriæ Ferri ℥.j.ß. Vitreoli ℥.j.coquantur in Vino & Aceto.

Defluxione iam factâ, addũtur calida quędam hoc modo: ℞.rad.Pentaphyli vel Tormentillæ ℥.j. rad.Pyrethri ℥.ß. rad.Cyperi ℥.ij. fol.Hederæ, Saluiæ, Hysopi an.M.j. fl.Rosf. rub. Lentium an.P.j. seminis Papau.albi ℥.ij. Piperis longi ℥.j. coquantur in Vino.

Vel sic: ℞.Saluiæ, Hysopi, Verbenę an.M.j. coquantur in Vini ℔.j. adde Aluminis ℥.ij.

Vel: ℞.Gallarum, rad.Bistortæ an.℥.ij. radic.Ireos ℥.j. Hysopi M.j. Thuris, Sandaracæ an.℥.ij. bacc.Iuniperi ℥.j. coquantur in Vino rubro.

Aut: ℞.Mastichæ ℥.j. Saluiæ, Hysopi an. M.j. coquantur in Aceto & Vino, partibus æqualibus.

Vel puluis hic vsurpatur: ℞.rad.Bistortæ ℥.j. Aluminis & rad. Pyrethri an.℈.j. fiat puluis: Applicetur vel affricetur.

Cùm calefacere potissimùm volumus, decocta sequentia in ore retẽta iuuabunt. Eaq; actu eousque calida, vt saltem non vrant: ob quam & causam cùm citò calor remittat, bis térve expui, repetique debent.

Pyrethri radicis vel Piperis, vel Zingiberis, decocta in Vino, vulgus sic vsurpare solet: quę & simul decoqui in hunc vsum possunt.

Aliud: ℞. herb.Calamentæ, Origani, Pulegij, Hysopi, Saluiæ an. M.j. Maioranæ, fol. Lauri an. M.ß. baccarum Iuniperi P.ß. decoquantur in Vino.

Vel sic, quod sæpè profuit: ℞.Serpilli, Saluiæ, Rosmarini an. M.j. Zingib.℥.j. seminis Carui ℥.ß. Cicerum rubr. Salis an.P.j. decoquantur in Vino albo.

Vel compositum, hoc modo: ℞.rad.Pyrethri ℥.ß. radic.Angelicæ, Imperatoriæ, Ireos an.℥.ij. (posset & Allium & Raphanus addi, si ea non fastidirent) herb.Hysopi, Satureiæ, Saluiæ, Maioranæ, Pulegij, Serpilli, fl.Rosmarini, Rosf.rub.an.℥.j. vel manipulum si recentia sint, Piperis longi & nigri, Cubeb.gr. Paradisi, Gariophyl. seminum Sinapis, Nigellæ, Staphis agr.an.℥.ß. Salis communis vel nitri ℥.ij. conquassentur, & affuso Vino parùm coquantur: vel in infusione stent aliquandiu, & colatura vsurpetur.

Colocynthidis decoctum in Vino factũ, amarum admodum, sed valde efficax est.

Aqua Saluiæ, Rosmarini in Vino destillata & adhibita, vtilis.

Aqua Vitę seu spiritus Vini, vel baccarum Iuniperi, admota, citò & valdè operantur.

Vel quæ sic composita & grata simul fit: ℞. Piperis, Zingiberis, gr. Paradisi ana ℥.j. Garyophyl. ℥.ij. Cinamom.℥.ß. affundatur Aqua vitæ, donec in pultem redigatur, maceretur vel destilletur ad vsum.

Vel hoc modo: ℞. rad. Pyrethri, Piperis longi & nigri an. ℥.ij. seminis Sinapis, Nasturtij, & Nigellæ an.℥.j. puluerisentur, & affusâ Aquâ vitæ, ad vsum, vti de priore dictum, paretur.

Vel ex simplicibus in decocto præcedenti composito calido expositis, aridis, puluerisatis, talis cum Aqua vitæ fiat infusio, vel exstillatio.

Oleum baccarum Iuniperi vel Spicæ, vel Aromatum, destillatum, si bõbace excepta dentibus imponantur, efficaciter operantur.

Sacculi interdum vsurpãtur dentibus impositi vel interpositi, ita vt à dente dolente mordeantur: qui sic fiunt: ℞.Saluiæ folia aliquot, pistentur; addendo parùm Salis & Piperis, impleatur sacculus.

Vel sic: ℞. rad.Pyrethri, Piperis, seminis Sinapis, Salis an. æquas partes: puluerisentur, imponantur in sacculum, qui madefiat Aceto calido.

Vel sic: ℞. rad.Pyrethri, Piperis longi, seminis Staphis agr. an. æqu.part. fiat puluis, qui sacculo exceptus, irroratus aquâ Vitæ, adhibeatur.

Quæ fauces inflammant, quandoque adhibentur: vt cort. Laureolæ, detractâ priùs externâ membranâ duriore. Item radix Tithymali & Ranunculi, teste Dioscoride: quę ne fauces vrant, denti dolenti supponuntur illicq; morsu retinẽtur, ita ne partes vicinas admodum tangant. In Aceto decocta mitiora fiunt, aliterque tunc quoque vsurpari possunt.

Hoc pacto & sequens decoctum ore tenetur: quod ex radic.Sigilli Salom. & Hellebori albi, & cort.Laureolæ in Vino & Aceto decoctis fit.

Quæ anodyna sunt, in omni causa, cùm defluxio præsertim subsistit, & quę proprietate quadam potissimùm operatur, sequentia vsurpari possunt.

Lac tepidum, Butyrum, oleum commune recens vel Amygdalinum ore contenta vel apposita.

Panis masticatus, atque ita cataplasmatis instar dentes & buccas retentus.

Iuscula tepida, & Pultes.

Decoctum radic. Altheæ, Panis, seminis Lini, in lacte.

Aliud pituitam quoque eliciens: ℞. radic. Altheæ, Liquirit. ana ℥.j. Saluiæ M.j. Ficuum pingu. numero xij. seminis Fœnogr. ℥.j. decoquantur in Aqua.

Guaiaci decoctum laudatur: cui Sal interdum permiscetur.

Fermentum cum Aceto subactum, applicitum, iuuat: vel decoctum quoq; illius, buccis retentum.

Conuenit admodum & sequens: ℞. gummi Sandaracę seu vernicis scribarum ℥.ß. Vini vel Aceti, vel vtriusq; ℥.iiij. vel vj. coquantur ad consumptionem tertiæ partis, & teneat in ore. Vel dissoluatur Sandaraca in Aceto, & adhibeatur.

Gummi Galbanum, Ammoniacum, Serapinum, emollita per se, vel cum Aqua vitæ aut Aceto, cauis dentium imposita, vel supra linteolum extensa, & dentibus emplastri instar apposita, doloribus dentium medentur.

Plurimùm & hoc conducit: ℞. Camphoræ ʒ.ß. Aquæ vitæ ℥.j. coquantur donec camphora dissoluatur, dentique adhibeatur. Vel cum Aqua vitę aliqua composita permisceatur. Vel addito Vino vel Aceto, denuò parum bulliat, & sic vsurpetur.

Confert & Camphora cum oleo stillatitio Gariophyl. vel expresso ex Amygdalis, dissoluta. Vel oleum Camphoratum arte elicitum, adhibita.

Exuuiæ seu senecta Serpentis, cocta in Vino vel Aceto: Vel exiccata in furno aut combusta puluerisata & cum Oleo mixta, donec vnguenti instar dentibus inungi possit, laudatur.

Pastinacæ piscis caudæ aculeus, si dentibus adhibeatur, illorum dolorem compescere, scribit experientiss. Dioscorides.

Stupefacientia, dolore vrgente, nonnunquam adhibentur, cauendo ne si validissima sint, deglutiantur.

Opiatas antidotos, recentes præsertim, vt Philonium Rom. Theriacam, Mithridatum aliásve vsitatas, vel de nouo paratas, dentibus affricamus, vel alioquin apponimus aut imponimus. Quibus ʒ.j. pondere interdum vt spissiores fiant, rad. Pyrethri, & seminis Nigellæ ℈.j. puluerem addimus, & gr.j. Opij, vt vires opiatarum augeantur.

Opij solius emolliti manu pilula vna denti intrusa, dolorē mox tollit: cui ne diffluat, Ceræ momentum priùs, dum manibus subigitur, permisceri potest.

Vel sic magno cum successu vsurpari: ℞. Opij, seminis Hyosc. an. gr. iiij. seminis Paludapij gr.ij. cum aqua Vitæ, fiant pilulæ.

Vel hoc pacto: ℞. Camphoræ ℈.j. coquatur in ℥.j. Aquæ vitæ donec dissoluatur: in fine adde Opij gr.iij. vel iiij. dilueque, & bombacis pilulam in eo madefactam, intrude in dentem.

Alia narcotica fiunt ex Hyoscyami seminis, Piperis, rad. Pyrethri & Aluminis (aliàs vsti) æquis partibus, cum aqua Vitæ in massulā redactis: Quę applicatur vel imponitur.

Vel sic: ℞. seminis Hyoscyami ʒ.ß. radic. Pyrethri, Zingib. an. ʒ.ij. semin. Apij ʒ.j. Mastichæ ʒ.iij. Ros. P.j. bulliant in Vino vel Aceto pro collutione.

Vel: ℞. radic. Mandragoræ ʒ.j. seminis Hyoscyami ʒ.ß. Piperis, Cubeb. sem. Staphis agriæ an. ʒ.j. rad. Pyrethri ʒ.ij. cort. rad. Mori vel Cappar. ʒ.iij. coquantur in Vini rubri Mensur.ß. ad consumptionem tertiæ partis: Vtatur vt priùs.

Vel: ℞. rad. Hyoscyami ℥.j. Vini albi ℔.ß. coquantur, & vtatur.

Oleū ex semine Hyoscyami expressum, impositum denti cauo, prodest.

Suffitus per infundibulum in os ad dētes dolentes admissi conueniunt. Qui ex Absynthio & Satureia similibusque calidis, in Vino & Aqua decoctis parantur: vaporque dum adhuc decoctum feruet, excipitur: cui decocto si semen Porri addas, efficacius erit.

Fumus exiccatus à Sandaracha carbonib. igni-

ignitis iniecta, idem præstat. Vel si à semine Porri & Cæparum vstis fumũ excipiat: quibus puluerisatis, vt spisior sit fumus, Cera vel Pix quandoq; permiscentur. Hyoscyami seminis vsti fumus imprimis ad dolorem sedandum probatur.

Malæ regioni extrinsecùs loco doléti correspondenti quædã apposita, dolorem compescunt.

Emplastrum anodynum: ℞.medullę Panis & pulpæ pomorum an. ℥.iij. coquantur in Lacte, adde farinæ seminis Lini, ol. Ros. vel Chamom.an.℥.j. Croci ℈.j. cõtundantur.

Theriaca, vel aliæ Opiatę emplastri instar quoque supra genam applicata, iuuant.

Aliud cum successu expertum: ℞. Albumen oui: quod cum aqua Rosarum cõquassetur, & supra stuppam cannabeã extensum effundatur, aspergẽdo primùm Piperis puluerisati, atque parti dolenti ita applicetur, vt totam malæ sedem comprehendat.

Vel sic: ℞.Vitellum oui, & cum Aqua vitæ distempera, addendo parùm croci, applicetur, & resoluet tumorem. Possunt & farinæ addi.

In causa calida præsertim vtile: ℞.succorum Solani, Semperuiui an. ℥. ij. aquæ Ros. Lactis an.℥.j.ß.ol.Ros.Omph.℥.j.agitẽtur, pãnusq; lineus in eo madefactus applicetur.

In causa potissimùm frigida hoc pacto: ℞. bulborum Cæparum assorum sub cineribus ℥.iij.ol.Anethini, Chamom.an.℥.j.far.seminis Fœnogr.℥.j.ß. fiat emplastrum.

Vel hoc: ℞.rad.Liliorum ℥.iij.Maluæ M.j. flor.Chamom. Meliloti, Anethi an.P.j.seminis Fænogr.Lini an.℥.ß. seminis Caulium ʒ. ij. nucleorum Persicorum vel Amygd. an.℥. j.decoquantur in Vino: foueatur mandibulæ pars exterior. Et residentia decocti contundatur, atque oleo Anethino & Chamomel.additis, fiat cataplasma.

Sacculi item prosunt foris adhibiti, ex Milio vel Panico, Absynthio, flor.Chamomil. Anethi & Sale.

In aurem è directo partis affectæ immissa quædam, dolores dentium quoque compescũt: vt succi Allij, Rutæ, Hederæ & Asphodeli radicum.

Olea item aliqua calida: vt Rutaceum, Laurinum, Costinum, Lumbricorum: quibus Castoreum incoctum, ea efficaciora facit. Efficacissima sunt olea stillatitia calida.

Vel si Hederæ grana quinque cum ol.Rosac.in cort.Granatorum efferuescant, & instilletur: teste Dioscoride.

Allij bulbus detracto cortice in formam suppositorij scissus, & in aurem partis dolentis intrusus, mirè iuuat.

Inter amuleta, Lepidij radicem collo suspensam, dẽtium dolorẽ tollere, docet Diosc.

Si tumor in genæ regione, vbi dentes dolent, intus forisve aut vtrinque prodeat, dolorque remittat: tunc sponte, vel iam dictis sacculis adhibitis, vel inunctione oleorum calidorum facilè discutitur.

Si dolor verò cum tumore augeatur, quia abscessus tunc generatur: vt ille maturetur, eadem anodyna cataplasmata iuuabunt.

Imprimisque si farina sumatur Tritici vel Speltæ, & in Lacte coquatur, Olibanumque puluerisatum in fine illi permisceatur, applicetúrque, abscessum maturabit.

Quod & fiet, si intrinsecùs in ore Lac tepidum contineat, in quo rad. Altheæ, seminis Lini & Semperuiui maioris squamæ aliquæ, decocta fuerint.

Abscessus maturatus, intrinsecus in ore ruptus, per se, aut apertus vngue aut phlebotomo, in vlcus abit. Quod sponte vel remediis in vlceribus oris dictis sanatur. Si extrinsecùs sub cute collecto pure, illic abscessus fiat, sicut in vlceribus externis dicetur, aperiatur & curetur. Sæpè autem si vitiosi dentes illic sint, vlcusque ad eos pertingat, vix, donec illic extracti sint, sanabitur: relictâ sæpè post illius curam cicatrice profundâ, vnde oris quædam tortura apparet: sicuti suo loco explicabitur.

Si ab intemperie frigida, à materia eò defluxa, nata, dolor fiat dentium, curatio iam in defluxione pituitosi humoris fuit explicata, & qua ratione calidorum adhibitione emendetur. Quæ etiam, si à simplici intemperie fiat, eandem quoq; corrigunt. Tuncq; potissimùm ab omnibus actu frigidis, aëre, cibo, potu, medicamentis, ne dentes horum frigore, vel prius affecti, magis, vel de nouo afficiantur, cauendũ: cùm frigidũ adeò den- *Dẽtium doloris ab intemperie frigida simplici, curatio.*

tibus hisq; sedibus inimicum sit, vt neq; in causa calida actu frigida apposita, etsi leuamen aliquod primo impetu adferre videantur, conueniant, sed malum potiùs augeant.

Si à dentibus vitiosis dolor dentium suam trahens originem; aut aliis de causis primùm factus, ægrè horum causâ sanetur, vel facilè iterum redeat: Tunc si defluxio accesserit, vti in defluxione dictum, curatio erit instituenda.

Dětium doloris ab irritatione à dentibus vitiatis, vel constrictis, curatio.

Dentium verò vitiatorum causâ, si caui aut perforati sint, ne quid eos subintret, sicq; molestiam pariat, cauendum. Quod fiet, si cibos non in latere ægro, sed sano potiùs mandere assuescant. Idem si cera aut mastiche priùs masticando emollitis, aliísve dentis foramen obturetur, præcaueri posse, docent: vnde tamen non minùs locum hunc affici, quàm si cibo impleatur, experientia demonstrat: & proin hoc potiùs in oris fœtore, ne is ciborum retentorum in dentibus putrescentium causâ oriatur, vsurpari debere, eo loco ostendemus.

Imprimis verò cùm dentes vitiati molestiam tantùm adferant, dolorique etiam ex leui causa occasionem præbeant, & vicinos quoque tandem inficiant, maximeq; si iam omnino sint inutiles, vel sunt euellendi, illis artibus, sicuti in ossibus corruptis explicabitur: vel locus illis subiectus, ne ab iis veluti alienis continuò molestetur, insensilis reddi debet. Quod fiet, immissis in dentis cauitatē causticis: vti Aquâ forti, quæ communiter vsurpatur: vel lacte Ficulneo aut Tithymali, aut Sori, vt vult Dioscorides, bōbacis pilula priùs exceptis aliâve arte administratis & inditis, ceraque postea, ne hæc elabantur in fauces, occlusis: quæ &, frequentiùs præsertim adhibita, tandē vt & dentes frangantur cadantque, efficiunt. Quod &, si ferro ignito dens corruptus tangatur atque vratur, vt sensum subiecta pars vicinitatis causâ compatiens amittat, densque tandem excidat, perficitur.

Si molestia aliqua sequatur inde, quia dētes ab illis quę interstitiis ipsorum validè intrusa sunt, cōstringuntur, facilè, si dentiscalpio (quod ex Lentisco lignoque Iuniperino aliísve factum vtilius censetur) ex interuallis impedimētum hoc extrudatur, ea emendabitur. Quod tamen si accidat, cùm dentes dolent, placidè admodum, ne iam priùs dolentes ampliùs irritemus, faciendū erit, cùm & tunc à quouis ferè contactu offendantur, quemadmodū & cùm linguâ continuò dens dolens pulsatur, vel digitis frequenter prehenditur (quod plerumq; sic se dolorem declinare posse existimantes, ægri facere solēt, vti & dentium spacia, ac si quid illic inhæreret, repurgare) dolor dentium quoque exacerbari potiùs, quàm leuari solet.

Si exasperatis dētibus in Hæmodia, manducatio ciborum molesta reddatur, Portulacæ recentis folia in loco affecto tamdiu masticata, donec impedimentum hoc non ampliùs sentiatur, certissimum & subitò iuuās est auxilium.

Hæmodia curatio.

Tardiùs illud faciunt, si medulla Panis recentis, aut caseus parùm tostus, vel Vitellus oui coctione induratus, dū adhuc calent, dentib. affectis mordeantur, atq; stringātur.

Item si Amygdalæ aut Auellanæ excorticatæ: vel Cera Sale subacta, masticentur.

Doloris in dentitione infantium curatio.

Si ob gingiuas à dentibus perforatas, infantes cùm dentiunt, dolorem sentiant: tunc ad dentitionem facilitandam Cerebro cuniculi vel leporis cocto in Vino: vel Butyro recenti, cum Melle permixto, aliísve lenientibus & emollientibus relaxantibusque gingiuæ infantium leuiter & sæpe vngendæ.

Idem facere lapidem in capite Limacum nudorum inuentum, si adalligetur, testatur Matthiolus.

Alia accidentia quæ tunc superueniunt, quomodo tractanda sint, suis singula locis exposita sunt.

Doloris euulso dente curatio.

Ob euulsionem dentis qui nascitur dolor, mox eo ablato remittit, & simul ille qui præcessit, cuius causâ dens extrahitur, tunc cessat. Si verò loco moueatur tantùm vel frangatur dens, deterius fit malum, vbi postea quando denuò euellitur, fragmentaq; rupti dentis eradicantur, duplici ratione patitur ęger. Vt hæmorrhagia sistatur, Vino os colluunt. Quæ si perseueret, in periculum aliquando inducit ægrum, arteriâ præsertim ruptâ: cuius cura in hæmorrhagiis explicabitur.

DE FAVCIVM DOLORE.

CAPVT IX.

Genera.



DOLORVM genera quæ in fauciũ aut gutturis sedibus occurrunt: vel superiore, quæ ore diducto apertoq; linguâq; depressâ patet, cameraq; est, in quam vtrinq; ad latera prominentiæ duæ, quas tonsillas vocant, isthmi alicuius instar feruntur: & cui in medio caruncula, quam gargareonem appellant, à palati extremi media sede producta, præponitur: Vel quæ in ima ipsarum sede in collo recondita, sentiuntur: Idq; vel separatim vno aliquo in loco, vel pluribus; nõnunquam & ad oris partes aliquas enarratas dispergũtur: distinguuntur primùm, quatenus diuersum sensum mouent. Cùm sit nunc saltem asperitas, vel quędam irritatio molesta: nunc dolor verus, isq; vel distendens vel ardens, vel vlcerosus.

Asperitas faucium. Asperitas faucibus interdum molestiam exhibet: quæ tamẽ cùm voci potiùs incommodet, in raucedine descripta fuit.

Irritatio molesta in faucibus. Irritatio faucium molesta, cum conatu aliquo continuò ad deglutitionem, vel si magis vrgeat, etiam vomitionẽ, incitante quandoq; sentitur. Tuncque vel aliquid faucibus inhæret, vel gargareon longior crassiorque factus in fauces dependet: quas si aliquo pacto obturet, spirandi vocisq; edendę difficultatem quoq; aliquã adfert: tuncq; sic adauctus propriè Columella, *κίων* vocatur, vel illius casus lapsúsve, hic affectus appellatur. *Gargareonis lapsus.* *Columella.*

Dolor distendẽs in faucibus cum difficultate respirandi. Distendens seu tensiuus quidam dolor in faucium interioribus occurrit, cum cauitate in ceruice apparente, ob luxatam illic vertebram: Respiratione tunc admodum intercepta: in cuius defectu de hoc affectu egimus: quem ob similitudinem aliquã quam cum angina habet, in spiritu impedito, sextã Anginæ faciunt speciem: qua rarissima est. *Angina notha illiusq; species.*

Frequentiùs à defluxione (vti dicetur in causis) subortus dolor tẽsiuus, etiam sine ardore seu inflammatione fauces afficit, cum angustia quoq; aliqua interdũ spirandi: præsertim verò cum deglutitionis aliquando & vocis impedimento. Idq; aliàs nullo tumore: aliàs cum tumore aliquo in faucibus, vel extrinsecùs in colli aliqua regione apparente: hicque affectus Angina notha dicitur.

Paristhmia. Pluries tamen eũ anginæ nothæ accidentibus, tonsillæ vtrinque, vno vel vtroque latere globi instar protuberantes, porisq; manifestis spongiæ instar apertæ & porosæ visuntur: quem affectum Paristhmia vocant.

Dolor inflãmans in faucibus cum difficili respiratione. Ardens, acutus & pungens dolor in faucibus occurrit in affectu quem Anginã veram vocant, cum respirationis difficultate, quæ parua & frequẽs est, interiectisq; sæpe suspiriis ducitur, nonnunquã & suffocationis adferens periculũ, adeò, vt non nisi erecti spiritum trahere queãt, oreq; aperto canũ instar hiantiũ vel furiosorum hient, vnde & malũ tunc Cynanche vocant. Deglutitio quoq; in hoc affectu vel fieri nequit, potusq;, si eũ deglutire contendãt, per nares rursum resilit, vel ægrè admodum deglutiunt, doloremq; conatus ille exacerbat. Adhęc febris plerũq; (neq; enim semper) huic malo comes est, illiusq; aliqua accidentia, in calore, rubore faciei, siti, pulsib. & vrinis sese exerunt. Tumor vel nullus vel aliqs se manifestat, cuius causâ in tres species angina distinguitur: nam si nullus tumor seu inflammatio intus forisve appareat, primam in qua accidentia sæuissima occurrunt, statuunt speciem: si verò is in faucium angustiis appareat, secunda est species, grauia quoq; secum ferens symptomata: quod si verò foris potiùs in collo tumor se offerat, tertia est species, mitiores quàm priores duæ producens effectus. *Angina vera illiusq; species.* *Cynanche.*

Antiades. Priuatim quoq; tumor inflãmans cum rubore & calore in tonsillis enarratis occurrit: quas sic affectas Antiades vocant. Nonnunquã & in gargareone is deprehenditur vuulaq; propriè tunc, cùm tumescẽs ex inflãmatione nigricat, dicitur. In quibus vitiis, accidentia quæ in anginæ mitiore specie adesse diximus, nisi illa quoque adsit, vel sequatur, adhuc leuiora occurrunt. Quæ in hisce tribus locis inflammationes, si in abscessum abeant, dolor cæteraq; accidentia augentur, eoq; rupto mitigantur, vlcusque sequitur. *Vuula.*

Dolor vlcerosus in faucibus.

Vlcerosus dolor in faucibus quandoque persentitur: illeque vel in manifestis locis, vt in gutturis superiori sede, vel in tonsillis aut gargareone: in quibus & tunc exulceratio aliqua adesse cernitur, in palatum sæpe quoque producta: nonnunquam & absumpto vel ex parte, vel omnino quoque gargareone. Vel in profunda sede sentitur, anginámque dictam sequitur: pusque tunc simul excreatur. Vel si per se accidat, deorsum dolor ille ad ventriculi regionem vsque cum ardore summo, presertim inter deglutiendum porrigitur, & proin etiam deglutitioné impedit: vti & si in superioribus locis fiat, & deglutitioni, respirationi & voci tunc simul incommodat.

Gargareonis absumptio.

Causa.

Sedes affecta.

CAusa horum affectuum: nimirum molestiæ cum irritatione, (de asperitate faucium alibi egimus) & dolorum, cum distentionis, inflammationis & vlceris sensu se offerentium, vel in partibus abstrusis latitat, vt musculis fauces vicinaque illis loca occupantibus: vel glandulis humilioribus asperę arteriæ adnatis: vel ductibus qui per interiora colli feruntur, œsophago plerumq; (nam asperæ arteriæ affectus eiusmodi, in respirationis defectu & deprauatione, cui potissimùm incommodant, potiùs describuntur.) Vel in manifestis faucium locis residet, vt tonsillis, gargareone, aut tunica illic cameram hasque sedes ambiente, vnde sæpe in palatum vicinaque loca extenditur. Estque dolorum omnium in hisce omnibus sedibus causa, vel influxus humoris sanguinei vel excrementitij: vel soluta continuitas. De soluta contiguitate à luxata ceruicis vertebra, anginam sextæ speciei excitante, in respirationis defectu egimus.

Inflāmatio fauciũ, tonsillarum, gargareonis, causa angina vera, Antiadũ, Vuulæ.

Sanguinis influxus si in fauces obsidentes musculos diffundatur, inflāmationem, veram anginam appellatam parit: sæuiorem tolerabilioremve, prout defluxio interiora exterioráve magis possidet. Nam si in interiores musculos laryngis & fauciũ ac ossis hyoidis, qui respirationi, voci & deglutitioni inseruiunt, procumbat, cùm vehementer tunc angat & veluti suffocet, prima & deterior erit anginę species. Si verò in exteriores potiùs collum illic occupantes feratur musculos, cùm minùs hisce functionibus tunc incōmodet, mitiorem, & quæ tum tumore externo sese quādoq; manifestat, tertiæ speciei, dictam procreabit anginam. Quod si verò tam ad interiores quàm exteriores se musculos dispergat defluxio, medio modo se habens, secundæ speciei appellata nascetur angina: in qua cùm tumor non ita collectus & abditus vt in prima sit, ille in faucium interioribus se nonnihil profert, ibique potest conspici. Quâ ratione & rectiùs differentiæ anginæ veræ explicantur, quàm si, prout in in hos illósve musculos defluxio cadit, cùm in illis in abdito occultatis hoc discernere nequeamus, alia insuper ipsarum genera statuamus, & pro horum differentiis, cynanchas, paracynanchas, synanchas, parasynanchas appellemus. Cæterùm si sanguis in glandulas illic positas potiùs defluat, illasq; inflammet, præsertim humiliores asperę arteriæ vtrinque adstratas, quæ propter venas quibus intextæ sunt & nigricant nonnihil, facilè inflammantur, anginæ quoq; erit species, eoque magis cùm & tunc vicini quoq; musculi ferè inflammentur: deterior, mitiórve, prout se in musculos dictos diffundit inflammatio. Si verò in glandulas elatiores tonsillas scilicet, vel gurgureonem feratur, harum partium inflammationes, antiadum & vuulæ nominibus expressas parit: quæ ad vicinas quoque sæpe partes expanduntur, frequentiusque quàm anginæ fiunt: cùm sanguis in laxas hasce glandulas magnis venis adstratas, citiùs quàm in alias cùm fluit, feratur. Quòd si in gulæ seu œsophagi sedem potiùs descendat, quod rarum est, dolorem grauiorem longè, præsertim in deglutitione, à principio gulæ ad ventriculum vsq; sese exerentem, sed non cum tanta spirandi difficultate, nisi ad vicinas partes quoque se extendat, procreat.

Oesophagi inflāmatio, illiusq; causa.

Cuius influxus sanguinis atque inde natæ inflammationis causa quoq; eadem, quæ cæterarum inflammationum existit, nimirum plethora, sanguine in corpore admodum redundante, vel feruentiore & tenuiore existēte, eoq; se potiùs quàm aliò, ob partium

tium dispositionem exonerante: idque plerumq; per febrē synochum, sanguine priùs in venis accēso, portioneq; illius eò (vt in febribus dictum) effusa, vnde anginæ, aliæve faucium partium, vel etiam gulæ, vti & oris & linguæ (sicuti ostēsum) inflammationes, eiusmodi febrium plerumq; sunt symptomata, mox cum illis incipientia, vel postmodum superuenientia. Sed & sanguis aliis de causis eò allicitus, inflammationes in gutturis sedibus potest efficere: quas tamen vix dū febris, nisi aliis de causis accedat, comitatur. Quod nunc ob dolorem quem hæ partes aliorum morborum causâ patiuntur, potest accidere: Vel quia ab assumptis quibusdam actu potentiâve calidis, vt piperatis, vel aro, laureolâ, quæ aliquando per iocum propinantur, fauces nimiùm accenduntur: Aut qa à potu summè frigido, dum præsertim corpus calet, ob subitam repercussionem, refugiente sanguine, & cum impetu rursum remeante, sanguis concitatus, è venis effunditur: nisi hoc priùs febre accensâ synocho, quam inde quoque excitari posse, in febribus declarauimus, vt dictum fuit, accidat. Sed & per conatum nimium in partu, sanguine in venas superiores colli impulso, hoc euenisse, in puerpera, quæ inde occubuit, obseruaui: idque ab aliis quoque conatibus, qui vociferando aut spiritum retinendo, in deiectionibus fiunt, accidere posse, verisimile est.

Defluxio in fauces, tonsillas, gargareonē; causa Anginæ nothæ Paristhmiarū, Columellæ.

Excrementitius, serosus & pituitosus humor à capite defluēs, & sub palati tunicâ descendens si in guttur occupantes musculos feratur, Anginam notham procreabit: vehementiùs minúsve angentem, prout quoq; defluxio in musculos interiores exterioresve, vt de sanguinis influxu dictum, procumbit: eâdemq; ratione tumorem etiam apparentem vel minimè patentem efficiet. Quod si verò defluxio glandulas potiùs elatiores tonsillas impleat, nec vlteriùs alia loca occupet: vel gargareonem, qui quia láxa & mollis est caruncula, facilè defluentes humores suscipit, imbuat, affectus Paristhmia & Columellam appellatos, generabit.

Quorum omnium defluxionū causa non alia, quàm & reliquarum defluxionum tam materialis quàm efficiens existit. Adiuuans itidem, harum scilicet partium ad recipiendum aptitudo, tum quòd capiti mox subiectæ sint, tum quòd laxæ aliquæ sint, alię imbecilles sæpe fiant: quæ illis vti aliis quoque de causis, sic si affectus aliquos passæ sint priùs, facilè euenit.

Vlcus in faucib⁹, tonsillis, gargareone, œsophago, causa Doloris vlcerosi in illis. & Gargareonis absumptionis.

Solutio continui dolorem vlceris sensum exprimentem parit: Quæ est vel vlcus aut excoriatio vel vulnus, in diuersis iam dictis faucium locis contingentia, à variis causis pronata. Frequenter post inflammationes dictas faucium, tonsillarum & gargareonis suppuratas & in abscessum conuersas, postquam ille disrumpitur, vlcus illarum partiū nascitur. Aliàs à defluxione acri, vel tumorem priùs excitante, vel statim exulcerante, faucium elatioris sedis, tunicę succingentis, tonsillarum & gurguleonis, interdum & œsophagi sequitur excoriatio: palatum quoque sæpe, interdum & oris partes alias simul inficiens, vicinasque sedes aliquando exedens. Quod & à maligna illa materia, quæ in elephantiasi & lue venerea, membranoso generi tantopere insidiatur, in omnibus illis faucium, vti & oris sedibus (sicuti illic ostensum) potest accidere: vnde tam peruersa in palati posteriore & faucium sedibus vlcera, in narium amplitudinem serpentia, glandulas & columellam sæpe depascentia, in illis morbis prodeunt, cernunturque. Verùm & ab exhalatione calida, & acri in febribus ardentibus & malignis, œsophagus quoque findi nonnunquam & excoriari aliquo pacto potest, vnde diu postea inter deglutiendum, vti dictū, ardentes illos dolores à summo ad imum vsque protensos patiuntur.

Vulnus in faucibus, œsophago, causa Doloris vlcerosi in illis.

Ab acutis pungentibus, secantibus, in fauces œsophagúmve casu irruentibus, hasque partes vulnerantibus, dolor quoque acris suboritur, maior si inflammatio insuper accedat. Quæ vulnera si ab externis progressa, ad eas partes pertingant, in externis vulneribus tractabuntur.

Curatio.

Prædictio.

SI à defluxione humorum in faucium partes, oriatur hi affectus; Tunc si sit inflammatio faucium in angina vera primæ speciei,

ciei, acutiſsima eſt, decem & octo horarum ſpacio hominem ſæpe ſtrangulans. Altera acuta quoque, vt quæ ſecundo, tertio, vel ad ſummum die quarto iudicetur: in cuius curatione tamẽ ſpes maior exiſtit, cùm tumor ſe in illa proferens remedia meliùs quàm in prima, cùm tunc in profundo lateat, admittat, ſuppuratusque rectiùs expurgari queat. Tertia verò minùs periculoſa, cũ tumor ad exteriora ſe diſpergat, exiſtit, curatuq; ob id facilior. Quę glandulas occupat humiliores, prout anginæ ſpeciem aliquam comitẽ habet, vti ferè fit, plus minúsve dubia eſt. Hiſce omnibus tutior eſt inflãmatio tonſillarum & gargareonis, cùm melius adhuc ꝓmineat tractarique poſsit. Vel etiam gulæ ſeu œſophagi, quo & per deglutitionẽ remedia peruenire poſſunt: niſi hæ inflãmationes in vicinas ſedes expanſæ, maius inducant periculum. Si verò defluxio alterius excrementitij humoris anginam nothã procreet, nec hæc periculo vacat, ſi interiora obſtruat: tutior quoq; quæ ad exteriora tendens, tumorem in colli lateribus ferè apparentem parit. Quæ tonſillas & gargareonem implet, faciliùs quoque curari poteſt.

Anginæ veræ & falſæ, Antiadum, Paristhmiarũ, Vuulæ, Columellæ, Oeſophagi inflã. & defluxionis, per cauſæ ablationem curatio.

Quod verò curationem attinet, variat hęc præcipuè, prout vel defluxio eſt à ſanguine, ſeu inflammatio, eaque vel faucium ſeu angina: vel tonſillarum, vel gargareonis, vel œſophagi: quorum cura in multis conuenit. Vel defluxio humoris alterius excrementitij, in fauces in angina notha: vel in tonſillas & vuulam, vel gulã; tunc enim curatio magis adhuc à priori diſcrepat. In quibus tamẽ omnibus cauſis, modis curandi ſequentibus procedimus.

Vena aperienda in quauis faucium illiúsve partium inflammatione, cùm ea magna eſt, aut ne talis fiat ob dolorem, metuitur: idq; corpore pręſertim plethorico exiſtente. Præcipuè verò in angina citò illud admodũ fieri debet: reuulſionis causâ primùm brachij venam patentem aliquam, vel ſi communem morem obſeruare velimus, vnam ex cephalicis dictis venis, qualis in brachio eſt humeraria, in manu ea quæ iuxta pollicem apparet, tundendo: ſanguinemq; juſtâ menſurâ, niſi quid obſtet, emittẽdo, iterúmque ſæpe, ſi malum vrgeat, repetendo. Mulieribus venam ſub mammis quoque aperire iubet Hipp. Quibus & ſi menſes ſubſtiterint, vena malleoli vtiliter aperitur: nec in grauidis ſanguinis miſsio omittẽda, parciùs tamen facienda. Sed & deriuationis nomine ſub lingua vena, reuulſione præmiſsâ, vel eodem die, vel mox poſtea cùm morbus ſit acutus, ſecanda. Frontis venã aperit Archigenes. Alij etiam eam quæ in ceruice eſt. In alia defluxione frigida, ſi dolor aut anguſtia vrget, illa quoque minimè omittitur.

Cucurbitulæ ſcapulis, collo, & ſub mãmis affixæ idẽ præſtant, & præſertim ſi in angina in ceruicis initio iuxta ſecundã vertebrã apponantur, vt liberiùs ſpirare & deglutire poſſint, magnũ adferunt adiumentum. Potentiusque operabuntur ſi ſcarificatio in illis locis ſimul fiat. Quæ & ſub mento & in maxillis facta prodeſt. Cuius loco & ſanguiſugæ prædictis locis adhibentur. Maximaq; vrgente neceſsitate, veſicatoriis & cauteriis, ceruicis initium, vel capitis eminentior ſedes, vritur: quod & præcautionis loco in illis qui huic affectui obnoxij ſunt, commodè inſtituitur. Quæ omnia & in aliis defluxionibus locum habent.

Frictiones & ligaturæ, lotiones extremitatũ, reuulſionis causâ in omnibus defluxionibus competunt. Et imprimis in carpo facta frictio, cùm tonſillæ tument, probatur.

Capiti applicamus quæ fluxiones pituitę ſiſtunt, caputque roborant, ſi ſæpe fluxionibus fauces impetantur: idque purgato priùs corpore.

Emplaſtra admouenda vertici vel occipitio ſequẽti modo: ℞. Picis naualis ℥.ij. Thuris, Maſtichæ, Ladani an. ʒ.j. gũmi Ammoniaci diſſol. in Aceto forti q. ſ. fiat emplaſtrũ rotundum & latum.

Fortius & attrahens ſic fit: ℞. Fimi columbini & Muris ℥.ij. ſemin. Melãthij priùs infuſi in Aceto ℥.j. Thuris, Maſtichæ an. ℥.j.ß. Galbani diſſoluti in Aceto & Mellis Anacardini q. ſ. fiat emplaſtrum.

Puluis capitis capillis inſpergẽdus manè & veſperi: caput priùs panno vel pectine parùm fricando, idem præſtans: ℞. Maſtichæ, gum. Hederæ an. ℥.j.ß. cort. Citri, rad. Galangæ, Roſ.

gæ, Rosſ.rubr. Origani, ſem. Nigellæ & Coriandri pręp. cũ Aceto, baccarum Lauri, Santali rub. an. ʒ.j. Nucis moſc. Gariophyl. an. ʒ. ß. granorum Kermes ℈.ij. Salis ʒ.j. fiat puluis.

Inijciuntur clyſmata potiſsimùm purgationis causâ, cùm alia medicamẽta ægrè deglutiant. Quæ venæ ſectioni vti conſuetum & conſultum eſt, ad aluum fluidam faciendam, præmittuntur: & poſtea quoq; ſi aluus non reſpondeat, ad eam ſollicitandam, & ſimul à ſuperiorib. reuellẽdam infunduntur.

Si ab influxu ſanguinis inflammationes fiant faucium, cuiuſcunq; generis, emollientes, refrigerantes, paſsim expoſiti in febribus clyſteres cõpetunt: vti & hic, qui ℞. decocti communis Clyſteris q. ſ. diſſoluendo Caſsiæ extr. ℥.j. Sacchari adhuc impuri ℥.j.ß. ol. Violacei ℥.iij. Salis parùm, fiat clyſter.

Quãdo magis ſtimulare & reuellere à ſuperioribus volumus: ℞. Maluæ, Betæ cum toto ana M.j. Furfuris P.j. fiat decoctio, & in col. ſ.q. diſſolue Mellis viol. ℥.j.ß. el. de ſucco Roſ. ℥.ß. Hieræ picræ ʒ.ij. ol. Violacei ℥.iij. Salis parùm (ſi ſucci Mercurialis vel Betæ ℥. j. addas, efficaciùs ſtimulabit) fiat Clyſter.

Si à defluxione aquei humoris angina notha fiat, vel tonſillarum tumor, aut columellæ elongatio, clyſmata in ſimilibus defluxionibus deſcripta conuenient.

Quibus & hic poteſt adijci: ℞. Maluæ, Altheæ, Attriplicis cum toto ana M.j. rad. Ireos ℥.j. Saluiæ, Maioranæ an. M.ß. flor. Chamomil. Meliloti, Lauandulæ, Furfuris an. P.j ſemin. Carui ʒ.ij. fiat decoctio, in col. q. ſ. diſſolue Hieræ colocynt. ʒ.iij. Mellis roſar. ℥.ij. ol. Chamo. Nucũ an. ℥.j.ß. Salis q. ſ. fiat Clyſter.

Naribus errhina interdum, quæ pituitam defluentẽ ad tonſillas & gargareonem præcipuè à faucibus ad nares diuertãt, indimus. Quod maſticatoriis, pituitam incidentibus, & à faucibus elicientibus quoque fit, quæ & topica, cùm ori indantur, fiunt remedia.

Exhibentur purgationis causâ interdum quædam loco clyſmatum, ſi deglutire poſſunt, eaque formâ, vt faciliùs deſcendant, ferè liquidâ. Quæ in inflãmationibus faucium, ex Caſsia, Tamarindis, Manna, ſyrupis, Roſaceo & Violaceo: aliiſq; leuioribus, corpus minimè accendentibus parantur. Quorum exempla paſsim in febribus occurrunt. In aliis verò defluxionibus validiùs adhuc corpus, remediis vndique in eiuſmodi morbis explicatis, purgamus: inter quæ imprimis Hiera picra in angina notha ſumpta laudatur: cuius quoq; in forma pilular. põdere ℈. ij. poſt frugalẽ cœnam vſu, plurimos anginã quę Romę graſſabatur, multoſq; ſuffocabat, effugiſſe ſcribũt. Decoctũ ex Turpethi ʒ.j. cũ Liquiritia factũ, additâ Mãnâ vel Caſsia, ſępe exhibitum, in angina admodũ iuuare docet.

Præparationis humorum causâ, dantur tum quæ humorem incraſſando ſiſtunt, præſertim ſi calidus ſit: vt ſyrupus Violaceus, de Papauere, Emulſio ſeminum papau. cum aqua Roſ. vel Diacodion ſimplex: aliaq; quæ in catharris conueniunt.

Vel ſi iam defluxus ſit, quæ eundem præparant, & concoquunt, vt ſyrup. Capill. ven. cum aqua Bugloſſæ Scabioſæ ve.

Vel ſic: ℞. radic. Liquirit. ℥.j. Capill. ven. Bugloſsi ana M.j. flor. Viol. Scabioſæ an. P.j. Paſſul. enucl. Iuiub. Sebeſten an. P.vj. Hordei P.j.4. ſemin. frig. mai. an. ʒ.j.ß. fiat decoctio, & in ℔.j.ß. diſſolue Oxym. ſimpl. Mellis roſ. ana ℥.j.ß. Sacchari ℥.j. fiat iulep. pro trib. vel quatuor vicibus: arom. puluere Diatrag. frig. ʒ.j.

Decoctum florum Violarum, vel conſerua illarum, cum aqua Violarum hauſta, in infantibus probantur, nec non & in adultis conueniunt.

In causa frigida detur ſyrupus de Hyſopo, Praſsio, de Liquiritia, cum aquis Tuſsilaginis, Marrubij, aliíſve.

Vel ſic: ℞. rad. Enulæ ʒ.ij. Liquirit. ʒ.vj. Hyſopi M.j. Ficuum n.x. Dactylorum n.v. ſeminis Aniſi ʒ.ij. fl. Roſmar. P.j. fiat decoctio & in ℔.j.ß. diſſolue Mellis anthoſ. ℥. ij. Sacchari ℥.j.ß. Sacchari candi ℥.j. fiat iulep, pro aliquot vicibus, arom. ʒ.j. ſpec. Diareos.

Loco affecto topica remedia intus foriſq; adhibemus. Intrinſecùs faucibus ea quibus eas abluimus, vel alioquin lambendo degluriendóve (ſi modò deglutire poſsint) illinimus: aut quæ alio modo illis apponimus vel inſufflamus, aut per ſuffitũ admittimus. Extrinſecùs verò, quæ collo applicantur. Quæ prout diuerſæ partes in faucibus affectæ ſunt, ſic vſurpantur. *Anginæ veræ & falſæ topica remedia.*

In angina à quacunque defluxione nata, ab initio dum adhuc materia fluit, repellentibus vtendum; additis simul refrigerantibus, si vera sit: omissis illis, si notha existat: addendo simul in vtraque specie, cùm iam defluxio facta est, concoquentia & resoluentia. Quibus & tandem solis quæ materiam digerunt, vtimur: semper interim per totum morbi progressum, cùm dolor & angustia vrgent, ea quæ dolorem leniunt viasq; dilatant vsurpando, reliquisque permiscendo: vti & ea quæ pituitam limumque tenacem, qui in defluxione frigida præsertim illic hærere solet, abstergant: quorum exempla hæc sunt.

Repellentia ab initio talia adhibentur. Gargarisma primum: ℞. aquæ Rosarum, Plantag. vel Caprifolij ana ℥. j. adde Aceti, vel illius loco Vini granat. aut alterius acidi fructus, succi tantundem, donec acescat, & vtere. Addi quoque possunt Diamori ℥.ij. vel Mellis rosacei.

Aliud: ℞. aquæ Plantag. ℥.iiij. aquæ Rosar. ℥.ij. Sacchari Rosʃ. vel Mellis rosʃ. ℥.j. Aluminis ʒ.j. dissoluantur vel bulliant parùm ad vsum.

Tertium: ℞. cort. Granat. Balaustiorum, nucum Cupressi ana ℥.j.ß. sem. Myrtil. ℥.ß. semin. Plantag. ʒ. ij. fiat decoctio in aqua & Melle, & in ℔.j. dissolue Diamori, Vini granat. acid. ana ℥.iiij. si tantillum Aluminis addas, efficacius erit: misce.

Pulueres repellentes fistulâ interdum insufflantur: ex fol. Plantag. Rosis rubris, aliísve similibus.

Repellentia & nonnihil resoluentia, & abstergentia, in progressu morbi sic vsurpantur gargarismata: ℞. aquæ Prunellæ, Plantaginis, Salicis ana ℥. iij. Cassiæ extractæ, Dianucum, Sapæ, an. ℥.j. misce.

Vel: ℞. rad. Liquiritiæ ℥.j. rad. Cyperi, cortic. Granat. ana ℥.ß. Balaust. ʒ. ij. Rosʃ. rub. P.j. Ficuum n. vj. Dactyl. n. iij. Passul. P. xij. Iuiubarum, Sebesten ana P. vj. Hordei P.j. semin. Lini, Fœnogr. ana ℥.ß. fiat decoctio, & in ℔.j. col. dissolue Diamori compos. cum croco & myrrha ℥.ij. (vel illius loco Myrrhæ ʒ.j. Croci ʒ.ß.) Mell. Rosʃ. vel Diamori ℥.ij. Cassię pulpæ, Oxymell. ana ℥.j. misce.

Propinatus succus Hederæ arboreæ ad deglutiendum à ʒ.iij. ad ℥.ß. repellendo & digerendo, valde prodest. Quam plantam in colli vitiis emendandis adeò efficacem censent, vt & cochlearia ex Hederæ ligno facta, iuuare vulgò credantur.

Resoluentia potissimùm & concoquẽtia & abstergentia, tandem sic administrantur.

Gargarismus: ℞. aquæ Ebuli, Prunellæ an. ℥.iij. aquæ Hysopi, Rosarum an. ℥.ij. Vel hoc decoctum: ℞. rad. Liquiritiæ ℥.j. rad. Ebuli, Raphani Ireos ana ℥.ß. flor. Rosar. rubr. Maluæ autumnalis, Chamomil. vel Sambuci ana P.j. Hysopi M.ß. seminis Raphani ʒ.ij. seminis Fœnogr. ℥.ß. Ficuum nu. x. Dactyl. num. v. Furfuris P.j. fiat decoctio, & in ℥.x. huius decocti, vel prædictarum aquarum, dissolue Sapæ, Mellis rosar. an. ℥.j.ß. Nidi Hirundinum ʒ.ij. Myrrhæ, Mumiæ an. ʒ.ß. Croci, Salis ammon. an. ʒ.ß. misce.

Idem præstat eclegma sequens: ℞. spec. Diaireos simpl. ʒ.j. Piperis ʒ.ß. Myrrhæ, Croci an. ℈.ß. succi Liquir. ℈.j. cum syr. de Hysopo ℥.ij. fiat looch.

Vel sic: ℞. Piperis ʒ.ß. Croci, Myrrhæ an. ℈.ß. rad. Ireos ʒ.j. Mellis ℥.iij. misce. Vel eclegmate Scribonij Largi, vtatur.

Stercus Canis album & siccum, quod album Græcum vocant, subtilissimè tritum & insufflatum, vel hisce eclegmatis permistum, vtilissimum facit medicamentum: vel si per se iam dictis syrupis excipiatur, sicque vsurpetur. Hoc idem stercus Anserinum siccatum & administratum, facit.

Hirundinum salitarum & exiccatarũ puluis, ʒ.j. pondere cum aqua conuenienti exhibitus, à Diosc. in anginis commendatur.

Item Dentis apri ʒ.j. puluis, cum oleo Lini propinatus, vtilis censetur.

Suffitus Succini, ore per infundibulum exceptus, admodum quoque iuuat.

Lenientia & dilatantia, cùm dolor vrget & angustia, talia conueniunt.

Gargarismus ex Lacte tepido: vbi Caprinum præfertur.

Aliud: ℞. Lactis ℔.ß. Album. oui bene agit. n.j. mucil. semin. Lini, vel Cytonior. vel Psylij ℥.j. Penidiarum ℥.ß. misce.

Panis micæ, vel furfuris Tritici, in aqua cocto-

coctorum, ſucci bene expreſsi, idem faciunt. Vel lac ex Amygdalis expreſſum.

Trochiſci lenientes, ſub lingua tenendi, conueniunt Albi communes.

Vel: ℞. ſpec. Diapapau. Diatragach. frig. an. ℈.j. excipiantur pulpa Tamarindorum, fiant trochiſci.

Vel tabulæ Diatragach. frig. & Diapapaueris, ore retentæ.

Vel eclegmata: ℞. ſpec. Diatragach. & Diapapau. an. ʒ.j. ſyr. Violar. de Iuiubis an. q. ſ. fiat looch.

Lenientia & abſtergentia ſimul limum, ſic fiunt; Gargariſmus: ℞. rad. Liquirit. ℥.ij. Ficuum nu. vj. Paſſul. enucl. ℥.j. Furfuris p.j. ſeminis Lini & Altheæ an. ℥.ß. Mellis ℥.j. coquantur in aqua ad aliquam conſiſtentiam, Et vtatur.

Eclegma: ℞. Penidiarum ℥.ß. pulpæ Paſſul. mai. ʒ.ij. ſucci Liquirit. ʒ.ß. gummi Tragach. infuſi in aq. Roſ. q. ſ. fiat looch.

Alterum quod in progreſſu conuenit: ℞. ſpec. Diapenid. Diairis an. ʒ. j. ſyrupi de Liquiritia, de Hyſopo q. ſ. fiat looch.

Extrinſecùs in angina tã vera quàm notha, collo ſub mento vel in lateribus, vel ſi tumor aliquis apparere incipiat, eo loco vbi prodit, in principio, non quæ repellunt, ſed è profundo educunt, relaxantia apponantur ſequentia.

Oleis relaxantibus, temperatis, vt oleo Oliuarum, Amygd. dulc. Violaceo: vel moderatè calidis, vt Chamomel. Liliorum, Irino, Cheirino, aliiſve, hæ ſedes inunguntur: poſteaque Lana ſuccida imponitur, vel lana hiſce imbuta apponitur. Oleum Ranarum probat Dioſcor. illudque in quo Millepedes coquuntur, vtile eſt.

Vnguentum Dialtheæ, & Reſumptiuum idem præſtant, quibus & olea dicta, Crociq; exiguum addi poſſunt.

Fotu interdum hiſce vnctionibus præmiſſo: qui ex fl. Chamom. Liliorum, Meliloti, ſemineq; Lini & Fœnogræci parabitur.

Cùm verò humores non ſolùm elicere, ſed eoſdem ſimul exiccare, abſumere, digereq; animus eſt, ad ſequẽtia progredimur.

Ex Nido hirundinum præparato, hoc eſt repurgato & puluериſato, vel coctо in aqua & vino, & per ſetaceum tranſmiſſo, medicamentum fit vſitatum & præſtans, ſi puluis illius cum oleis vnguentiſq; ſupradictis relaxantibus permixtus vſurpetur. Vel ſi ſaltem digerere volumus, ſi cum Melle ſubigatur, donec illini vel applicari poſsit.

Stercora Hirundinum vel Cineres illarũ crematarum, aut pulueres, in furno priùs exiccatarum, eadem ratione reliquis permiſcentur, vel ſola cum Melle vſurpantur: vti & ſtercus Caninum ſiccum: nonnunquam & ſtercora alia auium, imprimis Gallinarũ & Columbarum: nam humanum, vt aliqui docent, adhibere, nec neceſſarium, cùm alia ſuppetant, nec decorum.

Millepedes item ſiccati, puluериſati, & cum Melle inuncti.

Ex aliis quoque quæ digerunt, talia applicantur: ℞. Aloës ʒ.ij. Fellis tauri ʒ.j. Piperis ʒ.ß. Aluminis ʒ.j. excipiantur Melle, fiat inſtar linimenti.

Alterum: ℞. ſucci Ebuli, & mediam partem ſucci Cucum. aſinini, ſi haberi poteſt, ℥.ij. Fellis tauri ℥.ß. Mellis q. ſ. coquantur parùm: Inungatur.

Mel Anacardinum Rhazes etiã applicat.

Applicatio alia: ℞. ſucci Ebuli ℥.ij. ſucci Abſynthij, Vini albi an. ℥.j. Mellis ℥.ß. Fellis taurini, Salis an. ʒ.j. miſceantur, & intinctum linteolum in eo, applicetur tepidè.

Vel hac formâ: ℞. ſucci Ebuli ℥. ij. ſucci Cæparum ℥.j. & Cucum. aſinini tantundem, ſi haberi poteſt, olei Irini, Liliorum an. ℥.j.ß. coquantur ad conſumpt. adde Nidi Hirund. præp. ℥.ß. Lithargirij ʒ.j.ß. Ceræ parùm, fiat linimentum: vel additâ Pice & Ceræ quantitate auctâ, fiat emplaſtrum.

Aut cataplaſma iſtud: ℞. bulbos Liliorum alb. & Cæparum, mediocres an. nu. iij. coquãtur ſub prunis parùm, adde Pomi putreſcentis portionem quæ computruit, ad mediam ſuperiorum partem, Abſynthij inciſi M. j. coquantur leuiter in Vino & Aqua, & contundantur, permiſcendo farinæ Fabarum ℥.ij. olei Chamomel. & Cheirini an. ℥.j. ß. ſtercoris Gallinæ vel Columbarum ℥. ij. fiat Cataplaſma.

Abſceſſus in angina ſi generari incipiat (quod ex dolore aliiſque auctis accidenti- *Abſceſſus in angina, curatio.*

bus cognoſcimus) nec humor iam dictis internis externiſque remediis digeri reſoluíque poſsit, maturantia intus foriſque adminiſtrantur.

Intrinſecùs hoc gargariſmate maturamus: ℞.rad.Liliorum, Cæparum vel Porrorum an.℥.ij.radic.Liquiritiæ ℥.j.Hyſopi, Scabioſæ an.M.j. Ficuum num.vj. Paſſul.enucl. ℥.j. ſeminis Fœnograeci, Lini an.℥.ß. ſeminis Maluæ & Caulium, nidi Hirundinum an.ʒ.ij. coquantur in Aqua, addito Melle, fiat gargariſma.

Extrinſecùs admota hæc, abſceſſum maturant.

Puls ex farina ſeminis Lini, cum Lacte caprino facta, cataplaſmatis inſtar applicata, plurimùm iuuat.

Vel ſic: ℞.farinæ ſeminis Lini, Fœnogr. an.℥.ij. micæ Panis ℥.iiij. Axungiæ porci & ol.Amygdal.dulc. q.ſ. fiat inſtar pultis.

Vel tale cataplaſma, ex pluribus iſtis vel paucioribus compoſitum: ℞. Altheæ, Maluæ cum toto, Morſus Gallinæ, Parietariæ ana M.j. rad. Liliorum recent. ℥.ij. rad. Ireos vel Bryoniæ recen. ℥.j. flor. Chamomil. Violar.an.P.j. Caricarum num.xij. Dactyl.num.v. decoquantur & contundantur, addendo farin. ſeminis Lini & Fœnogr. Hordei an.℥.ij. Butyri, Axungiæ gallinæ, ol. Amygd. & Chamomel.an.q.ſ.ad ſubigendum, miſce.

Abſceſſus in angina ſuppurata factus, niſi ſponte rumpatur, vt aperiatur etiam ante perfectam maturationem, mox procurandum. Quod variis modis fit.

Vt gargariſmate hoc: ℞.ſucci Cæparum vel Porrorum, & Fermenti æquas partes, diſſoluantur, & admixto Lacte caprino, ſæpè gargarizet calidè.

Vel: ℞. Gargariſmatis ſupradicti maturantis ℔.j.& in eo decoque vel permiſce radic. Pyrethri, ſeminis Sinapis an.ʒ.ij. Myrrhæ ʒ.ß. Croci ℈.j. Oxymel. ſimpl. ℥.j. miſce ad vſum.

Fortius hoc erit: ℞. Bellarij quod ex Sinapi paratur & Melle, diſſoluatur in aqua Mulſa, addito pauco Aceto: Vtatur.

Vel in penuria illius: ℞. ſeminis Sinapis ʒ.ij.pulueriſetur. Oxymell.℥.j. Aceti ſcyllit. Vini an.℥.ß. miſce.

Vociferatio, vt rumpatur, aliquid efficere poteſt. Magiſque adhuc illud faciet deglutitio, ſi cum conatu valido fiat, aliquidque ſolidius quod impellat abſceſſum, vt cruſta panis, deglutiatur. Vel ſi ſpongiæ, aut carnis ſalſæ porcinæ cruſtę portiuncula filo appenſa deglutiatur, rurſumque extrahatur.

Inſtrumentis certis abſceſſum aperimus, ſi ille conſpici, inſtrumentaque eouſque adigi poſsint. Quod vel digito immiſſo, vnguéque eum vulnerando: Vel candelâ cereâ, alióve inſtrumẽto ligneo aut ferreo eum trudendo, vel acuto ſecando, perficitur.

Tonſillarum & Gargareonis inflammationũ ſeu Antiadum, & Vuulæ, topica remedia.

In tonſillarum & vuulæ inflammationibus, intrinſecùs quoque, vt in angina, aſtringentibus à principio, mox additis reſoluentibus, tandemque ſolùm deglutientibus vtemur. Permixtis ſemper, propter lentoris copiam, quæ adhærere ſolet, detergentibus: doloremque, ſi vrgeat, mitigantibus. Ita vt & multa remedia quæ in angina explicata ſunt, hîc quoque conueniant: ſicuti & quæ in oris partium inflammationibus expoſita ſunt. Quibus & ſequentia addi poſſunt.

Aſtringens & refrigerans gargariſmus: ℞.aquarum Roſ. Caprifolij, Liguſtri, Plantag.an.℥.ij.ſucci Ribes vel Berberis.vel Granat.aut Ceraſ.acid.℥.iij. ſucci Cydonior. Roſarum vel Acetoſæ an.℥.j. Diamoron, Aceti Roſ.vel Agreſtæ ℥.ß. miſce.

Vel hic, non ingratus: ℞.Prunorum acid. ſicc.num.xij. Ceraſorum acid.par.xij. Pyrorum exſiccat.num.v. fol. Acetoſæ rotundi fol.Portulacæ recent.an.℥.j. Roſ.rub.P.j. fiat decoctio, diſſolue in ℔.j.rob. de Ribes, Diamoron.an.℥.ij. Aceti roſ.q.ſ.miſce.

Cùm potiùs eſt aſtringendum: ℞.radic. Mori ℥.j.ß. capularum Glandium, cort.Granat.an.℥.j. ſummit.Rubi, Plantag. Agrimoniæ, Polygoni, Burſæ paſtoris, Linguæ Ceruinæ an.M.j.fl.Roſ.rubr.P.j.Balauſt.℥.ß.Gallarum ʒ.ij. fiat decoctio, & in ℔.j. diſſolue ſyrup.Cydon. de Roſis rub.ſiccis, Vini granat. an.℥.j.ß. Aluminis parùm, miſce.

Puluis repellens in inflammatione vuulæ fit ex lap. Agyrato Gal. vel Hæmatitide: qui vuulæ apponitur, vel cum cannula inſufflatur.

Quando aſtringẽdum & ſimul detergendum

dum erit, sic parabitur: ℞. rad. Liquiritiæ ℥. ij. Agrimoniæ, Verbenæ, Cauliũ an. M. j. fl. Rof. rub. & Maluę autum. an. P. j. Hordei, Lentiũ, Fabarum conquaff. an. P. ß. Ficuum n. vj. fiat decoctio in Aqua & Vino rubro, & in ℔. j. dissolue Oxymell. simpl. ℥. iij. Dianucum ℥. ß. succi Rof. depurati ℥. j. Miuę cydon. ℥. j. misce.

Ad detergendum, eclegmata quoque parari possunt, in angina exposita, oreque retineri, abstergentia: Inter quæ & Saccharatæ & Mellitæ placentæ, panes, similiaque, locum habent.

Cùm abstergere & simul absumere residuum vel digerere volumus: ℞. rad. Liquiritiæ ℥. ij. rad. Acori veri vel Galangæ crassæ ℥. ß. Hysopi, Pulegij, Satureiæ an. M. j. flor. Rosmar. Viol. Maluæ autum. an. P. j. Hordei integr. P. j. Passul. enucl. ℥. ij. Dactyl. num. vj. Ficuum nu. xij. Myrrhæ, Thuris an. ʒ. ij. fiat decoctio in Vino rubro parùm diluto aquâ Chalybeatâ: dissolue in ℔. j. Mellis Rosacei ℥. iij. syrupi de Liquirit. ℥. ij. syrupi de Hysopo ℥. j. fiat gargarismus.

Puluis digerens in inflammationis vuulæ progressu conueniens: ℞. rad. Ireos ʒ. ß. Thuris ʒ. j. far. Orobi ʒ. ß. Croci ℈. j. fiat puluis.

Paristhmiarum topica remedia. In tumore amygdalarum ex defluxione pituitæ, eadem remedia conueniunt: minùs tamen refrigerantibus vtendo, admiscendoque quæ potentiùs detergunt, moxque digerunt.

Gargareonis prolapsus, seu Columellæ topica remedia. In laxitate vuulæ ex defluxione frigidâ, astringentia & siccantia validissimè, vt statim siccata abbreuietur & restringatur sursum, nec ita in fauces propendeat, subito vsurpanda. Quod tũ enarrata validiùs siccantia præstant remedia; tum maximè sequẽtia.

Gargarismus: ℞. rad. Chelidoniæ ℥. j. fol. Agrimoniæ, Linguæ cerui, Prunel. Virgæ aureæ, Viburni an. M. j. Rof. rubr. Hordei an. P. j. Gallarum ℥. ß. decoquantur in Vino rubro, addendo parùm Aceti, & in ℔. ß. dissolue Diamori ℥. j. misce.

Vel: ℞. cort. Granat. ℥. ij. Balaust. ℥. ß. Rof. rub. Lentium an. P. j. sem. Myrti ʒ. ij. fiat decoctio vt priùs. In progressu parũ Piperis & rad. Pyrethri, floresq; Chamomil. adduntur.

Aqua Phyllitidis seu Linguæ ceruinæ gargarizata laudatur.

Item Acetum & Aqua simul permixta.

Succus itẽ Mali granati, & Omphacium.

Trochisci ore retinendi: ℞. Acaciæ, Hypocist. an. ʒ. j. ß. Terræ vel boli pinguis ʒ. j. Amydi ʒ. ij. rad. Bistortæ ʒ. ß. cum infus. gummi Tragachant. fiant trochisci.

Puluere subtilissimo posito in paruo cochleari, vel supra spatulam, atque depressâ priùs linguâ, in fauces immisso, si tangatur vuula bis terve, statim restringitur, abbreuiaturque.

Qui communiter fit ex Pipere, præsertim longo.

Vel ex Alumine, aut Sale ammoniaco, vstis: aut Æris flore. Dioscorides.

Aut: ℞. Salis, instar auellanæ: vratur in cochleari ferreo, donec rubere incipiat: adde Piperis longi ʒ. j. Zingib. rad. Pyrethri an. ʒ. ß. fiat puluis.

Cochleæ putamen vstum, Anethum cum radice & semine vstum: Nucum corticum exteriorum puluis.

Sandaracæ gummi, item puluis.

Vel: ℞. Gallarũ, vel cortic, Granat. ʒ. j. Boli ping. Mastic. Myrrhę, Acacię vel Hypocist. an. ʒ. ß. rad. Pyreth. Piperis an. ℈. j. fiat puluis.

De sectione iam dictum est.

Extrinsecùs, siue in tonsillas tantùm aut gargareonem defluxio delapsa sit, foris sub maxilla inferiore, ab initio non quæ relaxant, vt in angina (cùm non tantùm hîc sit periculum, vt statim ex alto humorem euocare necesse sit) sed quæ & humores exiccant, & partes simul has laxas astringant nonnihil, applicanda erunt.

Quæ ex supradictis, in angina explicatis, humores absumentibus & digerentibus remediis, si illis astringentia quædam permisceantur, parantur.

Vel hoc pacto: ℞. nidi Hirundinum præpar. ℥. ij. stercoris Canis sicci, nucum Cupressi an. ℥. j. Aristoloch. rotund. ℥. ß. Rof. rubr. ʒ. j. excipiantur Oxymell. & applicetur.

Vel sic: ℞. Nidi hirundinum præp. ℥. j. Lythargyrij ℥. ß. Aloës ʒ. iij. Aluminis ʒ. ij. Salis ʒ. j. excipiantur Melle rof. vel Oxymellite.

In progressu, solis digerẽtibus, sed admixtis in tonsillarum tumore emollientibus, ne in scyrrhum indurentur, vtendum. Qualia

in scrophulis absumendis vsurpari solent. Quæ si in scyrrhum abierint, tunc ea quæ illis locis explicabuntur, locum habent.

Si inflammatio aut vuula, in abscessum tonsillarum vergat, maturantia, vt in angina adhibentur.

Abscessusque maturus, nisi sponte rumpatur, vt & illic dictum, aperitur: quod eò faciliùs, cùm ad hæc loca peruenire rectiùs queamus, perficitur.

Quod & in vuula fieri debet, in qua tamē & antequam suppuretur, vt præueniamus, scarificatio proderit.

Si curari nequeat vuula, sed post inflāmationem corrupta & subliuida maneat, corruptum à sana parte auferendum erit. Aut si alioquin lōgior maiórve ex defluxione permaneat, quia impedimenta iam dicta adfert, summitas illius adimenda.

Quod forpice acuta eam præscindendo commodiùs & citiùs perficitur. Quo facto, sanguinem frigidis & astringentibus oris collutionibus, vel causticis adhibitis, vt in hæmorrhagiis dicemus, sistimus.

Idem cauterio actuali, per cannulam eo vuulam, tangendo vrendoq; perficitur: dolorem postea anodynis, vt Lacte ore retento, aliisque mulcendo. Quod potentiali cauterio non adeò commodè fieri potest.

Oesophagi inflāmationis & abscessus topica remedia. In œsophagi inflammatione, astringentibus ab initio, mox digerentibus vtendum: remediaq; intùs adhibenda, illa plerumque, quæ si fieri posit, vt rectiùs ad partem deueniant, deglutiantur. Qualia multa iam priùs dicta sunt. Quibus & hæc lenientia addi possunt.

Cremor Hordei, Mucilagines, Albumen & Vitellum oui, cum Sacharo deglutita.

Vel: ℞. Sebesten par. xij. sem. Cydonior. ʒ.ß. seminis Psylij & Papauer. albi ana ʒ.ij. Hordei mundi P.j. decoquantur: & in colatura mucilaginosa dissolue Penid. ad vsum.

Extrinsecùs, etsi œsophagus in profundo lateat, eadem quæ in reliquis faucium inflammationibus exteriùs adhiberi solet, hîc quoque proderunt.

Abscessus si in gula post inflāmationem nascatur, nec per se rumpatur, ea quæ in angina, deglutita, abscessum disrumpunt, hîc cùm ad partem affectam ipsam perueniant, citiùs illud præstabunt. Qui & instrumentis, quibus in œsophago hærentia extrahere solemus, vti in transglutitionis difficultate ostensum, aperiri potest.

In aurem si oleum Amygd. dulc. infundatur tepidum, in omnibus faucium partium inflammationibus competere, valdeque vtile esse censetur.

Amuleta probantur, Viperæ caput in linteolo collo appensum.

Si filo serico rubro charmesino, vel ex bysso facto, vipera stranguletur, illoque postea collo circumdetur, mirè iuuare tradunt, docetque idem Gal.

Pæoniam similiter probant.

Et in vuulæ affectibus rad. Brasicæ in collo suspensam.

Quod accidentia reliqua attinet, præsertim in angina, Virium causâ victus conceditur, sed tenuissimus. Potusque refectionis causâ & sitis, si modò deglutire aliquid possunt. Si Hordeum, Passulæ, Saccharum, similiaque illis permisceantur.

Somnus non nisi breuissimus conceditur. Aër purus & gelidus.

Ob suffocationis quoque metum æger erectus cubare debet: cæteraque quæ morbi causa quoque competunt, viresque interim conseruant, & angustiam emendant, administranda.

Si vlcus post abscessum ruptum in angina se offerat, quod ex puris excreatione cognoscitur, cauendum ne illud ad pulmones descendat, vel alioquin dum in fauces fertur, deglutiatur, ideò continuò expuendum. *Vlceris post abscess. in angina, topica remedia.*

Vlcus quoq; diligenter ab eo abstergendum. Quod gargarismate ex Aqua mulsa facto, commodè perficitur.

Vel Lacte illiúsve sero tepido, cui Saccharum permixtum sit.

Aut decocto Hordei, Lentium, Ficuum, in quo decocto Mel Rosaceū dilutum fuerit.

Postea siccantia quæ vlcus consolidant, vsurpanda: vt Lac chalybeatum: vel in quo radix Consolidæ decocta sit: vel cui Bolus permixta sit. Aliaque quæ in oris & faucium vlceribus iam explicandis competunt.

Si vlcus ad exteriora feratur, illicque se ape-

aperiat, vti externa vlcera solent, sanabitur.

Tonsillarum & gargareonis vlcerum topica remedia. Tonsillarum & gargareonis vlcera, si post inflãmationem suppuratam relicta sint, aut ab aliis causis externis nata, statim topicis adhibitis sananda. Si verò in morbis aliis à prauis oriantur humoribus, morborum istorum cura priùs erit instituenda: sicuti suis locis dicetur. Vti & si à defluxione originem traxerint, illius causâ, corpus priùs purgandum, diuersionesque variis modis faciendæ erunt: sicuti in defluxionibus fieri solent, & priùs quoque in morbis aliis dictis faucium à defluxione factis, quomodo fieri debeant, explicauimus.

Et hisce præmissis vel simul vsurpatis, topicis abstergentibus & siccantibus, admodum validis, vt in oris vlceribus diximus, hæc quoque profundiùs in faucibus latentia vlcera sanare debemus. Quæ proin illic explicata remedia, hisce partibus quoq; accommodari possunt. Quibus & sequentia iungimus, vuulæ vlceratæ & putrescenti præsertim destinata.

Lac caprinum, vaccinum vel ouinum, si in eo silices vel chalybs extinguantur, vlcus abstergit & consolidat.

Aquæ Consolidæ maioris, Agrimoniæ, Plantaginis, Solani, Endiuiæ, præsertim conueniunt.

Succi item Agrimoniæ, Caulium, Verbenæ, Bursæ Pastoris, vel Diamoron.

Decoctumq; herbæ Linguæ canis, & Geranij pedis columbini, & Robertiani, Pimpinellæque.

Quibus & aquis & succis, & decoctis, vel solis vel inuicem mixtis, si Saccharum vel Mel, rosacea addantur, magis abstergent: Et adhuc efficacius, si Oxymel, scyll. presertim, sumatur: & Alumen in hisce dissoluatur, vel coquatur.

Adhibentur item vuulæ, Mel rosaceum, Alumine mistum.

Item, cùm admodum siccare volumus: ℞. Boli puriss. ʒ.ij. sanguinis Draconis ʒ.j. Cerusæ, Tuthiæ an. ʒ.ß. Cornu cerui vsti ℈.j. cum succo Bursæ pastoris, vel aliis supradictis, fiat instar linimenti.

Thus, Myrrha, Sarcocolla in Vino coquantur: Pro ablutione.

Aqua Aluminosa in oris vlceribus descripta, vtilis.

Vel hæc: ℞. Sacchari ℔. ß. Aluminis ℥.ij. Salis ℥.j. ponantur in alembico, & eliciatur aqua.

Aqua extinctionis Calcis quoq; cõuenit.

Aqua item decoctionis Sublimati, diluta parùm: si hisce validioribus cautè tangatur vuula.

Puluis: ℞. Sulphuris viui ʒ.ij. Aluminis ʒ.j. Masticis, Thuris, Myrrhæ an. ʒ.ß. radic. Pyrethri, Cornu cerui vsti ana ℈.j. fiat puluis subtilissimus: cui ℥. quatuor Vini sublimati addantur, ad vsum.

Si vlcus in vuula sanari nequeat, maturè antequam vicinas sedes & palatum quoque exedat, vti ferè fit, abscindatur, vel vratur: eodem modo, vt in superioribus ipsius affectibus dictum fuit.

Oesophagi exulcerati topica remedia. Oesophagi excoriatio vel vlcus, si à defluxione acri eò descendente, vel vapore feruenti ascendente, oriatur, hæc primùm, si adhuc persistant, auertenda erunt, defluxioq; sistenda, faucesque leniendæ, sensusq; nonnihil obtundendus. Vel si vulneratus ab acutis sit, illaque adhuc hæreant, illis artibus, quæ in deglutitione difficili explicatæ sunt, priùs eximenda.

Postea topicis adhibitis vlcere medendũ. Ea potissimùm eligendo in simplici excoriatione, quæ leuiter abstergendo & siccando eam sanant, & vt ad partem affectam perueniant, innoxiè deglutiri possint.

Qualia in faucium vlcere post anginam gargarizata prodesse diximus: quæ si degluțiant, gulam hoc pacto læsam sanare quoq; possunt.

Imprimis autem Albumen oui fortiter agitatum: aut infusio gummi Tragach. facta in aqua Rosar. & Plantaginis, Saccharo dulcorata, si frequenter sumant, iuuant.

Quòd si vlcus profundius fuerit & sordidum, validiùs etiam abstergendum siccandumque erit: Vti & si vulneratus alioquin ab assumptis fuerit, remedia in gargareonis & tonsillarum vlceribus exposita, quæ Terras pingues, Armenam vel Lemniam vocatas, Succósve alios fructuum siccantes, vt Acaciam, Omphacium, & Sanguinem draconis

conis appellatos: Vel gummosa vt Thus, recipiunt; Aliaq; ex astringentibus & siccantibus in inflammationibus faucium explicatis, quæ nullam in se vim deleteriam habent, vsurpari debent.

Fumi ex suffitibus, qui & in oris vlceribus commendantur, deuorati, aliquomodo hîc quoque siccando proderunt.

Externaq; remedia in angina explicata.

DE PECTORIS DOLORE.

CAPVT X.

Genera:



PECTORIS dolores qui in interiorib. illius potissimū accidūt: Alij molestiæ tantùm sunt, quæ in variis pectoris angustiis, secundùm diuersos illius affectus occurrunt: in quibus tamen cùm respiratio impedita vel deprauata, plus negotij facessit, eæ in respirationis læsionibus explicatæ sunt.

Pleuritis falsa. Dolorum verò qui reuera in pectore sentiuntur: alius solitarius est, alij comitati: Solitarius, in quo citra grauiora alia accidentia punctorius tantùm dolor latus alterutrum, præsertim cùm spiritus ducitur, certo aliquo illius in loco, & veluti in puncto, nunc fixus, nunc vagus diuexat & pungit: vnde & Lateris dolor, Punctura, Pleuritis siue Pleurisis, sed falsa dicitur, German. Stich/ cùm non vt vera aliàs appellata, cum tussi & febri, nisi aliud quid accedat, implicata se offerat. *Punctorius dolor, stich.* Respiratio tamen, si vehemens sit punctio, parua est, eoq; nomine etiam frequens, cùm per eam, si valida sit, dolor irritetur, ideoque vt hoc caueatur, leuiter ducitur. Huius duæ sunt species, causâ differentes: quamobrem alia flatulenta, alia pituitosa dici solet. Quæ si in exterioribus pectoris penitus se offerat, cū dolore & tumore, ad externos tumores, in habitu corporis explicandos, pertinent.

Pleuritis vera, Brustgeschwer. Comitatorum autem aliis affectibus, & imprimis cum tussi ac febre, dolorum in pectore occurrentium, alius punctorius quoque est, Pleuritisque vera dicitur: German. Brustgeschwer/ & eadem ratione vt in falsa, nunc in latere dextro, nunc sinistro, certâ aliquâ in sede pungit, maximeque spiritu per respirationem attracto, quæ proin, vti dictū, parua, sed cita ducitur: anhelitusque calidus efflatur. Qui dolor, decubitu in latus sanum facto, exacerbatur, si verò in latus punctione affectum, aut supinus fiat, mitigatur.

Peripneumonia. Alius dolor in pectore, prædictis accidentibus comitatus, occurrens, grauis potiùs est, sternum dorsumque veluti contrahens & clauiculam quasi detrahens, maioreq; pectoris angustiâ angens, interuenientibus nonnunquam quoq;, præsertim ab initio, in pectoris sede anteriore posterioréve, vel etiā lateribus, punctionibus quibusdā interdum nullis aut obscuris admodum: diciturq; hic affectus Peripneumonia: per cætera, nisi quod dolorem attinet, pleuritidi omnino similis. Eoque magis, si dolor in latere simul adsit punctorius, tunc enim rursum pleuritidis sibi nomen vendicat. Vel Pleuritis cum peripneumonia comitata dici potest.

Tussis in vtraque specie occurrit, nunc leuior, nunc vehementior, admodum dolorem, præsertim si punctorius sit, augens. Per quam ab initio, nunc citiùs, nunc tardiùs, sputum sanie vel cruore plus minúsve permixtum excreatur: aliàs etiam quod rariùs fit, nequaquā hisce tinctum redditur. Postea verò purulēta materia, nunc subcruenta adhuc, tandem verò pus verum album vel subflauum, aliàs subuiride vel fuscum vel nigricans, nunc coctum, nunc crudum, nunc tenax, interdum inodorum, aliàs fœtidum, expuitur.

Febris tam in pleuritide statim cum punctorio dolore, vel etiam ante illum, quàm in peripneumonia, mox initio se manifestat: & vterque affectus cum horrore vel rigore incipit, subsequente febrili calore, quo corpus ipsorum nōnihil accenditur: respiratio concitatur, vti & pulsus; arteriâ durâ & serræ instar asperâ ad tactum (quem tamen pulsum mollem seu vndosum in peripneumonia priuatim esse putant) se offerente; Tinguntur vrinæ; Sitisque admodum vrget; Et quod peculiare peripneumoniæ signum censetur, facies ac imprimis malæ rubore suffun-

suffunduntur; Perseuerante tamdiu continua hac febre, quæ nonnihil noctu ferè, diebus imparibus exacerbationes aliquas quoque habet, donec morbus ipse declinare vel mutari incipiat: sicuti in febribus hæc explicata fuerunt.

Verùm & alia symptomata vtrique speciei quandoque accedunt, si vicinarum partium, vt in causis dicetur, concurrant morbi: Veluti delirium, syncope & similia. Sed tunc hi affectus complicati cum alijs existunt.

Pleuritis à cæteris differens.

Præter hæc, & dolor quidam punctorius cum ardoris sensu in latere, & febre quadam, tussique coniunctus contingit, pleuritidis quoq; speciem quandam referens, nisi quòd in hac nihil cruenti aut purulenti rejicitur, tussisque non magna simulque sicca existit. Et quòd ad exteriora pectoris vsque hic dolor plus minúsve pertingens, tactu nonnihil exacerbetur, sæpeque illic tumore aut rubore se prodit. Quam proin quoque, sed loco affecto à priore distinctam, vt in causis dicetur, Pleuritidem succingentis tunicę appellamus.

Causa.

Locus affectus.

IN thoracis interioribus, affectus hi, qui dolores hosce in pleuritidis diuersis speciebus, & peripneumonia occurrentes pariunt, consistunt. Et sunt vel distentio vel inflammatio.

Distentio tunicæ succingentis thoracis internam cameram, eousque facta, vt veluti à costis & musculis intercostalibus aliquousque si non auellatur & laceretur, tamen attollatur & veluti trahatur, dolorem punctorium illum causat, qui in falsa dicta Pleuritide sentitur. Quod & à flatu ac humore proficisci potest.

Distẽtio à flatib. causa Pleuritidis falsæ, Flatulentæ nominatæ.

Flatus sicuti alibi in corpore, interstitijs quæ inter carnem membranasque illi obtensas, fibrisque hęrentes occurrunt, se insinuans, eas diuellendo, flatulentos dictos dolores parit: sic & in thorace, in spatia illa intercostalium musculorum irrumpens, succingentem eos membranam distendendo, punctorium dolorem, qui Pleuritidis flatulentæ nomine exprimitur, eo in loco vbi collectus est, parit.

Qui flatus ex cruditate & flatulentorum assumptorum frequenti vsu nati, vti cæteris in locis, sic & hîc modo enarrato incommodare possunt. Et priuatim quoque in thoracis hac sede colliguntur citiùs, si thorax extrinsecùs nimium refrigeretur. Vel hûc in magnis conatibus per vociferationem, tussim, aliísve, musculis admodum distentis, impellantur. Vnde & postquam pectus frigori expositum fuit, ac post validos eiusmodi motus, punctorios dolores subitò oriri videmus. Idque in flatibus præcipuè obnoxijs corporibus: Et calore & quiete rursum, vt in curatione dicetur, mitigari.

Defluxio pituitæ, causa Pleuritidis falsæ, Pituitosæ appellatæ.

Humor aqueus seu pituitosus, à superioribus in thoracis musculorum interualla defluxus, suâ copiâ distẽdens, sicuti punctorios dolores, qui frequentiùs extrinsecùs in thorace sentiũtur, (de quibus in externis doloribus agemus) excitat; sic & si ad interiorem hanc thoracis succingentem membranam vsque feratur (quod, si tenuis admodũ sit, faciliùs accidit) interioribus illis quoque doloribus punctorijs, qui & extrinsecùs tunc etiam ferè non solùm in thorace, sed & scapulis vicinisq; locis molestant, occasionem præbet, falsæque dictæ Pleuritidis alteram speciem, quam pituitosam vocauimus, constituit. Præter quam, alia quæ à pituita à capite delapsa in succingentem, illicq; inflammationem excitante, oriatur (sicuti eam descripserunt, pituitosamq; ideò appellarunt) non inuenitur: cùm omnem inflammationem vti mox ostendetur, à sanguine fieri necesse sit.

Inflammatio pulmonũ causa Pleuritidis veræ & Peripneumoniæ. Inflammatio tunicæ succingentis, causa Pleuritidis succingentis dictæ.

Inflammatio in pulmonibus plerumque facta, aliquando & in succingente annexisq; illi partibus, vel etiam in intersepiẽte membrana: hisce partibus vel simul cum pulmonibus, vel separatim inflammatis, prout has vel illas sedes occupat, Peripneumoniam vel Pleuritidem veram, vel illam, quam priuatim Succingentis pleuritidem vocauimus, vel solas vel inuicem commistas inducit. Quod quâ ratione fiat, explicabimus.

Inflammationem tunicæ succingentis, pleuritidem veram, pulmonum verò peripneumoniam efficere communis est opinio. Nos verò non tantùm in peripneumonia,

verùm etiam in pleuritide quam veram vocant, pulmones inflammatos fuisse, præterquam quòd in mortuis aliquoties pectore aperto spectauimus, vt vel solum hoc ad sententiæ nostræ veritatem cōprobandam posset sufficere, etiam rationibus hisce certis, sic se habere euidēter possumus demonstrare. Quod sanguis quem tam subitò excreāt, à tunica succingente inflammata, tam citò præsertim, per pulmones illiusque vasa ad expuitionem penetrare, nec suppuratâ eâ, pus ex eo loco transitum sibi per pulmones, illis non læsis aut vlceratis facere, & sic ad excretionem vsque perferri minimè potuisset: sed potiùs si inde emanaret, in thoracis cauitatem deflueret, atq; illic empyema gigneret. Quæ proin cum in pleuritide statim & copiosè interdum excernātur, vti in peripneumonia, hæc à pulmonibus prouenisse, nec aliūde eò peruenire potuisse, satis declarant. Sicuti & accidentia reliqua vtriq; affectui communia, eādem sedem affectam, pulmones scilicet, ambobus esse, luculenter ostendunt. Vnico hoc excepto, quo & solùm ferè pulmones in pleuritide nō inflāmari vt crederent & docerent fuerūt moti: quòd nimirū dolor punctorius, qui in pleuritide manifestus est, in peripneumonia obscurus, vel nullus non posit propter pulmones affectos accidere, quippe q in parte sentiēte & membranosa, cuiusmodi pulmones minimè sunt, tantùm fieri queat. Cæterùm nec hoc, etsi punctiones hæ, succingētis membranæ causâ accidāt, pulmones propterea minùs inflāmari in pleuritide quàm in peripneumonia, cui in cæteris omninò similis est, sufficienter euincire, sed hoc saltē inde effici potest: quòd nimirum si (vti & res reuera habet) pulmones tantùm inflammentur, quod in vno latere, cùm pulmones distincti sint mediastino, plerumque accidit, magisq; circa interiora quam externam ipsorum superficiem, peripneumonia fiat, in qua nullæ pūctiones sentiuntur. Quòd si verò circa ambitum pulmonum, ipsarumq; tunicā inflāmatio fit, ipsius tunicæ causâ, punctiones aliquæ cùm nō sit pulmo omninò insensilis, sed leuiores sentiantur. Sin autē adeò ad exteriora vsq; extendatur inflammatio, vt pulmones per eam plus iusto distenti, præsertim quādo inspirato aëre exsurgūt & dilatātur (quo tempore solùm punctiones fiūt) fibris quibus succingenti connectuntnr & continuātur astrictis, eam, etsi minimè inflāmata sit, à thorace (vti de flatibus diximus) auellant, tunc & punctiones hæ in latere sentiuntur: quæ grauiores fiunt, cùm per consensum pulmonū inflammatorum, hæc quoque aliquid patitur, incalescit & nonnihil intumescit.

Id autem ita fieri, succingentemque tunicam quoque inflammari posse nō negamus, vti & vicina illi periostia: (quæ tamen separatim nonnunquam inflammari, indeq; priuatam aliquam pleuritidis speciem nasci, vti aliqui scripserunt, cùm adeò pertinaciter succingenti vbi costis illa obducitur hæreat, concedere minimè possumus) quod tamen cùm fit, nō inflammatis simul pulmonibus, pleuritis illa quæ vera dicitur nō erit, in qua cruentæ & purulentæ fiunt per sputum excreationes, cùm succingens eò se exonerare minimè posit, sed illa eius species, quam peculiariter Succingētis pleuritidem nominauimus. In qua, si magna præsertim sit inflammatio, sine dubio etiam presso thorace, dolor nonnihil exacerbatur, & ad exteriora se aliquousq; extendit, cùm inflāmatio tunc adeò in tenui succingente membrana vel periostijs collecta, subsistere nequeat, quin ad musculos illi connexos quoque se dilatet, & proin extrinsecùs etiam cùm thorax adeò spissus nō sit (vti & peritonæo inflammato videmus accidere) tactu percipiatur. In qua insuper specie, si inflammatio suppuretur, extrorsum potiùs abscessus, quàm introrsum vergit, illicque se aperit: vel si is in interioribus persistens illic disrumpatur, pus in cauitatem pectoris potiùs, quàm pulmones, ad quos tam citò perferri, eosque penetrare minimè posset, effundit.

Verùm enimuerò hoc ita euenire, vt hæc comprobant, sic & verisimile videtur, si succingens pulmonum inflammatorum causâ simul inflāmetur, & vtriusq; partis concurrat inflammatio, discuti tunc eam potiùs quę in succingente fit, quàm suppurari: cùm tāta copia sanguinis tunc in pulmones infusa in tenui succingente tunica non facilè colliga-

ligatur: aut si illud fiat,ad exteriora potiùs ferri,vti ostensum,musculosque illos quoq; implere illicò; suppurari. Atque inde est,vt post pleuritidem veram,licet succingens simul inflammetur, nihilque foris appareat, rariùs, vti tamen aliquando fit, empyema subsequatur.

Quod & eadem ratione si intersepiens membrana, vnà cum pulmonibus inflammetur, accidere probabile videtur. In qua quoq; veluti diuersâ à reliquis specie,& pręsertim si eousque tunc procedat inflammatio,vt & ad cordis capsulam & diaphragma, vti aliqui eam descripserunt, vsq; pertingat, sine dubio grauissima,quæ & vitæ & menti insidiantur,sequuntur symptomata.

Hæ verò inflãmationes tàm in peripneumonia quàm pleuritide vera,in pulmonum aliqua sede accidentes,vti & cæteræ alijs in locis,à sanguine procedunt: Quo cum vniuersus pulmo,in vasis amplis & multis quibus intextus est,redundet,isque propter arterias & vicinum cor feruidior existat,faciliùs inflammatur, crebrioresq; cæteris proin inflammationibus internis hæ pulmonum inflammationes existunt. Quæ à sanguine,vti & reliquæ inflammationes fiunt, quãdo is è vasis suis,vena arteriosa & arteria venosa,non in asperæ arteriæ ramos,effusus (alioquin enim hæmoptoica fieret passio) sed per pulmonum substantiam diffusus,eos adimplens & attollens,grauitatem & compressionem pectoris angustiamq; parit,caloreq; suo vicinũ cor,iam prius febre ferè,vti dicetur,accensum,ampliùs calefacit,perque tussim,quã cõmouet,portione illius in asperæ arteriæ ramos impulsâ,sanie primum tenuiore,mox cruore sputũ imbuit,tandemq; maturatus & calore coctus,suppuratusque, tam diu donec penitus expurgatus, seu vt vocant,expectoratus fuerit,excreatur:illæsâ tamen pulmonũ substãtiâ,alioquin enim eâ exulceratâ,phtisis,sicuti cùm hæc læditur fit, illaq; interdũ post hos morbos relinquitur, sequeretur. Quemadmodũ & sæpè sanguinẽ tantùm,vti & alios humores,in pus cõuerti, nõ suppuratâ interim partis substantiâ & vlceratâ,tũ in oculis pure sordidis tũ alijs purulẽtis è pulmone alijs de causis factis excretionib.,fieri videmus. Sed & euenire potest, vt pulmonum inflammatorum causa,in vicino latere sanguis in succingentem quoq; membranã infusus, eam inflãmet, quod tamen non ita frequenter, cùm exigua pauca vasa eam peruadãt,venaq; illa cui potissimũ causam attribuũt,azygos dextrum tantũ latus perreptet,pleuritis verò sæpè etiam sinistrũ latus occupet,accidit: vti verò frequentiùs,quòd pulmonum inflammatorũ causâ, in pleuritide vera,attractis fibris,succingente membranâ tractâ nonnihilq; auulsâ,hoc pacto,vti dictũ,punctionis dolor suboriatur. Vnde & pleuritides quàm peripneumoniæ crebriores existunt,cùm non adeò sæpè interiora tantùm pulmonũ,vt in peripneumonia contingit,inflãmentur,sed vlteriùs quoque ad exteriora illorũ se extendat inflãmatio,& vicinũ latus,vt dictum,afficiat. In quo dolores punctorij eo magis vrgent,quando decubitu in latus sanũ facto,suspensus pulmo inflammatus, & pondere suo validiùs membranam succingentẽ trahens,ampliùs vellicat,quàm cùm in latus ægrum decumbens,sustẽtatur,idq; eò magis,si hæc quoq;, vti dictum, inflãmata sit. In quã si tantũ sanguis, alijs de causis influat,eamq; inflãmet, nõ affectis pulmonibus,alia pleuritis à vera hac diuersa,vti ostensum,in qua excretiones eiusmodi minimè existunt,prodibit.

Quæ omnia cùm hoc modo in pleuritidis diuersis speciebus accidant,ita & peripneumoniæ,quę non infrequentes quoque sunt, & nunc per se incipiunt, nunc prægressâ pleuritide & postea denique collectâ circa interiora materiâ, prodeunt, cùm cor ampliùs tunc accendatur,febrem acutam magis procreant, per quam sanguis in superioribus illis locis quoque calefactus,ea rubore tingit, qui & in facie malisque obseruatur. Quod peculiare huius affectus signum esse censetur, forteque in peripneumonia quàm pleuritide magis obseruatur, quod cum senibus hic morbus familiaris sit, si illis malæ rubeam,tanquam insolitum in ipsis potiùs notetur.

Pro varietate autem sanguinis,inflammationes hæ pulmonum generis sunt diuersi. Nam si ille purus fuerit,qualẽ arteria vena-

lis continet, simplex erit phlegmone: in qua quod expuitur sanguine syncero mixtum esse apparet. Si verò tenuior feruidiórve sit, qualis in venali arteria existit, phlegmone erysipelatodes dicta, nascetur: in qua febris vehementior: Vti & si syncera bile perfusus, sanguis inflāmationem pariat, accidit, sputumque tunc cruentum subflauum redditur. Quod cùm frequenter eueniat, causam præbuit, vt peripneumoniam ab erysipelate pulmonum prodire aliqui scripserint. Fit tamen quoque vt si bilis atra fuerit, quæ sanguini dum phlegmonem parit commiscetur, fusca & subatra, sputo cruento quod excreant, commixta esse videantur. Quemadmodum & extra hosce morbos, sputa eiusmodi etiam non cruenta, subflaua, subuiridia, subatra excreta, à biliosis humoribus sic colorari cernuntur. Impurus quoque alius aliquo modo sanguis, vitiosis humoribus perfusus, impuram phlegmonem parit. Sed & à crudo, seroso, pituitosóque sanguine, si phlegmone fiat, œdematodes erit: mitiora proferens accidentia, sputumque tunc minùs coloratum erit: sicuti in cruda ob id dicta peripneumonia euenit. Verùm & pro diuersitate hac sanguinis, si in succingente fiat inflammatio, illa mitiora grauioráve proferet symptomata.

Ab alio humore à sanguine separato, cum phlegmone nulla fiat, non possumus vel pituitam, aut alium humorem defluxione in pulmones delapsum, aut per congestionem illic collectū, veræ pleuritidis aut peripneumoniæ causam, vti aliqui fecerunt, pituitosásque vocarunt, statuere: cùm si in pulmonibus coaceruentur, alios illius morbos respirationi potiùs incōmodantes, sicuti in illius defectu ostensum, pariant: si in thoracis musculos aut sub succingentem ferantur, falsam nominatam pleuritidem, vti priùs dictum, efficiant.

Influxus autem huius sanguinis, phlegmones hasce excitantis, causa plerumque febris est synochus, quæ à sanguine in venis inflammato accēsa, portionem illius in pulmonum substantiam effundens, inflammationes hasce illorum, febre hac synocho, à qua ortum traxerunt, comitatas, parit. Et proin eædem causæ, quæ synochorum sunt febriū (quas in febribus illis explicauimus) etiam per consequens harum fiunt inflammationum. Inter quas crapula & vinolentia, quia plenitudinem accersunt, sanguinemque calidiorem reddunt, febrium synochorum in adultis vti & in senibus, illis qui genio indulgent, perfrequentes causæ sunt, ideò & peripneumoniæ & pleuritidis causas præcipuas statuunt: & proin à vino, vti & ab esu carnium frequenti & pingui, præsertim piscium, vt anguillarum, mugilum, peripneumonias nasci docuerunt: cùm & à pinguibus cibis sanguis pinguior redditus, eò faciliùs inflammetur: nisi & iam dictorū piscium caro, peculiarem vim, vt lepus marinus pulmones exulcerandi, sic etiam hæc inflammandi habeant. Vnde & verno tempore ac cœli constitutione eâ, quâ synochi hæ febres regnare solent, inflammationes eiusmodi frequentiùs accidunt: in illis præsertim naturis, inter quas & senes comprehendimus, quæ synochis ob causas dictas, non solùm erysipelate externo comitatis, sed & huic quæ peripneumoniam profert, sunt obnoxiæ.

Quæ inflammationes in pulmonibus potiùs quàm alibi fiunt, si causis illis quæ synochos accendunt, adiuuans accedat dispositio pulmonum ad suscipiendum apta: Quæ tum naturalis est, vti dictum, sanguinis in illis copia & caliditas, ipsorumque substantiæ raritas: tùm aduentitia, imbecillitas, à morbo ipsorum contracta, præsertimque si propter ipsum, tussiendo multa passi sint.

Quò & referuntur aliæ causæ, sanguinem vt ad pulmones copiosiùs feratur, vel è vasis elabatur, concitantes. Quales sunt intemperies ipsorum calida: ab aëre calidissimo attracto, ira, vel morbo calido, vt febre aliqua contracta. Frigus quoq; extrinsecùs pectus, vel per inspirationem aëris frigidi, pulmones subitò afficiens: vnde venis constrictis quoque hîc effluxus fieri potest. Motus item nimius, per validam exsufflationem. Dolor circa pectoris regionem. Aut alia quæ sanguinem ad pectus alliciunt: vt in ea muliere, quæ iam senescens cùm cōcepisset, crescentibus mammis, quæ priùs flaccidæ erant, af-

fluenteque eo ad sanguinis generationem sanguine, in pleuritidem incidit.

Quæ tamen causæ, nisi febris, sicuti dictum, accedat synochus, quam & illæ excitare possunt vixdum solæ pulmonum inflammationem efficient, sed hæmoptoicam potiùs passionem. Aut si inflammationem aliquam in pectoris regione, non interueniente priùs febre synocho, procreabunt, musculis tantùm & succingente affectis, priuata hisce partibus, quemadmodum ostensum, nascetur pleuritis: Vel si pulmones tũc quoque simul ab eadem inflammentur, in vtrisque, febris quæ inde prodibit, non primaria illa quam synochũ vocauimus, & quę in peripneumonia & pleuritide plerumque illarum, vti dictum, proxima causa existit, atque vnà mox cum hisce inflammationibus incipit, vel eas quoque præcedit, sed symptomatica erit. Sicuti in hisce febribus hæc prolixiùs explicata sunt.

Curatio.

VAriat curatio, prout morbus, qui diuersa hæc genera doloris punctorij in pectore parit, est vel inflammatio pulmonũ in pleuritide vera, & peripneumonia: vel succingentis, in illius pleuritide: vel distentio à flatu, humoréve, in falsæ dictæ pleuritidis flatulentæ & pituitosæ duobus generibus.

Prognostica Pleuritidis veræ & Peripneumoniæ. Inflammatio pulmonum tàm in pleuritide quàm peripneumonia periculosa est: in peripneumonia tamen, quia cordi magis est vicina, deterior. Vtraque, aliàs subitò die 4. vel 5. occidit: aliàs 7. vel 8. primùm, nonnunquam ad decimum quartum vel vigesimum vsque producta, tamẽ mortem adfert. Cùm ad salutem tendit, soluitur nunc primâ septimanâ, nunc alterâ, interdũ tertiâ: cessantq; primùm punctiones, mox & febris, tandem & purulenta excretio: quæ si supra dictum tempus prorogetur, febrisq; non cesset, sed lenta fiat, in empyema vel phthisim morbũ desijsse suspicio est.

Cæterùm quò nam euasuri sint hi morbi, sequentia indicant: Per tussim, si statim aliquid à pulmonibus inflammatis excreent, quod sputo permiscetur, bonum est: præsertimque si tussi non adeò validâ existente facilè propellatur, è contra verò malum. Hoc autem si sanies sit, vel cruor, qualia à parte inflammatâ, pulmonibus scilicet prodire solent, probatur. Si verò sanguis copiosior ab initio, maximeque diebus aliquot continuis reijciatur, aut semel cessans rursum redeat, pulmonum grauiorem læsionem portendit. Quò citiùs autem saniosum sputum purulentum, album coctumque euadit; & quò faciliùs copiosiusque tunc expuitur, eò est melius: nisi tantâ copiâ reijciatur, vt sicuti aliquoties in peripneumonicis morituris accidere vidi, peluim adimpleat, quod inflãmationem maximam fuisse, magnamque suppurationem inde subsecutam, & proin mortis imminentis signum est. Purulenta expuitio etsi subflaua sit, nondum est, nisi admodum flauescat, mala; quæ virescit deterior est; eoque magis si atra sit: quæ alba tenax & pellucida, morbum prolongat. Quæ à sanguine puro fit inflãmatio, mitior est; quæ à bilioso vel impuro, deterior & breuior; longior verò nec ita acuta, quæ à pituitoso sanguine nascitur. Quæ alios morbos sequitur diuturnos & acutos, minus quoq; curatur. Quæ senibus & debilibus accidit, peripneumonia præcipuè; lethalis ferè existit.

Anhelitus difficultas summa, magnitudinem inflammationis portendit, vel etiam puris magnam collectionem Quo nonnunquam subitò & affatim in asperæ arteriæ ramos irruente, ampliùs anguntur, spiritumq; cum stertore ducunt, & nisi mox excreent, suffocantur.

Extremorum frigus: Facies collapsa Pulsus paruus, mortem hîc, ut in alijs morbis similibus antecedunt & prænunciant.

Febris si intensa fuerit, calore, siti, vigilijs, periculum auget; mitior minuit.

Delirium si accedat, quod alioquin adesse hisce affectibus minimè, nec ratione febris illius comitis superuenire consueuit; cùm septo affecto hoc contingere soleat, mortale est signum.

Hęmorrhagia narium tùm ratione febris, tùm reuulsionis causâ, in principio morbi obesse nõ potest: sed circa finem plus debilitat quàm iuuat, immoderata præsertim.

Mictio copiosa, vti & sudores, febrem, si idoneo tempore superveniant, interdum soluunt. Et si purulenta sit mictio, per ea à pulmonibus materiam suppuratam expurgari quoque posse autumant, ac proin per hanc viam pleuritim & peripneumoniam solui. Quod si fit per venam cauam, tanquam viam manistam, pus à pulmonibus eò deferri potiùs, quàm per alias obscuras venas, à pectore, cum emulgentibus continuas, (quas tanto studio quærunt, seque invenisse gloriantur) quod & in alijs morbis talis fieri possit transitus, indicio est: hoc tamen rarum admodum est, cùm etiam in extremè phtisicis & empyematicis tale quid vix deprændatur.

Diarrhœa cùm morituris frequenter supervenire soleat, mortem præsagit. Vix enim de morbi causa aliquid per hác sedem, vti tamen aliqui crediderunt, expurgari potest. Ab initio si ob alias causas accidat, nec persistat, innoxia esse potest, præsertim si illuuiem aliquam quæ febrem augere valeret, tollat.

Pleuritidis veræ & Peripneumoniæ curatio. Curandi autem methodus tam in pleuritide vera quàm peripneumonia, in eo versatur, vt sanguinem fluenté ad partem hanc nobilem, varijs modis aliò auertamus, illudque quod influxum est, pulmonesq; inflammat, sic præparemus, vt cum sputo per tussim & excretionem expui possit, cùm per alias vias, vt vrinas vel secessum hoc educere, nisi natura sponte id faciat, consultum minimè sit. Dolorem interim, qui in pleuritide adest punctorius, leniemus. Pectusq; in vtrisque casibus dilatabimus, Viresq; conseruabimus, Febris nihilominus semper habitâ ratione, sicuti in febribus dictũ est: cujus causâ à calidioribus abstinebimus, ac tẽperatis & ad frigiditatem aliquam inclinantibus quibusdam potiùs vtemur. Quæ omnia sequentibus curandi modis perficiuntur.

Per venæ sectionem sanguinis ad locum affectum influxus potissimùm auertitur, febrilisque calor temperatur, ob quam causã non temerè erit negligenda: Nec in iunioribus quidem, cùm ab ea, sicuti experientiâ compertum, vti nec ab alijs hæmorrhagijs casu factis, non tam facilè, vt creditur, lædantur, sed contra potiùs in hoc morbo magnũ ex ea emolumentum sentiant: cuius causâ nec in grauidis nec in senibus quoq; omittenda: vti neq; etsi à sanguine impuro & bilioso fiat, aut dolor ad hypochondria descendat: quorum omnium tamen causâ, moderatè potiùs erit instituenda, quàm omninò intermittenda. Subitò autem dum adhuc in fluxu materia est, facienda, die mox primo: quacunque diei vel noctis horâ: vel si neglecta fuerit, die altero aut etiam tertio: vel vnâ vice insignem quantitatem, vicibus singulis ad vncias sex, si supradicta non, vti dictum, eam temperent, educendo: vel partitis vicibus singulis ad vncias sex, bis eodem die, vel duobus diebus sanguinem mittendo: vel etiam necessitate vrgente, tertio etiam die repetendo. Post quod tempus, vel quartum diem ad summum, nisi nouo affluxu sanguinis concitato, morbi augmentum vel noua recidiua timeatur (quam ob causam etiam post plures dies, si hoc fiat & vires constent, repetita proderit) non temere venæ sectio vel incipienda aut reiteranda.

Venam autem in brachio, iuxta cubiti interiorem sedem (cùm maiores illic sint venæ locoque affecto proximiores) incidere oportet: eamque quæ vel in medio illic fertur: vel (quòd satius est) quæ magis turgida conspicuaque existit. Quacunq; enim sectâ, siue hoc in dextro aut sinistro fiat latere, à vena caua, cuius elatiori supra cor sede, brachij venæ continuantur, sanguine deriuato, per consequens etiam à cordis dextro sinu, in quem vena caua antequã ascendit, aperitur: & sic quoque ab arteria venali, per quàm à dextro sinu in pulmones sanguis influit, cõsecutione hac, sanguis à pulmonib. inflammatis reuellitur. Nisi fortè, quia vena caua dextrum latus magis occupat, dextroq; cordis sinui sanguinem infundit, venamq; sine pari, dextro lateri tantùm propagat, rectitudine seu [illegible] hac vasorum obseruatâ, in dextro brachio venam tundere, magis consultum esse censeatur, quod in peripneumonia fieri debere plerique docuerunt, atque in pleuritide etiam aliqui hoc semper rectè fieri,

fieri, scripserunt. In qua tamen pleuritide, quia latus dolet, à brachio eiusdem lateris sanguinē detrahere potiùs, quàm ex opposito (vti vero Arabes ex aduerso latere primùm reuulsionis, mox ex eodem deriuationis causâ sanguinem emittunt) vtiliùs censebitur; non tam rectitudinis vasorum occasione, quæ tunc lateris affecti causâ magis obseruatur, cùm in pleuritide pulmonibus quoque vti dictum affectis, vt in peripneumonia similis venæ sectio, competere posit: sed quod in pleuritide, ob dolorem dolentis lateris, venæ magis quàm sani lateris sanguine impleantur: quo nomine si in dextro latere dolor sit, tunc hâc ob causam, tum ob priores, in dextro brachio venam aperire multas vtilitates adfert, si in sinistro, propter affluxum sanguinis à dolore concitatum, ab ea parte sanguinem reuellere conuenientiùs erit. In manibus quoque, si cubiti vena vel non inueniatur, aut alioquin secari commodè non posit, venâ apertâ in latere conuenienti, vti dictum, vices alterius geret: per quam, si sanguis admodum fluat, maior fiet reuulsio, minor, si lentè procedat. In pede quoque iuxta malleolum vel circa digitos vena incisa, præmissâ præsertim sanguinis in cubito detractione, in mulieribus maximè, quibus menses suppresi, plenitudini huic, è qua affectus hi nascuntur, occasionem præbuerunt, proderit.

Cucurbitulę scapulis, emunctorijs, inguinibus appositæ reuellunt, eoque validiùs, si scarificatio accedat: quæ venæ sectionis operationem adiuuant: vel quando eâ vti licet, vices ipsius obeunt.

Frictiones, & Ligaturæ extremitatum diuertunt etiam: Lotioque adhibita cum frictione manuū & pedum ex decocto aliquo, quod tamen corpus minimè calefaciat.

Sunt qui cauterio lateri adhibito, nō satis tutò, nec commodè illud efficere tentāt. Vti nec cucurbitulis pectori admotis, quod tamen aliqui vtile esse censuerunt.

Injiciuntur enemata ad aluum leniendam ante venæ sectionem: tum aliàs, si astricta sit, laxantia & refrigerantia, in febribus & alijs internis inflammationibus, vti & in angina descripta hisque similia. Sed & alia circa finem, si pus à pectore ad secessum vergat (vti fieri posse crediderunt) ne intestina lædat, illud clysteribus abstergi debere, nimis sollicitè docent.

Exhibentur laxātia potiùs quàm purgantia, cùm in thoracis inflāmationibus catharticâ exhibere non conueniat: tum quia per aluū illorū materia expurgari minimè posit, tum quia corpus accendunt & diarrhœā, quæ aliàs facilè superuenire nocereq; solet, promouent. Eliguntur autem laxantia quæ & pectori amica sunt: qualis imprimis est Manna, hîc præcipuè commendata.

Dein & syrupus Violaceus ad ℥.iij. vel Casia aut Diaprunis simplex ℥.ij. pondere: per se, vel cum decocto pectorali exhibita.

Vel sic: ℞. Prunorū dulc. Passul. enucl. an. ℥.j. florum Viol. p.j. coquātur, in col. dissolue Casiæ ℥.ß. Mannæ ℥.j. fiat potio.

Post septimum ad fortiora purgantia veteres transibant, præparato priùs humore: quæ tamen in falsa pleuritide potiùs, vti dicetur, locum habent, vel si iam cessarit vera pleuritis, propter alia accidentia, quæ restāt, vel si superuenerunt vsurpata proderunt, aliàs magis nocent.

Propinantur per os expuitionē promouentia seu sputū facilitantia, Expectorātia dicta, cùm per aliam viam humor pulmonibus, nō succingenti tunicę impactus, rectiùs euacuari nequeat. Hoc autem perficitur illis quæ vias leniūt: & materiā ab initio incrassando, vt sanguinis influxus aliquo modo compescatur & si tenuis sit, ad excreationem aptior reddatur, & vt vocant præparetur, efficiunt: Postmodū verò ea exhibendo, quæ eandem concoquant, abstergant, & si tenax sit nonnihil quoq; incidant, portionemq; illius resoluant: Vel si in pus conuertatur, quæ illius maturationē & excreationem promoueant, ne si diutiùs hæreat, pulmonum inde corruptio phtisisq; sequatur: vel si natura per vrinam & secessum illud euacuare tētet (quod rarum & fortè imaginarium) quæ hunc naturæ conatum promoueant. Quæ omnia sequentibus modis præstantur.

Eclegmata, aliaq; quæ sensim deglutiūtur, cùm vires suas pulmonib⁹ affectis rectiùs sic communicent, eo nomine primas tenent.

Vt tabulæ vsitatæ Diatragach.frig.& Diapenidij sine speciebus,ore donec sponte fundantur,retentæ vel comestæ.

Vel si ex tabulis hisce vel speciebus ipsarum,cum syrupo Iuiubino vel Violaceo eclegma fiat,illudq; sensim lambatur.

Aut si tale paretur: ℞.spec.Diatragach. frig.ʒ.ij.Penidiar.℥.j.excipiatur syrupis prædictis,fiat looch. Additur interdum Diacodium simplex,si tussis admodum vrget, ad ℥.ß.Conseruam Violarum aliqui,non adeò tamen commodè,cùm lambi debeat, permiscent.

Horum loco tale eclegma fieri poterit: ℞.Penidiar.℥.j.nucl.Pinearum,Amygdalar. excortic.an.ʒ.ij.medullæ seminum iiij.frig. mai.s.Papau.albi an.ʒ.j.Amyli ℥.ß.succi Liquiritię ʒ.j.gummi Tragach.& Arab.an.ʒ.ß. infusorum in aqua Violac.donec benè intumescant, pulpæ Passul.℥.ß. misceantur, fiat eclegma: cui syr.de Papau.vel Diacodij ℥.ß. permisceri poterit. Et seminis Maluæ & Bombacis an.ʒ.ß.

In progressu morbi, declinante febre,vtimur tab.Diaireos simp. Diapenid. cum speciebus,looch de Pino.

Vel sic: ℞.looch de Pino ℥.ß.spec.Diatragach.ʒ.j.spec.Diairis ʒ.ß.Penid.℥.ß.excipiantur syr.Capill.ven.& de Liquiritia fiat looch Conseruam Capill.ven. quoque interdum addunt.

Vel sic: ℞.Sacchari candi, Penid.an.℥.ß. nucl.Pinearum ʒ.ij.4.seminum frig.mai.an. ʒ.j.radic.Ireos ℈.ij.gummi Tragach.infusi in aqua Capill.ven.interdum & mucilag.seminis Cyton.ʒ.ß.pulpæ Ficuum.vel Dactyl.℥.ß. succi Liquirit.ʒ.j.cum syrupo de Hysopo fiat eclegma. Si rad.Bryoniæ & seminis Vrticæ an.ʒ.ß.addantur,efficacius erit.

Validioribus adhuc expectorantibus & incidentibus quoque vtimur, quando pus expuunt,si illud crudum præsertim sit & tenax,febreque remittente tamen non cesset puris excreatio. Vt looch de Caulibus,de Tussilag.de Prassio,Sano & experto: alijsq; in alijs pulmonum à pituita & pure vijs explicatis alibi præsidijs.

Ex pinguibus eclegmata facta admodum pectus dilatant,leniunt,sputumq; facilitant. Quod Butyrum, Saccharo albo, cando, vel violaceo in formam looch redactum efficiet; Vel puls illa Maialis, Meyenmuß Germanic. sumpta.

Oleum Amygdalarũ dulcium,vel seminis Lini oleum, recentia,si sensim lambantur,addito Saccharo,vtilissima sunt: & præsertim si cum brodio vel decocto aliquo affatim bibantur,dolores pleuriticos admodum mitigant. Quibus & succum Altheæ aliqui permiscent,sicque exhibent. Oleum Nucũ recens, in progressu tamen morbi datum, admodum materiam concoquendo,ad expulsionem aptam reddit.

Ex quibus & tale looch formatum cum successu sæpè vsurpatum fuit: ℞.ol.Amygd. dulc.vel Lini, vel vtriusque. Oxymel.simp. vel scyllit.si tenax sit materia an.℥.ß.Sacchari candi q.s.misce.

Decocta quoque etsi minùs diu in via hæreant,tamen,tùm ratione febris,tùm enarratæ inflammationis causâ commodè exhibentur, & haustus illorum semel in die vel bis quoq; & sequentibus etiam diebus propinatur hoc pacto:

Hordei decoctum,seu vt vocant aqua hordei,si incrassandum, leniendum est,ex Hordeo excorticato seu mundo,vt appellant,& tanto Aquæ vigesies sumpto, præparatur: Quod sitim compescit,& si hordei quantitas augeatur etiam nutrit: si verò abstergendũ magis,ex integro fit hordeo: Cui decocto, Passulæ,Liquiritia, aliaque dulcia interdum simul incoquuntur: aliàs Saccharum,syrupi etiam,vt Violaceus, Iuiubinus, Capill.ven. permiscentur.

Cùm incrassare volumus & expectorare ab initio sequens detur: ℞.rad.Altheæ ℥.j. fl.Viol.Buglossi vtriusque an.p.j. Iuiub.Sebesten an.par.vj.Hordei mund.p.ß.quatuor seminũ frig.mai.an.ʒ.ij.fiat decoctio ad ℔.j. dulcoretur Saccharo penidiato,vel Syrupis mox dicendis.

Papaueris erratici florum rubentium decoctum,factum in decocto Hordei vel Iuiubarum, addito interdum Saccharo, datum in principio,influxum sanguinis admodum sistit, inflammationemque vehementer mitigat. Datur decoctum ad ℥.iij.repeciturque.

Tan-

Tandem & in aqua Pimpinellæ & Scabiosæ coctum exhibitumque materiam concoquit. Decocti loco & aqua illius propinata proderit. Item si flores siccati, puluerisati, cum brodio vel aqua Viol. vel alio liquore bibendi dentur. Nec adeò frigiditatem illius, vti aliqui faciunt, vereri debemus, cùm vis illius attenuandi & digerendi, quam Galenus ex acrimonia illius conjicit, atque inesse testatur, longè aliud, vti & in cæteris narcoticis, quæ frigida non esse alibi ostendimus, demonstret.

Cùm abstergere potiùs volumus, Sacchari decoctum, seu Hydrosaccharũ, aut Aqua vt dicunt sacchari, conuenit: ex viginti partibus aquæ additis, & ad dimidium coctis: & si magis abstergendum, sacchari ad quadruplum aquæ auctâ dosi: quæ & Cinamomi momento addito maiorem acquirit gratiam, & odore potiùs grato quàm calore imbuitur.

Aliud abstergens & leniens, quod diebus sequentibus bibant: ℞. rad. Liquirit. ℥.j.ß. fl. Viol. Buglossi an. P.j. Ficuum paria vj. Passul. paria x. Iuiub. paria vj. Prunorum dulc. num.v. Hordei integri P.ß. seminum Cucurb. & Melonum an. ʒ.ij. fiat decoctio vt prior, addendo Saccharum album & candum, vel syrupos.

Cùm concoquere & præparare crassam magis materiam volumus, circa finem proderit Mellis decoctum, Melicratum vocatum, seu aqua mulsa: quod loco saccharatæ aquæ in senibus, vel in minus calido morbo, circa finem maximè vsurpari potest: Cui & alia addi & incoqui possunt. Hoc potentius est, Hydromel dictum, cùm magis incoquendo feruescendoq; calidius & vinosum, sicuti arte parari solet, vt maluaticũ vinum adæquet, fiat.

Decoctum Cardui benedicti vel Lactei, vel Leucacanthę radicis, & Anthemidis florum probantur.

Aliud concoquens & præparans: ℞. rad. Liquiritiæ ℥.j. radic. Enulæ ʒ.ij. Capilli Ven. M.j. Hysopi & Tragorigani in peripneumonia præsertim an. M.ß. florum Viol. Buglossi alterutrius an. M.j. fl. Anthemidis M.ß. Passul. paria xij. Ficuum num.x. Dactyl. num.v. sem. Melonum vel Cucurbit. ʒ.iij. seminum Bombacis, Maluæ & Fœnogræc. an. ʒ.ij. seminis Anisi ʒ.j. fiat decoctio vt priùs, & Saccharum vel Sapa, vel Mel vel Syrupi permisceantur.

Syrupi ad vsum parati vsurpantur; cùm incrassare volumus Violarum & Iuiubinus; cùm detergere, de Liquiritia; cùm simul concoquere, idem, & Capillorum Veneris, addendo Oxymel si tenax sit materia. E quibus conuenientes, singulis decoctis, pro vno haustu, syruporum ad ℥.ij. permisti bibuntur. Nonnunquam & in aquis viribus illorum correspondentibus, vt Violarũ, Buglossi vtriusque, Capilli Veneris, Scabiosæ, Hysopi dissoluti, iuleporum instar exhibentur. Vel iulep Violaceum sumitur. Vel hi syrupi per se lambendo sumpti, illud quoque efficiunt.

Aquæ Spinachiæ, Cardui benedicti vel Lactei: florum item Anthemidis, bibitæ, proprietate iuuare creduntur. Item Lentis palustris, in peripneumonia.

Hederæ terrestris aqua, si ad ℥. quatuor à pleuritico bibatur, idq; in die quater repetatur, à purulenta materia pectus repurgari, & ab empyemate & phthisi præmuniri, tradunt.

Potiones aliæ, quibus quædam in substantia permiscentur, tum certâ vi, tum occultâ proprietate, propinatæ iuuant, ex sequentibus paratæ.

Dentis apri, Maxillæ lucij piscis, Oculorum cancri, Priapi tauri, pulueres, separatim simúlve, à ʒ.j. ad ʒ.j.ß. cum Brodio vel Vino vel Aqua cardui benedicti, Violarum, aut Aqua mulsa vel decocto Hordei alióve modo bibiti, plurimùm iuuare, experientiâ potiùs quàm ratione cognitum. Si cum ol. Amygd. dulc. vel Lini exhibeantur, præsertimque Dentis apri scobs, in pleuritide vt & in Angina vtilissimum est medicamentum.

Asphodeli, Orchidis, Lappæ, radices vel flores Lappæ, & Chrysocome, Pulmonaria, in peripneumonia, Pastinacæ erraticæ, Cardui benedicti semina, Auellanarum vel Amygdalarum cortices; puluerisata, à ʒ.j. ad ʒ.j.ß. cum supradictis liquoribus exhibita probantur.

Centaurij mai. Aristolochiæ rotundæ & Costi radices, Agalochũ, Æthiopim, & Trifolij asphaltitidis folia & semen, Myrrham, Bdellium, Assam fœtidam, in lateris dolore, Diosc. cum aqua & Vino pota commendat. Non nominatâ tamen causâ, dubium proin an in vera vel falsa pleuritide conueniant, vti fortè & multa ex iam dictis.

Experientiâ compertum, sequentia præsertim profuisse in pleuriticis, statimque dolorem mitigasse vel sustulisse. Si Dentis apri scobem à ℈.j. ad ʒ.j. cum oleo Amygdal. ℥.ij. vel iij. aut quatuor bibant. Quod & si cum oleo Lini fiat, vt & in angina, sic & in hoc commendatur.

Aliud experimentum: ℞. cort. Auellanarum, Coralli rubri an. ʒ.j. fiat puluis: Detur cum Vino albo, vel Mulsa.

Probatur & hoc summopere: ℞. rad. Aristoloch. longæ, Bryoniæ, Pæoniæ, baccarum Lauri an. ʒ.ß. nucleorum Mespilorum ʒ.j. rasuræ Eboris, Myrrhæ an. ʒ.ß. fiat puluis: Detur cum aqua Tamarisci & Vino.

Millefolium herba vel radix contusa, & cum Aceto exhibita, laudantur.

Resina Terebinthi vel Laricea, quouis modo propinata prodest: tum per se, tum diluta cum Vitello oui & aqua Violarum vel alia. Tum in pilulas cum Sacchara cando, puluere Liquiritiæ formata.

Pix liquefacta in pilulas redacta & exhibita, abscessum factum aperire dicitur: Quo nomine & semen Nasturtij & Sinapi tunc exhibent.

Flores Sulphuris per se, vel cum Nitro purificato exhibent Chymici. Item salia Polypodij vel Hypericonis cum Vino.

Ad bibendum potus ordinarij, & imprimis sitis pellendæ, quæ illos affligere solet, gratiâ, tum etiam ad expectorationem facilitandam, aquæ frigidæ & vini loco, quæ hîc minimè competunt, decoctum conuenit Hordei simplex vel compositũ, priùs in decoctis recensitum: quod tamen actu tepidulum vel saltem non nimis frigidum, vti omnia quæ bibuntur, esse debet, ne sputum retineant pectusque lædant. Vinum refectionis potiùs quàm sitis causâ, in summè debilibus, vix tamen ante septimum conceditur, sed moderatè sumptum, dilutum decocto Hordei, vel Sacchari vt dulce fiat & abstergeat simul.

Alantur interim virium conseruationis nomine cibo, sed tenui: vel etiã tenuissimo ad dies duos vel quatuor vsque, si perferre queant: eoque qui expectorationem simul iuuet. Veluti solo cremore vel succo Hordei, ptisana dicta. Vel emulsione Amygdalarum, lacte vocato: dilutiora magis minúsve, prout hæc nutrire volumus ea propinando. Vel Pruna dulcia, Passulas coctas, addito Sacchara exhibendo.

Postea ad pleniorem accedendum, maximè post septimum, aut citiùs si vires deficiăt. Vt Panem lotum coctũ, Panatellam dictam. Vel Martium panem, aliáve quæ ex Amygdalis, Pineis coquuntur, danda. Iusculisque carnium, contusis & congelatis, coctione, vel etiam (vti probare quoque solent) destillatione præparatorum nutriendi reficiendique. Qualia multa in hectica febre, alibiq; proposita sunt.

Hocque exempli loco adijcitur: ℞. Caponis vel Gallinæ antiquæ vel iunioris musculos alas mouentes, sterno ipsius instratos: coquantur in aqua, permiscendo in fine aquæ Violac. Buglossi alterutrius vel amborum, Scabiosæ an. ℥.ij. vel plus: postea detur iusculum cum Butyro recenti, Salis exiguo conditum. Cui si pulpa carnis iam cocta, contusa & cum iusculo percolata misceatur, efficacius erit, contusum dictum.

Vel si in priori decocto, Panis micæ ℥.iij. simul decoquas, & ad ℔.j. iusculi addas conseru. Viol. Bugloss. Capill. Ven. an. ℥.j. v. spec. Diatrag. frigid. & Diapenid. an. ʒ.j. Diamarg. frig. ʒ.ß. quatuor sem. frig. mai. mund. seminis Bomb. & Malu. an. ʒ.j. Sacchari, pen. ℥.ij. & per destillationem liquorem elicias, plus restaurando quam nutriendo vires conseruabuntur.

Vti verò validiùs nutriet, si Caponem præparatum, additâ Vitulinâ, in duplici vase tamdiu decoquas, donec ius ab eo effusum congelari posit, sicque per se exhiberi vel prioribus misceri. Vel si succus expressus Caponis asi detur.

Huc & referuntur ex alimentis ea, quæ

vt medicamenta potiùs exhibentur: qualia sunt:

Cochleæ cum decocto Hordei coctæ & comestæ. Matt.

Item si Pomi dulcis pars superior orbiculatim amputetur, inferior excauetur, impleaturque Thure masculo puluerisato, repositaque abscectâ parte, tanquam operculo, stuppis inuoluta seu ligata simul, sub prunis coquatur: vel in fornace hypocausti, & postea comedatur: quod ad pleuritidem sanandam & præcauendam quoq; vtile censetur.

Eadem ratione Pomum succo Glycyrizę, Saccharo & Amylo impletum coctumque & deuoratum probatur.

Porriguntur & à quibusdam medicamenta circa finem, si pus à pectore per vrinas à natura propellatur, quæ conatus illius adiuuent, diuretica.

Veluti decoctum rad. Fœniculi, Asparagi, Rusci, Liquiritiæ, Cicerum rub. Capill. Ven. & seminum frigid. mai. Qualia in febribus, cùm illarum materiam per vrinas euacuare volumus, proposita sunt.

Nonnunquam & quæ, si ad secessum feratur (quod vix potest fieri) quæ illud quoque abstergant & euacuent. Vti de clysteribus diximus.

Extrinsecùs pectori remedia applicata, siue dolor punctorius in pleuritide, aut nullus vel exiguus in peripneumonia existat, conuenire quoque possunt, etsi affectus non in pectore sed in pulmonibus propriè resideat, cùm eò quoque horum remediorum vires penetrare possint. Non tamen calida & flatus discutientia experiundi causâ, an vera vel falsa sit pleuritis ab initio, vti aliqui docent, adhibenda, cùm hæc inflammationem magis accenderent, & pleuritis vera à falsa alijs signis, citra periculosam hanc experientiam discerni queat. Nec quoque ea omnia vsurpanda, quæ communiter in pleuritide, inflammationi accommodarunt, quam in succingente membrana non pulmonibus fieri crediderũt, & præsertim abscessus causâ, quem illic inde nasci putant, ad eum suppurandum aperiendumque foris adhibere solent: nisi hæc quoq; succingentis inflammatio, pulmonum inflammationi accedat, vel sine ea per se oriatur: sicuti in pleuritide succingentis explicabitur. Sed præcipuè foris loco dolenti, si dolor adsit punctorius in pleuritide ea applicanda, quæ dolorem, qui in pectore ob causas dictas sentitur, mitigãt, sedant, pectusq; vt liberiùs expuere possint, dilatant, & simul materiam in pulmonibus concoquunt digeruntque. Quod anodyna temperata vel leuiter saltem calefacientia & relaxantia præstant: vel si dolor nullus adsit in peripneumonia, quæ refrigerãdo inflammationem simul nonnihil retundunt, & postea eâdem quoq; maturant resoluuntq;. Quæ tamen omnia admota actu calida esse debent.

Fotus autem præcipuè cùm dolor vrget, locum habent. Qui & ex sola Aqua calefacta, in vesica aliove modo adhibita, eum mitigant, simulque relaxant.

Magis adhuc hoc præstabit, simulq; concoquet & maturabit, si sequentia in ea decoquantur: ℞. herb. Maluæ, Bismaluæ cum radicib⁹, Parietarię an. M. j. fl. Viol. Chamom. Meliloti an. P. j. seminis Lini ℥. j. Furfuris P. j. Ficuum paria x. seminis Anisi ʒ. ij. fiat decoctio pro fotu.

Addi potest & Brancæ vrsinæ & Brassicæ an. M. j. seminum Fœnogr. ℥. ß. seminis Maluæ ʒ. ij. atque in progressu, si calor non sit intensus, radic. Liliorum alb. ℥. j. ß. & Vini albi parùm, penetrationis causâ. Cùm dolor admodùm vrget, Papaueris folia, capita vel semen, addita eum leuant.

Furfuribus frumenti si sacculus impleatur & decoquatur, expressusque apponatur, dolorem mitigat. Quibus & alia ex supradictis decoctis addi possunt, sicque in sacculo, vel priùs decocta applicari.

Cataplasmata admota anodyna & maturantia fiunt, ex residentia decocti pro fotu, ex pluribus paucioribúsve facta, si contundantur, farinæque Hordei P. j. addatur, & Axungiæ porci, Butyrique rec. an. ℥. j. ol. Violacei ℥. ij. ol. Amygd. dulc. Chamom. vel de Meliloto vel Anethini an. ℥. j. misceanturque.

Vel; ℞. farinæ Hordei ℥. iiij. seminis Lini & Fœnogr. an ℥. ij. cinerum Caulium viridiũ combustorũ ʒ. ij. Sagapeni ʒ. j. axungiæ Porci, Anseris an. q. s. fiat cataplasma.

Parietaria cum Oleo vel Butyro frixa, cõtusaque & apposita, magnopere laudatur.

Cochleæ decoctæ contusæ, & loco dolenti cum panno admotæ.

Epithema pectori, cùm nullus punctionis sensus in peripneumonia adest, non incommodè ex lenientibus & refrigerantibus simul nonnihil, actu tamen quoque calidis, apponitur.

Quod ex decoctionis Hordei P.j. seminũ Cucurb. & Lini an. ℥.j. fl. Violarum P.j. paratur. Alióve in hectica febre explicato pectori apponendo epithemate.

Inunctiones lateris fiunt ex ijsdem, in principio, quæ & relaxando & refrigerando in peripneumonia competunt: ℞. ol. Violarum, Amygd. dulc. an. ℥.j. Butyri recent. ℥.ß. mucilaginis seminis Cyton. vel Lini ʒ.vj. Ceræ albæ parùm.

Possunt & olea Cucurbitarum & Lini seminum, recenter expressa addi.

Cùm dolor admodum vrget in Pleuritide: ℞. ol. Amygd. dulc. ol. Chamomel. vel de Meliloto aut Anethini an. ℥.j. axungiæ Anatis vel Anseris, Gallinæ vel Capi ana ℥.ß. mucilag. sem. Lini & Fœnogr. an. ʒ.vj. Galbani, Terebinth. an. ʒ.j. Croci ℈.j. Ceræ q. s. fiat linimentum.

Omentum pingue calefactum, lateri admotum, anodynum est.

Vnguenta & emplastra vsitata, cõuenientia sunt: Resumptiuum, ex Adipibus, Pectorale, Dialtheæ, filij Zachariæ, Mesuæi.

Post inunctiones, si folium Brassicę parùm calefactum & inunctum imponitur, ipsarum actionem iuuat.

Vel si cineribus Brassicæ combustæ locus vnctus conspergatur.

Quod si vnguento Dialtheæ priùs pectore inuncto, seminis Cimini puluis postea inspergatur, singulare remedium in pleuritide esse à multis prædicatur. Vti & radic. Ireos puluis inunctionibus inspersus.

Cubet in ægro latere æger, quia sic minus dolor vrget, capite thoraceq; eleuatis nonnihil, vt faciliùs spirare possit: Caueatq; ab omnibus motibus & corporis & animi violentioribus.

Symptomatum aliorum causâ: si vigiliæ vrgeant, hisce subuenitur, illis quæ affectui quoque conuenire possunt, vt Lacte amygdalino, cum emulsione semin. Papauer. & Croco dato: vel syrupum de Papauere reliquis commiscendo. Aliísve, vt in vigilijs dictum.

Diarrhœa si infestet, cùm periculosa, vti dictum, existat, syrupus Myrtinus, qui eam sistit & nihilominus expectorat, exhibendus reliquisque permiscendus. Venter renesque stipticis inungenda: sicuti in deiectione nimiâ dictum est.

Pleuritidis seu Peripneumoniæ, & illius quæ Pleuritis succingentis, si simul concurrant, curatio.

Inflammatio si in tunica succingente fiat, quæ tunc ad musculos interiores thoracis conuexi, sine dubio quoq; se extendit, quam pleuritidem priuatim tunicæ succingentis à vera dicta diuersam nominauimus, idq; pulmonibus simul inflammatis eueniat; tunc eadem cura quæ veræ pleuritidi competit, hîc quoque, cùm ea simul adsit, multaq; remedia quæ veræ accommodantur huic quoque prosint, conueniet. Comitis verò huius inflammationis causâ, topica externa, qualia illi, si sola sit, adhiberi decere iam dicemus, tunc quoque ex vsu erunt.

Pleuritidis quæ succingentis tantum est tunica curatio.

Quòd si verò latus tantùm intrinsecùs inflammetur, non pulmones, tunc reuellentia quoque & deriuantia, per venæ sectionem, scarificationem, cucurbitulas, aliáve, vt in vera pleuritide dictũ, locum hîc habebunt: Vti & quæ injiciuntur clysmata aut exhibentur aluum lenientia medicamenta.

Ea verò quæ expectorationis causâ exhibentur in pulmonum inflammationibus, cùm si extra hos sit in thoracis succingente, ad locum affectum peruenire minimè possint, neque materia inde ad fauces penetrare (vti demonstratum) expuique, hîc iuuare vt non possunt, sic expuitionem, screatum & tussim mouendo, latusque dolens sic concutiendo potiùs malum irritabunt. Et proin tunc non ijs quæ sputum mouent, nisi aliud quid accedat, exhibendis, laborandum: Sed ea potiùs quæ proprietate quadam in pleuritide vera iuuant, illic descripta, hîc quoque propinata competere possunt: quemadmodum & illa, quæ ad sitim sedandam, alendumque, in ea exhiberi consueta, illic explicata sunt.

Sed & topica externa remedia quæ in vera pleuritide adhibenda esse descripsimus, in hac quoque specie, cùm dolorem sedent, pectus relaxent, materiámque impactam concoquant, proderunt, eoque magis, quod lateri dolenti extrinsecùs apposita, loco affecto proximiora sint, viresque ob id citiùs rectiusq. quàm si pulmones affecti essent, exerant. Proindeque fotus, cataplasmata, inunctiones, vnguenta & emplastra illic exposita, hîc quoque vt eadem præstent, adhiberi possunt: maximeq; cùm & simul relaxando, materiam, vti & in angina hoc consultum esse diximus, ad exteriora euocent, & si inflammatio magna non sit, vti ferè in ea sede permanens, nec ad exteriora quoque tumorem proferens (de qua in externis dicemus) accidit, discutiant resoluantque: quod sicut in illa, vt à faucium angustijs cedat, ita hîc, vt ab interioribus pectoris extrorsum feratur, ne illic in abscessum conuersa, eo rupto, empyema post se relinquat, fieri maximè debet. Quo nomine & ab initio ab omnibus repellentibus in vtroque casu abstinemus, non quòd hæc pectus astringendo respirationi incommodent, vti communis est opinio, cùm adeò illud constringere nequirent, & si externa omninò esset inflammatio, quò minùs ijs vti deberemus, hoc minimè impediret, sed iam dictam ob causam: ob quam & vt materiam euocemus potiùs quàm repellamus, Cucurbitulæ etiam pectori quandoque opponuntur, aliaque ex alto trahentia: vt Pix malaxata cum oleo calido, additâ resinâ Abiegnâ vel Lariceâ, & tantillo Sulphuris, vel Sapone nigro dissoluto oleis, quæ omnia & simul attractum resoluunt & concoquunt, transeundo mox ad relaxantia iam dicta. Quibus si inflammatio euinci nequeat, circa finem calidiora adhuc in thoracis hac inflammatione, vt materiam, si fieri posit, ne in pus conuertatur discutiamus, vel si hoc effici nequeat, sed in abscessum abeat, quæ eum maturant, ac vt ad exteriora potiùs quàm interiora se aperiat, vti tumor auctus ferè facere solet, promouent, secus ac in vera pleuritide, pectori apponimus.

In progressu itaque thoracis internæ inflammationis, postquam externis remedijs in pleuritide explicatis anodynis & relaxantibus vsi sumus, doloreque remittente, nondũ tamen penitus cessante, vt reliquias inflammationis euocemus discutiamusq;, sequentia vsurpanda.

Fouemus latus dolens hoc pacto: ℞.rad. Liliorum rec.℥. quatuor, radic.Ireos rec.℥.ij. herb.Maluæ. Marrubij, Calamenti an.M.j. flor.Chamomil.Sambuci an.P.j.fl. Rosmarini P.ß.sem.Fœnogr.vel Lini ʒ.vj. semin.Carui, Cimini an.ʒ.j.ß. Ficuum paria vj. decoquantur in Aqua & Vino pro fotu.

Cataplasma ex residentia decocti contusa paratur: cui adduntur farinæ Fabaceæ ℥.ij. cinerum Caulium ʒ.ij. olei Liliorum ℥.ij. Mellis ℥.j.& apponitur. Si Fimi columbini ℥.j.ß.addatur, potentiùs eliciet.

Oleo Liliorum, Irino, Cheirino latus affectum inungitur.

Si lana succida hisce oleis intincta applicetur, vel illis superponatur. Vel folium Brassicæ, admodum euocat & resoluit. In quem vsum & Lanam sulphuratam solam adhibitam laudant.

Vel vtantur hoc vnguento, admodum discutiente: ℞.olei Liliorum ℥.ij.ol.Irini, Anethini an.℥.j.succi Ebuli vel Cęparum ℥.j.ß. aquæ Vitæ ʒ.ij.coquantur ad aqueorum consumptionem, adde rad.Ireos ʒ.j.ß.sem.Cimini ʒ.j. Croci ℈.ß. Galbani, Sagapeni, dissol. in aqua Vitæ an.ʒ.j. Lariceæ vel Terebinth. ʒ.ij. axungiæ Porci, Oesypi an.℥.ß.mucilag. semin.Fœnogræc.℥.j. Ceræ q.s. fiat vnguentum. Cui & Fimi caprini vel columbini si addatur, & Sulphur.an.ʒ.j.potentiùs operabuntur.

Vnguento Dialtheæ si pectus inungatur, semenque Cimini inspergatur, peculiare & hîc vt & in vera pleuritide, remedium erit.

Emplastrum Diachylon iteratum pectori admotum idem præstabit.

Quòd si verò post anodynorum vsum, sicuti dictum, dolor non remittat, sed augeatur potiùs, & præsertim si contactu dolor exacerbetur, magisque adhuc si tumor extrinsecùs aliquo pacto appareat, cùm tunc ad suppurationem tendat, quæ eam promoueant, applicantur. Qualia in angina collo

foris admota, hîc quoq; apposita proderunt: vti & sequentia.

Fotus id efficiens: ℞.radic. Altheæ ℥.iij. rad. Liliorum ℥.j. Maluæ, Scabiosæ, herbæ Vitri an. M.j. flor. Meliloti & Aneth. an. P.j. Ficuum paria vj. sem. Lini ℥.j. fiat decoctio in Aqua vel Lacte pro fotu.

Residentia contūdatur, adde farinæ sem. Lini ℥.j. mucilagin. radic. Altheæ & Cydon. an. ℥.j. Butyri ℥.ij. fiat cataplasma.

Maturabit efficaciùs sequens & abscessum aperiet: ℞. Cæparum & Liliorum bulbos, coquantur sub prunis parùm, contundantur, adde ad ℥.vj. rad. Altheę puluerisatæ ℥.j. farinæ Cicerum ℥.ij. fermenti Tritici vel Speltæ ℥.j.ß. pulpæ Ficuum ℥.j. adde Butyri & axung. Porci q. s. fiat cataplasma. Quod abscessum citiùs disrumpet, si Stercoris caprini vel Columbini ℥.j. addatur, & sem. Sinapis & Nasturtij an. ʒ.j.

Quod & motus thoracis vehemens, vt citiùs abscessus rumpatur, per clamorem sternutationem, vomitionem, sed non satis tutò efficiet.

Pleuritidis falsæ & Flatulentæ, & Pituitosæ dictæ curatio.

Distentio in succingente ab humore eò defluxo, vel flatu illuc irrumpente facta, si punctorios dolores in pleuritide pituitosâ & flatulentâ, ob hasce illorum causas dictâ, faciat, ea quæ humorem, si adhuc fluat, à pectore auertere, vel si flatus sint, eos ne generentur, & ne eò ferantur, impedire possunt, vsurpanda, locoque affecto in vtraque causa, quæ hæc discutiat, & digerant & absumant, adhibenda exhibendaque.

Diuersiones fiunt per Cucurbitulas, Frictiones, Lotiones extremitatum, aliaque quæ catharros sistunt, in defluxionibus auertendis vsurpari solita, quæ & flatus aliò rapiunt. Venæ autem sectio, non, nisi quando ob dolorem summum metuitur inflammatio, in plethoricis tantùm, aliàs minimè, locum habet.

Iniecta clysmata stimulantia reuellunt quoque & ad flatus è corpore exturbandos calida, & flatus discutientia injiciuntur, in illisq; Hiera dissoluta plurimùm laudatur.

Exhibita purgantia (præmissis si opus sit præparantibus) idem præstant. Non solùm leuiora reuulsionis causâ, sed & fortiora ad humores & flatus, qui ab illis prodeunt expurganda, exhibendo. Quod & rectiùs hîc fit, quàm si in pleuritide ab inflammatione nata (vti aliqui in ea quam pituitosam vocant, & ab inflammatione quoque prouenire putant, faciunt) illis vtamur. Et proin hîc potiùs Rhabarbarum, Agaricus & hisce fortiora Scammoneata, Colocynthidea, & quibus veteres quoque vsi sunt Helleborata, imprimisque Hiera colocynthidis à Galeno in pleuritide sananda commendata, quàm in inflammationibus internis, in quibus nullo vsu sed damno maximo cathartica damus fortia, vsurpari possunt. Quorum descriptiones passim in morbis à defluxionibus natis, præsertim hinc inde in habitum corporis, vti hîc in pectus cadentibus & palpitationibus à flatibus factis, proponuntur.

Vti & alterantium: quę horum omnium causâ propinantur.

In reliquis quæ exhibētur, hîc vt in pleuritide vera, expectorantia, nisi defluxio in pulmones quoq; delabatur, propinare nullius erit vtilitatis. Ex illis tamen quæ occultâ vi iuuant, si modò non siccante & digerente id faciunt, quædam illic descripta, in hisce speciebus pleuritidis quoque probantur, & iuuare posset creduntur.

Quales sunt Aquæ à carduis quibusdam (nisi fortè quia pungunt, punctiones sanare posse, occasionem hoc illis attribuendi, præbuerit) exstillatæ. Cardui imprimis benedicti fortè ob hanc causam appellati, & Lactei, quem religioso ob id nomine S. Mariæ appellant. Quorum & Semina eo nomine exhibentur: Vel Emulsionem lacteam ex illis expressam: vt & à sem. Cannabis propinant. Vulgus mulierum ex Glacie mensis Martij aquam elicitam in hosce vsus asseruant.

Alia quoque illic proposita, à recentioribus veteribusq; obseruata & descripta, quæ aliâ vi potiùs quàm becchicâ in pleuritide iuuant; Qualia sunt ex Dente apri, alijsque animalium partibus & plantis parata, hîc quoq; conuenire possunt. Atq; multa ex ijs fortè in hac pleuritidis specie magis quàm

in

in vera, cùm varia ex illis quæ calida vel sicca sunt, vti in inflammationibus certa ratione, nisi abditâ hoc faciant, competere nequeunt, sic manifesta quoque vi non solùm occultâ hîc operantur: atq; inter ea præsertim quæ Diosc. in lateris dolore, non nominatâ illius specie, vtilia censet.

Sed & quæ exhibita pectus dilatando dolores mulcent, vt oleum Amygdalarum dulcium, Lini, affatim propinata, hîc quoq; proderunt.

Potus autem nomine, Vinum hîc, nisi aliud accedat impedimentum, non improbatur. Vti & alia in potu & cibo, quæ in defluxionibus & morbis flatulentis vsurpantur, hîc quoque vtilia erunt.

Extrinsecùs quæ lateri dolenti apponuntur, humorem flatusque resoluere & discutere debent, doloremque compescere.

Cucurbitula maior illic cum flamma admota, humorem & flatum vi tractrice, non calore flammæ, vt putant aliqui (cùm non vt pectus calefaciat, sed vt cucurbitula hæreat adhibeatur) euocat, extrorsumque rapit & dissipat.

Calor actualis adhibitus idem facit, qui si blandus fuerit dolorem lenit, si validior discutit absumitque tenues humores & flatus, vti solis calor nebulas. Quod quibusuis pannis, puluinis alijsque indumentis, integumentis, priùs calefactis & admotis fieri potest. Vti & aqua calida, quæ vt adhiberi possit, caloremque diutiùs retinere, vesicæ, vel in vas æneum infusa, applicatur: Quod vt thoraci quadret, formari debet, ideoque pectorale dicitur. Quæ temperatè calida adhibita, etiam in vera dicta pleuritide, vt illic dictum, dolorem quoque nonnihil sedant.

Fotus autem imprimis actu potentiaque calidi validiùs id præstabunt, humoresque & flatus absument. Qui in spongia, philtro, lana, aliisve in hisce imbutis, & ne nimiùm madeant parùm iterum expressis, vel in vesica potiùs quàm vase æneo, cùm vis tunc minùs penetret, apponuntur, & cùm frigescere incipit, repetuntur, vel alio, quod præstò esse debet, permutantur.

Paranturque hi fotus ex decoctis: quale illud est, quod in inflammatione succingentis cùm in fine digerere volumus, præscriptum fuit.

Vel hoc: ℞. radic. Altheæ ℥.j. radic. Ireos, Galangæ an. ℥.ß. herb. Calamenti, Absynthij, Origani, Thymi an. M.j. florum Chamomel. Meliloti, Anthos, Stœchados an. P.j. seminum Carui, Cimini, Fœniculi an. ℥.ß. seminis Fœnogræci vel Lini ℥.j. baccarũ Lauri ℥.j.ß. conquassentur, decoquantur in Aqua & Vino, pro fotu.

Singulare experimentum in omnibus laterum punctionibus cuiusdam hoc est: ℞. aquæ seu spiritus Vini ℥.vj. Camphoræ ʒ.j. ebulliant parùm, donec camphora dissoluatur: adde dum adhuc feruet Santali odorati puluerisati ʒ.j.ß. madefiant hoc liquore panni & calidi applicentur.

Sacculi sicci, calefacti, præsertim in flatibus dissoluendis hic in vsu sunt; Hicque ferè in vsu est: ℞. Furfuris, seminis Milij integri, cuius loco & semen Panici & Auena sumi potest an. P.ij. Salis ℥.j. fricentur parum in sartagine, sacculoque imposita calida lateri applicentur: sæpeque, vt de fotu dictum, repetantur vel permutentur. Meliusque operabuntur, si vino dum torrentur parùm conspergantur, addendo interdum etiam parùm Aquæ vitæ, aliquando & Acetum album ad penetrationem.

Efficacior hic erit: ℞. baccarum Lauri P.j. bac. Iuniperi P.ß. seminis Carui, Cimini an. ℥.j. seminis Fœniculi ʒ.ij. herb. siccarum Hyssopi, Satureiæ, Thymi, Origani, Maioranæ an. ʒ.j. fl. Rosmarini, Chamom. an. ʒ.j.ß. radic. Ireos ʒ.j. Salis ℥.ß. fiat puluis pro sacculo: vti prior administrandus.

Residentia decocti, ex quo fotus parari diximus, si in sacculum fundatur, isque inter duos orbes, ne madore stillet, exprimatur, & sic calidè applicetur, idem efficiet.

Cataplasmata quoque ex illa residentia facta, eâdem ratione, vt in fine succingentis inflammationis docuimus, hic quoque proderunt.

Præsertimque si farinæ sem. Carui & Cimini an. ʒ.vj. quoque addantur, oleique Rutacei & Irini an. ℥.j. Fimi columbini vel caprini ℥.ß. Vitelli ouorum num.ij.

Qui-

Quibus oleis & vnguentis illic quoque expositis,& hîc latus inunctum,præcipuè si vt illic quoque dictum sem. Cimini postea inspergatur,quod in omnibus causis omnes probant,ad humores absumendos & flatus discutiendos,vtile existit.

Quod & ceratum hoc applicatum faciet: ℞.Thymi,ʒ.j.ß.Spicę,Gariophyl.Santali rubri an.ʒ.ß.Styracis calam.ʒ.j.Cerę rubr.℥.j.ß. axungiæ Porci pauxillo subigantur,fiat ceratum rotundum. Cui & rad.Ireos ʒ.j. addi potest.

Emplastrum de baccis Lauri per se,malaxatum fæcibus ol.de Lilio,& applicatum proderit: Vel permixtum cum æquali portione prædicti cerati.

Vel hoc: ℞.gummi Opponacis,Galbani, Serapini,Sagapeni an.ʒ.ij. dissoluantur in æquis partibus aquæ Vitæ & Aceti albi,adde pulueris seminis Cimini ℥.ß.sem. Carui,Seseleos,Leuistici an.ʒ.j. Rutæ fol.sicc.ʒ.ß. Sulphuris ʒ.j. subigantur oleo Rutaceo vel de Pulegio,additâ paucâ Laricea Pini fiat emplastrum.

Alia applicatio ex Mellis & ol.Absynthini æquis partibus inuicé parùm coctis subactisque facta conuenit.

Huc & multa remedia referri possunt,in externis doloribus, qui in habitu corporis ex defluxionibus vel flatibus prodeunt,explicata.

DE CORDIS DOLORE.

CAPVT XI.

Genera.

Cordis dolor, Cardialgia Ventriculi seu Stomachi dolor.

ORDIS dolor Cardialgia, Hertzwee. Stomachi dolor, seu Ventriculi ille communiter appellatur,qui proximè sub pectoris anteriore sede in molli & nuda,illic vbi costæ ab inuicem dehiscunt regione, quæ fouea cordis dicitur,occurrit: ad sinistrum latus & dorsum vsque protensus. In quo loco præ omnibus alijs dolores frequenter oboriuntur & molestiæ. Qui primùm variant: quòd vel non consueti, vel consueti existunt. Non consueti dolores sunt,qui de nouo superueniunt: ob causam aliquam nouam exorti: vel in morbo aliquo,cuius sunt symptomata. Quorum genera manifesta, prout sensum diuersimodè mouent, sic statuuntur.

Comprimens vel distendẽs cordis dolor.

Comprimens dolor vel distendens,quem vulgus Germanorum,Compressionem cordis, Hertztrucken vocat, Peryodina quorundam, ille est, in quo in dicta cordis fouea pressio quędam vel distentio sentitur:Nunc leuius molestans, nunc grauiùs angens, cum appetitu ferè prostrato, nonnunquam & nausea, superuenientibus insuper ructibus interdum, aliquando & vomitu, nonnunquam & diarrhœa; quibus etiam leuantur.

Hoc genus per se frequenter oritur à causa aliqua recenti,& vel aliquamdiu permanet, vel post cibum sumptum primùm suboritur, eoque digesto remittit. Aliàs multorum morborum symptoma est. Adeò vt nullus ferè sit,qui non vel dum alio morbo teneretur,aut etiam extra morbum,eum sæpiùs senserit.

Rodens cordis dolor seu morsus, Cardiogmos.

Rodens dolor, Cardiogmos,Cordis rosio & morsus vocatur. In quo erosionis & mordicationis sensus cum punctionibus interdum quibusdam in cordis dicta regione sentitur,accedente nonnunquam compressionis,aliàs etiam ardoris sensu.

Picrocholi.

Quod vt in multis morbis,ita & in sanis alioquin quibusdam & præsertim dum ieiuni sunt, sæpè euenit: alijs ante prandium si illud diutiùs differant,qui Picrocholi vocantur,quibus eiusmodi rosiones familiares sunt. Cùm oris amaritudine,alijsque capitis & visionis impedimentis se plerumque offerentes: sicuti illic quoque ostensum fuit.

Alijs ante cœnam potissimùm hoc accidit,si scribendo inclinantes huic sedi,seu vt vocant, ventriculo incumbant, tunc eiusmodi incommoda sentiunt, appetitumque omnem cœnandi amittunt. Qui & hoc metuentes, stantes ante pulpitum altiùs erecti legendo vel scribendo, hoc vitium præcauent.

Sed & summo mane antequam è lecto surgunt,hoc quibusdâm contingit,si vigiles diutiùs

diutiùs iaceant: quod tamen poſtquam ſurrexerunt, aluumq; reddiderunt, aut flatus, mox iterum remittit. In aliis verò hoc primùm poſtquam ſurrexerunt, ſubitò accidit, & ſternutatione ilico facta, iterũ euaneſcit.

Nec ſolùm ieiunis, ſed & poſt cibum, illius immoderati & praui vſus causâ, roſio hæc cum compreſsione ſępenumerò accidit. Cuius priuatam quandam ſpeciem Bairus ſtatuit: ſi poſt cibum cum compreſsionis ſenſu & ſumma anhelitus difficultate, frigore corripiantur, pulſusque debilis ſit; atque ratione cauſæ, Conuerſionem cibi in phlegma, hunc caſum vocat: cuius & Galenus meminit.

Cardiaca.

Sed & omni tempore, aliis etiam de cauſis, ſicuti in illis explicabitur, cardialgia, qualis ante vomitionem ventriculum affligere & perturbare ſolet, moleſta interdũ eſt. Vti & alia, quæ ab externis iniuriis, frigoreque imprimis, vti dicetur, prouenerit. Vel quę ab aſſumptis ventriculum grauiter lædentibus cum punctione ſimul euenit. Cæterùm huic doloris generi, ſi animi defectus aliquis accedat, vti ſæpe fit, tunc & priuatim, vt in animi defectu dictum, Cardiaca dicitur.

Ardens cordis dolor.

Ardens dolor, qui calore vehementi ac veluti vrendo moleſtat, etiam ſanis alioquin ſæpe moleſtus & frequens eſſe ſolet, tum cibo ſumpto, tum ieiunis accidens.

Ardor ventriculi ebulliẽs, ſodt Germ.

Inter quos frequens ille eſt, in quo cùm eructare volunt, vehementem ardorem ſentiunt, intercluſo veluti aëre flammeo in gula, nec erumpere valente, idque poſt cibum ſumptum præſertim, corporeque validiùs per equitationem aut curſum, aliúmve motum validiorem tunc commoto: quem affectum Germ. Sodt vel Sutt quod ebullitionem ſignificat, vocant: noſq; Ardorem ventriculi ebullientem vocare poſſumus: cuius etiam mentionem in eructandi difficultate fecimus.

Multorum morborum ardens dolor quoque eſt ſymptoma: Imprimiſque priuatus quidam & ſummus dolor, ac veluti inflammans in morbo ventriculi graui (vti dicetur) occurrit, pungens, diſtendens & pulſans, qui cõtactu illius loci & preſsione exacerbatur, & in dorſum vſque protenſus, ac ſi cingulo corpus illic ſtringeretur, arctat, ſcapulaſque deorſum trahere videtur. In quo deglutitio & eructatio non ſine labore doloreque fieri poſſunt: Diſpnœa adeſt: Reſpiratio cita & parua ducitur. Febriſque interdum illi comes continua: cuius cauſa pulſus citus vrinæque tinctæ ſunt: Cruentumque nonnunquam aliquid aut pus euomitur. Qui affectus Inflãmatio vel phlegmone ventriculi, à morbo vnde prodit, vti dicetur, appellatur: & Apoſtema ventriculi à multis vocatur, licet ſi in abſceſſum abeat, rectiùs tunc ſic dicatur.

Alter quoque ardentiſsimus dolor, cum vomitu aliiſque accidentibus periculoſis ſimul tunc infeſtantibus, accidere poteſt: ex morbo alio ventriculi, eryſipelate ſcilicet, ſicuti in cauſis dicetur, obortus, & Eryſipelas quoque ob eam cauſam appellatur.

Cardilæa.

Conſuetus dolor ſeu moleſtia, in cordis regione dicta, ſæpe & leuem ob cauſam recurrens, Cardilæa ad differentiam cardialgiæ (ſicuti capitis dolores hoc pacto quoq; diſtinguuntur) dici poteſt. Suntque duæ illius ſpecies, pro diuerſitate naturarum, quibus hæ accidere & conſuetæ eſſe ſolent, diſtinctæ, & ex eo potiſsimùm cognitæ, quòd in aliis appetitus eſt languidior, in aliis verò vehementior.

Imbecillitas ventriculi dicta cordis moleſtia.

Languidiore appetitu conſtantes naturæ, aliiſque accidentibus, quæ à concoctionis imbecillitate prodeunt, ventriculi doloribus cõſuetis obnoxiæ ſunt, qui cõprimendo & diſtendendo, grauiuſque interdum quoque vt rodendo moleſtant, & leui aſſumptorum peccato, aliarúmve externarum, vt frigoris præſertim occurſu, contra quod ventriculum perpetuò munire coguntur, excitantur. Qui dolores, cùm à cauſa, quæ eſt Imbecillitas ventriculi, oriantur, ſub eo quoque deſcribuntur, eodemque nomine appellantur.

Caliditor vẽtriculi appellata cordis moleſtia.

Vehemẽtioris appetitus naturæ, auidiúsque ob id cibos appetentes, eoq; ſe implentes, ventriculi dolores eos facilè patiuntur, cuiuſmodi à cauſis eum vellicantibus & irritantibus rodentes & ardentes, vt in cauſis explicabitur, contingere ſolent. Qui vt in illis à vehementiore tantùm exceſſu fiunt, ſic

iisdem etiam ob leue commissum, acrisque alicuius cibi aut salsi vsum contingunt familiaresque sunt. Qui dolores pro ratione causæ itidem, sub Calidâ constitutione describuntur, nec dum aliter nominantur. Germ. & symptoma & causam exprimentes, Heiß hungerig eos vocant.

Causa.

LOcus seu pars, quæ in sede dicta, quam cordis regionem vulgò appellant, afficitur & dolet, non est cor: cùm neq; huic subsit, neque cùm insensile sit, vti aliàs ostendimus dolere possit. Sed vel ventriculus, qui eam sedem occupat: vel coli & septi transuersi portiones eousque pertinentes.

In ventriculo, causa cordis doloris. Ventriculi potissimùm causâ hanc sedem ad sinistrum latus vsque occupantis, cùm sit admodum sensilis, illiusque maximè introitus superior, quem stomachum vocant, propter insignes neruos quos recipit, exquisitissimè sentiat, hi dolores eo in loco prodeunt: illiusq; maximè orificij causâ quod cardian, cor appellant, idque quia cordi vicinũ est, cùm proximè sub corde descendat, illícque statim septum permeans, ventriculo continuetur, illius dolores ac si in corde fierent, sentiuntur, cordique veluti communicantur, cùm si graues sint, syncopem, vt in cardiaca dictum, inducat. Dolores hi proin, & quicunque in hac sede fiunt, cordis dolores seu Cardialgiæ vocantur. Facilè itaque propter eximium hunc illius sensum, cùm ventriculus afficiatur, illudque frequenter fiat, propter iniurias, quibus cùm in eum varia assumantur feranturq;, quiaq; foris prominet, expositus est, dolores qui ventriculo accidunt, varij & multi existunt. Qui vel primariò & per se ventriculo affecto contingunt, à causa hos efficiente, morbo scilicet: qui est intemperies calida, frigida, distentio, & aggrauatio, vellicatio, irritatio. Idq; maximè accedente câusa adiuuante: dispositione nimirum ventriculi, quæ facilè patitur, qualis est imbecillior aut calidior illius constitutio. Vel per consensum hi dolores ventriculo, neruorum ipsi insertorum causâ accidunt. De quibus singulis hoc ordine quo id faciunt, agemus.

Calida intemperies ventriculi, causa cordis doloris. Calida intemperies sola sine materia vix dolorem efficit, cùm calidis potiùs gaudeat & iuuetur ventriculus, vel si admodum incalescat ab assumptis & in morbis calidis, vt in febribus, hepatis calore aliisve, nisi aliud accedat, sitis potiùs, quàm dolor affligat: nisi ex accidenti, alia interueniente causâ, vt in constitutione calida ventriculi ostendemus, hoc fiat.

Inflammatio ventriculi causa Ardêtis cordis doloris. Inflammatur nonunquam ventriculus ita accensus, vt è venis quibus abundat, sanguis in substantiam illius effundatur, sequiturque tunc ardens ille dolor, quem Inflammationem quoque vocauimus. Quæ nunc pura est: aliàs verò erysipelatodes, si sanguis qui influit tenuior calidiorque fuerit, tuncq; maior quoque ardor erit. Rariùs tamen in ventriculo inflãmatio, cùm noxas suas præsentiens, statim sursum deorsumq; propellat, & vix dum nisi à causa violenta, suboritur. Qualis contusio ventriculi, dum præsertim cibo turgeat, facta, vna esse potest. Vel si calidissima actu potentiáve, vt cantharides, sublimatum, sumpta, eum subitò inflamment. Potest tamen & ob feruorem sanguinis in venis meseraicis, in febribus, aliisve morbis in eum effusi, hoc sine causa externa accidere. Quæ inflammatio & in abscessum nonnunquam conuertitur, tuncque dolor augetur, eoque rupto, pus vomitur.

Frigida intemperies ventriculi, causa Rodêtis cordis doloris. Frigida intemperies simplex, siue humida, siue sicca simul fuerit (etsi hoc aliqui negent) vt nerueis partibus, sic & ventriculo aduersa, dolorem in eo non infrequenter eum parit, qui cum rosionis sensu, accedente veluti animi defectu, sese offert.

Quod ab externo aëre frigido, si nudam ventriculi regionem subitò refrigeret, sæpe accidit: in macilentis præsertim, cùm hanc sedem non bene integunt, vel dum calent & sudant, aperto thorace pectus subito denudant, aërique frigido exponunt: vnde grauiter ipsos de cordis dolore, vt aiunt, conqueri, animoq; interdum deficere sæpe obseruaui. Quod & ab aliis frigidis actu subitò admotis, vt aqua, integumentis aliisve potest accidere.

A potu frigidissimo, aquę præsertim, quę fere

ferè congelata erat, vel vini, quod glacie impositâ magnates summè frigidum reddunt: vel aliis, vt lacte, idem cōtingere potest: idq; præcipuè, si, dum corpus admodum calet, vti ferè illis consuetum, hoc faciant: vnde postea etiam grauiora sequuntur accidentia.

Ab humore frigido, subitò & affatim in ventriculum à capite defluente, idem potest euenire, vnde nausea & compressio quoque cum cæteris molestat: vel si vitrea pituita acidáve in eum subitò irrumpat. Nam quæ sensim in eo generatur, humectando, eumq; sic relaxando, potiùs imbecilliorem ad functiones edendas, quàm quòd dolorem adferat, reddit, nisi copiâ suâ quoq; grauet & repleat: sicuti in eo dolore causa explicabitur.

Distētio, aggrauatio, compreßio vētriculi, causa. Comprimētis cordis doloris, nonnunquā & Rodentis.

Distentio ventriculi illiúsve aggrauatio, vel etiam cōpresśio intus forísve facta, compressiuum dolorem illius, vel simplicem vel rodentem quoque nonnihil parit. Quæ à variis causis sequentibus illi euenire possunt.

Assumpta, cibus magis quàm potus (cùm citiùs pertranseat, &, vt inquit Hippocr. faciliùs sit impleri potu quàm cibo) copiosiùs ingesta, ventriculum grauant, distenduntq;: quod noctu præsertim cœnâ liberaliore prægressâ, quibusdam familiare est, huicq; sententiæ vulgò receptæ occasionem præbuit: vt sit nox leuis, sit tibi cœna breuis. Qui si admodum se ingurgitauerint, septi transuersi liberum motum impediendo, dyspnœam aliquam simul patiuntur: adeò vt & in suffocationis periculum nonnunquam veniant. Quo aliquem fuisse periclitatum, qui panes plures præmio posito, deuorarat, aliamque quandam virginem, quæ castaneis se impleuerat, idem passam fuisse vidi: mulieremque senem, quæ in die paschatis adeò carne & ouis se ipsam effarserat, extinctam, obseruaui. Idem quoque, si aliud quid duri quod ventriculus concoquere & euincere nequeat, vt sunt lapides cerasorum, affatim deglutiantur, euenit. Vel alia dura corpora ingerantur, sicuti ille circulator lucri causâ, silices deuorare solebat.

Inflatio vētriculi illiusq; causa.

Flatus ventriculum implens, distendentem illius dolorem parit, quem Inflationem ventriculi ob flatum vocant. Qui vel in ventriculo ex cibo potúve, crudis, aqueis, flatulentis existentibus, humoréve tali, vel à ventriculi cruditate, aut diminuta vi cōcoquendi nascitur, in eoq; colligitur, ventriculúmq; distendit, & si copia simul adsit excrementitij humoris, vnde originem trahit, simul grauat. Ab intestinis si in eum irrumpat, quod tamē rariùs fieri, ex eo cùm ructus qui tunc eduntur, non excrementosum, sed acidum aut nidorosum odorem spirent, colligitur, idem quoque accidere potest.

Aër per gulam eò delatus ac deglutitus, quod nonnunquam auidè bibendo aëremq; simul hauriendo fit, si copiosus esset, illicque subsisteret, idem faceret, sed quia mox iterū cibo ab œsophago in ventriculum delapso, per eandem viam liberâ denuò per ructum erumpit, rariùs illud accidit. Si tamen cibo hinc inde confusus, subsistat, vt in farciminibus, cum carne dum illa intruditur, commisceri videmus, tunc hisce concurrentib. citiùs grauatur ventriculus & distenditur.

Humor excrementitius, crudus, pituitosus, in ventriculo ex cruditate congestus, vel à cerebro defluxus, non solùm si frigidus sit, intemperie suâ, sed & si copiosus sit, eum grauando compressionis hunc sensum præbet, & si in flatus cōuertatur, admodum angit. Quæ cruditas ab imbecillitate ventriculi, vel cibi indigestione proficiscitur. A qua, si phlegma crudum tale, quale describunt, gignatur, tunc priuatim species illa à quibusdam annotata, quam conuersionem cibi in phlegma vocant, prodit.

Tumor præter naturam durus, magnus, si in ventriculo generetur, vt callus, post læsionem illius remanens (qualem insignem in porci ventriculo bacillo perforato, & in vesica vaccæ contusa ex casu, vidi) vel aliàs scirrhus illic natus, aut durities quędam exorta, eum grauando quoque sine dubio, magisque cibo sumpto, molestat.

Adiacentium viscerum causâ ventriculus quoq; sic afficitur, si ab illis nimiùm impletis, obstructis, tumētibus, induratis prematur, aut etiam inflāmatis simul accendatur, vnde compressiuus aliúsve illius occurrit dolor. Qualem in hepatis illi incumbētis, & lienis eidem succumbentis, eiusmodi vitiis, & renibus quoque non procul dissitis,

aut septo adiacente, inflãmatis, & colo ventriculo substrato & adnato, distento admodum, ventriculus persentit. Quinetiam frequenter accidit, vt introrsum flexo osse xipheidi, sicq; subsistente & confirmato, ventriculus cibo plenus & distẽtus, in illud impingens, ab eoque pressus, molestiam tamdiu sentiat, donec, cibi digestione factâ, ille rursum subsideat, vel decubitu in dorsum, ab eo retrocedat. Sicuti hoc vitium multis vidi contingere.

Ab externis ventriculo incumbentibus duris aut grauibus, idem potest fieri. Sicuti non tam muniendi ventriculum, quàm corporis gracilis, quod elegans esse existimant, fingendi gratiâ, pectoralia admodum suffarcinata & spissa gerentes, hoc incõmodum, postquam præsertim se cibo impleuerunt, sentientes, illud, vt superbiæ locum dent, patienter ferunt.

Vellicatio vẽtriculi, causa Rodentis cordis doloris.

Vellicatio, vel etiam titillatio sola ventriculi, conatum ad vomendum, vomitumque ipsum concitando, ventriculumque (vt vocant) subuertendo, dolorem illum qui hæc præcedere solet, procreant: grauiorem diutiusque in illis perseuerantem, qui ægrè vomere vel minimè possunt, leuiorem in aliis. Sicuti ab omnibus illis, quæ nauseam vomitumque excitare possunt, & in omnibus morbis, in quibus eiusmodi ventriculi subuersiones adesse solent, tales cardialgiæ ventriculi gignuntur. Lumbrici quoque in ventriculum irrepentes, eum motu suo potiùs quàm suctione, præsertim circa orificiũ ipsius sensisse, si eò ascendant, sic molestant.

Irritatio grauis vẽtriculi, causa nunc Rodentis, nũc Ardentis cordis doloris.

Irritatio grauior eundem magis adhuc subuertit, offenditque. Quæ à vomitoriis exhibitis dictis, vehementioribus, & quæ vel vi acri, vel adurente, vel erodente, eum stimulant, vt helleborus, stibium, præcipitatum, similiaque, procedit. Aut aliàs à veneno aliquo sumpto, quod venenatâ suâ vi & ventriculo & cordi insidiatur, atque cardialgiam & cardiacam mox passionem simul procreat.

Vel à cibo ex sua natura acri, veluti cæpis, porris, alliis, caseo putri: vel adurente, nasturtio, sic crateuæ, similibusque: post quorum esum, qui calidioribus præsertim sunt ventriculis, singultiunt, ructant, rosionem ardoremque sentiunt. Quod & à cibo, licet per se non tali, sed corruptione primùm acrimoniam adipiscente in ventriculis, qui cibos facilè corrumpunt, euenit: vt à dulcibus, pinguibus, rancidis præsertim, humidisque, veluti ouis, lacte, cucumeribus, similibusque fructibus horariis, qui corrupti nõ in frigidam, vti existimatur, sed acrem & biliosam materiam degenerantes, iisdem tunc accidentibus ventriculum molestant. Quæ & ciborum prauitas aut corruptio, in calidioribus præsertim ventriculis, huic priuato ardori, quem Ebullientem vocamus, occasionem præbere potest: si succus vel humor ille calidus & ardens, qui inde gignitur, & veluti ebulliens, quod maximè, dum concoctio ciborum fit, accidit, eoque magis si per corporis commotionem vehementiorem eo tempore ventriculus conturbetur, eaque quæ continet, inuicem confundantur, è bullis disruptis halitum ardentẽ, flammæ instar, diffundat. Qui dum per ructum erumpere nititur (sicuti in eructandi difficultate hoc quoq; ostendimus) in angustias stomachi orificij sensiles admodum perueniens, illud vehementer vrit, sed mox, dissipato eo, iterum cessat, rursumque nouâ expiratione redeunte (veluti in offa dum coquitur, bulliente, illud fieri videmus) redit, idque tam diu, donec concoctione absolutâ cesset, aut assumptis humidis aliísve, ardor ille restinguatur, vel horum permistione succi huius acrimonia contemperetur & compescatur.

A bilioso humore ac flauo & viridi magis adhuc, & denique atro adhuc ampliùs, ventriculus frequenter irritatur, & si pertinaciter illi adhæreat, veluti eroditur & vritur, dolorque Rodens & Ardens oboritur.

Quæ bilis interdum in ipso vẽtriculo nascitur, ex assumptis, quæ ob illorum prauum succum, quem in se continent, in bilem degenerant, vel ex cibis aliis, qui ex sua natura multum bilis generant: Vel in illũ per duodenum intestinum infusa, morsiones & rosiones vẽtriculi, dum ieiunus præsertim est, quia tunc faciliùs afficitur, in picrocholis consueras parit.

Quæ si in ventriculi substantiam dalata, cum bile imbuat, diuturnior tunc illius sequetur ardor. Sicuti cōtingere potest, quando ob contactum bilis vesiculæ, ventriculi regio illi incumbens, & contigua inficitur, croceoq; colore tingitur maculaturque, ad interiora illius maculâ croceâ quandoq; penetrante: quod sectione in illis sic se habere, quibus ardor ventriculi perpetuò ferè molestus erat, inuenimus. Quod & illis potest accidere, quibus ferè copiosior in cysti fellis bilis colligitur, eaque diluta magis transudat, & vesiculam perfluit, vicinaque (sicuti sæpe spectauimus) intus forisque inficit. Eoque citiùs in illis, quibus ventriculus rarò vacuus, sed semper crapulâ distentus est. Vel qui, dum scribendo aliúdve agendo, dū corpus inclinant, ventriculum ad bilis vesiculam validiùs premunt, eamque veluti exprimunt: quo tempore & tunc maiores fiunt ardores.

Erysipelas ventriculi

Sicuti & ardentissimus sine dubio dolor erit, & periculosus, si erysipelas ex sincera bile, in substantiam illius infusa, nascatur. Quod quoque fieri posse, morbumque grauem & periculosum, cum vomitione continuò infestantem, ventriculo perpetuò irritato, nasci credibile est.

Ab acutis casu deglutitis, vt spinâ, acu, vitro fracto, (quod ebrij desperati homines interdum dentibus scindentes & cōminuentes, studio deuorant) similibúsve, si ventriculus punctim sectímve vulneretur: non solùm rodens, sed & pungens lancinansque dolor vrget.

Ab aliis malignis & venenatis humoribus in corpore genitis, ventriculus offensus quoque in eiusmodi morbis, dolores patitur, vnà cum lipothymiis, quæ tunc superueniunt.

Imbecillior ventriculi constitutio, causa illius molestiæ quæ imbecillitas vētriculi dicitur.

Imbecillior ventriculi constitutio, Imbecillitas ventriculi appellata (quam alij, si ab intemperie aliqua prodierit, non ea quæ dolorem per se inducit, de qua dictum, sed duntaxat labefactat, prout illa fuerit, vel frigidam vel humidam, vel siccam stomachi intemperiem quoque appellant) vti segniùs ipsius functiones peragendo, & imprimis difficilem & tardam concoctionem, Bradypepsiam dictam, & cruditatem inde natam efficiendo, varia inde nata symptomata producit, vt appetitum prostratum, nauseam, ructus, cachexiam similiaq;, aliis locis, quomodo hoc fiat, explicata: ita & doloribus, ob excrementorum prouētum, à quibus postea ventriculus molestatur, occasionem præbet, quos consuetos Cardileæ nominatæ speciē, Imbecillitatem quoque ventriculi vocatam, constituunt.

Talis autem ventriculi imbecillitas à caloris ipsius insiti seu natiui penuria ab ortu, ab ætate in senibus, quæ & insita est & permanens, proficiscitur. Aliàs verò à morbis diuturnis, ventriculo sæpe labefactato, ab euacuationibus nimiis, & venere, vti vniuerso corpore, sic & ventriculo debilitato, prouenit. Vel à frigiditate & humiditate, vnde ventriculus laxior; aut siccitate, vnde astrictior, cibos rectè amplecti nequit: quæ intemperies à causis externis internísve, vel morbis, diu vel admodum ventriculi temperaturam in frigidiorem, humidiorem, vel sicciorem, imbecillitatemque ab his causis natam, peruertentibus, proficiscuntur. Sed & organi alio vitio, hæc ventriculi imbecillitas aliquamdiu vel semper durans, nascitur. Inter quæ ipsius tenuitas, ob nimiam & sæpe iteratam illius ex crapula distentionem, nata & permanens, occasionem huic imbecillitati sæpissimè præbet, cùm, quò crassior est ventriculus (exemplo auium, quæ, quòd crassimos habeant ventriculos, durissima legumina conficere possunt) eò rectiùs & citiùs res quoque concoquat & euincat.

Calidior vētriculi constitutio, causa illius molestiæ, quæ Calidior ventriculi molestia esse dicitur.

Calidior ventriculi quoque constitutio, etsi naturaliter adhuc ab ortu progressa sit, vel postea continuo vsu calidorum, vel quia citiùs quàm par erat, iuuenes illis vtuntur, contracta, vel quòd talis post morbos calidos, veluti empyreuma quoddam relicta sit, quamuis per se, si rectè gubernetur, morbosa nondum existat, tamen, quia vt facilè cibi corrumpantur aliqui, & in bilem acresque succos abeant, occasionem dat, per accidens sic cardialgiis iis, quæ ab humoribus illis, vti dictum, nascuntur, causam præbet. Quæ dispositio ventriculi maximè ex eo cogno-

ſcitur, quòd ſitibundi ſint, acidis delectentur & iuuentur, dulcia auerſentur, illiſque offendantur, vt & calidis cibis, acribus, aromatizatis, ſalſiſque; & potu vini meracioris potentioriſque; duros cibos citò concoquant, alios facilè corrumpant.

In neruis ventriculi, cauſa Doloris ventriculi. Neruorum quoque cauſâ, quibus ſtomachus circa introitũ refertus, & duobus neruorum generibus intextus eſt, accidit, vt in omnibus ferè morbis dolorem intẽſum adferentibus, ventriculus per cõſenſum hunc neruorum quoque aliquid patiatur. Vnde & in colicis, nephriticis aliiſq; intenſis cruciatibus, etiam in procul diſsitis locis euenientibus: vti & à vulneribus, contuſionibus profectis, non ſolùm compatiente ventriculo, appetitum proſtratum adeſſe videmus, ſed & condolere, adeò ſæpè, vt ſi ventriculo pleno exiſtente hæc accidant, contenta in eo nonnunquam euomant.

Sed & eorundem neruorum cauſâ accidit, vt ventriculus ſenſu exquiſitiore quàm par erat, præditus, faciliùs incõmoda, etiam leuia alioquin perſentiens, doleat, & à grauioribus affectus, grauiter offendatur, adeò vt ad ſyncopen ægrum impellat. Dein & ob hunc conſenſum, in animi grauioribus affectibus, cordis dolor ventriculi quoque offenſi cauſâ euenit, aliæque ventriculi functionum læſiones, imprimiſq; appetitus deiectus, ſeſe manifeſtant.

In colo inteſtino, cauſa doloris cordis Rodẽtis. Coli inteſtini dolores, illic vbi ventriculi fundo colon attenditur, atque omenti intermedio proximè illi connectitur, facti, ad cordis dolores quoque referuntur: cùm eâ in regione quæ cordis eſſe dicitur, ſe quoq; tunc manifeſtent. Quemadmodum ſi à flatibus aut excrementis illic ſubſiſtentibus, colon ibi diſtendatur aut irritetur, accidit, vt ſi in ventriculo ille eſſet dolor, vix tamen diutiùs fixus, ſed vagus, qui ad hypochondria & in latera deorſum vſq; excurrit, ſentiatur. Veluti & in aliis cordis cruciatibus, eos quoque eò vſque ſurſum porrigi, & circa ventriculi ſedem etiam deprehendi, experimur. Adeò vt coli inteſtini dolores aliqui, ventriculi eſſe cenſeantur.

Hincque fit, vt manè decumbentibus in lecto diutiùs, nec dormiẽtibus, quia eo tempore alui excrementa, quæ ſurgentes mox reddere ſolent, in coli ſuperiori ſede retenta, nec propter decubitum deſcendentia, colon illic vellicant, & per conſenſum ventriculum ſimul irritant, & nauſea & cardialgia quædam aliquamdiu moleſta interdum ſit: quæ tamen mox è lecto ſurgẽtibus, deſcendentibus hiſce tunc excrementis, præſertimque flatu aliquo erumpente per aluum, vel excrementis deiectis, ceſſant.

Atque inde etiam fit, quòd medicamento cathartico aſſumpto, poſt horas aliquot cùm operatio illius incipere debet, tranſeuntibus tunc excrementis prauis per coli hanc ſuperiorem viam, tamdiu donec deiectio ſequatur, murmura illic ſentiant, & grauis ſæpe cardialgia, adeò vt in ſyncopen interdum cadant, affligat, vomitus vrgeat, & cùm deiectiones redeunt, repetat. Quæ omnia cauſam horum in colo inteſtino, non ventriculo exiſtere, ſatis demonſtrant: cùm ſi in ventriculo illa eſſet, mox ab initio, dum medicamentum ſumptum in ventriculo adhuc hæret, vti quandoque fit, dolor ille, non tunc demum quando diu pòſt vlteriùs cum excrementis ad colon vſq; progreſſum, verſus exitum contendit, suboriretur.

In ſepto trãſuerſo cauſa doloris Compr. mẽtis. Septo tranſuerſo affecto, cùm illud ventriculum nõ ſolùm poſteriore totâ ſede tangat, ſed & ſtomacho connaſcatur penitùs, dolores ea in ſede, quæ cordis nominatur, interdum quoque ſe produnt. Cùm illud prauis aut multis euaporationibus incubo, vteri ſuffocatione, aut alio morbo moleſtatum, præter dyſpnœam quæ ſequitur, dolorem, qui cinguli inſtar corpus in eo loco ambit & ſtringit, infert: & ſi vẽtriculus conſentiat, illi quoque condolet. Sicuti & ventriculi affecti cauſâ ſepto impedito, dyſpnœa, illius quoque cauſâ adeſt.

Curatio.

CVratio ſecundùm cauſas inſtituitur, illiſque accommodatur hoc ordine. Primùm ventriculi affectibus medendum, vnde cardialgiæ diuerſæ ſpecies functionumq; ipſius, & concoctionis præſertim læſiones, cruditaſque prodeunt, quorum curatio eâdem operâ explicatur. Sunt autem hi morbi, ven-

bi, ventriculi inflammatio, refrigeratio, distentio, inflatio & aggrauatio, vellicatio, irritatio: vel aliàs, ipsius imbecillitas, calidiórque constitutio. Vel affectus per consensum neruorum causâ. Dein ex colo septóue affectis, si illorum causâ cardialgiæ sequantur.

Inflammationis vētriculi curatio. Inflammatio ventriculi, cùm rariùs, & vix nisi à causa violenta accidat, eo maius, cùm sit in parte nobili summeque sensibili, adfert periculum, præsertim si magna sit, cùm tunc & dolor grauissimus conuulsióque interdum sequantur. Curaturque rectiùs si resoluatur: nam si suppuretur, in abscessum, inde in vlcus versa, nudum inducit morbum æquè noxium, qui ægrè sanatur, & quandoque post se duritiem callosam ventriculo quoq; incōmodantem, relinquit.

Scopus curandi est, vt, si in principio adhuc existit, augmentum illius impediamus, caloremque restinguamus, dolorem leniamus, febris interim habitâ ratione, & animi defectus, quem facilè patiuntur, & vt dein materiam fluxā resoluere studeamus, quòd si fieri nequeat, maturemus, vlcusque sanemus. Quod sequentibus remediis præstatur.

Sanguinis detractio per venæ sectionem in brachio facta, in principio confert: etsi enim à venæ portæ ramis ventriculi venę deriuentur, tamen à venæ cauæ ramis sanguinem extraxisse, quòd tū ratione febris, si adsit, conferat, & hoc modo quoque alia fiat reuulsio, iuuabit.

Iniecto clysmate, reuellimus & refrigeramus, doloremque lenimus: cùm illud ad colon vsq; ascendens, vires suas ventriculo cui colon proximè subtensum est, cōmunicet.

Purgantia fortiora minimè exhibenda sunt, cùm locum affectum, quò statim perueniunt irritando, dolorem vti & intemperiem calore suo augerent. Laxantia tamen temperata in progressu morbi pręsertim data, nocere minimè possunt. Vti Cassia, quæ & dolorem simul lenit: pulpaq; Prunorum & Tamarindorum, hisque affinia.

Alterantia potentiâ actuque frigida, quæ ab initio cum materia fluit, leuiter quoque astringere debeant, postea humectare, permistis illis quæ dolorem leniunt, variis modis propinantur.

In cibis vsurpata varia condimenta, quæ in calida ventriculi constitutione vtilia esse, mox explicabimus, & refrigerare, hîc quoque competunt.

Brassica, & imprimis capitata, Rapę, Fructusque alij, cocta asseruataque, donec acescant, vti condire nostri solent, comesta, calorem admodum restinguunt.

Aqua fontis actu frigida loco potus vsurpata, quam niue & glacie summè infrigidatam exhibere, vti aliqui docent, non satis tutum, cùm subitanea hæc repercussio nō fiat sine periculo. Si, aceto addito, aciditatem aliquam adepta sit, ab initio conuenientior erit: & gratior, si Saccharo quoque addito, in Zulapij formam priùs coquatur.

Lac frigidum potum idem facit, & dolorem simul lenit.

Lac seu emulsio quatuor seminum frig. mai. dolorem sedat, & calorem contemperat. Si semen Papaueris album illis addatur, dolorem magis mitigabit.

Aquam lentis palustris cōmendat Diosc. Conferunt & aquæ Plantag. Rosarum & Acetosæ exhibitæ.

Iulepi item Rosarum & Viol. per se vel diluti dati.

Vel: ℞. aquæ Ros. ℥. iij. aquæ Plantag. ℥. ij. succi Acetosæ vel Vini granat. ℥. j. ß. Sacchari ros. tab. ℥. j. ebulliant parùm, & colentur: Capiat ad ℥. ij. pro vice.

Decoctum Hordei frigidum bibitū proderit. Cui, si Violæ, recentes præsertim addantur, efficacius erit.

Vel sic: ℞. Hordei mundi P. j. vel ℥. j. ß. seminum Cucum. excort. ℥. ß. rad. Glycyrizæ rec. ℥. j. coquantur in Aqua mens. j. despumentur; Et bibat.

Quod cordiale simul esse debet, sic paratur: ℞. rad. Glycyr. ℥. j. cort. Citri ʒ. ij. fl. Cordialium an. P. j. fl. Nympheæ P. ß. Hordei P. j. seminum quatuor frig. mai. an. ʒ. ij. seminis Portulacæ & Papaueris albi an. ʒ. j. seminis Citri ʒ. ß. fiat decoctio ad mensuram vnam, dulcoretur Saccharo, vel Syrupis mox dicendis.

Syrupi per se exhibiti, vel cum aqua frigida aut

da aut alia stillaticia supradicta, sunt conuenientes in principio, qui refrigerant cum astrictione quadā, de Rosis rubris siccis, Cydoniorum, de Agresta, de Ribes, Granatis acidis, de Berberis, vel Rob horum. In progressu qui refrigerant & humectant, vt Violarum, Portulacæ, Nympheæ. Et si hepar simul incaluerit, vti ferè fit, & ratione febris, syrupus Endiuiæ & Cichorij simplices. Et quia facilè animo deficiunt, syrupus de vtroque Buglosso. Et ad doloris mitigationem, syrupus de Papau.

Ex his talis componitur: ℞. syrupi Violar. Cydonior. an. ℥.j. syr. de Ribes vel Granat. de Endiuia an. ℥.ß. de Papau. ʒ.iij. Detur per se, vel dilutus.

Conseruæ & condituræ supradictarum herbarum & fructuum, similiter cōueniunt: vti & carnium Citri, Cucurbitarum & Lactucæ caulium.

Ex quibus & tale conditum potest fieri, refrigerans & cordiale simul: ℞. conseruæ Ros. ℥.j. conseru. Viol. cort. Citri conditi, rob de Ribes an. ℥.ß. spec. Diamargarit. frigid. & Diarrhodon, Coralli rub. an. ℈.j. Sacchari ros. tab. q. s. fiat mixtura.

Ad resoluendum residuum inflammationis seu apostematis ventriculi, vt vocāt, circa finem sequentibus vtimur.

Aqua Chamomillæ cum aqua Endiuiæ primùm propinatur, mox sola ad ℥.vj. exhibetur, repetiturque.

Vel: ℞. aquæ Chamomillæ & Endiuiæ an. ℥.j.ß. Vini Maluatici ℥.ß. vel spiritus Vini destillati ʒ.j. Detur. Si Olei Vitreoli gutta vna vel altera addatur, efficaciùs operabitur.

Vel detur iulepus: ℞. syrupi de Endiuia, de Absynthio an. ℥.j. aquæ Mentæ & Enulæ an. ℥.j.ß. misce, aromat. specieb. Triasantali ʒ.ß. Capiat aliquoties.

Terebinthina lota cum aqua Absynthij, si bis, terve detur, vel resoluit vel maturat ventriculi apostemata.

Extrinsecùs refrigerātia & anodyna ventriculi regioni apponuntur, addendo semper quæ ventriculo robur addant.

Vnguento hoc ventriculus illinatur: ℞. olei Rosacei ℥.j.ß. ol. Violacei, Aceti Ros. succi Hieracij an. ℥.j. coquantur parùm ad ad succorum consumptionem, miscendo Santali rub. ʒ.j. Ros. rubr. ʒ.ß. Spicæ ℈.j. Camphoræ ℈.ß. Ceræ albæ q. s. misce, fiat vnguentum.

Cataplasma hoc conuenit ab initio admodum, æstatis tempore sic paratum: ℞. fol. Violariæ, Hieratij, Vitis viniferæ an. M.j. flor. Ros. Viol. Consolidæ regalis an. P.j. contundantur, addendo farinæ Hordei seu Polentæ q. s. fiat cataplasma.

Cùm dolor, qui admodum vrget, sedandus: ℞. florum Chamomil. Meliloti, Ros. Violarum an. M.j. Absynthij M.ß. coquantur in lacte, contundantur, adde farinæ Hordei ℥.vj. seminis Coriandri, Santal. omnium an. ʒ.ij. olei Chamomel. Anethini an. ℥.j. misce, fiat cataplasma.

Fotus talis factus, inflammationem compescit: ℞. aquæ Rosarum, Plantag. an. ℥.iij. aquæ Absynth. ℥.ij. Aceti ros. ℥.j. Santali rubri ʒ.ij. fiat epithema.

Epithema hoc in erysipelate ventriculi commendatum: ℞. aquæ Ros. Acetosæ, Solani, Cichorij an. ℥.ij. aquæ Absynthij, Vini albi an. ℥.ß. Aceti ros. ʒ.ij. spec. Diarrhodon ʒ.j. Coralli, rasuræ Eboris an. ʒ.ß. Epithemetur ventriculi regio.

Resoluentia apostema post hæc adhibentur: fitque hic fotus cum spongia: ℞. Absynthij, Mentæ, Hieracij an. M.j. florum Chamom. Anethi P.j. seminis Fœnogr. Fabarum conquass. an. ℥.j. Mastichæ ʒ.ij. Nucis mosch. ʒ.j. decoquantur in Aqua & Vino, pro fomentatione.

Dein inungitur ventriculi sedes: ℞. olei Absynthini, Chamomel. an. ℥.j.ß. Terebinth. ℥.ß. mucilag. seminis Altheæ & Fœnogr. an. ʒ.ij. Mastichæ ʒ.ß. Gariophyll. ʒ.j. Ceræ q. s. fiat vnguentum.

Vel hoc cataplasma: ℞. Absynthij recen. M.j. Mentæ rec. M.ß. contundantur diligenter, addendo farinæ Fabarum & seminis Lini an. ℥.j. florum Rosarum, Chamomil. puluerisatorum an. ʒ.j. Maceris ʒ.ß. olei Absynthini q. s. misceantur diligenter: Applicetur.

Idem facit emplastrum de Meliloto adhibitum, oleo Absynthij emollitum.

Si in abscessum vergat inflammatio, vt is maturetur, quædam remedia in angina suppurata, *Abscessus ventriculi post*

Inflāmationem curatio. purata, per os exhibita, hîc quoque proderunt.

Vbi & extrinsecùs adhibita, illic explicata, nisi quòd hîc partis nobilioris ratione, quæ eam respiciunt, quoq; adjicienda erunt.

Taleq; cataplasma huic parti tunc admoueri poterit: ℞. rad. Ireos, Liliorum an. ℥.ij. Absynthij, Maluæ an. M.j. fl. Chamomil. Rosarum an. P.j. fiat decoctio in Vino & Aqua, pistentur, adde farinæ Frumenti ℥. quatuor, far. s. Lini ℥.j. Santali cit. ʒ.j. Croci ʒ.ß. olei Amygd. dulc. ℥.ij. fiat cataplasma.

Emplastrum Diachylon ireatum, oleo de Mentha malaxatum, idem præstat.

Vt abscessus iam suppuratus aperiatur, eadem quæ in angina dicta sunt, assumpta, admotaque, prosunt. Sicuti & hoc: ℞. farinæ Frumenti ℥. iiij. Fermenti ℥. j. stercoris Columbini ℥.ß. olei de Absynthio ℥.j. Mellis ℥.j. fiat emplastrum.

Eundem disrumpit, si vociferatione, sternutatione, tussi, frictione ventriculus concutiatur, maximeque per vomitum.

Si eo aperto pus euomant, ad vlceris abstersionem, decoctū Hordei vel Sacchari bibant, addito Melle ros. aliisque in exulceratione ipsius dicendis, vlcus sanetur.

Inde ventriculus hisce casibus debilitatus, roborabitur; de quibus in imbecillitate illius agemus.

Cardialgiæ à refrigerat. ventriculo, curatio. Refrigeratio ventriculi, si, quia externis iniuriis expositus fuit, aut potu frigido alteratus, eueniat, cardialgamque inducat, calidis actu potentiaque admotis exhibitisque corrigitur, dolorque sic compescitur.

Quæ omnia, cùm & in ventriculi imbecillitatis causa à caloris natiui defectu (quē quoque frigidam ipsius intemperiem vocant) conueniant, sæpeque hæc refrigeratio, imbecillitatē ventriculi post se relinquat, illic quo pacto hæc vsurpari, diuersisq; modis administrari debeant, explicabitur.

Vti & si ab humore hoc accidat, non solùm illum refrigerante, sed & grauāte: cùm & hoc ab imbecillitate illius proueniat, vel eius quoque sit causa, eâdem operâ eodem in loco exponetur.

Quòd si verò refrigeratio tanta fuerit, vt non solùm ventriculus, sed & viscera vicina per eam adeò alterentur, vt cachexia & hydrops (quod præsertim, si dum corpus admodum calet & æstuat, frigidam affatim bibant, euenit) sequantur: quid tunc agendū, suo loco in viscerum læsionibus ostendetur.

Cardialgia à distentione, inflatione, & aggrauatione ventriculi: à flatu, cibo, humore, tumore, vicinis visceribus, & externis iniuriis, curatio. Distentio, inflatio & aggrauatio ventriculi à diuersis causis profecta, cardialgias efficiens, prout causa fuerit, curatur.

Nam si à flatu, ex cibo, humore vel debili concoctione genito, inflatio ventriculi factâ, dolorem distendentem pariat: cùm ad flatuum materiam impediendam, idoneâ victus ratione & euacuatione opus sit, & ad imbecillem concoctionem iuuandam, flatusque dissipandos, calida ventriculumque roborantia remedia intus forisque adhibita, requirantur, hæcque cum illis quæ in imbecillitate ab humoribus crudis & frigidis proueniente, in pluribus conueniant, illic quo pacto huic quoq; causæ accōmodanda sint, simul cum aliis remediis proponentur.

Quod si ab aëre cum potu simul hausto, vti dictum, ventriculus distendatur, nisi rursum per ructum erumpat, vti ferè fit, eâdem ratione, vti de flatu dictum, huic incommodo medebimur.

Si ab ingestorum copia distentio & grauedo eueniens, dolorem compressiuum faciat, concoctione factâ, si concoqui possit, & digestione, quam exercitium promouet, sponte cessat.

Si verò grauiùs afficiat, nec ob copiam aut pertinaciam, quod assumptum fuit à ventriculo euinci queat, vt per superiora illud rursum rejiciat per vomitum, vel per inferiora dejiciat, clysmate aut medicamento procurandum, ventriculusque labefactatus reficiendus. Quæ omnia cùm & in aliis quibusdam vitiis ventriculum debilitantibus quoque vsurpari soleant, atq; imbecillitas ventriculi, vt etiam nō magna repletio, sed paulò plenioris cibi ingestio eum premat, occasionem det, omnium horum cura, etiam in ventriculi imbecillitate describetur.

Vti & si ab humore excrementoso crudóque hæc distentio vel grauedo accidat; cùm & ea imbecillitatis, hæcq; illius sit causa.

Si à tumore præter naturam duro, veluti à callo, post ventriculi læsionem relicto, vel

ſcirrho illic exorto, grauedo in ventriculo fiat, etſi difficillimè hæc auferri queant, & proin ſemper ponderis aliquem ſenſum, ſi præſertim etiam cibi accedat copia, ſentiant vti & imbecillitatem, & proin tunc ea cura tantùm quæ & imbecillitati confert, ſuſtententur: Tamen cùm horum tumorum ſuſpicio eſt, tentandum mox emollientibus remediis eos emollire, & ſi fieri poteſt, abſumere.

Quod Maſtiche emollitâ, gummi Ammoniaco, & Terebinthinâ in pilulas formatis, ſæpeque deglutitis commodè tentabitur.

Vel ſi tales fiant pilulæ: ℞. gummi Ammon. in ſucco Ireos emolliti, Maſtichę ana ℥. j. Styracis, Myrrhæ, Ladani ana ℥.ß. cum ſucco Ireos fiat maſſula: Capiat ʒ.ß. frequenter.

Olei Myrrhæ vel Maſtichæ guttula vna aut altera, cum Saccahro, aliòve modo ſumpta, proderit.

Foris verò ea quæ in hepatis & lienis duritie admota conueniunt, hîc quoque competunt.

Quibus & hoc addendum: ℞. Maluę, Abſynthij ana M. j. flor. Chamom. P. j. Squænanthi ℥. ij. Ficuum num. xij. coquantur in Vino, contundantur, adde gummi Ammon. Bdellij diſſ. in Vino decoctionis prædictæ, Myrrhæ ana ℥. ij. Mellis q.ſ. fiat cataplaſma.

Vicinarum ventriculo partium, vt hepatis, lienis, renum, coli, ſepti, obſtructorum, diſtentorum, tumeſcentium, aut induratorum inflammatorúmve causâ, ſi vētriculus compreſſus, aggrauationem hanc ſentiat: curatio hiſce morbis, vt in illis docebitur, debetur: cùm niſi hi affectus ſanentur aut mitigentur, compreſsiuus hic dolor ſtomachi, accedente interdum dyſpnœa, non tollatur, de quo tamen plerumque magis quàm de aliis illorum ſymptomatis conqueruntur.

Quòd ſi à cartilagine Xiphoeidi introrſum curuatâ, ventriculum premēte hoc fiat, quia ægrè reducitur, incurabile quoque hoc plerumque vitium, quod poſt cibum ſumptum grauat adeò, vt nullam quietem, donec ſupini recumbant, ventriculo à parte affectâ tunc recedente, ſentiant, vel abſolutâ ciborū digeſtione ventriculus ſubſideat.

Ab aliis externis, grauibus vel duris, ſi ventriculus comprimatur, quia hæc ſeponi & amoueri poſſunt vel corrigi, de illis vltra non erit laborandum: niſi vitium aliud inde ventriculo contingens, curam illi debitam, requirat.

Vellicationi ventriculi, ſi nauſeam potiùs, quàm grauiorem moleſtiam concitet, vti in nauſea dictum, medebimur. Si à lumbricis titillatio ventriculo moleſta ſit, illis pellendis, vti & ſi à morbo alio proueniat, ei curam accommodabimus. *Cardialgia à Vellicatione ventriculi leui & titillatione, curatio.*

Irritatio cum dolore, veluti erodente, pungente ardentéve, ſi caſu à deglutitis quæ ventriculum vulnerant, proficiſcatur: Tunc primùm, vt, ſi fieri poteſt, vis illa à ventriculo propellatur, procurandum; non vi, vti per vomitum (ſic enim constricto ventriculo, fortè arctiùs quæ ipſum lędunt, infigerentur) ſed iis, quæ viam faciendo, eaq; abluendo, vt deſcendant, promoueant: quæ eâdem operâ, ne inteſtina in tranſitu lædantur, efficere poſſunt. Quo modo & præcauemus, ſi quid acuti deglutierint, ne quid inde patiantur: quod & ferè aliàs fit, cùm non tam facilè illic ſubſiſtant, aut in ſe infigant, ſed à ventriculo & inteſtinis, vti alia dura ſponte propellantur, & per aluum, vbi quandoque primùm propter anguſtiam podicis ſubſiſtunt, reddantur. Vix enim, ſicuti aliqui prodiderunt, per venas meſeraicas in venas tranſire, & alicubi in corporis habitu per cutem ſibi viam facere, illicq; prodire, niſi prodigiosè hoc fiat, poſſe credimus. *Cardialgiæ ab Irritatione vētriculi, à caſu deglutitis, ab aſſumpto medicamento, veneno, cibo noxio; ab humore biliosо, vel alioquin prauo, curatio.*

Abluuntur autem liquidis quibuſdam affatim bibitis, pinguibus pręſertim, quæ vias ſimul relaxant: vt Iuſculis, Lacte, Oleo, Butyro, ſimilibuſque. Quibus factis, ſi ex dolore, vel acum vel ſpinam, vel tale quid infixum eſſe ſuſpicemur, tunc ne fiat inflammatio, aut ſi iam facta ſit, vti in inflammatione dictum, in dolore ſedando, inflammationeq; arcendâ, procedemus. Et ſi ob magnam læſionem ſanguinem vomant, quæ illius fluxum ſiſtunt (vt in vomitu ſanguinis dictū) vſurpanda. Ac ſi pus poſtea reddant, quæ vlcus abſtergunt (ſicuti in inflammatione in abſceſſum, eoque rupto, in vlcus conuerſâ, & in œſophagi fauciumque exulcerationibus oſtenſum) propinando, dein ſiccantibus

cantibus (illic quoque explicatis) vlcus sanare tentabimus. Quod tamen ægrè in parte hac nobili vlceratâ perficitur: & si succedit, callo ferè tunc relicto, imbecillitatem post se relinquit: quę duo quo pacto tractanda, in hisce vitiis explicatur.

A' medicamentis violentis, vomitoriis, catharticis, venenis, cibo pernicioso, assumptis: vel humore bilioso, aut succo alioquin prauo vel venenato, in ventriculo ex cibo genito, aut in ventriculum delato, si cardialgiæ fiant, inter quas & cardiaca, illaque species, quam ardorem ebullientem vocauimus, occurrit; tunc hoc modo, habitâ ratione causæ, per purgantia & alterantia procedendum.

Vomitus, siue ab assumptis, vti dictum, aut bile, aut prauis succis ventriculus impetatur, cùm hæc excutiat, proderit. Et licet sponte ille insurgat, ventriculo ab enarratorum vi irritato & peruerso; tamen si minùs promptè succedat, aut non sufficienter fiat, noxamque extrudat, nihilominus natura iuuanda.

Exhibitis iis, quæ humore multo ventriculum eluant, & vomitionem faciliorem reddant. Vt si Aquam tepidam, Iuscula, Potúmve alium copiosè bibant: permiscendo pinguia, oleaginosa, butyrosa, quæ ventriculum vngendo subuertant, humorumque acrimoniam compescant. Vel dulcia, Mel & Saccharum, quæ simul ea à ventriculo abstergant. Quo nomine tunc & Hordei decoctum valde proderit.

Vel in bilioso & acri succo, quæ simul ipsorum vim infringunt: vt si Aquam aliúmve liquorem cum Aceto, syrupóve Acetoso, Oxymellite, acidam factam bibant. Aliáve in febribus inter vomitoria diuersis in locis explicata.

Clysmata iniecta laxantia leuiterq; ad excretionem stimulãtia, vt citiùs noxa descendat, ventriculumque relinquat, reuellendo promouent. Et si sponte hoc fiat (vti diu illic subsistere nequeunt, sed expultricẽ vim irritando se ipsa promouent) nihilominus leniendo simul dolorem tum in ventriculo, cùm per colon ad ventriculum vsq; etiam ascendere possint, tum in intestinis, demulcent.

Suppositoria naturam sollicitantia, ad reuulsionem horum aliquid quoque præstare possunt: Quorum omnium exẽpla passim, in colicis præsertim doloribus, proponũtur.

Purgantia exhibita, in bilioso humore & acri succo, si subsistant diutiùs, præsertim locum habent, cùm ab aliis assumptis violentis, vel catharticis vel venenatis ventriculum lædentibus, aluus sponte nimiumque ferè moueatur. Possuntque cholagoga varia hinc inde descripta, in febribus biliosis præsertim, exhiberi, sic tamen ea componendo, nè ventriculum nimiùm exagitent, hac ratione hisceque formis.

Datur Cassiæ pulpa ad ʒ.x. vel electuariũ Catholicon ad ʒ.x. aut de Rosarum succo, molle vel tabulatum ad ʒ.iij. aliaque similia, vt Diacytonites cum Scãmonea, per se hæc exhibendo, vel addito Saccharo in forma boli: vel dissoluta cum aqua Absynthij, aut Endiuiæ, cùm bilis contemperanda est, quando verò abstergenda, cum decocto Hordei aut Cicerum: cùm magis laxare volumus, cum Decocto florum & fructuum, vel Iure galli antiqui: quibus Ius piscium quoque addit Rondel. vel Sero lactis, Aqua casei: vel si amaritudinem non metuant, cum decocto aut infuso Absynthij, quod bilem abstergendo quoque subducit, & in bilioso æquè ac pituitoso conducit ventriculo.

Vel exhibetur syrupus Ros. sol. ad ℥.iij. aut si magis laxare volumus, cum infusione Rhabarbari aut fol. Senæ factus ad ℥.j. ß. similiter dilutus: vel syrupus de Cichorea cũ Rhabarb. duplicato: Syr. de Absynt. affatim propinatus, vti dictum, bilem deturbat.

Vel hoc decoctum: ℞. Prunorum dulc. & Tamarind. an. ℥.ß. Endiuiæ rec. M.j. fl. Viol. P.j. Hordei P.j. fol. Senæ mundat. ab ℥.ß. ad ʒ.vj. rad. Polypodij tantundem, Epithymi ʒ.ij. feminis Anisi ʒ.j. fiat decoctio, dulcoretur Saccharo vel syrupo Viol. aut Ros. solut. Capiat vno haustu.

Vel hæc infusio: ℞. Rhabarbari ℈.iiij. fol. Senæ ʒ.ij. Absynthij ʒ.j. Spicæ ℈.ß. contusa irrorentur Vino albo, atque vbi parùm ebullierint, affundatur aquæ Endiuię vel Absynthij q.s. stent in infusione, exprimantur, addatur syrupus Ros. lax. ad ℥.j. misce & pro

vna vice. Possunt & alia huic infusioni & decocto priori permisceri ex laxantibus supradictis.

Alia infusio in vino solo facta absynthite, longè ventriculo est accommodatior, Veluti: ℞.fol.Senę ℥.j.Rhabarbari ʒ.j.ß.Myrobal. citrin.ʒ.iij. Absynthij ʒ.ij. fl.Cord.ʒ.j. Spicæ ℈.j. seminis Fœniculi ʒ.j. conquassata macerentur in Vino albo tenui, non tamē admodum potenti: exactis 24. horis vel pluribus, bibat haustum, diebusque sequentibus alterum, augendo minuendóve mensuram, prout operabitur.

Pilulæ idem pręstantes: ℞.Aloës (quæ & in bilioso vti pituitoso ventriculo conuenit, extergendo vt absynthium) ℈.j.Rhabarbari ʒ.ß. Spicæ gr.iij. Scāmoneæ gr.ij. vel iij. cum succo vel syrupo Rosarum, fiant pilulæ pro vna exhibitione.

De Rhabarbaro vocatæ pilulæ vsitatæ ad ʒ.j. sumi possunt. Et si necessitas vrgeat, etiā fortiores scammoneatæ.

Alterantia exhibentur, si à cathartico violento, aut alio medicamēto vel veneno sumpto ventriculus irritetur, vel erodatur, vel vratur: quæ diluendo, & humiditate suâ contemperando ea, vim illorum reprimunt, vel ventriculum illinendo lentoreq; obducendo, vt minus patiatur, efficiunt: & si grauiùs ab illis afficiatur, erosiones illis leniunt & sanant: ac quæ venenorum vim proprietate quadam refringunt.

Lac tepidum affatim bibitum: lacteus item cremor Amygdalarum, Pinearum, seminumque Cucurbitacei generis: vti & cremor Hordei, leniunt & mitigant.

Succus lacteus Tragopogi, Hieracij, Sonchi, Sycomori, in erosionibus illius propinantur.

Vti & mucilagines seminum Lini, Psylij Pomorum, Pyrorum & Cydoniorum.

Decoctum seminis Lini erosiones ventriculi à cantharidibus sumptis factas corrigit, & pro antipharmaco illius habetur.

Aliud ad erosiones eiusmodi: ℞. rad. Altheæ ℥.j. rad.Consolidæ ℥.ß. seminis Lini & Cydon. an. ʒ.j. decoquantur in Aquæ bona quantitate, colentur, adde Saccharum: Et bibat de eo.

Oleum Amygdalarum dulc. affatim bibitum conuenit: & Sesami: um in erosionibus laudat Diosc.

Theriaca, Mithridatum, aliaque antidota opiata, si à veneno vētriculus afficiatur, cùm sint alexipharmaca & narcotica simul, vtroque nomine, tum quia causam auferunt, & dolorem simul tollunt, iuuant. In cathartico quoque violento sumpto, plus sensum obtundendo, & facultas expultrix irritata ab opere cesset, dolores & deiectiones corrigantur, quàm vi alexiteriâ, vti creditum est, efficiunt.

Antidota alia quoque sine opio, quæ peculiari proprietate certis venenis contraria sunt, si ab eiusmodi veneno sumpto ventriculus afficiatur, vel etiam alia quæ in genere venenis resistunt, quocunque veneno is petatur, exhiberi possunt: qualia multa in peste, in morsu & ictu venenatarum bestiarum dicta sunt.

Si à bile vel alio succo acri, irritationes & ardores sentiat ventriculus, dandâ, tum quæ aqueâ humiditate vel aciditate frigidâ acredinem ipsius infringunt, vel quæ eam diluunt, ventriculū irritare non sinunt: aut quæ sensum ipsius minuendo, dolori succurrunt. Qualia sunt sequentia.

Ex comestis in cibis & condimentis, fructus acidi ardorem ventriculi compescunt, vt Citriorum, Limoniorum, Arantiorum, Granatorum, Pomorum, Prunorum, Cerasorum, Vuæ crispę, Fragarum: imprimis racemi Ribes & Berberis.

Olera item humida, Lactuca, Intybi genera, Violaria, Borrago: & ex acidis Acetosa, Trifolium acetosum, fol. Vitis imprimis, Capreoli vitis, fol. Berberis, quæ quoque acida sunt: in acetariis alióve modo vsurpata.

Simplicia quædam in ardore ventriculi, quædamque ex illis calida, cōmendat Dioscor. veluti Scordium, Pulegium, Nardum, Apium, Consolidæ regalis flores, Iuncum odoratum, Pæoniæ semen, Chamædaphnen, Liquiritiæ succum.

Aquæ, ardorem ventriculi compescentes humiditate sua, per se bibitæ, vel cum syrupis in iulepis formandis mixtæ, sunt aquæ Acetosæ, Endiuiæ, Cichorij, Buglossi,

Lentis paluſtris, quam probat Dioſcorides.

Decoctum iuſculi cum herbis refrigerantibus & humectantibus: vti & decoctum Hordei affatim bibita, idem præſtant: maximè additis Aceto aliisq; acidis: quod & decoctum Abſynthij facit.

Vti & ſucci prædictorũ fructuum olerúmve acidorum per ſe vel additis Saccharo, vel ſyrupis, ſi nimis acidi ſint, exhibiti.

Vini Abſynthitis hauſtus bibitus, cùm, vti dictum, non ſolùm pituitam, ſed & bilem abſtergat & deturbet, in bile affecto ventriculo admodum & ſubitò ſæpe iuuat.

Syrupi imprimis id præſtant acidi, vel per ſe ſumpti, vel priùs aquis aut decoctis diluti & bibiti: veluti ſyr. Acetoſus ſimpl. cum aceto paratus: vti & Oxyſaccharum, ſuccum granatorum ſimul recipiens: & ſyrupi ex ſuccis fructuum Granatorum, Pomorum, Prunorum acidorum, Limonum, Citri, Vuarum immaturarum, qui de Agreſta vel de Omphacio vocatur, Ribes, Berberis, foliis Acetoſæ: vel ex ſucco Cydoniorum coctus: aut Miua cydoniorum, cui Vinum dum coquitur, additur: quòd hìc vtilius, ſi Acetum illius loco ſumatur, fit, vt ſic maiorem ſyrupus acquirat aciditatem: quâ ratione & alij ſyrupi enarrati, in quibus dulcedo ferè præualet aciditati, acero addito acidiores facti bilem meliùs retundent, quàm aliàs nimis dulcia generant. Proin & ſyrup. Violaceus, Roſaceus: vel horum iulepi, item de Endiuia, de Cichorea, de Nenuphare, ſimilesque qui quoq; exhiberi ſolent, non niſi bene diluti aquis aut decoctis, tunc enim non refrigerando, ſed & diluendo bilem madore ſuo operantur, illius acrimoniam compeſcunt: idque potentiùs ſi acidi ſyrupi ſuccive illis permiſceantur. Quibus omnibus & ſyrupus de Abſynthio, vt bilis magis abſtergatur, quandoque additur.

Conſeruæ & condituræ fructuum & herbarum, ex quibus ſyrupi parantur, idem efficiunt: cauendo ſemper à nimis dulcibus, cùm bilem vt efferueſcat concitent, & præter hæc carnis Cydoniorum, Citri, Cucurbitarum, Lactucæ caulium conditum.

Rob fructuum acidorum idem præſtant: eoque magis ſi ſine ſaccharo, vti veteres ſolebant, & extracta nunc fiunt, parentur, niſi Aceto addito aciditas ipſorum acuatur. Vſitata ſine ſaccharo fiunt, rob de Ribes, Berberis, de Agreſta, Omphacium dictum: Qua ratione & alia parari poſſunt.

Electuaria ex miſtione horum fiunt: vſitatum eſt Diacydonites ſine ſpeciebus dictum: quod ex pulpa Cydoniorũ cocta cum Melle & puluere diacydonite mox deſcribendo, componitur.

Vel ſic: ℞. conſ. Roſ. & Acetoſæ, cond. Cydon. an. ℥.ß. rob. de Ribes ℥.j. Myrobalanum conditum n.j. pul. Diacydonites noſtri, vel Triaſantali, aut Diarrh. ʒ.j, cum ſyr. de Agreſta vel Acetoſa, fiat electuarium.

Conditum ſiccum: ℞. cort. Citri conditi, Cydonior. cond. conſ. Roſ. an. ʒ.ij. rob. de Ribes ſine ſaccharo, bene ſiccati ℥.ß. pul. Diacyd. noſtri, Cinamom. an. ʒ.j. Sacchari cum aqua Roſ. cocti vel tab. q.ſ. fiat conditum.

Panis medullà in ſuccis acidis intincta, Granatorum, Limonum aliorúmve, exhibita, prodeſt: quæ efficacior fiet, ſi Acetum, gratior ſi aqua Roſarum, addatur.

Hordei farina cum brodio Caponis cocta, addito ſucco Granatorum, remedium Hipp. bilis ardorem & irritationem ſedans.

Pineæ excorticatæ ſumuntur, & ſuperbibatur ſuccus Portulacæ ad ardorẽ ſtomachi.

Pulueris vſitati in ventriculo bilioſo aut calidiore, ſunt Diatrionſantalon, quod nulla alia aromata, ſed ſemina frigida, roſas, gummi, amylum, ſuccum liquiritiæ, ſpodium, camphoram, & vnà cum illis rhabarbarum ſimul recipit: & Diarrhodon abb. quod præter hæc omnia quæ & hanc compoſitionem ingrediuntur, alia præterea frigida, & maſtichen ac aromata & ſemina inſuper calida, & cordialia quædam continet.

Diacydonitis ſine ſpeciebus calidis aromaticis parati puluis, qui huic electuario, cùm minimè calefacere, ſed refrigerare potiùs volumus, addi ſolet, & in forma pulueris quoq; vſurpatur, pulueribus poſt paſtum vſurpari ſolitis permixtus; & paucioribus, vt triaſantalis, ſeminibus berberis & acetoſæ, roſis & ſpodio compoſitus.

Cuius loco, cùm nulla cydonia recipiat, vt rectiùs puluis Diacydonites vocari poſsit,

& ad differentiam alterius, frigidus, illis additis, sic vtilior correctiorq; erit: ℞. carnium Cydoniorum exicc. (vti fructus siccare & asseruare nostri solent) ℥.ß. Santalorum trium ana ʒ.j. Rosf. rub. ʒ.ij. seminum Acetosæ, Berberis an. ʒ.j. Antispodij parati ex cydoneis, vt docet Diosc. ʒ.ß. misce, fiat puluis: permiscendus pulueribus post pactum, vel electuariis.

Trochiscorum de spodio, de Camphora, de Berberis pulueres ad bilis feruorem extinguẽdum, reliquis pulueribus quoq; permiscentur: In quibus, cùm spodium omnes recipiant, antispodium ex cotoniis illius loco in vẽtriculi hisce affectibus sumendũ erit.

Horum omnium & puluerum loco, præsertim diatrionsantali & diarrhodon, puluis in calidioribus ventriculis, ex tanta congerie simplicium diuersorum virium concinnatorum, hic fieri poterit: ℞. Cytonior. exiccat. ℥.ß. cort. Citri ʒ.j. Santali rub. ʒ.ij. albi ʒ.j. rad. Liquiritiæ ʒ.ij. Rosf. rubr. ʒ.ij. ß. florum trium Cord. ʒ.j. seminum iiij. Frig. mai. ʒ.ij. Minorum an. ʒ.ß. seminum Acetosæ, Portulacæ, Berberis, Coriandri præp. an. ʒ.j. seminis Papau. albi, gummi Tragach. Arab. an. ʒ.ß. Coralli ʒ.j. Antispodij parati ex ebore vel cornu cerui ʒ.ß. & ad gratiam & ventriculi causâ, cùm tantopere calefacere nequeant Cinamomi & seminis Anisi an. ʒ.j. Santali odorati ʒ.ß. fiat puluis: cui & Mastiche potest addi. Hic Sacchoro rosaceo tabulato imprimis pmixtus vsurpatur: vel in tabulas priùs redigitur, sacchoro in aquis supradictis dissoluto: quibus si tantillum succi permisceas Limonum vel Aceti, efficacior erit.

Amarus puluis paratu facilis ad bilem abstergendã: ℞. Absynthij ʒ.j. summit. Centaurij, rad. Imperat. an. ʒ.ß. fiat puluis subtilissimus. Bibat cochleare vnum cum Vino.

Ad ardorem stomachi quem Ebullientẽ vocauimus, Sodt à nostris appellato, vsitatus puluis: ℞. Cretæ albæ ℥.ß. Nucis mosc. ʒ.j. Sacchari ℥.j. fiat puluis: capiat cochleare j. per se, vel alio modo.

Vel hic: ℞. Lapillorum in cancris, quos illius oculos vocant, ʒ.ij. Boli arm. ʒ.ß. Rosf. rubr. ʒ.j. Sacchari rosf. tab. ℥.ß. misce: Vtatur, vt de priore dictum.

Sensum ventriculi minuentia in summis cruciatibus exhibentur, veluti opiata electuaria: vt sunt antidota in causa frigida, mox in imbecillitate explicanda: quæ, si præsertim recentia sint, etsi multa calida recipiant, hîc quoque conueniunt. Inter quæ Philonium Rom. ad ℈.ij. in pilul. aut elect. de succo Rosf. in bile educenda permiscent, sicque exhibent. Requies Nicol. ʒ.ß. pondere cum Vino quoque propinatur.

Vel datur hic potus: ℞. syr. de Papau. ʒ.vj. syr. Rosf. & de Absynthio an. ℥.j. Detur cum Aqua conuenienti vel Vino.

Si omisso syr. de papauere, Opij gr.j. in syrup. leui ebullitione bulliat, dein cum Iure bulli detur, singulare aliqui statuunt remedium.

Horum loco, alia ab aliis obseruata, & nostra elegantia narcotica, necessitate vrgente, sine periculo dantur, interdumq; aliquoties repetuntur.

Foris ventriculi regioni, ad ardorem illius & rosionem, à causis quibusuis, maximè à bile excitata, compescenda, quibus & vtimur ad bilis influxum ab hepate repellendum, apponimus refrigerantia & constringentia, additis semper quibusdam calidis ventriculo appropriatis, cùm extrinsecùs admota adeò minimè calefaciant, sed potiùs eum roborent, ad penetrationem aliquid conducant. Quæ omnia non actu frigida nimiùm, sed tepida potiùs adhibentur.

Ex oleis vsurpantur vsitata frigida, Rosaceum, magisque astringit omphacinum ex vuis immaturis paratũ, Cydoniorum, Myrtinum & Myrtillorum, Lentiscinum: temperata, Mastichinum: calida, quæ istis quandoque permiscentur, Absynthinum, & de Mentha, & Nardinum. In quibus Acetum interdum, maioris refrigerationis & penetrationis gratiâ, vel Vinum corroborationis causâ incoquuntur, donec absumantur, vel mista adhibentur, aut manus hisce tempore inunctionis madefiunt.

Vnguentum ex illis refrigerans & roborans simul, fit hoc pacto: ℞. olei Rosacei, Cydoniorum an. ℥.j. ol. Myrtini vel Lentiscini, de Absynthio vel Menta an. ℥.ß. Aceti rosf. ʒ.vj. bulliat ad aceti consumptionem, adde cùm frigescere incipit, pulu. cortic. Citri, semin.

min. Coriandri, Rof. rubr. fol. Abfynthij an. ℥.ß. Coralli ʒ.j. Santali rub. & albi an. ʒ.ß. Spicænardi ℈. ij. Camphoræ ℈. j. penetrationis potiùs quàm refrigerationis causâ, Ceræ q. f. fiat linimentum: Ex quo, additis Ladani ʒ. ij. Aloës ʒ.j. cum Terebinthina q. f. fieri poteft emplaftrum.

Vnguentum Gal. rofaceum infrigidans, & Ceratum fantalinum in ftomachi ardoribus æquè ac aliorum vifcerum conueniunt.

Quando magis refrigerandum, in fummo ardore: ℞. ol. Rofacei omphacini ℥. ij. fucci Sonchi, Polygoni, Aceti an. ℥.ß. Alabaftri puluerifati ℥.ß. Laricea lotæ q. f. fiat inftar nutriti.

Vel vtatur vnguento in inflammatione ventriculi defcripto.

Cataplafmata in ventriculi inflammatione propofita hîc quoq; competunt. Vel fiant ex plantis recentibus, Portulaca, Solatro, Polygono, Viti vinifera, Soncho, Phyllitide, Vmbilico ven. rad. Nympheæ, fl. Labrufcæ, Rofarum, addito Abfynthio vel Menta, vel etiam flor. Chamomil. dolore vrgente: vel fiunt ex illis partim recentibus, partim aridis in aqua coctis, additâ interdum aquâ Rofarum & Phyllitidis, beneque contufis in formam pultis: mifcendo pro vna dofi ex oleis fupradictis ad ℥. ij. pulueris Maftichæ ℥.ß. Alabaftri ʒ.iij. fol. Phyllitidis puluer. ʒ.ij. Santal. omnium, Gariophyll. an. ʒ.j. fiat cataplafma.

Vel fi dolor admodum vrget, vtamur anodyno cataplafmate in inflãmatione ventriculi explicato. Vel ifto: ℞. Panis cruftas vel laminas parùm toftas, & Aceto rof. irrigatas ℔. ß. pulpæ Cydoniorum ex recentibus vel ficcis rurfum maceratis defumpta, parùm coctæ ℥.iij. (in quorum penuria Diacydonitis fimpl. fumantur ℥.ij.) & affufo Vino rubro & fucco Cydoniorum (fi haberi poteft) adde pul. Maftichæ ℥. ß. Abfynthij fucci ʒ.ij. fl. Chamom. Maceris an. ʒ.j. ol. Rofacei & Chamom. ana ℥.j. mifceantur & applicentur.

Fotus ardorem compefcens in inflãmatione expofitus, etiam hîc proderit. Vel paretur ex decocto enarratarum herbarum in cataplafmate explicatarum. Vel etiam ex oleis cum aceto vel fuccis herbarum miftis.

Si dolor vrgeat hoc pacto: ℞. florum Rofarum, Labrufcæ, Chamom. Meliloti vel Anethi an. P.j. Abfynthij vel Mentæ M.ß. rad. Altheæ ʒ.vj. fem. Coriandri, Myrtill. an. ℥.ß. Maftichæ ℥.ij. Gariophyll. Santali an. ʒ.j. Aquæ & Vini rubr. q. f. coquantur pro fomentatione.

Epithema refrigerans ex folo Aceto rof. Aqua rof. diluto fieri poteft: in eo intingendo pannum linteum, vel cruftam panis toftam, & applicando.

Vel: ℞. aquæ Rofarum ℥.ij. aquæ Phyllitidis, Abfynthij an. ℥.j. Sãtal. omniũ vel pul. Diatrionfantali ʒ.ij. femin. Coriandri, Antifpodij an. ʒ.j. mifce, applicetur. Vel vtamur illo quod in inflammatione defcriptum fuit.

Puluis pro facculo, vel infpergendus poft vnctiones, in ardoribus ventriculi fic poteft fieri: ℞. feminis Coriandi præp. cum Aceto ℥.ß. fem. Myrtill. vel Berberis, fl. Rof. rubr. Santali rub. cortic. Citri an. ʒ.j.ß. Abfynthij, Coralli rub. an. ʒ.j. Santali od. Nucis mofch. an. ʒ.ß. fiat puluis.

Cucurbitula hepatis fedi affixa, fi bilis ab hepate in ventriculum regurgitet, eam retrahendo, vt putant, iuuabit, doloremque fic leuabit aut tollet.

Imbecillitatis ventriculi, ab ipfius caloris natiui defectu, intemperie frigida & humida, refrigeratione actuali, diftetione, inflatione, laxitate, alióve organi vitio profecta, curatio.

Imbecillior ventriculi conftitutio & functiones ipfius labefactans, excrementisque atq; propter ea cardialæis feu confuetis ventriculi doloribus & moleftiis occafionẽ præbens, fi à caloris ipfius natiui penuriâ, ab ortu vel ætate, vel morbo graui prægreffâ oriatur, & ventriculo infita & confueta fit, quia tunc reparari minimè poteft, faltem vt per viuendi rationem decentẽ medicamentaq; ftomacho appropriata, & proin ftomachica dicta, ventriculum leui & grata illi aftrictione roborantia, fimulq; calefacientia, robur illi addatur, & caloris natiui defectus fuppleatur, prouidendum. Quòd fi verò ob temperaturam ipfius frigidiorem redditam & humidiorem hæc imbecillitas nafcatur, eaque iam fit permanens & ventriculo impreffa, ægrè quoque, vti ea quæ ob caloris natiui defectum fit (quam quoque frigiditatem ventriculi vocant) corrigitur: & folummodo, vti & illa, ne in deterius labatur,

eodem ferè modo, magnisque adhuc calidioribus stomachicis medicamentis cauetur. Quæ verò est aduentitia, frigida & humida ventriculi intemperies: priùs sublatis excrementis quæ inde proueniunt, calidis stomachicis tollitur. Organi verò vitio, nimiũ laxato & attenuato ventriculo, quæ prodit illius imbecillitas, etsi quoque vix in melius reduci queat, tamen astringentium vsu, & simul calidorum, in ventriculis frigidioribus & humidioribus, vel temperatorum in aliis eum ad pristinum statum reducere studebimus. Si verò constrictior quàm par sit & siccior existat, contrariis, eum potiùs humectantibus relaxabimus.

Quæ curandi methodus tum in hisce diuersis imbecillitatis causis (siccitate ipsius exceptâ, quæ diuersa ab his remedia requirit, sicuti in fine imbecillitatis curæ explicabitur) tum in prædictis, vti ostensum, aliis ventriculi morbis, vt refrigeratione aliâ, ab actu eum refrigerantibus natâ, distentione ob ingestorum copiam, vel humorem crudum frigidumque: & inflatione à flatibus, locum habet, sicuti in ipsorum cura expositum fuit: & pro ratione affectus & causę illius diuersitate, remedia hæc hisce ventriculi affectibus conuenientia, quædam pluribus simul, alia aliis magis, idque variis modis in diæta per victum aliasque viuendi rationes; euacuationibus per vomitum, ructus, clysteres, purgantia, alterantia, intus forisq; vsurpata, vt iam describetur, sunt accõmodanda.

Imbecillitati ventriculi conueniens diæta, seu viuendi ratio.

In victus seu cibandi ratione imprimis in hisce ventriculi affectibus, vt ea decenter seruetur studendum: cùm cibus ad ventriculum rectà perueniat, in eoque conficiendo illius opus sit operâ, & ne in ea peccetur, vnde plerumque ventriculi morbi originem primùm trahunt, aut iam priùs imbecillior, magis labefactatur doletque, cauendum. Quod fiet, quantitatem qualitatemq; victus decentem instituendo.

In quantitate cibandi hæc potissimùm in imbecilliore ventriculo obseruãda erunt. In cibi quidem demenso, vt parùm pro vna vice comedant, cùm alioquin difficulter cibum concoquant: hunc modum seruando, vt aliquo pacto non tamen plenè satiati, post cibum sumptum nullam grauitatem aut compressionẽ circa præcordia sentiant, nec minùs liberè quàm dũ ieiuni erant, spirent. In modo verò cibandi, cauendum ne nimiũ auidè cibum ingurgitando, ventriculum subitò obruant, sed paulatim (sic enim auidiùs eum amplectetur) offeratur: ita tamen ne diutiùs cibum protrahendo, vel concoctione iam incipiente, nouum continuò cibum obtrudendo, concoctio lædatur. In refectionum numero, hi quibus calor natiuus languidior est, cùm parùm comedere pro vna vice cogantur, eò frequentiùs quàm qui validiorem habent ventriculum, cibandi erunt. Rariùs verò quibus frigidior est ventriculus excrementitiusque, qui non priùs quàm priore cibo confecto, appetituque denuò inuitante, nouo refici debent: vnde quoque semel in die si illis, quorum ventriculus sordibus inquinatus est, cibus offeratur, sufficit. Omnino quoque hi quibus ob copiam ingestorum stomachus distentus dolet, à cibo donec dolor remittat, abstinere debent. In tempore idoneo eligendo, vti hoc sanis competit, sic & illis maximè quibus ventriculus debilior, frigidior aut sordidior existit: vt post somnum manè horis quinque vel sex, & si bis in die cibum sumere possint, ante somnum vesperi horis tribus circiter, primùm cibum sumant, idque cùm post somnum ante prandium plurium horarum interuallo, prioris cibi in cœna sumpti demum fiat digestio, & vix dum ante ventriculus ad nouum suscipiendum, fiat aptus, eumque appetat. Dein & vt ante somnum post cœnam antequam superdormiant, priùs concoctione aliquo pacto factâ, vapores qui copiosi ab initio suscitantur, ex parte per vigilias dissipentur, nec per somnũ, si statim caperetur recenti, caput magis petant & oppleant, tantisper eum differre vtiliùs erit. Quod tamen in senibus & debilioribus, qui nocturni somni tempus plerumq; non adimplent, non adeò strictè seruandum, quin illis etiam mox à cibo sumpto post cœnam & à prandio circa meridem, somnus qui eo tẽpore maximè eos inuitat, concedatur, cùm plus inde recreentur reficiãturq;, quàm à vaporibus, qui cùm minùs iuuè-

iuuenibus comedant pauciores etiam sunt, lædantur.

In qualitate ciborum, substantia succusq; horum & temperies consideranda. Cibus eupeptos seu concoctu facilis esse debet, ne si tardiùs concoquatur, ventriculus interea laboret, aut si concoqui nequeat vel non sufficienter, cruditas excrementorumq; & flatuum prouentus sequantur. Qualis ex sua natura iuniorum animalium existit caro, vel alioquin cibus tenerior, mollior succosusq;, qui faciliùs conficitur; vti verò difficiliùs, si durus, siccus, crassus, tenáxve sit: nisi arte sic præparetur, vt concoctione citiùs euincatur: quod eum elixando, assando, comminuendo, masticando, alijsque præparationibus & condituris perficitur: quibus tamen quoque artibus, veluti suffumigando, saliendo, alióve modo cibus interdum deprauatur. Euchymus, qui boni succi sit cibus eligendus quoque, vt sic quibus calor natiuus debilior æst, melius citiusque reficiantur: pauctoraque excrementa gignantur: quod in omnibus ventriculis imbecillioribus requiritur. Talis autem omnibus alimentis, siue ab animantibus aut plantis petantur, quæ verè nutrimenta sunt, nec medicamentosâ vi alterata (quorum prauitatem vel sapor vel odor ab alimentoso alienus prodit) succus laudatus inest, nisi hæc situ, rancore, fœtore, ad putredinem & corruptionem tendentia cacochyma fiant, aut eam naturam habeant, vt in ventriculo primùm corrumpantur, aut ob humidum crudum succum, qui simul adest, excrementis flatibusque gignendis materiam præbeant: vel alioquin ob substantiam illorum duram ægrè concoquantur. Cùm hæc in cibis, vt & euchymi & eupepti sint, nec flatulenti, concurrere debeant: quos omnes sigillatim describere nimis prolixum esset. Temperatus quoque in suis qualitatibus, qui ad nutriendum aptus sit cibus, esse debet, sed ad caliditatem aliquam in frigidioribus & flatulentis ventriculis inclinans. Qualis admistione calidorum & conditurâ reddi solet, tum ad consuetum cibandi vsum, tum vt medicamenti instar, sicuti postmodum in illis explicabuntur, eo vtamur.

Quod alias res, corporis scilicet animique motus attinet. Exercitium ventriculo debilitato valde quoque proderit, ante cibum factum, quod si validius fuerit, illudque perferre posint, calorem natiuum suscitando corpusque calefaciendo, vti functiones illius alias, sic ventriculi plurimùm promouebit. Sed & post cibum exercitium, non tamen validius, per quod cibus in ventriculo conturbatur, sed leuius, quòd stando ambulandoque perficitur, cùm sic cibus fundum ventriculi petens rectiùs concoquatur, conueniet iuuabitque. Quies quoque moderata corporis, vigiliarum tempore, cùm vires refocillet, actiones ventriculi iuuat: satiusque cibo sumpto, dum concoctio fit, quiescere, quàm validioribus, vti dictum, motibus, vt cibus in ventriculo, corrumpatur, vel incoctus maneat, ansam præbere. Quies autem per somnum inducta, si concoctionem iuuat, ex accidenti (cùm non illius causâ propriè, sed vt per eum & corpus & animus quiescat, data fuerit) hoc pacto iuuare aliquomodo posset: quòd animalibus functionibus tantisper quiescentibus, naturales validiùs suas vires exercere videantur. Concentratio enim illa caloris, quam tempore somni factam, hoc efficere docent, pro causa vera adferri, cùm dormientibus magis quàm alio tempore calor ad exteriora vergat, quo nomine & tunc citiùs sudant, nequit, & proin ab alia causa hoc prodire potiùs, si modo somnus concoctionem iuuat, dicimus, cùm vigiliarum tempore propter motus, vti dictũ, & concoctio & distributio ciborum, citiùs fiant. Etsi insomnes, cruditates sentiunt, hoc illis, quod fortè nimio vel nõ conuenienti cibo se intemperantiùs ingurgitarint, quo repleti dormire nequeunt, accidit. Excrementorum dein indies idoneoque tempore naturalis expurgatio, per alui deiectionem maximè certum ordinem in alui redditione seruando, vel etiam si facilè subsistant, alio modo ea promouendo, si fiat, vt ventriculus minus grauetur, opitulabitur. Nimiæ verò euacuationes, illaque imprimis quæ per venerem fit, in qua luxuriæ causâ frequentius peccatur, vt totum corpus debilitant, sic ventriculi actiones plurimùm labefactant,

Vti & animi perturbationes eodem modo nocent; Recreationes verò iuuant.

Imbecillitati ventriculi competentia euacuãtia remedia.

Inter euacuantia Vomitus in omni repletione ventriculi conuenit. Nam si à cibi nimia ingurgitatione ventriculus admodum distentus doleat, vomitione factâ subitò alleuiatur: si modò vomere possint, cùm sæpè nimiùm à cibis dilatato vẽtriculo, hoc ægrè fiat, & si dyspnœa simul adsit, eam augeat. Præsertim verò si ab humorum crudorum pituitosorum repletione grauedo hæc fiat, competit. Vti & in imbecillitate ventriculi inde profecta: in qua si singulis mensib. repetatur, proderit: Alias enim nisi excrementorũ adsit prouentus, ventriculum potiùs debilitaret, quàm iuuaret: præsertim si ad vomendum inepti, aut non consueti sint. Vti & in flatibus, si citra materiam ventriculum distendunt, non temerè concitandus erit.

Promouetur autẽ ille, cùm opus erit, tum actu irritando fauces, ventriculumq; fricando. Vel exhibitis vomitoriis quæ citra magnam molem, si iam priùs repletus sit, illum queant subuertere. Vel si tenax in eo sit pituita, quæ eam abstergant & incidant: vt Oxymel simpl. vel compositum, vel diureticum vel scylliticũ: aut syr. Acetosum dando cum aqua tepida vel decocto rad. Raphani fol. Betæ, sem. Attriplicis, Azari & Agarici: vel aqua stillaticia Nucum, Raphani similibusque. In imbecillitate verò addendo calefacientia & incidentia amaraque: vt si vinum Absynthites manè bibant, & postea se ad vomendum sollicitent: aut syrupũ de Absynthio cum aquis aut decoctis prioribus bibant.

Ructus plurimùm alleuiat in omnibus hisce causis, nam in flatu causam ipsam subitò euacuat, in cibi & humoris copia ventriculi distentionem minuit.

Erumpit autem is vel sponte, præcipuè repleto ventriculo maximè si corpus inclinẽt, aut alio modo moueãt. Ex voluntate nostra ructum retinere sed emittere vix possumus: cùm qui sonum talem instar eructationis cùm volunt edunt, non flatum è ventriculo eructent, sed aërem potiùs, quem priùs antequam hoc tentant ore hauriunt, & aliquousq; deglutiunt, ex œsophago potiùs quàm ventriculo rursum eiusmodi bombo, vnde nihilo alleuiantur, emittant.

Vt is promoueatur, fotu & assumptione calidorum actu, potentiaque, efficitur: Qualia postmodum explicabuntur.

Clysteres, si ventriculus vel cibo vel humore repletus grauetur, aut à flatib. distendatur, naturã sollicitãdo sicq; reuellendo, & viam ad inferiora aperiendo, cùm intestina exinaniãt, plurimùm iuuant. Et in imbecillitate ventriculi, si aluus minùs rectè respondeat, per vices vsurpati prosunt; præsertim si purgantibus fortioribus ob ventriculi imbecillitatem vti non liceat, & mitiora in illis, vt ferè fit, parùm operentur.

Acribus autem vtendum, vt à superioribus maior fiat diuersio; flatusq; discutientibus, si inde procedat: Quorum exempla in colicis doloribus multa explicabuntur.

Purgãtia exhibita, si ab humore crudo vel pituitoso vel flatib. inde genitis ventriculus impetatur, aut hæc in imbecillitate illius sæpiùs congerantur, locum habent. Illaq; interdum aliquoties repetuntur, & per vices vsurpantur: si præsertim leuiora sint, nec fortioribus ventriculũ offendere volumus. Quibus tamen etiam cùm necessitas vrget, vtimur, admiscendo semper ea, quæ vim illorũ ventriculo aduersam corrigant, eumq; simul si imbecillis sit, roborent. Quorum formulas quasdam vẽtriculi affectibus iam dictis tantum accommodatas proponemus, cùm ea, quæ ad ventriculum purgandum, in aliis morbis qui illi affecto copulantur, vsurpantur, passim hinc inde describantur.

Pilularum forma propter aloën, quæ potissimùm in ventriculo purgando vtilis censetur (cùm tamen tetro odore, nauseam vehementer moueat) magis in vsu est, cùm alia ratione ob amaritudinẽ & insuauitatem vix assumi queat Aloë (succus scilicet illius inspissatus sicuti ad nos adfertur) quæ quò magis rufa est, hoc, est ex rubro flauescit, eò præstantior est, aloëque tunc Succotrina, rectiùs Succocitrina dicitur: vti & si hepatis modo coacta intusque foueæ modo excauata & friabilis existat, Aloëpatica ob id vocata. Sed & vt melior fiat, præparatione efficitur: quando puluerizata priùs obiter duntaxat,

xat, nullâ illius portione ſucculentâ effuſâ, à ſordibus ſabuloque aquâ abluitur: quæ vera eſt illius lotio, vnde nihilo fit ad laxandum, vti verò putatur, inualidior. Verùm & efficacior fit, quando contrita & in liquore conuenienti infuſa diſſolutaque maceratione, ſuccus illius innatans à ſubſidentia effunditur, aliquotiesque hoc iteratur, rurſumq; calore quod effuſum purius eſt, inſpiſſatur & concreſcit: qui liquor ſi Vinum fuerit, illiusve ſpiritus dictus, aut aliud aromaticum vinum, aut decoctum, eò magis ſimul ventriculum calefaciet roborabitque: & ſi in Vino abſynthite hoc fiat, aloës vis ad laxandum abſtergendumque ventriculum erit validior.

Ex Aloë, ſic præparata præſertim ſolâ, cùm leuiter laxare, concoctionemq; non lædere ſed iuuare volumus, pilulæ parantur, & à ℥.ß. ad ℥.j. ſemel atque iterum, aliàs pluries, & per vices, prout neceſſe eſt, cum liquore conuenienti exhibentur.

Permiſtione aliorum ſuccorum ſic fiunt efficaciores, & ventriculo admodum conuenientes. Aloës ſubtiliſsimè trita, ſucco Roſarum irroratur ſiccaturque, rurſumque trita, eodem ſucco imbuitur, denuoque ſiccatur, fitque hoc ter vel ampliùs: demum vſurpatur, minusque tunc calefaciet, Aloësque roſata dici poteſt.

Idem ſi ſucco Abſynthij fiat, ventriculo magis competet. Cuius macerationis loco ſuccus illius inſpiſſatus, quod rob antiqui, neoterici extractum vocat, aloi permixtum, idem præſtabit.

Additis aliis quoq; alterantibus pilulæ ex aloë, prout eas præter laxationem operari volumus, parantur. Vt cùm ventriculum calefacere ſimul volumus, aromata: Cùm roborare, maſtiche, roſæ, ſpica: Cùm validiùs detergere, azarum, myrrha: Cùm concoquere, crocus, hisq; ſimilia adduntur. Sicuti hoc pacto vſitatè quæ id præſtant ſunt pilulæ de Hiera ſimplices dictæ, & Alephanginæ, ob copiam aromatum Aromaticæ appellatæ. Et quib. in laxo & debili potiſsimũ vtimur ventriculo, Stomachicæ ab vſu dictæ, pilulæque Aſſaiereth, quæ & myrobalanos recipiunt.

Purgantibus aliis quoque permixtis, mitioribus tamen nec ventriculo aduerſis, pilulæ efficaciores ad eum expurgãdum, cùm magis eſt impurus, fiunt. Sic conſuetæ parantur, rhabarbaro addito pilulæ Ante cibũ. Aggregatiuę minores Meſ. & de Rhabarbaro & de Eupatorio vocatæ, hepati quoque appropriatæ, vel addito agarico, pilulæ Maſtichinæ: vel vtriſque permixtis, pilulæ de Tribus & Imperiales, quæ & ſenam recipiunt & Sebelliæ: aut quæ turpethum continent, & quia ſtomacho accõmodatæ ſunt, pilulæ Turpethi ſtomachicæ vocantur. Quæ pilulæ tum per ſe, tum inuicem permixtæ, variis modis pondereque iam dicto vſurpantur.

Has quoque, cùm magis purgare volumus, aliarum fortiorum pilularũ admiſtione acuimus: imprimisq; illarum quæ ſcammoneam potiùs quàm alia ventriculo magis noxia cathartica recipiunt.

Ad quorum omnium imitationem de nouo pilulæ ſtomachicæ ſic componi poſſunt, eâ intentione maximè, vt ventriculus ab excrementis expurgetur: additis paucis corrigentibus, actionem ipſarum iuuantibus potiùs, quàm quę admodum ſimul alterent, cùm hæc ſine purgantibus rectiùs adminiſtrentur.

Leuiores ſic fiunt in frigida cauſa: ℞. Aloës præparati ſeu extracti cum Vino ſimplici vel compoſito, vt dictum, ℥.ß. Gariophyl. Nucis moſch. vel Maceris an. ʒ.ß. Piperis vel Zingiberis ℈.j. Croci, ſi caput nõ doleat ℈.ß. cum ſyrupo de Menta fiat maſſula: Capiat ʒ.j. duabus horis ante cibum.

Vel vt minori quantitate ad ʒ.ß. exhibitæ idem præſtent, additis oleis ſic fiũt: ℞. Aloës præparatæ, vt dictum, ℥.ß. olei per expreſsionem facti, Maceris vel Nucis moſch. ʒ.ß. olei per deſtillationem eliciti, Maioranæ, Mentæ, & in ditioribus Cinamomi, ſuauioris odoribus causâ an. guttas iij. vel iiij. cum ſyrupo vt dictum, ſubigantur.

Vel ſic cum purgare & ſimul roborare laxum ventriculum volumus: ℞. Aloës præpar. cum ſucco abſynthij ℥.ß. Maſtichæ, rad. Galangæ an. ʒ.ß. Roſ. rub. Spicæ an. ℈.j. cum ſyrupo de Abſynthio fiat maſſa: Vtatur vt de prioribus dictum.

Cùm magis ventriculum purgare & abstergere volumus: ℞. Aloës præp. cum succo rosarum ℥.ß. Myrrhæ, radic. Azari an. ʒ.ß. Zingib. ℈.j. cum melle rosſ. fiat massa.

Ex aliis quoque purgantibus additis, paulò magis laxabunt: ℞. Aloës selectæ vel præpar. ℥.ß. Rhabarbari, Myrobal. citrin. puluerisatarum, & Vino priùs irroratarum & parùm maceratarum, potiùs quàm vt in oleo fricentur an. ʒ.j. Mastich. ʒ.ß. Gariophyll. Spicæ an. ℈.j. cum succo Absynthij parùm inspissato, fiat massa. Sumatur ʒ.j. vel plus.

Ampliùs adhuc aluum mouebunt hoc pacto: ℞. Aloës selectæ vel præpar. ℥.ß. Rhabarbari & Agarici troch. an. ʒ.j. Myrobalan. Chebularum indarum præparatarum vt suprà dictum an. ʒ.ß. Zingib. Cardamom. mai. an ℈.j. Spicæ. ℈.ß. cum syrupo rosar. solut. fiat massa.

Catharticæ fient magis, si enarratis compositionibus quibusuis, Scammoneæ cum succo Cydon. aut alio pacto ritè (ne ventriculo noceat) præparatæ ʒ.ß. vel paulò plus permisceas; aut Turpethi etiam rectificati ad ʒ.ij. vel trium quantitatem.

Vinum medicatum, quando ventriculum purgare volumus, conuenientissimum est, cùm nauseosa, qualia ferè purgantia sunt reliqua, etiam, præter aloën, quæ vino non ita commodè permiscetur, vini hoc odore gratiora fiant, & si absynthium addatur (vti ferè fit) cùm adeò ventriculo conueniat, non solùm bilioso, sed & pituitoso, quem amaritudine suâ vti aloë abstergit) hoc illorum odorem penitus retundat, & cùm vinum ventriculo amicum sit, minùs sic à purgantibus perturbetur. Et præsertim cùm validiùs purgandum est, vina rectiùs quàm pilulæ, cùm exigua quantitate eas sumere cogamur, nec purgantia leuiora, vti vino, tantâ copiâ pilulis permisceri possint, operantur.

In frigido humore & flatibus ventriculũ molestantibus sic purgamus: ℞. Agarici vel Mechoacæ ʒ.ij. vel ʒ.iij. fol. Senæ repurg. ʒ.vj. herb. siccarum Absynthii ʒ.iij. Maioranę ʒ.ij. Mentę ʒ.j. seminis Fœniculi ʒ.j.ß. Zingib. ʒ.j. conquassentur, infundantur in ℔.iij. Vini generosi s. art. pro tribus vicibus.

In laxo & debili ventriculo pituitoso, sic purgamus: ℞. Rhabarb. ʒ.ij. Mirobal. citrin. Chebul. an. ʒ.j.ß. fol. Senæ ℥.j. cortic. Citri sicci ʒ.iij. radic. Galangæ ʒ.ij. Absynthij ʒ.iij. Rosſ. rub. P.j. Mastichæ ʒ.ij. Spicæ ʒ.ß. conquassentur, fiat infusio: Vtatur præcedenti modo.

Cùm maiori abstersione & purgatione opus est: ℞. fol. Senæ mundat. ℥.j.ß. Turpethi ʒ.ij. Agarici troch. ʒ.iij. Rhabarbari ʒ.ij. Tartari ℥.j. rad. Azari ʒ.j. Absynthij ℥.ß. Maioranæ ʒ.ij. Mentæ ʒ.j. rad. Galangæ & Acori veri an. ʒ.j.ß. seminis Fœniculi ʒ.ij. Zingib. ʒ.j. Spicæ ʒ.ß. conquassentur, ad mensur. j. Vini vel ℔.iiij. Pro quatuor vicibus.

Inter electuaria molliora ventriculo purgando præsertim accommodata ex aloë parata, præcipuum est, Galeni Hiera, ob insignem illius vsum, & simplex, quòd non aliud purgans præter aloën recipiat, & picra ob insignem illius amaritudinem vocata, cuius causâ & eam vix assumunt ægri: cùm præsertim ad ℥.j. vt aluum moueat, illius sumere oporteat: quam Rhazes sine croco, cuius magnam aliàs quantitatem recipit, parat.

Quæ & odore suauior & nonnihil ad laxandum aptior sic componi potest: ℞. Absynthij M.j. Majoranæ M.ß. Rosar. rubrar. P.j. Schœnanthi ʒ.iij. Cubebarum, Carpobalsami an. ʒ.ij. seminis Fœniculi & Sileris mont. an. ʒ.j. infundantur in mensur. j. Vini & Aquæ: bulliant parùm in duplici vase, colentur, adde Mellis vel Sacchari ℔.j. decoquantur despumando donec syrupi instar inspissentur: cui adde Aloës selectissimæ puluerisatæ subtilissimè ℥.vj. Mastichæ ʒ.ij. Cinam. ℥.ß. rad. Azari ʒ.ij. Spicæ ʒ.j. Croci ʒ.ß. fiat electuariũ. Cuius ℥.ß. media est, quâ interdum maior, aliàs minor exhibetur quãtitas. Hoc ad purgandum efficacius fiet, si folia Senæ infusioni addideris.

Vel hoc pacto parabis, si præsertim obstructiones simul adsint, sicuti aliqui bono successu vtuntur: ℞. rad. Liquiritiæ ℥.j. Fumariæ, Linguæ ceruinę vel Ceterach potiùs an. M.j. Eupator. M.ß. fl. Cord. P.j. Passul. ℥.iiij. rad. Polypodij ℥.j. fol. Senæ ʒ.vj. decoquantur in aquarum Fœniculi, Anisi an. M.ß. & in colatura dissolue Aloës ℥.v. exprimantur, decoquantur ad consistentiam electuarij, miscen-

miscendo in fine pul. Mastichæ ʒ.j. Thuris ʒ.j.ß. Hoc ad purgandum efficacius fiet, si fol. Senæ ℥.ij. vel iij. infusioni addideris.

Vti & Hiera Gal. si Agaricus cum suo correctiuo Zingibere: aut Rhabarbarum, cuius operationem Spicæ, quæ hieram subit, dirigit, addatur, ipsius effectus acuitur, vt tũc etiam minori quãtitate exhibita (quod maximè expetunt) officium suum faciat. Longeque magis si Scammoneâ rectè præparatâ admixtâ, vis ipsius adeò intendatur, vt etiam per drachmas sumpta purget: quæ Colocynthidem recipiunt Hieræ, quarum plures sunt, ventriculi affecti causâ minimè exhiberi debent.

Ex aliis laxantibus & purgantibus non adeò vt aloë amaris, vsitata quoque vsurpantur electuaria tàm leuiora quàm fortiora, passim hinc inde descripta, minùs ventriculo noxia, quibus in illius affectibus vtendum, vt sunt elect. Lenitiuum, Diacatholicon, Diaphœnicon, de succo Rosarum, similiaque.

Diaspoliticon à Galeno descriptum electuarium, ex nitro paratum, ad ventriculum à flatibus & pituita expurgandum, & extergendum compositum fuit.

Gratum & efficax tale potest fieri conditũ: ℞. Agarici troch. ℥.ß. Rhabarbari el. ℥.j.ß. Senæ mundat. ℥.quatuor, Cinamom. ℥.ß. Zingib. ʒ.j. infundantur in Vini maluatici ℔.quatuor & succi Cydon. ℔.j. macerentur aliquamdiu, leuiter coquantur & colentur, addendo pulpæ Cydoniorum & Sacchari an. quartam j. coquantur ad spissitudinem electuarij vel conditi, vti cydoniatum fit congelatum. Cuius ʒ.ij. exhibentur vel iij. Et si fortius esse velis, vt minor illius quantitas idem efficiat, Scammoneæ extracto ritè parato perficitur, cùm hoc adeò ventriculo nocere minimè possit.

Puluis pro purgãdo ventriculo vtilis, sed amarus: ℞. Agarici troch. Rhabar. el. an. ʒ.j.ß. Turbith ℈.iiij. Tartari ʒ.j. Zingib. ʒ.ß. Spicæ ℈.j. rad. Gentianæ, Zedoariæ an. ʒ.ß. fol. Absynthij ʒ.j.ß. summ. Centaurij, seminis Fœniculi an. ʒ.j. fiat puluis subtilissimus: Datur ad ʒ.ij. cum Vino, cui & Aloë, si huius ingratiam ferre possent, addi posset. Si Diacrydio acuatur efficacior fit, minorique quantitate tunc exhiberi potest.

Ex eo, addito SacchLaro dissoluto in aquis Absynthij vel Mentæ vel Cinamomi, iustâ quantitate tabulæ formari possunt.

Potio purgans stomachica: ℞. Agarici troch. ʒ.j. Rhab. el. ℈.iiij. Spicæ ℈.j. infundantur in Vino forti, fiat expressio, adde syrupi Ros. sol. cum inf. Senæ ℥.j. syrupi de Absynthio ℥.ß. misce, pro vna vice.

Vel cum decocto hoc pacto: ℞. radic. Galangæ ℥.ß. rad. Azari ʒ.j. Absynthij ʒ.ij. Mentæ ʒ.j. fol. Senæ ℥.ß. seminis Fœniculi ʒ.j. fiat decoctio, infunde Rhabarbari & Agarici, vt suprá.

Reliqua exempla ventriculum purgantium medicinarum, in morbis variis, quibus ventriculus occasionem præbet, aut illi huius affectibus, proponuntur.

Quæ exhibentur alterantia remedia, omnia quoad fieri potest, proprietate suâ ventriculo accepta esse, eumq́; roborare debent: & pro diuersitate causæ, calefaciendo plus minúsve, imbecillitati illius ob caloris natiui defectũ, aut frigidam ipsius intemperiem natæ, vel aliàs refrigerationi illius corrigendæ, aut humoribus præparandis, alterandis, vel flatibus pellendis accommodari: simulque, prout ventriculus humidior laxiórve existit, eum amplius parciúsve astringere: & si dolor intensus vrget, eum temperie anodyna mitigare. Quod variis modis perficitur.

Imbecillitatem ventriculi alterantia intrò sumenda remedia.

Inter liquida quæ bibuntur, Vina naturalia, vinosa, non acida, antiqua maximè, imprimisq́; generosa, Muscatellina, Maluatica, dicta, aliáve, ventriculo magis accepta & grata, eum præ cæteris ferè omnibus refocillant ac calefaciunt: tum inter cibos; tum etiam, cùm validiùs illa agere volumus à ieiunis bibita: vel cùm necessitas requirit, vt refrigerato à frigido potu ventriculo, si vinum actu calidum bibatur, mox iuuat.

Vina arte immutata, propter infusionem plantarum vel aromatum fiunt ventriculo conuenientia.

Ex plantis præcipuè parata talia fieri possunt: quæ vel maceratione sola, vel antecedente quoque leui coctione in duplici vase,

vires suas illi communicant. Vsitatissimum est,& plerisque, ob odorem gratum, etsi amarum sit, quod ex Absynthij infusione fit: eâ quantitate donec amarescat, odoremque illius suauem concipiat: in omnibus ferè ventriculi affectibus à repletione profectis conueniens.

Huic & Menta & Maiorana addita, gratius adhuc magis illud reddunt.

Vel sic fiat: ℞.rad.Imperatoriæ, Galangæ, Zedoariæ an.ʒ.iij.cort. Citri succi, herb. Absynthij an.℥.ß. Mentæ, Maioranæ, seminum Coriandri, Fœniculi an.ʒ.ij.Gariophyl.Nucis mosch.an.ʒ.j.ß. Mastichæ ℥.ij.Vini ℔.iiij. macerentur. Si maiori abstersione opus est in sordido ventriculo, & obstructionibus, summ.Centaurij min.ʒ.j.ß. additur. Si amara fastidiant, absynthium & centaurium omittantur.

In flatulento ventriculo, Vinũ cui semen Fœniculi additum, Fœniculatum dictum, vel Anisum similiaque semina, vtile.

Vel tale parabitur: ℞.cort.rad.Fœniculi, radic. Acori veri an.℥.ß. Mentæ, Maioranæ, Spondilij an.M.j.sem. Fœniculi, Carui, Seseleos an.ʒ.ij. baccarum Lauri vel Iuniperi ℥.j. infundantur in mensur.j. Vini, Si Cimini odor non impediat ʒ.j. illius addita, operationem illius iuuabit. Si amarũ potius optent, Absynthium additur.

In doloribus ventriculi Melilotum in vino decoctum vel infusum, prodesse docet Diosc.

Ex aromatum potissimùm infusione vina hoc pacto quoque fiunt stomachalia, quæ vt magis pleceant, plerumque dulcorantur, & aliquoties percolantur.

Sacchаro dulce redditum, vsitatũ est Hippocraticum dictum: quod recipit Cinamomi ℥.j.Sacchari ℔.j. Vini ℔.quatuor vel quinq;, vel minùs, prout dulce esse cupimus. Quod potentius fiet, si Piperis, Zingiberis, Cardamom.mai.an.ʒ.ß.addatur.

Melle dulce factum Pimentum dictum, Monsp. sic paratur: ℞.Cinamomi ʒ.vj. vel plus, & erit gratius, Zingib.ʒ.v.Piperis ʒ.ij. Cardamom. mai. Gariophyl.Nucis mosch. an.ʒ.j.Mellis puri ℔.v.Vini mensur.x.macerentur & colentur.

Claretum vocatum à nostris aromatariis, ex permistione multorũ aromatum fit. Cuius loco & tale poterit fieri ventriculo accõmodatum: ℞.Cinam.℥.j.ß.Zingib.℥.ß.Cardamom.mai.& min.Piperis rot.& longi an. ʒ.j.Nucis mosch.Maceris, rad.Galangæ, Gariophyl.an.ʒ.j.ß. Spicæ, Schœnanthi an.ʒ.ß. Mellis vel Sacchari, vel vtriusque ℔.j.ß. Vini mensur.v.paretur s.a.

In Vini spiritu infusio facta talis cochlearis vnius vel duorũ mensura sumpta, valde prodest: ℞.Cinam.℥.j.Spiritus vini ℔.j.Sacchari quar.j.insolentur aliquamdiu. Si aqua Rosacea addatur, odoratior erit.

Vel sic quę vino permista vsurpatur: ℞.Cinamom.℥.j.Piperis, Zingib.Gariophyl.an.ʒ. iij.puluerisata, in spiritus Vini ℔ j.infundantur, in eoque macerentur. Huius si cochleare vnum vel duo Vino permisceas, Saccharumque addas, vinum aromaticum dulce & vtile subitò parabis, ad eosdem vsus vti reliqua commodum.

Aliud valde in doloribus ventriculi commendatum, sed rectius sic præparatum: ℞.Nucis mosch.ʒ.ij. spiritus Vini ℥.ij.adde Mellis rosar. donec dulcescat: vel si subitò vsurpari debet, parùm bulliat: Capiat cochlearia duo vel tria. Hoc aliqui, donec aqua vitæ absumatur, decoquunt, & sic in mixturam redactum, vt dictum, exhibent.

Infusum Absynthij fol.in spiritu Vini fiat, illiusque guttæ aliquot vino permistæ, bibantur, idem quod vinum absynthites præstabit.

Vel si aliæ herbæ stomachicæ, in spiritu Vini infusæ, sic vsurpentur.

Iusculis in cibis vsurpari solitis interdum hoc præstamus. Sicq; ius Galli senis potum ventriculi flatus pellere docet Diosc.

Ius, Pipere, Zingibere, Gariophyllis, Nuce moschata, Macere aliisve aromatibus, ad concoctionem iuuandam conditur, & Croco tingitur.

Baccarum lauri nucleos iusculis vulgus incoquere solet, vt illis non solùm gratiam, sed & efficaciam concilient.

Herbis iuscula in hunc vsum quoq; condiuntur, vt Maioranâ, aliisve odoratis gratis in culinis vsitatis, imprimisque Menta, Hyso-

Hysopo, Satureia: Absynthij brodium commendatur, si ob amaritudinem non displicet.

In dolore ventriculi, Chamomillæ & Meliloti flores in iure pulli cocti, iusque bibitum, vtile censetur, si ob nauseosum odorem ferre possint.

In flatulento & debili ventriculo: ℞. seminis Carui ℨ.j. Piperis integri gr.x. bulliant in iusculo: si Mastichæ ℈.j. addatur dum coquitur, efficacius erit.

Cuius & solius decoctio ventriculum roborare dicitur.

Syrupi vsurpantur, cùm materiam pręparare ante purgationem volumus, hoc pacto: Cùm magis incidendũ: ℞. Syrupi de Menta, de Hysopo, vel de Stœchade an. ℥.j. Mellis anthos ℥.ß. aquarum Mentæ, Fœniculi q.s. fiat Iulep.

Cùm abstergere simul volumus: ℞. syrupi de Absynthio, de Betonica an. ℥.j. Mellis ros. syr. Acetos. simp. an. ℥.ß. aquarum Absynthij q.s. misce.

Cùm roborare potiùs volumus: ℞. syrupi conseruationis cort. Citri, vel nucis mosch. aut Myrobal. ℥.j. syrupi de Menta vel Calamenta ℥.ß. misce: Vtatur per se vel cum Vino, aut aqua Absynthij, vel Maioranæ.

Cõpositus syrupus sic fieri poterit: ℞. rad. Fœniculi ℥.ß. rad. Imperat. Acori, Zedoariæ, cortic. Citri an. ℨ.ij. herb. Mentæ, Satureiæ, Hysopi, Maioranæ, Betonicæ, Spondilij, Saluiæ, flor. Rosmarini, Stœchados an. ℨ.j. semin. Fœniculi, Anisi an. ℨ.iij. semin. Carui ℨ.j. Schœnanthi ℨ.ß. fiat decoctio in Aqua & Vino: aromat. Nuce mosch. ℨ.j.ß. colaturæ adde Sacchari ℥.vj. decoquantur ad consistentiam syrupi: Capiat ℥.j.ß. per se vel cum Vino.

Vel: ℞. syrupi de Menta ℥.j. syrupi Absynthini ℥.ß. Bibat cum Vino.

Ex succis ad corroborationem detur hic potus: ℞. succi Mentæ ℥.ß. succi Absynthij ℨ.ij. misce cum Vino: Bibat vno haustu.

Dolorem subitò tollit succus Meliloti & Chamomillæ an. ℥.ß. quantitate, cum Vino alióve modo bibitus.

Aquæ stillatitiæ, ventriculum calefacientes & roborantes præcipuæ sunt, ex herbis, Absynthij, Menthæ, Calamenthæ, Maioranæ: Quæ vel per se, vel cum Vino mistæ bibuntur: vel electuariis priùs assumptis, superbibuntur, aut illis alia quæ bibi debent diluuntur, sicque exhibentur.

Cinamomi aqua grata & efficax, per se sumpta, subitò calefacit ventriculum, reficitque, magisque calefacit, si cum vino extracta sit: cui & Saccharum nonnunquam vt gratior sit, permiscetur.

Aquæ seu spiritus Vini guttæ aliquot sumptæ, refrigeratum pituitosúmve & sordidum ventriculum subitò emendant, eoq; nomine vulgo vsus ipsius perquàm est consuetus. Si composita sit additis multis calidis stomachicis plantis aliisve, & postea aqua inde eliciatur, efficacior erit.

Thermæ naturales aliquę bibitæ diuturnam ventriculi imbecillitatem emendant, ab humiditate nimia, aut sordium pituitæve copiam contractam. Imprimisque ex illis nitrosæ: Porectanas laudant Itali: Germani variis abundant.

Olea vi ignis elicita ab aromatibus vel plantis conuenientibus, cùm efficacissima sint, vix sola exhibentur, sed reliquis diluta aquis aut vinis aliisve, aut reliquis formis, sicuti illic dicetur, permixta: illorumque tantùm gutta vna aut altera pro vna vice datur.

Imprimisque ex aromatibus oleum Cinamomi efficax & gratum est: inde Gariophyllorum: Quæ à reliquis aromatibus exstillantur, nec adeò grata nimiumque ferè vrentia sunt.

E plantis oleũ Maioranæ & Mentæ præ cæteris eligitur. Et ex seminibus ol. Anisi, Fœniculi, ad flatus præsertim dissipandos.

Ab expressis oleis, Nucis mosch. & Maceris olea quoque prosunt, sumpta, minusque inflammant, commodeq; cùm vnctuosa sint, cum iusculo, portiuncula illorum, alióve modo sumitur.

Ricinum, Cnicinum, olea bibita flatuosos scribunt emendare ventriculos.

Inter ea quæ in substantia exhibentur; Simplicia quædam efficacia per se dantur, masticanturque, vel tenuiter incisa aut puluerisata, cum Vino, aut cum Aqua mulsa,

vel

vel aqua Absynthij,alióve liquore bibenda præbentur.

Melissa,Mentastrum,Menta Græca,Saluia,Cattaria Mathiol.Nardus Indica, Celtica, Lauãdula, Tanacetum, Tragoriganum, Pulegiũ,Ligustici semen & radix,ad flatus: Iuncus odoratus, Mei radices, in flatibus. Diosc.

Radices Imperatoriæ, ab alpigenis, Zedoariæ, Galangæ,Acori veri,Zingiberis,ab aliis,in ventriculi doloribus sic comeduntur vel bibuntur,vti & Rhaponticum Dioscor. Aristolochiæ radix exhibita,dolores stomachi & intestinorum emendat.

Bulbos comestos dolorem tollere,Pistacia verò & Erucam concoctionem promouere docet Diosc.Vti & Pyra & Cotonea.

Menta cum Ouis in placentas coqui solet: quas & ex Absynthio similiter paratas in aulis etiam magnatũ comedi summè amaras, non tamen adeò quibusdam, quorum ventriculus amaris delectatur,ingratas.

Semina Fœniculi, Anisi, Carui comesta, flatus discutiunt,concoctionemq; iuuant.

Piperis grana septem vel nouem confracta,non puluerizata,vt sic minùs fauces vrãt, cum Vino exhibita,subitò refrigeratũ ventriculum iuuant. Quod & Zingiber facit.

Piper ʒ.j.pondere, inuolutum in nebula madefacta in Vino ardoris illius vitandi gratiâ, aliqui exhibent, tuncque Vini haustus ad ℥.iij superbibitur.

Piper cum Vino Galenus mox post cibũ assumptum exhibet,si eo in phlegma,vt inquit,conuerso,frigore æger corripiatur cum angustia anhelitus & pulsu debili.Quem casum & Bairus describit, & priuatum ac rarum statuit: cùm tamen idem sit cum Cardiaca.

Nux moschata comesta concoctionem iuuat,vel alio modo sumpta. Cuius puluis cum aqua Chamomillæ exstillata bibitus, dolorem ventriculi mox sedat.

Gariophyli comesti idem faciunt,tum per se,tum infixi priùs volatilibus assis: addito plerumque & Cinamomo. Aliáve aromata quoq; comesta prosunt. Cubebæ in flatibus præsertim laudantur. Galanga in ore saltem retenta,ructum alleuiare creditur.

Mastichæ grana aliquot deglutita,vel puluerisata priùs & cum liquore bibita à ℈.j.ad ʒ.j.vel saltem grana aliquot, si sæpè repetatur,admodum ventriculum roborant.

Gummi Hederæ sic quoque sumptum, magnopere dolores ventriculi sedare & arcere aliqui testantur. Vti & Ladanum sic etiam vsurpatum.

Castoreum cum Vino bibitum flatus mirificè pellit: Diosc.

Lapis Exebenos cum Vino bibitur in stomachi affectibus: Bairus.

Compositi pulueres quos species vocant, Stomachici dicti,varij fiunt: Quibus in cibis vel medicamentis,per se,vel in alias formas redactis,vtimur.

Qui ex aromatibus præcipuè parantur,sic fiunt: eligenda quando admodum calefacere volumus,nonnihil adurentia,grata præsertim; vt piperis genera, zingiber, cardamomum maius & minus; vel minùs his grata, in pituitoso maximè ventriculo, zedoariam,cubebas,pyrethriq; radicem. Cùm verò roborare potiùs cupimus, & nonnihil laxum ventriculum astringere,minùs acria, sed odorata, vt nucem moschatam, macerem, gariophylos, galangam, acorum verum,cyperum: vel suaui odore prædita,vt cinamomũ,cassiam aromat. lignum aloës, santalum citrinum, spicam Indicam,squænanthum. Quibus crocus concoctionis & coloris gratiâ interdum additur. Ex seminibus quoque fiunt calidis, concoctionem iuuantibus,imprimis cùm flatus discutiendi, vt semine anisi, fœniculi, carui, cimini, apij veri,petrosel.maced.ameos,seseleos. Ex herbis idem præstantibus,odoratioribus & gratis,vt thymo,calamenta,ligustico vel leuistico, menta, maiorana,satureia. Quibus & radix additur quandoque enulæ & cortex citri. Et cùm admodum roborandum, rosæ rubræ frequenter, rariùs mastiche adduntur. Quibus & ad ventriculum extergendum radix glycyrizæ,cùm & dulcis sit, interdum permiscetur: item radix azari, odorati admodum,sed paucâ quantitate,ne ventriculum subueniat: nitrum Gal.permisset. Sed & moschum & ambram, vt cordi quoque approprietur,quibusdam compositioni-

tionibus permiſcent, maximè odoris gratiâ, qui quidem aliquibus gratus, aliis verò non acceptus, nauſeam potiùs parit.

Ex enarratis varij fiunt pulueres. E quibus Cibariæ ſpecies ſeu pro cibo illæ dicuntur, quibus iuſcula, cibi aliaque fercula piperata & condita dicta, vt ventriculo magis accepta & vtilia ſint, condiuntur. Quales à cocis, pro diverſitate ciborum plurimis modis, ex aromatum paucioꝝ pluriúmve miſtione, additis odoratis & gratis interdum plantarum partibus, parari ſolent.

E quibus aromatarij noſtri, ſequentes ſpecies ex aromatibus gratiorib. paratas ad cibos condiendos ſemper præſtò ad manũ habent, & venum exponunt: ℞. Zingib. ℥.ij.ß. Piperis ℥.j. Nuc. moſch. Cinam. an. ʒ.ij. miſce. Si puluerem hunc, croceo colore fercula tingere volunt, Croci ʒ.iij. addunt, tuncq; Croceus aromaticus puluis appellatur.

Aliter vſitatus magis gratus: ℞. Zingiber. ℥.iiij. Granorum paradiſi ℥.ß. Piperis ʒ.ij. Nucis moſch. Gariophyll. an. ℥.ß. Galangæ ʒ.ij. Cinamomi ℥.ij. fiat puluis. Qui aliàs per ſe vſurpatur: aliàs quoque Croci ʒ.vj. additis Croceus fit & dicitur.

Suauior adhuc illis, hoc pacto parari poteſt: ℞. Cinamomi ℥. quatuor, Zingib. ℥.j.ß. Gariophyllor. ℥.j. Piperis ℥.ß. Croci ʒ.ij. fiat puluis.

Dulcis & ſuauis puluis, Dulcis appellatus, qui cibis & pultibus maximè vt dulcedinem & odorem acquirant, inſpergitur, ſic fit: ℞. Cinamomi ℥.ij. Zingiber. ʒ.iij. Cardamom. mai. Piperis, Nucis moſch. an. ʒ.j. Sacchari ℔.ij.

Qua ratione priores quoque Species additâ decenti Sacchari quantitate miſceri atque vſurpari poſſunt.

Salſus quoq; puluis, vel ſal compoſitum, pro ſaliendis in menſa cibis in humidioribus & laxioribus ventriculis, hoc pacto fit: ℞. Salis aſsi parùm ℥.j. Galangæ ʒ.j. Cinamomi ʒ.ij. cineris Inteſtinorum Gallinæ ʒ.ß. fiat puluis.

Sal cum ſemine Carui, ouo ſorbili additũ, præter hoc quòd concoctionem iuuat, ne ouum facilè corrumpatur, prohibet.

Medicati pulueres ſeu ſpecies, ad ventriculum calefaciendum, roborandum, flatus arcendos & cruditates emendandas, pituitamque & ſordes abſtergendas, ex prædictis quoque ſimplicibus duobus, tribus pluribúsve, prout operari volumus, fiunt. Qui vel ſoli inuicémve permiſti, per ſe, vel cum liquore aliquo conuenienti, vt iuſculo, vino, aquis, ſuccis, decoctis, bibuntur: vel ſi nõ ingrati ſint, etiam ſine ſaccharo admiſto: frequentiùs tamen addito ſaccharo, nunc æquali pondere, vel ſi vehementiores ingratiorésve ſint, maiori, interdum & octuplo ampliorive, in tragemata dicta rediguntur, vel aliis formis vt tabulis, electuariiſve induntur. Horum puluerem ſtomachicorum exempla quædam ſubjiciemus.

Ex aromatibus ſolis compoſitis, cùm maximè calefacere oportet, Primus aromaticus puluis hic eſt: ℞. Piperis rot. ʒ.j. longi ʒ.ß. Zingib. ℥.ß. Cardamom. mai. Nucis moſchatæ, Maceris, Gariophyl. Galangæ an. ʒ.j. Cinamom. ℥.ß. fiat puluis.

Secundus compoſitus & medicatus magis fit, ſi prędictis addátur, Cardomomi min. Zedoariæ, Ligni aloës vel Santali citr. Spicæ an. ʒ.ß. Cubeb. Croci an. ℈.j. fiat puluis.

Tertius aromaticus, ſuauis, cinamomeus: ℞. Cinamomi ℥.j. Zingiber. ℥.ß. Cardamomi mai. ʒ.ß. Piperis rot. ℈.j. Nucis moſchat. Maceris, Galangæ an. ʒ.ij. Gariophyl. ʒ.iij. fiat puluis.

Ex hoc puluere, additâ Sacchari ℔.j. tragema dictum gratum & vtile fit. Quâ ratione pharmacopœi noſtri, communia dicta Tragemata componere ſolent: aliàs omiſſo pipere & cardamomo: aliàs additis quoque cubebis: ponderibus quoque variantes.

Illius pulueris loco ſpeciebus Diacinamomi Meſuei vti poſſumus: quod præter hæc caſsiam ligneam, xiloaloën, crocum, radicem enulæ & moſchum recipit.

Ex plantis concinnatus puluis, minùs calefaciens, magis roborans, Quartus: ℞. Calamentæ veræ, Mentæ, Maioranæ, Thymi, Satureiæ an. ℥.j. rad. Glycyrizæ ʒ.j.ß. rad. Imperatoriæ, Enulæ, Pyrethri, in pituitoſis an. ʒ.ß. rad. Azari, cort. Citri ſiccí an. ℈.j. Roſ. rub. ʒ.ij. fiat puluis.

Ex ſeminibus, flatus admodum diſcu-

uiens puluis, Quintus: ℞.sem.Coriandri, Anisi, Fœniculi an.℥.ß. seminum Carui ʒ.ij. semin. Cimini (si odor non absterreat) Ameos, Seseleos, Sileris mont.Ligustici an. ʒ.ß.fiat puluis.

Ex aromatibus & plantarum diuersis partibus commistis, sic possunt fieri, Sextus numero, admodum calefaciens: ℞.Piperis rot. & longi an.℥.ß.Zingib.ʒ.j.seminis Fœniculi, Anisi, sum. Thymi an.ʒ.ß.fiat puluis.

Huius loco speciebus Diatrionpipereon Gal. vti possumus, quod ampliùs calefacit: cùm maiorem piperis quantitatem accipiat: Vel Mesuæi, qui casiam, spicam, semen apij, ameos, rad. azari & enulæ addit.

Vel speciebus electuarij de Aromatibus Gal. quod multa aromata recipit.

Idem præstat & validiùs pituitam exterget Diaspoliticon Gal. ex pipere, nitro, semine cumini & fol. rutæ concinnatum.

Septimus puluis non adeò potenter calefaciens vt primus, magisque herbaceus: ℞.fol.Calamentæ vel Mentæ, Maioranæ, Thymi, seminum Leuistici, Sileris mont.an. ʒ.j. Piperis Zingiber.an.ʒ.ß. Cinamom.ʒ.j.ß. misce, fiat puluis.

Idem Diacalaminthes Galeni præstat, vel Mesuæi.

Octauus puluis ventriculum admodum simul roborans: ℞.Ros.rubr.℥.j.Cinamom. ℥.ß.Gariophyl.ʒ.iij. Nucis moschat.Maceris an.ʒ.ij. Galangæ ʒ.j. Piperis longi, Cardam. mai.Xiloalois an.ʒ.ß.Zedoariȩ, Spicȩ an.℈.j. rad.Glycyrizæ ʒ.ij.fiat pulu.

Consimiles sunt species Aromatici rosati Gabrielis, tantopere vsitatæ: quæ sine moscho & cum moscho parátur. Vti & Aromatici rosati Mesuæi quibus insuper cubebæ, troch. diarrhodon & galliæ mosc.accedunt. Nec hisce admodum absimiles sunt species Rosatæ nouellæ Nicolai, storacem cal. quoque admittentes: & species el. de Citro Mesuæi: moschatæ insuper.

Nonus idem præstans: ℞.Galangæ ʒ.vj. Acori veri, Gariophyll.Cinamomi, Maceris an.ʒ.ij. Zingib.Piperis vtriusq; Cardamomi mai.an.ʒ.ß.Spicæ, Ligni aloës an.℈.j.seminū Anisi, Fœniculi, Carui, Menthæ sicc, Maioranæ, an.℈.ij.fiat puluis.

Huius loco species Diagalangæ Mesuæi sumere possumus, quæ præter hæc, ligusticum & calamentum recipit.

Decimus validius adhuc operatur: ℞.seminum Anisi vel Cumini, aceto priùs præp. vel amborum ℥.j.semin.Fœniculi, Carui, an. ʒ.ij. semin.Ameos, Sileris mont.herb.Calamentæ vel Mentæ, Maioranæ, Satureiæ, Thymi, Leuistici, Ros.rub.an.ʒ.j. cort.Citri sicci, radic.Imperatoriæ vel Zedoariæ, Pyrethri an.ʒ.ß. rad.Glycyrizæ, Nucis moschat. Maceris Gariophyll.Galangæ, Cinamom. an.ʒ.j.Piperis, Zingib.Cardamomi.mai.Cubeb.Schœnanthi, an.ʒ.ß. Spicæ, Croci an.℈.j. fiat puluis.

Huius loco speciebus Dianisi Mes. vti possumus, quæ masstichen simul recipiunt, Vel Diacumini Nicol. vel speciebus el. de Seminibus dicti.

Sunt & aliæ vsitatæ compositiones stomachicæ, quarum speciebus vti possumus: veluti Diazingiberis Nicolai, quæ pleraque aromata & semina aliqua, rosas & liquiritiam, & præter hæc rhabarbarum, pistacia & & pineas, alios obvsus, recipiunt.

Item Diaxyloaloës Mes. quod cordiale simul est, & præter aromata multa, herbas, rosas, masstichen, & cordialia, been vtrumque, sericum, margaritas, corallos, succinum, folia citri, ocymi, balsaminæ, galliam mosch. moschum & ambram continet.

Pliris arcoticon, stomachicum quoq; est, Diaxyloaloë non absimile, adhæc camphoram recipiens.

Electuarij Ducis vocati Nicol. species, cruditatibus ventriculi & flatibus medentur quoque, & nephriticis colicisque doloribus accommodatum simul est medicamentum.

Dyarrhodon Abb. species per se in frigidis stomachi affectibus non vsurpatur, reliquis tamen cùm calefacere volumus, ad robur addendum, commiscetur.

Præter hosce pulueres, ex amaris aliqui concinnati, in cruditatibus indeq; natis excrementis & flatib⁹, cochlearis mēsura cum vino alióve liquore bibiti, iuuant. Qualis ex absynthio & centaureo in biliosa causa descriptus, hic quoque prodesse potest.

Vel

Vel sic paratus: ℞.rad.Imp.Aristolochiæ an.ʒ.j.ß. herb. Absynthij, summ.Centaurij an.ʒ.j. seminum Cimini, Carui, Zingib.an. ℈.j.Croci gr.v.fiat puluis. In pilularum formam redigitur, si ægrè puluerem sumant, additurque tunc & prædictæ compositioni Castorei ℈.ß. & cum syrup.de Absynthio vel alio fit massa. Cuius ʒ.j.exhibetur.

Post cibum seu pastum, vt vocant, assumendi pulueres ad ventriculum constringendum,vt cibos meliùs amplectatur & cõcoquat,ex astringentibus,ventriculo tamen accommodatis parantur,flatuumq; & vaporum prouentum impedientibus, non admodum tamen calidis,ne ciborum crudorum adhuc digestionem procurent.

Veluti hoc pacto:℞.sem.Coriandri præp. ℥.ß.sem.Fœniculi,Anisi an.ʒ.ij.sem Carui ʒ.j. Cinamom.ʒ.ij.rad.Acori veri Galangę,cort. Citri sicci an.ʒ.j. Rof.rubr.ʒ.ß. Sacchari ad pondus omnium, fiat puluis post Pastum dictus.

In ventriculi relaxatione & humiditate nimia,magis adstringentia & siccantia addimus hoc modo: ℞.Cinamomi ℥.ß. Cassiæ aromat.ʒ.ij. radic.Galangæ, Cyperi an.ʒ.j.ß. cort.Citri sicc.ʒ.ß. carnium Cydon.siccatorum, Rof.rubr.an ʒ.j. Antispodij ex ebore, cornu Cerui vsti, Cinerum intestinorum gallinæ an.ʒ.ß. Coralli rubr.ʒ.j. (vel horum & cinerum loco,pul.Diacydon.illius quod sine aromatibus paratur, & sine speciebus nominatur ʒ.j) Sacchari rof.tab.ad pondus omnium,fiat puluis,post pastum,ad ventriculum stringendum, sumendus. Si Thus Masticheque addantur,efficacior fit.

Pulueres crasso modo incisi,quos Grossos ineptè vocant, cùm antequam deglutiantur, masticentur,variis modis parantur. Quos & ante cibum, ventriculo ieiuno existente,eosdem ob vsus, vti reliquos propinamus. Vel si non nimium calefacere,sed magis astringendo concoctionem iuuare & flatus discutere velimus,statim in fine cibi exhibemus, vt de puluerib9 post pastum appellatis diximus.

Ex gratioribus autem si sine saccharo exhibeantur plerumque fiunt: vt ex seminibus potissimùm: ℞.semin.Anisi,quod dulce est,℥.j.sem. Fœniculi ℥.ß. vel si dulce quoque sit, vti inuenitur, eodem quoque cum aniso pondere,sem.Coriandri ʒ.iij.sem.Carui ʒ.ij. rad. Glycyrizæ ʒ.iij. Cinamomi ℥.ß. fiat puluis crassus.

Vel sic magis aromaticus: ℞.prædictum puluerem,addendo Nucis mosch.vel Maceris,Gariophyl.Zingib.an.ʒ.ß.

Compositus ex variis vsitatus quem Pabulum sacerdotum vocant, sic paratur: ℞ Zingiber.℥.ß. Nucis moschatæ Cinamom.an.ʒ.iij. radic.Galangæ, Acori veri, Gariophyllor.an.ʒ.ij. Cardamomi mai.ʒ.j.ß. seminis Coriandri, Anisi, Fœniculi an.℥.ß. seminis Carui ʒ.ij.rad.Glycyrizæ rasæ ℥ ij.ß. incidantur omnia. Hisce pulueribus semina prædicta Saccharo semi obducta quandoq; permiscent. Vel aliàs Saccharum puluerisatum ad gratiam addunt.

Tabulæ ex supradictorum puluerum decem generum descriptorum vel vsitatorum, vt Diacinamomo,Diatrionpipereon, Diacalamenta, Aromatico rosato (quæ tabulæ valde & admodum in vsu sunt) Rosata nouella, Diagalanga, Dianiso, Diacumino, Diazingibere, Diaxyloaloë, Pliris arcotico, Electuario Ducis, vno aliquo ex illis genere parari possunt,& ad eosdem,vti illic dictum vsus accommodari.

Aut etiam ex crassioribus illic quoque propositis pulueribus: quod nunc valde cõsuetum est,Pabulum illud dictum sacerdotum in tabulas amplas formatum, exhiberi. Fiuntque Sacchari permistione ad ʒ.j.specierum cõmuniter ℥.j. illius sumendo,vel plus si acriores aut non ita gratæ sint species,vel minùs, si per se gratę existant: saccharumq; Aquâ conuenienti aliquâ supradictâ,vel Rosarum ob gratiam coquitur.

Ex prædictis generibus duobus vel pluribus inuicem permistis quoque fiunt tabulæ, additis aliis quoque nonnunquam, exempli gratiâ. Quando admodum calefacere volumus: ℞.pulueris Primi vel Secundi vel Tertij,vel Diacinamomi ʒ.j.pulu. Sexti vel Septimi, vel Diatrionpipereon aut Diacalamentæ ʒ.ß. Zingiber.condit.ʒ.j.olei

Maioranæ gr.ij. Sacchari dissoluti in aqua Calamentæ q.s.fiant tabulæ.

Ad robur ventriculo addendum: ℞.pul. Octaui,vel Aromatici rosar.ʒ.j.pul. Noni vel Diagalangæ ʒ.ß. cortic.Citri cond.vel conf. Rof.ʒ.j.ol.Cinamom.gut.iiij.Sacchari dissoluti in aquis Mentæ,fiant tab.

In flatuoso ventriculo: ℞.pul.Decimi vel Dianisi ʒ.j. Diacumini ʒ.ß. conf. Mentæ vel Maioranæ ʒ.j. ol.Anisi vel Fœniculi vel amborum guttas aliquot, Sacchari dissoluti in aqua Fœniculi vel Anisi q.s.fiant tab.

Ex aliis aromatibus plantarúmve partibus,pluribus,paucioribus,vnius alicuius ex dictis generibus,ad horum imitationem tabulæ quoq; multifariam componi possunt: additis conseruis,conditurísve,aut oleis:vel hisce omissis.

Ex Oleis solis guttatim cũ saccharo postquam in tabularum formam decoctum fuerit mistis,sic fiunt tabulæ Anisi, Fœniculi, Carui, Maioranæ,Cinamomi,Gariophyllorum,prout oleum inditur vocatæ. Quæ admodum in vsu sunt & gratæ,efficacesq; satis,si dum oleum saccharo calenti infunditur,non exhalat,quod arte caueri potest: aut citra coctionem saccharo permisceri.

Conseruæ & conditurae simplicium quorundam,tàm humidæ quàm siccæ,cum saccharo & melle paratæ,quædam in eosdem vsus exhibentur. Suntque vsitatæ conseruę, Mentæ, Maioranæ, Rosmarini, Stœchados, Eryngorũ iuxta Rond.Betonicæ cum Melle factam conseruam concoctionem iuuare scribit Diosc. Vti & Scyllam cum melle coctam vel assam.

Ex conditis, Zingiber integrum conditum, vel puluerisatum cum Saccharo coctum,& in stirias, vti fieri solet,formatum: Acorus item verus, qui calamus in officinis dicitur, conditus, Nuces moschatæ, Myrobalani embl. Citri cortex, condita, Iuglandes nuces item aromatibus consixæ,vti vulgò fit.

Ex hisce omnibus quędam conuenientia dantur,vel sola,vel inuicem permista, dein & in aliis formis,vt electuariorum,tabularũ, vti dicetur,vsurpantur.

Conditurae siccæ ex simplicibus saccharo obductis quoque competunt,vt Cinamomi, Gariophyll.Zingiber.Zedoariæ, Galangæ, Acori veri, Citri cortic.incisæ particulæ & Saccharo incrustatæ. Item fol.Rosarum, Maioranæ aliorumque, quæ à quibusdam Saccharo quoque industriè oblinuntur. Seminum maximè flatus discutientium confectiones,tum ante cibum,tum post cibum exhibentur: vt Coriandri, Anisi,Fœniculi, Carui,tum per se,tum commista interdum, & cum conditi Cydoniorum sectâ lamina, seminibus hisce,vt illi adhæreant,impressâ, sumpta. Ad quorum similitudinem multa eiusmodi parari possunt.

Electuaria varia ex pulueribus decem vel vsitatis speciebus formari possunt, si liquidiore materiâ,vt Melle despumato vel Saccharo in formam syrupi cocto, aut syrupo de Menta, de Cydoniis, vel syrupis conseruationis Zingiber. aut cort.Citri conditorum,aut pulpâ Cydoniorum,aliísve excipiantur.

Quâ formâ molliorum electuariorum,ex vsitatis speciebus pleræque in pulueribus recensitæ,Melle despumato exceptæ, à Veteribus parabantur, hacque formâ potiùs quàm aliâ vsurpabantur. Et miua cydoniorum aromatica à Nicol. ex miuâ cydon. & pulueribus multis paratur.

Additâ quoque carne fructuum aut radicum,vsitata sic fiunt electuaria stomachica: vti confectio Diacydonites dicta Nicol. cum speciebus: quæ ex cydoniorum carne cum melle coctâ,additis multis aromatibus fit.

Recentiores electuarium Acori dictum ad eiusmodi ventriculi affectus in vsu habent: quod ex radice acori palustris recenti in vino cocta, additis multis aromatibus melleque subactis, paratur. Quod vtilius fiet,si loco acori palustris,etsi astrictione suâ quoque conueniat, cùm tamen inodora radix sit, Acorus verus,cùm recens haberi possit,sumatur.

Ex raphano rusticano, electuarium Raphani marini appellatum, vulgus quoque simili modo, additis aromatibus & melle, & radice insuper gentianæ,in eosdem vsus parat.

Ex horum omnium diuersimoda mistu-

ra, varia electuaria formari possunt, quibus conseruæ,condita,aliaque sæpenumerò adduntur. Veluti exempli gratiâ:

Cùm calefaciendum: ℞.elect.Diatrionpiper.vel tabularum ℥.j. vel specierum illius aut nostratium ʒ.j.conf. Mentæ, Maioranæ an.℥.j.Zingiber.cond.℥.ß.misce cum syrupo de Stœchade.

Quando robur potiùs addendum: ℞.electuarij Aromat.rosar.vel Diagalangæ, vel tabularum illius compositionis ℥.j.vel specierum illarum aut nostrarum ʒ.j. conseru. Rosar.antiquæ, cort.Citri, cond. Acori veri simpl.conditi an.℥.ß. cum syr.Cydon.fiat electuarium.

Si flatuum potissimùm habetur ratio: ℞.el.Dianisi vel Diacumini: vel tabulas vel species illas, vel nostras,pondere dicto,adde conf.Rof.Calamentæ,Nucis moschat.cond. an.℥.ß.cum syr.de Menta,misce.

In laxioribus & humidioribus ventriculis, magis siccantibus vtendum, & astringentibus: ℞.carnium Cydon. cond. ℥.j.ß. cort.Citri cond.℥.j.Zingib.cond.℥.ß. Myrobalan.embl.num.j.elect.Diacytonites illius quod sine speciebus dictum ex spodio constringentibusque paratur ℥.ß.spec.Aromat. rof.Corall.rubrar.ana ʒ.j. cineris Intestinorum gallinæ, antispodij ex Cotoneis vel Ebore, vel illius loco rasuræ Eboris ana ʒ.ß. cum syr.Cydon.vel Miua aromatica fiat electuarium: de quo post cibum instar nucis sumatur.

Huc quoque referuntur mixturæ eadem ratione factę,nisi quòd non humidis,sed sacharo sicco puluerisato addito,in formam electuarij,non adeò omninò mollis,rediguntur. Exempli gratiâ.

Gratum & vtile: ℞.carnium Cydonior. condit.℥.ß. conf. Rof.ʒ.iij.conser.Maioranæ, Zingiber.condit.an.ʒ.ij.spec.Aromat.rof.ʒ.j. Cinamom.ʒ.ij. Gariophyl.Nucis moschatæ an.ʒ.j. Sacchari rof.tab.q.f.fiat mixtura: Vtatur manè. Possunt & confectiones siccę, Coriandri,Anisi,Fœniculi commisceri.

Post cibum ad ventriculum constringendum mixturæ hæ quoque in vsu sunt,omissis tamen calidioribus aromatibus, hoc pacto: ℞.carnium Cydon.cond.ʒ.iij.conseru. Rof.cort.Citri cond.ana ʒ.ij.Cinamom.ʒ.j.ß. pul.Diacyd.quod sine speciebus paratur ʒ.j. Coralli rubr.ʒ.ß.semin.Coriandri ʒ.ij.semin. Anisi, Fœniculi an.ʒ.j. Maioranæ, flor.Rof. rub.an.ʒ.ß.Sacchari q.f. Vel illius loco,semina Saccharo semicooperta duplo pondere, fiat mixtura.

Opiatæ aliquæ exhibitæ,dolores ventriculi admodum compescunt,etiam à frigida causa inductos,cùm eum,vti creditur,ratione opij minimè refrigerent, sed propter multa calida quæ ingrediuntur potiùs calefaciant,vti sæpè ostensum.

Quapropter etiam in hisce causis cùm dolor vrget, Theriaca, Mithridatum, Asyncriton,Philonium,à ʒ.j. ad ʒ.j.ß. exhibita iuuant. Per se sumpta vel cum aliis. Post quorum vsum Vinũ generosum superbibitum, operationem illorum accelerat.Horum loco & alia narcotica exhiberi possunt,additis aromatibus,similibusque.

Sunt qui eiusmodi opiatas purgantibus mistas quoque exhibent. Laudaturque Philonium cum Diaphœnico exhibitum: idque cùm ab excrementis ventriculus grauatus dolet.

Extrinsecùs ventriculi regio inungitur, vel fouetur,vel emplastratur,illis quæ calefaciunt refrigeratum,vel flatibus distentum, vel debilem,vel astringunt laxum: eligendo ea præsertim,quæ proprietate ventriculo accommodata sunt. Quæ omnia actu calida adhibentur. *Imbecillitatem Ventriculi alterantia, foris admouenda remedia.*

Inunctiones in anteriore regione vbi cordis est fouea dicta,fieri debent,ad sinistrum potissimùm latus declinando: sed & posteriore loco è directo iam dictæ sedis, è vertebris dorsi versus sinistram sedem vnctiones si fiant,in ventriculum quoq; suas vires exerunt. Post quam inunctionẽ,pulueres mox describendi sæpè insperguntur.

Ex oleis simplicibus vel inuicem permistis hæ fiunt. Sumiturque ex vsitatis, quando præsertim calefaciendum est, oleum Mentæ, Nardinum, Gelsiminum, Sambucinum,vel expressum de Nuce moschata, aut Macere, quæ duo & suaui odore recreant, ventriculumque admodum iuuant: vel exstillatum ex Spica aut Menta,

Gariophylis, aliive aromatibus. Quando flatus potissimùm dissipandi, oleum Rutaceũ, expressúmve ex Lauri baccis, vel exstillatum ex Iuniperi granis, sed reliquis tantũ paruâ quantitate admixtis, aut seminibus Anisi, Fœniculi, Carui, Cimini, guttatim tantùm reliquis permista, cùm illis vti volumus. Cùm potiùs roborandum Mastichinum, Absynthinum. Cùm potentiùs astringendum, supradictis, Lentiscinum, Myrtinum, Myrtillorum, Rosaceum, simplex vel omphacinum, Cydoniorum, & expressum ex seminibus Vuarum, permiscemus. Cũ dolor sedandus, oleo Chamomelino, Anethino, addito Nardino vtimur. Quod & si post crapulam, & commessationes dolent, iuuat. Ad quorum similitudinem alia olea ex herbis stomachalibus, ipsorúmve succis incoctis parari possunt.

Ad calefaciendum, flatus dissipandos & roborandum, ex aromatibus compositum oleum sic fit: ℞. Mastichæ ʒ.vj. radic. Acori veri, Galangæ, Cyperi an. ℥.ß. Nucis mosc. Gariophyl. ana ʒ.iij. sem. Fœniculi & Angelicæ ana ʒ.ij Vini Maluatici vel aliàs præstantissimi ℥.ij. olei oliuarum vel Nucum q.s. vt superemineat, stent in loco calido aliquandiu, vel in vase, ne tamen adurantur, parùm coquantur ad vsum.

Cùm majus ventriculo robur est addendum, ex plantis compositum oleum hoc cõfert: ℞ herb. recentium Absynthij, Mentæ an. ℥.ij Saluiæ, Rosmarini, Lauandulæ ana ℥.j.ß. fl. Ros. rubr. sicc. ʒiij vel recent. duplum, incidantur minutim, adde puls. Mastichæ ℥.j. affunde Vini rubri optimi ℥.iiij. olei Oliuarum & nucum, vt tribus digitis materiam superet: coquantur, colentur.

In flatibus potissimùm conueniens: ℞. seminum Cimini, Carui, Leuistici, Fœniculi ana ʒ.ij. baccarum Lauri, Iuniperi ana ℥.ß. fol. Rutæ, Leuistici, Mentæ, Lauri ana ʒ. iij vel recent. duplum, puluerisatis & contusis misce Aquæ vitæ ℥.ij addendo olei oliuarum vel Nucum, & coquendo vt priùs dictum est.

Vnguenta stomachica, ex oleis enarratis, additis aliis simplicibus, & aromatibus præsertim hoc pacto fiunt. Quando intentio potissima est calefaciendi refrigeratum vel imbecillem ventriculum: ℞. olei Mentæ, Nardini ana ℥.j.ß. olei de Absynthio ℥.ß. ol. Spicæ gutt. aliquot, Gariophyl. Nuc. mosch. vel Maceris ana ʒ.j. ligni Aloës vel Santali odor. ʒ.ß. Mentæ siccæ, Maioranæ vel Rosmarini Schœnanti an. ℈.ij. Ceræ q.s. fiat vnguentum.

Ad inflatum ventriculum idem conuenit, præsertim si huic vnguento addatur olei Rutacei vel Laurini ℥.ß. vel guttæ aliquot oleorum efficaciorum exstillatorum ex seminibus supradictis flatus pellentibus, aut baccis Iuniperi.

In vtrisque quoque causis confert hoc odoratissimum vnguentum: ℞. olei expressi ex Nuce mosch. vel Macere aut vtrisque ʒ.ij. ol. exstillati Gariophyl. guttas iij. ol. exstill. seminis Anisi, vel ex aliis quoque guttas vj. Galliç mosch. ʒ.ß. Ceræ albæ q.s. fiat vnguentum. Moschum & ambram & ol. Cinamomi in magnatibus addere possumus. Cùm admodum calefaciendum ol. Euphorbij aliqui addunt.

Ad imbecillem ventriculum roborandũ: ℞. ol. Mastichini, Nardini an. ℥.j.ß. ol. Mentæ ʒ.vj. rad. Galangæ vel Acori veri, Cyperi an. ʒ.j. Nucis mosch. vel Maceris, Ros. rub. Mastichæ an. ʒ.ß. Spicæ ℈.ß. Storacis cal. ʒ.j. Ceræ q.s. fiat vnguentum. Species Hieræ picræ quoque addi possunt.

Ad humidum & laxum ventriculum siccandum & constringendum: ℞. ol. Myrtini vel Myrtyllorum vel Lentiscini, Cydon. an. ℥.j.ß. ol. Masticini ℥.j. ol. Absynthini ℥.ß. rad. Galangæ, Bistortę, cort. Citri an. ʒ.j. flor. Ros. rub. Labruscæ, Balaust. an. ℈.ij. Hypocistidis, Ladani an. ʒ.ß. Mastichæ, Thuris, Coralli an. ʒ.j. & si admodum astringendum, Boli tantundem, Ceræ q.s. fiat vnguentum: Alumen & Acetum cùm validissimè constringendum, permiscent.

Si dolor admodum vrgeat ventriculi: ℞. Vnguenti Dialtheæ ℥.j. Mastichæ ʒ.ij. olei Anethini vel Chamomelin. an. ℥.ß. sem. Cimini fol. Mentæ an. ʒ.j. Ceræ q.s. fiat vnguentum.

Cerata & emplastra supra coriũ pannúmve deducta, & in formam scuti formata, in ventricu-

triculi affecti, cùm ventriculo apposita diutiùs ab ægris retineri gestarique possint, admodum conueniunt. Quæ ex enarratis vnguentis, ventriculum præsertim roborantibus & constringentibus, auctâ ceræ quantitate, si cerata, vel additis resinosis, si emplastra formare volumus, parantur.

In ventriculi imbecillitate vsitatum est Ceratum Galeno adscriptum stomachicum, vel emendans vitia stomachi nominatum: quod ex rosis, absynthio, spica, mastiche, oleo ros. & cera paratur.

Cuius loco hoc ceratum fieri potest: ℞. rad. Aristoloch. longæ, Acori veri an. ℥. ß. herb. Mentæ, Absynthij, flor. Ros. rubr. an. ʒ. iij. Spicæ Ind. ʒ. ij. Mastichæ ʒ. vj. olei Nardini & Mastichini & Ceræ q. s. ad formandum ceratum.

Vel hoc emplastrum stomachale: ℞. Mastichæ ℥. j. ß. Thuris, Ladani an. ℥. j. Storacis calam. ℥. ß. Aloës ʒ. ij. (nisi dolor grauis ægro molestus sit) addi possunt, Coralli rubr. ʒ. ij. rad. Galangæ, fol. Mentæ, Absynthij, Maioranæ, flor. Ros. rubr. an. ʒ. j. Gariophyll. Spicæ nardi & Celticæ, Santali od. an. ʒ. ß. ol. Nardini & de Menta, additâ Resinâ Cera & Pice q. s. fiat emplastrum.

In laxiore ventriculo confert emplastrum consuetum de Mastiche appellatũ, validiùs adhuc astringens. Cuius cùm variæ habeantur descriptiones, hæc correcta magis erit: ℞. Mastichæ ℥. ij. Thuris ℥. j. Storacis, Ladani ana ℥. ß. Hypocistidis, Acaciæ ana ʒ. iij. Galliæ, Aliptæ mosch. ʒ. j. rad. Cyperi, folior. Absynthij ʒ. iij. folior. Mentæ, Maioranæ, Rosmar. Myrti vel Myrtillorum vel Lentisci ana ʒ. ij. flor. Rosar. rub. ℥. ß. seminum Coriandri, Cimini, Berberis, Sumach ana ʒ. iij. Gariophyll. ʒ. ij. Santal. omnium, Ligni aloës, Schœnanthi, Spicæ nardi & Celticæ ana ʒ. j. Boli pinguis, Coralli an. ℥. ß. ol. Mastichini & Nardini, Resinæ pini, Ceræ, Lariceæ, Picis ana q. s. ad formandum magdaleonem emplastri.

Si flatus ventriculum simul infestent, emplastrum Laureum, ex Lauri baccis, mastiche, thure, myrrha, cypero & costo cum melle parari solitum, accommodatum est.

Pro quo sequens vsurpatum efficacius erit ad flatus pellendos ventriculumque firmandum: ℞. Lauri baccarum ℥. j. Iuniperi bacc. ℥ ß. seminum Carui, Cimini, Ameos an. ʒ. ij. foliorum Mentæ, Rutæ an. ʒ. j. rad. Cyperi, Costi vel potiùs Imperatoriæ an. ℥. ß. Zedoariæ ʒ. ij. Mastichæ, Thuris ana ʒ. vj. Aloës, Myrrhæ ana ʒ. ij. vel spec. Hieræ picræ tantundem, excipiatur Melle anthosato & paucâ Lariceâ vel Terebinthinâ, fiat emplastrũ: si parùm olei Nardini addatur, cum oleo aliquo stillatitio seminum, efficacius erit, nec tam subitò siccabitur.

Hiera picra simplex Galen. cum Melle in formam electuarij redacta, forinsecus quoq; ventriculo emplastri instar applicata, ipsius debilitatem corrigit.

Cataplasmata citra vnctuosorum permistionem (quorum odor plerisq; ingratus est) parata, odoratiora & gratiora sunt, sed citiùs exiccata frequentiùs repeti debent.

Herbæ recentes, Absynthij, Mentæ, Saluiæ, contusæ & calefactæ, separatim simúlve ventriculo applicatæ, eum reficiunt: Quę interdum integræ supra tegulam calentem positæ parumque coctæ, & vino generoso aspersæ, sic adhibentur. Vel si siccæ fuerint, vel incisæ aut pulueris atæ, vino emollitæ, hoc pacto vsurpari possunt.

Vel sic: ℞. herb. siccarum Mentæ, Absynthij, flor. Rosar. rubr. & Chamæmeli odoratioris an. ℥. ß. Panis tosti & pulu. ℥. ij. coquantur in Vino potenti & applicentur. Quibus si pulu. Mastichæ, aut alij etiam in emplastris & ceratis explicati vel sequentis cataplasmatis permisceantur, ventriculum magis confirmabit.

Ex succis ventriculo accommodatum tale fit: ℞. Mastichę ℥. ß. Thuris, Ladani an. ʒ. ij. Ros. rubr. Nucis mosch. Gariophyl. Maceris, Cinam. an. ʒ. j. farinæ Hordei ℥. j. succi Mentæ, Absynthij, Maioranę q. s. vel omnium vel vnius cuius planta recens haberi potest, & tunc aliæ puluerisatæ hisce addi possunt: subigantur donec fiat pasta, quæ calefacta ventriculo applicabitur.

Hæc eadem, pulpâ Cydoniorum, aut Pomorum acidulorum odoratorum, priùs parùm coctorum, aut micâ Panis in Vino emollitâ vel parùm coctâ & contusâ exci-

excipi possunt, sicque vsurpari. Hisque formis alia quoque multa ex supradictis permisceri.

In flatibus: ℞. Farinæ ex qua panis coquitur, vel micæ Panis, scutellam vnam mediocrem: permisce puluerem seminum Carui, Cimini, Fœniculi, baccarum Lauri an. ℥.ß. cum Vino subigantur, formetur placenta, quæ parum in clybano cocta, mox per medium secta vel confracta, portio illius orbiculari formâ ventriculi sedi adhibeatur: mutando vbi refrixerit, aliâ parte illius denuò calefactâ. Cui formæ & alia in emplastris, flatibus adscripta, addi possunt.

Hisce omnibus cataplasmatibus, si olea aliqua stomachica permisceantur, non tam citò arescent, nec toties, vti dictum, ea renouare necesse est.

Arthemisiam tenui folio contusam, & cum Oleo mixtam, ventriculo dolenti impositam, prodesse docet Diosc.

Vsitata talia cum oleis concinnata cataplasmata potiùs quam emplastra, sunt, emplastrum de Panis crusta dictum Montagnanæ, ex oleo mastichino, cydoniorum, panis crustâ, farinâ hordei, mastiche, mentâ, corallo, spodio factum. Et emplastrum Diaphœnicon calidum appellatum Mesuæi, ex oleis, cera, pulpis dactylorum & cydoniorum, pane, additis pulueribus variis stomachicis paratum.

Ex liquoribus, spongiis exceptis aut linteo, vel lana aut bombace vel rasurâ dibapti, fotus fiunt, idque maximè dolore admodum vrgente, qui fotibus præsertim mitigatur, tum etiam in aliis causis, si ante vnctionum aliorúmve quæ applicantur vsum fiant, vt rectiùs illa operentur, iuuant.

Ex decoctis vt plurimùm fiunt, idque in dolore summo, hoc modo: ℞. Absynthii, Mentæ, Serpilli ana M.j. radic. Altheæ ʒ.vj. rad. Aristolochiæ longæ ℥.ß. flor. Rosmarini, Chamom. Meliloti, Anethi an. P.ß. semin. Lini, Fœnogræc. an. ʒ.ij. Nucis moschatæ, Maceris an. ʒ.j ß. coquantur in aqua & Vino ad vsum.

In intemperie frigida ventriculi: ℞. herb. Mentæ, Maioranæ, Balsamitæ ana M.j. rad. Galangæ, ℥.iij. Gariophyl. Zingib. an. ʒ.ij. Piperis longi ʒ.j. bulliant in Vino veteri, odorato vel aromatico, pro fotu.

Si flatibus infestetur ventriculus, idem conuenit: tuncque præsertim: ℞. fol. Pulegij, Origani, Calamentæ, Mentę, an. M.j. flor. Sambuci, Chamomill. Stœchados vel Lauandulæ an. P.j. seminum Coriandri, Fœniculi, Carui, Cimini vel Ameos an. ʒ.ij. bacc. Lauri ℥.ß. Schœnanthi, Spicæ celt. an. ʒ.ij. Folij ʒ.j. fiat decoctio.

Debilem ventriculum roborans, ex pluribus paucioribúsve sequentibus sic fit: ℞. rad. Acori veri, Imperat. an. ℥.ß. cort. Citri sicc. ʒ.iij. herb. Absynthij, Mentæ, Maioranæ, Balsamitæ an. M.j. flor. Ros. rubr. Rosmarini ana P.j. Gariophyll. Nucis mosch. Galangæ, Zedoariæ an. ʒ.ij. Spicæ vtriusque, Schœnanthi, Santali od. vel Xyloaloës an. ʒ.j. Mastichæ ʒ.vj. decoquantur in Vino rubr. ad fomentum.

Laxum ventriculum constringens fotus: ℞. cort. Citri ℥.ß. cort. Granat. ʒ.ij. herb. Absynth. fol. Sumach vel Myrti an. M.j. Rosar. rubrar. ʒ.iij. Balaust. ʒ.ij. summ. Labruscæ ʒ.j seminis Myrtill. Coriandri an. ʒ.j.ß. rad. Galangæ, Cyperi an. ʒ.ij. decoquantur in Vino rubro stiptico.

Ex oleis quoque fiunt fotus ad dolorem sedandum, hoc pacto: ℞. Olei cõmunis q. s. atque in eo decoquatur, Vini Maluatici vel aliàs generosi 4. pars, vel Aquæ vitę decupla pars, ad consumptionem, & lana vel glossipium hisce intinctum, adhibeatur.

Alijs quoque oleis superiùs enarratis in oleis stomacho appropriatis, simili modo exceptis, fomẽtationes, sed potissimùm in doloribus compescendis fiunt.

Quæ olea & decoctis supradictis quandoque permiscentur. Vel cum succis Absynthij, Mentæ, Maioranę, addito Vino maluatico permista, addito Albumine Oui, bene inuicem agitata & excepta, vti dictum, apponuntur.

Pulueres stomachici sacculis plerumque excepti, ventriculo adhibentur: qui ex syndone rubra cocco tincta facti, vtiliores censentur, atque ita consuuntur, seu, vt vocant, interbastantur, vt æqualiter pulueres dispersi maneant, interposito quandoque gossi-

gossipio. Priusque antequam adhibeantur calefiunt: nonnunquam & vini calefacti vapore suffumigantur.

Hi cùm calefacere ventriculum potiùs, vel roborare magis cupimus, ex illis quæ fotus in intemperie frigida & debilitate ventriculi præscriptos subintrant, commodè fieri possunt.

Vel hoc pacto puluis vtrumque præstans, paratu facilis, sic fit: ℞. Mentæ, Absynthij an. M.j. Ros.rubr. P.j. Nucis mosch. ʒ.j.ß. Gariophyl. ʒ.j. Mastichæ ʒ. ij. fiat puluis, cui Corallos rub. addunt.

Alius puluis odoratus admodum, sic fit: ℞. Mastichæ ℥.ß. Gariophyl. Nucis mosch. Maceris an. ʒ.j. Piperis longi vel Zingib. ʒ.ß. Cinamom. ʒ.j.ß. Ligni aloës vel Santali od. an. ʒ.ß. si odore moschi delectetur, Moschi vel Ambræ parùm: vel spec. Diamoschi vel Diambræ, vel Galliæ aut Aliptæ mosch. ℈.j. fiat puluis pro sacculo.

Cùm validiùs astringendum, eadem quæ fotum, laxum ventriculum constringentem subeunt, pro sacculo quoque sumi possunt.

Vel hoc modo: ℞. Mastiches ℥.ß. Thuris ʒ.j. Coralli rubr. ʒ.ij.ß. rad. Cyperi, cort. Citri, Ros. rubr. Nucum cupresi, Balaust. ana ʒ.ß. Spongiolæ rosæ caninæ odoratæ, quã Eglatinam vocant, Germ. Wichag. Nucis mosch. an. ʒ.j. fiat puluis pro sacculo.

Ad flatus dissipandos, ex materia quam fotus, flatibus pellendis descriptus recipit, sacculus etiam fieri potest.

Vel sic: ℞. rad. Galangæ ℥.ß. fol. Mentæ, Pulegij an. ʒ.ij. Rutæ ʒ. j. seminis Fœniculi, Carui, & Cimini, si grauis odor non obstet, an. ʒ.j. Spicanardi, Schœnanthi an. ʒ. ß. fiat puluis: possunt & aromata quædam addi.

Ad dolorem sedandum, quæ fotum anodynum componũt, in pulueres redacta, sacculo insuuntur.

Vel ex hoc puluere paratur: ℞. flor. Chamom. Meliloti, Anethi, Rosarum, summit. Rosmarini an. P.j. Absynthij M. ß. consuantur in sacculo.

In dolore à flatibus præsertim, sacculus hic est vsitatus: ℞. Furfuris M.j. Milij integri vel parùm conquassati P.j. torrefiant & fricentur parùm in sartagine pro sacculo. Sal nonnunquam quoq; additur. Si Mentæ puluis addatur, magis ventriculo appropriatus erit.

In crusta seu orbe abscecto panis calentis, modò ex clibano extracti, vel parùm torrefacti, & Vino generoso seu Maluatico madefacti, pulueres enarrati compositi, simplicioresve aspersi, ventriculo quoq; admouentur.

Communiterque in doloribus ventriculi puluis Mastiches cum Gariophyllis, Nuce mosch. & Rosis, cum crusta panis, vti dictũ, admouetur.

Vel etiam ventriculo priùs oleis conuenientibus, vt illic dictum, vncto, puluis iam dictus inspergitur. Vel alij qui vnguentis, vt suprà ostensum, permiscentur, aut hi qui sacculis insuti aliàs vsurpari solent, sic quoque ventriculo asperguntur.

Ad externa referunt & ea, quæ foris admota, ventriculum ab externo aëre, contactuq; aliorum frigidorum muniendo, ex accidẽti calefacere dicuntur. Quod magis propriè faciunt, si hæc priùs actu calefiát, vel quę potentiâ simul operantur, illis imponantur.

Pectoralia dicta eam ob causam, tum ad præcautionem, sani, imprimis verò illi quibus ventriculus imbecillior est, gestare solent, illisque ne nuda, sed bene tecta ventriculi seruetur regio, eam præmunire.

Quæ vel ex Panno laneo spisso parantur, qui si succo Chermes rubro tinctus fuerit, vti est scarlatum dictum, tunc cordialis simul esse censetur. Vel aliâ arte pectoralia ex panno linteo duplicato, interposito gossipio, seu, vt vocant, interpastato, finguntur. Aut thorax eâ sede quæ vẽtriculo incumbit, cottone, tum huius vtilitatis, tum elegantiæ causâ infarcitur.

Quorum loco, quibus infirmior est vẽtriculus, vel vbi admodum refrigeratus fuerit, Pelles adhibentur: quarum pili cùm se proximiùs & æqualiter magis corpori applicẽt, rectiùs sic muniunt calefaciuntque. In quibus delectum quoque habentes, priuatim ventriculo Vulpinas, Leporinas, Lupi catuli, Vituli abortus, præ cæteris conuenire existimant. Vti & pelles detractas ab auibus plumeas, à Vulturibus præsertim, quibus singulares vires quoque attribuunt.

Et cùm pennæ molliores, plumosæ, exiguis calamis constantes, se quoque vti pili exactè corpori applicent, loco pellium, puluinis frequentiùs plumis refertis, Anserinis potissimùm, ventriculum, si facilè patitur, & ægrè concoquit, tegere & interdiu & noctu potissimùm solent.

Qui gossipio interdum loco plumarum quoq; infarcti vsurpantur. Tunc ferè, quando illud præparatum priùs, vt efficacius sit, in ægris, veluti in Vino vel decocto, aut succo aliquo conuenienti stomachali immersum & expressum, denuoque siccatum, aut pulueribus stomachicis conspersum puluinis inserimus, vel etiam alioquin applicamus. Quorum loco tamen sacculis potiùs vtimur, sicuti in externis iam dictum fuit. Gossipij loco rasurā Dibapi adhibitam, valde commendat Holler.

Præter hæc in ægris potissimùm ad calorem natiuum ventriculi fouendum, Corpus calidum hominis, noctu in lecto, ventriculo appressum retentumque, vt coniugis (quo remedio Dauid vtebatur) vel mariti, aut infantis, vel manus sola propria vel alterius admota, iuuant.

Vti & Catellus in lecto ventriculo accumbens, qui potiùs quia homini familiaris est, quàm quòd proprietate quadam viribus pꝛ sit, cæteris præfertur.

Inter ea quæ foris administrantur, Fascia ventriculum inflatum, post euacuationem factam & flatuum discussionē, sensim stringere, vt denuò subsideat: vel leui compressione id facere, non erit inutile.

Cucurbita item magna, vmbilico apposita, flatus à ventriculo reuellendo iuuat.

Imbecillitatis ventriculi à siccitate, curatio.

Si à siccitate sine caliditate (cum qua si accidat, in calida ipsius constitutione quid agendum, explicabitur) imbecillitas eueniat, ventriculo tunc astricto duroque, nec rectè se dilatante; cùm hoc non nisi magnam ob causam accidat, in senibus præsertim, toto corpore simul siccis & attenuatis, vel in hectica febre, in qua vniuersum corpus emaciatum astrictumque est, vti & sine hectica corpus emaciatum sit, aliquando & ob omnimodam cibi potusque diutinam abstinentiam, ventriculo exiccato; &, vti in muliere melancholica, quæ venenum sibi exhiberi metuēs, nihil per os admittebat: quemadmodum senectus reparari minimè potest, hectica & atrophia à siccitate ægrè curari, sic & hæc in illis curatu impossibilis, in his difficilis, nec quoque aliam priuatam ab ea, quę in hecticis vniuerso corpori humectando & reficiendo debetur, curandi rationem requirit. Sed vti in ea, sic & hîc præsertim per assumpta, vt Cibum, Potum, Conditu ras Conseruasque, aliaque medicamenta humectantia & restaurantia, in hectica explicata, ventriculū humectare & relaxare studebimus. Quòd & inediam diu passis, facere cōuenit, modò non adeò ventriculus arefactus sit, vt emendari ampliùs nequeat.

Calidioris vētriculi constitutionis, naturalis adhuc, ne morbosa fiat, præseruatio.

Calidior ventriculi constitutio, quæ adhuc naturalis est, etsi morbosa nondum sit, quia tamen prona ad morbos, eam ob causam, quòd in ea ventriculus à cibis calidioribus facilè & nimiùm incalescens, sitim ardoremq; ventriculi pariat, & cibos facilè corrumpat, & in bilem conuertat; Ideò ne tale quid accidat, decenti victus ratione institutâ, cùm, si in ea peccetur, hæc tunc primùm nocere soleat, & si hoc frequenter fiat, in deterius conuerti, præcauebitur.

Quod fiet, si qui huic obnoxij, ab alimentis quæ facilè corrumpuntur, abstineant, aut sibi temperent. Qualia sunt pinguia, imprimisque piscium Pinguedo noxia. Lac quoque in calidioribus ventriculis corruptioni obnoxium: Vti & oua, quæ in bilem meracissimam sæpè conuertuntur. Quod & oua piscium, barbi imprimis, quæ purgare ob id vulgus credit, faciunt. Aliaque multa eiusmodi non solùm ab animātibus, sed & à fructibus petita, quæ, licet teneriora cùm sint, facilè concoquantur, in eiusmodi constitutionibus citò corrumpuntur nocentq;. Sicuti verò ea quæ concoctioni in imbecillioribus ventriculis non facilè cedunt, à calidioribus sine negotio concoquuntur, nec ab illis afficiuntur.

Imprimis verò cibi nimiâ conditurâ, caliditatem aliquam adepti, vel per se calidiores & medicamentosi, ipsis minùs conueniunt: sicuti & illi qui ob putredinē incipientem calidiores & deteriores euadunt. Quales

les fiunt, si nimiùm eos aromatizando acrimoniam, & saliendo salsedinem acquirant, à quibus admodum læduntur. Vel si ob moram, rancorem, vti pinguia maximè, contrahant: vel aliàs situm, vti caro ferina, vel etiã fœtorem, vti caseus putris, redoleant, quæ etsi abominabilia in cæteris omnibus ferè alimentis, tamen in hisce ob gulam à multis grata habentur, adeò & caseus summè putris, fœtidissimus, vermibusque scatens ab illis in deliciis habeatur, à quo tamen summè quoque læduntur, ipsorum ventriculo ardorem patiente. Sed & dulcia cibis addita, vt dulciores eos reddunt, sic & calidiores corruptionique magis obnoxios, & qui in bilem facilè conuertantur. Quæ ex sua natura quoque talia sunt, ex iis quibus vti solemus, quorum caliditatem odor, acrimonia vel dulcedo insignis arguit, illis sunt noxia: veluti vinum dulce, generosum, antiquum: fructus dulces, melones, ficus similesque: & in quibus succus quidam est prauus ad corruptionem facilis, vt in cucumeribus, & eiusmodi: atque olera acria, vt nasturtium, irion crateuæ, Cæpe, porri, allia, post quorum esum maximè eructant, singultiunt, vrunturque.

Quemadmodum autem quæ non talia, sed temperata potiùs, vel ad frigiditatem aliquam inclinantia existunt, illis magis conueniunt: sicuti Lactuca, Endiuia, Buglossũ, Spinachia, similesque herbæ & fructus. Aquæ itidem frigidæ potus illis, vti aliis, nocere minimè potest, siue per se interdum, vel etiam ex cõsuetudine loco vini vel vino permixta bibatur. Acida imprimis meliùs refrigerantia his accepta & vtilia sunt: vt Cibi acidis conditi. Vinum vinosum aut acidulum potiùs quàm forte: Fructus varij acidi. Qualia multa eiusmodi alimenta nonnihil refrigerantia in ardoribus ventriculi à bile prodeuntibus, & in siti, febribusque explicata, hisce naturis quoque competunt.

Vti & medicamenta varia, quorum vsu, si calidior constitutio eiusmodi ad morbosam iam inclinare videatur, illa corrigi nonnihil, emendarique possit.

Inter quæ & thermarum acidarum potus eiusmodi naturas sæpè penitùs immutat: quæ alioquin & ætatis successione vix dum adeò caliditatem amittunt, quin calidorum prædictorum vsu tunc nonnihil, etsi minùs fortè quàm dum iuuenes erant, lædantur.

Cardialgiæ neruorum causâ accidentis, curatio. Neruorum causâ si ventriculus aliis partibus vehementer dolentibus consentiens, simul condoleat, illis potiùs à quibus origo mali, quàm ventriculo compatienti cura adhibetur.

Si verò ob exquisitiorem solito sensum, ventriculus faciliùs patiatur & doleat, maior præcautio, ne citò afficiatur, adhibenda, atq; si offensus sit, stupefacientibus antidotis, aliisque narcoticis, eò liberiùs sensum illum nimium retundere studebimus.

Si eorundem neruorum causâ in animi affectibus etiam ventriculus, seu, vt vocant, cor doleat, si illi emendentur vel mulceantur, hæc quoque cardialgia remittit vel cessat.

Cardialgiæ coli intestini causâ euenientis, cura. Ob colon intestinum in superiore illius sede, retentis flatibus vel excrementis, si in regione dicta cordis, cardialgia suboriatur, illis erumpentibus, sponte cessat dolor: si subsistant, quomodo subueniendum, per clysmata imprimis, in colico dolore ostensum est: vti Clystere ex Oleo, Melle & Vino paratum, mox iuuare, descripsimus, si ob moram cathartici sumpti in colo, cardialgia fiat.

Cardialgiæ septi trãsuersi causâ prouenientis, curatio. Si ob septum affectum cardialgia in dicta cordis sede oriatur, cùm & dyspnœa tunc molesta sit, magisq; angat, quid agendum, in dyspnœa explicatum fuit.

DE HYPOCHONDRIACO DOLORE.

CAPVT XII.

Genera.



Ypochondriacum dolorem vocamus illum, qui in ventris inferioris seu abdominis lateribus vtrinque à cinguli sede, vt vocant, retrorsum ad spinam, deorsumq; ad lumbos, & inania vsque deductis, sede aliquâ illorum, latere siue dextro siue sinistro, vel vtroque occurrit: non in superficie,

carnosa illic seu musculosa in sede, de quo in superficiariis doloribus agemus, sed in ꝓfundo, sub nothis costis, quę hanc regionem circumscribunt, illarumque causâ. Hypochondriaci dolores vocantur. Quorum Hipp. sæpè mentionem facit: Practici verò in morbis viscerum sub nothis costis occurrentium, dum symptomata illorum recensent, etiam horum dolorum meminerunt, doloresq; huius illiúsve visceris nominant. Qui variant primùm in eo: quòd præcipuè grauitatis vel ardoris, vel punctionis vel dilacerationis sensu molestiam dolorémve pariunt.

Grauis obtusus dolor in hypochōdriis. Grauitatis sensum & molestiam præbens obtusus dolor, qui tamen aliquando ob distentionem & punctiones, quæ interdum accedunt, increscit, in latere tam dextro quàm sinistro in elatiori hypochondriorum sede occurrit. Tuncque vel nihil duri aut tumentis in lateribus tangitur, vel apparet: Aliàs verò duritiésve aliqua, tumórve sub nothis costis prominere, vel in medio harum, vbi inuicem dehiscunt, deprehenditur, costis nothis tunc extrorsum magis quàm par erat, curuatis: Dolore compressiuo ventriculi, vti dictum, & dyspnœâ aliquâ semper ferè concurrentibus, aliisque symptomatibus; Vt discoloratione in facie, primùm & potissimùm se pallore in cachexiâ, flauitie vel nigredine in ictero, manifestante: Vel tumore ventris aut pedum totiusque corporis, in hydrope. Quæ accidentia cùm potiùs quàm dolor ille in hisce affectibus obtusus obseruentur, magisque ægrum & astantes terreant, in illis potiùs horum tractatio instituetur, quorum & hîc, ne quid omittatur, propter grauem dolorem qui simul adest, meminisse oportuit.

Posteriùs ad latera spinæ dorsi sub hypochondrio tam dextro quàm sinistro, rariùs vtroque simul, in lumborum inanibus, dolor ille grauitatis & ponderis alicuius sensum præbens, vti dictum, obtusus, nonnunquam tamen inualescens, interdum, vti dicetur, in acerbissimum desinens, occurrit. *Calculus renum. Lithiasis.* Quem à causâ potius magna quàm dolore, qui tantus non est, Calculi renum nomine & Lithiasin appellant. Qui dolor motu corporis, vt cùm spina præsertim flectitur, corpusque incuruatur, vti ex decubitu, per quem locus ille premitur, magis se prodit sentiturque: Stuporque aliquis in crure affecti lateris interdum accedit. Hisce superuenit vrinæ aliquod interdum impedimentum. Cum qua aliquando, maximeque si pus validiùs, circa lumbos præsertim agitent & impellant, per equitationem aliósve motus, sanguis permistus prodit, vrinamq; cruentam efficit: cuius sedimentum tandem nigrum in fundo vasis subsidet. Quæ & certo tempore alba & turbulenta, lactis serosi instar, in principio præsertim mictionis, mingitur, & postquam subsederit, materiam albam veluti cretaceam, copiosam quandoq; in fundum matulæ deponit. Nonnunquam & sabulosum quid album, aliquando & squamosum per eam redditur. Hunc dolorem nouus & acerbissimus interdum, vti dicetur, excipit, nouisque accidentibus auget.

Ardens seu inflāmans dolor in hypochondriis. Ardens dolor, nunc in elatiore hypochondriorum sede, vel in latere dextro versus anteriora magis occurrit: diciturq; à causa, Hepatis inflammatio, vel Hepatitis vocari potest. *Hepatitis.* Vel in sinistro latere versus posteriora magis, vocaturq; Lienis inflammatio, Splenitisque appellari potest. *Splenitis.* Aliàs verò in humiliore hypochondriorum regione supra coxendicem, & posteriore circa dorsum vtrinque latere dextro vel sinistro se offert, & propter locum affectum, Renum appellatur inflammatio, vel Nephritis quoque dici potest. *Nephritis.*

Hic dolor veluti inflammans, distendens & grauitatis sensum præbens, in omnibus occurrit speciebus: vti & pulsans, præsertim verò si in sinistro latere fiat lienis inflammatio: in qua tumor tactu deprehenditur, vti & nonnunquam in dextro latere, si hepar inflammetur, tumor apparet, prominens magis, si in dextrum latus æger corpus inclinet, sed sine rubore, vti verò si musculi illius loci inflammantur, accidit. In vtriusque etiam visceris inflammatione dolor ad iugulum vsque extenditur: & decubitu in latus aduersum exacerbatur: qui magis ardens in erysipelate hepatis existit.

Præter quæ, tussis exigua & sicca in omnibus speciebus molestat. Singultus aliquando hepate vel liene affecto accedit. Vomitusq; vrget, per quem bilis, hepate præsertim inflámato euomitur, os amarescit, nonnunquam & per aluum dejicitur, os amarescit, nonnunquam & per aluum dejicitur. hepate vel liene inflammato nonnunquam Icterusq; adest. Cruenta interdum, hepate affecto sequitur deiectio. Mictioq; frequens cum ardore, renibus inflammatis molestat.

Febris omnes hasce quoque inflammationes comitatur Synochos: vel eas mox subsequens, vel priùs incipiens: cuius causâ, vt & inflámationis immensæ, Inquietudo, Sitis vrgent, Lingua arida est: Respiratio cita, sed parua: Pulsus celer & magnus: Vrinæ tinctæ, & sub finem nonnunquá purulentæ.

Quibus omnibus cessantibus, grauedo interdum & ponderis quidam sensus, vt superiùs dictum, in enarrato loco aliquo affecto remanere aliquando solet, aliaque accidentia tunc, vti dictum, superuenire.

Punctorius dolor in hypochondrijs. Lienaris falsò dictus dolor. Miltzestechen.

Punctorius dolor alius, sanis alioquin, subitò in latere plerumque sinistro, aliquando & in dextro oboritur, quem German. Miltzestechen/ Lienis punctionem, cùm à liene illum prodire vulgus credat, falsò nominant. Acciditq; post cibum præsertim sumptum, si tunc corpus validiùs, equitatione præsertim, alióve motu violentiore agitetur: apparente interdum tumore, qualis in spasmo flatulento oriri solet: Admodumque hic dolor pungit & lancinat, præsertim respiratione ducta: mitescit si venter stringatur, sponteque tandem remittit.

Alius in morbis aliis partium dextri sinistrive lateris eueniens, cum obtuso & grauante illius dolore, vt in eo dictum, iungitur: cui & alia grauiora copulantur symptomata, in quibus enarrandis etiam ille explicabitur. Qui in exteriori corporis habitu se in hypochondriis, vti & in aliis locis offert, sicuti & circa inguina in herniis, ad eiusmodi casus referuntur, & in illis describuntur.

Lancinans & tensiuus in hypochondrijs dolor.

Lancinans tēsiuus quidam dolor in lumbis oboritur, quem Vterinum, cùm vteri causâ fiat, vocant: eo tempore præsertim quo menses expectantur, vel cùm suppresi sunt: & quandoque in grauidis se repræsentans: frequenter post partum, in aliisque vteri affectibus comes, vbi & exactiùs describitur.

Vterinus dolor.

Diuellēs acerbißimus in hypochōdrijs dolor.

Diuellens & quasi dilacerans pungensq; dolor, acerbissimusq; cruciatus in lumbis, illic vbi grauem illius dolorem accidere diximus, alterutro latere, vix vtroq; simul, frequenter suboritur, & in quibusdam per interualla, plerumq; aliquot mensium, vel etiã anni vnius aut alterius redit. Hunc Germani à situ doloris Lendiweh/ Lumborum dolorem vocant: qui aliàs à parte affecta Nephriticus dolor: vel à causa, siue lapis siue arena fuerit, Calculus, Grieß à nostris appellatur. Hic nunc illic persistens & fixus est: nunc ad inguina vsque protenditur, vel illic figitur, nec dum vti dolor colicus per ventrem vagatur. Stupetque tunc quoque crus interdum regionis affectæ.

Nephriticus dolor. Grieß.

Vomitusq; in principio plerumque molestus est: per quem ea quæ in vētriculo continentur, excrementa pituitosa & biliosa rejiciuntur. Respiratioq; cita & parua fit.

Vrina ab initio cum difficultate aliqua, aquea penitus, & vti vocant cruda, mox turbida, aliquando & cruenta redditur. Arenulæq; interdum nunc rubrę, nunc flauę, nunc cinereæ cum vrina profluunt: aliàs inuicem concretæ, aliàs diuulsæ in fundo subsident; aliquando adeò tenues, vt in hypostasi vel pinguedine hærentes in sublime ferantur, & hinc inde matulæ adhæreãt. Quæ omnia diu interdum durant: aliàs dolore ad infima ventris vsque descendente, subitò & veluti in momento cessat malum: vel in ea regione, aliud incommodum, in mictione præsertim impedita, vti illic dictum, nascitur. Quod tamen minimè fit; vel si fiat, mox cessat, si calculus per mixtionem vnus vel plures erumpant. Qui nunc arenosus & friabilis est, ruber vel flauus, vel cinereus, quē Reinsenden stein nostri vocant, oblōgus vel rotundus, æqualis vel inæqualis, maior minórve. Vel siliceus & solidus, tuncq; cinereus vel albus, plerũq; & variâ formâ effictus redditur.

Causæ.

Diuersarum partium, in hypochondriis sub nothis costis latentium morbi, do-

loribus hypochondriacis nominatis occasionem præbent. Quæ sunt, Vel viscera carnosa; hepar, lien, renes bini cum vreteribus: Vel portiones partium eò pertinentium: vt peritonæi, ventriculi, & coli: quorum affectus aliqui etiam sub hypochõdriis sentiuntur, eoque pertingunt.

Viscerum carnosorum sub hypochõdriis latentium, Hepatis scilicet dextrum latus occupantis, & ad anteriora vsque protensi, Lienis in sinistro latere ventriculo substrati, Renum vtrinque sub illis duobus visceribus vnà cum vreteribus, qui ab illis in lateribus obliquè deorsum versus anteriora vergunt, positorum, morbi aliqui dolores procreant, qui in eiusmodi locis, vbi hæc viscera sedem obtinent, latere dextro vel sinistro, vt in doloribus illis dictum, sese patefaciunt. Renisque dextri affectus ab hepatis affectu hoc pacto in situ distinguitur: quòd hepate affecto dolor in latere magis dextro versus anteriora, vbi maior est hepatis portio, vel etiam iuxta regionem foueæ cordis, vbi ventriculo incumbit, sentitur: renis verò dextri dolor, circa posteriora paulò humiliùs in dorso, eodem in loco fixus remanet. Sinistri verò renis, qui elatior est dextro, affectus à lienis affectu, ex doloris situ non tam facilè secernitur, cùm lien posteriorem magis sedem, reni sinistro proximam, secus quàm communis est opinio, qui in latere sinistro versus anteriora magis lienis situm quærunt, occupet: Ita vt aliis indiciis quàm ex doloris situ, harum partium affectus sint distinguendi.

Sunt autem eiusmodi viscerum morbi, qui singulis accidere possunt, doloresque in illis procreare, inflammatio, aggrauatio, obstructio, distentióve facta ab humore vel tumore, aut distentio à calculo prodiens.

Inflãmatio Hepatis, Lienis, Renũ, causa Ardẽtis doloris in hypochõdriis.

Inflammatio in hisce visceribus sanguineis, hepate, liene, renibusque, ex sanguine puriore impurioréve quandoque fit; doloremque ardentem illius loci, vbi viscus affectum latet, sicuti illic dictum, excitat: licet enim hæc viscera obtusè tantùm propter exteriorem tunicam sentiant, huius tamen causâ, cùm ad vicinas membraneas partes sensiles inflammatio quoque extendatur, dolor ardens magis se dilatans sentitur: cum tumore magis apparente, si in hepatis sede externa seu gibba sit inflammatio, vel lien, quod humilius nonnihil sub costis prominet, intumuerit: estque pulsatio maior, liene affecto, cùm ille arteriis abundet: accedentibus quoque aliis accidentibus, vti ostensum, quando hæc viscera septo accumbentia inflammantur, cùm tunc respirationi incommodent, tussiculamque proritent, & ventriculum vicinum offendendo perturbent: bilisque hepate inflammato efferuescens effusaque, vomitus, diarrhœas, icterum pariat, renesque inflammati vrinam acrem reddant. Et si inflammationem vlcus in hisce visceribus sequatur (quod vti in renibus fieri ex pure reiecto cũ vrina facilè cognoscitur, sic & in hepate & liene accidere, etsi adeò manifestè non liceat dijudicare, viscerum tamen horum corruptiones, quæ in mortuis cadaueribus sæpè inueniuntur, satis ostendunt) vel inflammatione non bene discussâ, durities aliqua relinquatur, illorum postea sequantur accidentia.

Causa autem quòd hæc viscera inflamentur, in omnibus contusio aliáve læsio extrinsecùs in hisce locis facta, esse potest: Vt & hepatis ac lienis inflammationis, assumpta calidissima feruentissimaque, quæ non solùm ventriculum, vti illic dictum, sed & hæc viscera illi accumbentia inflammant. Imprimisque quòd hepar inflammetur, si frigida affatim dum corpus vehementer calet, bibatur, propter illam subitam repercussionem, frequentior est causa: Renumque inflãmationis calculus, qui dum exitum quærens, vreteribus se inserit, dolorem immensum adfert, adfluxum sanguinis copiosum, vnde sequitur inflammatio, concitat: cui calculus interdum iunctus adhuc est, malumque geminat. A' quibus omnibus caussis si inflammationes fiant, febrem accendunt symptomaticam. Sed & sine hisce caussis sanguis in febribus synochis efferuescẽs, vti in febribus dictum, in quædam supradictorum viscera effusus, hasce in illis inflammationes gignere potest, quas febris præcessit,

cesſit, illarumque cauſa exiſtit. Quod & fortè ob copiam ſanguinis, etiam non praecedente, ſed ſubſequente febre, vt è vaſis erumpens inflammationes pariat, fieri poteſt. Qui ſanguis ſi in hepate adhuc impurus, nec dum à bile dextrè repurgatus fuerit, phlegmonem eryſipelatoden, ardorémque inde profectum vehementiorem, per quem interiora vri videntur, vnde & febrem quae inde ſequitur acutiorem, Typhodem dictam, procreabit. Sicuti & ſi à bile ſincera è folliculo fellis per hepatis ſubſtantiam diffuſa, eryſipelas ſincerum oriatur, eadem accidunt. Quod & à iam dictis cauſis alias inflammationes procreantibus, euenire poteſt.

Obſtructio Hepatis, Lienis, Renum ab humore, tumore, cauſa doloris Grauis obtuſi in hypochondriis.

Ab humore ſi hepar aut lien admodum obſtruantur, aut infarciantur, adeò vt grauiora ſeu ponderoſiora ſolito fiant, tunc grauedo aliqua in lateribus quoque ſentitur. Quod rariùs in ſenibus ab humore, ſicuti verò à terreſtri corpore, vti dicetur, accidit. Quae grauedo ampliùs adhuc vrget, molis alicuius incumbentis inſtar, ſi hepar vel lien tumor aliquis durus vel ſcirrhus aut oedema occupet grauetque. Quod & in renibus poteſt ab eiuſmodi tumoribus illic natis accidere, dolorque grauis, vt inquit Hippocrat. tumoris cauſâ, in renem cadere. Quorum omnium cauſas in aliis accidentibus grauioribus, quę tunc quoque prodeunt, recenſebimus. A' flatibus aut ventoſitate, ſicuti aliqui docent, hepatis lienísve dolores naſci, cùm in illis tantâ quantitate, vt ea diſtendant, congeri nequeant, nec illa ſentiant intrinſecùs, quo pacto hoc fieri poſsit, non videmus, ideoque hanc cauſam omittimus: Multoque minus in renibus hoc fieri poſſe, concedimus.

Calculus & arena in Hepate illiusq; Veſiculâ, cauſa Grauis obtuſi doloris in hypochōdriis.

A' calculo ſeu topho in hepate genito, aut ipſius veſiculâ, vel etiam ab arenis & ſabulo copioſè illic collectis retentis, grauamen quoque aliquod eâdem ratione, vt de tumore dictum, ſine dubio ſentitur. Quod fieri poſſe, vti ſectione deprehenſum à me aliiſq; ſaepe fuit: atque ex reiectis arenulis intensè rubris, & veluti cruentis, copioſiſsimè in affectu hepatis has inde prodiiſſe obſeruatum: ſic cùm in brutorum hepate calculos ſaepe inueniamus, in homine quoq; hoc fieri poſſe, ex eo etiam facilè colligamus. Quae cùm accidunt, ab illis & moleſtia haec naſcitur, aliaque inſuper ſymptomata: qualia etiam ab obſtructo hepate procedūt, ſicuti in illis ſuo loco declarabimus. Quod, an in liene quoq; accidat, etſi ex eo, quòd in toto corpore calculi gigni poſsint, aliquo modo colligatur, tamen quia nondum illud vidimus, nec ab aliis obſeruatū nos legiſſe meminimus, certi quid aſſeuerare ea de re nolumus.

Calculus & Arenae in Renib⁹, cauſa Grauis ponderis ſenſu praebentis doloris in hypochondriis.

In renibus verò adnexiſque illis vreteribus, calculi diuerſorum generum, arenaque contenta, frequentiſsimè dolori nephritico dicto, occaſionem praebent. Qui vel grauitatis moleſtiam ſolùm adfert in renum regione, mitiorem ſeu valde obſcuram, ſi in renibus arenulae collectae ſubſiſtant nec praeterfluant, aut calculus exiguus adhuc renibus inhaereſcat: magis verò apparentem, ſi magna copia ſabuli illic congeſta ſit, aut plures ſint calculi vel maiores; accedentibus tunc nōnunquam & punctionibus lancinationibusque, & ex compreſsione neruorum, in lumbis, ſtupore in crure ſubiecto: vel in magnis motibus ob calculum, renum ſubſtantiam contundentem, mictione cruentâ, tandemque & purulentâ, per quam & ſi quid à calculo abſcedit, illud per vrinam redditur. Quae accidentia adhuc grauiora diuturnioraque ſunt, ſi diutiùs retentus calculus, in molem aliquam vno in loco excreſcat: maximeque ſi adeò augeatur, vt per omnes ſinus renis diſperſus eos adimpleat, renemque in tumorem attollat: quales & maximos & ramoſos calculos in renibus creuiſſe, ſectione inuenimus: Veluti & quòd abſumptâ renis ſubſtantiâ, calculus ſolâ membranâ craſsâ inuolutus, tanquam in marſupio ſuſpenſus, illic vbi ren fuerat, haeſerit: Vnde certè dolor impedimentaque grauiora ſuccedere neceſſe eſt: mulieremque multis annis de perſeuerante dolore conqueſtam, & ſaepiùs abortientem, poſt mortem ſecans, hoc pacto affectam fuiſſe, cognoui. Quod non adeò infrequēs eſſe, cùm & alij huius rei meminerint, ſatis patet. Vti verò illud, quod à me deprehenſum fuit, calculum in extima pingui

renum

renum tunica adnatum fuiſſe, qui etſi ſatis magnus eſſet, tamen quia cauus & leuis omnino erat, moleſtiam nullam, quod audierim, peperit.

Calculus & Arena in Vreterib⁹, cauſa Nephritici doloris.

Sæuiſsimus verò dolor à calculo procedit, ſi è renibus in vreterem tendat: quem prædicta ſymptomata quoque comitantur. Imprimis vomitus, ventriculo conſentiente: per quem, quia pituitoſa quandoq; rejici vident, inde quoque dolores hoſce progreſſos coniecerunt, quæ tamen à ventriculo pituitoſo procedit, cùm à renibus huc tam ſubitò peruenire minimè potuiſſet: Vrinaque tunc aquea & cruda, ob dolorem & vomitũ bile aliò raptâ, apparet. Dolor autem, qui, ſi calculus in principiũ vreteris feratur, illicq; eos diuellat, circa renem affectum ſe offert, vbi quamdiu ſubſiſtit, vrget: quando verò iterum in ſuam ſedem in renem remeat, dolor ceſſat vel mitigatur: increſcit verò, quando vlteriùs deſcendens per anguſtos vreteres, eos diuellendo in eo loco vbi hæret, dolorem parit, qui tamdiu durat, donec in veſicam per anguſtos vreterum obliquos ductus (vbi diu ſæpe ſubſiſtens vehementer excruciat) illabitur, dolorque tunc ſubitò ceſſat. Qui nonnunquam etiam à ſabulo tardiùs per vreteres delato, prodire poteſt: in anguſtioribus præſertim hiſce meatibus: Quos adeò dilatatos & amplos factos, in illis qui ſæpius calculos reddiderunt, ſectione obſeruaui, vt ſine labore magno, poſtea & arenulas & calculos, præſertim dum minores erant, ſæpius excreuerint.

Cauſam autem generationis arenularum & calculi in renibus, pituitam eſſe, à calore renum adeò exiccatam, vt terrea indeque lapidoſa fiat, communis eſt opinio. Verùm cùm ex pituita exiccata mucus & viſcus potiùs fiat, nec illa vlteriùs naturâ vel arte indurari lapideſceréve queat: nec etiam gypſea hæc materia quę in articulis deprehenditur, à pituita prodeat, ſicuti in articulorum morbis oſtendemus, aut ſi prodiret, ea tamen minimè terrena ſit: cumque ſi à pituita fieret, illic potiùs vbi illa in ventriculo, cerebro aliiſve in locis redundat, calculi naſcerentur, quàm in renibus, quò illa mucoſa pituita, qualem deſcribunt, vix peruenit, aut ſi perueniret, tamdiu minimè ſubſiſteret; hiſce rationibus moti, aliiſque multis huic ſententiæ ſubſcribere minimè poſſumus.

Verùm nos potiùs cauſam materialem huius terreſtreitatis in corpore genitæ, terrenam quandam ſubſtantiam, vnde hæc prodit, ſtatuimus. Quam in humoribus aliis à pituita diuerſis inueniri, ſero ſcilicet, vti alibi pluribus, ſic hiſce præcipuè argumentis hîc oſtendimus. Quemadmodum enim aqua continuò per terræ meatus, & fluminum ac riuulorum alueos defluens, materiamque terreſtrem ſecum deuehens, eandem loca ſicciora, vbi faciliùs hæret alluendo, ſucceſsiuè deponens, illiſque agglutinans, ſabulum, tophos & ſtirias lapideas gignit: eoque magis citiuſque ſi impura lutoſáve ſit: aut ſi ſucco natiuo terreſtri imbuta, ſalſa, nitroſa, atramentoſa exiſtat: à qua, ſicuti in thermarum aquâ videmus, in canalibus per quos fluit, materia terreſtris illis adhærens & accreſcens, calculi diuerſæ formæ effinguntur: Sic conſimili ratione ſerum ipſum concipiens ſalſum ſuccum & terreſtrem materiam, quæ indies à prima concoctione à ſale, quo perpetuò homo vtitur, aliiſque terrenis generatur (ſicuti in beſtiis, quæ ſale adeò delectantur, eoque reficiuntur continuò, muroſque ob id lambunt, vti capras facere videmus, in quibus plerumque, ſeneſcentibus præſertim, calculi inueniuntur) ſi eo maximè redundet ſerum, locis ſiccioribus & anguſtioribus quæ peruadit, vbi & citiùs adhæreſcit, ſe agglutinando, arenulis & calculis poſtmodum inde formatis, præbet materiam. Idque illis potiſsimùm in locis, vbi à ſanguine ſecretum ſerum, continuò renes peruadit, vnde & illic frequentiùs arenulæ primùm colliguntur: quæ quia renum ſubſtantiæ innaſcuntur, rubent, & ſi diutiùs retineantur, in calculos concreſcunt, qui illic ſubſiſtentes incrementum ſumunt, accreſcente ſemper nouâ materiâ: vel ſi in veſicam deuoluantur, illicque hæreant, eo in loco augentur: & quo antiquiores fiunt, minùs rubent, magiſque pallent, ſolidioreſque fiunt. Sed & ſerum, dum adhuc

huc ſanguinem diluit, idem in certis ad illud aptis locis poteſt efficere, ſicuti de hepate dictum, aliiſque inde prognatis ſymptomatibus dicetur. Quod etiam ſi excrementis aliis permiſtum adhuc ſit, nonnunquam facit: eoque faciliùs ſi bilem diluens maiorem inde acredinem ſiccitatemque acquirat: vnde & in veſicula bilis tam frequentes aureo argenteóve colore, bilis flauæ causâ tincti calculi deprehenduntur, illuc cum bile terreſtri quoque & ſalsâ repurgatâ materiâ. Quod vti à ſero, dum in corpore eſt, fieri obſeruatur, ſic & ſi illud è corpore per lachrymas exſtillet, arenas quoque in ciliis deponere, illicque eas concreſcere, in oculorum affectibus demonſtrauimus. Sed & in ſero iam repurgato in veſicam, vrinâ ſcilicet quâ ratione calculi in veſicam delapſi, retentique ab eâ, eodem modo incrementum ſumant, ſquamiſq; nouis per appoſitionem continuam huius terreſtreitatis obducantur, & in molem ſæpe magnam excreſcant, colligere licet. Apertiuſque adhuc in vrina reddita, in vas aliquod videre licet, quo pacto, ſi diutiùs eâdem matulâ vtantur, nec mundetur, arenoſa & ſabuloſa illi accreſcat materia, & niſi purgetur, in ſquamas craſſas & lapideas tandem augeatur. Quod vt ſpatio temporis ex quibuſcunque vrinis, magis tamen ex illis quæ ſalſæ & acres ſunt, ſponte fieri ſolet, ſic & ſi vrina coquatur, arte hoc ſubitò fieri poſſe, apparet. Quâ ratione & chymici ex lixiuio, quod eiuſmodi quoque terrenam in ſe habet ſubſtantiam, ſalia ſua ſolent excoquere. E quibus vti arenulas ſabulumque ab initio prodire oſtenſum eſt, ita vt hæc inuicem in tophos calculoſque concreſcant, acris & ſalſus qui terreſtreitati huic in ſero & vrina permiſcetur, atque ineſt ſuccus, efficit, ea compingens & veluti ferruminans (quâ ratione cementum ferreum duriſsimum ex limatura ferri, addito ſucco acri vitreoli & aceto, lapicidæ ſolent decoquere) quod à pituita, ſicuti aliqui, vt ſaltem hac ratione illam calculi cauſam ſtatuerent, prodiderunt, cùm hæc, terreſtria illa corpora, adeò vt in lapidem deſinant, conglutinare nequeat, fieri minimè poteſt.

Vti neq; calor renum, quem efficientem calculi cauſam ſtatuunt, adeò pituitam exiccare, & vt veluti in cineres redigatur, adurere valet: cùm & alibi frigidioribus in locis membraneis calculi naſcantur. Et quòd in certis locis generetur, anguſtia loci, cui hæc materia adhærere poſsit, diutiùs meliuſque ſe affigere, & ſiccitas, vbi exiccata induretur, potiùs requiritur, cauſaq; adiuuans ſtatui debet. Ob quam & cauſam quibus renes ſicciores, vel ab ortu, vel poſtea per ætatem aut alias cauſas contigerunt, calculo renum magis ſunt obnoxij: & ſi à parentibus hoc deueniat, hæreditarium eſt malum: eâ ætate liberos plerumque inuadens, quâ parentes laborare ſolebant: quam naturam à parentibus contractam, non qualis ſit, explicans Fernel. arenoſam tantùm renum conſtitutionem vocauit.

Peritonæi affecti causâ dolores hypochōdriaci aliqui quoque eueniunt, cùm illud ventri vndique antè retroq; expanſum, maiori parte ſuæ amplitudinis ſub hypochondriis latera dorſumque occupet. Quando enim illud diſtentum tractumque ſupra modum, à partibus quarum tunicis pertinaciter hęret, veluti auellitur, dolor inde in hiſce locis punctorius, ſi vno in loco tantùm hoc fiat, vel veluti lacerans aut lancinans, ſi amplior illius pars ſic diuellatur, ſuboritur. *Peritonæi diſtentio à flatibus, cauſa doloris punctorij in hypochōdriis, quē Lienarē falsò vocant.*

Cuius cauſa flatus ſæpenumerò exiſtit. Qui in interualla hæc peritonęi cum muſculis ipſi connexis, & ſpatia muſculorū irrumpens, ab ea inuicem diuellendo, punctorios dolores eos, qui poſt ſumptum cibum, cùm corpus validiùs tunc agitatur, quibuſdam euenire ſolent, vti dictum, parit: eodē ferè modo, vti in pectore in pleuritide falſa, dolor pūctorius ſuccingentis tunicæ causâ fit. Confert autem in hoc loco ad illud plurimū, valida muſculorū abdominis attractio, per motus eiuſmodi mox à cibo factos, & pręſertim qui per equitationem fiunt, dum in ephippio ſedentes, pedibus in ſtapede innixi, conatu quodam cum ſpiritus retentione, muſculos abdominis ſtringunt: eâdem ratione, ſicuti ſpaſmum flatulentū in aliis corporis partib. accidere, cùm de eo ageremus, oſtendimus. ob quam & cauſam, vti in ſpaſmo flatulento muſculi in loco dolēte eleuati, tumorem ali-

quem, quandoq; qui tunc illic apparet, procreant: & si stringatur cingulo latera, quemadmodum in spasmo, si contrario nixu musculi retrahantur, sicuti illic exactè demonstratum fuit, dolor cessat vel mitigatur. Adeò vt & hic dolor spasmi flatulēti species aliqua existat, nec aliò quàm ad affectum musculorum abdominis & peritonæi ab inuicem diuulsorum, vti dictum, referri possit: quē falsò vulgus lieni attribuit, quòd frequentiùs in latere sinistro quàm dextro accidat: quod tamen potiùs ventriculi causâ, in ea sede latentis, & quòd in sinistro hypochondrio plures flatus colligantur, vti & in hypochondriaca melancholia hoc fit, contingit; licet & in dextro hoc quoque non infrequenter eueniat.

Peritonæi tensio viscerũ & vasorũ illi appensorum occasione causa Tẽsiui seu lancinantis in hypochõdriis doloris.

Quæ ab aliis causis sub hypochondriis peritonæo tenso aut tracto, sentiuntur punctiones aut lancinationes, vel viscerum affectorum causâ, vt hepatis, lienis, quia peritonæo appensa sunt, vel etiam vasorum vteri occasione, quia peritonæo suspensa dorso adhærent, accidunt, vnde dolores illic quoque sentiunt vterinos dictos: vel quia peritonæum in tympanite validè extēsum, vti & in grauidis, punctiones leues interdum parit, aut in processu suo dilaniatum, in herniis grauissimum dolorem creat. Horum omnium causæ in aliis grauioribus accidentibus, quæ tunc quoque accedunt, simul enarrabuntur.

Vētriculi affectus, causa dolorum in hypochõdriis.

Ventriculus cùm sinistrum latus sub hypochondriis possideat, illius quoq; dolores seu cardialgiæ circa cordis foueam dictam, anteriore sede se offerentes, vti dictum, ad latus sinistrum nonnunquam quoque vergentes, sub hypochondrio sinistro sese exerunt. Maximè in dolore illo qui in melancholia hypochondriaca dicta, se illic cum rugitu & ardore manifestat: sicuti in melancholia, quæ hîc potiùs spectatur, cæterisque symptomatibus præualet, describitur.

Coli affectus, causa dolori in hypochõdriis.

Coli dolores propter situm illius, quo vtrinq; sub ventriculo ab vno latere ad aliud protenditur, sub hypochondriis quoq; sese proferũt. Qui tamen non illic fixi permanēt, sed vagi, per ventrem, sicuti in dolore colico ostendetur, vbi & describuntur, discurrunt.

Curatio.

Hepatis, Lienis, Renum, Peritonæi affectuũ causâ obscurorum dolorũ, qui graues & obtusi sunt vel tensiui, curatio.

Illorum tantùm affectuum hîc proponitur curatio, qui doloribus potissimùm, illisq; in hypochondriis præcipuè se manifestant. Nam hepatis, lienis, renum peritonæi affectuum illorum, quorum hîc doloris causâ quoque meminimus, curationes, cùm in illis dolor obscurus sit, in aliis horum symptomatibus, vt cachexia, ictero, hydrope cæterisque, quibus se magis quàm dolore produnt, vbi de his agetur, explicabuntur.

Vētriculi, Coli, Vteri, affectuum causâ exortorum dolorum curatio.

Dein & si vētriculi, vteri aut coli affecti causâ dolor in hypochondiis quoque sentiatur, & eousque se extendat, quia tamen ventriculi dolor in cordis regione, coli & vteri in ventre inferiore, vbi hæ partes latent, illorum affectus & dolores inde nati, magis se proferunt, illius curationem in cordis, horũ in ventris dolorum exposuimus. Itaque hic præcipuè dolori, & vbi maximè ille se prodit, intenti, curationem ratione causæ partientes, prout vel ab horum viscerum inflammationibus Hepatitis, Splenitis, Nephritis: aut à calculo Nephriticus dolor: aut causâ peritonæi Spleneticus vulgò dictus dolor oritur, eam instituemus.

Inflammationum Hepatis, Lienis, Renum curatio.

Inflammationes & erysipelata hepatis & lienis periculosæ sunt, sæpeque lethalia, & si in abscessum desinant, vlcusq; post se relinquant, vel si malè curentur, & durities scyrrhusque sequantur, hydropem inducentia, incurabiles post se relinquunt affectus. Renum inflammationes faciliùs sanantur: grauiores sunt, si cum calculo copulentur: si vlcus relinquant, illud quoque, vti dicetur, curatu est contumax.

In curatione tamen harum omnium inflammationum, methodus eadem quæ in aliis seruatur: vt nimirum dum fiunt, sanguinem ad locum fluentem, auertamus, à parte repellamus, deriuemus, ardorem calorémque restinguamus: quod residuum discutiamus, aut si fieri nequit, maturemus. Quod si durities, scyrrhus, vel abscessus, eoque rupto, vlcus (sicuti hoc æquè in hepate & liene atque in renibus accidere posse ostendimus) relinquantur, quid tunc faciendum, in aliis grauioribus, quæ inde sequuntur acciden-

tibus

tibus explicabitur: Inflammationis verò causâ, vt dictum, sequentibus præsidiis vtendum.

Per phlebotomiam motus sanguinis dũ adhuc fluit, aliò auertitur: idq; potissimùm in hepatis & renum inflammatione, cùm à vena caua ramos insignes admittant: licet & in lienis phlegmone, etsi tantùm è vena porta venas accipiat, ob causas in ventriculi inflammatione explicatas, non sit negligenda. Ob eamque causam in omnium trium viscerum inflammationibus, nisi quid aliud impediat, reuulsionis gratiâ sanguis & subitò & copiosè, è brachij venâ magis patente, seu infima sit, seu media, seu superior, è directo lateris affecti sectâ, educendus: & si magna adsit plethora, vel in eodem loco venæ sectio repetenda, vel tunc in manu eiusdem quoque lateris vena apparens, siue iuxta pollicem, siue minimum aut medium, vti Rhazis voluit, occurrat, tundenda. Priuatimque in renum inflammatione è poplitis vel malleoli vena sanguis emissus, etiam cessante fluxione, ad deriuationem plurimùm conuenit.

Hæmorrhoidales venæ, cùm venæ portæ rami sint, si fluant, plurimùm in lienis inflãmatione deriuant, in aliis reuellunt. Quæ si spontè se aperiant, pro signo bono remedióque vtili habetur. Ob eamq; causam, in consuetis maximè, arte quoque aperiuntur.

Cucurbitulæ coxis aut naribus affixæ, è regione partis affectę reuellunt, & in renum inflammatione admodum deriuant. Quas in dextro hypochondrio, hepate inflammato, postridie quàm missus fuerat sanguis, scarificatione priùs illic factâ, applicabant veteres, & die sequente, supra eundem locum denuò reponebant. Alij circa declinationem primùm, ad residuum auferendum citra scarificationem apponebant.

Ligaturæ, frictiones extremitatum, hîc quoque vt in aliis inflammationibus, ab initio factæ, reuellunt.

Clysmata iniecta ante venæ sectionem, tum demum quando aluus astricta est, vti in hisce inflammationibus esse solet, quæ eam soluunt, conueniunt. Quorum loco suppositoriis aluum leuiter sollicitare possumus.

Dein & ad inflammationes horum viscerum restinguendas, clysmata, cùm in colon vsque ascendant, & ad ea proximè peruenire possint, refrigerentque, in principio quoque iniecta, topicum alterans fiunt remedium. Qualia multa in febribus alibique descripta sunt.

Laxans & leuiter stimulans clyster: ℞. Maluæ cum toto, Betæ, & in renum affectu Parietariæ an. M.j. flor. Violarum, Furfuris ana P.j. sem. Lini ℥.j. Anisi (propter flatus) ʒ.j. fiat decoctio, in colaturæ q. s. dissol. Mellis, Butyri, vel Olei ana ℥.j.ß. pulpæ Prunorum dulc. vel Cassiæ ℥.j. Salis tantillum, fiat Clyster.

Refrigerans sic fit: ℞. iiij. vel trium, si brancâ vrsinâ destituamur, herbarum Emollitiuarum cum radicibus, Portulacæ, & folior. Cucurbit. recentium, si inueniantur, an. M.j. flor. Viol. Maluę autumn. & flor. Chamomil. an. P.j. seminum Lini ʒ.vj. seminis Cucurb. vel iiij. frig. mai. ℥.j. Hordei P.j. fiat decoctio, & in col. s. quant. dissolue Mellis viol. ℥.ß. Cassiæ ℥.j. olei Violacei, Nenuph. an. ℥.j. ß. fiat Clyster.

Exhibentur, si excrementa retineantur, nec facilè clysmata admittant, quæ vias laxando, fæces emolliendo abluendoque, eas educant: Cauendo omnibus modis à catharticis, cùm irritando fluxiones promoueant, & de nouo interiora accendant: ob quam causam & cassiam exhibere, non satis est tutum.

Damus proin ea quæ citra calorem magnumque stimulum id præstant, vt Pruna, Fructusque alios laxantes: & ex herbis Spinachiam, Maluam, Violariam, cocta in cibis, Serum lactis, aquam Casei, syr. Violaceum & Rosaceum, simplices ex infusionibus, similesque propinamus.

In declinatione tamen istarum inflãmationum, vel exacto quarto die, calore cessante, ad reliquias tollendas, hepate & liene laborante, cùm per venas meseraicas in intestina se exonerare possint, purgans interdum, sed leuius conceditur: idque magis si in caua hepatis sede affectus consistat, quam venæ portæ rami subeunt, & si bilis in vesicula efferuescens aut effusa erysipelas

pepererit: in quibus casibus cùm morbus declinat, Cassiam exhibere possumus, aut aliud leuiter purgans.

Vel tale decoctum, quod simul detergit & aperit: ℞. radic. Liquiritiæ ℥.ij. radic. Graminis, Rusci ana ℥.j. Cicerum rub. P.j. fol. Senæ ℥.j. rad. Polypodij ℥.j.ß. flor. Cord. P.j. seminis Anisi ʒ.iij. sem. Fœniculi & Cuscutæ ana ʒ.j. fiat decoctio, & in col. dissolue, syrup. Rosſ. sol. ℥.j.ß. syr. de duabus Radic. ℥.j. arom. Cinamom. ʒ.j. Squænanthi ʒ.ß. pro duabus vel tribus vicibus.

Vel hoc infusum: ℞. Rhabarbari ℈.iiij. Cinamom. Spicæ, Schœnanthi an. ℈.j. irrorentur Vino albo, postea maceretur in aqua Capill. Ven. & Endiuiæ, fiat expressio, adde syr. Ros. sol. cum inf. fol. Senæ ℥.j. fiat potio.

Quòd si verò in renibus morbus consistat, cùm nullũ cum venis meseraicis commercium habeant, nisi aliud quid accedat quod hoc requirat, conuenire non possunt: cùm tunc per vrinas potiùs. Vti & si in gibbum, seu elatiorem hepatis sedem, quę venę cauę ramos admittit, illorum affectus magis inclinent, residuum in declinatione morbi expellere (vt postea ostendetur) satiùs erit.

Propinantur in principio tam hepatis & lienis, quàm renum inflammationum, quæ leuiter astringendo repellant, refrigerando calorem mitigent, roburq; interim, hepate & liene præsertim affectis, hisce visceribus nobilioribus addant. Postea omissis astringentibus, refrigerantibus abstergentia permiscenda erunt: sensimque ad ea quæ aperiunt, simul transeundum: quæ & tandem per vrinas, nisi per aluum hoc facere consultum, vti dictum, magis sit, residuum educãt. Quorum remediorum formulæ multæ in inflammatione ventriculi explicatæ, in viscerum horum inflammationibus quoque competunt. Imprimis verò sequentia hoc pacto illis accommodantur.

Cùm repellere volumus, mox à principio: ℞. syrup. de Rosis rubr. siccis, vel Myrtini ana ℥.j. syr. de Ribes, vel Berberis, de Cichor. simpl. (vel rene affecto syr. de Plantag.) ana ℥.ß. aquarum Endiuiæ, Rosarum, Plantag. an. ℥.ß. misce: aromat. Santal. rub. ʒ.ß. Bibat manè, repetat vesperi.

Refrigerans, detergens & aperiens, in progressu exhibendus iulepus: ℞. syr. Viol. de Endiuia, & liene præsertim affecto, syr. Acetos. simpl. vel de Byzantiis an. ℥.j. syr. de Portulaca, & de Nymphea, renibus potissimùm inflammatis ana ℥.ß. aquarum Fragarię, Hepaticæ, Lactucæ ana ℥.j.ß. misce.

Idem facit hoc decoctum: ℞. rad. Cichoreæ ℥.j. herb. Endiuiæ, Acetosæ, vel Oxys, Lactucæ, Fragariæ an. M.j. fl. Viol. Cichorij, Consolidæ regalis ana P.j. Hordei P.j. 4. semin. frig. mai. an. ʒ.j. Prunorum acid. n. vj. fiat decoctio, & in col. dis. Sacchari q.s.

Alia ratione quoq; refrigeramus per potum ordinarium aquæ crudæ, coctæ cũ Hordeo, Violis, aliísve: vel additis acidis. Vel quando condituras, aliáve, quorum passim in febribus, & in ventriculi quoque inflammatione mentio facta est, vt non opus sit omnia hîc repetere, vsurpamus.

In declinatione, cùm detergere, aperire & per vrinas ducere volumus, ad sequentia progredimur: ℞. syr. Capill. ven. de Byzantiis an. ℥.j. syr. de Endiuia, de duabus Radicibus, an. ℥.ß. aquarum Capill. Ven. Eupatorij, Fumariæ ana ℥.j. misc. aromat. Spicæ, Schœnanthi an. ℈.j.

Vel detur hoc decoctum: ℞. rad. Asparagi, Fœniculi, Petrosel. vulg. Liquiritiæ an. ℥.j. cort. Tamaricis, liene aff. ℥.ß. radic. Ireos, Acori veri an. ʒ.ij. & liene affecto herb. Capill. ven. & hepate & liene affectis, Eupatorij, Ceterach. an. M.j. flor. Cordial. Genistæ an. P.j. flor. Chamom. P.ß. Cicerum rub. P.j. 4. sem. frig. mai. ℥.ß. sem. Anisi ʒ.ij. sem. Petrosel. & liene affecto Viticis an. ʒ.j. Passul. ℥.j. fiat decoctio, & in col. diss. syr. de 5. Radicibus, vel de duabus ℥.j.ß. Sacchari q.s. aromat. Cinamom. vel supradictis: Bibat ter quatérve.

Pilulæ ad discussionem reliquiarum inflammationum, sequentes competunt: ℞. Terebinth. vel Lariceæ ʒ.ij. gũmi Ammon. dissoluti in Aceto vel Vino acidulo ʒ.j. Myrrhæ, Styracis an. ℈.j. Schœnãthi, Spicæ, Azari an. ℈.ß. Sacchari q.s. fiant pilulæ: Capiat ℈.ij. vel ʒ.j. cum decocto Hordei vel Cicerũ vel Pisorum, aut Iusculo cum rad. Petros. cocto.

Extrinsecùs refrigerantia adhibetur, quæ ab initio aliquo pacto astringant & repellãt: postea

postea resoluentia illis sunt permiscenda: & sub declinationem sola erunt vsurpanda, vt residuum inflammationis discutiant: aut si discuti nequeat, sed ad suppurationem vergat inflammatio, simul maturationem illius promoueant. Quibus omnibus, si viscera principaliora affecta sint, quæ ea simul roborent, addenda. Hæcque omnia non actu summè frigida, nec in principio quidem, sed temperata, & postea etiam tepidula erunt applicanda.

Epithema repellens ab initio: ℞. aquæ Ros. ℥.iiij. aquæ Plantag. ℥.ij. Aceti ros. ℥.j. Santali rub. ʒ.j. Camphoræ ℈.j. misce. (Potest succus Plantag. addi, vel Vitis aut Pyrorum seu Cotoneorum) ol. Ros. ad ℥.ß. Vel Oxyrrodinum vsurpari.

Dein & hoc vtendum: ℞. aquæ Solani, Lactucæ, Violarum, Nympheæ an. ℥.j. aquæ Endiuiæ vel Cichoreæ, hepate affecto ℥. ij. succorum Solani vel Portulacæ vel Plantarum dictarum, quarum aquæ conueniunt ℥. j. Aceti ℥.ß. Santal. omnium ʒ.j. fiat epithema. Ol. Violarum misceri potest.

Vel in succis solis Solani, hepateque affecto Endiuiæ, aliisve, addito pauco Aceto, intincti panni apponi: quibus & oleum Viol. Ros. Nympheæ addi possunt.

Inunctio in principio istarum inflammationum: ℞. ol. Ros. Cydon. vel Myrtini an. ℥. ij. succi Plantag. Aceti an. ℥.j. & hepate affecto vel liene, succi Endiuiæ vel Cichoreæ ℥. j. coquantur ad succorum consumptionem, adde Santal. rubr. Ros. an. ʒ.j. Ceræ albæ q. s. fiat vnguentum.

Ceratum Santalinum hepate & liene affectis, à principio conuenit. Vti & vnguentum Refrigerans Gal. renibus inflammatis. Et Rosaceum vnguentum in omnibus.

Vel hoc cataplasma, visceribus nobilioribus affectis: ℞. Cotoneorum 4. j. fol. Plantag. & Phyllitidis an. M. j. Ros. rubr. P. j. Balaust. ℥.ß. coquantur, contundantur, addendo far. Hordei ℥.iij. ol. Ros. ℥.ij. Santali rub. ʒ. ij. fiat cataplasma.

In progressu ad resoluendam inflammationem hepatis vel lienis: ℞. ol. Rosacei ℥. ij. ol. de Absynthio vel Nardini ℥. j. ol. Chamomil. vel de Meliloto ℥.ß. Santal. omnium ʒ.j. Spicæ ʒ.ß. Ceræ q. s. fiat linimentum.

Oleum ab antiquis concinnatum ad hepatis inflammationes, in quo caput Papaueris, Ruta, semen Lini & Schœnanthum coquitur, tunc potissimùm locum habebit.

Vti & cataplasmata Galeni ex Cotoneis & Palmulis parata.

Vel hoc cataplasma: ℞. Ficuum, Dactylorum enucl. Passul. non enucl. an. ℥.iij. Absynthij, fol. Phyllitidis an. M. j. Ros. rubr. P. j. fiat decoctio in aqua & Vino acidulo, cõtundantur, adde farinæ Hordei & Fœnogr. vel Lini an. ℥.ij. pulu. rad. Ireos ʒ.j. Chamom. Liliorum an. ℥.j.ß. Croci ℈.j. Spicæ, Schœnanthi an. ʒ.ß. misce.

Emplastrum de Meliloto, Dialtheæ, Diachylon ireatum, idem in declinatione efficiunt, & si maturatione opus est, maturant.

In renum inflammatione resoluenda, oleis relaxantibus & resoluentibus, veluti Amygd. dulc. ol. in quo radix Altheæ coxerit, ol. Lini, Chamom. Liliorum, similibusq́; & Axungiis renum regio inungitur.

Vel vnguentis eiusmodi: quale & Resumptiuum dictum existit.

Ad quod & insessio facta in decocto Altheæ, Maluæ, Liliorum, Chamomil. seminũ Lini, Fœnograeci, & similium conuenit. Vel si hisce locus renum fomentetur.

Nephritici doloris ab arenulis calculóve, præcautio & curatio.

Nephriticus dolor, ab arenulis calculóve profectus, non solùm quando vrget, curationem exigit: sed & in illis qui huic obnoxij sunt, præcautionem requirit. Præcauetur, cauendo ne arenulæ in renibus generentur, tunc, quando vel quia parentes hoc malo detenti fuêre; sibi ab eo metuunt, vel quando aliàs ad id dispositi videntur: maximeque in illis qui iam arenulas mingunt, prouentus illorum impediendus, & ne hæ renibus adhærescant, calculumq́; forment, præcauẽdum. Et si calculi iam nati in renibus suspicio ex eo, quòd iam priùs eum quoque passi sint, grauitasq́; aliqua in eo loco sentiatur, adsit, ne dolor indè grauis ille sequatur, illius augmentum impediendo, eumq́; maturè expellendo, obuiam ibimus. Quæ omnia, si ea quæ calculo materiam præbent, renesque calefaciunt & siccant, subtrahamus, eaq́; quæ ab adhæsu arenularum renes

abstergunt, & quæ calculos, dum exigui & friabiles sunt, dissipare deorsumque promouere possunt, administramus, perficiuntur. In curatione verò nephritici doloris iam à calculo prodeuntis, & in viis hærentis excruciantisque, vias illas laxare, calculum comminuere, eumque ex angustiis illis exturbare, scopus curandi præcipuus erit. Quę omnia, quibus artibus & modis præstentur, nunc recensebimus: tum in viuendi ratione per cibum & potum motumque corporis, tum per purgantia exhibita, iniecta clysmata, per alterantia propinata, forisque administrata remedia.

In cibo & potu, cùm inde materia arenularum & calculi exordium sumat, vt illius generationem præcaueamus, moderatio erit adhibenda, boniique succi cibi in vsu esse debent. Imprimis verò temperatis cibis assuescere debent, & proin salitis leuiter & parcissimè vti: nam à vehementer salsis, omninò abstinere, vti & à terrenis & siccis, cùm ab illis, vti dictum, materia huius terrestreitatis deueniat, præcipua curationis est regula. Veluti & à vehemẽter acribus & calidis, cùm ab illis, vti ostensum, arenulæ in calculum coagulentur, renesq; siccentur, & incalescant. Quæ potissimùm obseruanda, & salsamenta omnia nimiumq; aromatizata, similiaq; potiùs vitanda, quàm vt in crudis, glutinosis, & quæ pituitam gignere creduntur, prohibendis laboremus: cùm hæc succũ crassum, qui obstructiones parit, quidem gignant, verùm in terrestrem materiã, vti dictum, conuerti, nisi illis alia permista sit terrestreitas, quã in sero quo diluuntur quoque, postea deponunt, vti in causis declaratum, minimè possint. Quo nomine & caseũ, quem tantopere, tanquam primariam calculi causam, prohibere solent, non alia ratione illi occasionem præbere posse, quàm salsedine & acrimoniâ suâ, quã in se si nimiũ salsus aut putris sit, qualis frequenter esse solet, continet, dicimus: alium verò qui talis minimè est, sed lactis naturæ adhuc affinis, vti nec lac, nec lacticinia, aut pultes ex illis paratæ, similesq; cibos non salsos aut acres, etsi glutinosi sint, calculo causam minimè præbere, asserimus.

In motu corporis, exercitium decens, singulisque naturis accommodum, rectoque tempore ante cibum factum, in arenulis exturbandis, quæ otio alioquin facilè subsistũt, plurimùm iuuat. Ob quam & causam, post motus corporis arenulas copiosiùs & frequentiùs, quàm mane post somnum, cùm vrina reddi expurgarique, & proin eo tempore, si illas dijudicare rectiùs velimus, inspiciendas quoque esse, experientiâ comperimus. Quâ ratione & motus moderatus, etiamsi calculus in renibus hæreat, & paruus & recens sit, cùm eum promoueat, conferet. Vti è contra, si maiores sint, ipsos prouocando, nephriticum dolorem proritat, & in calculo renibus confirmato & aucto, motus vehemens, per quem lumbi præsertim admodum impelluntur, quia tunc renum substantia à calculo conteritur, vnde vrinæ cruentæ fiunt, renumque vlceri occasionem sæpè sic præbet, nociuus. A' cibo quoque subitò factum exercitium, quòd cibi crudi adhuc factâ distributione, illi ad renes delatus, calculo gignendo materiam præbeat, admodum eo nomine improbant: quæ cruditas tamen obstructionibus potiùs aliisque morbis quàm calculo, nisi aliud accedat, vti dictum, occasionem dat. Venus immodica, renes exiccando & debilitando, vti eos ad generationem calculi dispositos reddit, sic, si calculi in renibus sint, sæpè diu latentes, prouocando, nephriticis doloribus vel de nouo superuenientibus, vel redeuntibus ansam præbet: Sicuti eam ob causam, eos qui diu cœlibes vixerant, aut alioquin castè veneri operam dederant, quia ad nuptias nouas redibant, vel aliàs luxuriosè viuere cœperant, calculo primùm diuexari, quem priùs minimè senserant, cœpisse, sæpè etiam in extremè senibus obseruauimus. Dejectiones naturales per aluum, si indies rectè & decenti tempore fiant, quia excrementorum prouentum impediunt; Mictioque diu non retenta, sed cùm vrget, facta, quia sic arenulæ minus diu subsistunt, præcautionis gratiâ aliquid quoque conferunt.

Purgantia medicamenta exhibita præcautionis loco sic diriguntur, vt si corpus impurum sit, veris & autumni atque intermediis

diis temporibus, si necessitas exigat, illud ab illuuie redundante expurgemus: Non tantùm ad pituitam educendam cathartica dirigentes, sicuti hi qui hanc calculi causam esse censent, facere solent, sed & ad quosuis humores exuperantes, vt sic corpus purum fiat; quod & tunc vti aliis morbis, sic & calculo minùs fiet obnoxium. Et si ad calculi causam auferendam purgantia accommodare velimus, potiùs ea exhibendo, quæ non violenter, sed blandè aluum mouendo, laxandoque à renibus salsos & serosos ichores humoresque auertant, & ab illis sanguinem repurgent, & vt inquiunt, mundificent: exhibendo illa ipsa quæ in curatione quoq;, sicuti nunc proponentur, locum habent, hisque similia.

Nam cùm iam calculo diuexatur æger, tunc ad fæces & flatus educenda, eandem ob causam, vt de clysteribus dicetur, quibus potiùs tunc vtimur, aluum laxantia vel simul cum illis, vel loco clysmatũ propinantur. Transeundo ab illis ad cathartica, non tamen violenta; cùm tunc calculi causam, cuius in præcautione potiùs quàm in curatione habetur ratio, exturbare nequeat, sed vt ipse calculus, dum natura purgãtibus stimulatur ad excretionem, ab illis simul ad descensum promoueatur. Quod, vt rectiùs fiat, ea quæ abstergunt calculumq; comminuunt, illis simul permiscentur. Sicuti in formulis sequentibus patet.

Cassia plurimùm in hoc casu laudatur; tum ad præcautionem frequenter exhibita, tum quando calculus vrget, ℥.j. vel plus cum saccharo Cando vel Violaceo, exhibendo in forma boli: vel dilutam priùs decocto Liquiritiæ, vel Sebesten vel alio: vel aquis conuenientibus, addendo interdum semen Alkekengi vel Milij solis, aut simile quid: vt Lariceæ coctæ pul. ad ʒ.j. Magisque laxabit si oleum amygd. dulc. statim superbibatur, vnde & dolor citiùs mitigatur.

Laricea ʒ.ij. quantitate exhibita aluum mouet, valdiusque, si dissoluta in Vitello oui, cum liquore decenti, addito Saccharo vel Melle, bibatur. Vel si cum Cassia subacta, vel mox post eam sumatur.

Potentiusque purgabit, si cum elect. Benedictæ lax. aut puluere illius ad ʒ.ij. mista, addito saccharo, in forma boli alióve modo detur.

Decoctum laxans & abstergens sic fit: ℞. rad. Liquiritiæ ℥.j.ß. Passul. enucl. ℥.ß. Sebesten par. x. Prunorum par. v. Cicerum par. j. quatuor seminum frigidorum maiorum ℥.ß. seminis Anisi ʒ.iij. foliorum Senæ, radic. Polypodij, cùm dulce sit & abstergens, ana ℥.j. flor. Viol. P. j. fiat decoctio pro duabus vicibus, addito Saccharo, vel syrupis, vt Violac. Rosaceo.

Calculo accommodatius fit, si prædictis sequentia addas, rad. Fœnic. Petros. an. ℥.j. Saxifragiæ, Altheæ an. ℥.ß. Maluæ, Capill. Ven. an. M. j. fl. Anethi P. j. bacc. Alkekengi ʒ.ij. auctaque Senæ quantitate ad ℥.j.ß. decoctum, vt de priore dictum, paretur, exhibeaturque. Cui si Rhabarbarum & Agaricum addas, efficacius erit.

Vinum si magis arrideat, tale fiet purgãs: ℞. fol. Senæ ℥.j. s. Carthami ʒ.vj. Agarici vel Rhabarbari ʒ.ij. rad. Liquirit. ℥.j. radic. Apetitiuarum an. ℥.ß. fl. Viol. Maluæ siccat. an. ʒ.ij. bacc. Alkekengi, seminis Anisi, Leuistici an. ʒ.j. Passularum minor. quartale j. affunde Vini ℔. iiij. Bibat de eo ad præcautionem, & quando malum inuadit, purgandumque erit.

Electuarium frequenter ad præcauendum, vel tunc cùm morbus inuadit, sumendum: ℞. pulpæ Cassiæ vel elect. Diacassiæ ℥.ij.ß. pulp. Prunorum vel elect. Diaprunis, pul. Sebesten an. ℥.j. succi Liquirit. ʒ.ij. cum syrupo Viol. fiat electuarium: Capiat ab ℥.j. ad ℥.j.ß. per se, vel dissolutum, sicuti de cassia dictum est. Huic & lithontriptica quædam mox describenda, addi possunt, adiecto scammoneato aliquo electuario, vt de succo Rosar. Diaphœnicon. Elescoph. quod aliqui laudant, Benedict. laxatiu. quæ calculum spectantia quædam recipit, cùm maiorem operationem requirimus, ad ʒ.j.ß. pro vna illius dosi, efficacius redditur. Sicuti & Cassia, si hac ratione vis illius intendatur.

Vel dantur ex leuioribus electuariis, quæ simul rhabarbarum & senam recipiunt, vt Catholicon vel Lenitiuum, similiaq;, eadem men-

mensurâ exhibita, per se, vel cum decocto priore, aliòve dissoluta.

Pilulæ horum loco leuiores aliquæ exhibentur, permistis calculum respicientibus.

Vel si fortiores esse velimus: ℞. spec. Hieræ & Bened. Lax. (cuius loco Rhabarbarum & Agaricus sumi potest) an. ʒ.ß. excipiantur Laricea, fiant pilulæ: Pro vna vice sumendæ.

Efficaciores ex pul. Bened. Lax. ad ʒ.j. simili ratione parantur.

Si puluere vti malint: ℞. fol. Senæ ℥.j.ß. Rhabarbari ʒ.ij. Turbith ʒ.iij. Zingib. ʒ.j. Cinam. ʒ.ij. Polypod. ʒ.iij. s. Milij solis, Bardanæ an. ʒ.j. s. Genistę ʒ.ß. Ireos ʒ.j. quatuor semi. frig. mai. an. ℈.j. fiat puluis: Capiat ad ʒ.ij.

Clysmata iniecta dolorem nephriticum plerumque & subitò compescunt vel mitigant, tum quia fæces flatusque educendo, ne dolor augeatur, quod verò si illis intestina referta sint, ob compressionem vreterum & renum accidit, præcauent: tum quia ad hasce sedes peruenientia, si anodyna sint, ea ratione quoque iuuant, magisque adhuc, si narcotica, vti in illis dicetur, addantur, & ea recipiant, quę calculum simul propellunt vel comminuunt, triplici nomine tunc opitulantur.

Communia clysmata passim explicãtur. Calculo accommodatum simul hoc erit: ℞. trium vel 4. herb. Emollitiuarum cum toto, Parietariæ, Betonicæ, Senetionis, Betæ vel Mercurialis an. M.j. fl. Chamomil. Meliloti, Anethi an. P.j. rad. Liquiritię ʒ.ij. Cicerũ rub. Furfuris an. P.j. Ficuum nu. x. baccarũ Lauri ʒ.iij. bacc. Alkekengi ʒ.ij. seminum Cucurb. Lini, Fœnogr. an. ℥.ß. semin. Fœniculi, Carui an. ʒ.j.ß. fiat decoctio in Aqua & Vino, vel iure Carnium, & in colaturæ q.s. dissolue Mellis vel Sacch. ℥.j.ß. Casiæ ℥.j. Benedictæ lax. vel Hieræ ʒ.ij. ol. Amygd. dulc. Nucum, Oliuar. vel Butyri an. ℥.j. resinæ Lariceæ vel Abietinæ ʒ.ij. Salis parum, fiat clyster. Si dolor vehementer vrgeat, Philonij Rom. ʒ.ij. additæ, admodum eum sedant.

Anodyni Clysteres in colicis doloribus varij præscripti, hîc quoq; conueniunt: maximè si quæ calculum respiciunt, illis quoq; addantur. Vel hic: ℞. ol. Chamomel. Anethini, Lilior. Amygd. dulc. an. ℥.j.ß. ol. Scorpionum, Ping. Anseris & Butyri rec. an. ℥.ij. resinæ Lariceæ dissol. in Vitello oui ℥.j.ß. vel plus, Lactis q.s. Croci ʒ.j. fiat Clyster. Cui si necessitas vrget, Opij ℈.ß. permisceri poterit.

Vel sic: ℞. resinæ Lariceæ vel Tereb. ℥.ij. dissolue in Vitello oui & Vini ℔.ß. dissolue ol. Amygd. amar. ℥.ij. ol. Scorp. ℥.j. axun. Anseris ℥.ij. misce.

Ad calculum, dum in itinere est, promouendum comminuendumque, sequens paratur: ℞. rad. Liliorum ℥.ij. rad. Raphani, Lepidij, Apij, Petros. cum foliis an. ℥.ij. herb. Parietariæ, Brassicæ, Senetionis, Saxiphragiæ cum rad. Betonicæ, Hypericonis cum floribus, Sij Crateuę, Fœniculi mar. Pedis columbini, Aquilegiæ, Betulæ an. M.ß. vel si pauciores sumas, M.j. fl. Liliorum, Genistæ, Sambuci, Lauandulæ vel Stœchados an. P.j. bacc. Iuniperi ℥.j. bac. Alkekengi ʒ.ij. seminũ Milij solis, Saxiphr. Petros. Apij, Cimini, Paliuri an. ʒ.j. fiat decoctio in Aqua & Vino: in colaturæ q.s. dissolue Mellis vel Sacchari ℥.j. succi Parietariæ, Hyperici, Fœniculi vel Petros. an. ℥.j. Bened. lax. vel Indi mai. ʒ.iij. ol. Anethini, Amygdal. am. vel expressi ex nucleis Persicorum, Scorpionum an. ℥.j. resinæ Lariceæ diss. in oui Vitello ʒ.ij. Salis q.s. fiat Clyster. Si elect. Iustinum, Lithontripon, aliáve mox exponenda, dissoluantur, magis operabitur.

Alterantia exhibentur, quæ renes abstergendo, arenulas, ne illis, aut calculo si illic sit, adhæreant, abluunt: quæ ad calculi præcautionem, ne fiat, aut si factus sit, non augeatur, sunt conuenientissima & præcipua. Dein & quæ vias angustas illas, vbi arenæ vel calculi substiterunt, aperiendo, laxando & lubricando, vt faciliùs per eas descendat, patefaciunt. Et si calculus adhuc sit friabilis, necdum adeò compactus, eum, vt reddi possit, conterunt, & si vreteribus impactus hæreat, comminuunt. Quod sanè si inueteratus, compactus & siliceus fiat, per assumpta efficere impossibile est: in aliis verò illud præstant quædam, incidentia illum tenuitate suâ: vel acrimoniâ insigni veluti corrodentia: aut potenter detergentia, quæ vti arenas à renibus, sic à calculo semper aliquid abradunt comminuuntque: eoque validiùs,

validiùs, si sicca simul admodum existant, & terrestria, quæ non duritie sua, eum veluti lapis lapidem, vti docetur, conterũt, cùm non integra, sed subtilissimè attrita, si quæ ab illis ad renes penetrant, eò perueniant, sed detergẽdi vi, quæ siccis hisce corporibus inest, illud faciunt: Accedente interim proprietate quadam, vsu potiùs, quàm ratione inuentâ, vti & in aliis multis quæ in vsu sunt, necdum de causa constat: è quibus multa, occasionibus aliis, vel quia similia, idem facere credita sunt. Quorum omnium materiam præcipuam in illis quę in substantia sumuntur explicabimus; nunc ab aliis formis ipsorum liquidis exorsi.

Ius alimentosum probatur ex Ciceribus rubris vel nigris, vel Pisis huius coloris, in Aqua vel Iure carnis decoctis paratum, addito Butyro: & Saccharo vel Melle: vel si dulcia respuant, vt sapidius fiat, momento Salis. Quod ad præcautionem consuetũ est bibere: Addita plerumque dum coquitur rad. Petroselin.: in quo & Brassica decoqui poterit, & teneritates Asparagorum, Fabæ item Phaseolique, recentia.

Medicatum magis sic fiet: ℞. Cicerum rubr. p. j. radic. Petrosel. rec. ℥. ij. rad. Fœniculi recentis & Anonidis, Glycyrizæ an. ℥. j. fol. Brassicæ vel Maluæ folia aliquot, seminis Melonum ʒ. ij. seminis Anisi ʒ. j. decoquãtur in Iure galli, donec redeat ad colaturæ pocula duo. Quæ duobus matutinis vel manè & vesperè bibat.

Decocta medicata varia dantur: decoctumq; Alismatis, Chamęmeli, Altheæ probat Dioscor. & Papaueris corniculati decoctum, illis qui crassas & arenosas vrinas habent, competere docet; His alij decoctum Saxiphragiæ albæ pilularum circa radices, radicem item Iridis, Primulæ Veris, Maluæ, fol. Vmbilici Ven. & ramentorum Paliuri addunt. Dein rad. Valerianæ, & Musci terrestris ex Vino factum decoctum. Vti & Osyridis.

Guaiaci decoctum vi suâ incidente & abstergente calculosis competere à quibusdam docetur. Ob eamque causam non solùm dum torquentur illis propinant, sed & postmodum præcautionis gratiâ, vt loco potus ordinarij diu illud bibant, iubent: additis interdum aliis quoque abstergentibus dum coquitur, vt rad. Liquiritiæ vel Anonidis, ligno Spinæ, atque in fine Saccharo vel Melle.

Ex his inuicem permistis, vel aliis quamplurimis decocta fiunt. Inter quæ leuius & gratius hoc erit: ℞. rad. Glycyrizæ ℥. j. ß. Cicerum rub. p. j. Passul. paria x. Ficuũ paria v. quatuor sem. Frig. mai. & sem. Anisi & Maluæ ana p. j. fiat decoctio, in colatura q. s. dissol. Sacchari vel Mellis q. s. Bibat bis terve.

Potentiùs operabitur sic paratum: ℞. rad. Altheæ, Glycyrizæ an. ℥. j. fol. Maluæ recent. m. ij. Caulium rubr. Cerefolij, Betonicæ an. m. j. seminis Melonum ʒ. ij. seminum Lini vel Fœnogræc. ʒ. j. ß. femin. Petroselin. Alkekengi, Milij solis an. ʒ. j. flor. Chamomil. Genistæ an. p. j. fiat decoctio, dulcoretur: & vtatur vt superiùs.

Vel sic: ℞. rad. Asparagi, Anonidis, Rubi humilis an. ℥. j. fol. Parietariæ, Betonicæ, Polij mont. an. m. j. Cicerum nigr. p. j. fiat decoctio in Aqua pluuiæ: dissolue Aceti scyll. ℥. j. Bibat. Cui addi poterit Sanguinis hirci præpar. ʒ. ß. lap. Iudaici ʒ. j. vel alij pulueres.

Compositum ex plerisque vtilibus decoctum in formam syrupi vsualis redactum tale fit: ℞. rad. Aperitiuarum quinque an. ℥. ß. rad. Glycyricæ, Altheæ, Filipendulæ, Pimpinellæ saxiphr. Anonidis, Chamærubi, Raphani acris & Rusticani ana ℥. j. rad. Dictamni, Valerianæ, Rubiæ mai. Vrticæ, Lauri, Ireos, Enulæ, Aristolochiæ, Pæoniæ, Verbenæ an. ℥. ß. rad. Azari, Cyperi an. ʒ. ij. rad. Scyllæ ʒ. j. granorum Saxiphragiæ albæ radicũ, cort. medij Coryli & Sambuci an. ℥. ß. herb. Maluæ, Parietariæ, Cerefolij, Leuistici cum radic. Saxifragæ Dioscorid. (quam Dod. Serpillum esse putat) Betonicæ, Veronicæ, Trichomanes vel Adianthi, Ceterach veri, Herniariæ, Bupleuri, Hederæ terrestris, Brassicę rub. Sij Crateuæ, Fœniculi mar. Nardi celt. an. m. j. florum Chamomil. Liliorum, Genistæ, Cheiri, Hyperici an. p. j. Cicerum rub. p. j. nucleorum Persicorum & Cerasorũ an. ℥. j. gran. Iuniperi, Alkekengi, Hederæ ana ℥. ß. quatuor semin. frig. mai. Altheæ, Maluæ an. ʒ. j. ß. seminis Lini vel Fœnogræc. ʒ. ij. Passul. enucl. ℥. ij. Iuiub. Sebesten an. paria v. fiat de-

coctio,& in colatura adde Sacchari vel Mellis ℥.vj.arom.Cinamomo:decoquatur ad cõsistentiam syrupi. Capiat cùm necessitas exigit ab ℥.ij. ad iij. per se,vel cum aqua conuenienti,vel Vino. Hisce decoctis,lapides,vt Iudaicum,Lyncis,aliqui sine fructu meo iudicio incoquunt.

Syrupi vsitati aperitiui & abstergentes aliqui hîc quoq; conueniunt: Qui tamen rariùs soli,sed cum aliis calculum pellentibus,formis,pulueribus,electuariis permisti dantur. Vt Oxymel,Hydromel,syrup.de Liquiritia, de Radicibus,de Bizantiis.

Infusione vinum ad calculos abigendos paratur. Si baccis Alkekengi contritis Vinum affundatur, & post macerationem aliquam bibatur.

Vel si Raphanus communis,sed qui acris est,vel Raphanus Rusticanus,quem vulgus marinum vocat,incisus vel contritus,in Vino per horas ad minimum duodecim maceretur,illudque vinum propinetur. Quod admodum iuuat.

Absynthites vinum ad calculos renum & arenulas conferre,docet Diosc.

Ex pluribus vinum per infusionem immutatum sic fit: ℞.rad.Liquiritię,Anonidis, Pimpinellæ saxiphr.Leuistici,Fœniculi,Raphani vulg.acris vel marini an.℥.j.ß.rad.Lauri, Cyperi, cort.medij Coryli ana ℥.ß. herb. Veronicæ, Betonicæ, Herniariæ, Bupleuri, Capill.Vener.Hederæ terr.an.sicc.ʒ.iij. flor. Viol.Anethi an.ʒ.j. bacc.Alkekengi sicc.Hederę an.ʒ.ij.seminum Petrosel.Carui,Milij solis,Genistæ an.ʒ.j. conquassata infundantur in Vini mensur.duabus ad vsum.

Hedera terrestris infusa in Aqua vitæ, eam efficacem reddit ad calculos pellendos, estq; singulare quorundam experimentum.

Ex aliarum plantarum è quibus vinum infusum fieri diximus,infusarum in aqua vitæ,fiunt aquæ vitæ variæ compositæ.

Lixiuia ex infusionibus cinerum quorundam facta,& ad ℥.iiij. bibita,magni momenti in hoc casu,cùm vehementer abstergant,existunt.

Paranturque ex cineribus ramentorum Vitium vel stipitum Fabarum, si per eos Aqua aliquoties,donec lentorem vel acredinem lixiuij adipiscantur, transfundatur: Quod efficacius fiet, si Vinum album loco aquæ sumatur, vel alia illi simul mista lithontriptica bibantur.

Aliud potentius, cuius vnc.ß. vel paulò plus, si necessitas vrgeat, exhibita sufficit. Fit ex cineribus combustorum stipitum potiùs quàm foliorum (cùm vsta plus cinerum reddant) Fabarum, Cicerum vel Pisorum, Brassicarum, Verbenæ, Absynthij & caulium Allij,surculorum Hederæ lignique Iuniperi vel Lauri,& Paliuri,cùm haberi poterit; Si de illis quantum manu comprehendi potest, sumatur; perque eos Vinum album vel Maluaticum ad ℔.j. cum tertia parte Aquæ vitæ,nouies ampliúsve transfundatur,& eo,vt dictum,vtatur.

Succi aliqui in hanc quoque rem bibuntur,qui subtilitate insigni aut aciditate,quæ saxa quoque dissipare potest (sicuti Hannibal aceto rupes perfregit) id præstant. Vti Vinum tenue album,Acetum dilutũ aquâ, præsertim conuenienti.

Vini acidi largo potu,se quidam inebriãs, vrinamque etsi micturiret, quàm diu ferre poterat, retinens, tandemque impetu quodam reddens,hac ratione calculos retentos in vreteribus,eumque affligentes,propellebat,sæpeque emingebat.

Quod Aquæ frigidæ potu largo,dum pręsertim ex dolore corpus calore & siti æstuat, nisi quid aliud impediat,quoque fieri posse docet Holl. Citiùs autem illud faciet,si Aceti albi permistione acida nonnihil reddatur, affatimque bibatur. Vti & si atramentosas acidas aquas bibant,quales ad dies multos, calculum abigendi & præcauendi causâ bibere solent.

Succus Limonum ad ℥.j. per se,addito ad gratiam,si quis velit Saccharo, propinatus plurimùm efficit. Vel si cum Vini maluatici aut alterius efficacis haustu ad ℥.iij.alióve liquore conuenienti bibatur. Prodest & succus acidorum Arantiorum,aliorumque acidi succi,si austeritate careant.

Confert & succus baccarum Halicacabi, & Tribuli (teste Dioscoride) &,sicuti aliqui se expertos fatentur,succus Millefolij: succus item seu aqua ex perforato Betulæ caudice

dice effluens, vt docet Matth. eadem quantitate vel etiam maiore, similique ratione sumpti, sæpeque repetiti.

Misti inuicem sic dantur: ℞.succi Fœniculi mar. Portulacæ an.℥.ß. Vini albi ℥.j. Sacchari q.s. Bibat: vel decoquantur priùs in formam syrupi.

Vel ex ipsis fit potio vtilissima: ℞.succorum depuratorum Parietariæ ℥.j.ß. Chamomillæ, Betonicæ, Mellis vel Sacchari an. ℥.j.misce: Bibat cum decocto Cicerum, aut alio. Posset ex enarratis succis addito Saccharo vel Melle syrupus coqui, & per vices vsurpari.

Aliud: ℞.Raphanum acrem, contunde, affundeque Vini optimi tantum, vt post macerationem expressis omnibus totum ad ℥.iij. vel iiij. redigatur: expressioni adde Sanguinis Hirci præpar.ʒ j. Hoc summè aliqui commendant, quibus & alij addi possunt succi & pulueres.

Vrina Hirci quadrimi, vel Rupicapræ propinata probatur.

Aquæ stillatitiæ, quia admodum propter tenuitatem penetrant, & ad renes vsque perueniunt, exhibitæ, valde etiam iuuant. affatimque bibenda datur aqua Parietariæ ad ℔.j. vti & Maluæ & Altheæ: sicuti & florum Genistæ: florum herbarúmve aut corticum Fabarum: herbarum item Anonidis, Asparagi, Saxiphragiæ, Petroselini, Fœniculi, Osyridis. Quibus efficaciores sunt, proin & minori quantitate sumendæ, aquæ Sij Crateuæ, Critmi seu Fœniculi mar. Raphani, baccarum Hederæ & Alkekengi. Compertum est à quibusdam, valde opitulari aquas Linariæ, quam osyrin vocant, dein & fol. Quernorum, & fol. & radic. Mori Celsi: vti & Linguæ Canis: item Ceterach, Verbenæ, Chamomillæ: dein & nucleorum Persicorum aquas: imprimisque ex resinis Lariceâ vel Terebinthinâ elicitam aquam subpinguem, quę admodum est efficax. Laudat & Matthiol. aquam ex humanis Fæcibus, alij ex Stercore columbino exstillatam. Aqua vini seu vitæ simplex, summâ tenuitate calculum frangit.

Quæ aquæ vel simplices vel inuicem permistæ, per se vel dulcoratæ nonnihil Sacchar o sumi possunt: vel illis pulueribus aliisque permistis exhiberi. Vel ex commistis aliquibus pluribúsve dictarum aquarum simplicibus destillari.

Vel hoc pacto. Sumantur radices, herbæ, semina, ex quibus vinum per infusionem fieri diximus: omnibusque siccatis & contusis addatur tantum Vini, donec in pultem redigatur, addendo Lariceæ quartar.j. exstilletur ex illis aqua: Quæ datur vt superior.

Vel si ex plerisque præcipuis in hanc rem vsurpari solitis, quæ arefacta vires suas retinent, aquam parare velimus, prædictis insuper addemus, rad. Asparagi, Apij, Petroselin. ana ℥.ß. rad. Azari, Rubię tinct. Valerianæ an.ʒ.ij. herb. Parietariæ, Hyperici, fl. Chamomill. Genistæ an.ʒ.ij. sem. Apij, Leuistici, Asparagi, Raphani an.ʒ.j. ex quibus puluerisatis augendo Lariceæ quantitatem, destilletur aqua.

Quæ omnes plantę si in Aqua vitę infundantur, & destillentur, aquam efficacissimam reddent.

Vel ex recentibus plãtis dum haberi possunt, sic ad vsum præparetur: ℞.nucleorum Persicorum vel Cerasorum ℥.ij. baccarũ Fragorum, Chamærubi, Alkekengi, Iuniperi, Hederæ an.℥.j. rad. Raphani mar.℥.iij. Fabarum virid. cum siliquis, Parietarię rec. an. M.j. Sij Crat. Fœniculi mar. an. P.j. è contusis omnibus simul extrahatur aqua.

Vel ex aridorum & humidorum mistura sic parata aqua: ℞.nucleorum Persicorum quartar.j. Sebestẽ, Iuiub. an. paria v. quatuor sem. frig. mai.ʒ.vj. bacc. Alkekengi ℥.ß. sem. Nigellæ, Apij an.ʒ.ij. rad. Raphani acris vel Rusticani ℔.ß. contundantur omnia, addendo Lariceæ, Mellis an.℥.xij. è permistis inuicem eliciatur aqua: Datur ad ℥.iij. per se, vel admistis aliis lithontripticis.

Vel ex succis extracta aqua: ℞.succi Raphani, Leuistici an.℥.vj. succi bacc. Alkekengi ℥.ij. vel plus, Aceti albi ℥.ij. destillentur: Detur ℥.ß.

Olea propinata quædam, quia & illa ad renes cum vrina perueniunt, sicuti post eam emictam illi innatare portio illius sæpiùs conspicitur, vias illas laxando lubrican-

doque, vt calculus faciliùs per eas transeat, efficiunt.

Daturque eo nomine in summo cruciatu, calculo in itinere alicubi fixo, Oleum commune, aut Amygdal. dulc. vel Lini, recentia vel loto affatim, per se, vel in Iusculo, vel cum Lacte pingui butyroso bibenda.

Oleum commune ad ℥.j. cum Vino in quo silices, è quibus ignis excuti potest, igniti sæpè extincti sint, propinatū quidam laudant.

Sed & quædam calculo ipso accommodantur: & vel per se, vel inuicem prioribúsve aut aliis liquoribus permista propinantur. Qualia sunt oleum expressum ex nucleis Persicorum vel Cerasorum, aut Amygdalis amaris, vnciatim exhibita. Vti & oleum ex maceratione Scorpionum. Quibus efficaciora sunt olea seminis Citri, vel seminum Lappæ maioris minorísve, Aliorúmve semin. lithontripticorum, arte chymicâ elicitâ: quæ & guttatim tantùm, non sola, sed & aliis permista exhibentur. Sicuti & Terebinthinæ aut Lariceæ oleum: quibus & liquorem pinguem ex chalcantho elicitum, quem spiritum aut oleum Vitreoli vocant, adnumerant.

Ex diuersis simul mistis olea composita conuenientia possunt elici. Estque hoc inter cætera insigne: ℞. granorum Iuniperi ℥.iiij. cort. radic. Fraxini ℥.iij. contusa subigantur, additis Lariceæ ℥.ij. Mellis ℥.j. & postquam aliquamdiu macerata fuerint, affusâ copiosâ aquâ, eliciatur oleum: Quod à gran. vj. ad x. cum conuenienti aliquo liquore datur.

Inter ea quæ in substātia sumūtur, simplicia quædam alimentosa comesta id præstāt. Vt Raphanus cum sale in acetariis, Raphanus rusticarius, marinus dictus, contusus cum Amygdalis, mensæ apponi solitus pro bellario. Leuistici radix cruda coctáve, bonâ quantitate esitata, antequam balneum æger intret, valde commendatur. Petroselini, Fœniculi radices coctæ, Asparagorum teneritates & Lupuli, Brassica cruda & cocta, Portulaca. Sion Crateuæ, Sisymbrium & Nasturtium in acetariis, Fœniculi marini folia condita, quæ tria admodum calculum pellunt, Limonia item mala, Vua passa, Ficus, comesta: Nuclei Persicorum Amygdal. am. Cerasorum esitati, qui maiori gratiâ sumuntur, si Sacchato, priùs obducti sint. Cynosbati quoque fructus, Leporina caro, & præsertim Renes leporis, Passer item troglodytis, cuius loco Caudam tremulam quoque sumunt, assa, comesta vtilia censentur. Sanguis hirci coctus esitatus, Sanguinem vulpis cum Vino dulci generoso & Sacchato parùm, & ad ℥.v. vel vj. comestū, aliqui valde laudant.

Ex medicamentosis, simplicibus, Resinæ quædam, vi detersoriâ insigni & penetrante ad vrinas vsque, quas violaceo odore imbuunt, prçcautionis gratiâ sæpè sumptæ primas ferè tenent: tum quando morbus inuadit, à renibus arenas calculumque abstergendo, ea ad expulsionem promouēt. Communiter vsurpatur Larigna vel Laricea, vel in huius penuria Abiegna: quibus præfertur Terebinthina vera, si haberi potest, cui tamen viribus non cedit clara illa & fluida laricea. Daturque sola citra aliam permistionem, non lota potiùs quam lota, cùm illota magis abstergat, à ʒ.ij. ad ℥.ß. nebulæ inuoluta, aut aliter deglutienda. Vel puluere rad. Liquiritiæ aut Sacchato in formam boli redacta, sic per partes deglutitur. Validiùs penetrat ad vias vrinæ, aluumque simul egregiè subducit, si Vitello oui subacta, liquoreq; aliquo diluta bibatur. In puluerem quoque redigi potest, si priùs eousque donec effusa concrescat, & veluti vitreata fiat, coquatur: tuncque ad ʒ.ij. puluis illius cum liquore aliquo bibendus, alióve modo sumendus.

Alia simplicia quæ ad calculum abigendum comminuta puluerisataque variis modis exhibentur, multa existunt. Inter quæ efficaciora esse experientia comprobauit, etiam per se sola cum Vino alióve liquore, ex supradictis aliquo exhibita, radices Dictamni, Lauri, fol. Polygoni min. herniariæ dictæ, Bupleuri, quam plantam auriculam leporis vocant: semina Paliuri, Milij solis, Genistæ, Xanthij, baccas Alkekengi & Hederæ arboreæ.

Atque ex illis quæ ab animantibus petuntur, Sanguis imprimis hirci, hoc pacto delectus & præparatus. Ab hirco iuuene iugulato, eo tempore præsertim, quo herbis viridibus aliquandiu priùs pastus fuit, excipitur

pitur, inter quas si aliquæ calculo deputatæ fuerint, eo præstantior erit sanguis. Sumiturque qui medius effluit, qui postea insolatione aut alio calore sensim eousque vt citra corruptionem ad vsum asseruari possit, & cùm opus eo est in puluerem redigi, præparatur, pondereq; ℥.j. vel paulò plus cum Vino propinatur. Qua ratione & Sanguis leporinus præparatus propinatusque idem præstare vsus comprobauit.

Vti & Leporis integri cum corio, carne, & sanguine: vel saltem pellis illius sanguine adhuc madentis, combustorum cinis, qui summopere commendatur, eodem pondere vel mensura vnius cochlearis cum Vino generoso exhibitus.

Laudatur & imprimis Passeris troglodytæ dicti (illius quem Zaunschlipfferlin nostri vocant, & malè caudam tremulam aliqui esse putarunt, & pro eo acceperunt) combusti cinis.

Efficaciaq; admodum sunt, Scorpionum, Millepedum vel Asellorum qui se in globulum complicant, Lumbricorum pulueres & cineres. Summeque vehementes, & non nisi cautè exiguâ quantitate vsurpandi, Cicadarum, Scarabeorum, Cantharidum pulueres seu potiùs cineres, vt minùs erodant.

Ex terrestribus admodum commendatur Lapis Iudaicus in cote subtilissimè tritus, qui ob eam causam Tecolithos vocatus fuit.

Præter hæc multa alia simplicia ad calculum pellendum passim describuntur, atque puluerizata, vel sola dantur, vel cum supradictis, inuicémve permista & in formam puluerum, electuariorúmve aut pilularum redacta exhibentur. Quibus compositionibus, præter enarrata Lithontriptica, etiam sequentia nonnunquam adduntur.

Vt radices Saxiphragæ albæ, Pimpinellæ saxiphr. Filipendulæ, Anonidis, Valerianæ, Raphani mar. Rubi seu Chamærubi, Vrticæ, Leuistici, Fœniculi, Petrosel. Graminis, Rusci, Asparagi, Rubiæ, Azari, Scyllæ, Iridis, Enulæ, Aristolochiæ, Pœoniæ, Damasonij, Hippolapathi: cortices Glandium, Coryli medij, Herbæ item Saxiphragiæ Dioscorid. quam Serpillum nostrum Dod. esse putat, Capillares, Nardus celt. Lauri & Brassicæ fol. Parthenium, Hedera terrestris, Pulegiũ, Origanum, Polium, Calamentha, Hysopus, Abrotonum, Chamædris, Betonica, Veronica, Chamæpithys, Querci & Salicis folia, Scordium & Empetrum, Flores Consolidæ regalis, Chamomil. Semina, Anisi, Fœniculi, Carui, Cimini, Apij, Anethi, Dauci, Seseli, Petros. Leuistic. Sileris mont. Ammi, Petros. Maced. Coriandri, Cretæ mar. Asparagi, Brusci, Ocimi, Raphani, Hyperici, Spinæ albæ, Vrticæ, Fraxini, Nigellæ, Nasturtij, Pimpinellæ, Saxiphragiæ, Lupinorum, Vitiorum: Baccæ Lauri, Iuniperi, ossa Mespilorum, nuclei Persicorum, Cerasorum, Amygdal. am. Ciceres rubri, spõgiolę in Cynosbato, Gummi Cerasorum, Prunorum, Iuglandis, Vitis, Arabicum, Tragachantum, Eleni, Olibanum, Bdellium: item Succinum. Dein & cineres Erinacei terrestris, Hirundinum, Hepatis asini, Plumarum palumbarum: & pulueres Renum leporis, Cranij hominis, Callorum & Vngularum equi pedum. Astragali leporis, Eboris, Maxillæ lucij piscis, Cancrorum fluuiatilium & Cochlearum, casu vt speciem addant, inuentarum, testarum: vti & Ouorum, præsertim si pullus priùs ab illis exclusus fuerit. Lapillorum item qui inueniuntur in Cancris & spongiis, Calculorumque excretorum ab homine, Stercoris item muriũ. Et pulueres lap. Lyncis, Ochræ terræ, Alcyonij tertij Diosc. Vitrique combusti cineres. Quibus compositionibus & plerumq; & ad vias vrinæ deducentia, easq; dilatantia adduntur: veluti radices Liquiritiæ, Altheæ, Vmbilici ven. flor. Viol. Semina Maluæ, Bombacis, Altheæ, Lini, Fœnogræc. Quatuor sem. frig. mai. Amygd. dulc. Fistici, Auellanę & Cucurbitarum cinis. Et tum ad concoctionem iuuandam, flatusque pellendos obstructionesque soluendas, tum potissimum quando eiusmodi affectus concurrũt (licet talia fortè quia à pituita calculos gigni putarunt, vt causæ huic eâdem operâ prouentum illius impediendo, occurrerent excogitata fuerint) non solùm ex prædictis multa quæ calculo accommodata hoc quoque & magis ferè præstant, sed ex quibuscunq; aromatibus, quædam, è quibus aliqua

calculum quoque pellunt,& pleraque ex illis gratiam medicamenta addunt,immiscere solent: Sicuti Zingiber,Galangam,Acorum,Cyperum,Cinamomum,Casſiam,Xyloaloën,Santalum rub.Nucem moſchatam, Macerem, Gariophyl.Piper,Carpobalſamū, Cubebas,Spicam,Schœnanthum,Crocum.

Ex diuerſis eiuſmodi ſimplicibus quibuſdam,pluribúſve pulueres facti,illi per ſe à ʒ.j. ad ʒ.ij. cum Vino alióve Liquore,vt aquis, lixiuiis,decoctis,infuſionibꝰ,exhibentur. Vel ſaccharo addito,in tragemata dicta,vel cum eo cum aqua decenti cocta,in tabulas: Aut mucagine ſeminum & gummi ſupradictorum, calculo competentium, imprimis tragacháti in trochiſcos rediguntur: Vel melle alióve ſyrupo in electuaria mollia ſubiguntur,additis tunc quoque aliis conſeruis conditíſve,maiorique quantitate à ʒ.ij.ad ʒ.iij.propinantur. Aut ſi ingrata ſint, additis ſyrupis & imprimis terebinthinâ,in pilulas redactâ,ſic deglutienda ʒ.j. plus minúſve pondere dantur. Quibus ſumptis liquores conuenientes ſuperbibiti actioně eorum augent & promouent. Exempla quædam eorum quę vſu innotuerunt,puluerum electuariorum & pilularum proponemus.

Puluis primus: ℞.fol.Braſsicæ ſiccæ ʒ.j. fol.Querci ſicc.cort.Glandium an.ʒ.ß. Piperis,Zingiber.an.℈.j. fiat pulu. Detur à ʒ.j.ad ʒ.j.ß.vt dictum.

Secundus: ℞. nucleorum Perſicorum torrefact.℥.ß.ſeminis Melonum mundat.ʒ.ij. ſeminis Fœniculi ʒ.j. fiat puluis: Bibat cum Iure cicerum ſimplici vel cum Petroſelino parato.

Tertius: ℞.ſeminis Milij ſolis, Alkekengi an.ʒ.j. ſeminis Petroſelin.ʒ.ß. puluériſata, bibantur cum aquæ Limonum ℥.v.vel alio liquore.

Quartus: ℞.ſemin. Geniſtæ ʒ.ß. Succini ℈.ij.Sacchari candi ʒ.j. pulueriʒetur: Capiat cum Vino.

Quintus: ℞.oſsium Meſpilorum ʒ.j. Maxillæ lucij piſcis ʒ.ß.ſemin.Leuiſtici ℈.j. fiat puluis: Vtatur vt oſtenſum.

Sextus: ℞.Oculorum cancri Aſtragali leporis an.ʒ.ß. ſem. Geniſtæ,Ocimi an.℈.j.fiat puluis: pro vna vice.

Septimus: ℞.Calculorum excretorum ab ipſo ægro,ſi fieri poteſt,vel ab aliis,lap.Iudaici, æquas partes: terantur ſubtiliſsimè: Detur cum Hydromellite,vel aqua Fœniculi marini,aliáve.

Octauus: ℞.cinerum Paſſeris troglodítæ, vel Leporis vſti ʒ.j. vel vtriuſque ʒ.ß. teſtarum Ouorum excluſis pullis ℈.ij. fiat puluis, addito Saccharo & Cinamomo: Detur.

Nonus: ℞.Lariceæ vel terebinth. coctæ ʒ.ß. pulu. Lumbricorum ℈.j. Cornu cerui vſti ℈.ij.lap.Iudaici ℈.j. gummi Tragach.℈.ß. fiat pulu. Pro vna doſi.

Decimus: ℞.Sanguinis hirci præpar.ʒ.j. lap.Iudaici ʒ.ß. cinerum Lumbricorum ℈.j. fiat puluis: Detur vt prior.

Vndecimus: ℞.Sanguinis hirci præpar. vel cinerum Leporis vſti ʒ.ij. vel vtriuſque ʒ.j.lap.Spongiæ, Iudaici an.ʒ.j.ß. ſem. Aniſi Fœniculi,Petroſel.Milij ſolis, oſtium Meſpilorum an.ʒ.j.ſem.Naſturtii ʒ.ß.ſem.Melonū mundat.ʒ.j. rad.Liquiritiæ ℥.ß. rad.Pimpinell.ſaxifragæ ʒ.ß. Cinam.℈.j. Sacchari ℥.ij. fiat puluis: Capiat cochl.j.vel ij.ſuperbibendo aliquid.

Duodecimus: ℞.rad. Liquirit.ʒ.iij. rad. Anonidis, Dictamni, Lauri, Raphani mar. Pimpinell.ſaxifr.Saxiphrag.albę an.ʒ.ij.rad. Azari,Ireos an.ʒ.j.herb.Saxifragiæ veræ Dodon.1.Serpil.Capil.ven.Bupleuri,Herniarię, Pulegij an.ʒ.j.ß.ſem.Fœniculi,Seſeli,Petroſ. Leuiſtici, Fœniculi mar.Raphani,Ocimi an. ʒ.ij.ſem.Naſturtij,Nigellę an.ʒ.j.oſsium Meſpil.ʒ.j.ß.nucleorum Perſicorum ʒ.ij.gummi Prunorum ʒ.ij. oculorum Cancri, Maxillæ lucij Piſcis,Ouorum teſtarum,Hepatis lupi prępar. an.ʒ.j.lap.Iudaici & ſpongię an.ʒ.j.ß. Ochræ,Vitri combuſti an.ʒ.j.fiat puluis. Eodem modo vti priores vſurpandi, vel aliis miſcendi.

Decimustertius puluis,efficax remediū: ℞.ſtercora glirium vel muris,ſiccata 5.vel 7. Olibani ℈.j.ſem.Fœniculi ʒ.ß. Cinamom.℈.j. fiat puluis.

Decimusquartus magis adhuc efficax: ℞.Cicadam ſeu Locuſtam mediæ magnitudinis ſiccam num.j. vel ℈.ß. Oculorum cancri ℈.ij. vel alterius pulueris, Cinam.℈.j. trita.

trita, dentur cum decocto Anthemidis vel granorum Iuniperi.

Decimusquintus vehementior: ℞.Cantharides siccas num.4.lap.Spongię ℈.ij.sem. Melonum medulię, vt contemperet cantharidum acrimoniam ʒ.j.ß. Sacchari candi ʒ.j. puluerisata: Dentur cum decocto sem.Lini vel sero Lactis.

Ex vsitatis eiusmodi compositionibus, sunt electuaria illa magna Nicolai, Lithontribon, Ducis Iustini appellata: Item Arnoldi Villanouani electuaria. Nephrocatarcticum & Philantropos dicta: Baptistæ item Montagnanæ Diureticum nominatū, quæ, præter ea quæ calculi causâ adduntur, multa alia aromata & semina, ob causas dictas recipiunt.

Est & vsitatum quibusdam electuarium Reginæ dictum, præter hæc etiam Senam & Turpethum recipiens.

Quò refertur & Rubeus puluis vocatus, quem pharmacopolæ nostri parant, qui ℞. Santali rubri, Cinamom.an.℥.j. semin. Anisi Fœniculi, Petrosel.Cretæ mar.Milij folij Alkekengi, Melonum an.ʒ.ij. lap.spongiæ, Iudaici, Lyncis an.ʒ.j. sanguinis Hirci præpar. ʒ.ß.fiat puluis.

Propriè verò calculo pellendo dicatum est electuarium ex Cineribus Auicennæ, quod paratur ex vitri cineribus, lap.spongiæ Iudaici pulueribus: scorpionum: leporis, ouorum putaminum exclusis pullis cineribus, sanguinis hirci puluere: radic.brassicæ cineribus, rad.acori, herb.pulegij: sem.petrosel.dauci, altheæ, Piperis, gummi iuglandis Arab. pulueribus cum melle omnibus subactis.

Sæpè vsurpatum à me magno successu remediū: ℞.rad.Liquiritiæ, rad.Lauri an.ʒ.ij. rad.Anonidis ʒ.j. seminum Alkekengi, Paliuri, Milij solis an.ʒ.ij.sem. Apij, Petroselin. Fœniculi an.ʒ.j. Nasturtij ʒ.ß. gummi Ceras. vel Prunorum, Succini an.ʒ.j. resinæ Lariceæ coctæ ℥.ß. cineris cort.Fabarum ʒ.j. Lapillorum, oculorum canceri dictorum ʒ.j.fiat puluis: addendo ad gratiam, Cinamom.& ad colorem Santali rubri tantillum. Cui cùm dolorem simul mitigare volumus, seminis Hyosciami ʒ.j.ß. addere possumus. Datur per se ʒ.j.quantitate cum Sacchari q.s. Vel cum illius suf. quant. aquaque conuenienti formentur tabulæ sicque exhibeantur. Aut syrupo exceptus puluis in formam electuarij redigitur, vel pilularum: tuncque nuclei Persicorum incisi commodè permiscentur, & loco rad.liquiritiæ Succus liquiritiæ emollitus additur.

Enarratæ remediorum propositorum vti & vsitatorum formæ, per se, vel etiam inuicem permistę, additis nonnunquam & aliis, in forma puluerum electuariorúmve vsurpari possunt: quibus & conseruæ interdum permiscentur, hoc pacto: ℞.conseruæ vel condit.rad.Apij veri vel Ireos ℥.j.cons.florū Genistæ, Capill.ven.an.℥.ß. pulueris decimi vel duodecimi vel decimitertij, vel aliorum vsitatorum, vt Ducis, Iustini, Lithontribon ʒ.j.ß. Si efficaciorem esse velis, adde pulueris decimiquarti, succi Liquiritiæ ʒ.j.Syrupi supradicti, ex succis parati, vel alterius q. s. fiat electuarium.

Probatur & agaricus interdum additus, vt: ℞.Agarici ʒ.j. rad. Pyrethri ʒ.ij.rad.Filipendulæ ʒ.j. semin. Milij solis ʒ.ß.pul.Rubei ℥.ß.cons.Capill.ven.℥.ß. cum Melle Viol.fiat electuarium.

Pilulæ conuenientes: ℞.semin.Paliuri, Milij solis, Alkekengi an.ʒ.j.sem.Saxiphrag. Fœniculi mar.an.ʒ.ß.semin.Maluæ aut Bismaluæ ℈.ij.succi Liquirit.℈.j. gummi Cerasorum vel Prunorum an.ʒ.ß.Bdellij ℈.j.Sanguinis hirci præpar.ʒ.j.cineris Scorpionum vel cap.Muris, Lumbricorum, Millepedum vel Asellorum an.ʒ.ß.excipiantur resinâ Laricis aut Terebinthi, fiat pilul.massa: Capiat à ʒ.ß.ad ʒ.j.

Doloris potissimum sedandi causâ exhibentur, quæ anodynâ & narcoticâ vi eum mitigant vel compescunt: permiscendo semper ea quæ renes calculumque simul respiciunt.

Emulsio seu lac id præstans: ℞.nucleorū Persicorum 4.j.sem. Melonum vel Cucurb. ℥.ß.semin.Papau.albi ʒ.ij. contundantur additaque Aquâ communi vel parietariæ aut Maluæ ℔.ß. exprimatur succus lacteus, additoque Saccharo vel Melle, Bibat ad ℥.iij. vel iiij.

Puluis

Puluis idem præstans: ℞.seminũ Papau. albi rec.ʒ.ij. sem Hyosc.ʒ.j.ß.4.sem.frig.mai. sem.Maluæ an.ʒ.j.sem.Milij solis, Alkekengi & Genistæ an.ʒ.ß.rad.Liquirit.ʒ.ij.rad.Anonidis ʒ.j.Sacchari ℥.ij.fiat puluis.

Possunt & alij pulueres calculum pellentes ad dolorem simul mitigandum parari, si illis semen Papau.albi, bonâ quantitate, vel Hyosciami, minori, cùm sit efficacius, addantur. Sicuti in puluere à me vsurpari solito ostensum fuit.

Opiatæ cùm dolor summus vrget, vt in cordis dolore dictum, quoque dantur, confertque hic imprimis Asyncriton, & Philonium Rom. admiscendo aliquid de pulueribus lithontripticis: vel alia narcotica in dolore colico explicanda.

Sed & purgantibus, vt in cordis dolore quoque ostensum, narcotica mista, ad aluum mouendam & dolorem simul compescendum quandoque exhibentur: quorum stimulo fortè & calculus vt in purgantibus dictum, rectiùs propellitur.

Veluti: ℞. Asyncriti vel Philonij ℈.ij. vel ʒ.j. Diaphœnici ʒ.j.ß. vel illius loco pulu. Benedictæ ʒ.j.ß. vel vtroque omisso, Diacridij præpar. gr.vj. cum Saccharo fiat bolus. Aut diluat liquore conuenienti.

Vel hæc potio: ℞. fol. Senæ mund.℥.ß. medullæ sem.Carthami ʒ.ij. rad.Liquiritiæ, Petros.an.℥.ß.sem. Papau.albi ʒ.ij. sem.Maluæ, Lini an.ʒ.j. fiat decoctio, dissolue in s.q. Asyncriti vel Philonij ʒ.j.vel Mithridati ʒ.ij. vel syr.Papau.℥.ß.

Vel pilulæ dentur: ℞.spec.Benedictæ lax. ℈.ij.Opij præpar.dis. in Maluatico gr.ij.Styracis, Croci, Castorei an.gr.iij.ol.sem.Fœniculi gut.j.cum Laricea, fiant pilulæ.

Idem Clysteribus quoque cùm aluum soluere & dolorem sedare simul volumus, & citiùs ferè & rectiùs præstatur, illis non solùm anodyna sed & narcotica permiscendo. Vt in clysteribus priùs dictum est, & in colico dolore vberiùs docebitur.

Externa remedia ad dolorem leniendum, angustias vbi calculus hæret dilatandas, calculum loco mouendum, vsurpantur. Illudq; aliàs actu, aliàs potentiâ, aliàs vtrisque efficiunt, & ad præcautionem etiam quædam ex illis prodesse possunt. Sequentibusque modis administrantur.

Insessiones in balneo humido, actu calido, dolorem citò compescunt vel mitigant. Et proin dolore vrgente, statim æger corporis inferiorem sedem ad brachia vsque, vel saltem lumborum & ventris regionem, si crura libera esse velit, in proprio ad illud parato vase, Lumbario dicto, in quo sedendo crura attracta promineant, balneo immergere debet, in eoque donec dolor cesset commorari, eoque redeunte denuò illud repetere, cùm hoc sit in magnis cruciatibus nephriticis remedium præcipuum.

Ex sola Aqua calefacta subitò, cùm necessitas non fert longiorem in præparatione moram, parata insessio, calore actuali lenimen adfert & iuuat: cùm calor ille mitis humiditati copulatus, æqualiter se corpori applicans, in dolore mulcendo plus operetur, quàm potentialis ille calor, qui huic permistione aliorum, vti iam dicetur, coniungitur.

Adduntur tamen quædam, quæ potentiali calore actionem alterius adiuuent, & simul laxando, flatus discutiendo, aperiendo, calculum commouendo, hac ratione quoque opitulentur, sumendo ea ex quibus clysmata decocta fuerunt: vel sequentia.

Paratu faciles fiunt insessiones ex decoctione herb. Maluæ, Petroselini vulgaris cum radicibus, & Chamomillæ flor. an. M.ij. vel iij. si balneum in angustiore fiat labro, plus sumendo si amplius sit.

Aliud balneum efficacius adhuc fit, si prædictis addantur, rad. Liliorum, herb. Parietariæ & Violarum, eadem mensurâ.

Tertium ex decoctione esualium plantarum, vt Caulium, Spinachiæ, Attriplicis: vel rad. Raparum, Pastinacæ, Sisari paratur: potentiusque operatur, si Raphanus vulgaris vel marinus dictus addatur.

Compositum ex variis balneum sic fit in tina oblonga: radic. Altheæ, rad. Aperitiuarum quarũdam vel omnium, in totum ℔.ß. herb. Emollitiuarum 3. vel 4. Senetionis, Polygoni vulgar. Parietariæ, Betonicæ, Verbenæ, in totum P.iij. semin. Lini, Fœnograec. in totum P.j. sem. Apij, Petroselin. Carui,

Carui, in totum ℥.j. decoquantur in aqua pro balneo.

Adduntur prædictis quibusdã vel omnibus quædam efficaciora, ex aliis quoq; plantis calculo pellendo accommodatis, inter ea quæ sumuntur descriptis, quæ & foris adhibita aliquo pacto eum promouere creduntur. Imprimis verò rad. Rubiæ: ex herbis Fœniculus marinus, Sisymbrium aquat. Aquileia, Filipendula, Pes columbinus, Bupleurum, Abrotanum, Artemisia Diosc. flores Genistæ, verbasci: semina Milij solis, Alkekengi, & similia.

In ditioribus vt meliùs laxent balnea, Lac, Oleum, Butyrum, illis quoque adduntur: & penetrationis maioris causâ, Vinum.

Fomentationes, cum insessionibus vti non possunt vel nolunt, ex prædictis decoctis, spongiâ, stuppis, sacculis, exceptis, supra locum dolentem horum loco adhibentur. Quibus postea cum minor decocti requiratur, quantitas, Vinum, Olea rectiùs permiscentur.

Embrochas seu infusiones supra pectine, si illic calculus subsistat, fundere, vt loco moueatur aliqui suadent. Quę ex decoctis quoque præcedentium parantur.

Thermis acidis si aliquandiu vtantur, nõ solùm bibẽdo, sed & in illis lauando, arenulæ & calculi diu sæpè retenta expurgantur. Sicque imminens malum vt vel tardiùs vel nunquam redeat auertitur & præcauetur.

Quod & Sulphureæ in quibusdam præstant thermæ.

Inunctiones regionum renum, pubis, perinæi, vbi dolor potissimùm se offert, si fiant, maximè post balneum aut fotum prægressum, dolorem leniunt viamque calculo rectiùs patefaciunt, eumque promouent. Quæ calidè, deorsumque manu adactâ fieri debent.

Dilatans vias inunctio si renum simul adsit calor: ℞.ol. Viol. ℥.j. ol. Nenuph. & in quo coxerit Althea, Butyri recent. vel Cremoris lactis, Axungiæ Anatis an. ℥.ß. Ceræ albæ q.s. misce, fiat linimentum.

Anodynum magis: ℞.olei Amyd. dulc. ℥.j.ß. ol. Chamom. vel de Meliloto, Anethini, Cheirini an. ℥.ß. axung. Cuniculi ʒ.vj. mucilag. sem. Lini vel Psyllij ʒ.j. Croci ℈.j. Ceræ q.s. fiat linimentum.

Vel vngatur vnguento Dialtheæ aut Resumptiuo.

Cùm calculum simul propellere volumus: ℞.olei Amygdal. am. ℥.j. olei è nucleis Persicorum ℥.ß. ol. Scorpionum, axung. Anseris an. ℥.ß. Laricæ ʒ.j. Ceræ q.s. fiat linimentum.

Additis succis tale fit: ℞.succi Parietarię, Maluæ an. ℥.j.ß. Vini ℥.j. Aceti albi ℥.ß. olei Cheirini, Lumbricorum an. ℥.j. ol. Scorpionũ ℥.ß. decoquãtur ad succorum consumpt. addendo axung. Hirci ʒ.vj. Ceræ q.s. fiat vnguentum: Vel addatur succis & oleis Terebinth. & fiat instar nutriti,

Aliud vnguentum efficax: ℞.ol. Liliorũ, Amygd. am. an. ℥.j.ß. succi Fœniculi mar. vel Raphani mar. aut vulgaris, Vini albi an. ℥.j. bulliant simul, addendo Cicadas, vel Millepedes viuos, vel si haberi nequeunt, Cantharides & Scorp. sicc. ad 12. vel plures.

Vel sic: ℞.ol. Amygdal. am. vel è nucleis Persicorum aut Cerasorum ℥.ij. addendo, si haberi potest, olei è nucleis nucularum Tribuli aquatici, quod Sericinum vocant ℥.ß. Scorpionum vel Cicadarum sicc. vstarũ ʒ.ß. Ceræ q.s. fiat vnguentum.

Compositum amplius sic fit: ℞.oleorum Chamom. Anethi, Liliorũ an. ℥.j. ol. Amygd. am. ℥.j.ß. ol. Scorpionum ℥.j. ax. Hirci & Taxi an. ℥.ß. mucilag. seminis Fœnogr. ℥.j. radic. Rubiæ, Azari an. ʒ.j. sem. Nasturtij, Raphani, Leuistici an. ʒ.ß. Myrrhæ ʒ.j. cinerum Cicad. vel Scarabeorum ℈.ij. cinerum Glandis fagineæ ʒ.j. Croci ℈.ß. olei Succini ℈.ß. Ceræ q.s. fiat vnguentum.

Sanguine ab hirco modò iugulato sumpto, & dum adhuc calet, inunctionẽ factam laudat Trallianus.

Cataplasma dolenti aliquando loco imponitur, quale hoc pacto fieri poterit: ℞.rad. Liliorum sub prunis coctorum ℔.ß. Parietariæ frixæ parùm super tegulam calentem & cõtusæ M.ij. Chamæpytheos simili modo paratæ, vel si sicca sit, pulueris illius ℥.ij. rad. Altheæ contusæ ℥.ij. fl. Chamom. Anethi summit. an. P.j farinæ sem. Lini, Fœnogr. an. ℥.j. adde Lactis q.s. coquantur parùm, adde in

fine, Butyri rec. ℥.ij. ol. Liliorum, de Scorpionibus an. ℥.j. Croci ℈.j. fiat cataplasma.

Sacculi, puluini, enarratis simplicibus aridis impleti, vel Auenâ & Milio, quibus in aliis doloribus quoque sedandis vtimur, calefacti priùs & applicati, actuali calore potiùs quàm potentiali alleuiant.

Vti & Puluini alij plumis infarcti, Pellésve calidæ, admota simili ratione dolorem mitigant: In quibus si à certis animantibus sumantur plumæ, & pelles sint cuniculi vel leporis, proprietate quadam idem efficere vulgus credit.

Sicuti & lapides aliquos cingulo alligatos, lumbisque circumdatos calculum præcauere multi existimant. Inque hunc vsum lapis subuiridis instar galactitidis circumfertur magnatibusque venditur.

Cucurbitula, non supra regionem renis, ne latentem calculum prouocet, doloremq; qui quamdiu vreteribus non infigitur, magnus non est, primũ inferat, sed quando calculus iam vreteres ingressus, illic subsistens excruciat, paulò sub doloris loco affixa, illũ loco mouet, indeque semper secundum vreteris ductum obliquè deorsum procedendo, & prout dolor deorsum vergit, cucurbitulam mutando, dolorisque sedi semper subaffigendo, donec ad vesicę regionem deuentum sit, illum vt in vesicam descendat, hac ratione promouet.

Quod frictione forti, à doloris sede deorsum ad pectinis regionem vsque factâ continuataque, præsertim si manus fricantis aut pannus actu calida sint, adhibitis simul oleis relaxantibus, vti illa suo loco explicabuntur, similiter præstatur, maximeque si simul postea cucurbitulæ adhibeantur. Cautione tamen hac adhibitâ, ne altiùs ad doloris locum hisce ascendendo, dolorem irritemus. Frictionem quoque crurum, dum æger balneo vtitur, aliqui adhibent.

Motum corporis moderatum, vti præparationis loco ne arenulæ aut calculi in renib. subsistant, ea deorsum promouendo, prodesse superiùs diximus, sic & si calculus descendens alicubi in viis hæreat, & excruciet, corpus stando erectum seruare, vel eundo leuiter exercere, vt citiùs loco cedat, iuuabit.

Et si è renibus progressus calculus, statim in vreteris initio hæreat, illicque dolorem excitet, nec descendere posit, vt rursum in renum cauum redeat (quod cùm fit, dolor quoque remittit) corporis situs & decubitus factus, vt lumbi elatiores sint reliquo corpore, præsertim si tunc pedes eleuati nõnihil agitentur, opitulatur: sicque interdum dolorem subitò leuat.

Spiritus validâ impulsione, quando calculus subsistit, ad eum detrudendum Vomitus impetu suo aliquod adiumentum adfert, quare, nisi sponte superueniat, sicuti in prima huius mali inuasione euenire solet, si alia non iuuent, ad eum recurrere possumus. Vel sternutationem eam ob causam mouere, cùm validè quoque impellat.

Per venæ in pede sectionem, qui reni dolenti subest, vel in poplite aut circa malleolum, vel vbi tutò illic secari potest factam, sanguis, si dolor summus vrgeat, ægerque plethoricus sit, reuellendus, ne ob dolorem in renem fluens, inflammationem pariat, quæ ob eam causam calculo sæpè, vti illic dictum, iungi solet: quod cùm fit tunc eò magis sanguinis detractio locum habebit.

Punctorius, Spleneticus vulgò dictus dolor, etsi acerbus satis sit, tamen cùm à causa vix diutiùs perseuerante, vt musculorum abdominis nimiâ attractione & flatibus fiat, sponte plerumque cessat, aliàs curatione opus habet. *Pũctorij Splenetici, falsò dicti doloris curatio.*

Quòd si verò leuem ob motum, vel sæpè molestet, quiete præcauetur, motuq; corporis decenti, non inordinato aut violento, Victusq; ratione moderatâ, & quæ flatibus minimè occasionem præbeat, sed eos dissipet. Latusque quod affici solet, diligenter integatur & à frigore muniatur. Et si necessitatis causâ, validiores motus perficere, & præsertim equitare cogantur, ne dolor hic superueniat, nõ statim ventriculo adhuc cibis repleto equum conscendere debent, priusq; fasciâ latâ abdomen cingere, sicuti hi qui celeres cursores agere solent, inter equitandum hoc pacto se, vt ferre successionem possint, adstringunt.

Superueniente quoque hoc dolore punctorio, admodumque vrgente, si tunc quoq; latus

latus affectum cingulo vinciant artiusque stringant, eadem ratione, vt in spasmo flatulento, cuius aliquam speciem esse hunc affectum, retractis in suam sedem musculis, dolorem remittere ostensum fuit: sic & hîc cõpresis hisce musculis vinculo in suum locum, flatibusque expresis, punctiones hæ remittunt vel cessant.

Quod si pòst quietem vel vincturas dolor nihilominus perseueret, curatio eadem ferè quę in pleuritide flatulentâ exposita fuit, hic quoque instituitur.

Ab externis primùm incipiendo, & ad flatus dissipandos doloremque mulcendum, loco dolenti calida actu & potentiâ operantia, fotus, sacculos, inunctiones, emplastra adhibendo, balneisq; siccis & sudorem mouentibus, flatus absumendo. Qualia multa eiusmodi in pleuritide flatulenta, aliisq; externis doloribus à flatibus, in habitu corporis excitatis, describuntur.

Quorum vsu, si nec tunc intermittat affectus, diuersiones & deriuationes quoq; per clysmata, cucurbitulas, illic explicata, faciendæ. Et vti tunc descriptum, si corpus impurum sit, purgantibus, sudorem mouentibus, alterantibusq; exhibitis quibusdam, quæ occultâ vi punctorios dolores sedare docuimus, hîc quoque eos amouere studebimus.

DE VENTRIS DOLORE.

CAPVT XIII.

Genera.



VENTRIS doloris nomine eum intelligimus, qui in anteriore illius sede molli seu nuda nullisq; ossibus obsita, seu abdomine propriè dicto se potissimùm manifestat. Nam de aliis doloribus, qui adnatis illi in locis, vel cum excretione aut mictione dolorifica, aut in pudendis vel podice maximè se exerunt, postea agemus. Hi verò qui in ventre propriè se offerunt, hicque describuntur, sedibus primùm hac ratione distinguuntur: quòd alij in abdominis potiore sede in ambitu vmbilici se offerunt: alij in ima ventris potiùs sede mediâ, iuxta pectinem occurrunt, vel ad coxas & lumbos quoque extenduntur.

In ambitus vmbilici sede aliquâ dolores frequenter oboriuntur, quos pro diuersitate intestini affecti, vt in causis dicetur, distinguentes Medici, vnum Colicum, alterum Ileum appellant. In quibus hæc symptomata occurrunt. *Colicus Iliacus dolor.*

Dolores atroces admodum sunt, & tormentum adferentes, vnde eos Tormina vocant: & quia ægrum torquent, Germani illos Krimmen appellant. Qui in circuitu vmbilici alicubi, vti dictum, se manifestantes, nunc illi veluti circumducuntur: & nunc in sede inferiore superioréve, nunc in lateribus sese produnt. Interdum instabiles sunt & vagi, supra ferè vmbilicum de latere in latus, vel infra de loco in locum delati. Nunc cum caloris & ardoris, aliàs quoque frigoris sensu: Aliàs fixi certo in loco, maximè sub vmbilico, eam sedem veluti perterebrãtes, non tamen vti nephritici circa dorsum, inguina, aut circa coxam, veluti vterini hærent, nec illic potissimum se exercent. *Tormina Krimmen Germ.*

Murmura ventris & rugitus, nunc vno in loco, nunc per varias illius sedes discurrentia, interdum deprehenduntur, tanguntur & audiuntur.

Constipatio alui plerumque adest. Nonnunquam conatus aliquis eructandi vel crepitandi, sed irritus: quæ si succedunt, aut aluus dejicit vel diarrhœa sequitur, malum leuant. Aliquando deiectio quædam purulenta succedit, non tamẽ vt in dysenteria cruenta. Vrina in quadam illius specie quoque supprimitur.

Nausea, cardialgia molesta sunt. Sequiturque interdum vomitio nunc pituitosæ, nunc biliosæ materiei: aliàs etiam excrementorũ alui fœtidorum, magno ægrorum fastidio & tædio in ea specie quæ Ileus ob locum affectum dicitur, & Eleos ob horrendum & periculosum symptoma, dignum commiseratione dici posset: cùm & sic à quibusdam Miserere mei nomine exprimatur. *Miserere mei. Iliaci doloris species.*

Febris nonnunquam illi accedit: aliàs

præcedens illique occasionem præbens, adhuc illi comes manet: interdum colicum dolorem cessantem sequitur.

Conuulsiones horrendæ, interdum & resolutiones, hosce dolores aliquãdo sequuntur: quod veteribus plerisque incognitum fuit, nostro sæculo adeò frequens. Quę nunc generalia accidentia cùm sint, maiorem corporis partem afficiunt: nunc particularia, certas partes tantùm lædunt. Sicuti in motuum læsionibus hæc abundè descripta sunt.

Distendens circa vesicæ regionẽ dolor. Inflammans circa vesicæ regionẽ dolor.

In ima ventris sede media, circa pectinis regionem, dolor vehemens quandoque occurrit. Distendens vnus, qui cum vrinæ suppressione accidit: vbi & casus ille quoque descriptus fuit. Alter cum ardore, lancinatione & pulsatione se offerens, rubore aliquo, etiam extrinsecùs, nonnunquam & tumore, qui tactu deprehenditur, se patefaciens: qui à sede affecta, vti dicetur, Vesicæ inflammatio vocatur. In qua aluus vrinaq; aliquando supprimitur: illique febris illiusque accidentia, inter quæ & delirium accessisse obseruatum fuit, coniuncta sunt. Quem affectum aliquando puris mictio sequitur, aut durities circa eam sedem, post eum remanet.

Alter in inferiore abdominis sede dolor, ad coxas & lumbos quoque pertingens (quo nomine in hypochondriaco dolore illius mentio facta est) non infrequenter existit, & à loco affecto Vterinus vel Matricis dolor dicitur, duplici modo se habens.

Vterinus dolor Bärmutter vulgò.

Distendens vnus & torquens admodum in ventre & lateribus quoque occurrit, estq; frequentior Vterini doloris vulgò appellati species, Germanic. Mutterweh vel Bär/rectiùs Gebärmutter/ dicta. Qualis plerumque ante menstruorum eruptionem multis virginibus & fœminis euenire, illasque donec erumpant, affligere solet: Aut aliàs retentorum, vel non rectè se habentium menstruorũ symptomata esse, aut etiam ob causas alias alio tempore, alia ætate accidere. Eâdemque ferè ratione vti colicus dolor, in inferiore ventris sede se exerit: Ex quo factum, vt & colicos dolores incipientes vulgus vterinos appellet, idque non solùm in fœminis, sed & in masculis, quando colici dolores primùm oriuntur, nec dum rectè cogniti adhuc sunt, eodem Bärmutter nomine, ineptè, ac si illi matricem quoque haberent, appellant. Quos dolores vterinos in fœminis grauiora adhuc accidentia, hysterica præsertim, vt in vteri suffocatione dictum est, interdum sequuntur, aliquando comitantur.

Est & vterinus dolor quidam, grauidis mulieribus quandoque molestus, in inguinibus se maximè repræsentans, quo & à coxendice differt, cui alioquin non omninò absimilis, nisi quòd dolorem, etsi crus minimè mouent, in anterioribus magis, quàm posterioribus sentiunt.

Post partum dolor, Vterini doloris species.

Alter quoque vterinus dolor huc refertur, puerperis peculiaris, non ille qui in partu oritur, de quo in partus difficultate egimus, sed qui post partum non in pudendis, qui illic explicatur, sed circa imum ventrem potissimùm, distendendo aliquot horis, vel etiam diebus fœmineum genus quandoque excruciat: quem & priuatim, Post partum dolorem vocant.

Inflammans Vterinus dolor. Post partum dolor alter, vterini inflammantis doloris species.

Ardens, distendens, pulsans & lacinans dolor Vterinus quoque existit, qui Vteri inflammatio à causa, vti dicetur, nominatur: Interdum & si post partum accidat, Post partum doloris vocati altera est species. Qui eodem modo vti vesicæ inflammatio, nisi quod latiùs se in latera, vti ostensum, extendit, affligit, & tumore & rubore extrinsecùs quoque apparente, se nonnunquam prodit, aluumq; obstruit, mictioniq; impedimentum adfert, febremque comitem habet: & post se alium dolorem acrem pungentemque, ac veluti exedentem, cum saniei purisque per vteri ceruicem excretione, duritiemq; nonnunquam relinquit, nec non animi defectũ, aliaque hysterica accidentia simul, sicuti illis locis descriptum fuit, producit.

Causæ.

Viscerum neruosorum trium in abdominis cauitate, seu ventre contentorum morbi, doloribus hisce causam præbent. Quæ sunt, intestina & vesica, vterusque in fœmineo sexu.

Inte-

In intestinis causa Ventris doloris.

Intestina ventrem penè vniuersum adimplent,& cùm exquisitè sentiant,dolores qui illis affectis oriuntur, acerbissimi sunt. Cumq; in tenuia & crassa tota ipsorum longitudo distinguatur,horum formæ & situs diuersitatis causâ, dolores quoque distinguuntur,atq; ille qui in crassis accidit,cùm maiorem illorũ portionem colon cõstituat, Colicus: qui in tenuibus Ileus vel Iliacus appellatur. Et cùm tenuia medium spacium in vmbilici ambitu occupent,ileus dolor in media ventris sede vmbilico proximiore magis sentitur: crassa verò cùm in circuitu horum sint posita,atque in elatissima sede ad cordis foueam dictam,à dextro latere in sinistrum protendantur,illicque ad podicem descendant,colicus dolor eo quoq; circumductu potissimùm se exerit. Morbi verò in intestinis dolores hosce procreantes,sunt ipsorum distentio,cum irritatione aliquando eueniens, refrigeratio, phlegmone,& phlogosis.

Distentio intestinorum causa Doloris ventris.

Distentio nimia intestinorum,præsertim si irritatio simul accedat,ventris dolores frequenter parit. Quæ ab excrementis diuersis & flatibus quæ continent, proficiscitur. Quando hęc vel copiosiùs quàm par erat,ad intestina feruntur, eaque adimplent: vel alioquin impedita hærent, nec exitum habent,hacque ratione cumulantur.

Copia excremẽtorũ & flatuum intestina peruadentiũ, causa ventris doloris.

Feruntur ad intestina nonnunquam magnâ copiâ excrementa & flatus, eaque replendo distendendoque dolorem excitant. Qui,si liber eorum est transitus, vagus est, nec diutiùs eodem loco persistit, sed cum murmure hinc inde delatus,tãdem per crepitum vel ructum,vel diarrhœam soluitur. Qualis dolor sæpè post cruditates & post fructuum fugacium esum,vini musti potum, & similium sequitur, & purgante medicamento sumpto, euenit, diuque sæpè antequam deiectio adsit vrget,eoque grauiùs,si excrementa bile simul,alióve acri humore perfusa,non solùm intestina distendant,sed & simul vellicent. Sicuti in diarrhœa quæ cum dolore eiusmodi copulatur,hæc causa vlteriùs exponetur.

Impedita hærent accumulanturque excrementa,& flatus interdum,alicubi in intestinorum longo ductu, atque distentione dolorem immensum,cum alui constipatione euenientem,inducunt. Qui aliquando eo in loco fixus est,vbi causa,excrementorum progressum impediens,latet: aliàs vagus,illic vbi excrementa flatusque cumulantur & vagantur,existit.

In anfractu coli subsistentia excremẽta & flatus, causa Colici doloris.

In crassis intestinis quæ excremẽtis crassioribus scatent, flatusq; multos continent, hoc frequenter euenit,vt in anfractu illo magno seu reflexu coli intestini, quem in descensu,latere sinistro in recti intestini initio facit,ob hanc viæ obliquitatem excrementa eò delata subsistentia, colicum cruciatum immensum pariant: in quo excrementis exitum quærentibus & conantibus, locus veluti perterebrari videtur,tumorque eâ in sede,qui & tactu deprehenditur, eleuari, illisque in intestina remeantibus aliquousque,donec redeant, hæc remittunt, dolorque indies prout magis magisque excrementa & flatus coaceruantur, augetur. Quod transitus impedimentum,à copia excrementorum,viam hanc ob curuitatem angustam subitò implente atque obturante nonnunquam prodit: Vel à siccitate,duritie,aut tenacitate horum oritur: quæ ut illic subsistant sursùmque per reflexum illum ferri nequeant,faciunt: sicuti in alui constipatione,quæ tunc semper adest,causas quare sic indurentur,exposuimus.

In coli cellulis retenta excremẽta & corpora, causa Colici doloris.

Verùm & in coli intestini cellulis ad ipsius latera positis, & à cauitate ipsius declinantibus, atque instar semiglobi protuberantibus,excrementa indurata & sicca,sciuala,in locis eiusmodi deuiis retenta atque interclusa, non solùm grauando & distendendo quoque,si admodùm coaceruentur, sed & liberum excrementorum transitum impediendo,sicq; ea cumulando,colicis doloribus occasionem præbent. Imprimisque si ex illis sedibus deuoluta diu retenta excrementa dura, eum, vti dictum, obstruant. Quod & ab aliis corporibus duris in hisce sedibus retentis,fieri potest: Veluti à comestis copiosè lapidibus fructuum nucleatorum: vel fructibus duris,vt castaneis: è quorum esu largiore aliorúmve ciborum duriorum, dolores colicos cum ventris constipatione

natos, aliquoties obseruauimus. Vti & ossicula è pedibus gallinarum coctis, à muliere multoties, dum curâ per diætā vteretur, deglutita, multis annis in intestinis hæsisse, & demum eiusmodi casus peperisse, ex eo quòd post clysterem infusum, magnâ copiâ illa reddiderit, liberataque fuerit, satis colligere potui. Quod & à caseo similiter diu ante, sæpè, & multùm comesto, in colico accidisse, illius postea per clysterem magnâ copiâ deiectio, quo tempore & caseosos vermiculos viuos cum vrina eminxit, satis patefecit. Sed & à pituita concreta (si modò pituita, & non alia excrescentia fuit) colon adeò infarctum, vt penè vnitum esse videretur, easdem obstructiones colicosque inde natos dolores procreasse, sectione se inuenisse testatur Fernelius. Atque in legato quodam, corpus quoddam durum, firmum, medio ductu pertusum, in coli intestini ductu sub ventriculo transuerso hærente, sicuti ex tumore illius loci conjici potuerat, colicos dolores illi peperisse, eoque post sexennium pedis longitudine reiecto, ab illis liberatum fuisse, idem scribit. Quod eâdem ratione & à calculis in intestinis natis accidere potest, quales prægrandes nucis iuglandis & castaneæ magnitudine, per aluum excretos se vidisse idem fatetur Fernelius: nosque vnum sciualon veluti in saxum conuersum, similiter reiectum vidimus.

In tenuium intestinorum meatu obstructio, causa Iliaci doloris.

In tenuibus intestinis interclusus excrementorum transitus, Iliacis doloribus, diuersimodè se offerentibus, occasionem frequenter præbet. Quod cùm fit, in meatu illorum angustiore nonnihil, quo se in fine ipsorum, iuxta renem dextrum, in crasso intestino aperit, faciliùs quàm in reliquo ipsorum ductu ampliore hoc accidit: dolorque tunc Iliacus ille atrox adeò vulgaris nostris, vulgò quoque colicus appellatus, oritur, qui ob locum obstructum, fixus circa dextrum latus, & propter retenta excrementa in tenuibus intestinis, in vmbilici ambitu vagus se repræsentat, aluusque, suppressis illic excrementis, tam diu, donec per medicamenta via hæc occlusa patefiat, & natura simul sollicitetur. minimè respondet, rursum hisce, omissis, constipatur doloresque redeunt, morbusque donec integrè hæc obstructio soluta sit, prolongatur. In qua si excrementa retenta biliosa sint, aut alioquin praua per se existant, vel ob moram putrescentia aut corrupta, acrimoniam & perniciosam ac malignam vim adipiscantur, cùm tunc intestina simul vellicent, dolor eò erit vehementior; & licet ad excretionem suâ acrimoniâ naturam nonnihil sollicitent, tamen, cùm quamdiu hæc obstructio durat, ad intestina crassa ferri nequeant, aluus nihilominus constipata manet, nec ab illis ad excretionem stimulatur: cùm nisi impeditus hic ipsorum esset transitus, & alioquin in intestinorum cauitate redundarent, ea irritando, diarrhœam & choleram morbum, vel si intestinis adhærerent, dysenteriam potiùs cum alui fluore, quàm iliacum hunc dolorem, in quo aluus suppressa est, excitarent; quod verò in intestinis tenuibus inclusa facere nequeunt, sed hinc inde diuagando cruciatus enormes illos, qui non cessant, donec, vti dictum, obstructio hæc soluatur, eâque redeunte, recidiuas facere consueuerunt, excitant. Quorum biliosorum peruersorumque humorum excrementis permixtorum causâ, si diutiùs retineantur, alia quoque grauia accidentia, icterus, febres, tandemque neruoso genere consentiente, conuulsiones, aliique neruorum affectus, sicuti illis in locis declaratum fuit, sequuntur. Sed & fit propter omnimodam illius angusti meatus intestini obturationē, vel quia diutiùs neglecta est, aut etiam nullis medicamentis cedere potuit, adeò fæces vt coaceruentur, vt sursum in ventriculum regurgitent, & vomitio illarum abominabilis, Ileusq; morbus quem Miserere vocant, sequatur.

Huius autem meatus obstructionis, tàm quæ facilè, quàm quæ ægrè solui potest, causa à tenacibus crassis eiusmodi excrementis procedere potest: vel à siccis in tenuibus intestinis induratis: Accedente præsertim constitutione huius meatus à natura angustiore, vel ob ætatem, vel calidiorum continuum vsum intestinis aridioribus factis, eo loco angustatis. Vti & si ab aliis assumptis crassioribus, aut natis illic duris corporibus, sicuti

ficuti in coli cellulis & anfractu iam fieri diximus, obstruatur. Quemadmodum à cydoniato, meatum illum iuxta cæcum dictum intestinum obstruente, acerbissimos Iliacos cruciatus, cum omnimoda alui suppressione, vomitioneq; excrementorum & syncope, puellam passam fuisse, atque in illa ex hoc casu mortua sectaque, cydoniatum adhuc ille deprehensum fuisse, docet Fernel. tantamque congeriem excrementorum, ob occlusum exitum in intestinis tenuibus fuisse congestam, ab illisque distentionem factam, vt illis ruptis, fæces in abdomen decidisse obseruarit.

Contorsio seu conuolutio intestinorum tenuis causa Conuoluuli.

Sed & in reliquo ductu tenuia intestina, quæ alioquin variè inuoluta iacent, si ampliùs conuoluantur adeoque contorqueantur, vt iam via obturata sit, & cauitas interior constricta & occlusa tunc subsistentibus fæcibus & flatibus, coagmentatisque atque intestina distendentibus, iliacus ille dolor sequitur, quem Conuoluulum vel Voluulum ob hanc intestinorum conuolutionem vocant, & in quo, fortè si non procul à duodeno fiat hæc conuolutio, fæces alui tantopere vomunt, dolorque vagus & instabilis cum murmure & rugitu, in vmbilici ambitu accidit. Cuius conuolutionis causa, vti inflámatio, ficuti mox ostendetur, nonnunquam existit; sic & à flatibus, hoc interdum euenit, si per se, vel vnà cum excrementis tenuia intestina adeò impleant, vt penitùs distenta farciminum inflatorum infarctorumq; instar, supra modùm contorta (qualia aliquando vidimus, flatibusque supra modum distenta inuenimus) fiant. Quod vix tamen ob solam flatuum copiam accidere potest, nisi aliæ insuper intestinorum obturationes, à causis præcedentibus progressæ, accedant, quæ ipsorum transitum, vti dictum, impedientes, vt intestina penitùs repleantur, sicque conuoluantur, faciunt. Eadem contorsio, ex situs intestinorum peruersione, à prolapsu tenuium intestinorum extra peritonæi cauitatem in scrotum nonnunquam in hernia fit, si diutiùs illic subsistant, necdum remeare possint: eademque tunc symptomata sequuntur, nisi quòd dolor tunc in inguine, vbi ruptura est peritonæi, magis vrget: & proin in externis doloribus & in hernia species illa conuoluuli explicabitur.

Refrigeratio intestinorũ Torminũ ventris causa.

Refrigeratio vehemens intestinorum, tormina in illis excitat, vti & in ventriculo dolores inde nasci diximus. Qui hîc, vti illic, ab eadem causa quoque proficiscuntur. Ab externâ scilicet ventris refrigeratione, vel ab assumptis affatim actu nimiùm frigidis, non solùm ventriculum, sed & intestina tenuia illi continuata; & colon vicinum, refrigerantibus: quod & ab iniectis clysteribus, nimiùm actu potentiáve frigidis, potest accidere.

A flatibus frigidis, ex potu frigido, vel ex cruditate prouenientibus, hoc itidem fieri potest, vt refrigerando, & si copiosi sint, simul distendendo tormina ventris faciant. Humor item crudus frigidus, ex acidis potissimùm copiosè comestis, vt cerasis, prunis aliisve genitus, idem facere potest, ventremque refrigerando flatibusq; implendo, conturbare.

Pituita etsi præcipua à plerisque doloris causa statuatur, tamen non alia quàm ea quę summè frigida est, dolores hosce procreabit: qualis vitrea dicta pituita existit, quæ in intestinis nata, illisque adhęrens, cùm frigidissima sit, ac si ea perforaret & roderet, doloris sensum præbet. Reliquæ pituitæ species, cùm non tantopere refrigerare, aut intestina implere, vt distendantur, possint, dolorem nec qualitate suâ aut copiâ insignem excitare queunt.

Inflammatio coli, causa Colici doloris.

Inflammatio intestinorum illorum, dolori quoque causam non infrequenter præbet: Ileo si in tenuibus, Colico, si in colo aut recto inflammatio fiat: dolorque fixus, inflammans, distendens pulsansque in affecta sede intrinsecus sentitur, febrisque eum, illiusq; accidentia, vti cæteras inflammationes comitantur: aluusque constipata est, licet desiderium aliquod dejiciendi crassis intestinis affectis, sed inane vrgeat. Quòd si verò tenuia intestina inflammata sint, tumorque magnus existat, tunc illis occlusis vel conuolutis, cùm nihil per ea descendat, excrementa per os euomuntur, Conuoluulique dicti morbi, hæc quoque magisq; frequens causa

Inflammatio tenuium intestinorum, causa Conuoluuli.

causa existit: in quo tumor extrinsecùs cum vestigio aliquo liuiditatis, sicuti obseruaui quandoque deprehenditur. Sed & si in abscessum tandem conuertatur inflammatio, eo rupto, saniosa & purulenta dejiciunt.

Huius autem inflammationis causa, sanguis venarum meseraicarum, extra venas in intestinorum substantiam infusus, existit: ob copiam vel tenuitatem eò defluens: Frequentiùs ob dolorem insignem qui præcessit, eò impulsus: Aut ab alia intestinorum læsione concitatus: sicuti & à vulnere aut contusione accidere potest; quæ ad externa pertinent.

Phlogosis à bile intestinorum, causa Iliaci doloris.

Præter iam dictam intestinorum phlegmonen, phlogosis alia seu feruor illis non infrequenter accidit, maximè tenuioribus, vnde Iliacus quoque dolor potiùs quàm colicus (licet eum etiam sic communiter appellent) sæuus, diuque durans, grauia quoque inferens symptomata, oritur. Quando nimirum (sicuti longâ obseruatione cognouimus, signisque certis deprehenditur) bilis non in intestinis retenta (sicuti in illorum obstructionibus inde quoque dolores hosce quandoque nasci diximus) sed in intestinorum substantiam se inserens, atque illa amplo sæpè spatio imbuens inficiensque, vellicat, rodit vritque: sicuti in ventriculo ardores illos diuturnos, simili modo interdum euenire, atque ex macula lutea post mortem sectione factâ inuentâ nos deprehendisse, illic docuimus, & hoc idem in intestinis accidere, eâdem experientiâ cognouimus. Quæ & causa est, cùm hoc fit, quòd hærente illic bile diutiùs, vel continuò de nouo affluente, dolores adeò pertinaces, diuturni, & qui licet mitigentur, mox tamen redeant, accidant: eò sæuiores, quò bilis, quæ illa afficit, deterior existit, maximeque si adeò sit feruida & copiosa, vt & verum erysipelas in illis excitet. A quibus grauibus noxis, cùm intestina, quæ neruosa sunt, exquisiteque sentiunt; nimiùm offenduntur & sollicitantur, neruoso genere tunc compatiente, præsertimq; si bilis spinæ dorsi, illic vbi intestina illi mesenterij beneficio adhærent, ad illius medullam vsque pertingat, illamque simul afficiat (sicuti Fernelius se in febricitante, bilem mesenterij membrana coërcitam, & spinæ quoque immersam deprehendisse, scribit) conuulsiones tandem & paralyses, sicuti hoc à bile quoq; prauisque aliis humoribus in intestinis obstructis, diutiùs retentis, euenire posse ostendimus, producuntur. Ex quibus, vti bilem causam hisce præbere colligere possumus; sic & reliqua bilis redundantis indicia ex vrinis aliisq; deprompta, illud patefaciunt. Quæ & bilis, cùm in loco affecto hæreat, pertinaciùs adhuc, quàm illa quæ ob obstructionem retinetur, nec descendat & ad podicem feratur, non iam aluum ad excretionem, sicuti cùm in has sedes fertur, sollicitare potest: Vnde & in hoc casu, vti & priore ab obstructione progresso, licet à bile proueniat, aluus non vt in cæteris fluit, sed potiùs suppressa est.

Hæc autem bilis, à vesicula fellis interdum proueniens, vti eam ventriculi substantiam imbuere posse docuimus, sic & intestinis vicinis ad quæ naturaliter quoque defertur, se inserens, noxam hanc potest efficere. Plerumque tamen hæc ex vitioso chylo, vel succo copiosiùs quàm par erat, genita, in venis meseraicis sanguini adhuc confusa, nec ab eo propter illius copiam vel obstructiones sufficienter in vesiculam repurgata, redundans, occasionem huic malo præbet: si illa vnà cum sanguine ad intestina delata, per ramos venarum meseraicarum, intestina amplexantes, illorum substantiæ, vti dictum, infundatur, illicque subsistens, veluti erysipelas procreet. Quæ vti aliàs in venis iam dictis meseraicis coaceruata retentaque, morbis variis febribusque intermittentibus præcipuè causam præbet (vbi & prolixiùs biliosi huius succi prouentus causas exposuimus) sic & ad intestina à natura protrusa, nisi per oscula venarum in spatium illorum excidens, per diarrhœas varias, quod frequentissimum est, aut cum sanguine ad hęmorrhoidales venas depulsa, per fluxum illarũ, quod rarum est, expurgetur, intestina, sicuti dictũ, imbuens, quod & non infrequens, dolores hosce graues totius se offerentes, parit. Qui &, si bilis

hæc in venis retenta, atque ad intestina modo dicto delata, vtrinque noceat, cum aliis morbis sæpè iunguntur, eodemq; tunc tempore iliaci dolores, morbique alij à bilis huius prouentu geniti, vti & febres, simul affligunt: aliquando & eiusmodi morbos, bile rectè expurgatâ, sed ad intestina propulsâ, vt & febres intermittentes, sicut in illis febribus hoc abundè demonstratum fuit, sequuntur.

In vesica, causa doloris Ventris circa vesicæ regionem.

Vesica, cùm in infima ventris regione anteriore, quam pectinem vocant, supra os pubis lateat, eoque corpus ipsius seu fundum, maximè cùm distenta est, pertingat, dolores & molestiæ illius eâ regione quoq; percipiuntur. Ceruicis verò illius, quæ subdus sub peritonæo fertur, dolorosi affectus, cum mictione dolorosâ potiùs se manifestent, illic explicabuntur. Morbi autem vnde vesicæ corpus dolet, sunt illius distentio atque inflammatio.

Distētio vesicæ, causa illius Distendentis doloris.

Distentio vesicæ amplæ cauitatis tanta, vt doleat, ab vrina potissimùm proficiscitur, quæ retenta diutiùs cumulataque adeò, vt vesicam penitùs adimpleat, & supra modum distendat, dolorē & molestiam in ventris ima sede, quæ & tunc tumet, sese offerentem inducit: vrinæq; effluxu penitùs impedito, mictio in totum suppressa est: de quo & cùm potissimùm conquerantur, in mictionis defectu illius causas assignauimus. A' flatu vix dum hoc fieri potest, cùm in vesicam is minimè feratur, nisi fortè ex vrinâ retenta diutiùs, si cruda sit, flatus generentur, qui vrinæ commisti, vt hæc magis repleat distendatq;, faciunt: qui tamen vix separati se offerunt, cùm nullus flatus inter mingendum aut alioquin erumpat, vrinaq; spumosa ab aëris externi, dum mingitur, aut agitatur, permistione potiùs, quàm flatibus internis fiat. A' calculo, cùm in tantam molem excrescere nequeat, distentio hæc fieri non potest, nec priùs dolorem in vesica excitat, donec in illius ceruicem feratur: sed cùm tunc mictioni simul incommodet, in mictione dolorosâ quo pacto hoc fiat, describetur.

Inflāmatio vesicæ, causa illius Inflammationis doloris.

Inflammatio vesicæ, si in corpore ipsius fiat, dolorem in pubis regione molestātem, vti dictum, parit, & cùm vesica peritonęo intexta sit, foris quoque rubedo & tumor interdum deprehenduntur: qui tumor ob vrinæ & fæcum suppressionem, quę accedunt, maior fit. Hæc inflammatio in abscessum interdum desinit, qui dum fit, dolor augetur, eoque rupto vlcus oritur, mictioque purulenta & dolorosa sequitur. Scirrhum quoque inflammatio post se relinquit: qualem immensum vesicæ vaccæ, ex casu ruptæ, rursumque curatæ adnatum vidimus. In gangrænam, malè tractata inflāmatio quoque conuertitur, vidimusq; sic affectam vesicam nigram penitùs intrinsecùs, nasi piscis instar, in mortuo canonico fuisse.

In Vtero, illiusq; vasis, causa Vterini doloris.

Cæterùm quòd inflammatur vesica, casus aliquis externus causam præbere potest, vel summus dolor prægressus, à calculo vel vlcere, quibus affectibus inflāmatio interdum iungitur, sicuti & renes ab iisdem causis inflammari diximus: adiuuante dispositione plethoricâ, aptaque ad suscipiendum.

Vterus cùm similiter vti vesica, sub quâ in fœminis latet, eandem ventris inferioris sedem occupet, ipsiusque fundum, distentum præcipuè in ventrem vsque feratur, dolores illius eodem in loco se manifestant: & cùm ligamenta eius, quibus suspensus hæret, ad lumbos & coxas vsque ferantur, illorum causâ dolores hi eousque quoque extenduntur, & hîc simul describuntur. Ceruicis verò illius in pudendum pertingentes dolores, illic explicantur. Qui verò in fundo seu corpore illius, & adnexis illi ligamentis fiunt vterini dolores, quorum aliqui ad ceruicem vsque etiam extenduntur, vti in vesica, à distentione aut inflammatione procedunt.

Distentio Vteri fundi, causa doloris Vterini post partum.

Distendens vterinus dolor, qui vteri corporis seu fundi causâ fit, ab aëre externo præcipuè oritur, qui post partum, statim postquam fœtus prodiit, dum vteri internum orificium adhuc amplum & apertum est, si non bene muniantur hæc loca, vterùsque sensim stringatur, in vterum irrumpēs, eumque implens, dilatatum & debilitatum alioquin ex partu, non solùm distendendo, sed & refrigerando, si frigidus sit, dolorem in illo excitat, quem Post partum dolorem

vterinum vocant. Alio tempore cùm vterus ante conceptum paruus sit & crassus, cauitasq; illius quam semen in conceptu implere debuit, admodum angusta, & quádo concepit, ac cum fœtu increuit & adauctus est, toto tempore similiter interius illius orificium exactè occlusum, vterusq; ex cōceptu plenus sit, ab aëre externo hoc fieri vix potest. Vti neque à flatibus intrinsecùs genitis, tum dictam ob causam, tum quia si in angustam illam vteri cauitatem fererentur, aut illic generarentur, cùm tamen crassus sit vterus, eum adeò distendere, vt extendatur & doleat, minimè possent. Sicuti nec serosus humor, aliúsve, si in vterum influát, ob prædictas rationes hoc queunt efficere: etsi hi, qui vterum quendam magnum eumq; amplum vesicæ instar sibi fingūt, hoc fieri posse credant, Inflationemq; vteri ab aqua & flatu factam nominent & describant, multasq; illius causas assignet. Licet enim vterus amplior in quibusdam sit mulieribus, vel naturâ vel humiditate multâ relaxatus, tamē neque tunc adeò impleri aut extendi, vt dolor inde sequatur, potest: cùm, si magna illic esset repletio, vt putant, pōderis tunc sensum & molestiam potiùs quàm doloris præberet. Sicuti à fœtu grandi, si ille vterum nimiùm grauet, accidit: qui aliquando pondere suo, tractis ligamentis, vterinum aliquem dolorem, qui circa inguina potiùs, quàm lumbos, vt in generibus dictum, se maximè offert, procreat. Ita vt vterinus dolor distendens alius, præter hunc qui post partum sequitur, vix adeò illius corporis, sicuti verò illius membranarum vasorumque, quibus suspensus hæret, causâ eueniat: Cùm illic collectis retentisq; prauis humoribus, dolores vterini distendentes, & ad latera vsque protensi (quo nomine illorum in hypochondriacis doloribus quoq; mētio facta est) qui mensium eruptionem præcedunt, aut quando aliàs suppresíi sunt, vel non rectè fluunt, accidant, aut aliàs ob impuritatem mulierū, etiam præterita ætate menstruis deputata, sæpe illis eueniant. Quæ illuuies illic à sanguine vitioso, aliísve humoribus permistis, à natura eò ad expurgationem menstruam protrusis cumulatisque, in mulieribus ca-

Distētio vteri vasorū, causa frequenter Vterini doloris.

checticis, aut alioquin malignis excrementis scatentibus, suam originem trahit, illicq; circa vterum sedes hasce implendo, distendendo, irritando, presertim quando materia efferuescit, dolores hosce vterinos procreat, sursumque vapores emittendo, alia quoque grauiora accidentia, imprimis vteri suffocationem dictam, cùm ab vtero causa procedat, quemadmodum illic quoque ostensum fuit, gignit.

Inflāmatio Vteri fundi, causa inflammantis illius doloris.

Inflammatio vteri fundi, nonnunquam & ceruicis simul, dolorē vterinum, in illius sede occurrentem facit, accidētibus variis, vti in generibus dictū, comitatum: Quæ & post se, similiter vti vesicæ inflammatio, abscessum, vlcus, scirrhum, gangrænam relinquere valet. Cuius etiam causa externa, vt contusio, & ictus esse potest. Vel interna, sanguinis redundantia circa vterum, si retentis menstruis non per ceruicem se expurget, sed in vteri substantiam infusus, inflammationem facit, pro sanguinis diuersitate variantem. Cui si maligna vis iungatur, Cancrum in eo, qui priuatus ab inflammatione vera affectus est; quique, cùm facilius in vteri ceruice nascatur, ideò illic describetur, gignit. Imprimis verò ex partus difficultate, ob summum dolorem & conatum, vterus frequenter inflammatur, tuncque vel fœtu aut secundinâ remanente, aut hisce exclusis, ob subortam inflammationem, dolor & febris vrgent: causaque hæc non minima est, quòd puerperæ vel in partu, vel post eum, adeò dolent & periclitantur, cùm secundinæ solius retentio, hoc tam subitò minimè faceret, sicuti hæc quæ sequitur, inflammatio, illas afficit, & præcipua mortis causa existit: nisi hoc ob largam sanguinis profusionem, in partu extra vterum, vel in illum factam accidat; adeò vt dolor qui post Partum mulieribus euenit, non tantum ob aërem illapsum, vti dictum, sed & hanc inflammationem frequenter fiat: quorum ille tamen solo dolore, hic verò grauioribus accidentibus maiorique periculo affligit.

Cancer vteri.

Inflammatio Vteri post partum, causa illius doloris post Partum secundæ species.

Curatio.

PRo ratione sedis affectæ & causarum varietate, alia accommodatur intestinorum

distén-

distentioni & irritationi, refrigerationi, & inflammationibus à sanguine vel bile factis. Alia vesicę & vteri distentionibus & inflammationibus.

Colici & Iliaci doloris à distentione, irritatione, refrigeratione, vti & Conuoluuli curatio.

Distentio intestinorum, si per se, aut cum illorum irritatione à quibuscunque causis fiat, & dolores colicos iliacósve excitet: Vel si hi dolores à refrigeratione procedant, curationem simul, cùm in multis conueniat, explicabimus. In quibus causis, si ob copiam excrementorum & flatuum, distentis intestinis atq; irritatis, tormina & murmura ventris oriantur, nisi excrementa & flatus alicubi impedita subsistant, cùm vix diutiùs permaneant, sed per crepitum vel ructū, flatibus erumpentibus, si ab illis fiat dolor, cesset, aut in excrementorum copiâ, per alui excretionem, quæ sequi solet, soluatur, non alia cura, quàm ea quæ in diarrhœa obseruari solet, illicque explicatur, hîc priuatim instituenda erit.

Quòd si verò hæc in crassorum intestinorum anfractu, vel cellulis, vel tenuium intestinorum exitus meatu retenta, distendendo irritandoque dolorem colicum iliacúmve gignant, faciliùs hæc obstructio in crassis intestinis soluitur, colicusque dolor sanatur: difficiliùs, si tenuium intestinorum meatus obturatus sit, excrementaq; quæ retinentur, praua sint, taliaque continuò gignantur cumulenturque, iliacumq; illū dolorem nostro tempore adeò frequentem pariant, cùm etiam reseratâ nonnihil obstructione, tamen ille facilè vel subitò, vel post tempus redeat, excrementaque de nouo coaceruentur, ægriq; qui hunc dolorem passi sunt, leui ex causa recidiuam patiantur, perseueranteq; morbo cōuulsiones, paralyses, quas membrorum dolor præcedere & præsagire solet, aliique graues morbi, vt dictum, sequantur, quibus superuenientibus, licet dolores tunc quandoque remittant, tamen grauiora hæc accidētia hominem vel iugulant, vel noxas graues post se relinquunt. Quòd si quoque adeò pertinax sit hæc meatus occlusio, à tenacibus & duris excrementis aliisve corporib. facta, vt aperiri nequeat, excrementisque adeò tenuia & ieiuna alioquin intestina impleantur, vt illa per duodenum in ventriculū irrumpentia, vomant, lethalis tūc ferè iliacus sequetur dolor. Qualis & ille esse solet, cui præter oppilationes, intestinorum accedit conuolutio: vel propter prolapsum in hernia, illorum contorsio, similem vomitionem mortemque plerumque accersens.

In quibus omnibus casibus, nisi quando ob herniam iliacus fit dolor, in quo casu curatio potiùs herniæ, vt prolapsum intestinum reponatur, quàm iliaco dolori debetur, sicuti in herniis hæc explicabuntur: curandi scopus erit, excrementa emollire, abstergere, educere, vias laxare, aluum stimulare, flatusque, si qui adsunt, discutere; doloremque, si is adsit, lenire. Et si biliosi, acres, prauiq; qui retinentur cumulanturque, sint humores illis expurgandis, contemperandis, non tamen per summè frigida, acida, sed temperata medicamenta simul accommodare, doloriq; compescendo, qui tunc acriùs vrget, etiam per narcotica magis quàm in aliis causis intentos esse, & conuulsiones aliaque mala, sicuti suis in locis ostenditur, præcauere vel emendare oportebit. A' pituita vitrea refrigerante intestina, si dolor torquens fiat, eam abstergere, incidere, refrigeratasque partes calefacere studebimus. Quæ calefactio etiam in simplici illorum intemperie, eam, nisi sponte cesset, corriget. Hæc autem omnia per iniecta, exhibita, adhibitaq; remedia diuersimodè sequentibus modis præstantur.

Per aluum infusa enemata, cùm rectà ad intestina perueniant, in curatione horum affectuum primas tenent: nam si in crassioribus intestinis causa contineatur, ad ea vsque penetrant: sin in tenuibus, tamen propter intestinorum continuationem & vicinitatem, eousque quoque ipsorum vis extenditur. Paranturq; ex emollientibus, humiditate suâ & temperie, fæces duras, quæ per se constipādo, vel quia flatus excrementaque retinent, dolorem procreant: quæ & simul aluum leniendo fluidam reddunt: ob quas causas, tum ex solis emollientibus clysmata fiunt, tum etiam emollientia reliquis quoque ferè semper permiscentur. Dein & ex stimulantibus, vi detersoriâ & acri,

aluum ad excretionem, fiunt: additis interdum & catharticis; cùm summa adest constipatio, & pituita vitrea vel tenax intestinis adhæret: quæ naturam sollicitantia, clysteribus plerisque adduntur: Vti & calefacientia flatusque pellentia, tum in causa frigida, tum ob flatus: tum quia intestina hisce gaudent, cæteris adduntur, vel ex illis quoque, præcipuè cùm causa vrget, clysmata fiunt. Adhęc anodyna, dolore vehementer vrgente, vsurpantur, cæterísve permiscetur: transeundum tandem etiam ad narcotica. Quantitas autem horum clysmatum à ℔.j. ad ℔.j.ß. se extendit: ab initio dum plena adhuc sunt intestina, eam minuendo, inanitis verò nonnihil augendo. Quorum exempla sic proponuntur.

Emolliens clyster paratu facilis, ex Oleo oliuarum solo, ad ℔.j. iniecto fit: in quo tertia pars Butyri dissolui potest: atque Axungiæ interdum, aliáve addi possunt.

Alter emolliens & leuiter stimulans, additis parùm calidis & flatus discutientibus, sic paratur: ℞. Iuris pinguis & glutinosi, quale fit ex decoctione intestinorum cum adnexo mesenterio, vel omenti, & capitis vituli, veruecis, maximè castrati, aliorúmve iuniorum animalium partium pinguium & membranosarum q. s. in eoque decoque seminis Carui vel baccarum Lauri vel Iuniperi P.j. dissolue in col. Butyri rec. vel Olei cõmunis ℥.iij. Mellis ℥.ij. Salis communis cocti vel fossilis, quod gemmæ vocant, & purius & acrius existit, parùm, misce pro enemate.

Vel sic: ℞. Maluæ, Altheæ cum toto, Spinachiæ, Attriplicis & Braneæ vrs. si habetur, an. M.j. rad. Liliorum rec. ℥.ij. seminis Lini, fœnogr. an. ℥.j. sem. Carui ℥.ß. fl. Chamomil. Meliloti an. P.j. fiat decoctio in iure pingui, & in col. f. q. dissolue Butyri vel Olei cõmunis aut Amygd. dulc. ℥.iij. Axungiæ porci ℥.j. Mellis ℥.ij. Salis parùm.

Stimulans ampliùs & nõnihil emolliens, additis calefacientibus & flatus discutientibus, hoc modo paratur: ℞. Maluæ, Brassicæ rubr. Mercurialis vel Betæ, Parietariæ an. M.j. Pulegij alterutrius vel Origani M.j.ß. radic. Betæ rec. ℥.ij. radic. Liquirit. ℥.j. fl. Chamomil. Sambuci an. P.j. Furfuris macri vel crassi P.j. sem. Lini, Fœnog. an. ℥.j. sem. Carui ℥.ß. sem. Cimini ʒ.ij. Ficuum n. x. fiat decoctio in aqua & Vino: in col. dissolue Mellis, Sacchari impuri vel rubri an. ℥.j. succi Mercurialis vel Betæ (præsertim si non recentia fuerint in decocto posita) ℥.j.ß. olei Nucum ℥.iij. Lariceæ dissolutæ in Vitello oui ℥.ß. vel plus. Salis parùm, fiat Clyster.

Potentiùs operabitur & purgabit, si huius clysmatis decoctũ in Iure galli antiqui fiat, illique addantur, fol. Senæ & sem. Carthami an. ʒ.vj. vel ℥.j. rad. Polypodij ℥.ij. vel loco istorum purgantium, Mechoacæ vel Bryoniæ, vel radic. Cyclaminis ʒ.vj. cum seminis Cimini ʒ.ij. Et vnà cum cæteris quæ dissoluuntur, Hiera picra, Catholicon ad ℥.j. vel Benedicta, Diaphœnicon, Indum maius, Elescof ad ℥.ß. misceantur. Aut succus Cyclaminis, qui efficax est, ad ℥.j. addatur.

Efficaciùs purgabit, si quæ magis adhuc intestina irritant, huius clysmatis decocto addantur: quod non tamen, nisi in summa constipatione, & cùm pituita vitrea & tenax intestinis adhæret, faciendum, cùm in aliis causis intestina nimirum vellicãdo, dolorem potiùs augeant. Cùm igitur necessitas requirit, Agarici vel Turpethi ʒ. iij. addi possunt, & nonnunquam, non tamen temerè, cùm intestina adurendo cruentas faciat deiectiones, Colocynthidis pulpæ in panno ligatæ ʒ.ß. vel quod tutiùs est, Hieræ colocynthididem recipientis ʒ. iij. permisceri, vt Hiera colocynthidis, Logodij, Rufi, Hermetis.

Abstergentes præcipuè pituitam adhærentem intestinis, clysteres fiunt ex Lariceæ ℥.ij. cum Vitello oui, Melle & Vino: vel cum oleo solo aliquo dissoluti.

Vel sic, flatus quoque discutiens: ℞. Vrinæ pueri ℥.vj. succi Parietariæ ℥.iiij. Sapæ ℥.iij. ol. Rutæ ℥.ij. Vitellos ou. n. ij. Salis parum, fiat Clyster.

Aqua thermarum sulphurearum vel nitrosarum, in qua vtilia quoque decocta sint, similiter à quibusdam ad intestina à sordibus abstergenda vsurpantur.

Ad calefaciendum, flatus pellendos, & ad dolorem sedandum, Vinum forte, ex sua natura, vel ob vetustatẽ, aut aliàs generosum,

Malua-

Maluaticum, aut aromaticũ, quale est Hippocraticum vel Claretum dictum, hisque similia, sola etiam, ad ℔.j. plus minúsve infusa, calore & narcosi suâ plurimùm iuuant. Quorum si nimius calor metuatur, vino minus potenti contemperari possunt. Sin plus calefacere velimus, narcosimq; augere, Spiritus vini ad ℥.ij. pro vna vice addatur, vel parùm cum vino coquatur.

Vel sic, si simul lenire & detergere velimus: ℞. Vini generosi quartar.iij.olei Communis vel Chamom. Anethini, vel Butyri quart.j. Mellis quartar.ß. Talis clyster iniectus, quando catharticum sumptum, antequam operatur, tormina & cardialgias excitat, vt in cardialgiis dictũ, statim iuuat. Sed & alia stimulantia hisce permisceri possunt.

Hydromel verum, odore maluatici æquè ac vinum prodest, magisq; abstergit, præsertim si Sapa & Saccharum illi addantur. Cuius loco Aqua mulsa, quæ subitò paratur, sumi potest, sed tunc minùs calefaciet, magis verò abstergit. Huic vt & vino, cætera quoque permisceri possunt.

Brodium decoctionis Allij bulborum, vel stipitũ illius, cũ multo Oleo infusũ, vtile est.

Calefaciens præcipuè, & flatus pellens clyster sic fit: ℞. rad. Liliorum, Altheæ an.℥.ij. rad. Enulæ ℥.ß. herb. Betonicæ, Abrotani, Absynthij, Calamenti, Marrubij, Rutæ, Origani, Pulegij vtriusque, Melissæ, Erysimi ad M.iij. fl. Chamomil. Melil. Sambuci, Rosmarini, Lauandulæ vel Stœchados an. P.ij. seminum Fœniculi, Carui, Cimini an.ʒ.ij. seminis Lini, Fœnog. an.℥.j. fiat decoctio in Aqua & Vino, dissolue in col.s.q. Mellis anth.℥.ij. ol. Cõmunis vel Nucũ antiqui, Liliorũ an.℥.j.ß. Hieræ picræ simpl. vel de 15. rebus, el. de baccis Lauri an.ʒ.iij. Salis q.s. fiat Clyster.

Plus calefaciet, in pituita vitrea conueniens, si huic decocto addas, rad. Pyrethri, Acori veri vel Ireos an.ʒ.vj. fl. Centaurij P.j. semin. Nigellæ ʒ.ij. Et dissoluas cum cæteris Mellis anacard. vel scyllitici ad ℥.j. Vini maluatici ℥.ij. Castorei (quod acceptissimum est intestinis) ʒ.j. vel Euphorbij ʒ.ß. aut alia gũmi, vt Galbanum, Oppopanax. Sed Moschũ, Ambram, & Ciuetam, vt aliqui faciunt, addere propter pretium, quia merdæ fœtorem hisce mutare non possumus, superfluum & nimis curiosum esse videtur.

Flatus discutiens præcipuè enema: ℞. herb. Origani, Rutæ an. M.j. Rosmarini summit. cum florum Lauandulę vel Stœchados, an. P.j. fl. Chamomil. P.ij. baccarum Lauri & Iuniperi an.℥.j. sem. Carui, Cimini an.ʒ.ß. semin. Fœniculi ʒ.ij. seminum Ameos, Petros. Seseleos, vel Dauci, Rutæ an.ʒ.j. fiat decoctio in Aqua & Vino, & in col. q.s. dissolue el. de Baccis lauri ʒ.iij. Hieræ picræ ʒ.ij. Mellis anthos.℥.j. olei Anethini, Nucum ana ℥.j.ß. fiat Clyster: Detur cum sale, vel sine eo.

Oleum rutaceum ad ℔. j. solum infunditur, cui Vini maluatici ℥.ij. appositæ, efficaciùs illud reddunt.

Anodynus clyster, qui & emollit: ℞. rad. Altheæ, Liliorum rec. an. ℥.ij. herb. Maluæ, Betonicæ ana M.j. flor. Chamom. Meliloti ana P.j. semin. Lini, Fœnogr. an.℥.j. medullæ Panis 4.j. seminis Carui ℥.ß. seminis Anethi ʒ.ij. semin. Anisi ʒ.j. fiat decoctio in Iure intestinorum vel Lacte, & in col.s.q. dissolue, Butyri rec.℥.ij. ol. Amygd. dulc. vel Nucum recentis, ol. Anethini ana ℥.j.ß. axungiæ Anseris ℥.j. Vitellos ouorum num.ij. fiat Clyster. Detur cũ Sale, vel sine eo, si diutiùs eum retineri volumus. Stercus lupi ad ʒ.vj. clysteribus additum, valde iuuare aliqui docent.

Oleum oliuarum vel Nucum iuglãdium, Auellanarum, Amygdalarum, Lini, Sesaminum, recentia: vel Chamomelinum aut Anethinum, sola, inuicémve permista, bonâ quantitate iniecta, anodyna sunt. Si mucago seminis Lini & Fœnogr. addantur ad ℥.ij. Vitelli & Albumina ouorum duo, & Croci ʒ.ß. magis dolorem leniet.

Cùm lenire & abstergere simul volumus, Mel, Saccharum, Sapa ad ℥. ij. vel iij. oleis adduntur.

Vel sic: ℞. olei Chamomel. vel Anethini, succi Ptisanæ ℔.ß. Sacchari vel Mellis, vel Sapæ ℥.ij. misce.

Narcotica, vt succurramus dolore afflictis, minori adhuc quàm si per os exhibeantur periculo, clysteribus adduntur. Si pro ratione causæ parato enemati, vel anodyno præcipuè, quod ob dolorem iniicitur, adhuc incoquantur fol. Hyosciami vel Mandrago-

ræ: vel si Philonij Rom. vel Requiei Gal. ℥.ij. vel alia antidota, vt Theriaca, Mithrid. an. ℥.ß. permisceantur. Et quemadmodum per os dantur narcotica catharticis permista, sic & cum Benedicta aliisve electuariis purgantibus Philonium mistum infunditur.

Efficacissimè operabitur, si Opij gr.vj. in Vino maluatico vel Aqua vitæ dissoluta, clysteribus addantur.

Vel ad ℔.j. Olei rutacei vel Anethini, Opij ℈.ß. Castorei ʒ.ß. dissoluta injiciantur.

Suppositoria, tum ad stimulandum, tum alterandum, tum dolorẽ sedandum induntur potissimùm. Licet & ad flatus pellendos, quod tamen vix efficere possunt, quoque supponantur.

Ad aluum ciendam, cùm illa constipata est, & clysmata fastidiunt, vel iniecta rejiciunt, purgantiaque non ferunt, communia ex Melle & Sale induntur: Vel illis etiam acriora, addito pulu. Hieræ, Stercore muris, Colocynthide: qualia passim describuntur.

Si Spolium serpentis in vase æneo fricatum, vratur, puluisque in anum trudatur, plurimùm in colico iuuare docent.

Dolorem sedat, si cum Opio in succo Lactucæ dissoluto, anus intrinsecùs vngatur. Vel si Opij ℈.j. Castorei ʒ.ß. cum olei Anethini ℥.j. mista, lanaque excepta in podicem intrudantur. Vel si alio pacto Opium suppositoriis permisceatur.

Purgantia adhibita ad causam amouendã aluumque aperiendam, præsertim quando clysmata respuunt, causaq; altiùs latet, locũ habent: cauendo tamen à violentis, quæ nimirum irritando intestinorum dolorem ingeminant, imprimis antequam clyster subjiciatur, si priùs per horas aliquot antea leue purgans sumpserint, clyster eò felicius operatur, & ab alto materia rectiùs euocatur: sicuti frequenter in nostris colicis facere soleo.

Vina præcipuè purgãtia in intestinorum morbis vtilissima sunt: quibus aluum laxamus, excrementa educimus, & quando denuò constipatur, vt in colico dolore fieri solet, eam rursum soluimus: quibus si clysmata respuant, nihil vtilius ad aluum apertam, quod summè hîc requiritur, seruandam: & cùm excrementa rectiùs & ex magis abditis locis hæc assumpta vina, quàm iniecta clysmata educant, his quoque aliquando in colicis doloribus sanandis illa præferimus: atque hisce vinis purgantibus, quæ vini causâ purgantium noxam admodum corrigunt, & ne ventriculo & intestinis noceant cauent, potiùs quàm aliis purgantibus vtimur. Horum autem exempla quædam in cordis dolore, ab hisce causis, proposuimus.

Imprimis verò hoc in intestinorum doloribus conueniens est: ℞. radic. Graminis, Fœniculi ana ʒ.vj. radic. Acori veri, Enulæ, Imperatoriæ ana ℥.ß. cortic. Citri sicci, & herb. siccarum Absynthij ana ʒ.iij. Maioranæ, Calamentæ, Pulegij, Chamæpytheos: florum Rosmarini, Ros. rubr. Chamomil. ana ʒ.ij. seminum Fœniculi ʒ.iij. seminum Carui, Apij veri ana ʒ.ij. baccar. Lauri ʒ.iij. fol. Senæ ℥.ij. Agarici trochisc. ℥.ß. Turpethi ʒ.ij. (quæ tria vino macerata, vim quâ ventrem conturbant, amittunt) conquassentur & incidantur, addendo Vini ℔. quatuor vel plus, & post maceratiõe aliquam vel leuem decoctionem in duplici vase: Bibat cùm constipatio adest, haustum vnum.

Si à bilioso acríve succo proueniat, tale vinum competit: ℞. radic. Cichoreæ ℥.j. Absynthij ℥.ß. flor. Viol. Bugloss. ana p.j. sem. Anisi & Violarum ana ʒ.ij. rad. Polypod. ℥.j.ß. fol. Senæ ℥.j. Rhabarb. ʒ.ij. Spicæ ʒ.ß. infundantur in mensura Vini: Vtatur vt dictum de priore.

Decoctum vel syrupus ex materia ex qua Vinum purgans fit, parari poterit: vel alia similia passim descripta vsurpari.

Galli veteris decocti in aqua cum Brassica, ius bibitum, aluum mouet: cui propter flatus tantillum sem. Carui vel Fœniculi addi potest.

Vel sic: ℞. Gallum antiquum, agitatum priùs & cæsum, antequam iugulatur, dein euisceratum & infarctum sequentibus, priùs incisis & confractis, Mentâ, Maioranâ, Thymo, Satureiâ, ad M.ij. fl. Chamomil. Rosmarini ad p.j. seminibus Anisi, Fœniculi, Carui, ad ℥.ß. rad. Galangæ, vel Acori veri ʒ.iij. Polypodij, Cnici, Senæ mundat. an. ℥.j. Tartari vini albi ℥.ß. Salis gemmæ vel Cõmunis q.s.

deco-

coquantur in aqua, eâ arte, vt in asthmate [illegible]litum, ad consumptionem medietatis: coletur. De iure bibatur poculum.

Laricea vel Terebinthina ad ℥. ß. & plus, eo pacto vt in nephritico dolore dictum, exhibita, additis quandoq; purgātibus, vt hierâ, benedictâ, cæterísve, hîc quoque iuuat.

Casiæ pulpa, in fæcum duritie datur, addendo ne inflet, semen Anisi vel Fœniculi aut Carui, alióve modo exhibita.

Electuaria purgantia interdum dantur, in cardialgiis descripta: vt Catholicon, Diaphęnicon, Indū maius, Elescof. Hiera picra, vel de Octo, vel de Quindecim rebus, Benedicta laxat. & similia, cum decocto aliquo conuenienti seminum calidorum & plantarum, vel cum Vino generoso aut aromatico, alióve modo.

Pilulæ propter aloën, quæ hîc conuenit, probantur, leuiores: vt de Hiera picra, de octo rebus, de Aromatibus, addendo ℈. ß. Castorei. Vel fortiores, si summa adsit constipatio: cauendo à colocynthideis & quæ agaricum recipiunt aut turpethum, cùm hæc in substantia data, intestina vellicent.

Tartari puluis à ℈. ij. ad ʒ. j. cum liquore exhibitus, egregiè abstergendo pituitam, operatur.

Pulueres purgantes, qualis est ille qui in nephritide descriptus est, alibique, vti & in aliis formis prædictis multa purgantia, aliis in locis descripta, hîc quoque locum habere possunt.

Emplastrum ex cocco gnidio excorticato, contuso cum Cera misto factum, ventri impositum, aluum soluit.

Præparatio humorum, cùm malum hoc præcauere volumus, pręcipuè locum habet, vt post eam prægressam, purgētur phlegmata & cruditates: dein & cùm malum vrgēt, & purgatio requiritur, interdum quoq; pręparatio quædam præmittitur.

Danda ea quæ pituitam incidūt, maximè si tenax & frigida sit: qualis vitrea esse solet: Vti in cardialgiis ab hisce causis excitatis, fieri diximus, per syrupos, aquas decocta.

Vomitus ad colici doloris præcautionem interdum conducit, in consuetis, cùm excrementa congeri incipiunt, factus: Et in principio huius doloris inuasionis promotus, reuellendo ab intestinis prodest: vti & in ileo si bilem vomant, vomitus minimè compescendus.

Qui actu potentiaq; eum prouocantibus, mouetur. Oleum Ricinum præsertim potum id facit, doloremque simul compescit.

Inter ea quæ propinantur, Victus primùm sit parcus seu tenuis & simplex, non solùm dum hoc malo affliguntur ægri: sed & in præcautione præcipuè horum affectuum, qui intestina obsident, cùm ad ea cibus perueniat, diligens ratio obseruanda, ne in eo peccetur, cùm sic facile recidiuam patiantur. Cauendum à cibis crudis, flatulentis, duris, stipticis. Et quando laborant, causaq; præsertim est frigida, condiendi cibi simplicibus & aromatibus, calidis, incidentibus, discutientibus. Bibendumque Vinum generosum, & abstinendum ab aqua: vel si vinum aliis de causis non concedatur, aqua cocta aromatizata Cinamomo. Pipere, aliísve vsurpanda: sicuti hæc prolixè in cardialgia à causa frigida & flatibus, ac ventriculi imbecillitate ostensum fuit. Quæ tamen calida, si biliosa sint excrementa prauaque, minùs conueniunt, cùm ea quæ bilem gignūt, prauosq; humores, vitāda tunc sint: & cùm vinum immoderatè sumptum neruis noceat, illud imprimis, cùm conuulsionis est metus, moderandum, vel etiam vitandum, illiusque loco alius potus conueniens vsurpandus. Nec dum etiam acida, etsi bilis acrimoniam contemperent, cùm tormina excitent, hîc conceduntur. Vtantur quoque si dura adsint excrementa, cibis liquidis, mollibus, & nonnihil pinguibus, Butyro insuper & Oleo, recentibus, similibusque.

Panis furfuraceus, leuiter & sensim donec emolliatur coctus, reiectâ aquâ sumptus, & cum Lardo porcino & Butyro in pultem redactus, comestus, cùm conuoluulus timetur, eum præcauere dicitur.

Alauda cristata, tosta vel elixa, cum iure galli comesta, vtilis.

Probatur & Ius galli antiqui: & Ius cochlearum terrestrium, potum.

Decocta vel infusiones probantur: radicum Acori veri, Graminis (Dioscorid.) herbarum

barum Sampſuci, Calamentæ, Rutæ, florum vel ſummitatum Anthemidis, Anethi, Meliloti & Ericæ: in aqua vel Brodio galli vel caponis, addito interdum Vino & Saccharo vel Melle ad gratiam. Abrotani decoctum aliqui extollunt. Parietariæ alij decoctum in Vino, addito Saccharo, magni faciunt. Abſynthites vinum bibitum probatur, præſertim ſi ſemẽ Cumini vnà maceratum aut decoctum fuerit: Raphani item corticum in Vino infuſio, addito ſaccharo: Seminum etiá flatus diſcutientium. Aromatum præterea, vt Acori veri, Galangæ, Nucis moſch. Gariophyl. in Vino infuſio, vel leuis ebullitio, addito interdum Croci exiguo & Saccharo: Vel ſi alia Vina medicata aromatica dentur: De quibus in Ventriculi imbecillitate egimus.

Peucedani ſuccus vel liquor cum Ouo bibitus, probatur.

Sanguinem anguillę ſumptum in hoc caſu, laudant.

Aqua in qua Virga cerui abluta fuerit, ꝓpinata, commendatur.

Aquæ ſtillatitiæ conueniunt, ſimplices vel cõmiſtæ ad ℥. quat. bibitæ, addito ad gratiam, ſi velint, Saccharo, Veluti herbæ Trinitatis, Linguæ canis, flor. Sambuci & Geniſtæ, Chamomillæ, cort. Fabarum, Lappularum viridium inuentarum in frumentis. Aqua item elicita ex ſtercore vaccæ, valde probatur: vti & Cinamomeæ aquæ cochleare vnum aut alterum, prout efficax fuerit, ſumpta.

Ex diuerſis compoſitæ quoq; fiunt: hæcque imprimis vtilis: ℞. Zingib. ℔. ß. Cinamom. Gariophyll. Nucis moſch. Zedoariæ, Galangæ ana ℥. ij. Maſtichæ ℥. ß. conquaſſata, infundantur in Vino generoſo, deſtillentur: Dentur cochlearia ij. vel iij. In flatuũ copia addatur Menta ad ʒ. ij. ſemen Fœniculi, Aniſi ana ℥. ß.

Aquæ vitæ compoſitæ, in cardialgiis explicatæ, in frigida cauſa, hîc quoque locum habent.

Olea leniendo, lubricando & fæces emolliendo, plurimùm iuuant: vti Oliuarum oleum recens, vel ſi aſſeruatum aliquãdiu fuerit, bene lotum nec rancidum: bibitum affatim ad ℥. vj. & ampliùs, valde dolorem compeſcit: vti & oleum Amygdalarum dulcium vel Nucum aut ſeminis Lini, recentia, bonâ quantitate ſumpta, per ſe, vel cum iuſculo: quibus oleis, Saccharum, & Vini Maluatici tertia pars miſceri poterit: nonnunquam & Aquæ vitæ ʒ. ij. aliæve aquæ ſtillatitiæ.

Excellens remedium: ℞. ol. Amygdalar. dulc. vel alterius, in pauperibus, ℥. iiij. Vini generoſi vel maluatici ℥. j. ß. ſyr. de Papauere, ſi efficax ſit, ℥. ß. miſce: Bibat.

Amygdalarum amararum & Perſicorum nucleorum olea, non ſolùm in nephritico, ſed & colico iliacoq; dolore bibita, probantur: Laurinum oleum bibitum, ſimiliter commendatur. Quibus omnibus interdum olea ab aromatibus elicita, guttatim permiſceri poſſunt.

Lariceæ vel Terebinthinæ olea: vti & Vitreoli, aliqui cæteris permiſta, extollunt.

Pulueres varij in cardialgiis à cauſa frigida, flatibus & imbecillitate ventriculi expoſiti, in ſimilibus hiſce inteſtinorũ affectibus quoque locum habere poſſunt.

Imprimis verò ad inteſtinorum dolores & inflationes, Dioſcorides cæteriq; ſequentium ſimplicium pulueres ad ʒ. j. per ſe vel diſſolutos in vino, iure, aquis, aut aliis formis permiſtos exhibent: veluti rad. Acori veri, Iridis, Imperatoriæ, Vincetoxici, Scyllæ, Dictamni albi, Ariſtolochiæ, Eryngij, Pæoniæ, Aſclepiadis, Mei, Libanotidis & Panacis: herbarum Mentaſtri, Mentæ, Serpilli, Chamepytheos, Trinitatis, Chamædaphnes, Halimi, Phalãgij, Centumculi, Pſeudobunii, Conizæ, Roſmarini, Pulegij, Lauri tenellorum foliorum: item florum Verbaſci: ſeminum Ammi, Petroſelini, Carui, Cimini, Dauci, Aniſi, Fœniculi, Seſeleos Maſsil. Liguſtici, Ferulæ, Ocimi, Syſimbrij, Braſsicæ Momordicæ: nucleorum Amygd. Perſicorum: granorum Lauri, Iuniperi: aromatum item ferè omnium, & Croci.

Præter quæ etiam alia vſu comprobata ſunt, Arantiorum cortex, Hederæ nigræ ſemen: & Roſarum ſemina ex fructu maturo ſumpta: Sagapenum item bibitum: Cera in ſorbitionibus exhibita, ſecundùm Dioſcorid. & poſtea quoque expertum. Succinum

num item, & lapis Gagates, propinata.

Et ab animantibus petita, ſiccataq; & pulµerizata: Ventriculi erinacei vel etiam Gallinę, aut Galli in viris, vt ſpeciem addant, tunicæ interioris: Inteſtinum lupi: virga Cerui: Teſticulus equi caſtrati: Cornua ceruorum tenera adhuc, cùm primùm erumpunt, in talleolos ſecta & ſiccata: Talus ſuillus crematus: Stercoris item gallinæ pars albidior: Item Stercus canis, quod album Græcum vocant, vel Lupinum: quibus odoris gratiâ Cinamomum, radices Angelicæ, ſimiliaque addi poſſunt.

Compoſiti pulueres, præter illos, qui, vti dictum, in cardialgiis explicati ſunt, priuatim hiſce doloribus accõmodantur, ex præcedentibus inuicem permiſtis fiunt, vel additis aliis, & præſertim tãtillo Piperis & Cumino: quibus interdũ & Myrrham addunt.

Radicum prædictarum herbarumq; conſeruæ & conditurę, cum Melle vel Sacharo factæ, quoque dantur.

Raphani cortex ſeu exterior pars craſſa abſecta, valde probatur, condita cum melle, additis aromatibus quibuſdam, vel ſiccata, pulueriſata, & cum fol. Mor. Celſi & oſsibus Meſpilorum exhibita.

Electuarium de baccis Lauri, ad flatulentos præſertim eiuſmodi dolores vſitatum, ad ℨ.ij. propinatur: Paraturque ex ruta, mentaſtro, origano, baccis lauri: ſeminibus ammi, cimini, liguſtici, carui, dauci, amydalis amar. pipere nigro & longo, caſtoreo, ſagapeno, oppopanace & melle.

Cuius loco, cùm admodum ingratum & fœtidum propter rutæ & caſtorei nimiam copiam ſit, tale fieri poterit: ℞. bacc. Lauri ℥. j. fol. Mentæ, Maioranæ, ſumm. Roſmarini an. ℨ.ij. Rutę, Origani an. ℨ. j. ß. ſeminũ Fœniculi, Carui, Ammi, Liguſtici an. ℨ. j. ſeminis Cimini ℨ. ß. Piperis, Zingib. an. ℈. j. Sagapeni diſſoluti in Maluatico ℨ. j. Caſtorei ℨ. ß. Mellis vel Sacchari diſſoluti in Vino maluatico, & cocti in formam ſyrupi ℔. j. fiat electuarium.

Diaciminum, Dianiſum, Diagalanga, Diacalamentum, Diatrion piper. cæteraque in cardialgia explicata, in forma electuarij tabularum, hîc quoque proderunt.

Narcotica in eiuſmodi grauibus inteſtinorum doloribus, cùm ſubitò leuamen adferant, præcipuè locum habent, ob eamque cauſam, cùm hi vehementer ægrum excrucient, aliaque non iuuant, nullo pacto ſunt negligenda: nec ſemel tantùm exhibenda, ſed & cùm dolor redit, repetenda. Cùm ſi dextrè illis vtamur, minimè lædant, ſed dolores compeſcendo, ſomnumque inducendo, vireſque ſic conſeruando, magnum ægro ſolatium vtilitatemque, medico verò ob id exiſtimationem ſummam adferant: ad hæc ſudores mouendo (ſicuti hoc illa facere alibi oſtendimus) de cauſa morbifica multùm ſæpè detrahunt.

Antidota venenis alioquin deſtinata, quia opium recipiunt, vnde opiatæ dicuntur, id præſtant, dupliciq; nomine iuuant, ſi prauus venenatusq; humor ſubſit: vt Theriaca, Mithridatum, Tryphera magna, ſimiliaque: in quibus vis opij ſe magis exerit, meliuſque dolorem ſedant, ſi bona quantitate ad ℨ. ij. vel ampliùs exhibeantur: vel ſi recenter parata dentur: vel addito grano j. vel ſ. opij ad doſim vnam, efficaciora fiant.

Imprimis verò antidotus Philonis Medici Tarſenſis, à Galeno deſcripta, ad eiuſmodi dolores ſedandos compoſita eſt, ex opio, ſemine hyoſciami, adiectis calidis multis, atque correctiuis, vti putant, opij, vt caſtoreo (cuius loco euphorbium Gal. ponit) moſcho, pipere, pyrethro, ſpica, croco, melle inuicem exceptis. Cui compoſitioni, omiſſo moſcho, multa alia calefacientia flatusq; diſcutientia aliqui addunt: veluti caſsiam, cinamomum, zedoariam, coſtum, doronicum, ſemina apij, fœniculi, dauci, oluſatri, Philoniumq; maius ſeu Romanum vocant. Arabes, veluti Hamech & Rhazis, alia calefacientia flatuſque diſcutientia, vt rutam, mentaſtrum, baccas lauri, ſemin. ameos, nigellæ, cumini adjiciunt, & mandragoram narcoticam inſuper addunt: Vtimurq; Philonis antidoto, cùm dolor potiſsimùm eſt ſedandus, Philonio verò Romano vel Rhazis, quando maiori calore, flatuumque diſſipatione opus eſt: à ℈. ij. ad ℨ. j. hæc propinando, prout efficacia ipſorum priùs explorata nobis cognita erit. Requies dicta anti-

dotus, dolori sedando propriè quoque dicata est. Citiusque operantur hæc aliáve antidota, si cum Vino, quod narcosin in se quoq; habere, alibi demõstrauimus, propinentur, aut illis priùs sumptis, vinum superbibatur. Quibus etiam quandoq; alia electuaria cordialia, stomachica puluerésve, aut conseruas permiscemus.

Ad horum similitudinem multa alia ex opio narcotica electuaria, vel trochisci vel pilulæ, si ingrata, vt castoreum, recipiant, parari possunt: sicuti multa eiusmodi passim describuntur, & chymici sua Laudana dicta cõponunt, ac præ cæteris extollunt. In quibus de nouo parandis, cùm opium, si noxam adfert, non frigiditate summâ, quæ illi sine ratione attribuitur, sed proprietate aliâ abditâ, si quantitate maiori detur, cerebrum neruosq; nimiùm stupefaciendo lædat, potiùs studendum, vel ex opij diligenti & exquisitâ cum cæteris, quæ adjiciuntur, permistione, compositio talis fiat, per quam opiũ æqualiter diffusum, omnes illius portiones viribus æquales efficiantur, ne vna dosis alterâ magis sit efficax, sicq; error committatur: & vt massa inde parata, antequam certum illi pondus assignetur, priùs minori quantitate exhibita, quid & quantum possit, exploretur. In quo magis laborandum, quàm vt adiectis multis calidis, nisi hoc aliis de causis, vt ventriculi corroborationis aut frigiditatis vel flatuum gratiâ fiat, frigiditatem illius retundere (quæ si stuporis causa esset, vis narcotica hoc pacto impediretur) velimus. Vnde & si illis omissis, opio tãtùm ea quæ odorem tetrum, & saporem amarum illius emendant, addantur, ex illisque compositiones formentur, decentiq; quantitate dentur, innoxiè cum magno successu, vti toties expertus sum, vsurpantur. Quæ, quomodo variis modis fieri possint, exemplis quibusdam demonstrabo.

Pilulæ narcoticæ loco Philonij: ℞. Opij ℈.j. seminis Hyosciami albi ℈.ij. Piperis ʒ.ij. Castorei ʒ.ß. Croci ℈.j. dissoluatur opium Vino maluatico, & fiat massa: exiccetur, rursumque puluerisata, syrupo Papauerino redigatur in massam. De qua in forma pilularum detur ℈.ß. experiundo primùm quid operetur, & secundùm illud augenda minuendáve dosis.

Electuarium opiatum, additis stomachicis & cordialibus: ℞. spec. Diambræ vel Diamoschi, vel Aromatici moschati ʒ.ij. Cinamom. ʒ.j.ß. Santali rub. ʒ.ß. Sacchari ʒ. quatuor, Opij dissoluti in Vino maluatico ʒ.ij. olei Gariophyll. vel Cinamomi guttas aliquot, misceantur diligentissimè, additoque syrupo Cydoniorum vel conseruat. Citri q. s. fiat electuarium. Incipiat experiri exhibitione ʒ.ß.

Trochisci vel tabulæ ex eadem electuarij materia parari possunt, si addito gummi Tragachanti in Vino maluatico, cum illa mucilagine Saccharum cæteraque excepta in formam illam redigantur, eaq; in eadem dosi dentur.

Vel sic gratæ admodum tabulæ: ℞. Opij ʒ.ij. infundantur in Vini maluatici vel aquæ aut liquore Vini ℥. iij. & postquam dissolutum sæpeque agitatum fuerit, rursumq; subsederit, liquor clarus à fæcibus effundatur: & philtretur. Cui adde Sacchari ℥.ij. Cinamom. ʒ.ij. Moschi ℈.ß. infus. gũmi Tragach. factæ in aqua Ros. q. s. misceantur instar pastæ, siccetur eousque, donec in tabulas formari queat. Datur experiundi gratiâ ℈. ß. Cui compositioni & alia tum ad gratiam, tum odoris & coloris quoque causâ addi possunt.

Multa alia narcotica in aliis doloribus explicata, hîc quoque locum habere possunt. Vt & syrupus de Papauere. Hîc tamen quæ doloribus intestinorum magis accommodata sunt, proponuntur: ad quorum formã multa alia fingi possunt.

Purgantibus electuariis vel etiam potionibus, vti & pilulis ex Hiera aliisve, narcotica electuaria, opiúmve permista, vt in nephritico & cordis quoque dolore dictum, sæpè exhibentur, vt aluus laxetur, & dolor interim compescatur: cùm vnum alterius operationem, sicuti experientia ostendit, minimè impediat: sicuti nec theriaca, etsi Gal. hoc asserat, catarcticorum vim retundat. Ob quã & causam, & Rhazis Philonio suo diacridium, cùm simul illud purgare & dolorem lenire vult, permiscet.

Inter

Inter ea quæ extrinsecùs adhibentur, Aquâ marinâ ventrem fouere iubet Dioscor. Cuius loco & alia salsa putealis & artificialis sumi potest.

Aqua Vitæ in panno excepta, aut aliter, ventris loco dolenti applicata, prodest.

Oleum item Chamomelinum, Anethinum, Nardinum, vel similia eodem modo cum philtro, in illis madefacto, admota.

Vel insessio facta ex solo Oleo: vel Oleo & Lacte.

Vel sic: ℞. Olei cõmunis vel alterius calidi, & Butyri ad ℔.ß. Laricеæ vel Terebinthinæ dissolutæ in duobus Vitellis ouorum ℥.ij. Croci ʒ.j. misce: & cum stuppis aut panno, ventri appone.

Decocta pro fotu, insessione, & balneo, ex anodynis, calidis flatus discutiẽtibus fiunt: qualia etiam in nephritico dolore aliqua explicata sunt. Præcipuè verò hîc fiunt ex decocto Maluæ, Altheæ, Pulegij, Origani, Calamenti, Mentæ, Absynthij, Abrotani, Rutę, Saluiæ, Lauri fol. summitatum & florum Chamom. Meliloti, Anethi, Sãbuci, Rosmarini, Stœchados vtriusque, Lauandulæ: seminum Lini, Fœnogr. Carui, Cimini, Fœniculi, baccarum Lauri, Iuniperi: sumendo plura pauciorave. Quibus & rad. Ireos, cort. Citri, Artemisia: seminaq; alia calida, vt Rutæ, Nigellæ, Seseleos, Apij veri, adduntur. Et cùm decoctum pro fotu paramus, Gariophylos, Schœnanthum, Spicã nardi vel Celticam: atque interdum Sulphur viuum, Sal nitrum permiscemus. Decoquendo omnia in Aqua, aliquando & Vino, vel vtrisque: nonnunquam & ad penetrationem addito Aceto: vel doloris causâ Oleo; vel in Hydœleo aut aqua Thermarum, si ad manum sit.

Inunctiones ex oleis anodynis calidis quoque fiunt, vt Oliuarum, Nucum, antiquis: Amygdalino, Laurino, Chamomel. Anethino, Rutaceo, Nardino, Liliorum, Cheirino, Enulato. Item oleo Lilij couallij, quod peculiariter ad puerorum tormina paratur. Quibus interdum calidiora permiscent olea, de Castoreo, Euphorbio, Piperibus, Petroleum, Spicæ.

Axungia Muris mõtani inuncta, in hisce doloribus singularis habetur.

Vnguenta ex hisce oleis aliisque additis, sequenti modo parantur: ℞. olei Chamomel. Rutacei an. ℥.j. ol. Spicæ ʒ.ß. Galbani dissoluti in Aqua vitæ ʒ.vj. fiat Vnguentum.

Vel sic: ℞. ol. Chamomel. Anethini an. ℥.j.ß. ol. Nardini, Rutacei an. ℥.j. ol. Spicæ ʒ.ß. Vini maluat. vel succi Mentæ ℥.ij. coquantur ad consumpt. vini, addendo Galbani, Serapini, dissoluti in Aqua vitæ an. ʒ.ij. axungiæ Gallinæ, Butyri an. ℥.j. permisce pul. Galangæ ʒ.ij. Gariophyl. Nucis mosc. an. ʒ.j. Spicæ, seminis Nigellæ an. ʒ.ß. Ceræ q. s. fiat vnguentum. Possunt & alia aromata, semina carminatiua, herbæ efficaces vel flores, & resinæ, vt Laricea, Mastiche addi: Vel horum loco species ventriculo accommodatæ, vt Diagalangæ similésve permisceri.

Pretiosæ inunctiones ex oleo Nucis moschat. vel Maceris per expressionem facto, fiunt: addendo etiam guttas aliorum oleorum ex aromatibus conuenientibus, vt Gariophylis similibusque exstillatorum. Quæ & olea aliis oleis supradictis dissoluta, vsurpari possunt.

Vel in magnatibus Ciueta, Moschum, Ambra, Algalea Holl. in oleo de Been vel Amygdalino dissoluta, inungi.

Vsitata vnguenta, Dialtheæ, Agrippę, cæteraque in cardialgia descripta, hîc quoque locum habebunt.

Omentum Hœdi vel Agni, vel Vituli vel Castrati, calefactum, vel supra craticulã, donec pinguedo dissolui incipiat, parùm tostum, & ventri appositum, valde prodest, in infantibus quoque conueniens remedium: efficaciusque operatur, si oleo conuenienti, vt Rutaceo vel alio parùm frigatur: vel puluere Cumini, Gariophyll. alióve prius conspergatur.

Fomentum ventri applicatum, à quibusdam commendatur.

Stercus Capræ vel Bubulum, affuso Vino generoso, parùm coctum, addito pulu. Cimini, bacc. Lauri & pauco Melle, & applicatum.

Sapo cum æqua Butyri vel Olei alicuius portione dissolutus, addendo parùm Salis, emplastrique modo admotus.

Emplastrum vsitatum est de baccis Lauri,

ex thure, mastiche, myrrha, lauri baccis, cypero, costo, melle paratum.

Farina Tritici, Hordei, Orobi, Lini & Fœnogræci subacta cum Axungiis, Butyro & Oleo conuenienti, addito nonnunquam & Melle, emplastrata.

Parietaria, Chelidonium maius, Menta, Ruta, contusa, addito Melle & Vino generoso, admota: Vel cocta & Oleis & Farinis in formam cataplasmatis redacta: cui & Cuminum cæteraque addi possunt.

Hyosciami vel Nicotianæ succus, farina supradicta aliqua exceptus: vel herba ipsa contusa, vel frixa parùm, admota.

Nuces cum putamine perustæ, puluerizatæ, & supradictis exceptæ, adhibitæ.

Sacculi calidi appositi iuuant, sicci, vel irrorati parum Vino aut Aqua vitæ. Parantúrque communiter ex Milio parùm tosto, Furfure, Salisque tertiâ parte: cui sem. Carui, flor. Chamomil. fol. Lauri vel baccæ, aliaque addi possunt: sicuti in cardialgiis expositi sunt.

Venæ sectio, si ex intenso dolore metuitur inflammatio, locum habet, in plethoricis maximè: alioquin in hac causa, præsertim cùm è venis meseraicis vix aliquid per hanc reuellatur, minimè proderit.

Cucurbita magna cum flammâ luculentâ, ventris medio affixa, vmbilicum totum includens, si à flatibus dolor excitetur, eos discutiendo, valde conuenit: maximè si in vino decoctóve aliquo conuenienti calido posita, priùs calefacta, vel Allij succo intrinsecùs peruncta fuerit.

Sed & in aliis causis, paulò sub loco dolente adhibita, iuuat.

Syringæ, per quam clysmata injiciuntur, canalis, si podici indatur, attractoque pistillo aër hauriatur, hoc pacto flatus quoque attrahitur eliciturque. Quò medio & clysmata retenta diutiùs, denuò retracta, ad excretionem promouentur.

Amuleta, quibus proprietates aliquas attribuunt, sunt, Cingulum nudo ventri circumdatum, factum ex Intestino lupi, vel ex Pelle lupi, sic cinctum, vt pili ventrem tangant; Vel ex chordâ Vmbilicali, ad hosce vsus siccatâ & asseruatâ.

Pellis item lupi catuli adhibita.

Fimus lupinus větri adalligat⁹, magni fit.

Collo item appensa Auellana, ita vt ventrem attingat, Argento viuo plena: cui amuleto & ad pręcautionem magnas attribuunt vires.

Vel Stercus lupi sic auellanæ inclusum & appensum; quod efficaciùs operari putant, si chorda, cui appensa est auellana, ex Corio ceruino fiat, vel ex Filo ex lana ouis facto, texta sit, quam ouem à lupo priùs raptam aut interfectam esse debuisse, nimis superstitiosè credunt: Vt alia multa talia quæ scribunt, nosque studio omittimus.

Si ab inflammatione vel feruore aut erysipelate intestinorum ileus aut colicus dolor fiant: Sitque in tenuibus intestinis à sanguine facta inflammatio, tanta præsertim vt stercora euomant, lethalis plerumque in senibus est ileus ille miserandus dolor. Nęc in crassis facta caret periculo, præsertim si tanta sit, vt vrinam supprimat. *Iliaci & Colici doloris ab inflammatione, phlogosi, erysipelate, curatio.*

A' bile verò in substantiam intestinorum infusa, si ferueant, aut erysipelate tenuia intestina afficiantur, ileus qui inde prodit dolor, periculosus quoque existit, & conuulsiones, nisi maturè caueatur, plerumque inducens, magis adhuc & citiùs, quàm cùm bilis in intestinorum obstructorum ductu solùm retenta coërcetur; sicuti ab hac causa hoc idem euenire iam ostendimus, illiusq; curationem cum reliquis causis simul exposuimus. In hisce verò causis cùm sanguis vel bilis in intestinorum substantiam fertur, sic procedendum.

Venæ sectio in inflammatione non inutiliter administratur, præsertim si febris adsit, in brachio: vel si inflammatio circa inferiora sit, & vrina supprimatur, in pede facta. Et in erysipelate exigua sanguinis detractio, si dolor admodum vrgeat, vel aliud accidens eam requirat, non oberit.

Clyster refrigerans & leniens, in magna inflammatione injiciendus, sic fit: ℞. Altheę ℥.ij. Violar. Maluæ an. M.j. florum Nenuph. P.j. flor. Chamom. P.ß. Rosarumq; in principio P.j. seminis Lini, Psylij ana ʒ. ij. semin. Cucurb. vel etiam aliorum frigidorum ℥. ß. seminis Anisi ʒ.ij. fiat decoctio: dissolue Cre-

moris lactis vel Butyri rec. ℥.j.ß. axung. Hœdi ℥.j. ol. Rosacei in principio, in progressu Violacei ℥. ij. & ratione doloris Amygdal. dulc. ℥.j. Mellis ros. vel viol. vel Sacchari ℥.j. ß. Mannæ vel Casſiæ ℥.j. fiat Clyster. Poma acida incoquunt aliqui. In declinatione ol. Chamomel. Anethinum, Liliorum additur.

In biliosa causa talis conuenit: ℞. plantarum Emollitiuarum trium vel quatuor ana M.j. Hordei, Furfuris an. P.j. Ficuum, Prunorum dulc. ana n.xij. flor. Chamomil. Meliloti an. P.j. sem. Lini, Fœnogr. ana ℥.ß. sem. Psylij, Cydon. ana ʒ.ij. sem. Maluæ vel Altheæ, ʒ.j. fiat decoctio, dissolue in colatura adipis Anseris vel Gallinæ ℥. j. Butyri vel Olei ℥.j. ß. ol. Nenuph. Viol. an. ℥.j. Liliorum ℥.ß. Mellis Viol. vel Sacchari Viol. ℥.j. ß. Injiciatur.

Si purgare simul velimus, in decocto, Polypodij ℥.j. ß. vel Senæ ℥.ß. incoquitur: & electuar. de succo Rosar. ad ℥.ß. vel Catholicon ad ℥.j. in eo dissoluitur.

In vtraq; causa astringentia clysmati adduntur: vt Plantago, Sumach, Rosæ, quando exulceratio timetur: quæ & inflammationi & erysipelati nonnunquam succedere solet, sed sine cruore ferè tantùm pus proferens. Cuius vlceris curatio in dysenteria quoque explicatur.

Ex Brodio galli veteris clysma, in quo plantæ emollientes coctæ sint, cùm aluum lenire volumus, prodest.

Lac recenter mulsum cum pauco sacharo, in vtraque causa ad dolorem leniendum injicitur: cui Album. oui aut Mucago psylij ad ℥.j. interdum additur.

Idem præstat clyster ex solo Lacte seu emulsione Amygdalarũ, aut Cremore Hordei, ex illius mundati decocto expressi, factus: addendo Butyri recẽtis aliquantum, & Saccharum ac Mel.

Vel etiã alia Anodyna & Narcotica, cùm dolor vrget, clysmata superiùs enarrata, è minus calidioribus vsurpari possunt.

Purgantia non nisi leuia seu laxantia solùm, si necessitas requirit, & clyster non operatur, vel non admittitur, dantur. Vt syrup. Viol. Rosar. solut. Decoctum fructuum, passul. prunorũ, sebesten, viol. addito quandoque & Rhabarbaro, vel Casſiâ, aliísve laxantibus non nimiùm calefacientibus.

Inter ea quæ sumuntur, Victus ratio qualis in inflammationibus internis & biliosis affectibus conuenit, instituitur. Vinumque proin, tunc quia conuulsiones metuuntur, minimè conceditur.

Propinãtur ex illis quæ proprietate quadam in intestinorum doloribus iuuant, superiùs explicatis, illa, quæ minùs sunt calida. Vti & illa quæ leniendo dolorem mulcent, & anodyna sunt. Postremò & narcotica, semper eligendo ex supradictis quæ minùs calefaciunt, quæ & laxantibus, vti illic dictum, permisceri possunt.

Extrinsecùs in vtraq; causa inunctiones fiũt, ex oleo Viol. Amygd. dulc. Chamomel. Anethino, addito Butyro rec. & mucilag. semin. Lini, Fœnogr. Cydon. & Axungiis.

Balneum aquæ dulcis item competit: Foměta ex decocto, vnde & clysma parabatur.

Cataplasmata item ex clysmatũ residentia. Vti & ex farina Hordei, Lini, Fœnogræci, cum Butyro, Axungiis, & Oleo parata: in conuoluulo vtilia.

Cucurbita inguini imposita, cum Scarificatione aliquando præmissa, in ileo dolore ab inflammatione genito, confert.

Amuleta in aliis causis proposita, & in hisce, cùm nocere suis qualitatibus apposita nequeant, locum habebunt.

Distentiores vesicæ & vteri, si dolores illorum procreent; Cùm hoc in vesica tantùm ab vrina retenta vesicam implente fiat, quo pacto huic molestiæ subueniendum, in mictionis defectu explicatũ fuit. Vti & si à calculo molestetur, quod in ceruice ipsius potissimùm fit, in mictione dolorifica, quę tunc potissimùm vrget, describitur. *Distendentis circa vesicæ regionẽ doloris curatio.*

Vteri verò distentio seu inflatio aut refrigeratio, ab aëre externo facta, si Post partum dolores appellatos gignat, tũc si mulier quæ huic malo obnoxia est, dum parit, ab aëre agitato, & vento frigido præsertim arceatur, & circa inferiora, mox à partu bene muniatur, fasciaq; ventre illius sensim leuiterque, vt vterus citiùs rursum subsideat stringatur, dolor hic præcauebitur, vel citiùs desinet. Quòd si perseueret, medicamentis vterinis *Vterini doloris quẽ Barmuter vocant, & illius qui Post partum appellatur doloris, curatio.*

Si verò vterini dolores alij, à prauis humoribus circà vasa ipsius & membranosa ligamenta, collectis, geniti infestent, illi, qui menses præire aut illos suppressos, vel alioquin non decenter fluentes, comitari; vel etiam, postquam per ætatem iam cessarunt, & nihilominus impuritas hęc circa vteri vasa colligitur, quoque accidere solent: Tunc si menstruorum causâ hoc accidat, illuuies illa, quæ menses sistit vel impedit, imprimis repurganda, & vt menses rectè procedant, sicuti in menstruis retentis aliisque affectibus, qui inde proueniunt, abundè explicatum fuit, procurandum. Quæ præcipua ratio curandi vterinos hosce dolores inde profectos, existit: Remediaque vteri doloribus accommodata, eadem ferè sunt cum illis, quæ in intestinorum doloribus, cùm calefacere flatusque discutere, dolores sedare volumus, conuenire diximus: quod inde euenit, quia (vti declaratum fuit) dolores illos intestinorum, vterinos, idque in vtroque sexu esse putant, sicque nominant: & quia in intestinorum doloribus hæc profuisse obseruarunt, quos vterinos esse censuerunt, vteri doloribus etiam hæc remedia adscripserunt. Quæ tamen remedia calida, flatus pellentia & anodyna, in intestinorum doloribus descripta, vteri doloribus tunc præcipuè etiam competunt, si post partum ab aëre frigido suborti, hi diutiùs perseuerent, aut alioquin frigidis vteri morbis copulentur. Et cùm illa calore suo, quo vterus imprimis, vti & de intestinis diximus, delectatur, eum foueant, doloresque sic mulceant, si menstruorum causâ dolores quoque accidant, hac ratione, eoq; magis, quòd & menses simul moueant, prodesse tunc poterunt. Vnde & factum, cùm calida remedia non solùm vtero adscriptis doloribus, qui tamen intestinorum erant, sed & vtero vasisque illius propriis conuenire obseruarent, plerosque vteri dolores à frigore proficisci, vulgus crederet: cùm tamen illa ob causas dictas in eiusmodi enarratis vteri doloribus competant. Eoque magis, si remediis illis quæ in intestinorum doloribus calefaciendo, flatus discutiendo, dolores compescendo, iuuare diximus, ea quæ vterum potissimùm respiciunt, adjiciamus. Cùm alioquin ab illis hæc remedia matricalia nihil vel parùm differant, nec alia ferè quàm in intestinorum dictis doloribus enarrata, à Practicis describantur. Quæ tamen sequenti modo vsurpata, rectiùs in vteri enarratis doloribus conuenient.

Phlebotomia, nisi menstruorum prouocandorum causâ in pede, aut euacuationis alterius occasione requisita, alibi fiat, hîc parùm proderit.

Purgantia eadem quæ in intestinorum doloribus dictis præscripta sunt, hîc quoque exhiberi possunt. Imprimis cùm turpethum intestinorum dolores, quia turbando tormina excitat, exaggeret, in vterinis vtiliùs censetur à ʒ.j. ad ℈. quatuor in puluere illud exhibendo, addito correctionis loco, Zingib. ℈.j. & Cinamomo Sacchareque ad gratiam, cum aqua Artemisiæ.

Clysmata emollientia, stimulantia, calefacientia flatusque pellentia, prout necessitas exigit, in intestinorum doloribus descripta, non solùm aluum soluendo flatusque pellendo, vnde dolores etiam vteri mitigantur, sed & quia vtero vicino recto intestino vires suas communicant, hîc quoq; competunt, additis præsertim herbis matricalibus.

Quale illud vtero accommodatum sit: ℞. Artemisiæ, Calamenti, Pulegij an. M.j. flor. Chamom. Meliloti, summit. Anethi an. P.j. sem. Anisi ʒ.vj. seminis Lini vel Fœnogr. ℥.ß. Furfuris P.j. fiat decoctio, dissol. in f. q. colaturæ Mellis Anthos. ℥.j. ol. Cheirini ℥.iij. Bened. lax. Hieræ simpl. an. ℥.ß. Sacchari rub. ℥.j. Salis parùm, fiat Clyster.

Alius vtilis: ℞. ol. Amygd. am. ℥.vj. Pingued. anseris ℥.ij. Lariceæ dissolutæ in vitellis duobus Ouorum ℥.ß. dissolue cum Iure pulli, & detur.

Exhibita multa in intestinorum doloribus proposita, hîc quoque prosunt. Laudaturque imprimis Aqua artemisiæ, Oleum item amygdal. amararum, affatim bibita. Aliqui oleum Scorpionum quoque exhibent. Vt & Succū stercoris equini, per se vel cum Vino expressum & propinatum.

Decocta vtilia in vterinis doloribus, vti & illis qui post partum fiunt, calida bibenda

per

per se, vel Sacchare & Melle dulcorata, & Cinamomo aromatizata, fiunt talia.

Primum: ℞. Schœnanthi ℥. ij. bulliat in Aqua arthemisiæ q.s. colatura detur calens, duabus vicibus. Similiter ex Spica factum decoctum prodest: Vel ex vtriusque ℥.ij. pro quatuor vicibus exhibendum: dulcorentur & aromatizentur si velint, vti & sequentia.

Aliud: ℞. rad. Matricariæ ℥.ß. Nucis moschat. ℥.ij. coquantur in Vino albo: Et colaturam bis bibat.

Tertium: ℞. granorum Iuniperi ℥.ij. seminis anisi, Carui an. ℥.j. fiat decoctio in Vino: Colaturam vno haustu bibat.

Quartum: ℞. rad. Matricariæ ℥.vj. radic. Succisæ ℥.ß. gran. Iuniperi ℥.ij. seminum Anisi ℥.ß. seminis Carui, Dauci an. ℥.j. Nucis mosch. ℥.ß. Schœnanthi, Spicæ an. ℥. j. fiat decoctio in Vino. Colatura dulcoretur & aromatizetur, vt dictum, pro tribus vel quatuor dosibus.

Infusiones prædictorum ex quibus decoctio fit, in Vino Maluatico, vel cum Aqua vitæ factæ, prosunt: Vti & aliæ similes in ventriculi imbecillitate propositæ.

In substantia multa in intestinorum doloribus, & imprimis in imbecillitate ventriculi explicata, hîc quoque vtilia sunt. Vti & sequentia.

Menta, Balsamita maior, quam mentam Græcam vocant, in placentis aut alio modo in cibis probantur. Vti & grana Iuniperi, pro ipsorum condimento.

Puluis radicum Imperatoriæ, Zedoariæ, & imprimis Gentianæ à ℥.j. ad ℥.j.ß. cum Vino generoso, aromatibus aliquando additis propinatur.

Vel materia ex qua decoctum parari diximus, puluerisata, hac formâ exhibeatur.

Alter compositus puluis: ℞. rad. Matricariæ ℥.ß. Imper. Succisæ ana ℥. ij. rad. Dictamni albi, Zedoariæ, Gentianæ ana ℥.j. gran. Iuniperi ℥.j.ß. semin. Anisi ℥.ij. seminũ Dauci, Ameos, Cimini an. ℥.j. Schœnanthi ℥. ij. Maceris, Spicæ an. ℥.j. Zingib. Piperis an. ℥. ß. Croci ℈.ß. fiat puluis: qui per se cum Vino ad ℥.j. exhiberi potest: vel Sacchari addito duplo pondere propinari: aut in tabulas priùs redactus, sic dari. Posset & hic puluis, addito Melle, in electuarij formam redigi, sicque exhiberi.

Diaciminum inter alia ex vsitatis, in matricis doloribus præsertim, commendatur. Vti & cùm simul adest imbecillitas, Diamargaritum calidum.

Ingratus, sed efficax puluis: ℞. Cimini infusi in Aqua vitæ, rursumque siccati ℥. j. sem. Ameos, Zingib. an. ℥.ß. Castorei ℈.j. Datur ℥.j. cum Vino.

Maxillæ cum dentibus Trutæ piscis pulueris ℥.j. cum aqua Chamom. exhibita, singulare est præsidium, cùm dolor ante menstruorum aduentum vrget.

Secundinæ exiccatæ puluerem bibitum, dolores post partum mox compescere, docebat Rondel. Et quia animalia bruta eam deuorare solent, idcircò ab eiusmodi doloribus immunes esse, experientiâ se cognouisse in canicula sua, cui cùm secundinam subtraxisset, dolores hosce quoque superuenisse obseruarat, dicebat.

Pilulæ ex ingratis potiùs formantur, sicq; dantur: ℞. gummi Oppopanac. Serapini an. ℥.j. Castorei, rad. Gentianæ an. ℥.ß. Spicæ ℈.j. Croci ℈.ß. cum syr. Artemis. fiant pil. Da à ℥.ß. ad ℥.j.

Opiatæ in summo cruciatu, vt in colicis dictum, locum habent. Præcipueque Tryphera magna cum Opio, vtero accommodata est. Daturque ℥.j.ß. cum Vino, aut aqua Artemisiæ: addito interdum pulu. Maceris ℈.j. Croci ℈.ß.

Quorum adiectione etiam Theriaca dari posset: addito insuper quando magis calefacere volumus, tantillo Castorei.

Fotus, insessiones, lotiones pedum, quæ vtero quoque valdè conueniunt, ex decoctis herbarum, seminum, additis in fotu etiã aromatibus, vt in intestinorum doloribus competunt: Imprimis addendo hîc propter vterum, Artemisiam, Matricariam, fol. Lauri, Melissam, Nepetam, Balsamitam, Botrym, Sabinam, Chelidonium maius, rad. Vincetoxici, fl. Cheiri, Viscum quercinum: semen Dauci, similiaque.

Ex iisdem aliisve, priùs in doloribus intestinorum explicatis, fiunt sacculi.

Inunctiones ex oleis eodem etiam modo,

vti illic dictum, fiunt: imprimisq; hîc Laurinum, Cheirinum, Irinum, Liliorum, Nardinum, Sambucinum commendantur.

Vnguenta consimilia varia, addendo oleis succos prædictarum herbarum, aromata, vti illic describuntur, aliquando & gummi quædam. Quo pacto & emplastra fiunt, vtileq; hîc quoq; emplastrũ de Lauri baccis.

Cataplasmata item ex prædictis plantis: & bulbis Liliorum, Cæparum, coctis, contusis, additis oleis parata. Et quod ex Stercore vaccæ cum semine Cimini, cum Melle & Vino coctum fit. Cumque dolor vrget, ex Hyosciamo, vt suprà dictum, paratum.

Iniectiones ex decoctis vel succis plantarum enarratarum quoque injici possent, sed quia in ceruicem illius tantùm perueniunt, nec circa vterum subsistunt, hîc nõ adeò necesse est doloris causâ illis vti: sicuti neque pessariis, nisi quatenus hæc, si menstrua subsistant, locum habent.

Suffitus tamẽ, cùm altiùs subeant, & maximè ex decoctis suscitati, vtero excepti, proderunt.

Vti & odorata ex Moscho, Ambra, vtero adhibita, eum recreant.

Frictiones pedum à femore deorsum factæ, Cucurbitulæ item coxis appositę, diuertendo prosunt.

Inflãmationis Vesicæ & Vteri curatio. Inflammationes vesicæ & vteri, si dolores in ventris ima sede pariant, cùm horum viscerum corpora connexa sint, curandi rationem nõ multùm differentem requirunt, quam proin hîc simul explicabimus.

Periculosæ autem sunt eiusmodi inflammationes, in partibus hisce exquisitè sentientibus. Imprimis in vtero, si ob partus difficultatem inflammetur, cuius causâ puerperæ frequenter extinguuntur. In vesica, si vlceri illius, vel calculo copulata, & ab aliis irritata inflammatio, in periculum ægrum deducit. In vtrisque quoque, si in scirrhum vel in abscessum, eoq; rupto in vlcus vesicæ vel vteri conuertantur hæ inflammationes, affectum dubiũ post se relinquunt: si in gangrænam desinant, mortem adferunt.

Curationem autem tam vesicæ quàm vteri inflammationis, vt in reliquis inflãmationibus, instituemus: ab initio materia dũ fluit, reuellendo, repellendo, caloremque restinguendo: mox postquã fluxio desiit, eam absumendo, discutiendoq;. Quòd si in alios affectus desinant, quia hoc in ceruice vteri & vesicæ maximè fit, in illorum locorum affectibus hæc explicabũtur. Quæ verò inflãmationum harum causâ fieri debent, hæc sunt.

Vena brachij reuulsionis causâ primùm aperitur: mox ad deriuationem in pede, in vtroque casu, nisi quid obstet, vti fluxus in puerperis, in vel post abortum factus.

Scarificatio in femore facta, adhibitis cucurbitulis: Vel cucurbitulæ sine scarificatione illic affixæ, reuellunt, vti si in natibus hoc fiat. Quòd si verò menses nimiùm fluant in inflammatione vteri, in superioribus hæc potiùs facienda.

Clysmata non solùm ad aluum leniendã, sed & refrigerãdam, doloremq; sedandum, cùm in rectum intestinum iniecta, vesicæ & vtero accumbentibus, vires suas communicent, à principio maximè competunt.

Qualia in renum inflãmatione descripta sunt: Item in intestinorum inflammatione refrigerans clyster: doloremq; lenientia ex Lacte hîc quoque proderunt: quibus & cùm penitùs refrigerare volumus, succi Solani, Violarum, Maluæ similesque permiscentur.

Extrinsecùs remedia in ima ventris regione anteriore & posteriore circa lumbos applicant: in principio refrigerantia & repellentia, non tamen adeò validè astringentia, vt in cæteris inflammationibus, ne durities sequatur: postea in augmento illis addimus resoluentia: quibus circa finem solis vtimur: & si ad suppurationem tendat, ad maturantia transimus.

Refrigerans & parũ repellẽs cataplasma: ℞. rad. Altheæ ℥.ij. herb. Plantag. Bursæ pastor. Dipsaci, Vitis fol. Violariæ, vnam vel plures ad M.ij. decoquantur & contundantur: addendo farinæ Hordei, Lentium ad ℥.iij. seminis Psylij ℥.ß. ol. Rosaceum omphacini ℥.ij. fiat cataplasma.

Epithema ex decocto vel aquis aut succis (quod & efficacius) prædictarum plantarũ, vel inuicem permistis, ad ℥. viij. cum Aceti ros. ℥.j.ß. idem præstat: validiusque, si Boli, sanguinis Draconis ad ℥.ß. addas.

Inun-

Inunctio: ℞.ol.Violacei ℥.j.ß. ol.Rosſ.cùm magis aſtringendum, Omphacini & Myrtini an.℥.j.miſce: Efficaciùs operabitur ſi ſucci addantur Solani vel prædictarum plantarũ ad ℥.ij.& Aceti ℥.j.& cum oleis ad conſiſtentiam coquantur: vel additâ Lariceâ in formam nutriti redigantur. Poteſt & Bolus maioris aſtrictionis causâ addi.

In augmento cataplaſma: radic.Altheæ ℥.iij.Liliorum ℥.j.Semperuiui, Plantag.Solani, Endiuiæ ad M.ij.fl.Chamom.Meliloti an. P.j. Ficuum, Dactylorum an.paria vj. decoquantur & contundantur, addendo farinæ Fabarum, ſem.Lini, Fœnogr.(vel in declinatione Orobi) an.℥.ij. ol.Roſ.℥.ij. ol.Liliorum ℥.j. (augendo in declinatione) Croci ʒ.j. miſceantur.

Ceratum Galeni ex Semperuiuo ad idem conuenit. Multaque alia in inflãmationibus, hinc inde deſcripta.

Inunctio hæc in progreſſu morbi conuenit: ℞.olei Chamom.℥.j.ß.ol.Liliorum, Roſacei ſem.Lini an.℥.ß.ſucci Semperuiui, Sonchi an.℥.j. mucilagin.ſemin.Fœnogręc.℥.j.ß. axungiæ Cuniculi ℥.j. Croci q. ſ. fiat vnguentum.

Fotus & inſeſsiones ex decocto prædictarum plantarum in augmento quoque fieri poſſunt, quibus tamen potiſsimùm vtimur cum dolor vrget, additis ſimul fol.Hyoſciami communis vel Indici, quæ valde tunc iuuant.

Anodynum cataplaſma ſic fit: ℞.Panis detractâ cruſtâ ℔.ß.coquantur in Lacte: addantur Oua duo vel tria conquaſſata, Mucilaginis ſemin.Lini, Pſyllij an.℥.j. Butyri vel ol.Amygd.dulc.℥.iij.Croci ʒ.ß.miſce.

In declinatione emplaſtra digerentia apponuntur: vt de Meliloto, Dialtheæ, Diachylon ireatũ: aliáve ex lachrymis & gummi parata.

Vel hoc: ℞.gummi Bdellij, Galbani, Oppopan.an.℥.ß. Styracis cal.ʒ.ij. Diſſoluantur in ſucco Matricarię & Chamom.additâ paucâ Aquâ vitæ, & fiat emplaſtrum.

Inſeſsio ſeu balneum declinante morbo ad reſiduum tollendum conuenit: Factum ex decoctione rad.Altheæ, Liliorum, herb. Maluæ, floribus Chamom.Meliloti, Sambuci, Anthos, ſeminibus Lini, Fœnogr.addendo ſi vterus affectus ſit ex ſequentibus aliquas plantas, Maioranam, Matricariam, Artemiſiam, Pulegium, Leucoium, Viticem, Spicam, vel Schœnanthum.

Si digeri nequeat, maturetur hoc cataplaſmate: ℞.farinæ Tritici quart.j.far.Hordei, ſem.Lini an.℥.ij. Ficuum P.vj. coquantur in Lacte, contundantur: addendo Vitellos ouorum tres, axungiæ Gallinæ ℥.ij. miſce.

Vel aliis maturantibus in aliis abſceſsibus expoſitis vtatur.

Iniectiones cùm ad veſicam in viris ægrè perueniant, & non ſine labore propter immittendum catheterem in vtroque ſexu, fiant, vnde malum exacerbari poſſet, non facilè eâ inflammatâ fieri debent, niſi aliis de cauſis, veluti ob retentam vrinam aut aliam illuuiem in ductu veſicę, illud tentare neceſſe ſit, & vias hoc pacto dilatare, & abſtergere. De quibus alibi egimus.

In vteri ſinum iniectiones factæ, cùm vteri corpus propter anguſtum ipſius orificium minimè ſubintrent, fundo vteri ſolo inflammato non adeò, niſi quatenus extrinſecùs eum alluunt, vti ſi ceruix inflammata ſit, vel ſimul vel ſeparatim, competere poſſunt.

Tunc decoctum cataplaſmatis ſupradicti herbarum, vel aquæ aut ſucci illarum herbarum, ad repellendum ab initio, & in progreſſu decoctum illius cataplaſmatis, quo in augmento vtimur, injici poterunt.

Vel herbæ ipſæ contuſæ, farinis in cataplaſmatibus illic quoque expoſitis ſubactæ, in forma peſsi mulieribus indi.

Imprimis dolor, vt iniectionibus vtamur, interdum exigit. Tuncque Lac cum albumine Oui bene agitato, infunditur, vel cum lana imponitur: addito, cùm neceſsitas requirit oleo de Momardica, vel Hyoſciami: vel tantillo Opij. Vel decoctum fol & ſemin. Papaueris aut Hyoſciami fol.& ſem.& Altheæ vſurpatur. Succus item Altheæ: aliáve anodyna narcoticáve in ventris dolore deſcripta.

Tryphera Sarracenica immiſſa iuuat.

In declinatione iniectiones fiunt ex illis quæ reſiduum abſumunt, & ſimul emolliũt,

ne in scyrrhum abeat, vt: ℞.Galbani ʒ.j.ß. dissoluti in ol. Liliorum vel Cheirini ℥.j. Styracis calam.ʒ.j. Aquæ maioranæ ℥.iiij. misce pro iniectione.

Vel hic pessus: ℞.Galbani, Styracis cal. an.ʒ.j. Ladani ℥.ß. axungiæ Cuniculi, Anseris vel Anatis q.s. subigantur, eaq; pastâ sacculus sericeus infarctus supponatur.

Suffitus ex gummi Serapino, Storace, Benzoino, cum Cera & Terebinthina subactis, similiter reliquias absumit.

Propinantur interim per os in vtriusque partis inflammatione, quæ aluum leniunt: vt Pruna, Cassia, syr. Viol. Rosaceus, Serum lactis: supra quæ ad fortiora vix transcendere licet, nisi in declinatione.

Dantur & refrigerantia varia, in cibis Olera: & in potu loco vini Aqua: & in medicamentis, syrupi, Aquæ, Conseruæ, similiaq; quæ refrigerent & humectent: in febribus exposita.

Dein & quæ vrinas humiditate aut vi detersoriâ suâ mouent: vt Emulsio quat. sem. frig. mai. Decoctum Cicerum, Serum Lactis.

DE GENITALIVM DOLORE.

CAPVT XIV.

Genera.



GENITALIVM seu pudendorum, i.e. membrorum quæ ad actum Venereum vsurpantur, dolores interni (nam externi in externis doloribus cum cæteris explicabũtur) diuersi admodũ propter instrumentorum diuersitatem in vtroque sexu accidunt,

Mariũ genitalium dolor. Maribus in penis ductu intrinsecùs accidentes dolores, cum in communi ductu in quem vesicæ ceruix desinit, mictioni imprimis, seminisque excretioni destinato, fiant, dolorque maximè, cùm vrina redditur, vrgeat, eamque vt sæpè mingatur impellat, vel pus quoque ex pene tunc effluat, conatusq; hic mingendi cum dolore, & puris excretio magis spectentur, in excretis hos in pene affectus tractabimus. Quòd si in scroto dolor quoque aliquis suboriatur, sitq; inflammatio in eo loco, quia extrinsecùs se profert, in externis vnà cùm reliquis explicabitur: si dolor & tumor ex ruptura in herniis; cum cæteris illarum speciebus exponetur.

Fœminarum genitalium dolor. Fœminis genitalium dolores, vel intra pudendum, seu diuisionem ipsius, vbi duo foramina vesicæ & vteri ceruicis se patefaciunt, accidunt, vel profundiùs paulò in sinu seu ductu amplo inde ad vtrum vsque porrecto, quem ceruicem vteri vocant, se offerunt. Qui diuersimodè, præsertim verò cum ardoris vel vlceris sensu repræsentant.

Vteri inflammãs dolor. Cum ardore vel tantùm dolor fit: vel etiam cum tumore, & tunc à morbo vnde oritur, Inflammatio vteri ceruicis dicitur: frequentiorque est illa, quæ in vteri fundo fit, de qua in ventris dolore egimus. Quæ tamen non solùm collum semper occupat, sed & quandoque ad vteri fundum, aliàs ad pudendum vsque quoque pertingit. Hæcq; inflammatio iisdem accidentibus, vti si in vteri corpore fiat, se prodit, eoq; magis cùm contactu depræhendatur, & exacerbetur. Dein & in abscessum, vel scirrhum, aut gangrænam aliquando conuertitur.

Cãcer vteri ceruicis. Alius cum ardore aliquo quoque & tumore dolor, in affectu qui Cancer vteri ceruicis dicitur, se offert, longè quoque frequentior apparentiorque, quàm is qui in vteri corpore nascitur. In quo sicuti in cancro externo (vbi ille in genere magis exactè describitur) tumor ab initio collectus oboritur, punctionibus leuibus saltem tunc molestus, tandem verò non subitò sed successiuè auctus, in magnum tumorem excrescit, pondere & impedimento quandoq; molestum, & ardore quoque, longè minus tamen vehementi quàm in inflammatione punctionibusque grauem. Qui tandem exulceratur, & in Carcinoma dictum, conuertitur: viroso humore & cruore tunc ex vtero exstillante, grauioribusque accidentibus superuenientibus.

Condyloma in pudẽdis mulieris. Tertius, cum ardore & tumore seu potiùs veluti excrescentia dolor, in pudendi claustris potiùs quàm sinu eueniens, affectus est, quem Condyloma vocant: grauiùs affligens, si inflammatio, vti sæpè fit, illi copuletur. Hic & in pudendo mulieris & in podice

sæpè

ſæpè eodem tempore naſcitur: aliàs in ſolo podice, tàm in mulieribus quàm viris, vbi proin exactiùs deſcribetur.

Vteri vlceroſus dolor. Cum vlceris ſenſu lancinans dolor & pungens à morbo vnde prodit, Vlcus vteri, & prout illud ſe habet, diuerſimodè appellatur. Et vel in pudendi interioribus, aut in ſinu ceruicis vteri euenit, atque contactu vel immiſsis medicamentis, maximeque ex concubitu exacerbatur. In hoc affectu ſanguis vel ſanies per pudendum emanat: Aliquando pus, idque nunc album coctum, inodorum: nunc crudum & aqueum: aliàs viroſum, luteum, viride vel atrum. Cuius puris portiones, aliquando vrinæ in tranſitu permiſtæ, ſimul eminguntur. Sed & per podicem illud idem redditum fuiſſe, & tunc ſtercora per vterum quoq; prodiiſſe aliquoties vidimus: & in veſicam, & abdomen quoque perueniſſe, à quibusdam obſeruatum fuit. Verùm & vlcus quale ſit, an excoriatio tantùm vel vlcus profundum, ſerpens, aut labiis prætumidis, calloſis vel inuerſis, vt in carcinomate eſſe ſolet, & contactu & inſpectione ſi in pudendo ſit, vel ſi profundiùs exiſtat, per dioptriſmum exploratur. Quibus alia multa ſymptomata functionum vteri nonnunquam copulantur. Et ſi vlcus in pudendo ad veſicæ orificium vſque ſerpat, mictio ardens ac frequens quoque accedit. Si malignum ſit, vitales functiones debilitantur: vti & ſi morbi alij huic malo copulantur, vel occaſionem præbeant, ſicut inter cætera lues venerea, plura tunc ſymptomata concurrunt.

Cauſæ.

QVi in fœminarum genitalibus accidunt dolores (nam qui maribus illis in locis fiunt, aliò vti dictum, referuntur) à morbis, qui illa ipſa loca vbi dolores ſentiuntur, nimirum vel ceruicem vteri, vel pudendi anteriora occupant, proficiſcuntur. Suntque hi vel inflammatio, vel cancer, aut condyloma, vel exulceratio.

Inflammatio vteri, cauſa Ardentis illius ſeu inflammantis doloris. Inflammatio ceruicem vteri potiſsimùm occupans, vel vlteriùs ad vterum quoq; protenſa, vel in pudendi clauſtris nata (vbi & tuberculum quandoque inflammatum naſcitur) dolores, cum calore, ardore, tumore aliiſque, priùs, vti & in vteri inflammatione explicatis accidentibus, plùs minúsve ſe exſerentes, prout inflammatio vel magna vel parua, aut pura vel impura, vel potiùs eryſipelas tantùm eſt, vbi & maius eſt incendiũ tumorque nullus vel planus, procreat. Cuius inflãmationis cauſa interna eadem quæ & vteri inflammationis, ſanguinis influxus, vti illic dictum, interdum exiſtit: qui quando redundat, in ſinus vteri ſubſtantiam, cùm plures venæ menſtruæ dictæ per eam diſſeminentur, faciliùs quàm in corpus illius infuſus, eo potiùs in loco inflammationem parit. Vti & ſi à partus difficultate fiat, cùm ceruix vteri ſummè ſenſilis illiusque orificium in pudendum deſinens anguſtum, hîc præ cæteris patiantur, faciliùs quoque inflammantur. Cuius & orificij cauſâ, occluſi adhuc ex parte in virginibus, propter hymen, quando cum labore & dolore deuirginantur, vel aliâs quia arctum eſt, aut vir nimium potens, mulieres ex congreſſu quoque multùm patiuntur, hæc loca illis nonnunquam inflammantur. Quod & quandoque ob peſſaria indita, vel iniecta medicamẽta adurentia vel erodentia poteſt accidere.

Humor malignus cauſa Cancri in vtero. Cancer in ſinu vteri natus dolorem cum ardore aliquo & punctionibus ac tumore contingentem, qui tandem in vlcus virulentum abit, vti priùs dictum efficit. Cuius cauſa, humor malignus & pernitioſus, quemadmodum etiam in aliis locis, ita hîc, ſi huc ad ceruicem vteri feratur, exiſtit. Quem qualis ſit, atque vnde prodeat, in cancro externo quem frequentiùs procreat, enarrabimus.

Condyloma in pudendo natum, dolorem eum qualem ſuperiùs expoſuimus, parit: quod propter pudendi cum podice aliquam ſimilitudinem, hîc æquè atq; in podice tàm mulieris quàm viri naſci poteſt, ob cauſas in podice, cùm in vtroque ſexu illic fieri poſsit, explicandas.

Vlcus vteri, cauſa vlceroſi illius doloris. Exulceratio in ſinu vteri, vel pudendi interioribus facta, dolores vlceris ſenſum præbentes, efficit, aliaque accidentia, vti ſuperiùs dictum, profert, eò plura, quò vlceratio eſt maior deteriorque. Nam ſi ſit excoriatio ſimplex, abraſâ tantùm pelliculâ

in pudendo intrinsecùs,vel sinu vteri,dolor sanè ob partis exquisitum sensum,non paruus: Si læsio grauior,adeò vt vulneretur,dolor magis acerbus erit,tuncq; sanguis quoque effluet. Si vlcus simplex,dolor mitior, sed cum puris effluxu, copiosioris, si illud sordidum admodum sit. Si vlcera sint exedentia & depascentia, quæ nomas vocant, quę si profundiora sint,Phagedęnica dicuntur,dolor diuturnior cum effluxu puris vitiosi futurus est. Quòd si adeò inualescat vlcus, in pudendo præsertim natum,vt vesicæ ceruicem quoque afficiat,tunc mictio cum dolore hisce malis copulatur. Quòd si in sinu vteri factum,adeò exedat,vt rectum intestinum illi adnexum perforet, per anum pus tunc emanat,& quæ per anum transire debebant,huc interdum feruntur: vti & si illic natum vlcus ad vesicę collum,vel in abdomen penetret,eò quoque pus interdum peruenit: si ceruicem vteri ampliùs diuque depopuletur,tunc ipsius sequitur omnimoda,vel ex parte corruptio: quemadmodum hoc in quibusdam mulieribus factum,atque in vna totum vterū computruisse & exemptum fuisse,cognouimus. Quòd si verò vlcus cancrosum fuerit, Carcinoma dictum vel cancer vlceratus,tunc cum dolore maiore adhuc quàm in cancro non vlcerato,& labiis cancri prætumidis & inuersis,pus admodum vitiosum emanat, & interpolatis etiam vicibus sanguis,quem cùm mensium instat tempus,adeò sæpè copiosè effluere vidimus,vt in extremum vitæ periculum pariens mulier inducta fuerit.

Hæ verò exulcerationes à læsionibus iisdem,à quibus inflāmationes fieri diximus, quoque prodire possunt,Vt in partu difficili, & in congressu primo,vel alioquin violento, si per eum vena aliqua rumpatur,adeò vt sanguis profluat,eo modo sicuti cùm deuirginantur,aliquibus quoq; sanguis ob menstruum fluxum,attritione hac venarum ceruicis vteri commotum,emanat (quod à rupto hymene fieri creditur,& pro virginitatis signo vulgò habent,cùm tamen hoc non semper incorruptis, in primo coitu accidat, sed illis tantùm,quarū venæ facilè aperiuntur,teneriorib⁹ scilicet,& quibus iam menstruorum tempus,quando nubunt,propinquum est, vnde etiam nullum inde vlcus sequitur) nisi reuera ob venam aliquam impetu hoc insolito læsam, vel orificium fissum aut lacerum sanguinem profundant, posteaque exulceratio remaneat. Quod & à læsione alia extrinsecùs illatâ vulneratis hisce claustris potest accidere: Vti & vsu medicamentorum acrium, in sinum vteri aliis de causis,inditorum,vteri ceruix erodi vel exulcerari: sicuti sinistro horum vsu ceruicem vteri vlceratam,tandem computruisse penitùs, superuiuente nihilominus diu postea adhuc muliere,obseruauimus. Præter quas causas inflammationes & vlcus excitantes, inflammationes quoque in abscessum conuersæ,eo rupto in vlcus abeunt. Et post abscessus alios vlcera valde sordida nonnunquam remanent. Fluor vterinus acris diu perseuerans,sinum vteri ac pudendum interdum erodit,vlceraque gignit. Alij quoque peruersi & maligni humores,cum sanguine menstruo per has vias expurgati, in corporibus cacochymicis,& in variis morbis, vti & in lue Venerea, imprimisque ex impura gonorrhea ichor,hoc idem possunt efficere. Quod & ex virili semine illuc effuso vitiato, diu retento in sinu vteri, aliquando fit. Sed in grauidis fœtus mortuus putrescens retentus,vterum inficit corrumpitq;, sicuti hoc in duabus mulieribus factum spectauimus,fœtum cum inuolucris & vtero vicinoque peritonęo corruptis penitùs,sectione in abdomine factâ, exemptū fuisse,quod in vna viua adhuc & diu postea superstite manente, fieri vidimus,& ex alia mortua, nos ipsi hoc modo exemimus.

Curatio.

MOrborum,qui dolores hosce in vteri sinu,vel pudendis procrearunt causâ,curatio variat. Qui sunt,inflammatio,cancer, vlcus,Condylomatum enim cura,vti & tota tractatio in podicis dolore, sicuti dictum,instituetur.

Inflammatio si in pudendi interioribus fiat, cùm quoque pateat, & exteriora illius plerumque simul inflammet,eandem,quam & reliquę inflammationes externæ curandi ratio- *Inflammationis vteri curatio.*

rationem requirit: habitâ interim ratione partis, cùm exquisitè sentiat, vt dolorem quoad fieri potest, mox compescamus.

In ceruice verò seu sinu vteri facta inflammatio, eodem penitùs modo, vti ea quæ in corpore fit, & in inflammatione vteri exposita est, curabitur, diligenter cauendo, ne in abscessum & vlcus postea vergat, vel duritiem aut scirrhum vti sæpè fit, post se relinquat, vel in gangrænam non bene tractata, conuersa, corruptionem illius partis adferat. Imprimis verò, vti in vteri fundi inflammatione, externa potiùs competunt præsidia, quæ tamen & hîc, atque inter ea insessiones maximè conuenire possunt, sic iniectiones aliaque indita, cùm ad locum affectũ rectà perueniant, magis quàm in vteri inflammatione hoc loco operabuntur. In reliquis, quod reuulsiones, deriuationesque attinet, & quæ per os sumuntur remediis, penitùs in cura conueniunt. Vti & si in abscessum vergat aut scirrhum, eadẽ quæ illic dicta sunt, ad hæc præcauenda instituentur: & si iam scirrhus factus sit, cura sicuti in tumoribus indolẽtibus scirrhosis suo loco dicetur, perficienda. Quòd si in gangrænam abeat, malum erit incurabile, vel eo modo vti in gangræna in genere dicetur, tractabitur.

Cãcri in vtero curatio. Cancer vteri ceruicis, quia ab initio dolorem aut impedimentum non magnum adfert, aut quia non cognoscitur, cum negligatur, plerumque adauctus & confirmatus curari ampliùs nequit: Neque in eo loco abdito, commodè aut sine periculo amputari potest. Idcirco exulceratus tandem, lethalis plerumqne fit. Ne tamen augeatur, vel adauctus vlceretur, sed integer diu permanere posit, ægerque diutiùs superuiuere, cura talis, quæ hoc aliquo pacto præstare posit, & quia illum non curat, palliatiua dicta, adhibetur, eadem qualis in cancri externi cura quoque exposita fuit. Veluti faciendo reuulsiones, deriuationes per venę sectionem, hîcque imprimis in poplite, aliisve modis. Purgatione item conuenienti, Vires restaurantibus exhibitis, admotisque, & topicis siccantibus, digerentibus, illis quæ in externo cancro adhibentur, hîc vteri sinui impositis: vbi & hæc copiosè describuntur.

Carcinomatis in vtero curatio. Carcinoma seu cancer exulceratus in ceruice vteri propriam quoq; curationem exigit palliatiuã, quia vix succedit dictam, necdum aliam, quàm eam quæ externo cancro debetur, sicuti illic expositum fuit. Habenda interim ratio partis huius quoque, & sic remedia topica formanda, vt in eam sedem vel imponi cum digito, vel per pessaria, vel infundi per iniectiones, posint, aut fumi admitti. Sicuti externæ formæ in externis explicatæ, facilè in has, vt sic administrentur, reduci possunt.

Vlcerum in vtero curatio. Vlcera in vteri sinu & pudendo, omnia peruersa, ob loci temeritatem & humiditatem sunt: adeò vt & leuis excoriatio, diligentiam vt sanetur, requirat. Deteriora adhuc sunt depascentia & phagedænica, quæ si diu perseuerauerint, & profundas radices egerint, spaciumque amplum occuparint, incurabilia ferè sunt, vti & carcinomata, quę mortem plerumque veluti & alia corruptionem adferunt, quæ aliquando totum vterum, vti in causis dictum, depopulantur: venerea quoque vlcera, non nisi tota lues auferatur integrè sanantur. In his tamen omnibus tractandis curatio potisimùm variat: quod alia priuatim vlceribus cancrosis & venereis, alia in genere cæteris exulcerationibus debetur.

In exulcerationibus omnibus, excepto carcinomate & venereo vlcere, curandi scopus est, si impurum corpus sit aut plethoricum, ab eiusmodi superfluitatibus euacuare, cùm, si hęc redundent, & ad vterum tandem quoque ferantur, continuò hæc loca humectando, vlcera sordida, curatuque difficiliora reddant. Maximeque si hæc impuritas vlceribus occasionem præbuerit, illaque simul foueat, priùs adimenda corrigendaq;. Quod & victus ratione parcâ & decenti, & venę sectione, purgationibusque pro humorum redundantiâ institutis, sudoribusque, qui non solùm ab vniuerso corpore, sed & à loco affecto humiditates exhauriunt, perficitur; Eodem modo, sicuti in aliis vlceribus externis, in plethoricis & cacochymicis corporibus fieri debere, illis in locis vberiùs expli-

cauimus. Quod si sanguinis nimius fluor vulneri vel vlceri quoque copuletur, is quoque, vti in mensium fluore dictum, reuellendus erit. Et si in profundo vlcere in vesicam aut rectum intestinum pus illabatur, illud inde, sicuti in vesica & podice vlceratis dicetur, expurgandum.

Quibus ante omnia obseruatis, quod vlceris propriè curationem attinet, si illud erosio tantùm sit, vel simplex vulnus aut vlcus, siccantibus tantùm consolidatur glutinaturque: sanguinem simul, si ille immoderatè profluat, astringentibus sistendo, & dolorem, si intensus sit, lenientibus hanc sedem & stupefacientibus quandoque mitigando. Si verò vlcus existat sordidũ & profundum, primùm abstergentibus illud repurgabimus, postea siccantibus carne implemus sanamusq; Si depascens & exedens sit, fortioribus adhuc valideque detergentibus & siccantibus curare studemus. Quæ & si putredo aut corruptio partis accedunt, similiter, illisque adhuc fortiora vsurpantur. Idque remediis diuersimodè, vti sequitur, administratis.

Exhibita per os quædam, quæ & in cæteris vlceratis internis procul dissitis locis, vt renibus, vesica, aliquo pacto opitulari possunt, in vtero læso hîc quoque nonnihil proderunt. Vti & illa quæ in externis vulneribus bibita, ea sanare creduntur, in vulnerato vtero aliquid præstabunt. Obseruando semper interim locum affectum, & pro illius conditione, remedia eligendo, dirigendoque. Qualia in illis locis explicabuntur.

Præter quæ, decoctum hoc conuenientissimum ad vlcera sananda etiam diuturna, existit, quod Recipit rad. Consolidæ ℥.j. fol. Plantag. Millefolij, Lauri an. M.j. seminis Viticis ʒ.j. Vini albi mens.j. Mellis ℔.j. coquantur sensim, despumando, ad consumptionem mediæ partis: Detur bibendum aliquot vicibus, Et loco affecto quoque, vti dicetur, applicetur.

Rhapontici & Centaurij min. radices bibitas, dolores & erosiones matricis sanare, docet Dioscorid.

Laricea vel Terebinthina lota in aqua vtero conuenienti, vt Artemisiæ, Matricariæ: vel vlceri, vt Plantag. Rosarum, quandoque deglutita cum Melle vel Saccharo, rosaceis, mista, hæc vlcera sanat. Cui Hysopi puluis additus à quibusdam probatur.

Lac ouillum recens cum Saccharo vel Melle dulcoratum, sæpè bibitum, leuiora vlcera curat & dolorem lenit.

Pilulæ de Bdellio mai. Mesuæi ad ʒ.j. vel paulò plus pro vna vice exhibitæ: vel de illis indies aut alternis diebus ℈.j. datus, ad vlcera vteri curanda, valde conferunt, & si s nguis fluat, eum compescunt.

Vel sic paratæ eodemque modo vsurpatæ: ℞. Bdellij ʒ.iij. Myrrhæ, Thuris an. ʒ.j. Sarcocollæ, Styracis, Succini, Myrobolan. chebulan. an. ʒ.ß. Coralli rubrar. ℈.ij. cum syrupo de Papauer. fiat massa, Cui in dolore vehementi tantillum Opij permisceri potest.

Vel istis vtemur vti prioribus: ℞. pilul. de Bdellio ʒ.j.ß. troch. de Camphora & de Halicacabo sine vel cum opio, si dolor vrget, ana ʒ.ß. cum syrupo de Plantag. fiant pilulæ: Capiat ℈.j. vel plus, indies vel alternis diebus.

Trochisci de Halicacabo cum opio: dolore vrgente, etiam soli puluerisati propinantur.

Puluis hic præcipuè sanguinem ex læsione vteri fluentem sistit, & vulnus quoque sanat, vel si ex vlcere hoc fiat, illud simul siccat: ℞. Acaciæ Hypocistidis ana ʒ.j. Sanguinis draconis, Amyli, radic. Plantag. Aristolochiæ rotund. an. ʒ.ß. Terræ pinguis Armenæ vel Lemniæ ʒ.j. Mastichæ, Sarcocollæ an. ʒ.ß. fiat puluis: Detur ʒ.j. vel plus cum Lacte vel syrupo de Plantag. aut cum aquis Plantag. Bursæ pastoris: Rosarũ, vel aqua Chalybeata.

Iniectiones in sinum vteri, ad vlcera illic sananda, tepidæ omnes fiunt: quæ prout vel abstergere sordes, pus, aut putridam carnem volumus: dein siccare plus minúsve, quod ad vlcera conglutinanda, carne replenda, cicatrice obducenda requiritur, variant.

Abstergens leuiter iniectio ex decocto Hor-

Hordei integri fit, sumendo ℥.iij. Hordei ad ℔.ij. Aquæ. Vel ex Serolactis: Quibus Saccharum, vel Mel, maioris detersionis gratiâ, & quia simul à putredine præseruãt, adduntur. Vel ex solo Hydromelite injicitur. Vel quod efficacius est Oinomelite.

Validiùs operatur decoctum ex Hordeo, Lentibus, Fabis non excortizatis, & fol. Apij, Parietariæ, Plantaginis, paratum, addito Melle.

Cùm putredo adest: ℞. Hydromel. ℔.ß. succi Apij ℥.ij. Myrrhæ pulu. ʒ.j. misce.

Vel decoctum ex rad. Ireos, Aristolochiæ & Cyclaminis, seminibus Lupinorum, Orobi, fol. Marrubij, Absynthij, sum. Centaurij minoris, factum.

Lixiuium, Vrina, Vinum, maximè acidiusculum, Sapa, si prædictis addantur, admodum mundificant. Vel si tantillum Aluminis addatur.

Fella bouis, capræ, carpionis, aliáve, cum æquali Mellis quantitate, cum Lacte caprino, iniecta, egregiè vlcera sordida ab abscessu relicta mundificant.

Vnguentum Apostolorum, omniumque potentissimum Ægyptiacum, dissoluta in prioribus, ita tamen vt ferre possint, in magna corruptione injiciuntur.

Vel alia similia vsurpari possunt detergentia, in vlceribus externis explicanda: eligendo ea, cùm validioribus est vtendum, quæ habita ratione partis, eam minimè lædere possunt. Et ex siccantibus & consolidantibus, seu sanantibus vlcus, similiter, quę in externis exposita sunt remedia conuenientia petenda.

Siccans seu sanans vlcus Decoctum fit, ex radic. & fol. Consolidæ vtriusque, Bistortæ, herb. Plantagin. Agrimoniæ, Bursæ past. Caudæ equinæ, Saniculæ, Pilosellæ, Pyrolæ, Millefolij, Centumnodiæ, Potentillæ, Rubi, Myrti, Oleæ, Oleastri, Ceterach, Arbuti, Sumach, Asphalati, Sideritidis, Asclepiadis, Symphyti petræi, flor. Rosarum: sumendo de quibusdam vel vulgaribus vel exoticis ad M.iij. vel quatuor, seminibus Vuarum, Plantagin. Myrtill. ad ℥.j. & decoquendo in mensur. j. vel paulò plus Aquæ cisternæ vel chalybeatæ, vel ferratæ pro iniectione.

Efficacius erit decoctum, si Nuces cupressi, Gallæ, capr. Glandium, Malicorium, Balaust. ad ℥.j. vel plus addantur: vel sine prædictis decoquantur: quæ & si sanguinis adsit fluor conuenient: Potentiùs siccabit, si Vinum rubrum stipticum decocto misceatur, & abstersionis causâ, si sordes adhuc adsint, aliquid Mellis ros. vel syr. de Rosis rub. siccis.

Decoctum quod bibitum superiùs tantopere prodesse diximus, etiam iniectum, vti ostensum, valde prodest.

Succi prædictarum plantarũ aliqui quoque ex illis injici possunt, vel per se, addito Melle: vel cum decocto permisti, suntque efficaciores quàm decoctum.

Pulueres quandoque cum decoctis, succis, vel vtriusque, plantarum enarratarum, subtilissimè triti ad ℥.ß. pro vna iniectione miscentur: Additis interdum & cineribus cort. Arundinis, Cucurbitæ & Spongiæ mar. & Testarum ouorum.

Vel cùm siccare admodum volumus, Lithargyrij, Tuthiæ, Cerusæ, lap. Hæmatitis, Calaminaris, Boli, pulueres ad ʒ.ij. vel plus: Et sanguinis Draconis, Acaciæ, Hypocist. ad ʒ.j. pro vnâ vice iniectionis.

Vel fiat hic sarcoticus puluis, cùm in vlcere cauo carnem potissimùm generare volumus: ℞. rad. Ireos, Aristolochiæ, Consolidæ an. ʒ.j. Myrrhæ ʒ.ij. Aloës ʒ.j. fiat puluis, pro vna iniectione. Potest & Thus, Sarcocolla ad ʒ.j. addi, vel etiam Mumia.

Laricea vel Abiegna vel Terebinthina lota cum aqua Plant. ad ʒ.ij. dissoluta in Melle & Vitello oui, cum vna iniectione mista, idem facit, eoque magis, si puluis sarcoticus quoque addatur.

Vnguenta, Pompholygos, de Cerusa, de Plumbo, similiter cum iniectionibus quandoque ad ʒ.vj. pro vna dosi mista injiciuntur.

Ad dolorem sedandum, quando ille admodum affligit, sequentia, etiam vlcus simul respicientia, vsurpantur.

Lac omne iniectum dolorem sedat, abstergit

ſtergit & glutinat: præfertur mulieris, caprinum & ouinum: Siccabitque ampliùs ſi ſilices igniti in eo extinguantur. Anodynumque magis fiet, ſi mucago Pſyllij, Lini, Cydoniorum, & infuſio gummi Tragach. & Arab. Albumen oui, nonnunquam & Vitellum, bene conquaſſata illi addantur, ſæuienteque dolore parùm Opij. Et ſi ſimul abſtergere velimus, Mel vel Saccharum.

Decoctum dolorem lancinantem & ardentem compeſcens, fit ex hordei mundi P.j. ſeminis Lini vel Fœnogræc. ℥.j. Pſyllij, Papauer. an. ℥.ß. Quatuor ſeminum frig. mai. ʒ.vj. rad. Altheæ, Maluæ an. M.j. Anethi P.j. decoctis in Aqua vel Lacte: addito quoque, vti dictum, Melle vel Saccharo.

Huic ſi Portulacæ rec. M.j. flor. Nympheæ P.j. addantur, magis ardorem extinguet: ſenſumque parùm retundet, ſi rad. Mandragoræ ℥.ß. ſeminis Hyoſciami ʒ.ij. quoque incoquantur.

Succus Portulacæ, Lactucæ, Solani, Plantag. cũ Lacte vel Decocto, eo nomine quandoque permiſcentur. Vel Aquæ horum deſtillatæ.

Trochiſci albi Rhazis cum opio, diſſoluti in Lacte vel Decocto iam dicto, dolorem compeſcunt, & ſimul ſanant.

Olea neceſsitate vrgente quandoque adduntur, vt Roſarum, Momordicæ, Papauerinum, imprimis ſeminis Hyoſciami: Liguſtrinum aſtrictionis quoq; causâ aliqui commendant.

Fotus & inſeſsiones, ſi in pudendo ſint vlcera, vel eò vergant, præcipuè proderunt, nam & vires illorum quoque ad interiora ſinus pertingunt, vlceribusque ſi illic ſint, communicant. Paranturque ex decoctis quoque illorum ſimplicium, ex quibus iniectiones fiunt: eligendo, prout detergere, vel ſiccare, vel etiam dolorem lenire intentio, de illis quæ hoc præſtant iniectionibus. Vbi & quãdo vlcus ſiccare admodum volumus, Metallica quædam ſupradicta vti & Ferri ſcoriam, addimus.

Thermæ quoque ſiccantes, Aluminoſæ, Sulphureę, in vlcerib. diuturnis vſurpantur, eoque mulieres, in hoc caſu deſperatas, tanquam ad vltimum remedium, ablegamus.

Peſſariis ex materia ſpiſſa formatis, vel in ſacculo, in ſinum vteri eroſum vel exulceratum, inditis, ſi ferre ea poſsint, quorum materiam & digito in ſinum indere poſſumus, idem præſtamus.

Anodynum ex adipe Anſerino, vel Gallinaceo, vel Porci, & Ceruino ſęuo, & Oeſypo, additâ & Cerâ albâ, ſi ſpiſsius eſſe oporteat, fit, addito Vitello oui, interdum & Mucilaginibus, aliquando & Croco: cuius oleum alij potiùs miſcent: nonnunquam & Opio.

Verbenacæ rectæ folia, cremorem ſeminis Hyoſciami, & liquorem Mandragoræ, peſſariis addit Dioſc.

Ad abſtergendum hoc inditur: ℞. Lariceæ lotę cum ſucco Apij ℥.ß. Myrrhæ ʒ.j. rad. Ariſtoloch. ʒ.ij. Sacchari ℥.ß. miſce, fiat peſſus. Si Fellis parùm addatur, vel Alumen, vlcera putrida abſterget.

Poſſunt & Vnguenta deterſiua in iniectionibus dicta, indi, vel illis interna inungi.

Ad ſiccandum illic quoque explicata Vnguenta competunt, vel Pulueres & Succi ibi etiam expoſiti, commiſti: quę additis mucilaginibus, Cerâ, aliiſve inſpiſſata, vſurpetur.

Fumi admiſsi, cùm nõ ſolùm ad pudendi interiora, ſed & in ſinum vſq; penetrare poſſint, ad vlcerum ſiccationem vſurpantur, ſicuti in nariũ profundis vlceribus hos quoq; competere diximus: vbi & deſcripti fumi tam odorati leuiores, quàm fœtidi, longeque potentiores, qui & hîc minùs quàm ſi naribus excipiantur, moleſtiam pariunt, vel nocere poſſunt, habitâ ratione cauſæ, vti illic quoque oſtenſum, illis locis excepti, plurimùm proderunt.

Si à Lue venerea vlcera in pudẽdo vel ſinu vteri fiãt, citra vniuerſam huius luis curationẽ & ablationem è corpore, ſanari minimè poſſunt. In qua perficiẽda, per varios modos, ſi hæc per fumos Cinnabaris fiat, non ſolùm generatim hanc infectionẽ extirpãdo, ſed & ſi etiam ſinu vteri excipiantur, priuatim hæc vlcera, vt citiùs ſanentur, efficient. Quod eodem modo per curam, quæ per Hydrargyri inunctionem fit, non ſolùm exteriùs illa vnguenta adhibendo, ſed & in loca hæc penitiora indendo. Sicuti hæc omnia in cura luis venereæ demonſtrabuntur.

DE PODICIS DOLORE.

CAPVT XV.

Genera.



PODICIS seu ani dolores interni hi intelliguntur, qui exceptis illis, qui in labris illius & cute rugosa finitima, ob fissuras vel aliam læsionem oriũtur (qui in externis, vti & labiorum oris eiusmodi affectus explicabuntur) in reliquâ illius sede, occluso podice, latente, ex fine recti intestini, & musculis illum ambientibus, constitutâ, occurrunt. Quorum genera quoque ex sensu doloris & tumoris statuuntur.

Ardens & inflãmans Podicis dolor. Cum ardore dolor quandoque ea in sede oboritur: vel solo, vel accedente etiam tumore, & tunc à causa Inflammatio ani dicitur. In qua calent tumentque & rubent admodum interiora podicis, nonnunquam & exteriora simul. Dolorque contactu, sessione, & ab excrementis exituris, valde irritatur: eoque magis, cùm aluum per conatum protrudi, vt excrementa exeant, necesse sit, quod hîc, non nisi magno cruciatu fieri potest. Ob tumorem tamen & calorem, plerumque aluus, vti & vrina, suppressa sunt. Abscessum post se inflammatio nonnunquam relinquit; Vel alium aliquem in venis illius loci, vti dicetur, affectum, qui aliis de causis etiam oborti, inflammationem aliquando quoque comitem habent. Quæ & interdum anum procidentem inuadit, huicque affectui iungitur. Sicuti hæc omnia & contactu & visu quoque, inuerso podice, dijudicari possunt.

Hæmorrhois cæca. Cum tumore collecto, citra inflãmationẽ, nisi ratione doloris accedat, dolor in podice exortus, quia à vena illius loci fit, Hæmorrhois, eaque Cæca, quia nullus tunc sanguis effluit, quę Clausa vel Dolens rectiùs diceretur, appellatur. In qua tumor in podice, per conatũ expresso, apparet: vel profundè magis latens difficiliùs percipitur, & tantùm ab ægro persentitur. Dolorque alioquin vehemens, ex compressione, vel impulsu excrementorum, vehementer exacerbatur: Inflammatioque nonnunquam illi copulatur, quem sanguinis interdum effluxus seu hæmorrhois aperta sequitur.

Condyloma in podice. Feigwartzen. Cum tuberositate inæquali & veluti excrescentiâ quadam, sensim non ita subitò, vt in hæmorrhoi natâ, dolor in podice exortus, quia in modum digitorum articuli prominet, Condyloma dicitur, quale & in pudendo mulieris frequenter nasci diximus, & in vtroque sexu in podice quoque oriri solet. Quòd aliàs molestiam quandam & tædium tantùm hisce locis adfert, aliàs dolore quoque, præsertim si accedat inflammatio, affligit. Qui tumor in margine interiore, & ani & pudendi, si illic fiat, extrorsum prominet conspicuusque est, nunc ficum, vnde Ficus quoque dicitur, referens: nunc verrucam, quæ si pendeat, Thymus dicitur: quæ duo, vno nomine Germ. in huius tumoris appellatione, cùm Feigwartzen vocent, comprehendunt: aliàs baccæ vuæ vel mori figuram exprimit: ego cuti rugosæ & callosæ, ac cristę galli eundem per similem sæpè spectaui. Qui affectus vel solitarius, vel cum Lue venerea aliisque affectibus interdum iunctus, existit.

Vlcerosus podicis dolor. Cum vlceris sensu dolor in ano obortus, interdum à morbo, à quo fit, Vlcus podicis appellatur, in ani interioribus, non labiis illius aut cute existens, & ab eo, quod tenesmum inducit, quòd non tantus egerendi conatus sit, differt. In hoc, quando sordidum est, pus è podice vel seorsim, vel in fæcum initio emanat. Quandoque & fit, vt sinuosum factum, & in fistulam conuersum, prout ea vergit, nunc in vesicam, nunc in vteri ceruicem in mulieribus; pus effundat, quod & postea ex illis quoque locis effluit, & cum vrina quandoque redditur: & tunc quando æger crepitum edit, illud per sinum vteri, si eò vlcus vergat, quoque erumpit. Sed & vlcera sinus vteri & ceruicis vesicæ, vti illic dictum, interdum hæc præcesserunt, & in ani vlcus desinunt. Huc & vulnera referuntur in podice facta, in quibus sanguis ab initio, postea quando in vlcus conuertuntur, pus redditur.

Causa.

Morbi eiusmodi dolores in podice procreantes, in illa ipsa sede existunt: qui sũt vel inflammatio, vel hæmorrhois, vel condyloma, vel exulceratio.

Inflammatio podicis, vel phlogosis, causa Ardentis illius doloris.

Inflammatio vera, seu saltem phlogosis in podice facta, dolores illos ardentes in eo, cum tumote vel sine eo, procreat, admodũ crucianteѕ, cùm pars sit exquisitissimo sensu prædita. Cuius causâ ab iisdem, à quibus in tenesmo rectũ intestinũ exulcerari posse diximus, si dolorem adferant, proficisci possunt, qui si magnus sit, inflammationem potest accersere. Quæ &, cùm podex injuriis pateat, ab aliis externis causis illum lædentibus, fieri potest: vt à vulnere, vel contusione, & in equitatione quibusdam accidit, vel ab alia offensa: sicuti cuidam cum chartâ, in quâ piper priùs inclusum seruabatur, podicem abstergeret, atque alteri cùm manu, quà capsici siliquam fregerat, & tractarat, anum attigisset, ardor intolerabilis, instar gehennæ, vti vocabat, in sede subortus est.

Sanguis in vena hæmorrhoidali retentus, causa Hæmorrhoidis cæca.

Hæmorrhois cæca seu dolens, hoc est, vena aliqua è hæmorrhoidalibus dictis, per quas in quibusdam naturis è podice, vti mulieribus è venis in sinu vteri, sanguis certo tempore emanare solet, in tumorem eleuata, doloris secundum genus, vti illic dictum procreat: non tam, quòd ipsa vena adeò doleat, cùm venæ non adeò sentiant, quàm q̃ partes quæ ob eximium sensum vix contactum ferre possunt, quibus intexta est, distendendo, dolorem in illis excitet: eóque magis, si ob dolorem accedat etiam inflammatio, vti ferè fit, latiùs tunc tumore se extendente. Cuius causa, sanguis in extremum venæ, vt per hæmorroidum fluxum expurgaretur, delatus existit, si illic, quia osculum illius venæ non patet, vnde cæca hæmorrhois dicitur, aut ægrè aperitur, retentus, atque in vena cumulatus, exitum quærens, adeò extremitatem huius venæ, magis minúsve, prout copia est sanguinis, protrudat dilatetq́ꝫ. Quod illis, quibus nunquam adhuc hæmorroides fluxerunt, si natura eas mouere conetur, in principio, quia oscula nunquam illis priùs aperta fuerunt, nonnunquam euenit. Vel tunc quoque, si per venam aliquam externam, & ferè in ano conspicuam, hoc natura tentet, cùm harum venarum oscula, ob attritionem frequentem, à duris excrementis factam, duriora callosioraque magis facta, tunc ægrè aperiantur: quod verò faciliùs & sine labore fiet, si per profundiores hoc ani venas, in latiore recti intestini sede positas, quorum oscula molliora & patentiora sunt, natura, vti ferè solet, moliatur. Sed & à duris excrementis hæc oscula lædi, inflarique possunt; aut alio conatu, quo nomine & in partu dolor hic hæmorrhoidalis plures mulieres infestat. Qui dolor ob causas iam dictas excitatus, maior quoque erit, si sanguis qui illic retinetur acrimoniam aliquam, aut aliam malignitatem habuerit. Sed & pro osculorum, carnisque illa ambientis, sanguinisque diuersitate, hæmorrhois illa tumens, diuersas formas adipiscitur.

Humor peruersus causa Condylomatũ in ano & pudendo mulieris.

Condyloma non solùm in podice, sed & in pudendo mulieris, doloribus inde natis, occasionem præbet. Cùm enim harum partium interiora, quæ substantiâ nerueâ ac proin summè sensili, sunt, naturâ non admodum discrepent, à causa simili, eundem quoque affectum patiuntur. Quam causam humorem aliquem peruersum & malignum esse, hoc satis demonstrat, quòd eiusmodi condylomata, tum in lue venerea, & licet ea non adsit, tamen ex impura alioquin commistione & concubitu, vti vlcera non solùm in pudendis, in hoc actu, contactu inquinatis, sed & in vicino inguine bubo, sic & tunc quandoque etiam condylomata, vel in pudendo vel vicino ano, nascantur. Qui humor perniciem aliquam in se habens, per contagium plerumque, vti dictum, corpus subit, & vti aliis in locis alia vitia, sic in hisce locis eiusmodi vel ficus, vel verrucas, vel alio modo se habentes excrescentias, protrudit: sicuti quomodo hoc fiat, in lue venerea, & bubone, cancro, vberiùs ostendemus.

Vlcus & vulnus in podice causa Vlcerosi illius doloris.

Vlcus ani, interdum doloris & puris ex eo loco excretionis, vti dictum, causa existit. Quod ab inflammatione prægressa, in abscessum, eoque rupto in vlcus conuersa, quan-

quandoque fit,& quia profundum est,sordidum existit. Vel etiam ab exulceratione, quæ in tenesmo fit,sordescente,& in hoc vlcus mutatâ,originem sumit. Et proin à caussis,à quibus inflãmatio & vlcus in tenesmo, vti illic ostensum,per horum intermedium quoque, hoc vlcus nascitur. Aliquando & ab vlcere ceruicis vteri & vesicæ,hucusque penetrante,vti dictum,fit. A vulnere dolor quoque nascitur, ab externis internísve,vti in tenesmo ostensum,læso punctim sectímve podice.

Curatio.

PRo ratione morbi instituitur cura,eo ordine,quo frequentiùs hi occurrunt. Sicq; alia debetur hæmorrhoi,alia condylomati, alia inflammationi,alia vlceri.

Hæmorrhoidis cacæ curatio. Hæmorrhois cæca,quo nomine,vti dictũ, venam in podice tumentem,obturatam,dolorem inferentem,intelligimus,si non bene tractetur,in inflammationem,indeq; in ea, quæ eam sequi solent,peruersa vlcera,aliaq; vitia commutari potest.

Præcauetur autem hæc etiam, quando facilè hoc quibusdam contingit: quod fiet,si in illis qui consuetas habent hæmorrhoides,fluxus harum decenti tempore promoueatur, nec impediatur: quod quomodo fieri debeat, in suppressis hæmorrhoidibus dictum fuit.

Curabitur verò iam facta, si causam quæ eam excitauit vel fouet,sanguinem scilicet auertamus,& dolorem subitò ob metum inflammationis compescamus, indeq; tumorem illum,discutiendo siccandoq; absumamus: quòd si in vlcus desinat,vti aliquando fit,vt vlcus curatur. Quod remediis sequentibus præstatur.

Sanguis reuellendus ne ad partem affectam fluat,eamque distendat vel etiam inflammet, eoq; magis si iam adsit inflammatio. Quòd fit venâ sectâ in brachio: dein & deriuandus,venæ in pede poplitis vel malleoli apertione.

Cucurbitulis idem præstamus, eas cùm reuellẽdum hypochondriis & lumbis,cùm deriuandum,coxis affigendo.

Sanguisugis admotis podici, sanguinem retentum prolicimus,si dolor vel inflammatio non impediat.

Aluus lenienda & excrementa mollienda,vt facilè transeant,ne si cum labore hoc fiat,aut dura sint, locum affectum irritando ampliùs lædant. Idque fit exhibitis in cibis iusculis, fructibus, oleribus, emollientibus: item Cassiâ,Mannâ similibusque: Clysmatis item, si canalem podici intrusum ferre possint.

Exhibentur ad eas absumendas etiam quædam per os; Veluti Anonidis decoctũ, quod potum probat Diosc.

Verbasci, quem tapsum barbatum vocāt, puluis exhibitus cum Lacte vel alio modo, valde probatur ad hæmorrhoides tumentes absumendas. Aliqui cum æquali quantitate farinæ Tritici permistum,atque Vitello oui, Butyro & Oleo frixum,aliquot diebus portionem illius pastæ exhibendo,id pro secreto habent.

Idem,succus Tapsi barbati per se vel cum Saccharo penidiato exhibitus,præstat: Vel priùs cum Saccharo in formam syrupi coctus: Vel addito puluere Liquiritiæ aliísve, in formam electuarij redactus.

Bdellium,Galbanum,emollita syrupo de Plantag. vel succo Tapsi barbati,& in forma pilularum exhibita,ad ʒ.j. vel plus,molestas hæmorrhoides sanant.

Narcotica dolore summè vrgente, exhibere quandoque necesse est.

Topica quæ loco dolenti, podici scilicet adhibetur,vel ad anum proximè apponuntur,vel etiam cum tenta aut bombace,vel solâ in eum intruduntur, vel si liquidiora sunt,etiam aliquousq; si ferre canalem possint,infunduntur: nonnunquam & loco dolenti super asperguntur,vel in podicem insufflantur.

Ad dolorem sedandum ante omnia adhibentur anodyna,quorum aliqua etiam calorem,si adsit,contemperant: additis si dolor magnus, stupefacientibus, quorum multa easdem quoque absumunt.

Oleum commune,vel aliud expressione factum ex Amygdalis, Persicis, Nucibus, id præstabit inunctum, si in illo coxerint fructus maturi Chrysomelorum, vel Mo-

mordicæ, vel herbæ Paridis. Aut quod expressum sit ex semine Cucurbitarum, Papaueris, aut Hyosciami. Vel oleum de Vitellis ouorum, Item oleum Nucis indicę, de Been, & Sesaminum.

Vel hoc linimentum, quod Recipit oleum Violaceum aut Rosaceum, vel Nympheæ aut Salicis; quæ priùs aquâ Viol. ablui possunt: vel oleum seminis Lini, aut Amygd. dulc. additis nonnunquam & ex aliis anodynis quædam: item Butyrum recens, Vitellum oui vnum vel duo, cruda vel elixa: subigantur inuicem in formam linimenti.

Huic linimento, pinguedo Anatis vel Gallinæ, aut Porci, vel Sæuum de renibus, potissimùm Capræ, Hirci, Cerui, medulla cruris vituli, Pomada, Oesypus, addi possunt. Item Cera alba (quæ quoque lauari prius potest) vt inspissetur in formam vnguenti.

Cui & mucagines seminis Lini, Fœnogræci, Psylij, vel Albumen oui commisceri possunt.

Nonnunquam & pulueres cort. Mandragoræ, seminis Hyosciami, Papaueris. Vel si admodum dolorem mitigare velimus, ad ℥.iiij. harum illinitionũ, Opij ʒ.j. & Croci ʒ.ß. additur.

Quorum loco vnguentũ Populeon, præsertim si ardor adsit & calor, sumi potest: vel illud supradictis misceri: addito simili modo quando ampliùs anodynum esse volumus, Opio & Croco.

Insessus & fotus, qui & injici possunt, anodyni fiunt ex Lacte, vel ex Malua, Bismalua cum toto, Verbasci candidi foliis & floribus; floribus item Chamomil. Meliloti, Anethi, Sambuci, Nympheæ, Violarum, semine Lini & Fœnogr. decoctis in Aqua vel Iure pingui, additis nõnunquam in fotu etiam oleis.

Ex cuius decocti facti in Lacte residentiâ contusâ, additis oleis & farinis, cataplasma quoque fieri potest. Qualia multa anodyna eiusmodi cataplasmata passim describuntur.

Cuiusmodi & hoc est: ℞. Panis ablatâ crustâ, ex tritico, speltâ vel siligine: vel farinę horum q. s. coquatur in Lactis & olei Ros. vel Viol. vel Butyri æquis partibus, & cum duobus Vitellis ouorum, post coctionem subigatur in formam cataplasmatis. Cui & pulpa Pomorum priùs assorum, Mucilagines Lini, Psylij, Altheę, addi possunt: Crocus item donec bene flauescat.

Portulacæ recentis folia, vel Solani, Papaueris item & Hyosciami recentia contusa, vel parùm sub cineribus cocta, vel in patella cum oleo frixa, in emplastrum redacta, admodum dolorem compescunt.

Caro vitulina recens, aut alia adhibita, vel humor ab ea expressus, inunctus, anodynũ est medicamentum.

Ad absumendas potissimùm tumentes hęmorrhoides, admistis tamen semper illis, quæ dolorem simul, si ille adhuc perseueret, mitigant, ea quæ digerendo, vt subsideant faciunt, vsurpantur: vel cum illis non cedunt, quæ validiùs adhuc siccando, citra tamen morsum, si dolor adsit, vel si ille absit, etiam cum aliquâ acrimoniâ id præstans.

Cataplasmata in hanc rem fiunt, ex Verbasci candidi seu tapsi barbati foliis & floribus, item Scrophularia, Plantagine, Hieracio nigro, Scabiosa, Corona regia, Millefolio, Virga past. Cynoglosso, Marrubio, Porri foliis, Brassica. Si ex illis aliqua vel plura recentia contusa, vel priùs parùm tosta sub cineribus, vel alio modo applicata, vel cum Butyro aut Oleis subacta, apponantur. Quo modo ex Scrophularia vnguentum paratum laudat Matth.

Vel tale, quod & dolorem simul compescit: ℞. rad. Liliorum ℥.ij. radic. Ireos rec. ℥.j. fol. Tapsi barbati, Scrophulariæ; additis quandoq; & ex aliis supradictis an. ad M. iij. flor. Chamomel. Meliloti, Anethi, Hyperici ana P. j. Palmularum seu dactylorum num. x. Limacum rubrorum nudorum sine testis, si haberi possunt, aliquot, fiat decoctio in aqua chalybeata, contundantur, addendo farinæ semin. Lini, Fœnogr. an. ℥.j. Butyri ℥.ij. Myrrhæ, Thuris an. ʒ.ij. Croci ʒ j. Vitellos ouor. num. iiij. fiat cataplasma.

Ex bulbis Porri, Cæparum, sub cineribus coctis, vt acrimoniam amittat, & cum Oleo Rosar. vel alio subactis, factum cataplasma, eas digerit. Quod potentiùs adhuc operabitur, si bulbi Dracunculi & Ari cocti quoq;

&

& Oleo, ne vrant, misti, vel soli si ferri possint, adhibeantur, vel reliquis bulbis additi. Qui omnes bulbi & prioribus cataplasmatibus misceri possunt.

Insessus, fotus cum spongia vel sacculo quoque fiunt, ex earundem plantarum & seminum decocto, additis etiam cùm saltem Lianum hisce fouere volumus, Dactylis & Limacibus: addendo quoque alias aliquas ex supradictis hæmorrhoides absumentibus plantis: & si admodum eas exiccare volumus, etiam fol. Sumach, Rubi, Malicorium, Balaustia, Gallas, Rosas, baccas Myrti, similiaque in exulceratione ceruicis vteri proposita, decoctioniq; aqua Ferrata & Vinum rubrum addatur.

Inunctiones eo nomine quoque fiunt, oleorum Chamomil. Meliloti, Anethini, Hyperici, Liliorum: imprimisque oleum Oliuarum, vel aliud expressum, in quibus coxerint semina Raphani, Cataputię, vel Lumbrici, Aselli, Millepedes, Sanguisugæ, Limaces rubri nudi sine testis, vel Lateres, ol. de Lateribus dictum.

Linimentum ex illis quoque fit, addendo aliquibus, plantarum in cataplasmate primo expositarum, tum etiam bulborum dictorum, atque insuper Apij seu Petroselini, nec non Milij solis succos: Vel si agitati priùs interdum in mortario plumbeo cum Terebinthinâ in formam nutriti redigantur: illis quædam ex sequentibus in vnguento descripta, addi possunt, vti & Cera si spissioria esse debeant.

Cæpam excauatam aliqui Oleo conuenienti adimplent, imponendo simul Æruginem æris, & sub cineribus coquunt, succum exprimunt, eumque inungunt.

Vnguentum conueniens sic fit: ℞. Thuris vel Mastichę, Myrrhę ana ʒ.ij. Bdellij, Lycij veri, aut ex succo Sumach parati, vel illius loco Hypocist. ℥ j. Croci ℈.j. mucilag. seminis Psylij & gummi Tragach. an. ℥.ß. Vitellum oui num. j. ol. Rosacei parùm, fiat linimentum: cui si dolor adhuc adsit, Opij ʒ.j. additur: vel olei seminis Hyosciami tantundem, quæ præter narcosin, etiam vim eas absumendi, habent.

Magis siccabit easque consumet, si huic linimento Cerusæ, Plumbi loti, Lithargyrij, Tuthiæ ad ʒ.iij. addantur: item aliquid de lapide Arabico, teste Dioscorid. augeaturq; ol. Ros. priùs ductum in mortario plumbeo aliquandiu, & Mucagines, cumque Cera alba fiat vnguentum.

Quod adhuc efficacius erit, si dolores non obstante, Vitreol[illegible], Aluminis vsti, & non vsti ad ʒ.j. vel Æruginis æris vel Ferri rubiginis ℈.j. addatur: [illegible] & Camphoræ ℈.ß.

Suppositorium in [illegible] si ferre possint, ex Sæuo, Vitello oui: [illegible]ta Cerâ albâ si non adeò solidum sit, vt intrudi possit, paratum: cui Opium, aliáve, addi possunt.

Suffitus ex decocto supradicto dum feruet, exceptus, vel ex paucioribus, aut solo Tapso barbato, dolorem quoque compescit.

Fumus podice exceptus à puluerisato Lolio, vel Tapso barbato, aut Scrophularia, supra carbones, aut laterem vel ferrum candentia, proiectis excitatus, absumit & siccat hæmorrhoides. Efficacior erit, si Sulphur simul vratur.

Ex Melle anacardino fumum hac ratione excitatum exiccare scribunt.

Supra asserem, ex ligno Pini plano facto, inunctum pinguedine aliqua vel oleo, si æger sedeat, iuuare aliqui scribunt.

Condylomatū in ano & pudendo mulieris curatio.

Condylomata, si ab impuro congressu aut contagio alio citra luem veneream nascantur; tunc euacuato corpore, per venam sectam, purgationes, sudores, eodem modo, vt in aliis vitiis à malignis humoribus progressis, topica loco affecto, quæ ea absumant, adhibentur. Quòd si verò à lue venereâ infectis erumpant, tunc eâdem curâ, quæ huic lui accommodata, per purgationes sudoresque institutâ, sicuti in illius cura dicetur, simul plerumque tolluntur, quòd si remaneant, integrè nondum morbum curatum esse denunciant, ob id cura repetitur, atque interim topica loco affecto, vt supra dictum, quæ ea absumant, additis etiam illis quæ hanc luem respiciunt, admouentur, donec penitùs euanescant.

Topica verò quæ adhibentur, vt condylomata absumant, cùm digerendo, siccan-

doque, vt in tumescentibus hæmorrhoidibus, id quoque præstent, eadem ferè quæ illic exposita sunt, hîc quoq; competunt. Imprimisque fortiora illic descripta hîc præcipuè vsurpari possunt, cùm contumax admodum hæc sit extuberantia, quæ leuioribus non ita facilè cedit, dolorque hic non adeò vehemens, vt in hæmorrhoide, in qua interdum maior dolor illa ferre non potest, illorum vsum non impediat, atque etiam illis adhuc pot[illegible]tiora cathæretica, medicamenta, nonnunquam [illegible]dantur.

Catapla[illegible]ata proin illic exposita, & insessus, fotus ex iisdem simplicibus, bulbis, parata, hîc quoque proderunt. Confertque ad hæc præ cæteris hîc quoque Scrophularia, Tapsus barbatus, Plantago, Rubi folia, & præter hæc Parietaria, Mercurialis, Barbarea, Sabina, Ballote, Capillus ven. Libanotis, Thymus, Thymbra, Ruta, recentia tusa vel cocta vel subacta, vti illic dictum, administrata: maximè vt efficaciora sint, in Vino rubro cum Aqua ferrata, vel Aceto & aqua, aut Lixiuio cocta, & in fotu cum spongia vel sacculo applicata. Confert & radic. Quinque folij & Aristot. rot. decoctum, cui baccæ Lauri addi possunt, aliáve potenter siccantia & astringentia, illic quoque descripta. Quibus Sal & Nitrum quoque addi possunt. Cotonea cruda eiusmodi cataplasmatibus addere iubet Diosc.

Stercus ouillum vel gallinæ cum Sapone vel Aceto subactum & appositum prodest: cui & Fel capræ addi potest.

Vel Pix liquida & Ammoniacum in Aceto forti dissoluantur & applicentur.

Vnctiones variæ in hæmorrhoide dolente traditæ, hîc quoque conuenient, si efficaciora præsertim ex illis eligantur, hicque imprimis vnguentis illis, cathæretica illic exposita, addi possunt.

Quibus & sequentia admiscere licet: ℞. succi Barbareæ, Apij veri seu Petroselini ana ℥.j.ß. ol. de Lateribus ℥.ij. Boli ʒ.j. Terebinth. q.s. fiat instar nutriti.

Vel: ℞. olei de Tartaro ℥.ß. lap. Calaminaris vel Hæmatidis, vel Minij ʒ.ij. misce: Vngatur.

Item: ℞. cineres Sarmentorum vitium Vinaceorum, & cineres Anethi cremati, & Piscium salitorum cineres, puluerem item Sabinæ: cum Aceto, subigantur: Et inungantur.

Aliud: ℞. Aloës, Thuris, Sandaracæ, an. ʒ.j.ß. gummi Ammon. dissoluti in Aceto ʒ.j. Aluminis ʒ.ij. lap. Hæmatitidis vel Minij ʒ.j. Gallarum ʒ.ß. Croci ℈.j. Oui vitellum assum vel vstum num. j. Terebinth. ʒ j. olei Rosacei & Ceræ q.s. fiat Vnguentum.

Efficacissimum hoc erit: ℞. Mercurij ʒ.ij. dissoluatur, cum Terebinthinæ ℥.j. olei Nucum ℥.ij. Minij ʒ.ij. Aluminis, Vitreoli an. ʒ.j. Æruginis æris ʒ.ß. Ceræ parum, fiat linimentum. Cui tantillum Sublimati additum illud efficacius reddit.

Puluis hic subtilissimè tritus, si huic carni laxæ inspergatur, eam admodum exiccat & absumit: ℞. rad. Aristoloch. rot. ʒ.j. Sabinę fol. exicc. ʒ.ij. cinerum ossium Myrobalan. & Hermodactyl. vstorum ana ʒ.j.ß. Aluminis ʒ.j. Chalcitidis ʒ.ß. Auripigm. rubr. ℈.j. fiat puluis, cui opium addi potest, vel radic. Mandragoræ.

Sublimatum in aqua coctum, alióve modo appositum, vti in antrace dictum, eas aufert. Oleum Vitreoli: & de Antimonio idem facit.

Fumi siccantes ad podicem admissi, condylomata admodum siccant & auferunt: quales in narium vlceribus expositi sunt. Imprimis si ex Cinnabari fiant. Cuiusmodi in lue Venerea, si præsertim inde fiant, expositi sunt.

Abscinduntur interdum condylomata, si dura sint verrucarum instar, vel si propendeant, seta ligantur aut filo, vt sic marcessant.

Inflammationis ani curatio.

Inflammatio ani siue sola sit, siue hæmorrhoidibus dolentibus aut condylomatibus copuletur, eodem ferè modo, vti cæteræ inflammationes externæ, sicuti etiam de pudendi mulieris inflãmatione dictum, tractabitur, & si in vlcus desinit, vlcus curabitur.

Itaque per venæ sectionem, quæ in poplite facta admodum deriuat, cucurbitulas aliaque reuellentia & deriuantia, si influxus timeatur, eum auertimus.

Laxantibus exhibitis, fæces alui, ne in transitu

transitu per podicis angustias malum irritent, emollimus: Quod clysteribus ægrè, cùm canalem difficulter admittant, perficitur.

Alterantia propinantur frigida & humida, in victu, potu, & medicamentis. Inter quæ aquam Lentis palustris quoque commendat Dioscor.

Topica quod attinet, Anodynis ab initio statim, dolorem, cùm in parte exquisitissimi sensus magnus sit, compescere: & simul ardorem refrigerantibus, sed citra astrictionem magnam, vnde pars exasperata magis doleret, restinguere studebim⁹. Qualia multa in inflammationibus externis traduntur, hícque imprimis ea, quæ in hæmorrhoide dolente proponuntur, dolores sedantia & stupefacientia, vti & refrigerantia, inflammationi huic quoque competent, tàm inunctiones quàm insessus, fotus & cataplasmata.

Præter quæ hoc linimentum vtile quoque quando potiùs refrigerandum erit: ℞. succorum Portulacę, Plantag. Senecionis ad ℥.iij. mucilag. seminis Psylij ℥.j. Vitellum oui elixum n.j. misce: vel addatur ol. Rosac. Viol. & cum illis succi coquantur ad consumptionem, sicque vsurpentur.

Vel hoc cataplasma: ℞. rad. Consolidæ, Altheæ an. ℥.j. herb. Pltantag. Tapsi barbati, Senecionis, Sonchi, recentium an. M.j. fl. Meliloti, Rosarum an. P.j. sem. Lini, Fœnogr. an. ℥ß. coquantur & contundantur, adde farinę Lentium P.j. ol. de Salicibus, Rosm. Viol. an. ℥.j. Croci ʒ.j. fiat cataplasma.

In fine discutientibus, & si durities appareat, emollientibus, reliquias absumimus, iisdem remediis, vti in cæteris inflammationibus fieri solet.

Vlcerum & vulnerum podicis curatio. Exulceratio seu alia solutio continui in podice facta, in parte hac sensili, negotium admodum facessit, nec dum curam, in loco hoc angusto & humido tàm facilè admittit: Quod in fistulam desinit, deterius adhuc: Pessimum quod cacoëthes & cancrosum. Si vulnus sit, vt vulnus sanabitur. Si vlcus, siue à vulnere aut inflammatione sola, vel cum hęmorrhoide iunctâ proficiscatur: pręmissis quæ corpus purum & mundum reddunt, vnde faciliùs postea vlcera sanantur, ex iis quæ in vlceribus externis descripta fuerunt, hæc potissimùm in cura vlcerum ani obseruanda.

Per os sumuntur, quæ copiosè sumpta vel frequenter etiam, ad exitum intestinorum vires suas possunt extendere: vt Lac affatim & sæpè bibitum. Vel illa præsertim, si vulnus sit, quæ in aliis quoque vlceribus externis ea sanare creduntur: vti sunt herbæ illæ traumaticæ, inter quas, præter Solidagines & similia, Betonicæ decoctum in hoc casu præsertim laudatur: item Verbascum quoquo modo sumptum, in omnibus ferè podicis affectibus commendatur. Item alia in exulceratione vteri sinus exposita. Inter quæ & pilulæ de Bdellio, sicuti illic, ita & hîc prosunt. Et si sanguis ob vulnus fluat, puluis ibidem descriptus.

Topica quod attinet, eadem remedia quæ in pudendi mulieris & sinus vteri vlceribus præscripta sunt, hîc quoque competunt, cùm podex sensu eximio præditus, & tener, æquè atque mulieris hæc loca, proin illi similia remedia requirit, atque ea quæ vterus ferre nequit, minimè fert. Abstergentia itaque & siccantia illic explicata, hîc quoque vsurpantur. Vti & siccantia, quæ in hæmorrhoidibus tumentibus, has absumere diximus: & si dolor quoque in vlcere vrgeat, vel inflammatio metuatur, eadem quæ in vlcere vteri sinus & hæmorrhoidibus copiosè explicata sunt, hîc quoq; dolorem auferent. Quæ proin remedia, vti & ibi, in podicem vel infunduntur, vel induntur, alióve modo, vti illic dictum, ei apponuntur, vel etiam per suffitum, fumúmve intromittuntur.

Præter quæ & radix Cardui benedicti in Vino cocta, ani vlcera sanare dicitur: & Passulæ cum Rutâ, contusâ inuicem, si cacoëthe sint vlcera & cancrosa, conuenienter applicantur.

Imprimis vnguentum de Minio, plurimùm in vlceribus ani curandis, prodest: vt & vnguentum Lithargyri, & Chalcitidis, palmeum dictum.

Et si sanguis ex vulnerato loco immoderatè ob vulnus in principio fluat, eum compescens-

pescentia, ex eum sistentibus fotibus parata, aliisve adhibitis, in vulnerum aliorum hæmorrhagiis, exposita, hîc quoque admonentur vel induntur.

DE HABITVS CORPORIS DOLORE.

CAPVT XVI.

Genera.



HABITVS corporis dolorem illum vocamus, qui in partibus inter cutem & corporis interiores sedes, habitum corporis præcipuè constituentibus, tàm mollibus seu carnosis; quàm duris seu osseis, nupis dictis occurrit. Cuius diuersa admodum sunt genera: variantia primùm, quòd aliqui dolores in habitu corporis exorti, alia accidentia grauiora, quę & potiùs obseruantur, coniuncta habent: aliqui verò præ cæteris accidentibus sese exerunt, illis præualent.

Dolores in habitu corporis, quibus alia symptomata copulata praeualent.

Qui aliis accidentibus apparentioribus & grauioribus iunguntur dolores, in habitu corporis contingentes, cùm vnà cum illis suis in locis describantur, hîc tantùm obiter illorum, ordinis causâ, facienda est mentio. Functionum læsionibus quibusdam, dolores sic copulantur. Vt motus debilitati dolor in lassitudine dicta, tàm eâ quæ post labores fit, quàm spontanea nominata: qui in membris nunc vlcerosus, nunc inflammatorius, nunc tensiuus, nunc contundens sentitur, in motus debilitate descriptus. Dein & immobilitatis quibusdam generibus dolores quandoque iunguntur: veluti in paralysis ea specie, in qua remanente sensu tactus, molestia quædam, formicatio dicta, vel dolor manifestus, illeque nonnunquam vehemens, membra exercet. In spasmi quoque diuersis generibus dolor variis modis se repræsentat: imprimisque in eo, qui flatulentus dicitur. Dein & in spasmi quadam specie insolita, dolorem vagum per habitum corporis in extimas illius sedes discurrere, subitoque iterum locum mutare, eiusmodique, multos annos aliquem apud nos excruciasse, in spasmo ostendimus. Vti & in immobilitate partium, quæ in fracturis luxationibusque ossium accidit, dolor adest. Qui omnes in motus impotentia explicati fuerunt. Et in sensu tactus deprauato, sensum quendam falsum frigoris vel caloris, molestiam & dolorem in diuersis locis in aliquibus peperisse, demonstrauimus. Febribus, eiusmodi dolores etiam copulari, in quibus membra contusa, fracta, alióve modo affecta esse videntur, in febribus ostendimus. Dolores quoque, qui interiores corporis sedes occupant, ante hos expositi, in corporis habitum vsque interdum extenduntur, illicq; dolorem adferunt: veluti in capite cephalalgias aliquas ad oculorum vsque radices protendi: & cephalæas aliquando non solùm intrinsecùs, sed & extrinsecùs molestare, in capitis dolore expositum fuit. Vti & in collo, pectore, ventre, dolores internos, ad carnem quæ has partes complectitur, quandoque pertinere, in singulis harum partium doloribus declarauimus. Dein & superficiarios externos dolores plerosque ad habitum vsque corporis extendi, mox indicabimus. Conformationum vitiis quibusdam, aliorumque affectuum, qui reiectis se potissimùm exerunt, incommodis, dolores nonnunquam coniungi, qui variis modis se proferunt, in singulis hisce affectibus ostendemus.

Dolores in habitu corporis, cæteris accidentibus comitib. praeualentes.

Dolores verò habitum corporis occupantes, & præ cæteris accidentibus, si quæ alia illis iungũtur, molestiam adferentes & torquentes, ac proin hoc capite præcipuè explicandi, potissimùm eo distinguuntur, quatenus in habitu corporis residentes, maiori ex parte, vel circa carnosas partes, vel circa articulos, vel circa ossa sese exerunt. Hincque tria sequentia ipsorum statuuntur genera.

Carnosa loca occupãtes dolores. Defluxiones seu destillationes in habitu corporis. Flüß Germ.

Carnosas præcipuè corporis partes, in habitu corporis, occupãtes dolores, Defluxiones, Destillationes, Catharros, die Flüß German. à causa quæ hos præsertim excitat, vocant. Quorum diuersæ species hinc inde in diuersis corporis partibus extra articulos positis, qui plerumq; excarnes sunt, de quibus priuatim agemus, occurrunt.

In

In facie circa buccas, maxillam, iuxta aures, eiusmodi dolores seu Defluxiones, accedente interdum tumore, aliàs nullo se offerunt. Quibus dentium dolor sæpe accedit; sicuti illic explicatum est.

In colli lateribus, vel posteriori sede, tales dolores seu defluxiones quoque occurrunt, tuncque caput ægrè plerumque inuertitur, dolorque inde exacerbatur. Tumentibus nonnunquam illius loci quoque glandulis. Quibus si difficultas deglutiendi iungatur, Angina notha existit, in anginis iam explicata.

In pectoris lateribus carnosis, defluxionum dictus dolor quoq; suboriri solet, grauans & lancinans, qui contactu & motu, præsertim brachij, irritatur, respirationi incommodans, eamque difficiliorem reddens. Quòd si punctorius accedat dolor, Pleuritis notha existit, vbi & describitur. Si respiratio admodum impedita sit, ad Dyspnœam, vbi explicatus est hic casus, refertur.

In dorsi carnosis vtrinque sedibus, dolores hi à defluxione procedentes frequenter vrgent, superiore ad ceruicem, vel inferiore circa lumbos, sede: qui semper motu spinæ exacerbâtur, interdum & decubitu vel compressione: aliàs verò si profundiores sint, contactum perferunt. Quibus si interni dolores accedant, illic expositi sunt.

In artuum carnosis sedibus, in brachiis & pedibus, dolores à defluxione quoque eueniunt, aliquando & in neruosas sedes protensi. Qui, si circa fulcra horum, in homoplata, & coxendicis carneis locis eueniant, qui circa illorum fiunt articulos, ad articulorum dolores pertinent.

Articulorum sedem possidentes dolores. *Articulorum dolor.* *Arthritis.*

Articulorum regionem obsidens, & circa eam præcipuè versans dolor, Arthritis seu Articulorum dolor, in genere dicitur. Qui cùm in diuersis articulorum locis per habitum corporis positis occurrat, in eo primùm differt; Quod alius generalis est, pluribus articulis, vnde & generale Arthritidis nomen seruat, quam vulgò Podagram, si etiam pedes attigerit, vti ferè fit, vocant, in artubus, brachiis, manibus, ipsorumq; fulcris, coxâ, summo humero se exerens, & in dorsum ceruicemque vsque interdum quoque se extendens: aliquando & circa maxillæ articulum se manifestans. Alius verò dolor articulorum, particularis est duntaxat quibusdam articulis, artuum præcipuè: nonnunquam articulos magnos, quibus artus innituntur, occupans, vt articulum coxæ cum femore, qui proin Coxendicus vel Ischiadicus dolor dicitur. Aliàs articulum humeri cum scapula in summo humero seu homoplata, possidens, vnde Homoplatæ dolor appellatur. Nonnunquam verò in artuum articulis se offert: in pedibus circa digitorum internodia, maximè pollicis articulum, vel in pedio, vel iuxta malleolum, & Podagra tunc veriùs nominatur: vel circa genu, & Gonagra vocatur. Aliàs in brachiis circa digitorum articulos, pollicis quoque præcipuè: vel circa carpum & metacarpium, tuncque Chiragra, German. Zipperlin dicitur. Rariùs in cubiti articulo solo hic affectus, vti verò in genu permanet, sed si illic fiat, communis ferè cum aliis quoque articulorum locis, est dolor, & sub arthritide dictâ comprehenditur. In quibusdam autem accidentibus, diuersæ hæ species arthritidis conueniunt, in aliis discrepant, hoc pacto.

Coxendicus vel Ischiadicus dolor. *Homoplatæ dolor.* *Podagra.* *Gonagra.* *Chiragra Zipperlin Germ.*

Dolor vehemens plerumque in articuli vnius, vel plurium affectorum regione, & circa eam fixus, se offert: Qui in coxendico & homoplatæ dolore, ab initio fixus, mox vagus, illeq; per crus ad podicem, indeque ad pedem, hic per brachium, se extendit. In omnibus speciebus, motu articuli irritatur malum vti & contactu, præterquam in coxendico & homoplatæ dolore, nisi dolor ad exteriora quoque vergat. Subitoque & ex improuiso, hi dolores aliquem corripiunt.

Tumor plerumque cum rubedine aliqua, calore & pulsu interdum, in podagra & chiragra, aliàs citiùs, aliàs tardiùs superuenit, quæ & in gonagra, & in arthritide, in articulis præsertim excarnibus quibusdam, se aliquando proferunt. Aliàs verò citra manifestam rubedinem, œdema potiùs, ille tumor refert. In coxendico verò dolore & homoplatæ, carnosis illis in locis, vix quicquam tale apparet, aut tumor aliquis deprehenditur.

Nodi ſpacio temporis, in podagra & chiragra, iuxta internodia digitorum pedis & manus, excreſcunt. E quibus apertis, aliàs fluida, alba, tenax materia prodit: aliàs gypſi vel calcis inſtar concreta, alba, & friabilis materia: ſæpe etiam in tophos & calculos plures pauciorésve, inæquales plus minúsve indurata, exit. Quæ cùm retinentur, excreſcuntque, articulum figunt adeò, vt moueri poſtea ægrè, tandem etiam minimè poſsit. Sed & eiuſmodi nodos, à cubito ad carpum vſque deductos, & veluti cohærentes, in podagrico natos, atque ex illis ruptis, pultem veluti albam emanaſſe, aliquoties vidi: alioſque ſimiles in alio podagrico in auricula creuiſſe, illicque permanſiſſe.

Febris ſynochus, vti in febribus dictum, in arthritide generali, ferè ſemper, in podagra, chiragra, gonagra frequenter, in coxendico & homoplathæ dolore nonnunquam cùm dolor incipit, mox inuadit. Et horrore primùm, mox ſuperueniente calore ægrum moleſtat. Cuius etiam causâ ægri ſitiunt, & inquieti ſunt, pulſusque concitatior fit, vrinæque rubent.

Alia quoque accidentia interdum arthriticis eueniunt. Veluti ſpaſmum quendam doloribus hiſce acceſsiſſe, pluſq; ferè, quàm illos affeciſſe, aliquando obſeruauimus.

Oßium ſedes occupantes dolores. Oſsium, maiorum præſertim, ſedem occupans, & circa eam reſidens dolor (præter eum qui in excarnibus articulorum locis ſe exſerit, de quo in articulorum dolore dictum eſt: dein & illum qui in cephalalgia & cæphalæa ad externam caluariæ ſedem quoque ſe extendit, de quibus in aliis grauioribus ſymptomatibus iam actum eſt) duobus modis adhuc ſe offert, duoque conſtituit genera: quorum vnum, præcipuè circa oſſa capitis, alterum circa plures oſſeas ſedes, ſe offert.

Cephalæa externa. Circa capitis oſſeam ſedem capilloſam, vel frontis, dolor quidam ſe offert, diuturnus & perſeuerans, vnde etiam vti cephalæa interna, hæc Cephalæa externa dicitur: ab altera in capitis dolore explicata differens, quòd hæc externas ſedes occupet, & circa oſſa verſari videatur, contactuque exacerbetur. Ab interna cephalæa exortum quandoque ſumens, & vel cum ea ſe offerens, doloremque capitis intus foriſque ſe exerentem, efficiens. Vel etiam per ſe tantùm in exterioribus affligens: Nunc in vtroque, nunc dextro, nunc ſiniſtro, vti hemicrania, latere: nunc claui infixi inſtar vnum locum veluti perterebrans Clauuſque dicitur: aliquando nodos in fronte protrudens. *Clauus.* Cùm capitis dolore in lue venerea explicãdo, magnam habens ſimilitudinem. Et nonnunquam etiam in aliis oſsium ſedibus, vti illa lues, dolore & nodis ſe patefaciens.

Grauedo capitis externa. Eſt & alia ſpecies doloris huius exterioris in capite occurrentis, qui alios dolores à defluxione in articulorum & carneas ſedes factos, præire, eoſq; præſagire ſolet. In quo capiti graue aliquid & moleſtum incumbere videtur, dolorque extrinſecùs, ac ſi cutis à ſubiecta ſede auulſa eſſet, ſentitur, tactuque & præſertim capillorum commotione, augetur. Extuberantiaque quædam nonnunquam mollis ac œdematoſa, lata & diſperſa, externam hanc ſedem, præſertim circa occiput & ceruicis poſteriorem ſedem, occupat. Aliaque interdum accidentia, quæ in capitis grauedine, intra caluariam obortâ, eueniunt, præſertim ſi & illa, vt ſæpe fit, externam hanc grauedinem comitetur, hîc quoque ſe repræſentant.

Venerea lues. Plurium oſsium regionem poſsidentis doloris, alterum genus, à morbo nouo & veteribus incognito, profectum, & ab Indis ad nos cõtagione propagatum, à populis, quos primùm inuaſit, ab initio morbus Neapolitanus, mox cùm ad Gallos quoque perueniret, morbus Gallicus vocatus eſt: quẽ, quia per veneris vſum, maximè per contagium, corpora inficit, luem veneream alij appellant. *Morbus Gallicus vel Neapolitan⁹.* Cuius luis, cùm plura occurrant genera (ſicuti ſuo loco explicabimus) hic dolor circa oſſa reſidens, vnũ ex illis exiſtit: quod Germani, quia cum laſsitudine, in qua oſſa contundi videntur, ſe offert, Lemmy vocant, nos Dolorem venereum vel contagioſum appellare poſſemus. *Dolor contagioſus venere⁹. Lemmy Germ.*

Circa regionem oſsibus proximam, hic dolor verſans, in media ferè ipſorum latitudinis vel longitudinis potiſsimùm ſede excarni vrget. Vt in tibiarum maximè interiora

riore nudæ sedis longitudine, & iuxta scapulas, homoplatam & cubitum, in sterni item anteriore ossea sede: quæ in hoc solo affectu, cùm aliter vix ab internis causis dolere possit, dolet, & proin hæc lues etiam solo hoc signo quandoque cognoscitur. In capitis quoque externa sede dolor hic se exerit, maximè in anteriore sede, in fronte ad palpebras se vsque extendens, & circa tempora, cephaleæ externæ instar fixus hæret.

Implacabilis autem hic dolor est & atrox, cutem à subiectis ossibus veluti diuellens & dilanians, contactumque ægrè ferens. Qui sub noctem augetur, & calore non, vt alij dolores, mitescit, sed exacerbatur: quâ de causâ fortè noctu in lecto recũbentes, quia tunc magis calent, grauiùs habent. Sensimq; hic dolor, non subitò, vt arthritidis genera, hominem inuadit.

Tumores duri seu nodi, quos Beulen Germani, illorumque causâ totum sic affectum vocant, quandoq; erumpunt: in fronte, in tibiis, in manuum externâ sede: qui se inæqualiter habent, augenturque.

Alia quoq; externa vitia, vt pilorum defluuium, maculæ, pustulæ, vlcera huic dolori copulantur, quando hæc luis venereæ species non solitaria est, sed aliis accidentibus, vt in luis hac generali tractatione suo loco ostendemus, comitata existit.

Causæ.

IN doloribus omnibus enarratis, habitum corporis possidẽtibus, partes è quibus habitus corporis constituitur, sensiles saltem affici, cùm hæ dolorem tantùm sentiant, necesse est: quales sunt musculi, membranæq; sensiles & nerui. In quibus dolores nunc à distentione, nunc compresione, nunc solutâ continuitate, nunc intemperie simplici, vel cum humorum congestione, aut influxu, vel qualitate malignâ prodeunt.

Distētio, causa dolorum in mẽbris, in quibus alia symptomata p. ualent. Distentio vehemens harum partium, vt doleant efficit. Quod fit per motum immodicum, in exercitiis & laboribus, vnde dolor tensiuus in membris, cum lassitudine tensiua nominatâ iunctus, vt in lassitudine dictum, oritur. Et à motu violento, musculis nimiùm retractis, cum spasmo, dolor admodum exercet membra: vti in spasmo ostensum fuit. Dein & musculis maiori nisu validiùs aut diutiùs extensis, affluxumque sanguinis concitantibus, dolor non solùm, qualis in lassitudine inflammatoria aut vlcerosa, se offerre solet; sed & maior, qui contactu motuque increscit, fit: sicuti & in musculo lato mamillari primo, brachium mouente, talis dolor sentitur, quando equi, qui difficulter retinetur, freno validiùs attracto & retento, inter equitandum caput sustentando musculus hic diutiùs laborat & patitur: aliquando & pedes ac genua, cùm illis stapede breuiori pręsertim innitentes, lassa & dolentia reddimus.

Viscerum internorum causa dorso accumbentium, maiorum præsertim, & per ligamenta dorso appensorum, si ea distendantur, aut in tumorem eleuentur, aut alioquin ponderosiora fiant, trahendo & distendendo membranas dorsi, quibus adnectuntur, eius dolorem, horum morborum comitem, procreant. Qualis dorsi dolor admodum frequens, qui ponderis aut veluti diuulsionis sensum exprimit, in diuersis hepatis, lienis, intestinorum, mesenterij, vteri morbis, & in grauidis, vtero fœto turgido, occurrit, in illisque affectibus expositus fuit.

Flatus in habitu corporis, ab humiditate caloreque debili membrorum natus, vel ex aliis cauitatibus in eum irrumpens, si in musculorum spatiis collectus sit, musculos attollendo & distendendo, dolorem, qui in spasmo flatulẽto excruciat, parit. Si in membranarum spatiis coërceatur, dolores, quales in carnosis præsertim locis, in corpore sæpè euenire videmus, illis qui à defluxione prouenerunt, non absimiles, non tamẽ adeò fixos, sed vagos & diuellentes, nec ita diu perseuerantes, gignit. Quòd si ad cutem vsque erumpat, dolorem apparentem illic, ac discurrentem, cum palpitatione dicta, parit. Sicuti in eiusmodi affectibus, quibus dolores hi associantur, fuit expositum.

Compresio partium in habitu corporis, illæsâ cute, (nam cùm hoc fit, ad cutaneos affectus, vbi explicabitur, pertinet) dolorem illic efficit. Veluti ex decubitu diuturno in morbis longis, membris diu presis, *Cõpresio, causa dolorum in membris, in quibus alia sym*

ptomata praualent. & veluti, vt aiunt, conquassatis, dolor in illis, vti & in dorso cum lassitudine, ægrum dum decumbit, & postea vbi conualuit, diu sæpè exercet. Certæ quoque partes sensiles, si validiùs premantur, aliquandiu dolent: quod vt variis in locis, à violentia externa, accidit: sic à neruo in cubiti sinu latēte pressso, dolor grauis cum stupore & formicatione duorum digitorum, sæpè contingit.

Imprimis verò, si ossa, quæ corporis habitum firmant, nimiùm impulsa, aut è sede sua declinantia, vicinos musculos, membranas, maximeque neruos, qui neque contactum ossium quidem ferre possunt, premūt, dolor illic euenit: qui eò maior diuturniorq; existit, si partes hæ ex dolore intumescant, incalescant, & nonnihil inflammentur. Sicuti in inæquali & violento dorsi motu, ceruicis præsertim, magnus & punctorius quidam dolor, quando pars læsa mouetur, diu sæpe affligit. Frequentiùs hoc luxatis ossibus, in articulis mobilib. accidit, osse dislocato in sedes hasce sensiles erumpente, dolore tamdiu, quamdiu os illis incumbit, eas exercente: accedente simul partis illius, cuius articulus luxatus est immobilitate: quemadmodum in motus impotentia, à luxatione profecta, ostensum fuit.

Idem factis abruptisque ossibus euenit, dolorque non solùm tunc, si loco simul mota, quia partes, in quas feruntur, premunt, euenit, sed potissimùm, quia easdem asperitate suâ ex fractura inductâ, pungunt & lædunt, dolor vehementior adhuc oboritur. Cui dolori immobilitas membri, si ossa quæ per articulum mobilem mouentur, per fracturam à seinuicem abscedant, quoque iungitur, sicuti in motus impotentia, à fractura proueniente, dictum fuit. Vel si alia ossa frangantur, vt costæ, aut alioquin aliquid ab ossibus abrumpatur, alia accidentia cum dolore concurrunt: inter quæ, ob spinas aliquot à vertebris dorsi ex casu abruptas, diùque retentas nec cognitas, dolore graui diu ægrum in dorso affligente, tumorē amplum eoque tandem suppurato, vlcera successisse, postmodumq; spinas illas prodiisse, aliquando obseruauimus.

Ruptura, causa Soluta continuitas intrinsecùs in habitu corporis, in parte sensili facta, doloribus illic se offerentibus, occasionem præbet. Vti frequenter fit, cùm membrana circa ventris seu abdominis regionem rumpitur: idque maximè cùm erumpentibus è peritonæo, intestinis dilatato, vulnere seu scissurâ dolor crescit, tumorque tunc se offert herniosus, vbi & hic affectus explicabitur. Quod reliquas partes attinet sensiles, habitum corporis constituentes, vt musculum & neruum, cùm vix, nisi externum accedat vulnus, cutem priùs aperiens, ipsa vel rumpantur, vel illorum continuitas manifestè soluatur: de hisce ipsorum læsionibus, atque inde euenientibus doloribus, in cutaneis agemus affectibus. dolorū, qui in Hernia se offerunt.

Intemperies harum partium dolorē etiam parit, quamdiu hæc durat illisque impressa manet, perseuerantem. Eaque & frigida & calida: quæ si extrinsecùs accidat, cùm cutem tunc potiùs afficiat, ad cutaneos dolores pertinet, vbi & explicabitur; Si intrinsecùs fiat, ab influxu vel congestione humoris hoc fit, vti mox dicetur. In febrium etiam paroxysmorum initiis, frigus, & postea in progressu subsequentem calorem, dolori huic, de quo tunc in dorso & in membris cōqueruntur ægri, occasionem præbere, caloremq;, tum quia partes similares omnes, in omnibus febribus eo alterantur, tum quia in continuis febribus, causa in vasis maioribus dorso vicinis contenta, neruosas partes inde magis accendit, in hisce sedibus molestiam hanc efficere, cognoscimus. Intemperies causa dolorū, cum aliis symptomatis copulatorum.

Congestus humor in habitu corporis excrementitius, accedente interdum & prauitate quadam, à nutrimenti quo partes aluntur cruditate, vel etiam vitiosiore portione: vel ob assimilationis imbecillitatem, aut prauitatem sensim coaceruatus, dolores qui circa exangues sedes iuxta ossa, periostia & membranas præcipuè versantur, vbi excrementa hæc, in locis hisce minùs calidis, & vt vocant, frigidioribus faciliùs accumulantur, tardiusque dissipantur, quandoque gignit. Idque frequentiùs in capitis sede, intra caluariam & cutem illi obductam, occurrente, ob venarum illic copiam, quarum causâ excrementa facilè ibi colliguntur, & Cōgestio humoris, causa Cephaleæ externæ.

quia

quia ob cutem crassam difficulter expirant, accumulantur, quæ postea Cephalæam eam producunt, quæ circa exteriorem saltè hanc illius sedem occurrit. Quod & in aliis quoq; locis circa dictas sedes ossaque nuda, tali ibi materiâ sensim congestâ fieri potest, doloresque eiusmodi paulatim nasci, illis aliquo pacto, vti dictum, qui in lue venerea fiunt, ob causæ locique aliquam similitudinem, non absimiles: vnde & hi, sicuti illi, extuberantias alias nodosque, periostio ab eiusmodi excrementis exeso, luxuriante tunc partis nutrimento, atque in callos concreto, proferunt: sicuti in externis tumoribus hæc ampliùs exponentur.

Cõgestio humoris, causa Grauedinis externæ.

Verùm & à congestis eiusmodi excrementis extra caluariam, dolor ille externus, quem defluxiones & arthritides præcedere & denunciare diximus, oritur: iisdem, vti in cephalęa externa, de causis, qui tamen in cephalæa, hærente illic materiâ diutiùs, in hoc verò defluente, desinit, & in deteriorem commutatur.

Cõgestio humoris, causa arthritidis alicuius.

Sed & eadem excrementa, circa articulorum regionem exanguem iisdem de causis congesta, nec aliunde eò defluxa, arthritidem quandam gignere possunt: quæ sensim non subitò, vt illa quæ à defluxione fit, prodit, nec adeò dolorem grauem infert, & tumorem œdematosum potiùs, quàm alium profert. Quæ arthritis rariùs primò incipit, sed aliam quæ à defluxione oritur, præcipuè sequi solet: idque loco affecto, ex multis defluxionibus debilitato, noua excrementa illic congerente, vnde qui sic affecti sunt, à podagra rarò immunes, nunc ob defluentem, nunc congestum humorem, semper illius quædam indicia secum circumferunt, aliquidque patiuntur: vel si species aliqua arthritidis alia sic fiat, quæ tandem cessare solet, vt ischiadicus dolor, diu admodum protrahitur, magnasque parit mutationes.

Defluxio humorum causa dolorũ Defluxionis in habitum corporis f-cta, & Arthritidis.

Influxus humorum quorundam in habitũ corporis, dolores in eo, qui subitò, si confestim defluant, suboriuntur, & vel Defluxiones simpliciter appellantur, vel Arthritici dolores dicuntur, generant. Qui humores vel extra venas, vel intra venas priùs collecti, eò defluunt.

Extra venas congesti humores, è quorum defluxu dolorum duo enarrata genera prodeunt, à plerisque pituitosi, à nonnullis serosi esse censentur. Verùm cùm pituita aquea, quæ species illius sola in distentiora loca potest defluere, vel serum purum & merum, vel etiam aqueâ pituitâ mistum, si ad partes defluant, functionum ipsarum læsiones, vt resolutiones & tumores, dolore carentes, sicuti in illis locis descriptum fuit, potiùs quàm dolores vehementiores gignant, verisimile est, quando hi in defluxionibus & arthritide adsunt, & præsertim cùm admodum affligunt, ab humore alio grauiùs afficiente eos proficisci: & proin cùm fluxilis sit, serosum quidem esse, minimè tamen simplicem aut aqueum tantùm, sed qualitate alienâ imbutum, & ichoribus humorum & excrementis, quæ illum vehementiorem reddant, permistum: quæ prout vel biliosa vel acria aut salsa, aut alioquin praua sunt, partem in quam feruntur, distendendo, vellicando, variis modis plus minúsve molestant, doloréve afficiunt.

Origo verò huius serosi excrementitij humoris, à capite plerumque proficiscitur, vbi defluxionum scaturigo existit, & ab eo in partes subiectas defluit. Congeriturque ille nonnunquam in illius interiore sede, intra caluariam, præbente ei materiam sanguine, cuius tanta copia in capite continetur, si crudus aut impurus aliter inquinatus existat. Tunc enim, cùm portio illius aliqua, vel maior, ad nutritionem inutilis relinquatur, concoctionemque effugiat, talia excrementa sensim in cerebro deponit, quæ cùm delabuntur, dolores, vti dictum, pariunt. Quos grauedo capitis, coaceruatâ priùs illic materiâ, & eiusdem dolor nonnunquam, aliaque accidentia anteire & minari solent. Sanguis autem excrementitius ad cerebrum delatus, talis à primæ vel etiam secundæ concoctionis debilitate, vel ob ipsius cruditatem, vel vitium aliud, à variis causis contractã, gignitur: eoque magis si cerebrum insuper imbecillius accedat: vnde etsi sanguis laudatus in prima concoctione sit genitus, tamen cùm eum in tertia concoctione asimilare nequeat, multa excrementa deponit,

vel si iam priùs non bene coctus, vel excrementis mistus sit, plura tunc excreméta accumulat. Cuius imbecillitatis cerebri caussa, nunc à parentibus contracta, hæreditarium facit malum; aliàs ex senio vel morbis capitis aliisve de causis prodit; inter quas vinũ narcosi suâ, & venus spiritus exhauriendo, cerebrum & neruos debilitantia, ac vires, vti vocant, eneruantia, non minimæ causæ podagræ, hæcque illorum pœna, statuuntur. Quam illuuiem, ab enarratis causis, in capite congestam, vel copia nimia, vt tandem defluat, mouet; vel frigus externum ab aëre, vento, madoréve contractum, ad cerebrum penetrans, ex eoque stringendo humiditates illas exprimens; vel calor à sole, balneis, caput afficiens, meatus reserando potiùs, atque irritando facultatem excrementitiam, quàm, vt volunt, pituitam fundendo, defluxiones concitat; vti & motus magni caput concutientes per sternutationem, tussim, alióve modo facti, vt ab eo decidat humor redundans, efficiunt.

Sed & extra caluariam, inter ipsam & cutem capitis, serosum eiusmodi excrementitium humorem congeri posse, à quo defluente, eiusmodi dolores fiant interdum, priùs ostendimus, cùm ex illorum congestione cephalæas externas, vti & grauedines cum cutis intumescentia, quæ alios dolores antecedere solent, nasci diximus: causamque, quare materia illic facilè congeratur, simul exposuimus. Quem humorem eædem causæ, quæ defluxionibus ab interioribus capitis mouent, illic explicatæ, etiam vt ex sede hac externa fluat, commouere possunt. Inter quas, causæ externæ, frigus & calor, cùm mox in exterioribus hisce locis operentur, citiùs ex illis quàm interioribus, defluxiones, sicuti protinus horũ occursu eas superuenire videmus, concitant.

Defluxus autem huius excrementitij serosi humoris, intra & extra caluariam congesti, diuersimodè fit. Is enim qui intra caluariam collectus est, si defluat, nunc aliis affectibus & doloribus, sicuti alibi dictum fuit, nunc illis qui in habitu corporis fiunt, causam præbet, prout in cerebri basim descendens, ex tribus cauitatibus, caluariæ fundo impressis, in aliquam illabitur, cursumque suum dirigit. Nam si in cameram superiorem fronti proximam incidat, tunc per foramina ossis cribrosi, veluti per cribrum transcolatus, è naribus instar aquæ limpidissimæ stillans, coryzam facit. Si in mediã, quæ multis foraminibus palatum spectat, feratur, tunc, si in narium amplitudinem descendat, vel mox tenuis adhuc, vel retentus aliquamdiu crassescens & mucosus factus, per nares emungitur, aut screatu è faucibus expuitur, vel si in oculorum sedem descendat, per lacrymas exstillat: sicuti hæc in excretis copiosiùs explicabuntur. Si verò in media hac sede, neruorum ductum, quorum aliqui quoque hæc foramina peruadunt, sequatur, vel si in posteriorem caluariæ cauitatem, quæ humilior & amplior, delatus, per magnum occipitij foramen spinalis medullæ, ipsiusque parium neruorum propagationem, descendat, in habitus corporis locum aliquem, vti & faciem delapsus, nunc vel indifferenter in partibus carnosis alicubi, aut circa articulorum regionem subsistens, defluxionũ dolores dictos, vel arthriticos parit. Vti &, si extra caluariã collectus humor defluit, tunc sub cute deorsum vergens, prout se vel articulorum, vel carnosis sedibus insinuat, dolorum genera profert. Sicuti quo pacto in defluxu humoris intra vel extra caluariam existentis, hoc fiat, nũc explicabitur.

In carnosas itaque corporis partes si procumbat defluxio, siue è capitis interioribus neruorum ductum secuta, vel exterioribus, nam & inde sub cute ad carnosas sedes alinam & inde sub cute ad carnosas sedes aliquousque perferri potest, feratur, tunc musculorum neruosarumque membranarum, & partium inter se mutuò connexarum interstitiis se ingerens, vel etiam inter carnem & cutem glandulasque se inserens, Defluxionum dictum dolorem, nunc grauitatis sensum exprimentem, si copiâ suâ grauet, vel distendentem, si distendat; vel acerbiorem, si qualitate aduersâ simul molestet, excitabit: Tumoremque interdum, nunc occultum, nunc conspicuum ad œdematis naturam accedentem; vel etiam, si dolor vehemens sit, affluxumque sanguinis proritet, aliquam

liquam in hisce partibus veluti inflammationem, eamque vel abstrusam, quæ tamen calore & pulsante dolore se prodit, vel etiam si in exterioribus hoc magis fiat locis, illic tumore & rubore nonnihil se in cōspicuum dantem. Quales defluxionum dolores in dorso & ceruice, facie item, nonnunquam & in pectoris & artuum sedibus, vti in generibus ostendimus, illis in locis frequentiùs & faciliùs oriuntur, quæ loca iam aliquoties defluxiones passa, imbecilliora, laxiora, ad suscipiendum proin magis apta, & hisce defluxionibus obnoxia fiunt.

In articulorum verò regionem, si humor ille è caluaria elapsus, per neruorum vias feratur, aut extra eam cumulatus, sub cute eò descendat, sicuti Fern. eum tantùm huc peruenire posse existimat, tunc prout vel circa coxæ, humeri, genu, cubiti, manus, pedis, digitorúmve articulis, aliquando & dorsi & maxillæ, vno in loco, duobus vel pluribus subsistit, diuersæ species suprà enarratæ arthritidis exurgunt. In quibus locum affectum articulum esse censent, illiusque interiorem sedem affici plerique credunt, idque dolor iuxta articulos eosque mobiles potissimùm sentiatur, vel potiùs quòd per motum articuli dolor augeatur. Verùm cùm articulus mobilis, intrinsecùs ex duorum ossium extremorum mutuo nexu componatur, nulloque periostio toto hoc spacio, quo inuicem iuncta sunt, inuestiatur; sed cartilagine solùm incrustetur, nullusq; neruus hęc loca subeat, & proin hæc omnia sensū tactus destituta penitùs sint, dolor in interiore hac sede articulorum fieri nullo modo potest: vti neque in articuli femoris interioribus, vbi licet teres ligamentum sit, cùm tamen illud cartilagineum & insensile existat, illius causâ, dolor aliquis in eo loco suboriri potest. Dein &, cū ossa in articulis adeò exactè iungantur, vt nullum spatium inane relinquatur, atq; in ambitu articuli extrinsecùs, mēbranea ligamenta illis connata, ambientiaq; ea penitùs occludant, vt nihil ad interiora illorum perferri possit, quo pacto humor arthritidem gignens, eò perueniet? cùm nulla ad hæc loca pateat via, neq; vena aliqua hæc loca subeat. Præterea cùm ligamenta foris articulum stringentia, insensibilia quoque sint, vel si aliquem sensum à periostiis quib⁹ adnascuntur, sicuti aliqui putarunt, sumunt; illeq; obtusus admodum sit, quomodo si illic articulus afficeretur, tantus dolor vti in arthritide fit, nasceretur? vti neq; tendinum illic insertorum causâ fieri potest, cùm & illis vel nullum, aut obscurum sensum inesse, tactus facilè dijudicet. Ad hæc tumor extrinsecùs prominens, & ab articulorum regione aliquousq; interdum expansus, & dolor aliquādo ab articulo procul distans, aliàs ab eo latè se extendens, in articuli structura dolorem hunc minimè euenire, ostendunt. Sicuti & hæc, quod gypsea illa materia, nodi tophiq;, quę arthriticis quandoq; prodeunt, non semper iuxta articulos, sed & aliis vicinis in locis se offerant: & licet in ipsis articulis plerunque nascantur, illiq; spatio temporis, ob indurata potissimùm ligamenta, nodosi fiant, non tamen dolorem idcircò in articulum constituentibus partibus insensibilibus fieri comprobant, cùm illic tandem ob causas alias accedentes, vti dicetur, nata, nisi vicinas partes sensiles afficiant & pugnant, dolorem alioquin nullum adferant, sed articuli motum potius figant, illiusque formam vitient, dolorq; non posit nisi partis sensilis affectæ causâ, quæ in articuli structura, vti dictum, non inuenitur, euenire. Ob quam causam dolores arthriticos, non articulorū, sed illis vicinarum partium sensibilium causâ accidere certum est: quales sunt nerui, simulque partes ob dispersos per eas neruos neruosæ dictæ, musculi scil. ipsisq; connatæ membranæ. Cæterùm, quòd hæc circa articulorum regionē potiùs quàm alibi patiantur & afficiantur, doloresq; illic frequentiùs occurrant, causa est, neruorum circa hasce sedes cōcursus, & quòd eo peruenientes, in angustiorib. hisce locis coërciti, certis membranis & ligamentis vincti retineantur, & ad articulorum motum plicentur, cùm alibi liberi citra connexum, & recti per corpus incedant, vnde & fit, vt cùm materia aliqua in hæc loca angustiora & curua defluit, illic facilè subsistat, neruosque afficiendo, dolores eiusmodi excitet. Qui dolor tamē, si humor defluxus extra articulorum sedem, in aliis angu-

angustiis vel indirectis ductibus, per quos nerui feruntur, quoque figatur, & eo in loco tunc concurrant; vti in coxendico dolore, qui supra illius articulum plerumq; in lumbis, illic vbi quartus neruus ad crus descendens, è cauitate coxendicis extrorsum reflexus curuatur, hærente humore, euenire solet, posteaque vlteriùs defluente eo, sedem mutare, & nunc circa coxę, nunc circa genu articulum in poplite, ad quem hic neruus peruadit, nunc in pede magis afficere. Quod & si in homoplata sit dolor, hac ratione sæpe contingere consueuit. Vti & si copiosa sit materia, non vno loco, sed diuersis in locis hærere atque affligere, & illis quoque in angustiis, vbi nerui per ossium foramina transeunt, vt in spina dorsi, maximeque vbi reticularis neruorum plexus iuxta ceruicem in brachia, & iuxta lumbos in crura neruos promit, facilè subsistit, doloresque mouet.

Morbus autem, dolorem in sedibus iam explicatis efficiens, vel est distentio quædam, à copioso humore excrementitio affluxo, eadem ratione, vt, cùm in carnosas sedes influit, prodiens, & ab eo tantùm differens, quod hìc defluxio vlteriùs ad musculorum insertiones articulis proximas delata, illic dolores, sed non ita acerbos, vt cùm nerui afficiuntur, parit, partemque in tumorem œdematosum quandoque eleuat. Qui humor excrementitius, si qualitate potiùs vehementi, vel prauâ, neruos insuper in locis articulorum, vti dictum, afficiat, dolores acerbiores parit, vnde concitato etiam affluxu sanguinis, in loco affecto quandoque calor, rubedo, tandemque tumor, vti in arthriticis doloribus, ab influxu sanguinis præcipuè, hæc adesse mox dicemus, suboriuntur: quæ omnia tandem absumptis discussisque hisce excrementis, cessant, nouaque defluxione subortâ, redeunt. Atque remanent tandem in diu iteratis defluxionibus materiæ influxæ, nec penitùs discussæ, reliquiæ: quæ, si glutinosæ sint, sensim in gypseam materiam concrescunt, si terrestreitatem, qualem in serosis excrementis inesse, in calculi causis ostendimus, in se contineant, successiuè in cretaceam, tophaceam aut arenosam & lapideam materiam conuertuntur. Fitq; hoc maximè in extremis corporis, manuum & pedum articulis, cùm humor delapsus quandoquidem vlterius ferri nequit, potiùs infimis hisce in locis, quàm superioribus diu retentus, eo vt dictum modo, crassescat sicceturque.

Partis autem recipientis & deducentis dispositio plurimùm facit, vt in hanc vel illam partem defluxio potiùs cadat, sæpeque redeat. Talis autem est viarum, neruis alioquin & reliquis vasis, quæ cum neruis corpus peruadunt, destinatarum, sediumq; quę circa articulos sunt, nimia laxitas; tum ab ortu insitis de causis à parentibus eueniens, causaq; vna, quòd hæreditarius sit affectus, cũ ea quæ à cerebri imbecillitate inde quoq; deducta est, vti suprà dictum, existit; tũ etiam aliis de causis, & à morbis, tum maximè ob continuum defluxum, sæpeque redeuntem, viasq; peruadentem & dilatantem contracta: vnde fit vt per eiusmodi ampliatas vias & laxas, humor licet non tantâ copiâ, quæ alioquin requiritur, congestus, vel leuiter commotus, facilè defluat & consuetas hasce vias repetat. Et cùm ad extrema vsque articulorum perferri potiùs, quàm in viis intermediis subsistere, defluxio tenuis præsertim, viis sic laxis existentibus, soleat, illicq; retenta, loca hæc non solùm relaxare, sed & sensim separando ab inuicem veluti excauare: ideò euenit, vt podagra & chiragra frequentiores cæteris sint speciebus, & quòd, si semel ægrum inuadant, per interualla vel mensium, vel anni, prout causa præstò erit, redeant, nec dũ penitùs ampliùs abigi possint: coxendicus verò aliiq; superiorum articulorum dolores, etsi aliquando illic subsistente materiâ eueniant, tamen cùm hoc rariùs fit, humorq; potiùs descendat, non adeò illis quos hi semel corripuerunt, nisi eò defluxiones sæpè delatæ, locum quoq; (vti dictum) laxum reddant, consueti sint. Vti & quòd arthritis generalis, nõ adeò frequens, vt cæteræ illius species existat, & licet aliquando fiat, non tamẽ facilè, vel etiam nunquam ampliùs redeat, non solùm huius causâ est, quòd non nisi magnam illius causam esse oporteat, humorum scil. copiosum prouentum, qui in omnes ferè articulos se exonerare

nerare posſit, ſed &, quòd, cùm rarius eueniat, partes nondum debilitatæ, minùs humorem ſuſcipiant, & quòd, vti mox dicetur, ab alia cauſa, quàm defluxione à capite, frequentiùs prodeat.

Intra venas cõcluſus ſanguineus humor, ſi in articulorum ſedem influat, arthritidem quam aliqui Calidam, quòd febri comitata ſit, characteresque caloris in articulorum ſede proferat, vocarunt, interdum progignere poteſt. Sicuti enim ille quaquauerſum per venas in habitum corporis diſperſas, in carneas membraneas partes, & cutem ipſam ſe inſinuare poteſt, illicque inflammationes, vel etiam ſine inflammatione verâ, diſtentionem caloremq; excitare (ſicuti ex dolore, ſanguine attracto, parte nondum inflãmatâ, & tamen rubente ac calente hoc fieri poſſe, apparet) ſic &, ſi in articulorũ regiones neruoſas feratur, illiſq; ſe inſinuet, diſtendẽdo, caloreq; ſuo inflammante, dolorem arthriticum efficiet.

Idque quando ſuâ copiâ in venis redundat, aut calidior exiſtens & inflammatus, febrem accendens ſynochum, quæ plerunque huic arthritidi calidæ ſtatim ab initio ſuperuenit, & aliquandiu comes eſt, per eam portionem illis in articulorum haſce ſedes propellit. Nam ſicuti ab iiſdem cauſis, in febribus ſynochis, in ſuperficiem cutis effuſo ſanguine, eryſipelata febre hac comitata gignũtur, ſic etſi in haſce ſedes articulorum, hoc in hiſce febribus moliatur natura, quò etiam frequenter ſe exonerare ſolet, arthritis potiùs febre ſynocho comitatâ naſcetur. Vnde & plerumque accidit ob hanc cauſæ ſimilitudinem, vt qui arthritidi obnoxij ſunt, aliquando in ſanguine in cutem effuſo, febre quæ eryſipelata profert, noſtriq; Carſunckel vocant, facilè, ſicuti in febribus hoc expoſitum fuit, corripiantur: ægrique qui vtriſque obnoxij ſunt, podagræ timore, quando illa inuadit, eryſipelatis opinione ſe conſolentur. Sed & ſanguis, ſero excrementitio ichoribuſq; humorũ perfuſo, impurior fluidiorq; factus, à natura, interueniente plerunq; etiã febre aliquâ, ſed mitiore (vix enim ſine febricula, calida vocata arthritis incipit) vti in alia loca aliquando, ſic in articulorũ regionem expurgatus, arthritidem inducit. Quæ &, quando generalis eſt ſæpiusque repetit, plerunque à ſanguine, cùm copioſus ſit humor, totumq; corpus peruadens, in pluresq; ſedes ſimul effundi poſsit, prouenire ſolet; quòd ſi à defluxione à capite fiat, cùm non niſi magna ſit cauſa, rariùs fieri diximus. Licet & particularis arthritis, & podagra: nonnunquam & coxendicus dolor, ab eodẽ ſanguine, in vnam aut pauciores ſedes tunc ſe exonerante, non infrequenter febre quoque comite, gignatur. In quibus à ſanguine genitis articulorum doloribus, ſi ſanguis qui influxit feruidior fuerit, neruoſumq; genus grauius afficiat & inflammet, dolor & ardor maior erit, rubedoque & tumor, niſi in profundo hæc omnia, vt in iſchiadico dolore lateant, citiùs apparebunt, atque eryſipelatoden aliquam phlegmonem referent: ſi verò ſeroſior, ad œdematis naturam, tumor latè diſperſus potiùs accedet, dolorq; non adeò magnus erit, niſi quatenus, ſi in multis locis hoc fiat, ea ratione magis moleſtus eſt.

Cuius ſanguinis in venis feruoris & impuritatis cauſæ, vt varię ſunt, in febrib. ſynochis comitatis expoſitæ: ita imprimis vini potentioris pſertim immoderatus & continuus vſus, non ſolũ, quòd cerebro toties ſtuporem inducens, illud debilitando, ſed & quòd ſanguis inde copioſior calidiorq; & tenuior cõtinuò gignatur, qui facilè poſtea inflãmatur, febremq;, per quã portio illius in articulos excutitur, accendat, podagræ cauſa, hæcq; illius pœna ſtatuenda erit. Vnde & ditiores præſertim, qui vino generoſo ſæpè inebriantur, cibiſq; aromatibus variis conditis, vnde quoq; ſanguis tandem accenditur, perpetuò vtuntur, podagram ſibi familiarem, quæ apud ſybariticos illos & delicatos libenter (vt vulgo dicitur) diuertit, reddunt: quæ tamen & pauperes aliquos non præterire ſolet, eoſq; interdum aliis de cauſis, vti & febris eryſipelatodes exercere. In omnibus hiſce multum adiuuante diſpoſitione partis, ob imbecillitatem illius, aut viarum (vti dictum) laxitatem, ad ſuſcipiendũ pronâ, quæ illi, iiſdem de cauſis, vt in arthritide, à defluxione nata, diximus, ſi ſæpiùs pſertim ſanguinis influxu debilitetur, euenit.

Sed & sanguis indifferenter in alias præter iam dictas, carneas corporis habitus sedes effusus, in febribus synochis, veluti in emunctoria illicque positas glandulas, dolorem, qui eo in loco se cum tumore & febre offert, vt in febribus illis declaratum fuit; vel si ob plethoram aut tenuitatem illius, vel sponte, vel ob labores aut dolores, in membra se ingerat, in illis molestiam eam, quę in lassitudine descripta fuit, excitat.

Qualitas maligna, caussa Luis Venereæ.

Qualitas occulta, seu cuius vires quibus agit, explicari nequeunt, maligna & contagiosa, quod ex effectu patet, extrinsecùs corpus subiens, dolorem quem in habitu corporis, ossium sedem præcipuè occupare diximus, parit; qui luis venereæ dictæ quarta est species. Quæ qualitas à corpore alterius hominis, qui hac lue infectus est, prodit: siue hæc ita illum, vt ex ea æger decumbat, occuparit; siue nondum adeò impressa, vt ex ea penitùs ægrotet, existat, sed in obscænis pręsertim hæreat: quâ ratione scorta illic infecta, etsi aliquando minimè decumbant, aut alia accidentia grauiora huius luis sentiant, alios nihilominus, vt postea ex ea lue vehementer affligantur, inficiunt. Hæc autē qualitas ab vno corpore exurgens, contactu in alterius corpus per contagium fertur, eamq; potissimùm corporum coniunctionem, in qua iunctis mutuò per coitum genitalibus, locisq; illis nudis & tenerioribus, virus hoc ab obscænis vnius in alterius transiens, vel illa solū (quod in fœminis priuatim interdū, vt dictum, euenit) vel totum corpus postea, quod frequentiùs accidit, inficit: qua ratione etiam per eiusmodi coitiones, hæc lues ab Indis ad nostros translata & propagata fuit. Licet & cum excrementis, ab infectorū corpore in corpus aliud sæpiùs aut vehementer traductis, hæc infectio transmitti possit: vt ab illorum sudoribus euenire potest, si in linteis adhuc impuris cubent, vel indusia infectorum induant. Quod fortè & ex sputo fieri, ex eo colligimus, quòd sicut bestiarum virus per sputum in morsu corpora subit, ita & luem hanc, per pocula vel cochlearia, aliáve ori indita, sputo conspurcata, vel etiam per oscula, quâ ratione ab obstetricibus sæpe infantes inficiuntur, in alios transferri, sit verisimile: vti & à fœtidis ichoribus ex vlceribus in hac lue fluentibus, aliaque corpora tangentibus. A quibus tamen omnibus, vixdum corpora, nisi summè tenera, & rara, vt infantium; & si admodum vel sæpe hisce impetantur, contaminantur: vti neq; facilè per halitum, cùm tunc multi simul, quod tamen non fit, eam contraherent: licet plerumque has caussas prætexentes, vt erratum illiciti congressus celent, illis culpam attribuant.

Hęc autem qualitas, in vapore vel humore, à corpore in corpus translata, partem, quam primùm attigerit, inficit, rariusque illic, vti dictum, permanet, sed vlteriùs per corpus dispersa, sicuti venena solent, partibus membraneis potissimū insidiatur, atq; illis luem imprimēs, si hoc in superficie corporis fit, vti elephantiasis quædam, quam quoq; has præcipuè partes obsidere, in ea ostendemus, pilorum defluuium, pustulas, vlcera, parit: vti hæc species luis venereæ in cutaneis affectibus explicabitur. Si verò corporis solidioribus partibus profundioribus se insinuet, tunc circa periostia mēbranasq; maximè vigens, dolores circa ossium regionem nudam præcipuè, vbi plures membraneæ neruosæq; partes cōcurrunt, molestantes, in capite, sterno, tibiis, similibusque, vti dictum, locis gignit: qui dolores calore, cùm luem hanc veluti sopitam in actum deducat, irritantur, atque interdum nodos, periostiis abrasis, vti in cephalæa à congestione humorum expositum, in tibiis vel fronte præcipuè proferunt. Præter quæ, aliis vix dum corporis partibus, grauiora adfert incōmoda, neque in spiritibus aut humoribus magnas parit mutationes, neq; quicquā eiusmodi, in vrinis, excrementis, aliisve functionum læsionibus, apparet, nisi ob dolorū vehementiam, morbi diuturnitatem, aut medicamenta violenta, quibus cura instituitur, potiùs, quàm ob hanc luem, tandem superueniant accidentia.

Qualitas maligna, caussa Cephalea externa maligna.

Intrinsecùs quoque, perniciosa quædam vis abdita, sed noxia suscitari potest, quę certis partibus inimica, dolores in habitu corporis gignit, interdum similes illis, quales iam in lue extrinsecùs illatâ, circa ossium sedes,

des, in morbo venereo nasci diximus, atque circa capitis exteriora, in Cephalea externa, quæ citra hanc luem nascitur, potissimùm se offerunt, & ex congestione humorum circa has sedes, vt illic dictum fuit, nascuntur: si præter illam intemperiem, quâ alioquin dolorem inferunt, etiam malignitatem acquirant: vnde & grauiùs tunc lædunt, pertinaciusque hærent & perseuerant. Sed & fieri potest, vt articulorum dolorum aliqui, à defluxione nati, si humor ille serosus excremétitius, præter eas qualitates, quibus dolores infert etiam prauam vim adipiscatur, vti sæpe in excrementis, aliquid maligni & incogniti, in variis morbis generari potest, pertinaciores & crebriores dolores fiant, & qui aliquid ab aliis insoliti proferant, suaque peculiaria habeant accidentia, minusq; corrigi aut curari possint. Præter quæ aliũ quoq; dolorem, per habitum corporis discurrenté, in spasmo quodam, cuius species esse videtur, & cuius priùs in generibus meminimus, à qualitate peruersa & incognita, neruisque præcipuè inimicâ & aduersâ oriri, ex eo, quòd tam raris & admirandis accidentibus quàm longissimo tempore affligat, & per neruos per vniuersum corpus propagatos, ad illorum extimas vsque sedes feratur, illicque potissimùm dolores moueat, satis licet conjicere. Vti & illos affectus, qui falso sensu frigoris aut caloris, tamdiu dolores graues pariunt, nec cessant, à malignâ vi, nõ cognitâ, vnde neque ferè curantur, prodire, hæc in ipsis prodigiosa symptomata, satis declarant.

Qualitas maligna, caussa Arthritidis cuiusdã malignæ.

Qualitas maligna, causa doloris in spasmo discurrẽtis.

Qualitas maligna, causa doloris in sensu tact⁹ deprauato accidẽtis.

Curatio.

Dolorũ in habitu corporis quib. alia accidẽtia iuncta præualent, curatio.

ILlorum dolorum generum, in habitu corporis occurrentium, quibus alia symptomata copulata præualent, curationem in accidentibus illis, quæ tunc potissimùm vrgent, curamque ad se trahunt, exposuimus. Veluti si à distentione, dolor in habitu corporis, seu membris oriatur; fiatque à motu immodico tensiuus cum lassitudine, vel à violento, cum spasmo dolor, cura illius in lassitudine, huius in spasmo explicata fuit. Quòd si ex motu nimio, sanguinis quoq; accedente affluxu, maior fiat dolor: nec alia quoq; quàm quæ lassitudini, & si nec sic remittat dolor, quæ spontanea à plethora genitæ conuenit, vti illic quoq; ostẽsum, adhibetur. Et si viscerum internorũ morborum causâ, dolor in dorso potissimũ se exerat, cura in horũ affectuum symptomatibus, quæ magis spectantur, tractatur. Si verò flatus eiusmodi distendentes seu diuellẽtes dolores procreent, in spasmo vel palpitatione, de cura quoq; illius actum. Dein &, si à cõpressione ex decubitu longo, membra lassa & facta sint, eodẽ modo, vt in lassitudine dictum, reficiũtur: si validiùs pressa pars aliqua doleat, caussâ cessante, dolor etiam remittit, nisi inflãmatio aut læsio aliqua sequatur, quæ priuatam, vti illic explicatur, tunc curationẽ requirit. Quòd si à luxatis fractisve ossibus, ad motum paratis, membra prementibus, dolor fiat, in immobilitate, quę tunc comes est, cura descripta fuit. Sin verò in aliorum ossiũ fracturis immobilitatem minimè causantibus, hoc fiat, quia alia accidentia interna externáve, tumoresque tunc sequuntur, in illis quoque horum cura ostendetur. Si à ruptura dolor in hernia fiat, in tumoribus qui tunc simul prodeunt, tractatur. Et si intemperies externa calida seu frigida partib. impressa, sensum tristem causet, de ea in cutis affectibus, quæ tunc potiùs afficitur, agetur. Si in febribus frigus aut calor hoc in membris faciat, cura in febrium rigore & calore proposita fuit. Et si à congesto humore Cephalæa externa nascatur, illius quoque cura in capitis doloribus, qui eousq; pertingunt, exposita fuit. Vel si à defluente humore vitioso & maligno dolor in paralysi nascitur, in ea quoque de illo actum.

Cephalea à congesto humore curatio.

Dolorum verò in habitu corporis occurrentium, qui cæteris symptomatibus, si quæ præterea adsunt, præualent; trium scilicet horum generum quæ vel circa articulorum aut carneas vel osseas sedes versantur, curationem ratione causarum distinguentes, si ab influxu sanguinis vel è defluxione serosi excrementitij humoris, Defluxionum in genere, vel priuatim Articulorum dicti dolores fiant, hisce duobus generibus, omnibúsque causis, siue à sanguine, siue alio humore procedant, cùm in vtrisq; multa horum re-

Dolorũ in habitu corporis, qui cæteris accidentib. comitib⁹ p̃ualent, curatio.

media simul cõueniant, ne in singulis ea repetere oporteat, curationem simul accõmodabimus: Vti &, si à congestione humorum Arthritis fiat, cùm tunc quoq; à defluxione prægressa plerumque oriatur. Et si grauedo capitis à congestione quoque facta, arthritidem aliásve defluxiones præcedat, quo pacto his præueniendum occurrendumq́;, eadem curatio explicabit. Sicuti &, si à flatibus dolores in habitu corporis similes illis qui à defluxione fiunt, oboriantur, cùm eadẽ, quæ humorem defluẽtem resoluere possunt medicamenta, flatus quoq; discutiant; atque vti humorum illorum prouentum, sic flatuum quoque generationem, cùm ab excrementis eiusmodi originem trahant, impediant. Priuatam verò curationem exigunt dolores à malignâ qualitate procedentes, contagiosi luis venereæ, illisq; similes; de quibus, postquam defluxionum & articulorum curam absoluerimus, agemus.

Arthritis à congestione, curatio.

Grauedinis capitis externæ à congestione curatio.

Dolorũ in habitu corporis à flatibus, curatio.

Prognostica in Defluxionibus in genere & Arthritide.

Præmisso interim prognostico, Defluxiones in habitum corporis generatim labentes, licet frequentissimæ sint, & in diuersa loca fiant, vbi plus minúsve molestant, frequenterque & leuem aliquando ob causam accidant, redeantque, nisi ad interiora quoq; septum præsertim, alióve vbi periculum adferunt, procumbant, non adeò esse periculosas: minorique negotio quàm articulorum dolores sanari. Vti &, si à flatibus similis dolor qualis à defluxione prouenit, eueniat, faciliùs adhuc illis dissipatis, cessare. Articulorum verò dolores quod attinet, omnes illius species pertinaces admodum sunt; & quando inuadunt, diu perseuerant, facileq; recidiuam faciunt. Inter eos tamen, Arthritis generalis, etsi grauiùs affligat, atque interdum non sine periculo, accedentibus aliis quoq; ex dolore diuersis in locis se exerente, accidentibus, tamen cùm, vt fiat, magnam caussam esse oporteat, quæ in tot loca feratur, illa non adeò est frequens, rariusque vel tardiùs, quàm particulares illius species, vel etiam nunquam ampliùs reuertitur. Frequentiores sunt Podagra & Chiragra, pluresque inuadunt, & quæ vbi semel inceperint, certo tempore, nunc per menses, nunc annuatim redeunt, atque vbi semel pedem fixerint, ægrè ampliùs eradicari possunt, per se alioquin minimè exitium adferentes, nisi tandem generaliores factæ, aut ob alios affectus accedentes, hominem conficiant, cùm multi multis annis podagrâ afflicti, senium tamen attigerint, atque in eo diu adhuc vixerint, alij quoque à grauioribus malis, quæ defluxio in nobiliora loca cadere solita illis pepererat, per hanc illius deriuationem, superueniente podagra liberati fuerint. Medio modo se coxendicus & homoplatæ dolores habent, minùs quidem quàm podagra, magis tamen quàm arthritis familiares, & qui rariùs quàm podagra, citiùs tamen quàm arthritis, etsi ad annos aliquot sæpè inducias dent, rursum remeare solent, atque vti arthritis, quàm diutissimè, aliquando ad menses aliquot, sed minori vitæ periculo, perseuerare. Quibus obseruatis, prædictiones nostras ad ea dirigere debemus, & præsertim in podagra, quæ iam habitũ contraxit, aut hæreditaria est, non temerè nos eam abigere posse, polliceri. Sed saltem id nos, vt vel mitiùs vel tardiùs redeat, tentaturos, & si fieri possit, procuraturos: eoq; quòd hæc ætate mitescere soleat, consolari.

Methodus verò medendi, tam in Defluxionibus dictis, quàm Articulorum doloribus, tùm in præseruatione, in illis qui hisce obnoxij sunt, tum in curatione, quando iam laborant, consistit: & pro ratione causæ hæc perficiuntur. Præcauebimus autem, vt vel ægrè redeant, aut mitiùs ægrum tractent, si humoris sanguinei, vel excrementitij serosi, pituitosi congestionem & prouentum in capite, vel in vniuerso corpore, bonâ viuendi ratione, euacuantibus variis, corrigentibus intemperiem & imbecillitatem, impediamus: defluxiones & influxus illorum in articulorum aliásve sedes, illis quæ hæc sistunt, vel aliò deducunt, auertamus; loca hisce molestari, & tandem laxa imbecillioraque reddi solita, ne facilè humores admittant, recipiantque, firmemus: intemperiémque contractam immutemus.

Defluxionũ in habitu corporis, & Arthritidis illiusq; specierũ omnium præcautio & curatio.

Curabimus verò, postquam defluxionibus aut articulorum doloribus iam infestatur [illegible] dum fluit, sistamus, [illegible] vel vias per quas fluit, arctan-

arctando: eumq; à parte affecta reuellamus, deriuemus, & ab ea propulsemus: dolorémque, præsertim si ille vrgeat, vt ægro consulatur, nouaque defluxio vitetur, mitigemus. Procedendo sensim, idq; maximè postquam iam fluxit humor ad illa, quæ, quod influxum est, si sanguis sit, simul digerant, tandemque vt in cæteris inflammationibus penitùs dissipent; si alius humor excrementitius sit, potentiùs adhuc illud præstent; & si in profundo sit, validiùs attrahant, & absumant, vel etiam apertè eliciant. Atque in declinatione, ea quæ partem multa passam confirment; & si quid residui sit, penitùs consumant, adhibenda. Quæ omnia variis modis, tam in præcautione, quàm curatione cùm defluxionum in genere, siue in artus & membra, siue dorsum, pectus, collũ faciémve procumbant (vbi etiam remedia quędam in dentium dolore exposuimus) tum in specie arthritidis generalis, vel particularis podagræ, chiragræ, gonagræ, coxendicis, homoplatæ've dolorũ, perficiuntur, vel in diæta per viuendi rationem: vel in pharmacia, per euacuantia, per alui deiectiones, vomitus, expuitiones, sudores, mictiones, sectiones, vstiones; item per alterantia intrò sumpta, forisque admota, sicuti in singulis hoc ordine exponetur.

Viuendi ratio ad præcautionẽ & curationem Defluxionũ & Arthritidis.

Viuendi rationem quod attinet, quæ ad præcautionem, & Defluxionem in genere, & priuatim Arthritidis instituitur, in eo potissimùm, ne excrementa & humores superuacanei accumulentur, aut ad fluxionẽ concitentur, consistit. Ob quam causam, aër in quo ordinariè versantur, temperatus sit & siccus, cùm frigidus nimiùm, ventosus, nebulosus, vdus, vti & calidus admodũ ac feruens, in sole, æstuariis, defluxiones proritet; & tunc maximè, cùm subitò ab vno aëre, frigore aut calore excedente, in contrarium fit mutatio. Sed nec arthritici, manus debilitatas, vti consuetum est aliàs hoc frequenter facere, nec pedes aquâ abluant, cùm siue frigida aut calida sit, obesse soleat. Ob quam caussam vino, aliisve, vt in iis quæ articulos roborant, ostendemus, vtiliùs abluuntur. Victu quoque, quantitate, qualitateq; conuenienti, exercitiis insuper, somno cæterisque corporis animique motibus decentibus vtendum. Sicuti prolixè in ventriculi imbecillitatibus; quo pacto hæc ad excrementorum prouentum impediendum administrari debeant, declarauimus; & si à sanguine fiant, quo pacto tunc cibus potusq; offerendus, in multis ab eo natis affectibus, vti & in febribus, demonstrauimus. Imprimis verò in iis, qui arthridis speciebus aliquibus, quæ facilè redeunt, & præcipuè podagræ obnoxij sunt, licet & in aliis omnibus defluxionibus hæc quoque conueniunt, tria præcipua in viuendi modo, in Victu scilicet, Vino & Venere comprehensa, si decenter obseruentur, vt vel podagra non ampliùs, vel rariùs saltem inuadat, aut mitiùs ægrum tractet, præ cæteris possunt efficere. Si nimirum victu quàm exquisitissimo & simplicissimo vtatur, semelq; in die tantùm, vel omni tempore, vel aliquoties saltem cibum sumant. Et à vino vel penitus, vel saltem per annos aliquot abstineant, aut illud quàm parcissimè debiliúsve aut dilutum bibant. Cuius loco vel aqua, variis modis præparata, vel potiones aliæ medicatæ, vt hydromel, aliæ've, pro naturarum diuersitate, vsurpari possunt. Quod venerem attinet, cautio erit, vt eam vel omnino intermittant, vel quàm rarissimè, nec erecti exerceant. Quæ & caussa fortè existit, quòd ante venereum vsum podagrâ vix dum laborare soleant, vti de mulieribus hoc pro certo asserit Hippoc. atque illi qui ob castrationem ad eam obeundam fiunt impotentes, ab ea quoque ferè liberi existant.

In curatione verò, cùm iam defluxionum articulorúmve doloribus infestantur, victus exquisitus & tenuis adhibendus; & inedia, si eam ferre possint, aliquando imperanda. Atque cibis medicamentosis, prout varia se offerunt accidentia, vti in medicamentis dicetur, hæc quoque corrigenda. Nec non arthriticis vinum interdicendum. Cuius loco si caleant, aut febricitent, Aquam chalybeatam bibant, cui Iulepos, Syrupósve acidos vel austeros, si defluxio adhuc in actu sit, permiscere possumus: Vel si non caleant, decoctum Coriandri, additis sępe & aliis, miscendoque syr. aliquos, vel Hydromel, exhibere.

Dein & loco exercitij, quod obire nequeūt, frictio in parte sana, & ad deriuandum quoque in opposita, adhibenda.

Per euacuationes oīs generis, pcautio & curatio Defluxionū & Arthritidis.

Per aluum deiectiones, Præcautionis loco, in Defluxionibus cōmunibus, & Articulorum doloribus, in iis qui istis subiecti sunt, locum habent, vt corpora ab excrementis munda reddantur, vnde non solùm veris & autumni, sed & intermediis temporibus, si corpora impura sint, expurgari debent. Euacuationes prout vel serosus excrementitius humor, vbi maiore euacuatione opus est, vel sanguineus, vbi mitiùs procedendum, caussam præbent, instituendæ. Præparatione, si necesse sit, præmissâ, & pro ratione humoris redundãtis institutâ. Sicuti passim eiusmodi ratio pparandi purgãdiq; explicata fuit. Imprimisq; si à sanguine podagra fiat, in febre synocho erysipelata vti & podagram inducente, quomodo vtrunq; per sanguinē mundificantia præcaueri debeat, ostendimus. Et si à seroso humore defluxiones & arthritides fiant, in diuersis affectibus, cerebri præcipuè & neruorum, purgationes descriptæ fuerunt. Quòd si verò iam defluxio imminet, illiusq; indicia apparent, cautè, ne hisce illa ampliùs concitetur, affectusq; hi accelerentur, vti sępè incuriâ fit, illis vtendum, idq; inprimis in articulorum doloribus, non solū à sanguine profectis, in quibus aluum laxã seruare, obuiosque humores saltem euacuare sufficit, sed & si à defluxionibus ab humore excrementitio hi fiant, quia tenuis cùm sit, facilè concitatur, leuioribus saltē, & quibus adstrictio quædam inest, vel additis adstrictionem quandam habentibus, materia potiùs diuertenda, quàm validioribus purgantibus vehementer commouenda erit. Quod & in principio, cùm hi affectus iam inuaserunt, dum defluxio adhuc in fieri est, in arthritidis speciebus præcipuè obseruãdum erit, cùm in aliis defluxionibus factis ad ea loca, quæ minùs consueuerunt affici, minori periculo hoc fiat. In articulorum verò dolorum accessionibus satiùs est à purgantibus abstinere, non solùm ob dictas causas, sed & cùm ob dolorem commotionem magnam, quæ in deiectionibus magnis requiritur, ægrè ferant, vnde tunc leuioribus laxantibus aluus subducenda, & in morbo inclinante, primùm ad purgationes validiores progrediendum. Perficiuntur autem eiusmodi per aluum euacuationes, sequentibus modis.

Clysmata iniecta, cæteris purgantibus, etiam præcautionis loco factis, præmittuntur; & in curatione horum affectuum nō solùm aluum eluunt, sed etiam à iuncturis, aliisque sedibus, in quas defluxio decumbit, causam aliquo pacto diuertunt. Inprimisq; in coxendico, vti & lumborum dorsique doloribus, ex defluxione natis infusa clysmata, quia loco affecto propinqua sunt, fotus instar, dolorem admodum mitigant, & si plurimùm stimulent, potenter ab eo humorem auertunt. Qualia multa in aliis affectibus descripta, hisce affectibus quoque accommodari possunt.

Inprimis si à sanguine hæc fiant, Clyster refrigerans & stimulans fieri poterit ex decocto Polypodij, Altheæ, Maluæ, Violariæ, Betæ, Bliti, Mercurialis, Furfure, Sem. frig. mai. dissoluendo Saccharum, Mel, Oleū, Butyrum, Cassiam, Ouiq; vitellum, & similia.

In aliis causis Defluxionum & Arthritidis specierum, præcipueq; in dolore Coxendico, vicinarumq; partium, sequentia competunt. Cōmune aluum laxans, stimulans, emolliens excrementa, anodynum sic fit: ℞. rad. Altheæ ℥.ij. Ireos ℥.j. herb. Maluæ, Bliti, Betæ, Caulium, Mercurialis, Betonicæ, Calamenthæ, Pulegij an. M.j. fl. Chamom. Melilot. Aneth. Stœchados vel Lauandulæ an. P.j. sem. Lini, Fœnogr. an. ℥.ß. semin. Carui, Rutæ ana ʒ.j. Furfuris P.j. fiat decoctio, & in col. q. s. dissol. Mellis ℥.ij. Sacchari rub. ℥.j. resinæ Lariceæ dissol. cum Vitello oui ʒ.j.ß. Hieræ simpl. vel Catholici, aut El. Indi ℥.ß. ol. Liliorum, Chamom. an. ℥.j.ß. salis Gemmæ ʒ.ß. fiat Clyster.

Aliud calefaciens præcipuè & discutiens: ℞. radic. Ireos ℥.j. Acori veri, Enulæ an. ℥.ß. herb. Erysimi, Chamæp. Calament. vel Meliss. Thymi, Maioranæ, Betonicæ & Leontopetali (si haberi potest) ad M.iij. flor. Hyperici, Stœchados vel Lauandulæ, Rosmarini an. P.j. bacc. Lauri ℥.ß. semin. Cimini, Seseleos ana ʒ.ij. fiat decoctio in Aqua & Vino, dissol. in colat. s. q. Mellis anthos. ℥.j.ß. succi

Rutæ ℥.j. Vini Maluatici ℥.ij. Bened.lax.℥.ß. Castorei ℈.j.ol.Rutac.vel Cheirin.vel de Abrotano aut alt.ad ℥.iij.Salis parũ,fiat Clysma. Si olea destill.addas,vt Spicæ ad ʒ.ß.vel parũ de oleo Thymi,Rosm.Calam.efficacius fiet.

Olea sola,vt Rutæ,vel aliud quoque,injiciuntur,in dolore circa lumbos.

Acre diuertens & purgans sic fit: ℞. rad. Bryoniæ,vel radic.Cucum. asin. Hermodactyl.ana ʒ.vj. Agarici, Azari ana ʒ.ij. herb.Iberidis vel Erysimi,Pulegij vtriusq;,Absynthij an.M.j.sum.Centaur.P.j. sem.Rutæ,Erysimi an.ʒ.ij. fiat.decoct. & in col.s.q. dissolue Mellis ℥.j.ß. Vrinæ pueri ℥.ij. Hieræ Logodij vel Rufi aut Colocynt. ʒ. iij. succi Nasturt.aquat.℥.j. olei Amygd. am.℥.iij. Salis parũ,fiat Clyster. Si Colocynth. pulpæ ad ʒ.j. in clysmate incoq.potenter operabitur.

Ex Muria vel Garo pisciũ, dilutis decocto aliquo,clysmata iniecta, sunt vtilia, vti & ex sola Vrina. Quibus olea quædã destillata addita illorũ vires augent, dissolutis nonnunq̃ & aliis in clysteribus supradictis enarratis.

Sory quoque,quod vim erodẽdi alioquin habet,dilutum vino injicit Dioscor. & Siluri piscis Salsamentum.

Suppositoria acria naturã sollicitãdo,a loco affecto quoq; deriuant, qualia multa hinc inde describuntur,inter quę & hoc refertur: ℞.Mellis cocti pro duob⁹ suppositoriis,adde spec.Hieræ ʒ.j.rad.Esulæ ʒ.ß.salis Gẽmę ℈.j. Stercora murium aliquot, fiat Suppositoriũ.

Purgantia per os propinata, tam leuiora quàm fortiora in multis morbis à defluxionibus quoque genitis,descripta sunt: quorũ multa hîc quoque conuenire possunt: præcipueque sequentia ad arthritidis genera, vti & cæteras defluxiones determinata sunt.

Si à sanguine hæc fiant,dantur mitiora,vt Syr.Ros.sol. Casia, Mãna,Catholicon, Diaprun.Tryphe.Persic.Ius Galli senesc. Diosc.

Vel hoc: ℞. Rhabarb.℈.iiij. Spicæ ℈.ß. infundantur in aquæ Iuæ,vel aliâ, fiat expressio,dissolue aliquid è supradictis. Vel si validiùs esse velimus,el.de Succo rosar.ʒ.ij.

Vel ad sanguinem mundificandũ hic potus datur: ℞. Lupulorum, Fumariæ ad M.j. fl.Cord.P.j. Sebesten P.vj.Tamarind.℥.ß.Liquir.ʒ.iij.Polypod.℥.ß. Thymi,Epithymi ana ʒ.j. fol.Senæ ʒ.ij. fiat decoct.in col. infunde Rhabar.el.ʒ.j. Spicæ ℈.j. Myrob.citrin.ʒ.j.ß. fiat express. adde syr. Ros.sol. ℥.j. vel Catholici aut Trypheræ ℥.ß. fiat Potio.

Vel hoc decoctum per vices datur, simul serositates aliò deducens: ℞.ius decocti Galli vel Caponis senis, vel carnis Vitulinæ q.s. & in eo decoque Gaiaci cort. vel ligni rasi ℥.ij.& in col.feruente adhuc,infunde fol.Senæ ℥.ij. stent cooperta, vt sensim refrigerentur, ad horas 24. dissoluendo postea syr. Ros. sol. ℥.iiij. pro iiij.vicib. bibendis manè, addendo pro singulis parùm aquæ Cinam. sunt qui aquam Auriculæ vrsi ad ℥.j. pro vna dosi addunt,illique plurimùm attribuunt.

Vel vsurpari potest Syr.hic: ℞. cort. Myrobal.cheb. citrin. ind. an. ℥.j. rad.Polyp.℥.j. Passul.enucl. par.xx. fl. Cord.ʒ.ij. Spicæ ʒ.ß. infundantur in aqua Absynthij, macerentur aliquandiu & fricentur, bulliant parùm, & in col.adde succi Ros.incarn.℥.vj. Mannæ ℥.iiij.Sacchar.℥.ij.fiat syr.Capiat per vices ℥.iij.

Si à seroso humo.illa pficiscãtur,tunc purgãtia huic accõmodantur;vt ex leuiorib.pil. de Hiera, Alephãg. Assaier.de Rhab. de Agar.

Vel vtatur sequentibus, quibus inprimis in arthritidis speciebus, & podagricis, coxendicisq; doloribus præcauendis vtimur.

Electuarium: ℞. Catholici ℥.j.ß.fol.Senæ ʒ.vj. Tartari ℥.ß. sem. Anisi ʒ.ij. sem.Rutæ ʒ.ß. rad.Pentaphyli ʒ.j. Zingib.ʒ.ß.Cinamom. ʒ.j.cum syr.Ros.lax. fiat electuarium: Capiat hebdomadatim bolum, per se vel diluendo.

Potio: ℞. ligni Guaiaci rasi ℔.ß.rad.Ebuli, Enulæ,Hermodact.an.℥.ß.fol.Senæ ℥.iiij.Agarici ℥.ß.Zingib.ʒ.ß.Mellis quart.Vini poc. j.Aquæ q.s. Coquãtur & despumẽtur,donec remaneant quinq; vel sex doses:quas capiat altern.vel ternis dieb⁹, vel bis in septimana.

Pilulæ: ℞. Agar.ʒ.ij.Rhabarb.ʒ.j.ß. Myrobal.Chebul.Citrin.an.ʒ.ß.Aloës ʒ.j.rad.Pentaphyli ʒ.ß.rad.Aristol.rot,Spicæ,Mastichæ, Myrrhę,Succini,Cubeb.Zingib.an.℈.j. cum Tereb.q.s.fiat Massa: Vtatur sæpe bis vel ter in septimana ʒ.ß.vel si rariùs, paulò plus. Si purgare vis paulò validi⁹,Diacrydio acuãtur.

Pilulæ de Hermodactylis dictæ & paratę, inprimis in articulorum doloribus cõmendantur, quarum variæ sunt descriptiones.

Mitio-

Mitiores quibus tutò frequenter ad præcautionem vti possunt, parant Arabes ex hermodactylis, cimino & zingibere, cum melle; Græci s. Carthami, euphorbium, myrrham, mastichem, anisum, piper addũt. Fortiores sunt Minores dictæ, quæ ex hermodactylis, scammoneâ, myrobal. aloë & rosis fiunt, in causa calida etiam conuenientes. Validissimè operantur, & in causa frigida potissimùm vtiles, Maiores appellatæ, quæ ex hermodact. colocynthide, turpetho, myrobal. aloë, bdellio, sagapeno, oppopanace, sarcocolla, euphorbio, castoreo, s. rutæ, agrimon. & apij; croco, cum succo brassicæ formantur. Artheticæ dictæ ex hermodact. turbith, agaric. scammon. aloë, sale gemmæ, additis multis aromatibus & gummi, seminibus lithontripticis parantur.

Vel fiant aliæ pilulæ ex Hermodactylis: eligendo semper bulbos veros, qui resiccati ad nos feruntur albidi, non rugosi, modicè duri, tundique faciles tusique, candidum puluerem efficientes, cauendo à colchico strangulatorio, cuius bulbi siccati rugosi sunt, & foris intusque nigricant, vel obscurè rubescunt, hoc pacto: ℞. Hermodactyl. verorum excort. ℥.ß. Aloës, Turbith, Agarici an. ʒ.j.ß. Rhabarb. Myrob. citrin. chebul. ana ʒ.j. Mastichæ ℈.ij. Euphorbij ℈.j. Zingiberis, s. Cimini an. ʒ.ß. Croci ℈.ß. excipiantur Melle vel syr. Ros. fiat massa: Capiat ad ʒ.j. Efficaciores erunt, si Diacrydij ʒ.j. addatur, vel trochisc. Alhandal ℈.ij. Quibus fortioribus cùm vtimur, ad ℈.ij. illorum, Rhabar. ℈.j. commodè addimus, & cum succo Iuæ vel Brassicæ, vel Ros. formantur.

Vel sic: ℞. Aloës ʒ.vj. Myrob. Citrin. ʒ.j.ß. Turbith, Hermodact. an. ʒ.ß. Rhab. ʒ.j. Salis gemmæ, Zingiber. an. ℈.ß. Diacrydij & Trochisc. Alhandal, ad ℈.iij.ß. cum syrup. Ros. fiat massula.

Inter fortiora purgantia vsitata præcipuè in defluxionibus hisce conferunt el. de Citro, de succo rosarum, Elescoph. Amoron Regis Gal. in dolore coxend. commend. atque ex pilulis, sine quibus, quinque myrobal. Aggreg. Vtimur & aliis phlegmagogis capiti & neruis præcipuè accommodatis, vt Diaphœnic. Diacartham. Indo mai. Pilulis cocciis, Aureis, Fœtidis, de Serapeno.

Electuarium à Gal. aliisq; multis summè commendatum, statim dolores articulorum & iuncturarum auferens: ℞. Hermodact. verorum à cort. repurg. Diacrydij ana ʒ.ij. Zingib. Garyoph. sem. Cimini, Costi amari ana ℥.j. cum Mellis cocti cum Vino albo ad consistentiam ℥.iij. fiat elect. Capiat à ʒ.ij. ad quatuor, in nebula madefacta in vino, vel dissolutum in vino bibat.

Vel hoc: ℞. Hermodact. Turbith. an. ʒ.ij. ß. Agarici ʒ.j. Aloës, Scam. ʒ.ij. rad. Lilij cœlest. Scyllæ assæ an. ʒ.j.ß. sum. Centaur. min. ʒ.vj. Olibani, Galbani, Ammon. an. ʒ.j. Mastichæ ʒ.j. sem. Anisi, Fœnic. Petros. ana ʒ.iij. Garioph. ʒ.vj. Cinam. ℥.ß. Cubeb. Spicæ ana ʒ.ij. Carpob. Xylobals. an. ʒ.j. Piperum trium an. ʒ.ß. Croci ℈.j. Castorei ℈.ß. fiat puluis, excipiatur Melle despumato, fiat elect. Capiat vt superiùs.

Huius loco Zenonis electuario tantopere commendato, vti possumus.

Tabulæ ad eosdem vsus: ℞. Hermodact. ʒ.ij. Turbith ʒ.j.ß. Diacryd. ʒ.j. Rhabarb. ℈.ij. Spicæ ʒ.j. Acori veri, Cubeb. Piperis longi an. ʒ.ß. Sacchar. ℥.iiij. dissol. in aq. Ros. fiant Tab. Cap. ad ʒ.ij.

Vel sic: ℞. Turbith, Rhabarbari an. ʒ.ij. med. s. Carthami ʒ.iij. Diacryd. ʒ.j. Cinamo. Sant. citr. Ros. rubr. an. ʒ.j. Sacchari ℥.ij. diss. in aqua Ros. fiant Tabulæ.

Per vomitum in præseruatione horum affectuum, cùm euacuet & deriuet, multum præstare possumus. Si qui huic maximè assueti sunt, semel vel bis in mense, aut ampliùs vomant, vno vel duobus continuis diebus, idque præsertim à cibo statim sumpto, qui si pinguis, rancidus & copiosus priùs assumptus fuerit, ventriculusque fricetur, faciliùs vomitus procedet. In curatione quoque in omnibus defluxionibus dictis, similiter conuenit, & in arthritidis speciebus, Vomitus & Clysmata ad diuertendum, plus quàm purgationes aliæ præstant. In Ischiadico quoque dolore, vomitus, cùm per superiora reuellat, plus quàm per inferiora facta purgatio efficiet, idcirco diebus duobus vel tribus, & deinceps quoque si malum perseueret, poterit repeti.

Ad quem proritandum inter alia multa, Azarum & Genista præcipuè probantur, cùm in arthritide curanda, aliàs quoque sint idonea. Daturq; proin decoctum seminis vel radic. Azari in Aqua vel Sero lactis factum. Aut florum Genistæ decoctum, quod & præstat Ricini seminis in iure, alióve liquore factum decoctum.

Conciliatur etiam decocto Raph. semin. Attriplicis, Anethi, Nasturtii, Erucæ, Ebuli, decoctis in iura veteris Galli, addito oleo communi, cham. Oxymel. simp. squyll. Aquâ mellis, aliisq; multis passim expositis.

Per expuitionem multam, pituitosas serosasq; superfluitates à capite defluxionum fonte educimus, sicq; defluxiones præcauemus: quod præcipuè tunc fit, quando ex capitis grauitate, congestum illic humorem conjicimus. Et cùm natura per hæc emunctoria, præsertim si priùs consuetum hoc erat, illum non expurgat, tunc eam masticatoriis & errhinis diuersis sollicitare, vt id tentet solemus.

Per sudores euacuatio ad præcautionem defluxionum & arthritidis, à serosis humoribus excrementitiis prodeuntium, plurimùm confert, cùm alio modo in vniuersi corporis habitu collecti, rectiùs euacuari nequeant. Dein cùm per eos sanguis à serosis quoq;, tenuioribusq; excrementis repurgetur, vnde minus postea fit fluidus, etiamsi à sanguine hæc fiant, proderit.

Promouentur autem in illis, quicus hi affectus consueti sunt, multis vicibus, longoq; interdum ad septimanas quatuor vel quinq; prorogato tempore. Idque potione sudatoriâ, mane nonnunquam & ante cœnam exhibitâ, ex decocto ligni & cort. Gaiaci, vel rad Zarsæ parill. aut Chinæ parata, addendo interdum aquas convenientes: vt Iuæ, aliásve dum coquitur. Adhibitâ interim tenui & simplici diætâ, in qua & potus loco, decoctum secundum ab enarratis factum, vice vini propinatur, idque cum debita custodia. Quorum loco multa alia decocta idem efficere vsu comprobatum est. Vinaque ex iisdem parata, tantundem in quibusdam possunt præstare. Sicuti in luis venereæ cura hæc vberiùs describentur. Idem, Thermarum vsu ad mensis spatium & vltrà continuato, in quibus & dum illis insident, & postea, dum egressi, recumbunt, aliquandiu sudant, efficitur; quarum certarum vsu & robur articulis, vt mox dicetur, in arthriticis interdum conciliatur.

Verùm per & vices, semel in septimana, vnà, duabus vel tribus, corpore semper priùs purgato, sudores mouere vtile, ad defluxionum materiam sensim auferendam. Quod Balnei sicci vsu manè vel ante cœnam, præstatur: Vel etiam in lecto, in illis qui facilè sudant. Propinatis priùs, siue in stupha, siue in lecto hoc fiat, illis quæ sudores mouent, vt Theriacâ, Mithridato, rob Sambuci, ad ʒ.j. syrupo S. Ambrosij ad ℥.vj. vsque, aliísve. Inter quæ decoctum Herniariæ, sæpè bibitum, multos iuuat. Vti & Ebuli rad. ℥.ß. vel semin. ℈.iiij. puluer. in vino albo per noctem infusio colata, sæpè bibita, quod etiam, iam instante arthritide si fiat, eam retardat.

Suffitu conuenienti vel solo, vel cum aliis adhibito, sudores quoque prolicere possumus.

Sed & cùm defluxiones iam infestant, corpore purgato, si naturâ potissimùm illud sponte tentet, sudores promouere, sæpè valdè conuenit, quod tamen in arthritidis principio non per vim, ne humoris tenuis concitetur magis influxus, moliendum, sed si eò natura vergere videatur, per exhibitum aliquod è prioribus decoctis aliísve hinc inde expositis iuuanda.

Per mictionem copiosam, serosi excrementitij humores quoque è venis, & per eas è corpore exturbantur, per quam si copiosa vrina reddatur, vel per se, vel ratione victus, ad præcautionem aliquid potest efficere. Inprimis verò defluxionibus iam infestantibus & in articulorum morbis, vrinam quandoque expressè deriuationis caussâ promouemus; decoctis Cicerum, rad. Aperitiuarum, Asparagor. s. Melonum, aliísve, aliquot matutinis exhibitis.

Per sectiones, Venam aperiendo, sanguinemque detrahendo, defluxiones & articulorum dolores aliquo modo præcauemus, in corporibus plethoricis & cacochymicis, cùm horum causâ generalem euacuatio- *Per sectiones, vstiones, præcautio & curatio Defl.*

xionum & Arthritidis.

nem. Veris & Autumni tempore, vel etiam alio, instituimus. Tuncque inprimis, si à sanguinis influxu hæc fiant, hæc locum habent. Vnde & Galenus arthritidem sanguinis detractione & purgatione, in illis qui temperanter vixerunt, præcauisse se, testatur. Aperitur autem vel ad generalem faciendam euacuationem, vena brachij; vel particularem, vena in pede, iuxta poplitem vel malleolum. Quod vt fœminis, si menstrua simul suppressa sint, prodest: Sic etiam si bis in anno in pede, podagræ obnoxio hoc fiat, singulare ad præcauendam illam, multi remedium se expertos esse, affirmarunt. Licet & in sano pede si fiat, deriuando, hosce affectus præcauere potest. Sed & venam iuxta nates in lumbis patentem, aliqui ad coxendicum dolorem præueniendum, certo tempore aperiunt.

In curatione quoque defluxionum & articulorum dolorum, si à sanguinis influxu hæc fiant, phlebotomia reuulsionis caussâ, statim in principio in parte distante, vt pedibus laborantibus in brachio, in manibus, in pede, vel deriuationis gratiâ, propinquâ, sana tamen, facta, plurimùm proderit. Inprimis verò in coxendico dolore à sanguine, vena in brachia secta, reuellendo iuuat; quam Hippocrates etiam post aures apperiebat; Arabes illam, quæ est iuxta paruum digitum. Quæ præmissâ vel etiam omissâ, deriuando admodum proderit, si in poplite, aut iuxta malleolum interiorem, vti moris est, vel etiam exteriorem, in vena illic apparente, vti aliqui docent, eamq; ob insignem quam adfert, si tunc secetur, vtilitatem, Ischiadicam vocant, tundatur, quæ & sæpè sola hunc affectum sanat. Quod & in crure dolente plerumque fieri solet; licet & in sano hoc tentatum admodum profuisse, subitoque omnem dolorem sustulisse, experientiâ comperimus. Adeoque hisce in locis pedis venæ apertio conuenit, vt etsi non à sanguine hic dolor ortum traxerit, tamen vtilitatem aliquam adferat, omissâ tunc eâ, quæ in brachio aliàs illi præmitti solet. Cùm alioquin si à serosi humoris defluxione, aliæ arthritides particulares hominem infestent, vena non temerè, ne humores cō-moueantur, sit tundenda. Nisi ob dolorem summum, ob metum noui affluxus à sanguine, hæc reuulsionis alicuius gratiâ, quoque requiratur.

Scarificatione, adhibitis simul cucurbitulis, non solùm si à sanguine hæc fiant, sanguinem alliciendo, sed & si ab aliis humoribus serosis prodeant, quia eosdem simul alliciunt, in affectuum horum præcautione quoque vtimur. Quibus & in cruris carnosis sedibus internis, vel pedum suris per vices factis, priuatim podagricis, ischiadicisque admodum competere, experientiâ quoque comprobatum est. Sed & in defluxionibus & articulorum doloribus incipientibus, hæc quia humorem aliò deducunt, cōuenient, si in parte sana oppositâ vel distante fiant, & in ischiadicis in natibus & suris, atque in homoplatæ dolore in scapulis, scarificatio cum cucurbitulis, vel etiam cucurbitulæ adhibeatur. Ad quę & Hirudines referri possunt, quæ venis hæmorrhoidalibus in podice admotæ, sanguinem exhauriendo, in consuetis præsertim, emolumentum quoque adferre possunt.

Incisione factâ supra locum affectum, venamque illic vinciendo, fluxionem aliqui se intercipere posse hac ratione, docent. Dein & sectione, in podagra vel chiragra, partis tumentis, aliqui vsi, humorem serosum instar aquæ citrinæ extraxerunt; quam incisionem etiam Hippocrat. probare videtur. Sed nullâ materiâ certâ apparente illud tentare, remedium est anceps & periculosum. Vti verò ad gypseam materiam, vel tophos, si qui adsint, & iam cutem attenuarint exitiumque quærant, eximenda, tutiùs sectio leuius instituitur.

Per vstiones, vesicas excitando, cutemque vlcerando, serosi excrementitij humoris fluxus, à parte quam petere solebat, aliò diuertitur, sicque ne in eam procumbat, prę-cauetur; quod ad præcautionem tàm defluxionum in genere, quàm articulorum, tanquam vltimum remedium adhibetur. Ad curationem quoque, vt materiam defluxam apertè euocemus, hoc idem, postremum ferè, quod iuuare potest, est remedium: tunc potissimùm vsurpandum, quando

do in profundo admodum latens humor, ægrè medicamentis discutitur, vt in ischiadico, homoplatæ dolore, vel alioquin in arthritidis aliis speciebus, & cæteris in membra defluxionibus, si causa morbi pertinaciter hæreat, hac ratione tandem elicitur.

Mitiùs hoc præstant cutem solùm rubificantia, in coxendico & homoplatæ dolore, vti & in aliis defluxionibus, carnosis sedibus, sub quibus dolor latet, apposita. Quod multa remedia calida attrahentia, quæ in topicis explicabuntur, præstant. Et expresè Sinapismi, qui ex sinapis pulueris solius, vel priùs cum aceto subacti, parte vna, cum pulpæ Ficuum vel Fermenti part. ij. aut iij. eo nomine parantur: vel aliis additis interdum, vt Stercore columbino.

Validiùs hoc efficiunt in cute vesicam aut vlcus vrentia, vesicatoria, & cauteria, quæ ad præcautionem in ceruicis posteriore sede, quam nucham vocant, vel in brachiis adhibentur, diuque aperta seruantur. In curatione verò, vt materiæ fluxus intercipiatur dum fluit, paulò supra locum affectum, vel quando iam fluxit, infra eum, vt in articulorum doloribus infra iuncturas, & in coxendico dolore, in pedis sura, vel etiam in clunibus inuruntur: In gonagra in poplite, vel vesicatorium supra partem apponitur.

Cæterùm quæ hoc præstant, sunt Flammula, Ranunculus, Daphonides, Capsicum, Dracontium, contusa admota, vesicas excitantia. Vel ipsa Vrtica vrens cuti admota. Quod & Lac Ficulneum cum farinis & aceto subactum facit

Vel Cauterium potentiale ex Cantharidibus factum cum ferméto, aliisve indolentibus, alibi & in abscessu præsertim aperiendo expositis, admouetur.

Citiùs rectiusq; ferè hoc actuali cauterio, ferro candente impresso, perficitur. In cuius adhibitione, dolorem non adeò acerbũ sentient, si locus vrendus, refrigerato ferro lato rotundo, priùs prematur : quod in medio foramine eousque amplo peruium sit, vt ferri alterius, quo vstio fieri debet, caput seu globulũ candentem, posit admittere: tunc enim ob frigiditatem ferri, & presionem illam nonnihil stupente cute, ardorem hunc pars dum vritur, mitius fert.

Per introsũpta alterantia, præcautio et curatio, Defluxionum et Arthritidis.

Per introsumpta alterantia, nos præcautionis loco in arthritidis speciebus potisimùm, quæ tam frequenter redeunt, si à sanguine fiant, illa quæ cum refrigerant, vel cõtemperant, crasioremq; reddunt, propinamus. Qualia multa in febribus synochis, & præsertim illis quæ erysipelata proferunt, & podagræ quoq; caussam præbere illic ostendimus, exposita sunt. Inter quæ & Acidarum aquarum potum recensuimus, quarum vsu nostro sęculo podagrici quoque aliqui se diutiùs ab ea immunes mansisse, asseuerarũt. Præter quas Loram ex Berberi, Prunis, Pomis & Pyris syluestribus, aliisq; austeris & acidis paratam, additis etiam interdum baccis Iuniperi, pro cõmuni potu multis annis senem podagricũ, sine noxa bibisse, minusq; tunc à podagra infestatum fuisse, & ætatem longæuam attigisse, cognouimus. Sed & Lactis asinini solius potu, quidã se arthritides auertisse testantur. Alij Aceti & plures dies vsu, se idem præstitisse docent. Acetum mulsum commendat Diosc. alij scylliticum probant.

Quòd si verò à serosis defluxionib. articulorum affectus fiant, tunc ea quæ serositates hasce absumant, & quæ cerebro neruosoq; generi accõmodata, illorum imbecillitatem corrigunt, exhibentur, quorũ continuo vsu, sæpè podagra, illiusque genera, mirabiliter præcauentur. Inter quæ & multa, pręsertim non nimiùm calefacientia, in podagra à sanguine genita, cùm ipsius ichores serositatemq; absumendo, eum puriorem minusq; fluxilem reddant, competentia, eam quoq; præcauent. Qualia multa etiam inter hęc remedia, in cæteris defluxionibus ab iisdem humoribus in alia corporis membra labentibus ad præcautionem sumpta aliquando proderunt. Quorum remediorum assumendorum, varia, in forma electuariorum, conditorum, puluerum, aquarum, aliáve, in paralysi pituitosa & ventriculi imbecillitate, aliisque ex defluxione natis affectibus, exposita sunt.

Inter quæ Chamępythys seu Iua dicta, adeò est in arthritide præcipuè conueniens, vt

Arthetica proin dicatur; sanatque ischiadicos decoctum ipsius in hydromelite, oinomelite, vel oxymelite factum, si diu bibant; vel syrupus ex succo illius paratus: confert & Conserua ipsius sæpè exhibita, vel Puluis, Primula item veris, herba paralyseos dicta, non solùm in ea, sed & hìc conuenit, simili modo administrata. Item Bethonica, Saluia, Acorus, & Stœchas, similiaque.

Præter quæ sequentia arthritidis diuersis speciebus, vti & podagræ, & ischiadico dolori præseruandis dicata, licet & cæteras defluxiones siccent, præcipua remedia sunt sequentia, quæ manè ieiunè multis diebus cõtinuis, vel saltem alternis; ad multas septimanas assumpta, tandem insignes effectus proferunt.

Decoctum radicum Altheæ, rad. Graminis, Asparagi, Penthaphyli, Leucacanthæ, Echij, Papaueris corniculati, & fol. Æthiopis, in coxendico dolore præcipuè approbat Dioscor. quod ex quibusdam vel pluribus in Vino, vel Aqua & Vino decoctis parari potest, Melle aut Saccharo gratum reddi.

Electuarium ex conseruis præsertim tale fiat: ℞. conseru. Iuæ arthet. ℥. ij. conseru. florum Primulæ veris, Lilij conuallij, flor. Genistæ, Betonicæ ad ℥. j. ß. condit. radic. Acori & Pyrethri (in frigidioribus) an. ℥. ß. & in calidioribus conseru. Rosac. ℥. j. Cinamomi ʒ. j. Gariophyll. Galangæ, Nucis moschatæ an. ʒ. ß. Zingiber. ℈. j. Spicæ ℈. ß. Coralli ʒ. j. rasuræ Cornu Cerui & Eboris an. ʒ. ß. Cum syrupo de Betonica vel Iua fiat Electuarium: Capiat bolum instar nucis mosch. superbibendo aquam Bethonicæ vel Iuæ.

Aliud Antipodagricum Electuarium: ℞. sem. Hypericonis fol. Chamædr. an. ℥. ij. fol. Chamepyth. ℥. j. ß. fol. Bethonicæ ℥. ß. rad. Arist. rot. ℥. j. ß. rad. Zarsę parill. ℥. j. rad. Angel. ʒ. vj. Ligni Salsafras ℥. ß. rad. Asphodeli, si haberi potest ʒ. ij. rasur. Cornu Cerui, Eboris, Succini puri an. ʒ. j. Corall. rubr. ʒ. j. ß. Cinam. ʒ. ij. Gariophyl. ʒ. j. Croci ʒ. ß. puluerisentur omnia subtilissimè, addendo ad ℥. j. puluerum Mellis optimi despumati ℥. ij. Capiat ℈. iiij. vel ʒ. j. Quod si in forma pilularum malit, excipiantur syrupo conuenienti additâ paucâ Terebinthinâ pulueres, & in pastam redigantur, sed tunc ʒ. ß. sumere pro vnâ vice vel ℈. j. sufficit.

Vel fiant tales pilulæ: ℞. rad. Aristol. rot. & Angel. quæ ob amaritudinem rectiùs pilulis additur an. ʒ. ij. fol. Chamęp. ʒ. iij. Herniar. ʒ. j. spicæ ʒ. ß. Croci ℈. j. cineris Cranij hominis ʒ. j. ß. excipiatur Resinâ lariceâ vel Terebint. cum pauco syr. de Beton. fiat massa: Capiat à ʒ. ß. ad ʒ. j.

Pilulæ in coxendico dolore pręcipuè probatæ, licet in reliquis quoq; prosint: ℞. pulu. Chamępyth ʒ. vj. gummi Ammon. Oppopanac. an. ʒ. j. Myrrhę ʒ. ß. Castorij ℈. j. Euphorb. ℈. ß. cum resina Abiegna vel Laricea fiat massa: Capiat ʒ. j. indies.

Electuarium Ischiadicis præ cæteris conueniens: ℞. fol. Chamædr. Chamæp. Hederę an. ℥. ß. fol. Rutę, Saluiæ, Arthemisiæ, Sabinę, Betonic. Thymi an. ʒ. j. sem. Hyperici vel Ascyri vel Androsæmi ʒ. iij. sem. Rutæ sylu. Abrotani an. ʒ. j. rad. Rubiæ, Rhapontici ana ʒ. j. ß. Piperis, Cardamomi ana ʒ. ß. fiat puluis, excipiatur Mellis despum. ℔. j. fiat electuarium: Capiat ʒ. j.

Vel: ℞. pulu. præscripti ℥. j. ß. adde rad. Xyridis, Polemon. j. cortic. Populi albæ an. ʒ. j. ß. Heliocrysi, Arctij, Chamæcissi, fl. Bellidis & Con. reg. an. ʒ. j. sem. Capparor. & Ocymastri an. ʒ. ß. Mellis quartarios tres, fiat Electuariũ: Vtendum vt superius.

Syrup. vsualis excellens in omnibus arthritidis specieb. ℞. Zarsę parill. ℥. ij. rad. Acori vulg. Pentaph. Aristol. rot. an. ℥. j. Ang. ℥. ß. rad. Azari ʒ. ij. herb. Iuæ arthetic. Herniariæ, Betonic. Chamædr. an. M. j. Saluiæ, Thymi, Mentast. Maior. an. M. ß. fl. Primulę, Consolid. regalis an. P. j. fl. Rorism. Stœch. vel Lauand. an. M. ß. sem. Anis. ℥. ß. sem. Hyperici ʒ. ij. sem. Ocymi, Seseleos, Rutæ an. ʒ. j. fiat decoctio in aqua & tertia parte vini, colaturæ adde Mellis optimi ℔. j. decoquatur ad consistentiam syrupi, & arom. Cinam. ʒ. ij. Garyoph. ʒ. j. Vtatur eo ad præcautionẽ, sumendo ℥. j. aut ampliùs, per se, vel dissoluẽdo aquis conuenientibus, vt aquâ Iuæ vel Betonicæ, aliísve.

Puluis ex cineribus admodum exsiccans corporis illas serositates: ℞. cinerum Cranij hominis ℥. j. cinerum Priapi tauri vel Castoris, si haberi potest ℥. ß. cinerũ Hirundinum vel

vel Cuculi vel Milui ℨ.ij. Cornu cerui & Eboris vsti an.ℨ.j. Succini optim ℨ.ß. Margarit. ℈.ß. Cinam.ℨ.ij. pulu. Diagalang. Diamoschi an.ℨ.ß. Sacchari rof.tab.& sacchari candi ad pondus omniũ, fiat puluis subtilissimus; Capiat ℨ.j.ß. vel plus, superbibendo parùm vini diluti aquis supradictis. Posset & portio illius, Saccharo dissoluto in aquis Iuæ vel Betonicæ in tabulas formari, sicque sumi.

In curatione, cùm iam humor in articulorum sedem illabitur, quæ eum sistunt, exhibentur. Vt si sanguineus sit, quæ id refrigerando incrassandoq; faciunt. Veluti sunt syr. Viol. Nympheæ, de Endiuia, de Rof.rub.sicc. Myrtinus, Iulep. Rof. Viol. dissoluendo cum aquis idem præstantibus, Acetosæ, Plantag. Lactuc. Rosarum, similiumque. Decoctum itidem Prunorum, Iuiub. Sebest. aliorumq́, passim in febribus synochis præsertim expositorum. Quòd si verò humor defluens serosus excrementitius, in articulorum regionem aliáve loca feratur, quę & illum sistunt, varia propinantur; in defluxionibus ad interiora corpora factis & catharris hinc inde abundè descripta.

Nonnunquam & necessitate vrgente, in vtraque caussâ, ad dolorẽ atrocem mitigandum, narcotica opiata medicamenta propinant, nec in illis, vti creditur, tantum est periculi, quin potiùs vtilitas, in eo quòd dolorem compescunt & ne nouus influxus fiat, cauent, maior sequitur. Et proin Theriaca, Mithridatũ, doloris nomine in vtraq; causa exhibentur, sæpeque repetuntur. Quæ &, si è defluxione serosi humoris fiat, si cum pauco Bolo addito dentur, eam cohibent & sistunt. Vnde & præcautionis gratiâ hæc nõnunquam dantur. Quorum loco & aliæ opiatæ, vt Philonium, Asyncritum, aliæque compositiones in colicis doloribus præscriptæ, plus minúsve calefacientes, si dolor admodum infestet, & vigiliæ obsint, cùm magis hæ, quàm illa antidota operentur, vsurpari possunt.

Addenda nonnunquam & ea, quæ defluxiones, si hæ sensibiliter à capite descendere deprehendantur, sistunt, hoc pacto: ℞. Mastichę, Thuris an.ℨ.j. Styracis ℨ.ß. Boli seu terrę pinguis & puræ ℨ.j.ß. rasuræ Dentis apri, Bedeguar an.ℨ.ß. Spicæ celticæ ℨ.ß. Croci ℈.ß. Opij gr.v. cum syr.de Papau. fiat pilularum massa: Capiat duas vel plures, versus vesperam & diluculum.

Per foris admota præcautio & curatio Defluxionum & Arthritidis.

Per foris admota hos affectus præcauemus, si ante aduentum illorum, & capiti, quando inde defluxio procedit, & partibus, in quas illa defluere solet, ad eam impediendam, remedia admoueamus, quorum aliqua etiam inuasione horum, alia in declinatione locum habent.

Capiti in defluxione & arthritide, à serosa illuuie, à capitis interioribus exterioribúsve dimanãte, postquã decenter purgatũ fuerit, quæ illud siccãt, roborant, extra paroxysmũ interdum in defluxione iam factam, & cùm non est metus recidiuæ, in ipso paroxysmo adhibentur. Qualia remedia multa externa in capitis aliis affectibus à pituita profectis, exposuimus. Vt sunt,

Lotiones capitis, ex Saluia, Maiorana, Betonica, Iua, floribus Stœchados, Lauandulæ, Rosarum, Agarico, cęterisque decoctis in lixiuio, facto ex cineribus sarmentorum Vitis, aliísve, additis & aliis multis siccantibus, cerebroque conuenientibus.

Post quam ablutione, ne defluxiones inde concitentur, statim caput iterum siccari debet, panno calido illud fricando, quod Mastiche, Sandaracâ, Succino, aliísve suffumigatum sit: dein diligenter pectinari.

Pulueres quoq; eo nomine in cucuphis, capiti admouentur, aut pilis insperguntur, ex herbis capitalibus, aliísve siccantibus, vt f. Nigellæ, Mastiche, cæterisque parati.

Partibus autem, quæ à defluxionibus excrementitiis, vel etiam sanguinis influxu, affici solẽt, idq; imprimis in arthritide, illiusq; speciebus præcautionis gratiâ, ne facilè humorem admittant, ea apponimus, quæ, cùm debiles & laxæ multo influxu reddantur, eas firment, robustioresq; reddant, & si quid in illis residui remansit, simul absumant, ex quorum numero, & aliquibus in declinatione horum affectuum, vt partes debilitatas rursum confirmemus, reliquiasque discutiamus, vti possumus. Id autem per varia hoc modo perficitur.

Immergenda frequenter, aut fouenda, vel

perfundenda aut abluenda, manus & pedes. Lixiuio parato ex Aqua cōmuni vel pluuiali, aut cisternæ, vel priùs ferratâ aut chalybeatâ, transfusâ per cineres combustorũ lignorũ Fagi, Quercus, Iuniperi, sarmentorũ Vitis & inprimis ossium Equi, Cerui, aliorúmve, cum quibus dum vruntur, plantæ aliquæ vtiles, vt Rorismarinus, Laurus, Hermodactyl. similesque vsurpari possunt.

Huic lixiuio vel simplici, vel vti dictum, composito, vt efficaciùs operetur. Vinum vel Vrina, aliquando dum percolatur, aut postea permiscetur, vel Sal aut Alumen additur, eâ quantitate vt salsum benè fiat, aliquando & Tartari, vel Sulphuris viui aut cocti portio.

Aqua salsa naturalis vel artificialis idem præstat, per se, vel per cineres quoque fusa: cui Myrrhâ additâ bona quantitate, ad fotum valdè commendatur.

Decoctum summitatum & ligni Iuniperi, vel per se, aut cum Lixiuio vsurpatum, vel Sale, cæterisve. Decoctum Raparum aliqui quoque probant. Alij in quo Vulpes exenterata diu coxerit.

Vel sic, cùm præsertim laxus tumor in declinatione remansit: ℞. rad. Ebuli ℔.j. Chamæpyth. M.j. Ros. rubr. flor. Chamemel. Meliloti an. P.j. Balaust. f. Myrtill. an. ℥.j. Lumbricorum terrestr. plures, coquantur in Lixiuij part. quatuor, Vini part. ij. Aceti part. j. Vtatur.

Vel fiat tale decoctum, ex pluribus paucioribúsve paratum: ℞. radic. Ebuli, Cannabis ad ℥.ij. herb. Saluiæ, Absynth. fol. Lauri, Origani, Pulegij, Calamentæ, Mentastri, Thymi, Chamæpyth. Beton. Hyssopi, Plantagin. ad M.iij. fl. Verbasci, Rorismar. Rosar. rubr. ad P.iij. Baccarum Iuniperi, Lauri ad P.j. Myrtillorum ℥.ß. Nucum cupress. ℥.j. cortic. Mali granat. vel Balaust. ℥.ß. fiat decoctio in aquæ mens. v. vel vj. addendo quartam partem vini rubri, Salis ℥.j. Alum. ℥.ß. In hoc immergat membra. Vt efficaciùs astringat laxas partes, Gallæ, Acaciȩ, Hypocistis ad ℥.j. quoque adduntur. Pruna syluest. sicca, Pyra, Sorbo, Mespila, pauperes addere possunt.

Inunctiones partes debiles & laxas confirmantes sunt, Oleum ex acinis vuarum expressum cum oleo Salis inunctum. Item olei de nucleis Auellan. Cerasorum, de Been, Citreum & Arantiorum.

Vnguentum roborans: ℞. olei Myrtillorum vel Ros. completi ℥.ij. Salis ʒ.ij. misce: Inungantur partes debiles. Interdum & Myrrha additur ad ʒ.j.

Caput Milui deplume crematum, vel ossa subtiliter puluerisata, cum oleis inuncta, vel aliis vnguentis admixta, proprietate iuuare dicuntur.

Aliud vnguentum: ℞. ol. Lumbricorum, Ranarũ ana ℥.j.ß. ol. Ros. omphacini, axung. Anseris, quæ in acetum, dum torretur, instillat an. ℥.j. Acaciæ, Balaustiorum an. ʒ.j. Stercoris bubuli exsiccat. ʒ.ij. Salis ʒ.j. Aluminis vsti ʒ.ß. Ceræ q.s. fiat vnguentum.

Vel hoc: ℞. summitat. Rubi, Sumach, fol. semperuiui recentium q.s. Coquantur in vino stiptico rubro, passentur, adde far. Alphiti. Hordei immaturi æq. partes, pulueris cort. Granat. sextam partem: Applicetur instar Cataplasmatis.

Admodum pedes vel manus imbecilles roborat, si in aceruum vinaceorum, ab vuis nigris expressis congestum, dum efferuescendo calet, manè aliquoties pedes vel manus immergant.

Quod in aceruo Tritici quoque factum, Sexti Pompei remedium fuisse asserunt.

Thermæ aliquæ ad tempus vsurpatæ, præsertim sulphureæ, salsæ, nitrosæ, præterquàm quòd per sudores superfluitates in corpore, vti dictum, absumunt, robur articulis addendo, in defluxionum & arthritidis præcautione aliquid præstare possunt. Vti & si per modum embrochæ vel dutiæ capiti etiam admoueantur, scaturiginem mali auertunt. Quorum & residentia, seu lutum partibus infirmis applicatum, eas confirmat.

Possunt & Balnea artificialia, loco thermarum aliquandiu vsurpari, ex decoctis supradictis dictorum simplicium, partes roborantium parata. Corium canis applicatum, proprietate valere creditur.

Quorum omnium vsu diutiùs adhibito, ne humores calore & madore horum, ad partem quȩ prona est ad suscipiendum, conciten-

concitetur, illa interdum defensiuis supradictis emplastris, muniri potest.

In curatione verò horum affectuum, in principio statim cùm inuadunt, vel etiam antequam inuadant, si iam præludia illorum adsint, extrinsecùs quæ influxum prohibent, applicantur. Quæ in arthritidis præsertim speciebus, supra articuli regionem, quæ iam affecta est, vel affici solet, versus emunctoria, parte internâ magis quàm externâ applicari debent. Et si membrum permittat vt commodè fieri possit, fasciâ ligari: addito insuper si magis operari volumus, etiam Asplenio.

Sic convenit defensiuum cõmune, quod ex Bolo, Album. oui, addito interdum & Aceto, paratur, & cum cottone vel panno linteo applicatur.

Vel: ℞. Boli, vel alterius terræ pinguis, quam sigillatam vocant ℥.ij. Sanguinis draconis vel Acaciæ aut Hypocistid. ℥.ß. Gallarum ʒ.iij. rad. Bistortæ, capular. Glandiũ, vel nucis Cupress. an. ʒ.j.ß. fiat puluis, excipiatur Aceto ros. & album. oui ad vsum. Hisce & Balaustia, Spongia ros. fl. Ros. sem. Vuarum, aliaque adstringentia addi possunt.

Ex Lithargyrio & Bolo, Aceto & Album. oui vel mucilagin. sem. Psylij subactis, nutritum appositum, idem præstat.

Hisce ne subitò arescant, ol. Ros. completum vel Omphacinum, aut Myrtillorum quandoque, sed paucâ quantitate, ne imbecillius fiat medicamentum, additur.

Vel fiat tale Cataplasma: ℞. Pulpæ fructuum non plenè maturorum, vt Pyrorum, Cydoniorum, Sorborum, Cornorum, Mespilorum, aliorúmve, (vti inter exotica, Dactylorum, Oliuarum) coctorum in Aceto rubro vel rosac. cum Panis mica, vel Lentium farina, paulò minore quantitate q. s. Applicetur vt dictum.

Emplastra alia adstringentia, quæ foris adhibita, fluxiones in oculos intercipiunt, hîc quoque conuenire possunt: vti & alia id præstantia remedia, in ophthalmia exposita.

Ligaturæ quoque supra locum affectum factæ, vbi commodè fieri possunt, materiæ descensum intercipiunt. Et si femora ligentur, ne humor in pedes facilè descendat, impediunt.

Supra partem verò affectam, prout morbus vel in principio, aut progressu est, caussaque vel adhuc in fluxu, vel iam influxit, vel repellentia, vel dolorem sedantia anodina, vel etiam narcotica, vel resoluentia sunt admouenda. Qualia nunc explicabuntur. Ea quæ nodos podagricorum emolliunt, & discutiunt, in tumoribus aliis explicanda.

Repellentia mox in principio, dum causa fluit, in arthritidis præsertim speciebus adhibentur, quæ vel adstrictione, vel frigiditate, si à sanguine illæ proficiscantur, aut summopere locus caleat, illud præstent. Quæ tamẽ in ischiadico dolore, qui in profundo existit, vti & in cæteris defluxionibus, in carnosa loca factis, si humor in alto lateat, parùm prodesse possunt. Quibus repellentibus vel solis, vel admixtis simul anodynis, aut nonnihil resoluentibus hoc pacto vtimur.

Aquâ frigidissimâ dolentem locum perfundere docet Hippocr. quòd, cùm admodum repellendum & refrigerandum, fieri potest; Niuem etiam adhibitam aliquibus profuisse, constat. Acetum quoque frigidum infusum, vel cum panno in eo madefacto applicatum, sæpeque repetitum, aliqui valdè laudarunt.

Ex Aquæ tribus partibus, & Aceti vnâ, idem fieri potest. Aliquando ex Aquæ tribus & vini rubri astringentis partibus duabus, in quibus & Furfur, farina seminis Lini, vel Lupinorum decoquuntur, emplastri vice, commodè versus augmentum applicatio fit.

Vel Aquæ sumunt partes tres & Aceti quartam partem, bullire faciunt, addendo farinam Frumenti vel Hordei & seminis Lini q. s. vt fiat Cataplasma.

Plantago, Lysimachia, Semperuiuum, Violaria, Portulaca, Intybus, Polygonum, Psylium, Solanum, Parietaria, Populi fol. & Cucurb. Nymphæa, Lenticula palustris, similesque plantæ contritæ apponuntur, quibus olei Ros. vel aliud, & Axungia addi possunt. Vel priùs cum farinis & Aceto incorporantur.

Bras.

Braſsicę ſol.cum farina ſ.Pſylij vel Fœnogræci & Aceto contuſâ, appoſitâ, Cotonea mala,toſta cum farina Hordei vel Polenta piſta,competunt.

Plantaginis folia cōtuſa,cum farina Lentium vel Hordei,& mica Panis,addito olei Roſ.in formam cataplaſmatis rediguntur.

Furfur cum farina Hordei in Aqua Chalybeata coquitur, add.Roſis,vel ol.Roſ.emphacino,atque in principio etiam Aceto: in augmento verò fl.Chamom.vel illius Oleo.

Succi prędictarum herbarum farinâ Hordei,aliiſve incorporantur,vel olei Roſac.vel Viol.miſcentur,& cum Vitello oui,& Terebinthinâ,agitatâ ſimul applicantur,quibus Acetum interdum additur.

Vel ſic: ℞.ol.Roſ.℥.iiij. ſucci Lactucæ vel alt.frigid.℥.ij. Aceti roſ.℥.j. Vitell.ou.num.ij. inſpiſſentur farinâ Hordei,fiat paſta.

Vel:℞.ol.Roſ.Omphac.Aceti Roſ.an.℥.ij. Boli armen.ʒ.ij. Santali rub.ʒ.j.Miſce.

Cerusa cum aquis vel ſuccis modicoque Aceti permiſta,vtilis.

Oleum roſ.vel Viol.cum aquis prædictarum herbarum,vel decocto,miſcetur,addito Aceto aliquando,pro epithemate.

Vnguento infrigidante Galeni,Comitiſſæ,Populeo vti quoque poſſumus. Quibus etiam lumbi calida defluxione petiti inunguntur.

Anodyna quando dolor vrget,miti calore rarefaciendo,& mulcendo, admota,proderunt; illiſque vel ſtatim in principio,repellentibus tunc ſimul ferè,ſi in fluxu adhuc humor eſt, permiſtis, vtimur; vel poſtea, cùm iam fluxit,additis interdum quæ ampliùs adhuc quàm ipſa rarefaciendo reſoluant,admouemus, illudq; ſequentibus formis efficimus.

Lac vaccinum,aut aliud,irrotatum,vel ex alto diu tepidum infuſum,aut panno lineo in eo madefacto,applicatum. Quod ab initio chalybeari poteſt,& vt dolor magis ſedetur, ſ.lini,Fœnogræc.in eo decoqui,& cùm parti appropriatum reddere volumus,Hermodactylos,aliáve addere poſſumus.

Ad lactis ℔.j. Si Sulphuris vel Lithargyrij ℥.j.addatur,applicēturq;, id quod collectum eſt,diſcutit.

Ouorum ſumitur Luteum & Albumen, vel Albumen ſolum,agitando fortiter,cum tertia parte olei Roſacei vel Chamemeli, & cum pannis applicatur. Cui crocum quoq; addi poteſt.

Vel oua decoctione indurata,cum Myrrhæ quartâ parte contundantur,additis flor. Chamemeli & pauco Croco,in paſtam redigantur.

Oleo Roſaceo perfunditur pars dolens, vel cum Lanâ ſuccida adhibito fouetur; interdum & Violac. in quibus Lumbrici poſſunt decoqui,vel ol.Lumbricorum additur, & in progreſſu admixto ſimul ol.Chamomelino & Vulpino. Oleum è luteis ouorum dolorem ſedat.

Vel hoc vnguentum fit: ℞.ol.ſemin.Lini rec.Sambucini,Lumbricorum an.℥.ß. Croci gran.iij. Camphoræ gr.ij.miſce,Inungantur partes, & inuoluantur linteo madefacto in vrina pueri.

Vel Cataplaſma ex Pomorum dulcium coctorum pulpa,cum ol.Roſ.vel Ranarum, vel Chamomel.miſta,paratum.

Vel ex Caſsiæ fiſtularis pulpa extracta,ſolâ, vel priùs farinâ hordei aut ſ.Pſylij, aliorúmve inſpiſſata: Cui olea aliqui,vt Roſac. Chamom.& ſimilia miſcentes,ſic eam dilutam parùm inungunt, quod rectiùs aq.Roſarum Solani, aut Plantag. aliíſve fieri poteſt,atque interdum adeò dilui,vt cum pannis intinctis in ea applicari poſsint.

Panis ſyncomiſtos,hoc eſt ex Farina,non ſecreto Furfure factus,ablatâ cruſtâ,maceratus vel decoctus in lacte Vaccino,Caprino, Ouillo,vel Mulieris, vſitatum eſt in dolore ſedando remedium, ad cuius ℔.j.poſtquam coxerit,Vitelli ouorū duo vel tres aliquando permiſcentur. Interdum & ol. Roſac.vel Chamom.ad ℥.vj.vnà incoquitur. Aliàs cùm refrigerare, ſimul & repellere volumus, omiſsis oleis,vel ſimul additis,ſuccorum Nicot.Solani,Plantag.ad ℥.iiij. Aceti ℥.ij. ſimul coquuntur. Vel herbæ ipſæ, aliæúe, Lacti priùs incoquuntur.

Pſylij ſemen vel Lini contuſum, & coctum parùm in aqua,ad viſciditatem & conſiſtentiam aliquam, vel illius mucilago extracta, cum aqua Roſ.Solani aut Semperuiui,

uiui,aliáve,applicatum dolorem compescit, cui Albumen & vitellus oui quandoque additur. Huic pastæ dum calet,mucilago Lini,Cera & olei Rof.aut Chamom.quandoque additur,sicque vsurpatur,addito interdum & Aceto.

Fœnograeci semen contusum in Oxymelite vel Aceto & Melle coctum admouetur. Vel farina illius succo Caulium rubr.subigitur,addito Aceti fortis quartâ parte,sicque vsurpatur. Vel cocto,puluer.seminis Fœnogræc.in Vino,pulu.Chamom.Meliloti,nonnunquam & Hermodactyl. permiscetur: Additâ interdum & Terebinthin. Oleis & Mucilaginibus.

Fabarum farina vel Lentium & Hordei, prędictis quandoq; seminum pastis additur. Aliàs olei Rof.subacta,additis interdum & succis herbarum supradictarum apponitur.

Vel sic:℞.farinæ Fabarum & Fœnogr.an. ℥.ij.far.Hordei & seminis Lini an.℥.j.puluerum rad.Altheæ, fl.Cham. & Melil.an.℥.ß.s. Cimini ℥.iij. decoquãtur in Vini, Aceti,Mellis æq. part. addendo Axung. Gallinæ ℥.ij. ol. Anethi ℥.j.fiat Cataplasma.

Vel: ℞.radic. Altheæ quart.ß. Raparum quart.j. fol.Maluæ,Caulium,Hyosciami an. M.j. carnis Cucurb.℥.ij.flor. Viol. Chamom. Melilot.Verbasci an. P.j.fiat decoctio in Aquâ & Vino, adde far.s.Lini vel Psylij & Fœnogræc.ad ℥.iiij. Vitellos ouorum num.iiij. axungiæ Porci ℥.iij. olei Anethini,Ranarum an.℥.ij.fiat Cataplasma.

Narcotica ratione doloris admota, cùm stupidiorem partem reddant,non solùm prę cæteris dolorem compescunt,sed & quia calore suo, quo constare,alibi iam sæpè ostendimus, humorem simul resoluunt, proderunt, tutoque nec ita cum periculo,vti creditur, vsurpantur. Vel per se, aut cæteris anodynis aut resoluentibus permista, hoc modo.

Hyosciami vti & Mandragoræ ac Papaueris folia recentia, contusa vel priùs decocta admota, valde iuuant in dolore. Oleum quoque illorum: Succi item ab illis expressi, illita, aut aquis Rosarum, Nenupharum aliisve permista, per fotum aut embrocham vsurpata, aliòve modo cum prædictis anodynis mista & administrata.

Radix Mandragoræ,semenq; Hyosciami cum Polenta permista,cataplasmatis instar applicata, vel cum oleo cõuenienti,aut cum axungiis in formam vnguenti redacta.

Vel sic:℞.fol.Hyosciami M.ij.Solani,Semperuiui an.M.j.capitum Papau.hortensis P.j. radic.Mandragor.℥.j.flor.Chamom.Viol.an. P.j.semin. Psylij ℥.ß. semin. Hyosciam.ʒ.ij. fiat decoctio in Aqua vel Lacte: quâ foueatur locus: Residentia pistetur, addendo farinæ seminis Lini ℥.j.ß.farin.Tritici ℥.ij axungiæ Anatis vel Gallinæ,ol.Chamom.an.℥.j. fiat Cataplasma.

Opium præcipuè diuersis formis anodynis additum, ea efficacia facit, semper ferè tunc additâ simul Croci portiunculâ; sicque vsurpatur cum Lacte, si ℥.ij. illius, Opij ʒ.ß. addatur: cum Panis emplastro,addendo opij ad ʒ.ij. vel cum aliis cataplasmatibus. Inunctionibus quoque diuersis permiscetur, sed pinguibus additũ,minus est efficax. Inprimis in spiritus Vini simplici,vel admixtione aliorum compositi ℥.iiij. per Croci infusionem flauescentem, si Camphoræ ℈.j.decoctione addatur,& Opij ʒ.j.dissoluatur,eoq; liquore pars dolens vngatur,tutum & efficacissimum erit remedium.

Antidota opiata, vt Theriaca, Mithridatum,Philonium, applicata recentia propter opium aliquid præstant, præcipueque si opij augeatur quantitas.

Torpedinis corium admotum; vel oleum in quo coxerit illitum,stuporem inducendo multùm prodesse posse creditur.

Resoluentia quæ humorem absumunt,in progressu morbi, quando defluxio substitit. vsurpanda: Calidis moderatè & rarefacientibus,si præsertim à sanguine facta sit, materiam discutiendo: calidioribusque adhuc,si à seroso excrementitio humore proficiscatur,eum dissipando,& ne in nodos conuertatur,penitùs consumendo: Et si in profundo lateat, vt in coxendico dolore, vel aliis in habitum corporis delatis defluxionibus, validioribus adhuc metasyncriticis extrorsum eum euocando, attractumque absumendo; Vsurpando simul & permiscendo

illis, in articulorum doloribus, quæ membraneis neruosisque locis articulorum appropriata sunt, Arthetica dicta, & quæ proprietate quadam vsu explorata, operantur. Quæ remedia per formas distributa, proponemus, articulorum doloribus præsertim accommodata, licet & in aliis defluxionibus pleraque conueniant.

Olea præcipuè competunt sequentia. Verbasci florum oleum, quod ex floribus recentib⁹ in vitro bene clauso soli expositis sponte effluit; vel maceratione in oleo, vel in vino, etiam in calore solis, vel alio, in vase clauso fit.

Oleum quoque in quo Sambuci vel Ebuli radices & folia, vel succus inde extractus coxerint, inprimis oleũ sem. Ebuli hîc summè laudatur. Quod fit, si illud bene maturum, repurgatumque in pastam contusum in aqua coquatur, spumaque colligatur, eaque in vitro oblongo posita, in loco tepido per triduum aut quatriduum collocetur, donec oleum, quod subuiride est, fundum petat. Idem quoque ex seminibus illius expressum efficacissimum est. Vti & ex semine Raphani, & è Nucibus Indicis, & Glande vnguentaria.

Oleum item ligustrinum Cyprium, vel de Alchanna dictum, & cucumeris asini, Sycionium vocatum, & in quo coxerint Flammula, Cortusa herba.

Ranarum oleum & Lumbricorum, Vulpinum, & in quo coxerit Mustela, vel Ciconiæ aut Cygni pulli. Item Galearum pisciũ hepar, vel Aselli aut Millepedes.

Item oleum ex ossibus Humanis factum, vel maxillis Equorum; quod fit, si illa confracta, ignita, oleum antiquum imbibant, & postea ex illis contusis per retortam oleum eliciatur; vel aliâ arte. Oleum ex sanguine Cerui eliciunt chymici, illudque probant.

Præter quæ alia olea calida quoque vsurpantur, vel istis miscentur, vt Laurinum, Costinum, Sambucinum, Nardinum, Rutaceũ, Irinum, Cheirinum, Liliorum, Hyperici, de Euphorbio, de Castoreo, de Lateribus, de Terebinthina, Petroleum. Quibus & exstillata quandoque alia miscentur; Veluti oleum Spicæ, de baccis Iuniperi, vt si ʒ.j. ad ℥.j. olei Laurini alteriúsve addatur. Oleum Gaiacinum & Sulphuris, admodum quoque commendatur, & oleum Tartari alij aliis permiscent. Salis oleo, cum lateribus ignitis factum, cum ol. granorũ Ebuli, vtuntur chymici. Alij sal in oleo coquunt, illudq; inungunt.

Fiunt & alia olea composita; vt ex Oleo antiquissimo cum æqua parte Medullæ cruris vituli, addendo Lumbricos, Iuam & parùm Croci; leuiter coquendo in duplici vase & colando ad vsum.

Aliud: ℞. Olei communis, Laurini & Terebinth. an. æq. partes, adde Mastichæ, Myrrhæ, Thuris partem vnam, eliciatur oleum.

Vel sic: ℞. olei Tereb. ℔.j. adde Saluiæ tenuiter incisæ M.j. Bulliant benè cooperta in balneo Mariæ, & postquam refrixerint, eximatur saluia, à qua reliquum olei benè coletur, nouaque reponatur, denuoque bulliant, iterumque eximatur, aliaque addatur, ter aut quater illud faciendo, & postremò loco saluiæ gummi Ammon. & oppopanacis puluerisata an. ℥.iiij. iterumque coquantur, & ad vsum reseruentur. Quo cùm illinis partem, superponatur Gummi Tacamacha emplastri instar.

Admodum efficax in Coxendico dolore, est sequens: ℞. ol. Nucum, cui & alia misceri possunt, ℥.vj. fol. recentium Cucum. asini vel Flammulæ, vel Iberidis, vel rad. Cyclaminis rec. contusorum, vel succorum illorum ad ℥.iij. Lumbricorũ dissectorũ in partes n.xx. gummi Sagapeni, Ammoniaci, dissoluti ℥.j. Vini Maluatici ℥.ij. aquæ Vitæ ℥.j. Coquantur simul ad consumpt. succorum, Coletur, & seruetur oleum.

Vel: ℞. radic. Pyrethri, Hellebori albi an. ℥.ß. Hermodactyl. Turbith. fol. Rutæ, Absynth. an. ʒ.ij. Colocynth. Euphorbij an. ʒ.j. Salis ʒ.j.ß. Infundantur in oleo antiquo, addendo Vini generosi & aquæ Vitæ ℥.j. Macerentur in sole, vel coquantur, colentur ad vsum.

Huc & Balsamum factitium Matthioli refertur inunctum.

Vnguenta & emplastra vnctuosa diuersimodè parantur. Ex axungiis variis, vt Humana, Hirci, Capræ, Veruecis, Porci, Vituli, Anse-

Anseris, Gallinæ, Anatis, Vulpis, Vrsi, Anseris, Cati sylu. & Ibicis, Serpentis, Item Oesipo & medullis, Equina, Ceruina, Vitulina; quibus solis vel mistis partes dolētes inunguntur, vel liquefactis priùs in vino, additâ etiam Aquâ vitæ, tempore inunctionis.

Anseris inprimis pinguedo, sic præparata & collecta, magni fit: Anser si exenteratus impleatur portione carnis Vulpis vel Felis, addendo folia Iuæ, Saluiæ, Rosmarini, Maioranæ, Betonicæ, aliáve, consutusque iterum, in veru assetur, pinguedoque exsudans & destillans vase aquâ & aceto pleno, excipiatur.

Alia vtilis, Cerui pinguedo, vel Bouis medulla, cum Aquæ portione, Aqua vitæ miscetur, & in vino bene obturato per dies 15. in fimo equino sepulta maceratur, ad vsum seruatur.

Ex aliis composita, variis modis fiunt. Sagapenum, Galbanum, in oleo dissoluta, inunguntur vel applicantur.

Vel sic: ℞. succi Ebuli, olei Rutac. vel alterius ana ℥.ij. adde gummi Ammon. dissol. in Aqua vitæ ℥.ß. Mastichæ, Thuris ana ʒ.j. Castorei ʒ.ß. Terebinthin. q.s. fiat instar nutriti.

Alio modo sic fit: ℞. succi Ebuli, & Olei antiqui vel alterius ana ℥.j. coquatur ad consumpt. adde Mumiæ ℥.ß. Camphoræ ʒ.j. fiat Linimentum.

Vel sic: ℞. ol. Ros. Lini Liliorum vel Irini, Chamomil. an. ℥.j. succi Apij ℥.j.ß. mucilag. sem. Lini & rad. Altheæ, vel s. Fœnogr. & Sæui hircini ana ℥.j. Bulliant ad consumpt. & cum Cera fiat Linimentum, addendo parùm Croci.

Conueniūt ex vsitatis. Quatuor vnguenta calida dicta. Inter quæ mitius est, Dialtheæ vnguentum, compositum præcipuè, efficaciora & operosa magis sunt Marciatū, magnum & minus, Agrippæ & Arogon. Et præsertim articulorum doloribus accommodatum, Ebulinum, Diuinum, Neruinū, Vigonis vnguenta.

Horum loco, hisce vti possumus: ℞. rad. Ireos, Aristol. Acori an. ʒ.iij. Pyrethri, Turbith. Hermodactyl. ana ʒ.ij. baccarum Lauri ʒ.j.ß. Colocynth. ʒ.j. Piperis, Nucis mosch. ana ʒ.ß. Croci ℈.j. Storacis ℥.ß. Thuris ʒ.ij. Bdellij ʒ.j. Euphorbij, Castorei ana ʒ.ß. puluerisentur, adde olei Laurini vel alterius, Oesypi, axungiæ Anseris, Vituli vel alterius q.s. addendo Terebinth. ℥.j. vt in pastam redigatur, adde olei Spicæ ʒ.ß. Applicetur: potest & Stercus vaccinum addi.

Aliud in Ischiadico dolore, & similibus potissimùm conueniens vnguentum: ℞. ol. Liliorū ℥.ij.ß. Cheirini vel alterius & Lumbricorum, axungiæ Vulpis vel Anseris an. ℥.j.ß. succi Iberidis, vel Enulæ camp. aut Thymbrę seu Satureię ℥.iij. gummi Ammoniaci dissoluti in Aquæ vitæ ℥.j. rad. Cyclaminis ʒ.j.ß. rad. Pyrethri, Ireos, sem. Sinapis ana ʒ.j. Hermodact. Castorei, Euphorbij an. ʒ.ß. Terebinth. q.s. fiat instar Nutriti.

Vel hæc Emplastra: ℞. radic. Enulæ, Costi vulg. Ireos ana ℥.ß. radic. Cyclamin. Ari an. ʒ.ij. Hermodactyl. Pæoniæ, Visci querc. ana ʒ.j. seminum Sinapis, Erucæ, Rutæ agrest. an. ʒ.j.ß. seminis Cimini, baccarū Lauri ana ʒ.j. Piperis, Maceris, Garyophyll. ana ʒ.ß. Croci ℈.j. Myrrhæ, Thuris, Storacis cal. an. ʒ.j. Nitri, Vitreoli vel Adarces an. ʒ.j.ß. Euphorbij, Castorij an. ʒ.ß. fiat Puluis, adde gummi Ammoniaci ℥.j. Bdellij, Galbani, Oppopanacis, Sagapeni ad ℥.j. dissoluta omnia in Aceto & Aqua vitæ addendo Storacis liquidæ ʒ.j. Ladani, Laserpitij an. ʒ.j.ß. excipiantur oleo Liliorum & Rutaceo, additaque Terebinth. Pice, Resinâ, inter quas Pini præfertur, & Cerâ, fiat magdaleon, inuolutus pelle Arietinâ.

Aliud: ℞. Picis puræ nigræ splendidæ, quam Naualem vocant, Resinæ an. ℔.ß. axungiæ Veruecis, additâ Anserinę vel Anatis quartarium j. dissoluantur, permiscendo sensim Olibani ℔.ß. postquam feruere desierit, adde pulueris Cimini ℥.ij. Piperis ℥.ß. ol. Spicæ ʒ.ß. fiat emplastrum.

Fiunt & alia ex aliis in articulorum doloribus vnguenta, vt: ℞. Medullę cruris Vituli: vel alterius axungiæ conueniētis, ol. Rosacei vel alterius articulos firmantis an. ℥.ij. Salis vsti ʒ.j.ß. misce: Inungantur pedes; quod efficacius erit, si stercoris Bubuli exic. ʒ.ij. addas.

Vel sic: ℞. olei Nucum vel antiq. ℔.ß.

axungiæ Anseris, Vulpis, Medullæ cruris vituli ana ℥.ij. Ranarum excoriatarum n.x. Lumbricorum terrestr. ablutorum vino ℥.ij. Asellos sub vasis latentes n.xxx. Salis ℥.ß. Vini albi generosi ℥.iij.succi Ebuli,vel Sambuci vel Hederæ, vel Iuæ ℥.ij. coquantur ad consumptionem humiditatũ, exprimantur, addendo Terebinth.& Ceræ q.s.pro inunctione.

Diachylon emplastrum vtile quoque est, illud quod lithargyrium recipit, quod si validiùs vt operetur, velimus,ad ℔.j. Sulphuris ℥.j. Chalcitidis ℥.ß.miscebimus. Vel Diachalcitide cerato,quod præter lithargyrium etiam chalcitidem continet,vtimur,cui sulphur quoque addi potest.

Vel illorum loco tale paretur : ℞.Olei antiqui ℔.j.puluer.Lithargyrij ℥.iij. Sulphuris ℥.j. Chalcitidis ℥.ß. coquantur ad consistentiam,addendo mucilag.sem.Lini vel Fœnogræc.& Axung.porci vel alterius an.℥.ij.fiat Emplastrum vel Vnguentum.

Apostolorum vnguentum hìc quoq; conuenit,quod multa gummi recipit,& lithargyrium simul,& æruginem æris.

Vel hoc vsurpari potest: ℞.ol.Laurini ℥.ij. ol.Lumbricorum & de Lateribus an.℥.j.dissolue Saponis ℥.j.ß. medullæ cruris Cerui, Vituli vel Bouis ℥.j. Terebinth.℥.ß.gummi Ammon.Oppopan.Galbani dissol.in Aceto an.ʒ.j.ß.Myrrhæ,Thuris,Mastich.an.ʒ.j.rad. Aristoloch.rot.ʒ.ß.Lithargyr.Sulphuris viui an.℥.j. Æruginis æris, Salis vsti an.ʒ.ß.Ceræ q.s.fiat Vnguentum.

Probatur & hoc : ℞.olei Ligustrini, vel Sambucini vel Ebulini ℥.ij.ol.de Terebinth. Adipis bouis an.℥.j.Visci seu Collæ dissolut. in Vino ℥.j. Thuris ʒ.j. Nitri, Calcis an.ʒ.ß. misce,Applicetur; Huic lapidem Asium aliqui miscent.

Ranarum emplastrum Vigonis dictum, in pertinacibus defluxionibus,& doloribus, ischiadicis, aliisque valdè iuuat; atque auctâ dosi Mercurij & Euphorbij,fit efficacissimum. Cuius descriptionem in lue venereâ exponemus.

Illitiones aliæ non vnctuosæ fiunt ex Aqua vitæ in ischiadicis, quæ inuncta prodest; cui aqua Saluiæ, Lauandulæ, Melissæ, similesq; nonnunquam æquâ, aut maiori portione permiscentur.

Ex Sapone (eligendo optimum) dissoluto cum Aqua vitæ,inunctio fit,vulgatumq; est in omnibus defluxionibus,frigidis præsertim remedium.

Ex Vrinâ impuberis,aut vt aliqui volunt, ipsius ægri, coctâ, despumando, donec ad mellis consistentiam redigatur,in arthritide vnctio fit. Et ex Sanguine menstruo,vt docet Diosc.

Cineres itidem Mustelę crematæ cum Aceto inuncti,vel Cineres Fabarum,Caulium & Siliquarum,& Sesami,cum semine Brassicæ,similiter vel cum Axungia vncti.

Succi itidem Vrticæ vel Thapsiæ,Colocynthidæ, Rutæ, Saluiæ illiti, vel medulla Nucis Ind.

Pulueres item testarum Fornacum vstarum,vel ex Ferri rubigine,lapid.Gagate,vel Asio,cum succo vel alio liquore inuncti.

Applicationes aliæ in formâ Cataplasmatis,aliáve hoc modo fiunt. Ex plantis,veluti Verbasci foliis & floribus,Vrticâ,Rutâ,Artemisiâ, Apio, Heliotropio, Scordio, Leucoio,Pilosellâ,Consolidâ minore,Musco terrestri,Sesamo cum semine,& radicib. Cannabis, Aristoloch. Dictamni, Cucum. asini, Narcissi,Bulbi,contusis,& per se appositis, vel addito Melle aut Aceto : vel priùs decoctis in Aqua vel Vino,vel etiam Aceto. Vel succi quarundam,Farina siliginis,aliísve incorporati,apponuntur.

Iberis recens contusa, vel sub cineribus parùm tosta, applicata,admodum in ischiadicis conuenit; cuius loco Cardamine,Nasturtium hortense ęstatis,& aquaticum hyemis tempore sumi potest.

Helenium contusum cum radice, ad idem valet,vel in Vino priùs coctum.

Imperatoria sylu. quæ ebulum imitatur, ab insigni vsu in ischiadicis & podagra,Podagraria dicitur.

Melissophyllon cum Sale contusum applicat Dioscor.

Saluiæ,Rutæ folia,Iuniperi baccæ,recentia inuicem contusa, affuso Vini spiritu,& Vrinâ pueri,applicant in ischiadicis.

Lini semen coctum in Vino, appositum vel

vel per se, vel in sacculo, mirè prodest, cui flor. Chamom. permisceri possunt.

Panis ex Secali, cum semine Carui pistus & coctus, calidus admotus.

Furfur cum Sapa coctus, addito Sale, egregiè in gonagra, aliisque doloribus iuuat.

Fabarum, Lentium, Hordei farinæ decoctæ cum Oxymelite, applicatæ prosunt.

Vel Fabarum farina in Vino cocta, addendo parùm Aquæ vitæ & Butyri, in gonagra & homoplata cæterisque doloribus iuuat.

Passulæ enucleatæ contusæ, addito Oppopanace.

Muscus marinus vel Pulmo, aut Fucus marinus, recentia imposita; vti & Androsace, iuuant arthriticos.

Agaricus itidem cum Lacte caprino contusus, & Farinâ triticeâ subactus.

Ebuli fol. tenera vel Sambuci contusa apposita. Vel priùs frixa in Butyro, aut cum axungiâ Porci aliáve permixta. Quibus & rad. Plantag. quandoque adduntur.

Ruta recens & Betonica simul cum axungia Porci antiquâ mista, addendo Sal. in gonagra prosunt.

Matricaria cum suâ radic. trita, cum Axungiâ & Aceto, si defluxio labatur in partem, conuenit.

Bryoniæ radix contusa cum Aqua vitæ, addito etiam lardo, admodum in defluxionibus iuuat. Vel Bryonię & Ari vel Dracunculi radices aut folia, Ficus folia contusa, & cum Stercore vaccino aut caprino subacta, addito nonnunquam & Melle.

Item: ℞. Vrticas contusas ad ℔.j. additis olei Laurini ℥.ij. Petrolei ℥.ß.

Brassicæ folia contusa, cum paucâ Maiorana ad ℔.j. additis Bdellij, dissolut. in aquâ Vitæ vel Aceto ℥.ij. & pulueris Colocynthidis ℥.ß.

Vel: ℞. Raparum parùm tostarũ & postea coctarum ℔.j. far. Fœnogr. ℥.ij. adde succi Ebuli, vel herbam contusam ad ℥.ij. Mellis parum, misce.

Vel: ℞. pulueris Hermodact. farin. Hordei an. æq. par. Vitellos oui n. ij. addendo Mel.

Vel: ℞. Farin. Fœnogr. Lupinorum, ad ℔.j. adde farinæ Lolij, pulu. rad. Altheæ, fl. Chamom. Meliloti ad ℥.iij, seminis Cimini ℥.j, coquantur in Melicrato, addendo in fine plus Mellis, fiat cataplasma.

Vel: ℞. rad. Altheæ, Liliorum, Bryoniæ, Ebuli an. ℥.ij. fol. Saluiæ, Iuæ, Absynthij, Maioranæ an. M.j. flor. Chamomil. Meliloti, Furfuris an. P.j. fiat decoctio in Aqua vel Ceruisia, contundantur & passentur, addendo farin. Hordei vel Tritici, Lini, Fœnogr. an. ℥.ij. Mastichæ ℥.j. olei de Lateribus, vel alterius ex supradictis ad ℥.iij. Croci ℈.j. fiat Cataplasma.

Vel sic: herb. sicc. Pulegij, Saluiæ, Sabinæ, baccar. Lauri, Hermodactyl. an. ʒ.j. Mastichæ ℥.ß. Styracis ʒ.ij. Terebinth. ʒ.iij. Mellis vel Sapæ q. s. fiat emplastrum.

In ischiadicis præsertim hæc apponuntur: ℞. fol. Iberidis, vel Nasturtij; Helenij an. M.ij. Calaminthæ M.j. contusa applicentur vel coquantur parùm in Vino, contundantur, & applicentur, vel addantur farinæ Lupinorum ℥.iij. Mellis ℥.ij. fiat Cataplasma. Interdum & Axungiæ & Olea adduntur; interdum & penetrationis causâ Acetum, vel Aqua vitæ.

Vel hoc: ℞. rad. Cucum. asinin. & Bryonię, Iridis & Helenij recentium ad ℔.j. coquantur in Vino & Melle, contundantur, adde farinæ Lupinorũ ℥.ij. seminis Cimini ℥.j. Stercoris capræ ℥.iij. misce, fiat cataplasma. Cui & alia permisceri possunt.

Aliud ex omnibus hisce vel paucioribus compositum pro coxendico dolore: ℞. rad. Altheæ, Bryoniæ vel Cucum. asinin. an. ℥.ij. radic. Ireos, Enulæ an. ℥.j.ß. radic. Pyrethri, Hermodactyl. vel Bulbi ana ℥.j. & exoticarum si haberi possunt aliquam, vt Costi, Mei, Panacis heraclei tantundem, herb. Iberidis, Lepidij vel Flammulæ, Calaminthæ, Pulegij, Thymi, Rutæ, Melissæ an. M.j. florum Saluiæ, Rosmar. Stœchados vel Lauandul. Chamomil. an. P.j. fiat decoctio in Vino, addendo Mellis portionem, contundantur & passentur, adde farinæ Fœnogr. & Lupinorum ana quartarium j. baccarum Lauri ℥.ij. sem. Rutæ, præfertur agrestis ℥.j. axungiæ Anseris vel alterius enumeratæ, inprimis Serpentis si habetur, ad ℥.ij. olei Lumbricorum vel alterius ad ℥.iij. Sulphuris ℥.j. misce, fiat cataplasma.

Vel sic: ℞. rad. Ireos, Pyrethri an. ʒ. ij. rad. Ebuli, Dracontij ana ℥ j. baccarum Lauri ℥. j. semin. Cimini ℥. j. Sulphuris ʒ. vj. Nitri ʒ. ij. fiat puluis, adde Polentæ seu farinæ Hordei ℥. ij. subigatur Aceto forti, Melle & Terebinthinâ, fiat emplastrum.

Scammoneam coctam in Aceto, & cum farinâ Hordei mixtam, appositamque, in ischiadicis probat Dioscorides.

Picatio hęc in ischiadicis probatur: ℞. Picis partes duas, Sulphuris partē vnam, puluerisentur, & super chartam aquâ Vitæ madefactam, sparsa, applicentur, præsertim post balneum, sinendo donec sponte cadat.

Ex illis quæ ab animantibus petuntur, in articulorum doloribus conueniunt: Fœtura ranarū aquis innatans, contusa, applicata, mirè ꝓbatur. Vel si in olla bene cooperta diu coquatur, adepsq; innatās colligatur, eoque lintea madefacta applicentur.

Cochleæ terrestres tusæ adhibitæ, & si testæ simul conterantur, quod ægrè fit, efficaciùs operari censentur.

Idem Cochleæ viuæ integræ in saccum filtri seu colatorij ad M. j. injiciantur & super eas Salis M. j. spargatur, & super sal, seminis Ebuli M. j. dein iterū cochleæ, inde sal, postea semen, quatuor aut quinque strata vt vocant faciendo: suspendatur manica in cella, è qua liquor per dies aliquot exstillans, glutinosus colligatur, & in vitro inclusus, soli per quatriduum exponatur. Quo locus dolens illinatur.

Cancrorū fluuiatiliū coctorū caro contusa cum radice Bryonię & Aqua vitæ apposita.

Cornu cerui tritum cum Vino albo coquatur, donec inspissetur, illudque dolenti loco applica.

Arengus ex sua muria, sumptus & applicatus, sæpè iuuit.

Caro Lupi recens vel salita apposita ꝓbatur. Caro itē vitulina semitosta valde ꝓfuit.

Corium canis vel Torpedinis, admotum loco commendatur.

Stercus Vaccinum seu Bubalum, calens admodum, statim dolorem sedat. Cui ol. Rosarum in principio, ol. Chamomelinū in declinatione, vel Mel, vel Sapa addi possunt.

Vel sic, si locus intumuerit: ℞. Stercoris vaccini ℔. j. Sapæ ℥. j. farin. Fabarum & Fœnogr. an. ℥. ij. Cumini ℥. j. misceantur cum Oxymelite: Applicetur.

Vel sic: ℞. Stercoris caprę & farinæ Fabarum an. æq. partes, decoquantur in Vino & Oleo, pro Cataplasmate: cui, cùm dolor remittit, Salis portio additur.

Stercus caniū, Album græcū dictum, cum radice Pyrethri coquatur in Aceto forti, atq; admoueatur. Vel panni intincti in liquidâ adhuc materiâ, laboranti sedi applicentur. Probatur & imprimis Stercus Ibicis.

Fotus cum spongiâ, vel stuppis, alióve modo fiunt vel embrocę, aut pars affecta illis per insessionē alitérve immergitur, in ischiadico, gonagrâ, cęterisq; defluxionibus potissimùm. Paranturq; ex rad. Acori, Enulæ, Centaurij vtriusq;, & ad corrob. Nuce cupressi, herbis Calamenthâ, Helenio, Chamæpyth. Chamædri, Absynthio, Abrotano, Betonicâ, Primulâ, Saluiâ, Maioranâ, Rosmarino, Pulegio, Mēthâ, fl. Chamom. Meliloti, Anethi, Stœchados vtriusq;, Lauandulæ, decoctis in Aquâ, addito Vino, Lixiuio, Vrina. Cùm validiùs siccandum, additur ad Mens. j. Sulphuris viui ad ℥. j. Salis nitri & gemmæ an. ℥. ß.

Ex Raparum decocto & Cyclamine fotus quoque fiunt.

Vel ex aqua stillatitia, è Verbasco cādido, vel per se, vel priùs cōtrito, & in vino rubro infuso, diuque macerato, vel vt aiunt patefacto, elicitâ. Item aquâ è Felle bouis, vel ex Sapone optimo, vi ignis existillatâ.

Vel hæc: ℞. herb. Saluiæ, Rutæ, Chamæp. Absynth. aliarúmve in fotu coxendic. expositarū ad M. iiij. Sulph. Salis an. ℥. ij. Vini generosi mensur. ij. eliciatur aqua: Pro fotu.

Aliud mirè commendatum: ℞. Vitrioli albi & viridis an. ℥. j. Camphoræ ʒ. ij. Aquæ vitæ & Vini albi ana ℔. j. misceantur, atque cum intinctis pannis applicetur.

Sal cum Aceto, Sulphur cum Aceto, vel Aqua & Nitro, in fotu.

In Vrina Calx viua extinguatur, & cum eâ per residentiam aut colaturam depuratâ, locus dolens foueatur. Idem ex Calce & Aceto factum probatur.

Quidam lixiuio, in quo Fili cannabei bona quantitas cocta fuit, immergendo pedes, dolo-

dolorem admodum & mirè compescuit.

Sacculi ex herbis sæpè iam descriptis aridis quoque adhibiti iuuant.

Vel ex seminis Milij & Furfuris part.iiij. Salis part.j. parantur, additis flor.Chamom. aliísve interdum.

Scarlato insperso Sale, inuoluatur genu in gonagra.

Suffimigationes partiū ex defluxione, vel articulorū dolore laborantiū, tum ad corroboratione extra paroxysmū, & ad humoré simul desiccandum, in ipso quoque maximè iam declinante morbo, locum habent.

Hoc præstat suffitus ex decocto plantarum cōuenientiū, vti & Dictamni albi & Pulegij, additis interdū Absynthio, fl.Rosm. Stœch. Cham. coctis in Aqua & Vino vel Lixiu. cōuenit. Inprimisq; in ischiadico, si Saluia, recens in tegulā cauam ignitā posita, sępeq; ne aduratur, agitata, sic semicocta, Aceto perfundatur, tegulaq; linteis inuoluta, sub ægri coxâ ponatur, vaporque inde suscitatus excipiatur.

Fumi vehemēter siccātes, Bombace, Lanâ aut Panno excepti, sicq; cum illis admoti, ex Mastiche, Thure, Myrrhâ, Succino, similibusque parati, additis adoratis, vt Ladano, Benzoino, Storace, Gallia, herbisq; interdū aridis vtilibus, vt Rosm. similibusq;, cui efficacissimi erunt, si ad ℥.ij. Cinnabaris & Auripigmenti ʒ.ß. addatur, & Terebinthinâ pro trochiscis formandis excipiantur, in coxendico dolore potissimùm adhibendi.

Venereæ luis curatio. A qualitate malignâ, si Luis venereę quarta hęc species, dolor sc. circa osseas sedes, quē Venereum aut Contagiosum vocauimus, oriatur, cū curatio per euacuationes magnas & varias, alterātiaq; diuersa, eodem ferè modo perficiatur, sicuti illa in aliis hui⁹ luis speciebus, quæ cum vlceribus, aliisque defœdationibus fiunt, administrari debet, ideoque curatione eò relegabimus, & in deformationibus curationem in genere omnibus generibus competentem, simul proponemus.

Cephalea externa à maligna qualitate profecta, curatio. Quòd si verò à peruersâ aliâ qualitate, Cephalæa externâ, cui sæpè & alij circa ossa versantes dolores, vt in Lue venereâ iungūtur, fiat: curatio quoque partim vti in capitis antiquis doloribus, cum externâ cephaleâ copulatis dictum, instituenda, & nisi sic cesset, fortiora illa euacuantia, topicaque remedia, quibus Lues venerea tollitur, quoque vsurpanda. Inter quæ & illa quæ Hydrargyrum admittunt, sicuti in illâ infectione, ita in hoc non adeò absimili illi affectu, in quo maligna illa qualitas quoque, non nisi vehementioribus hisce remediis extirpatur, sæpè hunc affectum, qui nullâ ratione priùs sanari potuit, curant.

Arthritidis cuiusdam malignæ curatio. Si quoque defluens humor arthritidem inducens, peruersitatem aliquam in se habeat, ea quoque non nisi validioribus vsurpatis, topicisq; efficacioribus adhibitis, qualia multa, inter quæ & quædam Hydrargyrum recipiunt, vt Emplastrum de Vigo, enumerata, curabitur.

Doloris in sensu tactus deprauato à maligna vi occurrentis curatio. Quòd verò malignam eam vim attinet, quæ sensum tactus deprauat, cùm ea in humore quoque defluxo, qualis stuporem, & paralysim excitare solet, insideat, illa quoq; per eam curationem quæ illic exposita fuit, præsertim si validioribus etiam vtamur, tractari debet. Vt non sit opus hîc nos nouam curandi rationem proponere.

DE SVPERFICIEI CORPORIS DOLORE.

CAPVT XVII.

Genera.



SVPERFICIEI corporis dolorem illū appellamus, qui in corporis cute seu corio, illiq; proximè adnexis quibusdam partibus extimis & intimis, cuti substratis, (quo nomine hîc potiùs quàm in habitus corporis dolore proponuntur) occurrit. Cuius genera plurima sunt, variantia primùm, quòd aliàs nullo apparente alio affectu, sed solitarij; aliàs verò alio aliquo comitati, molestiam doloremve pariunt.

Solitarij nullo alio affectu apparentes dolores in superficie corporis. Titillatio. Inter solitarios superficiei corporis dolores, nullo alio affectu se manifestāte, primùm se offert Titillatio dicta, quæ quidem, etsi voluptatem aliquam adferre videatur, tamen immodica molestiam adfert, eamque sæpè adeò magnam, vt illam etiam diutius

tiùs citra detrimentum perferre nequeant. Veluti in plantis pedum, sub axillis, aut in lateribus facta: quæ etiam aliis in locis incommodat.

Pruritus. Huc & Pruritus in cute, citra notam manifestam eueniens, pertinet; Qualis in cute nuda hincinde, scabiem aliosque illius affectus pręcedit; Et in partibus pilosis, vt in capite, locis obscœnis, variis de causis, vti dicetur, accidere solet, tantamque molestiam parere, vt & ad fricandam dilacerandamque cutem, vnguibus aliόve impellat: vnde adeò leuantur, tantaque voluptate afficiuntur, vt dolorem, qui à læsione illa alioquin procederet, minimè sentiant.

Dolor ex calore. Sunt & alij dolores in superficie corporis, sine affectu alio se patefaciente, à causis externis plerunq; nati; Qualis ille est, cùm ab externis calore violento, vel exercitio, citra inflammationis aut vstionis sensum, cutis aliquandiu calet, nōnunquam & prurit, punctionesque sentit, quem Calidum dolorem vocare possumus. Quò & calor in vola manuum & plantis pedum, quibusdam consuetus, referri potest.

Dolor ex frigore. Dein & ille, cùm à frigore vehementi, partes huic expositę, mordicantem & lancinantem in superficie dolorem sentiunt, quem Frigidum dolorem nominare licet. Inprimisque ille, qui à frigore obortus, in digitorum extremitatibus sub vnguibus tantopere sæuit, & priuato nomine Kuenegle:i/quasi kül vnder den Neglen/hoc est, Frigus sub vnguibus dicitur.

Dolor ex contactu rei asperæ. Quò & refertur molestia, ex contactu rei inæqualis & asperæ in cute, percepta: Dolorque inprimis Lancinans, qui quando citra læsionem manifestam, cutis nostra præmitur distenditurque, aliquandiu sentitur.

Dolor ex compressione vel distentione.

Dolor ex contusione. Maximè verò hic dolor qui ex casu vel ictu, ob vim violentam, aut contusionem alicuius partis, citra læsionem apparentem in corporis exterioribus alicubi, punctionibus aut lancinatione grauiter sępè molestat, Qui tamen, cum plerumque læsionem aliquam externam iunctam habeat; Nos in tumore & vulnere, quæ tunc cum dolore hoc concurrunt, quo pacto hisce mederi oporteat, simul explicabimus.

Qui alium affectum aliquem & characterem comitem habent dolores, vel ob rubores aut tumores, vel pustulas aut exulcerationes (quo nomine omnem solutionem continui comprehendimus) vel corruptiones præcipuè notantur & distinguuntur.

Erysipelas Rotlauff/ Karfunckel/ Germ. Cum rubore & dolore affectus citra extuberantiam manifestam, aut tumorem, si se offerat, Erysipelas, Germanis à colore, Rötе/ Rotlauff/Karfunckel dicitur, & pluribus naturis sæpè per paroxysmos accidit. In quo cutis superficies, frequenter in imo tibiarum, nonnunquam in facie, aliàs in collo, interdum & in aliis locis, rubore plus minúsve expanso, perfusa apparet. Quæ rubedo ex compressione refugit, eaque remissâ, mox redit: Atque perseuerans aliquandiu, tandem flauescere incipit, mox pellere, donec penitùs euanescat. Cum ardore insuper, ac si cutis leuiter vreretur, euenit, ob quam causam Phlogosin, quasi flammam, alij Ignem sacrum vocarunt: & quia punctiones simul adsunt, Spinam Auicenn. nominauit. Quibus tandem pruritus superuenire solet. Atque interdum cuticula vel sponte, vel ob frictionem finditur, vel fissa surfurum instar abscedit aut abraditur. Adhæc in vicinis huic affectui locis, glandulæ plerunque, accedente interdum dolore aliquo, intumescunt, vt si in inferioribus sit, in inguine adenes, si in superioribus, in collo glandulæ. Febris præterea synochus cum horrore incipiens, & mox in calorem desinens, vt plurimùm erysipelas præcedere, & die vno pluribúsve comitari solet, sicuti in febribus hoc declaratum fuit. Sed & sine febre erypelata, vti illic quoq; dictum, vel cum leui saltem, aliquando fiunt.

Phlogosis, Ignis sacer.

Erysipelas phlegmonodes. Præter erysipelas hoc simplex, compositę duæ occurrunt species. Quarum vna per cætera simplici similis, sed cui extumescentia quædam, sed dispersa, nec dum collecta in tumorem verum, copulatur, Erysipelasque Phlegmonodes tunc dicitur. Quod aliquando eodem modo vti priùs, sed tardiùs finitur: Aliàs verò in eo pustulæ erumpunt, interdum & vesicæ maiores, aliquando in ambitu liuidæ, vel etiam nigricantes, è quibus ruptis sanies promanat, parsq; exulcera-

Erysipelas exulceratum.

ceratur, fitq; tunc Eryſipelas exulceratum, quod in peruerſa ſæpe deſinit vlcera depaſcentia, qualia in vlceribus deſcribētur, quæ in gangrænâ non bene gubernata, conuerti poſſunt.

Eryſipelas œdematoſum. Altera verò ſpecies minori ardore & rubore ſe offerens, extuberantiâ tamen maiore magisque expansâ, Eryſipelas Oedematodes dicitur, in quo veſicæ quoq; interdum prodeunt ſubalbidæ, è quibus apertis seroſus humor, vel ſanioſus, tandemque pus effluit. In hac ſpecie, licet eryſipelas ceſſet, extumeſcentia illa œdematoſa ſæpe diu adhuc permanet, nonnunquam & vix penitùs poteſt abigi, & in crura verè œdematoſa, in illis qui ſæpe hoc affectu conflictantur, deſinit.

Eryſipelas in cruribꝰ aſciticorum. Sed &, ſi eryſipelas in cruribus iam priùs œdematoſis humore prauo imbutis, præſertim in aſciticis naſcatur, vti hoc facile fit, tūc in veram inflammationem, quæ in gangrænam, niſi ſummo ſtudio caueatur, mutatur, ſæpiſsimè deſinit.

Eryſipelata parua. Parua quoq; eryſipelata, macularum rubrarum latarum inſtar, cum ardore & rubore, citra eleuationem aliquam, in certis cutis ſedibus, nata vidimus.

Tumores ſuperficiei corporis. Cum tumore & dolore affectus in corporis ſuperficie ſe offerentes, in eo præcipuè differunt, diuerſaque inde prodeunt genera: Quòd ex illis alij frequentiores exiſtant, & vel plurimùm & per ſe incipiant: ac nunc indiſcriminatim hinc inde in diuerſis corporis ſedibus: alias verò in certis quibuſdam duntaxat partibus externis prodeant, qui Tumores in genere appellantur: Vel quòd iam dictos tumores ſequantur, ex illisq; naſcantur, Abſceſſus appellati: Alij verò inſoliti, rariùs eueniant, & ab his longè diſtent, vti Cancer vocatus. De quibus omnibus hoc ordine agemus.

Phlogoſes. Frequentiùs qui ſe offerunt, & per ſe nullo alio prægreſſo tumore, indifferenter hinc inde in cute erumpere ſolent, Tumores dolorifici, plerunq; collecti ſunt & prominentes, in profundum plùs minúſve vergentes, rubentes, calore, ardore, tenſione, pulſatione, dolorem adferentes, vnde ad Phlogoſes quoque referuntur, ſicque in genere appellantur.

Phlegmone Inflāmatio. Horum autem vnum genus expanſum etiam nonnihil eſt, vt eryſipelas, in tumorem tamen ampliùs, quàm illud quod etiam nonnihil eleuatum eſſe diximus, collectum, prominens, & radicibus altè defixum, quod Phlegmone, Inflammatio in genere appellatur, Germani Geſchwulſt vocant; in qua tandem remiſſo rubore doloreque, cutis flaueſcit, liuet, & ſugillationes profert, donec penitùs tumor ſubſideat & euaneſcat: nonnunquam verò dolore tunc aucto, in tumorem alium magis collectum, abſceſſum, eoque rupto in vlcus conuertitur: vel ſcirrhum poſt ſe relinquit, aut in gangrænam, vti ſingulis hiſce dicetur, deſinit.

Phlegmone eryſipelatodes. Sed & præter hanc plegmonem, quę ſimplex eſt & dicitur, aliæ quoque duæ compoſitæ illius ſpecies ſe offerunt, quarum vna, eryſipelas extuberans conditione ſuâ & formâ referens, niſi quòd maior hìc eſt tumor, Phlegmone eryſipelatodes dicitur: altera, in qua tumor maior, latè ſe extendens & amplus eſt, minùs cæteris calens, rubens & vrens, Phlegmone œdematodes dicitur.

Phlegmone œdematodes. Cæterùm eiuſmodi phlegmone, ſiue ſimplex aut eryſipelatodes aut œdematodes ſit, vndique in corporis trunci, artuumque ſedibus gigni poteſt. Et ſi in facie prodit, illic aſpectum præbet deformem; ſi ad ſenſuum organa pertingat, illis quoque incommodat: Si in collo naſcatur, & ad fauces aliquo pacto vergat, reſpirationi officiens, anginæ quandam externam ſpeciem conſtituit: Vti &, ſi in pectore proueniat, & profundior ſit, ad falſam aliquam pleuritidem referri poteſt: Et ſi in abdominis aliqua ſede ſe offerat, & in aluum deſcendat, deiectione moleſta eſt: In manibus & pedibus occurrens, illis dolorem & incommodum parit.

Tuberculum. Aliud genus horum tumorum ſeu phlegmonum, magis adhuc collectum, acutum, per reliqua inflammationi ſimile, inuenitur, dictasque corporis omnes ſedes occupare poteſt, quod quia minùs cæteris inflammationibus eſt, Tuberculum potiùs quàm tumorem appellant. Cuius vna ſpecies frequentiſsima eſt, nucis iuglandis, plus minúſve magnitudine præditū, quod Germani Eyſſen/ vlcus, quia in illud plerunque

Eyſſen Gero

desinit, vocant. Talia diuersis in corporis locis vel solitaria, vel plura simul nascuntur, plus minúsve protuberantia, & rubore amplius vel parcius perfusa, dolore lancinante & ardente molesta: quo adaucto, in abscessum plerunque desinunt, qui postea se aperiens, in vlcus abit, & prout vel pus album aut cruentum profundit, illa simpliciter Eyssen/hæc Blutenssen appellant. Et si loco puris, lobus carneus inhærens se manifestet, priuatim tuberculum, è quo vlcus hoc prodiit, quòd & maius ferè cæteris, & rubore & ardore plus quàm priora excruciat, Furunculum, Dothien vocant, quem alij Clauum ab infixa carne appellãt, nostri chirurgi, quia tardiùs sanatur, ob pertinaciã illius, Krebslin/quasi Cancrum paruum nominant.

Blutenssen German.

Furunculus Dothien. Clauus. Krebslin Germ.

Ad tumores qui frequentiùs hinc inde in corpore prodire possunt, hi quoque referuntur, qui à causa à qua prodeunt, Cõtusiones, vel Ictus aut Casus appellantur, in quibus tumor nunc collectus, nunc diffusus, plus minúsve in altũ eleuatus occurrit, aliquando sine inflammatione, aliàs verò cum illa eueniens, nunc concolor, interdum verò mox tardiúsve liuens, flauescens, vibices & sugillationes profert, tandemque euanescit, aliàs verò in abscessum, indeq; in vlcus vergit. Quæ contusio si vulnus apertum parit, ad vulnera (vbi tractabitur) pertinet: Quòd si ex contusione vel casu dolor, nullo apparente tumore aut externo indicio, suboriatur, ad dolores in superficie corporis occurrentes, vbi explicabitur, relegabimus.

Tumor ex contusione.

In certis quibusdam partibus in superficie corporis positis, tumores cũ dolore prodeuntes, in Glandulis frequentiùs occurrunt, illis præsertim, quæ in emunctoriis corporis positæ, cuti mox substernuntur: quæ in tumorem aliquando vnà cum cute attolluntur, cum dolore, accedente interdũ & calore, aliàs etiam inflammatione. Quæ si accedat, nisi resoluatur, in abscessum, vti reliquæ, indeque in vlcus desinit. Quem tumorem, vbicunque sit, si adsit inflammatio, Phygethlon & Panum vocant. Et si minor aliquando sit, & planior minusque rubens & dolens, Phyma appellatur, quia & citiùs augetur & in abscessum vergit. Eiusmodi tumor post aures quandoque erumpit; tuncq; priuatim Parotis dicitur, in magnum tumorem sæpe excrescens: Aliàs in ambitu maxillæ inferioris prodit, & Pani cõmune nomen retinet, in febribus synochis frequenter eueniens, vnde eum quoque, etsi non semper rubeat, Germ. Karfunckel vocãt. Sub alis quandoque nascitur, nunc magis, nunc minus prominens, & qui in abscessum non tam facilè vertitur, qui Pani quoq; nomine significatur, plerunque tamen etiam Bubo nominatur. In inguinibus frequentissimè ille prodit, & tunc Bubo appellatur, qui interdum vnicus est, aliàs plures adsunt. Horum alij simpliciter dicuntur: alij ob causam, luem comitem, Venerei, Germ. Schlier: alij à febre maligna illis copulatâ, Maligni, vel si febris pestilens sit, Pestilentes, qui exigui ab initio sunt, mox admodum increscunt, comitemque sæpe anthracem habent.

Tumores Glandulorum.

Phygethlon.

Panus. Phyma.

Parotis.

Bubo.

Bubo venereus, Schlier Germ.

Bubo malignus, & pestilens.

In glandulosis quoque maioribus partibus, è superficie corporis prominentibus, veluti mamillis & testibus, tumores eiusmodi extrinsecùs apparentes, prodire, vt in iam dictis glandulis, solent, quando horum corpora inflammantur, tument, calent, rubent, dolent (nam si cutis saltem phlegmonem pariatur, ad generalem pertinet) diciturq; tunc Mamillarũ vel Testium inflammatio, quæ sæpe in durities vel scirrhos abit; vel quando citra manifestam inflammationem hæ partes tument, distenduntur & dolent, vti & aliæ glandulæ; sicuti mamillis in affectu, quem lactis extuberantiam vel concretionem vocant, & testibus, aliis quoque (vti dicetur) de causis, vt in colico dolore, aliquando euenit.

Tumores Mamillarũ & Testium.

In fungosis partibus corporis superficiei eiusmodi inflammationes, similiter fiunt; vt in papillis mamillarum, quæ tunc tument, rigent, calent, posteaque vlcerantur, sæpe penitùs deperduntur: In Penis glande, cuius inflãmatio eam in tumorem maximum quandoq; eleuat, adeò vt præputium retractum arctè circa radicem, eandem stringat. In Præputio item: In Pudendo mulieris, colliculi atq; alæ; In Podice labra illius, cutisq; rugosa eum ambiẽs: In Ore, labia (de Palpebrarum inflãmationibus in ophthalmia dictum

Tumores cum inflammatione diuersarũ partium.

ctum est) inflãmationes recipiunt; cũ dolore ob sensum eximium, vehementi: quæ in vlcera peruersa & gangrænas quãdoq; abeũt.

In cartilaginosis partibus superficiei corporis, vt Narium alis, Aurium vanno, idem accidit, interdumq; hæ partes inflammantur, & si afficiantur grauiter, cartilagines ipsarum vitiatur, vnde nasus præsertim concidens, turpem præbet aspectum.

In articulorum sedibus, inflãmatio oborta, grauiore dolore & impedimento afficit. Qualis aliquando in iuncturis brachij vel cruris euenit, vnde articuli hi nõnunquam labem patiuntur. Sæpe etiam hoc in digitorum, manus frequentiùs, interdum & pedis, accidit internodiis, extremo præsertim, dolore intensissimo & tumore circa radicem vnguium obortis: vnde & inflammationem hanc ob id Paronychiam, Latin. Reduuiam, Barbari Panaritium vocant, quâ inualescente, sphacelus sæpe sequitur, atque ossis extremi, nonnunquam & alterius digiti hoc malo affecti corruptio, per quam osse corroso, denudato vel ablato, cùm neruorum & tendinum portiones læsæ conspicuæ fiant, vulgus vermes esse putans, hunc affectum Vermem, Germani Wurm nominant, eoque magis, quia in dolore aliquid quasi repere, in parte, dum inflammata erat, & in abscessum conuertebatur, videbatur. Præter hanc inflammationis iuxta digitorum internodia, alia quoque priuatum nomẽ, quia sæpe accidit & noxam aliquando adfert, obtinuit, quæ in manu inter pollicem & indicem nasci solita, eo in loco excruciat, tumoremque magnum profert, quem, quia in interstitio hoc digitorum latet, Germani Grippelen/ ac si Furcas, nominant.

Paronychia. Panaritiũ, Wurm Germ.

Grippein German.

Abscessus tumor est, qui alios tumores in superficie corporis natos, modò expositos, sequitur, sic dictus, quòd cutis à subiectâ carne abscedat, vnde & Græcis Ἀπόστημα nominatur, vulgus chirurgorum Apostema vocat, alij Vomicam appellant; Germani idem illi nomen, quod inflammationi, quæ abscessum hunc pretulit, tribuunt, & Geschwär/ Eyssen/ similiter indigitant. Eiusmodi autem apostema, ex inflammationum omniũ ferè generibus, vt in illis ostensum est, nisi resoluatur insensibiliter, nasci potest: Veluti ex Phlegmone in genere dictâ: ex Tuberculis mediocribus, quorũ abscessus Eyssen/ Bluteyssen/ Furunculus, vti & inflammatio vocantur: & minimis Gulen/ tunc quando in abscessum conuertuntur, dictis. Dein & ex Phygethlo, siue bubo aut parotis sit, citiusque si Phyma sit, abscessus gignitur. Item ex Mamillarum, Testium phlegmone, & cæterarum partium fungosarum, cartilaginosarum, inflammationibus, abscessus prodeunt: Et ex illis quæ in iuncturis fiunt, quorum abscessus hisce partibus plurimùm sæpe obsunt. E quorum genere, qui in Panaritio digitorum nascitur, est quoque abscessus peruersus, absconditus, eas sedes neruosas ossaque corrumpens. Qui omnes abscessus, à tam diuersis inflammationibus prodeuntes, pro ipsarum ratione quoque diuersimodè se habent. Aliàs enim, si inflammatio sit superficiaria, prout illa se habet, tumor maior minórve existit, circumscriptus, collectus & prominens, ab initio retinens & durus adhuc, sed qui sensum maturescendo mollescit, & apicem seu mucronẽ liuescentem, quem proin Oculum vocant, illic vbi pus sibi exitum parat, promit, qui si comprimatur, pus illi subesse, ex fluxu refluxuq; deprehenditur. Aliàs verò si ab inflãmatione, magis in profundo latente, abscessus fiat, tunc non adeò exactè se offert aut eminet: aliàs quoque aliquandiu penitus ferè occultatur, donec tuberculo erumpente, quod chirurgi Exituram vocant, se manifestet, quod cùm cuti concolor existat, cùm dubiũ an abscessus sit, faciat, hoc indicio pus sub eo contineri colligitur, quòd dolor illic adhuc sentiatur, & quòd roris instar madere soleat, eoq; presso pus retrocedere deprehẽdatur, foueaq; quædam imprimatur. Dolor autem, cùm inflãmatio in abscessum abit, non remittit, sed increscit potiùs, nec dũ, donec aperiatur, desinit, pruriente plerũq; quoq; tunc abscessu, quando pus ex eo erumpere nititur. Nec febris quoq; si inflammatio comes sit, tunc cessat, sed dum abscessus, seu (vt inquit Hippoc.) pus generatur, vnà cũ dolore augetur. Materia insuper quam abscessus coërcet, non eadem, sed postquam aperitur,

Abscessus. Apostema. Vomica.

Exitura chirurgorum.

vel pus aut saniem profundit, vel carnis lobum infixum, vt furunculus continet, sicuti in vlcere, quod tunc adest, ostendetur.

Cancer Carcinos. Cancer tumor est, qui per se quoq; in corporis superficie exoritur, malignitate potiùs quàm intenso dolore molestus. Ob quam causam multos alios peruersos tumores, & pustulas, sicuti & furunculum & carbunculum, chirurgi nostri cancros quoque nominant: Vti & tumorem sub oculo in illius orbita natum, polypum in naribus, & gangrænam gingiuarum, vlcera præputij cancros vocant. Atque elephantiasin, plures partes tumoribus obsidentem cancrum generalem esse dicunt, sicuti in singulis hisce affectibus dictum fuit. A' quibus tamen verus cancer longè differt, Carcinos dictus, à Germ. Kreps. *Lupus, Noli me tangere.* Qui & Lupus, quòd carnem absumat, & Noli me tangere, quòd acria nõ ferat medicamenta, dicitur. Hic extrinsecùs in omnibus ferè corporis locis nasci potest, eumque tum in femore, tibiis, circa genu, in brachiis, collo, ceruice, in facie, in mamillis, frequentissimè, & in pudendis, atque ore vti intrinsecùs, sic & in labiis prodire, sæpe obseruaui. Tuberculo exiguo vix dum conspicuo, ab initio emergit, mox ad pisi, inde auellanæ, postea nucis, tandem ad pomi minoris maiorisque magnitudinem sensim excrescit, cancrum verum dictum, vnde nomen obtinuit, apposite sua circumscriptione & formâ referens, non astacum, quem cancrum nostri quoque vocant, & venas in eo cancro, pedibus illius assimilantes, inde cancrum appellari falsò putant: sed verum cancrum, eumq; potissimùm marinum, quẽ Gallum marinum aliàs vocant, cùm vti ille, sic & hic tumor rotundus sit, inæqualis, tuberculis quibusdam extuberans, & venis in ambitu turgidus, calore liuidus & obscurus, durus insuper, duraq; veluti crustâ, vti cancer, obductus, firmiterque parti subiectæ hærens; vnde quoque, quòd quicquid apprehenderit, pertinaciter retineat, eum cãcrum appellatum Archig. putauit. Dolorem alioquin cancer ab initiò ferè nullum, aut contemnendum saltem adfert, vnde & tunc nihili quasi æstimatur, negligiturque, punctionibus tantùm quibusdam cutis, ac si acu fierent, se patefaciens, quæ tandẽ vnà cum tumore augentur atque increscunt.

Cancer exulceratus. Carcinoma. Tandem verò tumor hic cute aperta retractaque denudatur, tuncq; Carcinoma dicitur seu Cancer exulceratus. E' quo sensim sanies putris, fœtida, subflaua vel subuiridis, mox nigricans continuò emanat; caroque inæqualis & corrupta nonnihil apparet, quę excrescit, & strias vel styrias procul exertas & prominentes vel pendentes profert. Quã, labia tumescentia, dura atque inuersa ambiunt; quæ interdum adeò augentur, vt reflexa magnam faciei partem occultasse, aliàs in collo totam auriculam illi veluti innatam continuasse, obseruauerim. Sanguis, quoties nudum carcinoma relinquitur, ex eo defluit. Vnde tandem viribus ad longum tempus sensim perfractis, accedente sæpe febre lentâ, consumuntur & succumbunt.

Pustulæ superficiei corporis. Cum pustulis, quæ minores adhuc sunt quàm tubercula enarrata, se in superficie corporis offerentium affectuum, pruritu vel ardore cum inflammatione, vel sine eâ, dolorem adferentium, atq; cutem rodentium, vel etiam vlcerãtium, præcipua genera sunt Scabies, Papula & Carbunculus, quæ diuersas sub se continent species, sicuti iam explicabitur.

Scabies seu scabrities sic dicta, quia cutem scabram & crustâ obductam, diuersis certísve in locis reddit, in eo primùm differt, quòd alia humida, alia sicca existat, sicq; appellari possit.

Scabies vulgaris, humida. Raudt Germ. Humida scabies ea dicitur, quæ pustulas, saniem & pus reddentes, profert. Cuius vna species, quia popularis est, Vulgaris scabies nominatur, Germani Raudt/ & scabiosos à fricando Kretzig/ vocant. In hac pustulæ Ephelides appellatæ, plures oriuntur, è quibus ruptis, sanies emanat; vel si leuiter inflammatæ, rubentesque, in abscessus quos Gülen vocant, conuertãtur, pus vlcusculaq; inde relicta, crustulis ex humore illo resiccato natis, obducuntur, quæ nunc liuent, nunc nigricant, alióve modo coloratæ existunt. Hac scabiem pruritus præcedere, illiq; quoque cùm ad frictionem impellendo pustulas euocet, demumq; rumpat, occasionem præbere solet. Quem postea cute læsâ, dolor lanci-

lancinans, quem Schmirtzen vocant, excipit; & si pustulæ simul inflammentur, ardens simul accedit dolor. Estq; hæc scabies adeò frequens, vt vix aliquis inueniatur, qui ab ea immunis per totum vitæ curriculum extiterit: in vniuerso corpore vel certis partibus obuia.

Scabies Fera, agria, Herbroten German. Est & alia humidæ scabiei species minùs frequens priore, sed quæ pertinacior est, in qua pustulæ paruæ plures cutem alicubi adimplent, è quibus per se, vel ob fricationem ruptis, humor tenax, mellis instar, continuò exudans, crustis multis continuis spissis, nunc albis, nunc subflauis, nonnunquam & subuiridibus, tandemque nigrescentibus, totam sedem quam occupant, obducit, vlteriusque serpit, pruritu admodum molesta, nonnunquam & ardore. Quam scabiem Feram seu Agriam aliqui vocarunt; nostri Germani eam, cùm pars affecta, ac si crustâ panis tosti, cui pili inhærerent, obducta esset, appareat, den Herbroten/ rectiùs Horbroten appellant, vel ac si assando aut frixãdo coaluissent, zusammen bachen dicunt. Qualis infantibus plerunque, in adultis rariùs, capitis pilosam sedem, sæpe vniuersam, pilis, crustis immersis impactisque, occupat: aliquando supercilia, malas faciei, totamq; ferè faciem obsidet, eamque turpiter defœdat: aliàs in aliis quoque sedibus occurrit.

Vlcera capitis manantia. Tinea, Achores Græcorum, Grindt Germ. Est & præter hanc, peculiaris quædam capitis cuti capillis consitæ, scabiei species, hanc solùm infestans, & multis foraminibus angustis ad caluariam vsque perforans, è quibus sanies glutinosa, cuius portio siccatæ, crustam quæ singulis obducitur, parit, continuò emanat; ob quam & causam, hæc foramina cùm vlcera sordida referant, Vlcera capitis manantia, Achores Græci nominant, & cùm exesum pannum à tineis, cutis hæc referat, Tineam hoc malum vulgò appellant, Germani. quòd capiti insidietur, den Grindt/ quem affectum nos Scabiem capitis manantem vocare possemus. Et si foramina ampliora sint, & mellis instar saniem profundant, ad fauorum apum similitudinem,

Fauus. tunc Fauum nuncupant. Hic affectus peruersus & frequens in iunioribus, capillorũ radices, quæ euulsis pilis albæ, crassæ & lentæ visuntur, vitians, defluuium capillorum certis in locis parit, vnde & postquam sanati sunt, areas in capitis certis, vel pluribus locis nudas relinquit, turpemque capitis huius sedis intuitum præbet.

Ad scabiem humidam aliæ pustulæ referri possunt, crustam in cute quoque producentes, humoremque exudantes. Quarum aliquæ cum maiore inflammatione & exulceratione, quàm in priore scabie proueniũt. Quales sunt pustulæ, quos Terminthos, qui lupini aut ciceris magnitudinem habent, vocant, Germani Hundsblatern. Suntq; nigræ, rotundæ, in ambitu rubræ admodum & inflammatæ, ardore molestæ, in crustam mox desinentes: quâ detractâ aut eleuatâ, pus emanat. In pedibus frequentiùs, eæque plures numero erumpunt, quod & Galenus notauit, qui eas, sicuti nostro fœmineo sexui præsertim peculiares & vulgares sunt, apprimè describit; quas aliqui Phymatis etiã speciem esse voluerunt. *Terminthus, Hundsblatern Germ.*

Hisce pustulis non admodum absimiles sunt, quas Epinyctidas vocãt, pustulæ eiusdem cum terminthó magnitudinis, liuescentes & in circuitu vehementer rubentes, summeque noctu præsertim vrentes, tandemque in vlcus conuersæ, saniem & mucosum pus reddentes. *Epinyctis.*

Sed & pustulæ aquosæ Phlyctenæ appellatæ, sub scabie humidâ comprehendi possunt, cùm illis ruptis, crustæ quoque nascantur, dolorque suboriatur. Sunt autem pustulæ paruæ instar bullarum, vel maiores etiã, vt vesiculæ, è quibus disruptis aqua limpida effluit, dolorque tunc primùm lancinans, præsertim ex contactu cutis denudatæ, crustaque tandem inductæ, accedit. Quæ vndique in cuticula nasci possunt. *Phlyctena.*

Sed & aliud illarum est genus, bullis citrinis conspicuum, pruritu & feruore etiam, dum integræ sunt, aliquo modo molestæ, è quibus apertis, aqua citrina promanat, magnusque tunc ardor, accedente sæpe inflammatione suboritur, pars exulceratur, vlcusq; interdum serpit. Quem affectum aliqui Herpetem phlyctenodem vocant. *Herpes phlyctenodes.*

Scabies sicca. Scabies sicca seu scabrities, ad differentiam tumidæ, illa appellatur, quæ pustulis siccis, è quibus nec sanies nec pus emanat,

se prodit, cutemque asperam reddit & erosam, cum pruritu plus minúsve molesto. Quæ duas sub se species comprehendit; vnam, in qua summa cutis, pustulis minimis, aridis exasperata, rubra admodum & erosa apparet, aliàs Leuiter tantùm, aliàs verò ampliùs, adeò vt maiori spatio cuticula abrasa esse videatur, serosusque humor exudet, madoremque reddat, cum pruritu intolerabili, vnde & Prurirus seu Prurigo, Chrismos Græcis nominatur. Et à quibusdã Impetigo, ab aliis Psora Græcorum, quam scabiem vertunt, esse putatur. Egoque existimo hanc esse illam, quam Rubricam nonnulli appellant. Qualis circa emunctoria, in inguinibus, & sub axillis, in brachij & genu flexuris, in collo frequentiùs, solet accidere.

Prurigo, Chrismos Græcorum.

Altera species Scabiei siccæ, deterior est, cutemque magis afficit, quam Fœdam & siccam Auicenna vocat, Germani Mager / fortè quia in ea plùs corpus sensim macrum & aridum fit. Quæ species per se primùm oritur, vel ex herpete seu papula exedente non curatâ, originem sumit. Et primùm ampliùs adhuc, quàm prurigo pustulis maioribus, & erosionibus cutem exasperat, & siccam reddit, latiusque serpit; quæ Impetigo propriè, Lichen Græcis appellatur, per crura & brachia se potissimùm latè dispergens, aliquando & vlteriùs procedit. Interdum peior facta, pustulis serpentibus; cutem adhuc magis exasperat, duriorem & tumidiorem efficit, eamque exedit finditque, à qua per frictionem furfures excidunt, & tunc Psora à Græcis appellata fuit, vti & nunc rectè sic vocatur: Non solùm pedes & brachia, sed & alias corporis trunci sedes, collumque præsertim & faciem nonnunquam infestans, & capillosam capitis cutem spissam, duram ac veluti luto vel calce obductam, à qua crustæ siccæ, dum fricatur, decidunt, aspectu horrendam reddens, vngues quoque duras, & scabras gignens. Quæ si vlteriùs procedat, pessima fit, cutem adhuc altiùs scindens atque rodens, ita vt squamæ crassiores tunc ab ea, nunc subflauæ, nunc liuidæ decidant; hæcque Lepra Græcorum existit, sicque ab illis appellata fuit; non tamen elephantiasis, quam Arabes lepram quoque vocarunt, cùm hæc inter se admodum differant, licet eos qui hoc vitio infecti sunt, elephantiacos esse, sæpe, qui hæc distinguere non norunt, cùm examinibus subjiciuntur, pronuncient, eo fortè moti, quod curari sicuti elephantiasis, non possit, aut si curetur, iterum redeat, nec minùs aspectum horrendum, quàm elephantiasis, si modò nasum depopulata sit, præbeat; nos ne, si lepram vocaremus, cum elephantiasi, quæ, vt dictum, communiter sic vocatur, cõfundamus, eam Psoram deteriorem vocabimus.

Scabies fœtida, Mager Germ.

Impetigo, Lichē Græcorum.

Psora Græcorum.

Lepra Græcorum.

Papula Latinis, Herpes Græcis, pustulis minimis alicubi in cute erumpentibus, cum pruritu primùm, mox ardore vrente, citra tamen inflammationem, aut febrem comitem, se profert. In quo, licet pustulæ arescant & sanentur, nouæ tamen in illorum ambitu emergunt, ac si priores in orbem se diffunderent serperentq;, vnde & herpetis nomen hic affectus obtinuit. Qui variat in eo, quòd aliàs in summa duntaxat cute pustulis milij seminis magnitudine referentibus, se repræsentat, Herpesq; miliaris tunc ob id, à Germanis Zittermahl appellatur: qui licet, vti dictum, quoque serpat, citiùs tamen desinit.

Papula, Herpes Græcorum.

Herpes miliaris Zittermahl Germ.

Alias verò aliæ pustulæ paruæ siccæ, altiusq; in cute immersæ prodeunt, illisq; ruptis, cutis exulceratur, nec saniem tamen aut pus reddit, & licet illic rursum sanetur, tamen aliis denuò pustulis erumpentibus disruptisque, noua vlcera arida quoq; emergunt, herpesque eo modo serpit, & in latum altumq; se dispergens, repit cutemq; exedit. Quem herpetẽ, qui aliquando non vno solùm, sed & pluribus in locis erumpit, Esthiomenum, Exedẽtem & Papulam feram, Germani den Wurm / à rependo & rodendo nominãt. Qui si negligatur, & diutiùs perseueret, in impetiginẽ, & ab ea in psoram, indeq; in lepram dictam Græcorũ, non elephantiasin conuerti potest. Hic herpes, quamprimũ exulceratur, erysipelati exulcerato, in quibusdam non absimilis, pro eo quandoq; sumitur, atq; vt erysipelas illud, Ignis sacer seu syluestris nominatur, à quo tamen in eo differt, quòd erysipelas subitò cum inflãmatione, rubore & febre oriatur, & cùm exulcerari vult, pustulas maiores, aliàs etiã magnas & ve-

Papula fera Herpes esthiomenos Græcorũ Wurm Germ.

Ignis sacer seu syluestris.

& vesicas excitet, vlcusque in illis disruptis sequatur humidum: quæ in herpete, vti dictum, minimè fiunt, vlceraq; in eo sicca, nec saniem nec pus effundunt.

Carbuncul⁹, Carbo, Anthrax Græcorum. Ignis Persicus.

Carbunculus vulgò, Anthrax Græcis, pustulas profert plures, paruas, illis quæ in ambusta cute emergunt, similes, summè vrentes, vnde Ignem vocant, eumque Persicum, cùm illic consuetus sit: quibus mox succedit crusta nigra, carbonis instar, ob quã causam, & quia vrit, Carbo rectiùs quàm carbunculus, ob ruborem qui in ambitu amplo circuitu apparet, dicitur; sub qua crusta, suppuratione factâ, non pus, sed lobus carneus niger, subiectæ carni radicibus infixus, pertinaciterque hærens, consistit. Febris hunc affectum, vti dictum in febribus, quoque comitatur, viresque admodum ab hoc peruerso affectu concidunt.

Anthrax pestilentialis.

Est & alter Anthrax pestilentialis, quia in febre pestilentiali, vt illic expositum fuit, oritur, dictus. Qui cum pustula vna vel saltem non pluribus, phlyctenas aliquomodo vel clauos referente, primùm erumpit, accedente quoque aliquando in circuitu illius rubore, mox verò liuescit, virescit, vel nigrescit, tandem in crustam nigram, lobumque carni similem, vti prior Anthrax simplex, desinit. Dolorque in hoc non adeò vt in simplici grauis existit, sed ab initio pruritus saltem aliquis, cum ardore leui sentitur; mox verò corruptione factâ, cute carneque illic emortuâ, sensum omnem, sicuti sæpe obseruaui, amittit, & tandem à sana parte, relicto cauo vlcere, abscedit. Bubo quoque anthraci pestilentiali interdum comes, illique vel vicinus, vel paulò ab eo remotus, adest, sicuti in febribus pestilentialibus hæc prolixè sunt exposita. Vbi quoq; ostendimus, pustulam, qualis in principio anthracis esse solet, etiam non securâ febre pestiferâ, ex contagio pestis aliquando prodiisse, moxque iterum euanuisse.

Exulcerationes in superficie corporis.

Cum exulceratione (sic in genere omnẽ solutionem continui cum Hippocr. intelligentes; qui quamlibet Vlcus vocauit) affectus qui se offerunt; alij in superficie seu cute magis apparent, eamque diuidunt vel lædunt, quales sunt Fissura, Excoriatio, Vstio; alij profundiùs plerunque carnem simul attingunt, & ad ima corporis sæpe penetrant, vt sunt Vulnus & Vlcus; de quibus hoc ordine agemus.

Fissura, Rima, Rhagas.

Fissura seu Scissura, vel Rima cutis dicitur, quando secundùm ferè cutis lineas & plicas, prout illæ feruntur, vel in longum, latum aut transuersum, cutis finditur, & pro ratione profunditatis plus minúsve fiat: dolorque lancinans inde oritur. Quales fissuræ, in manuum volis & digitis frequentèr eueniunt, illicque impressa lineamenta sequuntur & diuidunt: Et in plantis pedũ aliquando simili ratione occurrũt, ac si circa cutem illius loci spissam eueniant, labia prætumida & dura habent. In orificiis itidem carnosis, labiorum oris & podicis, & pudendi in mulieribus, in papillis aliquando & in cutaneis integumentis, præputio & palpebris, plicaturæ illorum fibrosæ sæpe finduntur, & Fissuræ seu Rhagades harum partium dicuntur, sicut intrinsecùs linguam quoque findi, in oris internis vitiis exposuimus.

Pernio, Chimetlon.

Est & aliud genus rimarum seu fissurarũ, quando altiùs se immergẽtes, ob cutis crassitiem, labiis duris & prætumidis hiant, vlcerumque instar saniem reddunt, atq; in vlcera peruersa interdum desinunt; illudque genus Pernio, Chimetlon priuatim appellatur, à frigore summo in Pedum plantarum crassa cute, maximè in calcaneo frequenter eueniens; nonnunquam & in Manuum volis: aliàs & in Narium alis, & Aurium vanno & pinnis, à frigore vehementi, vt in causis dicetur, accidens.

Excoriatio, Intertrigo.

Excoriatio seu Abrasio aut Attritio, vel Intertrigo dicitur, quãdo cuticula seu illius portio aliqua superficiaria, à viua cute separatur & abscedit: vnde dolor lancinans, ex contactu præsertim oritur: à vulnere, quòd hîc cutis vera tantùm denudetur, in illo profundiùs lædatur, differens. Quales sunt variæ eiusmodi cutis intertrigines, à causis externis internisque productæ: Inter quas etiã illæ frequenter occurrunt, quæ equitantibus circa inferiora, & quæ ægrotantibus lecto diu affixis; ex decubitu fiunt cutis attritiones: atque infantibus ab vrina circa coxas, cutis abrasiones.

Alio-

Alio modo ſi cuticula tantũ abſcedat, nec dum adhuc veram cutem attingat aut denudet, cùm dolorem minimè, ſed turpitudinem potiùs adferat, alibi affectus hi explicabuntur. Qualis ille eſt, quem Furfures nominant, quòd furfurum inſtar cuticulâ contritâ decidat: Atque ille, in quo cutis craſſa ſquãmarum inſtar in vola manuum abſcedit & detrahitur.

Vſtio. Vſtio dicitur, quando cuticula vel cutis, nonnunquam & ſubiecta caro, ab actu potentiáve vrentibus læditur, interdum & aufertur. Differtque potiſsimùm in eo, quòd aliàs ſuperficiem tantùm inflammat, illique empyreuma imprimens, dolorem ardentem aliquandiu moleſtantem in ea parit. Aliàs verò grauiùs afficiens, cuticulamq; adurens, eam vt à vera cute eleuata in veſicam, ab ea abſcedat, illamque nudam relinquat, efficit: tuncque dolor qui abraſâ cute oriri ſolet, ardori copulatur. Aliàs etiam vlteriùs progreſſa, in vera cute eſcharam & cruſtam vrit; quibus ablatis, vlcus relinquitur: vel ſtatim cutem vrendo, nonnunquam & ſubiectam carnem ſimul, aliquouſque abſumit: tuncque ardor, punctiones doloresque longè grauiores accidunt, ſuperueniente interdum & inflammatione, & ſuppuratione factâ, vlcus ſæpe amplum ſequitur.

Vulnera in ſuperficie corporis. Vulnus ſolutio continui eſt in cute, vel partibus ſimul ſubiectis, à cauſa externa inducta. Cuius variæ occurrunt ſpecies: differentes primùm in eo, quatenus ſimplex eſt vulnus, vel compoſitum.

Simplex vulnus, nec dum aliis comitatum, aut commutatum, illud eſt, quod cæſim fit, & Plaga dicitur, eſtque ſectio in longum facta, magis minúſve extenſa & profunda, nunc æqualis, nunc inæqualis. Dein & vulnus punctim factum, quod Punctura appellatur: quæ nunc amplum, nunc anguſtum foramen efficit, & faciliùs in altum penetrat. Tertiò & hoc vulnus, quod Ictum ſclopeti vocamus, qui in momento corpus perforat, foramenque maius minúſque efficit, & in altum penetrat, parteſque inæqualiter diuidit contunditque, frangit nonnunquam & aufert.

Plaga.

Punctura.

Ictus à ſclopeto vel tormento.

Quæ omnia vulnera vndique in diuerſis corporis partibus poſſunt accidere, & cutem ſubiectamque carnem, membranas, neruos, vaſa, oſſa, vulnerare, membraque nonnunquam mutilare, aliquando & internas partes, vt cerebrum, pulmones, cor, ventriculum, inteſtina, veſicam, hepar, lienem, cæteraque viſcera ſimul lædere: & ob id pro horum diuerſitate, diuerſa quoque accidentia, inprimiſque ſequentia gignere.

Hæmorrhagia in omnibus tribus hiſce vulnerum ſpeciebus primùm ſe offert, eaq; larga, ſi amplum ſit vulnus, aut illic inflictum, vbi maiores ſunt venæ, maiorque adhuc, ſi ad arterias quoque pertingat: exigua verò, ſi leue ſit, aut venas ſaltem minores ſecet, vel punctura ſit anguſta, per quam ſæpe nullus ſanguis, vel nullius momenti prodit. Sed & fieri poteſt, vt licet inſignis & profunda ſit punctura, in pectus, abdomen, aliáſve cauitates internas adacta, cùm in ventres enarratos tunc ſanguis illabatur, nulla inſignis ſanguinis quantitas profundatur.

Sanies ſeu ſanguis ſero dilutus, ceſſante hæmorrhagiâ, aliquãdiu adhuc exudat, madetq; plus minúſve poſtea vulnus: aliquando & ſordeſcere incipit & purulentum fieri, tuncque vlceris naturam induit, atque in illud conuertitur, variatque, ſicuti in vlceribus explicabitur.

Materia alia aliqua nõnunquam per vulnus egreditur: Vt cibus & potus, læſo ventriculo: excrementa alui, ſi inteſtina vulnerentur; Vrina, ſi veſica; vel Pars aliqua corporis interdum per vulnus prolabitur, vt cerebrum in capitis, pulmo in pectoris, lien, hepar, inteſtina, in abdominis vulneribus, aliáve in aliis.

Dolor ex quouis vulnere ſuboritur, nunc leuis, nunc vehementior, pro ratione vulneris, geminaturque ſi pars ſummè ſenſilis ſimul lædatur, cùm multæ partes ſine ſenſu læſæ, dolorem minimè ſentiant.

Intumeſcit quandoq; etiam citra inflammationem pars vulnerata, aliàs verò marceſcit, alióve modo deformatur, vel etiam mutilatur.

Functionum aliquarum læſiones vulneribus ſæpenumerò iunguntur, vt in vulneribus membrorum Conuulſiones, Reſolutiones,

tiones, Spasmi, Contractiones, &c. & si interna viscera lædantur, alia grauia & enormia plerunque symptomata: sicuti in functionum læsionibus hæc descripta fuerunt.

Vulnus cōtusum, Cōtusio. Ab hisce vulneribus, cæsim, punctim vel per ictum factis, diuersum est, quod per contusionem ab ictu vel casu factum, Contusio dicitur, ea scilicet, quæ non tumore solo, vel etiam sine hoc, tantùm cum dolore se offert, sicuti in tumoribus priùs eam descripsimus, sed quæ vulnus manifestum effecit, & proin huc ad vulnera refertur. In qua, cutis, subiectæque interdum partes inæqualiter plus minúsve contusæ, scissæ vulneratæque apparent: sanguisque vel nullus, vel saltem paucus emanat; pars in circuitu vulneris intumescit, & vti in contusione, tumorem saltem proferente dictum, eodem modo coloratur, faciliusque suppuratur, & in vlcus conuertitur.

Ad contusionem, vulnera quoque reduci possunt, quæ partim contusa, partim secta vel puncta sunt; qualia ab obtusa acie, proueniunt; & morsu hominis vel animalium *Morsus.* accidunt. In quibus plura sæpe propter dentes infliguntur vulnera, eaque si dentes longi canini sint, vt canis, lupi, apri, profunda, inæqualia, carne simul à latioribus dentibus contusâ; quibus vulneribus inflammatio facilè accedit, peruersaque inde sequuntur vlcera.

Vulnus Phlegmonodes. Præter hæc vulnera, alia aliis vitiis accedentibus comitata, composita fiunt, vt si vulneri iungatur inflammatio, tuncq; vulnus Phlegmonodes nominatur, quæ rariùs huic quod cæsim, frequentiùs illi, quod punctim, aut ab ictu sclopeti, maximè contusim fit, accedit: vnde & tumor vlceri copulatur, dolorque nouus suboritur, quæ si augeantur, in gangrænam conuerti possunt.

Vulnus in vlcus degenerans. Vel si vulnus accedente pure, aliísve sordibus aut humoribus, sordidum fiat, alióve modo vitietur, aut alioquin corrumpi vel putrescere incipiat, tunc iam naturam suam permutans, in vlcus conuertitur, quod vlcus diuersimodè, prout illa variant, se habet, atque appellatur, sicuti in vlceribus ostendemus.

Dein &, si ex vulnere os subiectum frangatur, findatur, contundatur, vel aliquid ab eo abscindatur, vlcus compositum cū eiusmodi ossium læsionibus fit. *Vulnus cum ossium læsione.*

Admodum quoque à simplicioribus vulneribus variant, quæ virulentam vel venenatam qualitatem, ab externo lædente contractam sumpserunt, & Venenata vel Virulenta vulnera vocantur: Vt si à gladio, telo, globulo alióve succo prauo vel venenato infecto, vulnus inflictum fuerit. Vel si ex morsu bestiæ venenatæ prodierit, veluti apud nos à cane rabido hoc frequentiùs fit, quàm à serpente aliisque noxiis, quæ morsu, lædunt animantibus: vnde præter vulneris accidentia grauia (vt dictum) alia insuper, si venenum accesserit, vt in cane rabido dictum fuit, nascuntur symptomata, vitæ quoque insidiantia. Sed & ieiuni hominis morsum, virulenti & noxij aliquid in se continere prædicant. *Virulenta & Venenata vulnera.*

Ad quæ vulnera sic infecta, etiam Ictus virulentos insectorum nostrorū, vt Apis, Vespæ, Araneorum aliorumque referre possumus. In quibus etsi vulnus vix pateat, dolor tamen interdum summus, rubedo & tumor, læsionem illam satis patefaciunt. Et inprimis venenatorū ictus, vt Phalangij, Scorpij, Pastinacæ marinæ, aliorumque noxiorum, quorum Doscor. & Nicander meminerunt, animalium, grauiora adhuc adferunt accidentia. *Ictus Virulenti & Venenati.*

Vlcus solutio est cōtinuitatis sordida, cutem penitùs plerunque, & subiectam carnem simul diuidens; hoc autem non vti vulnus à causa primùm externa proficiscitur, sed vel ex tumore vel pustulis, vti & à vulnere nascitur, vel per se nullo horum præcedente oritur. E' quibus vlceribus, quę tumoribus vel pustulis adhuc coniuncta sunt, vt cancro, anthraci, herpeti, scabiei, vnà cum illis iam descripta sunt. Hîc verò de illis vlceribus agimus, quæ post inflammationes in abscessus conuersas, illis ruptis pure emanante vel exempto lobo carneo, in furunculo & anthrace relinquuntur: vel erysipelata, cùm vesicis in iis disruptis exulcerantur, sequuntur; vel in quæ, vulnera sordida facta transierunt: aut per se, ex vitioso suc- *Vlcera in superficie corporis.*

eo primùm originem traxerũt. Quæ omnia vlcera variant primùm, quòd vel simplicia sunt, vel quia alia accesserunt, vel composita sunt.

Vlcera simplicia. Sordida. Simplex vlcus, quod suam naturam seruat, dicitur, cùm tantùm sordidum sit, illiq; nihil præterea accesserit: quod proin Sordidum vlcus appellare possemus; Hoc autem si non adeò excauatum sit, sicuti illud ferè est, quod vulneri succedit, Planum vlcus vocatur: *Planum vlcus.* si verò cauitatem illud insignem, ob deperditam carnem adeptũ sit, vti hoc quod abscessum sequitur, cauitasque hæc rotunda sit, Cauum vlcus appellatur: *Cauum vlcus.* si verò oblongum sit, canalem seu sinum referens, qui nunc rectà, nunc indirectè cuniculos agens, deorsum vel in latera longo breuioréve ductu fertur, sæpeque fine suo ad exteriora corporis delatus, illic foramine se rursum aperit, Sinuosum; *Sinuosũ vlcus.* & priuatim si ductus hic rectà incedat, Fistulosum vlcus appellatur. Quæ omnia vlcera, pus sordida reddit, quod illis adnascitur, atque ex illis continuò emanat: copiosiùs in cauis & sinuosis quàm planis vlceribus: quod nunc album est, mediæ consistentiæ, quod coctum vocant, æquale & inodorum: aliàs aliter coloratum, aquosum seu crudum dictum, inæquale, odore alieno præditum. Sordes etiam aliæ crassæ, glutinosæ & veluti concretæ vlceribus hisce plerunque adhærent. Madorque serosus vlcera hæc simul humida reddit. Dolor in illis non adeò vt in inflammatione aut abscessu dum generatur, magnus, sed solum lancinans, & qui contactu potiùs, vel læsione aliâ factâ, aut turundæ immissione exacerbatur. Quòd si vlcera partes ad motum paratas impetant, aut ad interna viscera ferantur, functionibus quoque (vt de vulneribus dictum) incommodant.

Vlcera cõposita. Composita vlcera, nec dum ampliùs simplicia, quibus alia vitia iunguntur, varia existunt, & primùm illa in quibus Caro nimia cùm sanantur, excrescit, & supra decentem corporis superficiem luxuriat, impedimentum & turpitudinem, si cicatrice obduceretur, vlcusque sic non ablatâ priùs hac carne, sanaretur, adferens: quod Excrescens vlcus nominatur. *Excrescens vlcus.*

Fistulosũ vlcus, Fistula. Dein & vlcera illa sinuosa, quæ Tunicâ intrinsecùs inuestiuntur atq; succinguntur, adeò vt cùm nec pus, nec humorem è carne, quæ non ampliùs nuda est, vlteriùs profundant, sanata essent, nisi cauitas hæc in corpore relicta, cùm præternaturalis & turpis sit, atq; etiam incommodet, vt ea denuò curetur per vlceris refricationem, & cauitatis huius repletionem, perfectam illius hanc sanationem requireret. Quæ vlcera Fistulosa, vel Fistulas nominant, idque potissimùm si ampliora sint, rectoque (vti dictum) ductu progrediantur: sicut à ceruice incipientem eiusmodi fistulam, secundùm spinæ longitudinem ad coxam vsque descendentem, illicq; se aperientem, & pus copiosè profundentem, vidimus. Et exigua eiusmodi vlcera fistulosa in perinæo, foraminibus plus minúsve amplis pluribus patentia, & ad vesicæ ceruicem vsque tendentia, per quæ vrina continuò exstillabat, sæpiùs deprehendimus.

Callosa vlcera. Huc & referuntur vlcera, quorum labia dura & callosa fiunt, quæ Callosa proin vlcera appellantur, & cùm cicatrice obduci nequeant, ad Dysepulotica & vlcera Cacoëthe referuntur. Quæ verò malignitatem aliquam simul adiunctam habent, in malignis mox explicabuntur.

Cacoethe vlcera. Sunt & alia vlcera, quia difficulter sanantur, Cacoëthe dicta, non per se, sed quia subiecto inualido innixa, illi adnasci nequeunt, vt ossibus corruptis vel exesis, sicuti in ossiũ corruptione dicetur.

Phlegmonosa vlcera. Deteriora hisce accedunt incommoda, si inflãmatio, è qua suppurata hæc vlcera prodeunt, adhuc comes, illiúsve reliquiæ aliquę remanserint, vel illa de nouo vlceribus accedat, aut erysipelas; *Erysipelata vlcera.* tunc enim tumor, rubedo, dolor, illis admodum incommodant. Vti & si œdematoso tumore, sicuti sæpe fit, pars vlcerata intumescat, *Oedematosa vlcera.* minori doloris, sed maiori sanationis impedimento.

Corrupta vlcera, aquã exudantia. Inprimis peruersa sunt vlcera, quorum Caro corrupta, lardi instar alba, mollis tumidaque apparet, & ab ea serosus ichor aquam limpidam referens, exsudat. Quæ vlcera, ex vulneribus in articulorum regione excarni membranea & neruosa inflictis, prodire solent.

lent: suntq; ea quorum aquam chirurgi nostri peculiari nomine Glidwasser/ quasi aquã articulorum vocant, eaq; ob dolorem summum quem adferunt, & contractionẽ membri, quæ facilè, vel corruptionem in gangrænam, quæ aliquãdo sequitur, tantopere metuunt.

Glidwasser Germ.

Cuius generis & vlcus est, quod inflammationem digitorum extremitatum, quam Paronychiam vocant, sequitur, articulumq; illum corrumpit, sicuti in inflãmationibus illud ostendimus.

Paronychia vlcerata.

Ad eiusmodi vlcera carne prauâ referta, etiam ea, in quibus caro putrescit, sunt referenda, quæ Putrida seu Putrescentia tunc appellantur, quod & in sordidis & aliis depascentibus vlceribus euenire potest, in quibus caro putris, glutinosa, & quæ facilè dissoluitur, flaua, viridis, nigráve apparet, ex eaque ichor fœdus, discolor emanat, fœtorq; sentitur. Et vermes nonnunquã nascuntur, tuncq; Vlcus Vermicosum dicitur. Quæ vlcera, si putredo inualescat, in gangrænam aliquãdo abeunt, sequiturq; partis corruptio.

Putrida vlcera.

Vermicosa vlcera.

Præter hæc vlcera, quæ caro, tunica, callus, ossáve subiecta, aliena & simplici reddiderunt, sunt vlcera, quæ à vitioso vel maligno humore, vel primò oriuntur, vel ex aliis vlceribus, & inprimis illis quæ erysipelas exulceratum peperit, ob occasionem illius peruersi humoris, in hæc degenerantibus, nascuntur; & cauitatem quam obtinent, continuò exedunt, ampliorem que reddunt, Exedentia dicta, quæ Nomas etiam vocant. Et quæ cùm vicinam quoque partem depascantur, Depascẽtia, vel si solùm cutem exedant, Phagedænica, & in genere quia serpunt & vlteriùs expatiantur, Serpentia appellantur; vel etiam cùm ægrè sanentur, ad vlcera Cacoëthe referuntur.

Vlcera peruersa.

Exedentia vlcera.

Nomæ.

Depascentia vlcera.

Phagedæna.

Suntque hæc vlcera admodum frequentia, quæ vt in variis corporis sedibus, sic maximè in crurum infima sede, ob situm humoribus suscipiendis aptâ; & quia erysipelati sunt obnoxia, supra malleolum, latum spacium plerunque occupare solent, cutémque in ambitu aliquousque, vel etiam toto circuitu exedere, penitusq; ad viuam vsque carnem depascere, eamq; sæpe simul depopulari. Consuetum & diuturnum ad multos annos, nonnunquam & toto reliquo vitæ tempore, in senibus vitium, largum humorem continuò profundens, pannosque madefaciens, sanguinemque vel minimâ læsione exudans, doloreque lancinante excrucians, ardore quoque molestum, & cum rubore in ambitu & tumore nonnunquã cruris affecti œdematoso. Interdum etiam venâ illic supra vlcus apparente, dilatatâ & turgidâ, liuidâ, quæ multis inuolutionibus per crus ad vlcus vsque descendit, illudque vti dicetur, fouet: ob quam & venam dilatatam, quæ Varix dicitur, vlcus ab ea Varicosum tunc appellatur.

Crurum vlcera peruersa.

Varicosa vlcera.

Malignitatem quandam, quæ simul obtinent vlcera exedentia, serpẽtia & depascentia, sunt quæ in Lue venerea, præter ea quæ in faucibus, naribus & genitalibus mulierum, vt in illorum locorum doloribus dictum est, erumpunt, in præputio & glande penis, in masculis hac lue infectis, vel etiam citra hanc, ex impuro congressu oriuntur, illicque serpunt, sæpeq; glandis portionem, vel vniuersam, vel etiam totam virgam depascuntur, quæ ob peruersitatẽ, Cancri nomen obtinuerunt. Dein & illa vlcera, quæ in Elephantiasi, pręter quoq; alia faucium & narium amplitudinis, in illis se offerentia vlcera, in plantis pedum & volis manuum, & cubito, alibiq; in pedibus & brachiis præcipuè occurrunt; phagedænica cutem depascentia longo ambitu ad viuam vsq; carnem vlcera, labiis prætumidis & callosis, indolentia, sicuti illa in elephãtiasi describemus.

Vlcera maligna.

Luis venereæ vlcera.

Cãcer in virga.

Elephantiacorũ vlcera.

Cum corruptione partis alicuius in superficie corporis, se offerens affectus, variat primùm, quòd vel in carnosis locis, vel in ossibus oboritur seque manifestat.

Corruptio partium in superficie corporis.

In carnosis partibus ex cute, carne, membranis, neruis vasisq; compositis corruptio quæ se offert, incipiens, Gangræna appellatur; plerumque inflammationes secuta, aliàs quoq; ab aliis causis (vt in illis dicetur) eueniens. In qua pars colorem naturalem amittere incipit, sensimq; vel subitò etiam liuescere, mox etiã nigrescere, vnde Germ. ob nigredinem hanc, à calore natiuo extincto profectam, hunc affectũ den Kalten brand vocant, intumescente tunc simul parte, atque

Gangræna, Kaltbrand Germ.

dolente adhuc, nonnunquam & graui dolore antequàm penitùs corrumpatur, afflicta: è qua virus quoddam continuò emanat, quod cutem & carnem vndiq; imbuit mollioremque reddit, quæ tandem corrupta, vel sponte finditur exulceraturque, vel scarificatione factâ, per quam huic malo succurrere volumus, plagæ admodum latescunt, labiisque tument, demumque nisi ilicò malum auertamus, pars omni calore naturali, vti & pulsu sensuq; destituta, emoritur, summeq; fœtida & cadauerosa fit, tuncque Sphacelus, Syderatio nominatur.

Sphacelus. Syderatio.

In ossibus si corruptio fiat, est vel ipsorum erosio aut exesio, certo in loco, vnde aspera & inæqualia fiunt: Vel iam manifesta corruptio, vnde pars ipsorum aliqua sic affecta nigricat, & à sana viuaque ossis sede tandem abscedit, vel vniuersum os, vt in paronychia digitorum internodia corrumpit, & mortificat, diciturq; tunc Ossis Caries. Quæ ossium corruptio, cum vlcere plerunq; in carne cuteq; illi instrata, ex quo vt plurimùm nascitur, & cum eo iungitur, per vlcus illud se patefacit, quod profundum ad ossa vsque pertingit; & proin, etsi per se in ossium corruptione dolor non adsit, tamen propter vlcus illi copulatum, quod quamdiu os subiectum corruptum manet, curari nequit, hîc quoq; hæc corruptio inter dolores explicatur: quam &, quatenus figuram vitiat, in deformationibus tractabimus.

Ossiũ corruptio. Caries ossium.

Causæ.

CAVSÆ omnium istorum dolorum in superficie corporis occurrentiũ, qui sunt, vti dictum, titillatio, pruritus, & dolores à calore frigoris compressione, asperitate, contusione, omnes citra characterem apparentem facti: item rubores seu erysipelata, tumores, inflammationes, abscessus, cancri, pustulæ, scabies, fissuræ, abrasiones, vulnera, vlcera, in quibus characteres ipsi morbi sunt, qui se patefaciunt, sunt vel intemperies frigida, calida, sicca, sanguinis aut alterius humoris, in illis locis collectio, vel continui solutio.

Disuetudo causa Titillationis.

Disuetudo molestiam illam, quam Titillationem vocant, parit, si partes non consuetæ tangi, vt plantæ pedum, latera, axillæ, obscœna, ab alio præsertim; maximè si inusitato modo illud fiat, tangantur: Vel si hoc etiã aliis in locis, vt in facie, ex contactu alicuius rei, quæ veluti rependo, aut leuiter vellicando, sensum mouet, aut ab insecto aliquo fiat, molestum quoque aliquo modo existit.

Frigida intemperies, dolorem quem Frigidum appellauimus, in superficie corporis inducit. Si ab aëre frigido, à vento præsertim impulso, vel aquâ frigidâ, maximè in niuem aut glaciem congelatâ, corporis superficies affecta, intemperiem hanc illi aduersam sentiens, doleat potiùs, quàm quòd ex frigoris cõstrictione, tenues humiditates exprimantur, sicq; soluendo continuum dolor inde inducatur. Qui eò maior erit, si loca excarnia, neruosa, aut minus consueta frigus pati, vtpote aëri minùs exposita, frigus feriat; ob quam & causam facies, cùm contegi non soleat, etsi egregiè sentiat, non tam facilè ac alia pars quæ tecta esse consueuit, ex frigore molestiam patitur. Dein &, si cute denudatas, vel vulneratas sedes afficiat, eas quoque magis molestabit, vnde frigidum vlceribus mordax esse dicitur. Dolorq; vehementior etiam erit, si subita fiat ex frigore valido in calorem summum transmutatio, ob contrarium illum subitò & violenter inductũ sensum; qui si in manibus, vti ferè illæ maximè cùm nudæ sunt, à frigore patiuntur, fiat; dolor ille sæuus, qui in extremitatibus digitorum sub vnguibus circa neruorũ fines, tantopere affligit, quem Küneglen vocari diximus, oboritur.

Frigus, causa doloris à frigore, & priuatim illius qui Küneglen vocatur.

Calor seu calida intemperies, dolorem quem Calidum nominauimus, gignit: Qui dolor ab externis, vt aëre, à sole vel arte calefacto, vel aquâ contactúve alterius rei calidæ, aut corpus accendentibus, nondum tamen inflammantibus, nascitur: dein & ab integumentis nimiis corpus admodum incalescit, molestiamq; sentit, ac sudor coactus erumpit. Exercitio etiam nimio corpus supra modum accenditur. Ab internis quoq; causis, corporisq; calida constitutione, calor præternaturalis, in volis manuũ & plantis pedum incommodum aliquod adfert, cuius causam calori hepatis pleriq; attribuunt.

Calor causa doloris à calore.

Et in

Et in morbis calidis, febribus præsertim, calor non solùm internus, sed & exteriores sedes occupans, molestus est.

Siccitas causa doloris ex contactu rei asperæ.

Siccitas cutis asperitatem in illa, tactum nonnihil in delicatioribus præsertim offendentem parit, quæ scabrities & ab aëre externo sicco, vel contactu rerum exiccantiũ, vel adstringentium contrahitur. Ex labore callosa facta cutis, & dura, sensum tactus potiùs minuit quàm deprauat. Nonnunquam verò cutis, vltra modum exiccata, finditur, fissuræque inde in manibus, pedibus, labiis, oris, podicis, aliisque locis fiunt. Quæ nimia exiccatio, vt à dictis causis quoque euenire potest, sic frequentiùs à calore & frigore, adeò siccantibus accidit; vti in febribus ardentissimis cutem hinc inde scindi, & ab aëre expirato calido, labia findi videmus: Et ab aëre, aquâ frigidis, in manibus & pedibus fissuras; & si frigus intensissimum fuerit, & diuturnum vel frequens, eaque præsertim loca vbi cutis crassa est, feriat, fissuras maiores & in vlcera desinentes, quas Perniones vocant, prodire: sicuti hoc in plantis pedum & manuum, item narium & aurium externis sedibus, vtpote nudis & frigori expositis partibus excarnibus, frequenter euenire, in generibus ostendimus. Quod frigus, quia cutem constringendo siccat corrugatq;, potissimùm molitur; & si calorem illic nonnihil simul reprimat vel extinguat, grauiùs, vt in pernionib⁹ aliquãdo fit, efficit.

Siccitas causa Fissurarum & Pernionum.

Sanguinis collectio in superficiariis, cutaneis, carnosis, glandulosisq; partibus variorum illorum affectuum, illic prodeuntium, præcipuè tumorum atq; inflammationum causa existit, qui cùm per influxum eò delabatur, subitò enarratos affectus parit. Quando nimirum nõ solùm moderatè partes hasce irrigat, sicuti naturaliter has ad nutritionem semper sanguine, non solùm in capillaribus venis contento, sed & in propriam ipsarum substantiam infuso, imbutas esse oportuit, sed suâ copiâ nimiùm adimplet, plerumq; & inflammat. Tuncque si in cutem, cuticulâ demptâ, quæ sanguinẽ intra suam substantiam minime admittit, alicubi diffusus, dispergatur, Erysipelas dictum producit: in quo rubedo, ratione sanguinis, per epidermidem cuti instratam, translucentis, apparet, & cùm non adeò adhuc sit impactus aut in tumorem collectus, quando premitur pars, rursus eo refugiente, rubedo desinit; sed mox iterum, vbi non ampliùs impellitur, reuersus, ruborem denuò adfert: sicuti in aliis quoque locis, sanguine etiam naturaliter, vt rubeant perfundi solis, vt labiis, malis, idem simili ratione videmus accidere. Sed & ardore potiùs, si feruidior sit, quàm dolore, cùm non adeò distendat, afficit. Quæ omnia prout sanguis existit, variant. Si enim ille tenuis & feruidus sit, vti ferè est, erysipelas fit Simplex, in quo fluxus illius, refluxusq; citiùs perficitur; si crassior, erysipelas Phlegmonodes, grauiùs tunc afficiens; si serosus, erysipelas œdematodes, quòd mitiùs est, sed tardiùs remittit, licet cesset, post se relinquit. Quòd si bile perfusus sanguis eò feratur, tunc ex rubro flauescens fit erysipelas, magis vrẽs, cuticulamq; exedens, cessanteq; rubore, flauitie cutẽ adhuc tingẽs: si deterior fuerit, bilis viridis vel atra huius calorẽ quoq; ex parte exprimit, citiusque in vlcera peruersa desinit, eoque magis, si maligna simul in eo sit vis.

Sãguinis in cutem influxus causa Erysipelatis, illiusque specierum.

Quòd si verò sanguis in cutem carnemq; vicinam, extimæ corporis superficiei sedem influens, illic subsistẽs colligatur, tumorem illius loci plerumque & inflammationem simul parit, tuncque rubori partis tumor quoque copulatur, dolorq; tum ob id distentionem, tum ob sanguinis efferuescentiam calor, suboriũtur: & si sanguis discutiatur, tumor rursum euanescit, si maturetur seu suppuretur, in Abscessum abit; quo rupto, vlcus sequitur, pus illud profundens, eo maiori copiâ, si non solùm sanguis affluxus, sed & partis substantiæ portio simul in pus conuertuntur: Cuius loco si inflammatione auctâ, accedente etiam interdum alio aliunde affluente peruerso humore, corruptio aliqua sequatur, in vulnere præsertim circa neruosas & membranosas partes facto, vlcus illud perniciosum nascitur, ex quo aqua exudans Glidwasser vocatur, in quo ob corruptionem neruosarum partium, immobilitas membri facilè sequitur. Quòd si quoque inflammatione crescente in his vel aliis

Sãguinis influxus in cutem carnẽq;, causa tumoris & inflãmationis, illiusq; diuersarũ specierũ. Suppuratio causa Abscessus.

Corruptio in vulnere causa vlceris qđ Glidwasser vocant. Corruptio partis, causa Gangrana.

Caloris natiui extinctio, causa Sphaceli.

sedibus, non suppuratione, sed partis sequatur corruptio, Gangræna; & si in ea calor natiuus penitùs extinguatur, Sphacelus sequuntur.

Sed & fit, vt si sanguis in carnem potiùs substratã cuti, quàm cutem influens, in musculos videlicet externos abdominis, vel thoracis, colli aut dorsi decumbat, inflãmationes illic excitet, quæ non adeò extrinsecùs rubore vel tumore se, vti cæteræ proferunt, & cum internis inflammationibus, vt pleuritide, angina, aliísve ad externa quoq; pertinentibus, quædam symptomata communicant. Fit etiam, vt si in plura loca sanguis inflammationem gignens, effundatur, plures etiam simul sese offerant, quæ tamen tunc non adeò latè se extendunt, sicuti in tuberculis dictis euenit, vbi plura simul sępè prodeunt. Et in minimis illis, in quibus sanguis veluti in poris collectus, parua multa eiusmodi, in scabie dicta solet producere.

Verùm & hîc pro ratione sanguinis, eiusmodi inflammationes variant. Nam si sanguis syncerus & mediocris existat, simplex sequitur inflammatio: si tenuior, tunc non solùm collectus, sed & partim per cutem dispersus, phlegmonem erysipelatodem profert; si crassior, magis renitens liuensq; erit inflammatio, quam scirrhodem vocãt, cùm tamen scirrhus inflammationem potiùs sequatur, quàm comitetur; si serosus, phlegmone fit œdematodes, in qua serum vlteriùs in cutem diffusum, sicuti cùm sanguis in lineum pannum funditur, accidere videmus, in ambitu partem in tumorem œdematosum eleuat. Quòd si alij humores acres, vt bilis flaua, viridis vel atra, vel alioquin praui & maligni sanguini pmisti sint, eò deterior erit inflammatio, in qua ob sanguinis ardorem, vel quia in profundum admodum vergit inflãmatio, caro à sana carne liberata, locum facit; qui aperto tumore, illi infixus, donec penitùs exeat, manet, sicuti in furunculo fieri diximus.

Sanguinis influxus in glandulas, causa Bubonũ, Paroti-

In alias partes, à cute & carne nonnihil diuersas, si sanguis illabatur, tunc collectus, tumorem etiam calidum, plerunque & inflãmationem simul profert. Vt cùm in glandulas in emunctoriis corporis sitas se infundit: quod frequens est, tum quia natura in ignobiles partes se citiùs exonerat, tũ quia, cùm laxæ sint partes, & iuxta venarum magnarum diuisiones positæ, facilè sanguinem suscipientes, tument & dolent, in Bubonibus & Parotidibus, & vel saltem calent, vel etiam inflãmantur, & suppurantur, in Phygethlo seu Pano, vt in generibus dictum: quæ &, prout sanguis vel purus aut impurus, tenuis vel crassus, crudus, simplex, aliísve humoribus serosis prauisque permixtus est, differunt, inter quæ à crudiore aut serosiore sanguine, fit Phyma dictum, à pernicioso & contagioso, Bubones pestilentes & venerei.

dũ, Phygethli, Phymatis.

Sãguinis influxus in alias partes, causa Tumorũ & Inflãmationum in illis.

Eadem ratione, si in alias partes feratur superficiei corporis, vt glandosas mamillarum, testium, in quas propter venarum copiam facilè labitur, & ab illis suscipitur; vel fungosas, pudendorum, podicis, oris: aut cartilagine suffultas, nares & aures: vel iuncturarum sedes, tumores calidos & inflammationes in illis parit; variantes quoque, prout sanguis affluens, calidior, impurior aut deterior existit, vel partes ex illis teneriores, magísve neruosæ & sensiles, quæ & grauiùs patiuntur, existunt.

Huius autem sanguinis, in superficiarias hasce corporis sedes influxus, causa efficiẽs est, facultas expultrix, quæ eum in hæc loca propellit, quando illius quantitate qualitatéve, vel etiam alijs de causis, grauatur aut irritatur; adiuuans verò, sanguinis dispositio ad fluxionem apta, partiumq; ad suscipiendum promptitudo. Quæ causæ, siue vna sit, siue plures concurrant, à sequentibus proficiscuntur.

Sanguinis plethora seu redundantia nimia, quia naturæ grauis est, ab ea, sicuti aliàs in interiores sedes, sic & in exteriores quandoque expurgata, tumores & inflammationes in illis parit. Quod nunc sponte, nunc etiam leui aliâ causâ accedente, in illis solet accidere. Quam ob causam etiam in iunioribus, dum crescunt, sanguineq; abundant, tam facilè glandulæ intumescunt, & si frequenter eas, aut duriùs attrectent, in bubones erumpũt. Calidior quoq; sanguis & feruidior, vel etiã tenuior seu dilutus, tum quia

ad fluendum aptus est, tum quia excretricē facultatem, præsertim si copiâ quoq; redundet, ad eum expellendum excitat, in hæc loca excussus, erysipelata atq; inflāmationes, pro sanguinis diuersitate, vti dictum, variantia gignit. Quod vt aliàs sæpe, sic & in febribus synochis illis accidere, in quibus sanguinis inflāmati seu accensi, & efferuescētis portio, è venis in cutē diffusa, Erysipelata illic, quæ febres hasce sequuntur, procreat; in eiusmodi febriū descriptione ostensum fuit.

Humor alius, vel qualitas naturę infensa, eam offendendo excitans, adeò vt dum ea in exteriora corporis expellere nititur, cum illis sanguinem simul illuc effundat, tumores diuersos illic quoque procreat: sic cùm causa morbifica è venis vnà cum sanguine, in febrium crisibus foras expellitur, tumores aliquando hi in morbi declinatione sequuntur. Et cùm qualitas illa pestifera, vnà cum sanguine in febre pestilentiali, in emunctoria corporis propellitur, Bubones erumpunt pestilentiales: Et cùm virus venereum ad inguinum adenes protruditur, Bubones venerei nascuntur: sicuti hęc in eiusmodi morbis vberiùs sunt descripta.

Dolor, causa Tumorū & Inflammationū diuersarum.

Dolor, non attrahendo, vt communiter dicitur, sed naturam excitando (cùm tunc quia causam illius depellere nititur, sanguinem simul eò propellat) inflammationibus externarum harum sedium, quæ ob iniurias externas, quibus magis expositæ sunt, citiùs etiam afficiuntur & dolent, occasionem præbet: vt si illæ premantur, verberentur, contundantur, aliòve modo grauiter impetantur & doleant, accidit: vel si dolor à morbo aliquo procedat, & sic inflammatio illa de nouo ob dolorem augeatur: si abscessus, pustula, vulnus, vstio, vlcus, inflammatio tunc ipsis copuletur, vel alteri alicui morbo dolorem hunc inferenti, sicuti in illis explicabitur, iungatur. Sed & tubercula inflammata, quæ ex frictione cutis, in scabiosis enascuntur, etsi frictio ob pruritum ab initio voluptatem adferre videatur, tamen quia mox dolor lancinans sequitur, huius causâ præcipuè erumpunt. Dein & sæpe euenit, vt non solùm ipsa pars dolens in tumorem assurgat, sed & vicinę, si ad defluxionem suscipiendam dispositæ sint, vt glandulę, quia defluens sanguis eas quoque tunc irrigat, simul intumescant: vt in inguine, si in cruribus: sub axillis, si in brachiis, vel iuxta aures: si circa has sedes dolor à causis vel morbis prædictis fiat: inter quas causas, scabies hæc loca molestans, in vicinis emunctoriis bubones comites plerunque habet, buboque pestilentialis, non tam ob pestiferam vim, vti dictum, quàm ob anthracis vicini ardorem & dolorem, aliquando enascitur: sicuti id in febre pestilentiali ostendimus.

Qui dolores omnes in externis hisce partibus eò diuturniores & pertinaciores inflammationes efficient, si sanguis facilè continuoq; eò feratur, & pars ipsa dolore indesinenter lacessatur. Veluti in asciticorum cruribus tumentibus accidit, si vel sponte, vel arte apertâ cute, serum exstillans, continuò illa loca alluens, suâ pernicie, quam diutinâ morâ corruptam acquisiuit, rodat atq; irritet, vnde sanguinis affluxu cōcitato, qui eò faciliùs, cùm serosus quoque sit, huc fluit, erysipelata illa exulcerata adeò peruersa, & quæ tā facilè in gangrænā abeunt, nascūtur.

Calor externus, causa Erysipelatis vel Phlegmonis illitis quæ specierum.

Calor externus, si cutem alicubi diutiùs, aut admodum afficiat, non solùm eam rarefaciendo, sed & illam, & vnà cum illa sanguinem vicinum simul accendendo, eumq; ad fluxionem cōcitando, erysipelata vel inflāmationes, in corporibus potisimùm tenuioribus, sanguineis, atque illis qui hisce affectibus alioquin obnoxij sunt, gignere potest. Veluti illis accidere solet, quibus ad focum diutiùs sedentibus, seque calefacientibus, crura nimiùm incalescentia, erysipelata interdum eo nomine facilè contrahunt; vel quorum in sole diutiùs moram trahentium, partes ardori diutiùs expositæ & vehementiùs calefactæ, idē patiuntur. Sicuti mihi iuueni adhuc, frequēter, magnam diei partem maximo æstu equitanti, euenit, vt solis calore, ocreis supra modum incalescētibus, cruribusque simul, illa postea rubore vehementi cum ardore aliquo perfuso, diem vnum aut alterum permanerent. Quæ erysipelata & inflammationes, vti & ab enarratis, sic & ab aqua calida feruidaque, si corporis extimæ partes eâ sæpę vel vehemēter calefiant, eue-

euenire poteſt. Quemadmodum poſt balnea, tubercula Eyſſen dicta, aliquando erumpere videmus, cuius cauſam præcipuam vulgus ſtatuit inde prouenire; ſi, dum corpus adhuc calore balnei æſtuat, frigidâ conſpergatur; tunc, eo in loco vbi tactum eſt, vlcera hæc prodire, fortè ob ſubitam illam repercuſsionem, ſanguine cum impetu fugiente, rurſumq; redeunte, accedente inſuper moleſtiâ illâ, quam ex ſubita mutatione & inæqualitate pars patitur, vnde ſanguis quoque commouetur. Sed & calor alius, licet moderatus, vt lecti, pruritum excitando, illeq; frictionem, tuberculis hiſce, vt prorumpant, illis qui ad ſcabiem proni ſunt, per accidens anſam præbet. Dein & in certarum partium inflammationibus priuatis, vt aliqua ex his cauſis, eas inducere quoque poteſt, ſic non minimam inflammationis illius, circa vnguium radices, Paronychiæ dictæ, ſuboriri ſolitæ, cauſam eſſe obſeruaui, quòd ancillæ, quia vaſa immunda aquâ feruente, indies abluere ſolent, digitos frequenter perurendo, adeò vt vngues illarum, cùm hoc ſæpè fiat, incuruentur, hoc malum ſæpiuſculè ſibi accerſunt.

Humorum affluxus, cauſa Tuberculorum & Puſtularum.

Humores alij, illiq; excrementitij & præternaturales, in ſuperficiem corporis effuſi, illicve cõgeſti, cùm tantâ copiâ, vti ſanguis, in vnum locum minimè perueniant, puſtulas potiùs, & tubercula, quàm tumores inſignes, primo impetu progignere ſolent: E quibus tamen aliquæ puſtulæ, ob affluxum etiam ſanguinis, inflãmationem in horum ambitu, rubore potiùs eryſipelatum inſtar, quàm tumore conſpicuam, comitem nanciſcuntur: tuberculum verò in tumorem magnum ſenſim attollitur: omniaque illa, in vlcera nunc leuiora, nunc deteriora, ſerpentia, exedentia, nunc aliàs pernicioſa abeunt: idq; pro horum differentiis, quæ inde primùm deſumuntur, quòd vel occultâ vi, vel manifeſtâ qualitate hoc operantur.

Occultâ vi illud agentes humores, pernicie ſuâ hoc faciunt abſconditâ, qui ſi alicubi ſuperficiem corporis impetant, pro illorum conditione diuerſâ, qualis venenorum eſſe ſolet, non eodem modo afficiunt, ſed vel tuberculum aut puſtulas producunt.

Pernicioſa & venenata qualitas, cauſa Cancri.

Tuberculum autem profert illud venenum, quod eam vim peruerſam in ſe habet, quâ partis alicuius ſubſtantiæ portionem ita inficit, eamque deprauat, vt ſic infecta, tuberculo ex carne eadem pullulante enato primùm ſe manifeſtet, quod perniciem ſuã ex eo quod non cedit potiſsimùm, cùm alioquin non grauiora incommoda quàm punctiones aliquas adferat, oſtẽdit; & quòd dum vti reliqua corporis ſubſtantia nutritur, nutrimentum ſibi aſsimilando ſimile reddens, & in eandem prauam ſubſtantiam conuertens, ſenſim in altum, latum & profundum augetur, atq; incremẽtum capiens, in tumorem maximum, Cancrum (vti dictum) nominatũ, increſcat: ex carnea quoq; ſubſtantia, veniſq; intertextâ, conſtantem, nullâ inflammatione alioquin, vti putarunt, accenſum, nec humore alio, quàm ſanguine in venis refertum, ſed pruritu & punctionibus ſaltem moleſtum, & malignitatis notas, hoc potiſsimùm, quòd augeri non deſinat, exprimentem, idque donec apertâ cute exulceratus, vlteriùs progredi nequeat: quo tempore tamen, tunc quoque adhuc enutritus, ſtiriis carneis, ex eo naſcentibus productis, luxuriat: quem totum pernicioſum eſſe, ex eo facilè licet conjicere, quòd niſi radicitùs euellatur, aboleri minimè poſsit, ſed vel exiguâ illius portione, etiam poſt ablationem alterius remanente, de nouo recreſcat.

Cæterùm à qua materia, & vnde hoc venenum primùm prodierit, indagare difficile eſt, aut ipſius naturam aliter quàm ex effectu deſcribere. Per contagium tamen corpus alicubi tactum, hoc hauſiſſe, vel priùs corpus ſubiens huc propulſum fuiſſe, ex eo nonnihil colligere liceret, quòd elephantiaſis, cuius cauſam cum cancri cauſa conſimilem faciunt, & proin eam generalem cancrum vocant, ex contagione quoque prodeat, ita vt quemadmodum in illa plures corporis partes, ſic in cancro vnam tantùm, eoque grauiùs, quòd hæc impetuoſiùs petatur, afficiatur. Nec obſtat quòd rariùs paucioresq; cancro afficiantur, cùm & hoc in elephãtiaſi eueniat; ad quod facere videtur, quòd aliam noxam corpus intrinſecus non patiatur, cùm

cùm tamẽ illis in locis hoc fieri deberet, vbi veneni huius origo lateret. Nisi fortè in venis delitescens, inde suam originem trahat, nec dum nocere possit, donec vnà cum sanguine similiter infecto, alióve modo ad exteriora vis hæc propulsa, eam corporis partem, quam possidet, inficiat, & tunc quoque primùm crescente cancro, sensim corpus debilitet, viresque dejiciat. Ab atra bile verò, illum proficisci, vti voluerunt, concedere hisce de causis minimè possumus: Quòd si à naturali atra bile, quam fęculentum sanguinem esse dicunt, prodiret, illius indicia quædam apparerent, sanguisque talis illic collectus extra vasa, (quod necesse est, si tumor fieri debet, atque inflammatio quædam, quę tamen minimè adsunt, deprehenderetur: & si ab atra præternaturali bile gigneretur, ardor, erosio, nigredo, vt in anthrace mox in prima inuasione se repræsentarent, cùm hîc nihil tale accedat, sed instar carnosæ substantiæ, vti dictum, cancer se offerat, nec adeò dolore, vti ostensum, incommodet.

Pestilens venenũ, causa Anthracis & Bubonu pestiferi.

Ab alterius naturę veneno pustula gignitur pestilentialis, quam Anthracem pestiferum vocant: quæ nunc virulentâ vi potissimùm, sine magno ardore, vel etiam nullo, sed pruritu & punctionibus solis, vt de cancro dictum, molesta: nunc adurente simul qualitate accedente, atque inflammatione aliqua in ambitu, & bubone in vicinia, partem quousque affecta est, contaminando, mox corrumpit, & mortificat, & proin nigra, atque inutilis à parte sana separata abscedit.

Quod venenum, à pestilenti veneno eo, quod extrinsecùs corpus inuasit, suaque pernicie & feruore, quæ in se continet, febrem pestilentem accendit proficisci, si portio illius in exteriora hæc loca propellatur, in febribus demonstrauimus: in quo, si vis illa vrens cum perniciosa permanserit, eam simul vrendo, vti dictum, exerit. Sed & venenum pestiferum corpus extrinsecùs feriendo, nondum tamen penetrando vlteriùs, pustulas pestiferas in me & aliis excitasse, in febribus pestilentialibus quoque docuimus.

Humores biliosi salsi, acres, praui, causa Scabiei, Herpetis Carbunculi, diuersarumq; illorum specierũ, vti & Phlyctenarum.

Manifestâ qualitate operando, humores aliqui, Scabiei, Herpetis & Carbunculi diuersa genera, & in illis vi suâ erodente, vel etiam adurente, alióve modo peruersâ, pustulas cum cutis rosionibus interdum, & exulcerationibus procreant. Qui humores vel biliosi, illique vel excrementitij aut præternaturales, è quibus bilis summè flaua, viridis & atra sunt: aut salsi vel alioquin acres vel praui existunt: & ad superficiem corporis, vel cum sanguine, aut sero, quo plus minúsve diluuntur, defluunt, pustulasque tunc citiùs, & simul aliquam interdum inflammationem, si sanguis fluxione hac concitatus, aut dolore motus, se quoque insinuet, excitant: vel citra hanc fluxionem è venis exudantes, sensim in cute & subiectâ carne congeruntur, aut illic originem vel incrementũ sumunt. Pro quorum omnium varietate, diuersæ illæ species scabiei, herpetis & carbunculi nascuntur, sicuti hoc quo pacto fiat, & à quo humore procedat, in singulis demonstrabitur.

In scabie humida vulgari, pruritus & rosio, si citra magnum ardorem fiat, humorem non adeò ardentem esse, sed salsum tantùm, aut bilem mitiorem, vel sero contemperatam, in cutem è venis excidisse, si nulla rubedo aut inflammatio adsint, demonstrant: nam si hæc quoque accedant, cum sanguine hunc influxum fieri, vel alioquin ex frictione, vel dolore commotum, accessisse, ostendunt, vti & suppuratio quæ inde sequitur. Quæ omnia cùm in fera scabie dictâ ampliùs adhuc eueniant, & simul copiosus ichor nunc flauus nunc viridis exsudet, à crassiore pertinacioreque bile, quam qualis sit, color arguit, hoc euenire, satis comprobant, sicuti & in termintho & epinyctide, pustulas illas summè vrentes, cum inflammatione & subsequente suppuratione, à deteriore quoque humore, eodem modo, vt de cæteris dictum, sed in vnam tantùm sedem, siue vno seu pluribus in locis hoc fiat, influxo, prodiisse arguunt. Maximè verò in Carbunculo pustulæ summè vrentes, bilem feruentissimam, causam illius fuisse, & inflammatio iuncta, sanguinẽ, quem & febris comes impellere potuit, quoq; accessisse, & quòd subitò oriatur, ab influxu prodiisse, declarant. Quam bilem atram extitisse, ex illa-

rum nigredine, non adeò colligere licet, cùm & in aliis pustulæ liuidæ aut crustæ nigræ, quando arescunt, sic colorari solitæ, sæpè nascantur, sicuti verò ex summo illarum feruore, qui cutem carnemque adurendo, corrumpit & denigrat, nec suppurari sinit, vel hanc bilem, vel aliam æruginosam, illarum causam fuisse apparet.

Quod diuersa ratione in Herpete accidere, illiusque pustulas non ab influxu humoris, sed collectione illic factâ fieri, quòd sensim & citra inflāmationem nascantur, conuincit; atque ardor immensus, & quòd hæ pustulæ siccæ sint, prouenisse ostendit, flauamque hanc, & ob id mitiorem tenuioremque fuisse, & ad extimam cutem vsque transcendisse, si Miliaris dictus herpes sit: deteriorem verò, qualis viridis & æruginosa est, esse, altiusq; in cute & carne impactā, si Esthiomenus sit herpes: cuius malitiam, & quòd continuò exedendo vicinā carnem, vlteriùs semper serpat, comprobat; & quòd nonnunquam, etsi serpere cesset, portione tamen illius relictâ, Impetiginem gignat, eamque post se relinquat.

In scabiei siccæ etiam eâ specie, quæ Prurigo dicitur, cùm nullus mador deprehēdatur, synceram quoque bilem, sed tenuiorem quàm in miliari, vel salsum alium humorem admodum siccantem cutem summam, quæ ob continuam frictionem rubet, arrodere & vellicare, patefacit: Et in Impetigine similē humorem illic congestū, vel post herpetem, vti dictum, relictum, altiùs se inserentem, latiusque dispersum, pustulas in ea gignere, ampliusque cutem rodere. Qualem & humorem deteriorem adhuc magis, ob morā, non curatâ impetigine, factum, & Psoram gignere, in qua adhuc hęc ampliùs afficiunt, tum ex eo, tum quòd ex impetigine, vti dictum, prodeat, licet colligere. Quam psoram tamen etiam à sero non solùm salso, sed & perniciem aliquam aliam habente, cutemq; continuò rodente proficisci, indeque originem suam sumere posse, continui sudores, qui eos infestant, demonstrant, qui tamen in halitus conuersi, & euanescentes, cutem non madidam, sed aridam potiùs reddunt. Quæ pernicies etiam huic humori qui psorā gignit, ex cutis temperamento vitiato, ob psoram diu perseuerantem, sæpeq; repetentem, potest accidere aliaque simul accedere, si deprauatâ tunc ipsius assimilatione, nutrimentum proprium, in prauos hosce humores vnà conuertat, tuncque psora deterrima, quæ Lepra Græcorum est, succedit, quæ curari ampliùs, vti nec lepra Arabum, seu elephantiasis, ob deprauatam in ea quoque assimilationem, alias noxas producentem, minimè potest, & ob id pro eâ, vti dictum, sæpè sumitur.

Cæterùm quod Phlyctenas attinet, à sero sub cuticulam delato, retentoq;, atq; eam à vera cute diuellente & implente, & in vesiculam eleuante, proficisci, cùm integrę sunt, & ruptæ serum effundunt, conspicuum euadit. Quod serum si purum sit, dum integræ sunt, dolorem nullum infert, sed tunc primùm dolor in illis lancinans oritur, cùm illis disruptis, cute denudatâ, quæ tunc contactum non nisi molestè fert, tangitur, aut cuticula scissa, illi incumbens, eam sic offendit. Quòd si verò serū in illis salsum esse, ex pruritu cognoscitur, aut alioquin bile perfusum, ex flauitie apparet, tunc etiam antequam aperiantur, ob humoris acrimoniam pruriūt, maioremque ardorem apertæ procreabunt, & si humorem hunc acrem diu exudent, serpunt: Vt & herpes Phlyctenodes, vti dictum, agit.

Eiusmodi autem humores biliosi, salsi & acres; qui scabiem herpetes & carbunculū excitant, ex cibo & potu suum habent principium: si talibus frequenter vel admodum vtantur, quę materiam huiusmodi succo gignēdo idoneam in se contineant, vel in eum corruptione degenerent, qualia in febribus & in aliis biliosis morbis descripta sunt. Ex illis enim congesta hæc excrementa, si in prima vel secūda concoctione, à puriore sanguine minimè segregentur, sed vel diu priùs in venis meseraicis latentia, deterioraque facta, vel statim venam cauam subeuntia, cum sanguine vel cum sero ad exteriora corporis delata, in superficiem illius subitò influant, vel illic subsistentia sensim congerantur, ea quæ diximus in cute vitia excitāt. Ob quam & causam, qui intemperanter viuunt, & qui

cibo

cibo prauo vtuntur, & cacochymici sunt, hisce sunt obnoxij malis. Licet & ob viscerum interiorum intemperiem, aut aliam malam dispositionem, talia excrementa coaceruari in corpore possint; vel à parentibus quoq; in liberos deriuari: quod & à sanguine menstruo materno euenire in multis, existimát. Cæterùm quòd ad cutem expurgentur, naturæ, quæ excrementa ad exteriora propellere solet, fit beneficio, tunc cùm vel nimiùm redundant & turgent, adiuuantibus etiam aliis causis, quæ calore, motu alióve modo eiusmodi humores commouent, vel eliciũt. Sicuti in tumoribus à sanguine profectis exposuimus.

Solutio continui, diuersa in superficie corporis dolorum genera parit, cum exulceratione sic in genere appellata, in excoriatione, fissuris, vulneribus, vlceribus variarum specierum. Aliàs verò cum exulceratione vix dum manifesta, vel etiam non apparente foris: idq; pro causarum solutionem continui inducentium diuersitate; quæ nunc externæ, nunc internæ sunt.

Cõpressio, Distentio, Contusio causa Dolorũ inde prouenientium.

Inter externas causas harum solutionum continui, primùm occurrit compresio, distentio, aut contusio partis, quæ citra lęsioné extrinsecùs occurrentem, occultè continuũ soluendo, fibris ab inuicem intrinsecùs aliquousque deductis, dolorem inferunt, quem Lancinantem aut Distendentem in generibus vocauimus. Qualis ab ictu, incumbente põdere, vel presione aliâ, aut torturâ, aliáve vi, vt tractu capillorum, sæpè accidit. Quo & refertur distentio illa à duris sciualis, in podicis angustiis podicem findentibus, vnde fissuræ illius Rhagades dictæ fiunt.

Frictio, causa Cutis abrasionis & Scabiei.

Frictio aliáve attritio, cuticulam auferens, vel etiam de vera cute aliquid abradens, Intertriginem dictam parit. Quod à vi aliqua externa, partem aliquam admodum vel diutiùs fricante, frequenter euenit. Sæpè etiam equitantibus, in ephippio, lumbi aut clunes eo modo atteruntur, ex quo postea molestiam inter equitandum & impedimentum sentiunt. Et in longis morbis ex decubitu, dorsum, lumbi, aliæve partes attritæ, ægrum mirabiliter fatigant. Imprimis pruritus impellens facit, vt propriis vel alienis vnguibus, alióve modo, cùm hoc pacto sedetur, cutem illic vbi prurit dilanient. Quod quando maiori fit laniena, & per quam cutis magis læditur, exudante tunc sero, si humores præsertim, vt dictum, salsi vel biliosi permixti sint, Scabies sequitur humida, eaque maior, si tubercula simul, vti ostensum, ob frictionem prodeant, illisque suppuratis, scabies augeatur.

Læsiones externæ, sectim, pũctim, contusim factæ, causæ eiusmodi Vulnerũ.

Sectio, Punctura, Ictus, Vulnera gignit sectim punctim contusim facta: Amputatio membri alicuius, illud aufert vel mutilat. Quæ omnia vulnera, cùm suppurantur, in vlcera facessunt. Talia autem vulnera re acuta obtusáve perficiuntur, vel casu, vel studio pœnæ nomine, vel instrumento, vel telo, vel sclopeto aut tormento, in conflictu quocunque, aut aliis sectionibus & puncturis, necessitatis causâ factis, in ablatione membri syderati, vel tumoris alicuius, vel sectione in hernia, in lapide vesicæ, punctura catarractæ, venæ sectione & similibus, vnde diversa relinquuntur vulnera. Quæ aliquando malitiam aliquam simul nanciscuntur, si instrumentum, quo læsio facta est, infectum sit, aut per se noxium, vt ferrum propter rubiginem, vel si allio acuties, vti ferunt, inuncta sit, spherula sclopeti cum lardo eiaculetur, peiora inducit vulnera. Vel aliis artibus & venenis, gladius, spicula infecta sint, virulenta inde prodeunt vlcera, toti corpori noxia.

Ictus venenatus aut virulentus causa eiusmodi Vulnerũ.

Erosio, causa cutis abrasionis.

Erosio ab externis, vt medicamentis aliisve facta, cutem quoque erodendo aufert & abradit, sicq; vlcerat, interdum & inflammat. Quod ab vrina acri, coxarum interiorem regionem sæpè madefaciente atque irritante, in infantibus sæpè accidit, illicq; cutis abrasiones cum rubore facit.

Combustio, causa Vstionis.

Vstio cuticulam à vera cute separans, vesicam excitat, eaq; ruptâ, lęsionem eam, quam cute abrasâ fieri diximus: vlteriùs inusta, vlcus vstum vocatũ parit, vel escharam. Fit hæc similiter, nonnunquam calore solis, nudam corporis partem, eousque vrentis, vt vesicæ nascantur: vel olei aut aquæ feruentissimæ perfusione, vnde cutis penitùs abscedit, inflammatur & in vlcera peruersa

desinit. Vel ab igne, vstâ cute casu, vel in cauterij actualis applicatione: vnde vesicæ, illisque ruptis vlcuscula, vel eschara, gignuntur. Quod & à medicamentis potentiâ vrentibus vesicatoriis & cauteriis variis accidere potest: Inter quæ quædam septicâ simul vi, partem mortificando, citra dolorem escharam faciunt. Præter quæ, vrtica, vim suam adurentem, aculeis suis pungendo intromittens, mox primo contactu, ardorem, & postea vesicas excitat.

Morsus animalium causa Vulnerũ non usorum, venenatorum, virulentorum.

Morsus animalium vulnera inæqualia vel etiam profunda reddunt, quæ mox suppurata in vlcera abeunt: eaq; simul, ob saliuam si inter mordendum vulnera subeat, cùm semper aduersi aliquid alterius naturæ in se habeat, deteriora efficiũtur, vel etiam venenata, si ab eiusmodi animalibus morsus procedat. Veluti ex morsu hominis, ob illius quoque saliuam noxia vulnera induci, cognitum est, ieiuni præsertim, fortè quia tunc saliua minùs aliis permista, efficaciùs operatur. A morsu canis, vel aliorum animalium rabidorum, non solùm vulnus infectum, sed & corpus reliquum, quàm horrẽda sequantur symptomata, in hydrophobia descriptũ fuit. Sed & morsus, licet exigui sint, vixque conspicui, per quos tamen virus saliuæ subintret, veluti mustelæ, muris aranei, vulnera peruersa gignunt, & si à vipera vel serpente, aliisque venenatis fiant, corpus veneno suo imbuunt læduntque.

Ictus animalium causa Vulnerũ venenatorũ & virulentorum.

Ictus animalium, quos aculeis suis alióve modo infligunt, etsi vix dum apparentem continui solutionem faciant, tamen quia qualitatem adurentem, vel aliàs infestam parti ictæ infundunt, dolorem maximum illic cum inflammatione & tumore pariunt. Veluti ictum ab apis & vespę aculeo corneo, in vulnere relicto, illud moliri videmus. Quę si à noxiis adhuc magis procedent animalibus, vt scorpionis aculeo vnco, & corneo quoque vti apis, tunc & venenum illud per corpus dispersum, illud inficit. Sicuti & ab aliis multis venenatis bestiis hoc similiter fieri, corporeque puncto, illud grauiter vel in vniuersum, aut certis in partibus lædi, Nicander & Dioscorid. docuerunt: quæ nos tanquam nostris regionibus minimè infesta, omittimus: Vt & innocuos illos promuscidum culicum & pulicum ictus, non aliter quàm tuberculo aut maculâ rubrâ & pruritu conspicuos aut nocuos.

Humores, causam præbentes Vlceribus, quæ abscessus sequuntur, & pustulis iunguntur.

Internæ causæ harum solutionum continui specierum, frequentiùs ab humoribus illis procedunt, qui dum tumores, tubercula & pustulas gignunt, simul etiam rodunt & exulcerant: vel intermedio saltem horũ affectuum, quos pepererunt, cùm in exulcerationes desinant, illis occasionem præbent. Sicuti hoc in horum affectuum causis ostensum fuit. Nimirum quo pacto pus ex suppuratione inflammationum genitum, abscessus producat, indeque vlcera purulenta sequantur; quę & nonnunquam affluentibus aliis sordibus, sordidiora, vel humoribus vt sanguine, inflammata, vel aliis prauis, maligna, cacoëthe, vel accedente putredine, putrida fiunt: Dein & quomodo à perniciosa illa & venenata materia, cancrum gignente, cancer quoque exulceratus, & ab ea quę anthracem pestilentialem gignit, vsta illa & corrupta caro, illaque excussa, vlcus cauum sequantur: Et à biliosis, serosis, acribus humoribus, vnde carbunculus, herpetes, scabiesque omnis generis producuntur, vlcera in carbunculo praua, in herpete exedentia, in scabie humida, vlcuscula purulenta, in sicca cutis erosiones, & fissuræ interdum nascantur: Et à sero, phlyctenas gignente, cutis abrasiones prodeant.

Humores, causam præbentes Fissuris.

Sed & nullis priùs tumoribus aut pustulis prægressis, cutis ab humore acri salso, siccanteque finditur, quando ille se in loca teneriora fungosaque, vt labia oris, podicis, pudendorum, aliásve sedes ingerit, vnde scissuræ Rhagades dictæ oriuntur, quæ propter locorum istorum exquisitum sensum, dolore vehementiori & ardore afficiunt.

Humores, causam præbentes Tineæ & Fauis.

A salso & prauo humore, inter crassam capitis cutem & caluariam congesto, diutiusque retento, putrescente, & illic circa radices capillorum impacto, certisque in locis cutem perforante rodenteque scabiei illa species peruersa, quam Manantem, vulgò Tineam & Fauum nominant, generatur. In quo humore, perniciem quandam malignam contineri, ex eo

quòd

quòd contagiosum infantibus sit malum, licet conjicere.

Humores, causam præbentes Vlcerib. exedentib. & depascentibus & varicosis.

Ab aliis quoque humoribus serosis, acribus & prauis, vlcera Exedentia, Depascétia, Phagedænica, nascuntur, fouenturque: qui cùm in inferiora cum sero continuò labantur, in cruribus frequentiùs proferunt. Qui etiam humores cum sanguine in venam aliquam vlceri vicinam delati, illic subsistétes, venamq; dilatantes, vlcus subinde alluendo, humectandoque & deprauando, non sinunt sanari; sicuti in vlcere Varicoso dicto accidit. Horum autem humorum origo eadem ferè, quæ illorum, vnde herpetes & scabies prodeunt, existit.

A malignis & contagiosis humoribus ex impuro congressu genitalia inficientibus, vlcera in illis locis, vt in viri glande & præputio proueniunt: & ab illis qui luem venereum & elephantiasim pepererunt, eadem quæ hos affectus comitantur, exsurgunt vlcera: quorum humorum naturam, non nisi ex effectu licet conjicere, & quòd ex contagio corpora, vti cætera multa venena, subeant.

Curatio.

Solitariorum, in superficie corporis accidentium dolorum, molestiarúmve, qui nullo alio charactere externo se manifestát, quales sunt, titillatio, pruritus, atque hi qui à frigore, calore procedunt, frigidi & calidi nominati dolores: item asperitas cutis, vel alia illius occulta læsio, curatio, cùm grauiùs minimè afficiant, nec diu perseuerent, sed causâ sublatâ plerunque cessent, non est ardua. In iisque hac ratione procedendum.

Titillationis curatio.

Titillatio si molesta sit, mox si illa omittatur, molestia quoq; desinit. Si per vim & nõnunquam torturæ nomine, cuius quoq; genus est, adhibeatur, intolerabilis cùm sit, admodum offendit, debilitat, & conuulsiones quandoq; excitat: quibus tunc curatio debetur.

Pruritus curatio.

Pruritus leuis, in iis qui patienter eum ferre aliquandiu possunt, vel ad hoc, ne cutem fricando lanient, adiguntur, sponte cessat: si magis vrgeat, frictione, quæ voluptaté tunc adfert, sedatur. Si perseueret aut sæpè repetat, causaque sit externa, vt pediculi aliáve, his curatio, vt illic dicetur, debetur. Si interna ab humore aliquo procedens, quia comitem habet plerunque scabiem, vel pustulas, vel aliud vitium, quæ illum humorem sequuntur & comitantur, in illorum curatione etiam quo modo molestia hæc illis iuncta emendetur, explicabitur. Quòd si verò pruritus citra manifestum affectum alium, in certis locis molestus sit, & perseueret, euacuationes & balnea & affrictiones eædem, quæ in scabie prurituí etiam accommodatæ sunt, hîc quoque iuuabunt, indeque petenda; quæ & si obscœna mulieris pruritus diu exet, intrinsecùs in interiora horum immitti vel intrudi, aut illic inungi debent.

Doloris à frigore, curatio.

Frigus ab aëre, vento, aquâ, niuibus aliísve, si in exterioribus dolorem frigidum vocatum inducat, causaque summotâ non cesset, sensim per gradus caloris ascendendo, illud corrigere, membraque ad naturalem calorem reducere oportet, ne ex subitanea illa à summo frigore in calorem summum mutatione, periculum aliquod sequatur; vel si in manibus hoc fiat, nouus dolor, isque acerbissimus, quem Kunegien vocát, suboriatur. Fiet autem hoc si in locum calore temperato præditũ, primùm patiens se transferat: Vel alioquin egregiè se exerceat, atque eundo, currendo, si pedes præsertim frigus passi sint, vti quibus inter equitandum hoc contingit, facere solent, eos, vel brachia conquatiendo, piscatorum instar, manus refrigeratas calefaciant. Idem adhibitis perficitur pellibus, plumis, leuiter calefactis, partes fouendo, vel manus in capillos intrudendo, aut abluendo eas aquâ tepidâ, alióve modo frigus mitigádo. Quibus ita præmissis, dein primùm calore foci, fornacis, vlteriùs ad frigus penitùs arcendum, transeundum erit. Quòd si quoque hisce factis, noxa aliqua, calore natiuo debilitato relinquatur, fotibus, balneis, inunctionibus, actu potentiaque calidis, aliisve, in stupore, paralysi, expositis remediis, hîc quoque calorem reuocabimus. Inter quæ oleum de Euphorbio, de Piperibus vtilia sunt, vel quod ℞. Pyrethri Piperis ana ℥.ij. Euphorbij ʒ.j. olei Cheirini & Ceræ q. f. cui olea stillatitia Spicæ, Aromatum,

addi possunt, vel etiam Moschum, Ambra, Zibeta.

Oleum sem. Vrticæ, vel in quo vrtica cocta sit, peculiare refrigeratis membris censetur esse remedium. Idem quoque à frigore manus pedesq; præmunire, si eo inungantur, dicitur, vti & axungia Anseris.

Doloris à calore, curatio.

Calor à sole, balneo, motuque corporis, si dolorem, quem calidum vocauimus, inducat, & remotâ causâ nihilominus permaueat, blandè quoque emendari, nec subitò corpus frigori exponi debet, cùm hoc sine periculo non fiat, sicuti aliquos, qui in balneo, vel hypocausto, aut post choreas vehementiùs incaluerunt, statim se denudarunt, aut aërem frigidum admiserunt, vel in æstu summo caueas subterraneas sunt ingressi, ibi diutiùs herentes febribus correptos, defluxionibus periculosis molestatos, val apoplecticos factos, aliáve mala passos, sæpe obseruauimus. Itaque in vmbram, locumque temperatiorem potiùs, qui calore æstuant, antequam se frigori penitus committant, primùm se conferant, vnde calor facilè restinguitur. Quòd si perseuerans calor inflammationem alicubi excitet, vel febrem synochum incendat, tunc hisce cura; vt illic expositum, accommodatur: Si in volis manuum & pedum calor quibusdam sæpe negotium facessat, cùm ab interna causa hoc procedat, morbosque vel præsagiat, vel comitetur, illis potiùs cura adhibetur.

Doloris à contactu rei aspera, curatio.

Asperitas aut durities callosa cutis, si molestiam aliquam tactui, in contactu rerum adferat, illique qui teneriores manus habentes, delicatiores sunt, leue hoc incommodum qnoq; cupiunt declinare: tunc mollientibus & humectantibus adhibitis, hoc quoque emendatur, quæ cùm ad cosmetica pertineant, in deformationibus describentur. Vti & si fissuras excitet, quo pacto illæ sanandę in exulcerationibus aliis simul explicabitur.

Doloris à compressione & distẽtione, curatio.

Læsio alia cutis, quæ premendo, distendendo, citra apertam continui solutionem perficitur, si dolorem gignat, ille, vi illâ cessante, quoq; desinit, si tumor aut inflammatio metuantur, quo pacto præcauendum sit, in phlegmone dictum fuit.

Comitatorum affectu al[illegible]o patente, dolorum in superficie c[illegible]ratio, alia Erysipelati, alia Phle[illegible] Tumoribus ex contusione: Ve[illegible]is glandosísve partibus; sine & [illegible] inflammatione natis: alia Abscessibus omnium dictarum inflammationum: alia peculiari ab his omnibus, Cancro: alia pustulis, vt Anthraci, Herpeti, Scabiei: alia Exulcerationibus: alia partis corruptionibus: vt Gangrenæ & Cariei ossium, accommodatur.

Erysipelatis [illegible] curatio.

Erysipelas si sine febre à causa externa oriatur, vel si saltem leuis accedat, tunc solius erysipelati habetur ratio. Quòd si verò febrem synochũ sequatur, febri primùm prospiciendum, quod quâ ratione fieri debeat, in febribus fuit expositum. Primùm, q[illegible]o pacto in illis quos hic affectus Carfunckel di[illegible]tus sæpè inuadit, & præsertim si multoties repetitus, tandem exitiosus iam illis euadat [illegible] in senibus, præcaueri debeat. Dein & qu[illegible] modo ratione febris, cùm ægrũ corripit, [illegible]le tractari debeat, in sudorum prouo[illegible] & sanguinis detractione, alui lenitione, a[illegible]tione febrilis caloris, reliquisque accidentibus, explicatum fuit.

Cæterùm quod erysipelas solum attinet, quando illud efflorescit, nec ardore vehementi molestum est, non opus erit admodum refrigerantibus illud alterare, sed alioquin, vt mox dissipetur, diligenter muniendo illud à frigore arcere, & leuioribus tantùm, ad illud resoluendum, vtendum est. Quod fit si panno lineo, vel cannabino, quod vtilius censent, pars rubens inuoluatur: eligendo eum, qui vsu mollior sit redditus, ne primùm lotus, rigiditate sua partem irritet: existimantque si vnctuosus sit, tanto magis prodesse.

Vel si panno Croci colore bene tincto, & croceo facto, rursumq; siccato pars affecta obuoluatur. Aut alius succo Chermes rubeus factus, sericeus Chermesinus, vel laneus, Scarlatus vocatus: Quod ad resoluendum & simul partem roborandam vtile esse censent.

Idem perfumando membrum præstatur, Mastiche, Thure, Succino, &c. vstis: vel lignis Iuniperi, Santali accensis, fumum excitan-

crus remanserit, illis quæ in œdemate explicantur, absumpto humore emendatur: si in vlcus conuertatur, aut gangrænæ adsit principium, vti illis in casibus ostendetur, tractari debet.

Phlegmonum seu Inflammationũ diuersarum specierum, curatio.

Phlegmone seu Inflammatio cùm tot diuersa sub se comprehendat genera, nos curationem illis, quæ in curatione non tantopere discrepant, simul accommodabimus: Veluti ex illis quæ passim in cute prodeunt, vt Phlegmoni simpliciter dictæ, vel erysipelatodi, vel œdematodi, quas vt vt sint, Germani Geschwulst vocant, Tuberculis item quæ Germani Eyssen / & Bluteyssen nominant, & Furunculis dictis: Atque paruis illis Tuberculis seu pustulis, quæ in vlcuscula parua & scabiem desinunt: Dein & aliis inflammationibus certarum partium; vt fungosarum, Penis glandis & præputij, Mamillarum papillarum, Pudendi mulieris colliculorum & alarum, Podicis & Oris labiorũ, & cartilaginosarum, Narium alarum, Aurium vanni: Item illis quæ in iuncturis resident, & priuatim huic quæ in extremo digitorum fit, & Paronychiam nominant, & alterius quæ Grippelen dicitur: Singulis interim sua quoque remedia, si quæ peculiariter debentur, in horum enarratione attribuendo. De tumoribus & inflammationibus glandularum & glandosarum partium, post hæc acturi: Vti de abscessu qui ex tumoribus omnibus iam dictis nasci potest.

Cæterùm ex enarratis phlegmonum speciebus, deteriores sunt magnæ, & quæ dolorem maximum inferunt, & quæ partes nobiliores occupant, vel illis vicinæ sunt, vt in facie, sensuum organis, vel partibus admodum sensibilibus, vt podic s, penis, pudendi mulieris, inflammationes, vel iuncturarum regionem obsident, vti & illæ quæ in digitorum oriuntur internodiis. E quibus multæ, veluti in generibus horũ singulis ostensum fuit, in abscessum abeuntes, indeque in vlcus, hoc pacto curam protrahunt, & partibus nobilioribus officiunt: aliæ si non rectè gubernentur, quia in gangrænam interdum abeunt, eam noxam inferunt, vnde partis sequitur corruptio & amissio sæpè & mors. Aliæ in scirrhum conuersæ, sic molestę post. ea sunt, vnde articulorum flexura aliquando sistitur vel impeditur.

In horum omnium curatione, inter generalia præsidia locum habet præcipuè sanguinis detractio per venam sectam, si plethora adsit, ad illius imminutionem, in omnibus illius speciebus, si nihil impediat, tum ad præcautionem in dispositis, tum ad curationem, quæ meliùs tunc succedit. Dein & si ob influxum vehementem sanguinis magna metuatur inflammatio, statim ab initio venâ distentiore apertâ, eum reuellendo, vel etiam è vicina sanguinem eliciendo, simulque deriuando, sistimus. Et si febris phlegmoni iungatur, eo nomine quoque prodesse potest.

Scarificatione, Cucurbitulis, Ligaturis, Frictionibus similiter influentem sanguinem reuellendo deriuandoq; compescimus. Et si menses vel hæmorrhoides decenter fluant, ad plethoram tollendam, & aliquo modo diuertendum, vtile erit.

Deiectiones molimur per aluum, si cacochymicum sit corpus, præcautionis potissimùm gratiam, si hisce inflammationibus quæ in impuris hisce corporibus à sanguine impuro dependent, obnoxij sint: tum etiam in cura illorum rectiùs proceditur, si corpora priùs pura & munda reddantur. Sed & quævis alui lenitio per assumpta aut iniecta, vel supposita, reuellendo nonnihil impetum fluentis sanguinis sistit. Quæ tamen omnia non fortia sed leuiora potiùs esse debent, ne nimiùm corpus exagitent aut accendant; qualia passim describuntur.

Alteramus corpus, ratione phlegmonis, febrisque interdum comitis supercalefactũ, actu potentiaque id præstantibus, in cibis & medicamentis, quibus & sanguinis feruor impetusque refrænatur. Quorum formæ in febribus hinc inde descriptæ sunt.

Topica verò remedia in omnibus eiusmodi inflammationibus, hoc pacto ad singula diriguntur: Primùm vt sanguinem fluentem à partę affecta repellamus, caloremque restinguamus, dolorem si admodum vrgeat, sedemus: dein materiam affluxam resoluamus. Quòd si verò ad suppurationem tendat, tunc vt abscessum, eoque

rupto, vt vlcus, quemadmodum in illis explicabitur, curabimus: Materiam eligendo horum medicamentorum applicandorum, & formas, quæ hisce inflammationibus diuersis, prout vel magnæ vel paruæ sunt, vel hanc illámve partem occupant, sicuti in illis ostendetur, conueniant.

Repellimus humorem influentem stipticis nonnihil, & frigidis, quæ calorem simul contemperant; eligendo quæ validiùs id præstant, si magnus adsit feruor, in phlegmone quacunque, inprimisque in furunculo, cùm præ cæteris æstuet; & si magnus influxus, indeque nata inflammatio insignis, quæ parti nobiliori obesse posset, vt in facie vel circa iuncturas metuatur. In reliquis moderatiùs repercutientibus vtimur, minusque adhuc id agentibus, si circa fauces aut pectus oborta inflammatio, horum validiore vsu periculum fit, ne ad interiora propulsa materia, anginam vel pleuritidem inducat. Quibus repellentibus, cùm defluxio remittere incipit, sensím resoluentia iungimus, atq; anodyna quoque, si dolor exigat, intermiscemus. Quæ omnia sequentibus perficiuntur.

Actu refrigerantia vulgus adhibere solet, si ob ictum, aut tusam partem metuatur inflammatio, præcautionis gratiâ, ne intumescat: eoque nomine frigida, vt Lapidem, Ferrum, Plumbum, vel etiam Glaciem, subitò parti læsæ apprimũt; vel Aquâ frigidissimâ locum affectum perfundunt aut fouent. Quod in aliis causis, vti & in iam facta inflammatione, non temerè summè frigidis est moliendum, cùm sanguinem congelando, illius discussionem impediant.

In paronychia etiam immersionem digiti, in principio statim in aquam frigidam aliqui laudant: alij in Acetum calefactum potiùs quàm frigidum hoc fieri volunt.

Aliæ quæ potentiâ repellunt applicationes, eoque magis si actu quoque frigidæ sint, ex herbis recentibus fiunt: vt Plantagine, Semperuiuo, Solano, Polygono, aliísve in erysipelate enarratis, & vt illic ostensum, præparatis. Quibus & addi potest Aceti portio, vel oleum Rosaceum, Myrtillorum, Cydoniorum: interdũ & Farina hordei subigi.

Glandes recentes tusæ appositæ, & Tribuli fructus commendantur.

Furfures Aceto irrorati, vel in eo frixi apponuntur communiter. Item Oryzæ farin. cum Aqua frigida apposita & sæpè iterata.

Rosarum rubrarum placenta, post exstillatam aquam in fundo cucurbitæ remanés, in Vino rubro, addito simul Aceto cocta, chirurgorum in hoc casu est remedium: cuius placentæ loco, Rosæ sumi possunt, sicque præparari.

Alia applicatio repellens: ℞. succorum prædictarum herbarum ad ℥.vj. Aceti rosac. Vini acidi vel rubri austeri ad ℥.iij. olei rosac. vel Myrtillorum aut Ligustri ℥.j.ß. agitentur in mortario plumbeo, adde pulueris cortic. Granatorum rad. Bistortæ an. ʒ.j. semin. Myrtillorum vel Berberis vel florum Labruscæ ʒ.j. Boli ʒ.iij. fiat Inunctio: Bolo subacto cum Aceto & Albumine oui, vel additâ farin. Hordei inspissetur, pro Cataplasmate.

Defensiuum dictum, quòd ab inflammatione defendat, vsitatum, fit ex Bolo puluerisato subacto, si applicari, vel diluto si inungi debet, cum Aceto rubro vel Rosaceo, & Albumine oui conquassato addito plerumque etiam oleo Rosaceo. Compositum magis fit Sanguine draconis, Lapide hæmatit. Fortius si Scoria etiam ferri admisceatur. Aliquando & Terra alia, ob puritatem sigillata additur: Coralli item & Camphora.

Vel sic repellendum cum dolor infestat: Lacti vaccino, Aceti rubri pars quarta additur, & Vitelli ouorum Bolus item, albam sumendo, si partem minùs rubere velimus, & vti priùs vsurpatur.

Irrigationes vel fotus, frigidâ actu, vel vnctiones ex Aqua & Aceto, vel Oxyrhodino, vt in erysipelate dictum, actu & potentiâ agentia, hîc quoque competunt.

Quod & succis prædictarum, herbarum, illarumque decoctis & aquis stillatitiis fieri potest. Quibus & pulueres prædicti addi possent.

Fit & embrocha ex ol. Rosaceo maximè omphacino, vel Viol. supra partem nudam, vel fasciâ priùs inuolutam, si ex casu ab alto dolor sentiatur.

Bali-

Balneum digiti in decocto Pentaphyli, Absynthij, Agrimoniæ, Fragariæ, Myrti granorum, facto in Vino, in Paronychia priuatim conuenit.

Illitio repellens: ℞. succi Plantaginis, Semperuiui vel alterius plantæ repellentis ad ℥.ij. Aceti ℥.j. olei Rosac. omphacini ℥.ij.ß. cooli albæ vel rubræ ℥.ß. Albumin. oui numero j. Terebinthinæ parùm, agitentur vt fiat instar Nutriti: cui in progressu vt partim digerat, Cerusa, Cadmia fossilis, Lithargyrium addi possunt.

Vel: ℞. succ. Granatorum acetosorum ℥.ij. Solani, Aquæ Rosaceæ ana ℥.j.ß. Camphoræ ʒ.j. misce: Vngatur locus; cui & farina Hordei, vt meliùs hæreat, addi potest. Hoc in narium inflammationibus peculiariter etiam probatur.

Vnguentum vsitatum Rosaceum, Populeon, & de Cerusa, aliaque in erysipelate descripta, hîc quoque competunt, vti & Plumbei lamina tenuissima apposita.

Dolorem quæ præcipuè sedare possunt, cùm ille vrget, vt in vehementibus inflammationibus, & partium præcipuè exquisitè sentientiũ adhibentur: veluti anodyna, calore temperato mulcẽtia, vel narcotica, sensum nonnihil obtundentia: è quibus cùm illa simul maturent, si suppurationem metuamus, non nisi necessitate vrgente, sola vsurpari debent, sed ab initio repellentibus, in progressu resoluentibus permista adhiberi: narcotica verò, cùm insuper digerant, sicuti alibi ostendimus, quod maximè cupimus, cùm duplici nomine prosint, non tantopere ipsorum vsum, vti aliàs fit, extimescere oportet.

Hæc autem tam narcotica quàm anodyna, in erysipelate exposita, hîc quoque locum habent apposita. Quibus & sequentia addi possunt, Cochleæ crudæ ex testis extractæ potiùs quàm cum testis vt docent, ne contusa ob asperitatem cùm ægrè comminuantur, lædant.

Hyosciami folia vel Mandragoræ cruda, vel sub cineribus calidis parùm excocta, cũ adipe Porci contusa, addito interdum & Croco.

Vel vtimur hoc cataplasmate: ℞. Panis puri, vel Farinæ alicuius ℔.j. coquatur vel maceretur in aqua, cui & alia aqua stillatitia addi potest; vel in Lacte addendo mucilagin. seminis Psylij vel alterius ℥.ij. Albuminis & Vitellorum ouorum numero iij. oleum Rosaceum vel aliud ad ℥.iij. axungiæ Porci vel Pomadæ ℥.j. Croci ʒ.j. misce Applicetur.

In paronychia hoc est peculiare: Panis mica cocta in Lacte, cum Oui albumine, & Terebinthinæ pauco miscetur: quod dolorem compescit, maximè si Psylii mucago addatur. Quæ mucago in eodem affectu & cũ aliis farinis, vt Hordei apponi potest. Quibus vrgente dolore, Opium permiscetur & Camphora, postea ad sanationem, puluis Gallarum.

Vel ex herbis fit Cataplasma pro phlegmone quauis: ℞. herbarum Emollitiuarum M. ij. rad. Altheæ ℥.ij. flor. Chamomil. Melilot. Rosarum Furfuris an. P.j. coquantur, contundantur, adde Olea, Butyrum, Axung. Crocum fiat Cataplasma.

Aut Psylium vel semen ipsius contusum cum oleo Rosac. & pauco Aceto mistum apponitur, vel coquitur in Lacte semin. Psylij cum radic. Altheæ, addendo vnctuosa.

Vel mucago Psylij aut alia sumitur cum Albumine Oui, addendo succos, olea axun. vel Pomadam: Vt fiat illitio: vel alia applicatio cum lana succida.

Emplastrum diachylon paruum Mesuæi ex mucilagine seminum, vti psylij & hyosciami, dolorem admodum lenit, atque interim maturat vel digerit.

Oleum ex maceratione pomorum maturorum Strichnodendri, & fructus Balsaminæ, Momordicam vocant, illitum, expertum remedium, sicuti & oleum à semine Hyosciami expressum.

Inunctio vel applicatio simplex, ex Ouo crudo conquassato cum olei Rosac. à chirurgis fit, addito interdum Bolo ad repellendum.

Vel cum digerere simul volumus, ex Vitel. oui & ros. addita cerusa vel Pompholige.

Vnguentum Anodynum appellatum ex oleo liliorum, anethino, chamomelino pingued. anatis & gallinæ vsitatum est.

Vel hoc: ℞. ſucci Hyoſciami vulgar. vel Cicutæ, vel fol. Papauer. Maluæ vel Altheæ, an. ℥.ij. olei Amygdal. dulc. Roſacei an. ℥.ij. coquantur, addendo mucilagin. Altheæ vel alias ad ℥.ij. inter quas & ex ſemine Hyoſciami factas probant, Butyri ℥.j. fiat Vnguentum.

Aquam ſpermatis ſeu fœturæ ranarum valdè cõmendant admotam: Vti & ſuccum Cicutæ in panno applicatum: item Cancros crudos.

Reſoluimus ſeu abſumimus aut diſcutimus, vt vocant, humorem illum qui iam influxit, ne diutiùs retentus in pus conuertatur, vel putreſcat. Quod etſi natura per ſe efficiat, ſanguinisque influxi portio nondum alterata aliqua in nutrimentum abſumi poſsit, aliqua etiam, tenuior præſertim, ſponte digeri ſicque euaneſcere, tamen ſi ſegniùs illud natura agat, adhibitis remediis reſoluentibus eam iuuamus, quæ in augmenti principio repellentibus permixta, ſiccando potiùs, quàm calore ſuo id præſtant; mox verò ſola vſurpata, eoque citiùs ſi phlegmone ſit œdematodes, maximeque verſus declinationem, cùm ardor remittit, calidioribus nonnihil, illius reliquias diſcutiendo, addendo emollientia quædam ſi ſcirrhus metuatur.

Hæc autem perficiuntur herbis etiam illis, quibus in eryſipelate vtimur: Et inprimis Parietariâ, Maluâ, Altheâ, Attriplice, Braſsicâ, Morſu gallinæ, Tuſsilagine, Verbenacâ, Verbaſco, Scarleâ, Cõuoluulo, Sambuco, Ebulo, Pulegio, Parthenio, Achilleâ, Abſynthio, Seſamo, Vrticâ; radicibus Liliorum, Iridis, Bryoniæ, Cucúmeris, ſylueſtris, Aſphodeli, Xyridis, Lapatij, Rhapontici, Cannabis ſylueſtris; floribus Chamomillæ, Meliloti, Liliorum, Anethi, Sambuci; ſeminibus Lini, Fœnogræci, Tritici, Hordei, Lupinorum, Orobi, Milij, Panici.

E quibus, ex herbis recentibus vnam, vt Parietariam, vel duas vt hanc & Scabioſam, pluréſve alias ſumendo, crudas coctaſque contuſas applicamus: vel etiam folia harum ſola, abſectis venis protuberantibus, parùm conquaſſata, parti imponimus.

Paronychia herba, quia inflammationibus circa radices vnguium genitis, quas paronychias vocant, medetur, nomen inde accepit. Cui malo etiam Pentaphylum adhibitum & Dentis leonis herbæ caulis lacteus, inuerſus digitoque obuolutus: vti & membrana Oui teſtam ſuccingens, ſingularia ſunt remedia.

Succis expreſsis ex plantis recentibus phlegmone interdum quæcunque fouetur vel illinitur; vti & decoctis harũ aut aquis: inter quas aqua Tapſi barbati imprimis cõmendatur, & cæterarum quarundam plantarum aquæ vſurpari poſſunt, additâ interdùm aquâ quoque Roſac.

Aqua vini ſeu vitę, adeò reſoluit, vt ſi membrum lęſum eâ ſubitò perungatur, tumorem & inflammationem ſæpè cohibeat, accedente inſuper vi illius narcoticâ, quæ dolorem ſimul compeſcit: quo remedio operarij ſi quando ſe lædunt, vti conſueuerunt.

Vini fæcem illitam in omnibus inflammationibus commendat Dioſcorides, quam ego non tam reſoluendo, quàm & narcoſi ſua ſimul dolorem ſedando, vt de aqua vini dictum, prodeſſe exiſtimo.

Olea prædictarum quarundam plantarũ, idem inuncta præſtant, præſertimque in vſu ſunt Chamomill. Liliorum, Irinum, Amygdalarum dulcium; addito etiam oleo Roſaceo: Item Axungiæ aliquæ, & Oeſypum, & Propolis.

Compoſita ex his diuerſimodè vſurpantur: Applicationes ex plantis ſupradictis, contuſis, decoctis, addendo Acetum ab initio, mox Vinum, Mel, Oleum, Adipes, Terebinthin. & ex farinis ſupradictis aliquas, vel Polentam.

Vua paſſa admota prodeſt, vti & in furunculis additis cæteris, vel etiam Sale.

Triticum manſum impoſitum, vel illius farina cum Hydræleo ſubacta, aut fermentum ipſius, in furunculis iuuat.

Roſarum placenta poſt deſtillationem relicta, cùm reſoluendum ſimul eſt, in Lixiuio coquitur, addito ol. Chamomel. vel Anethino, & ſic applicatur.

Apij folia trita, & Morſus gallinæ, ſola, vel cum Tartaro & oleo Chamomelino, competunt.

Ca-

Cataplasma ex plantis vsitatis, quibus & aliæ plantæ addi possunt paratur: ℞. rad. Altheæ, Lapatij, ad ℥.iiij. Liliorum ℥.ij. Parietariæ, Verbenę, Tussilaginis an. M.j. Parthenij, Absynthij ad M.ß. fl. Chamom. Rosarum an. P.j. farinæ Hordei, Fœnogr. ad quartarium j. Ficuum paria quinque, coquantur in Aqua, contundantur, addendo olei Rosacei, Chamomill. an. ℥.ij. Axungiæ gallinæ ℥.j.ß. fiat Cataplasma.

Vel ex farinis: ℞. Furfuris vel Farinæ, vel panis Triticei ℔.j. farinæ Cicerum vel Lupinorum ℥.ij. macerentur in Aqua mulsa, vel alia, addendo Mel vel Sapam, coquantur parùm, adde radic. Ireos puluerisatæ, Rosarum rubr. ana ʒ.ij. seminum Myrtillorum ʒ.j. Croci ʒ.ß. olei Rosacei, Chamomel. an. ℥.j.ß. fiat Cataplasma.

Magis digerens in declinatione: ℞. radicum Liliorum ℥.iij. radic. Ireos vel Bryoniæ ℥.ij. herbarum Maluæ, Verbasci, Conuoluuli, Ebuli, ana M.j. florum Chamom. Sambuci, vel Meliloti, Anthos ana M.ß. farin. Lupinorum vel Orobi, Fœnogræci ana ℥.ij. Palmularum numero vj. coquantur in Aqua mulsa, contundantur, addendo olei Liliorum vel Irini ana ℥.j.ß. Rosarum ℥.j. axungiæ Porci ℥.j.ß. Oesypi ℥.j. Croci ʒ.ß. fiat Cataplasma.

Ex succis tale componi potest: ℞. succorum Parietariæ, Tussilaginis, Plantaginis an. ℥.ij. Mucilaginis seminis Altheę vel Maluæ, Fœnogræci vel Lini, vel Albumin. oui ad ℥.iij. Mellis ℥.j. olei Rosacei ℥.ij. misce: Illinantur, vel farinis inspissata applicentur, aut cum lana succida, quibus & alia addi possunt, vt Lythargyriū, Cerusa, Crocum, &c. Item cineres Buccinarum, quæ & solæ cum Melle inunctæ probantur.

Aliud: ℞. stercoris Vaccini ℔.ß. succi Semperuiui, vel Solani ℥.ij. olei Chamomel. & Rosacei an. ℥.j. Boli armen. ℥.ß. Inungant, vel additâ farinâ aliqua ex supradictis incorporetur, vt applicari possit.

Vel Olibanum puluerisatum cum farina Fœnogræci, Resina & Melle, excipiatur: Et applicetur.

Inunctiones hæ in furunculis præsertim commendantur, factæ ex Scammonea, cum Melle & Oleo subactâ, vel ex succo Thapsiæ, aut liquore radicis Mori, eodem modo permixtis.

Vel ex Sandaraca cum Adipe: vel terra Cimolia cum Aceto, aut lap. Asio cum Pice & Resina vnctiones aut emplastra, vti hæc docet Dioscorides.

Terram Cimoliam, Samiam: lapides, Pyritem, Ostracitem, Alabastritem, Geodem, probat Dioscor. vt & Cotis fricaturam, quæ dum ferrum acuitur, abscedit, vtilem censent, cum aliis permista, vel sola etiam cum melle aliisve inuncta.

Eboris scobem inspersam in paronychia probat Diosc.

Vrina, Lixiuium, per se vel addito Album. oui aliisve succis competunt.

Infusio vel decoctum Lithargyrij in Aceto, addito Albumine oui, interdū & Cerusâ, probatur.

Vnguenta suprascripta in erysipelate ex Cerusa, Lithargyrio, hîc quoq; locū habent.

Emplastrum Diachylon magnū vel ireatum. Item Diapalma seu Diachalcytheos dictum. Vel Colcotar seu ex Chalcitide Auicennæ, cùm digerere oportet, in vsu sunt. Vti & Triapharmacum Mesuæi, vnguentum, de Lithargyrio dictum.

Inter amuleta Leontopodij radicem suspensam, furunculos curare, docet Dioscor.

Tumor ex contusione, sine vulnere manifesto aut magno (nam de vulnere contuso in vulneribus agemus, vti & si per contusionem aliquid frangatur intrinsecus) si leuis sit, vel sponte, vel discutientibus adhibitis iterum residet, liuiditasque tandem euanescit. Quòd si verò maior sit, inflammatioque metuatur, vel illa superueniat, primùm repellentibus, mox discutientibus remediis, non eodem penitùs, vt in phlegmone, sed propter contusam carnem & sanguinem qui coagulatur, nonnihil variante modo, in curatione procedimus: Et si discuti nequeat, sed suppuratio sequatur, tunc maturantibus, vt in abscessu dicetur, eam promouemus, & quando in vlcus conuertitur, vt vlcus curamus.

Contusionis, cū inflammatione, vel cum tumore nondum inflammato, factæ curatio.

Ad influxū autem sanguinis mox à principio arcendum, præmissâ, si opus sit, venæ

sectione, aliisque quæ illum reuellant, vt in phlegmone dictum, Repellentia quæ adhibentur, si caro subiecta admodum contusa, sanguinem copiosum contineat, non adeò in alia phlegmone refrigerare tantopereque adstringere, vel illa in ambitu potiùs loci contusi, quàm suprà illum collocari debent, ne sanguis horum causâ coagulatus retentusque putrescat. Et proin quæ loco affecto adhibentur, & vim repellendi discutiendiq; nonnihil simul habere debent: qualia in progressu inflammationum vsurpari solent, illicque describuntur. Vsitatumque admodum est ad hoc præstandum, oleo Rosaceo, Myrtillorum cum Albumine oui, vel mucilagine Psylij, alióve agitato, locum contusum illinere, pulueresque adstringentes & siccantes, vt Myrtillorum, florum Rosarum, flor. Granatorum, rad. Bistortæ, Tormentillæ, Sanguinis draconis, Mastichæ, Boli, &c. inspergere.

Vel sic, si pars admodum vti & caput percussum fuerit: ℞. Lentium ℥.ij. seminis Myrtill. Balaust. an. ʒ.ij. flor. Ros. fol. Sumach. & Tamaricis, an. ʒ.j. Acaciæ, Mastichæ an. ʒ.ij. Thuris, Aloës, Sanguinis draconis an. ʒ.j. olei Rosac. Terebinthin. & Ceræ q.s. pro Emplastro vel Linimento.

Quibus in inflammatione præmissis, vel etiam omissis, si nulla timeatur inflãmatio, ad discutientia sanguinem affluxum, vel illic coagulatũ mox accedemus; illisq; etiam nullo tumore vel inditio ex contusione apparente, sed dolore tantùm punctorio vel lancinante ex contusione in parte aliqua vrgente, cùm in profundo magis materiam latere tunc cognoscamus, vtimur: Propinatis simul potionibus quibusdam, si de ruptura aliqua intrinsecus, & præsertim de sanguine affatim fluente in cauitates corporis, vel etiam ad locum contusum, & de illius coagulatione suspicio fit. Quæ & solæ potiones citra externorum remediorum vsum, si dolor ex contusione vel casu natus, nullo apparente foris inditio, vel leui, vti dictũ, oriatur, ad curationem, tunc, si bibantur frequenter, sufficiunt. Quarum descriptiones, cùm & si contusione vulnus infligatur, ad vulnus quoq; hoc sanandum, vti cæteræ vulnerariæ potiones opitulentur, vnà cum reliquis eiusmodi potionibus proponemus. Cæterùm quod externa discutientia remedia attinet, sequentia inprimis vsurpantur.

Cataplasmata seu emplastra, fiunt ex Absynthio, floribus Chamomill. vel Meliloti, Rosis, in Oleo & Vino coctis, addendo bene contusis farinam Fabaceam, interdum & Mumiæ, Sanguinis draconis an. ʒ.j. ad ℔.j. emplastri.

Si caput contusum sit, Betonica aliáve capiti appropriata addi possunt, non tamen nimis calida, si dolor inflammationem præsagiat.

Absynthij puluis cum Albumine oui subactus, profuit in multis.

Furfur cum puluere Absynthij & Aceto coctum, appositum: addito interdum oleo Rosaceo, & Chamomelino.

Liliorum radix & Dracunculi, cum Melle contusa, addito Stercore caprino.

Farina fabarum cocta cum Oxymelite, cui si nerui simul contusi sint, Pix liquida additur: Potest & farina Orobi addi.

Cochlearum caro cum farina sem. Fœnogræc. vel Fabarum, contusa.

Stercus bubulum applicatur, addito interdum Oleo Rosaceo.

Excellens in contusionibus, liuiditates quoque tollens, cataplasma, fit ex rad. Symphiti maior, puluerisata, decocta in Hydromellite, addendo ad ℔.j. succi Rutæ & Absynthij ana ℥.j.ß. sem. Cimini ʒ.ij. misce.

Vel: ℞. radic. Consolid. puluerisat. ℔.j. puluerum flor. Chamomill. Meliloti, Absynthij an. ℥.j. farinæ Fabarum & Fœnogræci an. ℥.iij. Butyri, vel Oleorum prædictorum ℥.ij. Croci ʒ.ß. fiat Cataplasma: cui & succi, & Ciminum etiam addi possunt; admodum resoluit carnem ex contusione contritam seu mortificatam, vt vocant.

Inunctiones ex oleis calidis discutientibus, vt Chamomelino, Anethino, Liliorum, Sambucino, Ebulino, vel simul repellentibus vt Myrtillorum, fiunt.

Vel: ℞. axungiæ Caponis vel Gallinæ, Terebinth. dissol. in Melle & Aqua vitæ: Et inungatur.

Vnguento Anseris in podagra descripto,

pto, si Cimini & Absynthij pulueris portiuncula addatur, in contusionibus etiam conuenit.

Vnguentum dialtheæ per se inunctum vel addito oleo Violaceo, Lumbricorum, Rutaceo, Chamomelino, pinguedine, Anseris, Butyro, additâ aliquando Mumiâ; efficacissimum erit, Si inunctioni sem. Cimini inspergatur.

Vnguentum de Alabastro, Agrippæ, de Cerussa, Oxycroceam in vsu sunt.

Lixiuium ex cinere sarmentitio Vitium vel Vinaciorum cum Aceto, Sale & Melle prodest.

Probatur & cinis Vinaciorum cum Aceto, emplastri modo impositus.

Vrinâ abluatur locus contusus, vel foueatur. Lineus pannus Aquâ vitæ irroratus, parti contusæ, tepidè, subitò, admotus, tumorem impedit, sanguinem dissipat & discutit.

Fomentari vel immergi circa finem, vt resoluatur materia membrum contusum potest, ex decocto radicum Ebuli, Osmundæ, Sanamundæ, Absynthio, Pulegio. Arthemisia, fl. Chamomillæ, Meliloti, Sambuci vel Ebuli, Rosarum, &c.

Inuoluantur in corio Arietis modò mactati dum calet, quibus totum corpus ex casu conquassatum est: Alij bubulo vtuntur vel alio: Alij in fimo eos sepeliunt.

In aurium contusione; Dioscorides Sulphur cum Melle & Vino illinit. Et Bulbos cum Polenta imponit.

Si glandulæ ex contusione intumescant, vel inflãmentur, vti & testes, quid faciendũ, in ipsorum tumoribus fuit expositum.

Bubonũ & Parotidum cũ inflammatione, quæ tunc Panus & Phyma dicitur, vel sine ea, curatio.

Tumores glandularum qui dum dolore in corporis superficie prodeunt, cùm hi sint præcipuè, qui circa inguina, vel sub axillis nati Bubones Schlier German. vel iuxta aures Parotides, German. Ohrenmügele appellantur: nos horum curationem simul quoque, cùm non adeò dissimilis sit, proponemus. In qua primùm, si hi tumores citra inflammationem, cum dolore nihilominus fiant, vt in iunioribus dum crescũt, vel quando propter scabiem, ob dolorem vicinæ partis intumescunt, non adeò laborandum. Sed tunc solùm ne influxus increscat, malumq; augeatur, & proinde nimiùm attrectent locum affectum, vti alioquin iuniores facere solent, alióve modo irritent prohibemus: & si opus, reuellentibus & deriuantibus fluxionem impedimus.

Quòd si verò maior tumor & dolor adsint, aut incipiat, vel iam facta sit inflammatio; quam si maior sit, & à sanguine puro dependeat, Phygethlon seu Panum, si minor, & à sanguine impuriore, Phyma vocant, siue Bubones aut Parotides sint, & vel per se nascantur, vel in morbis diuturnis aut acutis vel malignis, vt in lue venerea vel peste prodeant, & vel cum inflammatione, aut citra eam existant: Tunc ante omnia, euacuationes, reuulsiones, deriuationes, per venæ sectionem, purgationes, facimus: eaq; ratione morbi comitis, vt in singulis dictum fuit, hisce tumoribus accommodamus. Quibus solis interdum factis, corporeque decenter purgato, bubones aliqui, vt venerei sæpè recedunt.

Topica verò remedia quod concernit; In principio si inflammatio in illis adsit magna, propter dolorem, ægro nonnihil ante omnia subueniendum, anodynis & narcoticis admotis. Repellentia tamen, vt in cæteris inflammationibus, nisi fortè à causa externa magna in adenibus nata esset inflammatio, minimè erunt adhibenda, cùm causa morbifica, vel vitiosus humor plerunque à natura in hæc corporis emunctoria expurgetur. Cuius naturæ hic motus, præsertim si non satis aut tardè agat, potiùs est iuuandus: eoque nomine ampliùs huc alliciendus, iis quæ relaxando hasce sedes, faciliorem in illas influxum concitent, idque calore moderato, vnde etiam dolorem simul compescunt: vel vtendo quoq; fortioribus, calore validiore attrahentibus, si bubo aut parotis sint pestifera. Quibus à principio mox factis, statim ea quę quod affluxit resoluant, vel etiam simul maturent, hisce permiscemus; vel iis solis vtimur: admiscendo in pestiferis præsertim eiusmodi tumoribus, quæ venenum simul alliciant, illiusque vim, vti creditur, infringant, vel in aliis, quæ certa quadam proprietate operentur. In pesti-

pestilentibus quoque, aliquando, vt virus è corpore educatur, sectionibus vstionibusq; viam aperimus. Quibus factis, postea cùm in abcessum desinunt, indeque in vlcus, cura hisce debetur.

Remedia autẽ quæ hæc omnia præstent, quod attinet: Si dolor ante omnia curam ad se trahat, anodyna eadem quæ in phlegmone exposita sunt, hîc quoque adhiberi possunt, eoque rectiùs, cùm relaxando simul, quod requirimus, prosint: Vti & narcotica illic etiam proposita, admoueri, cùm simul, vt illic ostensum, resoluant. Quo nomine & inter reliqua, herba Narcoticæ, aqua Vitæ, Vini fex, in his tumoribus quoque à plerisque commendantur.

Reliqua verò quod concernit, quæ relaxando, attrahendo, resoluendo vel etiam simul maturando, vel viam manifestam patefaciendo, vim veneni infringendo, aut alijs proprietatibus potentiâ actuque operari debent remedia, sequentibus formis modisq; administrantur.

Lana succida ouium, cui sordes adhuc adhærescunt, quas Oesypum vocant, quæ & solæ inungi possunt, communiter parotidibus bubonibus cuiuscunque generis apponitur. Quæ etsi vim quandam etiam repellendi propter sordes habere dicatur, & ob id in inflãmationibus non solùm dolorem lenit, sed & nonnihil repellit, tamen relaxando plus hîc operatur, quàm repellendo; præsertim si in oleo relaxante, vt ferè fit, intincta priùs admoueatur.

Inunctio relaxans communis, dolorem simul sedans sic fit: ℞. Olei communis recentis vel loti, vel Amygdalarum dulcium, Butyri recentis ad ℥. ij. anxungiæ Gallinæ vel Porci, ad ℥. j. mucilag. seminis Psylij vel Lini vel Altheę ℥. ß. Vitellũ vnius oui, misce.

Alia quę & simul nonnihil digerit vnctio, fit ex ol. florum Chamomil. Meliloti, Anethi, Sambuci, Cheiri, Liliorum, Irino, Sesamino, Amygdalar. amararum. Quibus addi possunt pinguedo Gallinæ: Anatis, Anseris. Item mucago Fœnogræc. interdum & Crocus.

Fotus relaxans, & calore actuali quo adhibetur, alliciens, & simul digerens nonnihil, paratur ex decocto Maluæ, Liliorum, florum Chamomillæ, Meliloti, vt in mamillarum & testium inflammatione dictum. Idem facit Spongia decocta in Vino, & Aquâ calidâ sæpe admota.

Applicationes aliæ ex plantis factæ, præter communes, quæ relaxant & resoluunt, vt sunt Althea, Malua, Parietaria, Lilium, Chamomilla, Melilotus, &c. bubonibus & parotidibus, sequentia etiam quæ diuersas operationes pręstant, conueniunt simplicia: radices Asphodeli, Gladioli, Bulbi veri, Personatæ: ex herbis, Asteratticus, qui bubonium & inguinalis, quia bubonibus illis accommodatus est, dicitur. Scabiosa, quæ Apostemen kraut German. quòd eiusmodi tumoribus competat, vocatur, in pestiferis bubonibus etiam singularis. Verbasci folia & radix, Adianthum, Plantago, Attriplex, Anagallis, Sambucus, Millefolium, Pes leporinus, Sclarea, Abrotanum, Galeopsis, Acinos, Isatis, Coriandrum, Onobrychis, Conyza, Pycnocomum, Oleæ syluestris folia, & Panacis asclepiadis flores. Et quando validiùs attrahendum & resoluendum, Ranunculus flammeus & Eruca, Consiliginis folia, cortex Nucis arboris, Viti nigræ. E quibus omnibus, aliqua contusa, cruda, vel cocta priùs in Aqua vel Vino, vel Hydręleo, addito etiam interdũ Aceto & Melle, vel oleo Rosaceo, Camomel. vel Adipibus, bubonibus apponuntur. Quæ & cum Sale contusa plerumque applicat Dioscorides: Theriaca, Mithridatum, aliaque antidota his quoque si pestiferi sint, permiscentur.

Eiusmodi plantis sic diuersimodè præparatis, farinæ quandoq; adduntur, vt Hordei, seu Polenta, Fabarum, Cicerum, Lini, Fœnogræci, Lupinorum, Loleacea, fitq; ex illis Cataplasma.

Vel farinæ hæ solæ coquuntur, cum jam dictis liquoribus in formam pultis, additis Oleis, vel cum Melle: calidaq; sic, sæpe repetita adhibentur, vti & cætera omnia quę apponuntur, calida actu esse debent.

Alia cataplasmata ex bulbis fiunt Cæparum, Liliorum, aliisve. Item rad. Altheæ, Bryoniæ, Iridis excorticatis, cum Butyro, Axungijs, Oleóve decenti subactis: additis quan-

quandoq; pulpâ Ficuum & farinis seminis Lini & Fœnograeci.

Vel in bubone pestifero, priùs illis vt dictũ excoctis, Theriaca, Mithridatum, aliáve antidota permiscentur: vel Cæpa absecto operculo excauata, hisce impletur, rursumq; tecta, stuppisq; inuoluta, sub cineribus calidis parùm cocta, contusa apponitur. Quibus & Acetum vel succus Citri, Granatorum, vel oleum Scopionum, vel Hypericonis, Crocus, addi possunt.

Raphanus in pestifero præsertim confert, si ab eo talleoli lati absecti, illi imponantur, sæpeq; mutentur, quos in medio foramine patefaciunt, vt virus attractum illic expirare posit.

Poma immatura syluestria probantur in pestiferis.

Malum granatum minutim concisum, & in Aceto coctum, in pestiferis conuenit: cui & succus Scabiosæ, vel Acetosæ, aut aquæ illorum dum coquitur, addi possunt.

Vitellus oui salitus allicit & resoluit, cui succus Scabiosæ, aliáue antidota, si pestilens sit bubo, admiscentur. In quo & Lardum salitum appositum probatur.

Sapo niger dissolutus cum Lixiuio, addito Gummi ammoniaco, dissoluto in Aceto, Phyma discutit.

Aqua Chelidoniæ & bibita & inuncta, valde commendatur in Bubone venereo.

Compositum cataplasma, alliciens, resoluens vel etiam maturans tale fit: ℞. bulbos Liliorum, Cæparum, rad. Altheæ, Raphani, detractis membranis ℥. iiij. Maluæ, Scabiosæ, in bubone pestifero, an. M. j. ß. florum Chamomil. Sambuci an. P. j. Ficuum paria quinq;, Decoquantur, pistentur, adde farinæ Fœnogręci vel alterius ℥. ij. gummi Ammoniaci, Galbani an. ʒ. vj. Dissolue in Vino, olei Liliorum vel alterius & Axungiæ q. s. fiat Cataplasma.

Huic si seminis Sinapis ʒ. ij. addantur, validiùs allicit, vel etiam Fimi columbini tantundem.

Emplastra quibus attrahimus & attractum resoluimus, quo nomine vt vapor exeat, in medio ea perforare solent, sunt Diachylon magnum & Ireatum, vel etiam Ceroneum, Diapalma, Basilicon magnum, de Meliloto, Dialtheæ: quæ validiùs attrahent, si Resina & Pix vel gummi Galbanum aut Ammoniacum addantur.

Galbanum etiam solum emollitum, inguinibus imponitur, quando in lue venerea bubones apparuerunt, & rursum euanescunt, vt eò virus trahatur.

Vel sumitur de gummis, Galbano, Ammoniaco, Bdellio, Oppopanace, vnum vel plura; dissoluta in Aceto forti vel scyllitico, vel Aqua vitæ, malaxando oleo Liliorum, addendo ad quartarium vnum emplastri, pulueris radic. Ireos ℥. ß. folior. Scabiosæ, in pestifero bubone ʒ. ij. & si validiùs trahendum sit, Euphorbij ʒ. j. pro emplastro: cui & Cantharides, cùm fortiter attrahendum, asperguntur.

Aliud phymati peculiare: ℞. Ladani, Bdellij, Ammoniaci, dissoluta in oleo antiquo, addita Propoli, vel alio resoluente an. ℥. j. Terebinthinæ ℥. ß. Mellis ℥. j. Axungiæ Porci ℥. j. Picis & Ceræ q. s. Pro emplastro.

Præter hæc, in bubonibus aut parotidibus, pestiferis præsertim, sequentia etiam ad virus eliciendum & euacuandum è corpore, ysurpantur, idq; mox in principio.

Gallus vel Gallina, aut Pullus horum, vel Catellus, vel Rana dissecta, vel Bufo, quem efficaciorem censent, aut Pulmo recenter mactati arietis, cruenta & calida adhuc imposita, frequenterq; iterata.

Podex Galli, Gallinæ vel Columbi, viuentium adhuc, deplumatus, buboni adhibitus, Sale quandoq; conspersus, rostrum interim illorum premendo, vt sic, vti vulgus putat, per inferiora spiritum hauriendo, virus meliùs eliciat.

Cucurbita validiùs allicit, cum flamma admota, buboni cuiuis, cùm allicere volumus, imposita vel circumposita.

Sanguisugæ admotæ sugendo sanguinẽ illum, si virulentus sit, prosunt.

Scarificatur interdum, vel alioquin secatur bubo pestilẽs, vt via huic veneno ad exitum patefiat. Aliàs etiam eo nomine cauterio actuali vel potentiali vritur.

Alij penitùs amputant: Quæ periculosa admodum sunt remedia, nec temerè ten-

tanda, cùm non ita multum educant è corpore, & interim in periculum inducant sæpe ægrum, eoq; magis si inflāmatio adsit.

Mamillarum & Testium inflāmationis, curatio.

Tumores cum dolore glandosarum partium in corporis superficie, nimium Mamillarum & Testium, si citra veram inflāmationem eueniant, fiatque in mamillis, ob lactis exuperantiam, turgentibus & distentis potiùs quàm ex tumore collecto tunc dolentibus, curationem illius affectus ad eos qui in magnitudine adaucta corpus deformant, relegabimus. Vti &, si testes citra inflammationem aliis de causis, vt in colico dolore, intumescant, cùm hoc sponte dolore colico sedato mox cesset, non noua hîc cura erit instituenda.

Quòd si verò vel ob iam dictos mamillarū aut testium affectus, aliasq; ob causas explicatas, tumore in illis oborto, metuatur inflammatio, vel iam nata sit, vnde in mamillis peruersa sæpe sequuntur vlcera, & in testibus durities & scirrhi relinquuntur, tunc cura inflammationum istarum in vtrisque, cùm non adeò differat, simul explicabitur.

Primùm itaque subitò sanguinem, si copiosè eò feratur, Venæ sectione factâ, si mamillæ inflammatæ sint, in brachio, postea etiam in pedibus, præsertim si menses substiterint, aut minùs fluant: & si testes affecti sint, in pedibus primùm, mox etiā brachio, si magnus sit affluxus, reuellemus & deriuabimus: Cucurbitulis item brachiis, coxis affixis, adhibitâ simul si opus sit, Scarificatione: Et repellentibus applicatis, affluxum illius impediemus, doloremq; si admodū vrgeat, mitigabimus; moxq; illud quod influxit, omni studio resoluere studebimus, ne in pus conuertatur materia, & vlcus sequatur, quod in illis sedibus ægrè sanatur.

Repellentia eadem quæ in phlegmone explicata sunt, hîc possunt competere, eaque præsertim quæ mox simul digerant, illic descripta. Qualia præcipuè sunt quæ farinas simul recipiunt.

Vel sic: ℞. Plantaginis, Senecionis, Maluæ recentium an. M. j. bulliant, in fine addendo aquas Solani, Rosarum: Contundantur, misce farin. Hordei, Oryzæ, Cicerum, Fabarum an. ℥. iij. olei Rosacei ℥. ij. ol. Chamomel. ℥. j. fiat Cataplasma, cui Bdellij in Aceto dissoluti ℥. ß. permisceri potest.

Dolorem quæ sedant, ea quoque in phlegmone exposita seligenda, quæ potiùs narcoticâ vi, quæ digerere simul diximus, id præstent, quàm anodynâ, cùm illa suppurationem, quam hîc impedire cupimus, promoueant.

Resoluentia inprimis hîc mox admouenda, qualia in phlegmone quoque proposita sunt. Quibus & sequentia addi possunt; Asphodeli & Hemerocallidis radices, & folia Coriandri & Bellidis, per se vel cum cæteris admota.

Item Coriandrum cum Vua passa, & Melle inuicem contusâ.

Cicerum farina & Fabarum, præ cæteris hîc prodest, decocta in Vino, vel Oleis resoluentibus, in phlegmone descriptis, addendo interdum parùm Aceti & Mellis, aliáve, vt Ciminum.

Mucilagines seminum, vt Fœnogræci, Lini, Altheæ, subiguntur farinis, additis oleis, sicque admouentur; aliis quoque additis.

Nuces iuglandes cū Ruta & exiguo Mellis probat Diosc.

Passulæ enucleatæ sumuntur, vel etiam Caricæ & Dactyli, coquuntur vel emolliuntur in Vino, contunduntur atque applicantur: Vel huius pulpæ ℔. j. adduntur farinæ Cicerum & Fabarum an. ℥. ij. farin. Fœnogr. ℥. ß. admiscendo Olea digerentia, sicque applicantur. Validiùs discutient, si puluerum radicis Ireos ℥. ß. sem. Irionis ʒ. j. Mellis ℥. ij. admisceantur, & sic vsurpentur.

Vuarum vinaceos cū Sale apponit Diosc.

Et Fermentum cum Origano & Sale.

Stercus vaccinum exiccatum cum Melle & Vino coctum, vtile.

Theriaca admisto Croco, dissol. cum Melle vel Oleo inungitur vel applicatur.

Fotus ex decocto herbarum & radicū in phlegmone explicatarū, similiter resoluunt: Vt Altheæ, Maluę, Absynthij, rad. Iridis, Cucum. agrest. & florum Meliloti, Chamomillæ, Sambuci, Rosmarini, Stœchad. Rosar. seminis Fœnogr. Lini, Cimini, Ficubus, coctis omnibus in Vino, addito Melle, interdum & Aceto.

Vel Lana intincta in oleis digerentibus apponitur.

Vel hoc Vnguentum: ℞. ol. Chamomil. Liliorum an. ℥.j.ß. Galbani, Ladani dissol. in Aceto an. ℥.ß. semin. Cimini ʒ.j. stercor. Vaccini exicc. ʒ.ij. Croci ℈.ß. Ceræ q.s.

Cancri crudi contriti appositi, valde probantur.

Si ad suppurationem tendat mammarum vel testium inflammatio, tunc eadem cura quæ abscessibus debetur, illicque explicabitur, instituenda.

Abscessuum curatio. Abscessus, Apostema vulgò dictum, eandem penè curãdi rationem in singulis illius speciebus, siue post inflammationes cõmunes, aut priuatas glandularum, aut aliarum partium cuti adnatarum & substratarum, gignatur, requirit: Vt nimirum maturetur, & maturus aperiatur; quo facto, cùm vlcus succedat, huic cura deinde accommodatur.

Maturari seu suppurari debet, statim cùm incipit abscessus: quod fit, cùm resolui in phlegmone influxa materia nequit, vt tunc in pus conuersa, per abscessum, quando in vlcus aperitur, per illud expurgari possit. Quod inde natum vlcus, cùm in externis hisce inflammationibus curatu non tam difficile sit, aut noxium, si rectè gubernetur, idcirco non adeò hîc vt in illis maturandis, laborabimus; sed vbi in abscessum vergere inflammationem cognoscimus, naturæ operationem iuuamus, eoque citiùs, si citò suppurari soleat, vti pleraq; tubercula, quæ proni Eysen nostri, quasi vlcera dicas, vocant, in abscessum mox abire videmus: diligentiùs quoque illud efficere studentes, si suppuratio difficulter fiat & protrahatur, vt in furunculo, in quo, loco puris, lobus carnis diu infixus manet; & præsertim in maioris momenti partibus, quibus diutiùs pus retentum noxam inferre solet, vt circa iuncturas fit, & in paronychia, nisi pus mox concoquatur, illique pateat exitus, ossa illius loci & neruosæ partes, vti dictum, tandem vitiantur. Hæc autem suppuratio seu maturatio, naturæ solius beneficio plerunq; præstatur, quæ humorem illum excoquit, & vnà cum eo, partis affectæ, cui sanguis inhæret, substantię aliquam portionem, nulla adhuc illic facta putredine, sed tantùm in materiam albam pultis instar, quæ pus dicitur, transmutatione: vnde nec fœtet pus, nisi fortè hic quoque putredo inducatur, quæ tamen à suppuratione multùm distat, & tunc primùm sequitur, quando natura illius maturationem derelinquit, vel tardiùs efficit, aut non perfectè, vt in furunculo, vnde & faciliùs perficiatur, medicus opem ferens, suppurantia adhibet: quæ temperata vel leuiter calida & emplastica sunt, quibus dum calor natiuus, vt rectiùs operetur, fouetur & iuuatur, hęc mutatio meliùs procedit. Quod & anodyna cùm ferè eodem modo faciant, maturationem, vti dictum, promouent, vti & pleraque suppurantia anodyna quoque essent, nisi puris generatio nouos dolores excitaret.

Multa quoque ex resoluentium numero, calore vel siccitate, non ita validis, prædita, sed calore moderatiore, si materiam minùs vt resolui possit habilem, resoluere nequeat, suppurationem illius, si eò vergat natura, quoq; adiuuant, vel saltem non impediunt. Quæ omnia remedia maturantia actu tepida vel leuiter calida admota, hoc quoq; nomine suppurationem accelerant.

Remedia verò Peptica, maturãtia seu suppurantia, in forma emplastica (vnde efficaciùs operantur) cataplasmatum applicari solita, sunt primùm, Triapharmacum Galeni, quod ex farina Frumenti, Oleo & Aqua simul coctis, in formam pultis paratur, quæ puls Croco colorata, magis concoquit.

Cuius loco hoc fieri potest: ℞. farinã Tritici vel Zeæ, vel Maizi (quæ priuatim à quibusdam commendatur) vel Panis micam, coquantur in Aqua, aut Iure pingui non salito, vel Lacte, si dolor expetit, & in ℔.j. adde Olei vel Butyri, Adipis porci vel vituli an. ℥.j.ß. Vitellos ouorum num. ij. misce. Possunt & mucilagines addi.

Fit & aliud cataplasma ex Panis mica vel Farinis, cum bulbis Liliorum vel Cæparum & Lacte coctis, vt modò dictum, addito interdum Butyro, Oleo vel Axungiã. Cũ quibus & rad. Altheæ, Malua, Senecio & Ficus simul coquuntur & permiscentur.

Vel ex pluribus tale fit cataplasma: ℞. ra-

dic. Altheæ, Liliorum ana ℥.ij. rad. Bryoniæ ℥.j. trium vel quatuor herb. Emollitiuarum, Senecionis, Braſsicæ vel Eryngij ad M.iij. florum Violarum P.j. Ficuum paria vj. Paſſul. mundat. par. x. farinæ Tritici vel alterius, vel Panis ℥.iiij. farinæ ſeminis Lini, vel Fœnograeci ℥.ij. coquantur, piſtentur, adde ex adipibus ſupradictis ℥.ij. Olei Liliorum, Violarum, Amygdalarum dulcium ad ℥.j. Croci ʒ.ß. fiat Cataplaſma.

Vel ſumitur Cæpa alba (cùm quia minùs acris eſt, magis maturet quàm digerat) item Ficus, inciduntur, coquuntur, & cum Butyro vel Oleo miſcentur, additis quandoque farinis, & adhibentur. Adduntur & quandoq; ex ſupradictis radicibus & herbis quædam, Vitelli ouorum, Terebinthina, &c.

Aliud: ℞. Caricarum ℥.ij. Ladani, Thuris an. ʒ.j. Styracis liquidæ, Terebinthinæ an. ʒ. ß. cum Farina cõmuni vel alia incorporentur, additis Oleis & Axungiâ porci.

Folia hyoſciami cocta ſub prunis, cum Adipe apposita, vti & multa ex digerentibus, ſi cum vnctuoſis temperatis calor ipſorum temperetur.

Cynogloſsi radix tuſa, apposita, admodum ſuppurat, & in bubonibus peſtiferis conuenit.

Viſcum tenaciſsimum quo aues capiuntur, alij applicant: alij Vernicem liquidum quo ligna incruſtantur.

Viſcum, Ceram, Reſinam, æqua portione miſta applicat Dioſc.

Vel viſcum cum Malua, Abſynthio, ſem. Lini, Melle & Oleo coquitur & apponitur.

Vel Butyrum, Sæuum, Cera miſta, apponuntur.

Pix vel Cera, vel ambo, cũ Oleo diſſoluta, vel additâ Terebinthinâ, aliàs & Thure.

Aliàs Oui vitellum ſolum vel cum albumine, cum Oleo vel Butyro, vel Sæuo potiùs, aut Medullâ, additâ interdum & Terebinthinâ. Eſtque tunc Chirurgorum Eyterſelblin dictum: cui & alia permiſceri poſſunt, vt Thus, Crocus.

Mucilagines rad. Altheæ, ſeminis Lini & Fœnograeci, cum Oleis, Butyro vel Axungiis ſubactæ, & Vitello oui.

Emplaſtra vſitata maturantia ſunt Tetra pharmacum Galeni, ex pice, reſina, cera, adipe vaccino compoſitum, cuius adipis loco, oleũ, maximè ſi dolor adhuc adſit, aliquando ſumitur, tuncq; Baſilicon minus Meſuæi dicitur. Item Diachylon commune ſeu album: vel etiam Paruum, dolore præſertim ſimul vrgente: Sed & Magnum, etſi potiùs digerat, tamen ſi materia digeri nequeat, ad maturationem quoq; opitulantur: maximè ſi oleo copioſiore diluta vſurpentur, veluti & alia malactica, vt vnguentum Dialtheæ, Reſumptiuum, Aureum. Quibus Macedonicum addit Aëtius, furunculisq; maturandis, qui tam ægrè ſuppurantur, accommodat.

Perfuſio vel fotus, ex Hydrelæo, vel Oleo communi aut alio temperato, maturat, vel applicatio cum lana, prẹſertim ante reliquorum applicationem.

Caulium ſuccus, illiusque ſeminis Mucago laudatur, per ſe illita, vel cum aliis appoſita.

Caro quadrupedum, vti & Piſciũ & Cancrorum fluuiatilium adhibita, etiam ſuppurationem promouet. Sicuti & Manus hominis ſæpe admota; præſertim ſi tubercula illis tractentur, quod proin prohibere, cùm ſuppurare non cupimus, ſolent.

Aperiendus abſceſſus, quando maturus eſt, pure ſcilicet iam genito, quod ex mollitie, acutie, vt in illius deſcriptione oſtendimus, cognoſcitur, vt ſic puri exitum moliamur.

Sed & ante perfectam maturationem aliquando aperiendus erit, ſi circa iuncturas aut partes nobiliores exiſtat, ne pus retentũ illis noceat; quod quoq; faciendum, ſi peſtilens aut malignus in bubonibus ſit humor.

Hoc autem natura ſponte, vel maturantia ſimul adhibita, dum ſuppurant, faciunt, cùm cutem ſimul cum ſanguine & carne excoquendo, teneriorem mollioremque & veluti excoctam reddendo, vt facilè tunc aperiatur, ſimul efficiant.

Vel hoc validiùs id potentiâ actuq; agentibus, cutemque pertundentibus ſimul præſtabitur.

Inter ea quæ potentiâ agunt, mitiora alia ſunt, quẹ maturant & exitum ſimul parant, quibus cùm ſenſim apertionem molimur, vtimur:

vtimur: alia sunt fortiora, quæ subito illud erodendo, vrendo, cutem perforant.

Fermentum supradictis maturãtibus additum, vel cum Vitello oui, coctione indurati, & Farinâ administratum, vel cum Axungia: quibus & Cæpa addi potest, & maturat, & apertionem promouet.

Idem facit Scabiosa, Caules, rad. Narcisi, Buglossi, Capparum.

Nux rancida, & ex magis acribus Nasturtium, Apium, contusa, per se applicata, additis interdum aliis maturantibus Farinis, Ficubus aut Oleis.

Ebuli folia contusa cum Axungia porcina, applicata in mamillarum abscessibus, sæpeque mutata, eos aperiunt.

Poma putrida, Mora rubi matura, Paridis herbæ fructus maturus, abscessus aperire, experientia ostendit: vti & Cæpa quę admodũ acris sit; Vel Allium, cruda vel parũ tosta.

Cinis Caulium radicum aut Ficulneus, subactus Aceto, potenter aperit, mitiùs si Axungiâ temperetur.

Stercora inprimis, ad maturandum & aperiendum simul apostema, probantur, vt Bubulum ex pascuis sumptum, in pãno prę-sertim, vt docet Dioscor. qui Rupicapræ in parotidibus cęteris præfert. Anserinum stercus magni fit apud chirurgos in Paronychia, recens & calens adhuc ab ansere excretum, appositum, vt quod in eo affectu maximè requiritur, puri mox viam faciat. Probatur & in aliis abscessibus Vaccinum, Porcinum, Caprinum, Caninum. Et cùm validiùs citiusq; aperiendum, calidiora ex illis, veluti Columbinum, Gallinaceum. Quæ omnia per se apponi possunt, vel contemperari decoctione in Vino facta, addito nonnunquam & Aceto: vel dissoluta in Oleo, permiscendo etiam Farinas, si amplius maturandum.

Cataplasmata ex enarratis efficacia fiunt, si prædictis plantis contusis aut parùm coctis, vt dictum, mistis, Fermentum ęquâ portione, Stercoris Columbini quarta pars addatur, Acetoq; forti, quod cutem excoquendo, vt citiùs aperiatur, efficit, subigatur; eritque adhuc efficacius, si Sinapis ℥ ß. vel Nitri aut Sulphuris viui an. ℥ ij. addantur.

Mel Anacardinum, cum Pice dissoluta ad ignem, mistum, idem facit.

Et Euphorbium, quod quia vrit, parùm priùs in Oleo bulliat, addendo etiam stercora, & parùm Gummi Ammoniaci.

Sal Ammoniacum cum Fermento & Vitello oui subactum appositum, addito Croco & Opio.

Calx viua cum Sapone miscetur, addendo Mel vel Saliuam ieiuni hominis.

Cauteria potentialia citiùs adhuc erodendo vel vrendo, cutem aperiunt, tuncq; dolorem adferunt; vti verò nullum vel exiguũ, si septica vi cutem corrumpendo, eam denigrent & mortificent. In quibus etsi eschara facta diu adhuc infixa maneat, tamen in ambitu illius, cùm ea à cute sana mox secedat, illic transitum humori patefacit, donec eschara sensim recedens, foramẽ patens post se relinquat. Hæc autem, in eo abscessus loco, vbi mollior vel acutior est, apponuntur, in foramine emplastri alicuius prius agglutinati, ne latius vis illius extendi possit, totumque abscessum inuadere & inflammare; & si dolor sequatur, ille postea leniri debet, parsque in ambitu defensiuo vnguento in phlegmone descripto, muniri.

Talia verò plurima à veteribus inuenta, Galenus proponit: pastillos nimirum causticos, Polydæ, Andronis, Musæ, Pytini, ex chalcantho & alumine, cæterisque paratos. Item vnguenta duo caustica Andromachi.

Multaq; eiusmodi Arabes habent, è quibus præcipua, vti & neotericorum aliqua, Fallopius & Paræus descripserunt, quæ citò & interdum sine dolore, etiam sine opio parata operantur, quod ad doloris mitigationẽ nonnunquam, sed exiguo, quantum obseruaui, cum fructu addunt.

Inter quæ illud indolẽs omnino est, quod ex Lixiuio, Capitello vocato, sensim donec in tophum concrescat, coquitur; quod Lixiuium ex Calcis viuæ partibus tribus, & Vini fæcis vstæ partibus duabus, affusâ aquæ iustâ mensurâ, per macerationem atque sæpe iteratam transcolationem, vel etiam coctionem, conficitur; efficaciusq; erit, si loco aquæ, Lixiuium ex cineribus stipitum Fabarum, Quercus transfusum sumatur.

Longeque citiùs adhuc altiusque cutem aduret, si Salis Ammoniaci vel Aluminis aut Chalcâthi quartam partem, ad Calcis & Vini fæcis quantitatem addas, sicque lixiuium pares & decoquas; sed tunc magis dolorem inferet, quocirca vti dictum, opium interdum addunt.

Ex aqua seu Lixiuio saporis, addito Chalcantho vel Sale ammoniaco aut Alumine, donec lapidescat, cauteriũ quoq; coquitur.

Sublimatum cum vnguento Populeonis, ad dolorem, & lapid. Hæmatite, ad inflammationem arcendam, in pastam subactum si apponatur, idem præstat.

Cantharides itidem, si Fermento, addito etiam Aceto, in pastam redigantur. Quibus & Æruginem æris vel Chalcâthum addere possumus, vel tantillum Auripigmenti, vt; cùm tunc citiùs operentur, dolor minùs diu duret.

Sunt qui Aquâ forti, cum sextuplâ portione Aquæ, præsertim Siliginis, locum madefaciendo vrunt.

Aqua idem præstans: ℞. Vitrioli, Arsenici, an ℥.ij. Sublimati ℥.ß. succi Bryoniæ ℥.vj. Cantharidum puluerisat. ʒ. ij. Destillentur ad vsum, & guttâ vnâ locus disrumpendus aperiatur.

Oleum vitrioli, si gutta vna aut altera apponatur, idem operatur: Nicolai Massæ remedium.

Actu quæ agunt, subitò puri fenestram aperiunt; Fitq; tutiùs hoc sectione factâ cum nouaculâ aut phlebotomo, eo in abscessus loco, vbi mollior & acutior est, pusque certò subesse deprehenditur; eousque adacto instrumento, donec pus emanet, foramenque satis patens fiat: rugas interim si circa flexuras sit, vt secundùm illarum lineas sectio fiat, obseruando.

In abscessibus abstrusis pure intrinsecus latente, præsertim circa iuncturas aut alias partes, quibus diutiùs illic retentum obesse posset, sectione illi maturè exitum, antequã pars corrumpatur, facere oportet, etiam pure non absolutè cocto, aut abscessu nondum admodum se manifestante. Quapropter & in paronychia, si dolor admodum inualescat, etsi nondum appareat suppuratio, quia tamen suspicio est, sectio statim facienda; incidendo digitum, à summitate illius, in latere vnguis, profundè ad os vsq; ferrum adigendo, & ad iuncturam vsque descendendo, sic enim ossis à pure corruptionem, quæ alioquin mox sequeretur, vitabis.

Ferro candenti impresso nonnunquam aperitur maturus abscessus: vel perforando penitùs cutem, vel saltem eam vrendo, donec eschara fiat: sicuti cauterio potentiali eo modo, sed tardiùs puri exitum patefieri ostendemus. Vrimus quoq; cauterio actuali, in paronychia os corruptum, vt in vlceribus dicetur.

Cancer cùm sit tumor à phlegmone plurimùm differens, tum quòd sensim nascatur, sine inflammatione, molesque cùm excreuit quædam sit carnea, altis defixa radicibus, & quando exulceratus est, ab aliis vlceribus ob lobum carnis infixum, stirias quas producit, & labiorum inflexionem, & cùm pernicie sua noceat potiùs quàm manifesta qualitate dolorem aut calorem adferat, diuersam quoque curandi rationem ab aliis tumoribus & vlceribus exigit. *Cancri curatio.*

Præmisso ante omnia prognostico, si primùm inceperit, & adhuc exiguus sit, nec negligatur (vti ferè fit, cùm non nisi à peritis medicis tunc cognoscatur) ipsius incrementum difficulter impediri, si adauctus sit, ægerrimè, & si ad summum peruenerit, nunquam curari posse, & si vlceratus sit, cum nisi posit integer funditùs extirpari, etsi longo tempore sępe perdurare posit, lethalem.

Curatio seu medici operatio, in incipiẽte, cum spe aliqua, in cõfirmato minori vel nulla, præsertim si exulceratus sit palliatiua cura, hoc pacto instituenda.

Vt cùm nobis huius perniciosæ materiei illiusque qualitatis, è qua cancer constitutus est, & fouetur, antidotus certa aliqua cognita non sit, & proin eam infringere nequeamus; quod si fieret, curari posset, nec cancer aliam curã, qualis alioquin tumoribus debetur admittat, cùm discutientibus non cedet, & si illum emollire vel suppurare studeamus, vti chirurgi indocti hoc pacto cancrum curare volentes, plerunq; peccare solent, deteriorem & qui in vlcus citiùs abit, redda-

reddamus: vt saltem omni studio ipsius incrementum dum crescit, vel si iam creuit, exulcerationem impediamus, eumq; sic retardemus; & si exulceratur, ab omnimoda corruptione quamdiu fieri potest, sustentemus, vel statim in principio, dum vires adhuc constant, vel postmodum cùm desperatus est, penitùs extirpemus: Interim toto tempore quo ille viget, corpus purum mundumque quantum fieri potest seruandum, viresq; quæ labuntur conseruandæ, fouendæ; & si quæ alia occurrunt symptomata, illis est prospiciendum.

Sanguinis detractio, Scarificatio, Cucurbitularum applicatio, in distentiore vel viciniore loco, reuellendo & deriuando, in plethoricis præcipuè, viris constantibus, dum adhuc crescit, augmentum illius aliquo pacto remorari possunt. Ad quod & Hæmorrhoidum & Mensium fluxus, si decēter procedant, nonnihil adiumenti adferunt.

Purgatio ab initio, si fortè per hanc etiam incrementum illius retardari posset, pro ratione redundantiarum in corpore potiùs instituenda, quàm vt eam tantùm melancholicis humoribus educendis, sicuti communiter ab iis qui atram bilem illius causam esse censent, fit, accommodemus: quæ quidem cùm corpus durum rectiùs tractetur, hoc nomine potissimùm nonnihil iuuabit, cùm alioquin venenatam cancri causam auferre nequeat, sicuti verò venenum aliud, vt illud quod luem veneream efficit, purgationes sæpe continuatæ & magnæ è corpore propellunt, quod in cancro affectis summè debilitatis corporibus, facere minimè tutū est, nec si fieret, prodesset. Purgantium autem formas, cùm passim in aliis affectibus, in quibus magis prosunt, describantur, non necesse est de nouo hîc repetere.

Reficiendus æger, cùm vires labascunt, idque Alimentis optimis, inter quæ & illa, quæ hecticos restaurare, in huius febris cura diximus, hîc quoque probantur: Inprimis ex Cancrorum carne illic descripta edulia: quos cancros etiam comestos, vel ius ipsorum bibitum, proprietate quadam in hoc affectu, fortè ob nominis affinitatē, cùm alioquin cum cancris fluuiatilibus nihil habeat, etiam quod formam attinet, simile; admodum probant. Præcipuè tamen ne acribus & salsis frequenter vrendo, vt citiùs cancer exulceretur hoc pacto procurent, cauendū. Vinum præcipuè eos præ cæteris reficit, nec quid, quò minus eo vtantur, huius morbi causâ impedire potest. Cordialia medicamenta varia intus forisque administrata, in febribus hecticis alibique exposita, in hisce imbecillitatibus similiter conueniunt. Imprimisque ea, quæ venenis resistunt, in febribus pestiferis proposita, & quæ in venenatis vlceribus mox proponentur, meo videre, plus in huius quoque veneni viribus retundendis, quàm aliis humoribus accommodata, proderunt. Suntque hæc potissima inter ea quæ in hoc casu propinantur, potiusq; quàm potiones vulnerariæ, vsurpanda; quas tamen quoque in exulcerato cancro aliqui, vt omnia in morbo desperato tentent, exhibere iubent. Eamq; quæ ex Pyrola & Hedera terrestri cum Vino decoquitur, plurimi in cancro mamillarū aliisq; faciunt.

Topica verò quod attinet, dum cācer adhuc integer est, eum ne augeatur vel vlceretur, reprimimus: adhibitis siccantibus & adstringentibus, proprietatemque talem aliquam habentibus, quibus eum firmemus & veluti induremus.

Hoc autem multa ex repercussiuis seu repellentibus in erysipelate, phlegmone, expositis, à plantis præsertim earumque succis petita remedia, præter anodyna & vnctuosa, ex solis repellentibus parata, apposita, præstare possunt.

Inprimis verò in hoc casu ex herbis probantur Polytricum, quod diuinum in cancro sanando vocant, & Geranium Robertianum, cancrosanum ob id dictum, Ceterach, Coriandrum, Agrimonia, Polygonum: & præter has Tapsus barbatus, Plantago, Intybus, Solanum, Bursa pastoris, Consolida minor, Sanguisorba, Lapatium, Galeopsis, Sedum, Lunaria.

Quæ herbæ pauciores plurésve, recentes, contusæ applicantur, addito interdum Aceto vel Agresta.

Vel hoc pacto: ℞. radic. Tapsi barbati & Lapatij an. ℥. ij. Polytrici vel alterius plantæ

M.ij. contundantur cum pauco Aceto; adde puluerem Cancrorum vstorum ℥.ß. misce, fiat Cataplasma.

Aliud: ℞. farinæ Lentium vel Cicerum P.j. nucleorum Nucis rancidæ vel priùs parùm vstæ, contusæ numer.vj. coquantur in Aceto, fiat Cataplasma.

Caro Cancrorum marinorum, cùm magis cancri formam referant, vel etiam fluuiatilium; item Cochlearum, Ranarum, cocta, apposita iuuare creditur.

Sûcci prædictarum herbarum, similiter per fotum aut illitionem admouentur, addito etiam Aceto. Nonnunquam & Aquæ harum.

Vel sic: ℞. succorum Plantaginis, Solani, Intybi, Sedi, aliarúmve plantarum ad ℥.ij. Aceti rosac.℥.j. olei Rosac. omphacini vel Myrtyllorum ℥. ij. Terebinthinæ ℥.ß. agitentur in mortario plumbeo, addendo cortic. Granatorum, Citri an.ʒ.j. Boli rubri ℥.ij. Plumbi vsti & loti ʒ.j. Camphoræ ʒ.ß. agitentur, fiat instar nutriti: Quo vngatur sæpe.

Plumbi bractea cancro alligata, eum nonnihil reprimit.

Cancri exulcerati seu Carcinomatis curatio. In exulcerato cancro validiùs adhuc siccantia & adstringentia adhibebimus, vt putredinem illius & fœtorem, vnde quoq; debilitantur, & inprimis sanguinis illam continuam exudationem, quæ mortẽ illis tandem accelerat, quoad fieri potest, arceamus. Et si corrupta & putris iam sit illis portio, illam auferre medicamentis, totumque, si fieri potest, cancrum radicitùs manuali operâ tollere, nitemur.

Primùm itaque exiccationis, vti dictum, gratiâ, plantæ quæ ante illius exulcerationem conueniebant, nunc quoque siccando in vlcerato proderunt. Præter quas cùm exulceratus est, etiam Vrtica, Ruta, Hypericon, fol. Ebuli, Scabiosa, Centinodia, conueniunt, similiter tusa & admota.

Succi prædictarum plantarum, per se, vel addito ol. Ros. aut inspissati pulueribus, diuersimodè applicantur.

Pulueres vel cineres qui idem præstant, proprietatemque quandam habere creduntur, sunt Cancrorum marinorum vel fluuiatilium & Testudinum, Ranarum, Mustelæ, Gruis, Stercoris humani, priùs in furno exiccatorum vel vstorum: Aliique pulueres admodum siccando agentes, eodem modo siccati, vel in cineres redacti, ossium Myrobalanorum & Oliuarum, & solearum calceamentorum: vel pulueres herbarum prędictarum siccati, dein & ligni Salicis vetustissimi, Psidiarum, Balaustiorum, sem. Irionis, Galeopsis, Cornu cerui; metallici itẽ, Plumbi crudi vel vsti & loti, Cerusæ, Antimonij crudi, Thutiæ, Pompholygos præpar. Lithargyrij: terrestres, Boli, Lapid. molaris, Gypsi vsti, Cotis fricaturæ: E quibus aliqua succis excepta vel herbis contusis permista, alióve modo parata applicantur.

Applicatio ex Passulis cum Ruta pistis probatur. Et Brassicæ folia in Lacte cocta, aspersa multo Saccharo, fœtorem putrem emendant. Lauri item folia superposita.

Inunctio conueniens: ℞. succi fol. Tapsi barbati, succi herbę Roberti vel Polytrici ℥.j. Mellis ℥. iij. adde pulueris ossium Myrobalanorum vstarum ʒ. ij. cineris Cancrorum vstorum ʒ. j. fiat vnguentum.

Vnguentum efficacius: ℞. succorũ Plantaginis, Bursæ pastoris, Agrimoniæ, vel etiam de aliis succis, Aceti ad ℥.v. olei Rosac. omphacini vel Myrtillorum ℥.iiij. Terebinth. ℥.j. ducantur in mortario plumbeo; pro applicatione, vel inunctione. Vel adde Lithargyrij ℥. ß. Plumbi vsti & loti, lapidis Hæmatit. an.ʒ.ij. Antimonij crudi ʒ.j. Coralli vsti & loti ℈. ij. Perlarum, in magnatibus ℈.j. Camphoræ ℈.j. cinerum Cancrorum vel aliorum ʒ.j. fiat vnguentum: cui plura ex supradictis pulueribus addi possunt, prę sertim ex Stercore humano, adeò commendato.

Oleum ouorum in mortario plumbeo diu agitatum, inunctum eximium dicitur. Item oleum Antimonij & Sulphuris.

Vnguentum Diapompholygos, Emplastra quæ plumbum recipiunt, in cancro exulcerato, cõmuniter, vt siccetur, adhibentur.

Ablutio illius ex Aceto, additis quandoq; succis, à putredine eũ vindicant. Vti & si hoc fiat Lixiuio forti: quale & illud est quod ex cinerib. Ficus ramorũ paratur, vel herbis supradictis, aut ligno Salicis, Iuniperi. Idẽ Vrina præstat. Efficaciùs agent, Vitriolo addito.

Aqua

Aqua Stercoris humani si applicetur, vtilissima cẽsetur. Probatur & Aqua coriandri.

Puluis sequens cãcro vlcerato totam ceruicem & malam cum aure possidente, in sene quodam inspersus, eum, ne putredine, fœtore & hæmorrhagia penitùs conficeret, aliquot annis cõseruauit: ℞. Gallarum, cortic. Granatorum an. ℥.j. Gypsi vsti ℥.ij. Boli Armeni ℥.j. Lithargyrij, Cadmiæ fossilis an. ℥.ß. Aristoloch. rotund. ʒ.iij. Plumbi vsti ʒ.ij. cineris Testarum cancrorum ʒ.j. fiat puluis subtilissimus. Ex eodem, Melle & Terebinthinâ excepto, Emplastrum fuit appositum.

Ad corruptam & putrem carnẽ auferendam, Sal gemmæ, vel Alumen, puluerisata inspergimus: quibus cum successu pulueris Lumbricorum æqualis mensura additur.

Vel succum Bryoniæ & Dracontij hisce permiscemus, & inungimus.

Aut vnguento Ægyptiaco putredinem hanc tollimus.

Fortiùs exedunt carnem putrem sequentia. Auripigmenti & Tartari æquæ sumuntur partes, macerata priùs in Aceto forti, in vase fictili, vruntur, puluisque inspergitur.

Vel hic puluis, qui ℞. Arsenici crystallin. ʒ.ij. radic. Aronis ℥.j. fiat puluis.

Aquæ quibus putridam carnem madefaciendo auferimus, fiunt hoc pacto: ℞. Auripigmenti ʒ.j. Æruginis æris ʒ.ij. puluerisata, diluantur Vini albi ℔.j. agitentur diu in mortario, vel maneant in infusione aliquandiu, postea quod clarum est effundatur, & coquatur, donec tertia tantùm pars supersit, eamque aquâ Rosarum vel aliâ, quousque moderatè nec nimis violenter agere possit, contempera; & vtere.

Alia ex puluere Mercurij sublimati ad ʒ.j. cum aquis Rosar. Plantag. Solani ad ℥.iiij. parùm cocti fit, & commodè adhibetur.

Eradicatio totius cancri per sectionem, extremum est remedium, si radicitùs hoc fieri possit, viresque illud ferant, nec quid aliud impediat. Nam frustra fit, si illis in locis tentetur, vbi profundus admodum, subiectarum partium carni membranisque suis radicibus venisque adhæret, adeò vt ab illis penitùs amputari nequeat, cùm tunc illius remanente portione, iterum crescat, sicuti in plerisque locis, altè cancer infixus hærere solet, vti & cùm in orificiis immersus latet, ægrè eradicatur. Dein & si magna, quia venis magis vicinus est, hæmorrhagia metuatur, hoc nomine quoque adest periculum, nisi illa remediis mox admotis illicò compesci possit. In vniuersum tamen interdum exscindi, parte corporis simul sublatâ, potest: vt si in crure aut brachio sit, si vnà cum cancro hæc amputentur. In quo faciendo, nisi sectio insigni spatio supra cancrum fiat, illicq; pars auferatur, iterum illum repullulasse, cùm in genu cancer esset, sectioq; paulò supra illud fieret, in puella obseruaui. Mamillarum cancer, cum mamilla radicitùs excisa, interdum quoque aufertur: aliàs in costis remanente radice redit.

Anthracis simplicis, & pestilentialis, curatio.

Anthrax seu Carbunculus, etsi pestilentialis non sit, admodum tamen debilitat, & curatu contumax est: periculoq; non vacat, si in cordi vicinis locis existat, si succus sit, aut virulentum quid loco puris ex eo emanet, magnaq; adsit inflammatio. Pestilentialis verò carbunculus, febris pestiferæ causâ, cui copulatur, exitium potiùs adfert: aliquando tamen per se, in partibus nobilioribus aut iuncturis accidens, nocuus.

In curatione vtriusq; antracis, quod generalia præsidia attinet, vniuerso corpori euacuationis & alterationis gratiâ accommodanda. In pestilenti ea ad febrem pestiferam potiùs quàm anthracem diriguntur: pro anthracis tamen situ, venæ sectionem hoc illóve in loco facientes: sicuti in febribus pestilentialib. hęc copiosè exposita sunt. In carbunculo verò alio, pro ratione plethoræ vel cacochymię, venæ sectio vel purgatio instituitur, & propter comitem inflãmationem, reuulsiones & deriuationes fiunt. Exhibenturque ratione febris synochi malignæ, caloris & imbecillitatis, refrigerantia, putredinem arcentia, restaurantiaque cordialia, atque eadem foris applicantur. Reficiendique sunt victus ratione restaurante, cæterisque id efficientibus, quò & somnus referendus esset, nisi in carbunculo tantopere prohiberetur, quòd per eum ad interiora virus rapi credatur, cùm tamen ad exteriora in somno, calorem vergere, ex calore &

sudore, quo dormientes citiùs afficiuntur, conjicere liceat, vt non necesse sit adeò ægros à somno multis diebus sæpe, vti facere vidi, impediendo, tantopere affligere & debilitare.

Topicis verò anthraci adhibitis, reprimimus inflammationem, in non pestilenti: attrahimus venenum in pestilenti, aperimus & maturamus vtrunque anthracem: postea vt vlcus curamus.

Reprimimus inflāmationem, in anthrace non pestilentiali saltem, adhibitis repellentibus in circuitu illius, vbi inflammatio existit, si præsertim magna sit, idque in principio, qualia in phlegmone descripta sunt: veluti defensiuum illud, ex Bolo paratum: & illitio repellēs ex succis parata; aut vnguenta vsitata, è quibus chirurgi communiter illud de Cerussa inungunt.

Vel vt & ardorem compescamus, & simul concoquamus, emplastrum de Arnoglossa dictum, anthraci vel statim, vel pręmissis repellentibus dictis, toto ferè curationis tempore, circumponitur: quod ex Plantag. foliis recentibus & Farina Lentium & Communi, ex qua panis coquitur, furfuribus nō ablatis, seu ipso Pane inde cocto, quem syncomistum vocant, inuicem decoctis contusisque paratur: cui, si validiùs repellendum, Gallarum puluis in principio addi potest: si concoquendum, farina Fabarum & Orobi, Melleque subigi.

Attrahimus venenum in anthrace pestilenti, statim ab initio: vti & in bubone pestifero fieri debere, & quo pacto, ostendimus; per ea quæ venenum alliciunt. Vt si sectus per mediū Gallus, Columb. Rana, Bufo imponantur, & Podex galli vel columbi admoueatur, quæ meliùs, si locus leuiter priùs scarificetur, operabuntur: vel quæ sugendo illud agunt, vt sunt Cucurbitulæ, Sanguisugæ, affixa: Aut si hoc hominis desperati suctu ore facto, vel per instrumentum quo lac è mamillis sugi solet, alióve modo fiat.

Aperimus anthracem vtrumque, vt exitum veneno pestifero vel maligno humori faciamus, scarificando mox in principio illum, & in progressu, si præsertim nigrescere incipiat: profundis (vt sanguis egregiè effluat) plagis, ne gangræna secuta, mortis causa, etiam in anthrace non pestifero fiat, vel in pestifero periculum illius conduplicet: Quo facto, Aquâ salsâ, gangrænæ metus causâ, interdum lauatur.

Idem Causticis perficitur, virusque in vtroq; anthrace allicitur & educitur: & quando corrumpi incipit, vrendus Cauterio actuali: quòd si ex auro chalybéve factum sit, tanquam à purioribus metallis, conuenientius esse putant: vel potentiali adhibito aliquo hoc fit, qualia in abscessu aperiendo varia præscripta fuêre, vt pastilli illic expositi veterum: vel ex Cantharidibus factum causticum, aliáve. Vsitatum est in carbunculo, Sublimatum vel Arsenicum illi imponere, exiguam portionem, emplastri priùs appositi foramini in medio illius indendo: Vel illius quatuor grana, cum Album. oui benè conquassati, cochlear. j. miscere, illaq; aquâ anthraces tangere.

Maturamus seu cōcoquimus anthracem vtrunq;, mox cùm caro illa quam possidet, corrūpi incipit, vt parte illius aliquâ in pus conuersâ, maximè illic vbi carni sanæ adhuc iungitur, reliqua portio vel integra vel frustatim exeat. Quod fit adhibitis quæ illud agant, eligendo ea præcipuè, quæ & virus pestilens in pestilenti, vel malignitatem in alio reprimunt.

Applicationes in hanc rem fiunt ex Scabiosa & Consolida maiori & minori, quæ præ cæteris commendatur: postea etiam Tapsus barbatus, Cynoglossa, Pilosella, Millefolium, Cauda equina, Bursa pastoris, Galega, Brassica, Altheæ radix & Liliorum. Item Dioscor. testimonio Matricaria, Sabina, Cupressus, Ligustrum, Panax herculeū, recentia contusa, apposita, per se, vel cum Sale mista, aliísve, vt dicetur. Quorum & succi vsurpantur.

Allij, Porri, Cæparum, Liliorum bulbi, & Raphani radices, Eruca, Nasturtium, vrtica, similiter vsurpantur, addito Sale, aliquando & Pipere.

Mala granata secta in partes & cocta in Aceto, contusa, admodum putredinem & vim malignam anthracis emendant.

Bacca matura herbæ Paridis, secta contusave.

tusáve, in pestilenti bono successu adhibetur, Oliua item matura siccata, in vtroque probatur.

Ficus vel vuæ passæ siccatæ, Nucum iuglandium, Auellanarum nuclei rancidi, simul separatímve, cum Sale, addito interdum Fermento admouentur, vel aliis permiscentur.

Vuam passam cum Ruta probat Dioscor. Eadem cum Melle & Pice anthracem emarginare dicitur.

Vitellus oui cum Salis ʒ.j. idem præstat. Quibus & Mel, Ficus, Farina, succus Scabiosæ addi possunt. Vel dissoluitur Vitellus bene salitus cum Aceto, sicque apponitur, additis etiam aliquando aliis succis.

Emplastrum conueniens: ℞. Spicas bulborum Allij duas, Rutæ p.j. Ficus num. quatuor, Fermenti ℥.ß. Salis ʒ.j.ß. Piperis ℈.ß. contundantur.

Vel sic: ℞. rad. Cucum. asin. vel Bryoniæ ℥.ij. Salis nitri ʒ.j. fellis Porri parum exiccati ℥.ß. farin. Lupinorum ʒ.j. Terebinth. parum, subige.

Aliud: ℞. sem. Sinapis ℥.ß. farinæ Lupinorum vel Orobi ʒ.ij. Ficuum ℥.j. gummi Ammoniac. dissol. in Aceto ʒ.iij. Terebinth. parùm, misce.

Stercora Gallinarum, Columbarum, Passerum, Ouium, Boum, vel sola admota, egregiè maturant, vel parùm cōtemperata, Melle aut Aceto, vel Farina aut Vitello oui, aut Fermento. Interdum Sapo stercori additur, Acetoq; subigitur. Humano si vti velimus, quod adeò commendant, exiccatum illud potiùs cæteris miscebitur.

Fuligo camini, Fermento, vel Vitello oui excepta, addito Sale, vtilis. Quâ ratione & Carbo quercus vsurpari potest. Vti & hoc vnguentum: ℞. Aluminis ʒ.ij. Salis gemmæ ʒ.ß. Mellis q.s. misce.

Nitrum cum Terebinthina mistum, similiter conuenit.

Succi enarratarum plantarum, vt Scabiosæ, Consolidæ, vel Tapsi barbati, illinuntur; vel farinis inspissati, vel additis Vitellis ouorum, applicantur.

Oleum nucum, vel Rosac. cum Sale, Melle, addito interdum & Aceto, inungitur.

Gummi ammoniac. in Aceto dissol. cum ol. Liliorum & Cera mistum, anthracem dissoluit, illiusque virus elicit.

Theriaca, Mithridatum, quòd non tantùm venenum alliciant, vt in bubone pestilenti dictum, sed & maturent, vtrique anthraci, vel sola, vel in Cæpa excauata, aliísve herbis fructibúsve permista, apponuntur.

Sapphirum gemmam carboni circumductum, & postea supra carbonem ligatum aliquandiu, valdè prodesse, aliqui asseuerant.

Traduci carbunculum in alium locum, vbi minùs nocere possit, putatur, si Scabiosa contusa in loco sano ligetur, atque Athanasia interim carboni imponatur.

Vlcus quod anthrax maturatus è sua sede vel omnino vel ex parte, recedens post se relinquit, cæterorum vlcerum modo, sicuti in illis dicetur, curabitur.

Herpes miliaris, Flecht/ Zittermol/ sponte nonnunquam siccatur, & abscedit, vel facili negotio, vt si sæpè saliuâ ieiuni hominis illinatur, sanatur, vti & Phlyctenodes: Esthiomenus der Wurm difficiliùs curatur, & si negligatur, in impetiginem psoram, vt illic dictum, abit. *Herpetis miliaris & Esthiomeni, curatio.*

Curatio horum, cùm à bilioso, salso & acri humore procedant, in multis conuenit. Nam quod euacuationes attinet, hæ omnibus eiusmodi humoribus, qui causam præbent, repurgandis accommodantur; sic procedendo, vt leuioribus primùm fæces & communia excrementa educamus, postea fortioribus sanguinem ab illuuie dicta seu ichoribus mundum reddamus: Quæ ad præcautionem in illis, qui hisce vitiis obnoxij sunt, & in illis qui his iam affecti sunt, vt cura feliciùs procedat, administrantur. Quorum remediorum formas, in aliis morbis biliosis & febribus proposuimus, & in scabie vlteriùs describemus. Sanguinis detractionem quod attinet, hîc nisi aliud quid moneat, non adeò erit necessaria.

Alterantibus, calorē & acrimoniam horum humorum contemperamus & emendamus, in febribus quoq; expositis medicamentis, & diæta cōuenienti: topicis verò in vtroq; herpete vtimur; ab initio admodum siccantibus, & quæ acrium illorū humorum

vim refrigerando retundunt: qua ratione miliaris facilè sanabitur, aliquãdo & esthiomenus, qui & si serpat, adhuc amplius siccantibus vtemur, illisque quæ putridam illius carnem, validè abstergendo, vel exedendo aut absumenda à sana, ne eam vlterius inficiat aut corrumpat, repurgent.

Inter ea quæ siccando & acrimoniam reprimendo hîc prosunt, sunt Plantago, Polygonum, Agrimonia, Bursa pastoris, Rubus, Ligustrum, Vitis folia aut Capreoli, Solanũ, Lens palustris: quæ contusa adhibentur.

Vel sic: ℞. Agrimoniæ, Plantaginis vel etiam alterius, vt & Myrti vel Oleæ sylu. recentium ad M. ij. cõtundantur, addendo Sumach, corticum Granatorum ana ℥. j. ß. farin. Hordei vel Lentium ℥. ij. vel coquantur in Vino austero, vel Vino & Aceto, & contundantur, pro Cataplasmate.

Emplastrum de Arnoglossa in Anthrace expositum, hîc quoque, additis Gallis, corticibus Granatorum, Aristolochiæ rot. in miliari proderit. Est & emplastrum de tribus Granatis paratum, ad miliarem vtile.

Succi enarratarum plantarum, vti & Granatorum illinuntur, idque per se vel additâ quarta parte Aceti aut amplius. Aquæ prædictarum plantarum vnà cum Rosacea similiter cum Aceto nonnunquam vsurpantur, si præsertim in ℔. ß. Cãphorę ʒ. ij. dissoluatur.

Acacia, Hypocistis, dissoluta in aliis succis vel Aceto egregiè siccando & constringendo prosunt; & ne serpant, prohibent: additis quandoque & aliis id agentibus.

Liquor seu succus exudans ex Ligno viridi dum crematur, vt Vitium sarmentorum vel Quercus, inunctus, prodest; cui & alia siccantia misceri possunt.

Validiùs siccant sequentia composita: ℞. succorum Plantag. Polygoni, vel etiam aliorum ad ℥. iiij. Aceti ℥. j. farinæ Hordei tantum vt in vnguenti formam redigatur.

Magis siccant si loco farinę addantur pulueres Balaust. Gallarum an. ʒ. ij. Boli ℥. ß. misceantur.

Vel sic: ℞. succorum Plantarum prædictarum cum Aceto vt dictũ, ol. Rosacei omphacini, Myrtini an. ℥. iiij. bulliant ad consumpt. succorum addendo pulueres prædictos vel cort. aut putaminum Granatorum, capularum Glandium an. ʒ. ij. rad. Aristolochiæ ʒ. j. Ceræ modicum, pro vnguento.

Magis exiccat, & ne serpat vlteriùs in esthiomeno, cauetur sequenti: ℞. succorum prædictorum cum oleis, inuicem coctorum vt dictum, vel non coctorum, vt efficaciores sint succi, adde Lithargyrij ℥. ß. Tuthiæ, Plumbi vsti & loti, Antimonij, Lap. hæmatit. vel Cadmiæ, ana ʒ. ij. Æris vsti vel Rubiginis ferri, Aloës ana ʒ. j. Corallum & Spodium addi quoque potest, agitentur in mortario plumbeo cum succis & oleis diu, cum pauca Terebinthina, vt fiat nutritum: vel si cocta sint cum pauca cera, fiat vnguentum.

Abstergens egregium: ℞. succorum Absynthij vel Chelidonij maioris, vel Parietariæ vel Enulæ, vel Rutæ ad ℥. iij. Myrrhæ ʒ. ij. Thuris ℥. ß. Salis ʒ. j. farinæ Lentium q. s. fiat illitio: vel adde farinæ Lupinorum, Fabarum, Hordei, q. s. vt fiat emplastrum. Si Omphacij ℥. j. addas, potentiùs putredinem auferet.

Vel sic: ℞. Lithargyrij ℥. iij. Sulphuris ℥. ij. Nitri vel Salis gemmæ ʒ. j. Æruginis æris ʒ. ß. cum Melle vel Omphacio fiat vnguentũ.

Alumen cum fæce Vini inunctum, illud quoque admodum præstat.

Atramentũ scriptorium, ob Alumen, Vitriolum & Gallas mirè siccat, inunctum.

Vnguentum Pompholygos, album Rhazis, additis siccantibus, vt Alumine, Nitro, in vsu sunt.

Fimum Caprarum syluestrium, Dioscor. laudat, alij etiam Vaccinum, cum Vino vel Aceto decocta.

Pulueres ex capitibus Piscium salitorum veluti Halecum; item Lana & Corio, cort. Pini, vstis eousque vt puluerisari possint, admodum siccant, inspersi herpeti: vel Succo aliquo, vel Omphacio, si admodum serpat, excepti, inuncti.

Vel: ℞. ex vstis illis pulueribus ad ʒ. ij. rad. Aristol. rot. Balaust. Myrrhæ an. ʒ. j. Olibani ʒ. j. ß. fiat puluis subtilissimus, inspergatur herpeti priùs fricato parum, & inuncto oleo Fraxini. Probatur & puluis Testarum fornacum Diosc.

Ablutio vel fotus aut illitio in vtroq; herpete

pete conueniens, ex aqua fit, quæ ex rad. Lapatij in talleolos dissecta, & in Aceto per diẽ vnum aut alterum macerata, donec id ferè imbiberit, exstillatur. Vel ex corticibus Citri, eodem modo infusis & destillatis elicitur. Quibus aquis si Alumen aliúdve amplius siccans addatur, ante destillationem vel post, efficacior erit.

Vel sic: ℞. herbarum prædictarum ad M. iij. quibus & folia Myrti, Oleæ addi possunt, rad. Lapatij, Aristoloch. an. ℥.j. cortic. Gran. Gallarum an. ʒ.vj. Lupinorum ℥.j. sem. Myrti ℥.ß. Acaciæ, Hypocistidis an. ʒ.vj. decoquãtur in Aqua extinctionis ferri, additâ etiam Vini austeri parte: Pro lotione herpetis, esthiomeni, cui & Thus & Myrrha ad maiorem detersionem ad ℥.ß. addi possunt, vel in ea decoqui.

Vel Lixiuio aut vrina inueterata abluitur, in quibus ex præcedentibus quædam decoqui possunt.

Idem fieri potest Aqua vel Aceto in qua Vitriolum dissolutum sit.

Vel fortioribus, inter quæ hoc admodum profuit sæpe: ℞. sublimati ʒ.j.ß. Lythagyr. ʒ. ij. Boracis ʒ.ß. Camphoræ ℈.j. coquãtur in ℥. iiij. aquarũ conuenientium, & madefiat herpes. Aliis erodentibus herpetem serpentem, ne vlteriùs feratur, sistimus, qualia etiam alibi in vlceribus depascẽtibus explicabuntur.

Vapor ex decocto sequenti similiter proderit: ℞. radic. Lapatij ʒ.iij. Chelidon. maior. M.j. Aluminis, Sulphuris an. ℥.j. Salis P.j. Vini optimi & Aceti vt supereminteat; coquantur, & vapor excipiatur, ita vt herpetem tangat.

Plumbi lamina tenuis supra vnctos herpetes apposita, vtilis, siccabitque potentiùs, si priùs in Aceto vel Aqua salsa aut aluminosa madefiat.

Fricare corruptam in herpete esthiomeno carnem, quousque sanguis effluat, vtile; tuncque abstergentia & auferentia adhibita meliùs operabuntur.

Cauterio sæpe aufertur illud quod corruptum est, vrendo: idque actuali potentialive, vt in anthrace dictum.

Scabiei Vulgaris & Feræ, Scabies cùm plura sub se comprehendat genera, & species: veluti inter humidas scabiem vulgarem, feram, & manantem, seu tineam & terminthum, epinyctidem: inter siccas, pruriginem, impetiginem, psoram, & lepram Græcorum seu psoram deteriorem; nos de omnium curatione, vti & de pruritus, quia eas comitatur, cùm eadem operâ sanetur, cura, simul agemus: Phlyctenarum verò curationem, cùm in illis cuticula à vera cute abscedat, & non alia ratione cùm rumpuntur, quàm aliæ cutis abrasiones curẽtur, eò relegabimus. *Tineæ, Terminthi, Epinyctidis, Pruriginis, Impetiginis, Psoræ, Lepræ Græcorũ curatio.*

Est autem inter humidas scabies Vulgaris mitior, quæ & faciliùs sanatur; in aliquibus tamen, eo nomine pertinax, quòd sæpe redeat; quæ &, si cura illi nulla adhibeatur, in deteriores commutari potest. Post hanc ea quæ Fera dicitur, contumacior est, quæ tamen si rectè tractetur, curatur; si malè, in peiores quoque abit; pertinacior adhuc est ea quam Manantem vocamus, quæ ægrè sanatur, contagiosaq; est in iunioribus, atque capillos depascẽdo deformat admodum: faciliùs istis sanantur Terminthi & Epinyctides. Inter siccas, Prurigo faciliùs, Impetigo maiori labore, Psora longè adhuc difficiliùs sanatur: & de vna specie in aliam, si negligantur, transmutantur, peioresque semper fiunt, recidiuamq; licet semel abigantur, facilè veris & autumni tẽpore faciunt: & tandem in psoram deteriorem, quam Lepram Græcorum vocant, abeunt; quæ incurabilis est, cùm etsi alicubi, medicamentorum vsu, cesset, vel penitùs ferè deleatur, tamen mox iterum repullulat, ægrumque turpiter, ac si crusta obtectus esset, deformat, ipsumq; consumit, pruritúq; continuo molestat, adeò vt (vti dictum) pro elephantiacis, cùm curari hoc malum nequeat, & quia lepra quoque vocatur, qui hac lue infecti sunt, ab illis qui hæc distinguere non norunt, habeantur & iudicentur.

In curatione autem horũ, non adeò multum est discriminis, vt eam singulis priuatim accõmodare necesse sit. Nam quod generalia præsidia, quæ euacuationis & alterationis causâ vsurpantur, concernit, cùm à biliosis, acribus, salsis, malignisq; humoribus, vt in causis dictum, hæc procedant, hisce euacuandis, sanguinis detractiones purgatio-

nesq; generales & particulares, alterantiaq; diuersa accõmodabimus, plura pauciorávе, eaq; leuiora fortiorávе vsurpando, prout vitia hæc magna leuiorávе sunt: habitâ interim & totius corporis constitutionis ratione, & quibus præsertim excremẽtis abũdet. Vti in singulis agẽdi modis nunc ostẽdetur.

Sanguinis è corpore euacuatio aliqua, in scabie humida, illiusq; speciebus, nisi ætas aut aliud impediat, fieri debet, cùm illius causa antecedens, serum scilicet salsum, biliosum & acre, in sanguine lateat, & cũ sanguis educitur, portio quoq; illius exhauriatur: eoq; magis facienda, si simul adsit plethora, cùm tunc ob illius copiam, pustulæ frequentiores erumpant & inflãment. Fitq; hoc vena secta aliqua generali, vel etiam particulari illius membri, quod priuatim eâ laborat. In sicca quoque scabie, etsi tales non sint pustulæ humidæ, tamẽ quia magna sanguinis impuritas, eo nomine quoque sanguis detrahendus, idque rectiùs, si rubedo cutis, vt in prurigine fit, illius affluxum, & calorem demonstrent. Talis autem euacuatio, venæ sectione ante purgationem facta, & certo tempore iteratâ perficitur. Scarificatione item singulis mensibus vel temporibus facta, adhibitis cucurbitulis, vel suctione sanguisugarum. Naturalis itidem sanguinis euacuatio, per menses fieri solitæ, vel per hæmorrhoides quibusdam naturis consueta, si suppressa sit vel non decenter fiat, cùm hæc sit naturalis, & proin necessaria, omnino promouenda; sicuti (quo pacto fieri debeat) in horum defectibus expositũ fuit.

Purgationes per inferiora, in scabiei humidæ & siccæ speciebus omnibus, ad humores illos repurgãdos instituuntur, sæpeq; si impurum admodum sit corpus, erunt iterandæ, & diu aliquando in psora, deteriore præsertim, indies semel, bis, vel alternis saltem diebus ad dies multos, vel etiam per mensis spatium, si ferre possint, continuandæ, iterumque veris & autumni temporibus repetendæ. Hoc autem perficitur medicamentis, quæ leuiter aut validiùs, prout affectus exigit, & vires ferunt, naturam solicitando, biliosos, salsos & acres illos humores, ex intestinis & è venis meseraicis primùm, mox etiam à reliqua sanguinis massa, illius beneficio expurgare, & sanguinem proin repurgare dicuntur, addendo semper quæ humorum illorum acrimoniam retundunt: & præcipuè ex catharticis ea eligendo, quæ non nimium corpus inflamment.

Qualia passim in multis aliis affectibus, ab eiusmodi quoque humoribus tam biliosis quàm melancholicis excitatis, hinc inde variis formis descripta sunt, purgantia mitiora fortioraque: inprimisq; in febrium intermittentium, & cõtinuarum putridarum, purgationibus; tam illæ, quæ venæ sectioni, aut ad aluum fæcibus primùm repurgandã, cæteris præmittuntur, quàm cathartica validiora, & quæ in ea præcedunt præparantia, & quæ successiuè repetuntur: & in synochi erysipelatodis curatione, apozema illud, quo morbus hic præcauetur. Atque in melancholiæ vtriusque curatione, multa purgantia proposita hîc quoq; vsurpari possunt. Quibus & sequentia addere possumus.

Serum lactis & præsertim caprini, vel serum, quod dum caseus fit, ab eo segregatur, & Aquam casei vocant, quæ ampliùs laxat, diu bibant ieiuni, manè & vesperi, eâ quantitate, quæ aluum fluidam reddat: iunioribus etiam gratum remedium.

Vel diluantur in eo, vt meliùs operetur, aliqua, quæ cùm infantibus exhibere volumus, dulcia & grata sint, veluti Manna, aut ex Syrupis sequentibus aliqui grati; vt Rosarum, Violarum, de Floribus persicorum: quorum vires, ne opus sit ingrata addere, intendere possumus, adiectis granis aliquot Diacrydij rectè præparati, vel diluti ipsius: vel illis dare illud ipsum cum Cydoniato aliquo, alióve syrupo grato, aut saccharo: sicuti multa eiusmodi purgantia remedia grata inuenta sunt. In adultis etiam alios syrupos medicamentosos sic permiscere possumus purgantes.

Possunt & succi Rosarum, Fumariæ, Lupulorum, Sero lactis, loco aliorum permisceri, additis etiam aliis, licet non purgent, nihilominus cõuenientibus, vt Bugloss. vtriusque Lapatij acuti, Pomorum & similibus.

Vel ebulliant in Seri lactis, vel lactis Caprini, aut iuris Pulli vel Galli decrepiti ℔. ij. (nam

(nam cùm citò corrumpatur, non oportet nimium vna vice coquere) Fumaria, Mercurialis, Beta, Lupuli folia, folliculi aut flores, Sambuci vel Ebuli teneritates, vel summitates; & vt meliùs operetur, Sena, Polypodium, Epithymum, Rosæ moschatæ; vnum vel plura, eaque quantitate prout operabitur, addito Saccharo vel Sapâ aut Melle, ad gratiam.

Syrupi vsuales eiusmodi impuritatibus in sanguine expurgandis etiam accommodati sunt: è leuioribus Syrupus Rosarum & Violarum, de Persicorum floribus, ex infusionibus vel succis, cum Saccharo & Melle cocti. Fumariæ, ex succo illius: Lupulorum ex succo illorum & fumariæ: Mercurialis, ex succo illius: Rhamni solutiui, ex succo baccarum illius, parati. Et his paulò efficaciores, syrupus Rosarum solutiuus cum rhabarbaro, de Eupatorio cum rhabarbaro, de Pomis regis Sabor, ex succo & sena: de Rhabarbaro, ex illo & sena: Fumariæ composit. ex succo illius, epithymo, polypodio, myrobalanis, tamarindis, cassia: Epithymi cõposit. ex eo, fumaria, myrobalanis, tamarindis, agarico; Cichoreæ cum rhabarbaro, fumaria & lupulis: Diaireos, ex rhabarb. sena, agarico, carthamo, fumaria: Syrupus ros. solutiu. compos. cum sena, rhabarb. & agarico: de Polypodio, ex illo & aliis pluribus paucioribúsve compositus.

Ex helleboratis syrupis, de Pomis compositus in vsu est: qui rectiùs sic paratur: ℞. Bugloss. Borrag. cũ radicibus an. M. ij. Fumariæ, Eupatorij vulg. Chamępyth. Chamædr. Capillar. vnam aut alteram an. M. j. florum Bugloss. Borrag. Stœchados an. P. j. Passul. enucleat. ℥. j. summitat. Thymi, Epithymi ana ℥. ß. fol. Senæ ℥. j. ß. vel plus, radic. Polypod. ℥. ij. Hellebori nigri prius in vino albo macerati ʒ. iij. Schœnanthi ʒ. ij. fiat decoctio, & in colaturæ s. q. adde succi Pomorum redolentium ℥. xij. Sacchari ℔. ij. vel minus, si minori mensura exhibere eum velimus; coctione reducantur in formam syrupi.

Est & alter à Montano descriptus, ex syrupo, ad ℔. quinque, ex sena, rhabarbaro, myrobalanis, epithymo, polypodio cocto, cortic. hellebori nigri veri ʒ. vj. cum gariophyl. ℥. & ʒ. iiij. liquiritiæ cocto paratur.

Inter decocta purgantia, quæ alibi passim (vti superiùs dictum) descripta sunt, sequens instar multorum erit, ex pluribus paucioribúsve, præcipuè in hisce casibus conuenientibus paratum, pro quinque, sex aut pluribus vicibus sumendum, quod ℞. radic. Lapathij ℥. iij. Graminis, Asparagi, Rusci, Enulæ, Liquiritiæ an. ℥. j. ß. Fumariæ, Mercurialis ℥. ij. Polypodij ℥. iiij. herb. Cichorij, Dentis leonis, Sonchi, Buglossi vtriusque cum radicibus, Scabiosæ, Fumariæ, Lupulorum, Mercurialis, Capillarium, quæ haberi possunt, Eupatorij vulgaris, Endiuiæ, Hepaticæ, Acetosæ, Violariæ, Lactucæ, Melissæ, ad M. v. vel vj. florum Cordialium, Nenuph. Tapsi barbati, ad P. iiij. florum & follicul. Lupuli, summitat. Thymi & Epithymi an. P. j. seminum Anisi ʒ. ij. semin. Cuscutæ, Melonum, Acetosæ an. ʒ. j. semin. Carthami conquassati ℥. iij. Passul. enucleat. ℥. ij. Prunorum paria vj. Sebesten vel Iuiub. par. viij. Tamarind. ℥. j. ß. Infundantur radices & semina in Vini albi ℔. j. & macerentur aliquandiu, postea omnibus affundatur Aquæ q. s. addendo interdum decoctum Guaiaci, vel Aquas prædictarum quoque plantarum, vel etiam Absynthij, decoquantur, colentur, colatura Saccharo addito vel aliis dulcoretur, & Cinamom. aliísve aromatisata, tot vicibus, prout operabitur, vt dictum, si mitiùs purgare volumus, bibatur.

Vel si amplius operari debet, in colatura dicta, calente adhuc, infunde fol. Senæ ℥. iij. vel iiij. denuoque efferuescant, colentur, & dulcorata, toties quoque, vel prout deiectiones mouebit, exhibebitur: Vel si decoctum ad vsum diutiùs operari velimus, geminatis omnibus, Saccharoque ad ℔. ß. addito, in formam Syrupi mediæ vel perfectæ decoctionis redigemus, illiusque quantitatem decentem, quam semel exhibendo, & quantum purget obseruando, cognoscemus, exhibebimus; vel dilutã syrupi portionem cum aquis Buglossi, Fumariæ, Capillorum veneris, aliísve propinabimus: vel cum pulpa Cassiæ & Tamarindorum in formam de-

electuarij, per vices exhibendi, redigere possumus, Diacrydiumque simul, vt meliùs operetur, addere.

Præcedenti decocto cum Sena facto, Soldanellæ folia quoque incoquere possumus; vel in robustioribus, deterioreq; scabie, Hellebori nigri ʒ.iij. vel iiij. & circa finē ex Myrobalanorum quinq; generibus ad ℥.j. confricatas in oleo, infundere, vti & Rhabarbarum, Agaricumque, vel Mechoacam cum suis correctiuis, & post expresionem, Saccharum addendo, in formam Apozematis vel Syrupi redigere, meliusque tunc operabitur.

Huic decocto succi etiam vel syrupi Fumariæ, Lapatij, Lupulorum, Pomorum redolentium, Buglossi vtriusque, Rosarum possunt incoqui: vel hi succi bonâ quantitate sumi, & in illis Sena, Rhabarbarum, Agaricus aliaque infundi, vel etiam parùm decoqui, & cocta exhiberi, vel in syrupū prius coctione redigi.

Ex succis syrupus talis fieri potest: ℞. succi Pomorum redolentium ℥.iiij. succi Rosarum incarn. ℥.iij. succi Fumariæ, Lupulorū an. ℥.ij. succi radic. Lapatij & rad. Betæ an. ℥.j.ß. succi Mercurialis, Borrag. Bugloss. Acetos. an. ℥.j. decoquantur cum Sacchari æquali portione ad consistentiam, aromat. Cinamom. Si Sena, Rhabarbarum aliáve infundantur, efficacior erit.

Vinum purgans ex aridis paratum, pro quinque vicibus, quod postea repeti potest: ℞. rad. Lapatij acuti vel Hypolapathi, quod rhabarbarum monachorum vocant, ℥.ij. radic. Cichorij ℥.j. rad. Enulæ ʒ.vj. cort. Tamaricis vel Fraxini & Ebuli an. ℥.j. herb. Fumariæ, summit. Lupul. Mercuralis, Eupatorij vulgar. cannabinæ dictæ, Capill. veneris vel Polytrici, Absynthij an. ʒ.ij. flor. & follic. Lupuli vel Persicorum & florum Cordialium an. ʒ.j. sem. Anisi ʒ.ij. fol. Senæ ℥.ij. Thymi, & Epithymi ℥.j. rad. Mechoacæ vel Bryoniæ ℥.ß. Zingiberis ʒ.j. conquassentur pro Vini ℔. v. vel vj. macerentur ad vsum, vt dictum. Possent & Soldanellæ folia addi, & parùm Hellebori nigri, quod tutiùs in Vino vsurpatur.

Vel sumantur Musti recēter expresi, aut Vini quod iam deferbuit, mensur. viij. addendo fol. Senæ ℥.x.ij. Mechoacę, radic. Zarsæ parill. Salsafras an. ℥.iij. Absynt. M.ij. stent in dolio ad vsum; non ingratum est.

Aliud decoctum vt in multis morbis curandis, sic & in scabie, quæ sæpe recidiuam facit, triginta vel ampliùs dierum spatio bibitum, eam pręcauet & sanat: ℞. ligni Guaiaci rasi ℥.j. Zarsæ parillæ ʒ.vj. radic. Cichor. Liquirit. an. ℥.ß. coquantur, & colentur, & pro vna dosi infunde Senæ ℥.ß. Mechoacæ ʒ.j. Zingib. ʒ.ß. & in expresione dissolue, syrup. Ros. solut. vel succi Rosar. ℥.ß. aquæ Melissæ ℥.j. misce pro vna vice.

Infusum Hellebori, vel decoctum, vt in aliis pertinacibus & melancholicis morbis, sic & in deterioribus scabiei speciebus multùm efficiet. Fitque ex radicibus fibrosis hellebori nigri, illius, quod verum Dioscoridis Dodonæus esse statuit, & Astrantiam nigrā vulgus appellat: vel alterius Helleborastri dicti, flore vel viridi, vel purpurascente, quæ & mitiores sunt quàm Hellebori albi, quibus tamen etiam in robustioribus vti possumus: detrahiturque cortex de fibris, reiecto meditullio, (qui si ægrè abscedat, priùs in Vino fibræ emolliri possunt) cuius corticis ℞. ʒ.ij. vel ℈.iiij. fol. Senæ, vt operationē illius promoueat, ʒ.ij. infundantur in Passo seu vino dulci generoso, vel Oxymelite, si helleborus albus sit, aut aqua exstillata vel decocto Anisi, addendo pulueres Gariophyllorum, Cinamomi, Zingib. macerentur in loco calido, leuiter ebulliant, colentur; adde decoctum fructuum, Passularum, Prunorum aliorúmve laxantium, vel syrupum de Polypodio, de Rosis, aliósve: & bibat. Fit & extractum ex Helleboro nigro per infusionem illius talem, sæpe iteratam, sensim postea inspissando ad ignem, vel in balneo Mariæ; Cuius portiuncula adhibetur.

Quidam empiricus decocto Stibij calcinati cum Zarsa parilla, additis etiam aliis, pernitiosas sanabat scabies, aliosque morbos diuturnos & pertinaces.

Potiones aliæ, electuaria & pilulæ variæ alibi, vt dictum, exposita, in hanc rem quoq; exhibentur; vtendo præsertim ex vsitatis mitioribus, pulpâ Tamarindorum & Cassiæ, Mannâ, elect. Lenitiuo, Diacassiâ, Diaprunis

prunis, Diacatholico: & fortioribus diagridiatis, vt electuario Diaprunis solutiuo Diasebesten, de succo Rosarum, Diaphœnico, trochiscis de Violis solutiuis, & electuarijs lapidem lazuli recipientibus, vt confect. Hamech & Diasena, de Pilulis de Fumaria, de Eupatorio, de Rhabarbaro, & ex fortioribus de lapide Lazuli, de quinq; generibus Myrobalanorum.

Per sudores factæ euacuationes, corpore priùs decenter purgato, cùm & ex superficie corporis humores salsos biliosos prauos euacuent, quod alijs exhibitis purgantibus non adeò fieri potest, plurimùm proderunt: tum in omnibus humidæ scabiei speciebus, tum & in siccæ; etsi enim corpus amplius siccent, tamen auferendo causam, plus proderunt quàm oberunt; sicuti & naturam in impetigine & psora sponte videmus per sudores & halitus vehementes eiusmodi euacuationes moliri.

Quam ob causam non solùm aëre calido in balneis siccis (de quibus in topicis agem⁹) & exhibitis insuper sudatorijs, hi semel atque iterum promouentur; sed & in pertinacis scabiei speciebus, vel perseuerantibus, vel sæpe remeantibus, hi per multos dies, sępe & ad mensis spatium per vsum decocti Gaiaci, Zarsæ parillæ, aliorúmve, eadem ratione, sicut in lue venerea, indies concitantur & continuantur: non tamen eâ adhibitâ cibi parsimoniâ, vti in illis fieri solet, idque ne corpus nimiùm intrinsecus exiccando, humores acuamus potiùs quàm reprimamus. Semper interim purgationes hebdomadatim, vel etiam per interualla, triũ quatuórve dierum intermiscendo. Qua ratione eos egregiè & perfectè adhibitis simul topicis sæpe sanauimus.

Quæ alterationis causâ, vt corporis humorumque mala constitutio emendetur, vsurpantur, vti & illa quibus necessariò ad corporis conseruationem vtimur, sic in victus ratione primùm institui debent, vt parciùs cibentur, ita tamen ne per inediam humores acuantur aut concitentur; ciboq; vtantur euchymo, minusque excremẽtitio, temperato, humidoque potiùs quàm sicco, & ad frigidum magis quàm calidum inclinante: cauendo proin à salsis, acribus, aromaticis, vinoque nimiùm corpus inflammante; aëre vtantur libero, somno temperato, corpusq; sæpe exerceant, eousq; vt & per insensilem & apertam transpirationem, excrementa exspirent.

Medicamentosa alterationis gratiâ exhibitâ, humorum acrimoniam temperie suâ, vel etiam frigiditate & humiditate, vti & viscerum caliditatem, hepatis inprimis corrigere debent, & si quæ vitia, veluti obstructiones aliáve simul adsint, emendare: idq; per conseruas, condituras, syrupos, aquas, Buglossi vtriusque, Violarum, Rosarum, Cichorij, Nenuph. Capill. vener. Citri: pulueres Triasantali, Diarrhodon: aliaque innumera in febribus, alijsq; calidis & melancholicis morbis abundè descripta. Inter quæ & Acidarum aquarum potus, aliquandiu continuatus, corpus plurimum alterat. Dein & trochiscos de Viperis exhibitos cum cõseruis æquè in psora peruersa atq; elephantiasi prodesse docent aliqui. Et Laccæ ablutæ ʒ.j. cum decoctionis Myrti ℥.iij. præseruationis causâ in impetigine propinant.

Localia remedia, quæ scabiem tam humidam quàm siccam, pruritumq; comitem curare & præseruare debent, talia esse oportet, quæ in cute impactos & sub ea latentes, vellicantes humores educant, illorumque acrimoniam infringant, eosque postea resoluant, cutemque immundam à sanie, pure, crustis, squamis, furfuribus repurgent, rasamq; reparent, & si calor aut leuis inflammatio accesserit, eam alterent. Quod remediis illis perficitur, quæ vi siccante & detergente humores absumant, cutem abstergãt & sanent, admistis simul frigidis, & imprimis acidis, in scabie tam sicca quam humida, ad biliosorum & salsorum humorum acrem vim retundendam, pruritumque sedandum, quæ & in scabie vulgari, fera, vti & terminthо & epinyctide, inflammationem, quoque quæ adest simul compescunt. Dein & emollientia addendo, quæ in humida scabie crustas, in sicca squamas & furfures emolliendo, abscedere faciant. Quæ omnia sequentibus modis præstantur.

Frictio quæ vnguibus alióve modo fit,

eousque donec tubercula exigua eleuentur, aut cutis laceretur, humori prurienti, exitumque quærenti viam aperiens, voluptatem parit maximam, quæ tamen ob læsionem mox in dolorem lancinantem conuertitur, quo nomine licet aliquo pacto noceat, scabiesque erumpentis causa prima ferè sit, tamen quia humorem educit, & pruritum tantopere molestum compescit, nō erit, nisi ratione loci grauiora incommoda adferre possit, semper impedienda, præsertim cùm ad eam faciendam, tantopere impellantur, vt ab ea abstinere nequeant; sed ita dirigenda vt pro ratione humoris redundantis, & loci, dura vel mollis aut mediocris, vti frictionum differētias describunt, concedatur.

Balnea per insessiones facta, cùm corporis maiorem partem attingant, in scabie, quę illud passim infestare solet, præcipuè vsurpari consueuerūt, tàm naturalia quàm artificialia, sicca vel humida. Et si in certa corporis parte illa resideat, priuatim hæc illi tantùm adhibenda, eaq; vel in balneo immergenda, vel balneo illa abluenda fouendaque erit.

Inter naturalia balnea, natationes in Aqua communi, dulci dicta, proderunt, cùm pruritum frigiditate suâ sedent, crustas madore suo molliant, & terrestreitate quam plerisq; inesse aquis, in calculi causis demonstrauimus, simul exiccent: eoque magis si aqua lutosa sit, aut alioquin veluti calcem aliquā in se habuisse, cùm coquitur, deprehendatur. Quales eiusmodi aquæ, diuersis in locis, licet dulces & puræ appareāt, inueniuntur, & non solùm ad scabiē, sed & alios morbos sanandos frequentantur. Quæ omnia, calefacta adhuc meliùs præstat, si in ea diutiùs moram trahant, balneumq; ex ea sæpè repetāt, cùm tunc humores rectiùs educantur atque expurgentur, vnde etiam illius solo vsu scabies mitior adhuc, vel etiam pertinacior, si magis siccet, sæpè sanatur.

Quod longè efficaciùs hæ aquæ, si illis pro balneo vtantur, moliūtur, in quibus sulphureus odor, bitumen innatans, salsus, acidus sapor, sulphur, asphaltum, sal, atramentum, inesse manifestè ostendunt, & proin thermis eiusmodi vtantur. Inter quas Sulphureæ naturâ plerunq; calidæ, quibus & bitumen veluti pinguedo innatat, ad omnem scabiem sanandam, cęteris omnibus, cùm non solùm siccent, abstergant, digerant, sed & pinguedine sua emolliāt, vnde & in sicca scabie adeò prosunt, pręferuntur, ad easque tanquam extremum remedium se conferunt. Sed & Salsæ à natura aquæ, maris puteorúmve, vel acidæ fontium, pro scabie sananda, humida præsertim, cùm validiùs siccent, loco balnei vsurpantur, tàm calefactę quàm frigidæ, si in iis sæpè se lauent: aliæque thermæ, in quibus, etsi nihil tale appareat, tamen mineras inesse dicunt, naturâ artéve calefactæ, pro balneo, vt in aliis morbis, sic & in scabie vsurpantur & frequentantur.

Artificialia balnea ad scabiem sanandam plerunque in vsu sunt; eaq; sicca dicta, aëri calefacto incluso, corpus nudum ad sudores mouendos exponendo, per quos, humores scabiem gignentes, cum sero exudantes, exhauriuntur, madorque subortus crustas emolliendo aufert, calorque siccans, cutis abrasiones sanat. Quæ sicca balnea, etsi sola quandoq; id efficere possint, tamen meliùs illud præstabunt, si humida balnea, aut aliæ remediorū applicationes his simul iungantur, & vel in ipso balneo, vel mox post illud, quæ & tunc efficaciùs ob poros apertos operantur, adhibeantur.

Humida balnea in quibus sedeant, seque lauent, ad abstergendum, siccandum, emolliendum, & sudores quoque eliciendos, ex variis decoqui possunt, veluti ex herbis cum radicibus, vt Lapatio, Scabiosâ, Enulâ, Quinquefolio, Bistortâ, Tormentillâ, Plantagine, Fumariâ, Tapso barbato, Filice, Ebulo, Arthemisiâ, Anetho, foliis Quercus, Hederæ & Salicum, Lupulorum: & radicibus valde efficacibus, Bryoniæ, Serpentariæ, vel Ari, Cucumer. sylvestris, addendo, eoq; magis si sicca sit scabies, herbas cum radicibus Acetosę, Saponariæ, Parietariæ, Betæ, Maluæ, Borraginis, Altheæ, rad. Liliorū: atq; odoratas, vt Origanum, Saluiam, fl. Chamom. Anthos, similiaq;. Item ex Lentib. Fabis, Pisis, Ciceribus. Lupinis, Roggâ, Hordeo, Furfure: seminibus Lini, Fœnogr. Cucurbit. seminúmve aliorū Frigidorum dictorum. Ex his quædam in Aqua dulci, communi vel aliis priùs expositis, deco-

decoquenda, addito interdum Lixiuio, vel aqua Fabrorum extinctionis ferri, aliísve: vel admiſcenda ea quæ validè ſiccant, vt Sulphur, Sal, Alumen, Vitreolum, Tartarum, Gypſum vſtum, Bolus ſimiliaque.

E. G. paratu facilè ſed efficax ſic fit: ℞.rad. Lapathij & Bryoniæ ad ℔.j. Enulæ quart.j. Serpentariæ vel Ari quart.ß. Scabioſę, Plant. Fum. Pariet. Maluæ ad M.vj. Fabarũ & Lentium conquaſs. P.iiij. Gypſi vſti ℔.j. Sulphur. ℔.ß. Salis quartar.j. Aquæ quantum labrum balnei capere poteſt, decoquantur, cui & Lixiuium addi poteſt.

Vel ſic in ſcabie ſicca, ſi præſertim ab vſu vnguentorũ cutis tenſa & ſicca fiat: ℞. Maluæ, vel Altheæ, Violariæ, Lapathij, Betæ, omnia cum radicibus, Parietariæ, Scabioſę ad M.vj. ſem. Lini, Fœnogr. Furfuris, ſ. Cucurb. ℥.j. vel plus florum Chamomil. P.iij. Sulphuris ℔.j. coquantur.

Aliud vtile in ſicca p̃ſertim ſcabie: ℞. Sulphur. ℔.ij. Salis ℔.j. tereantur ſubtiliſsimè & cum Olei cõmunis ℔.ij. optimè miſceantur, macerãdo aliquandiu in calore, vel potiùs leuiter coquẽdo: poſtea funde in aquam calidã balnei, bene miſcendo, in quo balneo æger per horam ſedeat, & ſudet, vti & poſt balneũ in lecto, idque per triduum, & ſanabitur.

Illitiones & affrictiones in ſcabioſis ſemel in die aut bis fiunt, abluẽdo poſtea in balneo rurſum, vbi etiã aliquando hæc adminiſtrãtur, vel ſtatim poſt illa, poris apertis, vt in balneo dictum, fiuntque hæc diuerſimodè.

E plantis, radix Lapathij ſylueſtris acuti dicti, præ cæteris in vſu eſt, ſi eâ coctâ in Aceto cõmuni vel Scyllitico, corpus perfricetur: in ſcabie vtraq; conueniẽs. Quã etiam radice cõtusâ cum Sale & Aceto, in balneo, vt mox ſe iterum abluere poſsint, ſcabioſi ſe fricare ſolent. Commune apud vulgus remedium.

Eodem modo radix Bryoniæ & Gentianæ vſurpatæ, in impetigine laudantur. Quibus omnibus ſi radix Ari vel Serpentariæ miſceatur, ſed minori quantitate, quia vrit, efficaciùs operabitur.

Hoc pacto & aliæ plantæ recentes crudæ vel parùm coctę, contuſę, cum Aceto ſimplici vel ſcyllitico, vel Sale communi vel Nitro vel vtriſque, addito interdum & Sulphure, aliisq; permiſtæ, affricari aut inungi poſſunt. Vt radices Enulę, Pentaphyli, Biſtortæ, Tormentillæ, Anchuſę, Cucumeris aſini, Aſphodeli, Braſsicæ, Bugloſsi, Chamæleontis nigri, Ranunculi cum rad. Hellebori nigri, & folia Plantaginis, Scabioſæ, Fumariæ, Argemones, Vlmi, Chelidon. min. & cùm pruritus vrget Potamogeti, & Boni Heinrici.

Quibus & farinæ Lupinorum, Lolij, Ciceris, Hordei, Baccæ Iuniperi, Lauri addi poſſunt, aliáve. Lotum ſylueſtrem & Naſturtiũ cum Melle, inungit Dioſc. Coriandrum, Abſynthium, Rutam, Cucumeris folia & Porri, Rhus obſoniorum, Braſsicam & Plantaginem, cum Polenta, vel Vua paſſa aut Melle, ad epinyctidas admouet Dioſcor.

Pomum Adami per medium diſſectum, & vtrinq; Sulphuris puluere conſperſum, denuoq; iunctũ, ſtuppiſq; inuolutũ, parùm ſub cineribus coctũ, ſcabioſis membris affricatũ prodeſt. Cuius loco Arantium ſumi poteſt.

Semina Sinapis, Rapi ſylu. Erucæ, Nigellę, Staphiſagriæ, Bryonię, Tamaricis, cum Aceto illita, vel cum Oleo. Glandem vnguentariam cum Lotio illinit Dioſc. & ſemen Heliotropij ad epinyctidas.

Ex enarratis plantis, quædam etiam pinguibus additis affricantur; veluti radix Lapatij cruda vel cocta, per ſe, vel additâ radicis Gentianæ tertiâ parte, cõtuſa excipitur oleo vel Butyro, aut Axungiis, pro vnguento: ol. Laurino, admiſto Zingibere excipit Dioſc.

Vel: ℞. rad. Lapatij, Enulæ, aliarúmve plãtarum dictarum ℥.ij. rad. Ari vel Serpentariæ ʒ.vj. inciſa minutim decoquantur parùm in Aceto, contundantur addẽdo axung. Porci, vel Butyri ℥.iij. pro vnguento: cui Sal & Sulphur quoq; addi poſſunt, aliáve. Si Argentũ viuum addatur, vel tantillum ſublimati, efficaciſsimum erit, in impetigine & pſora.

Item: ℞. rad. Chamæleontis nigri ℥.ij.ß. incidantur, contundantur cum axung. Porci, vel olei Laurini ℥.iij. adde Sulphuris ℥.ß. Aluminis ʒ.ij. Vitrioli ʒ.j. miſce.

Iuniperi baccarum P.j. cum Salis cochl.j. optimè conteratur, & cum axung. Porci purgata, & liquata, vel oleis, parùm ebulliant, dein axungia per pannum exprimatur: Atque inungatur,

Succi enarratarum plantarum commodiùs inunguntur, & præter hos etiam ſucci Mercurialis, Xyridis, Eupatorij, Abrotani, item Oleandri: addito quoque Sale, vel Sulphure & Aceto: aliiſve ſuccis acidis Arantiorum, Limonum, Citri, nonnunquam & Omphacio, & Acaciâ. Probatur & ſuccus acris Cyclaminis, & Tapſiæ: Lac ficulneum pro ſcabie & pruritu inungit Dioſc. In pruritu verò ſuccus Hyoſciami conuenit.

Acetum infuſionis foliorum Oleandri admodum vtile in ſcabie.

Aloë diſſoluta in Aceto communi vel ſcyllitico, in impetigine confert.

Storax liquida cum duplo Aceti vel olei Roſacei aut alterius, ſcabiem ſanat.

Reſinæ & gummi Terebinthin. Laricis, Abietis, Pini, Oleæ Æthiop. Dioſcor. Gummi arabic. Prunorum Amygdal. Vitis cum Aceto vel Oleo diſſoluta, inunguntur.

Viſcum cum ſplenio ſeu linteolo, epinyctidi imponit Dioſc.

Sudor ſeu ſuccus emanans ex Oleæ vel Corni arborum viridium ſtipitibus, illic vbi abſciſsi ſunt, dum cremantur, inunctus prodeſt: vti & lachryma Vitis dum putatur.

Stercus Ouium Caprarúmve cum Aceto, ad epinyctidas Dioſc.

Fel Tauri inunctum, per ſe in impetigine, vel diſſolutum. Sanguis Anſerum pruritum tollit.

Saliua ieiuni hominis, vt in herpete, ſic & in impetigine prodeſt.

Oleum vitellorum Ouorum & de Frumento: & pomorum Solani pomiferi, quæ aurea vocant, per macerationem factum, illudque in quo Carbones ardentes ſæpè extincti ſint, inuncta proſunt. Cedrinum commendat Dioſc. & quod ex Oliuis ſylueſtribus fit. Commendatur & in impetigine oleum de Erica, de Tamarice, de Fraxino, & Iuniperinum: & ad pruritum ſedandum oleum ſeminis Ericæ vti & ſeminis Hyoſciami, cum vnguento Populeonis inunctum, Petroleo in termintho quidam vtebatur. Oleum Tartari diſſolutum aliis oleis illa efficaciora reddit, vti & ſi olei Vitreoli guttæ addantur.

Linimentum ad ſcabiem communiter ſic fit: ℞. Butyri recentis vel olei Communis vel Roſac. ℥.iiij. Reſinæ communis Abietis, vel Pini, vel Laricis (quas omnes Terebinthinæ nomine comprehendunt) diſſolutæ in Vitello ouorum, ℥.ij. vel iij. agitentur, probè, addendo Salis ʒ.vj. vel plus: Pro inunctione. Poſſunt & addi Sulphuris vel illius loco vt minus fœteat, Ceruſæ ʒ.vj. & ſuccus Arantiorum vel Limonum ſimul ad ℥.j. permiſceri.

Nutritum vel vnguentum, ex ſuccis & oleis hoc pacto fieri poteſt: ℞. ol. Roſac. Viol. Nucum, Lini, Liliorum, Laurini, de vno vel pluribus ℥.iiij. ſuccorum Lapatij, Scabioſ. Plantag. Fumariæ, aliorúmve, additis interdum etiam acidis vt Arantiorum, Limonum ſuccis, vel Aceti tantundem, ſcilicet ℥.iiij. Terebinth. vel Reſinæ alterius diſſolut. cum oleis ℥.iij. Salis communis, Gemmæ, vel Aluminis aut Nitri ʒ.vj. agitentur probè donec in formam nutriti redigatur: Vel ſucci cum oleis ad ſuccorum conſumptionem vſque decoquantur, omiſſaque vel parciùs additâ Terebinthinâ, cum Cera ex illis fiat vnguentum: ſed cùm, ſi ſucci remanſerint, meliùs operetur, forma nutriti erit vtilior.

Vel fiat vnguentum paratu facilè ex duobus hiſce, quæ ad ſcabiem ſanandam cęteris præferuntur, nimirum Sulphure, viuo vel cocto (quod vbique cùm deſcribitur intelligendum) & Lithargyrio, vnum vel ambo, oleis ſolis, vel oleis & ſuccis ſimul, vt dictũ, in formam nutriti vel vnguenti redigendo, eâ quantitate vt commodè inungi poſsit. Quæ & ſolo Aceto ſucciſque excepta, ſine oleis adhibentur.

Cuius loco vnguento vſitato de Lithargyrio, ex illo & ceruſa, Oleo & Aceto parato, vti poſſumus: Vel de Ceruſa ſimili ferè modo, ſed ſine Aceto parato. Vel vnguento Roſaceo, vel albo Camphorato, addito Lithargyrio vel Sulphure aliíſve.

Citò quoq; vnguentum ex puluere Sclopetario, qui ex Sulphure, Nitro & Carbonibus fit, ſi oleis vel axungiis excipiatur, fit: quo ſcabiem fœdam & diuturnam milites curare ſolent.

Efficaciora fient additis etiam aliis ſiccantibus, hoc pacto: ℞. Lithargyrij, Sulphuris

an.

an.ʒ.vj. rad.Serpentariæ vel Ari ʒ.ij.pulueriſata,nutriti prioris,eâ menſurâ,quæ deſcribitur, ſubigantur,vel vnguenti (cùm media illius quantitas ſuccis abſumptis auferatur) duplicato pondere, addendo & Styracis liquidæ ℥.ß.

Aliud ſimili modo miſcendum : ℞.Ceruſæ,Tuthiæ vel Pompholygos,vel Cadmiæ foſsilis,Lithargyrij, Boli rubræ vel albæ vel Cretæ an.ʒ.ij. Sulphuris ʒ.iij. Tartari ʒ.j.ß. gummi Sandaracæ vel Sarcocollæ, Maſtichæ an.ʒ.j.fiat puluis, miſceatur nutrito vel vnguento vt dictum,cui & Plumbum vſtum & Antimonium miſceri poteſt.

Adhuc magis operabuntur,quod in peruerſa ſcabie requiritur,ſi Chalcitidis,vel fæcis Vini vſtæ ℥.ß.illis ſimul permiſceatur,vel olei de Tartaro ʒ.j aut olei Vitrioli ℈.j. aut Argentum viuum (quod pręterquam,quòd pruritum admodum aufert, etiam pertinacisſimam ſcabiem ſanat) Terebinthinâ exactiſsimè diſſolutum, hiſce illitionibus, ad ſummum ℥.ß. quantitate,ne fauces exulceret,addatur : cuius loco tantillum Sublimati aliquando ſubſtituunt.

Præter hęc alia vnguenta pro delicatis & magnatibus præſertim fiunt. Veluti ex vnguento Citrino nominato,quod etiam ſcabiem ſanat, & cùm cutem ſimul venuſtam reddat, in faciei ſcabie præcipuè commodum erit illo vti : addito interdum etiam lacte Virginali.

Vel illius loco : ℞.Ceruſę ℥.ß.Boracis ʒ.ij. Tartari ʒ.j.ß. Ierſæ Serpentariæ ʒ.j. Thuris, Nitri an.ʒ.ß. ſucci Limonum q. ſ. fiat Linimentum.

In peſsima ſcabie, etiam hæc vnguenta locum habebunt : ℞.Chalcanti, vel de efficacior.illius generibus Myſi,Chalcitidis ℥.ß. Squamæ æris ʒ.ij. vel Æruginis ʒ.ß. Aluminis ʒ.iij.Sulphuris ℥.j.Aloës,Thuris,Myrrhę an.ʒ.j.ß. Acaciæ ʒ.j. Infuſ.gummi Arab.factæ in Aceto q.ſ. pro Linimento. Galenus Amurcam vel Paſſum addit, reſinam item Oleæ Æthiop.cuius loco nos alias reſinas addere poſſumus.

In ſcabie manante ſeu tinea hoc conuenit : ℞.Tartari, Nitri, Aluminis an.℥.ß. Lithargyrij ℥.j. Sulphuris viui ʒ.vj. Hellebor. vtriuſq; ʒ.iij. Auripigmenti ʒ.ij. pulueriſentur & cum Sapone molli & ſucco Lapatij vel Cyclaminis fiat vnguentum.

Vel ſic : ℞.Lithargyrij ℥.j. Aluminis, Nitri vel Salis gemmæ,Tartari,Sulphuris viui an.℥.ß. cineris Nucum combuſtarum cum teſtis,& cineris bulborum Allij an.ʒ.iij.Fuliginis furni ſeu camini (cuius nigredo in hac piloſa ſede nihil deformat) ʒ.ij.Hellebori albi & nigri,ſeminis Staphiſagr.an.ʒ.j.fiat puluis,qui Melle & Aceto fortiſsimo & bulbis Allij tribus,ac ſeminis Iuniperi vel Hederæ ʒ.ij.contuſis ſubactus,in formam vnguenti redigatur.

Vel cum oleo Nucum & Ligni Iuniperi, Laurino,& Lucernarum,additâ paucâ Terebinthinâ,excipiantur pro vnguento.Cum quibus oleis,ſi ſucci Allij, Centaurij,Lapatij, Chelidonij, Betæ, Parietariæ, Scabioſæ, Fumariæ, Arantiorum, & Acetū,æquâ cum oleis menſurâ addantur,& ad conſumptionem ipſorum coquantur, ea nouis viribus inſtruent.

Efficacius etiam fit, hoc vnguentum,ad tineam curandam, ſi Argenti viui ℥.ß.diſſolutam in Terebinth. illi permiſceas,vel Cinabarim aut Minium : Aut validiùs erodentia,addas ; veluti chalcanthi rubri,hoc eſt, Chalcitidis,vel lutei,id eſt,Myſi,aut Æruginis æris ad ʒ.j. plus minúſve, doſim hanc, prout ferre poteſt, augendo minuendóve. Quæ quoque, ſi vnguento cum Melle & Aceto ſine oleis parato addantur,adhuc longè validiùs agent,cùm vnctuoſa illis addita,vires horum aliquo pacto retundant.

Aliud vnguentum,quo multi tineâ laborantes ſanati ſunt,citiùs ſic fit : ℞.Vnguenti quo rotas aurigæ inungunt, Karrenſalbe ℔.j. adde Sabinæ fol. exiccat.℥.j.ß.baccarū Lauri ℥.ß.radic.Hellebor.albi ʒ.ij.Sulphuris ℥.j. Argenti viui ℥.ß.vel plus,extincti cum Laricea, fiat vnguentum.

Alia ſiccantia varia his illitionibus,vt & aliis formis interdum miſcent : Cineres Erinacei & Hypocampi, marinorum, laudat Dioſcorid.alij cineres Iuniperi & Fraxini:Et pulueres terræ Cimoliæ,Adarces & Cardamomi. Camphora vnguentis permiſta pruritum tollit.

Vt minùs quoque fœteant, propter Sulphur & alia, hæc vnguenta, odorata, quæ tamen simul siccando etiam prosint, miscentur: veluti Styrax liquida, quæ quia in scabie admodum vtilis, maiori quantitate, & plerisque illitionibus addi potest. Vel olei Spicæ aut Iuniperi, alteriúsve odorati guttæ aliquot, vel puluis rad. Ireos.

In tinea, cataplasma conueniens paratu facilè sed efficax sic fit: ℞. bulborum Allij ℥. iij. fol. Rutæ, Sabinæ, Hederæ, Vrticæ an. M. j. nucleorum Nucum rancidarum num. v. ſ. Iuniperi ℥. j. ß. Fimi columbini ℥. j. coquantur in Aceto forti: Et applicetur.

Fœnogræci farina cum æqua portione Pumicis, succo Allij excipitur pro cataplasmate, cui succus lacteus addi potest, Ficus vel Caprificus.

Argillâ pingui, qualis circa aquas thermarum reperitur, capiti impositâ, ita vt totum caput exiccata incrustaret, tineam pauperes sanasse obseruaui.

Similiter in tinea pulueres aliquando insperguntur, capite priùs vncto cum Melle & Oleo aliquo ex supradictis, vt hæreant.

Nitrum cum Thure aspergit Diosc.

Vel sic in eodem affectu: ℞. Pumicis ʒ. iij. Boracis ʒ. ij. Salis, Aluminis & Chalcitidis, vstorum an. ʒ. j. Thuris, Myrobalan. an. ʒ. ß. Gallarum, Nucum cōmunium vel Cupressi, vstarum ʒ. j. ß. fiat puluis subtilissimus: cui & fortiora in vnguentorum pulueribus proposita, addi possunt.

Ablutiones priuatæ præter generalia illa balnea vsurpantur, quibus & crustas & vnguenta, si illis illiti fuerunt, abstergimus, vt noua adhibita rectiùs operentur: fiuntq; ex decoctis illarum quoque herbarum, & inprimis ex decocto Pentaphyli, Lapatij cum radicibus, Scabiosa, & farina Lupinorum.

Aliud decoctum ex stercore Gallinæ, Ouium vel Caprarum cum Aqua factum, addito Lapatio, Plantagine, Agrimoniâ, Maluâ, Betonicâ, prauos humores elicit, si eo pars abluatur.

In Aqua cōmuni, vel alia ficciore, vt Ferrata, si Gypsum vstum dissoluatur, eaq; manus frequenter abluantur, aut aliæ partes scabiosę, scabies facilè omnis sanatur: habet enim præter exiccationem, vim quandam leniendi, vnde & manus minimè asperas, vti calx, sed molles & nitidas, sicuti in operariis, qui gypsum manibus cum aqua miscent, & tractant ad incrustandos parietes, videmus, reddit.

Sed commune coctū, vel fossile, Gemmæ dictum, vel Ammoniacum, vel Nitrum, si dissoluatur in Aceto, & eo liquore scabies tangatur vel abluatur, pruritum admodum sedat: eoq; magis, si Alumen crustū vstúmve addatur, aliquando & Tartarum, & tunc in impetigine admodum conuenit; si nimis exasperet, potest aquis dilui, Myrtillorum, calicum Rosarum, Lapatij, vel Albumen oui addi vel Olea.

Vel sic: ℞. Gypsi vsti scutellam plenam, Boli puluerisati ℥. iij. Salis ℥. ij. Aluminis ℥. j. Vitrioli ʒ. j. affunde Aquæ Mens. ij. Aceti vel Vini quartam partem mensuræ, agitentur, colentur aliquoties vt lixiuium, vel parùm coquantur, aquaque separetur: Quâ partes scabie obsessæ madefiant, vel abluantur.

Idem Lacte virginali appellato, ex Lithargyrio, Aceto & Aqua salsa, vel Aluminosa, parato, factum, vtile erit: cui si succum Limonum addas, vel parùm olei Tartari, efficacius erit, pro facie præsertim scabie tentata, vsurpandum.

In tinea, decocto caput sæpe abluatur, Altheæ, Maluæ, Betæ cum radicibus, Parietar. Abrotani, Absynthij, Marrubij, Centaurij, Betonicæ (propter caput) Adianthi, Sabinę, Rubi folior. Cicerum, Pisorum, Fabarum, Lentium, Lupinorum, Fœnogræc. sem. Iuniperi, Hederæ, Sinapis, Nucis cupressi, Hellebori vtriusque: quæ probantur maximè, si in Lixiuio vel Aqua Fabrorū coquantur, addito Aceto.

In peruersa admodum scabie & impetigine hoc erit conueniens decoctum, quod ℞. Lithargyr. auri ℔. ß. Aluminis ℥. j. succi Plantag. Lapatij & Limonum an. ℥. j. Aceti ℔. j. ß. decoquantur & philtrentur ad vsum: si Argēti viui ʒ. iij. addas, & simul decoquas, erit efficacissimum, vel Mysi aut Chalcitidis ad ℥. ß.

Vel Lithargyrium, Cerusa, Vitriolū, Sublimatum æquis portionibus coquantur, in aqua

aqua communi, aut Plantaginis vel Lapatij, aliáve: madefiant certa loca.

Admodum efficax hæc erit, si Sublimatũ in Aqua forti dissoluas, & illius postea cochl.j. cum aliis aquis, vt Rosarum, vel Plantag. aliísve diluas, eamque adhibeas: experiendo primùm vires illius in loco aliquo, & prout operabitur, plus minúsve diluendo.

Aqua stillatitia ex Lapatio & Aceto in herpete descripta, scabiẽ quoq; sanat, vti & hęc: ℞. succi Lapatij acuti ℥.iiij. succi Plãtag. ℥.ij. succi Limonum ℥.j. aquę Rosarum ℥.j.ß. pulverum Sulphuris & Salis an. ℥.j. Lithargyrij ℥.ß. Cerusæ ʒ.ij. Sublimati ʒ.j.

Vel hoc modo paretur: ℞. rad Lapatij acuti ℥.iij. rad. Bryoniæ, Enulæ, Gentianæ an. ℥ j. Sulphuris ℥.j.ß. Argenti viui ℥.ß. Aceti ℥.viij. eliciatur aqua.

Lixiuium plerunq; scabiem egregiè abstergendo & siccando sanat, si eo præsertim corpus dum in balneo sicco sudat, vel circa finem, abluatur, vel partes scabiosę etiam extra illud, vt manus, pedes, lauentur: adhibito interdum, vti fieri solet, Sapone: maximeq; caput, scabie & tineâ affectum, vnde & crustæ & sordes, & vnguenta, quæ in pilis pertinacius hærent, hoc pacto rectiùs absterguntur. Quod efficacius fiet, si ex colatura sæpè iterata paretur, Cinerum sarmentorum vitis, caulium vel radicum Ebuli, stipitum Fabarum, ligni Iuniperi, Fraxini, additâ interdum vt fortius sit, Calce viuâ, vti Lixiuium dictum tonsorum paratur; adjicitur interdum Aqua extinctionis ferri, vel Vrina, aut Acetũ, vel Muria. Quibus Sal, Alumen, Sulphur, Chalcanthum, addita, efficaciora ea reddunt.

Vrina in scabie etiã abstergendo prodest, magisque siccabit, si diu priùs steterit, maximeque in vase æreo, vel à bilioso homine rubicundior desumatur.

Aquam in Quercuum stipitum per cariem absumptorum cauitatibus repertam, sunt qui probant.

Multa quoque alia remedia in elephantiasi describenda, in scabie pessima conueniunt, quæ inde peti possunt.

Dropace seu picatione appositâ & agglutinatâ super capitis pilosam sedem, atq; vbi adhęserit, iterum per vim detractâ, pilos crustasque, quæ altis infixæ sunt radicibus, curamque tineæ impediunt, radicitùs euellendo, sanationem tineæ admodum promouemus, extremumque ferè in illis est remediũ, quod Germani Hauben zucken vocant, infantesque adeò metuunt, illiusq; timore ne fricent, cohibentur. Fitque dropax ex Pice, Resina, in Oleo dissolutis, ita vt dum calent, emplastrum ex illis supra telam extensum formari & applicari posit, & refrigeratum firmiter pilis & crustis adhærescat, maioriq; vi ea auellet, si vno emplastro, totum caput cõtegatur, minori si pluribus, cùm facilius tunc cedant.

Exulcerationũ in genere curatio. Exulcerationum omnium in superficie corporis occurrentium, seu solutionum cõtinui, quarum summa genera sunt, Excoriatio, Fissura, Vulnus, Vlcus, curatio in eo conuenit, vt cutis, caro, cæteræve partes disiunctæ rursum concrescant seu consolidentur: quod naturæ solius est opus, medicusque duntaxat in hac operatione ministrum eatenus agit, vt impedimenta quæ illam remorantur, amoueat: quod & actu potentiaq; agentibus, vt in singulis hisce generibus ostendetur, perficitur: inter quæ, cùm ea quæ siccant medicamenta, plerunque vsurpentur, vlcera omnia siccãtibus sanari communiter dicitur, quæ tamen pro diuersitate generum exulcerationum, siccando plus minúsve, variant; sicuti in singulorum cura, qualia esse debeãt, demonstrabimus. Quam nos primùm illis quę superficietenus magis accidunt solutionibus, accommodabimus, vt cutis abrasionibus & fissuris quibusvis, dein & vstionibus, postea illis quę altiùs plerunq; corpus subeunt, scilicet vulneribus & vlceribus diuersisque illorum speciebus.

Abrasionum cutis seu Intertriginum, Fissurarũ, Pernionum, curatio. Abrasiones, Intertrigines dictæ, à cutis attritione, per frictionem, equitationem, decubitum: per erosiones ab externis internísve causis (inter quas & vrina id in infantib⁹, & coryza in naribus sæpè molitur) profectæ: Item per phlyctenas aut vesicas ab vrẽtibus factas, disruptas, excitatæ: Dein & Fissuræ, Scissuræ, Rimę, Rhagades, in manibus, pedibus, labiis, podice, papillis, pudẽdo mulieris, præputio in masculis, palpebris, naribus, auri-

auribus,alibíve productæ: à frigore,calore, ſiccitate,humoribúsve ſalſis & acribus: vti & Perniones à ſummo frigore in calce pedis plerunque naſci ſoliti: Eiuſmodi affectus omnes cùm eandem curandi rationem in pleriſque ferè requirant, illam ſimul explicabimus: & ſi perniones in vlcera peiora deſinant,ad illa tunc illorum curationem relegabimus.

Perficitur autem ante omnia cauſæ ablatione,quæ hæc produxit,vel illorum curam impedit: vt externas arcendo,internas verò,ſcilicet humores ſalſos illos & acres euacuando,illorumque prouentum impediendo,eodem modo vt in ſcabie hæc explicata ſunt. Vel ſi cauſa commodè penitùs auferri nequeat,vt ſaltem emendetur: vt ſi per equitationem originem habuerit,ſella rectè accommodetur: ſi ex decubitu,quę ſubſternuntur talia ſint, ne aſperitate ſua lædant; qualia corium tenue,panni molles,ſimiliaq; quæ ægris ſupponuntur, eſſe debent,ſicque arte,vti dicetur,vt ſimul ſanent,parari. Et ſi ab vrina in infantibus prodierit, ſic illis in locis,ne vlteriùs lædantur,muniantur.

Quod reliquam curam attinet,etſi natura ſola cuticulam cutimque abraſam ex nutrimento,quo hæc nutriuntur, regeneret, & fiſſuras eodem interueniente glutinet,tamē cùm cutis lacera in ambitu,quia mox ſiccatur,aſpera fiat,illicq; vbi craſsior præſertim eſt calloſa,madorq; in nuda carne continuò exſudet, hæcq; naturę actionem impediant, topica remedia loco fiſſo attritóve adhibenda,vt hæc corrigant,ſicque illarum ſanationem procurent, circumferentiam cutis ſiccam & duram emollire debent,& leuiter ſine morſu ſiccando humorem ſimul exhaurire,ac plus minúſve vel emollire vel ſiccare,prout vel aſperitas aut mador præualet. Ad quod pręſtandum ſequentia adhibentur remedia.

Sæuum omne inunctum lenit, & cùm adipe ſit ſiccius, ſanat. Probatur inprimis Ceruinum, Hircinum, Hœdinum; quibus panni linei vncti,loco attrito imponuntur, vel ſi ex decubitu facta attritio metuatur,aut iam adſit,ſubſternuntur.

De Candela ſebacea accenſa ſæuum deſtillans,ſi digito excipiatur,eoque poſt equitationem circa ſedem facta attritio inungatur,remedium eſt, peregrinantibus vbique in promptu.

Adipes, Anſeris, Anatis, Gallinæ, Oeſipū, cùm leniendum maximè eſt: & adeps Vrſi in pernionibus, ſoli adhibentur, cum verò ſanare ſimul debent, aliis ſiccantibus permiſti vſurpantur.

Oleum Roſaceum, Myrtillorum, Cydoniorum, Amygdalarum amararum, vt de adipibus dictum,adhibentur. Oleum imprimis vitellorum Ouorum,in labiorum & papillarum ſciſſuris,vti & aliis,etiam ſolum admotum,vtile. Dein & illud quod ex Nucis nucleo vſto exſudat: & quod ex Tritico fit, oleum quod in Rapa excauata, rurſumque cooperta proprio operculo, ſtuppis inuoluta,& cineribus ſuppoſita,coxerit,valdè profuiſſe vidimus,quod & perniones ſanat.

Quibus & oleum eodem modo in excauatis Cyclaminis & Aſphodeli radicibus, coctum conuenit: vti & oleum ex ſemine Vrticæ expreſſum, vel ex herba in oleo decocta paratum,cum Sale inunctum.

Mucago gummi Tragach. facta ex infuſione illius in aqua Roſacea vel Maluæ,vti & ſeminis Cydoniorum, confert. Item Albumen oui.

Gluten ſeu Colla,quæ ex coctione corij fruſtratim inciſi fit,ſanat papillarum fiſſuras: ſicuti & pinguedo inde collecta.

Reſinam gummoſam corticibus Laricis accreſcentem, Valeſiani, calefactam, fiſſuris in manibus & pedibus inſtillare cum ſucceſſu ſolent,eamque Dranbech vocant. Cuius loco etiam Abiegna ſumi poteſt,vel reſina liquida Larigna aut Terebinthina.

Pomata ex ſæuo hœdi parata,in labiorum, cùm odorata ſit, vti & papillarum quas infans ſugere debet,fiſſuris,aliiſque omnibus, & abraſionibus cutis,inuncta,conuenit.

Vnguentum ex Sæuo aliquo ex enarratis fit,ſi Oleis dictis,additâ Cerę albæ portione, diſſoluatur: miſcendo interdum & Mucilagines,vel tantillum Terebinthinæ.

Aliud ex Ouorum vitellis coctione induratis, cum Sæuo hircino alióve vel Pomata, addito oleo Roſaceo vel Adipibus, in

in formam vnguenti ſupra ignem redactis, paratur.

Fit & inunctio grata ex dulcibus, in labiorum potiſsimum fiſſuris, vſurpanda, ex melle vel ſyrupo, Roſaceis: vel Saccharo penidiato, roſaceo, tabulato, vel tabulis Diatragachanti frigidi: illis in linimenti formam redactis.

Vbi magis ſiccandum, ſequentibus vtimur. Succus Plantaginis cum oleis ſupradictis & Terebinthina, in formam nutriti, agitando diu, permiſtus, inunctus id præſtat.

Vel ſi Amylo ſubigatur, additaq; infuſione gummi Tragachanti fiat vnguentum; cui & in alia ſiccantia, vti dicetur, addi poſſunt.

Succus Granatorum dulcium cum Amylo & Butyro, in naribus à coryza excoriatis, conuenit. Vti & emulſio quatuor ſeminum frigidorum maiorum.

Succis Conſolidæ, Cotyledonis & Sambuci, Rutæ, eadem ratione in formam vnguenti redactis, idem præſtatur. Aparines ſuccus in papillarum fiſſuris priuatim confert; Acacia in pernionibus.

Bryoniæ item ſuccus cum Sale, in fiſſuris commendatur.

Fagi & Bryoniæ folia labiis fiſsis admota probantur.

Vti & Porri vel Cæpæ bulbus toſtus, cum Melle miſtus, vel Oleo. Scylla cum oleo & Reſina ferueſacta, in pernionibus.

Lapatij radix trita cum Axungia porci, manuum fiſſuris adhibetur.

Amydum mucilaginibus prædictis additum: Vel vnguento ex ſæuo, vel altero ex vitellis Ouorum, aliiſve, vſurpatur.

Gallarum puluis paruâ quantitate additus vnguento de Vitellis vel de Sæuo, vel cũ Vitello oui, Terebinthina & Melle exceptus, conuenit.

Cineres Furfurum, Scyllæ, Ficuum, Vngulæ aſini, Pilorum Caudæ equi, Cancrorũ fluuiatil. vſtorum, cum Melle Roſ. vel Axungiis, Oleis, aliiſve miſti, inunguntur in ſciſſuris & pernionibus.

Corium Solearum, vel Charta combuſta, ſi Sæuo quod à candela ſumitur, vt ſuprà dictum, miſceantur, remedium illud, quod attritioni ex equitatione factæ adhibetur, efficacius reddet, & vti candela, ſic & hæc vbiq; ſtatim ad manum eſſe poſſunt.

Maſtiche vel Thus vel Pix ſola pulueriſata, vel ſubacta oleo Roſaceo vel Axungiis, & Cerâ; Pro vnguento.

Vel ſic: ℞. Sarcocollæ, Maſtiches an. ℨ.j. Gummi torrefact. ℥.ß. pulueriſentur ſubtiliſs. & cum vnguenti ex vitello Oui ſupra deſcripti ℥.ij. vel cum alio ex Mucilaginibus parato, in labiorum ſciſſuris, vti & aliis, conueniens.

Sulphur Oleo permiſtum, manuum ſciſſuras citò curat.

Sal impoſitum paruis læſuris, eas ſanat, Tartarum item.

Lithargyriũ cum album. Oui, aut mucilaginibus & Oleis vel Axungiis, diu in mortario plumbeo agitatum, excoriationes ab vrina factas, ſanat: Vti & alias, & ſciſſuras.

Vel cum vnguentis prioribus ex ſucco Plantaginis paratis miſcetur: vti & Ceruſa, Tuthia, addito interdum Amydo, oleo de Vitellis ouorum.

Vel hoc pacto: ℞. Lithargyrij Myrrhæ vel Thuris an. ℨ.j. Gallarum aut Ariſtolochię rotundæ ℨ.ß. Camphoræ ℈.j. vnguenti ex Sęuo ℥.ij. miſce.

Vnguentum vſitatum de Lithargyrio, de Ceruſſa, Pompholygos, horum loco illinuntur: efficaciora fiunt in ſciſſuris addito Alumine: Item vnguentum Citrinum.

In pertinacibus ſciſſuris, ad fortia ſiccantia tranſimus hoc pacto: ℞. Lithargyrij, Ceruſæ an. ℨ.j. Aluminis, Minij an. ℨ.ß. Sublimati gr. iiij. Abluminis oui q. ſ. fiat linimentum.

Aqua idem præſtat: ℞. Tartari ℨ.iij. Aluminis ℨ.ß. Sublimati gr. iiij. Ceruſæ, Lithargyrij an. ℨ.j. Thuris, Maſtichæ, an. ℨ.ß. Balauſtiorum vel aliorum ſiccãtium ℈.ij. coquantur in ℥.xij. aquæ Roſarum, Plantaginis, Limonum, Piloſellæ, &c. ad conſumpt. tertiæ partis, Madefiant figuræ.

Ablutiones ante inunctiones, ex decocto fieri poſſunt, rad. Liliorum, Altheæ, foliorum Hyoſciami, Papauer. Violariæ, Portulacæ, Senecionis, Semperuiui, Maluæ, florum Chamomill. Meliloti, farinæ ſeminum Fœnograeci, Lini, addendo ſæuum Arietis

bonâ quantitate, & decoquendo in Lacte vel Aqua.

Vrinâ propriâ ſępè manus abluiſſe ſciſſas, in multis profuit.

In pernionibus, fotus ex decocto facto in Aqua cum Vino fit: acrium, vt fol. Serpentariæ, Cyclaminis, Ranunculi: vel abſtergentium vt Raparum, Betæ, & ſeminis Orobi: vel adſtringentium, vt Myrti, Verbaſci minoris, Arctij, Malicorij, iuuant. Aqua Aluminoſa pernionibus quoque accommoda.

Vel hoc cataplaſma in eodem affectu: ℞. Meliloti M.j. Roſarum rubr. P.j. pulpæ Cydoniorum ℥.ij. coquantur & contundantur, addendo farinæ Lentium ℥.j. Malicorij ℥.ß. cum oleo Roſaceo miſceantur. Poſſunt addi etiam Thus & Cineres.

Labia admodum diſsita & craſſa in calcaneo, ne hiarent aut pulueres illaberentur, & vt meliùs ſanari poſſent, filo per calloſam cutem adacto, conſui mutuoque ſic iungi, vidi.

In ambuſtis multa quæ veſicas, indeq; natas excoriationes ſanant, explicata in illis, hìc quoque iuuare poſſunt.

Vſtionis curatio. Vſtio ſiue à re candente vel flamma (ad quam & ea quæ à puluere fit tormentario accenſo refertur, non globo quem puluis inflãmatus excutit, cùm ille tam ſubitò incaleſcere vt vrat, vel empyreuma aliquod validum vti crediderunt, imprimere nequeat) aut liquore aliquo feruido aliiſq; actu vrentibus procedat; vel etiam potentiâ adurentibus, veſicatoriis (inter quæ & vrticam referimus) pſilotris vel cauteriis: quò minus amplam ſedem vſſerit, minuſque profundè læſerit, eò citiùs faciliuſque ſanatur, quæ ſecus ſe habet, difficiliùs, & poſtquam curata eſt, fœdam ſæpè poſt ſe cicatricem relinquit. Sed & vidimus maculas in facie à puluere tormentario, quia granula illius in cutem, quam peruſſerant delata, illic hæſerant, relictas fuiſſe. Perículoſa admodum eſt illa vſtio, quæ circa ſedes nobiliores, vt circa faciem accidit, & quæ magnam corporis ſedem, ex caſu in ignem aut aquam feruentem, vti ſæpè fit, aduſsit, quæ mortem ſæpè infert.

Curationem quod attinet, ſi ſtudio, ad aperturam moliendam, cutis veſicatorio vel cauterio vſta ſit, quia tunc in eo potiùs laboramus, vt vulnus illud apertum ſeruemus, quàm claudamus, veſicamque aperiamus, & eſcharam, vt in fine dicetur, detrahamus, non alia ratione vſtioni huic medebimur, quàm vt, ſi inflammatio accedat, dolorque ſummus vrgeat, illis quæ in phlegmone dicta ſunt, occurramus. Quæ &, ſi caſu locus aduſtus ſit, illaque adſint, ſimiliter vſurpabuntur: reuulſionibus tunc per venæ ſectionem aliiſque ſimul adhibitis.

Cæterùm quod ipſum locum ambuſtum propriè concernit, dolentem & læſum, primùm empyreuma illi impreſſum euocare ſtudebimus: quod calidis adhibitis fieri creditur, & proin locum vſtum, igni parumper admouet vulgus; Cùm tamen ea potiùs competant, quæ moderato calore id faciunt, anodynaque ob id quoque ſunt, ſed interea tamen vim aliquam ſiccandi, ſed ſine morſu, digerendique ſine magno calore habent, quæ &, ne veſicæ facilè erumpant, aliquomodo prohibere poſſunt. Quibus ab initio adhibitis, ſenſim ad ea, quę ampliùs ſiccando, excoriationem vel etiam exulcerationem, ſi hæc ſuperueniant, ſanare poſsint, tranſeundum, qualia multa in abraſione cutis ſananda, vti & quædam in ſcabie, expoſita, hìc quoque conuenire poſſunt. Quòd ſi verò in vlcus profundum, per ſuppurationem conuertatur, poſtea vt vlcus ſanabitur: & ſi inſtrumentum quod vſsit, vulnus ſimul inflixerit, præmiſsis illis quæ vſtioni ab initio conueniunt, mox vt vlcus curabitur. Quæ verò vſtionis cauſâ vt dictum adhibentur, remedia ſunt ſequentia.

Plantæ contuſæ appoſitæ crudæ, vel decoctæ priùs in Aqua, Vino, Aceto vel Oleo communi, vel Roſarum, Adipe ſuillo: vt bulbi Porri, Cępæ, Narciſsi, Hemerocallidis, Lilij, radices Ebuli, Cannabis, Anchuſæ, Acanthi: folia Hyperici, Androſæmi, Parietariæ, Altheæ, Maluæ, Hederæ, Verbaſci ſylu, Mori, Myrti, Papaueris corniculati, Cynogloſsi, Rutæ ſylueſtris, Seſami, flores Gallij, Hederæ, Ciſti, Typhæ: Beta etiam integra appoſita, probantur.

Succi aliqui ex prædictis plantis inungi poſ-

poſſunt; Inprimis ſucci foliorum & baccarū Hederæ, Cęparum, Raparum, Solani, Lactucæ ſylueſtris ſuccus lacteus Dioſc. per ſe inuncti vel addito Albumine aut vitello Oui, vel aliis mucilaginibus, infuſ. gummi Tragach. vel cremore Lactis.

Vel: ℞. ex prædictis ſuccis ℥.iij. olei Roſacei, Butyri recentis, axungiæ Porci an. ℥.j. calcis Lotæ ℥.ß. mucilaginis Cydoniorum ℥.j. Terebinthinæ q.ſ. fiat nutritum: Vel ſuccis coctione priùs abſumptis, additâ Cerâ, fiat vnguentum.

Sambuci folia teneriora viridia vulgò applicant: vtiliùs ſi medius illius cortex viridis ſumatur.

Vel ex illis fiat hoc vnguentum, ad ignis ambuſtionem vtiliſsimum: quod ℞. corticis medij Sambuci ℥.j.ß. ſucci foliorum illius teneriorum ℥.j. ol. Lini ℥.ij. ol. Roſacei, axungiæ Porci an. ℥.j. Ceræ ℥.j.ß. Thuris puluerisati ℥.j. coquantur in aqua aliquādiu, & cùm refrigerata ſunt, collige innatans vnguentum; Vernicem liquidū addit Matthiolus, cuius loco nos oleum Lini, cùm ex eo coquatur, poſuimus.

Filicis radix, abraſâ priùs nigrâ tunicâ, contuſa, cum cremore lactis.

Olea per macerationem facta, fructus Momordicæ, pomorum Solani pomiferi, foliorum rubrorum Papaueris Rheadis, vel per decoctionem olei, in cauatis Aſphodeli rad. vel Hederæ decoctæ in Oleo & Vino ad illius conſumptionem: item Sambucinum, Cydon. vel per expreſsionē ſem. Cucurbitæ, Lini, Nucum recent. vel de vitellis Ouorum.

Oleum in quo Catulus recenter è cane natus, decoxerit, additis etiam Lumbricis aliquando, admodum in aduſtione à puluere ſclopetario, probatur.

Axungia ſeu Lardum recens porci, diligenter à carne & cute ſeparatū, laminæ ferreæ ignitæ imponitur, à qua deſtillans pinguedo ardens in ſubiectam aquam poſtquā concreuit, colligitur. Alij Auenam lardo infigunt, accendūt, ſicq; ſtillare ſinunt. Rectiùs hoc fit, ſi chartâ duplicatâ vel triplicatâ inuoluatur lardum, & prominens extra lardū aliquouſque charta, accendatur, ſicque ab ea lardum in ſubiectam aquam deſtillet: quâ ratione carnibus inter aſſandum lardum inſtillando, eius loco, quod aliàs infigere ſolent gratiores reddunt. Sic autem lardum pręparatum, etiam ſolum inunctum, ſanat ambuſta, vel ad dolorem mitigādum, cum cremore Lactis vel vitello Oui vſurpatur.

Butyrum item vel Lardum, fuſum ſæpiùs in decoctum Fœturæ ranarum, vel Cancrorum aut Lumbricorum, in vſtione à puluere bombardico conuenit.

Pulueres aliquando inſperguntur, cùm exulceratio præſertim adeſt, vel ſine illa, priùs vncto loco, vt hæreant, Oleo vel Mucilag. aut Lacte: veluti cineres vſtorum Cucurbitæ, Braſsicæ, Hordei, Calceamentorū, Concharum, Buccinarum: Item Ranæ combuſtæ: & pulueres Cinnabaris & terræ Cimoliæ Dioſcorid.

Auenæ farinâ vel communi locum vſtum ad empyreuma auferendum conſpergere, priùs madefacto loco, vulgò ſolent.

Inter vnguēta, Albumen oui cum ol. Roſaceo bene conquaſſatum, cum linteo intincto admotum, dolorem lenit: Vel additâ Cerâ albâ inungitur, cui tunc & mucilago Cydoniorum & axungia Porci addi poſſunt, vel farina Auenæ aut Hordei toſti; vel cùm exulceratio adeſt, parùm Boli & Thuris.

Vel: ℞. Porros vel Cæpas coctas ſub prunis, contundantur adde ol. Vitellorum ouorum vel Sambuci, Sæuum cerui vel Hirci & Terebinth. fiat emplaſtrum.

Vnguentum de calce præſertim ad ambuſtiones ſanandas accommodatum, fit ex Calce viua: quæ hoc pacto lauatur: Cum Aqua copioſa extinguitur, hoc eſt maceratur, donec ſponte diſſoluatur, quę aqua poſtea, vbi calx in fundo ſubſederit abjicitur, nouaq; affuſa donec denuò fundum petat, quieſcere ſinitur, rurſumq; à reſidentia ſeparatur, q. cùm aliquoties, 7. 10. 12. factū fuerit, calx lota erit, ſicq; dicitur, quę ad vſum mox accommodatur, vel exiccata ſeruatur.

Calx ſic lota cum oleo Roſaceo vel Butyro recenti in formam vnguenti reducitur, cui Cera alba etiam addi poteſt. Interdum & Albumen oui vel alię mucilagines, vt Cydoniorum, Pſylij; item Ceruſſa lota cum lacte, & parùm Camphoræ: aliàs & vnguentum

Citrinum, vt in facie præsertim, vsta vel Pomata, vel Populeon.

Aliàs Calx lota Lardo præparato, vt dictum, excipitur, & cum oleo Lini & farina Auenæ & Tritici in formam linimenti formatur.

Oleum Hypericonis cum Calce lota, efficax est remedium in quauis vstione, etiam ex puluere sclopetario facta.

Aqua ablutionis seu loturæ Calcis, cum oleo Rosaceo agitata, partique ambustæ hoc epithema impositum vtile.

Sapone ad combustionem aliqui vtuntur.

Gluten, calidâ aquâ emollitum, appositũ pustulas prohibet, Diosc.

Vnguenta etiam ex supradictis cineribus & pulueribus, oleis, axungia porci, album. oui, mucilaginibus exceptis parantur: additis interdum etiam Platani pilulis, semine Rutæ syluestris, Hyperici, gummi Acaciæ, Vitro tenuissimè puluerisato, lapide Phrygio, docente Diosc. Qui & Stimmi cum Adipe recenti applicat.

Myrti foliorum vstorum puluis cum oui Luteo, impedit vesicas nasci: vel sal Nitrum cum ol. Rosaceo.

Cerussa, oleum Rosaceum, lota aq. rosar. albumen Oui & Camphor. vel vnguentum album Rhazis, vel de Cerussa.

Fimus Ouillus, Gallinaceus, Columbinus, cum oleo Ros. & semin. Lini vel oleo illius adhibentur. Vulgus etiam Bouinum applicare solet, vt empyreuma, sicuti aiunt, educat.

Sal cum Oleo illitum pustulas prohibet Diosc. Alij etiam Nitro sic vtuntur, addendo simul oleum Ouorum.

Atramentum scriptorium ex aqua illinit Dioscorid.

Fomentatio fit cum brodio acido Brassicæ capitatæ, vel Raparum, ex composito quod Gumpist vocant: Quod magni fit, vel aqua inde exstillata: vel Brassicæ illius folia apposita, inflammationem reprimunt & simul discutiunt.

Decoctum Hederæ, Ligustri, Plantaginis, Hyosciami seminis, pruritum sanat.

Aquæ stillatitiæ Verbasci, florum Plantag. Solani, Rosar. prohibent pustulatum exortum, addito interdum Santalo rubro & Camphorâ.

Aqua vitæ, vt contusa, sic ambusta, apposita sanat.

Aquæ frigidæ perfusio vel applicatio, prohibet vesicas enasci.

Fœniculi succus & Vinum album, cum aqua frigida, fusa supra ambustum locum, ne vesicæ erumpant, cauet.

Eschara ab ambustis, casu, vti etiam à causticis alioquin admotis nata, non est vi euellenda, cùm tunc sanguinis fluxus & dolor augeantur, fiatque maior læsio; sed admotis lenientibus & maturantibus tractanda, tunc enim sponte abscedit: quibus & vtimur, si à cauteriis vsta sit eschara, vel portiuncula illa cutis mortificata, quam sæpè vix octidui spacio, hisce admotis maturare, vt abscedat, possumus, cogimurque tunc interdum quoque etiam forpice eam, nonnihil sectione liberatam, euellere.

Maturatur illa, & casus eius procuratur, si vngatur Butyro, vel hoc cum fol. Caulium vel Malua applicetur.

Vel vitellus Oui cum Butyro aut ol. Rosaceo vel communi, vel axungia Porci vel Gallinæ: Quibus addere possumus rad. Altheæ, vel fol. Caulium viridia pistata, aliásve herbas emollientes.

Vel folia Caulium recent. aut rad. Altheæ pista, bene cum supradictis mista, applicantur. Vel aliæ herbæ emollientes crudæ coctæve contusæ.

Emplastra, Triapharmacũ Gal. & Tetrapharmacum, escharæ casum procurant.

Vulnerũ sectim, contusim & ab ictu bombardæ, in variis corporis sedibus inflictorum, curatio.

Vulnus cùm nunc Amplum nunc verò Angustum, aliàs verò vtrumq;, Venenatum insuper sit, & propter hæc curatio potissimũ variet, nos tribus hisce generibus singulis suam curationem accõmodabimus: De cõposito vulnere cui phlegmone iungitur, cùm hæc etiã vlceri accidere possit, post vtriusq; curationem acturi. Et primùm de eo quod amplum & patens est tractãtes, siue sectim, quod Plagam vocant, siue punctim, quod punctura appellatur factum, vel ictus sclopeti alteriusve tormenti fuerit: vel contusim inductum in contusione dicta, curationem horum simul explicabimus.

Inter

Inter quę vulnera, quod latius est, partem diffindens, perforans aut mutilans, quò magis superficiarium est & æquale, minusque partes quæ ægrè iterum coalescunt, læserit, eò citiùs sanatur; difficiliùs quę secus se habent, & inprimis contusa, cùm in illis caro læsa, sanguisque affluens mox suppurentur, eaque in vlcera conuertantur, periculoque non vacant: vti nec illa quæ in membranosis & neruosis articulorum sedibus facta mox in vlcus madidum, quod furiosum illum ichorem, quem Glidwasser vocant, exudat, conuertuntur. Et in quibus nerui, vasa item maiora, venæ, arteriæ, amputata sunt, idque propter hæmorrhagias, resolutiones, contractiones aliaque quæ superuenire solent accidentia. Imprimis verò illa plerunque lethalia, quæ per caluariam penetrantia, cerebrum illiúsve meninges, vel pectus ventremque subeuntia illic contenta viscera læserunt, vbi mors vlcerum sanationem plerunq; præuenire solet, licet & vulnera pulmonibus illata, atque intestinis vti & vesicę, & vtero, curata fuisse obseruauerimus, relictâ interdum in ventre inferiore, aperturâ, per quam & stercora & vrina postea semper se exonerabant. Sed & cerebri aliorumque nobiliorum viscerum vulnera, aliqui, curata fuisse, testantur.

In curatione verò horum vulnerum, viuendi ratio in victu cæterisque, quæ necessariò obeuntur, sic instituenda erunt, vt corpus purum & mundum vel conseruetur, vel tale fiat, vnde sanatio feliciùs succedit. Inter reliqua quoque per aluum, si præsertim cōstipata sit, deiectiones, sed non violentæ instituendæ, & vena, si necessitas requirat, aperienda, viresq; variis vsurpatis conseruandæ. Dein & accidentia quæ superueniunt vel imminent, auertenda, vt hæmorrhagiæ, in magnis læsionibus, & potissimùm cùm membra penitùs amputantur; & inflammationes, quæ, si à tormento vel contusione vulnera facta sint, aut dolor magnus adsit, facilè accedunt, quod & venæ sectione, aliisque reuulsionibus in vtroque fit, admotisque illis, quæ in vulneribus cum inflammatione compositis, explicabuntur, & emplastris consolidantibus & hæmorrhagias simul compescentibus. Vulnerum verò potissimùm causâ, si quid de eo quod læsit adhuc ipsis inhæreat, aut aliud adsit obstaculum, ante omnia auferendum. Postea si vulnerum latera & labia procul ab inuicem dissita sint, hæc coniungenda: postremo vt cōcrescant rursum, seu cōsolidentur, & vniantur, sicque sanentur, procurandum. Quæ omnia eo modo sicuti nunc dicetur, erunt perficienda.

Auferimus, si quid adhuc de eo quod læsit, in vulnere remanserit, vt gladij vel teli alteriúsve instrumenti fragmentum, vel globulus sclopetarius, in profundo sæpè immersus subsistens, vel fragmenta lignorum, vitrum, aliáve: idq; variis artibus & instrumentis, vt forcipe dentatâ arripiendo, & eâ quam collum gruis vocant, hæc eximendo, vel etiam, si prehendi nequeunt, vti ferè globuli dicti, sectione eousque vulnere, donec arripi possint, dilatato. Quod &, si ossium fragmenta aut portiones abscectæ illic hæreant, similiter faciendum. Dein &, si pars per vulnus à reliqua adeò separata sit, vt illi rursum connecti, & cum ea concrescere minimè ampliùs possit, hoc obstaculum quoque sectione auferendum. Postmodum etiam, si pili in locis pilosis vulneratis in vulnus incidant, illique adhærescant, si pulueres eò deuolarint, aut alioquin illabantur, vel sordes aliæ accesserint, diligenter hæc priùs colligenda, abluenda & extergenda: idque spongiâ nouâ vel mundâ, Vino rubro stiptico madente: quod & simul adstringendo repellit & glutinat: Quod & Aquâ calidâ alióve liquore conuenienti imbutâ, fieri potest.

Coniungimus partes per vulnus adeò disiunctas, vt nisi coniungantur, denuò concrescere minimè possint. Quod in minoribus vulneribus, cùm labia ipsorum tunc nō adeò distent, non necesse erit, vti neque in illis locis, vbi cutis subiectis partibus pertinaciter hærens, etsi scissa sit, tamen hoc modo, ne vtrinque cedat, retinetur: Ob quam & causam, vulnera capitis pilosæ sedi inflicta, hac labiorum coniunctione, præsertim quæ per suitionem fit, non egent, vti neque in multis aliis locis, veluti in sectione lōnga,

quâ lapis è vesica eximitur, citra coniunctionem labiorum, lithotomos ea sanare videmus. In aliis verò sedibus, cutis dissectæ labia distãtia, vti & musculi, tendines, & quicquid per hanc divisionẽ procul ab inuicem recessit, mox à principio reduci, mutuoque iungi debent, iunctaque ad dies aliquot retineri: estque hic primus chirurgorum in vulneribus tractandis apparatus.

Ligaturis interdum solis, aliàs emplastris simul interpositis, labia vulnerum coniungimus, iunctaque retinemus; fitque hoc fasciâ lineâ, veteri & nonnihil attritâ, vt mollis & suauis sit: vulnus ea ita constringendo, ne si stricta nimis sit ligatura, dolorem inferat, vnde inflammatio, quæ in gangrænam interdum conuertitur, sequi posset, vel si laxa esset, labra non exactè iungerentur. Cuius fasciæ longitudo & latitudo parti quæ vinciri debet, accommodatur, & prout eam operari volumus, illi circunducitur: quorum causâ triplex Ligatura à chirurgis statuitur: quarum vna Retentiua seu Retinens dicitur, quæ in illis locis fit, vbi arctiùs partes non licet stringere, vt in collo & pectore, vel in eiusmodi vulneribus, in quibus dolor vim hanc ferre non potest. Fitque hoc fasciâ, quæ vnum caput habet, si principium illius per locum affectum injiciatur, & sutura fasciæ in parte oppositâ vinculi fiat. Altera Glutinatoria seu Incarnatiua appellatur, in qua facienda, vinculum duobus capitibus à vulnerati loci parte opposita incipiens, versus medium loci vulnerati, vbi strictius esse debet, circumducitur, & sutura potiùs, quàm nodo in extremis copulatur. Tertia quæ expulsoria vocatur ligatura, cum ad caua pertineat vlcera, in illis describetur.

Fibulis vel hamulis labiis ambobus vulnerum affixis, illa cõiuncta quoque aliquandiu retineri possunt, sed quia facilè labuntur, hæ vbi morâ opus est, donec vulnus glutinetur, non possunt sufficere.

Suenda vulnera, etsi hoc dolorem aliquem adferat, tamen quando longa, illorumque labia admodum dissita sunt, iungere necesse est, cùm aliter rectè coalescere nequeant; nam si relinquantur, interueniente amplâ aut inæquali cicatrice, parti deformitatem aut impedimentum etiam aliquod adferunt. Sed & tendines, si consui simul possint, motui minùs illorum vulnera incommodabunt, & si venæ maiores sic rursum iungantur, de hæmorrhagia, & membri atrophiâ minor erit metus. Hoc autem communi modo in cute, vti aliæ suturæ perficitur: acum per vulneris vtrumque labrum transfigendo, filumque trahendo & ligando, suturis distantibus nonnihil, totidemque nodis. Ad quod, filum gracile sed forte & æquale requiritur, sine nodis, acusque acuta longa & tenuis, quę latiuscula vel triangularis, lateribus acutis scindat, adhibitâ simul cannulâ fenestratâ, vti moris est. Verùm venæ & arteriæ quando consuuntur, vel intestina aliæve internæ membraneæ partes, tunc filo per vulneris labra sæpè reducto, vti pelliones facere solent, suitio perficitur.

Aciculis vel acubus vulnerum labia aliquando nectimus, transfigendo illa, sicque retinendo, totidem nexibus, quod in suitione suturæ aliàs fieri solent, quod expeditè, etsi cum dolore fiat, à quibusdam administrari vidimus.

Conglutinando hoc itidem fieri potest, eoque nomine interdum, quod sine dolore hoc fiat, hic modus expetitur, certisque in locis vbi fieri potest, tentatur, & cùm cicatrix non adeò lata, vti quando labia suuntur, curato vulnere relinquatur, minusque appareat, in faciei vulneribus, eo nomine etiã potiùs perficitur: quæ conglutinatio duobus modis peragitur: Vno si pittacia duo vtrinq; vulneris lateribus agglutinentur, & postquam glutine siccato, firmiter hæserint, simul eousque vt labia se mutò tangant, consuantur: pro glutine, vel Collam sumendo fabrorum lignariorum, vel album. Oui, aut infusionem gummi Tragrachanti, cum Calce: vel aliter per Picationem affigendo.

Aliter modus Emplastro perficitur, quod pittacio illitum, & vulneris labris, compressione leui priùs iunctis, impositum, mox siccatum & validè adhærens, illa donec concrescant, retinetur. Quæ proin cùm diutiùs il'ic remanere debeant, ex illis parãtur, quæ

simul

simul & sanguinem sistunt, & vlcus conglutinando sanant, vnde etsi suitione aliâ factâ ad labia retinenda, tunc non adeò ipsis opus esset, tamen quia futuras suitionis meliùs iunctas retinent, & simul vlcus curant, nihilominus applicantur. Idque mox in principio, dum adhuc hæmorrhagia vrget, vel illius metus adest. Paranturque hæc emplastra ex pulueribus subtilissimè tritis, & cum albumine Oui vel infusione gummi Tragachanti, vel Arabico, vel Ichtyocolla dissolutis, in Vino adstringente subactis, addendo pilos Leporis minutissimè concisos, aut lanuginem vel pappos florũ Salicis vel Arundinis, vel Senecionis: vel fungum siccum, quem Crepitum lupi, chirurgi Plumacellum vocant, vel telas Aranearum: In quibus pannus lineus intinctus applicatur, imposito simul interdum, vt meliùs hæreat, plumacello.

Puluis autem ex quo emplastrũ hoc modo fit, ex Boli partib⁹ tribus, Thuris vel Sarcocollæ aut Vernicis, parte vna paratur: cui & Sanguinis draconis pars media addi potest, & sic subigi, admixtis vti dictum, pilis.

Idem ex Calce viua, Farina tenuissima, quam volatilem vocant, fieri potest, admiscendo illis cætera.

Vel ex Calce sola cum albumine Oui mista, vel Saliua, hæc conglutinatio efficacissimè fit, additâ Mastiche, ne vrat, vel ex Colla fabrorum lignariorum dissoluta: ex illis enim vti pittacia agglutinari debere ostendimus, sic hîc pittacium hisce inunctum, vniuersum vulnus debet obtegere. Hoc & dropace ex Pice parato fieri poterit.

Reliqua emplastra idem quoque aliquo modo pręstantia, magis tamen vlceri sanando accommodata, in reliquis illius remediis explicabuntur.

Consolidationem seu coalitum vulnerũ, etsi natura moliatur, dum ex nutrimento partis huc delato, appositoque latera & labia vulnerum dissecta, denuò veluti glutine cõglutinat, & concrescere facit, sicq; interdum sola, leuiora vlcera consolidat: quia tamen in plerisq; etsi non suppurentur, tunc enim vt vlcera sanantur, mador interueniens, continuoque ea humectans, hanc conglutinationem non sinit fieri, illa, quæ siccando madorem hunc absorbeant adhibenda, naturæque sic suppetiæ in obstaculis amouendis ferendæ (quod canis, lambendo solùm vulnera, perficit) medicamentis Glutinantibus, Collyticis appellatis. Quæ tamen præter iam dictam vim siccandi, adstrictionem simul aliquam habere, emplasticaque nonnihil esse debent; quorum vi labia vulnerũ coalescere, & lentore meliùs retineri possint: eoq; nomine glutinandi vis illis attribuitur, cùm tamẽ aliter, nisi proprietas quædam hoc in illis etiam moliatur, minimè id faciant. Et demonstratio hæc in consolida, quòd carnis frusta, dum cum illis coquitur, glutinet, cùm illud non fiat, id conuincere nequit.

Sed & hæc cùm iisdem viribus sanguinis impetum sistant, ad hæmorrhagiam simul compescendam & impediendam, vti de emplastris labia coniungentibus dictum fuit, similiter iuuabunt, vt aliis quæ id faciant, nisi in maximis hæmorrhagiis, quæ vti dictum amputatis venis maioribus aut membris integris, eueniũt, minimè opus sit. Quorum medicamentorum collyticorum vsu, non solùm in vulneribus caro, sed & cutis, concrescit, ita vt in illis, in quibus nec caro nec cutis deperdita sint, nisi sordida facta postea in vlcera conuertantur, nec carnem aut cicatricem gignentia medicamenta alia, qualia verò in vlceribus cauis maximè requiruntur, adhibere necesse sit. Dein &, si per vulnera vel contusiones ossium, aliquæ partes absectæ abruptæ vel alioquin ossa fracta, fissa aliòve modo læsa fuerint, eadem medicamenta illorum conglutinationem per callum, quem natura ex nutrimento ossium producit, eadem vi, vt in carnosis locis, procurant. Talia autem Glutinantia tam in paruis quàm magnis, & profundis vulneribus, per foris admota topica remedia & interdum ea quoque, quæ per os propinantur, sequentibus formis administrantur.

Emplastra plerunq; adhibentur vulnerib⁹ quibusvis siue secta, puncta, perforata aut contusa sint, quæ & præterquam quòd diuisiones ipsorum arctiùs constringunt, sicuti in sanatione vulnerũ ea facere diximus, eodem

dem modo, vt illa emplastra, quæ potissimùm vt labia iuncta retineant, agglutinari ibidem ostendimus, sic & hæc in eo quoque aliquid possunt adiumenti adferre. Quod vt meliùs faciant, ex pulueribus sequentibus, albumine Oui exceptis, vti iam dicta emplastra, ab initio presertim formantur, addendo quoque pilos Leporis aliaque lanuginosa, illic declarata.

Pro quibus hoc modo pulueres fiunt: ℞.Thuris, Myrrhæ, an.part. æqual. Aloës duplum vel triplum, fiat puluis, excipiatur vt dictum. Potest & Sarcocolla addi.

Vel sic: ℞.Boli vel Gypsi vsti ℥.j.ß. Mastiches, Sarcocollæ, Thuris an.℥.ß. Sanguinis draconis, Aloës an.℥.ij. Balaust.rad. Consolidæ vel aliarum quoque plantarum ad ℥.ß. pulueris entur pro emplastro.

Aut: ℞.Ossa combusta communia vel Eboris aut Cornu cerui, lota aquâ rosar. vel Plantag. pulueris entur, addendo ad ℥.ij. cort. Granatorum, fol. Equiseti an.ʒ.ij. Aluminis, vel Vitrioli vstorum an.ʒ.j. fiat puluis pro emplastro.

Vel: ℞.Gallarum, radic. Aristoloch. Consolidæ, cort. Pini, vel rad. Pentaphyli an.℥.ß. Sideritidis, Aparines, Sumach, granorum Myrti vel Vuarum aut Passularum an.ʒ.ij. Spongiæ vstæ vel Lanæ ʒ.j. fiat puluis, qui per se, vel aliis pulueribus mistus, ad emplastra vsurpari poterit; cui & puluis ossiũ Myrobalan. Cocci infectorij rubri, lapid. Molochit. addi potest.

Vel: ℞.Colophoniæ, Mumiæ, Sanguinis draconis an.℥.ß. Cerusæ, Lithargyrij vel Tuthiæ an.ʒ.iij. Scoriæ plumbi ʒ.ij. Blattæ bisantiæ, lapid. Moloch. vel Galactit. an.ʒ.j. Farinæ volatilis ℥.j. fiat puluis, excipiatur album. Oui pro emplastro.

Alia quoque emplastra magis adhuc glutinantia & siccantia, in humidioribus vulneribus fiunt, si Aloën, Mastichem, Mumiam, simul, vel alium ex pulueribus supradictis, Resinâ laricеâ, Abiegnâ, Terebint. excipias.

Vel hoc chirurgis vsitatum emplastrum; ℞.rad. Aristoloch. puluerisat.℥.ß. Sanguinis draconis ℥.j. gummi Elemi ℥.ij. resinæ Pini vel alterius siccæ ℥.iij. Terebinth. q.s. fiat emplastrum.

Alius adhuc efficacior: ℞.Asphalti, id est, Bituminis vel Mumiæ, Colophoniæ, Thuris an.℥.j. Minij, Sulphuris, Cerussæ an.℥.ß. Aluminis vsti ʒ.ij. Coralli ʒ.j. Camphoræ ʒ.ß. Farinæ volatilis vel Hordei ℥.j. pulueris entur, excipiantur infusione gummi Tragach. vel Ichtyocollâ, factâ in aqua Equiseti vel Plant. & pauco Aceto.

Vnctuosa emplastra vel vnguenta sequentia conueniunt, cùm emplastica admodum sint, & sufficienter nihilominus siccent: ℞.Mastiches, Sarcocollæ, Thuris, Aloës, ana ʒ.ij. Croci ʒ.j. Terebinth.℥.vj. Resinæ spissæ ℥.ij. Ceræ ℥.iij. misce.

Cuius loco, aureo vnguento dicto Mesuęi vti possumus, quod ex thure, mastiche, colophonia, terebint. croco, oleo & cera paratur.

Aliud chirurgorum: ℞.Boli ℥.j. Sanguinis draconis, radic. Consolid. an.℥.ß. Mastiches, Thuris, gummi Arab. an.ʒ.ij. Mumiæ ʒ.iij. ol. Rosac. & Resin. q.s. fiat emplastrum.

Vel sic: ℞.Aloës hepat. Sarcocollæ, Serapini, Ammoniac. Galbani, Bdellij, Mastiches Thuris, Picis naualis, Boli, Sanguinis draconis ana æquas partes, pulueris entur, adde Terebinthin. & oleum antiquum vel aliud conueniẽs, & Sanguinem hominis rufi, coquantur parùm in modum vnguenti.

Vel hoc admodum siccans: ℞.Terebinth. & Ceræ an.℔.ß. olei de Iunipero, Laurini an. ℥.j. de Vitellis ouorum ℥.j. Thuris ℥.ij. Mastiches ℥.j. Lapid. Magnetis, Calaminaris an. ℥.ß. Vitrioli, Aluminis an.ʒ.vj. Cerusæ, Lithargyr. an.℥.ß. Resinæ communis q.s. fiat vnguentum vel emplastrum.

Emplastrum Oppodeldoch: ℞.Lithargyrij ℔.j. Cadmiæ fossil.℥.iij. Colophoniæ ℥.iiij. Ceræ ℔.j. Olei cõmunis ℔.j.ß. coquantur aliquandiu, dein adde gummi Ammoniaci, Galbani, Bdellij, Serapini, Oppopanacis, dissolutorum in Aceto & purificatorum, an.℥.j.ß. ol. Laurini vel Hyperici, vel Lumbricorum ℥.j. Terebinth.℔.ß. coquantur iterum, semper interim agitando, ad consistentiam aliquam, & ab igne remotis misce Mastiches, Thuris, Myrrhæ, Mumię vel Asphalti an.℥.j. vel plus, agitentur, & postea malaxentur oleis prædictis in formam emplastri. Chymici Croci martis & florum Antimonij an.℥.ß.

an.℥.ß. addunt. Alij, si quid vulneribus infixum hæreat, faciliùs prodeat, Succinum & Magnetem ad ℥.j. permiscent.

A plantis emplastra cõsolidantia sic fiunt: ℞. Consolidæ vtriusq; cum radicibus, Pentaphyli, Plantag. Bursæ pastor. Pilosellæ, Pimpinellæ, Millefolij, Verbenæ, Cynoglossi, Betonicæ ad M.vj. Lumbricorum numero xxx. incidantur & contundantur, adde Olei antiqui vel Ros. ℔.j. Sæui Arietini vel Hircini, vel Ceruini, ℔.ß. Vini adstringentis ℔.j. Aquæ vitæ ℥.j. decoquantur ad consumptionem Vini, exprimantur, colaturæ adde gummi Elemi, Thuris, Mastiches, Sarcocollæ an. ℥.j.ß. Ichtyocollæ, Sanguinis draconis an. ℥.j. Myrrhæ ℥.ß. Terebinth. ℥.ij. Picis naualis & Ceræ q.s. pro emplastro.

Vel sic: ℞. rad. Aristoloch. rot. Consolid. maior. Pentaphyli ad ℥.iij. Equiseti, fol. Cupressi, Pyri vel Mespili vel Corni, Myrti, Quercus, Isatidis satiuæ, ad ℥.ij. Nucum cupressi, granorum Myrti, Gallarum, Balaust. flor. Rosar. rubr. Hypericonis ad ℥. ij. gummi Eleni, Sarcocollæ, Pini, Galbani, Ammonian. Mumiæ, Oppopanac. ad ℥.iij. Colophoniæ, Sanguin. draconis, Sanguinis hirci sicci an. ℥.j. Oleorum antiq. vel lucernarum, vel Rosac. omphacin. aut Myrtini vel Lentiscini, axungiæ Thymali ad ℥.j. resinæ Abietis vel alterius, Picis, Ceræ, q.s. fiat emplastrum.

Aliud, quod & in neruosis locis, si vulnera existant, conuenit: ℞. rad. Consolidæ maior. ℥.ij. rad. Aristol. ℥.j. radic. Peucedani ℨ.ß. herb. Plantag. Bugulæ, Verbenæ, Sanguisorbæ, Pilosellæ, Pimpinellæ, Millefolij, Cynoglossi, Anagallidis flore rubro, Agrimoniæ, Equiseti an. M.j. incisa & contusa, coquantur in Vini albi generosi Mensur. iij. vel iiij. donec inspissari incipiat, contundantur diligenter, rursumque ad ignem positum, cùm feruêre incipit, adde Ceræ, Resinæ puræ, Picis ad ℔.j. agitentur diligenter, donec dissoluantur, coquendo, & postquam ab igne remota fuerint, permisce Mastiches puluerisat. ℨ.j.ß. Galban. dissol. in Aceto ℥.j. Terebinth. ℔.j. denuoque agitentur, donec refrigerata in formam emplastri reducãtur.

Aliud ex iisdem plãtis, vel etiam aliis decoctis in Vino, adiectis Olei ℔. ij. vel quantum opus est; fieri potest, si postquam cocta fuerint, absumptis succis, pasta cum Oleo, adiectis Cerâ, Resinis aliisque, in formam emplastri redigatur.

Aliud idem pręstans de Vermibus dictum emplastrum: ℞. radicum & herbarum prædictarum ad M.vj. Lumbricorum terrestriũ ℔.ß. coquantur in Vino & Oleo, vt dictum, expressioni addendo gummi Ammoniaci, Galbani, Oppopanacis an. ℥.ß. Picis & Asphalti an. ℥.ij. Terebinth. ℥.ß. sæui Arietin. ℥. viij. iterum parum coquantur in formam emplastri, miscendo puluer. Mastich. Thuris ana ℥.ß.

Ad præcisos tendines: ℞. rad. Narciss. ℥. j. rad. Acori veri seu Calam. arom. ℥.ß. Costi ℨ.ij. summitatum cum floribus Chamomil. Rosmar. Lauendul. vel Stœchad. Hyperici, Saluiæ an. P.j. Lumbricorum num. xxx. coquantur in Vino & Oleo communi, additis etiam oleis conuenientibus, inter quæ & oleum Nucis Indicæ confert, ad consumptionem; coletur oleum, addendo Ladani ℥. j. Storacis rub. & calamit. an. ℥.ß. Ceræ q.s.

Lumbricorum puluis Melle exceptus, in vulneratis neruis competit.

Cochlearum caro contusa cum Thure & Myrrha, neruorum vulnera glutinat.

Ex vsitatis in capitis vulneribus præsertim accõmodata sunt sequentia emplastra.

De Betonica emplastrum vel ceratum Nicolai: quod fit ex betonica, mastiche, thure, mumia, resina pini, tereb. cera.

Est & alia compositio quæ hæc eadem, exceptâ mumia, & præter hæc etiam pimpinellam, eupatorium, saluiam, pulegium, millefolium, consolidam maior. gallitricum (al. periclymenum) rad. ireos, aristoloch. gummi eleni (al. oleæ Æthiop.) ol. abietinum, vinum recipit.

Alij simpliciter hoc emplastrum ex succo betonicæ, cera, resina & terebinthina conficiunt.

De Ianua emplastrum Mesuæi idem præstat: quod fit ex succo betonicæ, plantagin. apij, resina, terebinth. pice, cera.

Gratiæ Dei, ceratum Nicolai, aliàs Diuinum dictum, capitis vti & alia vulnera sa-

nans, fit ex betonica, verbena, pimpinella, mastiche, resinis & cera.

Aliud Petri de Argilata, præter hæc recipit consolidam vtramque, centaurium, hypericon, consol. sarracenicam (al. gratiolam,) olibanum, myrrham, ammoniacum, galbanum aristoloch.

Catagmaticũ Andromachi à Galeno descriptũ, vulneribus capitis si ossa fracta sint, adscribitur. Idem ab eodem annotatum, ex Scylla Critonis emplastrum.

An cranium alicubi ex contusione capitis perfractum sit, emplastro ex Thure, Ladano & Cera facto, capiti raso admoto, explorant hac ratione, vt si in parte aliqua illud exsiccetur, illic fracturam esse iudicent.

In neruosarum sedium vel neruorũ vulneribus, vsitata emplastra sunt hæc.

Neruinum Vigonis, quod fit ex rad. rubiæ, betonica, rosmarino, cauda equina, centaurio, fol. & semine hypericonis, vermibus terrestr. lithargyrio, minio, gummi mastiches, eleni, sagapeno, galbano, ammoniac. pice, resina, terebinthin. sæuo vituli, hirci, ol. chamom. rosarum, masticin. terebinth. lini, aceto, vino.

Alia quoq; in neruorum vulneribus conuenientia emplastra Galenus duo describit, Ægyptium Andromachi, atque aliud Philogoni.

Vti & alia ad quæuis vulnera vtilia ab eodem Gal. descripta, Viride vnum Dini, alterum Machærontis. Ad quæ & Auicennæ emplastrum de Lino seu tela linea, vsurpari solet. Item emplastrum de Minio Vigonis & Massæ.

Si contusa aut fracta, alióve modo læsa per vulnus sint ossa, tunc Oxycroceum emplastrum maximè in vsu est, cuius variæ sunt descriptiones, è quibus Nicolai oxycroceũ, ex ammoniaco, galbano, myrrha, thure, mastiche, colophonia, resina, pice, cera, aceto, croco paratur.

Lugdunensium Oxycroceum efficacius est, & præter iam dicta, lithargyrium, bolum Armen. alumen, styracem rubram & liquidam recipit.

Vigonis Oxycroceum fit ex lithargyrio, minio, bolo, terra sigillata, myrrha, thure, mastiche, resina, sæuo, oleis adstringentibus & succis, foliis fraxini, myrti, consolidæ.

In iisdem vulneribus cum ossium læsione, Sparadrappum chirurgorum conuenit, quod ex linteo intincto in Oleo & Cera, dissolutis, miscendo cerusam & ladanum fit: Alij addendo etiã lithargyr. myrrham, parãt: Alij addunt etiam alumen, camphoram: Alij etiam sanguinem draconis, mumiam, minium, mastichem, aliáve.

Lachryma balsami plantæ, quam Balsamum naturalem vocant, si haberi potest, vti illud vel tale quid apud magnates ostenditur, viresque veri explere creditur, in vulneribus sanãdis, præcipuas illi vires attribuunt.

Cuius loco Oleo vtimur, quod cùm vires balsami veri habere, ex eo quòd vulnera sanare experientia comprobet, Balsamum artificiale, seu Balsamelæum vocant, chirurgique illud statim vulneribus instillant, vel linteolis conceptis, hæc medicamẽta, vti & alia, Emmota sic vsurpata dicta, excepta indunt vel applicant, vel cum turunda illis intincta (quæ in vulneribus, quorum orificia concidunt, vt ea aperta retineat, aliquousq; inditur, solent intrudi. Hæc autem variis modis fiunt sequentibus.

Olea quæ exprimuntur, vt cõmune, nucum similiaq;, cùm pinguia admodum sint, & vulnera ac vlcera sordida redderent, sola adhibita, illorum curam potiùs impedirent, quàm iuuarent: vetustate tamen atq; ignis vi siccissima reddita, quale est oleum Antiquissimum & Lucernarum, si calida paruis vulneribus adhibeantur, etiam sola, magis tamen, addito Vino vel Sale, ea sanare possunt. Quod & ex vitellis Ouorum expressum, cùm egregiè abstergat, facit oleum. Itẽ aliqua ex illis quæ vires hasce possident, exstillata. Vt Oleum Myrrhæ & Resinarum variarum, quæ sola etiam efficacia sunt.

Quæ verò potissimùm in vulneribus maioribus id præstant olea, talia sunt, in quibus varia quæ vim illis siccandi glutinandique contribuunt, macerantur vel coquuntur, à quibus postea oleum separatur, vel destillatione elicitur. Veluti Olea ex plantis glutinantibus efficacioribus parata, vt Hyperico, Ophioglosso, Tapso barbato, Sanicula, Limonio,

monio, Veronica, Pyrola, Saluia syluestri & fructu Momordicæ, in oleo Communi, Lini vel Rosac. omphac. in Myrtillorum, Lentiscino alióve macerata, decoctáve, dissolutâ in hisce etiam Terebinthinâ vel Cerâ.

Vel sic ex pluribus herbis tale fit Balsamum: ℞. rad. Consolidæ, cortic. rad. Vlmi ana ℥.iij. Hyperici & Centaurij min. summitat. cum floribus an. M. ij. Consolidæ minoris seu Prunellæ, Betonicæ, Millefolij an. M. j. Rosarum rub. P. j. Lumbricorum numero x. Vini præstantissimi ℥.iiij. Olei communis ℔. j. resinæ Terebinth. vel alterius fluidæ ℥.ij. Stent in infusione in loco calido, vel leuiter coquantur, exprimatur oleum. Vel in alembicum posita, ex illis liquor eliciatur: quæ postea ad vsum seruatur.

Possent & aliæ aliquæ ex plantis vulnera sanantibus priùs descriptis addi; vt Equisetum, Chelidonium; & præter hæc folia Arbuti & Vlmi, illiusque folliculi cum liquore, flores Chamomil. & Verbasci, atq; in capitis vulneribus Saluia, Rosmarinus, &c. ad M. j. item Nucis mosch. ℥. ß. auctaque tunc Olei, Terebinth. & Vini quantitate, coqui vel destillari.

Efficaciora ex plantis hæc parata balsama fient, si plura resinosa illis addantur, hoc pacto: Hyperici flores in oleo, addendo parùm Vini albi optimi, primùm in calore solis, vel fornacis, mox in fimo equino, per dies xiiij. macerantur, addendo postea Terebinthinam, Resinam puluerisatam, Myrrham & Mastichem, bulliant, coletur oleum: quod Balsamum seu Oleum Hyperici vocant, magni in vulneribus sanandis vsus.

Vel sume balsami primi vel secundi, ex pluribus plantis concinnati materiam, eámque sequentis balsami materiei permisceto, simulque ex illis oleum coctione vel destillatione elice.

Balsamum sic fit efficax: ℞. Thuris, Mastiches, Galbani vel Bdellij, gummi Elemi vel Hederæ, Myrrhæ, Aloës puluerisatorũ an. ℥. ß. Olei ℔. j. Terebinth. ℥. ij. Aquæ vitæ ℥. j. ß. coquantur sensim, & coletur à fæcibus oleum resinosum. Si in fine decoctionis, Æruginis ęris ℥. ß. addas, efficaciùs erit, viridiq; colore tinctum.

Vel: ℞. prædictos pulueres, & cum æquali pondere resinæ Terebinth. misce, & per destillationem aquam primùm, dein oleum ad vsum elice.

Vel: ℞. puluerum prædictorum ℥. iij. adde Mumiæ, gummi Arabici, Sagapeni vel Serap. Sarcocollæ, Sanguinis draconis, Opponacis an. ℥. ß. Ladani, Bonzoini, Storacis calamitæ an. ʒ. ij. Succini ʒ. vj. Spicæ nardi ʒ. iij. Croci ʒ. ß. Camphoræ ʒ. j. Storacis liquid. ʒ. ij. resinæ Terebinth. ad pondus omnium: destilletur vt priùs ostensum, balsamumque emanans Æruginis æris in eo maceratâ ℥. ß. colorare poteris, viresque illius augere.

Multa alia aromata eiusmodi compositionibus addunt, vt balsama, etiam aliis morbis frigidis apta redderent, fierentq; medicamenta instar omnium, gratumq; odorem inde conciperent: cùm hęc in sanatione vulnerum & vlcerum parum auxilij præstare possint; veluti Nucem mosch. Gariophyl. Cinamom. Galangam, Cubebas, Lignum aloës, Zedoariam, aliaque aromata. Quo nomine & Moschum & Ambram, & vt splendidius reddant medicamentum, cùm tamẽ odorem horum permistione amittant, in ditioribus immiscent. Quorum loco Castoreum, Euphorbium aliqui adjiciunt, cùm magis illud, frigidorum morborum causâ, calefacere volunt.

Ex Rhabarbaro aliqui balsamum parant, Oleo rosaceo vel lumbricorum aut alio macerando, additisque thure, masticha, oppopanac. camphora, & parùm postea decoquendo, colandoque ad vsum.

Alia balsama sic fiunt, additis etiam succis: ℞. Olei antiquissimi ℔. j. Vini optimi ℔. ß. succorum Sideritidis vel Narcissi an. ℥. iij. resina Laricis vel Abietis ℥. ij. gummi Elemi, Thuris, Mastiches an. ℥. j. ß. Saguinis draconis, Aloës an. ℥. j. rad. Consolidæ, Aristolochiæ an. ʒ. vj. florum Hyperic. ℥. ß. coquantur lento igne & coletur oleum ad vsum.

Aliud additis diuersis oleis: ℞. olei communis & olei Lini an. ℥. viij. olei Laurini ℥. ij. olei Terebinth. ℥. j. ol. baccarum Iuniperi destill. vel Spicæ, vel Petrolei ℥. ß. resinæ Terebinthin. vel Pini ℥. ij. Colophoniæ, Mastichæ ana ℥. j. Aloës ʒ. iij. Æris vsti ʒ. ij. Chal-

canthi albi ℥. j. stent per dies aliquot in loco calido posita in lebetem æneum, indies agitando, donec virescat, coletur ad vsum. Vel cùm citiùs parari debet, ebulliat parùm, addendo sub finem Æruginis æris ℥. iij. Coletur: huic & oleum Gariophylorum per destillationem factum, addunt interdum.

Chymicorum balsamum: ℞. florum Sulphuris ter calcinatorum ℥.iij. Camphoræ ℥.j.ß. puluerisentur, misce ol. Terebinth. ℥. iiij. eliciatur oleum per alembicum.

Ad balsama hæc, Vernix liquidus, Germanicè Firniß dictus, fabrorum lignariorũ, quô ligna dolata vt splendeant, incrustare solent, referri poterit, cùm suo lentore admodum glutinet, & ex illis quæ idẽ siccando præstant, paretur, additis præsertim iis, quæ hanc ipsorum actionem iuuant. Hic autem ex oleo Lini coquitur, adiectis variis, quæ vt siccetur & splendeat, efficere possint: Qui sic paratus, balsamũ ad vulnera sananda erit aptissimum: ℞. ol. Lini ℔. j. gummi Vernicis, Mastiches an. ℥. j. ß. Thuris ℥. ß. Lithargyrij ℥. j. Vitri crystallini puluerisat. vel Ossium combustorum ℥. ß. Chalcanthi albi ℥. iij. coquantur leuiter, minusq; quàm vernix pro incrustatione aliàs coqui solet, addendo Terebinth. ol. Spicæ vel Petrolei ana ℥. ß. & in fine decoctionis coletur, & Æruginis æris ℥. ij. tingas; & balsamum habebis efficacissimum ex nostra inuentione.

Inunctiones aliç ex sequentibus fieri possunt.

Resina laricea vel Abietis per se vel dissoluta cum vitello Oui, & Melle inuncta vel apposita, parua vulnera sanare potest.

Vel fiunt ex succis herbarum, quæ vulnera sanare diximus, cum Melle, Resina & vitello Oui, in vnguẽta redactis: additis etiam aliis pulueribus siccantibus, in emplastris expositis, nonnunquam & oleis.

Vel sic: ℞. succi Rosarum, Plantagin. vel aliorum ana ℥. ij. Aceti ℥. j. olei Rosacei omphacini ℥. iij. olei vitell. Ouor. Terebinth. ana ℥. j. coquantur ad succorum consumpt. addendo Lythargyr. Cerusæ, Tuthiæ ana ℥. ij. Alumin. ℥. j. Omphacij ℥. iij. Ceræ q. s.

Succus Nicotianæ cum Oleo & Resina abietis, Pice & Cera, in formam vnguenti coctus, nostro tempore valdè in vsu est.

Ad capitis vulnera ipsiusque meningum: ℞. succi Betonicæ ℥. vj. olei Rosac. Terebinthin. Ceræ nouæ ana ℥. ij. Lactis mulieris vel Butyri, Vini vel Aceti an. ℥. j. ß. coquantur ad liquorum consumptionem, donec fiat vnguentum, vel additâ Resinâ siccâ abietis, fiat emplastrum.

Aliud in vulneribus capitis: ℞. summitat. Centaurij minor. folior. Caprifolij & Betonicæ exsiccatorum & puluerisatorum an. ℥. ij. Vini præstantissimi mensur. j. ß. macerentur, & postea leuiter coquantur, addendo circa finem Mellis ℥. ij. Lactis ℥. j. Terebinth. Ceræ nouæ an. ℥. vj. iterum coquantur, ad succorum consumptionẽ, tandemq; miscendo Thuris, Mastiches, gummi Arabici vel Elemi ana ℥. j. & parùm resinæ Pini vel Abietis, fiat emplastrum.

Vel si sint cum fractura cranij: ℞. succorum Verbenæ, Betonicæ, Sanguisorbæ, Clematit. peruincæ, Chelidonij, Apij an. ℥. j. Terebinth. ℥. iiij. Ceræ ℥. ij. coquantur ad succorum consumptionem, addendo rad. Consolid. maior. & Aristol. rot. an. ℥. ß. rad. Ireos ℥. ij. Sarcocollæ, Myrrhæ, Mumiæ, Succini ana ℥. j. ß. pro emplastro.

Ad eadem: ℞. Mellis rosacei part. ij. Olei rosac. vel Ouorum part. j. Terbinth. partem mediam, agitentur, & in illis sericum Chermesinum rubrum intinctum, fractæ caluariæ imponatur. Chymici oleum Terebinth. loco illius & ol. Myrrhæ addunt.

Applicationes aliæ ex diuersis fiunt, veluti ex sequentibus.

Cortices interiores Tiliæ, sicuti tenuissimæ pro vinculis detrahi solent, vulneribus fasciæ instar obuolutæ, vti & Fraxini: Papyrus item Vino madefacta, prosunt.

Spongiæ recentes maritimæ appositæ.

Telæ aranearum impositæ, sanguinem mox sistunt, & glutinant parua vulnera.

Item Fungus ille siccatus leuissimus, quẽ Plumacellum vocant, vulneribus vt sanguinem sistat, communiter à chirurgis imponitur, qui quoque siccando agglutinationem iuuat.

Fascia si maceretur in aqua Aluminosa vel bulliat, & siccetur, vim siccandi adipiscetur. Con-

Contusæ multæ plantæ ex sequentibus, ex quibus decocta parari, iam ostendemus, additis farinis aliisve, quoque applicantur.

Vel sic: ℞. radic. Aristoloch. Anchusæ, fol. Chelidonij maior. Cētaurij, Glandium, contundantur cum oleo Rosac. omphacino, & Axungia seu Sæuo.

Decocta è plantis sequentibus pro ablutione & fotu fiunt, vel iniectione in profundis vulneribus, veluti ex Consolidis, ab eximio vsu dictis maiori seu symphyto, ipsiusq; præsertim radice, media vel Bugula, minore seu Prunella. Item Consolid. sarracenica, Symphyto petræo, Sideritidis speciebus Hyperico, Pyrola, Ophioglosso, Dracunculi foliis, Millefolio, Achilleia, Pilosella, Cynoglosso, Sanguisorba, Agrimonia, Equiseto, Verbenaca, Fragaria, Veronica, Gratiola, Scordio, Isatide, Pentaphylo, maior. cum radic. Centaurio minor. Eupatorio vulg. Lysimachia, Chamæpyth. Chelidonio maior. Nicotiana. Item ex Aristolochiæ, Tormentillæ, Bistortæ, Smyrnij, Lycopsis, Centaurij maior. Poterij, radicibus Narcisi bulbis; & Vlmi, Tiliæ, Pini corticibus. Dein & ex folio Cupresi, Myrti, Quercus, Vlmi, Mespili, Corni, Pyri syluestr. Sumach, Cysti, Helianthemi, Verbasci, Busrsæ pastar. Plātag. Lonchitidis, Lunariæ, Viticis, Polycnemi, Brassicæ syluestris, Anagallidis, Polygoni, Polygonati, Aparin. Clymeni, Argemon. Cyani maior. Trinitatis, Balsamina, Conyna, Erigero, Tragopogo, Betonica, Saluia, Polio, Rosmarino. Et Rosarum, Labrusçę floribus, seminibus Myrti, Iuniperi, Glandibus, Palmulisq; immaturis. E quib⁹ aliqua in Aqua vel Vino, aliisque decoquuntur, addito interdum Aceto: eritque decoctum efficacius, si ex pulueribus siccantibus quidam simul coquantur, vti & Alumen, &c.

Aquis stillaticiis plantarum prædictarum quarundam, vulnera abluuntur.

Vel talis aqua stillatitia paretur: ℞. succi Plantag. Agrimoniæ, Hyperici, ad ℥. xij. Vini albi ℥. iiij. Aluminis ℥. iij. Masticħes, Thuris ana ℥. ß. Auripigmenti ʒ. j. albumin. Ouorum num. ij. eliciatur aqua.

Alia: Lateres cocti puluerisati, Cera purissima, Vino aliquoties lota, subiguntur in pastam, è qua in alembicum imposita, aqua igne valido elicitur.

Aquam in folliculis Vlmi inclusam, sunt qui probant.

Pulueres vulneribus inspergendi, ita tamen ne conglutinationem inpediant, ob id subtilissimi esse decent; quales sunt illi, ex quibus emplastra, addito albumine, fieri diximus,

In capitis vulneribus, præsertim si caluaria fracta sit aut læsa, sarcotici insperguntur pulueres qui fiunt ex rad. Ireos, Aristolochia, farina, Orobi & Thure: Additur interdum & Myrrha, Sarcocolla. Aliàs etiam Aloë & Sanguis draconis: item cortic. Piceæ & cortic. radic. Panacis & Capparum, & radices Cyperi: & cùm squamæ adsunt Ossium, Squama æris, Pumex, Crocus martis: & capitis læsi causâ, Grana tinctorum, Santalum, Nux cupresi & Myrtilli: cùm potenter siccandum, Tuthia, Anthimoniū.

Aloë sola vulneribus capitis inspergitur, si cerebrum appareat.

Sanguis humanus vel Hirci aut alius, siccatus, vulneribus quibusuis inspersus, admodum ea glutinat.

Lapidum, Hæmatitis succus seu liquor sanguineus, aut Galactitis lacteus, per fricationem in cote ablatus, siccatusque, valdè siccat & glutinat.

Propinantur ad vulnera sananda, quædam bibenda, assumendáve, inprimis Potiones vulnerariæ, Traumaticæ ob id appellatæ, idq; non solùm, si ad ventriculum & intestina vsque vulnera penetrent, quò eiusmodi potiones peruenire possunt, sed &, si viscera alia in ventre inferiore aut in pectore læsa sint: quin imò in exterioribus vulneribus prodesse, & eousque non solùm vires suas extendere, sed & quoq; progredi, hisce probare nitūtur, quòd eas è vulneribus exudare obseruarint, imò adeò validè in exterioribus operari, vt si non vulneratis hæ potiones dentur, alicubi sub cute viam sibi facere nitentes, adeò molestent, vt illic sectione factâ, illis exitum patefacere cogantur. Qui etsi fortè, vt hisce suis inuentis splendorem adderent, vel decepti aliis humoribus, qui in vulnere quandoq; se offerunt, hos à potione

illa prodire credentes, hæc sparserint, tamen experientiâ compertum, has in sanãdis vulneribus non leue adiumentum attulisse, licet quibus viribus illud faciant, dubium sit: credibile tamen, hoc vi siccante, quæ etsi ad interiora vulnera faciliùs peruenit, tamẽ ad exteriora se quoq; extendere potest, potiùs facere, atque vti externa remedia id efficere, quàm proprietate aliquâ: cùm hę ex tam diuersarum qualitatum simplicibus, quæ has potiones subeunt, componantur.

Hæc autem decocta, ex certis ad hæc experientiâ appropriatis plantis fiunt; quæ recentes vel siccę, in vini albi mensura vna coquuntur, pluribusq; vicibus, manè, aliquando & vesperi, propinantur: aliàs siccatæ in puluerem redactæ, ad vsum conseruantur; & cùm opus est, illius quantum tribus digitis capi potest, in Vini mensura vna ad tertiæ vel quartæ partis consumptionem coquitur, illudq; vinum propinatur; aliàs Ceruisiæ, vbi eam maximè bibere solent, incoquitur, rariùs in aqua, sed si vinum nocere posset, illud potiùs Aquâ, antequam decoquatur, diluunt. Mel frequenter etiam hisce decoctis permiscetur. Quæ & in formam syruporum, vt diutiùs asseruari queant, possunt redigi: fiuntque sequenti modo.

Pyrolæ solius decoctum hoc modo propinatum, primas tenet: Vel cum Sanicula coquatur: Aliàs & Solidagine sarracenicâ, & Alchimillâ.

Angelicæ syluestris folia in Vino decocta, si illud bibatur & admoueatur, admodum probatur in vlcere Glidwasser reddente.

Vel: ℞. Saniculã, Consolid. Sarracenicam, Arthemisiam, Sanguisorbam, pro decocto.

Aut: ℞. Consolid. sarracenicam, Betæ & Angelicæ syluestris caules, Saniculam, Alchimillam, Pyrolam.

Vel: ℞. Consolid. mai. Tormẽtillæ & Rubiæ radices, Pyrolam, Alchimillam, Fragariam, Agrimoniam, Millefolium, Equisetũ, Cynoglossum, Cariophyllatam, Betonicã, Vincam peruincam, Sanguisorbam, Pilosellam, Virgam auream, pro decocto.

Hisce decoctis, aliquæ etiam de sequentibus plantis addi possunt: Veluti sunt Consolida media & minor, Ophioglossum, Polygonum, Polygonatum, Trinitas: Aristolochiæ, Bistortæ, Dictamni albi & Costi radices: Flos solis, Phu, Cyclamen, Balsamina, Pulmonaria, Potentilla, Solsequium, Auricula vrsi, Lunaria minor, Sion Crateuæ, Saluia agrestis, Nepeta, Hyssopus, Pulegium, Centaurium minus, nisi amaritudo obstet, præ cæteris additur, vti & Gentiana. Astacos simul cum istis aliqui decoquunt.

Præ cæteris magno successu exhibitum hoc est: ℞. Pyrolam, Consolidam sarracenicam, Betæ albæ & rubræ folia, è meditullio, Angelicæ syluestris caules, Cardui benedicti folia, Agrimoniam, Betonicam: & si spicula ac festucæ lignorum elicienda, Sabinæ ramulum; è quibus puluerisatis, cochlearis mensura, decoctum in Vini mensura vna factum, indies ter, manè, post meridiem & cubitum ituro, ad ℥.ij. propinatur. Hoc adeò potenter operari aiunt, vt & si quid vulneri inhæreat, illud expellat; & plurimùm iuuare in vlceribus, Glidwasser proferentibus.

Est & hoc probatum Ital. ℞. Consolid. maioris, rad. Plantag. Pedis columbini, Cynoglossi ana M. j. Sanguisorbæ, Pilosellæ, Cariophyll. Cauliũ rubr. Agrimonię an. M. ß. coquatur in Vino rubro ad tertias, dulcorando Melle: Colaturam bibant manè quotidie.

Hoc quoq; cõmendatum est: ℞. Caulium rubrorum, Rubiæ maior. fol. Geranij Robert. Plantag. Cannabis, fol. Abrotani, Tanaceti, sem. Erucæ, Apij, Petrosel. Fœniculi, incidantur & conquassentur, decoquãtur in Vino, addito Melle: Detur manè & vesperi.

Alia vtilis potio: ℞. Arthemisiæ rubræ caules, Bellidis albæ folia, Saniculam, Pyrolam, Alchimillam, Betonicam, Saluiam, Lauandulæ cauliculos, addendo interdũ Mumiæ ℥.ß. Sunt qui tantundem Castorei addunt, magno vt inquiunt successu, & vti suprà dictum, omnia decoquunt.

In vulnere à sclopeto facto profundo, hoc pro singulari aliqui habent experimento: ℞. baccarum Lauri, rad. Aristol. rot. ana ʒ.j. Cancrorum nostrorum in furno exiccatorum ʒ.j.ß. Prunellæ exiccatæ ℥.ß. fiat puluis, qui in ℔. iij. Vini coquatur ad consumptionem tertiæ partis. Bibat æger ℥. j. huius Vini ter in die, & eodem fomentetur locus, vel

vel illud in vulnere profundo injiciatur.

Alia in ictu sclopeti etiam fracto osse conueniens: ℞. radic. Consolid. maior. ℥.j.ß. radic. Aristoloch. ℥.j. radic. Cyclamin. Serpentariæ an. ℥.ß. Prunellæ, Geranij ana M. j. Sabinæ M. ß. Mumiæ ʒ. ij. Oculorum cancri dict. ℥.ß. Galangæ ʒ.ij. fiat puluis, coquatur in mensura j. Vini: Et bibat.

In capitis præcipuè vulneribus, decoctum valet factum ex Betonica, flor. Lilij conuallij, Veronica, Chelidonia, Persicaria, Vinca peruinca, addito etiam pauco ob amaritudinem, Centaurij minoris, cum Nuce moschata, Macere, Galanga.

In pectoris vulneribus, decoctum in Vino & Melle factum ex radic. Pentaphyli, Cariophylorum, Consolid. maior. Rubia tinct. herbis Veronicæ, Betonicæ, Pimpinell. Arthemisiæ, Parietariæ, Cánabis, Cressionum, Caulium rubrorum, floribus chamomill. Viol. Amarinthi purpurei, Passulis.

In vulneribus ventriculi, dantur quę sanguinem sistunt & consolidant. Bolus, Consolida cum Vino rubro, additâ Galangâ.

In intestinorum vulneribus Equiseti cum radice, nonnunquam & addendo Hederam terrestrem, in aqua decoctum, commendat Dioscorid.

Fimum leporis, & leporis pilos sub ventre, cum Melle decocta, & frequenter fabæ quantitate sumpta, Matth.

Succi prædictarum præcipuarum plantarum, à recentibus expressi, vel maceratione priùs factâ, si aridi sint, in Vino & Aqua propinantur: Veluti ille qui ex Consolid. maior. radic. mundata contusa, & cum aqua permista, exprimitur: vel alij, addendo Mel, interdum vnciatimque dando.

Vel ex Caulibus rubris & fol. Cannabis cum Vino pistatis, expressi.

Aquæ stillatitię, etsi minùs validè, aliquid tamen possunt efficere. Inter quas ea quæ ex Hypericone & consolida Sarracenica elicitur, valdè commendatur, si haustum illarum manè & serò bibant.

Equiseti & radicis Cyclaminis aquas ad ℥.vj. Saccharo dulces redditas, bibitas, intestinorum vulneribus competere, docet Matthiolus.

Pulueres interdum aliqui, supradictis decoctis misti propinantur: veluti foliorum Gratiolæ ad ʒ.j. Oculorum cancri ad ℥.ß. Spermatis Ceti ad ʒ.vj. Nucis vomicæ ʒ.j.ß. sumendo vnum vel plures, & addendo Zedoariæ, Maceris, Galangæ parùm, & vti dictum, exhibendo.

Testarum ouorum, Oculorum cácri puluis, cum aqua florum Papaueris, datur in pectoris vulneribus.

Momordicæ puluis cochlearis mensurâ, cum aquis vel decocto datur, si intestina vulnerata sint.

Conseruæ & conditurae prædictarũ plantarum, cum Melle factæ, dando singulis matutinis ℥.ß. aliquid quoque præstabunt.

Oleum Iuniperi bibitum, vulnera ad interiora pertingétia sanare posse, aliqui asserũt.

Oleum Croci martis & essentiam Corallorum an. ad ℈.j. cum aqua spermatis Ranarum, ad sanguinem in vulneribus erumpentem, exhibet Quercetanus.

Ad huiusmodi remedia per os exhibita, quæ in vulneribus sanandis cæteris adhibentur, referuntur & illæ potiones, quæ priuatim in vulneribus ex contusione, ex ictu, vel casu natis, exhibentur. Quæ cùm maximè ad sanguinem coagulatum dissoluendũ, mox ab initio propinentur, non solùm si ex contusione vulnus adsit, sed etiam si tantùm tumor se proferat, vel nihil etiam appareat, solusque dolor alicubi infestet, vsurpantur, sicuti in tumore ex contusione dictum fuit. Hîc autem illa vt cæteris quoque eiusmodi potionibus iungantur, describuntur. Atque ex sequentibus præparantur.

Carbones Tilię vulgus mox exhibet, post casum aut contusionem, additâ Mumiâ, vel solam Mumiam dant.

Vel: ℞. Mumiæ ʒ.ij. Rhabarbari ʒ.j.ß. vel illius loco Rhapontic. hoc est rad. Centaur. mai. vel cortic. Myrob. Citrin. radic. Rubiæ tinct. ℥.j. fiat puluis: Dentur ʒ. ij. cum iure pulli gallinacei euiscerati cum plumis cocti.

Quãdo suspicio de sanguinis grumo, circa venas meseraicas aut ventriculum vel intestina: Tunc ʒ.j. huius pulueris vel ℈.iiij. cũ Cassia, Diaprunis sol. aliòve laxante ad ℥. j. exhibe; alij Agaricum quoque addunt.

Vel

Vel in hæmorrhagiæ aut fracturæ metu, ad ʒ.v. huius pulueris, Bolus aut Terra sigill. Sanguis draconis ad ʒ.j. spermatis Ceti ʒ.ß. addi potest. Vel alij pulueres, vt Bistortæ, Tormentillæ, flor. Hypericonis, Cyani maior. Lapillorum quos Oculos cancri vocant, ad ʒ.j. cum decocto aliquo vel Vino. Quibus & odorata, & aromata gratiæ causâ aliquando addunt, vt Nucem moschatam, semin. Fœniculi; vel Saccharum ad gratiam.

Decocta ex sequentibus fiunt, puluerisatis ferè priùs, & in Aqua vel Vino decoctis, addito interdum Sale, vt vult Diosc. Veluti ex radic. Consolidæ maioris, Aristol. Rubiæ maior. Vincetoxici, Bistortæ, Tormentillæ, Baccharis.

Ex plantis, Millefolium, Consolida minor & media, Sanicula, Auricula vrsi, Cyanus maior, Pilosella, Virga pastoris, Potentilla, Alchimilla, Ophrys, Lunaria minor, Plantago.

Experientiâ probatus puluis Vincæ peruincæ, & Arthemisiæ: additâ si, vt inquiunt, costa fracta sit, rad. Angelicæ, & Caulium.

In Butyro recenti, addito interdum & Vino, decoquunt aliqui plantas vulnerarias, Butyrumque postea ab illis separant, de eoq; ad ʒ.j. pondus in Iusculo calido vel Ceruisia exhibent; illoque, si ex casu alicubi doleant, locum illum simul inungunt.

Aquæ Plantag. Cyclaminis, Consolidæ maioris, Betonicæ, aliarúmve plantarum exhibentur.

Succus Gentianæ ʒ.j. pond. Diosc.

Puncturarũ angustiarũ diuersarum, vti & neruorum, curatio.

Vulnus angustum, cuius orificium arctũ est, quia punctim fit, Punctura dicitur, ab ea quæ vulnus punctum quoque procreauit, in eo quòd illud latius est, & proin eandẽ cum vulnere curam requirit, hoc verò quia angustius, priuatam exigit differens. Quæ si cutem tantùm & carnosas sedes tetigerit, minus est difficilis, si verò neruosas partes attigerit, quo nomine non solùm neruum, sed & ex eo consitas partes nerueas membraneas, summeq; sensiles intelligimus, grauis, tum quia spasmum facilè procreat, vel alias læsiones partibus in motu adfert. Inprimis si neruus punctus sit, quod tamẽ rariùs, cùm paruus rotũdus facilè cedat, accidit, nisi punctura, in posterioribus corporis crurum & brachiorum sedibus, vbi maiores nerui immersi latent, eousque vt neruus quoq; tangatur, adigatur: ob quam & causam magis quæ à tergo quàm à facie inflicta vulnera, chirurgi nostri esse censent: Vti & illas puncturas quæ ad musculos illic maiores pertingunt, atque in die Mauß gestochen vocant, ob eandem, quòd vel neruus, vti dictum, læditur, causam, vel partes illius neruosæ, musculorum scilicet caput seu principium. Quę puncturę frequentiùs, quàm vt solus neruus tangatur, accidunt; licet & hanc & alias in neruoso genere factas, omnes neruo læso attribuant practici. Periculosæ & lethales interdum puncturæ quoque existunt, in ventrem inferiorem & thoracem penetrantes, illicq; viscera aliqua lædentes, vti & in punctis vulneribus latis dictum fuit. Nec solùm ob harum partium lęsiones, sed & quòd sanguis tunc in corporum cauitates influxus, quod proin pro malo signo chirurgi habent, illic concrescens & putrescens noceat.

In curatione, euacuationes & reuulsiones per venæ sectionem, aliaque si opus sit, vt in vulnere amplo ostẽsum, faciendæ: Corpusque vt purum & mundum sit, viuendi ratione decenti procurabimus.

Puncturæ verò ratione curãdi methodus erit; si quid vulneri adhuc inhęserit, illud diligenter, vel mox vel successiuè auferre, vel admotis elicere; quæ si altiùs immersa sint, vix nisi suppuratione factâ, tunc cum pure prodeant, exeunt: Dein osculum vulneris, quod hîc nõ vt in latis vulneribus disitum est, sed potiùs iunctum, non vti in aliis ampliùs coniungere & coarctare, sed potiùs aperire, dilatare, apertumq; seruare, idque ne sanguis, qui eò defertur, in angusto loco subsistens, inflãmationem pariat; vel humiditates excrementaque retenta curationem impediant, grauioraq; inducant mala: dein & si quid adhuc de eo quod pupugit, hæserit, per apertum osculum faciliùs exeat: Tertiò, vlceris consolidationem procurare, admotis siccantibus, quæ humiditates ichoresq; absumendo, naturam, quæ vulnera, vti in vulneribus dictum, & si impedimenta hæc non obstant, paruas puncturas sola sanat, adiuuent,

uent, quæ proin etiam Glutinantia vocantur. Quæ tamen hîc non eam adstrictionem sicuti in latis vulneribus, quæ cùm dissita sunt, eam vt coarctentur, requirunt, quod in angustis hisce vulneribus minimè opus est, vt habeant, necesse est. Sed potiùs emplastica simul esse debēt, atq; vnctuosa, vt sic oscula vulneris, donec illa penitùs coalescant, aperta retineant: ne si nimiùm ea exiccarent & adstringerent, citiùs quàm par erat, occlusa, vt dictum, illius sanationem impedirent, quibus remediis etiam ea, quæ si quid infixum manserit, eliciant, permiscemus. Hæc autem omnia sequentibus perficiuntur remediis.

Manuali operatione, adhibitis interdum instrumentis, apprehendendo trahendoq;, aculeos, spinas, aliaque infixa spicula euellimus, vel etiam fragmenta altiùs hærentia, acu, acutóve stilo, cutem fodiēdo & aperiendo, ad viuam sæpe vsque carnem auferimus, & postea sanguinem qui sequitur, ne subsistat, Suctione exhaurimus. Quâ ratione vulgus leuiores punctiones tractare, & sic etiā citra alia præsidia, vel leuia saltem, vti dicetur, adhibita, sanare solet.

Verùm & sectione, si quæ altiùs impacta firmiter hæreant, doloremq; summum procreent, vnde metus inflammationis, grauiorisq; mali, cogimur aliquando obstacula hęc auferre, & nonnunquam osculum puncturę, prius quàm vulnus intrinsecùs coaluerit, occlusum, secando rursum patefacere.

Turundâ molli, si vulnus eam citra dolorem magnum intrudi patiatur, osculum apertum quoque seruamus, medicamentaq; illi affixa, vulneri intrudimus.

Emplastra potissimùm puncto loco adhibentur, illisq; solis sæpe puncturæ sanantur, quæ non solùm vi siccandi, vti dictum, concretionem iuuando, eas conglutinant, sed & interim orificium vulneris in cute, cui affixa continuò hærent, emolliendo & margines illius tumidas & veluti excoctas reddendo, apertum, quod requiritur, ad perfectam vsq; sanationem, quę factâ cicatriceq; natâ, cutis hæc portio quæ tamdiu emollita fuit, sponte abscedit, seruant. Quæ emplastra etiam, cùm tam validè, vt in maioribus & sordidioribus vulneribus siccare non necesse sit, diu vires suas applicata retinēt, adeò vt nō necesse sit frequenter ea pmutare, sed vnū ad dies plures vsurpatum, sępe sufficiat: atq; vidi, postea quoq; idem illud in alio adhibitum, iuuisse. Quæ &, si punctura membrum perforarit, in illius introitu & exitu adhiberi debent.

Eiusmodi autē emplastra, ex multis concinnata, quæ puncturis præcipuè accōmodata sunt, vt eas siccando sanent, additis interdum quibusdam, quæ si quid adhuc hæret, extrahant, priuatim à chirurgis nostris Stichpflaster id est Puncturarum emplastra vocantur: quorum varię sunt descriptiones; nos selectiora eligendo, sic primum paratu facile proponemus: ℞. Thuris, Mastiches, Myrrhæ, Colophoniæ, Mumiæ vel Asphalti ana ℥.j. Camphoræ ʒ.ij. Croci ʒ.j. axungiæ Thymali ℥.j. Ceræ ℥.iiij. Picis ℥.j. quibus tribus dissolutis, reliqua permista, in formam emplastri subigantur.

Aliud ex gummis factum emplastrum; ℞. Lithargyrij ℔.j. Cadmiæ fossil. ℥.iiij. olei Oliuarum ℔.j. olei Laurini ℥.iiij. coquantur ad spissitudinē aliquam, dein adde gummi Galbani, Ammoniaci, Bdellij ana ℥.ij. cocta in Aceto, donec dissoluantur & acetum absumatur; item Ceræ, Terebinth. dissolutarū an. ℔.ß. axung. Thymali piscis ℥.j. agitentur simul dum calent, sensim permiscendo Thuris, Mastiches, Myrrhæ an. ℥.j. fiat emplastrū, malaxando cum axungia dicta.

Compositum ex plerisque ad hæc conuenientibus, sic fit: ℞. Ceræ, Picis, Resinæ siccæ & fluidę siue Terebinth. Olei antiqui vel alter. an. ℥.iiij. ol. Laurini vel Lumbricorum vel Ouorum, axungiæ Thymali an. ℥.j.ß. dissoluantur; & dum feruent, permisce illis Galbani, Oppopanac. dissolut. in Aqua vitæ, puluerū Colophonię, Bituminis seu Asphalti vel Mumiæ, Mastiches, Thuris, Myrrhæ an. ℥.j. Lithargyrij, Cerusæ an. ʒ.vj. Sanguinis draconis, Lapid. Calaminaris, Magnetis, vel Hæmatitis, Coralli vel Matris perlarum, Boli vel Terræ sigillatæ, Chalcanthi, Camphoræ an. ℥ ß. rad. Aristoloch. Cōsolid. pulueris Lumbricorū an. ʒ.ij. Croci ʒ.j. malaxētur axungiâ Thymali vel Ardeę, pro emplastro.

Aliud infixa admodum attrahens; ℞. Li-

thargyr. Sulphuris an.℥.j. Minij sinopici, Æris squamę an.ʒ.vj. Aluminis, Chalcitidis an. ℥.ß. lap. Magnetis, Coralli rubri an.ʒ.ij. Terræ sigillatæ vel ampelitidis ʒ.j. ß. rad. Aristolochiæ, Serpentariæ, Cyclaminis, semin. Iuniperi, Vrticæ an.ʒ.j. gummi Galbani dissol. in Aceto ℥.j. Succini ʒ.vj. Thuris, Mastichæ, Myrrhæ, Mumiæ, vel Asphalti, Oppopanacis an.℥.ß. Propoleos ℥.j.ß. cum Terebinth. Pice & Resina & Oleo vetere fiat emplastrũ: cui si ol. Tereb. Myrrhæ, Sulphuris, Succini addas, efficacius erit.

Idem facit, & infixa elicit emplastrũ Andromachi apud Auicennam, quod præter multa similia etiam, caput lacertæ, lac arboris mori, grana in palma inuenta recipit.

Hæc emplastra efficaciora erunt, si Ærugo æris ad ℥.ß. misceatur. Nonnunquam & olea destillata, vt è baccis Iuniperi, de Spica, ad ʒ.ij. vel è Gariophylis aromaticis exstillatum, in magnatibus.

Emplastrum ex vsitatis est Nigrum dictũ, quod fit ex olibano, mastiche, myrrha, mumia, sanguine draconis, corallis, lapide magnetis, cerusa, vitriolo Roman. & albo, lumbricis, camphora, oleis, rosac. ouorum, spicę, iuniperi, axungia ardeæ, thymali, colophonia, terebint. resina, pice, cera.

Neruosarum partium neruorumq; puncturis, sequẽtia emplastra accommodata ab initio apponi possunt: ℞. farinæ Fabarum, vel Lentium, pulueris rad. Altheæ an. ℥.iij. bulbos Narcissi recent. numer. ij. vel iij. Liliorum j. decoquantur in Vino & contundantur, addendo Terebinth. cum Vitello Oui dissolut. ℥.ß. Mellis ʒ.ij. Croci ʒ.ß. olei Hypericonis q.s. Ceræ parùm: applicetur.

Vel hoc emplastrum: ℞. Hyperici atque Centaur. minoris an. M.ij. Betonicæ, Rosmarini, Consolidæ mediæ, Plantag. Pilosellæ ana M.j. florum Anethi & Chamom. an. P.j. rad. Narcissi, Consolidæ, Rubiæ tinct. an.℥.j. incidantur, addendo Lumbricorum in Vino lotorum numero xx. adde Olei & Vini generosi ana ℔.j.ß. coquantur ad consumpt. coletur oleum, cui adde sęui Ceruini vel Hirci, vel Arietis ℥.iij. Terebinth.℥.iij. Mastiches ℥.ij. gummi Ammoniaci, Galbani, Sagapeni dissol. in Aqua vitæ an. ℥.j. Lithargyrij ℥.j.ß. Ceræ q.s. fiat vnguentum: vel addendo Picem, emplastrum.

Cuius loco emplastro de Vermibus Guidonis vti possumus, Dialtheæ quoq; ꝓbatur.

Olea quandoq; etiam vsurpantur, in nerui præsertim punctura; quę, & si alia neruosa loca tacta sint, quoq; locum habere possunt.

Perfunditur locus punctus Oleo calente affatim, si dolor magnus adsit, vel Chamomelino, vel Anethino, vel Rutaceo.

Vel instillantur vulneri Olea, aut Lana hisce intincta applicatur, vt Hyperici, Lumbricorum, Terebinth. vel aliarum resinarũ, Mastiches, Sabinum; vel doloris cauâ de vitellis Ouorum, & oleũ fructus Momordicæ.

Ex oleo Leuistici cũ Axungia (inter quas Leonis magnifaciunt) & Cera, vtile fit vnguentum, quod apponitur.

Vel Oleum in quo dissoluta sit Terebinthina vel aliæ resinæ, Oppopanax, Sagapenum, aut etiam Euphorbium, vel Sulphur viuum, conuenit.

Præter hæc, multa balsamelæa vnguenta & emplastra, in vulneribus explicata, neruis accommodata, in puncturis quoq; conueniunt.

In neruorum etiam punctura, Terebinthina cum vitello Oui, ob dolorem & Croco commodè apponitur.

In puncturis in genere, Senecionis folia contusa cum Thuris manna probat Diosc. & Dracũculi minor. fol. Coccumq; infectoriũ.

In leui punctura à spina vel acu, Cataplasma ex folior. Cannabis contusis cum Oui album. & Aceti modico, probatur.

Ad elicienda simul puncturis infixa, hæc potissimùm applicatur: Emplastrum ex Alliis Aëtij, quod fit ex allio, nitro, pice, medulla cerui, cera, oleo.

Idem facit Fermentum, propolis, (quæ hîc admodum conuenit) vel Melle & Cera subactum, apponitur.

Cochleæ terrestres è testis exemptæ, & Lumbrici, contusa vel decocta prius in Vino, & postea tusa, & Farinâ subacta, infixa extrahunt & sanant.

Cancer viuus, Lumbrici terrestres, si amputatâ extimâ illarum particulâ, cõtundantur, & addito sæuo Leporis & Vulpis loco

puncto

puncto cui adhuc aliquid infixum hæret, applicentur, quæuis ex eo eliciunt.

Musca vulgaris contrita, si imponatur, festucam infixam Spreissen extrahit.

Lotio ex decocto Pisorum rubrorum facta, postquam spina extracta est, admodum iuuat.

In Neruo puncto, Vino albo optimo antiquo, si locus perfundatur, proderit.

Et si puluis Oculorum cancri, Cornu cerui, & Lumbricorum inspergatur: qui & Melle excepti & Terebint. admoti, proderunt.

Potiones vulnerarię in vulneribus recensitæ aliquæ, in puncturis quoque propinantur, quas adeò efficaciter operari aiunt, vt &, si quid infixum, non solùm in profundo corporis, quò melius vires harum potionum pertingunt, sed & in superficie in cute hæreat, illud propellant.

Si suppuratio accedat, quia tunc in vlcus commutatur punctura, & latescit, vt vlcus sanabitur.

Si inflammatio adiungatur, vt in compositis cum inflammatione dicetur vulneribus, cura instituetur. Si conuulsio vel spasmus, aut paralysis vel contractio sequantur, cura quæ in hisce læsionibus explicata fuit, instituitur.

Vulnerũ, Morsuũ Ictuum, venenatorum & virulentorum, curatio.

Venenata vel virulenta vulnera aut puncturæ, à gladio, telis, spiculis, sphęrulis sclopetorum, veneno, vel noxio alioquin succo imbutis, vel à morsibus bestiarum, vt serpentis, mustelæ (de canis rabidi morsu in hydrophobia egimus) aut ictibus scorpij, araneorum, aliorúmve animalium morsu vel ictu, venenati aut virulenti quid corpori infundentium, prodeuntia, eò deteriora sunt, quò venenum illud est deterius, vt scorpij, eoq; magis, si vulnus quoq; graue inflixerat instrumenta infecta, vel morsus, quę non solùm grauia inducũt symptomata, sed & vulnus peruersum sæpe gignunt. Leuiora sunt alia, quæ saltem noxium quid in se habent quod ardorem & doloré efficit, nisi illorum ratione, accedente inflammatione, peruersa insuper sequantur vlcera: vt sunt ea quæ morsus aliqui non venenati, sed noxij tamẽ induxerunt, sicuti ferè serpentum & araneorum nostrorum morsus, non adeò vt viperarum, vel phalangionum periculosi: quò & apis ictum referimus: in quibus omnibus etsi læsio parua, tamẽ dolor valde excruciat.

In venenatis eiusmodi vulneribus vel puncturis, si venenum graue existat, illud è corpore & vulnere rursum elicere, illiusque vires infringere studebimus, vulnusque postea ab hoc hoste liberatum, prout illud aut amplum aut angustum, eo modo, vti in illis ostensum, sanare. Quæ verò veneni causâ, hîc priuatim fieri debent, per exhibita admotaque sequenti modo perficiuntur.

Propinantur subitò antidota, quæ venenorum vim retundant, & quæ contra morsus & ictus bestiarum efficacia esse, passim describuntur: qualia inter cætera sunt Theriaca, Mithridatum, Mithridatis Damocrati, Athanasia Mithridatis, Esdræ Antidotus: Item de Stinco, de Sanguinibus, de terra Lemnia, à Galeno descripta. Electuarium de Asa Mesuæi, aliaque innumera, à Dioscor. & Nicandro proposita.

Item recentiorum varia, inter quæ & sunt Antidotus illa, ex plerisq; quæ venenis resistunt, composita, Matthioli: & tantopere nostro tempore celebrata antidotus ex Laureola concinnata, quam Saxonicam vocant: aliaq; multa & antidota & cordialia, in peste, cùm & illius venenum retundant, recensita fuerunt, aliisque in accidentibus, quæ à veneno extrinsecùs adueniẽte, intrinsecúsve nato, proueniunt, vt & in mania, quæ si à canis rabidi morsu orta sit, exhiberi debeant, antipharmaca. Præter quæ in vulnere venenato, si bolus, terráve Lemnia & Mumia exhibeantur, tum quia veneno resistũt, & vulneribus quoque sanandis competunt, si præsertim ad viscera vsque descendant, duplici nomine proderunt.

Vti & hoc decoctũ vulnera sanans, & venenum reprimẽs, quod ex rad. Vincetoxici, Phu maioris, Tormentillę, rad. Angel. syluestris, priùs maceratis in Aceto, & fol. Scabiosæ, Vrticæ, Valerianę minor. florib. Lilij conuallij & Vincę peruincę, in Vino decoquitur.

Item succus Dictãni & Scorzoneræ, Gentianæ, extractúmve inde paratum; aliaque varia vtrumque præstantia.

Stercoris Galli vel Gallinæ decoctum, ad

venenum pellendum, magni quidã faciunt.

Oleum de Scorpionibus illud operosum & polycrestum Matth. pulsibus & arteriis illitum, venenum omne, ne noceat, retundere asserit.

Foris quæ vulneri aut morsibus venenatis applicantur, vt vim veneni eliciant, varia in bubone & anthrace pestiferis, morsu canis rabidi, exposita fuerunt, quæ actu, suctione, aliáve attractione id faciunt. Quæ & in aranei & scorpij ictu, per vstiones, sectiones, cucurbitulas facta prodesse possunt, aliterve per ictus immissa venena elici.

Atque quæ potentiâ venenum attrahunt aut infringunt, illic quoque explicata, hîc iuuabunt.

Vti & emplastrum hoc: ℞. stercoris Columbini vel Gallinæ ℥.j. pulueris Dictamni Cretici ʒ.ij. Nitri ʒ.j. axung. Leporis & olei Amygdal. amar. & Ceræ q.s. fiat emplastrũ.

Vel hoc: ℞. succorum Scabiosæ, Rutæ, Cæpę sub cineribus coctæ ana ℥.ij. succorum Anagallidis, flore purpur. Cyclamin. an. ℥.j. rad. Dictamni albi, Gentianæ an. ʒ.ij. semin. Ricini ʒ.j. Galbani dissoluti in Aceto ʒ.vj. olei Succini, olei Myrrhæ, olei Sulphuris an. ℥.ß. olei Croci ℈.j. Terebinth. q.s. fiat emplastrum: cui & Theriaca vel Mithridatium addi potest.

Alia eiusmodi emplastra, quæ venenatis imponuntur vulneribus, aut punctionibus, à Galeno proponuntur; venatorũ Giluum, Icosij nominata, ex quorum ingredientibus tamen ea vulneribus sanandis magis accommodata esse, colligere licet.

Rectiùs hoc emplastrum ab eodem Galeno descriptum, Diadictamnum dictum, prę terquam quòd eiusmodi vulnera sanat, ad spicula & venena elicienda quoque conuenit. Probant & vnguentum Macedonicum vocatum.

Quæ proprietate singulari hoc vel illud venenum venenatarum bestiarum potiùs alliciunt, vel retundunt, vt Scorpius comminutus illiúsve Oleum, in ictu scorpij, cùm ab aliis non ita sit periculum, & de cane rabido iam dictum sit: à Dioscor. & Nicandro reliqua peti possunt.

In aliis morsibus vel ictibus, qui vim adurentem potiùs quàm venenatam infundũt, doloris, tumoris & inflammationis si illa accedat, potiùs causâ, remedia hisce locis eadem, quæ in aliis eiusmodi affectibus proposita sunt, admouebimus. Inter quæ & in Apis ictu, qui præ cæteris frequens, Argillâ mox locum illinunt, qui apum curam habent coloni, aliasque herbas tumorem repellentes, in phleg mone descriptas affricãt. Et si ab Vrticæ aculeis pars vratur, eadem quæ in ambustis dicta, conueniunt.

Quod alios ictus attinet pulicum & culicum, cùm pruritum leuem & maculam tantùm, leuemque tumorem adferant, sponteq; hæc abeant, negliguntur.

Vlcerũ, Planorũ, Cauorũ, Sinuosorũ, Putridorum, Vermicosorũ, Exedentiũ, Depascētium, Varicosorum, Malignorum, curatio.

Vlcus siue ex vulnere suppurato prodierit, vel post abscessum relictum sit, quale est quod Sordidum vocauimus, siue planum, cauum, aut sinuosum, nondum tamen tunicâ inuestitum existat: vel illud quod Putridum, Vermicosum, Corruptum aquam exudans, Glidwasser dictum; aut quod Paronychiæ succedit: siue ex vitioso succo genitum sit, aut eo foueatur, quale est Exedens, Depascens, Phagedæna, Varicosum: Siue ex maligna vi oriatur, vt Maligna in lue venerea & extra hanc occurrentia, & elephanticorum vlcera: hisce omnibus curationem, cùm in multis conueniat, simul accommodabimus. Postea illorum vlcerum quibus tunica, callus, caro accreuit, qualia sunt fistulosum, callosum, excrescens, vti & eorum quibus tumor præter naturam iungitur, vt phlegmonis curationem his subiungemus.

Aliorum vlcerum quæ cancro, anthraci, herpeti, scabiei iunguntur, curam vnà cum horum tumorum & pustularum curatione exposuimus.

Cæterùm inter hæc vlcera ex vulnere vel abscessu nata, quæ sordida dicuntur, quò minùs ea caua sunt, ea citiùs, tardiùs alia, præsertim si sinuosa sunt, sanantur. Quæ putrida & vermicosa, deteriora, illaque præsertim, quæ in neruosis sedibus existentia corrupta, Glidwasser dictum profundũt, cùm articulos immobiles reddant, vel in gangrænam nonnunquam abeant, admodum metuenda: vti & illud quod è paronychia prodit, digitorum corrumpens internodia.

Per-

Peruersa magis hęc fiunt, si succo vitioso foueantur; vti & illa quæ primam ab eo sumunt originem, exedentia, depascētia, phagedænica, quæ diu durant nonnunquam, & incurabilia sunt: eaque præsertim, quæ in pedum imo fiunt, & humore eò continuò descendente, nonnunquam & varice vicino fouentur, & curari vel non debent, ne humor interceptus grauiora pariat accidentia, vel non possunt. Quæ & cutem in pedibus, pluribus sæpe in locis, aliquando totam, in circuitu lato spatio (sicuti cortices, qui arbores corrumpere volunt, detrahere solent) depopulantur: vel etiam in aliis locis, propter subiecta ossa, cartilagines, si ea vitient, vt in auribus naso facta, noxia sunt, partesque sæpe, ex parte, vel etiam integrè absumunt. Maligna quoque sunt sicque dicuntur vlcera, quæ ob contagium in obscœnis mulierum, frequentiùs in virgæ virilis summitate, in glande & præputio prodeunt, curamque diu sæpe protrahunt, interdúmque hæc membra, vti dictum, aliquousque absumunt. Quæ luis venereæ sunt soboles, non, nisi lue hac sublatâ ex corpore, sanari possunt. Elephanticorum vlcera vnà cum morbo manent, augenturque & desperata sunt.

In curatione autem horum omnium vlcerum, sic procedendum: Primùm per generalia præsidia, quod euacuationes attinet, vt pro ratione corporis, si plethoricum aut cacochymicum sit, cùm difficiliùs tunc curam admittat, venæ sectiones, purgationes aliaque instituantur. Causæ verò ratione, si à serosis, salsis, biliosis aut aliis prauis vel malignis humoribus vlcera nascantur, vel illis foueantur, iis repurgandis è corpore euacuationes generales & particulares accommodabimus: Purgationes diuersas per aluum aliaque loca instituendo, & in peruersis diuturnis vlceribus sæpe repetendo, eodem ferè modo, sicuti in scabie sananda expositę, remediaq; illic varia descripta fuerunt, vt & in aliis à cacochymia procedentibus diuersis hinc inde propositis affectibus, vt non sit necesse talia rursum repetere. Inprimis quoque sudorum prouocatio ad humores hosce, qui vlcera pepererunt & alunt, exhauriendos, in eiusmodi vlceribus, illorũ sanationem promouent: & in vlceribus, quę in lue venerea erumpunt, morbum vnà cum vlceribus sanant: quin & in aliis diuturnis, vt & in scabie diximus, non minimam curationis partem efficiunt. Qui quâ ratione, præcedenti purgatione, adhibitâ interdum cibi parsimoniâ, institui debeant, in scabie & alibi quoque declaratum fuit, & in luis venereæ cura diffusè explicabitur. Sed &, si vena dilatata, Varix vlcus foueat, cùm quâdiu illa manet, vlcus vix sanetur, ex ea sanguis erit emittendus; vel quod magis necessarium, vena ipsa exscindenda: quod quomodo fieri debeat, alibi in varicibus ostendemus. In omni interim horum vlcerum cura, bonâ viuendi ratione, potissimùm in cibo, potu, exercitiis, cæterisque, corpus vt purum reddatur, serueturque ad feliciorem curationem, disponendum erit.

Topica verò quæ vlceribus, vt curentur, adhibentur, eodem pacto, vt in cæteris excoriationibus & vulneribus dictum, impedimenta tantùm auferendo, cùm natura ea sanet, vlcerum sanationem adiuuant. Quæ impedimenta, cùm vel madores aut sordes existant, vel humores vitiosi aut putredines, vel corruptio alia, à quibus vlcera humida, sordida, vitiosa, putrida fiunt, si hæc ab illis auferatur, vlceraq; rursum ab hisce liberata, pura fiant, natura hæc ex nutrimento partis denuò implet, & cicatrice obducit. Cæterùm quæ impedimenta hæc auferant medicamenta, alia abstergendo, & auferendo illuuiem omnem, quæ vlceribus adhæret, & innascitur, alia exsiccando potenter prauos humores, alia madorem qui restat moderatè exsiccãdo, carnis regenerationem procurant: alia validiùs adhuc siccando, vt cutis recrescat, seu cicatrix gignatur, efficiunt. Quod quâ ratione fiat, & quibus remediis, primùm in iis quæ carnis regenerationem iuuant, ostendemus: postea de illis quæ hoc in cute moliuntur, acturi.

Carnis generationi conferentia remedia, quæ cæteris ferè præmittuntur, sunt Abstergentia, Mundificantia, Riptica & Catarctica dicta, quæ vi detergente & siccante prædita, pus aliásve sordes, aut humores, vlceri-

bus adhærentia,eaque ſordida reddentia, ab illis repurgant, eaq; abſumunt, vel ſi putredo corruptione alia ſimul adſit, vi etiã nonnihil erodente,eam auferunt.

Hiſce mox ſiccantia ſubiunguntur, quæ madorem qui adhuc in repurgatis alioquin vlceribus reſtat, humiditatemq; exiccando, vlcus ad carnis renaſcentiam aptum reddant, quæ proin Sarcotica, Carnem generantia, atq; ſi ipſa hanc efficerent, dicuntur; ſicuti in epuloticis, in glutinandis vulneribus,etiam oſtendimus. Vti enim illic ablatis impedimentis, per glutinantia dicta medicamenta, natura, interueniente nutrimento,vlcera concreſcere facit,ſic hîc in cauis vlceribus,quando nihil ampliùs obſtat, natura carnem ex eodem nutrimẽto producens, & viuæ & puræ carnis circumferentiæ apponens, & adnaſci faciens, vlcera carne implens,illud quod amiſſum erat,reparat.

Alia verò quæ id præſtant, ſunt Siccantia remedia,quæ vi exſiccante validâ, humores prauos, qui vlcera inquinant,& depaſcentia reddunt,exhauriant; quæ vix ſeparatim,ſed plerunque cum abſtergentibus miſta, cùm hæc vlcera ſordida ſimul ſint, vſurpantur; quæ &,quia putredinem arcent, in putridis quoque locum habent: & ſi in illis vermes nati ſint, eoſdem enecant, vt non ſit neceſſe hîc priuatim vermibus accommodare remedia: quæ alioquin ſuo loco in vermibus ſimul explicauimus.

Hiſce verò remediis abſtergentibus, vel ſeorſim,vel vnà cum ſiccantibus,ſi vlcus depaſcens ſit,vſurpatis,Siccantia ſubjiciuntur, quæ vi ſiccante moderatâ, eum madorem, qui adhuc in repurgatis alioquin ab alia immunditie vlceribus reſtat, continuoque vlcera humectat, abſumendo, vlcus ad recentis carnis productionem aptum, ab omniq; humiditate liberum & purum reddunt: quę proin Sarcotica, Carnem generantia, atque ſi ipſa hanc propriis viribus procrearent,nominantur, cùm natura tunc ab hoc obſtaculo, ope horum medicamentorum, liberata, ex nutrimento partis illius, quæ læſa eſt, vti in vulneribus gluten gignens, ea conglutinat, ſic hîc in cauis vlceribus, ex eodem nutrimento, carnem producens, & iam puræ ac viuæ carnis extremitati apponens, & affigens, illud quod amiſſum erat reparando, carne denuò implet, & quod diuiſum erat, ſimul rurſum vnit & conglutinat. Hæc autem ſarcotica dicta medicamẽta, ne bonum nutrimentum ſimul cum madore auferant, non adeò violenter,vti quæ prauum humorem abſumunt, vel cicatricem generare dicentur, ſiccare debent, multò minùs, veluti abſtergentia,detergere; nec,vti quę vulnera glutinant, adſtringere, cùm in cauis vlceribus,non ita labia coarctare,vt in diuiſis vulneribus, ſed vti dictum, carne implendo, ea connectere oporteat. Licet & ex illis quędã, quæ ex ſua natura non ita validè abſtergũt, vel adſtringunt, vel cõmiſtione aliorum ita temperantur,vt ſiccando præualeant,ſarcotica quoque eſſe vel fieri poſſit. Vnde & hæc medicamenta vlceribus ſanandis dicata, & abſtergentia & ſiccantia, non ſemper ſeparatim, ſed ſæpius inuicem cõmiſta remedia hæc conſtituunt,vnoq; ſæpe medicamento, non obſeruatâ tam ſtrictè hac medicamentorum permutatione, vlcera & repurgari & ſanari obſeruamus. Quæ tamẽ nos primùm ratione formæ diuidentes, in ſingulis, quibus maximè viribus,an abſtergendo vel ſiccando plus minúsve præualeant, potiusque remedia operentur,explicabimus.

Vnguenta & emplaſtra quę vlceribus applicantur,induntur,infunduntur, ad ea abſtergenda,vel ſiccando vehementer,aut moderatè,vti dictum,ſunt ſequentia.

Ad abſtergendum præcipuè,in vlceribus communiter vſurpatur, de Quinque farinis dictum vnguentum, quod ex farinis Lupinorum,Orobi,Fabarum, Hordei,Tritici, cũ Melle coquitur,cuius loco & Saccharum ſumi poteſt, addito ſi maiori abſterſione opus ſit, etiam Aceto.

De Apio vnguentum in omnibus vlceribus mundandis vſitatiſsimum eſt, quod ℞. ſucci Apij partem j. Mellis cõmunis vel Roſati duplum vel triplum, Terebinthinæ diſſolut.in melle vel vitello oui q.ſ. ad reducendum in formam vnguenti.

Vel cum Melle & farina Fabarum, Orobi vel Hordei coquatur ſuccus in formam vnguẽti, omiſſâ vel ſimul additâ Terebinthinâ.

Ex

Ex Intybaceis lacteis succis, vt Endiuiæ, Cichorij, Dentis leonis, Sonchi, additis succis Apij, Betæ, Plantag. Rosar. Parietariæ, Cariophyllatæ, fiunt vnguenta detergentia, eodem vt priùs dictum modo.

Efficacius adhuc fiet, ex succis amaris Marrubij, Absynthij, Centaurij, vel acribus, Persicariæ, Chelidonij, Iridis, & Cæparum vel Scyllæ: eadẽ mensurâ cum Melle, communi vel scyllitico, Terebinth. vel farinis, vel vtrisque permiscendo.

Hisce omnibus tribus vnguentis ad maiorem detersionem, parum Myrrhæ & Thuris addere possumus, & in fine cùm mundũ fieri incipit, Sarcocollam: Vel cùm amplius detergere volumus, parùm Aluminis vel Chalcanti.

Ex succis enarratis etiam vnguenta fiunt, si illis oleum æquâ portione permisceatur, vel commune vel nucum, additis etiam aliis abstergentibus in oleis expositis, nonnunquam & Aceto & Melle, coquendo simul ad consumptionem succorum; permiscendo puluerem rad. Gẽtianæ, Aristolochiæ, Myrrhæ, aliáve modò enarrata.

Vel fiat tale abstersiuum: ℞. succi Iridis ℥.ij. succi Chelidonij, Vini rubr. an. ℥.j. Mellis ℥.iiij. decoquantur parùm, addendo Aloës, Myrrhæ an. ʒ.j. Lithargyrij ℥.ß. Terebinth. parùm.

Aloë cum Felle & Melle mistum, abstersorium est potens, in vlceribus quæ ad corruptionem tendunt, & in quibus vermes nascuntur.

De plantis abstergentia vnguenta fiunt hoc pacto: ℞. radicum Raphani, Cæparum an. ℥.j.ß. Gentianæ, cortic. viridis Ebuli an. ℥.j. cortic. Cappar. Hermodactyl. an. ℥.ß. herb. Absynthij, Marrubij, Chelidonij, Apij, an. M. j. incisa & contrita, coquantur in Vino albo & bene contusa iterum decoquantur in ℔.j. Butyri vel Olei & Mellis quartâ parte ad consistentiam vnguenti.

Vel: ℞. rad. Ireos recent. folia Brassicæ, Rutæ, cõtundantur, adde farinam Fœnogr. vel aliam, Salis parùm, & Mellis: applicentur; Acetum additur in putridis vlceribus.

Et peculiariter, Brassicæ folia cum farina Fabarum cocta, applicata, in vlceribus mamillarum conueniunt. Item rad. Asclepiadis & Aparine folia contusa, mota mamillis.

Geranij Robertiani cum radice, in furno exiccati puluis, decoctus in Vino & Oleo, pro cataplasmate, mirè confert in vlcere Glidwasser proferente. In quo etiam confert placenta Rosarum, in fundo alembici, post exstillationem relicta. Et Fimus Equinus.

Ex pulueribus abstergentibus mox enarrandis fiunt vnguenta, si Melle subigantur, addito interdum & Aceto vel Omphacio. Vel oleo Rosaliôve & Cera.

Vel cùm admodum abstergendum: ℞. rad. Iridis, Bryoniæ, Cyclaminis, Dracunculi, & modo dicto excipe.

Vnguentum Agrippæ ex puluere radic. bryoniæ, cucum. asini, scyllæ, ireos, filicis, ebuli, &c. paratum, huius loco sumi potest.

Vel hoc paretur: ℞. puluerum radicum Quatuor prędictarum ℥.ß. farin. Lupin. Thuris, Aloës, Myrrhæ an. ʒ.j.ß. Omphacij ʒ.ij. Mellis scyllit. ℥.j. ol. Mastichini ℥.j.ß. ol. de Terebinthinâ ℥.ß. Cerę q.s. fiat vnguentum: si hisce vnguentis Tartari vel Æruginis ęris ʒ.j. addatur, efficaciora fient.

Vel sic: ℞. rad. Bryoniæ ʒ.iij. rad. Ari vel Dracunculi ʒ.j.ß. Gallarum, fol. Sabinæ vel cortic. Pini vstorum an. ʒ.j. Æruginis æris ʒ. ß. excipiantur Melle: Pro inunctione.

Vel sic, quod viride emplastrum dici potest: ℞. Æris æruginis ʒ. iij. Myrrhæ, Thuris an. ℥.ß. Ceræ, Resinæ, Terebinth. an. ʒ. iiij. fiat s.a. emplastrum. Vel si Oleo & Sæuo excipiantur, fiat vnguentum.

Tartarum solum puluerisatum, coctum parùm cum Melle.

Ærugo æris sola potentiùs id facit cum Melle cocta; nonnunquam & Aceto. Ex quibus tribus vnguentum illud vsitatissimum, Ægyptiacum coquitur, in omnibus vlceribus immundis, virulentis, putridis extergendis efficacissimum.

Sal tostum vel Ammoniacum, Tartaro vel Ærugini æris permiscetur interdũ, Melle excipiuntur.

Ad siccandũ pcipuè vlcera iam abstersa, vt sanari possint nouæ carnis productione, fiũt vnguẽta Sarcotica dicta. Inter quę Sarcocolla cũ Melle excepta, cõsuetum est sarcoticũ.

Vel si ex pulueribus sarcoticorum quinq; generibus, qui in pulueribus describuntur, quinque genera Vnguentorum parentur: vel etiam ex aliis pulueribus & cineribus ampliùs adhuc siccantibus, in pulueribus quoque expositis: Eiusmodi pulueres Melle communi, crudo vel parùm cocto, vel rosaceo, additâ Terebinth. vel aliâ resinâ, vt Pini, excipiendo: vel oleo Masthichino, Myrtillor. aut Rosaceo, & cum Cera & Resina, in vnguentum redigendo.

Quibus & Colophonia, Pix pura, Bitumen, Oppopanax æquo cum vnius ex illis simplicis pondere, misceri possunt.

Ex prædictis pulueribus, secundus & sextus, si carne Cochlearum terrestrium seu limacum excipiantur, adeò carnem generare creduntur, vt ossa ex vlcere denudata, carne rursum inuestiat.

Ex vsitatis sarcoticis vnguentis est, Nicodemi appellatum, à Mesuæo descriptum, quod vti puluis ferè primus & secundus ex aloë, myrrha, sarcocolla, melle & vino paratur. Item Basilicon maius Mesuæi ex thure, myrrha, pice, terebinth. resina, cera. Aureum Mesuæi eodem ferè modo, additâ colophoniâ & croco paratum. Fuscum Nicol. his quoque simile, sagapenum & galbanum simul recipiens. Item Triapharmacum Mesuæi & Tetrapharmacũ Galeni, si illis Myrrha, Sarcocolla & radix Ireos addantur. Dein & Ceroneum, ex plerisq; iam dictorum vnguentorum ingredientibus, addito & lithargyrio & alumine præparatum.

Huc & referri possunt multa vnguenta & emplastra, quæ vulnera siccando glutinare diximus, eligendo ea, quę citra magnam adstrictionem illud præstant, vel etiam alia, si ob influxum humoris alicuius hæc vlcera cacoëthe sint.

Veluti: ℞. Gallarum, Balaust. an. ℥. ß. Thuris masculi, Aloës an. ʒ. ij. excipiantur Melle.

Ex Plantis etiam quædam componũtur, quæ hoc pacto, si vlcera bene extersa priùs fuerunt, sanare possunt.

Vel paretur hoc pacto: ℞. rad. Narcissi, Consolidæ an. ℥. ij. herb. Verbenæ, Sanguisorbæ, Pilosellæ, Hyperici, Centaurij minor. an. M. j. vel aliarum plantarum in vulneribus expositarum, fiat decoctio in Vino, postea de bene contusis, subtilior illius pars ad ℥. vj. sumatur, addendo Mellis, Resinæ alicuius liquidæ an. ℥. ij. Pulueris primi vel secundi, vel tertij ℥. j. ß. misce, fiat instar vnguenti.

Vel sic: ℞. Pimpinellæ, Betonicæ, Verbenæ ana M. j. incisa coquantur in mensura semisse Vini, ad consumptionem duarum partium, coletur, exprimatur: adde Resinæ ℥. ß. Sæui hirci ʒ. ij. Ceræ ℥. v. coquantur ad spisitudinẽ, adde in fine, cùm refrixerint, puluerum Masthiches ℥. ij. ß. Aloës ℥. ß. fiat emplastr.

Vel ex succis hoc pacto: ℞. succorum Agrimoniæ, Verbenæ, Plantag. & radic. Narcissi ad ℥. iiij. Vini ℥. ij. Olei Masthichini ℥. ij. ol. Rosac. ℥. j. Mellis ℥. j. ß. Resinæ fluidæ ℥. j. coquantur parùm, addendo Pulueris secundi vel tertij sarcotici ℥. ß. gummi Eleni ʒ. j. fiat vnguentum.

Præter hæc, multa vnguenta & emplastra parantur, quæ vtrumque & abstergendo & siccando moderatiùs vehementiúsve præstant, & sic sola etiam, quædam vlcera non solùm leuia, sed & virulenta & putrida, si efficacia admodum sint, sanát, sicuti nunc ostendetur.

Siccando quàm abstergendo magis operantur sequentia. E quibus mitius, Lithargyrium & Cerusa, cum ol. Rosac. vel Myrtino in plumbeo mortario agitatum, appositum. Quibus parùm Camphoræ addi potest, & infusionis gummi Tragach. si dolor adsit.

Vel ex Lithargyrij ℔. j. cum Ol. & Aceti ℔. ij. cocti ad consistentiam emplastri vel vnguenti fit Oxelæum dictum Galeni. Vel si loco aceti vinum sumatur, dicitur Oinelæũ; si aqua, Hydrelæum, quod applicatur.

Validiùs operatur hoc & siccando pręualet: ℞. Lithargyrij, Olei an. ℔. j. Cadmiæ fossilis ℥. j. coquantur, addendo postea gummi Ammon. Bdellij an. ℥. j. Galbani, Oppopan. an. ℥. ß. dissolu. in aceto, Ceræ ℔. ß. in fine adde rad. Consolid. Aristoloch. rot. Thuris, Masthiches, Myrrhæ an. ℥. j. fiat emplastrum.

Vel: ℞. Lithargyrij ℥. j. ß. Cadmiæ fossilis ℥. j. Olei communis vel Laurini ℥. iij. Resinę fluidæ ℥. j. ß. coquantur inuicem donec nigrescat parũ, postea adde Galbani, Ammoniac.

niac. Bdellij, Oppopan.dissolut.in Aceto an. ℥.ß. Colophoniæ, Myrrhæ, Thuris, Mastiches an.ʒ.ij.Tartari ʒ.j.Ceræ q.s.

De lapide Calaminari emplastrum Griseum dictum ad eadem conuenit, ex cadmia fossili, lithargyrio, tuthia, cerusa, thure, mastiche, myrrha, camphora, terebinth. sæuo.

Quod & ex iisdem ferè constans, etiam sic appellatur, & quia in tabulas plerunque extenditur, chirurgi nostri Zeltlin pflaster vocant.

Ad eadem confert vnguentum, quod rubrum appellari potest: ℞.Minij ʒ.iij.Lithargyrij ʒ.ij.Cerusæ ʒ.j.ß.Cadmiæ fossilis & fornacum an.ʒ.j. ol.rosacei ℥.iij. Terebinth.℥.ß. Cerę parùm, fiat vnguentum. Camphora interdum additur ad ℈.j.

Aliud de stercore canis dici potest: ℞.Stercoris canis ℥.ij. Lithargyrij, Cerusæ an.℥.j. Boli ʒ.vj.Thuris, Myrrhæ an.ʒ.ij. farinæ Fabarum ℥.j. Mellis & Sæui hirci & Aceti q.s. pro emplastro.

Vel: ℞.Tuthiæ præpar.ʒ.ij. Lithargyrij, Plumbi vsti, lapid. Hæmat.an.ʒ.j. Aloës ʒ.j.ß. Sanguinis draconis, Sarcocollæ vel Thuris, Galbani an.ʒ.j.ol.Rosac.& Ceræ q.s.fiat vnguentum.

Vel: ℞.Lithargyrij, Cadmiæ fossil. vel Tuthiæ, Cerusæ, Plumbi vsti & loti, vel Antimon.an.ʒ.j. Pumicis ʒ.ij. Sarcocollæ, Myrrhæ, Colophonię an.ʒ.iij. excipiantur Melle, vel vnctuosis vt dictum, pro vnguento.

De Plumbo vnguentum dictum, quod plumbum vstum, antimon. lithargyr. cerusam, ol.ros. recipit, vlceribus virulentis conuenit.

In paronychiæ peruerso vlcere hoc probatur: ℞. Antimon.ʒ.j. Plumbi vsti, Cerusæ lotæ an.ʒ.ß.Tuthiæ præpar.℥.ß.ol.Mastichini, Omphacini an.℥.ij. Ceræ albæ & Resinæ an.℥.j.fiat instar emplastri mollis.

Efficaciora ad siccãdum & detergendum hæc emplastra fient, si Æris vsti seu cinerum ʒ.ij. Æruginis ʒ j. plus minúsve addas, vel Chalcanthum.

Abstergendo plus quàm siccando agunt hæc: ℞.Lithargyrij cocti in Aceto ℥.ij. Æris vsti ʒ.j.Boli ʒ.ij.Resinæ, Ceræ an.℥.ij.axung. Porci ℥.iiij.fiat vnguentum.

Aut: ℞.ol.Ros.℥.j.ß. Omphacij ℥.ß. Cadmiæ fossil. & fornacum seu Tuthiæ an.ʒ.j.ß. Æris æruginis & Vitrioli an.ʒ.j. Resinæ parùm.

Aut: ℞.Cadmiæ fossilis & Lithargyrij, Cerusæ, Mastiches, Thuris, Matris perlarum vel Corallorũ, Vitrioli an.æq.partes, ad quorum ℥.iiij.adde Ceræ ℥.v. Colophon.vel Terebinth.℥.iiij.fiat emplastrum.

Vnguentum laudatissimum exsiccans: ℞.Olei communis antiqui præstantiss.vel alterius Butyri (Maiale laudatur) Axungiæ alicuius (quæ circa vngulas est, præfertur) Sæui cerui vel hirci aut alterius, medullæ cruris Bouis vel alterius, Resinæ alicuius fluidæ an.℥.ij. Lithargyrij, Cadmiæ fossil. an.℥.j.ß. Antimonij, Plumbi vsti, Æris vsti an.℥.j.Magnetis, Mastiches, Thuris, Myrrhę an.ʒ.iij. puluer.Lumbricorum ʒ.ij. vel de aliis quoque pulueribus siccantibus aliquid, inspissentur, addendo Ceram si opus sit.

Vel: ℞.de Cineribus supradictis ʒ.j.cort. Granatorum & Citri vel Pini, fl.Labruscæ, sem. Fœniculi, Aloës, Myrrhę, Acacię an.ʒ.ß. Boli Cadmiæ fossil. & fornacum, Æris vsti an.ʒ.j. Oesypi, infus.gummi Tragachant.vel Arab.in aqua Plantag.an.℥.ß.ol.Rosac.omphacin.q.s.ad subigendum, Ceræ q.s.ad formam vnguenti inducendam. Croci ℈.j.addi potest.

Vel cum plantis sic: ℞.rad.Ireos, Aristoloch. Curcumę an.ʒ.ij. Malicorij vel Balaust. Gallarum an.ʒ.j.ß. fl.Labruscæ, sem.Rosarũ an.ʒ.j.cortic. Cucurbit. Sabinæ, Lumbricorum vstorum an.ʒ j. Sanguinis draconis, Bituminis naturalis an.ʒ.ij. Scoriæ ferri ʒ.iij. Aluminis vsti, Chalcitidis vstæ an.ʒ.j.ß. Coralli vsti ʒ.ij. Olei communis, Sæui an.℥.vj. Resinæ ℥.iij. Ceræ q.s.fiat emplastrum.

Vel: ℞.Plantarum aliquarum in vulnerum vnguentis expositarum, vel in decoctis mox describendarum, radices, folia & flores, decoquãtur in Vino & Oleo, & per cribrum transfundantur, colaturę ℥.vj.addendo Mellis & Resinæ, vti in priore dictum: iterumq; parùm coquendo: donec crassescere incipiat pulueresq; permiscendo, & simul Lithargyrij vel Cadmiæ ʒ.vj. Æris vsti & loti, vel Scoriæ ferri ʒ.ij.Ceræ q.s.fiat vnguentum.

Argentum viuum, si in peruersis vlceribus his vnguentis addatur, ea reddit efficacissima, præsertim illis quæ in lue venerea oriuntur, vel sic vsurpetur: ℞. Argenti viui ℥.j. cum Terebinthin. ℥.j.ß. & Axungiæ porci, ℥.iij. continuò donec penitùs dissoluatur, agitetur, addendo Cadmiæ fossilis & fornacum, Æris vsti an. ʒ.ij. Sulphuris viui ʒ.iij, Croci martis vel Scoriæ ferri ℥.ß.

Aliud excellens emplastrum, quo crurum vlcera plura peruersa sæpè sanaui: ℞. Lithargyrij, Cadmiæ fossil. Cerusæ an. ʒ.ij. Thuris, Myrrhæ an. ʒ.j.ß. radic. Aristoloch. ʒ.j. Æruginis æris, Sublimati an. ℥.ß. Argenti viui ʒ.iij. extinct. cum Terebinth. ℥.j.ß. Mellis ℥.ß. ol. Rosac. & succi Plantag. ana ℥.ij. fiat instar emplastri.

Absterso vlcere, vt sanetur, Argentum viuum extinctum Terebinthinâ, additâ Sarcocollâ & Melle, in forma vnguenti adhibebitur.

Ex vsitatis Apostolorum vnguentum Auicennæ, ad vlcera extergenda & siccanda, admodum chirurgis est in vsu: validiusque operatur, si cum Ægyptiaco vsurpetur; vel si parùm Aluminis aut Chalcanthi illi permisceatur, in sordidis admodum vlceribus competet: fit autem ex æris ærugine, lithargyrio, aristolochia, gummi ammoniaco, bdellio, galbano, oppopanace, myrrha, thure, resinis oleo & cera.

Apostolicon vnguentum Mesuæi, Chraseos vel ceraseos off. eadem quę vnguentum apostolorum recipit, & præter hæc aloën & sarcocollam.

Aliud Apostolicon Nicolai, fit ex iisdem quæ apostolicon subeunt, & præter hæc ex ære vsto, æris squama, lapide calaminari, dictamno cretico, sarcocolla, mastiche, mumia colophonia, propoli, visci quercini glutine. Quod &, si quid vlceribus inhæret, extrahit.

Diuinum emplastrum Nicol. aliter Gratia Dei, hisce simile, similiter infixa elicit, quod fit ex lithargyro, ærugine æris, aristolochia, lap. hæmatit. olibano, myrrha, bdellio, mastiche, oleo.

Al: addunt galbanum, ammoniacum, oppopanacem al: magnetem etiam.

Diachalcitheos seu Diapalma ceratum, vlcera similiter repurgat, ex chalcitide, lithargyrio, oleo & axungia confectum.

Præter hæc multa detergentia, valideque siccantia vnguēta & emplastra, quæ ex æris squama, cinere, ærugine, alumine, chalcāthi generibus, aliisque pluribus paucioribúsve componūtur, à Galeno describuntur; veluti rubeum Græcū, Fusca Ægyptia, Isis, Asclepiadis emplastrum, Melinum Serapionis, Diabotanon Critonis, Tarentini emplastrū, Andromachi viride, Panacea Heræ. Multa alia quoque ab Arabibus descripta, vti & Guidonis vnguentum ad vlcera depascentia, ex Antidotariis petenda.

Olea vehementer siccantia & abstergentia quædam vlceribus quoque adhibentur; vt oleum Oleæ syluestris, de Frumento, Balaninum, Ricinum, Raphaninum Dioscor. probat. Aliaque quæ vulnera sanant, Balsamelæa dicta, iam munda vlcera sanare possunt. Oleum quod ex stercore humano elicitur, à quibusdam commendatur: vti & oleum quod ex Linteo panno in Oleo intincto & accenso exstillat.

Efficaciora sunt oleum Myrrhæ, item Sulphuris, maximè si cum Myrrha, Colophonia & Cera emplastri instar vsurpetur.

Tartari oleum vlcera egregiè abstergit: & in depascētibus, oleum Vitrioli, Antimonij, & oleum Talci efficacia sunt.

Vel tale fiat: ℞. Antimonij crudi ℥.ij. Calcis viuæ P.j. Tartari ℥.j. coquantur in Lixiuio aliquandiu, postea insperge Acetum, & supernatabit oleum: in putridis vlceribus conueniens.

Ablutiones, iniectiones, fotus, balnea, vlcerum, tum ad abstersionem, tum exiccationem & sanationem, varijs modis fiunt.

Vino generoso non austero interdum vlcera abluta vel fomentata repurgantur.

Hydromelite verò, quod vinosum est, vel cum Aqua mulsa, addendo aliàs illi etiam Vinum, leuiter, vlcera absterguntur.

Serum lactis, Hordei decoctum, addito Melle & Sacharo, idem efficit.

Lac vaccinum tepidum cum Coagulo incrassatum, cum successu in vlcere Gußwasser proferente, apponitur.

Aqua destillata Mellis vel Lariceæ resinæ, abstergit. Quæ si ex vtrisque simul addito Chalcantho destilletur, validiùs illud præstabit.

Lixiuium ex cineribus quibusvis, vel sarmentis Vitis factum, validè abstergit, magisque illud, quod ex cineribus ramorum Ficus & Sabinæ arbor. crematis fit. Efficacius fiet si Calx cineribus quoque addatur, antequam lixiuium percoletur: vti lixiuium tonsorum dictum, aliáve in eo macerentur, aut decoquantur: vel si lixiuium cum Vino & Melle coquatur.

Validiùs extergit Lixiuiũ Saponis, quod & aquam Saponis vocant, quod ex cinerib⁹ sarmentorum partibus tribus, & calcis viuæ parte j. per transcolationem, vti fieri solet, paratur, quod efficacius reddetur decoctum ad consistentiam aliquam, vt inungi possit: & tunc portiuncula parti affectæ applicatur, relinquendo donec mundum vlcus reddatur, vt postea aliis sanari possit.

Cum sale Ammoniaco etiam aqua Saponis mista, efficacior redditur.

Aqua in qua Calx viua macerata sit, & à calce diligenter separata, vlcera sordida mirabiliter detergit.

Aceti mensuræ semis si Vitrioli ℔.j. permisceatur, fotus optimus in vlcere Glidwasser reddens.

Vrina egregiè abstergit, ea præsertim, quę diu steterit, odoreque graui sit prædita.

Vel aqua ex Vrina destillata; in qua Tartarum & Aloë dissoluuntur aliquando.

Aqua salsa naturalis puteorum, maris & arte parata, permistione salis pręsertim Ammoniaci: Garum, Muria, validè abstergunt.

Aqua Aluminosa, hoc est in qua alumen solutum sit, addito parùm Camphoræ, etiam in pudendorum vlceribus conuenit.

Aqua in marcescentibus quercuum cauitatibus reperta, vlcera sanare creditur.

Decocta varia ex plantis pro ablutione, iniectione, fotu vel etiam balneo, fiunt ad vlcera siccanda & abstergenda. Ad quæ multæ plantæ in vulnerum topicis remediis & decoctis, descriptæ, hîc quoque in vlceribus conueniunt, & decocta quoque ex illis quæ vnguenta subintrant, facta, conferunt. E quibus aliquæ plantæ etiam crudæ vel coctæ contusæ applicantur: Imprimisq; vlceribus siccandis accommodata sunt, decoctum foliorum Agrimoniæ, Millefolij, Hederæ, Cariophyllatæ, Alchimillæ, Equiseti, Fragarię, Sanguisorbæ, Auriculæ vrsi, Pyrolę, Veronicæ, Floris solis, Potentillæ, Verbenæ, Cardui ben. Spondlij, Polygoni, Isatidis, Personatæ, Anagallidis, Petasitidis, Sedi maior. Dauci, Colymbades, Cicutæ, Plantag. Bursæ pastoris, Scabiosæ, Gallitrichi, Cynoglossi, Chelidonij, Absynthij, Centaurij, Marrubij, Apij, Polij, Arthemisiæ, Vrticæ, Cupressi, Sabinæ, Quercus, Oleæ sylu. Lentisci, Rhamni, Berberi, Sumach, Ceterach vel Hemionitidis, Coriandri: flor. Ros. Eupatorij, Cisti, Panacis Asclep. Granatorum rad. Consolidæ, Aristolochiæ, Ireos, Chamæleontis nigri, Panacis, Peucedani, Pastinacæ agr. Astragali, Filicis, Anemones, Thalictri, Anchusæ, Asphodeli, Narcissi, cort. Granatorum, Fraxini & Betulæ; Item ligni Gaiaci, peculiariter etiam in vlceribus luis venereæ competens. Dein & cortic. Palmæ: Item Gallarum, Glandium capul. Nucum cupressi, Myrobal. Lentium, Hordei, sem. Myrtillorum, Rosarum, Berberis, Plantagin. Caulium, decoctis in Aqua & Vino, addito interdum & Aceto in putridis vlceribus vsurpatur, ad exiccandum, & detergendum. Quibus & Acacia, Hypocistis addi possunt, vbi amplius siccandum.

Hisce decoctis quandoq; alia permiscentur; Vt cùm abstergendum hoc pacto: ℞. fol. Apij, Plantag. Agrimoniæ an. M.j. Absynthij, Cẽtaurij an. M.ß. fiat decoctio, dissolue in ℔.j. Mellis Rosac. col. ℥.iiij. misce pro iniectione. Vel cùm abstergere volumus sordida admodum vlcera, vel sinuosa aut fistulosa, Iridis, Hellebori vel Ari radices, in Lixiuio vel Vrina decoquuntur, illudque decoctum vel apponitur vel injicitur.

Vel fit talis iniectio: ℞. rad. Gentianæ ℥.j. Hermodactyl. ʒ.vj. Hellebori ʒ.iij. fol. Absynthij, Centaurij minoris an. M.j. decoquantur & in colaturæ ℔.ij. dissolu. Mellis rosar. col. ℥.iij. vnguenti Ægyptiac. ℥.j. adde pulu. rad. Iridis & Aristoloch. an. ℥.ß. Agarici, Myrrhæ an. ʒ.ij. misce.

Vel sic: ℞. herb. Apij, Saluiæ (quæ &

pruritum compescit in vlceribus) Betonicę, Marrubij an. M.j. radic. Raphan. recent. ℥.j.ß. Cæparum ℥.j. fiat decoctio, & libris duabus adde Aluminis vel Salis ℥.ß. Tartari ʒ.ij. Mell. rof. ℥.iij. misce.

Ad siccanda & sananda vlcera sic fit: ℞. Consolidæ vtriusque, Plantag. Bursæ pastoris, Equiseti, Ceterach, Herbæ iudaicæ an. M.j. folior. Agrimoniæ & Pentaphyli an. M.ß. Gallarum, Nucum cupressi, Balaustiorū an. ℥.j. rosar. rubr. Hordei integ. an. P.j. fiat decoctio, & in colaturæ ℔.ij. misce Thuris, Mastiches, Sarcocollæ an. ʒ.ij. Mell. rof. ℥.iij.

Ex terrestribus, ablutiones & inunctiones admodum sunt efficaces, ad vlcera virulenta sananda, vt crurum, aliáve in locis humidis, hoc pacto: ℞. Lithargyrij ℔.j. decoquatur in Aceti mens. j. & panni intincti applicentur.

Vel: ℞. Cadmiæ fossil. vel Lithargyrij. ℥.ij. Mastiches, Thuris an. ß. Camphoræ ʒ.ß. Croci ℈.j. coquantur in Aceto.

Vel Alumen & Tartarum cum Mastiche hoc modo in Aceto, coquantur: vel Tartarū & Aloë cum Aceto dissoluantur.

℞. Chalcanthum Album, Alumen, Bolum, addendo ad ℔.j. Camphoræ ℥.j. coquantur in vase testaceo, illiusq; aquæ tertia pars seruetur ad vsum, quod reliquum, decoctione absumatur, donec residentia concrescat, de qua puluerisata dissolue ℥.j. in aquæ ℔.j. coletur aliquoties: eaque aquâ purâ vtere, vti & priore.

In vlceribus crurum: ℞. Chalcanthi, Vitrioli, Aluminis, Cerusę, æquales Portiones, in Aceto decoquantur, donec concrescant in tophaceam materiam. De qua dissoluitur portio in Aqua vel Lixiuio & vino, & madefit vlcus.

℞. Aluminis ℥.ß. Tartari ʒ.ij. Camphoræ ℥.j. Æruginis ęris ʒ.ß. conterantur, dissoluendo cum aquæ vitæ ℥. viij. Vitellis ouorum iij. priùs ad duritiem coctis, diu agitando, postea colentur & exprimantur, coque liquore panni madefacti applicentur: in vlceribus pudendorum excellens.

Alia: ℞. granorum Pisorum, vel Frumenti alicuius, Salis ana P.j. Vini mensur. ij. stent in vase æneo aliquandiu, agitando indies, postea adde Æruginis æris ℥.j, Chalcanthi albi, Aloës an. ℥.j. remaneant adhuc ad dies aliquot, sæpius agitando, dein coletur aqua ad vsum.

Vel: ℞. Lithargyr. lapid. Calaminaris an. ℥.ß. Salis, Aluminis, Chalcanthi an. ℥.j. decoquantur in Aquæ vel Lixiuij aut Vini mensur. ij. ad consumpt. tertiæ partis, coletur. Hisce & Cerusa & Sulphur addi possunt: vti & Sanguis draconis: si Æruginis æris ℥.j. addas, erit efficacissima.

Aquæ stillatitiæ ad eosdem vsus, ex plantis in vnguentis & decoctis, vlcera siccantibus, descriptis, vel ipsarum succis elicitæ, aliquo pacto id præstabunt; efficaciusque si Aluminis portio, antequam destillentur, vnà cum Albuminibus ouorum, sicuti aqua Aluminosa dicta, fieri solet, illis addatur.

Imprimis verò ex Oxylapatho infuso in Aceto, sicuti in herpete hæc descripta est: quæ & priuatim peruersa illa vlcera, quæ erysipelas exulceratum sequuntur, sanat:

Quæ & vlceribus Luis venereæ magis competet, si Oxylapathum in decocto Gaiaci priùs infusum, destilletur.

Pulueres vlceribus insperguntur cauis, qui siccando carnis generationem promoueant, vnde sarcotici dicuntur: vel sordidis & depascentibus vlceribus, qui validiùs adhuc exsiccando, vitiosum humorem absumant & abstergant.

Ex sarcoticis dictis, Primus: ℞. Thus, Myrrham, Aloën, qui & glutinat, vt in emplastro primo vulnerum, idem habetur.

Secundus: ℞. Thus, Sarcocollam, Myrrham.

Tertius: ℞. vnum ex prædictis pulueribus, addendo æqualem portionem, pulueris Sanguinis draconis, radic. Iridis, & Aristolochiæ.

Quartus: ℞. pulueris primi vel secundi part. j. addendo farinæ Orobi vel Lupinorū, radic. Peucedani vel Panacis, Centaur. min. eandem quantitatem.

Quintus fit, si primo vel secundo pulueri, æquam portionem Lithargyrij, vel Cadmię fossil. Scoriæ ferri & Pumicis addas.

Sextus inuestiens ossa nuda rursum carne, si ea admodum denudata sint, fit ex radicibus Iridis, Gladioli, Asphodeli,

li, Peucedani, Pinacis, cortice Thuris & Myrrha.

Præter hæc multa alia ex collyticis & epuloticis, sarcotica miscent Practici, ea præsertim, quæ vtrumque efficere possunt, vel quæ pro diuersitate corporum hoc illúdve præstant.

Quando ampliùs siccandum in vlceribus humidis, pulueres fiunt ex plantis aridis, Sabinæ, Cupressi, Marrubij, Verbenæ, Chamępytheos, Chamædreos, granorum Iuniperi, cortic. Granatorum, nucis Cupressi, Bedegar, Aparine, Pastinacę, Securidacæ, Coriandri, Rosmarini, Saluiæ, Myrti fol. aliisq; variis in decoctis recensitis. Vel pulueres sumuntur Corallorum, Crystalli, Boli, Terræ sigillatæ, Erythreæ, Calx lota, Lapidis Asij flos, Lumbricorum & Xylocampi pulueres, Marcor lignorum, aliaque varia siccantia.

Vel ex cineribus Abrotani, Anethi, Cupressi; vel Sabinæ, Tamaricis fol. cort. Cannabum, & Cucurbitæ priùs siccatæ, Oliuis recentibus vel salitis. Item Solearum, Chartæ, Serici, Purpurarum, Concharum, Ostreorum, Erinacei, Serpentis, Cochlearum, Corallorum, omnium vstorum.

Quibus omnibus pulueribus & Thus, Mastiche, Pix, gummi vt Nucum, Amygdalar. &c. addi possunt.

Trochisci albi Rhazis cum Camphora addita Aloë & Myrrha, vlcera virgæ sanant.

In vlcere virgæ hoc profuit. Puluis Barbę syluaticæ addita Thuris, Mastiches, media, Ossis sepiæ quartâ parte, aspersus.

Quando admodum siccandum & abstergendum pulueres inspergũtur rad. Cappar. Anonidis, Filicis, Aristoloch. Gentianę, Hermodactyl. Iridis, Ari vel Dracontij, Bryonię, Chelidoniæ, Hellebori, Agarici, stercusque Caninum, quæ fistulas quoque extergunt, si præsertim Chalcitis vel Ærugo æris addatur.

Cochlearum testarum puluis in vlcere cum Glidwasser confert.

Siccant & abstergunt etiam sequentia: ℞. florum aut cort. Granatorum ʒ.ß. Coralli vsti vel Ossium combustor. ʒ.j. Aloës, Myrrhæ an. ʒ.ß. Alumin. vsti ʒ.j. Tartari ʒ.ß. fiat puluis.

Vel sic: ℞. cort. Citri & Granat. Epithymi vel de Cineribus supradictis an. ʒ.ß. Aloës ℈.j. Salis communis vel gemmæ vel floris salis vel Aluminis ʒ.j.ß. fiat puluis.

Aut: ℞. Tuthiæ ʒ.j. Nucis cupress. vel sem. Myrti, Aloës, Sanguinis draconis vel Acacię an. ʒ.ß. Ærug. æris ℈.ß. fiat puluis.

Argillæ pingui subactæ cum aqua Aluminosa, antequam vratur, misce Ferri & Æris limaturam, & postquam vsta est, puluerisatam insperge.

Sal à piscibus salitis abrasum, inspersum humidis vlceribus, valde illa exiccat. Confert & Salis flos.

Vti & Tartarum tritum, vel Borax cum lapillis seu oculis Cancri.

Et Alumen vstum, Sal tostum, & imprimis Æs vstum valde competunt.

In paronychia vlcerata, cùm caro putris adest: ℞. Salis ammoniac. ℥.ß. Æruginis æris ʒ.ij. fiat puluis, qui Aceto forti excipiatur, & postea bombax in eo intinctus rursumq; siccatus, radici vnguium apponitur.

Applicantur quandoque & imponuntur vlceribus actu sicca, veluti Pannus linteus detritus vel abrasus, cauis vlceribus inditus, sæpeque repetitus, humiditates exhauriendo, curationem illorum promouet.

Pannus linteus, Sparadrappus quoq; dictus sequenti modo imbutus & pręparatus, vlceribus prauis, bono successu, vt aiunt, imponitur, idq; pręsertim in pudendi in vtroq; sexu vlceribus, illis maximè quæ à lue venerea prodeunt: ℞. ligni Gaiaci rasi quart. j. radic. Gentianæ, Aristolochię, Imperatoriæ, an. ℥.j. Rhabarbari ℥.ß. summ. Centaurij min. Scordij, Betonicæ an. M.j. flor. Anthos, Rosarum an. P.j. bacc. Lauri Iuniperi an. ℥.ß. sem. Myrtillorum, Fœnic. an. ʒ.ij. Aluminis ʒ.iij. bulliant in Vino rubro stiptico, & in colaturæ ℔.j.ß. adde Mithridati ℥.j. dissolu. in aqua Vitæ ℥.iij. misce. In hoc liquore tela lintea immersa madefiat, iterumque siccetur, sæpiùs hoc repetendo, donec hanc materiam bene imbiberit, de qua portio absecta applicatur.

Sectione interdum puri vt rectiùs effluat, viam facimus, inferius vlceris labrum scindendo, sicque ligando à superiore vlceris adi

infimam ſedem, vt illic puri nihilominus pateat exitus. Quod etiam ne oſſa corrumpat vitioſus ſuccus, in illis vulneribus, ſi ea infectura videantur, mox faciendum. Et in Panaritio digitorum, ſtatim vbi abſceſſus incipit, antequam os corrumpatur, ſectio molienda.

Cauterio actuali in vlceribus putridis, carnem putrem vel vitioſam aliquando auferimus. Vel potentiali id efficimus: Maximè in eo, è quo aqua illa pernitioſa, Glidwaſſer emanat: cui mox Corroſiuum dictum Chirurgi apponunt.

Ligatura Expulſoria dicta, cauis vlceribus, ad retinenda ea quæ illis induntur, adhibetur: fitque ſic vt pus nihilominus prodire poſsit.

Cutis ſeu cicatricis regenerationem procurantia remedia, in vlceribus, in quibus, vti caro ſic & cutis deperditur, ſanandis locum habent, poſtremoque quando vlcera ſufficienter carne iterum oppleta ſunt, ſuperficiesque tantùm nuda adhuc remanſit, adhibita, vlcerum ſanationem perfectam efficiunt & abſoluunt.

Licet autem natura hanc cutem ex nutrimento, quo cutis vera nutritur & conſeruatur, vti carnem in cauis vlceribus gignat: tamen cùm mador quoque, humore ſeroſo continuò ex aperta adhuc illa ſede exſudante, hanc naturæ operationem, vti in carnis generatione quoque fieri diximus, impediat, nec ſponte ſiccari & coaleſcere ſinat, medicamenta quę ſiccando hunc madorem auferunt, vt natura agere poſsit, cutem hanc generare dicuntur. Quæ cùm à vera cute, in eo quòd non ſenſilis & poroſa, vti verò vera, exiſtit, differat, vtpote quæ non à ſemine, ſicuti ab initio, nata ſit, ſed ex nutrimento tantùm, quod à vera cute exſudat, atque illi vndique, carnique ſubiectæ connaſcitur & concreſcit, non cutis vera ſed calloſa, Cicatrixque tunc nominatur, medicamentaq; quæ hanc illius generationem promouent, Cicatricem generantia vel Cicatrizantia, Epulotica appellantur.

Talia autem medicamẽta, cùm nõ ſolùm vti ſarcotica, madorem ſiccando abſumere debeant, ſed & ſimul ſuperficiem, vt in cutem meliùs indurari queat, validiùs exſiccare, & conſtringere. Ob eam cauſam hæc magis quàm ſarcotica ſiccare debent, & ſecus quàm illa ſimul adſtringere, & proin etiam formâ ſiccâ potiùs, quàm humida minusq; vnctuoſa adminiſtrari.

Quod proin cùm ſarcotica minimè faciăt, ſi ea ſanatis vlceribus, non mutentur, præterquam quòd cutis generationem minimè promouent, vt caro luxuriet potiùs efficiũt. Vti nec collitica quæ vlcera glutinant, cùm emplaſtica ſint, id commodè præſtabunt, niſi ſicciora ex illis & quæ validiùs adſtringunt, vſurpemus. E quibus etiam quæ talia ſunt, poſtquam labia vulnerum conglutinarunt, facilè exiguam quæ reſtat diſtantiam, cicatrice obducunt, vt propriis epuloticis non ſit opus. Sicuti & epulotica medicamenta, leuiora vulnera etiam glutinare poſſunt.

Puluerum itaq; formâ, cùm ad potenter ſiccãdum aptiſsima ſit, hæc potiſsimùm adminiſtrãtur, & ſubtiliſsimè triti nudæ ſuperficiei inſperguntur, quam egregiè, cùm ſicci ſint, ſiccant, idq; magis ſi vrantur, vnde quæ mitiora ſunt, maiorem ſiccãdi vim aſſumũt, & proin lauari minimè debent; quæ vim erodendi habent, eam vſtione nonnihil deponunt, præſertim ſi lauentur. Qui pulueres ſequenti modo parari poſſunt.

Primus: ℞. Gallas, Malicoriũ aut Balauſtia vel Cytinos & rad. Ariſtoloch. quæ ſi vratur, magis erit efficax.

Secundus: ℞. primi pulueris partem vnam, addendo tantundem pulueris Nucum cupreſsi, vel capul. Glandium, Roſarum, Equiſeti, Centaur. min. Spongiæ combuſtæ.

Tertius: ℞. primi pulueris part. j. addendo tantundem pulueris radic. Tormentillæ vel Biſtortæ, cortic. Pini vel Vlmi aut Quercus, fol. Sumach vel ſeminis, Chartæ, vel Panni aut Corij vel Solearum, vel Oſsium, aut teſtarum Ouorum combuſtarum.

Quartus: ℞. pulueris vnius ex prædictis partem vnam, addendo totidem cort. Thuris & Sanguinis draconis.

Quintus: ℞. puluerem vnum ex prædictis, addendo æquam portionem pulueris Lithar-

Lithargyrij,Cadmiæ ſeu lap.Calami,vſtæ & Boli vel Cretæ.

Sextus magis efficax: ℞.Lithargyrij vel Tuthiæ, Plumbi vſti vel Ceruſæ an.℥.ß. Alumin.vſti ʒ.ij. addendo pulueris primi ℥.ß. Pumicis vſti ʒ.j.

Septimus efficaciſsimus: ℞.Æris vſti loti ʒ.ij. Chalcitidis vſtæ & lotæ ʒ.j.puluerem prædictorum aliquem ad ℥.ß.

Præter hos pulueres etiam ſequentes vſurpari poſſunt, invicem cæteriſve iam dictis permiſti. Veluti Roſmarini vſti,vel de Plantis ſiccatis ſumpti,cort.Cucurbitæ,rad. Plantag.cort.Capparum,fol.Cupreſsi,Quercus,Pyraſtri, Myrti cum ſemine, Spinæ Ægyptiæ fructus: Item pulueres Concharum vſtarum,Teſtarum fornacum vſtarum,Coralli vſti, Spodium,Terræ Armenæ,Sigillatæ,Cimoliæ,lapidum Hæmatit.Iudaici,Magnetis,Aſij lapidis floris.

Crocus Martis dictus,potenter ſiccando, idem facit.

Vini fæcem crematum cum puluere radicum Plantaginis, laudat Matthiol.Alij Sulphur viuum extollunt.

Vnguenta ex pulueribus enarratis fieri poſſunt,ſi cum Sapa vini adſtringentis, vel Melle eouſque vt inungi poſsint,excipiantur: vel cum oleo Roſaceo aut Myrtino vel Sæuo potiùs,ſed tunc minùs ſiccabunt,niſi ex pulueribus validioribus,vti eſt ſextus & ſeptimus,parentur.

Vel ſic: ℞.pulueris ſexti mediá partem, hoc eſt ʒ.vj.addendo Antimonij,Æris ſquamæ & floris,omnium vſtorum & lotorum an.ʒ.ij. Chalcitidis vel Borac.Vitrioli an.ʒ.j. cum Melle vel Sapa fiat vnguentum,vel cum Oleis,ſi mitiora eſſe velimus.

Æruginem æris cum Oleo & Cera illinit Dioſcorid.

Ex ſuccis tale vnguentum fieri poteſt: ℞.ſucci Plantag.Verbenacæ,Eupatorij vulgaris, Pyrorum vel Cydoniorum ad ℥.iiij. Aceti rubri ℥.ij.Acaciæ ℥.ß.Aloës ʒ.ij.Lithargyrij ℥.j.ß. Sapæ vel Mellis ℥.j. coquantur in formam nutriti.

Oleum Vitrioli diſſolutum aquâ, validè ſiccando cicatricem inducit.

Vſitata vnguenta & emplaſtra epulotica ſunt,Vnguentum nutritum ſeu Triapharmacum dictum vel nigrum Auicenn.ex lithargyrio,oleo & aceto: vel de Lithargyrio quod ceruſam inſuper recipit. Vnguentum de Calce viua,ſæpius lota,vt in ambuſtis deſcribitur. Vnguentum album cum ceruſa & lithargyrio, vnguẽtum Citrinum,Vnguentum de Tuthia,de Minio ex iisdem,addito & minio,Vnguentum de plumbo. Emplaſtra de lap.Calaminari duo,in collitieis deſcripta.Emplaſtrum Diacadmiæ Gal.

Lauare priùs vulnera & vlcera,ſi madida ſint,competit, ante epuloticorum vſum,Vino aſtringente,Lixiuio,Vrinâ,Aquâ aluminoſâ,aliiſque ſiccantibus paſsim expoſitis. Inter quæ & decoctum foliorum Sumach ſeu Rhus coriariorum, ſic, quòd coria condenſet, dicti, hîc quoque cutem ſiccando & denſando,epuloticum fit.

Potionibus vulnerariis appellatis exhibitis, vti vulnerum, ſic & vlcerum curatio promoueri poteſt. Atque illæ quæ in vulneribus deſcriptæ ſunt, licet vulnerum glutinationem ſiccando adiuuent,in vlceribus verò & abſterſione ſit opus, vel poſtquam vlcus deterſum eſt,exhibitæ,vel etiam priùs, cùm nonnihil quoque abſtergere poſsint, proderunt,vt non opus ſit hîc nouas formas præſcribere.

Præſertim verò in ſinuoſis vlceribus,potiſsimùm ſequentes conuenire cenſentur, vti & in fiſtulis,quas præ cæteris vim abſtergendi obtinere oportet,vnde & in aliis ſordidis vlceribus vſurpatæ iuuabunt,hoc pacto paratæ.

Vinum in quo Agrimonia decocta ſit,bibitum,ſpatio aliquot dierum,illud præſtat; cui ſi Polygonon, Abrotanum, Pimpinellæ, Spatula fœtida addatur,efficaciùs erit.

Idem facit Vinum in quo Caules rubei cũ ſemine & Rubia maiore decocti fuerint.

Aqua quæ dicitur mater Balſami,in vlceribus cauis,ſinuoſis vehementer commendata: ℞. Aquæ ſtillatitiæ, quæ facta ſit ex Roſmarino & Saluia,in Vino albo maceratis & deſtillatis ℔.j. Sacchari quart.j.miſce: Bibat de ea.

Vel adde Terebinth.℥.ij.gummi Hederæ, Thuris, Maſtiches, Myrrhæ, Aloës an.℥.ß.

Garyo-

Garyophyl.Cinamom.Nucis mosch.Cubebarum,Galangæ an.ʒ.ij. Croci ʒ.j. & destillentur. Aquamque hanc per vices bibat.

At eadem aqua efficacissima fit,ex Pyrolà cum radice, & foliis Hederæ terrestris incisis, maceratis in Ceruisiæ antiquæ mensur.iij. aut circiter, per dies duos, addendo Stercoris canini quod Album græcum vocant,instar oui,eliciatur aqua, quæ rursum fæcibus infusa,denuò destillari potest. Ter in die propinata,manè,ante cœnam & tempore somni, cochlearium trium mensurâ, admodum iuuat.

In sinuosis vlceribus,quæ in perinæo sub testibus in vesicam vsque penetrabant,hæc potio multùm effecit: ℞.radic. Consolidæ maior. Fœniculi,Liquiritiæ an.℥.j.ß.Aristol. ℥.ß.herbarum Saniculæ, Perfoliatæ,Consolidæ sarracenicæ, Hederæ terrestris Betonicæ an.M.j.Hysopi M.ß.semin.Alkekengi P.ß. fiat decoctio in Aquæ & Vini an.℔.j.dulcoretur Saccharo:Bibat ad dies aliquot.

Fistulosi vlceris, seu Fistulæ, curatio.

Fistulosum vlcus, cuius circumferentia interna,ob tunicam quæ illi adnata est,coaluit, sinu cauo, quem Fistulam vocant,relicto,ita est curandum; vt ille denuò carne impleri,sicque occludi & sanari possit,tunica rursum erit auferenda,vlcusque sic,vt aiunt,refricandum: quo facto, vlcus eodem modo,vt in cæteris priùs ostensum, per ea quæ carnis & cicatricis regenerationem procurant,erit curandum: eaque simul administranda,quæ vt corpus purum ad faciliorem curationem fiat,priùs in vlcerum cura commemorata fuerunt.

Ad tunicæ itaque ablationem, medicamentis abstergentibus vtimur, quæ dum illa adhuc mucosa & mollis est,vti sordes vlcerum crassiores,ita & illam possunt extergere: si verò hæc magis indurueri,non nisi fortiter abstergentibus, quæ cathæreticis proxima sunt,abradi potest. Talia abstergentia omnis generis, & mitiùs validiúsve hoc agentia,in vlcerum sanatione descripta sunt. Quòd si verò tunica hæc iam omninò callosa sit & confirmata, cathæreticis eam exedere oportet. Qualia carnem luxuriantem absumentia,in vlcere excrescente quoque describuntur,& sicuti illic carni asperguntur,alióve modo adhibentur, sic hîc fistulis cum turunda, quæ eas simul apertas seruat,induntur,vel infunduntur.

Imprimis tamen hæc in fistulis vsurpata remedia,tunicas extergunt.

Ex succis,Iridis succus acris & adurens, eoque adhuc magis succus Dracunculi,Ari & Chameleæ vel Thymeleæ: eroduntque potenter Tithymali Myrsinitis præsertim & Ficuum,lactei succi: qui aliis succis mitioribus,si vim illorum ferre nequeant,vel Aceto dilui possent,vel Melle nonnihil inspissari.

Omphacium admodum abstergit,idque efficaciùs adhuc, si succum Chameleæ vel Thymeleæ addas, aliósve ex lacteis herbis acres.

Acetum forte,vti testas ouorum absumit, si ouum in eo collocetur,sic & fistulas atterit,infusum vel impositum cum Omphacio, vt docet Dioscor.cui & Ladanum addi potest,quod cæteris vnguentis quoque admistum,putredinem arcet.

Vnguentum Ægyptiacum in Lixiuio dissolutum,alióve liquore abstergente,infunditur,vel cum turunda,eo oblita,intruditur.

Vel hæc infusio: ℞.Æruginis æris ʒ.iij. Aluminis ℥.j.ß.Sacchari ℔.ß. Vini albi mensur.j.coquantur & imponantur.

Vel: ℞.Auripigmenti ʒ.j. Æruginis æris ʒ.ß. bulliant in Vini ℔.ß. diluti ℥.iiij. aquæ Plantag.vel alia. Cuius loco aquâ viridi dictâ vti possumus,in vlceribus oris descriptâ.

Efficacissimum erit,si Auripigmenti tantillum dissoluatur in aqua Plantag. vel calicum Rosar.vel Solani,aliáve,& cum cura diligenti applicetur.

Sublimati tantillum cum vnguento Populeonis vt vis illius infringatur,vel parùm Auripigmenti, fistulis inditur, vel Melle alíisve subactum.

Aquæ stillatitiæ quæ fistulas atterunt,& illud quod attritum est,simul sanant,sunt sequentes: quarum vna: ℞.Thuris, Mastiches an.℥.ß. Æruginis æris, Auripigmenti ana ʒ.ij. Aluminis ℥.ij. Mellis & Terebinth. an.℥.j.ß. Vini optimi ℔.j.ß.eliciatur aqua.

Alia: ℞.Auripigmenti, Æruginis æris an.℥.j. Alumin.℥.iiij.Boli Armenæ vel Terræ sigillat.

figillat.℥.ij. Sanguinis draconis, Thuris, Mastiches an.℥.j. Vini albi mensur.j. librarum trium vel quatuor, destilletur.

Vel aqua ex Euphorbio dissoluto in succo Plantag. vel etiam aliis succis, additâ Myrrhâ & Thure, elicitur.

Stercoris humani aqua in fistulis commendatur.

Oleum fistulas abradens sic fit: ℞. Antimon.℥.ij. Sublimati ℥.j. Mellis ℥.iiij. per retortam extrahatur oleum.

Hellebori radix fistulis indita, tunicam potenter aufert.

Spongiam aridá, filo strictè modo penicilli ligatam, vel Cerâ obductam, fistulis intrudunt; vel Gentianam vel Aristolochiam radicem siccam in hanc formam scissam, idque dilatandi potiùs foraminis causâ, quàm extergendi, licet & hæc fistulæ per vim immissa, dum intumescunt, illam dilatent, sicque callis attenuatis vel scissis, citiùs postea hi exterguntur, atque labia coalescunt.

Cauterio actuali vel potentiali si intrinsecùs fistula vratur, escharam facit, quâ detractâ, fistula à tunica liberata erit.

Quibus peractis si nuda & viua caro in fistula rursum appareat, illa postea, vt aliud vlcus, sarcoticis immissis, vel cùm adhuc sinuosum sit, infusis, demum epuloticis, vt dictum, curabitur.

Potionibus quibusdam exhibitis, in vlcerum curationem fine descriptis, fistulas quoque sanari posse affirmant, forte per eas sinuosa vlcera, tunicâ nondum obducta intelligentes. Nam tunicâ inuestitæ si sint fistulæ, vix suam vim, vt tunicam abradere vel etiam consumere valeant, eousque exerere posse videntur, nisi fortè molli adhuc tunica existente aliquid efficiant, vel ampliùs, tunicâ iam abrasâ operentur: quemadmodum illic ostensum fuit.

Callosi vlceris, curatio. Callosum vlcus, cuius labia dura sunt, medicamentis emollientibus emollire studebimus, & simul abstergentibus callum extergere.

Inter quæ cataplasma hoc vtrunque præstat, quod ex radic. Consolid. mai. & Lapathij coctis inuicem in Aqua & contusis, addito Butyro, paratur.

Efficaciùs id fiat emplastrum ex gummi Ammoniaco cum Aceto fortissimo dissoluto factum.

Vel hoc vnguentum: ℞. gummi Ammon. Bdellij vel Galbani dissolut. in Aceto potentissimo ℥.ij. Terebinth.℥.ß. ol. Ros. donec dissoluantur, adde Ærugin. æris ʒ.ij. Aluminis ʒ.iij. pro vnguento.

Alia quæ vehementer abstergunt, vel etiam si callus omnino sit induratus, exedentia, præsertim si hisce priùs emollitus fuerit, eum possunt absumere: qualia multa in vlceribus & fistulis præsertim exposita sunt, & in vlceribus excrescentibus iam proponentur.

Spondylij ramenta callis circumstrata, eos absumere docent.

Quod & Spongiam recentem ex decocto Mellis, callis impositam facere docet Dioscorid.

Sectio scalpello facta in callosis vlcerum labiis, vulnus renouando, vt faciliùs postea sanetur coalescatque, efficit.

Excrescentis vlceris, curatio. Excrescens vlcus est, in quo caro quæ vlcus repleuit, vlteriùs extra corporis superficiem, ob non maturè cicatricem inductam excreuit, & instar hyposarcosis prominens, partem cui insidet deformat eique impedimento est: quæ iterum plana redditur reliquæque carni æqualis, si quæ superfluâ est, detrahatur, atque prominens absumatur.

Quod vt fiat, causam illius, plethoram scilicet, si illa adsit, parcâ victus ratione, & venæ sectione impediemus: simulque si caro primùm excrescere inceperit, topica quæ cicatricem procurare diximus, mox erunt adhibenda, cum siccitate suâ non solùm eam gignere, sed carnem simul exsiccando minuere, ipsiusq; augmentum reprimere possint: quod tamen si caro iam admodum excreuerit, non erit faciendum, cùm tunc eam ampliùs absumere nequeant, & si cicatricem inducerent, vlcus deformem vti dictum, carnositatem post se relinqueret. Sed tunc potiùs quando caro adeò luxuriat, fortioribus vtendum, siccantibus & abster-

gentibus, vel etiam cathæreticis carnem detrahentibus; Inter quæ multa quæ ad fistulas extergendas idonea diximus, hîc quoq; carnem auferre possunt: Vti & hæc, quæ vlceri excrescenti apponuntur remedia, fistulis quoque competere: suntque sequentia.

Pulueres in hanc rem ferè vsurpantur, quos ex pixidulis, hisce accommodatis, per epistomium, chirurgi vlceribus excrescentibus inspergunt; probanturque imprimis pulueres Colchici bulborum, quos Hermodactylos vocant & Hellebori nigri: Dein & Aristolochiæ, Gallarum. Atque cineres ossium Dactylorum, Lanæ, Spongiæ, Piscium salsorum, Smaridis piscis, Erinacei marini, Purpurarum, Concharum, Testarum, omnium vstorum.

Stuppa cannabina minutim incisa, inspergitur.

Mellis fæcum post destillationem illius, in fundo remanentium, calcinatarum puluis croceus inspersus.

Boracis puluerem nostri chirurgi plerunque carni huic inspergunt, propriaque ad hos vsus pixide, quam Borras büchßlin vocant, ad manus eum seruant.

Idem facit puluis Pumicis, Ochræ, Asij lapidis floris, Diphriges.

Vtimur & Alumine, Chalcitide, vstis, vel etiam non vstis, quæ tamen, quia validiora sunt, pulueribus aliis additis, contemperari possunt.

Vt: ℞. Aluminis vsti ʒ.iij. Balaust. Boli Armen. tantundem, misce.

Vel: ℞. Vitrioli ℥.ß. Aluminis ʒ.ij. cortic. Granatorum, Gallarum an. ʒ.ij. Myrrhæ, Aristolochiæ vstæ an. ʒ.j. fiant trochisci ad vsum.

Vini fæx cremata, valde efficax, quæ aliis pulueribus contemperari potest.

Puluis erodens chirurgorum nostrorum, Rott heintz: ℞. Vitrioli ℥.iiij. Aluminis & Æruginis æris an. ℥.ß. affunde Aceti ad ℥.vj. calcinentur in vase lutato.

Alius fit ex Arsenici rubri & citrini, Aluminis & Gallarum æquali pondere, puluerisatorum & in Aceto fortissimo decoctorum colatura, fusa supra Calcis viuæ, & quale pondus, cum residentia decocti abiecti, exsiccetur calx, donec pulueri sari possit.

Alius carnem superfluam tollens, fit ex Calce viua cum Melle in trochiscos formata, postea combusta.

Argentum viuum sublimatione aut præcipitatione, vt vocant, sic effectum, vt citra magnum dolorem carnem absumat; fit ex Argenti viui parte vna, & Aquæ fortis partibus duabus, in alembico magno cum recipiente magno, carbonibus ardentibus suppositis, relictisque donec omnis aqua effluxerit, fractoque alembico, eoque quod album & croceum est, remoto, illo quod collo adhæret, rursum puluerisato, denuò in vase supra ignem, donec omnis fumus abierit, agitetur.

Trochisci quibus veteres vtebantur, carnem erodentes, inter cauteria in abscessu aperiendo descripti, hîc quoque locum habere possunt, aliaque multa illic descripta, cutem vrentia.

Quibus etiam trochiscos Vigonis adnumerare possumus, ex medulla panis, sublimato, & minio cum aqua rosarum formatos.

Ex vnguentis quæ carnem auferunt, præsertim vnguentum Ægyptiacum, vsitatum est.

Vel potest tale fieri: ℞. radic. Hermodactyli vel Agarici, Hellebori nigri, Spongiæ combustæ, Pumicis an. ʒ.ij. Aluminis viti, Æris vsti an. ʒ.j.ß. Æruginis æris, Chalcitidis an. ʒ.j. excipiantur Melle & olei Tartari ℥.j. fiat vnguentum.

Vel sic: ℞. Antimonij, Ferri limaturæ an. ℥.ij. Aluminis, Salis ammoniaci, Sulphuris viui, Chalcanthi an. ℥.j.ß. Æruginis æris, Auripigm. Argenti viui an. ℥.j. Aceti potentissimi, Lixiuij tonsorum cum calce an. ℥.ij. in vase figulino calcinentur, puluisque in vase vitreo bene clauso ad vsum seruetur.

Mel anacardinum idem efficit inunctum.

Oleum Sulphuris vel Tartari idem facit, vel per se iunctum, vel supra emplastrum aliquod conueniens, sicque applicatum. Ol. Vitrioli item dilutum.

Cau-

Cauterio actuali, sectione, si nil aliud iuuare potest, caro aduritur vel amputatur.

Compositarum exulcerationum, quæ cum tumoribus, pustulis iunguntur & componuntur, curationem, cum illorum curatione coniunximus, illarum verò, quibus tumores primùm superueniunt, curam nunc exponemus, tàm vulnerum quàm vlcerum, quæ accedente rubro tumore fiunt & appellantur, Phlegmonosa, Erysipelatosa, Oedematosa.

Phlegmonosa & erysipelatosa tàm vulnera quàm vlcera, quæ ratione sanguinis influxus, ob dolorem aliásve causas talia fiunt, sic tractanda, vt primùm reuellamus sanguinem, eadem ratione vt in phlegmone ostensum.

Dein vt Repellentia in ambitu horum vlcerum circumponantur defensiua, vti & postmodum digerentia, in phlegmone exposita.

Quæ vulneribus aut vlceribus imponuntur, siccantia remedia, ab initio refrigerare simul debent, qualia etiam inter repellentia in phlegmone, ea maximè quæ Lithargyrium, Cadmiam & Cerusam recipiunt, descripta sunt.

Vel hac ratione & inflammationi & exulcerationi accommodanda: ℞. succorum Cynoglosi, Plantag. Salicis, Solani, vel Semperuiui ad ℥.iiij. succi Granatorum ℥.j. Aceti ℥.ß. olei Rosacei vel Myrtillorum ℥.iij. Cerusæ ℥.ß. Plumbi vsti & loti ʒ.ij. Camphorę ʒ.ß. Terebinth. q.s. pro vnguento.

Possumus & alia siccantia sensim addere, & repressâ inflammatione, ad sola siccantia vulnera & vlcera redire, cùm & hæc residuum inflammationis absumant.

Al. Vigonis est ceratum Nigrum dictum, quod ℞. lithargyrium, minium, terras. resinam, camphoram, olea & pinguedines, cum vnguento populeonis, vino granatorum & decocto myrtillorum, hordei, fol. plantag. solani, matris syluæ.

In ictu sclopeti hoc emplastrum mox in principio conuenit: ℞. Boli ℥.ij. Sanguinis draconis ℥.j. Cerussę vel Lithargyrij ℥.ß. farinæ Hordei ℥.j.ß. pulueris Lumbricorũ ℥.ß. (præsertim si nerui affecti) Cẽtaurij sicc. ʒ.ij. Sæui dissoluti in oleo rosac. ℥.j. Terebinthin. q.s. fiat emplastrum, cui Diachylon album misceri potest.

Vel hoc: ℞. succi Plantagin. Solani, Semperuiui an. ℥.j. Aceti ℥.ß. olei Violac. Rosac. Nenuphar. Terebinth. an. ℥.j. coquantur ad succorum consumpt. addendo pulueres prędicti emplastri, fiat emplastrum.

In punctura à spina: ℞. succorum Plantag. Bursæ pastor. Solani, ol. Rosac. an. ℥.iiij. coquantur ad succ. consumpt. addendo Lithargyrij, Cerussæ, Cadmiæ fossilis & fornacum an. ℥.ß. Plumbi vsti & loti, Squamę æris an. ʒ.ij. Terebinth. ℥.j.ß. misceantur.

In Nerui punctura si inflammatio oboriatur, vti facilè fit, hoc emplastrum applicandum: ℞. farinę Hordei, Lentium an. ℥.ij. farin. Fabarum, Lupinorũ vel Orobi an. ℥.j. decoquantur in Vino Aceto & Melle, vel in Oxymelite, fiat emplastrum. Postea alia adhibeantur ad dolorem compescendum, & puncturæ conuenientia, illic exposita.

In vlceribus crurum cum erysipelate vnguentum Ros. cum Terebinth. & vitellis ouorum conuenit, & vnguentum de Calce.

Doloris causâ, si intensus suboriatur, in vulneribus aut vlceribus ob inflammationem, aliásve, vel etiam propter remedia erodentia & caustica, quibus interdum vti dictum, vtimur, eum anodynis in ambitu circumpositis & impositis, donec mitigetur, sedamus, qualia in inflammationibus copiosè exposita sunt; Inter quę & illud, quod stercus Vaccinum recipit, valdè conuenit: transeundo etiam ad narcotica, si necessitas requirat. In neruo puncto, quid doloris causâ agendum, illic quoque declaratum fuit.

Oedematosa vlcera & vulnera si sint, serositatem illam quæ vicinam cutem & carnem humectat, & in tumorẽ attollit, vt absumamus, nõ aliis quam iisdem siccantibus, quibus madorem vulnerũ & vlcerum exiccamus, ea sanamus; hoc idem, si efficaciora ex illis & validiùs siccantia eligamus, præstabimus, in ambitu postea ea quæ œdemata tollunt, adhibenda. *Oedematosorum vlcerum curatio.*

Gangrænæ curatio.

Gangræna cùm incipiens partis sit corruptio, in ea ægerrimè membrum conseruatur. Sphacelus cùm perfecta sit Necrosis seu mortificatio, in ea pars mortua cadauerosa fit, & nisi à viua penitùs resecetur, vicinam afficiendo, mortem accersit.

Vbi spes aliqua restat, membrumque adhuc dolet, vel sensum aliquousque retinet, subitò succurrendum: Scarificando locum affectum vndiq; profundis multisq; plagis.

Hirudines loco scarificationis appositæ, vel etiam si plagæ factę sunt, supra illas, conueniunt.

Aceto calido perfundatur vel foueatur locus scarificatus ter in die.

Vel Lixiuio forti, vel tonsorum, decocto Lupinorum; vel Lixiuio cinerum ficulneorum.

Aut Aquâ marinâ vel aliàs salsâ.

Fotibus subitò chirurgi vtuntur, fouentes locum scarificatum priùs vel non, sequentibus: ℞. radic. Bryoniæ, Raphani an. ℥. ij. fol. Galeopsis, Hederæ terrestris an M. j. sum. Iuniperi P. j. decoquantur in Vino, addito Aceto: Pro fotu cum stuppis intinctis.

In gangræna pudendi fotus cum decocto Arthemisiæ, Absynthij, Violariæ, Fragariæ, fol. Altheæ in Vino, statim iuuit, vnde mox corrupta à sana parte, caro abscessit.

Applicationes aliæ sic fiunt: Hedera terrestris & sum. Iuniperi contusa, decocta in Lacte, applicata, pro singulari habentur experimento.

Brassica elixa cum Melle, Dioscorid. Vel Lactuca recens cōtusa cum farina Loleacea.

Nuces iuglandes vetustissimæ tritæ, vel cortices ipsarum cùm habentur virides adhuc.

Galeopsis & Bryonia cum rad. foliis & seminibus.

Item Agrimoniæ & Rosarum folia, contusa cum Aceto, Raphanus cum sale.

Farina Orobi, Lolij, Cicerum, Hordei cum Melle & Sale.

Vel hoc cataplasma: ℞. farinæ Lupinorum, Lentium aut Fabarum, aut prædictarum ad ℥. vj. cort. Granat. ʒ. ij. flor. Rosac. sicc. ʒ. j. Boli, Myrrhæ an. ʒ. ß. Salis ℥. j. succi Absynthij vel Galeopsis vel Vrticæ, aut Hederæ terrestr. Punicorum ad ℥. iij. Aceti ℥. j. cum Melle & Terebinthin. vel Oxysaccharo fiat cataplasma, addendo interdum Vitellos ouorum tres. Interdum & ol. Nucum vel Rosaceum ne subitò exiccetur.

Vel: ℞. residentiam decocti pro fotu, alterutrius contusam, adde Nucum iuglandium antiq. nucl. ℥. j. ß. farinæ Orobi & Cicerum an. ℥. ij. Mellis ℥. j. ß. Salis ℥. j. fiat cataplasma.

Vnctuosa ex oleis vel adipibus, cum putredinem augeant, non adeò competunt, nisi vt minùs citò siccetur emplastrum, parùm de illis quæ vim aliquam habent digerendi, addatur. Sic fit emplastrum expertum ex Sabina puluerisata cum Fermento, addendo parùm olei Lini vel Nucum, aut de Vitellis ouorum, vel Tartari.

Vnguentum Ægyptiacum post ablutionem imponatur, cui & Alumen addi potest, atque dum paratur simul coqui.

Caustica, si perseueret putredo, apponenda, vt lac Tithymali; vel alia alibi descripta.

Vel Ossibus humanis contusis & puluerisatis misce Arsenicum, eoque vtere. Cui rad. Mandragoræ addunt, fortè ne dolorem moueat. Alij radic. Pentaphyli quoque adjiciunt.

Postquam caro putris à sana recessit, vt vlcus curabimus.

Possumus & aliis vehementer abstergentibus in vlceribus, & carnem detrahentibus, in vlcere excrescente expositis, vti.

Cariei & corruptionis ossium, curatio.

Caries ossium, quando illa corrosa, cariosa, nigra fiunt, in vlceribus prauis, profundis, sinuosis ad ossa vsque pertingentibus, eaque vitiantibus, & vlcerum curationem impedit, & membri quoque si perseueret, firmitatem vitiat. Quam incipientem vt auferamus, medicamenta in profundum ad ossa vsque intrudi atque injici debent, dilatato priùs, si angustum vulnus sit, vlceris foramine, per turundam siccam, quæ vbi madorem à vulnere conceperit, intumescens locum dilatet. Sicuti intrusâ rad. Gentianæ aridâ, quæ tamen simul etiam abstergit, vel spongiolâ arctè in formam suppositorij vin-

ctà, aliisve hoc perficitur. Vel si nondum pateat aditus, sectione vlceris os aperire possumus.

Quibus factis, medicaméta indimus abstergētia, aliàs etiá cathęretica, vt sicuti à carne putrediné, ita ab ossibus cariem abradát.

Quòd si verò hisce, vitium ab ossibus auferri nequeat: Vti &, si alia ossis adsit vel restet asperitas, instrumento acuto, ad hoc apto, os denudatum priùs, radimus & æquale reddimus, vel illud quod protuberat, abscindimus, donec os læue & mundum rursum appareat.

Nonnunquam cauterio actuali os corruptum vrimus, tunc enim pars adusta à sana sponte abscedit separaturque. Quod vt in variis locis, vbi ossa ita vitiata sunt fieri solet, sic in digitorum extremis ossibus, in Paronychia tàm subitò hoc modo lædi solitis, mox faciendum, vt internodio corrupto ablato, illud quod ei contiguum fuit, conseruari posit.

Quibus factis, osseque sic purgato, vlcus postea remediis, quæ eius natura postulat, curabitur.


FINIS.



Cùm ob aſſiduitatem laborum Typographicorum receptum ſequens, priori ferè ſimile, omiſſum ſit, illud ne deſideretur, Lector ad Pag. 598 circa fin. ante receptum pilularum de Hermodactylis dictarum, &c. inſerere non grauabitur.

Vel iſtis: Rhabarbari, Agaric. an. ℥.ß. Myrobalan. Cheb. Citrin. an. ʒ.j. Aloës ʒ.ij. Sarcocollæ, Bdellij, Sagapeni an. ʒ.ß. rad. Ariſtol. Valerian. Mei, Gentianæ, herb. Iuæ, Chamædr. ſumm. Centaur. Hyperic. ſem. Petroſ. Maced. an. ℈.j. Spicæ, Zedoariæ, Zingib. Maceris, ſalis Gemmæ an. ℈.ß. cum ſyr. de Caulibus, fiat maſſa.

Cætera verò Errata, quæ occurrunt, cùm tanti momenti non ſint, diligens Lector ſponte emendare velit.



INDEX

AFFECTVVM omnium qui in hoc opere tractantur, & in margine plerumque adnotati reperiuntur, tàm Symptomatum in generibus propositorum, quàm Morborum in causis descriptorum: Quibus, vbi cuiusq; cura inueniatur, numero indice, singulis (vti in tractatu de functionum læsionibus) addito, significatur.

A



Absceſſus 637. cauſa 658. cura 660
Achores: vide, Tinea.
Aegylops 230. cauſa 233. cura 238.258
Alcola 284. vide, Oris vlcera.
Angina vera 314. cauſa 315. cura 329.337
Angina notha 313. cauſa 317. cura 319.322
Anginæ ſexta ſpecies 314. vide Dyſpnæam in primo tractatu.
Antiades 314. cauſa 315. cura 319.328
Anthrax, Carbunculus 645. cauſa 665. cura 714
Anthrax peſtilentialis 645. cauſa 665. cura 714
Aphtæ 284. vide Oris vlcera.
Apoſtema: vide, Abſceſſus.
Arthritis generalis 569. cauſa 577. præcautio & cura 592
Arthritidis ſpecies peculiaris 577. cauſa ibid. cura 591
Arthritis maligna 589. cauſa ibid. cura 630
Articulorũ dolor: vide, Arthritis.
Auditus dolor ſeu offenſio 1. cauſa ibid. cura 2
Auditum offendens Strepitus, cauſa Auditus doloris ſeu offenſionis 2 cura 2
Aurium dolor 266. cauſa 267. cura 269
Aurium pruritus 267. cauſa ibid. cura 269.276
Aurium calida intemperies, cauſa Pruritus in auribus 267. cura 269
Aurium inflammatio, cauſa Doloris in auribus 268. cura 269
Aurium vana inflammatio 637. cauſa 660. cura 681
Aurium frigida intemperies, cauſa Doloris in auribus 268. cura 274
Auribus infeſta qualitas maligna, cauſa Doloris in auribus 268. cura 275
Aurium irritatio, cauſa Pruritus ſeu Titillationis in auribus 269. cura 276
Aurium interior diſtentio, cauſa Doloris in auribus 269. cura 274
Aurium vulnus aliáve læſio, cauſa Doloris in auribus 269. cura 276
Aurium abſceſſus, cauſa Doloris in auribus 272. cura ibid.
Aurium vlcus, cauſa Doloris in auribus 272. cura ibid.

B

Bubo ſine inflammatione 636. cauſa 661.662. cura 693
Bubo cum inflammatione 636. cauſa 660. cura 693
Bubones in iuuenibus dum creſcunt 661. cauſa ibid.
Bubo Venereus, Schlier *636. cauſa 661. cura 693*
Bubo malignus peſtilens 636. cauſa 661.662. cura 693

C

Calculus & arenæ in hepate illiusq; veſicula, cauſa Grauis hypochondriaci doloris 445. cura 450
Calculus & arenæ in renibus, cauſa Grauis hypochondriaci doloris 444. cura 456
Calculus & arenæ in vreteribus, cauſa Nephritici doloris 445. cura 456
Calculus ſub lingua 284. vide Ranam.
Cancer vteri 498. illius ceruicis & pudendi 530. exulcer. 531. cauſa 532. cura 535.536
Cancer 639. cauſa 664. cura 708
Cancer exulceratus, Carcinoma 640. cauſa 565. cura 611
Cancer Krebslin: *vide, Furunlus.*
Cancer vel Herpes exedens gingiuarũ Durchfäule *Germ. 284. vide Aphtas.*
Capitis dolor 203. cauſa 206. cura 210
Capitis grauedo 203. cauſa 206. cura 210
Capitis grauedo externa 572. cauſa 578. cura 590
Cephalalgia 203. cauſa 206. cura 210

Cepha-

Cephalæa 204. causa 210. cura ibid.
Cephalæa externa 571. causa 576. cura 590
Cerebri calida intemperies, causa Capitis doloris 206. cura 210
Carcinoma: vide, Cancer exulceratus.
Carbunculus: vide, Anthrax.
Cardiaca 369. vide, Cordis rodens dolor.
Cardialgia: vide, Cordis dolor.
Cardilæa 370. vide, Ventriculi imbecillitas & calida constitutio.
Cardiogmos: vide, Cordis rodens dolor.
Casus, causa Contusionis: vide, Contusio.
Cerebri à sanguine repletio, causa Cephalalgiæ sanguineæ, biliosæ, melancholicæ, pituitosæ 206. cura 210
Cerebrũ impetentes vapores, causa Capitis dolor. 206. cura 210
Cerebri frigida intemperies, causa Capitis doloris 208. cura 210
Cerebri vellicatio & distentio, causa Capitis doloris 208. cura 210
Cerebro inimica qualitas, causa Capitis doloris 209. cura 210
Cerebri dispositio patibilis & imbecillitas, causa Cephaleæ & Hemicraniæ 210. cura ibid.
Chiragra 570. Zipperlin Germ. vide Arthritis.
Chymosis oculi 229. vide, Ophtalmia vera.
Clauus: vide, Cephalæa externa.
Colicus dolor 484. causa 487. 492. cura 499.518
Coli anfractus distentio ab excrementis & flatibus, causa Colici doloris 488. cura 499
Coli cellularum distentio à retentis excrementis & corporibus, causa Colici doloris 488. cura 499
Coli inflammatio, causa Colici doloris 492. cura 518
Coli intestini causâ, Cordis dolor 379. cura 438
Coli affectus, causa Hypochondriaci doloris 449. cura 450
Columella 313. causa 318. cura 319
Condyloma in oculo: vide Oculi vlcera.
Condyloma pudendi mulieris 530. causa 556. cura 562
Condyloma podicis Feigwartzen 554. causa 556. cura 562
Contusio cum Solo dolore 632. causa 635. cura 690
Contusio cum tumore 635. causa 669. cura 690
Contusio cum vulnere: vide Vulnus.
Conuoluulus 491.492. causa 485. cura 499
Cordis dolor 367. causæ 371. cura 382
Cordis comprimens vel distendens dolor 368. causa 373. cura 585
Cordis rodens dolor seu morsus 368. causa 372.373.374. cura 585.587
Cordis ardens dolor 369. causa 372. cura 388
Cordis ardens ebulliens dolor Sodt Germ. 369. causa 375. cura 388
Cordis calor seu intemperies calida, & simul cum ea, omniũ corporis partium, causa Febris 24. cura 75
Cordis calor à sanguine in vasis inflammato, à causa externa accensus, causa febris Ephemeræ & Synochi puræ 26. cura 75.76
Cordis calor à sanguine in vasis inflammato, à morbo proueniẽs, causa febris Ephemeræ & Synochi Symptomaticarum, morbis eiusmodi comitatarum 30. cura 196
Cordis calor à sanguine in vasis inflammato accensus, cuius portio extra vasa in partem aliquã effunditur, proueniens, causa febris Synochi primariæ, inflammatione, bubone, erysipelate, ecthymatibus, exanthematibus, anthrace, comitatæ 31. cura 192
Cordis dolor à sanguine in venis putrescẽte, causa febrium Continuarum putridarum 39. cura 79
Cordis calor à sanguine in venis putrescente, cordi vicinis, causa Synochi putris, Causonis, Lipyriæ, Colliquantis 39. cura eadem cum Continuis putridis.
Cordis calor à sanguine in arteriis putrescente, causa Causonis 41. cura eadem cum Continuis putridis.
Cordis calor à sanguine in venis putrescente accensus, cuius portio extra vasa in partem aliquã effunditur, causa Febrium Continuarũ putridarum, tumoribus, pustulis, maculis, comitatarum 41. cura eadem cum Continuis putridis.
Cordis calor à sanguine in venis meseraicis putrescente accensus, causa febrium Intermittentiũ 46. cura 106
Cordis calor à sanguine, in venis meseraicis diuersis in locis putrescente, accensus, causa febriũ Duplicium, Triplicium 53. cura 189
Cordis calor à sanguine in venis meseraicis & vena caua simul putrescente accensus, causa Hemitritæi 53. cura 190
Cordis calor ab humore extra vasa, vel parte, vt secundinâ, fœtu mortuo, vel corpore alio, vt vermibus putrescentibus, accensus, causa febrium Lentarum, quas eiusmodi affectus comitatur 55. cura 203

Cordis calor à sanguinis in vasis putredine & malignitate accensus, causa febrium Malignarum putridarum 61. cura 82
Cordis calor à veneno accensus, causa febrium Pestilentium & Venenatarũ 143. cura 144.282
Cordis temperamenti in calidius conuersio, permanens, causa febrium Hecticarum 72. cura 182
Coxendicus dolor 569. causam, curam: vide Arthritis.
Cutis abrasio vel attritio, intertrigo 646. causa 669.670. cura 742
Cutis frictio causa Abrasionis illius & Scabiei 669. cura 742
Cutis erosio, causa illius Abrasionis 670. cura 742
Cutis exsiccatio ab externis causis, causa Molestiæ ex contactu rei asperæ & Fissurarum ac Pernionum 657. cura 742
Cutis siccitas ab humore proueniens, causa Fissurarum 672. cura 742
Cutis capitis ab humore peruerso erosio, causa Tineæ 672. cura 722
Cutis à sanguine perfusio, causa Erysipelatis 657. cura 742
Cynanche: vide, Angina.

D

DEfluxiones seu destillationes in corporis habitum delabantes, Flüß Germ. 568. causa 577. præcautio & cura 592
Dentium dolor 297. causa 298. cura 303
Dentium dolor in dentitione infantium 297. causa 303. cura 312
Dentium dolor euulso dente 298. causa 303. cura 312
Dentium stupor: vide, Hæmodia.
Dentium doloris causa, Defluxio 300. cura 303
Dentium doloris causa, Intemperies frigida 300. cura 310
Dentium doloris causa, Calor & Inflammatio 299. cura 303
Dentium doloris causa, ipsorum Irritatio 300. cura 311
Dentium doloris causa, Dentes vitiati vel constricti 300. cura 310
Dentium asperitas, causa Hæmodiæ 301. cura 312

E

EPhelides pustulæ in scabie 642. causa 559.662. cura in Scabie.
Epicauma: vide, oculi vlcera.
Epiphora 642. causa 659.661. cura 703
Epinyctis 642. causa 666. cura 722
Erysipelas, Rothlauff/Carfunckel 632. causa 657.662. cura 676
Erysipelas phlegmonodes, œdematodes, exulceratum 632.633. causa 657.661. cura 676
Erysipelas in cruribus hydropicorum 676. causa 658. cura 676
Erysipelata parua 633. causa 661. cura 676
Exitura chirurgorum 661. vide Abscessum.

F

FAucium dolor 313. causa 315. cura 319
Faucium asperitas 313. vide Vocis defectum, in primo tractatu.
Faucium irritatio molesta 313. causa ab inhærentibus: vide Deglutitionis defectum, in primo tractatu.
Faucium vlcerosus dolor 315. causa 318. cura 332.334
Faucium inflammatio, causa Anginæ veræ 315. cura 305. illius abscessus 327
Faucium tumor ex desfluxione, causa Anginæ nothæ 317. cura 319.322
Faucium exulceratio, causa vlcerosi illius doloris 318. cura 332
Fauus 641. vide, Tineæ.
Febris πυρετὸς 3. causa 24. curatio 74
Febris Ephemera, diaria 4. causa 28. cura 75
Febris Synochus, pura, diaria, plurium dierum 4. causa 28.29. cura 76
Febris Continua putrida, continens, conclusa, Hauptwehe/Taubhauptwehe Germ. 6. causa 37. cura 79
Febris Synochus, continuæ putridæ species, tertiana, quartana, quotidiana, inordinata 7. causa 74. cura 79
Febris Synochus putrida, continuæ putridæ species 8. causa 42. cura 79
Febris Synochus, acmastica, epacmastica, paracmastica tam pura quàm impura: vide Synochus pura & putrida.
Febris Causus, Ardens, continuæ putridæ species 8. causa 39. cura 80
Febris Leipyrias, continuæ putridæ species 8. causa 39. cura 80
Febris Syncopalis, continuæ putridæ species 9. causa 39. cura 80
Febris Colliquans, causonis species 9. causa 42. cura 80
Febris Intermittens, Kaltwehe Germ. 19. tertiana, quartana, quotidiana 21. quintana, sextana 22. causa 46. cura 106
Febris Intermittens Duplex tertiana, quartana, Triplex quartana 22. causa 53. cura 189
Febris Intermittens Exquisita, Notha tertiana, quartana 52. causa ibid. cura 106
Febris Epiala intermittentis species 23. causa, vide Febr. intermitt.
Febris Syncopalis intermittentis species 24. causa, vide Febr. intermittens.
Febris Maligna putrida 10.

causa 61. cura 143
Febris pestilens 5. causa 66. præcautio & curatio 144
Febris Venenata 14. causa, cura 182
Febris Hectica 10. causa 66. cura 182
Febris Marasmodes, Marasmus 11. vide Hectica.
Febris Intermittens cum Hectica cōposita 13. causa 72. cura 191
Febris putrida continua cum Hectica composita 11. causa 72. cura 191
Febris Hemitritæus, Semitertiana 12. causa 53. cura 190
Febris Epiala, hemitritæi species 13. vide Hemitritæus.
Febris Syncopalis, hemitritæi species 13. vide Hemitritæus.
Febris Ephemera, Synochus pura, Venenata, inflāmatione externâ comitata 14 causa. 66. cura 193
Febris Synochus pura, erysipelate externo comitata, Karfunckel Germ. 14. causa 34. cura 192
Febris Ephemera, Synochus pura, Pestilens, Venenata, bubone comitata 15. causa 34. 66. cura 192
Febris Continua putrida, Maligna putrida, Pestilens, anthrace comitata 15. causa 32. 36. 41. 66. cura 202
Febris Synochus pura, Continua putrida, Maligna putrida, Pestilens, Venenata, exanthematibus comitata 9. causa 32. 36. 41. 82. cura 192
Febris Synochus pura, Continua putrida, Maligna putrida, Pestilens, ecthymatibus comitata 16. causa 31. 34. 41. cura 198
Febris Ephemera, Synochus pura, symptomatica, morbis calidis & biliosis & cholerâ morbo, dysenteriâ, dolore dentium comitata 17. causa 30. 31. cura 196
Febris Synochus primaria, inflammationibus internis, vt pleuritide, peripneumoniâ, hepate, splenitide, phrenitide, anginâ: &c. comitata 137. causa 28. cura 196
Febris Phlegmonodes, Typhodes, Crymnodes 34. causa ibid. cura 196
Febris Synochus pura, morbis calidis in habitu corporis, vt arthritide comitata 17. causa 34. cura 196
Febris Hectica, phtisi comitata 18. causa 59. cura 202
Febris Lenta, phtisi comitata } 55. causa ibid. cura 202
Febris Lenta, Cachexia comitata 18. causa 59. cura 202
Febris Lenta, secundinæ, fœtus mortui retentioni, & vermibus comitata 19. causa 60. cura 203
Fistula lacbrymalis 231. causa 236. cura 238. 265
Fistula: vide Vlcus fistulosum.
Fistulæ Rhagades Græc. 646. causa 657. 672. cura 742
Furunculus, Dothien 635. causa 659. cura 681

G

Gangræna, Kalt brand Ger. 654. causa 658. cura 814
Gargareonis lapsus vel elongatio: vide Columella.
Gargareonis elongatio & tumor à defluxione, causa Columellæ 318. cura 319. 329
Gargareonis inflāmatio, causa Vuulæ 315. cura 319. 328
Gargareonis exulceratio, causa Vlcerosi doloris illiusq; absumptionis 318. cura 332
Gargareonis absumptio 315. causa 318. cura 332
Genitalium dolor 529. causa 532. cura 534
Genitalium marium dolor interior 529. ad Mictionem cum dolore refertur.
Gingiuarum perforatio, causa Doloris dentium, in dentitione 202. cura 310
Gingiuarum læsio causa doloris detium eo euulso 202. cura 210
Gingiuarum tumor & inflammatio 344
Glādularum tumores & inflammationes 635. causa 659. cura 693
Glādularum à sanguine repletio citra inflāmationem, causa Bubonum citra inflammat. 659. 661. cura 693
Glandularum à sanguine repletio, causa inflāmationum, Pani & Phygethli in bubonibus & parotidibus 660. cura 693
Glandularum à sanguine maligno repletio, causa Bubonum venereorum & pestilentialium & Parotid. pestilentialium 665. cura 693
Gonagra 570. vide Arthritis.
Gustus dolor seu Insuauitas 1. causa 1. cura 2.

H

Habitus corporis dolor 567. causa 568. cura 589
Habitus corporis dolores, quibus alia symptomata copulata prævalent 567. causa 573. 574. cura 589
Habitus corporis partium cum Spasmo discurrente dolore 589. causa ibid. cura 630
Habitus corporis partium cum Sensu deprauato dolor 589. causa ibid. cura 630
Habitus corporis distendens flatulentus dolor 591. causa, cura ib.
Habitus corporis distendens cum tumore in ruptura dolor 576. causa ibid. cura 589
Habitus corporis partium compressio & distētio, causa dolorū quorundam, in quibus alia symptomata prævalent 574. 575. cura

cura 589
Habitus corporis partium à flatibus distentio, causa flatulenti illic doloris 591. cura ibid.
Habitus corporis partis à ruptura distentio, causa doloris distendentis, cum ruptura accidentis 576. cura 589
Habitus corporis partes occupans, humoris defluxio, causa Defluxionum & Arthritidis frigidæ, illiusq; specierum 577. præcautio & cura 592
Habitus corporis partes occupans sanguinis influxus, causa Arthritidis calidæ illiusq; specierũ 585. cura 592
Habitus corporis partes occupans cõgestio humoris, causa Cephaleæ externæ, Grauedinis externæ, & Arthritidis alicuius 577. cura 591
Habitus corporis partes infestans maligna qualitas, causa Luis venereæ 587. cura 629
Habitus corporis partes infestans maligna qualitas, causa Cephaleæ externæ malignæ 589. cura 629
Habitus corp. partes infestãs maligna qualitas, causa Arthritid. cuiusdã malignæ 589. cura 529
Habitus corporis partes infestans maligna qualitas, causa doloris cum Spasmo discurrente 589. cura 629
Habitus corporis partes infestans maligna qualitas, causa doloris cum Sensu tactus deprauato 589 cura 629
Hemicrania 204. causa 210. cura ibid.
Hæmodia 298. causa 301. cura 310
Hæmorrhois cæca 543. causa 555. cura 557
Hæmorrhoidalis venæ repletio à sanguine, causa Hæmorrhoidis cæcæ 555. cura 557
Hepatis obstructio ab humore, tumore, causa grauis hypochondriaci doloris 445. cura 450
Hepatis inflammatio, causa Ardentis doloris in hypochondriis 443. cura 450
Hepatitis: vide Hepatis inflammatio.
Herpes miliaris, Zittermahl German. 644. causa 667. cura 778
Herpes esthiomenus 644. Germ. Wurm. causa 667. cura 718
Herpes phlyctenodes 642. causa 668. cura 718
Homoplatæ dolor 570. vide Arthritis.
Hypochondriacus dolor 438. causa 443. cura 450
Hypochondriacus Grauis & obtusus dolor 439. causa 445. cura 450
Hypochondriacus Ardens & inflammans dolor 440. causa 443. cura 450
Hypochondriacus diuellens acerbißimus dolor: vide Nephriticus dolor.
Hypochondriacus punctorius dolor 441 causa 448. cura 482
Hypochondriacus tensiuus & lancinans dolor 441. causa 449. cura 450

I

Ictus virulentus seu venenatus animalium 550. causa 671. cura 781
Ignis persicus: vide Anthrax.
Ignis sacer vel syluestris 644. vide Herpes.
Iliacus dolor 484. causa 489. 493. cura 499
Impetigo, Lichen Grac. 643. causa 668. cura 857
Intertrigo: vide Cutis abrasio.
Intestinorum refrigeratio, causa Torminum ventris 492. cura 499
Intestinorum distẽtio à copia excrementorum & flatuum, causa Vẽtris doloris 487. cura 499
Intestinorũ tenuium exitus meatus obstructio, causa Iliaci doloris 489. cura 499
Intestinorum phlogosis, erysipelas à bile, causa Iliaci doloris 493. cura 518
Intestinorum tenuium inflãmatio, causa Conuoluuli 492. cura 518
Intestinorum conuolutio causa Conuoluuli 491. cura 499
Ischiadicus dolor: vide Coxendicus dolor.

L

Labiorum fissuræ: vide Fissuræ.
Lateralis dolor: vide Pleuritis
Lepra Græcorum vel Psora deterior 643. causa 688. cura 722
Lienaris vel Spleneticus falsò dictus punctorius dolor, Miltzestechen Germ. vide Hypochõdriacus punctorius dolor.
Lienis obstructio ab humore, tumore, causa grauis hypochondriaci doloris 445. cura 450
Lienis inflammatio, causa Ardentis doloris in Hypochõdriis 443. cura 450
Linguam & fauces offendens Sapor, causa Gustus doloris seu insuauitatis 2. cura 2
Linguæ punctio, nullo apparente morbo 283. causa 285. cura: vide in Stupore & Paralysi, in primo tractatu.
Linguæ neruorum affectus, causa Punctionis & ardoris in lingua nullo apparente affectu 285. curam vide in Stupore, Paralysi, in primo tractatu.
Lippitudo: vide Epiphora.
Luis venereæ species, Lenimy Germ. 572. causa 587. cura 629
Lumborum dolor Lendywehe: vide Nephriticus dolor.
Lupus: vide Cancer.

M

Mamillarum inflãmatio 635. causa 660. cura 699
Mamillarum à sanguine repletio, causa Inflammationum in illis 660. cura 699
Manuum fissuræ: vide Fissuræ.
Miserere mei: vide Conuoluulus.
Morbus Neapolitanus, Gallicus: vide Lues venerea.
Morsus vulnerans 649. causa 671. cura 752
Morsus virulentus & venenatus 649. causa 671. cura 782

N

Nares offendens Fœtor, causa Olfactus doloris seu insuauitatis 2. cura 2
Narium pruritus & titillatio 276. causa 277. cura 279
Narium intrinsecus ardens dolor 276. causa 277. cura 279
Narium extrinsecus alarum dolor 637. causa 660. cura 681
Narium vlcerosus dolor 276. causa 278. cura 282
Narium irritatio causa Pruritus & Titillationis in illis 277. cura 279
Narium calida intẽperies & inflammatio, causa Doloris ardentis in ipsarum interioribus 277. cura 279. & exterioribus 660. cura 681
Narium Excoriatio, Vulnus, Vlcus, causa Doloris vlcerosi in ipsis 277. cura 279.280
Nephritis 440. vide Renum inflammatio.
Nephriticus dolor, Grieß 442. causa 445. cura 456
Noli me tangere: vide Cancer.
Nomæ: vide Vlcera exedentia.

O

Oculorum dolor 227. causa 232. cura 237
Oculorum conuellẽs dolor seu contractio post somnum 228. causa 235. cura 238.251
Oculorum pruritus 228. causa 232.235.236. cura 238.251
Oculorum punctio 228. causa 232. cura 238.251
Oculi asperitas 230. causa 232. 235. cura 238
Oculi scabrities 230. causa 236. cura 238.261
Oculi vesica: vide Phlyctena oculi.
Oculi vlcera in cantho maiore 230. causa 236. cura 238.264
Oculi globi vlcera 231. causa 236. cura 238.263
Oculi vulnera 231. causa 236. cura 238.265
Oculi irritatio à splendore, causa Visionis doloris seu offensionis 1. cura 2
Oculi calida, frigida, sicca intemperies, causa Pruritus & Punctionis in oculo 232. cura 238.251
Oculi siccitas, causa Asperitatis in oculo 232. cura 238
Oculi calida intemperies cum affluxu sanguinis, causa Ophthalmiæ non veræ 233. cura 238.251
Oculi inflãmatio, causa Ophthalmiæ veræ 233. cura 238.251
Oculi canthi inflammatio, causa Aegylopis 233. cura 238.258
Oculi à defluxione affectus, causa Pruritus & Epiphoræ 234. cura 238.258
Oculi à vaporibus distentio, causa Oculi cõtractionis post somnum 235. cura 238.251
Oculi vellicatio, causa Pruritus, Asperitatis, Ophthalmiæ & Epiphoræ 236. cura 238.258
Oculi solutio cõtinui, causa Phlyctenæ, Scabritiei, Vlcerum, Fistulæ, Vulnerum in oculo 236. cura 238.261.262.264.265.266
Oesophagi ardens dolor 316. causa ibid. cura 319.331
Oesophagi inflãmatio, causa Ardentis illius doloris 316. cura 319.331. vbi & abscessus cura.
Oesophagi exulceratio & vulnus, causa Faucium vlcerosi doloris 318. cura 334
Olfactus dolor seu insuauitas 1. causa 1. cura 2
Ophthalmia non vera 228. causa 233. cura 238.251
Ophthalmia vera 229. causa 233. cura 238.251
Oris dolor 282. causa 285. cura 287
Oris & linguæ asperitas 283. vide Gustus læsio & Loquelæ defectus in primo tractatu.
Oris & linguæ calor, tumor & ardor, Breune Germ. nonnunquam & fissuræ & pustulæ 283. causa 286. cura 287
Oris & linguæ vlcerosus dolor cũ excoriatione, fissuris, exulceratione 284. causa 286. cura 291
Oris & linguæ intẽperies & calida inflammatio, causa caloris, tumoris & ardoris, & fissurarũ pustularumq; in illis 286. cura 287
Oris & linguæ solutio continui, causa Vlcerosi doloris cum excoriatione, fissuris, exulceratione in illis 286. cura 291
Oris labiorum inflammatio 637. causa 660. cura 681
Ossium Caries & corruptio 655. causa ibid. cura 816
Ossium læsio cum vulnere 650. vide Vulnus.
Ozæna 279. vide Narium vlcus.

P

Palpebrarum fissuræ: vide Fissuræ.
Panaritium digitorum: vide Paronychia.
Panus, Phlygethlon Græcis: vide Bubo vel Parotis cura in inflamatione.
Papillarum fissuræ: vide Fissuræ.
Papillarum inflammatio 637. causa 660. cura 681

Papu-

Papula: vide Herpes.
Paristhmia 214. causa 319. cura 329
Paronychia Wurm am Finger 637. causa 660.663. cura 681
Paronychia vlcerata 653. causa ibid. cura 788
Parotis Ohrenmüggele cum inflammat. & pestilens 627. causa 636. cura 693
Partium corporis exteriorũ quarundã insueta attrectatio, causa Titillationis 636. cura 673
Partium externarum quarundã, vt Labiorum, oris, podicis, pudendi. Item Papillarum, Narium, Aurium, & Digitorum extremitatum à sanguine repletio, causa Inflãmationum in istis, & Paronychiæ 660. cura 681
Partium corruptio causa Gangrænæ 658. cura 815
Partium neruosarum corruptio, causa Vlceris aquã Glidwasser exudantis 658. cura 784
Partium caloris natiui extinctio, causa Sphaceli 658. cura 913
Pedum Fissuræ: vide Fissuræ.
Pedum vlcera peruersa 653. causa ibid. & 671. cura 784
Penis glandis & præputij inflammatio 637. causa 660. cura 933
Peripneumonia 336. causa 338. cura 347
Peritonæi distẽtio à flatibus, causa Punctorij hypochondriaci doloris 448. cura 482
Peritonæi tensio viscerum & vasorum illi adiacentium occasione, causa Tensiui & lancinantis hypochondriaci doloris 449. cura 450
Pernio, chymethlon 646. causa 457. cura 742
Pestis, Pestilentia: vide Febris pestilens.
Phagedæna: vide Vlcera depascentia.
Phlegmone, Inflammatio 634. causa 662. cura 681
Phlegmone erysipelatodes, œdematodes 634. causa 661. cura 681
Phlogosis 632.633. vide Erysipelas & Phlegmone.
Phlyctena 642. causa 668. cura 742
Phlyctena oculi 230. causa 236. cura 238
Phyma: vide Bubo vel Parotis cum inflammatione.
Picrocoli: vide Cordis rodẽs dolor.
Plaga: vide Vulnus.
Pleuritis falsa, Flatulenta, Pituitosa 335. causa 337
Pleuritis vera, Brustgeschwär/ 335. causa 338. cura 347
Pleuritis Succingentis tunicæ peculiaris à cæteris 337. causa 338. cura 360
Pleuritis seu Peripneumonia cum Pleuritide succingentis concurrens 360. causa, cura ibid.
Podagra 570. causa 577.584. præcautio & curatio 592
Podicis dolor 543. causa 554. cura 557
Podicis inflammans dolor 543. causa 555. cura 556
Podicis vlcerosus dolor 545. causa 547. cura 559
Podicis condyloma: vide Condyloma.
Podicis inflammatio vel phlogosis, causa inflammantis podicis doloris 555. cura 565
Podicis vlcus & vulnus, causa Vlcerosi podicis doloris 556. cura 566
Podicis peruersus humor, causa Condylomatis in ano 556. cura 565
Podicis fissuræ: vide Fissuræ.
Podicis labiorum & cutis rugosæ inflammatio 637. causa 660. cura 681
Pollicis & indicis interstitiũ possidens inflammatio, Grippel[illegible] 637. causa 660. cura 681
Præputij fissuræ: vide Fissuræ.
Prurigo Chrismos Græc. 643. causa 667. cura 722
Pruritus 631. causa 666. cura 673
Pseudophthalmia 228. vide Ophthalmia non vera.
Psorophthalmia: vide Oculi scabrities.
Psora Græcorum 643. causa 668. cura 722
Pudendi fissuræ: vide Fissuræ.
Pudẽdi mulieris colliculorum & alarum inflammatio 637. causa 660. cura 681
Pulmonum inflammatio, causa Pleuritidis veræ, & Peripneumoniæ 338. cura 347
Punctorius dolor, Stich Germ. vide Pleuritis.
Punctura lata: vide Vulnus punctim factum.
Punctura angusta 647. causæ 670. cura 776

R

Rana tumor sub lingua, Batrachios 283. vide Oris inflammationem.
Reduuia: vide Paronychiam.
Renum obstructio ab humore, tumore, causa Grauis hypochondriaci doloris 445. cura 450
Renum inflammatio, causa Ardentis doloris in hypochondriis 443. cura 450
Rhagades: vide Fissuras.
Rhyas, carunculæ oculi absumptio 237. causa ibid. cura in oculi vlceribus.

S

Scabies vulgaris humida, German. Raud 640. causa 666.670. cura 722
Scabies Fera, agria, Herbroten Germ. 641. causa 666. cura 722
Scabies sicca 642. causa 666.

cura 722
Scabies fœda, Mager Germ. 643.
causa ibid. cura 722
Sclirophtalmia 229. vide Ophtalmia non vera.
Scorbutus 276. vide Gingiuarum tumor, inflamm.
Septi transuersi causâ, Comprimens cordis dolor 378. cura 438
Soda Arabum: vide Cephalalgia.
Sphacelus, Syderatio 655.
causa 658. cura 767
Splenitis: vide Lienis inflãmatio.
Stomachi dolor: vide Cordis dolor.
Sudor Anglicus 10. vide Febris maligna putrida.
Superficiei corporis dolor 630.
causa 655. cura 673
Superficiei corporis dolor ex calore 631. causa 656. cura 675
Superficiei corporis dolor ex frigore 631. causa 656. cura 874
Superficiei corporis dolor ex contactu rei asperæ 631. causa 657.
cura 675
Superficiei corporis dolor ex contusione 631. causa 669.
cura 690
Superficiei corporis dolor ex compreßione, distentione externa 631. causa 669. cura 675
Superficiem corporis afficiens calor & frigus, causa Dolorũ inde genitorum 656. cura 574
Superficiem corporis comprimẽs, distendens, feriens, vis & impetus, causa Dolorum inde prouenientium 669. cura 675
Superficiem corporis, sæpe & interiora secans, pungens, contundens læsio, causa Vulnerum eiusmodi 670. cura 678
Superficiem corporis adurens calor, ignis, causticum, causæ Vstionis 670. cura 747
Superficiem corporis lædentia virulenta, venenata instrumenta, morsus, ictus animalium, causa Vulnerum eiusmodi 670.
cura 781
Superficiem corporis alicubi adimplẽs sanguis, causa Phlegmones 658. cura 681
Superficiẽ corporis inuadens suppuratio, causa Abscessus. iisq; ruptis, Vlcerum 658. cura 702
Superficiem corporis obsidens certo in loco, maligna qualitas causa Cancri 664. cura 708
Superficiem corporis alicubi inuadens pestilens venenum, causa Anthracis pestilentialis 665. non pestilentialis 666. cura 714
Superficiem corporis obsidentes humores biliosi, salsi, acres, praui, causa Herpetis, Phlyctenæ, Scabiei 666. cura 718
Superficiem corporis infestantes humores acres, praui, maligni, causa Vlcerum exedentium, depascentium, varicosorũ & malignorum 673. cura 784

T

Taraxis: vide Epiphora.
Terminthus, Hundsblatern Germ. 654. causa 666
cura 722
Testium inflammatio 636.
causa 660. cura 609
Testium à sanguine repletio, causa inflammationum in illis 660.
cura 699
Thoracis musculorum distentio à defluxo humore, causa Pleuritidis falsæ P tuitosæ 338.
cura 363
Thoracis tunicæ succingentis distentio à flatibus, causa Pleuritidis Flatulentæ 337. cura 363
Thoracis succingentis tunicæ inflãmatio, causa Pleuritidis priuatæ, Succingentis dictæ 338.
cura 360
Tinea der Grindt 641.
causa 672. cura 722
Titillatio 630. causa 656.
cura 673
Tonsillarum inflammatio, causa Antiadum 315. cura 319
Tonsillarum tumor à defluxione, causa Paristhmiæ 218. cura 219
Tonsillarum exulceratio, causa vlcerosi Faucium doloris 218.
cura 333
Tormina, Grimmen: vide Ventris dolor.
Tuberculum, Eyssen Germ. aliud Blutenssen 634. causa 662.
cura 681

V

Varix: vide Vlcera varicosa.
Ventris dolor 483. causa 487.
cura 499
Ventris distendens circa vesicæ regionem dolor 485. causa 495.
cura 520
Ventris inflammans circa vesicæ regionem dolor 485.
causa 496. cura 525
Ventriculi dolor: vide cordis dolor.
Ventriculi imbecillitas dicta cordis molestia 370. causa 377.
cura 398
Vẽtriculi calidior appellata Cordis molestia 370. causa 378.
cura 485
Ventriculi ardor ebulliens, Sodt Germ. vide Cordis ardens dolor.
Ventriculi calida intẽperies simplex, causa Sitis potius quàm doloris 331. cura, vide Ventriculi calidior constitutio.
Ventriculi inflãmatio, causa Ardentis cordis doloris 372.
cura 381
Ventriculi frigida intẽperies, causa Rodentis cordis doloris 372.
cura 385
Ventriculi distentio, aggrauatio, compreßio, causa Comprimentis cordis doloris, nonnunquam & Rodentis 373. cura 386
Ventriculi inflatio 373.
causa ibid. cura 386
Ventriculi vellicatio, causa Rodentis cordis doloris 375.
cura

cura 388
Ventriculi irritatio grauis, causa nunc Rodentis, nunc Ardentis cordis doloris 375. cura 388
Ventriculi erysipelas 370. causa Ardentissimi cordis doloris 377. cura 388
Ventriculi imbecillis constitutio à caloris natiui defectu, intẽperie frigida & humida, refrigeratione actuali, distẽtione, inflatione, laxitate, alióve organi vitio, causa illius molestiæ, quæ Imbecillitas ventriculi dicitur 377 cura 398
Ventriculi calidior cõstitutio, causa illius molestiæ, quæ Calidior ventriculi molestia dicitur 378. cura 485
Ventriculi neruorum causâ, Cordis dolor 378. cura 438
Ventriculi affectus, causa Hypochõdriaci doloris 449. cura 450
Vermes aurium 274 cura ibid.
Vermes in naribus 279. vide Vermes.
Vesicæ distentio, causa Distendentis circa vesicæ regionem Ventris doloris 495. cura 520
Vesicæ inflãmatio, causa Inflammationis circa vesicæ regionem ventris doloris 495. cura 524
Visus dolor seu offensio 1. causa 1. cura 2
Vlcus 651. causa 663. cura 784
Vlcera plana, caua, sinuosa: vide Vlcus.
Vlcera putrida 653. causa 672. cura 784
Vlcera vermicosa 653. causa 672. cura 784
Vlcera exedentia 653. causa 673. cura 784
Vlcera depascentia 653. causa 673. cura 784
Vlcera serpentia: vide Vlcera exedentia & depascentia.
Vlcera aquam, Glidwasser à chirurgis nostris vocatam, exsudantia 653. causa 693. cura 784
Vlcera varicosa 654. causa 673. cura 784
Vlcera cacoëthe 652. causa 672. cura 784
Vlcera maligna 654. causa 673. cura 784
Vlcera luis venereæ: vide Vlcera maligna.
Vlcera Elephanticorum: vide Vlcera maligna.
Vlcera fistulosa 652. causa ibid. cura 907
Vlcera callosa 652. causa ibid. cura 910
Vlcera excrescentia 651. causa ibid. cura 911
Vlcera phlegmonosa, erysipelatosa 652. causa 672. cura 967
Vlcera œdematosa 652. causa 672. cura 910
Vlcera erysipelatum exulcer. 654. causa 672. cura 784
Vlcera capitis manantia: vide Tinea vel Scabies manans.
Vnguiũ frigidus dolor, Künegleu Germ. 631. causa 656. cura 674
Vomica: vide Abscessus.
Vstio 647. causa 670. cura 747
Vterinus dolor frequentior, Bärmutter 485. causa 497. cura 520
Vterinus dolor alter post partum 486. causa 496. cura 520
Vterinus dolor inflammans 486. causa 498. cura 525
Vterinus dolor inflammans post partum 486. causa 498. cura 525
Vterinus dolor: vide Hypochondriacus, lancinans & tensiuus dolor.
Vteri fundi distentio, causa Vterini doloris post partum 496. cura 520
Vteri vasorum distentio, causa Vterini frequentioris doloris 487. cura 520
Vteri fundi inflammatio, causa Vterini inflãmantis doloris 498. cura 525
Vteri inflammatio post partum, causa Vterini post partum inflãmantis doloris 498. cura 525
Vteri inflammans dolor 530. causa 531. cura 534
Vteri vlcerosus dolor 531. causa 532. cura 535
Vteri illiusq; ceruicis cancer & carcinoma: vide Cancer.
Vteri condyloma: vide Cõdyloma.
Vteri inflãmatio, causa inflãmantis vteri doloris 531. cura 534
Vteri vlcus, causa Vlcerosi vteri doloris 532. cura 535
Vteri malignus humor, causa Cancri in vtero 532. cura 534
Vulnus 534. causa 670. cura 752
Vulnus amplum, sectum, punctum 647. causa 670. cura 752
Vulnus seu ictus à sclopeto: vide Vulnus.
Vulnus contusum 649. causa 670. cura 754
Vulnus angustum: vide Punctura.
Vulnus phlegmonodes 650. causa, cura 913
Vulnus in vlcus degenerans: vide Vlcus.
Vulnus venenatum virulentũ 650. causa 670. 671. cura 781
Vulnus cum ossium læsione 650. causa ibid. cura 759
Vuula 314. causa 315. cura 319

X

Xenophtalmia 228. vide Ophtalmia non vera.
Xirophtalmia 229. vide Ophtalmia non vera.

FINIS.

FELICIS PLATERI ARCHIATRI ET PROFESS. BASIL.

Praxeos

Seu

DE COGNOSCENDIS, PRÆDICENDIS, præcauendis, curandisq́ affectibus homini incommodantibus,

TOMVS TERTIVS ET VLTIMVS.

DE VITIIS,

Libris duobus agens: quorum primus Corporis: ſecundus Excretorum vitia continet.

Singula ipſorum Symptomata, in generibus: Morbos eorumq́ Cauſas, in cauſis: & Curam in curatione proponens.



BASILEÆ, IMPENSIS LVDOV. REGIS,
TYPIS IOANNIS SCHROETERI.


MDCXXV.

Ad Illustrissimum Potentissimumq; S. Rom. Imp. Principem,

IO. FRIDERICHVM DVCEM WIRTEMBERGENSEM ET TECCENsem, Comitem Montisbeligard. Dominum in Heidenheim & Oberkirch.

Principem Dominumq; meum clementiss.

FELIX PLATERVS ARCHIATROS BASIL.



CTVM non agam, Illustrissime Princeps, repetendo quâ caussâ motus ego septuagenario nunc maior, & paulò minus sexaginta annis in Medico studio versatus, artisq; illius vsum annos plus quinquaginta iam exercens, & triginta septem in Academia nostra Basiliensi publicè docens, ætate ingrauescente animum ad scribendum appulerim, atque ea quæ longâ & multâ obseruatione, vsu atque experientiâ cognoueram, publici boni & humanæ sanitatis præsentis conseruandæ, amissæq; recuperandæ amore ductus, in lucem emittere, totiq; orbi bona fide communicare, aggressus sim: primò opere meo Anatomico, inde Praactici tractatus parte primâ, anniq; spacio interiecto alterâ, editis. Siquidem eius rei rationes in præfationibus, libris illis præmissis, abundè satis à me fuerunt explicatæ. À quo tempore nihil mihi magis fuit in votis, quàm vt ea quæ restabant in hoc genere, absoluendo desiderio meo satisfacerem. Ad quod peragendum, non solùm mea voluntas vehemensq; studiorum ac præclararum & vtilium rerum cognoscendarum naturalis ardor, in hac quoq; mea senecta adhuc flagrans, me impulit, sed & illud plurimùm excitauit, quòd intelligerem, mea scripta non solùm Germaniæ nostræ, verùm etiam externarum gentium Medicis, huiusq; facultatis studiosis, nec non aliis, quibus res singulares & necessarias cognoscere volupe est, absit dicto inuidia, probari, illorumq; lectione summopere eos delectari, me vt quæ superessent, ad finem perducerem, nec cœptam operum meorum telam imperfectam relinquerem, viua voce & litteris rogantes atque indesinenter solicitantes. Accessit Illustrissimi ac Potentissimi Principis, Friderici Ducis Wirtembergici, parentis Ill. Cels. T. laudatissimæ memoriæ, cohortatio & augusta authoritas, quâ mihi tractatum primum, eius Ill. Celsitudini inscriptum offerenti, ad reliqua perficienda, coràm & scripto calcar addidit, & præter spem sequentium quoque praxeos meæ tractatuum patronum & protectorem se futurum, laboresq; meos gratiosè suscepturum promisit, vti huius in secundi tractatus epistola dedicatoria, mentio fuit iniecta. Itaque vt voluntati & desiderio tam multorum magnorumq;

hortatorum, imprimis Maximi Principis monitis, mihiq; adeò ipsi sponte eò propendenti, satisfacerem, non destiti ab eo tempore, quo secundam operis partem vulgaueram, toto hoc quinquennio, etsi ob ætatem grandem non parùm molestum esset, nec citra valetudinis iacturam & periculum fieret, dies noctesq; in tertio & vltimo tractatu praxeos meæ, elaborando, & quæ reliqua erant, perficiendis atq; absoluendis, desudare, nec manum de tabula, nisi totâ Praxeos medicæ structurâ absolutâ, tollere volui. Id verò singulari Dei gratiâ & beneficio mihi videor esse tandem consequutus, tertio hoc & vltimo tractatu; in quo omnis generis vitia, quæ hominem deformant, contaminant atq; defœdant, continentur, conscripto; sicq; cum prioribus tractatibus, in quibus Functionum læsiones & Dolores explicantur, totam pragmateiam atq; commentationem praxeos Medicæ, sub qua Chirurgia & Pharmacorum præparandorum ratio continetur, multis lucubrationibus compleuisse, atq; plurimorum exspectationi satisfecisse. Persuasissimumq; mihi est, me omnibus numeris absoluto opere practico concinnato, cumq; præsenti ætate communicato, ac ad posteros transmisso, non solùm communi mortalium bono & saluti consuluisse, sed etiam rectiùs de quamplurimis, hactenus pro veris habitis, sentiendi, multosq; errores corrigendi, & quæ vana sunt cumq; superstitione coniuncta, quia experientiæ & rationis fundamentis destituuntur, explodendi, atq; in multa occulta & dubia ampliùs inquirendi, vt veritas omnibus, inueteratis licèt opinionibus, lōgissimè præferenda, magis magisq; inuestigata elucescat, occasionem & ansam præbuisse. Compellandus iam mihi atq; suppliciter orandus esset Illustrissimus celeberrimæ recordationis Princeps, Ill. Cels. T. parens, vt quemadmodum duobus priorib. tractatibus nomen suum Illustrissimum præfigi passus est, ita & huius tertij & vltimi patrocinium suscipere non grauaretur. Verùm cùm Deo, qui tempora & ætates mutat, regna transfert atq; constituit, visum sit, ex hac caduca & mortali vita eum in cœlestem illam beatorum patriam auocare, æquum videbatur, vt qui patri in Reip. administratione successisset filius, paternarum vt ditionum ita & virtutum hæres, in plenum sponsionis & patrocinij paterni ius quoq; veniret. Quo nomine sanè ego omnesq; boni se consolari & vicissim sibi gratulari meritò debent, quòd extincto parente, omnis generis virtutum ornamentis inclyto, relictus tamen sit filius, qui etsi ætate patre longè sit inferior, nihilominus paternas spiret virtutes, patrisq; vestigiis insistere studeat. Nam vt pater plerasq; omnes Europæ prouincias & regna perlustrauit, vt prudentiam, Principibus ad gubernationem politicam rectè instituendam, apprimè necessariam, acquireret maiorem; ita filius patri in Reipublicæ administratione succedaneus, peregrinationum Europæarum subsidio, magnam experientiam, multiplicem rerum vsum, insignemq; prudentiam sibi comparauit, & quod summè ei gloriosum est, cum potentissimis regibus ac principibus, familiaritatem & amicitiam perpetuò duraturam contraxit. Apud Christianissimum Galliæ Regem, quanto in honore T. Cel. fuerit, Illustrissime Princeps Iohannes Friderice, quantoq; amore ille Cels. T. complexus sit, publicè constat. Quis etiam ignorat, quo fauore Imperator ipse potentissimus, Cel. T. sit prosequutus? Quid eius Serenissimos fratres Austriæ Archiduces commemorem? Quàm magnificè & humaniter excepta & habita est T. Cels. Viennæ, à Serenissimo Archiduce Matthia? Quàm sumptuosè Bruxellis à Serenissimo Archiduce Alberto tractata & donis cohonestata? Vt reliquos Serenissimos & Illustrissimos Electores ac Principes Germaniæ aliarumq; regionum vti & Italiæ silentio prætercam, qui ad Cels. T. excipiendam, tractandamq; quàm splendidissimè,

mè, nihil fecerunt reliquum. Apud quos Ill. Celſ. T. tantâ moderatione, tantâ prudentiâ, tantâ humanitate, comitate, morum, ſermonis ſuauitate & conuerſationis grauitate, magnificentiâ & decore Principe digno, vſam eſſe fama increbuit, vt totus orbis Celſ. T. laudibus perſonet, & omnes parente adhuc ſuperſtite, T. Celſ. Principem Celſiſsimum, omnibusq́ue virtutibus verè Illuſtriſsimum fore, augurarentur. Et profectò opinionem de Cel. T. conceptam, in ipſo adminiſtrationis Reipublicæ aditu, vt alia reticeam, ampliſsimo hoc documento Cel. T. comprobauit, cùm miſsis Baſileam legatis, teſtata eſſet, percupere ſe, ſinceram & minimè fucatam Germanicam, veterem, auitamq́ue beneuolentiam & amicitiam, inter illuſtriſsimam domum Wirtembergicam & Baſileenſium ciuitatem inſtaurare & conſeruare. Quæ res iam ante, me de T. Celſ. patrono in locum Illuſtriſsimi parentis ſanctæ recordationis, aſciſcendo cogitantem, magis accendit, & in propoſito confirmauit: ſiquidem bonam ſpem alebam, me, qui Illuſtriſsimis & nunquam ſatis laudatæ memoriæ Principibus & Ducibus Wirtembergicis, ſuperioribus quadraginta annis medendo inſeruierim, & imprimis magna in gratia apud T. Celſ. Illuſtriſsimum parentem feliciſsimæ memoriæ fuerim, non in minori apud T. quoq; Celſ. futurum, Tuamq́ue Celſ. labores & conatus meos, exemplo parentis beatæ memoriæ collaudaturum, tractatumq́ue hunc, inter tres poſtremum, quem Celſ. T. humilimè dedico atque conſecro, clementer & benignè ſuſcepturam. Speroq́ue opus hoc vel eo nomine Celſ. T. acceptius fore, quòd à me Medico ſene offeratur, qui plus quàm hominum myriadi, cuiuſcunque gentis conditionis & ſtatus, inter quos & quidam fuerunt Regiâ ſtirpe nati, Principesq́ue alij ſummi, medicinam hactenus faciendo, innotuerim. Cui vti Celſ. T. nomen Illuſtriſsimum, in ipſa ſtatim fronte præferenti lux & ſplẽdor acceſſurus eſt maximus, ſic & Celſ. T. auguſti nominis, quamuis per ſe celeberrimi, celebritas per vniuerſum orbem eadem operâ amplius reſonabit. Quòd ſi opus hoc meum, de quo non ſum dubius, Celſ. T. gratum fuiſſe cognouero, erit id mihi incitamento, multa adhuc quæ apud me ſunt, in humani generis bonum, expromendi & in publicum proferendi. Accipiat igitur Illuſtriſ. Celſit. T. hoc meum quod offero debitæ meæ erga Illuſtriſ. domum Wirtembergicam gratitudinis & humilis cultûs pignus, præcipueq́ue erga Illuſtriſ. Celſ. T. obſeruantiæ & ſubmiſsionis, tanquam boni ominis, à Felice Medico pro Felici adminiſtratione, in ipſo ſuæ gubernationis veſtibulo ſupplex oblatum munus, cum precatione & voto, quod à me ſeptuagenario maiore profectum, Deus Opt. Maximus, vti Patriarcharum ratum & efficax eſſe velit: Vt nimirum Illuſtr. Celſ. T. quàm diutiſsimè viuat, & ad extremam vſque ætatem valetudine firma fruens, pacificè ac tranquillè, cum ampliſsimo publici boni incremento, pietatis, ſtudiorum & optimarum diſciplinarum, in Eccleſiis, celeberrima Tubingenſium Academia, reliquisq́ue Gymnaſiis & Scholis, immenſo augmento & profectu, populum ſuæ fidei & protectioni à Deo Opt. Max. commiſſum, feliciſsimè gubernet & regat, ac decurſo vitæ huius mortalis ſpacio, æternam felicitatem & beatitudinem conſequatur. Amen. Baſileæ 1. Iulij Anno Christi 1608.

In Clarissimi

FELICIS PLATERI,

Archiatri & Antecessoris Basiliensis,

Tertiam medicinæ practicæ partem ex puris Iambis

MELOS.

PLATERE nostri Apollo viue seculi;
PLATERE dux Medentium;
Probata quàm tua illa praxis omnibus,
Acuta quamq; & ardua.
Nouellulo illa namque condita ordine
Nouella multa continet,
Vel explicata quæ haud satis prioribus,
Vel indicata nullibi.
Priore namque parte Functionibus
Seuera quæ ægritudinum
Lues resistat & repugnet omnibus,
Sagace comminisceris
Tui cerebri acumine. Hinc Doloribus
Potentiæ quid inditum
Homullulorum in ægra membra tristium;
Truciq; quâ tyrannide
Et ima cordis, ipsa & intima ossium
Edantq; & ebibant simul,
In altero probè explicas volumine,
At hoc sequente tertio
Abominanda quæ cutis sit aridæ
Et heîc, ibiq; Fœditas:
Lepræ quid ansæ, & ansa quæ impetiginis,
Origo quæq; mentagræ.
Ea omnia, ima quæ anxiant & extima,
Ad vnguem in hisce paginis
Fido recludis integrâ, & sequentium
Libens reponis vsui.
O absolutum opus tuum, PLATERE mi!
O absolutum epos quoque!
Tuo quod inde nomini repullulans
Ad astra celsa se exserit.
Ita ô quaterq; & amplius beatus es!
Solo qui ita omni es vtilis.
Ita ô domi celebris & foris cluis!
Domiq; qui & foris tui
Vigore in æui, & hac senectâ in optimâ
Medêre menteq; & manu.
Hygæiæ ô decus, PLATERE nobilis!
Soli ô decusq; Rauraci!
Ad vsque longa sic medendo secula
Diurna, & hac valentiâ
Tuiq; cordis atque corporis proba,
Valoris esse nullius,
Quod inde latè & inde vulgò dicitur:
Senecta & ipsa morbus est.

Caspar Conradus VratisL.
Phil. ac Med. D. &
P. L. Cæs.

Ad

Ad Excellentiß. ac Clariß. Virum

DN. FELICEM PLATERVM

ARCHIATRVM BASIL. TERTIVM suæ praxeos tractatum, magno cum Reipubl. Asclepiadeæ desiderio evulgantem.

Non tibi Mnemosynes auratos arce colossos
Viuida post cineres Fama, PLATERE, paret?
A' latebris vteri tibi risit Apollo, putillum
Anxia te fouit sacro Hygiéa sinu.
Inde Machaonia tam laudabaris in arte,
Vix numerans vitæ lustra quaterna tuæ:
Vt qui latratus geminat per Auerna trifauces.
Mutiret, Cereris subq́; Acheronte gener.
Iam cum fertilior maturis venit ab annis
Vsus, & excreuit cum genio ingenium,
Oenotrij, Franciq́;, proculq́; hinc dißita tempe
In te Pœnias obstupuere manus.
Te Heroës, proceres, & amica voce Dynastæ
Compellant, ac quos regius auxit honos.
Scilicet vt venetum generosior herbula florem
Vertit, vbi roseam vertit Apollo rotam:
Sic quibus effictum est pectus meliore metallo,
Gloria subsequitur non remoranda comes.
Macte tuis FELIX, felix felicibus ausis,
Macte tua FELIX mente, manu, calamo.
Sed qua morbificus techna procul exulet hostis,
Dum plures methodo nobiliore doces,
Iam vitam longam esse, breuem sed diceret artem.
E' Coæ rediens finibus Hippocrates.
Ampliùs haud ventres intercutis humor aquai.
Difflat, vel potæ plus sitiuntur aquæ.
Non excrementis animæ spiramina claudit,
Vlcerat aut sanies ilia profluuij.
Obfuscant thalamos non tristia nubila cordis;
Non species rugis frontem inamœna premit.
Non turget, non sorditie cutis horrida squallet;
Non tunicæ euertit stamina ventriculus.
Quid multis? Senij quòd hyems non pascitur artus:
Et tot sint Genij pondera sacra tui,
Non tibi Mnemosynes auratos arce colossos
Viuida post cineres Fama, PLATERE, paret?

Scribebam

CASPAR DORNAVIVS Variscus.

AMPLISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO VIRO, DOMINO

D. FELICI PLATERO,

ARCHIATRO BASILIENSI, ATQVE AMPLISS. FACVLTATIS MEDICÆ DECANO, DOMINO PATRONO AC PRÆCEPTORI OBSERVANDO,

Ex nominis sui Anagrammatismo, qui est


POLLVX ARTE FIES.

QVod Nautis Pollux, quod Castor, & Vrsa biformis,
Cum dubiis fertur puppis onusta vadis:
Hoc scriptis, PLATERE, tuis es, maximè nobis,
Qui sacra morbifugæ castra tenemus Heræ.
Namque graui cùm membra tremunt languentia morbo,
Nec, quibus auxiliis hic reprimatur, adest:
Ocyus hæc praxis tua certum monstrat ad vnguem,
Et Labyrinthæam detegit arte viam.
Nempe diu hoc docuit proprio Metagrammate nomen,
O POLLVX FIES, quo sonat, ARTE tuâ!
Factus es arte tuâ Pollux; sed factus es arti:
Plena tuo sic nunc surgit ab ingenio.
Tu modò perge, tuiq; libri da cætera nobis
Pignora, quæ pote sunt te eripuisse neci.

M. Caspar Conradus VratisL. SiL.
Poëta Laur. Cæs.



ELO-



ELOGIVM IN MAGNIFICAM DOMVM, LOCVPLETISSIMVM ET ABSOLVTISSIMVM Microcosmum, magnis sumptibus, indefesso labore, singularique industriâ, ex variis vniuersi orbis partibus conquisitis rebus omnis generis selectissimis, à FELICE PLATERO Medico eminentiss. in ingenuorum hominum gratiam extructum,

A IO. ALBOISIO MEDICO REGIO GALLO.

HOspes siste gradum, mundum si cernere paruum
Atque simul positum quicquid in orbe, velis.
Nam Cælum hîc videas & quicquid in æthere fulget,
Quicquid alit Tellus, quicquid & Aequor habet.
Omnigenas fruges, Cerealia semina, miras
Fertilis AEgyptus quasque recondit opes,
Alba ligustra, Rosas, vt purpureumq́; hyacinthum,
Narcissi flores, O Cytherea tui,
Flagrantem Nardum, violas & lilia cingit
Et quibus auricomum blanda puella caput,
Arbusta & frutices, hortos, viridaria, fructus,
Et segetes, patulis, Ambrosiamq́; comis,
Μῶλυ datum à superis insana in pocula Circes,
Et Grajis dicta est quæ Πανάκεια viris;
Angelicam, Medicam Plantarum mille colores,
Innumeras facies, innumerumq́; genus,
Et lapides, gemmas, interna metalla, Bitumen,
Atque Sales, imò cuncta recocta solo,
Et gummi, lachrymas, & Thura Sabæa, tenétque
Quicquid diues Arabs, India quicquid habet.
Sic licet his laribus mundi spectare theatrum,
Quæque domus fuerat, iam tibi Mundus erit.
Seu tibi Platerus πλαςῆς opifexq́; pusilli
Orbiculi fuerit, seu simularit opus;
Hisq́; adytis vastum breuibus contraxerit orbem,
Ingenua summis proximis arte Diis?
Quemq́; oleâ Pallas, lauroq́; coronat Apollo.
Nobilis & primas cui Medicina dedit,
Contulit, & cestum Venus, illecebrasq́; pudicæ
Baltheolum & veræ φίλτρον amicitiæ,
Huic saliunt Charites, doctæ recinuntq́; Camœnæ;
Huic ludit modulis Calliopeq́; suis,
Hunc Hermesq́; beat, linguarum artisq́; magister,
Omnis, & Aonij turba venusta chori.
Sed pietate magis fulget PLATERVS, *& illum*
Ars ita felicem, sors, pietasq́; facit.




(?) (?)

ALIVD ELOGIVM IN CLARISS. VIRI, MEDICIQ. PRÆSTANTISS. FELICIS PLATERI DOMVM, tanto Domino dominari dignißimam, TH. B.

Hanc quisquis, hospes, aspicis domum, domum
Si te videre fortè credis, falleris.
Nam quicquid orbis continet dignum aspici
Quæ continet domus, domum cur dixeris?
Vin' aëris, vin' æquoris, seu fluminum
Vin' orbis vniuersa quâ patent sola
Stans intueri vno in loco miracula?
Mentem hic habes, oculos habes quod expleat.
Quid amplius? quod iure mireris magis,
Huius herus & artifex domus, domum
Et nomine & reapse Felix anteit:
Homo artium omnium, omnis homo solertiæ.
Felicis vt domum & hominem si videris
Non iam domum, sed orbis epitomam in domo
Homineq; in vno homines bonos, industrios,
Et eruditos penè cunctos videris.

ALIVD ELOGIVM, IN EANDEM DOMVM GEORGIVS REMVS.

Dic, Musa, Felicis, domum felicem, Heri
Quæ ciuium ædes vrbe vincit omnium,
Patriæ decus, cultæ decus Germanidos,
Ψυχῆς ἰατρεῖον, librum ditißima
Hac est suppellex in domo, pretiosior
Gemmis & auro, quam parauit hic Herus;
Et magna, rara, singularia, vndique
Collecta, tutò quæ latent penetralibus.
Hortusq; genialis, profert germina,
Quæ decolor serit Indus, Aethiops niger.
Heîc σμικρόκοσμος alter, heîc οἰκουμένη
Felix opes congeßit istas hic Herus,
Reapse felix, abditas cui res datum
Videre, naturaq; nosse mystica.
Patriæ vir hic decus, decus Germanidos,
Quem dixerim latere naturalium
Nihil, nihil quod concauo Lunæ subest.
Hunc, ô Minerua, Faustitas, Felicitas,
Salusq; conseruate cum domo virum:
Felicis vt felix herus siet domus,
Felicis vt felix heri siet domus:
Dominetur vt domui diu dominus suæ.



DE VITIIS,

LIBER I.

CORPORIS VITIA *continens.*



IN CORPORE illiúsve partibus quæ consistunt vitia, partim morbi sunt organici, partim symptomata in affectu sensibili, partim causę morborum; & visu, multa etiam tactu percipiuntur. Et vel in destructione formæ illorum: Aut permutatione corporis coloris obseruantur: Vel in eo quod illis accrescit aliud quoddam vitium: Vel plura simul diuersique generis vitia: Vel quod corpus illiúsve partes decrescendo vitiositatem acquirunt.

Destructionis formæ seu structuræ corporis partium vitia, sub se comprehendunt morbos organicos: in numero abundante, *Corpus geminum, Partes duplicatas, triplicatas, Sextum digitum, Triorches, Dentes plures:* in numero deficiente, *Partium, Dentium, Pilorum, Vnguium defectum, Caluitiem, Alopetiam:* in magnitudine aucta, *Corporis & Partium, Vnguium, Pilorum incrementum, Orificiorum amplitudinem, Carnositatem, Mammarum molem:* in magnitudine diminuta, *Corporis & Partium paruitatem. Orificiorum angustiam, Phymosin, Mutilata, Papillas absumptas, Dentium & Vnguium breuitatem, Pilos lanuginosos, Barbæ defectum, Gracilitatem corporis & membrorum, Mammas flaccidas:* in figura indecenti *Membra malè figurata, Pilos crispos, Vngues inæquales:* in diuisione partium, *Labij superioris diuisionem, Dentium cariem & fracturam, Vnguium erosionem, scabritiem, fissuras, Pilorum fissuras, Furfures, Squamas manuum:* in connexu partium dissoluto, *Gingiuarum separationem à dentibus:* in concretione, *Orificiorum & Partium concretionem:* in coniunctione partium, *Pilos intricatos:* In situs peruersione, *Varos, Gibbum, Oculorum prominentiam, Dentium mobilitatem, prominentiam, Vnguium mobilitatem.* Quæ omnia simul explicabimus in DEFORMATIONE, CAP. I. Pag. 1

Permutationis coloris vitia sub se comprehendunt *Cachexiam, Icterum, Ruborem, Pallorem, Nigredinem, Commaculationes, Colorationes, Maculas omnis generis:* atque inter eas, *Lentigines, Guttam rosaceam, Impetiginem, Vitiliginem, Sugillata, Erysipelas, Exanthemata, Ecthymata, Maculas in febribus & luibus. Oculorum colores diuersos & maculas, Vnguium maculas, Pilos diuersimodè coloratos, Canitiem:* Quæ simul tractabuntur in DISCOLORATIONE, CAP. II. pag. 56

Accrescendo corpori & ab eo protuberando quæ se offerunt vitia, sub se continent, *Leucophegmatiam, Inflammationem corporis, Ascytem, Tympanitem, Ventris tumorem in prægnantibus, in Mola, in Menstruis retentis, Sarcomata, Carnem luxuriantem, Sarcocelem, Polypum, Pudendi carnositatem, Condyloma, Gingiuarum carnem luxuriantem, Epulin, Encanthin, Oedema, Tumorem œdematosum, Physodes, tumores flatulentos, Pedum intumescentiam, Hydrocelen, Pneumatocelen, Scroti inflationem, Inguinis aquosi tumorem, Hydrocephalon, Hydromphalon, Bronchocelen, Phlyctenas, Hydroas, Mamillarum tumorem, Varices, Cirsocelen, Aneurisma, Grandulas, Scrophulas, Strumas, Bubones, Parotim, Testium duritiem, Scirrhos externos & internos Hepatis, Lienis, Vteri, Steatoma, Atheroma, Melicerim, Ranam sub lingua, Testudinem, Ganglion,*

Talpam in capite, Nodos, in oßibus, articulis, Callos oßium, vnguium, cutis, Cicatrices, Foueas, Vmbilici prominentiam, Verrucas, Clauum, Varos, Hordeolum, Grandinem, in palpebris, Cele & Hernias; de quibus omnibus agemus simul in EXTVBERANTIA. CAP. III. pag. 166

Quæ pluribus diuersisque vitiis corpori accrescentibus se offert corporis vitiositas, sub se habet luem *Elephanticam, Veneream, Stomacacen*; Quas describemus simul in DEFOEDATIONE. CAP. IV. pag. 344

Decrescendo quæ se in corpore vitia manifestant, sub se continent, *Marcorem, Tabem, Phtisim, Marasmum, Colliquationem corporis, Atrophiam generalem & particularem membrorum & oculi*. Quæ simul explicabuntur in CONSVMPTIONE. CAP. V. p. 434



DE



DE DEFORMATIONE.

CAPVT I.

Genera.



DEFORMATIONE hîc significamus partium corporis formæ naturalis & conuenientis peruersionẽ seu destructionem; quę fit, cùm partes corporis quantitate in numero vel magnitudine, vel qualitate in figura indecenti peccant, morbisq; hisce organicis eâ ratione deformes redduntur. Nam quod colorem alienum attinet, de eo in discoloratione agemus. Sin verò alio modo partes corporis extuberent, aut aliquid illis adnascatur, vel si consumantur, in extuberantia & consumptione partium corporis, peculiaribus capitibus ea describentur. Quòd si intrinsecùs hæc vitia deprehendantur, sicut de gemino poro cholidocho inuento scribit Galenus, alij de vno tantùm rene, de absentia hepatis vel lienis, vel si alia eiusmodi in numero, vti & magnitudine ac figurâ peccantia vitia, quæ ab ortu vel à morbis, quibus partes sæpe absumuntur vel imminuuntur, processerunt, in corpore lateant, cùm non conspiciantur, non in hisce deformationibus, sed actionum quibus incommodant, læsionibus, rectiùs describuntur. Hisce functionibus, licet & externæ hæ deformationes plerunque aliquo modo obsint, quia tamen hæ earum deformitates clariùs quàm functionum læsiones oculis patent, de illis potius hoc capite agemus.

Numero abundante variæ fiunt in corpore deformationes, ab ortu ferè prodeuntes, quæ si magnę sint, monstrosæ vocantur. *Corpus geminũ.* Veluti cùm corpora gemina certis in locis connata videntur: qualia passim depicta descriptaque inueniuntur, egoque ipse virum meis oculis vidi, qui alium eiusdem magnitudinis integrum, & nullis corporis membris destitutum, solo dempto capite, quo pectori ipsius veluti inserto, & collotenus innato, propendebat, incolumem ad ætatem multam ab ortu gestarat; cui omnino similem, ante annos complures in Heluetia à se visum, Stumpfius in sua memorat historia Heluetica.

Membris quoque duplicibus, vt Capitibus, Brachiis, Pedibus, cæterisque Minoribus partibus geminis pronatos aliquos fuisse, historiæ testantur. *Partes duplicatæ, triplicatæ.* Frequens est quòd quidam digitorum numero naturali maiore inueniuntur, ita vt sex in vna nascantur manu, pollice ferè duplici, altero minore, maiori qui inualidus existit, adnato. *Digitus sextus.* Alias in vtraq; manu sex, vti & in vno pede, in altero septem deprehendimus. Testiculos tres, in vna bursa, aliquos gestasse, quos Triorches vocarunt, perhibent; quod quidem fieri posse, cùm & in aliis partibus idem contingat, verisimile videtur. *Triorches.* Veruntamen vt hoc quidem asseuerarent, imposuit ipsis, quòd vasis seminariis durities quædam adnata insensilis, vel eorundem dilatatio permanens, testem repræsentans accreuerit, sicut ipsemet, contactu cùm explorarem, in quibusdam deprehendi.

Dentes numerum consuetum non semper seruant, aliàs enim plures, aliàs pauciores comparent. *Dentiũ numerus auctus.* Aliquando & duplex ordo seu phalanx dentium deprehensa fuit, quod tamen non adeò deformat, aut incõmodat, vti alia illorum vitia, quæ in reliquis turpitudinibus explicantur.

Pili cùm ob infinitum ipsorum numerũ, & quorundam obscuritatem numerari nequeant, non aliter in numero aucto peccare obseruantur, quàm si in locis, insolitis præsertim, quibusdam abundent, quod tamen vitium ad magnitudinem auctam, vbi & de-

ſcribetur, potiùs pertinet, cùm pili non tunc de nouo naſcantur, ſed qui priùs poris infixi (cùm nullus ſit porus in quo non pilus hæreat) & obſcuri ac latentes erant, tunc incremento manifeſtentur.

Partiũ defectus. In numero deficiente frequentiora & plura ſe offerunt deformationum vitia. Qualia ſunt cùm organa quædam ab ortu deſunt: Veluti in monſtris; cuiuſmodi vidimus, brachio vtroque carentia, quorum loco pedibus ſcribebant, aliaq; obibant munia. Quod & in aliis partibus interdum, vt ſine illis naſcantur, obſeruatur. Quæ vti rara ſunt, ſic frequentiùs numerus partium, non ab ortu, ſed poſtea caſu aliquo imminuitur: Vt quando partes integræ amputantur, quod prominentioribus maximè accidit, veluti manibus, pedibus, ipſorúmve digitis, naſo, vel auribus; Vel cùm oculi eruuntur, caruncula in oculo deperditur, quod vitium Rhyas appellatur. *Rhyas.* Quò & referre poſſumus teſtium caſtrationem, quæ etſi, cùm non in parte apparente fiat, deformitatem per ſe minimè adferat, tamen quia ambobus teſtibus exſectis, alia accedunt vi a, maximè ſi in pubertatis adhuc annis hoc fiat, quæ eos Eunuchos eſſe produnt, ut vox effœminata, barbæ carentia, hoc pacto deformitatem in ipſis parit.

Dentiũ defectus. Dentes numero frequentiùs deficiunt, idq; non ſolùm in ſenili ætate, ad quam vix aliquis nullo amiſſo dente peruenit, ſed & citra eam. Multis inciſorij dentes ſponte excidunt,, in quibus poſtea ſpacium illud, quod ore aperto videtur, turpe eſſe cenſetur. Illud tamen denticidium in infantibus, cùm mox alij ſuccreſcant, non ita pro vitio habetur. Frequentiſsimè dentibus molaribus, ob vitium aliquod erutis, numerus imminuitur.

Vnguiũ caſus. Vngues integros in pedibus vel manibus, ſponte abſceſsiſſe obſeruauimus, aliisq; interdum nullis renatis; qui alioquin difficulter vi penitus auferri queunt.

Pilorum defectus. Pilorum defectus frequens admodum occurrit, in Capite præſertim, vbi pili prolixiores cùm ſint, ſi deficiant, maiorem adferunt deformationem: Vti in Caluitie dicta, *Caluities.* in qua in vertice & ſyncipite vtrinque, plus minúsve cutis nuda & glabra exiſtit: iam ſeneſcentibus quibuſdam ſuperuenire ſolitum, nonnunquam & ante ſenium in aliis contingens vitium.

Defluunt & capilli capitis in Alopecia appellata, *Alopecia.* in morbis quibuſdam diuturnis vel acutis, ipſorum declinationibus, inæqualiter hinc inde deficientibus pilis, areisq; nudis illic apparentibus: Vel etiam æqualiter, præcipuè circa occiput & tempora, vt in Alopecia quæ in Lue venerea occurrit. Vel cùm ab occipitio duæ areæ pilis deſtitutæ per tempora vtrinque ad frontem deductæ apparent, in Ophiaſi dicta. *Ophiaſis.*

In Barba hoc idem accidit, vt pili inordinatè excidant, raramque barbam efficiant, vel omnino ablati nudum mentum reddāt. Fiuntque hæc ferè quando in capillis hoc idem accidit.

Quod & ſuperciliis palpebriſque euenire poteſt, vel vnà cum reliquorum defluuio, vel etiam pręcipuè in hiſce locis in elephantiaſi. In reliquis quoque piloſis corporis ſedibus idem contingit interdum.

Incrementum totius corporis. In magnitudine aucta quæ accidit deformatio, duo potiſsimùm ſub ſe comprehendit genera, quorum primum eſt partium ſupra terminum præſcriptum incrementum, quod originale ferè exiſtit. Illudque vitium corpori vniuerſo quandoque accidit, non quando præter regionis communem hominum ſtaturam, hæc cæteris nonnihil maior in quibuſdam inuenitur, cùm ſi proportionata adhuc ſit, & in actionibus edendis robur potiùs quàm impedimentum præſtet, nondum pręternaturalis cenſeatur, ſed cùm ea vel in longitudine aut amplitudine adeò modum excedit, vt iam grauamen potiùs quàm adiumentum aliquod ad functiones obeundas corpori adferat, & deformationē potiùs, quàm elegantiam conciliet: ſicuti eiuſmodi monſtra aliquando ſe offerunt, atque ego puellam in ditione Baſilienſi Dürnen cognoui vidique, quæ cùm annum vix quintum ætatis attigiſſet, corporis vaſtitate mulierem iam adultam, eamque grandem & obæſam adæquaret.

Partiũ immodica magnitudo. In Partibus hoc quoq; contingit, vt magnitudine cęteras ſuperātes, deformes nonnunquam

gnitudo, nunquam, & vt minùs commodè functiones edant, reddantur. Sic aliqui Capite nimis vasto procreantur, inter quos & fatuos aliquos esse obseruamus. Alij alia membra grandiora, & quæ cæteris proportione minimè respondent, vt Collum, Pedes, Digitos obtinent, vel Nasum vastum, Aures patulas, Oculos magnos, Dentes nimium latos vel longos, maximè si vnus in amissi oppositi dentis vacuum spacium excrescat vltra reliquorum longitudinem. Huc & pertinent orificia quædam nimis ampla, vt Os latum, Nares diductæ, aliáve occultiora, admodum ampliata, quæ vulgo deformia esse censentur, cùm tamen nondum vitiosa sint, donec hæc deformitas etiam incommodet. Vti & Linguæ moles tanta, vt blæsi inde fiant. Vel Colis tanta magnitudo, quæ ad actum obeundum impotentes reddat. Huc & referri possunt, Vngues adeò crassi, vt rerum minutarum apprehensionem prohibeant. Præter quod vitium, aliud etiam si longiùs excrescant in illis existit, quod tamen cùm amputando possit emendari, negligentiæ potiùs quàm naturæ vitio adscribendum. Quod idem & de pilis, si prolixiores incuriâ fiant, cùm abscari possint, est iudicium. Licèt ipsorum hæc aucta magnitudo deformis tunc censeatur, quando in locis insolitis excrescunt, vt si frontem maiori ex parte obducant, id deforme esse, cùm frontem amplam & depilem, pulchritudini addere aliquid censeant vulgò. Imprimis verò & turpe & horrēdum apparet, si mulier barbata sit, in quibus locis etsi pili abradantur, remanentibus tamen pilorum radicibus, moxque renascentibus, deformitas hæc se nihilominùs prodit & manifestat.

Vitiest orificiorũ in illis nimia amplitudo.

Vnguiũ & pilorũ nimia auctio.

Interdum & pilus vnus aut alter, vel pauci saltem, in verruca alibi excrescentes, deformant, maximè in facie, si illic vbi pars nuda aliàs esse deberet, hoc se patefaciat, vel mulieri, vt sæpè fit in mento ac si barbæ esset portio, eueniat.

Carnositas nimia.

Alterum deformitatis in adaucta magnitudine genus, sub se Carnositatem & Pinguitudinem nimiam comprehendit, quæ sic dicitur, quando carnis vel pinguetudinis mole, corpus vel partes aliquæ illius obrutę, nimiùm auctæ, non solùm pulchræ minus esse censentur, sed & grauatæ, pigræ, vel aliter impeditæ ad munera obeunda, existunt. Quo pacto vniuersum Corpus sæpè adeò ætate crescente pinguescit & crassescit, vt non solùm indecorum sit, sed & tarditatem segnitiemque, ad ritè aliquid obeundum adferat, & ad onus hoc gestandum pigros efficiat, qui cùm validiùs se exercere volunt, lassitudinem subitò & spirandi difficultatem sentiunt. Vnde otiosi & desides somnolentique plerunq; existunt. Et si iuuenibus hoc accidat, vitam longæuam, vti Hipp. carnosos minùs viuidos quàm graciles esse testatur, vix dum attingunt.

Hoc idem certis in locis accidere potest, vt deformitas quædam, nōnunquam & impedimentum quoddam inde exsurgat. Vt cùm venter seu abdomen tantopere mole pinguedinis infarctum, supra modum prominet & propendet, in ventrosis hominibus. Vel Mammæ supra decentem extuberantiam, quæ pulchra habetur, nimium augeantur, vel adeò turgidæ fiunt, vt in immensum sæpe excrescentes, totum pectus occupent, vlteriusque nonnunquam, nisi constrictæ retineantur, exspatientur, pondereque respirationem impeditam nonnihil reddant, idque in mulieribus Mammosis ob id dictis. Quò & referri potest, quando & instar mammarum, moles cum eleuatis similiter papillis in pectore virorum prominet, quod alioquin pinguibus euenit. Vel quod magis præternaturale, si mammillæ viris etiam, & non solùm papillæ nudæ crescant, sicut in quibusdam accidisse vidimus. Quod malas seu genas, protuberantiores & suras in pedib. summè crassis attinet, alij deforme quoq;, alij pulchrũ potiùs esse iudicāt.

Mãmarum males.

Huc & Sarcomata ea referre possumus, in quibus non aliena caro corpori accrescit, sed ipsa caro excrescit nimiùm, vti Gingiuarum caro luxurians, Carunculæ in oculo excrescentia nimia, quod vitium Encanthida vocant. Verùm quia cum alijs sarcomatum speciebus similitudinem quandam habent, in extuberantijs describuntur.

In magnitudine diminuta deformatio eueniens, similiter duo constituit, quæ adau-

Paruitas corporis par.

tium, illorumq; orificiorũ nimia angustia. ctæ opponuntur, genera. Quorum primum toti corpori ab ortu euenit, vt pigmæorum instar parui toto vitæ curriculo maneant, & sic tanquam insolentes & admirandi homines in aulis principum alantur, aliàs ob corporis debilitatem, ad opera validiora inepti. Idem in partibus quandoq; spectatur, vt Caput nimis paruum, sicuti quandoq; in stultis tale videtur: Pectus angustum & constrictũ, quo anhelosi redduntur, aliæque partes ab origine non decentem magnitudinem eandemque cum cæteris proportionem nactæ, si hæc deformationem aliquam aut impedimentum adferant.

Phymosis. Huc & orificiorum quorundã nimia pertinet angustia. Vt Vteri sinus, Virgæ cutis in Phymosi dicta preputio nimis arcto, adeò vt glans detegi nequeat, actionibus (vt in illis ostensum) incommodantes.

Partes mutilatæ. Frequentiùs magnitudo partium imminuitur, portione aliquâ ablatâ, mutilatisque ex parte membris, quod eò maiorem deformationem adfert, quò pars conspectui magis exposita mutila existit; vt si in naso hoc accidat & auribus, eoque maius in actione detrimentum, si in parte magis necessaria hoc fiat, vt in digitis, cæterisque partibus, quas penitus absectas, maius adhuc nocumẽtum in numero deficiente adferre, ostendimus. *Papillæ absumptæ.* Huc & pertinet Papillarum in fœminarum mamillis diminutio, tanta sæpè vt nihil de illis ampliùs ferè restet, quod non solùm turpe, sed & in illis quæ lactare debebant, cùm infans tunc lac sugere nequeat, lactationis defectum, sicuti in ea functione læsa illius mentionem fecimus, parit.

Gingiuæ consumptæ. Gingiuarum quoq; consumptio sub hoc genere comprehenditur, nudos circa radices dentes relinquens, atque vt minùs firmi sint faciliusque excidant, occasionem præbens.

Dentiũ atq; vnguiũ breuitas. Dentes si breuiores cæteris eiusdem aciei occurrant, huc quoque referre possumus, atque Vngues, si & illi breuiores, quàm ipsa caro illis substrata existat, cùm tunc res minores apprehendere commodè nequeant.

Pili lanuginosi. Pili itidem, si adeò tenues & breues reddantur, vti quandoque cùm post defluxum recrescunt, accidit, vt instar rei situ & muco obductæ, lanuginem potiùs quàm pilos exprimant. *Barba tardiùs enascens.* Vel si illis in locis vbi crasiùs & longiùs excrescere destinato tempore debebant, vt in mento, ad productionem barbæ in viris, tardiùs erumpant, quod quia diutiùs quàm par erat, pueri esse videntur, indecorum aliquo pacto esse censetur. *Barbæ carentia in Eunuchis.* Maximè verò si ob castrationem vtriusque testis, antequam barba crescat, ea non prodeat ampliùs, & imberbes maneãt, quod & in ipsis, cùm eos euitatos esse prodat, indecens existit, & deformitatem in senescentibus, facie ipsorum rugas ducente, & vt ait Comicus, senem mulierem referente, maiorem adfert.

Gracilitas corporis. Secundum genus magnitudinis imminutæ est Gracilitas, quæ carnositati & pinguitudini opponitur: spectaturq; hæc in iisdem partibus, si minùs quàm decebat, carne pinguedinéve oppletæ, graciles admodum sint. Veluti in toto corpore, interdum euenit, non quando illud decrescit & consumitur, de quo in consumptione illius agemus, nec enim cum naturâ gracilius, nulla tamen incommoda inde patitur, siquidem vti ex Hippocrate ostendimus, qui graciles sunt, diutiùs quàm qui carnosi, viuant; sed si illud adeò sit macre, vt non solùm deformem illius aspectum præbeat, sed & minùs vegetum, ac imbecillius reddatur: *Membrorum gracilitas.* Maximè si in cruribus & brachiis aridis atque gracilibus, in genis collapsis, scapulis prominentibus, ventre depresso, hoc fiat. *Mãmæ molles, flaccidæ & pendulæ.* Quò & mammarum refertur gracilitas quæ deformis est: non quando paruæ sunt, quod pulcrum esse censetur, sed quando molliores, vel etiam flaccidæ & pendulæ existunt, quod pro indecoro, in iunioribus præsertim puellis & mulieribus habetur.

Membrorũ figura indecens. In figura partium indecenti deformatio facta, plura sub se cõprehendit genera. Quorum primum est, si aliis modis quàm iam ostensum, in numero & magnitudine illa vitietur, maximeque ab inæqualitate alia, quę in illis diuersimodè se offert, ab ortu plerunque profecta, aliàs etiam casu adueniens. Sicuti in capite, si Caput nimis acutum, alióve modo malè formatum existat. Frons item rugosa; Nasus simus, curuus; Os intortum,

tortum, vti & labia; & in reliquis partibus, si illæ curuæ, aliòve modo inæquales sint. Quæ omnia ad amussim describere, superfluum; nec parui interim laboris esset. Huc tamen & pilorum illa intorsio, etiamsi ad ornatum faciat, referri potest: quando nimiùm crispi, vt in Æthiopibus sunt, cùm alioquin leuiter crispi, pro pulchris habeantur. Et si omninò recti sint, minùs decentes esse à quibusdam iudicentur. Præcipuè verò & vngues, si gibbosi & rugosi sint, deformes existunt.

Pili nimiùm crispi.

Vngues inæquales.

Secundum genus figuræ partium vitiosæ est, si continuitas illarum, quâ vnitas eas esse oportebat, diuisa sit aut soluta, vti vocant, vel connexus quo iunctæ erant, dissoluatur. Quæ continui solutio quando in vulneribus & vlceribus fit, cùm dolor aliæque functionum læsiones huic præualeant, in illis iam descripta fuit. Quòd si tamen hisce sanatis, diuisio nihilominus aliqua remanserit, quæ partis figuram decentem vitiat, illa huc potiùs est referenda.

Diuisi partium quæ vnitæ esse debebant, permanens.

Vti & illa, quę citra læsionem ab ortu contingit, quam in locis certis diuersimodè se offerentem, infantes in lucem secum adferunt. Inter quas partium ab inuicem separationes, illos etiam labio superiore diuiso aliquoties nasci contingit, quod vitium peculiari nomine nostri Hasenscharten/ à lepore, cuius labium quoque naturaliter hiare videtur, ac si scissum esset, vocant, admodum os, cùm dentes per hanc fissuram pateant, deformans.

Labij superioris diuisio ab ortu.

Hasenschatten Germ.

Ad hasce partium diuisiones figuram illarum destruentes, etiam illa quæ frequentissima est, pertinet, quâ ob cariosorum & confractorum dentium inæqualitatem, os adeò defœdatur, vt inde tota persona minùs pulcra communiter æstimetur, atque ob id fœminæ minùs amentur. Quod ideò Poëta inter remedia amoris proponit, inquiens: Si malè dentata est, fac sæpè vt rideat ipsa. Eam deformitatem dentium auget nigredo, vel exigua tantùm dentium fragmenta relicta.

Dentiũ caries & fractura.

Non paruam deformationem quoq; adferunt, vnguium in digitis solutæ continuitatis vitia, eoque magis, si in manibus, cùm semper oculis pateant, hæc existant, pedibusque nudis ea patefiant, eò deteriora, si renascentibus vnguibus, hæc tamen inhæreant, nec cùm vnguibus auferantur, quando crescendo procedunt, & longiùs prominent, atque amputantur. Inter quæ frequentior est, erosio & scabrities vnguium, perseuerans in quibusdam deformitas, eoq; maior si simul illi crassescant, liueant vel etiam nigricent. Huc & fissuræ vnguium pertinent, si in longum fissi sint; Vel quod frequentiùs fit, si per transuersum diuisi, & veluti in duas laminas dissecti sint. E' quibus vitiis aliqua morborum quorundam, vt psoræ, elephantiasis, luis venereæ sunt symptomata, cæterisque (vti in illis ostensum) copulantur, aliàs verò etiã peculiaria sunt quibusdam vitia illos dedecorantia.

Vnguiũ erosio, scabrities, fissura, diuisio.

Pilorum etiam diuisiones seu fissuræ in barba & capillis, minùs decoræ esse censentur; quia inæqualitatem quandam & implicationem in ipsis inducunt, si præsertim in pluribus, vti sæpè solet, hoc fiat.

Pilorum fissura.

Hisce quoque deformationibus illæ adscribuntur, quæ à cuticula à vera cute abscedente prodeunt, & eò potiùs quòd deformant, quàm dolore aut aliâ noxâ, vitiosa habentur, sicuti horum quoque in cutis excoriatione seu intertrigene meminimus: Vt sunt Furfures appellati, cùm furfurum instar à capitis pilosa sede, dum caput vnguibus vel pectine fricatur, decidant. Quod vitium si consuetum quibusdam sit, furfurésque statim ex leui causa, copiosè instar niuis, in subiectas vestes delabantur, pro deformi habetur. Magisque adhuc si ex barba in viris, vel ex superciliis per frictionem similiter decidant; Vel aliis depilibus in locis, à cute furfurum vel squamarum modo abradantur.

Furfures.

Quò & pertinet peculiare vitium, quod Galli Pelatellam vocant, cùm in vola manuum cutis inæqualiter scissa, & squãmosa, à reliqua abscedens, ab illis qui hoc vitio laborant, vnguibus continuò, etsi nullus adsit pruritus, citra dolorem auellitur, huic loco turpitudinem quoq; adferens potiùs quàm aliud impedimentum.

Manuũ volarum squamæ, Pelatella Gall.

Quæ in connexu partium dissoluto oc-

Gingiuarũ se-

paratio à dentibus. currunt vitia, si per ea pars non solùm separetur, sed integra à corpore abscedat, ad numerum deficientem pertinent: si verò corpori adhuc hæreat, huc referuntur, vti frequens hoc vitium, quo Gingiuæ à dentibus separatæ, iisdem non ampliùs adnectuntur, sed nudos circa radices dentes relinquunt.

Cõtinuatio seu cõcretio orificiorum seu partiũ quæ dissitæ esse debebant. Tertium genus quo figura partium deformatur, illud est, quando partes quæ ab inuicem separatæ esse debebant, continuantur & coalescunt, sicuti ab ortu, tum ab aliis etiam læsionibus quandoque euenit, idque variis modis: E quibus deformationes functiones simul lædentes, magisque eo nomine incommodantes, in illis explicantur; Cuiusmodi sunt orificiorum quorundam occlusiones, veluti Narium, Labiorum, Palpebrarum, Podicis, Vteri ceruicis, Præputij pe[illegible] quando hæc connata vel concreforaminis, q[illegible] stioni, visioni, egestiota, respirationi, come[illegible] iam aliarum ni, generationi obsunt: Sicuti eti[illegible] partium continuatio actioni impedimentum adferens. Quò & refertur, partium quarundam conglutinatio, non quidem admodum nocens, turpes tamen apparent: Vt si digiti pedum duo vel plures connati sint, quod ab ortu quibusdam procedit, & minùs, quàm in manibus officit.

Coniunctio partiũ indecens, stabilis. Ad hanc partium præternaturalem continuationẽ etiam referri potest illa, quâ partes mutuò coniunguntur, sicque coniunctæ permanent, vt disiungi non possint: Vt si ex spasmo, os occlusum & constrictum maneat; quod actionem illius cùm magis impediat vel tollat, quàm deformet, in illarum læsionibus describitur. Huc tamen maximè

Pili intricati. pertinet, pilorum mutuò iunctorum, adeò arcta intricatio atque implicatio, vt nullo pacto ampliùs discerni aut extricari possint. Quæ complicatio cùm quibusdam accidit, certis in locis, Tricæ dictæ efformantur, quas, quia fœminarum capillos inuicem arte contextos, sua intricatione confusa simili modo è capite vel barba dependentes repræsentant, Zöpff nostri vocant. Et quia à

Schrettelin zöpff. nocturno spectro, capillos sugente, sicque conglutinante, hoc proficisci superstitiosè credunt, illi quoque incubi nomine, quem à spiritu incumbente, simili modo procedere existimant, iuncto, Schrettelin Zöpff appellant.

Situs peruersionis deformatio in luxationibus & fracturis. Vari. Quartum genus figuram dedecorans est, si situs partium peruertatur aut transmutetur, parte aliquâ in alium locum inclinante vel translatâ, vnde concinna figura membri destruitur. Qualis est quæ in pedibus accidit cùm intrò vel foràs in Varis, ob id appellatis contorquentur. Atque illa quæ in digitis pedum frequenter se offert, calceorum angustiâ continuò compressis, adeò vt successu temporis ad latera nimium torqueantur, vel etiam reflectantur eousque vt pedi incumbant. Vti etiam est prominentia seu extuberantia, cum membrorum abbreuiatione vel elongatione & curuitate in Luxationibus & Fracturis ossium hinc inde in diuersis corporis sedibus occurrens. Quæ noxæ figuram partis præter impedimenta alia in functionum læsionibus exposita, aliquando admodum vitiant. Et ex illis inpri-

Gibbus. mis Gibbus, non solùm dorsi & pectoris figuram destruens, sed & totum corpus breue, curuum & inconcinnum reddens, hominem admodum deformat.

Huc & referri posset intestinorum in scrotum prolapsus aliáve loca, loca illa quoque deformans. Verùm cùm tumor & prolapsus eorum potiùs tunc quàm figurę vitium consideretur, in extuberantibus tumoribus & procidentiis, in excretis describetur.

Oculorũ prominentia. Sed & hanc deformationem à situs partium peruersione profectam, pertinet Oculorum prominentia, sic dicta, quando oculi ex sua sede extrorsum plus solito prominent, circa tamen læsionem, sed cum deformatione quadam, aliàs ab ortu, aliàs postea

Dentiũ mobilitas. eueniens. Dentium itidem, anteriorum præcipuè mobilitas huc pertinet, cùm vacillantes in hanc illamq; sedem facilè sponte vel commoti, mouentur; sicuti totam anteriorem dentium seriem extrorsum inflectere aliquos potuisse, obseruauimus. Dein

Dẽtium prominentia. & eorundem dentium in exteriora prominentia stabilis, deformitatem quoque in labiis diductis, nonnunquam & conniuentibus, si procul emineant, quod in carnibus, quia rarum pulchrum, apparentem parit: Vt quoque

quoque si transuersum vel obliquum, non rectum situm dentes habeant.

Vnguiũ mobilitas. Postremò & vngues, situ interdum permutato, huc illúcve inclinantes, mobilesq; facti diu sæpè antequam decidant sic hærentes, deformationem pariunt.

Causæ.

OMnium deformationum enarratarum causæ proximæ dependent vel à causis insitis, vel aduentitiis.

Ab insitis causis deformationes illæ originem trahunt, quas ab ortu corpori & partibus quibusdam contingere, in generibus ostendimus, & vel in numero magnitudinéve redundante, vel deficiente, vel figura indecenti, cùm partes non rectè formatæ vel diuisæ, vel continuatæ aut cōcretæ sunt, consistunt. Idque potissimùm à semine parentum, cùm ex eo partes omnes formentur, pro cuius ratione, hæ quoque formam accipiunt, & liberi nunc patri, nunc matri, vti & sexu similes redduntur, & si illud labe aliqua aspersum, eandem inde quoque concipiunt, non solùm membra illa externa cute & carne constantia, sed & pili ac vngues, cùm & hæc corporis partes sint cartilagineæ, sicuti in Anatome nostra ostendimus, nec ab excremētis, vti de pilis communiter refertur, sed semine, in prima etiam fœtus formatione, quemadmodum in embryonibus videre licet, suum nanciscantur ortum.

Seminis parentũ indispositio, vel vbertas aut penuria, vel cōmistio aliáve permutatio, causa vitiorũ ab ortu, in Numero, Magnitudine & Figura, in corpore vel membris, vti & dentibus, vnguibus & pilis contingentium.

Cæterùm quo pacto semē paternum maternúmve, vitia hæc in sobolem propaget, ardua est quæstio, nec aliter eam definire licet, nisi hoc aliquando à seminis indispositione quadam indecenti fieri, quam, cùm ab vniuersi corporis partibus promanare soleat, à vitiosis partibus acquirit, eamque prout hæ figurâ, magnitudine vel numero peccant, inde contractam in fœtus formatione iisdem partibus imprimit, & similia vel ex parte, vel omninò vitia in illis producit. Quod tamen non semper euenit, vt numero vel magnitudine excedentibus deficientibusque partibus, idem in fœtu contingat, cùm sæpius liberi eorum quibus membra ab ortu deficiunt, vel amputata mutilatáve sunt, eadem membra integra & absoluta, nisi quod in quibusdam inualidiora sint, consequantur. In pilis tamen capitis & barbæ illud maximè accidere videmus, quòd plures pauciorésve crassiores, tenuiorésve, hócque illóve modo formati & colorati sint, vti in parentibus, sic & in liberis, sicuti in coloris vitiis dicetur. Id autem seminis quoque causâ accidere, & hæreditariam esse eiusmodi pilorum constitutionem, sub qua & caluities comprehenditur, satis demonstrat, quòd pili nigri & crispi Æthiopibus hæreditarij existant. Atque in hac quidem gente vt & in aliis, si nascantur pili crispi, semen quoque, sed aliter quàm in aliis pilis formandis causam præbet, eo nimirum modo, quod pororum in cute, obliquitatem producens, pilos non rectè, sed obliquè per eos emergentes curuari, atque sic crispos euadere sit necesse. Vti & quòd complicati tricas dictas constituant, pororũ formatione semē quoq; efficit, quando poros plures coniunctos & obliquos in cutis aliqua sede format, ex quibus deinde pili copiosiores angustiore in loco positi, & propter curuitatem inuicem intricat, nascuntur. Quæ sic in crispis pilis, in capillosa capitis cute præsertim molitur, vt mox à natiuitate tales enascantur. In tricis verò tardiùs hoc, in capillis, non nisi spacio temporis, & in barba cùm illa crescit, & in vtrisque cùm pili crassescunt admodumque prolongantur, efficit.

Ab vbertate seminis quoq; proficisci potest, vt plures maiorésve quàm par erat, partes nascantur, vel ab illius penuria, vt contrarium eueniat; quod cùm in omnibus partibus possit accidere, vti & in dentibus, sic etiam in pilis vt vberiores vel tenuiores crescant, inde procedere potest.

Ab alia quoque seminis transmutatione permistionéve, fœtus figuram à naturali alienam adipisci potest. Vti & ex commistione geminorum seminum conceptorum, mutuaque illorum in certis locis concretione (nisi vndique peculiaribus inuolucris conclusa à se inuicem discernantur) prouenire potest, vt duo fœtus, illis in sedibus connati, aut etiam vnus alteri parte aliqua inclusus, prodeant.

Quæ

Quæ ſeminis permutatio commiſtióve, vti à variis cauſis, ſic frequẽter etiam ab impreſsione quadam oritur, quam conceptus tempore, vel dum grauida eſt mater, ex terrore vel alio affectu, aut etiam profunda meditatione aut imaginatione paſſa eſt. Cuiuſmodi & illa, quæ ex deſiderio cibi alicuius, dum grauida mulier picâ laborans, aliquid deprauatè appetit, concepta, in cauſa eſt, vt fœtus vitia in numero vel magnitudine aut figura peccantia, contrahat. Quo pacto aliquando partes veluti nouas, corporis alias partes exprimentes; aut fructum aliúdve referentes, corpori ab ortu accreta; atque inter reliqua, pilos murium pilis conſimiles, in femore enatos, ſobolem, cùm mater grauida, murem abigens, hunc locũ manu percuſsiſſet, in lucem protuliſſe & deinceps retinuiſſe, vidimus: vti & alia varia & monſtroſa hoc pacto contigiſſe conſtat. Quæ vti ab imaginatione variis modis accidere poſſunt, ſic ab eadem & illud proficiſcitur, quòd liberi parentibus minùs aliquando ſimiles, immò plurimùm ſæpè ab illorum forma diſcrepent, cùm parentes aliis intenti, alias formas dum conceptio fit, vel mulier vterum geſtat, mente concipiant. Quæ diſsimilitudo cùm animus hominis pluribus longè magis quàm cæterorum animalium ſit intentus, atque inquietus, qui in varias meditationes facilè voluitur, frequentiùs in homine quàm in animantibus accidit, quæ cùm ſenſum tantùm in ea quæ præ oculis ſunt, in congreſſu conuertant, ſibi plerunque & formâ & colore, vti in diſcoloratione oſtendemus, ſimilem ſobolem procreant.

Sanguis matern⁹, cauſa quorundam vitiorũ, ab ortu, in Magnitudine aucta vel immi nuta, vel Figura indecenti accidentiũ.

A'ſanguine materno, cùm partes eo dum in vtero fœtus concluſus adhuc eſt, alatur augeaturque, vitia quoque aliqua originalia ſuboriri poſſunt, non quæ in numero partium aucto vel imminuto, cùm ex eo nulla pars, ſed omnis à ſemine procreetur, ſed in magnitudine præſertim excedente vel deficiente, vel etiam figura indecenti ſe offerunt. Quæ vitia à ſanguinis materni copia vel paucitate, aliáve illius mutatione aut permiſtione, ſicuti in internis cauſis explicabitur, dependent.

Ab aduentitiis cauſis varia deformationũ exſurgunt genera: è quibus cauſis ſi læſio aliqua à vulnere profecta continuitatem concinnam partium deſtruat, figuramq; eo modo vitiet, fiatque illud in parte ſenſili, quia dolorem tunc ſimul infert, in doloribus de ea actum fuit. Vti & ſi ab alio impetu extrinſecùs irruente, parteſque nimio impetu diſlocante, vel etiam diſrumpente, figura indecens ſimiliter prodeat, cùm partis motus abolitio tunc quoque accedat, in immobilitate, vbi de luxationib. & fracturis egimus, hæc tractata fuerunt.

Aliæ verò deformationes partium huc pertinentes, quæ in numero, magnitudine vel figura peccant, variis à cauſis procedunt, illiſque vel externis vel internis.

Vulnus aut vlc⁹, cauſa partium Mutilationis vel Ablationis aut Separationis vel Diuiſionis.

Ab externis cauſis partium vitia deformationes producentia, diuerſimodè proueniunt. Vti quando inflicto vulnere amputantur vel mutilantur; idq; vel caſu in conflictu, alióve modo, vel neceſſariò propter morbum, vt cùm ob vlcus partes abſumuntur, vti papillæ, ab exulceratione, ob fricationem frequentem & in ſpacelo partes emortuæ abſcinduntur, in ruptura teſtes exſecantur, aut quando alioquin ex vulnere, continuitas ſoluitur, ſanatoq; vulnere, partium hæc ſeparatio remanet. Vel quando alia vi Dentes ob dolorem aut alium affectũ eruuntur; Pili vel caſu per vim, vel ſtudio in tinea morbo euelluntur. Oculi ob conatum vehementem nonnihil prominent vel protuberant: Vel quando ob maſticationem & morſum duriorem ciborum, diu præſertim continuatum, gingiuæ à dentibus ſeparantur, quo dentium radicibus denudatis, minùs firmiter, quàm cum gingiuis adhuc dentes connexi ſunt, conſtituunt, mobileſque interdum facti, faciliùs excidunt, anteriores præſertim, vnâ tantùm radice nitentes, cùm alij qui validiùs inhærent, vix ſic, niſi radicum accedat, vti dicetur, attenuatio, vacillare aut excidere poſsint, vt caluariis dentes, licet carne omni deſtituantur, firmiter adhuc inſertos, immobileſque eſſe videmus. Morſu quoque valido, cùm oſſa, nuclei fructuum, aliáve duriora comminuuntur, dentes etiam cõfringuntur. Sæpe verò cum

Vi illata partib⁹, cauſa Dentiũ carẽtia, mobilitatis aut confractionis. Pilorum caſus & Oculorũ prominentia.

acie

acie cultri, vti quidam peruerso more consueuerunt, dentes frequentiùs repurgantur, non solùm dentium læuitas per attritionem continuam exasperatur, sed & cõtinuâ substantiæ illorum abrasione, tandem etiam dentes atterentur corroduntúrque.

Calor vehemens extrinsecus aduenens, causa Dentiũ mobilitatu vel lapsus vel fractura.

Quæ vti à violentia ille procedunt, ita & dentes mobiles fiunt & vacillant, si calidissimis & frequentissimis cibis frequenter ingestis, sæpè incalescant & veluti adurantur, adeò vt tãdem exsiccatis & attenuatis ipsorum radicibus, non ampliùs firmiter sed admodum laxè alueolis insistant, sicque in situ peccãt: vel numero, si ab eadem causa penitus excidant: aut si eodem calore ciborũ dura dentium substantia nimiùm exiccetur, & tandem etiam vratur, etiam dissiliunt, vel portione ab illis recedente, reliqua confracta & iners remanet, vel cauitas in ipsis gignitur. Quæ & frequentior causa, quòd dentes tot caui vel non integri ampliùs, etiam in iuuenibus inueniantur, in illis præsertim qui calidissimis cibis sunt assueti, iusculisq; feruentibus adhuc utuntur, quæ ne os adustione lædatur priùs flatu oris nonnihil temperare solent. Hæcq; causa est potissima, quare Germani nostri, qui calidis iusculis adeò delectantur, dentes vitiosos citiùs quàm alij populi consequãtur, quam tamen defluxionibus malè adscribunt, cùm sicuti in dentium doloribus ostensum est, hæ in dentium substantiam minimè labi possint.

Calor feruens, causa Pilorum defluuij.

A simili calore & feruore, pilorum radicibus pari modo exiccatis attenuatisque, pili in poris non ampliùs hærentes, vel sponte decidunt, vel leui labore à cute deraduntur, idque aquæ feruentis vel flammæ admotæ ferè occasione, quâ ratione à porcis postquã mactati sunt, pili detrahuntur, & gallinæ aquæ calenti immersæ, pennarum radicibus eodem modo exiccatis, deplumantur, & in quibusdam eiusmodi externis iniuriis pili abscedunt, si modò non tanta fiat perustio, quâ cutis ita constringatur, vt poris obliteratis, pilos ampliùs citra illius dilacerationẽ auferre minimè sinat, vti in porcis affusâ supra modum feruente aquâ accidit, qui postea sufficienter à pilis mundari nequeunt, quem errorem communiter Verbrügen vocant. Hoc si fieri ab hisce causis, nec ex humectatione cutis, poris relaxatis & ampliatis, pilos faciliùs recedere, inde patet, quòd & citra feruorem madefactio, idem, quod tamen non fit, etsi quàm diutissimè in aqua moderatè calida sedeant, præstitura esset, dentes quinetiam eadem ratione excidere possent.

Sed & vngues pari modo, vti & vngulæ in animalibus, maiori tamen æstu, decidunt vel auferuntur.

Erodentia & putrefacientia medicamenta, causa Partium absumtionis, & Pilorum defectus.

Ab erodentibus medicamentis vel etiam putrefacientibus, partes quędam teneriores absumi possunt, vt Gingiuæ, Caruncula in oculo, &c. & psilotris dictis, pili quoque arte auferuntur. Quæ similiter radices pilorum potiùs absumendo, quàm poros aperiendo, ipsos deciduos faciunt.

Ab internis causis enarrata vitiorum seu deformationum genera quædam quoque prodeunt, ab humoribus sc. diuersis morbisque, vel parte aliqua aliam, vti dicetur, impellente, p̃fecta. Veluti à sanguine, cùm partes eò, non solùm quamdiu homo crescit, foueantur atque augeantur, sed & postmodum quicquid de illorum substantia consumitur, rursum ab eo reponatur. Quæ vitia sanguinis causâ partibus accidentia, diuersimodè, tùm ratione illius quantitatis, tùm pinguedinis accidunt.

Sanguinis copia causa Carnositatis.

Quantitate si sanguis redundet, partes nimiùm alendo augendoq; carnosiores reddit, quod nõ solùm dum corpora adhuc crescũt, sed & postea cum iam consistere debebant accidit, vt tunc supra modum augeantur, quod nisi hæreditariò à semine sanguineque parentum proueniat, vnde quoque carnositas illa originem trahere potest, à sanguine proprio prodire necesse est. Hinc plethoricorum corpora adeò carnosa fieri contingit. Cuius plethoræ vti variæ causę sunt, sic non minima & frequentior cibi copiosioris ingerendi praua consuetudo: quam cùm appetitus nimius excitet, illeque maximè corporis exercitio incitetur, cuius gratiâ ciborum distributio citiùs peragitur, euenit, ut qui exercitiis dediti sunt, non tamen immoderatis, plethoram, indeque corporis molem, sicuti Athletæ olim eandem ob cau-

ſam, ſibi accerſant. Quæ & à contraria cauſa quiete ſcilicet prouenire poſſunt, vt qui otioſi ſunt & deſides, ac voracitati interim dediti, cùm minùs de corporum ipſorum ſubſtantiâ abſumatur, & multum ſemper apponatur, vaſtum & craſſum corpus tandem conſequantur. Quod & aliquando ob ſanguinis euacuationem naturalem ſuppreſſam, quo copioſiùs congeſto, corpora admodum excreſcunt, prouenit. Quo modo mulieres ætate illâ, quâ à menſtruo ſanguine non ampliùs purgantur, etſi priùs dum ille conſuetim fluebat, aut à fœtu concepto in alimoniam abſumebatur, graciliores eſſent, poſtea habiliores fieri, admodumque ſæpè excreſcere ſolent. Quibus de cauſis à ſanguinis abundantia profectis, vti carnoſitatem corporum prodire, ita à contrariis gracilitatem induci, facilè licet colligere, vt non neceſſe illius etiam cauſas altiùs hîc repetere.

Sãguinis penuria cauſa Gracilitatis.

Verùm vti etiam iam dictus ſanguis carnem potiſsimùm augendo imminuendóve, corpora carnoſiora gracilioráve reddit, ſic & vt aliæ etiam partes interdum plus iuſto excreſcant decreſcantque efficit, quando illis appoſitus, & in ſuccum ad eas nutriendas aptum conuerſus, redundans plus, vel non ſufficiens minùs quàm par erat, nutriendo auget minuítve. Quod ea ætate qua corpora adhuc creſcunt, in quibuſdam partibus, tàm mollioribus quàm durioribus, vt & in oſsibus, contingere poteſt, poſt illud verò tempus non niſi ferè in illis partibus, quas toto vitæ decurſu cùm iniuriis externis attritæ, quantum ab illis recedit, reponi poſtulent, creſcere oportet. Veluti in dentibus, vnguibus & pilis, ſed diuerſa ratione. In dentibus enim ſi non atteratur vnus aut alter, ab oppoſito illi dente, vti aliàs in maſticatione fieri ſolet, ſed ob defectum dentis non fiat attritio, tunc ſuccus nutriens redundans, facit vt longiùs aliis excreſcat, atque vltra terminum elongetur. In vnguibus verò & pilis, ſi ſuccus enutriens copioſior illis accedat, præterquam quòd citiùs elongantur, craſsitiem inde etiam conſequũtur, quod in vnguibus ſæpè accidit. Cuius etiam cauſa inter reliquas cõmotio valida circa vnguiũ radices facta eſſe poteſt, dum manus ſæpè & validè & cum illis vngues exercentur, ſuccique attractio ita promouetur, vnde operariis vngues citiùs quàm aliis craſſeſcere videmus. Quod & frequens vnguium amputatio facit, maximè ſi priùs balneo emolliantur, tunc enim ſuccus magis allicitus, craſſiores eos ſucceſſu reddit.

Succi nutrẽtis redundantia vel penuria cauſa vt partes aliquæ plus iuſto excreſcãt decreſcantq;, vti & Vngues & Pili craſſeſcãt atque elongentur, vel ſubſiſtãt, aut attenuentur vel etiam deſtuãt.

Idem & pilis ea ratione, cùm primùm in barba lanuginis inſtar ſe exerunt, ſi ſæpè abradantur, vt magis magisq; craſſeſcãt, elongentur ſeque manifeſtent, euenire videmus. Ex defectu quoque ſucci nutrientis vngues & pilos, fieri poteſt, vt qui recreſcũt tenuiores ſint prioribus, quod in pilis præcipuè ſed rariùs euenit, lanuginem referentibus. Frequentiùs fit, vt ob illorum nutrimenti penuriam radicibus exiccatis decidant, pili præſertim, quam potiſsimam cauſam Defluuij capillorum & pilorum, vel vt non creſcant, Barba inprimis, eſſe, vel hoc demonſtrat, quòd medicamenta quæ pilorum regenerationis cauſâ adhibentur, ſuccum attrahendo calore ſuo, ſicuti in curatione oſtendetur, illud præſtent. Quem ſucci defectum, & caluitiei cauſam præcipuam eſſe ſtatuimus; nam licèt pili in capitis ſumma cute creſcãt, & ad ætatis aliquod tempus perſiſtant, poſtea tamen aliàs diu ante ſenium, aliàs eo aduentante, quòd ſedes hæc carne deſtituatur, atque ex cute membraniſq; oſsibus inſtratis conſtet, vnde citiùs quàm cætera corporis loca ſiccatur, atq; exſuccis fit, ideoq; non ampliùs irrigatur, caluities ſequitur. Huius cauſa, vti diximus, inſita interdum eſt, aliàs verò externæ etiam iniuriæ, internæq; quæ corpus ſiccant, quò & curæ referuntur, à quibus non ſolùm canos, exiccatis nimiùm pilis, vti illic demonſtrabitur, ſed & caluos exiccato tunc etiam ſucco, fieri vulgò creditur, illudque aliquibus ſubitò accidiſſe hiſtoriæ comprobant.

In reliquis corporis partibus vti & vnguibus, ſi ex eodem ſucco nutriente aliæ exuberantiæ naſcantur, cùm tumores ſint potiùs quàm aucta ſubſtantia, in extuberantiis, vbi de tumoribus eiuſmodi agimus, deſcribuntur.

His à ſucco nutriente luxuriante profectis *Succus nutriens*

incom-

eiusdem causa Concretionis partiu. incommodis, accedit & illud in figura partis vitium, quo partes quæ disitæ esse debebāt, inuicem conglutinantur. Quod fit, si ob cutis tunicarumq; ablationē in partibus separatis, mutuò tamen accumbentibus & contiguis, eo loco vbi se mutuò tangunt, succo vtrinque exudante, inuicemque confuso & concrescente, partes simul coalescant. Sicuti intercedente hoc veluti glutine, etiam cutis incisa, per cicatricem caro ex vulnere separata, per nouam carnem, vel ossa confracta, per callum mutuò rursum naturaliter ex hoc succo conglutinantur.

Pinguidinis in sanguine abundātia, deficiētiáve causa Pinguiorū Macilentiorúmve corporū aut partium. Pinguedine si sanguis abundet, pinguiora, uti si illa deficiat, macilentiora redduntur corpora. Nam cùm omnis sanguis ex pinguiore quoq; partim constet materiâ, vti lac ex butyrosa, illaque exsudans è venis, membraneis sedibus, non frigore concreta vti putarunt, cùm corpus actu calidum semper intrinsecùs existat, sed ex sua natura à sanguine separata concrescat, membrisque suâ glutinositate accrescat & adglutinetur, sicq; corporis substantiam quoque augeat, prout ea copiosior parciorque in sanguine continebitur, eo maiori minoríve etiam quantitate in partibus collecta, corporis molem augebit minuétve, illiusque potiùs causâ quàm carnis, corpora in immensum sæpè excrescent vel admodum decrescent: Verùm non in toto corpore, in quo ex carne carnositas inducitur, hoc accidit, sed illis præcipuè in locis, in quibus naturaliter pinguedo ampliùs quàm in cæteris abundare solet, vt abdomine seu ventre, mammisque in mulieribus, eodemq; in loco in viris pinguibus aliisque nonnullis in sedibus pinguioribus.

Quòd verò pinguedinis in sanguine maior minórve sit quantitas, ab eadem sanguinis quantitate proficisci potest, cùm in multo sanguine, partem hanc illius, pinguedinem scilicet, quoque redundare necesse sit, vnde tunc vtrisque exuperantibus & carnosiora & pinguiora simul euadent corpora, vti si secus, graciliora magisque macra. Verùm si sanguis non solùm quia copiosus, multum habeat in se pinguedinis, sed ex sua natura, etsi quantitate aliàs non ita exuperet, pinguior quàm par erat existat, quod fieri in eo nonnunquam in sanguine emisso, in pinguiore illius portione, quæ in illius superficie concrescit apparet, quam pituitam vulgus chirurgorum esse iudicat, tunc & pinguia magis quàm carnosa euadunt corpora. Quam pinguedinem sanguinis, non solùm eius constitutio ad eam producendam apta, sed & assumpta pinguiora, quibus tantopere aliqui delectātur & vtuntur, coacervare possunt.

Ab humoribus aliis & morbis varia quoque deformationum prodeunt genera. Vti numeri deficientis, si ab illis, nō à causis externis defectus ille procedat: Sicuti in vlceribꝰ prauis quandoq; contingit, aliquas partes, sponte per suppuratione vel corruptionem inde profectam, consumi: quod vt in variis locis, sic & in naso & oculo potest accidere; à quibus & gingiuæ interdum absumuntur: quæ & propter tophos dentibus accrescentes, si se gingiuis substernant, sensim à dentibus separari solent, & quò minùs illis denuò accrescere posint, impediri, vnde dentium nexus infirmior, vti dictū, redditur. *Vlcera praua causa partium absumtionis.* *Tophi dentium causa Gingiuarum separationis ab illis.* Ab aliis quoque morbis quibusdam dentium, à defluxione in alueolos potiùs quàm dentes labente, illicq; fibras membranasque quibus vinciuntur, humectante laxanteque profectis, dentium quandoq; mobilitas, aliquando & casus proficisci potest. *Defluxio in dentium alueolos, causa Dentiū mobilitatis & casus.* Vel si alio modo in alueolis consistens humor vitiosus, radices dentium exedendo vel corrumpendo, eos infirmos vel deciduos reddat. *Humor vitiosus circa dentium radices cōgestus, causa Dentiū mobilitatis & casus.* Sicuti grauibus morbis quibusdam, dentium hunc defectum superuenire obseruamus: & in lue Venerea, ex vsu hydrargyri, sputo vehementiùs concitato, dentes adeò labefactari, vt plærique flecti & moueri posint, nonnunquam etiam excidant.

Calor febrilis, causa Pilorum defluuij. Sed & pilorum defluuij causa à morbis vitiosisq; humoribus dependet, cùm ab illis radices ipsorum exiccantur vel attenuantur vel absumuntur. Quod in morbis calidis vt febribus ardentisimis euenit, vt non solùm inde corpus, sed & pilorum radices, quæ molles sunt & tumidæ, siccentur, sicque attenuentur vel consumantur, sicuti in eiusmodi febrium declinationibus aliquando

euenit, vt pili capitis rariores ob defluxum hunc appareant, vel plærique excidant. Ab humoribus quibusdam, qui eam naturam in se habent, vt pilorum radices exedere & absumere possint, si circa poros cutis colligantur, defluuium illorum in Alopecia, & in Ophiasi illis in locis vbi hi consistunt, sequitur: quòd vel ob vim acrem, vel malitiam quandam peculiarem moliũtur, cùm rariùs hoc aliàs, etiamsi cutis multis prauis humoribus scateat, accidat: Atque id etiam non lentore suo laxando poros & radices nimiũ emolliendo, vti aliqui censent, facere, satis hoc demonstrat, quòd multæ eiusmodi humiditates cutem imbuentes, tamẽ pilorum defluuium minimè procreent. Qui humores vti à variis causis gigni & coaceruari illic possunt, sic & in acutis morbis eò propulsi illud defluuium, quòd aliquando à calore radices exiccante proficisci potest, & in declinationibus illorum euenire diximus, quoq; efficiunt. Imprimis verò à vi aliqua maligna hoc procedere, ex eo patet, quod in illis morbis qui exitiosâ & venenatâ qualitate, cuti potius, quàm aliis partibus insidiantur, in iisque vitia diuersa proferunt, vt elephantiasi & lue venerea, pili quoque aliquando certis in locis, quos potissimùm infestant, excidant.

Humor prauus & malignus circa poros cõgestus, causa Pilorum defluuij.

In vnguibus quoque cùm similem cum pilis, vti alibi ostendimus, substantiam cartilagineam obtinuerint, cutique duntaxat vti illi inhæreant, idem accidere potest, vt ab iisdem causis, quibus & pilos infestari diximus & defluere, illi quoque labem aliquam patiantur, integrique digitis abscedant, rariùs tamen quàm pili, cùm firmiùs & pertinaciùs hæreant. A calore tamen etiam in febribus feruentissimis aliquando contingit, vt & vngues circa radices arefacti, vel ex parte consumpti, postea cum morbo cessante excrescunt, in illis impressum obseruetur transuersum vestigium, vel separatio quędã illos diuidẽs. Et à qualitate eadem exitiosa, quâ pilos in lue elephantica & venerea defluere diximus, vnguium quoq; radices infectæ, labes iisdem imprimitur, ob quam etsi non cadant vti pili, licèt & quandoque hoc fiat, vel aliàs consumantur vngues, tamen alia vitia inde contrahunt, vt erosi vel scabri aliòve modo deformati appareant. Quod & vitium ab aliis humoribus prauis & vitiosis quã à succo vngues nutriente, vnde eos crassescere in sanguine ostendimus, extra hos aliósve morbos, vnguibus accidere potest.

Calor febrilis causa Impressionis factæ in vnguib. vel Diuisionis.

Qualitas exitiosa vel humor vitiosus causa. Vnguiũ erosionis, aut Scabritiei, alteriúsve labis.

A parte aliqua etiam detrudente, numerus partium quandoque imminuitur, vti in dentibus contingit, quos dum crescunt adhuc in iunioribus, alij seu ipsorum appendices, quibus innituntur, sensim emergentes, extrudunt, & tamdiu donec locum ipsorum occupent, illic spacium inane relinquunt. Idem & in vnguibus sed rariùs contingit, vt nouus sub alio crescens, superiorem tandem depellat, quod etiam à succi abundantia, vt gemini nascantur euenit.

Dentes & Vngue se inuicem propellẽtes causa vt decidant.

Curatio.

IN numero abundante quod exoritur vitiũ seu deformatio, ab ortu inhærens, tùm in corpore, tùm membris & partibus illius, si impedimentum aliud minimè adferat, cùm non alia ratione, quàm partem auferendo, corrigi queat, si non sine vitæ periculo, aut magnâ quæ subsequitur læsione, fieri possit, non facilè tentanda. Quòd si verò non admodùm incommodet, atque citra grauiorem noxam tolli queat, tunc sublatio tentari potest; vt si dens aliquis superabundans quod rarum, masticationem impediat, illum euellere licebit. Vel etiam sextus digitus adhuc exilis & languidus, quandoque nouaculâ resecari potest, vel forpice abscindi; quo facto, vti in vulneribus dictum, mox sanguis compescendus, curatioque debita instituenda.

Partiũ corporis quarundam redundãtiæ curatio.

Digiti sexti ablatio.

In numero deficientium vitiorum, si Organa aliqua desint, ab ortu vel casu, vti & si Testes execti sint, restitui illa nulla ratione possunt, neque enim in animantibus aut homine, sicuti in plantis, quarum rami abscecti rursum repullulant, natura in locum partiũ amissarum, nouas solet producere; neque arte vllâ id effici potest. Idcirco nullâ hîc Medici operâ, nisi ad præcauendũ, ne membrum aliquod pereat, iniurias externas arcendo, & causas alias auertẽdo, in curatione opus erit. Vt tamen deformitas hæc in quibusdam

Partiũ quarundam, vti & Testiũ defectus cura.

busdam partibus deperditis corrigatur, arte effictis aliis instrumentis, eam palliare aliqui solent. Sic in locum pedis vel brachij, aut manus amissæ, alia ad horum formam fabricata, in locum ipsorum substituuntur, corporique vbi pars deest, affiguntur, quæ aliquando adeò ingeniosè articulis flexibilia fabrefiunt, vt & vsum aliquem, eundo vel apprehendendo præstare possint. Sic & nasi amissi deformitas illa abominanda, alio factitio, pictoque nonnihil, emendatur. Vidimus quoque in locum oculi eruti, alium artificialem ex ebore concinnatum, quendam immittere rursumque eximere citra molestiam potuisse, sicque continuò ferè gestasse, neque aliter quàm verum esse oculum, intuentes iudicasse, nisi ex eo quòd immobilis esset, magisque illic sedes hæc maderet, oculum ficticium esse animaduertere licuerit.

Partiũ quarundam amissarũ, vt & Pedis, Brachij, Nasi, Oculi, artificialis reparatio.

Dentium lapsus sponte, casúve aliquo factus, in infantibus, radicibus remanentibus sponte reparatur, aliique in amissorum locum succrescunt: In adultis verò si hoc accidat, vel reliquo etiam vitæ tempore, vbi iam radices vel appendices vt vocant, exactè ipsis coaluerint, cùm si excidant vel euellantur, radix vnà auferatur, vel si portio illius remanserit, ea fiat inutilis, recrescere minimè ampliùs possunt. Licèt enim omni tempore, quantum de dentibus continuò atteritur, cum sani & integri adhuc manet, recrescat, adeò vt etiam, nisi opposito dente impediente, vlteriùs extra reliquorum seriem, vti superiùs dictum, prolongentur, tamen cùm auferuntur aut vitiantur, hoc in illis, vtpote absentibus, aut emortuis, ampliùs fieri nequit. Hunc tamen defectum, qui vno vel altero dente absente accidit, indeque natam deformitatem, in anteriore sede dentium conspicuè apparentem, artificiales dentes ex osse solido facti emendare possunt, quos adeò solerter efformatos, atque interuallis firmiter insertos aliquos continuò gestasse obseruauimus, vt à veris minimè discernerentur.

Dentiũ defectus cura.

Vnguibus deciduis pari ratione, alij quandoq; sponte subnascuntur, aliàs cùm etiam ab ortu ad extremum senium crescere non desinant, alij mox succedunt, nonnunquam verò deletis etiam penitus radicibus, non ampliùs emergunt, & nuda hæc loca relinquuntur, neque ars medica hîc aliquid adferre potest.

Vnguiũ casus cura.

Pilorum etiam defectus ad numerum deficientem pertinens, cùm radicibus illorumque seminibus penitus amissis illis accidat, reparari nullo modo potest, quòd partem corporis omnino ablatam, de nouo progignere sit impossibile. Vti & ille defectus, quo pori pilorum inter se coalescunt, corrigi ampliùs minimè potest. Quapropter in caluitie vera, cutisque cicatrice, aut alio illius omnimodo coalitu, vel in ea alopecia, in qua pili radicitùs exstirpati sunt, eos producere velle, Æthiopem esset lauare. Pilorum verò ille defectus, in quo pili quidem defluunt adeò, vt nihil de illis qui deciderunt residui ampliùs appareat, radicibus tamen ipsorum seminibúsve permanentibus, tunc vel sponte vel arte adhibitâ possunt renasci, cùm alioquin per totam vitam crescere non desinant. Quòd si ille defectus occurrat, quem ad magnitudinem deficientem referri diximus, quo pili tempore illis deputato, non vlteriùs excrescunt, vt barbæ, eaque vel omninò non, vt in castratis, vel tardiùs, aut non satis amplo spacio erumpat, vt quibusdam hominibus accidit, eam nulla arte euocare possumus, in aliis quoque valde arduum illud conari, licèt ad hanc rem varia tentari soleant, sed plerunque successu tardiùs, & non priùs donec natura sponte hoc moliatur, consequente.

Pilorum defectus in Caluicie, Alopecia, Ophiasi curatio.

Barbæ defectus curatio.

In curatione autem horum defectuum, prognostico semper præmisso, desperatum malum relinquentes, in reliquis curam pro ratione caussæ quæ primùm submouenda instituere debemus; tùm externæ, si inde pilorum sequatur defectus; tùm internæ, si ab excrementis prauis aut malignis pilorum fiat defluuium, euacuando hæc per deiectiones seu purgationes; Vel per habitum corporis. Dein ad pilorum generationem per exhibita vel admota topica procedendum.

Per purgantia causam auferre studemus, si à vitioso succo alopecia procedat, vt ille qui

in ſanguine latet, educatur, & cacochymia hæc tollatur, ſanguiſq; laudatus pro nutrimento ſingularum partium, ſic etiam conueniens pro pilis decēter alendis, gignatur. Quæ purgationes ſi frequentiores aut potentiores ſint, etiā aliquid ex habitu corporis educendo, cauſam pilos corrumpentem auferre, atq; in lue Venerea, qualitatem illam malignam, quę pilorum defluuium parit, eliciendo, vnà cum lue ſimul hunc ab ipſa profectum defectum ſanare queunt.

Pro ratione autem excrementorum redundantium, purgationes eiuſmodi inſtituuntur, & quoniam cum ſero eiuſmodi acres vel ſalſi humores vnà cum ſanguine per venas ad cutis poros delati pilorum radices exedunt, illis potiſsimùm educendis purgantia accōmodantur: eadem ferè, qualia ſcabiei peruerſis ſpeciebus, inter quas & tinea comprehenditur, vbi pili ſimul vitiantur, conuenire diximus, ibique diuerſas harum formas deſcripſimus. Sicuti & ſi qualitas maligna in lue Venerea pilos infeſtet, iiſdem purgationibus, ſi eo modo hanc luem curare velimus, vtendum erit.

Per habitum corporis euacuatio, vitioſam illic circa pilorum radices reſidentem illuuiem rectiùs educit, indeq; aufert, quæ per ſudores manifeſtos, vel etiam tranſpirationem occultam perficitur. Et proin ſi talis illic materia hæreat, purgationib⁹ præmiſsis, poſtea etiam ſudores exhibitis admotiſque mouere ſtudebimus, quæ ſi eos propellere nequeant, tamen per inſenſibilem tranſpirationem aliquid de excrementis illis educent. Inprimis verò in pilorum defluuio in lue Venerea, à vi venenata procedente, hæc vix dum aliâ viâ quàm per corporis habitū, iam dictis euacuationibus repurgari poteſt, & ſic caſus ille pilorū lueſq; ipſa curari, ſicuti in illius cura oſtendemus, vbi & ſudatoria eiuſmodi varia deſcribemus.

Per aſſumpta pilorum generationem vel productionem difficulter promouere poſſumus, licèt illud quibuſdam effici poſſe quæ ad ſuperficiem corporis ſeu cutem excrementa propellunt, illi exiſtimarint, qui ab excrementis fuliginoſis pilos naſci, ſuamq; originem trahere docuerunt. Et proinde ea quæ id præſtare exiſtimant, ad pilorum prouentum propinant: Eiuſmodi ſunt Ficus, quas propriâ quadam facultate ad cutem excrementa protrudere poſſe, ex eo colligunt, quòd vulgò pediculos progignere credantur, quos ex ſordibus in cute collectis, ab eiuſmodi excrementis vi ficuum eò propulſis, prouenire exiſtimant, cùm tamen ſordes illæ, vnde alioquin pediculi oriri ſolent, ab externis potiùs cuti adhærentibus naſcantur, & adhuc an ficus pediculos gignant, dubium ſit, illiq; opinioni fortè id occaſionem præbuerit, quòd, cùm ſemina ficuum & formâ & copiâ, inprimiſque dentibus contrita, vt pediculi pollice contuſi, crepent, ſicque pediculis nonnihil reſpondeat, etiam pediculos gignere poſſe, inde exiſtimarint. Alij quoque in eundem finem, vt ad extimam cutem excrementa ad pilorum prouentum propellantur, Theriacam causâ trochiſcorum de Viperis, quos recipit, exhibent, exiſtimantes carnem viperarum ſumptam, idem in corpore efficere poſſe, quod in viperis & ſerpentib⁹, quæ eius vi exuuiū deponunt, nimirum etiam excrementa ad cutem deducendo, pilorum generationem promouere. Certum tamen eſt, theriacam ſudores mouendo excrementa circa cutem hærentia potiùs educere, quàm illic coaceruare. Et ſi viperarum aut ſerpentum caro vires eas exuuium ſecernendi habet, potiùs excrementa è corpore propellet, quàm in eo cumulabit, ſicuti in elephantiaſis cura demonſtrauimus. Poſtremò cùm certum ſit, ſicuti alibi copioſiùs docuimus, pilos non ab excrementis, aut fuligine quadam incognitâ nutriri, multò minùs naſci, ſed ab excrementis, ſi radicibus ipſorum apponantur, potiùs abſcedere, eoſque vti vngues & cartilagines aliæ, ſucco illis accommodo à ſanguine allicito, ali, non eſt quòd excrementa ad cutem propellendo aliquid in pilorum generatione, effici poſſe nobis perſuadeamus, ſed contrario modo, vti dictum, excrementa hæc abſumendo, atque extra corpus propellendo, hoc rectiùs perfici. Qui vti in lue Venerea, præcipuus ad defluuium pilorum ſanandum ſcopus eſt, per corporis ſcilicet exteriora, vti dictum, vim illam malignam

lignam expellere, sic & si ab excrementorum congestione, aliis de causis alopecia fiat, idem obseruandum.

Per admota loco affecto, præcipuè efficitur, vt pili capitis, barbæ, superciliorum & palpebrarum qui defluxerunt renascantur, vel etiam illi qui barbam cõstituere debent, copiosè producantur. Adhibendo remedia, quæ vel proprietate occultâ pilos generant vel augent, vt sunt multa ab animantibus petita, experientiâ saltem cognita; Vel quæ vi siccante & nonnihil adstringente, qualia sunt plæraque, quæ in hunc vsum adhibentur, id præstant, idque fortè, quia succum, ad pilorum radices delatum, exiccando crassioremque reddendo, illis sic nutrimentum vberius magisq; aptum subministrant. Vel quæ succum ad superficiem trahendo, epispastica medicamenta, eundem pilorum radicibus, ad hos alendos accommodant. Ex quibus vel separatim, vel inuicem permistis remedia ad pilorũ regenerationem, vel barbæ productionẽ parantur. In defluuio quoque pilorum, cùm primùm incipit, vt casum illorum præcaueamus, vel cùm iam aliquousque processit, qui supersunt conseruari queant, validiora adhuc adstringẽtia prædictis permiscemus, quę poros constringendo pilos deciduos ne facilè labantur, retineant eosq; firment. Validiora quoque exiccantia & simul digerentia hisce addimus, si praui humores pilos depopulentur, ad eos absumendos. Sed & nonnunquam in certa quadam venenata qualitate, vt Luis Venereæ, pilorum defluuium gignente, sunt qui lenientia adhibita, vt lac, pernitiem illius contemperando, casum pilorum auertere posse, docent. Eiusmodi autem cuiuscunq; generis remedia, hoc illóve modo pilos vel regenerantia vel producentia aut conseruantia, variis modis applicantur, aut per ablutiones aut fotus administrantur.

Applicantur diuersimodè ex simplicioribus primùm à plantis petita varia. Veluti radic. Nymphex, fol. Betæ & Brassicæ cum Sale; rad. Asphodeli cum Aceto; fol. Cynoglossæ cum adipe suillo vel alio. Et quando nutrimentum pilorum alliciendum, Cepa, Allium, Squilla, Raphanus affricantur; Vel radices Ranunculi illiúsve folia, aut Nasturtium ad Erysimon, similiaque.

Pulueres plantarum quarundam misti cum Melle vel Oleis prædictis, Axungiâ, Pice, Resinâ, aliísve inunguntur, vel aliàs apponuntur: Veluti Harundinum corticum, vel radicum Adianthi, fol. Trichomanes, Abrotani, Myrthi, Absynthij, bacc. Myrthi & Iuniperi, Myrobalanorum. Et ad alliciendum, pul. radic. Azari, Hellebori, Thapsiæ, herb. Rutæ, sem. Sinapis, Staphisagr. Nasturtij, Erucæ, Rutæ.

Semen Hyosquiami cõmunis cum oleo Irino illitum, supercilia & barbam elapsa, regignere docetur.

Cineres plantarum etiam quarundam vstarum idem efficiunt, vti prædicti pulueres, in formam linimenti redacti. Veluti cineres Auellanarum & Nucum putaminum. Item Abrotani, Adianthi, Trichomanes, Harundinum cortic. vel radicum; cort. Pini, radic. Asphodeli, Cyclaminis, Allij, fol. Myrthi, Absynthij, fol. Visci, Nucum Cupresi, Ossium dactylor. & sem. Lini cum stipula combusti. Hordei item.

Succi plantarũ per se vel aliis cõmixti illinuntur: Vt quando attrahendum, Cęparũ, Allij, vel Squillę, Raphani, Thapsię item, vel Cyclaminis: Quando siccandum, Arundinum, Abrotani, Lapatij, fol. Myrthi vel Salicis, aliarúmve prædictarum plantarum.

Aloë cum Vino dissoluta etiam conuenit.

Liquor item emanans è vulnerato tiliæ trunco; Lac Chondrillæ palpebrarum defluuium sanare docet Diosc.

Aqua stillatitia Mellis confert; vti Aqua vitæ seu vini illita.

Mucago quæ à radicibus Vlmi decoctis priùs exprimitur, conuenit.

Mel quoque pilos gignere creditur, validiusque allicit Mel anacardinum.

Olea varia in eundem vsum adhibentur, vt oleum expressum ex Auellanarum vel Amygdalarum aut Persicorum vel Nucum nucleis; vel ipsi nuclei contusi affricantur. Item oleum Oliuarum vetus, vel Lucernarum, Laurinum, Raphaninũ, ex baccis Iuniperi vel Spica exstillatum. Vel Myrthinũ, Rosaceum, & in quo Abrotanum aliæ've

plantæ

plantæ vel Colocynthis coxerint, aliaque omnis ferè generis calida, à practicis vsurpantur.

Ad pilos prolongandos aliqui priuatim oleum in quo radic. Salicum & Myrobalan. emblicæ coxerint, commendant.

E' lachrymis Ladanum inprimis conuenit, dissolutum cum Melle, vel cùm pili firmandi cum oleo Myrthi vel Rosarum, vel cum Vino austero aut succo Myrthi. Cui & Myrrha interdum additur. Vsurpantur & Thus, Mastiche, Sandaracha item, aliáve gummi cum Resina. Et cùm attrahere volumus, addimus Euphorbium. Gummi chondrillæ in palpebrarum casu laudat Diosc.

Ab animantibus desumpta varia ad pilorum reparationem adhibentur. Veluti Apes contritæ cum alueolis, vel alioquin puluis illarum aut Vesparum.

Cantharides paruæ rubræ, maculis nigris, vti & ventre, quæ iuxta truncos cariosos arborum magnâ copiâ versantur quas Galli, Gelines de nostre dame vocant, siccatæ, puluerisatæ cum Oleo spicæ mistæ, admodum efficaces habentur.

Officinarum Cantharidum puluis adhibitus validè allicit, qui ne exulceret, cum ol. Viol. vel Amygdalarum priùs miscetur vel coquitur.

Lacertarum amputato capite & cauda exiccatarum puluis cum oleo de Vitellis oui apponitur.

Stercus murium cum Aceto admotum attrahit, vti & alia stercora.

Sordities alueorum apum illita prodest.

Cineres animaliū semi vel penitus vstorū, ad pilos producendos efficaces habentur, misti cum Melle vel oleo Spicæ, Iuniperi, Myrthi, alióve: vel axungiâ, vt Vrsi, aliísve: vel cum Pice aut Resina, aut cum Vino vel Aceto illiti: Veluti cineres Apum, Vesparū: Cantharidum, Cicadarum, Muscarum, Asellorum, Talpæ vel illius pellis, Murium vel illorum capitum, Leporis capitis, Lacertarum, Ranarum, Sanguisugæ, Hypocampi, Erinac. marin. Vngularum muli, Caprarum, Pellis Vrsi, Vulpis, Erinacei terrestris, senectæ Anguiū, capillorum Hominis, setarum Vrsi vel Porci, stercoris Murium & Caprarū. Axungiæ commendantur, Vrsi inprimis, dein & Talpæ, Lucij item piscis. Dein & aliæ, vt Anseris, Anatis, Gallinæ, Hirci, Porci, Cuniculi. Oesypum illinit Diosc.

Oleum Lumbricorum capillos augere docent: Vti & oleum Ouorum: oleum in quo Lacertæ decoctæ sint, ad pilos prolongandos conducit.

Mucago quæ ex carne Limacum contusa, additis insuper aliquot Apibus vel Vespis desumitur: Et sanies quę ex illis, cùm punguntur, effluxit, palpebras deciduas reparat.

Sanguinem Testudinis marinæ parùm resiccatum commendant.

Fella item porci hirci vel tauri illita.

E' terrestribus, Halcyonium vel Spuma maris cum Aceto illinuntur. Vel Cineres ab ipsis vsti adhibentur. Vsurpantur & Sal Nitrum, Sulphur viuum, Ostreorum testæ, Cotis limatura. Succique aliqui acres efflorescentes, reliquis permista.

Lapis Lazuli vel Armenus tritus atque inunctus cum liquore aliquo, superciliorum & palpebrarum pilos reparare dicitur.

Plumbum & Antimonium limata & trita subtiliter, cum axungia aliqua mista, superciliorum casum emendare, scribitur. Fortè si non verè, saltem quia denigrando, vt minùs vitium hoc appareat, sicque illud palliant. Stibium vstum alij commendant.

E' Compositis applicationibus, hæ quæ sequuntur, ad pilorum regenerationem in illorum casu, vel productionem in barba, selectiores & præcipuè sequentes existunt.

Linimentū vtile: ℞. ol. Myrtini, Amygd. dulc. an. ℥. j. ß. cort. rad. Harundinū seu Cannarum, vel in illorum penuria truncorum Caulium vstorum, Adianthi seu Trichomanes, Abrotani combustorū an. ʒ. ij. Capitum murium vstorum, Apum combustarū cum fauis quibus inhęrent ʒ. j. ß. Ladani ʒ. ij. Mellis ℥. j. fiat Linimentum.

Vel: ℞. Olei in quo coxerit Abrotanum ℥. ij. Mellis ℥. j. cinerum pellis Talpæ vel Erinacei ʒ. j. cineris Apum vel Vesparum ʒ. ß. cineris putaminum Auellanarum ℈. ij. Stercoris Murium ℈. j. axungiæ Vrsi ℥. j. Ladani ʒ. iij. misce pro Linimento; cui Gallia moschata ob ladanū & boni odoris gratiâ addi potest.

potest. Vel Moschus aut oleum destill. Garyophyllorum.

Aut: ℞. olei Nucum & Laurini an. ℥.j.ß. olei de Baccis Iuniperi vel Spicæ ʒ.ß. succi Lapathij & Abrotani vel fol. Myrthi an. ℥.j. coquantur parùm, adde Mellis albi ℥.j.ß. pulueris Apum ʒ.ß. pulu. rad. Azari ʒ.j. Ladani ℥.ß. Styracis liquid. parùm.

Validiùs aget & attrahet, si addas cinerum Cantharidum rubrarum maculis nigris ʒ.ß. cinerum Cantharid. offic. ℈.j.

Ad alliciendum nutrimentum pilorum, sic fieri poterit: ℞. succi Raphani ℥.j. succi Cæparum ℥.ß. Mellis ℥.j.ß. Ladani ʒ.ij. Myrrhæ ʒ.j. Euphorbij ʒ.ß. Halcyonij alicuius vel Spumæ maris ʒ.j. Vel horum loco Salis vel Nitri ʒ.ß. Picis vel Resinæ dissol. in Vino ʒ vj. misce, fiat Linimentum.

In casu superciliorum & barbæ, hoc expertum: ℞. seminis Hyosquiami ʒ.ij. Stercoris muris ʒ.j. pulueris foliorum Trichomanes & seminis Nigellæ an. ʒ.ß. Spicæ nardi ℈.ß. olei Iuniperi q. s. fiat Inunctio.

Multæ aliæ illitiones, ad pilos propagandos vel regenerãdos ex prioribus simplicioribus inuicem commixtis parari possunt.

Ad præseruandum casum pilorum cùm ille metuitur, vnctiones tales fiant: ℞. olei Myrtillorũ, vel Lentiscini ℥.ij. Ladani, Hypocistidis vel Acaciæ dissolut. in Vino austero vel Aceto an. ʒ.ij. Aluminis vel Salis ʒ.j. Ceræ q. s. fiat Vnguentum.

Vel: ℞. olei Rosac. Omphacin. Cydoniorum an. ℥.j. Ladani dissoluti in Omphacio ʒ ij. Mastiches ʒ.j.ß. pulueris Gallarum vel Nucum cupressi, Myrobalan. an. ʒ.j. misce pro Inunctione.

Istis & cineres Auellanarum, Nucum, Apum, aliáve ex supradictis exiccantibus addere possumus.

Abluuntur vel fouentur similiter loca, in quibus vt pili recrescant vel excrescant volumus, vel adhibendo simul linimenta, ante vel post illorũ vsum, vel per se illis vtendo. Fiuntque ex decocto Abrotani, Capill. Ven. seu Adianthi, Trichomanes, Marrubij, Verbenæ, fol, Myrthi, Rumicis, fl. Rosm. Cham. summit. Rosmarini & Saluiæ; Si caput abluendum, rad. Harundinum, vel. cort. Vlmi, Thapsia si haberi potest, sem. Lini torrefacti, Spicænardi vt vult Diosc. Et si à prauis humoribus casus pilorum procedat, addimus quæ abstergendo simul eos absumát. Veluti fol. Sennæ, ras. Ligni Gaiaci, aliaq; interdum detergentia, vt rad. Bryoniæ, Cucum. agrest. Serpetariæ, Blitum, Lupinos, Fabas. Furfur, decoquendo tunc hæc in lixiuio debiliore.

Vel fiat lotio ex Lixiuio facto ex cineribus Iuniperi, Abrotani, Marrubij, Auellanarum, Amygdalarum, Cochlearum, additis etiam interdum aliis cineribus ex quibus illitiones parari diximus. In hoc lixiuio & alia possunt incoqui.

Aquis stillatitiis, aliquando lotiones vel fotus fiunt, vel etiam illitiones: Veluti aquâ ex Abratono, Adiátho, Trichomane, addito Melle destillatâ, quæ additis Cineribus & Ladano, inungi potest.

Conuenit etiam ex Lardo & Melle facta aqua, additis aliis quoque plantis.

Alia ex Mellis, Vrinæ pueri & Vini optimi & Lactis æqua singulorum portione elicita, vtilis est. Quibus & cum destillanda erit, Abrotanum, aliásve plantas possumus addere: Interdum & ad efficaciam Sinapi.

Vrinam Vaccæ vel Equæ, in qua semen Fœnogr. ebullierit, aliqui in hác rem illinũt.

Ad præcauendum casum pilorum, ablutiones magis adstringentes fiunt ex decocto facto in Vino austero vel Lixiuio, aut Aqua extinctionis ferri, Myrthi fol. & baccar. cort. Vlmi, rad. Salicis, Agrimoniæ, Abrotani, Capillarium, Ros. rubr. Gallarum, Nucis cupressi, additis simul aliis, quę pilis iam defluxis conuenire diximus.

Lactis fotu defluuium capill. à Lue Venerea, cohiberi vti dictum, docent, cui & Butyrum addi potest, oleum Amygdal. dulc. & similia lenientia, & sic inungi, vt acrimonia humorum contemperetur.

Præter hæc quæ extrinsecùs vsurpantur remedia, Fumum seu fuliginem qui ab accenso ligno Pini suscitatur vel Olibano, aut aliis gummi, vel potiùs Styrace, cùm odorem simul gratum spiret, pilorum in palpebris generationem, si recipiatur, promouere existimant.

Frictio loci pro pilis reparandis & educen-

dis alliciendo ſuccum,iuuat,tum frequens, tum aſpera,donec locus rubeat,vel quæ foliis ficus,aut aliis aſperis perficitur: Vel cum acri ſucco præditis, vt radic. Raphani,Cæpis, Alliis,Squillâ ſimilibusque.

Abraſio lanuginis primùm illius,quæ cutem obiter obſidet,& vix dum adhuc apparet,vel pilorum aliàs tenuiorum,quos augeri cupimus,cum nouacula frequenter iterata,plurimum vt craſsiores ſenſim euadant atque elongentur, adiuuat, ſic enim vt ſuccus nutriens magis alliciatur, & pili, dum rurſus recreſcant,commodiſsimè perficitur, & hac ratione barba citiùs quàm aliis artibus producitur, atque in defluuiis capillorum,minùs ſi abſecentur decidunt,validiusque recreſcunt.

Per fucum glabrities ſuperciliorum corrigitur,ſi colore nigro ex fuligine facto cum oleo Nucum,& glutine Ferniſio,vt hæreat, loca illa nuda,pingantur. Quod & in aliis locis fieri poteſt.

Corporis totius incrementi partium magnitudinis aucta & Orificiorum amplitudinis nimia cura.

In magnitudine adaucta occurrens corporis totius vel partium illius incrementū nimium,vel orificiorū quorundam illius amplitudo,originalia ſi ſint vitia,emendari nulla arte poſſunt, neque etiam à partibus nimiùm auctis aliquid ſectione auferre,aut orificia lata ſuere,aut ex parte conglutinare velle, cùm functionum ipſarum læſio inde ſequeretur, tutum, cùm huius potiùs quàm deformitatis illius,ſit habenda ratio.

Vteri ſinus ſeu ianuæ nimiæ amplitudinis curatio.

Ad orificiorum tamen quorundam nimiā amplitudinem contrahendam, ſtringendamque,ſi præſertim non naturalis ſit, ſed per vim citra tamen rupturam inducta,præſidiis quibuſdam mulieres præſertim illud moliri,in vteri externo orificio tentant,tum conceptionis facilioris reddendę causâ,tum interdum ſi corruptæ fuerint,ne hoc in illis depræhendatur.

Idque adhibitis frequenter huic regioni, potenter adſtringentibus,vnde tandem coarctari hæc loca exiſtimant. Vſurpaturq; ad hanc rem Inſeſsio vel fotus,factus ex decocto Gallarum, cortic. Granatorum in Aqua pluuiali vel ferrata, addito etiam Vino rubro,vel Aceto,& Alumine.

Adduntur interdum & radic. Conſolidæ, fol. Sumach, Plantagin. Quercus,nuces Cupreſsi, cortic. Pini, aliaque adſtringentia,atque odorata,vt Cyperus.

Applicatum Atramentum ſcriptorium cum petiis vehementer adſtringit.

Vel ſequens: ℞. Gallarum, vel cort. Granator. aut Balauſt. ℥.ß. Maſtiches vel Thuris, Sanguinis draconis an. ʒ.ij. Aſphalti vel Mumiæ, Aluminis an. ʒ.j. Piperis albi ℈.j. cum infuſ. Gummi Arabici in Vino rubro & ſucco Pyrorum immaturorum vel Prunellorum fiat paſta,admoueaturque.

Vel conſpergatur puluere ex Bolo,Gallis & Maſtiche facto,cui Antimonium & ſcoria Ferri addi poterit.

Vnguiū craßiorū longiorúmve cura.

Vnguium quoque craſsities nimia,ſi non ſolùm in illis qui iam ſunt,ſed & in ſuccreſcentibus ſimiliter ſe offerat,corrigi nequit, cùm etſi quid ab illis deradatur,rurſum in aliis qui recreſcunt vitium hoc redeat.

Longiores autem quàm par eſt facti vngues,etſi naturaliter ſic procedant,cùm deformitatem adferant & incommodent,amputari ad carnem viuam eouſque debent,ne vel illi extra carnem,vel caro extra vngues nimiùm promineant, vti hoc qui munditiei ſtudent,facere ſolent.

Pilorum prolixitatis vel nimiæ excreſcentiæ curatio.

Pili prolixiores quàm vſus illorum, aut conſuetudo regionis ferat, tondēdo, ad eam quæ decens eſt & vtilis longitudinem citra negotium magnum, vti conſuetum eſt reducuntur.

Hæc verò eorum deformitas,quam in locis conſuetis,vbi aliàs obſcuri & tenuiſsimi eſſe ſolent, excreſcentes inducunt, vt ſi in frontem longiùs deſcendant: vel mulieribus in labio ſuperiore, vti frequentiùs fit, myſtax oriatur; vel quod inſolitum & horrendum in mento quoq; barba illis prodeat; vel in obſcœnis locis pili nimiùm luxurient, tunc pilos hoſce auferre quod faciliùs fit,& ne renaſcantur ampliùs,quod cauere magis arduum eſt,ſtudebimus: Idque topicis ferè, præmiſsâ tamen præparatione aliquâ, ſi opus ſit,& poſtea admotis medicamentis; vel actu pilos euellendo, aut reſecando,vel cutem vrendo perficimus.

Præmittitur præparatio aliqua,in plethoricis maximè, ſanguinem minuendo vel diuer-

uertendo, si adurentia, vti dicetur, adhibere velimus, vt cùm dolor aliquis inde exurgit, sanguis minùs affluat, inflammationemque quæ interdum sequitur, non accersat. Purgantibus quoque sanguinem ab ichoribus & serositate mundando, eumq; minùs fluxibilem reddendo, idem efficimus.

Sudores ante topicorum usum si calore balnei promoueantur, vel partes aquâ calidâ foueantur, relaxatis vti putant poris, feliciùs topica operari docent, & proin in balneo sicco interdum hisce vti iubent. Quod tamen cùm etiam sine illis succedat, non adeò necesse est, balneum tamen interdum additum, hoc commodi in horum vsu adferre solùm videmus, quod vt quæ illinuntur, cum pilis & sordibus, meliùs à corpore abstergantur & secedant, efficiat, & proin tunc cùm firmiùs illita hærent, & cum in locis obscœnis hæc moliri volumus, vbi minùs recedunt, balnea sic possunt competere.

Admotis topicis variis illud præstatur, & præcipuè certiusque Psilotris medicamentis, sic quòd cutem depilando denudent, nominatis. Quod causticâ vi potissimùm agunt, quâ vrendo, vti de aqua feruente diximus, vt abscedant, efficiunt, & si validiùs agant, cutemq; vehementer adurant, vt quoque radicibus absumptis, cicatriceque inducta non ampliùs renascantur, efficiunt. Quæ tamen cautè administranda erunt, & si locus inde vratur, vstio vti in ambustis dictum, sananda.

Alia vi quàm causticâ, quædã ex illis quæ pilos auferre docent, operantur, idque fortè proprietate quadam, cùm alia certa qualitas, quâ hoc faciant, designari in illis nequeat. Quâ & ne iterum renascantur, fortè plus agunt, & proin causticis ferè miscentur, vel si ne recrescant saltem impedire debent, præmissis illis, & iam pilis ablatis rectiùs administrantur. Præter autem illa quæ proprietate illorum prouentum impediunt, alia ex illis, etiam vi adstrictoria prædita, quæ repellendo nutrimentum ipsorum arceant, illis miscentur. Imprimisque ne renascantur, narcotica adhibent, fortè existimantes frigiditate summa hæc repellendo id præstare, quæ cùm in illis minimè sit, alia vi vel summè digerente, quam iis inesse alibi ostendimus, operabuntur, vel vt dolorem ex vsu causticorum contrahi solitum mulcerent, istis admista primùm fuêre, quod postea, cùm ad pilorum renascẽtiam prohibendam factum fuisse creditum fuerit, eo nomine in vsum in hoc casu venerunt.

Parantur autem eiusmodi medicamenta, quæ ad depilandum, & ne pili iterum recrescant, vsurpantur: Et vel illinuntur aut affricantur, vel alio modo adhibentur, ex simplicioribus primùm sequentibus.

A plantis desumptis, Dryopteris radicem tritam & Cyperum Babylonæam affricata, pilos auellere docet Dioscorides.

Lupinorum farina, cum Oleo vel Aceto vsurpata, aliquid præstare dicitur.

Vitis albæ seu Bryoniæ acini rubri, sicuti coria depilát, vnde plantam hanc Psilotrum nominarunt, sic & pilos affricati demunt. Quibus contusis vt minùs exulcerent, Acetum addi potest.

Succus Tithymalorum efficaciter id facit, sed facilè inflammat, vnde Albumine oui vel Lacte aut Oleo contemperari poterit. Idem facit succus Cucum. asini eodem modo illitus.

Alij succi potiùs ne renascantur pili, illinuntur: Veluti Fumariæ, Brassicæ: Inprimis narcotici, Hyosciami, Cicutæ, Papaueris succi.

Aquam ex illis plantis narcoticis exstillatam, idem efficere creditur, si sæpè eâ madefiat locus, vti & Telephij & Semperuiui, separatim simúlve mista.

Liquor seu succus exudans è sarmentis vitium dum cremantur, vtilis esse perhibetur.

Gummi Hederæ dissolutum liquore conuenienti, valdè probatur.

Ab animantibus petitis, Leporem marinum & Vrticam marinam, per se vel inuicem trita apposita, approbat Diosc.

Formicæ insuper cum ouis contusæ admotæ probantur.

Oua Formicarum item contusa addito Lacte canino, vel farinâ Lupinorum cum Aceto forti.

Talpæ, Ranarum viridium, sanguisugarũ pulueres vel cineres, cum Oleo vel Axun-

gia admota; Vti & Salamãdræ & Noctilucę. Quæ si ouis Formicarum contusis excipiantur, efficaciam maiorem adipiscuntur.

Stercus Hirundinum cum Aceto idem præstat.

Humores item aliqui inuncti: Veluti sanguis Vespertilionis, Ranæ, Testudinis cum Aceto, Talpæ cum vitreolo: Lac item caninum, Fel tauri vel Pulli nigri, vrina Canina.

Decoctum Talpæ cum aqua Salis ad cõsumptionem pænè factum, pilos auferri prędicant, sed renasci albos.

Oleum in quo Salamandra marina decocta fuerit, à Dioscorid. additur; alij oleum Hyosciami applicant.

Sal sæpè capiti inspersum amouere capillos dicitur.

Crocus ferri quem Martis vocant, cum oleo illinitur.

E compositis efficacius magisq; probatum psilotrum sequens existit: ℞. Calcis viuæ ℥.j. Auripigmenti ʒ.j. vel. ʒ.j.ß. adde parùm Albuminis oui & tãtillum Lixiuij tonsorum, vngatur Locus cum digito, & intra quadrantem horæ abluatur & fricetur Lixiuio. Si non recedunt, auge parumper auripigmenti quantitatem, atque experire donec succedat. Sunt qui Sapone Gallico hæc excipiunt, sicque illinunt.

Rusma à Turcis appellatum, aliquod fossile ferri excremento seu scoriæ simile, sed leuius, nigrum & veluti adustum, psilotrum esse præ cæteris omnibus efficacissimum, Turcicisq; fœminis, illiusq; loci populis vsitatissimũ, docet Bellonius, quod sine vstione loca glabra reddat, nullo pilorum remanente vestigio, si illius puluis adiectâ Calcis viuæ pulueris mediâ parte, in Aqua simul macerata inungantur, & postea in balneo mox iterum vnà cum pilis abstergâtur. Fortè chalchanti hoc rusma genus aliquod erit, sory vel melanteria vocatum, ad descriptionem illius proximè accedens.

Alia Psilotra sic aliqui parant: ℞. Calcis viuæ ℥.j. Auripigmenti ʒ.ß. puluerisata decoque in Aqua vel Lixiuio: Postea illine.

Alij cineres Cornu cerui, cum media quãtitate Auripigmenti in Aqua fluuiatili decoquunt, sicque vtuntur.

Auripigmenti puluis succo Hyosciami exceptus & inunctus, pilos euellit & renasci prohibet, vel saltem ne dolorem sæuiorem inferat, succus ille additus impedit.

Aliud efficax: ℞. Auripigmenti ʒ.j. gummi Hederæ ʒ.v. fiat puluis, adde Ouorũ formicarum contusorum cochl.j. & cum Aceto incorporentur. Potest & sanguis Vespertilionis vel Ranarum addi, vel succus Hyosciami, fortè ne iterum renascantur.

Vsurpant aliqui decoctum Tithymali in Aceto, additâ Calce viuâ, si excoriet, Malua simul incoqui poterit, vel potiùs Lacte contemperari.

Aqua pilos demens & renasci prohibens: ℞. Salis nitri ℥.viij. Aluminis ℥.vj. contundantur: Exstillatâ aquâ madefiat locus, atq; vbi siccata fuerit, repetatur.

Lixiuium in quo coxerint radices Vrticę & in quo ferrũ equi rubiginosum contineatur, idem efficit, si pilis per depilatoriũ priùs ablatis in dies ter eo calido locus lauetur. Ne renascantur præcipuè prohibetur, hoc medicamento: ℞. succor. ex Narcoticis prædictis ℥.ij. sanguinis Vespertilionis vel alterius ex supradictis humoribus ℥.ß. sicque vsurpetur, addito & gummi Hederæ. Vel illis mucago Psyllij ad ℥.ß. misceatur, vel pulueris Cerusæ & Plumbi vsti an. ʒ.j. addatur.

Vel: ℞. Opij ℥.ß. Sanguinis draconis ℥.j.ß. coquantur in Aceto, addito interdum succo Hyosciami.

Aqua elicita probatur ex plantis vel succis Papaueris, Hyosciami, Cicutæ, Telephio & Semperuiuo, addito sanguine aliquo ex supradictis, item Alumine & Aceto.

Euelluntur aliàs pili, non vi, cùm plures sic extraherentur non sine dolore, atque si singuli euellendi, multùm temporis requireretur & molestia; sed arte alia, & ferè sine dolore, Emplastro quodam tenacissimo, illic vbi eos eradicare volumus, cuti imposito retentoque aliquandiu donec firmiter adhæserit, posteaq; iterum detracto; sic enim pili emplastro inhærentes, non magno labore educuntur.

In hanc rem valdè conueniens hoc est: ℞. resinæ Abietinæ, quâ lectos nostræ inungunt mulieres, vel Lariceæ, circiter cochlearia

ria quatuor, Masticheş instar auellanæ pulueriſatæ, diſſoluantur & coquantur parùm ad ignem, continuò agitando, & poſtea in aquam frigidam effuſa, malaxentur pro Emplaſtro.

Aliter paratur etiam additâ Colophoniâ, & pauco gummi Ammoniaco, vel Galbano, ſic enim cute emollitâ ampliùs, faciliùs pili cedunt.

Additis quibuſdam quæ pilos ſimul euellunt, & actu & potentiâ operabitur, veluti Gummi hederæ.

Vel ſic: ℞. Picis naualis ℥.ß. Maſtiches vel Gummi hederæ ʒ.iij. Auripigmẽti ʒ.j.ß. cum Reſina fiat emplaſtrum.

Abſecantur pili facilè forficulâ, ſed longè exactiùs raſorio, cute priùs Aquâ calidâ, vel Lixiuio nonnihil calefactâ, humectatâ & emollitâ, vti aliàs pili quos penitùs auferre volumus, abradi ſolent; ſed quia tunc adhuc extremitates ipſorum poris infixæ remanent, atque apparenter coloratam cutem reddunt, & quia ſubitò iterum emergentes, eam exaſperant, & quò frequentiùs abraduntur, eò craſsiores euadunt, abraſio ſola hanc deformitatem non aufert, ſed tantùm, vti vocant, ad tempus palliat.

Vritur cutis p. r. imper, non ad auferendos pilos, cùm tutiùs abſecentur, ſed ne renaſcãtur, cùm radices pilorum ſic abſumantur, & pori obliterentur. Quod vti pſilotris fortioribus quoq; effici poſſe oſtendimus, ſic & cauterio actuali perficitur. Fieriq; hoc debet Bracteâ auri ignitâ, ſubitò per cutem deductâ; ſic enim etſi vſtio appareat, eâ tamen ſanatâ poſt ſe maculam cicatricis minimè relinquit.

Corporis partiũn ve illius quarundam, Carnoſitatis ſeu Pinguitudinis nimiæ cura.

Carnoſitas ſeu Pinguitudo nimia corporis illiúſve partium, ne grauamen aliquod aut tarditatem ad actiones obeundas adferat, potiùs præcaueri aliquo pacto, quàm tolli debet, cùm ſi corpus, quod priùs grande erat, admodum attenuetur, rugoſum, inæquale & deforme fiat: Vti & priuatæ aliquæ partes, veluti mammæ vaſtæ cùm ſubſident, flaccidæ & pendulæ fiunt: Quemadmodum & genæ, ſuræ, venterque qui priùs diſtentus erat, ſi collabatur, admodum rugoſus apparet.

Verùm ad præcautionem huius molis antequam corpori adueniat, vel correctionem aliquam illius ſi jam adſit, ne præſertim vlteriùs augeatur, illud, ſanguinis illiq; innatæ pinguedinis nimium prouentum impediendo, præſtabimus: Idq; primùm per cibandi rationem parcam, vel quæ parùm nutriat. Cæterùm ſi ſaltem moderatiùs quàm aliàs eâ vti ſolebant, vtantur, cùm per eam ſanguis magis laudatus potiùs, quàm parcior gignatur, ad molem corporis minuendam parùm cõferet. Et ſi multùm de ea detrahatur, cùm eam diutiùs non ferant, nec hanc viam illis præſcribendo, multùm proficim⁹. Sicuti verò ſi victu pauci nutrimẽti vti aſſueſcant, & à plantis petita potiùs quàm ab animantibus comedãt, Aquamq; potiùs quàm Vinum, vel illud ſaltem tenue & inualidum, bibant, ſicque corpus emacient, & per hanc regulam exquiſitiorem caſtigent.

Labore valido & continuo, corporũ ſubſtantiâ plus ſolito abſumptâ, illiusque præſertim pinguedine, ea ſpacio temporis quoque decreſcunt, tandemq; marceſcunt, præſertim ſi victus ratio prædicta huic accedat. Exercitiis aliis, cùm concoctio meliùs procedat, corpora potiùs augentur, quàm diminuuntur.

Euacuationibus magnis aut ſæpè repetitis, per quam ſanguis & ſuccus nutriẽs corpori vel partibus ſubtrahitur, illarum quoq; incrementũ vel prohibetur vel emendatur. Vti per ſudores multos; calore ob motus validos vel balnea, alióve modo, ſæpè repetitos. Per ſanguinis emiſsiones venâ ſectâ, ſcarificationes, per purgationes frequenter uſurpata. Quæ vti ſtudio in hiſce caſibus inſtituuntur, ſic caſu ex largâ ſanguinis profuſione, vel ſeminis in venere immoderatâ, aut alui fluxionibus magnis, vel morbis diuturnis aut acutis corpus abſumentibus, illius carnoſitas tollitur, macilentiaq; inducitur. Quod & ob ſenium illis accidit.

Alterantibus quæ calidam & ſiccam corporis cõſtitutionem perſeuerãtem gignũt, vt minùs obœſum & carnoſum fiat, poteſt effici, vel ſi tale iam fuerit, diminui. Qualis temperatura, victus ratione vel medicamentis eiuſmodi, alióve modo tandẽ inducitur.

Inprimis verò ad obœsos extenuandos commendant decocta quædam sæpè bibita, facta in Vino, vt Coryli iulum qui ab ea dependet. Item radic. Polypodij & herbæ Cariophyllatæ, Cancami, Rosmarini, addito Zingibere:

Vel Aquam ab hisce exstillatam sæpè sumptam.

Acetū frequenter bibitum idem molitur.

Quod & pulueres ex sequentibus cum vino haustos præstare aiunt; veluti semin. Fraxini, Polij, Petroselini.

Item Tartarum vini sæpè datum, vel gummi Sandaracæ ℥.ß. cum Oxymelite: Sal item Viperarum.

Piperis frequentem vsum maciem inducere docetur.

Pilulæ ex amaris paratæ ℈.ß. pondere singulis matutinis sumptæ ad idem conferunt. Vt ex radic. Aristol. Gentianę an. ʒ.j. rad. Rubiæ, summit. Centaurij minoris ana ʒ.ß. Aluminis ℈.j. cum succo Polypodij vel Cariophyllatæ fiat massa.

Mammarum incrementū, præcipuè prohibere mulieres quæ pulchritudini student, conantur, tum vt minores maneant, quod venustum esse putant, vel ne in nimiam molem excrescentes oneri etiam sint; quod tutiùs nonnihil quàm in cæteris partibus, cùm certo tempore primùm prorumpere incipiant, fieri potest.

Perficiturque non solùm obseruatis iis, quæ totius quoque corporis incrementum impedire, modò diximus, sed & topicis admotis, quæ nutrimentum ipsarum repellendo, refrigerando aut adstringendo, vel absumendo, vi digerente & exsiccante, sic quoque ne vltra decorum excrescant, eas retineant.

Quod iisdem quoque remediis, quæ ad lactis prouentum in vberibus impediendum, vel illud quod genitum est resoluendum, in lactis exuperantia descripta sunt, mamillis applicatis ex parte præstari potest.

Ad hæc fomentatio mamillarum sæpè iterata cum spongia, vel panno linteo intincto, & admota relictaque donec siccetur, incrementum eorum prohibet. Paratur ea ex decocto in Vino rubro, addito & Aceto, Alchimillæ, Equiseti, Myrthi, Plantaginis, Rosarum, Melissæ, Menthæ, Gallarū aliorumq; adstringentium.

Vel fiat ex diluto aut decoctione Salis ammoniaci & Aluminis in Vino.

Aqua stillatitia elicita ex supradictis, similiter vsurpari potest, addito Alumine; probatur & aqua è nucibus Pineis immaturis exstillata.

Item alia, ex Ouis conquassatis, cum Alumine & Cretæ albæ pul. in pastam redactis elicita.

Cotonea, Poma, Pyra immatura, Mespila, Sorba, Pruna syluestria contusa cum Aceto mista, vel in eo cocta, apposita similiter operantur. Vel cocta in Omphacio, unà cum putamine Gallarum.

Inprimisque Cicuta recens contusa per se vel cum Aceto applicata: folia item Hyosciami: Dein & Mentha & Melissa.

Conuenit & sequens emplastrum: ℞. Mastiches Thuris ana ℥.ß. Gallarum, Nucum cupress. an. ʒ.ij. Boli vel Argillæ aut terræ Cimoliæ vel Rubricæ fabrilis ℥.iij. puluerisata excipiantur Albumine oui & Aceto vel Melle: Et sic applicetur.

Vel: ℞. cortic. Granatorum ʒ.iij. Balaust. ʒ.ij. Acaciæ vel Hypocistid. ℥.ß. excipiantur Aceto & mucilagine seminis Psylij.

Vel vtatur hoc vnguento: ℞. Cerusæ ʒ.iij. Alabastri vel Cretæ albæ ʒ.ij. Camphoræ ℈.j. Boracis ʒ.ß. infusionis gummi Tragach. ℥.ß. olei Myrtini q. s. fiat vnguentum.

Attritura quæ ex cotibus duabus mutuò attritis secedit, aceto mista, pro inunctione commendatur. Naxiam cotem illitam eas cohibere ne excrescant, docet Dioscorides.

Squatinam piscem mamillis impositum admodum eas constringere à quibusdam perhibetur.

Paruitas corporis aut membrorum nimia, insita ab ortu, emendari nequit, neque alia vi mutilata membra reparari ampliùs possunt, nisi quòd arte per instrumenta quędam, quibus & amissas partes aliquas effingi posse, in numeri defectu diximus, quod in magnitudine decedit, in quibusdam suppleri queat. *Corporis illiusve partium quarundā paruitatis curatio. Partiū mutilatarum curatio.*

Aliàs quoque in locum alicuius membri portio-

portionis amissæ, noua quædam caro supplantari, illaque ad formam prioris aliquo modo efformari potest. Quod in Naso ex parte ablato, chirurgi quidam ingeniosi efficere se posse prędicant, qui refricatâ cicatrice cuticulaq; à nasi extremitate abrasâ, in musculosa carne brachij ipsius ægri vulnere secto, diuisioni, nasi remanētiam eo modo vti diximus, cuticulâ denudatam, utrique nari priùs stylum imponentes, indunt, caputque cum brachio conuinciunt, sicque iuncta, donec naso caro noua accrescat, retinent, quo facto portionem quę naso formādo sufficiat, exscindunt, & ad formam prioris adaptant, naresque stylis exemptis aperiunt, & dein nouam cicatricem illi obducunt. Quòd si in naso succedit, etiam in aliis membris mutilatis, similiter tentatum procederet, & licèt adnexa hæc caro parti ad functiones edendas nullum subsidium præberet, tamen deformitatem illius nonnihil sic quoque tegere posset.

Papillarum absumptarum curatio. Ad papillas omninò vel ex parte amissas, aliquo pacto educendas, eousq; vt infans per eas sugere posit, capulam Glandis vel semitestam Auellanæ, Resinâ lariceâ vel aliâ impletam, illic vbi hæ desunt, applicare, atque aliquandiu retinere solent mulieres.

Gingiuarum consumptarum curatio. Gingiuarū carnosa caro, cùm nuda veluti sit, nec crassiore tunica obtecta, attritione consumpta, regenerari aliquo pacto rursum potest. Quod vt efficiamus, si putredo vel alia corruptio gingiuas adhuc occupet, ea primùm auferenda erit. Idq; Aceto squillitico, eas frequenter fricando vel Omphacio cum Melle. Vel etiam fortioribus, vt mixturâ ex puluere radicis Draconteæ cum Melle, misto paratâ: Vel vnguento Ægyptiaco contemperato cum Vino, aliisve eiusmodi abstergentibus putredinemque arcentibus, in oris vlceribus expositis.

Postea ad regenerationem huius carnis, siccantibus sarcoticis, quæ & eam dentibus conglutinant, frequenter gingiuas perfricent. Vt hoc puluere, qui ℞. radic. Ireos ℥.j. farin. Orobi ℥.ij. Thuris masculi vel Mastiches ℥.j. Sarcocollæ ʒ.ß. Aluminis vsti ℈.j. radic. Angelicæ, boni odoris gratiâ, vel Cyperi vt vult Dioscorid. aut Gariophyll. parùm, vel Moschi vel Ambræ tantillum, fiat puluis.

Commodè etiam addi potest radix Aristoloch. sed amara est. Item Myrrha, sed ingrata est, illiusq; proin loco Benzoinum vel Storax sumi poterit. Vtiliter & Sanguis draconis additur, sed admodum rubore dentes afficit. Quod & Hæmatites qui alioquin etiam conuenit, facit.

Conferunt & cineres Pulegij, vt docet Dioscorides. Item Cornu cerui vstum, Spodium, aliaq; multa ex supradictis, quæ dentes mobiles firmare docuimus, eoq; magis, si ob gingiuarum absumptionem vel relaxationem dentes minùs firmi sint. Competūt & dentifricia siccantia, in dentium immunditie exposita.

Calcinatio Thuris & Mastiches puluerisatorum, Melle permistorum, addito insuper puluere Corallorum & pauco Salis vel Aluminis, puluerisata & affricata multum proderit.

Trochisci de Orobo ex farina illius Melle subacta parati, plerunque in hoc affectu vsurpantur.

Possunt & pulueres prædicti, Melle vel Oxymelite squillitico excipi, sicque in trochiscos formari, ad vsum exiccari & asseruari.

Orificiorum quorundam nimia angustia, vt Vteri sinus & præputij in Phymosi, si tanta sit, vt non solùm deformitatem pariat, sed actionem illius tollat, vel saltem difficiliorem reddat, tunc ea dilatanda erit, idque vi sectione factâ. *Orificiorū quorundam angustiæ cura.* Quæ in Præputij phymosi cutem diuidendo, vel circumscindendo & portionem anteriorem aliquousque præscindendo, vti in circumcisione faciendâ hoc adeò frequens est, sine periculo potest perfici. *Phymosis cura.*

In Vteri sinus orificij nimis arcti latere, diuisio sectione facta illud ampliat, vti hoc sæpè quoq; tentatum iuuit, etsi maiore cum dolore & labore fiat. *Vteri ianuæ angustioris curatio.*

Quapropter non nisi tutioribus præmissis priùs, si fortè ea iuuarent, rem aggredi decet. Fouenda igitur hæc loca admodum relaxantibus, humectantibus & emollientibus fotibus & balneis, vel vngenda, idem præstantibus vnguentis, aut pessariis intro-

intromissis, qualia varia in vteri ceruicis duritie, & scyrrho fuerunt exposita. Quibus dum utimur, Turunda crassa, quæ orificium hoc adimpleat, ex radice siccâ Gentianæ, vel Spongiâ arctè ligatâ, formata, illi immitti debet, vt dũ intumescit, sensim foramen illud diducat, atq; sic si sæpe repetatur, dilatet.

Gracilitas vehemẽs corporis certarúmve partium, non quæ ob consumptionem eius accidit, sed originalis existit, plerunque talis permanet, nec immutatur. Aliàs verò ad carnositatem, vel pinguedinem aliquam à contrariis causis, quæ sanguinis & succi inde nati nutrientis proventum augent, reducitur. Veluti viuendi ratione decenti, in cibo, potu, somno, euacuationibus naturalibus, corporis animique motibus instituta; vnde aliqui habitiores fiunt.

Mammarum gracilitatis seu Mollitiei & Flacciditatis curatio.

Mammarum inprimis gracilitatem, quæ cùm molles flaccidæ & pendulæ sunt, illis accidit, & pro turpi habetur, corrigere student mulieres illæ, quæ venustatem corpori conciliare curâ student cosmeticâ. Adhibitisque indurantibus, eas duriores firmioresq; reddere contendunt, iisdem ferè præsidiis topicis adstringentibus & siccantibus, quibus & incrementum ipsarum impediri diximus.

Partiũ figuræ indecentis curatio.

Figuræ indecentis partium quarundam vitia ipsas deformantia, quæ præter ea, quæ in numero & magnitudine peccant, ipsis accidunt, de quibus iam egimus, quando aliàs malè formatæ sunt, ut caput, nasus, os, aliáve loca, cùm ab ortu talia procedant, correctionem nullam admittunt. Vti nec dentium vnguiumq; eiusmodi inæqualitas formáve alia vitiosa.

Pilorum crispotũ emendatio.

Quæ si in pilis se offerat, vt cùm curui vel supra modũ crispi sunt, eos abscẽdo si plures sint vel euellẽdo si pauciores, auferimus. Quod tamen cùm adeò indecorum minimè sit, non ita necesse est moliri, nisi molestia aliqua inde sequatur; Vti fit quando in palpebris curui nascuntur, inflexique oculi sedi se inferentes eam punguut, quos auferre cogit necessitas.

Rectificari quoq; eiusmodi pilos curuos posse existimãt, si viscositate Limacum, obiter tãgãtur: Quod & glutine alio fieri potest.

Recrescere etiam rectos euulsis prioribus docent, si pori, quibus insistebant pili, oleo, in quo Lacerta cocta fuerit, sæpè vngantur: Vel sanguine Ranę, pręsertim si radicis Laureolæ puluis vel cineres Origani combusti, illi permisceantur.

Pilos rectos crispos reddentia.

Rectos penitùs pilos, cùm aliqui certis præsertim in locis minus decoros esse, crisposq; illic magis decere existiment, eos arte crispos reddere student; idque præsertim vehementer astringentium vsu. Qualia inter ea quæ pilos denigrant, exposita fuerunt, eligendo efficaciora; vt pro ablutione, decoctum Gallarũ, cortic. Granatorum, Nucum cupresi, Balaustiorum similiumq; cum Lixiuio factum. Quibus & alia addunt quæ pilos crispare existimant, vt radic. Asphodeli, Ebuli cum folijs, semen item Hyosciami.

Illinuntur quoque ex ijsdem parata vnguenta, veluti: ℞. olei Myrtini vel Lentiscini ℥.ij. olei Hyosciami ℥. ß. succi Myrti & Aceti ana ℥.j. coquantur, adde pulu. rad. Asphodeli vel Ebuli ʒ.ij. cineris Castanearum echinorum, nucum Pinearum ana ʒ.ß. rasur. Cornu arietis, gummi Arabic. Trahach. ana ʒ.j. Myrrhæ ʒ.ß. Mellis q. s. fiat vnguentum.

Alij idem præstari posse existimant, si Mucilaginosis sæpè abluantur, in Aqua vel Lixiuio coctis, vt radic. Altheæ, seminibus Lini, Fœnogr. Psyllij, item Gummi Arabico, fortè sic pilos emolliri, Vt faciliùs curuentur, credentes, vel poris inde relaxatis amplioribus factis, minùs tunc rectè pilos, sed curuatim procedere existimantes. Alij simul rad. Filicis, fol. Betæ, Lithargyriumq; addunt, & siccatos rursum pilos, oleo Myrtino inungunt. Sunt qui radicem Ebuli cum oleo tritam capiti illinant. Ferro cadente pilos obuoluendo mulieres certiùs illud perficiunt.

Partiũ quæ vnitæ esse debebãt Diuisionis cura. Labij superioris diuisionis cura.

Diuisio in parte aliqua, quæ vnita esse debebat, siue post vulnus curatum remanserit, vel separatio hæc illius ab ortu processerit, si in carnosis locis eueniat, vniri rursum potest. Veluti illa scissura labij superioris, quam infantes aliqui in lucem secum adferunt, admodùm deformans, quam Hasenschart vocant, in qua labia iterum concrescunt, si vtrinq; à lateribus ipsorum, vbi diuisa sunt, carnis tenuis portiuncula, cuticulâ inuestita, ampu-

amputetur, posteaq; suitione vel aciculis infixis labia coniungantur, emplastrisque impositis, donec rursum coalescant, retineantur, eoque modo, quemadmodum in vulnerum cura descripsimus, procedatur. Quod & in aliis locis diuisis, si deformatio aut incommodum inde sequatur, si fortè concrescerent, eo modo tentari poterit, quod in carnosioribus sedibus succedit, in aliis verò ægrè.

Gingiuarū separationis à dentibus curatio.

Gingiuarum separatio à dentibus, si à violento morsu procedat, ab eo cauere oportet, atque potiùs in sano loco, vbi cibi erunt masticandi. Si à tophis adnatis oriatur, illi primùm erunt extergendi vel auferendi, cùm hisce præsentibus, caro minimè possit accrescere; quibus ablatis, caro meliùs dentium radicibus adhæreſcet, nonnunquam & denuò coalescet. Ob eamque causam remedia quæ in hanc rem adhibentur, ea potissimùm sunt, quæ dentes mundificare, in ipsorum immunditie exposuimus; & quæ carnem generare in gingiuarum consumptione diximus, cùm illa dentes repurgando, hæc carnem non solùm generando, sed eadem vi siccante conglutinando, sicuti illic ostensum, id præstare possint.

Præter quæ ad conglutinationem hanc, collutiones oris, quæ & siccando & cōstringendo id præstant, adhiberi possunt. Qualis hæc est: ℞. radic. Consolidæ, Pentaphylli, Ireos ana ℥.j. radic. Aristolochiæ, Panacis ana ℥.ß. radic. Angelicæ & Cyperi ana ʒ.ij. herb. Pimpinellæ, Verbenæ, Hyperici, Pulegij ana M.j. Rosarum rubr. P.j. Balaustiorum ʒ.ij. Myrobalan. citrin. ʒ.iij. semin. Orobi ʒ.ij. Mastiches, Thuris ana ℥.ß. decoquantur in Vino & Melle, addendo parùm Aceti squillit. aromatis. Cinamom. Colluat eo os frequenter. Addi potest & Aluminis parùm.

Dentiū fracturæ, Cauitatis & Corruptionis curatio.

Dentes fracti vel diuisi aut abrupti, vel caui aut alioquin cariosi & corrupti, reparari ampliùs nequeunt, & proin si inutiles sint, & molestiam adferant, euellendi erūt. Quòd si verò adhuc vsum aliquem in masticatione præbeant, præsertimque si ob vicinorum aliorum absentiam, illis adhuc opus sit, tunc relinquendi: sed ne vlteriùs corrumpantur, quantùm fieri potest, prospiciendum.

Quod fit si eam oris sedem sæpè colluamus, decocto radic. Capparorum, Pētaphylli, Aristolochiæ, Cyperi, fol. Menthæ, Gallarum, sem. Nigellæ, baccarum Lauri, in Vino vel Aceto, vel Aqua ferrata facto.

Valetque præcipuè decoctum rad. Tithymali in Aceto.

Hisce Alumen additum, efficaciora hæc reddit.

Vel colluat os aquâ Saluiæ, Rosmarini, cui & Sal & Vinum permisceantur.

Aut Acet. squillit. parùm diluta, si nimis sit efficax.

Fricentur insuper dentes corrupti, dentificiis in sorditie & discoloratione ipsorum mundanda expositis, quæ siccando etiam corruptionem arcent. Vel puluere sequenti: ℞. Ossis sepiæ ʒ.ij. Coralli vsti, Cornu cerui combusti ana ʒ.j. Mastiches, Aluminis ana ʒ.ß. fiat puluis.

Vel ex Origani, Rosmarini, Parietariæ cum Melle & Sale priùs permistorum combustorumque cineribus.

In dentem vitiosum indimus puluerem Gallæ, rad. Peucedani, sem. Staphisagr. Pulegij. Aliquando & Chrysocollam Borracem dictam.

Ad dentes auferendos cùm inutiles sunt, chirurgi suas adhibent forcipes, & id genus varia instrumenta, quibus eos extrahunt; in quo aliqui adeò sunt industrij, vt cùm sine labore hoc eos facere astantibus videatur, se admirandos reddant, atque circumforanei facti populum allicientes, illique hac arte, etiam multa similia se præstare posse, persuadentes, quæstum sic faciant. Nam vinculis vti alij qui mobiles sunt, extrahi, cùm firmiter hæreant, vix possunt, eoq; minus, si parū de illis abruptis aut corruptis supersit.

Vstione, tum quia radices sic exiccantur, vel dentes confringuntur, vt postea faciliùs excidant, vel eximi possint, effici potest. Quod immisso in cauum aut cariosum dentem, Cauterio actuali, stylo scilicet candente, vel potentiali, vel Aqua forti, vel lacte Tithymali, Sory: sicuti in dentium dolore hæc quoque proposita fuerunt, perficitur. Ranunculi radicem, Cyclaminis succum immissa, idem præstare docet Dioscorides.

Aliaq; quæ tamen caustica minimè sunt, vt rad. Chamæleontis nigri, Chelidonij succum; Olei amurcam cum omphacio, Cedriam & Pastinacæ piscis aculeum.

Vt sponte elabatur dens, cõferre posse putant, si in illum immittatur Gummi Hederæ, vel adeps Ranæ viridis aut temporariæ, sanguis Lacertæ.

Vel si denti ipsiúsve radici admoueatur (priùs reliquis munitis fermento aut cera, ne eos quoque tangat) rad. Mori per triduum in Aceto infusa, siccataq; postea & puluerisata.

Hyosquiami item nigri radix vel folia, admodum calefacta; radici dentis admota.

Colocynthis quoque syluestris in Aceto infusa, trita & cum Melle cocta.

Vel ℞. pingued. Ranarum, succi Chelidoniæ & Aquę vitæ æquas portiones: Et illine vel impone.

Aut succum Chelidonij atque Arthemisiæ cum Aceto sic adhibe.

Eruca folijs caulium adhærens denti apposita idem facere docetur.

Aqua elicita ex sale Ammoniaco, similiter operari censetur.

Vnguiũ Scabritiei et Fissurarum curatio. Vngues scabri vel fisi reintegrari aut æquales fieri nequeunt, sed crescendo procedentes tandem abeunt, quod vt meliùs fiat, neque alij similes succedát, vel quando subsistunt vt auferantur, primùm leuioribus admotis illud tentatur.

Veluti Pice, Cerâ, Resinâ, liquefactis & applicatis, Mastiche item, Colophonia cum Terebinth. dissol. addito interdum & sulphure.

Passulis itidem per se, vel cum Oppopanace mistis & admotis.

Radicem Lapatij in aceto addit Dioscor. & Chelidoniũ minus, Cupresiq; pilulam.

Nasturtium cum semine Lini etiam probatur.

Quibus & Ciminum, radic. Costi adduntur, Melleque vel pulpa Passularum aut Axungia excipiũtur, misto & Sale quandoq; vel Alumine.

Fortiora vngues scabros detrahentia, sunt radices & folia Ranunculi applicata.

Arsenicum cum Visco, vel gummi Serapino aut Cerâ vel Sæuo aut Oleo cõmistum.

Aut Cantharides cum vnguento Rosaceo vel alio.

Pilorum fissuræ seu scissuræ. Pilorum fissuræ seu scissuræ, nisi in pluribus hoc fiat, negliguntur: Cui vitio si quoque emendationem adhibere velimus, fissi pili pars tenuior erit vlteriùs, singulos pilos diuidendo, detrahenda, atq; ea quæ remanet circa extremitates Felle inungenda: eaque postea rursum decocto aliquo pilos generante, veluti ex Abrotano, Capillaribus herbis rad. Cannarum alijsq; in simplicibus quę pilos producũt expositis, facto, eluenda.

Sunt qui mucilagine aliqua vel visco aut colla diuisos eiusmodi pilos rursum conglutinando, tempus inutiliter impendunt.

Furfurũ curatio. Furfures capitis, quando non sponte, sed ex fricatione solùm decidunt, negliguntur, vel solâ pectinatione & frictione capitis ablutioneque ex lixiuio consuetâ, auferuntur. Quando verò admodum exuperant, & per se continuò delabentes, vestes perfundunt, vti & si in barba conspicui sint, indeq; prodeant, aut etiam alijs in sedibus occurrant, tunc cura illis adhibetur: Corpore priùs purgato, si ab excrementis gignantur: Vel morbo sanato, si inde proueniant.

Topica quæ adhibentur, sordes & serosos humores cuticulam exedentes, furfuresque sic gignentes, consumere atque abstergere debent, & mitiùs validiusq; id præstare, prout pertinaciter hæc hærent, additis semper etiam lenientibus, vt cùm hæc cutem admodum siccando exasperent & findant, leniendo hoc simul impediant. Vel hisce post aliorum vsum primùm ob eam causam vtendum.

Ablutiones varijs modis fiunt; Imprimisque Lixiuio communi vel tonsorum, quod validius est, adhibito insuper Sapone, illum simul affricando; quæ communis est ratio.

Vel Lixiuio permisceatur succus Betæ aut parum Aceti; Item Mel & parumper Fellis.

Vel loco lixiuii, Vrina, Aqua salsa aut Vinum sumatur, eaque simpliciter vel additis iam dictis vsurpentur.

Aquâ calidâ facta ablutio, exasperatam

cutem vsu detergentium, iterũ lenit, quare post horum vsum adhibetur, in qua Malua, Fœnogræcum priùs coqui possunt.

Decoctum fol. Salicis & corticis eius, pro lotione valdè probatur.

Vel decoctum Bliti albi & Brassicæ cum radic. Item Maluæ, Parietariæ Saponariæ, Lupinorum, Fabarum, Fœnogr. Melonum, & baccarum Euonymi. Item rad. Cucum. asin. Squillæ.

Inunctiones variæ in hanc rem fiunt: Potestq; sequens vnguentum parari: ℞. olei Amygdal. amar. vel Nucum ℥.ij. olei Violacei, Irini vel Cheirini an. ℥.j. succi Bliti ℥.ij.ß. Aceti ℥.ß. coquantur parùm adde Fellis tauri ʒ.iij. Sulphuris ʒ. ij. Vitreoli ʒ. j. Nitri ʒ.ß. fiat Linimentum. Quod & Colocynth. ʒ.ß. addita efficacius reddit.

Vel: ℞. nucleorum Amygdal. tostorum & Nucum rancidarum ana ℥.j.ß. contundãtur in pastam. Vel horum loco sumatur farina Lupinorum & Fœnogræci, miscendo pul. Sulphuris ℥.ß. Boli vel alteris Terræ pinguis, (Cimoliam laudant) ʒ.ij. Fæcis Vini ʒ.j. Fellis tauri ℥.j. Mellis communis vel squillitici q. s. fiat Linimentum. Potest addi seminis Sinapis vel Staphisagriȩ ʒ.j.

Cinis rad. Liliorum vel Allij, Melle exceptus & inunctus.

Myrobalanorum citrinarum puluis cum succo Bliti & Aceto inungitur.

Oui vitellum & albumen, testâ illius confractâ, capiti infusum & inunctum, postea ablutum, admodum lenit, post detergentium exasperatam cutem, vsum.

Pomatæ illitio, vt minus findatur cutis, cauet.

Aqua conueniens fit ex summit. Hyperici, Chamæpithydis, Parietar. vel Saponariæ ana M. j. ß. farin. Lupinorum, Fœnogræc. ana. ℥.j. Sulphuris ʒ. vj. Tartari ʒ.iij. Nitri ʒ.j. affundendo Vini rubri ℔. j. Aceti ℥.ij. aquæ Rosarum ℥.j. Eliciatur aqua.

Frictio capitis cum Sale vel Nitro vel farinâ Lupinorum conuenit.

Pectinatione furfures decidunt & veluti ningunt.

Manus volæ squama

Squamæ in manuum vola abscedentes, in affectu quem Pelatellam Galli vocant, simili ratione vti de furfuribus diximus, abstergentibus & simul emollientibus abiguntur. Vel si ad viuam cutem usque desinant, iisdem remedijs quibus Abrasiones cutis sanari diximus, curantur. *rum curatio.*

Partiũ quæ dissitæ, vel orificiorum quæ aperta esse debeãt Concretionis cura.

Concretio partium quæ dissitæ esse debebant, vel orificiorum quæ aperta esse oportebat, ab ortu vel casu alio producta, vix dum aliâ ratione quàm per vim inductam rursum diuellitur. Et proin si hæc continuatio partium non adeò actionibus incommodet, sed solùm quia inconsueta deformis aliquo pacto existat, negligitur. Quod si verò functionibus plurimùm obsit, qualis est foraminum quorundam vt Ceruicis, Vteri, Podicis, aliorúmve obturatio, tunc sectione vel cauterio ea reserare necessitas cogit, eo pacto sicuti in functionum illarum læsionibus descriptum fuit, quod eò faciliùs & tutiùs succedit, si illa concretio interueniente solùm membranâ vel carne non adeò spissâ, facta sit.

Occlusio sola citra concretionem orificiorum stabilis, vti Oris in spasmo, cùm similiter actiones impediat, in harum defectu, quo pacto hæc aperienda, edoctum fuit.

Pilorum intricatorũ & cõplicatorũ in tricas curatio.

Coniunctio alia partium minùs decora permanens, cùm in pilis inuicem intricatis tantùm ferè se offerat, pectinando ordinariè facilè corrigitur. Quòd si verò complicati & integri tricas referentes è capillis vel barbâ dependentes, deformationem maiorem pariant cùm aliud impedimentum minimè adferant, plerunque intacti relinquuntur, cùm eos ampliùs discernere vix possimus, & si amputentur, sic inuoluti recrescant. Minusque hi qui eiusmodi tricas gestant, in illis corrigendis laborant, cùm virilitatis hosce indices statuentes, illis eas decori potiùs, quàm dedecori esse, sibi persuadeant.

Parium Situs per perversionis curatio.

In Situs partium peruersione quæ se offert deformitas, si cùm functionis illius graui offensa vel dolore iungatur, vt in luxationibus, fracturis, rupturis, in hisce curatio horum affectuum fuit exposita: Vti & Gibbi præ cæteris corpus admodum deformantis.

In Digitis pedũ ad latera nimiùm deductis, vel aliò reflexis, cùm hoc à calceis vti-

ostendimus, procedat, inprimis ne angustiores gestent, cauendum, hocque vitium sic prouieniendum; quod factum postea emendare vix amplius licebit.

Oculorũ Prominentiæ cura. Oculorum è sua orbita nimia prominentia, ab ortu facta, incurabilis est: Ob conatum verò vehementiorem proueniens, eo cessante, rursum quoq; remittit, ita vt applicatione astringentium opus minimè habeant; cùm si illa leuiter astringerent, eos reprimere minimè possent: si fortiùs, oculum corrugando plus nocerent. Et cùm nec flatus nec humiditas alia, oculi interiora replendo, oculum protrudere queant, frustra hisce absumendis, vti aliqui faciunt, oculo topica applicaremus.

Dentiũ Mobilitatis curatio. Dentium sitûs permutatio in mobilitate aut vacillatione ipsorum, vt curetur, illiq; in sua sede rursum firmentur; & ne excidant, caueatur, siccantibus & constringentibus admotis efficitur, eligendo quæ non tantopere, vti aliqua adstringentia facere solent, dentes denigrent, addendoq; illis quæ gratum odorem ori simul conciliant.

Collutiones oris in hanc rem fiunt, radicum Pentaphylli, Bistortæ, Capparorum, Tapsi barbati, foliorum Myrti, Lentisci, Oleæ, Viburni, Potentillæ, Fragariæ, Mespilorum, Cornorum, Sorborum, Rosarum, Balaustiorum, Gallarum; quæ tamen dentes denigrant, Cortic. Vlmi, Capularum glandium, Spongiæ, Bedeguar, Musci arborei, decoctorum in aqua pluuiali vel ferrata, aut Vino rubro, addendo quandoque Acetum.

Hisce Alumen additum, efficacius decoctum reddit.

Ad humiditatem simul eliciendam, quæ plerunque adest, radix Pyretri simul cum illis incoqui poterit, & ad odorem suauem reddendũ, radic. Angelicæ, summit. Rosmarini, vel Saluia, atque ex aromatibus quædam. Sunt qui gummosa vnà incoquant, vnde tamen pauca accedit adstrictio, vt Mastichen & similia.

Aliæ collutiones ex variis misturis fiunt: Vt ex Alumine, cum Aceto soluto, addito Melle.

Colymbadum muriam probat Diosc. & Sory, in collutionibus.

Ex aquis itẽ factæ oris ablutiones aliquid quoq; efficiunt, vt ex aqua peculi Rosarum, Equiseti, addito Aceto.

Commanducata quædam idem præstare possunt, vt Helenium & baccæ Virgæ sanguineæ & Crespini. Itẽ Mastiche masticata.

Oleum syluestris oleæ ore retentũ, commotos dentes firmare docet Diosc.

Pulueres affricantur dentibus & gingiuis in eundem vsum: Vt Corallij aliiq; siccantes, quos in dentibus dealbandis descripsimus, addendo Sal vel Alumen, quod vstum magis adstringit: addunt etiam nonnunquam cineres ex combustis Rosmarino, Saluiâ, Myrtho, Lentisco, Oleastro: Item ex ossibus Dactylorũ & Oleæ, & Astacis vstis. Vel alios pulueres adstringentes, vt radic. Cyperi, Nucis cupressi, Spõgiæ bedeguar, Rosarum, vel Hypocistidis aut Acaciæ & Mastiches, Boli seu Terræ alicuius aliæ pinguis. Odorata itẽ vt Cinamomũ, Garyophillos, Lignũ aloës.

Vngues mobiles cùm firmari nequeant, vitium inde natum non aliâ ratione, quàm si penitùs abscedant, corrigitur, præsertim aliis in illorum locum subnascentibus; nisi enim hoc fiat, illaq; loca nuda relinquantur, maius inde vitium exoritur. Vt verò à cute recedãt vngues mobiles, aliâ arte non opus erit, cùm sponte tandem decidant. Quod vt citiùs fiat, Dioscorides vuam passam applicare iubet, &c. *Vnguiũ mobilitatis curatio.*

DE DISCOLORATIONE.

CAPVT II.

Genera.

DIscolorationem corporis eam vocamus, quando illud colorem alienum obtinet, in Cute, Oculis, Dentibus, Pilis, Vnguibus, vbi patent, apparentem.

Cutis discoloratio, quæ vbi nuda & depilis est, solùm apparet, aliàs Generalis totius est corporis, aliàs Particularis quorundam saltem locorum.

Generalis discoloratio cutis est, quando illa vndiq; ferè non vno solùm in loco alium colo-

colorem à natiuo, qui plus minúsue albus ſeu rubicundus eſt, acquirit. Vti fit, cùm viuidum coloré amittit, vel alienum alioquin contrahit, vel inuenuſtũ obtinet, in Cachexia, Ictero, Pallore, Rubore & Nigredine.

Cachexia. Cachexia diſcoloratio eſt, in qua colore florido cutis deperdito, plerumque habitus corporis decens, quem Euexiam vocant, in malum, vnde cachexia dicitur, immutatur. In hoc enim cutis plus iuſto albicat ſeu pallet, vel ex albo liueſcit, & ad colorem plumbeum vergit, corporiſq; ſuperficies plenior nonnihil tumidiorque apparet. Hunc quoque affectum dyſpnœa plerunque comitatur, quæ eos dum ſe exercent, aut altiora ſcandunt, maximè fatigat, accedente ſimul pulſatione arteriarum, circa iugulum & in colli lateribus, cordiſque palpitatione, laſſitudineque ſpontanea, in pedibus maximè; inprimiſque cordis compreſsiuus dolor, de quo præcipuè conqueruntur, illis moleſtus eſt. Qui affectus licèt omnibus accidere poſſit, virginibus tamen magis eſt frequens, eóque tempore quo menſes primùm in illis prodire atq; incipere debebant, ferè eas inuadere ſolet, ſæpeq; ad multos menſes, vel etiam annos durare, menſtruis interim minimè ſuperuenientibus; vel ſi illis quibus iam hęc fluxerunt, eueniat, iis iterũ ſuppreſſis, Febris quandoq; lenta, vt in febribus dictum, huic affectui copulatur. Interdum verò etiam aliorum morborum, vt ventriculi, hepatis, lienis accidentia ſuperueniunt, vrinæq;, niſi alio affectu comite mutentur, plerunq; albæ ſeu crudæ & aqueæ exiſtunt. Et ſi hic affectus diu perſeueret, corporis totius habitu ampliùs in molem ſeu tumorem excreſcẽte, Leucophlegmatia cachexiam hanc ſequitur, ſicuti illic explicabitur.

Cachexia Hydropis initium. Eſt & alia cachexiæ ſpecies, in qua cum pallore corporis, vti dictum, enarratiſque aliis accidentibus, pedum tumor iungitur, qui ſi perſiſtat diutiùs, vẽter ſimiliter diſtenditur atque intumeſcit. Hicque affectus ſeu diſpoſitio Hydropem aſcitem præcedit, illiusque veluti principium eſt, ſicuti in hydrope demonſtrabitur.

Cacochymia cachexiæ ſpecies. Occurrit & tertia ſpecies, in qua pallor corporis non ſimplex, ſed colore vitioſo ad flauum, viridem, atrúmve inclinante, nondum tamen ſaturato, vt in ictero, ſe manifeſtat, cum compreſsiuo quoque cordis dolore, eiusque & arteriarum pulſatione, cæteriſque, vti prior, ſymptomatibus. Quam Cacochymiam à cauſſa communiter appellare ſolent. Quæ & in icterum, vel etiam hydropis dictas ſpecies conuerti poteſt.

Cachexia cum atrophia corporis. Eſt & harum ſpecierum vna, in qua cum indecentibus dictis coloribus, cæteriſque ſymptomatibus, corporis habitus potiùs decreſcit quàm increſcit, corpuſq; macre fit atque attenuatur, vnde malè habitum ſeu cachecticum dici poteſt. Quæ ſpecies ſi diutiùs perſeueret, corporiſque ſequatur omnimoda cõſumptio, & tabes, in Atrophiam, à cauſa ſic appellatam, vti in corporis diminutionis affectibus explicabitur, conuertitur.

Icterus. Icterus diſcoloratio eſt, in qua cutis alieno colore tingitur, quod nomen ab Ictero ſeu Ictide aue, quam muſtelam vel galgulam eſſe volunt, cuius intuitu hoc vitium curari putant, illi fuit inditum. Aliàs etiam Arcuatus, quòd in oculis colorem arcus cæleſtis repræſentet, appellatur, Regiuſq; morbus, vel quòd (vti puto) magnatibus ob intemperantiã ſit familiaris, vel quòd mulſâ, q regius olim erat potus, vti docet, ſanetur. *Morbus Arcuatus Regius.*

Variat autem hic affectus pro diuerſitate coloris potiſsimùm, qui nunc citrinus eſt, tuncq; Icterus citrinus ſeu flauus, à Germanis Gelbſucht dicitur: aliàs magis ſaturatus & croceus exiſtit, aliàs etiam nitet & ſplendeſcit, & tunc Aurigo ab auri colore nominatur: Aliàs ad viriditatem aliquam hic color tendit, aliàs etiam ad nigrediné, quæ interdum flauitiei præualet, vnde & tunc Icterus niger appellatur. Qui colores primùm ferè in oculis, mox in facie, vtpote ſede patente, apparẽt. Aliàs maiorem corporis partem, vel etiam vniuerſam in ſuperficie occupant. Interdum & vrinæ eodem colore inficiuntur, quæ nunc admodum croceæ, nunc nigræ viſuntur, adeò vt & illis linteamina vel induſia, ſimili colore intingantur: Interim ipſorum excrementis, quæ tincta naturaliter eſſe debebãt, minimè tinctis, ſed cineritiis potiùs, vel penitùs albis exiſtẽtibus, & proin minimè ad dejiciendũ ſtimulantibus. *Aurigo.*

Hic affectus per se nonnunquam incipit, & colores primùm elucescunt, accedente ferè dolore compressiuo, circa cordis dictam foueam, qui & sæpè icterum præcedit, & illius est prænuntius, ita vt & hunc dolorem nullâ flauitie adhuc se manifestante, nostri die Gelbsucht, quod tam facilè eum sequatur, appellent. Aliàs icterum grauiores morbi illorumq; accidentia comitantur, vel etiam sequuntur, vt hydrops. Aliàs febres aliósve morbos, vt colicum, icterus sequitur. Sicuti in variis eiusmodi affectibus expositum fuit.

Rubedo discoloratio est, eaque momentanea in Iratis & Pudore suffusis, vel diutiùs perseuerans, in illis qui nimiùm incaluerũt, vel diuturnior, in morbis calidis, febribus præsertim: quæ cuiuscunque generis rubedo, in facie maximè elucet.

Pallor seu palliditas. Pallor discoloratio est, in qua cutis minùs colorata quàm decebat, existit, seu colorem viuidum amittit. Qualis palliditas in illis qui admodum frigent, se offert, atq; iis qui mœrent & tristantur, familiaris est, & terrore perculsis subitò oboritur, vti & animo delinquentibus, in quibus mortis imaginem tantisper donec ad se redeant, repræsentat. Interdum & diuturnus pallor, morbi alicuius est prænuncius, frequenter quoq; morborum comes, & inconualescẽtibus adhuc aliquandiu perseuerans. Qui pallor vti in vniuerso corpore, ita in facie potissimùm se prodit, atque illis in locis, quæ priùs magis rubere solebãt, vt labiis & malis, liuidus apparet: Dein & pallor quoque in vnguibus atque in glande, quando eam rubere non necesse est, vel aliàs nequit, obseruatur.

Nigredo Aethiopum. Nigredo discoloratio est, in qua nigra cutis apparet: Estque vel perfecta nigredo, qualem quibusdam ab ortu innatam fuisse, aliqui testantur, quâ Æthiopum instar nigri euaserint.

Nigredo vulgò dicta, ut fuscus color. Alia nigredo vulgò appellatur, quando cutis minùs alba est, & ad fuscum seu obscurum colorem, quem quoque nigrum vocãt, admodum inclinat. Quem, etsi naturalis sit naturis color, quia tamen inuenustum, vel minùs pulchrum esse, qui ei colorem propiùs ad candorem accedẽtem præferunt, ab iisdem ad discolorationes quoque refertur, huicq; emendando vel saltem palliando similiter curam, vti in ea dicetur, adhibent.

Huc & referri potest obsoletus seu obscurus color, quem cutis rugosa, maximè ætatis decursu facta, in senibus adipiscitur: Nam quæ ex morbo ob maciem proficiscitur, permanens minimè est.

Particularis discoloratio certis duntaxat quibusdam cutis sedibus accidit: idque vel ob Maculas, aut commaculationes alias.

Commaculationes cutis ab externis progressæ, colores alienos illi quandoque imprimunt, aliàs saltem obducunt.

Cõmaculatio cutis. Qualis est Nigredo vulgò dicta, à Solis pustione cuti impressa, in facie, manibus, & pectoris illa regione quæ denudari solet, se patefaciens.

Obsoletus item color à sordibus, in immundis hominibus, cuti adhærentibus contractus, colorem illius obfuscans.

Coloratio cutis. Colores item alii, à commaculationibus, & coloribus externis profecti, cutem aliter colorantes & pingentes. Quod illis potissimùm accidit, qui eiusmodi colores tractãt versantque vnde manus inficiuntur: Vel his qui se hisce conspurcant.

Quo pacto cutis nunc nigro, nunc rubro, nunc croceo, nunc viridi, alióve colore commaculatur, qui colores aliquando subitò aliàs etiam admodum impressi remanent, nec dum facilè ampliùs delentur, pro ratione causæ, vti in ea fusiùs explicabitur.

Maculis variis cutis discoloratur. Quæ aliàs solo colore alieno conspicuæ fiunt; aliàs etiam nonnihil imminent vel extuberant. E quibus aliquæ sine alio morbo comite, aliquæ in morbis quibusdam se produnt.

Quæ sine morbo comite per se exoriuntur, sunt Originales maculæ, Lentigines, Pulicares maculæ, Erysipelata, Sanguineæ maculæ Gutta rosacea, Impetigines, Vitiligines, Sugillationes.

Maculæ originales. Naui. Ammäler. Originales maculæ sunt, quas infans in lucẽ editus mox secum ac vtero adfert, quæ Næui, Signa & Notæ appellantur, Germanis Anmähler. Hæ variis modis se habẽt, colo-

coloresq; vti & formas diuersas exprimunt, aliàs enim fraga, nunc cerasum aliúdve referunt, aliàs depressæ latæ seu paruæ, couæ, colore tãtùm alieno se patefaciunt. Et nunc in facie, nunc trunco corporis, vel adnexis illi artubus alicubi consistunt.

Lentigines. Lentigines sunt maculę fusco colore prędita, quæ lentes maiores minorésve, & colore & figurâ omnino, nisi quòd non extuberent, exprimunt, vnde nomen à lentibus hoc illis inditum, Germani has à folij aridi colore, quem referunt, Laubflecken/ vocant. Hisce cutis interdum parciùs, aliàs copiosissimè & quasi guttatim conspersa apparet, adeò vt pororum numero lentes respõdeant, sine dolore aut molestia, corpus solùm discolorantes, faciemque potissimùm, interdum & manus pectorisque apertam sedem, vtpote aëri expositas semper partes: aliquãdo & per alias corporis sedes, pedes & brachia disseminantur; eò manifestiores, quò corpus magis album existit. Æstatis tempore aliquando prorumpentes, hyeme rursum euanescentes: ali*æ* perennes.

Maculæ fusa lata Eiusmodi coloris fuscæ maculæ, latæ, palmæ amplitudine, interdum certis in sedibus corporis, idque certis temporibus oboriuntur, certisque desinunt.

Maculæ pulicales. Pulicares maculæ dicuntur, quę pulicum ictus relictos referunt. Sunt enim exiguę & rotundæ, porumque vnum vel alterum aut plures, sed distinctim ambiunt atque includunt, nec sensum aliter quàm leui pruritu commouent.

Maculæ erysipelatodes. Erysipelata sunt maculæ quæ parua erysipelata in eo affectu exposita repræsentant, ab illis tantùm, quòd citra ardorẽ caloremque, leuem tantùm pruritum commoueant, differentes. Aliàs verò vlteriùs adhuc se expandens macula eiusmodi rubra, tibiæ totam ferè sedem rubore exacto tingit, vbi erysipelas illud, quod cum febre se offerre, mox ostendemus, ab hoc tamen quod citra grauiorem offensam, solo pruritu molestiam aliquam exhibeat, differens. Sicuti inter equitãdum, mihi adhuc iuniori sæpè accidit, sole diutiùs ocream radijs eius expositam, perurente, pes enim ille, ruborem exactissimum prurientem, sensimque bidui spatio iterum remittentem, sæpiús contraxit.

Malulæ sãguineæ Sanguineæ maculæ exactè rubræ sanguinis instar faciem, collum, pectus, cęterasque interdũ corporis sedes, tam angusto quàm amplo spacio, nunc depressæ, nunc plus minùsve elevatæ opplent, pertinaciterque hærent, nec etiam nisi pruritu molestant.

Gutta rosacea. Gutta rosacea, est rubedo maculosa, per quam facies saltem, & in ea frons, malæ, nasus, ac si guttis rubris seu roseis angustioribus amplioribúsve, plus minusque prominentibus, conspersa essent, apparet, ad quod nomen alludentes Galli hunc affectum Couppe rose, quod vitreolũ significat, cum quo tamen nihil habet simile, appellant. Eiusmodi facies tandem & pustulosa fit, atque extuberantijs admodum inæqualis & horrida, quibus auctis nasus aliquando pomis vti vocant repletus, in immensum excrescit.

Impetigo. Zittermahl. Impetigines vocamus maculas latas nonnihil circa ambitum rubescentes, cum cutis asperitate illiusque veluti erosione, Impetiginibus Lichenibus dictis in scabie expositis quodammodo similes, nisi quòd non ita pruriunt, nec adeò latè se diffundunt, aut numero abundant, sed vel in facie, manibus alibive in cute diu sæpè citra aliam noxam perseuerant. Has Germani vti & Herpetem miliarem, à quo tamen, quòd non ut ille, vrant, differunt, Zittermahl/ vocant. Alij eas Gflecht appellant: Galli vt puto Dartres.

Vitiligo, Alphæ. Vitiligines seu Alphæ, quòd colorem cutis mutent, dictæ, maculæ sunt, quæ aliàs magis quàm ipsa cutis albicant, quas Leucas, Arabes Albaras nominant; Aliàs verò magis obscuræ sunt & nonnihil nigricantes, quas Melas vocant, vtramque speciem Malum mortuum vulgus appellat, alij Morphæam illam albam, hanc nigram vocant. Sunt autem non continuatæ hæ maculæ sed dispersæ guttarum instar per cutem, sedem mutantes & serpentes, non tamen asperæ, nec squamosæ aut exulceratæ, & sine sensu, vel planè obtuso, vnde licèt frictæ & ruborẽ leuem concipiant, vel profundiùs cuti inhærentes etiam pungantur, non tamen dolorẽ vllum adferunt, nec sanguis ex illis, sed

aquosa

aquosa è punctura sanies effluit. Pili è poris quos alphę possident, excidunt, quorum loco alij albi tenues Lanuginis instar succrescunt.

Sugillata, Ecchymoses Vibices, Stigmata, Peliomata. Sugillationes liuidæ sunt maculæ post contusiones euenientes, quæ ab humore eas excitante, Ecchymoses vel Ecchymonata appellantur, &, si ab ictu proueniant, Vibices, Germanis Schnatten/ nominantur & Stigmata, atq; ob liuiditatem Peliomata, & quia ad cæruleum colorem mox inclinant, à Germanis Blawmähler/ vocantur, tandem etiam ad nigredinem aliquam tendunt, & circa ambitum interdum flauescunt. Suntque inęquales admodum maculæ, nunc collectæ & amplæ, aliàs dispersæ & expansæ, aliàs cum tumore leui & dolore ab initio, quando à læsione aliqua externa proficiscuntur, se manifestantes, quibus tamē euanescentibus, maculæ hæ diu sæpè manent.

In morbis variæ occurunt maculæ, quæ vel Planæ manent, vel in Pustulas eleuantur: veluti in febribus, luibus, alijsque interdum morbis.

Erysipelas. In febribus synochis frequentiùs se offert macula rubra, lata & dispersa, quam Erysipelas vocant, pedes ferè nonnunquam & faciem occupans, in doloribus quos ardore suo mouet, descripta.

Exanthemata, Quamplurimæ maculæ rubræ simul efflorescunt in febribus synochis, in infantibus præcipuè, rarius in adultis, per faciem, pectus atque vniuersum corpus dispersæ, ambitum pororum lentis maioris minorisve amplitudine comprehendentes, quas Exanthemata quasi Efflorescentias vocant.

Ecthymata. Aliæ maculæ rubicundæ copiosè quoque in febribus synochis, infantium præcipuè, iisdem ferè in locis quibus exanthemata prorumpunt, quæ sensim ad lentis seu semipisi altitudinem vsque excrescunt, & in pustulas eiusmodi attolluntur, quæ vel denuò paulatim subsident atque euanescunt, vel liuescentes & prurientes suppurantur, & apertæ ichorem profundentes, crustrâ nigrâ obducuntur, quibus innumeris vel disitis, vel coniunctis & concrescentibus, corpus adeò defœdatur, vt horridum aspectum præbeat. Sed & sanatis illis, aliquando vestigijs seu cicatricibus impressis remanentibus, facies illorum toto dein vitæ tempore veluti alueolis aliquousque pertusa, minùs ob id decora videtur. Has pustulas Ecthymata, quòd impetuosè erumpant, vocant: item Variolas quasi paruos varos, & Morbillos, vel Papulas, non tamen feras, quales in Herpete sunt, Germani eas quòd infantibus adeò consuetæ sint, vt vix aliquis ab illis sit immunis. Kindsblattern/ appellant, quarum & in febribus à quibus prodeunt, meminimus. Eiusmodi quoque pustulæ non solùm cutem vndique occupant, sed & oculos, narium, oris & faucium interiora aliquando adimplent, sicuti in harum sedium affectibus demonstratum fuit.

In febribus alijs malignis, pestilentialibus, venenatis, & iam enarrata exanthemata, & ecthymata atq; aliæ maculæ se interdū proferūt, quas Petechias appellāt, nunc Rubræ pulicum ictuum relictas notas rubras exprimentes, nunc Violaceæ vel Fuscæ aut Subnigræ, sicuti in eiusmodi febribus demonstratum fuit. Vbi & latam aliquando maculam apparuisse ostendibus. *Maculæ febrium malignarum pestilentialium, venenatarum. Petechia Ital.*

In lue Elephantica, pustulæ subrubræ vel liuidæ faciem, artusq; possident: Et in luis Venereæ altero genere, maculis rubris vel liuidis facies corpusque conspergitur: In lue Stomacace dicta, maculę variegatæ in cruribus, interdum & in reliquo corpore efflorescunt. Quæ omnes harum luium maculæ, in luibus eiusmodi, capite de Infectione, quò & pertinent, exactè describuntur. *Maculæ luis Elephantica Venereæ, Stomacace.*

In spasmo quodam miro, maculam luteam aliquando ex contactu subitò in digitis subortam, moxq; iterum discussam in quodam fuisse, in Spasmo ostendibus. *Macula lutea in Spasmo.*

Oculi discolorantur interdum, quando à naturali ipsorum colore, qui in sede pellucidâ, iride appellatâ, in centro niger, minori maiorive spatio, & in ambitu illius glaucus vel fuscus elucet, & extra hunc circulum in reliquo oculi globo albus apparet, declinantes, vel rubent vel flauescunt; dein & quando Maculas obtinent: Vel alioquin inuenustus ipsorum color esse vulgò putatur.

Rubent oculi frequenter etiam in sanis, quan- *Oculorū rubedo.*

quando calore externo vel motu corpus nimiùm incaluit, vel in morbis calidis capitis vel ipsorum oculorum, vt ophalmiâ & epiphorâ, in qua palpebræ potiùs, quàm oculi globus intrinsecus præter natiuam rubedinem, adhuc maiorem adipiscuntur. In Elephantiasi inter reliqua vitia etiã oculorum occurrit rubedo: sicuti huiusmodi oculorum rubedines in morbis, in quibus contingunt, vberiùs descriptæ fuerunt.

Oculorũ flauities. Flauescunt oculi in ictero, sicuti illic expositum, colorque ille citiùs ferè in illorum albo quàm reliquâ cute apparet, cùm cutis adeò exactè alba, vti oculi crassa tunica minimè existat, & proin non tam citò in ea, vti in albissimo hoc subiecto, color pateat.

Oculorũ sugillat i. Maculæ in oculis diuersæ quoque oboriuntur, eosque discolorant: Vt sunt rubræ vel liuidæ in Sugillatione oculi, vel Hipposphasmate appellatis, non solùm in oculi albo, sed & ipsâ tunicâ inde dictâ, quæ maculę magis cruentæ aliquando, quàm quando in cute fiunt, visuntur.

Oculorũ Exãthemata, Ecthymata Exãthemata & Ecthymata, vti reliquum corpus, ita & oculi globum interdum infestant & commaculant, visionemque insuper lædunt.

Oculorũ Albæ maculæ. Albis quoq; maculis, cornea oculi sedes impeditur, quæ si ante pupillam ponantur, visioni obsunt, si verò in alba sede occurrant, nec colorem mutant, nec visioni officiunt; sicuti hæc in oculi albugine, cicatrice & suffusione, in visus læsione explicata fuerunt.

Oculi Glauci, Cæsij, Nigri. Inuenustum colorem oculorum vulgus esse cẽset, si glauci admodum appareant vel cæsij aut grysei, vti nostri eos appellant, quia pellucida sedes pupillam ambiens, quæ colore variare solet, tali colore prædita existit. Cùm, quò magis ea cum pupillæ sede, quæ semper nigra cernitur, nigricat, oculos eò pulchriores, Nigros ob id appellatos, esse putent, licèt veteribus glauci præsertim probarentur oculi, à quibus & Minerua laudata, Glaucopis dicebatur. Nostro verò seculo improbantur, & si corrigi possent, corrigerentur.

Dentes Flaui, nigri. Dentes quoque cùm naturalis ipsorum color albus sit, facilimè & in plerisque colore alieno inficiuntur, atque sic discolorantur. Vt cùm ex adhærentibus sordibus flauescũt vel liuent, vel ex corruptione ipsorum vel exhalationibus in morbis vehementer nigricant, sicuti in causis explicabitur.

Vnguiũ Maculæ. Vngues colore vel maculis aduersis vix dum, nisi quatenus erosiones aliaque vitia, colore quoque tetro prædita, in illis se offerunt, infestantur. Interdum tamen liuere plùs iusto, aliàs rubere videntur, qui colores non in ipsis resident, sed in subiectâ carne subsistentes, per ipsos translucent, & ac si in ipsis essent, apparent. Vti & maculæ in Sugillatione sub ipsis natæ, sic per illos visuntur, atque nigredo circa extremitates à sordibus subiectis. Frequenter tamen ipsi vngues maculis albis, exilibus, tanquam punctis in iunioribus præsertim, vno saltem vel pluribus in locis notantur, quæ circa radicem primùm exortæ, vnà cum vngue crescendo, donec cum eo amputentur, cedunt, succrescentibus sępè mox aliis. Hæ notæ in adultis & senibus si appareant, viuacitatem significare, vulgus iudicat.

Pili Albi, Lanuginosi. Pili discolorati seu præternaturali colore præditi, tunc ferè solùm esse censentur, quando exactè albi redduntur, idque ferè ex morbo, post quem prioribus rectè coloratis decidentibus, alij albi & tenues lanuginis instar succrescunt. *Canities.* Vel quando iunioribus adhuc, maturiùs vt Cani fiant, accidit, cùm in senibus canities quoque non solùm naturalis, sed & decori honorique sit. Vnde Poëta inquit: Magna fuit quondam capitis reuerentia cani. Quæ canities non solùm in capillis capitis, sed & in barba, in eaque ferè citiùs quàm in illis, etsi multis annis post enascente, sese offert. *Pili, Rufi, Nigri, Flaui.* Longè minùs pili discolores esse iudicabuntur, si vel rufi aut nigri admodùm existant, licèt vulgus eos quoque minùs corporis venustati conuenire existimet, è contrà verò flauo vel aureo colore præditos, aut medio modo se habentes, pulchritudini adiumentum adferre censeat, cùm & hi colores secundùm naturam se habeant, ni fortè Æthiopum instar crispi & nigerrimi vt in illis, nascantur.

Causæ.

OMnium discolorationum tam generalium quàm particularium commaculationum & macularum, in cute, oculis, dentibus, vnguibus & pilis se offerentium causę proficiscuntur, vel ab humoribus, vt Semine, Sanguine, Succo nutriente, Bile; vel à Prauis humoribus, aut Sordibus, aut aliis Commaculationibus; vel à Calore, Frigore aut Siccitate, quemadmodum hoc eo ordine explicabitur.

Semen parētum causa discolorationū & Macularū quarundam in Cute, Oculis & Pilis, Originalium.

A' semine sicuti deformationes aliquas in partium numero, magnitudine aut figura contingentes, ab ortu proficisci, in deformatione ostendimus, ita & ab eodem discolorationes aliquæ & maculæ hæreditariæ cum fœtu in lucem quandoque prodeunt. Quæ etiam vti & formæ & figuræ vitia originalia à semine patris vel matris originem trahunt, quemadmodum & naturalem colorem cutis ob eandem causam à parentibus in liberos deriuari, coloreq; illis plerumque correspondere videmus, Nigredinemq; appellatam, quam inuenustam esse autumant, cùm ab ortu innata sit, ab iisdem simili colore præditis, vel si tales minimè sint, ab illorum semine tamen proficisci; Oculisq; cæsiis vel nigris liberos parentes sæpè imitari; & pilos quoque quales parentum fuerunt, nunc nigros, nunc flauos, nunc rufos nancisci. Quod vt in homine frequenter fit, ita semper ferè in animantibus, vt sobolem colore sibi similem progignant, accidit; eoque nomine pro colorum, quos expetimus, ratione, animalia eiusdem coloris ad generationem commiscemus. Quod & in volatilium genere euenire fuit obseruatum, in columbis præsertim, quarum si vna tantùm vel duæ nigræ, aliterve coloratæ, reliquis omnibus albis existētibus inueniantur, pulli totidē illius coloris, & nō plures nanciscentur, & si oculi columbæ parentis nigri vel subflaui aut crystallini erunt, tales in pullis etiam apparebunt: quam rem adeò sollicitè, qui columbarū venustatis sunt studiosi, obseruant, vt & columbas coloribus illis quos oderunt, ornatas, ne pulli iisdem præditi gignantur, à commistione remoueant.

Hæc autem similitudo colorum naturalium vti à semine rectè & naturaliter disposito proficiscitur, sic si secus se habeat, colores alieni, vti & maculæ diuersæ, ab iisdem causis à quibus & formæ vitia ab ortu prodire diximus, prouenire possunt: Nimirum vel à dispositione quadam illius consimili, vel alia eius transmutatione aut permistione, à variis causis profecta, inter quas & imaginatio adeò multùm potest, vt si mulier in ipso conceptionis momento, vel etiam post eam, vterum gestans, aliquid ex intuitu vel imaginatione animo firmiter cōcipiat, illud fœtui similiter imprimatur, sicuti ex intuitu picturæ Æthiopis in coitu, mulierem infantem similem nigrum enixam esse, historiæ testantur; aliæque multæ maculæ, cuiusmodi nunc mora nigra, nunc cerasa rubra, nunc diuersos pauonis Indici colli colores, aliarúmve rerum, repræsentantes, hac ratione ab ortu quibusdam innatas, in diuersis obseruauimus. Quod vt in homine, sic & in animatibus, ex imaginatione hac, tum pilos, tum pennas coloris consimilis transmutatione aliquando quoq; nasci, aliqui docuerunt; sicuti ex aspectu coloris varij virgarū, quæ detractis corticum portiunculis, partim virides, vbi cortices remanserant, partim verò albæ apparebant, greges pecorum dum coibant, partus variegato quoq; colore enixos fuisse, idq; Iacobi arte, vt plures à socero suo Labano auferret pecudes, sacræ testantur literæ. Simili modo diuersis coloribus columbas gigni, si eorundem colorum in columbario pingantur, narrat Plinius.

Sanguis in superficiē corporis delatus causa Rubedinis.

A Sanguine cutem carnemq; subiectam possidente atque irrigante (quod naturaliter fieri solere, eumque non solùm in venis capillaribus cutaneis colligi, sed & propriæ cutis carnisque substantiam eodem imbui, in phlegmone describendâ ostendimus) vti genuinus cutis color ad rubedinem nonnihil inclinans, & per cuticulam transparens exurgit, vel etiam exacta quædam rubedo in certis locis prodit, vt in labiis, & glande ob fungosam quidem illorum carnem, sanguine copiosiùs irrigatam, glandis verò sanguine arterioso cùm tumere debet, perfusam, atq; malis quas in quibusdam naturis sanguis

sanguis magis quàm alias sedes cutaneas occupat: sic si plus solito in superficiem corporis feratur, rubicundior adhuc color in illis nascitur, in Ruboris generalis specie dicta. In qua tamen rubedo in facie, quæ ob teneritatem & laxitatem sanguinem faciliùs suscipit, magis elucescit. Quemadmodum à calore externo, sanguine cum spiritibus extrorsum euocato, corpus incalescere & rubere, faciemque rubore suffundi, nonnunquam & oculorum album simul tingi videmus: Vel etiam per animi affectus, in quibus sanguis cum spiritibus concitatus in exteriora diffunditur, vt ex ira, faciem inflāmari: Atq; ex pudore erubescere, quæ tñ mox sanguine recedēte, rursum euanescũt.

Sanguinis in superficie corporis defectus causa Palloris.

Quæ vti à Sanguine in superficie corporis consistente eueniunt, sic & ex illius Defectu in hisce locis, colore viuido amisso, Pallor inducitur. Qui illis in locis quæ ex sua natura magis rubere debebant, illis minùs rubentibus, liuidus apparet, vt in faciei malis, labiis & glande, vti & vnguibus, qui cùm ob subiectæ carnis ruborem, per illos cùm perlucidi sint, translucentem, rubicundiores sint, sanguine illic deficiente, liuere dicũtur. Destituuntur autem hæ externæ sedes sanguine, si ille per inedias, mœrores, hæmorrhagias, morbos, sicuti hæc in imbecillitatibus aliis inde natis symptomatibus alibi exposuimus, absumatur. Vel si alioquin inde refugiat, tamdiu donec ille rursum redeat, pallent, vti in glande tunc cùm non necesse est. Sicuti & à frigore externo eam repellēte accidit, cutem in frigentibus minùs coloratam reddi, quàm cùm calet, atq; illis quorum malæ rubebant, sanguine ex frigore nonnihil veluti congelato, eas tunc liuidas, plumbeo vel fusco colore tinctas apparere. Dein & sanguine cum spiritibus subitò intrò reuocatis idem euenit, in animi quibusdam affectibus, vt metu & terrore, vel animi deliquiis & syncope prehensis, quos tamdiu donec hæc remeent, pallor occupat.

A sanguine quinetiam macularum diuersa genera prodeunt, prout ille diuersimodè se habet, imprimisq; quatenus vel in veram cutem diffunditur, vel poris saltem, aut sub cuticulam se insinuat.

Sanguis in verā cutem effusus, causa Erysipelatum, Exāthematum, Ecthymatum, Macularumq; sanguinearum, Guttæ rosaceæ, atq; Impetiginis illiᵘˢ quā zittermol vocant.

In veram cutem sanguis feruidus & accēsus, in febre synocha diffusus, rubedinem illam cum ardore iunctam, quam Erysipelas vocant, efficit: Nōnunquam & exanthemata atque ecthymata, in eadem Synocho erumpentia; quod quo pacto fiat, in eiusmodi febribus fuit expositum.

Quòd si quoque sanguis ab aliis causis quàm à febre, externis internísve, sanguinē allicientibus aut expellentibus, ad cutem se diffundat, rubras alias maculas procreat.

Veluti Erysipelata illa, quæ vno alióve loco prodeunt: Item Rubedinem illam tibiarum, qualem à solis æstu vrente pedes proficisci, in generibus ostendimus.

Dein & ob sanguinis copiam, tenuitatem, caliditatem nonnunquam & impuritatem, maculæ illæ Sanguineæ in facie cæterisque corporis sedibus, in quas natura eum expellit, nascuntur.

Imprimisq; illa rubedo faciei, quam Guttam rosaceam vocant, quæ vti à causis supradictis potest procedere, ita à vini frequentiore & immoderato potu, inebrietati deditis sæpiùs contingit, quòd inde visceribus sanguificationi destinatis, sanguineq; ipso plus iusto incalescentibus, ille in loca hæc, ob naturam illorum, ad suscipiendum idonea, copiosiùs & frequentiùs delatus sanguis, eaque creberrimè irrigando, tandem ruborem hunc permanentem pustulasque procreet. Quod vitium diuturnum & pertinax est, cùm sanguis nondum extra suam sedem naturalem excidens, minimè suppuretur, nec aliàs facilè quoque inde discutiatur; Faciemque potissimùm infestat, cùm hæc alioquin plus quàm alia loca sanguine abundare videatur, quòd rubedo naturaliter in facie plerunque quàm cæteris locis magis apparens, in genis præsertim, quæ vel per se in quibusdam naturis, vel ex solo pudore mox erubescunt, satis demonstrat, sanguinem in faciem facilè diffundi, indeq; rursum si secundùm naturam adhuc se habeat, remeare posse. Quod tamen, quando quantitate qualitatéve peccans, frequentiùs eò impellitur, minimè fit, sed illic subsistens fixúsque, vti dictum, remanens, permanentem eiusmodi affectum parit.

Fit quoque vt si sanguinis portio aliqua acrior ad cutis aliquam sedem elabatur, eam exasperando, & nonnihil rodendo, maculas illas inæquales subrubentes quoque pariat, quas Impetigines vocauimus & Germani Zittermahl appellant.

Sanguis in cutis pororum ambitũ se diffundens causa Macularum Rubrarũ, uarum & Sanguinearum.

Ad poros saltem cutis sanguis allicitus, inq; eorum ambitum exiguo tantùm spacio se diffundens, maculas paruas quandoq; gignit. Quod vti à prioribus causis quoq; potest accidere, ita in sudoribus, sanguine interdum cum sero vlteriùs ad poros delato & hærente, eiusmodi maculæ post eos remanent. Et ictu bestiolarum, sanguine allicito, maculæ quandoque eiusmodi, vti ex pulicum ictu, quem morsum vocant, accidere videmus, relinquuntur, quæ tamen rursum sanguinis exiguâ hac portiunculâ discussâ, sponte euanescunt.

Sanguis sub cuticulam erumpẽs; causa Sugillationum & punctorum quorundã Sanguineorum.

Sub cuticulam, si sanguis è vera cute, in qua naturaliter etiam consistere diximus, erumpat, tũc extra suam sedem delatus, cùm remeare in eam ampliùs nequeat, illic subsistens, & per cuticulam transparens, maculas eas, colorem sanguinis à natura derelicti, & proin nigricantis vel concreti repræsentantes, & in Sugillatione dictâ apparentes, efficit, easque prout amplum, exiguúmve spacium occupârit, vel exiguas, vel latas, vel oblongas. Quæ & si sanguinis hæc portio non corrumpatur, quod aliquando, quoniam adhuc inclusa est, euenit, diu ita eodem in loco subsistere possunt. Aliàs verò sanguine illo serosiore existente, vel ex corruptione attenuato, se diffundente, vlteriùs disperguntur, tandemque sensim eo dissipato flauescunt, absumptoq; & discusso euanescunt, aliquando verò sanguis ille putrescens cuticulam exedit, & per eam ruptam emanat.

Huius autem sanguinis eruptionis sub cuticulam, causa frequentior est, contusio in vera cute vel venulis illius facta, per quam solutâ illius cõtinuitate intrinsecùs, sanguis ex ea sub cuticulam fertur. Quâ ratione ex ictu valido diuersorum occurrentium, variæ sugillationes, vti & inter cætera sæpiùs ex flagri aut virgarum percussione, vibices illę seu striæ, in longum vti ipsi ictus facti sunt ductæ, prodeunt. Veluti & ex simili læsione Oculi globi, sanguine ex adnatæ tunicæ venis, sub eam se insinuante, vel in corneam quoque tunicam se infundente, oculi sugillationes originem trahunt. Post venam cutaneam à chirurgis sectam, sæpè eiusmodi sugillationes se offerunt, quando ea penitus pertusa, sanguis ex ea non solùm forâs exilit, sed portio illius sub cuticulam diffunditur, perq; loca illa vt cubiti interiora aliáve, sparsas sugillationes parit. Præter hasce violentas causas, quæ continuum soluunt, vix dum aliæ existunt, quæ sanguinem sub cuticulam euocare possunt.

A' calore tamen summo extrinsecùs intrinsecúsve in morbis occurrente & cutem nimium dilatante, sanguinemq; fundente allicienteque, puncta quædam eiusmodi cruenta aliquando sub cuticula sugillationis instar apparuisse, vidimus. Quod & ob sanguinis tenuitatẽ & serositatem accidere potest, si ille ad poros cutis effusus, nõ exsudet, sed illic veluti guttatim sub cuticulá effusus persistat, quod tamen vti & eius exsudatio, rarissimum existit, quamuis aliquando hoc accidisse, in excretis demonstrabimus.

A' succo nutriente ex sanguine partibus assimilato genito, & generalis discoloratio, & maculę diuersæ oriuntur, prout ille transmutatus vel vniuersum corpus peruadit, vel ad certas saltem partes perfertur.

Succus nutriens vniuersum corpus crudus, causa Cachexia, prauus Cacochymia.

Vniuersum corpus peruadens & nutriens succus crudus seu imperfectè coctus, totius corporis viuidum colorem destruit, aliumq; accersit in Cachexia dicta, cuius diuersę species, prout vel tantùm crudus, aut simul etiam serosus vel vitiosus existit, exsurgunt. Nam si crudior sit, qualem etiam naturaliter in sanguinis massa contineri, illiusque partem quam pituitam vocant, constituere eamque alimentariam, quæ vnà cum reliqua sanguinis massa corpori nutriendo adhuc sit idonea, statuunt, illeque in sanguine redundet, vel maior sanguinis pars talis euadat, cùm non sit perfectè elaboratus aut sufficienter rubicundus, non tamen eousq; deprauatus, quin corpus adhuc nutrire possit, tunc substantiæ corporis se ad nutritionem apponens, illique adhærescens, similem in cute & carne discolorationem seu colo-

colorem pallidum aut album producit, eoq; magis à viuido colore recedentem, quò sanguis ampliùs à naturali recesserit, vel alioquin ex cacochymia accedente, prauis insuper succis vel serositate aut aquositate permistus fuerit. Huic accedunt etiam alia insuper vitia, & plærunque in fœmineo sexu præsertim virginibus menstruorum defectus, cùm sanguis ille crassus, crudus non adeò commodè & copiosè ad vteri venas possit defluere, nec natura, quæ puriorem tantùm sanguinem ad vterum pro nutriendo fœtu, tum quando conceptus est, tum etiã prius menstruatim ablegare solet, hunc crudum vel etiam cacochymicum, vtpote id præstandum minùs aptum eò deriuet, sicuti in menstruorũ suppressione, cachexiam potiùs illorum defectus, quàm menstrua suppressa cachexiæ, causam esse demonstrauimus.

Quòd si quoque cum cachexia & cacochymia, praui humores circa lienem collecti illic in arterias transferantur meseraicas, cordis simul vrget, vt in hoc casu explicatum fuit, palpitatio, aliaq; symptomata tum ob cacochymiam, tum aliorum viscerum accedentes morbos.

Sed & succo eiusmodi crudo copiosiore existente, diutiusque corpus alente, ita vt id eo intumescat, cachexia in leucophlegmatiam vertitur, & si seri simul accedat redundantia, in serosam Leucophlegmatiam, vel si serum potiùs in cachexia præualeat & congeratur, tumor pedum, mox & ventris cum habitus corporis diminutione, hydropsque tandem ascites cachexiam sequetur. Vel si succus ille, qui corpus nutrire debebat, adeò vitiosus fiat, vt ad nutriendum penitùs inutilis sit, vel etiã paucus, corporis decrescentia potiùs succedet, & in Atrophiam cachexia conuertetur. Sicuti in Hydrope, ascite & Atrophiâ, quo pacto cachexiam prægressam hæc sequantur, ostendemus.

Hæc autem sanguinis cruditas, vel etiam vitiositas, si cacochymia simul adsit, aut serositas si hydropis suspicio, nonnunquam ab alimentis originem trahit, si talium continuus sit vsus, quæ eiusmodi succum crudum vel vitiosum aut aqueum gignere possunt: qualia in ventriculi imbecillitate explicata fuerunt, vt non opus sit eadem hîc repetere. Inter quæ fructus sunt horarij, quorum immoderatiore vsu, cùm iuniores præsertim peccent, præ cæteris hanc ob causam cachexiæ sunt obnoxij, maximeque virgines cùm debiliores sint, minusque exerceantur.

Viscerum seu Partium chylosi & sanguificationi destinatarum affectarum causâ, crudus ille sanguis cachexiam gignens, vti & malus succus cacochymiam procreans, vel serositas hydropem producẽs, oritur accumulaturque, cuiusmodi sunt ventriculus, hepar, lien, ipsisque adnexa vasa membranæque. Ventriculi enim intemperiei imbecillitatis, aut alterius affectus causâ, si concoctio fiat imperfecta vel vitiata, imperfectus quoq; & crudus gignitur chylus, vel vitiosus aut aqueus, qui postea in secunda concoctione, cùm nõ sufficienter elaborari possit, similem producit sanguinem, eoq; magis, si viscera secundæ concoctionis labem quoq; aliquam patiantur. Verùm quinam eiusmodi morbi sint ventriculi, cùm & simul compressiuum illius dolorem efficiant, in doloribus cordis dictis, fuerunt expositi.

Hepatis, Lienis Venarumque vitio, cùm hæc ad sanguinis generationem faciant, sanguis imperfectiùs elaboratus, crudus vel vitiosus aut aqueus gignitur. Hepatis quidem, cùm instrumentum sit sanguificationis. Dein & lienis morborum causâ sanguificationem impediri, omissis multis aliis argumentis alibi expositis, quibus lienem quoque sanguificationis organum esse demonstrauimus, vel eo solo sanguificationem liene affecto impediri, comprobari posse existimamus, quod hepate penitùs sano, tamen lien malè affectus, sicuti sectio sæpiùs hoc patefecit, sanguificationis noxas enaratas, vt & hydropem, vt illic dicetur, sæpè procreauerit, vt non opus sit consensum, quem lien cum hepate habet, illius causam statuere. Dein & venarum affectarum causâ, cùm ad sanguinis elaborationem opitulentur, siue præcipuè hoc præ cæteris, vti aliqui censent, faciant, siue aliquo saltem modo, illum ab hepate priùs elaboratum, perfectio-

nem reddant, quod omnibus in confesso est, sanguis minùs absolutè concoquitur, crudiorque remanet. Idque venarum meseraicarum ab hepate & liene prodeuntium, pręcipuè occasione, cùm in illis prima chyli, quem rapiunt & continent, fiat permutatio, & ad sanguinem præparatio. Morbi verò hepati, lieni venisque accidentes, vnde imminutâ sanguificatione, crudus sanguis indeque cachexia gignitur, vel sola vel vitioso accedente simul chymo, sunt Imbecillitas, Intemperies, Obstructio, Durities aut alia Læsio.

Imbecillitas seu debilitas hepatis, lienis & venarum, quæ propter consensum cum visceribus, quibus continuantur, quando hæc læduntur, simul patiuntur, ea quæ à caloris natiui penuria profecta, sic propriè dicitur, si functiones ipsorum eousque labefactet, vt sanguis non sufficienter elaboretur, crudiorque ob id generetur, cachexiæ hoc pacto causa existit, in qua corporis calor natiuus amittitur, molesq; illius augetur, dyspnœaque ob viscera hæc affecta, & compressiuus dolor, ventriculo simul compatiente, molesta sunt, vrinæque ob cruditatem hanc crudæ apparent atque aqueæ, præsertim si ob seri copiam nimiùm dilutæ minusque bile tinctæ sint, vel etiam ob alias caussas, sicuti in illis explicabitur. Quæ viscerum horum imbecillitas si diutiùs duret, facit vt cachexia hæc leucophlegmatiam, cumulato crudo humore, vt in ea ostensum est, producat, eamque si serosus simul à causis aliis huic imbecillitati iunctis cumuletur, vti in leucophlegmatia docuimus, serosam. Vti & si ob eandem hanc hepatis attractricis præsertim facultatis imbecillitatem, serum non sufficienter è venis meseraicis attractum redundet, hydrops ascites, sicuti in illius hac caussa explicanda in hydrope demonstrauimus, cachexia sequetur. Quòd si quoque tanta sit horum viscerum imbecillitas, vt nō solùm crudus sanguis inde, sed non sufficiens quoq; corpori alendo, gignatur quantitas, cachexiam, in qua corpus potiùs macre quàm tumidum fit, producet, vel si per eam sanguificatio ferè penitus aboleatur, Atrophia (sicuti in ea describetur) inde potiùs gignetur. Cognoscitur autem cachexiam ab imbecillitate hac profectam fuisse, si nullis aliis viscerum horum morborum accidentibus concurrentibus, viscera hæc debilitata esse pateat ex colore vitioso præcipuè, tuncque sic affecti, Hepatici vel Splenetici vocantur.

Hæc autem illarum imbecillitas, à caloris natiui dissipatione in ipsis contrahitur, quæ ab insitis caussis procedit, ab ortu vel per ętatem, vel aduentitiis, & post varias horum viscerum intemperies, aliósve morbos diuturnos vel acutos relinquitur. Inter quos & febres sunt, in quibus hæc viscera calore nimio, vel potionibus frigidis, in quo febricitantes præcipuè delinquunt, labefactata, hancq; imbecillitatem adepta in caussa sunt, vt post eiusmodi febres cachexia, & si perseueret tumor totius corporis, & si maior sit læsio, pedum & ventris, sequantur. Dein & immoderata sanguinis profusio, & imprimis menstrui, imbecillitatem hisce visceribus procreando, non solùm ob spirituum dissipationem, sed & quòd & venæ sanguinis calore foueantur, & inanitæ ab eo minùs reficiantur, cachexiam efficit, non solùm ob crudum illum succum, qui tunc generatur, sed & quia per eam, sanguine exhausto, corpus viuidum colorem amittit; quòd si magna esset profusio, potiùs contabesceret quàm tumeret. Verùm & aliæ excretiones per quas spiritus absumuntur, idem faciunt. Inter quas Venus immodica non infrequens in virili sexu potissimùm occasionem præbet.

Intemperies horum viscerum vasorumq; sanguificationi destinatorum, tum imbecillitatem si continuetur iam dictam inducendo, tum per se actiones illorum imminuendo, eodem pacto cachexiam vel simplicem vel in leucophlegmatiam aut ascitem degenerantem, gignere potest. Qualis inprimis est frigida, functiones horum potissimùm labefactans. Cuiusmodi à talium frigidorum copioso & nimio vsu, diuque continuato accersiri potest: Vel à refrigeratione externa, cui corpus expositum fuit, contrahi. E quibus & prægressis talis constitutio cognoscitur, & quòd sitis nulla tunc affligat, corpusq; vniuer-

vniuersum frigidius appareat, cæteraque frigiditatis concurrant indicia.

Sed & calida horum viscerum, hepatisq; inprimis intemperies, etsi ab initio statim, & diu sæpè etiam perseuerans, cachexiam, hoc est malum corporis habitum, aut pallorem seu colorem fœdum minimè inducat, sed potiùs colore viuido naturali, vel si præternaturalis fiat, rubro, qualem in ebriosis aliquando in facie elucere videmus, se manifestet, nec dum adhuc noxas grauiores pariat, quàm sitim inordinatam & ferè continuam, quâ potissimùm hęc intemperies horum viscerum calida & sicca cognoscitur, tamen spacio temporis, in aliis citiùs, in aliis tardiùs, viscera hæc labefactans, eaque imbecilliora ad functiones suas edendas reddens, læsâ sic sanguificatione, corpus quoque discoloratum maleq; habitum efficiendo, cachexiam producit; quæ, quia tandem viscera hæc, calore nimio & diuturno exiccata, indurescunt & finduntur, in hydropem primum tumore pedum & dyspnœâ se patefacientem, mox cæteris quoque illius accidentibus subsequentibus, plerunque conuertitur, sicuti in hydrope ascite, quomodo hoc fiat, abundè declaratum fuit, vbi & causas huius Intemperiei calidæ & siccæ, à vini immoderato ciborumque calidorum continuo vsu, vel morbis prægressis calidis potissimùm, dependere ostendimus.

Obstructio & infarctus hepatis venarum præcipuarum portæ & cauæ, quia prouentui vitiosorum humorum biliosorumq; maximè, quos in venis meseraicis sanguini confundi, in febrium intermittentium causis ostendimus, occasionem præbet, ob impeditam illorum à sanguine in secunda hac concoctione exactam separationem, Cachexiæ quoque illiusque potissimùm Cacochymicæ dictæ, causa fieri potest. In qua si sanguis impurus in corpus distribuatur, color fœdus potiùs quàm albidus apparet, illeque nonnihil vel fuscus aut virescens vel flauescens, non tamen adeò exactè, vt quando poris cholidocis obstructis, bilis à sanguine minimè separata, copiosiùs quàm hîc accidit, redundat, sicuti in icteri causis declarabitur, ob quam & causam in hac cacochymia, vrinæ non ita aqueæ, vt in alia cachexia, sed nonnihil adhuc coloratæ existunt. Sed & si illuuies eiusmodi biliosa, ab eadem obstructione retenta, & in venas meseraicas refusa, non adeò in corpus distribuatur, pallor veriùs quàm color in cachexia illa alienus se offeret, vti & vrinæ magis crudæ & aqueæ, & ob copiam bilis in venis meseraicis coaceruatam, fluor alui potiùs quàm illius constipatio, excrementaque biliosa magis quàm alba, secus atque in ictero apparebunt. Et si ab obstructione enarratâ, hepatis simul sequatur imbecillitas, quæ inde quoque tandem prodire potest, vel aliis accedentibus insuper causis, simul enasci, tunc quia diminuta fit sanguinis elaboratio, Cachexia à crudo sanguine genita prodibit, in qua crudus succus corpus alens, tumidum reddit. Si verò obstructio tanta sit, vt per eam & sanguinis seu crudi seu cocti distributio, in venam cauam non sufficienter perficiatur, aut sanguis adeò vitiosus gignatur, vt corpus minùs quàm oportebat, alere possit, id potiùs decrescet: vt si tota distributio illius per obstructionem adeò magnam impedita, aut sanguis ineptus omnino nutritioni sit, Atrophia, vt in ea explicabitur, sequetur.

Huius autem obstructionis in hepate factæ causa, vel à chylo crassiore & viscosiore, à cibo simili genito, aliàs proficiscitur, si illic se affigens ductibusque quibusdam hærens magis magisque condensatus, loca hæc obturet; vel si, vti aliqui voluerunt, chylus crudus ob calorem, à motu validiore vel balneis, mox à cibo excitatum, in venas citiùs quàm decebat, rapiebatur, atq; sic retentus, obstruat. Quod etiam à sanguine exiccato & veluti asso similiter accidere potest, quem eiusmodi vasis in hepate insertum induratumq; & veluti incineratum, obstructiones tales peperisse: & hepatum animalium inter epulandum penitiori inspectione aliquando sic euenire deprehendimus. A seroso humore easdem obstructiones in hepate fieri posse, eædem obseruationes, in homine & animalibus factæ, nos docuerunt, qui arenulas quamplurimas exactè rubras, quas priùs diu & frequenter per vrinas aliqui excreuerat, vasa

vasa hepatis certis in locis oppleuisse, aliquando inuenimus, aliàs etiam in calculum vel tophum friabilem vel solidum concretas, quæ per vasa hæc aliquousque dispersa, corallum album, nunc alias stirias tophaceas referebant. Quæ à seri terrestritate, hisce vasorum angustiis & sinibus se affigente, adhærenteque, vt in renibus generari, in calculi renum descriptione abundè demonstrauimus. A' pituita obstructiones hasce præcipuè gigni, plærique statuunt. Quæ nisi vti cætera excrementa in hepate ex crudiore chylo vel sanguine gignatur, illicq; congeratur, à ventriculo & intestinis, vbi plærunq; redundat, per venas meseraicas cum chylo huc usque translata, illicque subsistens, obstructiones hasce efficit, eoque citiùs si mucosa fuerit, vel etiam tenuis adhuc & aquea, quæ etiam faciliùs venarum meseraicarum oscula subire potest, si diutiùs retenta in venis calore hepatis crassescat mucosaq; fiat & viscosa.

In Liene quoque facta Obstructio, quia & tunc sanguificatio læditur, atque crudi & praui humores tum in liene tum in venæ portæ ramis cumulantur, qui ex sinistro venæ portæ trunco in dextrum indeque in hepar remeare possunt, hincque cum sanguine distribui, cachexiam, eo modo, eamque ferè cacochymicam progignere potest, fœdo quoque colore se manifestante, in qua si in arteriæ ramos praui succi hi quoque se insinuent, cordis & arteriarum pulsus ob caussam in illis affectibus explicatam, vehementiùs vrget.

A' Duritie horum viscerũ, vel scirrho illorum substantiæ innato, aut alio tumore duro in abscessum tandem degenerante, quia & tunc ipsorum ductus ex parte vel omninò obturantur, Cachexia cruda vel cacochymica, eadem ratione vti ab obstructionis aliis causis facta, emergere potest, quæ, si ab eiusmodi affectibus non solùm viscera obstruantur, sed & findantur & dehiscant, in hydropem ascitem abit. Quod cùm frequentiùs fiat, nos illas hepatis & lienis durities, vti & scirrhos tumoresque, quo pacto se habeant, causasque illorum, quomodo vel à nimia horum viscerum exiccatione, vel etiam à succo crassiore hæc viscera alente procedant, in hydropis Ascitis quem plærunq; inducunt, causis vberiùs describemus: Et in Atrophia, quomodo & illa inde proficisci queat, ostendemus.

Præter hosce tumores lienem alio quoq; modo intumescere posse, idque à flatibus, scribunt. Verùm quomodo hi in eo, cùm cauitatem nullam habeat, colligi possint, illumque inflare, non video. Fortè cùm flatus in hypochondrio sinistro colligũtur, illudq; distendunt, vel ventriculus sinistrum latus magis occupans, à flatibus intumescit, aut colon eo in loco distentum prominet, hoc in liene accidere putant.

Certis tantùm partibus communicatus succus nutriens, Maculas in illis diuersas efficit, prout vel poris cutis, vel diuisioni alicui eius se insinuat.

Succus nutriens pilos in poros dispersus causa Lentiginis.

Ad poros cutis, succus qui pilos illi infixos alere debebat, deueniens, maculas quas Lentes vocant, frequenter producit: hic enim illis priùs assimilatus, coloreque antequam illorum radicibus apponitur nonnihil correspondens, si ab iis vlteriùs in pororum ambitum aliquousq; dispergatur, maculas eiusmodi colorem fuscũ plus minúsve ad pilorum colorem, dum illis assimilatur, adipiscitur, nonnihil inclinantem procrea[t]. Quæ diffusio huius succi in poros, à calore externo nimiùm illum attrahente, porosque simul dilatante, interdũ proficiscitur, si tunc succus pilos enutriens non tantùm pilorum radicibus se affigat, sed & vlteriùs diffusus, illicque subsistens maculas illas subfuscas plus minúsve, pro cutis coloris diuersitate efficiat, magisque in cute alba apparentes, faciemq; pectus & manus potissimùm, cùm hæ sedes calori solis sint ampliùs expositæ, occupantes; quæ & quandiu calida aëris constitutio viget, vix delentur.

Huic quoque pororum nimia à natura laxitas, opitulari potest, vt illorum causâ succus non solùm pilos alat, sed & cutis porticunculam quæ illos ambit, simili colore inficiat, qui postea ægrè ampliùs, cum nouo cõtinuo accedente simili succo, locus ille cum pilo nutriatur, extirpatur, qui cùm succus sit adhuc ad nutriendũ idoneus, nec suppuratur

nec

nec corrumpitur. Quæ pororũ laxitas, cùm illic maximè vbi cutis tenerior existit, se offerat, in causa quoque est, vt lentes in illis potiùs locis nascantur, illicque meliùs etiam conspiciantur: quamobrem & in manuum digitorumque conuexo potiùs quàm volâ lentes prodire patereque videmus.

Fortè & pilis, tenuissimis prȩsertim, quales etiam in nudis alioquin apparentibus sedibus poris insiti sunt, attritis vnà cum radicibus, succo qui eos alere debuit ob id luxuriante, eædem maculæ possunt enasci, illis maximè in locis, vbi frequenti lotione & frictione, vt in facie & manibus, abstersione sic eradicantur.

Succus nutriens pilos, porus se ingerens vitiosus, causa Vitiliginis.

A succo pilos nutriente, porisque se ingerente, si vitiosus sit, maculæ quas Vitiligines seu Alphas vocant, prodeunt, quando ille ad poros delatus, ob vitium ad pilos alendos aut perfectos procreandos inutilis, in ambitum illic pororum, se in cutem exiguo spacio circumfundens, vti lentes, simili ratione à nutrimento pilorum oriri modò ostendimus, sic hîc maculas eiusmodi pro succi praui diuersitate nunc albas, nunc subnigras gignit; ob quam causam pili illic infixi, cùm cõuenienti nutrimento destituantur, decidunt, & si alibi ibidem recrescant, ob hoc nutrimenti vitium, imperfecti, tenues nimirum & lanuginosi albique, quamuis priùs aliter colorati fuerint, recrescunt, cutisque illic à succo hoc prauo alba corruptaque & insensilis fit, punctaque non sanguinem sed saniem virosam, vel albam materiam expromit. Erumpuntque hæ maculȩ nunc hoc, nunc illo loco, quocunque natura vitiosum hunc succum ad poros ablegat.

Talis autem succus vitiosus ex deprauata assimilatione illius loci, vbi maculæ hæ fiunt, prodit, per quam sanguis ille, qui ad nutritionem eò defertur, non in succum conuenientem, sed prauum locoque deprauato similem, & à quo deinceps fouetur, vitioseq; nutritur, conuertitur, eadem ferè ratione, vti in elephantiasi, hoc itidem in cutaneis pluribus locis, ampliori spacio accidere ostendimus, sic hîc angustiori loco, in paucioribus sedibus euenit, & quemadmodum in ea ex peculiari quadam cutis lue, alia vitia prodeunt, ita hæ maculæ ex alia, non tamen adeò ab ea quæ in elephantiasi se offert, diuersa, cùm alphæ sæpè elephantiasim præcedant, eamque venturam significent. Cuius deprauatæ assimilationis causa quoque vti & elephantiasis, venenata quædam vis, vel similis nonnihil huic vel dissimilis, à semine profecta, vel in sanguine aliisve humoribus suscitata latens, vel per cõtagium corpus inuadens, esse potest. Alia enim ratione, nec pituita nec melancholia, quos humores eiusmodi alphas producere putat, suis qualitatibus hoc efficere, neque hæ quoque à crudo sanguine, vti aliqui docent, proficisci possent, cùm in cachexia, quæ inde oritur, nullæ eiusmodi maculæ se offerant, & si inde nascerentur, totum corpus vti ex crudo sanguine intumescit, ita maculis illis vniuersum scateret.

Bilis ad superficiem corporis delata, causa Icterici.

Bilis quæ colore eximio prædita est, si ad superficiem corporis feratur, hæc simili colore tingitur, Ictérique cuiuscunque causa esse potest. Qui color eò meliùs & citiùs elucescit, quò in albicantem magis sedem cadit, vti in oculorum fit albo, cuteque minùs fusca. Hoc autem non naturalis bilis quæ in venis consistit, & sanguinis tenuior pars est, nec flauescit sed rubet, efficit, verùm excrementitia dicta, quæ in venis meseraicis contenta, illic in vesiculam propriam separatur, flauetque; vel prȩternaturalis, quæ ex huius corruptione genita, ampliùs flauescit aut virescit vel etiam nigrescit. Eiusmodi bilis, si è venis meseraicis, sero quod omnium humorum est vehiculum, diluta, vnà cum sanguine in venam cauam, atque inde eiusdem seri beneficio cum illo per venas ad exteriora corporis feratur, illicque in cutem aliasque membranas, vti & oculi tunicam, sparsim non punctim, sicuti cùm maculas & pustulas biliosas gignit, effundatur, tunc se in eam insinuans, colore quo prædita est, colorat, nec, cùm sero contemperata sit, adeò atque cùm pura in pustulis ab illa genitis eò defertur, ardore afficit, nisi quatenus pruritum aliquãdo in locis summè sentientibus mouet. Sed & portio huius bilis cum sero ad renes indeque ad vesicam delata, vrinas simili colore imbuit, crassasque reddit.

Quòd autē eiusmodi bilis è venis meseraicis in cauę ramos transferatur, indeq; in exteriora corporis & in cute subsistat, nec per sudores dissipetur, causæ concurrunt variæ, quarum præcipuè sunt Segregatio illius & Excretio impedita.

Segregatio bilis in venis meseraicis, cùm in hepate fiat, illicque è venæ portæ venis in pori cholidoci ramos transferatur, indeque illi adnatam vesiculā, si ea vel morbo aliquo hepatis impediatur, vel ob copiam perfici nequeat, in venis portæ retenta, tandem, vti dictum, in venæ cauæ ramos irrumpit.

Quod ab obstructione horū bilis meatuum per hepatis substantiā dispersorū frequenter euenit, cū tūc, etsi à sanguine in venis hepatis segregetur, tamē propter hanc pororum obturationem, in vesiculā repurgari nō possit, & proin cum sero & sanguine in venā cauam trāslata, & per corpus distributa, illud, vti dictū, colore quo eximio prædita est, tingat & discoloret. Quæ obstructio à causis iisdem, à quib. obstructionē in aliis vasis hepatis fieri, & cachexiā gignere, in ea describēda ostendimus, hîc etiā in ictero dependere potest, vt à chylo, sanguine, sero vel pituita, si hæc, dum bilis fit in poros hosce distributio, simul illis se ingerāt, illicq; retenta, crassescāt vel in arenulas tophósve conuertantur, cuiusmodi quoq; materia sectione in iis inuenitur. Sed & à bile ipsa tenaciore in poris illis angustioribus diutiùs hęrente, eadem obstructio fieri potest, si præsertim eam illic acquirat duritiē, qualem in auribus nōnunquā illi cōtingere, auresq; obturare videm⁹, dum ab illis expurgātur; quod dum ratione ipsius bilis, si viscosior quàm par erat, gignatur, vel ob calorē hepatis, eā adassantis potest accidere. Sicuti & in ipsa vesicula illius, & poro ad intestina desinente hoc fieri quoq; posse, & quandoque in calculum conuerti, si illic obstructio oboriatur, mox ostendemus.

Tumores quoq; & scirrhi hepatis, vti vasa alia hepatis prementes & angustātes, Cachexiæ vti in ea declaratū fuit, sic & si hosce meatus bilis eo modo occludant, Ictero occasionem præbent, qui tunc hydropem qui inde quoque sequitur, vti in eo ostenderur, præcedit, eumque comitatur.

Quod & si abscessus aliquis vel putredo aut corruptio in hoc viscere accidat, euenire potest, vt tunc nō segregatis sed confusis inter se humorib⁹, & icterus & hydrops simul sequantur. Inflammatio etiam hepatis simili modo hasce vias arctando, & simul bilem accendendo, atq; in venam cauā propellendo, icterū cæteris illius symptomatib⁹ copulat.

Ob copiam bilis & nimiam illius in venis meseraicis redundantiam quandoq; accidit, vt, cùm vniuersa, quod in hepate fit, in suam vesiculam segregari nequeat, aut illa eam recipere non valeat, etsi aliquando admodum ampla, & capax inueniatur, tūc portio illius in venam cauam rapta, indeq; ad exteriora delata, colore flauo, si naturam excrementitiæ bilis seruet, vel si ab ea degenerans, ob corruptionem in venis meseraicis, ampliùs flauescat, vel viridis aut atra fiat, simili colore cutem imbuat, icterumq; vel flauum vel nigrum producat. Quod aliquando etiam antequam alium morbū gignat, facit, quando illic turgens in venasq; irrepens, Icterū mox subsequendorum à bile genitorum morborum prænuncium parit. Aliàs verò priùs ibi putrescens febresq; intermittētes gignens, cùm in harum paroxysmis portio illius semper aliqua in venas transfusa, per sudores dissipetur, si hoc non sufficienter fiat, illicque subsistat, icterum febri copulat: vel si vniuersa febrium hæc materia per crisim è venis meseraicis ad cutem transfundatur, icterum febrem soluentem, procreat. Quod & in aliis ex corruptione vel redundantia bilis in hisce venis genitis morbis potest accidere, vt illos hac ratione icterus comitetur vel sequatur, sicuti in colico dolore à bile, frequenter euenire diximus, si illa partim ad intestina delata, partim remanens, icterum colico dolori iungat, vel etiam cessante dolore colico, quia non sufficienter medicamentis vel sponte expurgata fuit, postea icterū, qui facilè eum sequi solet, post se relinquat. Sicuti hæc in horum affectuum tractatione vberiùs explicata fuerunt. Adiuuante interim sæpè vi naturæ, quæ cùm id quod noxium illique molestum est, ægrè ferat, acri hoc humore, licèt dum in venis adhuc remanet, sanguine contemperatus, diutiùs

sæpè

ſæpè latere poſsit, excitata, eum ſi non ad inteſtina, quo venæ meſeraicæ deſinunt, vti cathartico præſertim commota plærunque facere ſolet, excutiat, in venas maiores, vti dictum, transfundit. Quæ & cauſa fortè, quod à Veneno ſumpto icterus quandoque producatur, naturâ ſic exagitante & conturbante humores, niſi alia occulta vi, qua in venenis diuerſas molitur operationes, hoc faciat, in illis præſertim, in quibus bilis abundat copia. Cuius causâ vti diuerſa icteri prodeunt genera, vti dictum, ſic eò citiùs hoc fiet, ſi morbus aliquis iecoris enarratus, ſegregationem hanc bilis ſimul impediat.

Quam ſegregationem in liene, ab illius quoque morbis, veluti obſtructione, & duritie, ſimiliter vt in hepate, impediri, & tunc atram bilem, quam in liene coaceruari & contineri exiſtimant, in venas abripi indeq; Icterum nigrum prouenire, aliqui docuerunt. Verùm cùm in liene eiusmodi bilis nullibi, nec ſinus aut veſicula aliqua, quà recipi deberet, depræhendatur, inde ſanè ea prodire minimè poterit, neque etſi adeſſet, in venam cauam, quæ nullo ramo lienem attingit, deferri, ſed ſi in alia vaſa transferretur, eam in arteriæ ramos, quibus lien intexitur, deuenire neceſſe eſſet, vnde longè grauiora, quàm icterus, ſequerentur accidentia. Quare atram hanc bilem non neceſſe eſt in liene perquirere, cùm hæc in venæ portæ ramis, quorum dexter ad hepar fertur, ſiniſter ad lienem (à quo in lienem portionem aliquam illius perferri poſſe, non negamus) contenta, ſi præternaturalis fiat, vti dictum, & flauum & viridem & nigrum colorem induat, nec dum alia via, tàm à ſiniſtra quàm dextra ſede, quam per hepar, vti dictum, in venam cauam transfundi poſsit: Quod niſi fiat, lienis ſolus affectus icterum nunquam inducet. Cauſſas autem huius bilis tàm flauæ quàm viridis & atræ redundantiæ, in febribus intermittentibus, quæ inde quoque prodeunt, vti & quartanam ab ea bile, non quę in liene eſt, prodire oſtendimus, abundè expoſuimus, vt non neceſſe ſit eas hîc repetere.

Excretio bilis per porum cholidocum in inteſtina, ſi non fiat, tunc regurgitans è veſicula rurſum per pori illius ſuperiora in hepar, illiusque venas, eodem modo, vt cùm non ſegregatur, in venam cauam tranſiens, icterum parit, tuncque excrementa alui nulla bile perfuſa, minimè colorata ſunt, nec aluum ad excernendum ſtimulant. Hoc autem ab iisdem cauſis, à quibus obſtruendo vaſa illa in hepate ſegregationem impediri diximus, etiam hîc fieri poteſt, vt humoribus, ſi in porum delabantur eumque obſtruant: vel etiam tumoribus, ſi veſiculæ huius ceruicem vel porum deſcendentem comprimant: Vel proprio huius veſiculæ affectu, veluti eſt illius inflammatio vel tumor. Quò & calculos qui aliquando in ea inueniuntur, aurei argenteíve coloris referimus, bilem item ipſam tenaciorem factam & valde incraſſatam, qualem ex auribus expurgari interdum videmus, cui ſimilem in veſicula fellis ſectione inuenimus. Quæ duo ſi in anguſtias huius veſiculæ perueniant, poroque inhæreant, bilis deſcenſum & expurgationem, vti dictum, impediunt.

Verùm non ſolùm quia bilis hoc pacto non excernitur, icterus fit, ſed & per venam cauam, ad cutem vſque effuſa, quæ per poros cum ſudore vnà cum ſero euacuari poſſet, vti ſæpè fit, ſi ea quoque excretio impediatur, ſubſiſtens, cutem colorabit, minùs, ſi portio illius, vel planè non, ſi tota, vt cùm exigua illius eſt quantitas, ſudoribus exhauriatur & abſumatur. Quæ ſudoris ſuppreſsio, ob pororum cutis adſtrictionem à diuerſis cauſsis alibi explicatis, proficiſci ſolet, vnde & in bilioſis ſudoribus in illis qui hiſce abundant, calore & balnei præſertim concitatis, ſi ſubitò frigori ſe exponant, cutem ſæpè colorari flauitie videmus, eamque etiam per ſudores nouos rurſum abſumi.

A' bile ſyncera maculæ vix dum, de quibus hîc agimus, gignuntur, nec lentes quidem, quas à nutrimento naſci docuimus; Vti verò aliæ maculæ ſeu piſtulæ potiùs ardore & dolore moleſtæ, quam colore diſcolorantes, vt ſunt herpetes; de quibus in doloribus egimus.

Humore praui in morbus malignis, causa Macularum peruersarum in febribus malignis & luibus.

A prauis humoribus in morbis malignis variæ maculæ generantur, quales in febribribus puris, putridis, malignis, pestilentialibus, venenatis & lue venereâ, elephantiâ, stomacace, aut aliis morbis suboriri, in generibus priùs ostendimus. Qui humores venenáve, quibus viribus id efficiant, in illis morbis, quorum & simul causæ, vti & macularum in illis prodeuntium existunt, quantum quidem in eiusmodi occultis causis assequi licet, descripsimus.

Sordes causa Coloris obsoleti in cute et nigri sub Vnguib. Dentiumq; flauitiei & nigredinis.

A sordibus adhærentibus, cutis color obfuscatur & obsoletus redditur, sicuti cùm de sordibus in Reiectis agemus, vnde hæ proueniant, explicabimus.

Sub vnguibus quoque collectæ sordes, inter ipsos & cutem, vbi dehiscunt, per ipsos translucentes, faciunt vt extremitates ipsorum nigræ & turpes esse videantur.

Dentes inprimis sordibus inquinantur, & vel flauescunt, vel liuent, aut nigricant, quæ cùm albissimi sint, eò citiùs in illis apparent. Quarum sordium causas similiter in sordiũ descriptione, in reiectis proponemus.

Colores ab externis profecti causa Discolorationis Cutis, Vnguiũ & Dentium.

Ab aliis aliter commaculantibus, vel alium colorem inducentibus vel imprimentibus, cutis, dentes, vngues & pili quoq; diuersos colores adipisci possunt. Sic cutis in manibus præsertim nigra fit contactu nucum viridium, talisque ad dies aliquot manet: Aliàs crocea, rubra, cœrulea alióve modo colorata, à succis aliis fructuum dum decerpuntur, vel coloribus dum illi versantur, efficitur. Quâ & ratione Americani nudi populi, studio se decoris gratiâ diuersimodè pingunt. Et ex nostris pueri lasciui scarificatâ cute & puluere sclopetario infricato, vt certas notas vel characteres cuti imprimãt, arte efficere solent. Dentes quoque ab ingestis sic colorari possunt, inter quæ adstringentia dentes potissimùm denigrant. Vngues discolorantur & nigri fiunt in coriariis ob calcis & lixiuij frequẽtem tractationem, diuque hic color in illis perseuerat.

Calor cutem dilatans causa coloris Rubicundioris & Viuidioris. Frigus cutem condensans causa Coloris Obscurioris.

Calor non solùm sanguinem alliciendo, viuidum vel rubrum colorem, frigusque eundem reprimendo, pallorem corpori conciliat, vti ostensum fuit, sed & calor quia cutem dilatando, vt per eam sanguineus color meliùs elucescat, efficit; & frigus eandem constringendo & condensando minùs pellucidam reddit, vt qui calent colorem viuidiorem, qui frigent, opacum & obscurum magis obtineant, in causa sunt.

Siccitas cutis, causa illius Coloris obscurioris & Nigredinis vulgò dictæ.

Siccitas nimia cutis, colorem etiam immutat, eamque fuscam magis efficit, tum quia exiccando spissiorem, vel constringendo rugosiorem reddit, cùm crassities illius, vt opaca fiat, efficiat, & rugę vmbram facientes, obscuritatem in ea inducant. Sicuti ab ardore solis cute diu exiccatâ & veluti perustâ, eam nigriorem, vti vocant, fieri cernimus; Et ex senio cutem aridam factam fuscam magis apparere. Idem quoq; si à morbo aliisve externis iniuriis sicca admodum reddatur; vel alioquin ob consumptionem subiectæ carnis laxata, quæ priùs tensa fuerat, rugas acquirat, euenire; Vel etiam nimiùm humectata, in balneo similiter corrugari.

Siccitas membranarum Oculi causa Macularum albarum in illis.

In oculis ob exiccatam & induratam callosamque factam tunicam corneam, in ea Maculę albæ, Albugines & Cicatrices dictę, nascuntur. Atque ob exiccatum tenacemq; factum, sensimque induratum & veluti excoctum humorem aqueum, macula quoque alba, hypochyma, per corneæ sedem pupillę oppositam, translucet, cùm perspicuitate qua cornea tunica & humor ille prædita esse debebant; amissâ albedo illa subsequatur, sicuti videmus album oui crudum pellucidum & clarum esse, coctum & incrassatum exactè album reddi, luciditatemque amittere. Quæ in oculis eiusmodi lucidarum partium exiccatio & induratio, à causis variis proficiscitur, sicuti eas in hisce maculis describendis, in visus defectibus, qui inde proueniunt, abundè declarauimus.

Siccitas in Vnguibus causa Macularum albarum in illis.

In vnguibus maculæ quoque albæ, illic vbi transparentia ipsorum, à causis nonnihil similib9, in puncto veluti deperditur, oriuntur; quod iis à nutrimento, quo aluntur, accidit, si in eo portiuncula vel minima sit, ab ea quæ pellucidam vnguium substantiam reparare, lucidamque continere debebat, aliena, nihilominus tamen nutriendæ adhuc apta: quæ aliunde, vt ab ossium vicinorum nutrimento crassiore decedens, & huic lucidio-

cidiori vnguium permista, vnguis eam porciunculam cui apponitur opacam & albam, nec vt aliam, pellucidam reddit, quod in iunioribus eò frequentiùs euenit, cùm dum corpora crescunt, ossaque tunc quoque augeantur, copiosiori nutrimento abundantia, ab ipsis eò faciliùs aliquid hoc deriuari, illisque apponi posit, sicuti ex succorum nutrientium confusione, duros varios tumores quoque nasci solere, in illis explicauimus.

Cæterùm & vngues non solùm exiguo hoc spacio, sublatâ pelluciditate, albis maculis notati deprahenduntur, sed & vniuersos albos & opacos factos fuisse in quibusdam senibus obseruauimus, illis ætatis causâ adeò exiccatis & induratis, vt vndiq; transparentiam amiserint; quâ ratione & cornua & ossa & calamos pennarum, vsta albescere cernimus.

Siccitas Pilorum causa Canitiei. In pilis hoc idem accidit, vt dealbentur seu canescant, postquam pelluciditatem (quam pili quoq; vti vngues & cornea tunica obtinuerunt, licèt ob exilitatem non ita in illis hoc conspicuum euadat, ex splendore tamen ipsorũ cognosci potest) ob omnimodam exiccationem & indurationem amiserunt. Quod in illis æquè ac in cæteris, eoque frequentiùs accidit, cùm sint alioquin siccissimi: ob quam causam ætatis decursu vti aliæ partes siccescunt, sic & illi ampliùs exiccati induratique, quod circa radices primùm fit, vnde crescẽdo & procedẽdo, tãdem toto ductu cani euadũt, atq; in senibus aliàs citiùs aliàs tardiùs, pro siccitate citiùs tardiùsve obortâ, vel in principio illius vel progressu, vel extremo canities se offert. Ab aliis causis, cùm pili non tam facilè alterentur, ægrè hoc euenit, licèt ob curas & mœrorem canescere aliquos posse vulgus autumet, quod tamen vix alia ratione, quàm senium maturando, facere possunt: Et si subitò aliquos canos factos fuisse scribant. Quòd autem pili interdum non eadem in sede, sed distinctis in locis albescant, vel etiam in illis qui vnam sedem comprehendunt, aliquibus saltem hoc, aliis minimè accidat, pilorum dispositio inæqualis, vti & cutis cui infiguntur, esse potest: Vbi & hoc obseruatur, quòd quò crassiores sunt pili, eò maturiùs canescunt, & quod in nigrioribus citiùs quã rubris, cùm in illis albedo incipiens citiùs cognoscatur, se patefaciat. Quæ & causa esse potest, quòd in barba, etsi iunior, vti dici solet, sit capillis, canities interdum celeriùs quàm in illis se exerat.

Curatio.

VAriat, prout discolorationes hæ vel in Cute aut Oculis fiunt: Vel in Dentibus, Vnguibus & Pilis accidunt.

Cutis discolorationibus conueniens cura, accommodatur primùm Generalioribus, postea Particularibus.

Generalioribus quæ debetur cura, pro ratione causę & vt illa vel à succo nutriente, aut à bile, vel à sanguine aut semine dependet, dirigitur.

A succo nutriente crudo & imperfecto quæ procedit Cachexia, in qua color floridus amittitur, Pallorque introducitur, vel alienus simul accedit, si cacochymia adsit, eaq; ab hepatis aut lienis imbecillitate nondum adeò confirmata, vel ab obstructionibus ab humoribus nondum adeò infixis oriatur, faciliùs curationem admittet. *Cachexia cura.* Si verò hæc imbecillitas viscerum sanguificationis, aut obstructio altiùs radices egerit, tunc in leucophlegmaticam, vti dictum, facilè conuertitur, vel in hydropem ascitem abit, è quibus hydropis speciebus, nisi grauior accedat noxa, illa faciliùs, hæc difficiliùs sanatur. Omniumque difficillimè vel vix dum curari potest cachexia, si viscerum extrema adsit debilitas aut obstructio, ab indurata materia vel topho profecta, vti & si durities, scirrhus aut tumor aliquis in hisce visceribus, vnde hydrops ascites sequitur, occurrat, incurabilis.

Curatio cachexiæ secundùm caussam instituenda; quam diximus esse viscerum, hepatis vel lienis, aut etiam venarum meseraicarum imbecillitatem, intemperiem frigidã vel calidam, obstructionem, atq; in hisce visceribus duritiem & tumores duros. Quæ si causa aliqua externa internáve, excitârit, illa ante omnia erit auertenda, vti victus indecens, immoderata sanguinis profusio, venus

nimia, aliáve à quibus hosce affectus originem traxisse, & adhuc eosdem fouere cognoscimus: Dein & illuuies, quæ in hisce cumulatur, euacuanda: Atque interim si ab imbecillitate nata fuerit cachexia, eam corrigemus; si ab intemperie frigida vel calida, eam alterabimus: si ab obstructione, eam aperiemus, si à duritie vel tumore duro, ea emollire & dissoluere studebimus; intus forisque administratis remediis, vtendo maximè iis, quæ visceribus hisce appropriata censentur, & proin Hepatica vel Splenetica dicuntur, vel saltem ea semper cæteris quæ id præstant, permiscendo, additis quoq; quæ ventriculum, si ille debilitatus sit, respiciant. Quæ omnia remedia, cùm vnum sępè, ex diuersis præsertim cōpositum, diuersis causis accōmodari queat, in duas classes distribuemus. Atq; in vna, ea quę & in imbecillitate, intemperie frigida, obstructione, duritie vel tumore duro, nunc vni alicui ex illis causis, nunc pluribus accōmodantur, describemus. In altera verò, illa remedia, quæ si ab intemperie calida cachexia dependeat, cùm hæc peculiarem & nonnihil ab illis variantem curam requirat, locum habebunt, proponemus; nunc à curatione illa exorsuri, quæ primæ classis remediis sequentibus modis administratur.

Venæ apertio per sectionem nonnunquā locum habebit in eiusmodi cachexiis, si hepatis adsit obstructio & plethora, quâ fortè sic moto sanguinis fluxu eoq; concitato, humores in hepatis vasis infecti vnà cum sanguine nōnihil cedent, maximè verò si cacochymia simul adsit in sanguine, ad eam exhauriendam conueniet: Fitque in brachio dextro, vbi humilior vena conuenientior censetur & proin hepatica dicitur, quæ & in manu secari potest; vel etiam in crurum inferioribus, si menses, vti ferè fit, suppressi sint. In splenis verò eiusmodi affectibus, si cacochymia quoque colligatur in venis, illius causâ in sinistro brachio aperitur, in quo lienarem & in manu saluatellam peculiariter splene affecto, incisam probant.

Hæmorrhoidum apertio vel prouocatio per venas meseraicas, reuellendo tum in hepatis tum lienis tum venarum meseraicarum obstructionibus plurimùm proderit, tum etiam cacochymiam illic collectam educendo.

Vomitus in obstructionibus & hepatis & lienis, non solùm cruditates auferendo, sed & naturam ad excretionem sollicitando, prodesse potest, qui faciliùs à cibo sumpto concitatur.

Clysmata quę emolliant, stimulent & obstructiones soluant, injiciuntur, fiuntque ex decocto communis Clysmatis, addēdo decocto radic. Aperitiuas, Cicera rubra, semina quatuor Frigida maiora, dissoluendoque in eo elect. purgantia, nonnunquam & Vrinæ quartarium j. & Fermenti acris ℥. ß. & præter olea communia, etiam Capparorum vel Irinum.

Vel vtendum Clysteribus in Leucophlegmatia expositis.

Purgationes per aluum instituuntur in obstructionibus, vt sic natura mota semper aliquid ex angustiis protrudat, dein & in aliis causis vt viscerum imbecillitate, vel intemperie aut duritie, quia multa colliguntur excrementa, eæ quoque tunc locum habebunt; Paranturque ex cholagogis & phlegmagogis, & in lienis præsertim affectibus, melanagogis, cùm melancholicum succum illic redundare credāt, addendo hisce etiam quæ ventriculum respiciunt, flatusq; discutiunt, si in leucophlegmatiam tendat, vel hydragoga si in hydropem ascitem vergat, sicuti illis in affectibus eiusmodi purgantia descripta sunt. Hîc verò in cachexia sequentia præsertim conueniunt.

Decoctum in obstructione hepatis conueniens: ℞. rad. Liquiritiæ ℥. j. ß. rad. Cichoreæ, Iridis an. ℥. j. rad. Apij veri vel alt. off. ℥. ß. rad. Azari ʒ. ij. Chamæpythidis, Chamædr. Eupator. Capill. vener. an. M. j. seminis Fœniculi ʒ. ij. Petrosel. Erucæ an. ℥. j. florum Sambuci P. j. Passularum ℥. ij. fol. Sennæ ℥. j. ß. sem. Carthami conquass. radic. Polypod. an. ℥. j. fiat decoctio in Aqua & tertia parte Vini, & in colatura inf. Rhabarb. elect. ℥. ß. Agarici ʒ. iij. Zingiber. ʒ. j. Spicæ ℈. ß. fiat expressio, adde Sacchari q. s. aromatis. Cinamom. vel Gariophyll. Pro tribus vicibus.

Vinum ex iisdem aridis, in Vini ℔. quatuor

tuor vel quinque infusis factum, meliùs operabitur, fietque efficacius, si Absynthij ʒ.ij. summitat. Centaurij ʒ.j. radic. Aristoloch. & Scyllæ præpar. ʒ.ij. addas.

Aliud decoctum in splenis potissimùm eiusmodi affectibus: ℞. cort. rad. Cappar. Tamaricis an. ℥.j. macerentur in aqua & tertia parte Aceti, herbarum Chamædreos, Asplenij ana M.j. florum Buglossi vtriusque, Genistæ ana P.j. seminis Fœniculi ʒ.ij. semin. Viticis ʒ.j. Passularum enucleat. ʒ.vj. rad. Polypodij ℥.j.ß. foliorum Sennæ ℥.j. fiat decoctio: Pro tribus vicibus, aromatisetur Cinamomo, dulcoretur Saccharo vel Syrupo Capill. Ven. aut alio.

Vel sic: ℞. Cortic. Capparum ℥.j. Mercurialis, Fumariæ, Thymi, Epithymi ana M.j. foliorum Genistæ, Tamaricis, Rosmar. Borraginis, vel Buglossi ana P.j. Passularũ par. x. Sebesten paria quinque, foliorum Sennę ℥.j. Polypodij ℥.j.ß. fiat decoctio, in colatura infunde Myrobalan. Indarum vel Chebularum vel etiam aliarum ℥.ß. Rhabarbari ʒ.ij. fiat expressio, adde Sacchari q.s. fiat decoctum pro tribus vicibus. Si in decocto cort. rad. Hellebori nigri ad ʒ.j. addatur efficacius erit.

Simplicius decoctum in lienis obstructionibus fit ex Mercurialis & Fumariæ recentium decoctione in sero Lactis vel Aqua casei vel Iure macro Caponis vel Galli antiqui, cui & alia addi possunt.

Potest & dari decoctum vel Vinũ in Leucophlegmatia descripta, si præsertim in eam vergere cachexia videatur.

Potio ex infusione Rhabarbari ℈.iiij. facta in Vino absynth. aut aquis Aperitiuis conuenit: Vel puluis cum eiusmodi liquoribus bibitus, vel cum aqua Plantaginis, si fluor menstruus nimius adsit, cachexiamque induxerit. Cui & syrupus Rosarum solutiuus ad ℥.ij. misceri potest. Vel detur potio quæ in Leucophlegmatia descripta est.

Exhibentur & Potiones ex aliis decoctis alterantibus mox explicandis factæ, infundendo Rhabarbar. Agaricum aliáve, & dissoluendo electuaria purgantia cholagoga in hepatis, melanagoga in lienis potissimùm affectibus.

Pilulæ cùm amara & gummata recipere possint, illaque in cachexia præsertim prosint, maiori adhuc successu vsurpantur; sæpiùs vsurpatæ si leuiores sint.

In obstructionibus & duritiebus conuenientes hæ sunt: ℞. gummi Ammoniaci dissoluti in succo Iridis, Rhabarb. pulu. an. ʒ.ß. cum Oxymelite fiant pilulæ. Pro vna vice: Potest & addi Agaricus, vt magis operetur.

Vel fiant tales: ℞. Aloës ʒ.ij. Rhabarbari, Agarici vel Mechoacæ an. ʒ.j.ß. Gummi ammon. dissoluti in Aceto simplici vel scyllitico ʒ.ß. Mastiches ℈.j. rad. Gentianæ, Aristoloch. vel Rubiæ, summit. Centaur. min. de vno vel tribus ad ℈.ij. rad. Azari, sem. Apij an. ℈.j. Zingiber. Spicæ an. ℈.ß. cum extracto vel succo Absynthij inspissato, vel alio, vt Iridis, vel syrupo Byzantino alióve, aut Terebinthina fiat massa: Potest acui cùm efficaciùs purgare volumus, Diacrydio.

Vel sic: ℞. Turbith ʒ.j.ß. Rhabarb. ʒ.j. gummi Laccæ vel Bdellij vel Sagapeni, Mastich. an. ℈.j. rad. Azari semin. Viticis an. ℈.j. Schœnanthi, Spicæ, Croci an. ℈.ß. excipiantur vt superiores, fiat massa: cuius operatio Diagrydio quoque intendi potest.

Vel fiant tales: ℞. Aloës optim. ʒ.ij. Rhabarb. Agarici an. ʒ.j. Scammon. ʒ.ß. trochisc. de Eupator. vel Rhabarbar. vel aliorum puluerum deoppilantium, an. ℈.j. Spicæ ℈.ß. Mastiches ℈.j. gummi Ammoniac. dissolut. in Aceto ʒ.ß. cum syrupo de Absynthio fiat massa.

Ex vsitatis, pilulæ de Eupatorio Mesuæi vtiles sunt, quæ fiunt ex rhabarbaro, myrobalanis, aloë, mastiche, croco, succo aggerati, (quod est eupatorium Mesuęũ) absynthij, endiuiæ.

Vel pilulæ de Rhabarbaro, paratæ vt illæ ex rhabarbaro, myrobalan. & loco aloës ex hiera picra; item mastiche & præter hæc, ex sem. apij, fœniculi, trochisc. diarrh. succis absynthij, liquiritiæ, aquâ fœniculi.

Item pilulæ de Agarico in pituitosis, vti & menstruorum suppressione, quæ ℞. agaricum, turbith, hieram picram, colocynthidem, myrrham, sarcocollam vel mastichem, rad. ireos, marrubium.

Vel ex fortioribus aggregatiuæ. Quibus omni-

omnibus etiam gummi Ammoniacum dissolut. in Aceto, cùm durities adest, addi potest, possuntque cum succo Iridis vel Absynthij formari. In splenis affectibus etiam fortioribus vtuntur, de quinq; generibus Myrobalanorum, alijsq; melancholico humori purgando dicatis.

Cùm supressi sunt simul menses, pilulæ vtilissimæ: ℞. Aloës ʒ.j. ß. Myrrhæ, Rubiæ tinctorum vel Aristoloch. ana ʒ. ß. Agarici, Turbith. ana ʒ. j. gummi Ammoniaci dissol. in succo Iridis ʒ. ß. Cum syrupo de radicibus: Capiat frequenter.

Si menses nimiùm fluant aut hęmorrhoides, sic fiant: ℞. Myrobalanorum citrinarum ʒ.j. Rhabarbari ʒ.j. ß. pulu. Diarrhodon vel Triasant. ʒ. ß. cum succo Rosarum rubr. fiat massula: Sumat ʒ. ß. vel plus, aliquoties.

Electuarium in obstructionibus: ℞. Mechoacæ ʒ. iij. Turbethi ʒ. j. Rhabarbari ʒ. ij. Cinamomi ʒ. j. ß. Zingib. ʒ. j. Spicæ ℈. j. pul. Triasantali vel alterius ʒ. j. pulpæ Passul. coctæ parùm cum saccharo q. s. ad hæc excipienda: Potest misceri etiam Diacrydium: Detur portio.

Rhabarbarum solum ad ℈. iiij. puluerisatum & cum pulpa Passularum in bolum redactum & sumptum, hepati valdè conuenire, ex eo patet, quòd Rhabarbarum anima hepatis esse dicatur: quod aliqui etiam comedunt.

Tabulæ ad idem: ℞. Rhabarbar. ʒ. j. ß. Mechoacæ ʒ. j. radic. Gentianæ ℈. j. foliorum Absynthij ʒ. ß. Maioran. ℈. j. Cinamomi ʒ. j. Masticħes, Gummi ammoniaci diss. in Vino ana ʒ. ß. Sacchari diss. in Vino albo generoso, addendo succi rad. Iridis ℥. j. Coquantur in tabellas: si Turbith. addatur vel Diacrydium, potentiùs purgabunt.

Alterantia quæ exhibentur caussâ hepatis vel lienis imbecillitatis, caloré natiuum in illis debilitatum reparare vel excitare debent, idque appropriatis potissimùm hisce visceribus medicamentis, proprietate illâ suâ id agentibus, temperatis potiùs quàm frigidis, vel si frigida simul adsit intéperies, calidioribus. Obstructionum verò occasione vtimur aperientibus & abstergentibus; fortiora ex illis in lienis obstructione vsurpantes, addendo semper quædam, quæ adstrictione leui in hepate, minori in liene obstructo, prædita, illa simul roborent, vel quæ alioquin illis appropriata nihilominus obstructiones solvere posint, qualis est endiuia & cichorium, hepati amica, quæ simul aperire, amaritudo in ipsis declarat, vti & illud quod non ita vt creditur, refrigerent. His etiam si suspicio de arenulis sit vel calculo in hepate, quę ea propellant, admiscetur.

Duritiei verò & tumorum causâ, emollientibus vtimur, admiscendo quæ simul quod emollitum est dissoluant atque absumant, aut hæc per vices vsurpando. Quæ emollientia, si tumor alius durus, qui in abscessum conuerti posset, viscera occuparet, cùm maturent, eo pacto quoq; in eo conuenient. Præter quæ in splenis affectibus, quæ flatus discutiunt, plerunque prædictis permiscere solent, tum quòd flatibus facilè illud effici, nonnunquam & intumescere ab ijs posse existiment. Verùm cùm ideò quòd hi vel in hypochondrijs aut ventriculo vel colo collecti, vti dictum, in opinionem hanc venerint, si liene vel hepate obstructo vel indurato, hi illis in locis concurrant, tunc eo nomine prædictis quoque admisceri possunt. Cæterùm hęc qualiacunque remedia diuersis formis nũc simplicibus liquidis vel solidis, nunc inuicem permistis misturis exhibentur.

Inter liquida quæ bibuntur, Decocta varia fiunt, quæ vel sic assumuntur, vel priùs in syrupos, cocta ad vsum reseruantur, idq; sequentibus modis.

Iusculis incoquuntur radices & herbæ Petroselini, Fœniculi, turiones vel radic. Asparagi, Graminis, Cicera, sem. Melonum, & splene affecto, etiam Portulaca.

Medicata docoćta, quę ante purgationem aliquot vicibus, præparationis loco, vel etiã postmodum sumi possunt, ad viscera ab obstructione liberanda, fiunt varia sequentibus modis.

Vsitatum in forma syrupi asseruati solitum, est Syrupus de duabus radicibus dictis & ex decocto radic. petroselin. & fœniculi cum saccharo factus.

Ex quinque radicibus aperitiuis sic fieri potest

potest: ℞.rad. Apij off. seu apij palustr. Petros. off. seu apij veri, Fœniculi macerat. in vino an. ℥.ij. radic. Graminis, Asparagi vel Rusci an. ℥.j. fiat decoctio, & cum saccharo inspissetur, in formam syrupi, vel capiatur per se.

Cōpositus amplius sic parabitur: ℞. quinque rad. Aperitiu. an. ℥.j. rad. Iridis, Liquiritiæ, Calami offic. id est Acori veri, vel Enulæ an. ℥.ß. herbarum Endiuiæ, Cichorij cum radicibus, Dentis leonis cum radicibus, Eupatorij, Chamædreos, Chamæp. Veronicæ an. M.j. florum Sambuci P.j. seminum quatuor Frigid. maior. ʒ.iij. semin. Endiuiæ, Portulac. an. ʒ.j.ß. sem. Asparagi ʒ.j. sem. Anisi ʒ.ij. Fœniculi, Apij off. vel Petroselin. off. an. ʒ.j. Passularum enucl. ℥.j.ß. Cicerum rubr. vel nigr. P.j. fiat decoctio in Aqua, addita tertia parte Vini, si præsertim radices in Vino non fuerint maceratæ, & in colaturę q. s. pro aliquot dosibus, dissolue Sacchari q. s. ad dulcorandum, aromatiss. Cinam. ʒ.j. Spicæ, Schœnanti an. ʒ.ß. fiat apozema: Pro aliquot dosibus. Vel aucta Sacchari quantitate rursum coquatur ad consistentiam syrupi, si ad vsum seruari debeat.

Aliud, quod & lieni magis accommodatur, efficacius fiet, si prædictis omnibus vel aliquibus, addantur cort. radic. Capparum, cort. Tamaricis vel Fraxini, ab externa tunica abrasorum an. ℥.j. radic. Azari vel Rubiæ ℥.ß. herbarum Capilli veneris veri offic. seu Adianthi, vel illius loco Trichomanes, Ceterach, Cuscutæ, Buglossi angusti vel latifolij, Fumariæ, Lupuli an. M.j. florum Buglossi vtriusque Tamaricis, Genistæ an. P.j. seminum Viticis vel Rutæ ʒ.j. misceantur cum cæteris, & fiat decoctum vt prius.

Cùm adhuc validiùs aperiendum, amara addimus, vt rad. Aristoloch. Scyllam præpar. Absynthium vulg. vel Roma. Marrubium, summit. Centaurij minoris.

Si ventriculi simul adsit imbecillitas, vel flatuum copia, horum caussâ addi possunt cæteris, rad. Imperatoriæ, Calamentū, Mentha, Maiorana, Rosmarinus, Polium, semen Carui, Cimini, baccæ Lauri. Item Mastiche quandoque decoctionibus hisce additur.

Probatur & decoctum radicum Filicis, Rhapontici, Eryngij, Valerianæ, Crocodilij, Cardui, Salicis, Pentaphylli, Polemonij, Anchusæ, Smyrnij, Nympheæ. Item herb. Hyperici, Scordij, Pilosellæ; Item Pimpinellæ, Filipendulæ cum radicibus, fol. Pini & Piceæ, seminum Capparum, Periclymeni, Xyridis, Bunij, Erucæ. E quibus vel vnum vel plura inuicem decoqui possunt, vel superioribus quoque decoctis permisceri.

Si hydropis metus sit, adduntur etiam semin. Hederæ, gummi Lacca, & hydragoga, vt in hydrope docebitur.

In duritie & scirrho horum viscerum, eadem conferūt, additis simul nonnihil emollientibus: Veluti radic. Altheæ, herb. Maluæ, Viol. Ficub. flor. Chamomill. Meliloti, Violarum & similibus.

Ex succis è plantis expressis, aliqui in formam quoque syrupi cocti, in vsu sunt, veluti ex acidis succis parati, qui cùm calor & sitis adsunt, conueniunt; Acetosus simplex dictus, qui ex aceto aqua & saccharo coquitur.

Oxymel simplex, fit ex aceto melle & aquâ, squilliticum ex Aceto squillitico.

Oxysaccharum ex succo granatorum, aceto, saccharo.

Ex decoctis & succis acidis facti aliqui syrupi, sunt vsitati, veluti compositi.

De quinque radicibus Mesuæi: ℞. decoctum radic. quinque aperitiuar. saccharum & acetum.

Oxymel compositum fit ex aceto, melle, aquâ, vti simplex, & decocto rad. apij, petrosel. fœniculi, rusci, asparagi, semin. apij, fœniculi, petroselini.

Oxymel diureticum Neotericorum: ℞. præter acetum mel & aquam, decoctum radic. apij, petrosel. fœniculi, raphani, asari, leuistici, florum genistæ, semin. fœnic. petros. asparag. rusci, coriandri, cumini.

Oxysaccharum compositum Nicol. fit ex granatorum succo, in quo infusa sint radic. fœniculi, asparagi, rusci, graminis, capill. veneris, scolopendr. polytricum, ceterach, hepatica, violæ.

Acetosus compositus: ℞. vti simpl. acetū, aquam, saccharum, & præter hæc rad. fœnic. apij, endiuiæ, sem. anisi, fœniculi, apij, endiuiæ. Quibus addunt aliqui succos endiuiæ, apij & liquiritiam, rosas & spicam.

Byzantinus compoſ. Meſuæi: ℞. ex prædictis in acetoſa compoſ. acetũ, aquam, ſaccharum, ſem. aniſi, fœniculi, apij, ſuccum endiu. apij, liquirit. roſas, ſpicam, & præter hæc ſuccum lupuli, bugloſſi.

Ex aliis ſuccis amariuſculis ſic fiunt vſitati ſyrupi: De Endiuia ex ſucco endiuiæ cum ſaccharo coctus.

De Fumaria ſimpl. qui fit ex ſucco illius & ſaccharo.

De Lupulo, qui fit ex ſuccis lupul. fumar. & ſaccharo.

Byzantinus ſimpl. Meſuæi, qui ℞. ſuccos endiuiæ, apij, lupuli, bugloſſi & ſaccharum.

Ex ſuccis aliis ſimili ratione ſyrupi poſſunt parari, & de ipſis denominari. Veluti ex ſuccis Apij offic. Petroſ. off. Fœniculi, Eupatorij, aliarumque plantarum aperitiuarum, vel viſceribus appropriatarum.

Ex decoctis & ſuccis compoſiti ſyrupi in vſu ſunt ſequẽtes, quorum tres hepatis, tres poſteriores lienis magis obſtructionibus ſoluendis, accommodi cenſentur, duoq; poſtremi ſimul purgant.

De Endiuia compoſitus fit ex decocto endiuiæ, ſcariolæ, hepaticæ, bugloſſ. lactucæ, eupator. meliſſæ, flor. cord. ſem. frig. mai. ſantalo alb. rubro & ſucco endiuiæ, granat. & ſaccharo.

De Cichorea, cum vel ſine rhabarbaro & illius correctiu. ſpica, Nicol. fit ex decoct. endiu. domeſticæ & ſylu. cichorij, taraxacon cicerbitæ, hepaticæ, lactucæ, fumariæ, lupul. capill. alkekengi, ceterach, rad. fœniculi, apij, aſparagi, hordei & ſaccharo.

De Eupatorio Meſ. cum Rhabarbaro quoque paratur, & ℞. rad. apij. fœniculi, endiuiæ, glycirrhizæ, ſpinæ albę & Arab. rhabarbarũ azarum herb. cuſcutam, abſynthium, capill. ven. eupatorium, flor. roſ. bugl. ſemina, aniſi, fœniculi, ſchœnanthum, ſpicam, folium, maſtichen, ſuc. apij, endiuiæ.

De Scolopendr. fit ex decocto ſcolopendr. phyllitidis, endiuiæ vtriuſque, lichenis, cuſcutæ, abſynth. capill. fl. bugloſſ. vtriuſque; rad. fœn. petroſ. ruſci, ſem. quatuor frig. mai. folij, ſpicæ, caſsiæ ligneæ, laccæ, & ſaccharo.

De Fumaria compoſ. fit ex ſucco eodem & ſaccharo & decocto myrobalanorum, cuſcutæ, abſynth. viol. qui minor Fumariæ dicitur. Maiori præter hæc addunt ex purg. in decocto epithymum, polypodiũ, tamarind. pruna, paſſul. liquir. flor. bugloſſ. vtriuſque, roſ. pulpam caſsiæ.

De Epithymo Meſuęi fit ex iiſdem ex quibus ſyrupus de Fumaria compoſ. maior, exceptâ caſsiâ, additis inſuper agarico, thymo, calamentâ, ſtœchade, ſemin. fœniculi, aniſi & ſapâ.

Succi aliqui plantarum dictarũ expreſsi crudi quoque propinari poſſunt, ſed potiùs vti dictum', in ſyrupos decocti vſurpantur. Huc tamen & Vinum referendum, quod ſi tenue & clarum ſit, facilè penetrãdo, obſtructionibus quoque ſoluendis opportunum.

Vina medicata per infuſionem ſeu macerationem quorundam in vino, accedente interdum leui ebullitione in vaſe duplici, varia præparari poſſunt, valdè efficacia. Vti ex infuſ. Abſynthij vulg. vel Pontici vinum Abſynthites dictum. Quod aliqui parant admiſtione tantilli Aquæ vitæ, quæ ab Abſynthio illi indito amaritudinem hauſerit; vel illius aquę vitæ, quæ comis abſynthij ſuperfuſa, & accenſa, rurſumque antequam penitùs abſumatur extincta fuerit.

Vel fiat tale: ℞. Cichoreæ, Apij officin. rad. Iridis an. ℥. j. Abſynthij ʒ. ij. Chamædreos, Chamæpyth. Eupator. vulg. Maioranæ an. ʒ. j. ſeminis Fœniculi ʒ. j. ß. ſem. Petroſel. offic. ʒ. j. his omnibus ſiccis inciſis adde Vini circiter libras quinque.

Et ſi lieni accommodandum ſit, cort. rad. Capparum, cort. medij Tamaricis vel Fraxini vel Sambuci an. ʒ. vj. foliorum Ceterach, florum Geniſtæ vel Sambuci, ſeminis Viticis an. ʒ. j. in Aceto priùs macerari poſſunt, antequam cæteris addantur: Vel Acetum Vino dum coquitur, miſceri.

Efficacius erit ſed valdè amarum, ſi Centaur. minor ſum. ʒ. j. addas, vel etiam radic. Gentianæ vel Ariſtol. ʒ. ij. rad. Aſari ʒ. j. vel quoque Scyllæ præpar. tantundem.

Poſſunt & alia addi in decoctis propoſita, vti rad. Rhapõtici & Filicis, Valerianæ, cort. Frangulæ, Rubiæ, Acori veri aliaque illic expoſita, quę ſiccata vires ſuas retinent: vel ex ſolis his vina parari.

Vinum passulatum hepar proprietate iuuare & imbecillum roborare dicitur, quod & gratum & colorem & saporem Vini dulcis ex parte refert: ℞. Passul. minor. ℔. v. Cinamom. conquass. ℥. ij. impositis in dolium affundantur Aquæ puræ feruescentis adhuc ab ebullitione Mensur. x. seruentur in obturato vase donec efferuescant, ad vsum. Huic & alia de obstruentia addi possunt, vt radices aliquæ aperitiuæ non ingratæ.

Chalybeatum vinum, in quo chalybs extinguitur, similiter operatur, & lieni affecto inprimis conuenit: Quod ex limaturæ Chalybis præparatæ cum Aceto ℥. ß. infusione in Vini ℔. iij. vel iiij. factum, efficacius erit: Vel si chalybis sic præparati puluis, Vinis medicatis prioribus addatur.

In vase seu poculo formato ex ligno Fraxini vel Tamaricis Vinum retentum aliquandiu, bibitum, vim inde suscipere creditur, & lieni potissimùm affecto conuenire.

Aquæ stillatitiæ ex efficacioribus plantis elicitæ, vtiliter quoque dantur, veluti aqua Apij, Absynthij. Centaurij min. rad. Gentianæ, aliæ've plantarum conuenientium, quæ per se sumuntur, vel electuariis sumptis superbibuntur.

Ex Vitreolo & Tartari tertia parte, addito duplo Silicum, calcinatis in puluerem, & in caua retētis donec dissoluantur, aqua exstillata, rursumque materiæ puluerisatæ superfusa, iterumque destillata, idque tertiò, datâ cochlear. mensurâ mirè iuuare in omnibus obstructionibus & hydrope docent Chymici.

Spiritus Tartari in antiquis obstructionibus valde commendatur.

Oleum amygd. dulc. emolliendo durities viscerum, si bibatur, emendare aliquomodo potest: Vti & ol. Amygdal. amararum, quod simul obstructiones aperit. Possunt & alia in induratis visceribus, vt oleum commune, Lini, Sesaminum, Cnicinum assumi.

Liquores alij similiter bibuntur; veluti per infusionem facta Lixiuia quædam, qualia in hydrope ascite describuntur, exhibita, penetrando & abstergendo, obstructiones tollere possunt.

Vrina hominis bibita abstergendo & penetrando, vti de lixiuiis dictum, obstructiones aperit.

Aqua extinctionis Chalybis vel Ferri, sicuti de Vino chalybeato dictum, etiam cōuenit sæpè hausta.

Acidæ atramentosæ naturales aquæ si bibantur, cachexias etiam inueteratas sanare possunt, nihilq; magis hoc remedij genere vsitatum, in nostris regionibus, vnde se coaceruatim ad hæc loca vbi scaturigo harum est aquarum, conferunt, easque manè ieiuni & vesperi continuantes, ad dies viginti vel etiam triginta, bibunt, à poculo vno ad plura indies ascendendo, donec ad mensuram integram, si ferre queant, perueniant. Quarum vsu vel per aluum egregiè purgantur, materiamque atram egerunt, vel copiosè admodùm, dum corpus mox post illarum potum exercent, sudant. Quibus sudoribus non solùm aqua affatim ieiunè bibita, sed & quòd sua aciditate penetrat, occasionem præbet, venasque meseraicas & vasa visceribus intexta, diu peruadens, obstructione liberat, illuuiemque quæ illic hærebat per aluum, & tenuiorem, per vrinas & sudores propellit.

Ex iis quæ in substantia sumuntur, in cibis vel illorum condimentis, probantur; Panis cuius pastæ, petroselinum recens incisum cùm ouis imponitur, placentaque inde formatur: Eadem ratione ex Rosmarino fieri potest: vel semine Fœniculi immisto, aliísve vtilibus.

Olera ex herbis iisdem aliísve cocta, addito Butyro & Aceto, inter quæ & Beta cum Sinapi & Aceto probatur. Sium item in acetariis vti & Nasturtium. Rad. Petroselin. Fœnicul. turiones Asparagorum recentes, & Vitis nigræ viticulæ teneriores, cocta, comesta.

Capparum cum aceto condit. vsus, in lienis potissimùm affectibus.

Amygdalę item amaræ esitatæ: Item Eruū coctū, Lupini cocti cū ruta & pipere. Diosc.

Passularum frequens vsus adeò hepati conuenire dicitur, vt generationem sanguinis promouendo impinguare credantur; Licèt reliqua dulcia hepati obesse, & ab eo hepar intumescere doceatur.

Hepata lupi, leporis, anseris, Limacum item commendantur.

Conseruę & conditurę laudantur, Cichoreæ, flor. & rad. Apij offic. radicum Iridis, florum & radicum, Capillarium herbarum, Absynthij, Iringorum, radic. Valerianæ, Absynthij Pontici comarum, Enulæ radicum, Genistæ, Sambuci, Ebuli, & Tamaricis florum.

Rob. de Sambuco, Ebulo, de baccis Iuniperi.

Extracta molliora in formam rob decocta, ex plantis variis sic fiunt, & electuariis permista, vel per se sumuntur. Vt Absynthij, ex succo Iridis aliarúmve plantarum, Rhapontici item & Cyclaminis succi, extracta, quæ in induratis visceribus prosunt.

Pulueres varij fiunt, quorum aliqui qui præsertim efficaciores sunt, per se sumuntur cum vino alióve liquore conuenienti, vel in compositiones alias asseruantur, nonnunquam in trochiscos priùs formati: Ex simplicioribus sic fiunt pulueres à plantis desumpti, rad. Filicis, Capparum, Rhapontici, Aristolochiæ, fol. Ceterach, Cuscutæ, summ. Centaurij, Absynthij.

Salia ex quibusdam plantis facta, vt sal Absynthij commendant Chymici.

Ex animalium quorundam partibus parati pulueres, imbecillitati viscerum admodum succurrere plærisque persuasum: Vti Intestinis gallinacei generis vel Lupi, si priùs ea vino eluātur, & in furno adeò exiccentur, vt puluerisari queant, vel si in cineres vrantur, atq; Antispodium dictum inde paretur, rursumq; Vino vel Aqua conuenienti extinguantur vel lauentur, siccenturque, sicque exhibeantur, per se in Vino vel Aqua aut liquore alio, vel addito Cinamomo alíisve aromatib. vel odoratis, vt puluere Diambræ, Diamosci & Saccharo ros. ad gratiam, vel etiam conseruis & aliis misturis permiscentur.

Imprimis interior rugosa crassa ventriculi gallinarum membrana similiter præparata, & exhibita in vsu est. Hisce & cineres Cancrorum marinorum aliqui addunt.

Iecur Lupinum præparatum hepati valdè appropriatum esse censetur, illiusque puluis, vti priùs dictum, exhibetur, vel aliis miscetur. Cuius efficaciæ & hepar Leporinum esse aliqui docent.

Lien equinus simili modo paratus & datus, spleni competere docetur, vti & fortè lien lupinus.

Cochlearum cineres spleni quoque accommodant, quos cum puluere sem. Lini & Vrticæ propinatos, illud induratum emollire scribunt.

Stercus anserinum siccatum similiter exhibent, cui & alia nonnunquam miscent, vt minùs cognoscatur.

Chalybis seu ferri purioris limaturæ præparatæ, hoc est infusæ in Aceto, solo vel misto cum Vino, puluis in obstructionibus & duritie viscerum, splenis potissimùm, additis saccharo & cinamom. ad gratiam, alísve, cum puluere Stercoris anserini datus, efficacissimus censetur. Quod à chalybe quoque abraditur, dum ensis vel cultri acies acuitur, siccatum similique modo præparatum, idem & fortè efficacius, cùm in tenuissimum pollinem sic redigatur, efficit.

Vel si limatura dicta, affusâ aquâ regali quam fortem vocant, ita vratur, & in puluerem subtilissimum flauum, Crocum Martis seu ferri ob id dictum redigatur, qui tamen sæpè priùs, vt vis aquæ eluatur, ablui debet.

Si in aceto fortissimo limatura macerata, in rubiginem tota vel maior, illius pars redigatur, tutiùs Crocus ille vsurpabitur; Vel si ferro immerso in Acetum, ferrugo exsudans in eos vsus colligatur.

Quintam essentiā ferri Matthiolus commendat.

Cotem noxiam & Alcyonium tertij generis probat Diosc. Item Corallium.

Compositi vsitati pulueres seu species, ex quibus trochisci vel electuaria formantur, sunt pulueres Trochiscorum de Rosis Mesuæi & Galeni. Item de Croco Nicol. de Absynthio Mesuæi, de Rhabarbaro Mesuæi & Actuarij, de Eupatorio Mesuæo & Actuar. de Capparib. Mesu. & de Scolopendr. de Lacca. Dein & species electuariorum, Dialaccę maioris Mesuæi & minoris. Item alterius, Actuarij & Diacurcumæ maioris & minoris.

Ad

Ad horum imitationem eligendo ex singulis quæ magis vtilia esse censemus, nos pulueres parabimus, qui vti & illorum species, vel per se exhiberi possunt, cum liquore aliquo, vel in tabulas priùs redigi, vel cùm asseruari debent, vt & illæ priùs, cum Vino generoso vel succis Eupatorij vel Absynthij vel Fœniculi, vel Endiuiæ, aut syrupis, in trochiscos, vel addito Sacchāro vel Melle in electuaria redigi. Fiuntque hi pulueres sequenti modo.

Primus: ℞. Rosarum rubr. ʒ.ij. Absynthij ʒ.j. Cinamom. vel Casiæ lign. ℈.ij. Spicæ, Schœnanti an. ℈.j. Mastiches ʒ.ß. fiat puluis.

Huius loco Trochisci de Rosis Mesuæi qui eadem recipiunt, & cum succo Eupatorij formantur, sumi possunt.

Efficacior erit, si Myrrhæ ℈.j. & Croci ℈.ß. addas, è quibus additis rosis & schœnantho suos trochiscos de Rosis Galen. componit. Et Nicol. suos Trochiscos de Croco eodem ferè modo parat.

Secundus: ℞. Rhabarbari ʒ.ij. rad. Asari, Rubiæ an. ʒ.ß. Absynthij Pontici quod præferunt, vel Vulgaris, cùm viribus illi vti odor & sapor ostendit, minimè cedat ʒ.j. Rosarum rubr. ℈.ij. semin. Anisi ʒ.j. semin. Apij ʒ.ß. Spicæ ℈.j. fiat puluis.

Ex iisdem trochisci de Rhabarbaro Mesuæi, additis amygdal. amaris parantur, & cum succis absynthij vel fœniculi vel aqua cuscutæ formantur, huius loco vsurpari possunt. Vel trochisci de Absynthio Mesuæi, qui eadem quæ trochisci de rhabarbaro, exceptâ rubiâ, & pręter hęc mastichem & foliũ recipiunt, & cum succo endiuiæ excipiuntur. Vel etiam trochisci de Eupatorio, qui quoque rhabarbarum, asarum, rosas, semin. anisi, vt illa, & præter hæc spodium, mannam, admittunt, & cum succo eupatorij formantur.

Tertius: ℞. gummi Laccæ ʒ.j.ß. Mastiches, Bdellij vel Myrrhæ an. ʒ.ß. Rhabarb. ʒ.j. rad. Rubiæ, rad. Asari an. ʒ.ß. rad. Aristol. rot. Gentianæ an. ℈.j. semin. Anisi, Fœniculi an. ʒ.j. sem. Apij, Ameos an. ʒ.ß. Croci ℈.j. Cinamom. vel Casię lign. ʒ.ß. Spicę, Schœnanthi an. ℈.ß. fiat puluis.

Hæc eadem compositio Dialacca maior Mesuæi recipit, & præter hæc costum, sabinam, hysopum, amygdal. amar. piper & zingiber, quibus speciebus horum loco vti possumus. Quæ aliàs cum succo absynthij, eupatorij & melle, in formam electuarij rediguntur. Est & minor Dialacca, tantùm è lacca, myrrha, bdellio, rhabarbaro, costo, rubiâ, aristol. liquirit. croco, schœnantho, pipere & melle composita. Sunt & trochisci Laccæ Mesuæi ex lacca, rhabarbaro, paucis insuper additis, quoque concinnati. Quibus minoribus compositionibus tutiùs ferè quàm maiori illâ quæ propter aromata admodum calefacit, vtimur: quorum tamen in hydrope frequens vsus.

Est & alia compositio in hydrope quoque admodum in vsu, Diacurcuma Mesuæi appellata, seu Diacrocon, cùm croci bonam quantitatem recipiat, vt obstructionibus hepatis, & præsertim fellis in ictero, quas crocum soluere docent, magis hoc remediũ accommodetur, quod quædam cum dialacca communia, vt crocum, rhabarb. azarum, costum, rubiam, semina anisi, apij, spicam, schœnanthum, casiam, cinamomum, myrrham, & præter ea insuper meum, phu, calament. scordium, ceterach, sem. petrosel. Macedon. dauci, bacc. iuniperi, carpobalsamũ, tragach. oppopanacem, succum liquirit. absynthij & eupatorij recipit, & in electuariũ redigitur. Est & Diacurcuma minor, ex croco, myrrha, costo, schœnantho, casiâ, cinam. & melle tantùm parata.

Quartus puluis ad lienis affectus pręcipuè directus: ℞. Cort. rad. capparorum ʒ.iij. Aristoloch. rot. ʒ.j. Gentianæ ʒ.ß. Ceterach. ʒ.j.ß. florum Genistæ ʒ.ß. sem. Viticis ʒ.j. sem. Rutæ ʒ.ß. gummi Ammon. ʒ.j. fiat puluis. Qui cum gummi Ammoniaco in Aceto infus. in trochiscos vtiliter formatur.

Huius loco trochiscis de Scolopendrio vti possumus, qui eadem continent, vel trochiscis de Capparibus Mesuæi, qui acorum, cyperum, calamentham, semin. nigellæ, nasturtij, amygdal. amar. succum eupat. simul recipiunt.

Ex hisce pulueribus vti & aliis hepaticis alij quoque pulueres per admistionem aliorum fieri possunt. Vt: ℞. puluer. alicu...

ſcopum accommodati ʒ.j.ß. ſpec. Triaſant. vel Diarrhod.ʒ.j. vel loco illius Santal.trium ʒ.ß.quatuor ſemin.frigid.Minor.℈.j. ſeminis Hederæ ℈.ij. ciner.inteſt.Galli vel Lupi ℈.j. Cinamom.ʒ.ß. fiat puluis: Detur per ſe vel cum Saccharo, vel in tabul.redigatur,cum Saccharo diſſol.in aqua Abſynthij, Cuſcutæ vel aliis.

Trochiſci de myrrha etiam obſtructiones aperiunt, & ſi menſes ſuppreſsi ſint, ſimul eos prouocant: Dantur ſoli,vel aliis pulueribus miſti.

Hiſce & Ventriculo affecto ſpecies Arom. roſ.Diagalangæ, Diacalamenthi & virium cauſsâ Diambræ nonnunquam permiſcentur.

Miſturæ ex enarratis liquoribus, atque illis quæ in ſubſtantia vſurpantur, diuerſæ fiunt, tum potionum, tum electuariorum, tum pilularum.

Potiones in forma Iulepi ex commiſtione ſyruporum cum aquis fiunt,tum ad præparandum ante purgationes,tum alterãdum, ſumendo ſyrupos & aquas expoſitas: Vel etiam alias aquas plantarum,quæ ſolæ non adeò commodè, vel cum tanto effectu bibuntur: vti Cichorij, Endiuiæ, Hepaticæ, Eupatorij in hepatis,& Cuſcutæ,Lupulorũ, Fumariæ, Bugloſsi vtriuſque, Tamaricis in lienis affectibus, & cum ſyrupis miſcendo, vti & aliarum plantarum aquas.

Vel talis Iulepus ſi calor & ſitis adſint: ℞.Aquæ fontis ℔.iij. cui & aliæ aquæ ſtillatitiæ permiſceri poſſunt, Vini gran.quartarium j.Aceti albi quartar.ß.Sacchari vel Mellis quartarios tres, clarificentur ad vſum; poſſent & parùm decoqui.

Vel fiat Iulepus: ℞.ſuccos aliquos prædictarum herbarum ad ℥.j.ß. Aquæ ſtillatic. duplum, addendo & Saccharum,clarific.& aromatiſ.Cinamom.cui & Vinum acidulum miſceri poteſt.

Lactea potio ex reſinæ Lariceæ vel Abietinæ ʒ.j.vel ʒ.ij. diſſolutis cum Vino dulci,ob illius inſuauitatem & Vitello oui,non ſolùm abſtergendo renum ſinus expurgat, ſed & hepatis & lienis infarctus admodum exterit aluumque ſimul ſoluit.

Electuaria diuerſimodè fiunt,exẽpli gratiâ. In obſtructione hepatis & imbecillitate: ℞.conſeru.flor.Cichorij & conditurae radicum illius an.℥.j.ß.conſeru.vel condit.radic. Apij offic.℥.j. pulpæ Carnium Paſſularum parùm coctæ in formam rob ℥.ij.pulu.triaſantali ℈.j. fiat electuarium; Superbibat aquas conuenientes.

In ſplenis eiuſmodi affectibus: ℞.conſeru.Capill.vener.& imprimis Aſplenij,conſeru.flor.Tamaricis ana ℥.j.ß. conſeru.florũ Geniſtæ ℥.j. cort.rad.Capparum ʒ.j. ſeminis Portulacæ & Viticis an.ʒ.ß.cum Syrupo de quinque radicibus fiat electuarium. Poteſt addi limaturæ Chalybis præpar.ʒ.ß.Superbibat poſt aſſumptionem huius,aquas ſpleni dicatas.

In metu hydropis: ℞.conſeru.flor.Cichorij ℥.j.ß.conſeru. radic. Apij ℥.j. conſeru.flor. Geniſtæ ℥.ß. rob de Ebulo vel Sambuco ℥.j. Amygdal.amar.ʒ.vj. medull.ſem. Melorum ʒ.j.pulpæ Paſſul.℥.j.ß.raſur.Eboris & Cornu cerui an.ʒ.ß. rad. Aſari ℈.ij. Spicæ,cineris inteſtin.Gall.vel Lupi, vel Lumbricorum an. ℈.j. Syrupi de Abſynth.ʒ.vj. miſceantur, fiat electuarium: Poſſet & Hepar lupi addi & parùm Laccæ; Vel ex ſpeciebus ſupradictis aliquibus ʒ.j.& cum ſyrupo de Eupatorio vel Radicibus formari.

Vſitata electuaria ſunt, quorum ſpecies ſeu pulueres priùs conuenire diximus.

Eſt & aliud Cyphoides Andromachi dictum, hepatis imbecillitati accommodatũ, quod de Vino Arabes nominant,& rectiùs Elect.de paſſulis diceretur; quod paratur ex paſſulis, bdellio, myrrha, terebinth. melle, vino, calam.arom.aſpalat.caſsiâ, cinamom. ſchœnantho, ſpicâ, croco. Sunt qui addendo ſ. hyoſquiami & opium, ex ea opiatam faciant.

Nos ad illius ſimilitudinem, electuarium de Paſſulis eiuſmodi componemus: ℞.Paſſul. mundæ. quartar.j. coquantur in Vino, addendo Mellis ℥.iij. contundantur in pultem,miſce pulueris Calami aromat.offic.Cinamom.Caſsiæ an.ʒ.j.ß. Spicæ,Schœnanthi an.ʒ.ß. Croci ℈.j. fiat electuarium.

Confectio Raued Seni Meſuæi in obſtructionibus vtilis; paratur ex rhabarb. ſuccis abſynthij, eupatorij, amygd. amar.fumariâ, ſem.

ſem.aniſi,apij,ſpicâ, croco, caſsiâ lign.ſchœnantho,myrrhâ,melle.

Item Diacoſtum Meſuæi; quod fit ex coſto,ariſtol.rhabarbaro, aſaro, caſsiâ lign. cinamom. ſemin.apij,aniſi,ſchœnantho,myrrhâ,croco & ſaccharo.

Electuarium de Scoria ferri Rhazis, in ſplenis affectibus,ex myrobal.ſcoriâ ferri in aceto infuſ.thure,ſpicâ,ſchœnantho,ammi, melle,zingibere,pipere paratur.

De Chalybis limatura electuarium etiam in vſu eſt.

Pilulæ ex ingratis pulueribus prædictis, vel trochiſcis formari poſſunt; vel Bolus aliquis & ſic deglutiri:

Vel alia alio modo ad bibendũ vel commedendum aliàs incommoda ſic aſſumi; vt: ℞.Hepatis lupi præpar.ʒ.j. cineris inteſtin. Lupi.vel Gallin.℈.ß. Stercoris anſerini ſicci vel columbini ℈.j.cum ſucco Abſynthij,fiat maſſa: Capiat frequenter; Poteſt & Chalybis limatura addi:

Aut ſucci omnino amari,aut extracta coctione eouſque vt in pilulas formari queant indurata ſic deglutiri poſſunt: Vel ſi molliores,pulueribus additis ſic incorporari, hoc vel etiam alio modo: ℞. extracti ſeu ſucci inſpiſs. radic. Gentianæ, vel ſummit.Centaurij min.& Abſynthij, incorporetur pulueris radic.Azari ʒ.ß. ſeminis Apij,Petroſel. ana ʒ.j. Spicæ,Schœnanthi ana ℈.j.fiat maſſula.

In duritie & ſcirrho viſcerum,vti & obſtructionibus ex gummi Ammoniaci ʒ.ß.vel ℈.ij.diſſolutis in Oxymellite vel Aceto,ſimplicibus vel ſquilliticis,aut etiam ſucco Iridis vel Bryoniæ,bolus vel pilulæ formantur,commodiusque ſic ſumuntur.

Poſſunt & alia illi miſceri,veluti:℞.gummi Ammoniac.diſſol.in ſucco Iridis ʒ.j.puluer.rad.Filicis ʒ.ß.fol.Ceterach, ſeminis Viticis ana ℈.j. limaturæ Chalybis præpar.ʒ.ß. hepatis Lupi præpar.℈.j. cum Oxymel. vel vel Felle vrſi, quod durities admodum & obſtructiones diſſoluit, fiat maſſa pilul.Capiat.℈.ij.per vices.

Alia quædam gummi eadem ratione exhibita idem ferè præſtant, vti Galbanum, Bdellium, Sagapenum vel gummi Pini, item Lacca cùm in hydropem cachexia vergit, ſeparatim iunctímve, & cum Oppopanace ſumpta.

In ſplenis obſtructionibus: ℞.gummi Pini ʒ.ß. Viſci quercin.℈.j. cum Cera fiant pilulæ.

Maſtiche,Myrrha,Styrax cęteris gummi vel pulueribus admiſta ſimiliter dantur: Vti & Aſphaltum,ſeu Bitumen verum,illudque durius quod Gagatem lapidem vocent.

Vel fiant tales pilulæ,quæ loco electuarij Cyphoides, cùm ingrata & glutinoſa contineat, vſurpari poſſunt: ℞.Myrrhæ Bdellij ana ʒ.ij.Croci ʒ.ß. Spicæ,Schœnanthi an.℈.j. cum Terebinthina fiant pilulæ: Capiat portionem.

Extrinſecùs ſi hepatis vel lienis imbecillitatis cauſâ, vel quia obſtructa induratáve aut ſcirrhoſa ſunt, cachexia oriatur,hypochondriis,dextro ſi hepar laboret,ſiniſtro ſi lien, & circa poſteriora magis, cùm lien, vẽtriculo ſubiaceat,& verſus ſuperiora,cùm ren ſiniſter illi ſubiaceat, remedia applicabuntur. Nonnunquam & vniuerſo ventri,ſi in venis meſeraicis obſtructio quoq; ſit,vel glandulæ meſenterij, vti ſæpè fit,induratæ ſimul ſint. Applicando ea quæ attenuando, & incidendo,ſi obſtructiones adſint,ſoluãt. Vel ſi durities,primùm quæ eam emolliant, mox etiam diſcutiant,eligendo validiora,ſi lien affectus ſit, cùm compacta magis illius ſit ſubſtantia,addendo in vtriuſque viſceris eiusmodi morbis,quę proprietate,vel etiam leui adſtrictione prædita,illa ſimul roborãt, & ſi flatus adſint,qui in ſiniſtro hypochondrio frequentiùs, ventriculi potiùs quàm lienis cauſsâ, cuius ſubſtantia flatibus impleri,vti putarunt,minimè poteſt,occurrũt, quæ eos ſimul diſcutiant,ventriculum debilem aliquo pacto foueant. In hoſce vſus ſequentia remedia parantur.

Inunctiones variis modis fiunt,in obſtructionibus potiſsimùm hepatis: ℞.olei Amygdal.amar.Nardini an.℥.j.ß. olei Cheirini ℥.j. olei Roſacei vel Maſtichini ℥.ß. ſuccorum Apij vel Petroſel.offic.Aceti an.℥.ß. fiat decoctio ad ſuccorum conſumptionem,adde rad.Azari,ſeminis Apij vel Petroſel.offic. ana ʒ.j, Santalorum omnium ʒ. ß. Spicæ, Schœ-

Schœnanthi an.℈.j. Possunt addi pulu.radic. Cyperi vel Rosarum rubr. & Ceræ q. s. fiat Vnguentum.

Oleum in quo Hepar lupi incisum coxerit, hepatis regioni inunctum, imbecillitatem illius corrigere, sanguificationemque admodùm iuuare docent. Vti & si ex Hepate Galei piscis vel Raiarum eodem modo oleum paretur.

In lienis obstructionibus sic fieri poterit: ℞.olei Capparum ℥.ij. olei Absynthini, olei Amygdal.amar.vel nucleorum Persicorum, succi Ebuli, Aceti fortis an.℥.j.pulu.rad.Aristoloch.Azari, seminis Viticis an.ʒ.ß.Spicæ, vtriusque an.℈.j.Ceræ q.s.fiat Vnguentum.

Vel decoquantur in Olei communis partib.ij.Vini parte j.Aceti parte semisse, Tamaricis folia vel flores, rad.Capparum, & radix Gentianæ, folia Ceterach: Et ex eo oleo fiat inunctio.

In duritie & scirrho horum viscerum, hepatis præsertim: ℞.olei Liliorum, Irini ana ℥.ij. olei Amygdalar.dulc.Chamomelin.vel Anethini aut de Meliloto an.℥.j.ß. Axungiæ Gallinæ vel Anseris, medullæ cruris Vituli vel Cerui an.℥.j.succi Iridis ℥.ij.succi Apij seu Petroselini ℥.j. gummi Ammoniac. dissol.in Aceto ʒ.vj. coquantur ad consumpt.succorum, adde pulueris rad.Cyclaminis & Bryoniæ an.ʒ.j.rad.Azari ʒ.ß. Spicæ ℈.j. Ceræ, q.s. fiat Linimentum.

Oleum in quo radix Cucumer.agrestis, Bryoniæ, Cyclaminis, Liliorum bulbi, addito Vino & parùm Aceti coxerint, inunctum, valde est efficax.

Si lien induratus sit: ℞.olei Irini ℥.iij. olei de Capparibus ℥.j.ß. succi Mercurialis, Ebuli vel Sambuci, Aceti an.℥.j. gummi Ammoniaci dissol.in aqua Vitæ, Bdellij vel Galbani an.ʒ.vj. Oppopan.ʒ.ß.coquantur ad cõsumpt.succorum, adde pulu.rad Cucumer. syluestr.Cyclamin.an.ʒ.j. Ceræ q. s. fiat Vnguentum.

Vel: ℞.rad.Cyclaminis ℥.j. rad.Bryoniæ ℥.ß.radic.Capparum ʒ.ij. rad. Azari ʒ.j.Spicæ ʒ.ß. baccarum Lauri ʒ. ij. contundantur & coquantur in Olei & Aceti æquis partibus, sumanturque huius olei ℥.iiij.mucilag.seminis Lini & Fœnogr.an.℥.j. gummi Ammoniaci dissol.in Aqua vitæ ℥.j.Styracis liquidę ʒ.j. axungiæ Gallinæ ℥.j. Ceræ q. s. fiat Vnguentum.

Emplastrum ex gummi Ammoniaco, additis nonnunquam & aliis gummi generibus, dissolutis in Aceto forti paratum, calidumque splenis regioni applicatum, illius duritiem emollit; addito pauco Oleo spicæ, meliùs penetrat & operatur.

Vsitata vnguenta & emplastra pro visceribus induratis sunt vnguentum Dialtheæ, emplastrum de Meliloto, quæ efficaciora fient, si gummi prędicta illis addantur. Item emplastrum Diachylon ireatum & gummatum, Ceroneum, Polyarchon Galeni.

Cataplasmata in lienis duritie præcipuè vsurpantur. Quæ, cùm admodum emollire volumus, parantur, ex rad.Liliorum, Cæparum, Allij, Scyllæ, Bryoniæ, Cyclaminis, Dracunculi, Iridis, Raphani; seminibus Lini, Fœnogræci; foliis Brassicæ, Hederæ, Absynthij, Centaurij; floribus Sambuci, Meliloti, Chamomill. Ficubus, Passulis, decoctis in Vino, Aceto & Oleo, addendo farin. Cicerum vel Lupinorum; & lienis causâ, radic. Capparum, fol. Ceterach, Tamaricis, & cùm discutere simul volumus, Isatidem, Lepidiũ, Teucrium, Linguam canis, Vrticam, Pulegium, eaque omnia decoquendo in Vino, Aceto & Oleo, & contundendo, cum farina Lupinorum vel Cicerum.

Radix Mandragorę cocta in oleo Lini vel Amygdal.dulc.& Aceto, efficacissimum remedium: vti & Cicuta vel Hyosquiamus sic applicata. Item radices Liliorum eodem modo coctæ & contusæ. Quibus gummi, olea pulueresque conuenientes addi possunt.

Splen vulpis vel hœdi lieni applicatus, integer vel contusus, in eiusmodi illius affectibus vtilis censetur. Sanguinem, qui è vena post aurem secta emittitur, inunctum lieni, idem efficere, veteres prodiderunt.

Lapis molaris vel pyrites, aut alius siliceus durus candens, si in Aceto acerrimo extinguatur, pannisque linteis inuolutus, spleni duro sæpè adhibeatur, illum emollit. Vel si ab iisdem lapidibus candentibus Aceto aspersis, vapor eleuatus pannis excipiatur, & cum

cum illis sic lateri admoueatur, vel vapor ipse latere excipiatur.

Asium lapidem cũ Calce viua, ex Aceto illinire iubet splenis regioni Dioscorides.

Fotus fiunt in hepatis obstructione hoc pacto: ℞. Absynth. Eupator. summitat. Centaurij an. M. j. radicis Azari ℥. ß. Santalorum omnium ʒ. iij. Casiæ ligneæ ʒ. ij. Spicęnardi, Schœnanthi an. ʒ. j. seminis Apij, Cuscutæ an. ʒ. j. ß. fiat decoctio in Vini & Aquæ æquis partibus: Pro Fomentatione.

In liene obstructo fiunt fotus ex decocto facto in Aqua, Vino & Aceto, radicum Capparum, cort. Fraxini vel Tamaricis, Sambuci, herb. Absynthij, Asplenij, Cuscutę, florum Chamomill. Genistæ, Tamaricis, Sambuci; semin. Portulacæ, Viticis, Apij, Fœniculi, addendo parùm de radice Cyperi, & Spicâ vel Schœnatho. Huic decocto succus Apij quoque misceri potest.

In induratis & scirrhosis visceribus fiunt ex decocto in Aqua, Vino, Aceto, vel decocto intestinorum facto, plantarum sequentium, vt radic. Altheæ, Liliorum, Bryoniæ, Iridis, vel etiam Panacis & Vlmi, herb. Maluæ, Altheæ, Geranij, Marrubij, Absynthii, florum Chamomill. Meliloti, Anethi, Sambuci, Violarum, semin. Lini, Fœnograeci, Maluæ, Altheæ, Ficuum, Passularum, additis rad. Azari, Spicâ vtraque: Et si magna emollitione opus sit, rad. Cucumeris asini, Cyclaminis, Mandragoræ. Sin magis discutiendum, Calamenthâ, Pulegio, Origano, Melissâ, Thymo, fl. Stœchados vel Lauandulæ. Quòd si in lieni sit durities vel scirrhus, admiscẽda quędam de priori fotu. Qui efficacior redditur, succo Bryoniæ vel Iridis addito.

Ex succis eiusmodi, miscendo & succum Cyclaminis, vel Cucum. asini; item Apij & oleum Amygdalar. amar. vel de Capparibus, cum Vino & Aceto eoque acri vel squillitico, causâ lienis, fotus facti, valde emolliunt.

Vel si in Aceto acerrimo, Marcasita, extinguatur, in eoque pannus duplicatus vel philtrum madefactum, lienis regioni applicetur.

Epithemata hepati imbecilliori vel obstructo quoque aliquid emolumenti adferre possunt, hoc pacto: ℞. aquarum Endiuiæ vel Cichorij ℥. iij. aquæ Apij ℥. ij. aquarũ Absynthij, summitatum Centaurij vel Gentianæ an. ℥. j. Aceti rosacei ℥. ij. Santalorum omniũ, vel specierum Triasantali ʒ. j. radic. Asari ʒ. ß. Spicæ, Schœnanthi an. ℈. j. misce.

Sacculi ex iisdem ex quibus fotus parati, loco illorum applicari possunt.

Regimine vtendum exquisito; in Victus ratione, cauendo à lentis, crassis, crudis alimentis, & præsertim præpostero illorũ vsu, à fructuum horariorum nimio esu & aquæ frigidæ immoderata & intempestiua potione, maximè si inde cachexia prodierit, vti & à ciborũ varietate. Condiendo quoq; cibos illis quæ eorum concoctionem adiuuant, in ventriculi imbecillitate descriptis, cùm primæ concoctionis vitium non emendet altera, atq; incoquendo & infarciendo cibos iis quæ aperiunt & abstergunt, in cachexia expositis. Inter quæ Saccharum in condituris, non tàm ob gratiam, quàm abstersionem, & quòd in eo singulare, à paucis obseruatum, quia à putredine arcet, commendandum.

Ab hepatis vel etiam lienis intemperie calida, quam & siccitas sequi solet, si cachexia suborta sit, quæ in hydropem ascitem, vti dictum, facilè degenerat, antequam ille superueniat, vel etiã in illius principio, ad intemperiem calidam visceris affecti, quæ adhuc remansit, emendãdam, imbecillitatem quæ inde secuta est, corrigendam, & obstructiones aliquæ accesserint, ad eas reserandas, remediis vtimur intus forisque, quæ nonnihil refrigerando illa simul roborent, hepar præsertim, ne nimiùm frigidis lædantur, quapropter quæ caliditate aliqua & leui adstrictione prædita, illorum vires conseruant, vt spicam, absynthium, frigidis permiscemus, & si obstructiones concurrant, aperientia atque abstergentia simul addimus. Quòd si verò iam induratis vel fissis visceribus, hydrops radices egerit, tunc eo modo sicuti in hydrope ascite docuimus, in cura procedendum. Antequam verò hæc adueniant, curatio ratione cachexiæ illius, sequenti modo erit instituenda.

Purgationes ex illis quæ bilem maximè respiciunt, atque ex Rhabarbaro cæterisque quæ hepar non adeò accendunt, si recre-

mentorum sit abundantia, sunt instituendæ. Eligendo eiusmodi purgantia ex illis quæ in cachexiæ prioribus causis quoque descripta sunt.

Alterationis causâ in victu, iusculis incoquāt Endiuiam, Scariolam, Cichorium, Lactucam, Sonchum, vel ea cocta comedant, vel iisdem in Acetariis vtantur. Fructibus vescantur acidulis, coctis, vel succo ipsorum cibos condiant, vel pro condimentis vtantur, vt succo Granatorum acidorum, qui efferuescendo vinosus factus, Vinum granatorum dicitur: vel succo Ribes, Berberis, Vuæ aggrestis, Limonum, Citriorum eo modo vtantur.

Potus ordinarius sit Vinum album tenue, dilutum aquâ coctâ. Vel si summa sitis vrgeat, Aquam bibant, cui Aceti vel Succi acidi permistione, vinositas quædam vel aciditas concilietur, vel illâ vinum temperetur. Decoctum radic. Cichoreæ, loco potus vsurpari potest, solum vel Vino mistum.

Iulepus vtilis per vices sumendus: ℞. succorum acidorũ vnum vel plures ad quart. j. succi Endiuię ℥.ij. Aceti ℥.j. Aquę ros. ℥.ij. Sacchari q. s. decoquantur in formam Zulapij: Et vtatur, Camphoræ tantillum aliqui permiscent, quæ penetrationis potiùs causâ, quàm refrigerationis proderit.

Decoctum medicatum sic fit: ℞. Endiuiæ M.j. Acetosæ, Lactucæ, Polytrici an. M.ß. Tamarindorum ℥.j. Prunorum acidorum numero xij. seminum Portulacæ, Endiuiæ, Cuscutæ an. ʒ.j. quatuor seminum Frigidorum maiorum ʒ.ij. seminis Berberis ʒ.j.ß. Rosarum, Violarum an. P.j. coquantur in Aqua, addendo Aceti rosacei ℥.ij. & in colatura adde succũ aliquem ex supradictis, Sacchari q. s. His Rhabarbarum vel Mannam, cùm laxare volumus, addimus.

Syrupi vsitati sunt Endiuiæ & Cichoreæ simplices & cõpositi, atq; ex acidis qui acetũ recipiũt, sicuti hi iam prius in Cachexię prioris cura descripti sunt. Quibus & refrigerationis causâ, syrupos de Acetositat. Citri de Limonibus, Granatorũ vti & alios, vt Violarum, Portulacæ, Nenupharis addere possumus: Item alios denouo ex succo Ribes, Berberis, aliísve succis acidis coctos.

Aquæ hîc quoque præcipuè sumuntur ad syrupos diluẽdos, vel alio modo sumendas, Endiuiæ, Cichorij, Hepaticæ, Cuscutæ, quibus & viscerum roboris causâ, Eupatorij, Absynthij, similesque aquas miscemus.

Pulueres seu species, quæ per se aliàs sumuntur, aliàs in alias formas, trochisc. tabularum, electuariorum, pilularum rediguntur, sequentibus modis vsurpari poterunt; Quorum hic valdè conueniens, etiam in obstructionibus: ℞. Santali rubri & albi an. ʒ.j. Santali citrini ʒ.ß. florum Rosarum rub. ʒ.ij. florum Violarum ʒ.ß. quatuor vel trium florum Frigidorũ maiorum ʒ.j.ß. seminis Portulacæ, Endiuiæ an. ʒ.ß. Antispodij ex ebore, vel rasuræ Eboris ℈.ij. fiat puluis, qui cum infusione gummi Tragachanti in aqua Rosarum, vel cum succo Berberorum in trochiscos formari potest.

Si Rhabarbarum addamus & Camphoram, tunc Diatriasantalo Nicolai nonnihil respondebit; quod præter ea quæ hunc pulueram subintrant, etiam succum liquiritiæ, gummi arabicum & amylum recipit, sæpeque duplicato rhabarbaro vsurpatur: Quâ compositione vsitatâ, loco prioris vti possumus.

Est & alia compositio magis operosa, Diarrhodon abbatis Nicolai, quæ & santala, rosas, violas, quatuor semin. frigid. maior. & minora, spodium, gummi arabicum & tragachantum, succum liquirit. rhabarbarum & camphoram, vti diatrionsantalon, & præter hęc, azarum, gran. berberis, sem. anisi, fœniculi, ocimi, papauer. mastichem, crocum, spicam, cardamomũ, lignum aloës, garyoph. cinamom. moschum, margaritas, os de corde cerui recipit: In obstructionibus quoque vsurpari solita, minusque calefaciens.

Sunt & trochisci Diarrhodon Nicolai, ex rosis, santalis, spodio, croco & caphurâ tantùm parati, simpliciores longè quàm prior compositio.

Vti & trochisci de Santalis, sed magis stiptici; qui santalos, rosas, quatuor sem. frigid. maiora, semen portulacæ, semen berberis, spodium, camphoram, & bolum insuper recipiunt.

Vel alij adstrictione quoque præditi, Trochisci de Berberis.

Quorum loco hisce vti possumus minùs stipticis: ℞, trium Santal. Rosar. an. ʒ j. Rhabarbari ʒ.j.ß. Spodij ex ebore ʒ.j. seminis Endiuiæ, Portulacæ, Acetosæ an. ʒ.ß. seminis Melonum ʒ.j.ß. Camphoræ ℈.ß. Sacchari vel Mannæ ʒ.ij. fiat puluis, vel cum infusione gummi Tragachanti fact. in aqua Endiuiæ, fiant Trochisci.

Puluis foliorum Endiuiæ & Cichoreæ, cum vino frequenter sumptus, probatur, cui semen Securidacæ aliqui addunt, & ad gratiam parùm Cinamomi.

Tabulæ ex enarratis pulueribus vsitatis Diatrionsantalon & Diarrhodon factæ, præcipuè in vsu sunt. Quæ & ex aliis simili ratione parari possunt, additâ interdum conseruâ florum Cichorij, aliisve.

Ex succo berberis tabulas valdè iucundas, calorem contemperantes, sic parari curamus: ℞. succi racemorum Berberis maturorum ℥.iij. Sacchari ℔.j. Aquę fontis vel Endiuiæ vel Rosar. q.s. Coquantur & redigantur in formam tabularum.

Eadem ratione tabulæ ex succo Ribes, Granatorum, Limonum, Citri factæ, idem præstant, gratæque admodum sunt.

Electuaria varia ex hisce conseruis, conditaris pulueribusq; cõcinnari possunt, veluti hoc pacto: ℞. conseru. florum Cichorij, & radic. Cichor. condit. an. ℥.j.ß. conseru. Violarum, Capilli veneris & Buglossi an. ℥.ß. sem. Melonum medullæ ʒ.j.ß. pulueris Triasantali ʒ.j. Cum syrupo de Acetosa, fiat Electuarium humidum, vel illius loco addito Saccharo rosato tabulato, conditum.

Opiatas aliqui ad hepar refrigerandum, vt Philonium, sed nullo successu, cùm calida recipiat, exhibent.

Aquarum atramentosarum acidarum naturalium, more vsitato ad aliquot septimanas cõtinuatus potus, vti in priori cachexiæ cura descripsimus, ad calorem hepatis corrigendum, præter cætera illic exposita commoda, magnam adfert vtilitatem, si maturè antequam hydrops ingruat, aquaque iam in pedibus & ventre coaceruetur, hoc fiat, nam eâ iam è venis excidente, cùm illius copiam augeat, ampliùs minimè iuuabit, sed potiùs tumorem in hydrope augebit, si præsertim, vti tunc ferè fit, parùm mingant, interim tamen multùm bibant, quod proin pluribus nocuisse deprehendimus, vnde tutiùs foret, si bibones illi, quibus perpetua sitis calorem hepatis præsagit, etiam antequam cachexia inuaderet, vinũ temperarent, aquam in potu ordinariè, vel per vices vti & quotannis vel alternis annis biberent.

Extrinsecùs applicatis, horum viscerum & hepatis pſertim intemperiẽ calidã quoq; nõnihil refrigerantib., vti & siccitatẽ humectantibus emendabimus, additis semper iis, quæ ne ab illis lædantur, leui adstrictione & pprietate impediũt. Vti sequentia existunt.

Inunctio refrigerans & humectans: ℞. ol. Violac. Nenuph. vel Cucurb. vel de Salicib9 lotorum in Aceto vel succo Endiuiæ ℥.ij. ol. Cydoniorum, Rosarũ, Myrthi vel Myrthillorũ aut Lentiscini an. ℥.j. ol. Mastichini ℥.ß. seminum Frigidorum minorum & Acetosę, florum Rosarum an. ʒ.ß. Santalorum omniũ ʒ.j. Spicæ ℈.j. Camphoræ ʒ.ß. Ceræ q. s. fiat Vnguentum.

Alia magis hepati appropriata: ℞. ol. Rosacei & Violacei an. ℥.j.ß. ol. Nenuph. Absynthini an. ℥.j. succorũ Endiuiæ ℥.j.ß. succi Eupatorij ℥.j. Aceti rosacei ʒ.vj. decoquantur ad succorum consumptionem, adde Santali rubri & albi an. ʒ.j. seminis Endiuię, Portulacę an. ʒ.ß. Spicænardi ℈.j. Ceræ q.s. fiat vnguentum. Hisce & Camphoram quandoque vel trochiscos de Camphora addunt.

Vsitatum ad hepatis intemperiem est Vnguentum Santalinum, quod fit ex santalis tribus, rosis, spodio, bolo, camphorâ, oleo rosaceo & cerâ:

Item Vnguentum Rosaceũ, quod ex rosis illarumq; succo, & oleo amygdalarum dulcium paratur: cui opium aliqui addũt, quod cùm nõ refrigerare sæpè iam ostenderimus: eo nomine nihil iuuabit, nisi cùm durities adest, ad eam emolliendam, quod narcotica præstare docuimus, cæteris permisceatur.

Posset & infrigidans Galeni adhiberi, additâ Spicâ.

Epithema hepati applicandum sic commodè fit: ℞. aquę Endiuiæ, vel Cichorij, He-

paticæ ana ℥.iij. aquæ Violarum vel Lactucæ vel Solani, Rosarum ana ℥.ij, aquæ Absynthii ℥.j. Aceti rosacei vel Vini acid. ℥.j.ß. Santalorum omnium ana ʒ.ß. Spicænardi ℈.j. Camphoræ ℈.ß. misce. Possunt & succi Intybacei addi: Item aqua Acetosæ, Apij, Cuscutæ, & pulueres seminum Portulacæ, Endiuiæ, Apij, Rosarum rubrarum, Spodij & Mastices, ob Ventriculum vicinum.

Fotus ad idem fit ex decocto facto in Aqua communi vel stillatitia conuenienti, addito Aceto rosaceo vel Vino ex herbis Endiuiâ, Cichoreâ, Absynthio, seminibus quatuor Frigidis maioribus & minoribus, cui Cyperus, Spica, Schœnanthum, aliíve pulueres expositi induntur.

Vel in sacculo hæc cocta, expressa dein applicanda, qui & ex pulueribus, seminum Frigidorum minorum, flor. Violarum, Rosarum, Nympheæ, addito Spodio & Spicâ, in panno inclusis parari poterit, sicq; irroratus priùs in aquis destinatis & Aceto, apponi.

Portulaca recens contusa cum aqua Rosarum & Aceto commodè applicatur, cui & Camphora, aliaque addi possunt.

Vel Cataplasma ex farina Hordei, vel Lentium, inspissatum succo Endiuiæ vel Portulacæ, Oleoque Rosaceo, vel etiam aliis ex supradictis admoueatur.

In Viuendi ratione, potissimùm sibi caueant à Vino generoso, à Cibis acribus, aromatisatis, salsis. Vtantur potiùs humectantibus iusculis, carnibus, cuiusmodi in hecticis descripta fuerunt, sic fortè siccitas hæc à calore nata, in visceribus impressa poterit corrigi, quod ægrè fit, vbi iam confirmata fuerit.

A bile qui nascitur icterus, in quo corpus alieno colore tingitur: Si ob copiam eius, citra alium morbum eueniat, cùm natura per hanc viam non conuenientem se exoneret, bilis hæc potiùs ad intestina erit reuocanda. Quod & in febribus si icterus eas comitetur, erit faciendum. Si verò eam sequatur, febremq; per sudores soluat, motus hic naturę potiùs promouendus quàm impediendus erit. In aliis morbis quibus icterus iunctus est, si hoc fiat, illorum potissimùm habenda est ratio, bilem interim semper per vias decentes euacuando, & per aluum ac vrinas reuellendo ac deriuando. Quòd si segregatio illius impedita sit, ob hepatis obstructiones, durities, scirrhos, corruptionem, vnde & hydrops, vel si inflammatio adsit, pro ratione effectuum horum procedẽdum, & curatio instituenda. Si excretio ob pori cholidoci obstructionem accidat, eadem quæ in obstructione hepatis, vti & si illius sit inflãmatio, quæ in inflamatione illius descripta, exhibebuntur atque admouebuntur. Si à veneno sumpto icterus procedat, huic subitò euacuando, cura adhibebitur, per vomitum, clysmata; si ab ictu aut morsu bestiæ, per ea quæ foràs venenum rursum euocant, vt cucurbitulas aliaque. Dein exhibenda quæ illius pernitiem retundunt, antidota aliáve, inter quæ Cornu cerui & Ebur, & veneno resistunt, & ictero sanando appropriata sunt. Præter quæ caussæ ratione administrata, huius symptomatis coloris scilicet præternaturalis occasione, si sublatâ causâ remaneat, topicis adhibitis, reliquias extergemus: Fiuntque hæc omnia per sequentia remedia.

Sanguinis detractio si copiosa bilis in venæ cauæ ramis insit, & nil alioquin obstet, quia portionem illius euacuat, ea ratione proderit; quam & postea sanguine refrigerato & concreto, non sanguini, sed sero flauo permistam esse, illius flauities ostendit.

Sunt qui venas in fronte, vel sub lingua, ad flauitiem oculorum & faciei auferendam, aperiunt, exiguo sanè commodo.

Alioquin nisi copia illius in venis sit, cum exhauriendo venam cauam, vt faciliùs è venis meseraicis postea sanguis & cum eo biliosus humor in eam transferatur, ratione icteri, nisi fortè alterius morbi comitis causâ instituatur, parũ proderit. Quod & in menstruis prouocandis intelligendum, cùm & hæc à vena caua prodeant: quæ si in ictericis vti & cachecticis suppressa sint, venæ sectione aliáve arte, nisi priùs hæc sanentur, cùm ab illis suppresio illorum potiùs, quàm à menstruis retentis hi affectus proueniant, vti alibi ostendimus, vix promouentur.

Hæmorrhoides quia à venis meseraicis bilem quamcunq; tàm flauam quàm atram

expurgant, si fluant spontè vel promotæ, plurimùm iuuabunt.

Clysmata ad deiectiones promouendas, si bilis non ad intestina feratur, nec excrementa tingat, aut aluum sollicitet, valde conueniunt, quæ stimulando non solùm excrementa, quæ subsistunt, educant, sed & naturam excitando, & aperiendo simul, vt è venis meseraicis, & poro cholidoco, huc peruenire posśint, promoueant.

Quo nomine primùm emollientes mox stimulantes, & qui bili expurgandæ sint accommodati, injiciantur Clysteres, in colicis doloribus expositi & febribus biliosis, aliísve biliosis morbis, addendo quæ vias aperiant, radices & herbas aperitiuas, tandem etiam ad fortisśima, si hæc non proficiant, accedendo.

Vomitus consideratâ caussâ, quandoque conueniet: Præsertim si à veneno sumpto icterus proueniat.

Purgantia per deiectiones in genere, ad bilem è venis meseraicis, vbi primùm colligitur & in alias venas trâsfertur, repurgandam, accommodantur; quod cholagogis solis, si hæc tantùm bilem purgarent, fieri deberet, sed cùm & phlegmagoga id ipsum faciant, vti experientia docet, & pleriq; talia etiam præscribunt, parùm in eo laborandũ, modò caussæ hæc rectè accõmodentur, quo nomine cùm ab obstructionibus hæc bilis congestio potisśimùm oriatur, hisce soluendis, purgantia vti & alia plerunque remedia accommodantur. Qualia purgantia varia in cachexia, hepatis præsertim caussâ facta, descripta sunt, quę & hîc vsurpari possunt. Quibus & sequentia addenda sunt.

Amara vehementer, cùm non solùm ad obstructiones soluendas conferant, sed & oscula venarum meseraicarum aperiendo, vt bilis, quæ per meatum illi destinatum ad intestina peruenire nequit, hac via eò remeet, & sic ne in venam cauam nimiùm feratur, efficiant, in ictero ab obstructione admodum vsurpantur; eoque nomine Aloës adeò in eo exhiberi inter purgantia solet: Tum in forma pilularum, dando inprimis pilulas de Hiera, atque addendo vt simul stimulando meliùs id quod cupimus præstent, Rhabarbari & Agarici, eandem quantitatẽ: Vel alias fortiores pilulas illis permiscemus, vt de Rhabarbari vel Aggregatiuas.

Vel dandæ hæ, similes illis, à Galeno approbatæ, quæ ℞. Aloës ℥.ß. Epithymi vel Sennę vel Polypodij ℈.j. Euphorbij, Sulphuris an.℈.ß. Cum Vino vel Aqua formentur.

In potione Hiera picra propinatur in eundem vsum, sicq; potisśimùm in ictero vtilis fit, quæ & in vermibus pellendis, qui aliquãdo ob bilis absentiam, in excrementis, cùm minùs tunc amara sint, crescunt, proderit: ℞. pulueris Hieræ picræ simplicis (in qua crocus ob flauitiem etiam ictero resistere creditur) ℥.j.ß. Rhabarbari, foliorum Sennæ ana ℥.j. Mechoacæ ℥.ß. rasuræ Eboris & Cornu cerui an.℈.j. Cinamomi, Spicæ ana ℈.ß. fiat puluis: Detur ℥.j. cum Sero lactis vel Vino. Si Diacrydij ℈.j. addatur, magis operabitur.

Hiera colocynthidis, si loco simplicis sumatur, ob duplicem aloës & colocynthidis summam amaritudinem, longè potentiùs vias, vti dictum, reserabit & naturam excitabit. Quo nomine & vinum ex infusione colocynthidis, in illius pomo excauato, vel aliâ maceratione paratum, exhibent.

Potiones fiunt ex Catholico, Diaphœnico, de succo Rosarum, Diaprunis laxat. Diapsyllio, dissolutis in aqua Absynthij, aliísve, nonnunquam additis & syrupis conuenientibus.

Electuarium de Cyclamine aluum subducit & sudores mouet.

Fiunt & ex infusione Rhabarbari cum spica & cinamomo, in vino vel aquis, Agarici trochiscati in Melle, additis aquis, syrupis & electuariis supradictis purgantibus, vel solis hisce infusionibus vsurpatis.

Ex Apozemate præparante, addito Polypodio, Carthamo, Sennâ in decoctione, & postea infundendo Rhabarbarum, Myrobalanos, Agaricum, fit Apozema purgans per dies aliquot assumendum.

Vel Pilulæ Aggregatiuæ Aureæ solæ vel mixtæ, vel cum additione pilularũ de Rhabarbaro.

Sudorum prouocatio bilem vnà cum sero è venæ cauę ramis exturbat, nec non eam

quæ cutem inuasit per poros simul abripit: qui proin, priùs tamen eâ quæ in venis meseraicis huic materiam præbuit expurgatâ, ne inde hac commotione in venas abripiatur, prouocati prodesse hac ratione possunt. Qui & exhibitis alibi expositis adhibitisque balneis, vt postea dicetur, euocantur.

Mictionem concitare quoque, ad bilem, quæ aliàs copiosè per vrinas expurgatur eamq; tingit, ampliùs adhuc per hanc viam educendam, conuenit. Quod vt & ea quæ obstructiones soluunt iam exponenda partim faciunt, sic ampliùs si diuretica illis addantur id præstabunt, hoc pacto: ℞. Cicerũ rubrorum P.j. seminis Melonum ℥.j.ß. seminis Fœniculi ʒ.ij. seminis Cuscutæ ʒ.j. Santali rubri ʒ.j.ß. Spicænardi, radicis Azari an.ʒ.j. decoquãtur in Aquis stillatitiis conuenientibus, vel Communi, vt colaturæ ℔.j.ß. remaneat; aromatisetur Cinamomo & Santalo citrin. Dulcoretur saccharo. Pro aliquot vicibus.

Alterantia ante & post purgantia & præparationem & obstructiones soluendas, nõnunquam & tumores & scirrhos dissoluendos, si & hi accedant in ictero, multa in cachexia descripta, quæ hepati sic affecto accõmodata fuerunt, hîc in ictero iisdem causis obseruatis, vsurpari poterunt; selectis iis potissimùm, quæ non nimis calefaciunt bilemq; concitant: Præter quæ ictero potissimùm sequentia quoque conueniunt.

Decocta, quæ bibant tribus matutinis vel etiam vlteriùs, facta in aqua, vel Aquâ & Vino, interdum addito & Aceto, fiunt ex variis. Inter quæ decoctum ex multis hoc pacto componitur, quod & ex paucioribus parari posset: ℞. quinque radicum Aperitiuarum, radic. Lapatij an.℥.ß. radicis Iridis, Aristolochiæ rotundæ, Azari an.ʒ.ij. cortic. Tamaricis ℥.ß. herbarũ Cichoreæ, Pentaphylli, Filipendulæ cum toto, Chamæpythios, Chamædr. Capillarium quinque, Endiuiæ, Hepaticæ, Eupatorij, Cuscutæ an.M.j. summitatum Absynthij, Rosmarini, Marrubij, Chelidoniæ maioris an.M.ß. florum Sambuci, Genistę an.P.j. Cicerum rubrorum vel nigrorum P.j. Quatuor seminum frigidorum maiorum an.ʒ.j. seminum Anisi ℥.ß. seminum Carui ʒ.iij. seminum Petroselini, Napi an.ʒ.j. Prunorum, Ficuum ana paria quinq;: fiat decoctio in Aqua & Vino, & in colaturæ ℔.j.ß. dissolue Sacchari q.s. aromatisetur Cinamomo vel Casiâ ligneâ, Spicâ, Santalis, fiat apozema: Pro quatuor vel quinq; vicibus.

Præter hæc, decocta etiam probantur Osyridis, Hyperici, Chrithmi cum toto, Pulegij, Origani, Polij, Mentastri, Serpilli, Chamæcisti, Anthemidis, Conizæ cum floribus: & radicum Anchusæ, Libanotidis, Vincetoxici, seu Hirundinarię Eryngij, Carduorum & cortic. Frangulæ.

Item decoctum radicis Chelidoniæ, cum Enula, Musco quercino & Croco.

In Vino simplicia hæc arida infusa si macerentur, & vinum postea aliquot vicibus exhibeatur, potentiùs operabitur.

Vel fiat tale Vinum: ℞. radicum Cichorij, Fœniculi, Asparagi an.ʒ.vj. radicis Asari ʒ.iij. Marrubij, Absynthij, Centaurij min. siccat. an.℥.ij. summitat. Rosmarini P.j. florum Lauandulæ, P.ß. Nardi Indi, vel Celticæ, Squœnanthi an.ʒ. semis incidantur, adde Vini albi ℔.iij. macerentur ad vsum. Si Rhabarbari ʒ.ij. addantur, simul ad aluum deriuabit. Si Chalybis limaturæ ℥.ij. addas, eximium erit.

Confert & Vinum simplicius, in quo vel musto dum efferuescit, Asarum solum, vel Chalybis limatura, huius vel illius ℥.ß. circiter, priùs infusa macerataq; aliquandiu fuerit. Carbones de quercino ligno eiusdẽ ponderis cum Chalybe, in Vino vstulato priùs chalybe alio integro, macerabat mulier quædam, infusumque propinando in ictero sanando, hoc remedio quæstum faciebat.

Vinum Scyllinum probat Dioscorides. Castoris dentes anteriores in Vino macerât alij, illudque propinant.

Aliud sic fit: ℞. Zarsæ parillæ ℥.ij. radicis Fœniculi, Petroselini, Pimpinellæ, Iridis, Rhapontici an.℥.ß. Enulę ʒ.ij. rad. Gentianę, Azari, Pyrethri an.ʒ.j. herbarum Eupatorij, Absynthij, Cuscutæ, Marrubij, Chamædr. Chamæpyth. an.M.ß. summit. Centaurij minoris P.j. semin. Anisi, Fœniculi, Apij an.℥.j. Cinamomi, Galangæ an.ʒ.j.ß. Infundantur in

in Vini ℔.viij.ad vſum. Si addas Turbethi ʒ.ij. Rhabarbari, Agarici an.ʒ.iij. Zingiberis ʒ.ß.purgabit ſimul.

Poſſunt & hæc in Aqua & Vino decoqui, additis purgantibus, vel ſine illis,ſicq; ſumi. Sunt qui Aquam ex eiuſmodi materia additis purgantibus elicitam ℥.ij.ß. menſurâ bibitam,admodum commendent.

Succi per ſe bibiti, aliqui iuuant,ab ℥.j.ß. ad ℥.ij. addito interdũ Saccharo, aliàs etiam Vino,tum ad gratiam,tum efficaciam. Probanturque inprimis ſucci Quinquefolij,Lapatij radicis, Vrticæ mortuæ, Marrubij,Limonum,Cyclaminis,Cichorij cum toto. Vel poſſunt à plantis quarum decoctum conuenit exprimi & vſurpari. Melopeponum ſuccum exhibet Matthiolus.

Aqua Raphani bibita,in ictero peculiariter laudatur.

Potiones aliæ fiunt ex variorum miſtura: Veluti ex pulueribus cum vino, vel aquis, ſyrupis, aliiſve decoctis contemperatis. E quibus ſimpliciores fiunt,ex puluere corticis Arantiorum, Eboris raſurâ, Chalybis limaturâ, Lumbricorum cinere vel puluere, Calculis è veſica fellis bouis,Sulphure, quod & cum Ouo ſorbili dat Dioſcorides.

Ex aliis multis vel ſolis vel inuicem miſtis puluis bibẽdus hoc pacto componi poterit: ℞.rad.Chelidoniæ maioris, Hirundinariæ, Rubiæ an.ʒ.ij. radic.Gentianæ, Ariſtol. Aſari an.ʒ.j.foliorum Abſynthij, Marrubij, Verbenæ,Capilli veneris, flor.Geniſtæ,Cnici, Anthos, ſeminum Carui, Endiuiæ, Chamædr. Cuſcutæ, Aquileiæ an.ʒ.ß.raſ.Cornu Cerui & Eboris an.ʒ.j. Chalybis limaturæ præpar. cum aceto ʒ.j.ß.Lumbricorum exiccatorum ʒ.j. Cinamomi, Nucis moſchat. vel maceris Spicæ an.ʒ.ß.Myrrhæ,Maſtiches vel Thuris an.℈.j.Croci ℈.ß.fiat puluis:Detur ʒ.j.vel amplius, addito Saccharo, per ſe, vel ſine eo, cum Vino vel alio Liquore, vel cum decocto Cicerum alióve.

Amarus ſed efficax puluis: ℞.rad.Gentianæ ʒ.j. ſummit.Centaur. minoris,cort. Arantiorum, raſuræ Eboris, Cornu cerui vel Antiſpodij ex hiſce combuſtis parati,Cinamomi an.ʒ.ß.fiat puluis: Capiat ʒ.j. cum Vino vel aliis Liquoribus.

Trochiſci in Ictero ad hydropem tendente: ℞.Rhabarbari ℈.ij. radicis Aſari,gummi Laccæ an.ʒ.ß.Cinamomi,Spicęnardi,Schœnanthi,Caſsię lign.an.℈.j.cum ſucco Abſynthij & Eupatorij, vel Trypherâ Sarracenicâ excipiatur: fiant trochiſci: Vtatur cum Vino vel aquis.

Vſitati pulueres in obſtructionibus hiſce conuenientes ſunt trochiſcorũ de Rhabarbaro,de Eupatorio,de Abſynthio pulueres: Item Triaſantali,Diarrhod.abbatis,Diacurcumæ,Dialaccæ: in quibus Rhabarbarum, quod omnes recipiunt, aliquando duplicatur: Danturque per ſe de vno vel de pluribus ex hiſce parati pulueres,cum Vino,vel alio vt dictum modo: vel cæteris formis permiſti.

Fiunt & aliæ potiones expreſsione Cancri contuſi cum Chelidonia, addendo aquam & poſtea exprimendo, hauſtumque exhibendo.

Vrina pueri ad ℥.v. aliquoties propinata probatur, quæ Saccharo vel Melle dulcorari poteſt.

Stercus Anſerinum decoquunt aliqui in aqua & Vino, & colaturam propinant.

Comeſtum Cuminum ilicò à balneo probant. Quod & adhuc mulieres noſtræ poſt balneum in vſũ habent, & illius efficaciam magnam eſſe credunt. Buphtalmum à balneo quoque exhibet Dioſcorides,flores fortè illius luteos.

Præter hæc Saluiæ folia ſæpius ſumpta, quendam curarunt, quod & Erucæ ſyluestris folia comeſta efficere docent.

Pediculos alij numero vndecim deuoratos iuuare credunt.

Electuarium conueniens: ℞.conſeruæ florum vel radicum Cichorij, Capillorum veneris, de vna vel pluribus ſpeciebus an.℥.j. Conſeruæ vel condituræ radicis Apij,Iridis, cortic.Arantiorum an.℥.ß. raſuræ Eboris & Cornu cerui an.ʒ.j.ß. puluerum vſitatorum vnum aut alterum ad ʒ.j.Redigantur in formam electuarij,cum ſyrupo aliquo ex ſupradictis: Capiat bolum, ſuperbibendo aquas vel Vinum medicatum,vt ſuprà.

Efficacius fiet, ſi huic electuario addas Amygd.amar.ʒ.ij.quatuor ſeminũ frigidorum

Maiorum ana ʒ.j. Rhabarbari ʒ.j. Limaturæ Chalybis præpar. ʒ.ij. puluer. Lumbricorum ʒ.ß. Croci ℈.ß. Cinamomi, Nucis mosh. ana ʒ.ß. & cum Oxymellite squillitico vel diuretico fiat Electuarium.

Pilulæ ex simplicibus, quæ ob ingratũ saporem & odorem in pulueris forma difficulter sumuntur, formari possunt, sicque sumi; Vel ex vno aliquo simplici: Vel pluribus hoc pacto: ℞. radic. Aristoloch. Gentianæ, Rubiæ, Rhabarbari, Myrrhæ ana ʒ.ß. Chalybis limaturæ præpar. ʒ.j. Stercoris canis sicci ℈.j. Croci ℈.ß. excipiantur succo, vel syrupo de Absynthio aut de Prasio, fiat massa: Capiat ʒ.j.

Possunt & pulueres vsitati sic excipi, & in pillulis exhiberi.

Extrinsecùs remedia adhibentur, Hepatis regioni, si illi⁹ affectus ictero causam prębeat, vt obstructio vel durities, eadem quæ in cachexia in simili casu hepatis illi applicantur, & inũctionns & emplastra & fotus, quæ & hîc conuenire poterunt, vt non opus sit ea hîc repetere.

Cæteris quoque corporis locis, colore alieno tinctis, præsidia adhibentur; vt sunt Balnea, quæ ad bilem è superficie corporis extirpandam, si illa post curationem caussâ sublatâ, nihilominus illic adhuc hæreat, nec per insensilem transpirationem, vti aliàs solet, sponte exhalet, colorque fœdus remãserit, vsurpantur: Siccaque cùm per sudores maximè bilem è cute exhaurire cupimus, imperantur: Stuphas aëre accenso calefaciendo, illisque sudores eliciendo: quæ si lingno accẽso Sambucino vel Iuniperino calefiant, potentiùs operari creduntur. Vti & si priùs antequam balneum intrent, sudorifera quædam assumant.

Humida balnea tum ad bilem per sudores eliciendam, tum abstergendam & discutiendam, decoquendo in illis quæ hæc præstant, vsurpantur, veluti est Parietaria, Beta, Malua, Althea, Saponaria, Centaurium, Absynthium, Prasium, Fumaria, Acetosa, Enula, Chamomilla, Melilotus, Rosmarinus, Origanum, Viscum quercinum, Chelidonia maior, & Chrysanthemum, quæ tria luteo succo & colore prædita, fortè ad bilem flauam exturbandam, hac similitudine, huic affectui accommodarunt: Additis quoque Fabis, Lupis, Furfuribus & Hordeo.

Ablutiones ad fœdum icteri colorem extirpandum, tum balneo enarrato fiunt, dum in eo sedent, corpusq; hinc inde lauant, faciemque simul abluunt, tum priuatis etiam ablutionibus: Vt cùm in fine balnei sicci vel humidi se lixiuio abluunt, aliísve in cutis aliis turpitudinibus explicandis.

Facies quoque, cùm hæc in omnium cõspectu sit, vt natiuum colorem recuperet, abluitur non solùm in balneo, sed etiam extra hoc, Decocto simili, vel Vino, vel Aceto albo, dilutis parùm Aquâ communi vel Rosarum, Fabarum, Acetosæ. Vel succis aliis vt Granatorum, Limonum, Citri, vel Syrupis acetosis, dissolutis in aquis vel decoctis.

Oculorum flauities vt deleatur, Aquæ illis instillandæ, addito succo si ferre possint Granatorum: Vel vinum dilutum. Succus item Coriandri.

Naribus quæ sternutationem, aut aliam excretionem per eas prouocant, ad bilem simul exturbandam, vt è facie & oculis citiùs abscedat, vti docent, immittuntur. Vngendo intrinsecùs nares Scammoneâ, (quam potiùs quòd bilem attrahere credatur, eligunt, quod nos, quia sternutationem mouet, vti experientia docet, facere existimamus) cum melle permistâ: quod potentius Elaterium cum Lacte distemperatum, faciet. Mitiùs hoc pręstant alia errhina passim explicata. Inter quæ ex succo Prasij, Sicla, addito semine Nigellæ parata, hîc pręsertim laudantur, naribus inuncta vel attracta, vti & decoctum Nigellæ.

Odorem etiam Nigellæ contusæ, & Aceti acerrimi aliquid efficere docent.

Frictiones tum post balneum, tum aliàs, linteis, alióve modo, ad absumendas biliosas reliquias prosunt.

Applicationes in plantis pedum factas, vulgus magnificat, ex Chelidonia maiori, Visco quercino, tum integris, tum contusis: addito interdum & Marrubio, Vino & Aceto, aliquando & Sale. Quæ & simul carpis applicata, efficaciùs operabuntur.

Mictionem supra Stercus equinũ recens ege-

egestum, dum calet, ab ægro factam, plures sanasse ictericos, quidam mihi pro certo affirmauit.

Victus ratio sit conueniens: Bibat Vinum album tenue, dilutum decocto radicis Graminis vel Asparagi, aut aliarum aperientium, & in reliqua viuendi ratione rectè procedat.

Ruboris curatio. A sanguine quæ oritur Rubedo, quâ facies potissimum offenditur, si sit erubescentia ex verecundia, vel rubor ob iram efflorescens, vti subitò erumpit, sic & mox sedatis hisce affectibus desinit. Dein & perseuerans aliquandiu rubedo, quæ ob corporis caloré, à caussa externa, morbóve aliquo profectum accidit, non aliam quàm quæ calori restinguendo conuenit, curam requirit.

Palloris curatio. Postea & Pallor, qui ob defectum sanguinis, amisso tantisper viuido colore euenit, si ob frigus nascatur, tamdiu dum corpus rursum incalescat, perdurat: Vti & qui ab animi defectu vel illius affectu proficiscitur, mox iterum quando ad se redeunt, euanescit. Et qui in morbis se offert, illis curatis, denuò cessat, nec dum illius causâ peculiare quid instituitur.

Nigredo Aethiopum. A semine ab ortu procedens Nigredo innata, si tanta sit, vt sicuti aliquando accidisse scribitur, Æthiopem referat, eam abolere velle, esset, vt vulgò dicitur, Æthiopem lauare, siquidem id foret impossibile.

Nigredinis vulgò dictæ curatio. Alia vulgò dicta Nigredo, quando cutis minùs alba, obsoleto colore seu fusco prædita est, ab ortu homini innata, ab illis qui pulchritudinem veram, non in colore albidiore quærunt, & proin hominem minimè discolorare censent, nihili fit, nec illius corrigendæ caussâ aliquid præsumunt. Hi verò qui venustati operam dant, atq; ob fusciditatem illam, se minus pulchros esse, minusq; proin aliis placere, sibi persuadent, eam vel corrigere aut saltem palliare, cùm auferri penitùs nequeat, summopere student.

Quando verò cutis minùs alba ob rugas, eam (vti dictum) obscurantes, & opacam fuscamque magis reddentes, euadit: tunc si rugæ hæ non sint stabiles, si nempe à caussa externa aut morbo, cutis laxetur indeque corrugetur, hisce sublatis, spontè cutis iterum tensa redditur, rugas amittit, pristinumque colorem adipiscitur. Quòd si perseuerantes sint rugæ, cute planè exiccatâ & constrictâ, maximè ob ętatem in senibus, tunc licèt eas tollere penitùs impossibile videatur, & Medicus, qui hoc polliceri auderet, cum ratione insanire diceretur.

Qui foret eximius, si rugas pellere posset,
Archiatros, dignus quem vetula turpis
amaret:

Interea tamen & hisce & exterminandis, vel saltem minuendis, remedia inuenta fuerunt, quibus senes, reiuuenescere cupientes, magno studio incumbunt.

Comptoria arte parata remedia. Hæc autem omnia duplici arte perficiuntur, Comptoriâ vnâ dictâ, quæ naturali nigro huic colori, albo acquisititio obducto, sed instabili, alium ad tempus palliat, sicque fallendo eos, qui hunc verum esse colorem putant, fucum facit, quapropter Fucos id præstantia adminicula nominant. *Fuci.* Altera *Cosmetica arte parata remedia.* Cosmetica arte appellata hoc fit, quæ non alium colorem addit, nec fallit, sed verè obsoletum hunc cutis colorem emendãdo, nonnihil elegantiorem nitidioremque, magisq; stabilem reddit: Vel etiam rugas tollendo vel emendando, opacum inde natum colorem, aliquo pacto corrigit. Dein vt maior appareat elegantia, Rubicundo colore certis partibus appicto, tunc quoque Fucis appellatis, arteq; comptoriâ corpus pulchrius & coloratius reddere solent. Cæterùm quo pacto hoc dealbando & detergendo, derugando & rubificãdo remedia præstent, nunc ostendendum.

Dealbantia eiusmodi topica admota, quæ Fucos vocant, quibus fœmineum genus, pulchritudinis maximè studiosum, quod masculinum dedeceret, faciem, manus, aliáve loca quæ nuda possunt conspici, pingunt, & colorant, ex alba materia concinnantur; eligiturq; plerumq; ea, quæ & simul vi extergente & digerente prædita sit, vel si illâ destituatur, talia quæ id moliantur, illi permiscenda; sic enim non solùm dealbando quod instabile & minùs decens est, sed & è cute succum hunc, colorem illi fuscum conferentem, continuo horum vsu exugendo absumendoq; nouumq; alliciendo, colorem

minùs fuſcum illi tandem cõciliabit; & quia cutem detergendò attenuat, ſic quoque nitidiorem magiſque perſpicuam reddendo, obſcuritatemque illi, quæ quò craſsior & nigrior eſt, magis elucet, adimendo, vt ſic quoque minùs nigra, vti dicunt, appareat, efficiet. Quo nomine & emollientia quædam hiſce compoſitionibus, ſi craſsior & durior præſertim ſit cutis, admiſcentur, tum etiam vt præter colorem decentem, mollitiem, quæ in manibus & facie probatur, adipiſcatur: cuius rei cauſsâ, & vt nitor ſimul ſplendorque faciei appareat, quod etiam venuſtum eſſe cenſetur, mucilaginoſa & pinguia etiam vſurpant.

Sic autem compoſiti fuci formâ liquoris lactis inſtar albi, vel vnguenti illinuntur, atque inuncti exiccari permittuntur. Et ſi colore albo ſpiſsiore ſe prodant, ne fucus & dolus deprehendatur, quod quæ honeſtiores videri volunt, maximè verentur, aut donec rurſum ſe conſpiciendas præbeant, ſe decocto aliquo conuenienti faciei quoq; venuſtatem conciliante, non tamen pingente, vt infrà præſcribetur, leuiter vt de albedine aliquid remaneat, abluunt, idq; quando fucus iam penitùs abolitus cenſetur: qui ſæpè diu durat, repetunt.

Materia autem horum à variis deſumitur, albo colore præditis, vti ſequentibus. Ex Ceruſſa, cùm albiſsima ſit, & ob leuitatem & pinguedinem, melius hæreat, faciei dealbatio commodè fieri poterit, ſi priùs pulueriſata cribrataque & aliquoties lota, rurſúmque ſiccata fuerit, vel cocta in aqua eouſque, donec denuò ſiccetur, in formulas rotundas, vel trochiſcos formetur, è quibus vnus aquis conuenientibus, in manus vola alitérve diſſolutus, faciei cum manu aut alio modo illinitur vel adfricatur.

Ex ſerpentariæ maioris ſeu dracontij radice albiſsimâ, formulæ quoque ſeu trochiſci prædicto modo vſurpandi fiunt, albi amydi & ceruſſæ inſtar, qui Gerſæ ſerpentariæ nomine appellantur, quæ præter albedinem quam inducit, vi abſtergente validâ etiam, vti diximus, operatur: Paraturque ex ſucco radicum Serpentariæ maioris expreſſo, atque inſolatione aut calore alio ſenſim exiccato, ac in formulas redacto.

Vel ſumuntur iam dictæ radices recentes, & priùs mundatæ contunduntur, cumq; affuſa aqua calida vel alia cõuenienti diſſoluuntur, liquorq; per pannum exprimitur, ſicque aliquandiu, donec cremor albus ſubſederit, relinquitur, à quo poſtea aqua innatans, effunditur, illicque noua alia affunditur, quæ denuò vbi poſt tempus aliquod iterum quieuerit, à ſubſidentia ſeparatur, & cùm hoc ter quatérve factum fuerit, remanentia tandem exiccata, formataque vt dictum, ad vſum ſervatur.

Communis Gerſæ huius præparandi ratio, ex radicibus ſiccis ſerpentariæ fit. Quæ priùs ab externa tunica fuſca repurgatę, poſtea in puluerem rediguntur, qui dein in aqua diſſolutus, rurſum calore ſenſim exiccatur, denuoque pulueriſatus, dilutuſque ter quatérve hoc pacto, in formulas redigitur, & ad vſum aſſeruatur.

Ex ſerpentariæ minoris ſeu Ari radice maiori, albedine & viribus non adeò abſimili, in alterius penuria, Gerſa enarrata, ſimiliter parari poterit, vel ex vtriuſque radicibus ſimul, in maioris inopia.

Ex Cucumeris aſini radice alba & friabili, Gerſa ſimiliter vti ex Serpentarię puluere fieri poſſet, & eadem ratione adminiſtrari.

Ex Ceruſſa & ſerpentaria aliæ formulæ hoc pacto fiunt: ℞. Gerſæ ſerpentariæ modo aliquo, vti dictum, præparatæ ℥.j. Ceruſſæ præpar. ℥.ß. Boracis ʒ.ij. Poteſt & Camphoræ ʒ.ß. niſi odor obſtet, addi. Cũ Infuſ. gummi Tragachant. factâ in aqua Roſarum, fiant trochiſci vel pilulæ ad vſum. Poſſunt & ſpecies Vnguenti Citrini vel aliqua in illis expoſita, permiſceri.

Aliquando & Ceruſſa & radix Serpentariæ ſic præparata, oleo Amygdalarum dulcium, vel de Been, vel aliis vtilib. excipiuntur, & ſic illinũtur, quibus & Ceræ albæ portio pro Vnguento parando addi poterit.

Ex ſublimato albo quoque ſummeq; extergente, illitiones faciei parantur, admodùm faciem detergentes & dealbãtes; quod ne eam exulceret, variis modis præparatur, & contemperatur, admiſtis illis, quæ idem, ſed leniùs operantur. Dein & ne dum faciei adhi-

adhibetur, portio illius aliqua ori illapsa, dentes, vti aliàs facere solet, denigret, aut alio modo iis noceat, aquâ vel oleo interea in ore aliquandiu contento, præcauetur.

Liquor lactis instar ex eo simplicior atq; vtilior hoc modo paratur, quo facies illinitur: ℞. Sublimati subtilissimè triti ℥.ß. Albumin. ouorum conquassatorum num. ij. vel iij. Emulsionis lacteæ seminis Papaueris albi, quæ facta sit ex ℔.j. illius seminis cum Aquæ ℔.x. agitentur hæc quàm diutissimè in mortario lapideo, sensim albumen primùm, postea emulsionem affundendo, eâ quantitate quæ sufficiens sit, quæ exploratur stylo vel aciculâ, ex orichalco fabricatâ; si enim in liquorem hunc immersa retentaq;, aliquandiu maculam nullam concipiat, rectè se habet, si verò inde tangatur, rursum affusâ emulsione dictâ contemperari debet.

Huic liquori Sacchari candi interdum, aliàs & Boracis calcinati pulueres ad ℥.ij. permiscentur.

Alius liquor albus sic fit: ℞. pastam ex farina albissima triticea aut Amydo, cum Lacte caprino subactâ paratam, eaq; coquatur in furno leuiter, & cùm crustam incipit acquirere, rursum eximatur, & cum lactis caprini recentis mensurâ tantâ, quâ omnino in liquorem lactis spissi instar redigi possit, diluatur. Cuius ℔.v. Sublimati ʒ.ij. diligenter permisce, plus minúsve, prout per probâ immisso stylo, vti supradictum, iustum illius pondus esse deprehenderis: Sicq; vtere: Addendo quandoque Cerussæ ʒ.j. Boracis ʒ.ij. Conchiliorum vel Porcellanarum calcinatarum ad ℥.ß. Camphoræque parùm.

Pasta sicca, calcis seu amydi instar exiccata, ex sublimato composita, sæpè ad fucandum vsurpatur. Cuius portiuncula in vola manus distemperata, cum Vino collutionis oris, vel aquâ Rosarum faciei inungitur: Vel mista cum Pomata, aut oleo seminis Cucurbitarum, aut Amygdalarum dulcium alióve illinitur, quæ hoc pacto cōponitur: ℞. Sublimati puluerisati ℥.j. Argenti viui ʒ.ij. vel iij. succi Limonum vel Aceti parùm, agitentur diligenter donec albescant, postea cum Saliua hominis ieiuni, qui eam dum saccharum candum masticat, expuit, rursum diu agitentur, tandem Albumen oui permiscendo idem fiat eousque, donec in formam pastæ vel linimenti redigantur. Quæ mistura dein rursum diluatur Aquæ puræ fontis bonâ quantitate, bulliant simul aliquandiu, postea donec sedimentum subsideat, quiescant, aquaque clara per inclinationem sensim effundatur & abjiciatur, residentiæque noua affundatur, rursumq; postquam ebullierit & quieuerit, effundatur: Tertioq; hoc, sed tunc aquâ Rosaceâ, vel Fabarum, aut Myrthi vel aliâ conuenienti sumptâ, repetatur, & donec ferè absumatur, decoquatur, remanentiaque calori fornacis aut solis, vsque dum exiccatur, exponatur. Aliquando & citra ebullitionem, solâ maceratione diutinâ, in qua aliquoties eam auferendo, nouamque administrando, in calore prædicto infusio hæc præparatur, tandemque exiccatur.

Interdum cum Sublimato & Argento viuo, Camphora simul ad ʒ.j. additur, & maioris precij potiùs quàm vtilitatis causâ, pulueris Margaritarum vel Porcellanarum vstarum eadem quantitas: Folia item aliquot Auri & Argenti, ad malignitatem (vti docent) argenti viui, indeque parati sublimati reprimendam.

Ex Lithargyrio seu spuma Argenti albus liquor maceratione vel coctione efficitur, quem Lac virginale vocant, quod faciei similiter decentem colorem adfert, quia tamen ruborem potiùs illius nimium corrigit, ea in illius discoloratione explicabitur.

Ex Borace dicta, quæ Chrysocolla est aurifabrorum, atque ex nitro paratur, similiter illitiones faciei fieri possunt, subtiliter puluerisata, & Oleo seminis cucurbitæ, alióve excepta.

Vel misceatur cum infusione gūmi Tragachanti, sicque inungatur. Potest & Cerussa cum Borace permisceri, & hoc illóve modo excipi.

Ex lapideis, vt Marmore albo seu Alabastro, Amiantho, Lapide speculari, Magnetide quem Talcum vocant, Chrystallo, Corallo albo, atque ex Conchiliis diuersis, crudis vel priùs vstis seu calcinatis, liquore vel oleo, conuenientibus aut Pomata exceptis,

similiter faciei fiunt in hunc vsum illitiones.

Additis quandoq; & aliis, veluti: ℞. prædictorum quorundam, ℥.ß. Cerussæ ʒ.ij. Boracis ʒ.j. Thuris albi, Camphoræ ana ʒ.ß. ſucci Limonum ℥.j. olei Amygdal. dulc. vel alterius q.ſ. fiat Linimentum.

Vel vtantur horum loco vnguento Citrino appellato; quod ex lapideis prædictis, vt alabastro, amiantho ſeu lapide ſpeculari vel talco, chryſtallo, corallis & conchaceis, vt vmbilico marino, purpuris & buccinis, dein & ceruſſa, borace, thure albo, camphorâ, & præter hæc etiam ex gerſa ſerpentaria, nitro, amylo, tragachanto, axungiâ porci & gallinæ, citrique ſucco, vnde huic vnguento nomen, præparatur.

Magnetidis ſeu Talci leuiſsimo & ſubtiliſsimo polline deraſo ſeu puluериſato, ſi facies manúſve fricentur, mirè & præ cæteris dealbantur, eo ita ſe illis inſinuante, vt color ille aliquandiu perſeueret nec facilè cedat.

Ex Ouorum cruſtis testaceis calcinatis pulueriſatis ſimiliter fiunt inunctiones, eodem modo, vt de ſupradictis dictum, illas vel ſolas, vel aliis permiſtas, in formam vnguenti redigendo.

Ex Amydo cùm ſit albiſsimum & ſubtiliſsimum diſſoluto vel incorporato vti ſuperiora, conueniens quoque fit illitio. Poſſent & farinæ aliquæ ſimiliter adhiberi albiſsimæ. Melonum & Peponum ſiccatorum farina, ſic quoque admota laudatur.

Ab emulſionibus lacteis, ſeminum Melonum vel Amygdalarũ, factis cum aqua conuenienti, facies etiam elegantiam accipit.

Sunt fœminæ quæ iis ſic vtuntur; ſumunt Amygdalam amaram vnam vel duas, eaſq; linteo obuolutas maſticant ieiunè, atque ſic ſputo cum alba emulſione permiſto, faciem illinunt.

Detergentia alia, præter fucos iam enarratos, localia remedia, quæ à fucis tantùm quod non albo colorem pingunt, differunt, in cæteris eodem modo componuntur & operantur, ſunt ſequentia, quibus facies vel abluitur, fouetur, aut illinitur.

Aquæ plerunque vſurpantur ſtillatitiæ, quales ſunt ex ſimplicioribus, Sigilli Salomonis, florum Fabarum, radic. Serpentariæ vel Ari, Cyclaminis, Raphani, Gentianæ, Maluæ, florum Liliorum, Verbaſci, Nymphææ vel Melonum, Phaſæolorum, Pinearum, additis aquis odoratis, vt ſimul ſuauem odorem concilient, vt eſt Roſarum ſimplex vel moſchata aut camphorata, florum Arantiorum, rad. Iridis, &c.

Liliorum aqua & quæ ex reſina Abietina deſtillatur, cutem craſſam ſimul attenuat.

Compoſitæ variæ ad hoſce vſus fiunt, ſequentibus modis paratæ: Veluti ex Cucurbita, Pepone aut Melone, maturis diſſectis in partes, addito Lacte caprino, & Ouis conquaſſatis, deſtillata.

Vel ex malis Limoniis, Arantiis, Citriis, ſimili permiſtione parata.

Ex Pane alia ſic fit: ℞. Panis communis albi, vel Hordeacei vel Furfuracei, cui cruſta detracta ſit ℔. ij. Lactis caprini ℔. iij. Oua conquaſſata num. 10. Eliciatur aqua.

Poteſt & Saccharum ad ℥. iiij. addi, & ſic deſtillari.

Vel Vini ℔.ß. & Limonium malum recẽs j. vel ij. aut ſucci illius ℥ j.ß. & Camphoræ ʒ.j.

Vel: ℞. prædicta, adde farinæ Fabarum vel Cicerum aut Oryzæ ℥. iij. Amygdal. amar. ℥. ij. quatuor ſemin. Frigid. maior. ℥.j. Et deſtilla.

Vt potentiùs extergat, addi poſſunt, radicis Serpentariæ & Sigilli Salomonis ana ℥.j. ß. rad. Ireos ℥.j. Poteſt & Maſtiches ℥.ß. & Boracis ʒ.ij. addi, aliáve.

Ex Oryza itidem quæ deſtillatur aqua, macerata in aqua Limonum vel Fabarum aut alia, donec intumeſcat, poſteaque ad ℔.j. Maſtiches pulu. ℥.ß. addendo.

Ex albuminibus Ouorum cum ſucco Limonũ permiſtis, aqua alia extrahitur. Quibus & antequam deſtillentur, Borax, Alumen vel Sal addi poſſunt.

Ex Limacibus item, ſi cum Lacte caprino, & Axungiâ porci vel hœdi recẽti, & paucâ Camphorâ deſtillentur.

Ex Vrina, priùs Sale, præſertim foſſili, quod Gemmæ vocant, bene ſalita, aqua exſtillata ſimiliter conuenit, additis ad grauem vrinæ odorem reprimendum, Garyophillis, Cinamomo, aliiſve odoratis, vt Aqua roſarum.

Ex Tartaro albo destillatur quoque aqua, dissoluto in Vino, addendo flores Fabarum, Rosmarini vel alios.

Vel: ℞. Tartari ℥.j. Aluminis ℥.ß. Boracis ʒ.ij. Camphoræ ʒ.j. Aquæ conuenientis ℔. ij. Destillentur.

Vel: ℞. Tartari calcinati ℔. j. Mastiches ℥.j. cum Albumine ouorum fiat pasta, è qua eliciatur aqua.

Ex sublimato efficax liquor, non ad dealbandum, sed validiùs detergendum paratur: Vel dissoluto diligenter, & aliquandiu macerato, vel etiam decocto, in aquis destillatis supradictis simplicioribus vel etiam compositis, & præsertim in ea quæ ex Pane, vt priùs dictum, exstillatur, addito interdum & succo Limonum. Ad ʒ. j. Sublimati non minùs quàm ℔. iij. Aquæ sumendæ, atq; an decens sit quantitas, orichalco intruso priùs explorãdum. Quibus & Cerussa misceri vel incoqui potest, Camphoraq; addi: Et ne lædat, cum lacte Caprino & Albuminibus ouorum aut Mucilaginibus contemperari.

Ex pluribus illis vel etiam paucioribus talis aqua componi potest: ℞. radic. Liliorum, Iridis recent. ana ℥.iv. radic. Serpentariæ vel Ari, Sigilli Salomon. ana ℥. ij. farinæ Fabarum ℥.iv. farinæ Oryzæ ℥.ij. quatuor semin. frigid. Maiorum ℥.j. Amygdal. amar. ℥.v. seminũ Cydon. ℥.ß. Contundantur omnia addendo Lactis caprini ℔. j. Iuris decoctionis Pedum vituli & Cochlearũ terrestrium circiter duodecim, quartarios tres: aquarum florum Fabarum & Rosarum ad quartariũ j. Album. ouorum conquass. num. xij. Terebinth. dissolutæ in totidem vitellis ouorum ℥.ß. Mellis ℥ j. Sacchari communis vel candi ℥.ij. Vini & Aceti ana ℥.j. Mastiches pulu. ℥.ß. Aluminis, Boracis ana ʒ.ij. Camphoræ ʒ. j. Misce; Destillentur.

Hisce & alia permisceri possunt: veluti rad. Bryoniæ, Cucumeris asinini, Cyclaminis, Lignum Gaiacũ, mala Limonia, Arantia, Pepones, Melones, Cucurbitæ, vel succi horum fructuum: Item flores Primulæ Veris, Fabarum, Liliorum, Sambuci: Ciceres, Lupini, Amydum, Pineæ, Semen Psylij; Dein & gummi Tragachantum, vel infusio ipsius, Thus, Myrrha; Cinamomum, Gariophylli, Moschus odoris gratiâ, Vrina pueri, Fel bubulum, Lythargyrium, Tartarũ, Cerussa, Sapo, Sæuum hœdinum, caprinum, vel Butyrum recens; Quibus & testacea & terrea addunt, à quibus tamen vix aliquid hac coctione, quæ dum destillantur fit, decedit, vt Corallum, Conchacea; interdum & parùm Calcis.

Addito Sublimato, hæc aqua efficax est: ℞. radicis Serpentariæ seu Ari, Cyclaminis, Sigilli Salomonis ad ℔. j. Panis medullæ ℔. ß. Lardi recentis ℥. j. ß. succi Limonum ℥.ij. in quo dissolutæ sint Porcellanæ, Aluminis ℥.ij. Sublimati ℥.ß. vel minùs: Eliciatur aqua.

Decoctum quo facies abluitur, tũ ad eam quoq; illustrandam, tum illitiones quas rursum auferre volumus, abluendas, sæpè vsurpatur. Et præsertim Fabarũm, Cicerum, Oryzæ & Lupinorum, similiumq; abstergentium. In pingui facie vel tumida, Gaiaci decoctum aliqui approbant.

Liquores quoque aliqui illinuntur; Veluti ex Melone, hac ratione præparatus; Incisus Melo in ollam conjiciatur, & supra eum Vuæ immaturæ, postea flores Maluæ, atque cortices aliquot Ouorum; hæc bene obturata in clibano calefacto tamdiu feruentur, quàm panis similiter in furnum missus coquitur, quo facto liquor coletur ad vsum.

Ex Cochleis terrestribus seu Limacibus, sic quoque in furno coctis, addito pauco Sale, liquor emanans, à quibusdam vsurpatur.

Alij quando ex Peponibus liquor, vti dictum, paratur, vnà cum illis & cæteris, Limaces quoque permiscent.

Sputo proprio ieiunæ puellæ, in palmam manus expuentes, frontem perfricant, capillosque sic sursum pellunt, nitoremque illi inducunt. Magis dealbabit sputum, si lacteum comestione Amygdalarum amararum priùs reddatur.

Linimentis insuper facies vngitur pinguibus; quæ nitorem & splẽdorem illi conciliant, quæ diligenter ne fucus appareat, diducenda.

Id Pomata illita facit.

Inprimisque Medulla osium Veruecis, quæ ex mundatis priùs à carne & conquassatis illius osibus decoctione elicitur, at-

que innatans ad hunc vsum colligitur.

Oleum Talci, ad faciem manusque illustrandas & dealbandas, nunc admodum in vsu est magnatibus, magniq; ob id æstimatur cùm & hæc mollia inde reddantur.

Ex mucilaginosis, infusio gummi Tragachanti diluta inuncta, spendorem faciei addit, vti & Albumen oui conquassatum.

Manus nitidas albas & molles reddẽtia remedia.

Manibus priuatim quædam, quæ ad faciem minus commodè adhiberi possent, vt non solùm tersæ sed & albæ & molles reddantur, adhibentur.

Fitque in hanc rem pasta quædam, quam manibus saponis instar affricant: Quę varijs modis paratur.

Simplicior ex cerealibus seminibus fit, vt Panis mica, vel Furfure cocto, aut farinâ Hordei, Oryzæ, Cicerum, Lupinorum: quibus vel solis cum aqua subactis vtimur, vel cum Sapone molli aut duro parùm dissoluto, & Melle in pastam redactis.

Ex nucleis aliàs paratur pasta, veluti Amygdalarum amararum vel dulcium, vel Persicorum, aut etiam Auellanarum vel Pinearum & nucum Been statim contusis, vel priùs in lacte maceratis, vel solis, vti dictum Sapone vel Melle exceptis.

Ex alijs seminibus simili modo fit, maximè Cucurbitacei generis & Papaueris albi.

Composita pasta sic fit: ℞. ex prædictis simplicibus vnam, pręsertim quę ex Amygdalis paratur, vel de duabus aut tribus ad ℔. j. addendo pulueris Sinapis ℥. ij. vel plus, radicis Iridis ℥. ß. vnde suauis quoque accedit odor, Mellis q. s. misce. Huic pastæ Ficuum pulpa quandoque additur. Hisce & alia addi possunt; vt semen Erucę, quod loco seminis Sinapis sumitur. Sunt qui Fel boum addant, quod tamen amarorem diu in manibus linquens, non adeò accommodum. Odorem quoque alijs odoratis illi conciliare possumus, vt Santalo citrino, Ligno aloës, radice Angelicæ, floribus Lauandulæ, Aquâ Rosarum simplici vel Moschatâ alijsq;.

Quædam etiam, ex illis quæ faciem dealbare posse recensuimus, hisce quoque addi poterunt.

Vel fiat ex illis talis manuum illitio: ℞. Cerussę ℥. ß. Amydi ʒ. iij. Coracis, Caphuræ ana ʒ. ij. Dentalis vel testarum Ouorum calcin. ℥. ß. puluerisatis affunde aquas Liliorũ Nenupharis, Rosarum, vel alias, ad ℔. iv. radic. Liliorum ℥. ij. Panis detractâ crustâ ℔. ß. coquantur optimè, postea adde Album. ouorum conquass. num. xij. Colentur & seruetur ad usum.

Vel fiat infusio gummi Tragachanti in Lacte & succo Limonum, addendo Cerussam, Amylum aliáve: Sicq; manus vngãtur.

Paratur & pasta ex radicibus Asphodeli coctis & contusis, addendo Tartarum & Oua conquassata.

Vbi maiori mollitie opus est, in durioribus manibus, vngantur oleo semin. Cucurbitarum vel Amygdal. dulcium vel amararum, aliorúmve nucleatorũ, cum Cera alba dissoluto. Potest & permisceri pulpa Liliorũ alborũ, & ad extersionẽ addi oleum Tartari.

Pulpa Peponum affricata, manus molles & mundas reddit.

Derugãtia remedia ad faciei potissimùm, nonnunquam & manuum rugas minuendas, vel etiam, si fieri posset, exstirpandas, tum vt cutis non solùm minùs opaca, sed & minùs implicata & inæqualis appareat, singularia quædam descripta fuêre, licèt & alia quædam detergẽtia cosmetica, vti in illis dictum, rugis exterminãdis quoq; accommodentur. Quæ tamẽ peculiariter illis accommodata sunt, & vi detergente, vel etiam simul leniente cutem adstrictam rursum deducendo, vel aliâ proprietate illud efficiunt, sunt sequentia.

Rugas minuentia vel exstirpãtia remedia.

Cacaliæ grana trita cum cerato illita probat Dioscorides.

Item Bryoniæ rad. cum Eruo, Fœnogræco & cretâ Chiâ: Vti & Chiam terram.

Alij aquam in hanc rem probant Pinearum conorum recentium, Verbasci florum: Item rad. Asari & Sigilli Salomon.

Inprimis aquam florum & radic. Liliorum cum Rore Maij inunctam.

Succum item Limonum, Primulæ veris, radic. Ari, & Spatulæ fœtidæ, vnde cutem eleuari & disrumpi, aliamque subtilem subnasci docent.

Decoctum semin. Sesami. Item Ficuum cum rad. Bryoniæ.

Oleum Myrrhæ conuenit, Sesaminum, Glandium, Tartari, Amygdal. amar. Liliorum, è nucleis Pineis, ex baccis Hederæ.

Emplastrum: ℞. Ceræ puræ ℥.j. dissolue cum Lacte asinæ, agitentur; & vbi refrigeurit, eam aufer, addendo olei Amygdal. dulcium ℥.j. Aluminis, Spermatis ceti ana ℥.ß. dissoluantur, misce, & supra telam extendantur; Et fronti rugosæ vel aliis sedibus eiusmodi applicentur.

Lupini farina Felle caprino permista affricetur.

Vel: ℞. Axungiæ Gallinę ℥.ij. Ceræ albę ʒ.j. Aquæ rosarum ℥.j. dissoluantur, adde Cerussæ ʒ.ij. Coralli albi ʒ.j. Camphoræ ʒ.ß. Fiat illitio.

Pomata illita maximè in vsu est.

Fumus Myrrhæ carbonibus iniectæ, facie exceptus, iuuare dicitur.

Alibi quoque rugas in corpore indecentes auferre student, quæ venustati operam dant mulieres. Veluti eas quæ post partum in ventre relinquuntur.

Idq; hoc Vnguento, quod paratur ex sæuo Hœdi vel Arietis loco in aqua Rosarum. Vel horum loco sumunt Pomatam, addendo hisce parùm Butyri & Albuminis oui, & puluerem Mastichis Thurísve.

Vel: ℞. Mastiches, Thuris ana ℥.ß. Myrrhæ ʒ.ij. Cornu cerui vsti ʒ.j. Amianthi ʒ.ij. Salis ammoniaci ʒ.j. farinæ Hordei ʒ.ij. seminis Nigellæ ʒ.j. Squillæ vstę ʒ.ß. cum Melle fiat Vnguentum.

Rubore labiis & genis conciliantia remedia. Rubificantia remedia, quæ rubicundum seu roseum colorem genis, vbi elegantior apparet, & labiis nonnunquam, mulieres quæ ornatui student, adhibent, & sic pallorem vel obsoletum harum partium colorē, pingendo obliterant, fucumq; faciunt, sunt sequentia.

Rubię maioris radix adfricata rubore malas colorat. Vti & si Oleo mista inungantur.

Bryoniæ radicis puluis in aqua distemperatur, vel cum Melle miscetur; & si illâ infusione genæ foueantur, vel hoc linimento illinantur, rubere eas docent.

Idem præstare Bulbum marinum & sem. Anethi inuncta cum Melle & Vino scribūt.

Rubricâ, qualem pictores ex Santali vel Prasilij rasurâ maceratâ vel coctâ in aqua, vino vel aceto, addito alumine, parare solent, malæ vt rubeant, pinguntur, vti & labia.

Colore alio rubro, ex Cocci baccis facto, vascula testacea intrinsecùs colorant Hispanæ mulieres, & Vermeillon de Espaigne vocant, sicque seruant; & cùm vti volunt, sputo humectantes genas pingunt.

Panno scarlato vel Serico coccineo, Chermesino vocato, parùm intincto in aqua Vitæ, genæ fricatæ rubescunt.

Ligulâ coriaceâ vel alio corio rubro, malas vt rubeant, fœminæ aliquę fricare solent.

Moris maturis si malas pingas, & postea semimaturis rursum eas frices, aquaque abluas, remanebit viuidus color aliquamdiu; sicuti hoc ipse obseruaui.

Particularibus discolorationibus quę debetur cura, alia accommodatur Commaculationibus, alia Maculis.

Commaculationibus competēs cura pro ratione caussæ quæ externa est, quoque instituitur, prout illa vel ab aëre aut sordibus, aut aliis cutem colorantibus procedit.

Ab aëre seu solis perustione euenientem, Nigredinem appellatam, in facie, manibus aliisque detectis cutis impressam, non vitio sibi, qui ex labore aut peregrinatione hanc contraxerunt, sed laudi ducunt, ob eamque causam non curant, nec quicquam ad eam iterum delendam adhibent, cùm sponte æstu remittente, hyemis præsertim tempore, nonnihil remittat vel recedat. Quòd si tamen & hæc contracta nigredo displiceat, huic, eam præcauendo, rursumque delendo, prospicimus. *Nigredinis à solis perustione inducta curatio.*

Ne facies, manus aliæ've partes nudæ soli diutiùs expositæ, à radiis illius vstæ denigrentur, hisce mediis præcauetur:

Si Pileo lato, vel aliis vmbraculis, à facie, vel chirothecis à manibus, solis radij auertantur.

Vel præmuniantur inunctione Albuminis oui conquassati, vel mucaginis seminis Psylij vel Cydoniorum, alteriusve, extractæ cum aqua Rosarum, aut infusionis in eadem factæ gummi Tragacanthi. Quibus

& Bu-

& Butyrum vel Sęuum recentia, vel Pomata, aut oleum Amygdal. dulc. aut Cremor lactis exiguâ quantitate admisceri possunt, ne facies pinguibus illis iniuncta, vel sine illis vsu exiccantium tensa appareat.

Idem facit Pulpa vel succus Melonū, Anguriarum alteriúsve Cucurbitacei generis, additis quoq; è supradictis vnctuosis parū.

Vel illinatur hoc vnguento, paulò antequam in solem prodeat. ℞. Pomatæ ℥. ij. Cerussæ dissol. in aqua Rosarum ʒ. j. Thuris vel Mastiches ana ʒ. ß. mucilaginis Cydoniorum ℥. j. fiat Linimentum.

Curatio in hac cuticulæ nigredine à natura quandoque sola perficitur. Quæ dum nouam minimeq; perustam, continuò in adustæ quę conteritur locum reponit, hoc vitium successu temporis, si interea à radijs solaribus caueatur, emendat, nisi profundiùs in veram cutem vitio hæc penetret, tunc enim sponte vix ampliùs recedit. Atque artis operâ tam comptoriâ quàm cosmeticâ eâdem, qualis in naturali nigredine emēdanda, descripta fuit, vt corrigatur, opus habet. Quæ cùm eodem penitùs modo, ijsdemq; remedijs perficiatur, hîc ea repetere non est necesse.

Adhęc cuticulam quandoque auferendo perustam à facie manibusque, nisi, vti dictū, altiùs impressio facta sit, huic vitio medemur. Quod separando eam à substrata cute & nonnihil attollendo, vt sic sponte secedat, vel sine labore auferri queat, nonnūquā perficitur, applicatione sequenti: ℞. radic. Liliorum alborum quartarium j. coquatur, parùm sub cineribus, postea contundantur, addendo Sacchari candi ℥. j. hæc supra faciem collocentur, sæpeq; repetantur, semper post quam deponitur, inungendo cū Melle.

Citiùs hoc efficiet, si addas Butyri vel Axungiæ Porci lotæ aquæ Rosarum ℥. iij. Terebinth. ℥. ß. Calcis extinctæ quinquies ʒ. ij. Sicque applices.

Vel adde radicum Liliorum sic tostarum ℥. ij. radic. Arundinis & Serpentariæ Fabarum ana ʒ. ij. seminis Melonum ʒ. j. mucilaginis seminis Psylij vel infusionis gummi Tragachant. ℥. j. Vnguenti citrini ℥. ß. sec. artem fiat Vnguentum.

Si parùm de aqua Sublimati decocti addas, citiùs cutem eleuabit.

Bulbus Cepæ vel Squillæ aut Liliorū affricatus sæpè, cutem ita auellit, vt citra laborem remoueri possit.

A' sordibus & alijs cuti adhærentibus immunditiis obsoletus seu obscurus color, quo pacto cum sordibus auferatur, in sordium tractatione in reiectis explicabitur. Reliqua quę manus nitidas albas & molles reddunt, in compticis iam sunt exposita. *Commaculationis cutis à sordibus curatio.*

Color ater croceus, viridis, aliúsve quo cutis inficitur, aut pingitur, simili ratione, vti aliæ cutis sordes absterguntur, quod aliàs citiùs, aliàs tardiùs, prout hi colores se insinuarunt, perficitur. *Colorationis cutis à coloribus externis curatio.*

Imprimis à nucum cortice viridi contracta in manibus digitisq; pertinacior nigredo, sed tandem spontè euanescens, citiùs abstergentium supradictorum vsu cedet, faciliusque adhuc, si succo vel carne Limonum aut Aceto fricetur, additâ paucâ Colophoniâ.

A' moris dum decerpuntur manibus impressa rubedo, aliquandiu quoque manens, subitò aufertur, si moris nondum maturis, sed viridibus adhuc, aut saltem rubescentibus, validè partes tinctæ perfricentur, aquaque postea abluantur.

Maculis cura competens, pro causæ diuersitate etiam distinguitur, prout hæ vel à causa interna, quæ est vel sanguis, vel succus nutriens, vel semen, vel à morbo proficiscuntur.

A' sanguinis sub cuticulam eruptione post cōtusiones aut ictus alios, maculæ liuidæ seu Sugillationes relictæ, si contusio tanta sit, vt cura huic præcipuè debeatur, curam non aliam quàm contusioni competentem, vti in ea expositum fuit, exigunt. Quòd si eâ sanatâ, nihilominus hæ maculæ vel vibices remanserint, vel non grauiùs vis illa illata, nisi quòd maculas hasce produxit, læserit, hisce tunc pręcipuè intendendum. Quæ tamen sponte, vti ferè fit, sanguine sub cute primum vlteriùs diffuso, mox discusso, euanescunt, cùm sanguis ille non ita vt si in amplum spacium feratur, concrescere moxque putrescere soleat, sed sero dilutus, & ex corruptione aliqua potiùs attenuatus, diffluensque *Sugillationum curatio.*

fluensque tandem per insensilem transpirationem sensim exhauriri possit. Quòd si verò ob copiam vel crassitiem hoc fieri sponte nequeat, diutiusque sanguis perseueret, metusque sit ne concretus, & putrescens vlcus gignat, Topica discutientia & siccantia erunt adhibenda, quibus si statim, dum adhuc sanguis fluit, huic vitio occurrere velimus, ab initio adstringentia quædam miscemus, postea verò solis prædictis vtimur: Paranturque ex sequentibus.

Herbæ recentes applicantur contusæ, vel priùs parùm tostæ aut coctæ, vt Absynthiũ, Hysopus, Calamenthum, Origanum, Cãnabis, Eruca, Succisa, Hydropiper, Ptarmica, Malua, Ammi: Vel cum Mellle miscetur, additis quandoq; & farinis, & semine Cimini.

Idem efficit radix Raphani concisa.

Decocto ex prædictis plantis facto in Aquâ, Vino & Melle, addito in principio & Aceto, fotus fiunt. Aquæ calefactæ fotus sæpè repetitus, præsertim Salsæ confert.

Succi etiam inunguntur enarratarũ plantarum; Imprimisque succus Absynthij, coctus cum Melle vel Aloë mista cum Melle, miscendo & vtrisq; puluerem Cimini. Confert & succus Raphani & Coriandri.

Ex aliis quibusdam variæ etiam fiunt applicationes vel inunctiones, cõfertq; imprimis Nucis nucleus tusus cum Melle & Sale.

Vel Sal, Vinũ & Mel æquali mensura mista adhibentur.

Ciminum puluerisatum cum Vitello oui vel Cerâ vel Melle applicatur. Potest & adjici parùm Camphoræ.

Vel: ℞. farinæ Fabarum, Fœnogr. vel etiã aliarum ad ℥. iiij. Cimini ℥. j. pulueris Absynthij ʒ. ij. coquãtur in Oinomellite, adde Croci ʒ. ß. fiat emplastrum.

Vel: ℞. radic. Consolid. vtriusque, rad. Iridis ana ℥. ß. vel Raphani ℥. j. herb. Maluæ, Absynthij ana M. j. florum Chamomill. Meliloti ana P. j. decoquantur in Vino & Aqua, postea contundantur, misce farinæ Fœnogræci vel alterius ℥. ij. Cimini ℥. ß. seminis Sinapis vel Erucæ ʒ. ij. Thuris, Myrrhæ vel Laccæ ana ʒ. j. Stercoris caprini ℥. ß. Salis ʒ. ij. fellis Bouis ʒ. j. Mellis ℥. j. Olei Anethini ℥. ij. fiat Cataplasma.

Efficacissimum hoc est: ℞. Auripigmenti ʒ. ß. Farinarum prædictarum ad ℥. ij. coquantur in Vino, fiat emplastrum.

Sanguis ex pennæ recentis calami intestini expressus inungatur.

Vel Fel caprinum vel Vaccinum, cũ Melle vel Vitello oui contemperatum.

Aut Stercus caprinum vel Vaccinum, addito puluere Cimini.

Pulmo arietis calidus adhuc & cruentus appositus, dissipat maculas.

Oleum in qua radix Bryoniæ cocta fuerit; vel aliud, vt Commune vel Rosarum vel Chamomill. in quo Sal coxerit, illinatur.

Vel Vnguentum de Alabastro.

Scarificatio huic sanguini sub cute retento viam aperit, quæ adhiberi potest, si plurimus eò effusus fuerit, illicque persistat, ne putrescens, si diutiùs retineatur, partem viuam corrumpat, gangrænamque efficiat, in cuius suspicione, scarificatio profundis plagis inducta, ampliùs conueniet.

Quod si verò ex illius putredine abscessus indeque vlcus nascatur, vti vlcus sanari debet. Si gangræna, vti ex magna contusione aliquando factum, vt contusio & gangręna, sicuti in illis affectibus dictũ, sanari debet.

Macularũ rubrarũ cuiuscunq; generis, vt & Pulicariũ, Sanguinearũ illarumq; quæ in Erysipelate, Impetigine, Guttâ rosacea se offerunt, curatio.

A sanguinis per cutem dispersione profectæ maculæ, si Pulicares dictæ rubræ paruæ illæ sint, aliàs spontè, mox iterum per insensilem transpirationem, vel cum sudore dissipantur; Vti & Erysipelata illa latiora. Quæ tamen si diutiùs persistant, etiam curam aliquam requirunt. Sicut & impetigines illæ Zittermahl Germanorum, & Sanguineæ, aliæ exactè rubræ per faciem cæterasque sedes sparsæ, quæ difficulter eradicantur; Vti & Gutta rosacea dicta rubedo, ægrè exstirpatur, atque ægerrimè, si pustulosa simul sit facies, nasusque, vti dictum, inde admodùm extuberet.

Hisce itaque, si curam adhibere sit animus, quam tamen plerique desperantes negligunt, sic erit instituenda; Primùm corpus pro ratione redundantium humorum purgandum, sanguisque per venam apertam brachij, reuulsionis, vel etiam si facies hisce occupata sit, frontis, aut sub lingua deriuationis gratiâ, aut per scarificationes in

colli lateribus & scapulis incisas, educendus, & per admotas simul cucurbitulas, à facie retrahendus, sæpiùs eas vel præmissâ scarificatione aut sine ea repetendo. Quod & sanguisugæ faciei sedibus, in naso vel propè eum, iuxta alas aut in malis, vel in mento, vel ponè aures appositæ euacuando & trahendo præstabunt. Alterantibus dein quæ sanguinis feruorem contemperando refrigerandoque, impetum hunc illius in faciem aliáve loca sistant, vtemur, eaque per viuendi rationem conuenientem præscriptam & medicamenta quæ illud efficiant, administrabimus. Sicuti quo pacto hoc fieri, corpusque mundum reddi, recteque disponi debeat, passim in morbis à sanguinis influxu genitis declaratum fuit.

Localia præsidia quæ applicantur, sanguinem reprimere vi refrigerante & adstringente in maculis rubris debent, indeque genitum succum redundantem, si in pustulas eleuentur maculæ, vi siccante & digerente absumere, quæ validiora esse debent, si admodum induratæ illæ tuberositates ægrè cedant, adhibendo si reliqua non proficiant, etiam quæ erodendo vrendoque hæc consumant.

Administrantur autem hæc remedia, in forma liquorum, aquarum & vnguentorũ, quibus rubræ maculæ & pustulæ illinuntur vel madefiunt; aut si fortiora sint quæ applicari debent, iis saltem tanguntur; A variis autem desumuntur.

A Plantis præcipuè parata, vsurpantur, aqua Fragorum, Fraxini & Florum Verbasci, additâ interdum Camphorâ. Vinum quoque è fragis illitum prodest.

Alia valde vsitata atque vtilis: ℞. Fragorum veris tempore, autumni verò Vuarum acerbarum ℔. j. Lactis caprini ℔. ij. Albumin. ouorum numero xij. vel mucilagin. seminis Psylij & Cydoniorum, vel gũmi Tragachanti factæ in aquâ Rosarum vel Plantaginis ad ℥. iiij. Camphoræ ʒ. ij. Destillentur. Potest addi Acetum, succus Limonum vel aliarum plantarum sequentium. Item Alumen, Sulphur.

Vel vtantur sequenti: ℞. rad. Oxylapathi ℥. iij. herb. Plantaginis, Solani, Acetosæ, Maluarum, Fumariæ ana M. j. florum Rosarum, Violarum, Nenupharis, Caprifolij, Salicis ana P. j. Limonum vel Arantiorũ aut Pomorum acidorum 7. vel 9. Fragorum vel Mororum immaturorum aut Vuarum immatur. ℔. ß. Aluminis ℥. ß. Albumin. ouorum numero x. Aceti ℥. ij. Camphoræ ʒ. j. Destillentur. Sulphur additum efficaciorem reddit, sed odore illius nonnihil inquinatam.

Possunt & addi folia Nymphææ, Cotyledonis, Semperuiui, Fraxinellæ, flores Balaustiorum recentes vel aridi.

Vel sic paretur: ℞. Lactis Caprini ℔. iiij. farinæ Frumenti tantũ q. s. vt cum dicto Lacte in pastam panis redigatur, quam coques in furno, & semicoctam eximes, & à crusta decorticatam, in partes discindes, ac cum ℔. iiij. aliis Lactis Caprini dissolues, addendo mala Limonia excorticata, in partes secta xij. radic. Raphani & Oxylapathi ana ℥. ij. Albumin. ouorum cõquassatorum, vel cum spongia exceptorum, atque rursum expressorum, donec benè dissoluatur, numero xij. Aluminis ℥. ß. Tartari, Sacchari ana ʒ. iij. Coralli albi ℥. ij. testarum Ouorum calcinatorũ in furno, Camphoræ ana ʒ. j. misceantur diligenter: Eliciatur aqua per alembicum.

Aluminosa quæ appellatur aqua ex plantagine, portulaca, omphacio, alumine & albumin. ouorum elicita, similiter conuenit.

Puluis radicis Oxylapathi & rad. Asphodeli vstæ cinis, cum oleo inuncta laudantur.

Ex sanguine leporis vel etiam aliorum animalium calido facta illitio, ad ruborem abigendum conuenit.

Ex Sulphure viuo præsertim paratæ applicationes rubedinẽ admodum emendant: Si cum succo aliquo refrigerãte aut adstringente, vt succo Semperuiui, Solani vel Plantaginis mistum, vel cum aqua odorata aliqua, vt Rosacea dilutum diuq; maceratum, illinatur.

Vel: ℞. Sulphuris viui ℥. j. Thuris albi ℥. ß. Cãphoræ ʒ. ij. dissoluatur cum ℔. j. aquæ Fragorum & Rosarũ ad vsum. Potest & succus Limonum vel malorũ Granatorum acidorũ addi. Efficacior erit, si Salis cõmunis vel Ammoniaci vel Aluminis ℥. ij. misceas, vel etiam Lithargyrium coctũ in acero, vel Cerussam.

Vel:

Vel: ℞. Sulphuris viui ℥. ß. Lithargyrij per coctionem in aceto dealbati ℥.ij. Thuris ʒ.j. Camphoræ ʒ. ß. granorum Paradysi vel Zingiberis ℈.j. Vnguenti Citrini vel Albi camphorati ℥.ij.fiat Linimentum. Si ℈.ß.Auripigmenti addas, erit efficacissimum.

Ex Lithargyrio albus liquor conficitur, quem Lac virginale, vt magis acceptus sit, vocant, quod vti faciei colorem alienum, sic præsertim ruborem illius aufert,& sic conficitur: ℞. Lithargyrij puluerisati ℥. ij. aceti albi ℥.vj. plus minúsve, prout potens existit, macerentur aliquandiu, sæpiùs per vices agitando, vel bulliant parùm. Quo facto, sinatur crassior materia subsidere, liquorq; clarus sensim effundatur, coleturq;. Postea ℞. Aluminis vel Salis, vel vtriusque ℥. ij. dissoluantur in Aqua fontis vel alterius stillatitiæ faciem extergentis, vt Fabarum, Liliorum, additâ etiam boni odoris gratiâ, aquâ Rosarum, ad ℥.vj. Interdum huic aquæ, Boracis ʒ.j. aut ij. addimus, vel etiam parũ Camphoræ. Hisce duabus aquis cùm vti volumus, portionem vtriusq; æqualem ferè commiscemus, tuncque subitò, etsi priùs limpidæ fuerint, in lacteum cremorẽ albissimum conuertuntur, quo facies illinitur; quam si exasperet, affusis denuò aquis debet dilui. Sed & vtriusque liquoris materiam permiscendo, macerandoque vel coquendo, statim Lac hoc perficitur. Si maiori abstersione opus est, olei Tartari parùm illi commiscere possumus, aliáve accommoda.

Alius liquor in rubra tuberosa facie perutilis, vti & si squamosa & crustacea sit: ℞. Lithargyrij ℥.j. Aluminis ʒ.j. Boracis ʒ.iij. Cerussæ ℥.ß. Aceti ℥.ij. Aquæ Rosarum, Plantaginis vel aliarum, ad ℥.iiij. bulliant ad consumptionem tertiæ partis, coletur, adde succi Limonum parùm huic quantitati quæ inungi debet.

Aqua per destillationem ex Lacte prædicto virginali elicita, similiter conueniet. Vel talis: ℞. Lithargyrij triti ℔.j. Aceti ℔.ij. macerentur & coquantur, postea adde aquam Fabarum vel alias ad ℔.j. Eliciatur aqua, addendo interdum & alia conuenientia: Veluti Alumen, Boracem, Camphoram, oleum Tartari, antequam destilletur.

Vel vtatur hoc vnguẽto, quod ℞. Lithargyrij præparatione dealbati (quæ fit si ter in aceto albo infusum, maceretur aliquamdiu, rursumque ab eo repurgatum, postea ad vsum siccetur) ℥. ij. adde aceti albi & olei de semine Cucurbitarum q.s. vt in formam Linimenti redigatur, misce Camphoræ coctæ donec dissoluatur in aqua Rosarum ʒ.ß. Fiat Illitio.

Ex Tartaro talis concinnatur aqua vtilis & conueniens: ℞. Tartari calcinati ℔.ß. Aluminis vsti ℥.j.ß. Boracis ℥.j. Sacchari candì ℥.ij. Camphoræ ʒ. ij. Albuminum ouorum agitatorum numero xx. mucilaginis seminis Psylij ℥.j.ß. succi Limonum vel aceti ℥.ij. Eliciatur aqua.

Ex calce alia efficax inunctio: ℞. Calcis viuæ ℥.ij. Sulphuris viui ℥. ß. puluerisentur, bulliant in aceto, ad consistentiam vsq; vnguenti.

Ex Argento viuo factum efficax remedium: ℞. nucleos Persicorum vel Amygdalarum amararum, eosque mastica parùm, ex illisque sic emollitis, & in pastam ferè redactis, lacteum succum per pannum linteum exprime, illique Alumen coctum, seu vt vocant vstum, nucis instar misce. Postea accipe Argenti viui, pisi magnitudine, atq; in vola manus cum saliua tamdiu donec nigrescat, confricato, dein cum lacteo succo prædicto permisce beneq; contemperato: eoq; faciem noctu cubitum iturus inunge, manè repetendo, idque spacio hebdomadæ vnius continuando: Quo exacto, vel priùs etiam quoties in publicum prodeundũ erit, abluatur hoc pacto; fiat pasta ex farina Fabarum & Oryza cum albumine oui conquassato subactâ, quæ ad vsum in pilas formata seruetur, & eâ emollitâ rursum per noctem in aqua, & dissolutâ, facies cum panno abstergatur.

Aliud sic paratur: ℞. Argenti viui ʒ.j. resinæ Abietis lotę aliquoties ℥.j. agitẽtur probè, postea adde Boracis ℥.ß. Sacchari candi ℥.j. Ossis sepiæ ʒ.ij. Saponis ℥.ij. olei Tartari ʒ.ij. vel plus, cum olei Amygdalarum dulcium & Rosacei q.s. fiat linimentum; potest & succus Oxalidis vel Oxylapathi, vel Limonum addi, & Lithargyrium.

Ex sublimato potẽtissima fiunt remedia,

cautè vt leuiter hęc tantùm tangant, illis applicanda. Quibus maculæ tactæ donec cuticula abeat, tandem euanescunt, & pustulæ illitæ arescunt vel consumuntur. Præparanturque hoc pacto: ℞. Sublimati ʒ.j. succi Limonum vel Aceti ℥.j. Aquæ alicuius conuenientis ℥. iiij. Albumin. ouorum numero sex, macerentur benè obturata ad vsum.

Vel sic: ℞. Sublimati ʒ.ß. Lithargyrij ℥.ß. Aceti albi ℥. iiij. coquantur ad tertiæ partis consumptionem, colaturæ adde Lac, succum Limonum vel Arantiorum, & parùm olei Tartari.

Possunt & alia ex Sublimato & Arsenico erodentia & caustica remedia, quæ in vitiosis maculis descripta sunt, in pertinacioribus eiusmodi pustulis vsurpari.

Fumus ex Sulphure & Thure prunis iniectis, facie exceptus, rubedinem illius delet, vti rosas rubras sulphure suffumigatas albescere subitò videmus: cautè autem spiritu interim retento, occlusisque oculis hoc erit tentandum.

Macularũ diuersorum generũ, vti & Vitiliginum, Lentiginum & Originalium Næuorum cura.

A succo nutriente, porisque se insinuante, vel etiam à semine ab origine procedentibus maculis quæ debetur cura, accommodatur præcipuè illis, quæ à prauo succo originem trahunt, vt cùm noceant, grauioraq; minentur, hæ maculæ, si fieri possit, aboleantur, quales sunt Vitiligines seu Alphi, ipsorumque genera. Quod alias attinet, quæ non à vitioso succo nascuntur, fuscæ maculæ seu Lentigines, etsi plurimæ per cutem dispersæ occurrant, cùm tamen consuetæ sint quibusdam Lentiginosis dictis, & proin non adeò in illis improbentur, sponteque æstu solis remittente, interdum remittant, vel minùs tunc appareant, plerunque intactæ relinquuntur. Quòd si tamen qui eas pulchritudini obesse existimant, vt formosiores sint, delere cupiant, cura illis quoq; accommodabitur.

Idem & in Næuis à semine ab ortu natis obseruatur, cùm quia originales sunt, non pro vitio habeantur, & plerumque intacti sinantur, nisi fortè adeò deforment, vt & illorum ratio sit habenda, quomodoque emendari queant, cogitandum.

Cæterùm in cura harum omnium macularum, causa interna primùm erit submouenda, si ea vitiosa sit, vti in Vitiliginibus aliisve peruersis maculis. Quod in aliis, cùm causa minimè sit noxia, vt Lentiginibus & Næuis, non necesse est, nisi corpus alioquin impurum, vt topica meliùs operentur, priùs purum reddere in hisce quoque innoxiis alioquin maculis, sit consultum.

In impuris itaque priùs euacuationes aliquas moliemur, iisdem ferè, quibus & aliam corporis illuuiē in multiplici illius immunditie, & pręsertim in scabie expurgari, ostendimus, & ne rursum gignantur, regimine idoneo atque alterantibus præcauebimus.

Topica verò quod attinet, quæ ad maculas illas noxias delendas adhibentur, leuioraque existunt, vi exiccante & detergente prædita esse debent, quâ insensibiliter sensim eas absumant, dein si illa non iuuent, fortioribus vtimur, quæ abradendo, maiori vi illud operentur, & nisi succedat, ad erodentia & caustica progredimur, quæ manifestè eas maculas arefaciendo & cōsumendo deleant. Vel etiam per manualem aperturam factam, tale quid tentamus. Quo pacto etiam in Næuis extirpandis, procedere possumus. In Lentiginibus verò, leuioribus medicamentis hoc saltem efficere conabimur, cùm plures se offerant, quibus omnibus fortia adhibere remedia non satis tutum esset, nisi fortè vno aliquo in loco paucas hoc etiam modo eradicare cupiamus. Sed & multa ex hisce localibus remediis, in aliis prauis maculis à sanguine vitioso profectis, veluti impetiginibus aut pustulis faciei rubris, quarũ tamen cura illis præsertim accōmodata, iam exposita est, quoque prodesse poterunt. Quæ remedia omnia, vel detergere solùm, vel erodendo atque vrendo, vel pungendo vel radendo operantur.

Detergētia autem citra erosionē remedia tàm leuiora quàm fortia, quę omnibus hisce maculis abstergendis competunt, varia existunt, cōueniuntq; etiam illa cōptica & cosmetica, quibus Nigredinē palliari & corrigi, in ea exposuimus, maximeq; in lētiginib. palliandis vel etiam delendis, quæ & in aliis maculis cōtinuo vsu aliquid possunt efficere.

Præcipuè verò maculis hisce adhibentur

sequen-

sequentia detergentia, quibus & emollientia quædam, si cutis crassa ipsis instrata sit, permiscemus; quæ maculis affricantur vel inunguntur, idque si citiùs & meliùs ea operari velimus, in calore solis vel ignis: Quę à diuersis desumuntur.

A' plantis recentibus petitæ radices vel folia, contusa vel aliter incisa affricantur vel applicantur: Veluti radix Serpentariæ maioris minorísve, Cyclaminis, Cucumeris agrestis, Bryoniæ, Iridis, Raphani, bulbi Cæparum, Narcissi, Porri; item radix Hellebori albi, Sigilli Salomonis, Oxylapathi, Rubiæ, Anchusæ, Capparum, Chamæleontis nigri, Nympheæ, Asphodeli, folia Chondrillæ, Lactucę syluestris, Gelsimini, Betæ, Caulium, Loti syluestris, Pulegij, Agnicasti, Telephij: Acini item vitis syluestris & fructus cucurbitini Momordicæ.

Saponaria recens cõtusa, si affricetur diutiùs, spumam viridem saponis instar reddit, vnde nomen accepit, valideque abstergit.

Hisce contusis, vel si duriora sint, parùm tostis, farinæ addi possunt Lupinorum, Orobi, aliæ've aut pulueres: Atque vt validiùs operentur, Acetum, Mel.

Decoctis enarratarum plantarum, in aqua factis, addito interdum & Vino vel Lixiuio, calidis adhuc, fouentur vel abluuntur maculæ in balneo vel extra illud, maximè si plures sint, vt Lentigines, additis insuper & aliis abstergentibus, vt radice Ebuli, Enulæ, Liliorum, foliis herbarum nitrosarum, vt Parietariæ, Mercurialis, Maluæ, Bismaluæ vel Brancæ vrsinæ, Buglossi vtriusque, Scabiosæ, Fumariæ, Lupulorum, Cichorij, Acetosæ, Violariæ, Geranij, Millefolij, Absynthij, Centaurij minoris, Nasturtij & Sennæ, additis quandoque & Furfure, vel farinis Leguminum.

Aquæ stillatitiæ similiter competunt ex efficacioribus plantis; Vti & ex Resinis, vt Abietina, Laricea elicitæ, quibus & si plures sint, commodiùs vtimur.

Succis plantarũ illinantur maculæ, veluti radic. Serpentariæ vtriusque, Cucumeris asinini seu Elaterio inde parato, Iridis, Gentianæ, Lapatij, Capparum, Thapsiæ, aliarúmve dictarum plantarum; Imprimisque succo Cæparum, Porri, Squillæ, Asphodeli, foliorum Scabiosæ, Xyridis, Caulium, Boni Henrici, Limonum.

Olea inunguntur ex plantis concinnata, præsertim in alphis: Veluti oleum seminis Sinapis & seminis Cataputiæ: Item oleum in quo Laureola vel Tithymalus coxerint, & folia Nerij.

Liquores in Vlmi folliculis contenti, & qui è Betulæ caudice vulnerato exstillant, maculas quascunque exterunt.

Pulueres quarundam plantarum, excepti aceto vel succo Limonum alióve è prædictis, aut Melle, vel Oleo aut Axungiâ, vel Vitello oui, si per se potentiùs agant, illinuntur: Veluti radicum Serpentariæ maioris & minoris, Sigilli Salomonis, Cucumeris asini, Bryoniæ, Hellebori albi, aliarumque efficacium prædictarum plantarum. Dein & farinæ seminis Lupinorum, Orobi, Fabarũ, Auenæ; Item pulueres seminum Sinapis, Raphani, Rapi syluestris, Erucæ, Brassicæ, Vrticæ, Nigellæ, Securidacæ, Ricini, & nucleorum Persicorum torrefactorum atque Agarici: Cineres etiam Allij, Lilij bulborum & radicis Aristolochiæ.

Ex illis quæ ab animantibus sumuntur, axungia Thymali piscis, Impetigines, Zittermahl dictas, admodum delet, vti & alias maculas.

Sanguis leporinus dum calet adhuc, illitus, in maculis valde probatur.

Fella item quadrupedum & piscium.

Fimus Columbinus vel Ouillus cum Aceto subactus, valde quæuis extergit.

Oleum in quo Lacerta viua cocta sit, cum Vino tamdiu donec illud absumatur, admodùm probatur in alphis.

Vti & Formicæ rubræ in panno ligatæ & pressæ, donec succum reddant, si eo illinantur.

Ex terrenis succis salsis confert Sal commune vel fossile Gemmæ dictum aut Ammoniacum, vel Nitrum, atque ex illo parata Borax, Alumen, Halcyonia, cum Aceto vel succo Limonum, aliísve dissoluta.

Lapis Pyrites & Lazuli cum Aceto acerrimo illita, valde iuuant.

Tartarum ex Vini terrestreitate concre-

tum per ſe, vel priùs vſtum, ſimiliter vſurpatum conuenit: Inprimis verò liquor illius, quem Oleum vocant, egregiè omnes maculas & puſtulas extergit.

Quod & ſic poteſt parari: Tartarum Vini albi cum aceto in pilam redactum, ſtuppis inuolutum ſub cineribus calidis, parùm vratur vel calcinetur, poſtea vſurpetur, ſponte in liquorem reſolutum vel diſſolutum per ſe vel cum Melle miſtum.

Compoſitæ formæ tam ex his, quàm aliis, ſequentes fiunt. Contuſæ è plantis, quarum decoctum conuenire diximus, factę applicationes, addito Sale communi, Foſsili, Ammoniaco, Nitro, Alumine, proſunt.

Aquæ parantur hoc pacto: ℞. Oxylapathi cum radicibus ℔.iv. incidantur: adde aceti ℥.iv. Tartari ʒ.ij. Salis nitri ℥.ß. Eliciatur aqua ad vſum.

Alia: ℞. radicis Raphani ℔.j. radic. Iridis, Lapatij, Liliorum ana ℔.ß. Cucumeris agreſtis vel Sigilli Salomonis, Vuarum immaturarum ana quartarium j. herbarũ Parietariæ, Sij, Centaurij minoris ana M.j. ſeminis Braſsicæ, Rapi vel Erucæ ana ℥.ß. Panis hordeacei vel Fabarum farinę quartariũ j. Terebinthinæ ℥.j. Vrinæ ℥.ij. Deſtillentur.

Poteſt addi Myrrhæ, Thuris ana ℥.ß. Styracis liquidæ ʒ.j. & ſic deſtillari.

Vel fiat talis: ℞. nucleorum contuſorum ex Amygdalis amaris & Perſicis, malis Armeniacis P.ij. farinarum Cicerum, Oryzæ, Fabarum ana ad P.j. quatuor ſeminum Frigidorum maiorum ana P.ß. Irrorentur decocto radicis Lapatij acuti & Limonum, vel Arantiorum aut Citri, miſcendo Ceruſſæ ℥.ij. Tartari ℥.j. Salis communis vel Nitri, vel Boracis ℥.ß. Camphoræ ʒ.j. Ex hac paſta eliciatur aqua.

Aqua valde efficax: ℞. Tartari calcinati ℔.j. Thuris vel Maſtiches ana ℥.ß. Camphoræ ʒ.iij. Albumina ouorum aliquot, deſtillentur. Loco tartari Sapo eodem pondere ſumi poteſt.

Lac Virginale hoc etiam conuenit: ℞. Lithargyrij ℥.j. Aluminis, Boracis, Ceruſſæ ana ℥.ß. Camphoræ ʒ.ij. Tartari ℥.ß. Aceti albi ℔.j. aquæ Liliorum & florum Fabarum ana ℥.iv. aquæ Roſarum ℥.j. decoquantur & colentur per philtrum, adde ſucci Limonum depurati, aquæ Lapatij ana ℥.iij. Boracis, Camphoræ, Sacchari candi ana ʒ.v. Iterùm leuiter coquantur, & colentur ad vſum.

Linimenta ex ſuccis fiunt enarratis, additis Salis vel Nitri generibus, inter quæ & Borax; nonnunquam miſcetur & Camphora.

Alia inunctio: ℞. ſuccorum radicum Serpentariæ, aliarúmve prædictarum herbarũ, & Tapſi barbati ad ℥.iij. farinæ Lupinorum ʒ.ij. radicis Iridis ʒ.j. ſtercoris Columbini ʒ.j.ß. olei Amygdalarum amararum vel Ouorum ℥.j.ß. olei Myrrhæ ℥.ß. Terebinthinæ q.ſ. miſce.

Alia fiunt vnguenta: ℞. puluerum aliquorum prædictarum Plantarum ℥.ß. Salis foſsilis vel ammoniaci, aut Nitri vel Boracis vel Aluminis ʒ.j. Myrrhæ ʒ.ß. Camphoræ ℈.j. cum ſucco Arantiorum miſce, vel Melle aut Sapone molli.

Ad lentigines: ℞. radic. Serpentariæ maioris vel minoris, aut corticis medij Vlmi ℥.ß. Oſsis ſepiæ ʒ.ij. Thuris ʒ.j. Storacis liquidæ ʒ.ß. excipiantur, vti dictum. Et illinantur.

In alphis illitio: ℞. ſeminis Raphani, Nigellæ ana ʒ.ij. radicis Hellebori albi, Aluminis vel Salis ammoniaci ana ʒ.j. Myrrhæ ʒ.ß. Gallarum vſtarum ʒ.j. cum Melle & aceto fiat linimentum.

Validior in alphis ſic fit: ℞. Boracis, vel Nitri, Aluminis ana ℥.ß. Tartari calcinati ʒ.ij. farinæ Lupinorum vel Orobi ℥.ß. radicis Hellebori vtriuſque ana ʒ.ß. ſeminis Sinapis ʒ.j. Saponis mollis vel alterius ℥.iv. ſucci radicis Lapatij & Enulæ ana ℥.j. reſinæ Abietis parùm, agitentur probè.

Ærugo æris validiora reddit vnguenta, ſi ʒ.ß. illius cum ℥.ß. illorum miſceatur; Aliquando & Chalchanthum ſolum, vel cum ærugine, addendo & oleum Tartari, admiſcetur.

Vel: ℞. Vnguenti Ægyptiaci ʒ.ij. Aluminis vſti ʒ.j. olei Tartari ℥.ß. miſce. Si nimis exaſperet, adde oleum Roſaceum vel aliud.

Vel ſic: ℞. Hellebori albi, radicis Ari ana ʒ.j.ß. ſeminis Staphiſagriæ, Raphani ana ʒ.j. foliorum Sabinæ ʒ.ß. Piperis ℈.j. Salis ammoniaci

moniaci ʒ.j. Æruginis æris ℈ j. Sulphuris ʒ.j. cum Aceto fiant trochisci, qui ad vsum dissoluantur in Aceto vel succo Limonum.

Erodentia & caustica maculas & pustulas enarratas absumentia, aliàs cùm dolore, aliàs sine eo, vti & in alphis cùm sint insensiles agunt, quæ cautè ne vicinas partes tangendo lædant, apponi, hæcq; illis solùm tangi debent.

Ex Sublimato & Arsenico potissimùm fiunt, permistis cum prædictis vnguentis.

Sed & solius Sublimati mica cum Vitello aut Albumine oui, aut Mucilagine aliquâ aut Oleo & Axungiâ mistâ & contemperatâ, cautione adhibitâ, applicari poterit.

Vel Aquâ ex decoctione illius paratâ pustulæ aut maculæ tangi, quæ ℞. Sublimati ʒ. ß. Aquarum aliquarum conuenientium, quibus & Rosacea additur, ℥. vj. decoquantur ad consumptionem tertiæ partis. Hæc si nimiùm erodat, ampliùs dilui potest; commodè etiam oleũ Tartari illi permiscebitur.

Aqua alia quæ in præparatione sublimati remanet, vel aqua aurifabrorum Fortis appellata, idem efficit.

Vel vtantur sequenti: ℞. Sublimati ʒ. j. Cantharidum ʒ. ij. Arsenici ℈. j. Carbonum salicis ʒ. j. puluerisentur, decoquantur in aquarum Nenupharis vel Plantaginis ℥. iv. donec crassescat, adde Aquæ fortis guttas aliquot, cum bombace intincto tange maculas manè & vesperi, donec vesicæ exsurgāt, quas Vnguento citrino illines.

Vel componatur pasta sequens, cuius portio liquore aliquo dissoluta admoueatur: ℞. Sublimati, Aluminis ana pisi magnitudine, adde Boracis ʒ. ij. vrantur in lamina candente, puluerisentur, addendo pulueris Mastiches, Sarcocollę & Sacchari candi ana ʒ. ß. misceantur quàm diligentissimè, in mortario cum Sapone molli, addito momēto Fellis bouis, postea farinâ Fabarum & Nucum Auellanarum, bene siccata redigantur in pastam, quæ ad vsum siccetur.

Pręter hęc & alia vesicatoria & catheretica adhiberi possunt. Veluti Ranunculi folia & radic. contusas Diosc. docet admouenda. Quod & Laureolæ folia efficient: Lac item Tithymalorũ aliáve eiusmodi alibi exposita. Cantharides itidem, vti & Calx viua, sed cum Aceto contemperata.

Cauterio hæc quoque tolli possunt si illis adhibeantur actualia vel potentialia, præsertim indolentia ex Calce & Fęce Vini parata. Vel si aquâ, in quam cauteria, si non bene ab aëre muniantur, solent diffluere, tangantur.

Punctura in alphis, multis foraminibus facta, conuenit, per quam si sanguis effluat, spes aliqua sanationis erit.

Radere quoque illas frequenter cultello, proderit.

A morbo aliquo procedentium macularum præcipuarum cura, in morbis à quibus dependent, fuit exposita; veluti Erysipelatis in febribus synochis. Dein & earum macularum cura, quæ in Lue venerea, elephantica, scorbutica erumpũt, cùm illæ morbum ipsum cum cęteris eiusmodi externis pustulis alijsque vitijs constituant, in cute residentem, hæcque proferentem, in morbis ipsis, seu luibus vbi de curatione illorum agitur, simul proponitur. *Macularum in febribus prodeuntium Erysipelatum Exanthematum, aliarumve Malignarum vel luis Venereæ, Elephanticæ Stomacacæ curatio.*

Aliæ verò, non diuersam curam à morbo requirunt: Veluti illorum quæ in febribus erumpunt Exanthematum, cùm sponte febre cessante euanescant, cura præcipua est ea à frigore externo, ne ab hoc repellantur, munire & arcere.

Vti & aliæ rubræ, violaceæ, nigræue maculæ in febribus peruersis quandoq; erumpere solitæ, illis cessantibus, quoq; simul abeunt, vel cum morte, quam ferè præsagiunt, finiuntur.

Illæ verò maculæ, quæ in pustulas erumpunt, quas Ecthymata seu Variolas vocant, etsi quoque plerunq; non aliam quàm quæ febri cõuenit curam exigant, in qua eas potiùs vt erumpant, promouemus quàm retardamus aut impedimus, easque genitas non aliter ferè curamus, cùm sponte vel euanescant, vel arescant abeantque, aut in vlcuscula conuertantur, sicque per se sponte sanantur: tamen si hæc tardiùs procedant, vt citiùs siccentur vel maturentur, quædam adhiberi possunt. *Pustularum Ecthymatũ seu Variolarum curatio.*

Ad arefaciendas, decocto hoc madefieri cum penna vel penicillo aut panno linteo debent:

debent: ℞. Lentium ℥.ß. corticis medij Tamaricis ʒ. iij. baccarum Myrthi ʒ. j. florum Genistæ ʒ. ß. decoquantur in aqua, addendo in fine parùm aquæ peculi Rosarum.

Poterunt addi peculiaris vsus gratiâ in decocto Santali rubri ʒ. ij. vel Croci ʒ. ß. sed tunc colore ab illo rubro, ab hoc croceo tinguntur.

Vehementiùs siccabit eas, si Salis vel Aluminis mistione salsedinem insuper adipiscatur.

Succo Granatorum medio inter dulcem & acidum sapore, citiùs quoque exiccabuntur, aliísve illius generis.

Vt maturentur faciliùs, Axungiâ porci inungantur, vel Ficubus inuersis fricentur; Aut Vitello oui, aliísve id efficientibus.

Aperiuntur maturatæ sponte ferè. Quod nisi eveniat, vel diutiùs prorogetur, quia tũc pure retento, caro exeditur, vlcuscula caua inde fiunt, cicatrixque foueam faciens, relinquitur; Vt igitur hoc maximè faciem deformans, præcaueatur, maturiùs aperiri debent, acu stylóve alio acuto, qui si ex auro sit, minùs cicatricẽ apparentem inde nasci autumant. Frequentiùs accidit, vt pure in illis maturescentibus exitum quærente, per frictionem pruritu prouocatam, dilaceratæ aperiantur. Quod tamen nimis sollicitè in infantibus matres præcauere volunt, existimantes inde cicatrices foueatas prodire, cùm potiùs, vti dictum, ab intactis, tardiúsque disruptis id accidat.

Postquam apertæ sunt, quia crustâ ex pure siccato genitâ obducuntur, cùm ea spontè decidat, in eâ auferendâ vix aliquid ampliùs suscipiendum. Si tamen diutiùs aliquæ hæreant, corio pingui salito fricatæ, vel alio emolliente, facilè secedunt. Et cùm exigua sint vlcuscula, modò sæpè, à pure & ichore abstergantur, sponte facilè, vt non opus sit aliâ curâ, sanantur. Sin verò cicatrices in facie remanserint, eæ vt in illis dictum, tractandæ erunt.

Si non solùm cutem sed & nares intrinsecus infestent Variolæ, illicq; vlcerentur, quo pacto tractandæ in narium vlceribus expositum est: Vti & si fauces & pulmones, in illorum affectibus declaratum est. Inter reliqua Acetum acre olfactum sæpè, nares ne variolis petantur, prohibet.

Oculorũ Ruborũ & Sugillationũ Macularumq; albarum curatio.

Oculorum discolorationum à morbis procedentium, cura in horum morbis fuit exposita. Veluti Rubedo oculorum in Ophtalmia falsa & vera, & Epiphora. Maculæ rubræ vel liuidæ, in Sugillatione oculi, Albæ maculæ in oculi Albugine, Cicatrice, Suffusione.

Oculorũ Ecthymatum & Exanthematũ curatio.

Ecthymata verò & Exanthemata si oculos petant, hisce præcauendis cura adhibenda, hîcque exponenda. Oculis igitur clausis palpebræ circumlinantur sequentibus, de quibus & si aliquid oculis incidat, vel instilletur, non nocebit, sed potiùs conueniet.

Aquæ sic vsurpantur, Rosacea, Plantaginis, Myrthillorum & Coriandri.

Aqua Rosacea Croco vt bene flaua fiat, tincta, communiter illinitur.

Vel decoctum aut infusio foliorum Sumach in prædictis aquis.

Vel instilletur succus Granatorum dulcium & florum, mistus succo Hyosquiami.

Aut puluis florum Hyosquiami tritus cum Vino austero, oculorum palpebris inungatur.

Collyrium vtile: ℞. pulueris foliorũ Sumach ʒ. j. seminis Coriandri prępar. vel Myrtillorum ʒ. ß. Croci ℈. j. Camphoræ ℈. ß. Aquarum prædictarum ad ℥. viij. misce diligenter.

Efficacius erit si parùm succi granatorum addatur.

Sapphyro gemmâ, vel Auro puro, si ambitus oculorum circumducatur, eos à variolis tutos manere aliqui existimant.

Vbi iam variolæ oculorum tunicas externas, palpebrasque occuparint, possumus præscripto collyrio similiter vti, illud oculis quoque instillando, addendo Tuthiæ præparatæ vel Trochiscorum alborum Rhazis ʒ. ß. Quòd si suppuratæ in vlcus abeant, periculum est de amisione Visus, tuncque vti oculorum vlcera tractari diximus, curari debent, & ad cicatricum ablationem pulnis tenuissimus Fabarum cum Saccharo cando, aliaque in cicatricibus oculorum explicata, inspergi.

Ad colo-

Oculos denigrã tia remedia.

Ad colorem nigrum, qui pulchrior esse putatur, oculis inducendum, & glaucum corrigendum, aliqui hac arte vtendum censent: Collyrium ex puluere subtilissimo Auellanarum cum Aqua permisto, oculos sæpè indendum.

Vidimus spontè aliquando cæsios oculos ætatis decursu nigriores factos, idque aliquoties.

Dentiũ discolorationũ curatio.

Dentes alieno colore infecti, nec dum ampliùs albi, sed vel ob sordes vel tophos, aut fuliginem ipsis adhærentia, flauescentes aut nigricantes, variis modis ab illis mundati rursum dealbantur, eâ curâ quæ in sordibus in reiectis explicabitur.

Vnguiũ discolorationũ cura.

Vnguium discolorationes peculiarem curam minimè exigunt, nisi alia vitia, vt fissuræ, erosiones, &c. concurrant, de quibus in deformationibus iam actum fuit. Nam si liuere videantur ob pallorem corporis, vel Maculam subnigram continere, ob Sugillationem sub ipsis factam, cùm hi colores non in ipsis, sed subiectâ carne existant, & per ipsos pellucidos, vti dictum, saltem transpareant, non alia cura, quàm quæ in pallore & sugillatione exposita fuit, hisce quoq; debetur. Quòd si Nigredo sub vnguium eminentiis à sordibus illic collectis appareat, quid agendum, cùm de sordibus in genere in reiectis agemus, demonstrabitur.

Quod puncta vel maculas albas, vnguibus à portione succi crassioris impressas attinet, cùm non pro vitiosis sed potiùs pro vitę longævæ indicibus habeantur, sicuti in iuuenibus consuetæ eo nomine, maximè si plures appareant, laudantur, ita & senibus si vel vna aut altera se in illis proferant, spem vitæ longioris faciunt, admodumque commendantur.

Pilorum discolorationum curatio.

Pilorum discoloratio illa maximè notatur, quâ albi exactè fiũt, in Canitie dicta, quæ in senibus, cùm veneranda sit, plærunq; intacta relinquitur: iuniores verò eam corrigere student. Rufos quidam quoque fastidiunt, cùm tamen ab aliis pro elegantibus habeãtur. Quos in illis colores delere aliosq; introducere, impossibile, cùm in albis hęc omnimoda siccitas, propter quam perspicuitate amissâ, sic albescunt, vt in causis diximus, emendari ampliùs nequeat: Et in rufis alióve colore præditis, succus eos nutriens ipsis assimilatus, semper similes in colore producat; vti videmus, & pilis euulsis, similes renasci, & in auium genere si vna aliqua penna euellatur, etsi vicinæ aliæ omnes diuersi sint coloris, eiusdem coloris pennam recrescere, quod in columbis sæpiùs ipse obseruaui.

Canitiei curatio.

Vt alium tamen colorem, nigredinemq; adipiscantur, senes aliqui, reiuuenescere cupientes, imprimis expetũt. Et iuniores quoque, si certis in locis trica aliqua pilorum alba in barba vel capillis eorũ existat, vti hoc in quibusdam obseruatur, eam reliquis pilis similem reddere, aut etiam rufos pilos denigrare cupiunt. Quod sanè arte comptoria potiùs, quâ alius color, instabilis tamen imprimitur & veluti appingitur, efficitur. Idq; adhibendo potissimùm adstringentia, quæ eos nigro colore tingere vel saltem obscurare possunt. Cæterùm vt illi quoque, qui succrescunt similes euadant, ægrè potest perfici, & proin ne se cani pili prodant, nisi continuò iis vtamur, quod tamen solùm molestũ, sed & capiti præsertim noxium, vix cauere possumus. Abluuntur autem vel illinuntur, vt denigrentur capitis vel barbæ pili, sequentibus.

Pilos albos seu canos denigrantia.

Decoctum pro ablutione factum, in Lixiuio vel Aqua pluuiâ, aut cisternæ aut extinctionis Ferri, Gallarum, Nucum, Iuglandiũ viridium, glandiũ Fagi, Cupressi, baccarum Myrthi, radicum Salicis, foliorum Lentisci, Myrthi, Sumach, Mori, Rubi, Cupressi, florum Rosarum: Efficacius fiet si Lithargyrium, Ferri limatura, vel Ferrum, rubiginosum addantur: Item Acetum, vel Succus alius adstringens.

Probatur & decoctum Myrobalanorum. Item à quibusdam & radicum Capparum, foliorum Ophris, Vitis nigræ.

Hisce & caput respicientia, si caput lauari debeat, addũtur. Imprimis Saluia, folia Lauri, & similia.

Vino si abluantur pili, in quo Hirudo suffocata fuerit, eos denigrare tradunt.

Aquæ exstillatæ ex enarratis plantis efficacioribus, aliquid quoq; possunt efficere, si

prȩsertim Sal nitrum vel fossile & Vitreolũ, illis antequam destillentur, permisceantur.

Fortè & ex Atramento scriptorio elicita aqua aliquid efficiet, quo si per se vteremur, nimis corpus denigraremus.

Probatur à quibusdam aqua ex Ebulo, admisto gummi Arabico, elicita.

Olea illinuntur; vt illud in quo Lacerta coxerit.

Vel in quo cortices Nucum viridium cum Alumine decocti sint.

Vel illud quod in Pomo colocynthidis excauato infusum, addito simul Auripigmenti modico, & coctũ sub cineribus, postea exprimitur. Sunt qui semen Hyosquiami addunt.

Vel: ℞. Olei cõmunis vel omphacini, addito vel syluestris Oleæ aut Myrtino vel Lentiscino ℔.ß. fucci Nucum viridium ʒ.iiij. Aceti ℥.ij. Acaciæ vel Hypocistidis ℥.j. Gallarum ℥.ß. Aluminis ʒ.ij. Vitreoli ʒ.j. coquãtur & colentur. Possunt & alia adstringentia incoqui, vt baccæ Myrthi; Nux cupressi, Myrobalani, Capulæ glandium, Sumach & similia; item Ladanum.

Vnctiones aliæ fiunt, vti ex Gallis vel cortice Malorum granatorum, vel aliis & Alumine, decoctis in Aceto vel Oleo.

Vel ex Succo nucum iuglandium viridiũ, aut in illarum penuria, ex Acacia vel Hypocistide, Ladano & Alumine, vel Sale fossili aut Nitro, dissolutis in Aceto vel oleo Myrtino aut succo Betæ.

Aut ex Lithargyrio cocto in Lixiuio, ad cuius ℔.ß. si Æris combusti ℥.iiij. addas, efficacius erit, ampliusque, si olei Tartari ℥.ß. illis postquam cocta sunt, permisceas.

Alia inunctio: ℞. Lithargyrij & Æris cõbusti pondus enarratum, addendo Calcis viuæ ℥.x. atq; cum aqua in formam linimenti decoque.

Pectinando pilos successiuè denigramus, si pectinis dentes pilos discriminantes, inungamus vel madefaciamus prædictis remediis: Aut Ferri limaturâ vel scoriâ, aut Plumbi in Aceto coctâ.

Validiùs operabitur, si Ferri limaturæ ʒ.ij. in aquæ fortis vel aquæ Capitelli ℥.ß. dissoluantur, addendo pulueris Auripigmenti parum, eoque pectinis interualla ab extremitatibus remotiora illinantur, ne si circa apices dentium hoc idem fieret, cutis tacta exulceretur.

Plumbeo pectine capillos & barbam frequenter pectinare, albam ipsorum canitiem denigrare, vel obscurare saltem nonnihil, vulgò existimant.

Cæterùm cùm & pili, si admodum nigri existant, minusq; alio aliquo colore, vt flauo præditi sint, non ita pulchri habeantur, nigredinem arte sic quoque mutare vel imminuere formæ studiosi conantur.

Pilos nigros corrigentia remedia. Et vt minùs extremo colore nigro vel albo tincti appareant (quem colorem infantium pilis consuetum, Albũ Germani Weiß/ Galli Blond vocant) sequentibus fieri posse, docent.

Si fumigentur Sulphure liquefacto, priùs Lixiuio loti & madidi adhuc, postea siccati inungantur Vnguento Populeonis. Quod Sulphuris accensi fumus potentiùs agit.

Lixiuium ex cineribus Vitis idem efficit. Vel in quo decoctæ sint radices Enulæ, Centaurij maioris, Raphani, cortices radicum Capparum. Potest & addi Alumen & Sulphur.

Vel fiat hæc illitio: ℞. Sulphuris ʒ.ij. Thuris ʒ.j. Aluminis ʒ.ß. Stercoris hirundinum ʒ.ij. pulueris seminis Raphani, corticum radicum Capparum, rad. Enulæ ana ʒ.j. Fellis bouis ℥.ß. cum Aceto vel Glutine dissoluto in aqua, fiat linimentum. Addi poterit cinis florum alborum Tapsi barbati.

Pilos flauos reddentia remedia. Ad flauos pilos reddendos, in quo maximè Venetæ laborant matronæ; Præparandi iidem antequam hæc adhibeantur, vt colore rectiùs imbuãtur. Abluendo ante horũ vsum, Aquâ in qua Alumen, vel Sal aut Nitrum, aut Tartarum dissoluta coctáve sint.

Vel Lixiuio prædicto simplici priùs abluantur.

Aqua quâ pili madefiunt, elicita ex Agrimonia Serpentaria, Aro; Item Aceto & quartâ parte Nitri; Ex Melle addito gummi Arabico.

Lixiuium quo pili abluuntur, fit ex cineribus sarmentorum Vitis, Paleæ auenæ, addendo nonnunquam cineres ligni Hederæ, stipitum & radicum Caulium vel Fabarum.

Hiscæ

Hisce rasuræ addi possunt, vel pulueres herbarum, ex quibus decocta lixiuia parantur. Quæ omnia stramini Auenæ vel Hordei superponuntur, aquaque per hæc, vt lixiuium fiat, transfunditur.

Decoctum pro ablutione pilorum vsurpatur, factum in Aqua vel Lixiuio communi aut sarmentorum Vitis alióve efficaciore, in quo decoquuntur illa quæ croceum succum in se habent, vt Buxi ligni rasura, cortex ligni Berberis, cortex Citri vel Arantiorum, Cortex medius Sambuci, radix Chelidoniæ, Liquiritiæ, Curcumæ, flores Stœchados citrinę, Tapsi barbati, Genistę, flos Tinctorius addendo etiam aliquando Rhabarbarum & Crocum. Dein etiam additis aliis plantis, quæ similem colorem pilis adferre creduntur; vt radice Vrticæ, foliis Agrimoniæ, Capillarib⁹ herbis, paleis item Hordei vel Auenæ, atq; etiam seminibus Lupinorum, Cumini, Fœnogręci, rasurâ item Eboris, addendo & quandoque Myrrham & Tartarum, vel Sal aut Nitrum.

Oleum inungitur, in quo rasura Buxi, radix Chelidoniæ, Crocus similiaq; coxerint, vti & Myrrha.

Vnctio: ℞. Myrrhæ ℥.ij. Tartari ℥.j.ß. Salis ℥.j. Croci ℥.ß. cum Oleo in quo aliquid ex supradictis coxerit, fiat linimẽtum. Addunt & Apes vstas aliqui.


Pilos rufos efficientia remedia. Ad rufos etiam pilos reddendos, quod in quibusdam regionibus pulchrum esse censetur, fit Lotio illorum ex decocto radicum Rubiæ, Raphani, Loti arboris, ligni Rasuræ, Lupinorum, Absynthij in aqua vel Lixiuio.

Illitiones id præstant succi Raphani vel Lycij Diosc. aut aqua Raphani: Vel oleo Cucumeris syluestris cum Tartaro vsto, vel fæce Vini cremata.

Alkanna siue Henne Arabũ (cuius plantæ baccillos ex Aphricæ emporiis adferri scribit Lobelus, luteo intus cõstantes ligno, quam Dodonæus Cyprum Dioscoridis esse putat, aliam à Ligustro, quam Cyprum illam esse putarunt plantam) ad pilos ruffandos imprimis conuenire docent, Turcisque qui pilos rufos probãt, ad eos sic tingendos, vsitatum, adeoque efficax, vt & vngues cæterasque partes coloret. Illinuntur autem trita illius folia, per se vel in succo radiculæ prius madefacta, vt vult Dioscorides. In quorum penuria, si ex bacillis illius ad nos comportatis succus excoqueretur, fortè idem præstaret. Vel Oleum Cyprinum, quod ex eo paratur, & ad ruffandos capillos singulare esse censetur.

Pilis odorem gratum conciliantia remedia. Ad odoratos insuper pilos in capillis & barba reddendos, herbæ odoratæ, vt folia Maioranæ, flores Lauandulæ, Gariophylli, Nux moschata, Moschus, Ambra, decoctis linimentis admiscentur:


Sapoque odoratus qui variis modis fit, vsurpatur.



DE EXTVBERANTIA.

CAPVT III.

Genera.



Xtuberantiam vocamus, quando corpus nõ magnitudine nimiùm augetur, sed alioquin alicubi intumescit, nec partem numero redundantem, sed extuberantiam aliquam certis in locis innatam vel adnatam habet. Quæ extuberantiæ cùm extra corporis superficiem promineant, & per se propemodum dolore careant, vel si aliquem habent, aut molestiam partibus quibus insident adferant, protuberantia tamen hæc magis in illis spectetur, hîc potiùs describuntur. De internis extuberantiis in corpore latentibus, in functionum læsionibus, quibus incommodant, egimus. Cæterùm externæ hæ extuberantiæ, cùm varia sub se comprehendant genera, nos ea potissimùm ad duo hæc reuocamus: quòd aliæ extuberantiæ sunt generaliores, aliæ particulares.

Generaliores extuberantiæ, sunt Intumescentiæ dictæ, quæ maius seu amplius corporis spacium occupant, cùm vel totum corpus vel media saltem corporis regio, vel venter tantùm intumescit: sicuti in singulis nunc demonstrabitur.

Leucophlegmatia. Totum corpus intumescit, maximè in facie, manibus, pedibus, nec non cæteris corporis partibus, & plus æquo excrescit, in

Anasarca vel Hyposarca. affectu quem Leucophlegmatiam, à colore albo & humore, qui illi caussam præbet, vocant; Vel ab eodem subter cutem vel carnem collecto, Anasarcam aut Hyposarcam appellăt, & ad Hydropis seu Aquæ inter cutem speciem, ob eandem caussam referunt. Hic affectus cachexiam ferè, quæ præcessit, palloreq; se primùm patefecit, sequitur, sensimque ab ea in hanc corporis molem veluti carneam & mollem conuertitur, atque vt in illa, sic & hîc. Vrinæ remissæ in colore manent, Languorque adest totius corporis, Febrisque interdum lenta huic affectui implicatur, Aliique morbi & illorum symptomata, vt de cachexia dictum, illi copulantur.

Leucophlegmatia serosa. Est & Leucophlegmatiæ altera species, quam Serosam à caussa appellare possumus, in qua extumescentia hæc adhuc mollior & laxior priore existit, in pedibus præsertim, illicque non adeò ab asciticorum pedum inflatione differens, cùm & fouea illis faciliùs imprimatur, impressũmque diutiùs remaneat vestigium; quam tamen ab hydrope ascitide, & generalis hic tumor, & quòd venter non plus reliquo attollatur, aliaque ascitidis signa, facilè distinguent. Est & tertia leucophlegmatiæ species, in qua corpus in tumorem adhuc pleniorem & molliorem assurgit, & in pedibus cum asciticorum cruribus & tumore ac splendore, omnimodam habet similitudinẽ, qui & tunc magis quàm reliquum corpus tument. Quę species nunc sensim vti alia, aliàs verò subitò hominem inuadit.

Inflatio totius corporis, seu intumescentia. Pręter hasce species leucophlegmatiæ, obseruauimus & aliam corporis faciei & artuũ pręcipuè, extumescentiam, subitò interdum etiam subortam; non ita mollem, sed tensam, & quæ impressionis signum non retinet, ac si cutis inflata esset, vnde Inflationem corporis appellare possumus.

Ascites hydrops. Media corporis sedes à ventris summo ad pedes vsque, intumescit in hydrope Ascite, quia venter vtrem aquâ repletum refert, appellato. In quo Tumor à pedibus ferè incipit, illorumque infimam sedem eminentiorem, dein eam quæ in ambitu malleolorum existit, primùm replet, inde sensim ad genu vsque & vlteriùs extenditur, maximè in humiliori femorum sede, ampliusq; excrescit interdiu sedẽte vel eunte ægro, decrescit verò nonnihil eo recumbente noctu, impressũmque in hoc tumore aliquandiu remanet vestigium, qui vbi admodum distentus est, splendere & pellucidus non nihil esse videtur. Venter vel statim cum pedibus impleri incipit, tandem ab hypochondriis ad pubem vsque totius distenditur, costarumq; fines & extremitates extrorsum pelluntur, qui & commotus fluctuat, & si æger in latus se vertat, eò impetu quodam labitur. In huius etiã cute, sub vmbilico in pectinis regione, & in dorsi sedib⁹ tumentibus, pressa vestigia sicut & in pedibus aliquousq; perseuerant. Scrotũ postremò similiter vti venter repletum admodum distenditur & translucet, veluti in Hydrocele, longeq; magis, adeò vt & ad capitis magnitudinem excrescat. Virga item intumescens quadruplo maior, translucida fit, atq; etiã curuatur, farciminis maioris instar. Sicq; inferior corporis sedes in tumores excrescit, reliquâ superiore decrescente interim & emaciatâ, atrophiâ laborante.

Dyspnœa ægrum in hac specie hydropis vehementer angit, maximè cùm loca alta scandunt vel decumbunt, præcipuumq; de quo conqueruntur, est symptoma; Quæ etiã nondum apparente tumore, incipit hydropemque præsagit, eoque emergente incrementum sumit, & ab initio circa mediũ noctis, concoctione factâ, superueniente compressiuo cordis dolore, mox magnâ difficultate spiritum ducunt, & suffocationis sentiunt periculum, quo excitati statim surgere & orthopneumaticorum instar, erectâ ceruice sedentes, respirare coguntur. Quando quoque decumbunt, in alterum latus, siue dextrum siue sinistrum sit, vrgente tunc dyspnœâ, decumbere diutiùs nequeunt, aliàs in neutrum, sed in dorso quamdiu in lecto sunt, cubare coacti, possunt recumbere. Tandẽm quoque increscente malo, penitùs à decubitu ferè omni, cùm per eum mox angantur; abstinere coguntur, & dies noctesque non solùm erecti, sed & capite in anteriora pectoris inclinato, vt liberiùs spirare queat, in sella sedentes longo tempore, cùm diuturnus sit morbus; reliquum, quod breue super-

superest spacium vitæ, miserè transigunt. Vires eorum, quia per decubitum quiescere sufficienter nequeunt, sed corpore erecto semper necesse est sint, prosternuntur summè, appetitus dejicitur: Sitis perpetua est: Mictio pauca: Vrinæ interdum admodum tinctæ, rubræ vel aureæ & crassæ, aliàs crudæ & aqueæ, interdum non adeò mutatæ.

Tympanites cũ ascite copulatus. Occurrit & alia hydropis asciti species, in qua venter longè ampliùs distentus & extensus, tympani instar cùm percutitur, sonum edit, in quo fluctuatio quædam ex motu deprehenditur, cætera priori similia proferens accidentia, nisi quòd pedes aliquando illis, non adeò vt in alia eius specie tument: Estque tunc cum tympanite ascites coniunctus.

Tympanites simplex. Venter solus intumescit, & tympani instar tensus est, in hydrope Tympanite, ob hanc similitudinem sic nominato. In quo Distentio totius ventris seu abdominis tanta est, vt percussus sonum etiam instar tympani aliquem edat, & pressus mox iterum attollatur, nec diutiùs impresſionem seruet, secùs quàm in Ascite. Liberiùs quinetiam quàm ascitici spirant, nec ex decubitu difficultatem aliquam sentiunt, nec pedes illis aut aliæ partes tument. Præter hęc murmura interdum per ventrem discurrentia audiuntur, & tormina quandoq; eos molestant, viresque labascunt.

Tympanites intestinalis. Est & alia tympanitis species, in qua cum prædictis accidentibus, ilei & colici affectuũ symptomata, vt omnimoda constipatio dolor & vomitus, concurrunt.

Excrescit quoque venter in tumorem naturaliter, post conceptum legitimum, ob fœtum, in grauidis mulieribus; Dein & præternaturaliter in conceptu deprauato, cùm corpus aliud præter fœtum Mola nominatum formatur: Vti & nonnunquam extra conceptum in fœmineo sexu, eo nonnihil modo, ac si grauidæ essent. De quibus tribus generibus ventris tumorum, quo pacto se habeant, & quibus signis internoscantur, hîc quoque agendum.

Ventris excrescẽtia in Grauida seu prægnãte muliere. Ventris excrescentia, quæ in grauidis ex fœtu fit mulieribus, etsi cùm naturalis sit, ad affectus præternaturales, de quibus solùm agimus, minimè pertineat, tamen vt eam ab illis distinguamus, & hanc non à causa aliqua morbosa proficisci, quam mulieres illicito congressu vsæ, partum celare volentes prætendere solent, cognoscamus; & vt de conceptu aliquid certi aut verisimile saltem pronuntiare posſimus, nec quod facilè fit, in hac prædictione peccemus, cùm mulieres ipsæ quæ vterum gestant, de hoc præsertim circa principium dubiæ sint, scireque summopere expetant, ideoque Medicos consulendo, vrinasq; mittendo variis modis tentent, tum ex signis, tum accidentibus & experimentis, qua ratione mulierem concepisse, cognosci posſit, demonstrabimus.

Constitutio mulieris ad concipiendum idonea, vnà cum cæteris indiciis, ad conceptus cognitionem aliquam facit. Eam esse scribunt, si præter integram corporis constitutionem & temperaturam (quam aliqui conuenientiorem esse putant, si mariti temperaturæ sit contraria, vt ex vtrisque media exurgat temperies) lumbos habeat latos, ventrem amplum, non nimis, circa pubem præsertim, obœsum. Verùm cùm & eas quæ secus se habent, concipere nihilominus videamus, cuiuscunq; temperaturæ, tàm corpulentas quàm macilentas, immò etiam minimę staturę pigmæas, nihil digni ex istis colligere licet. Rectiùs eam ad conceptum aptiorem esse censebimus, quæ ætatem legitimam à 14 ad 45 annum habet, quæque parentibus fœcundis nata est. Et si priùs quoque conceperit & peperit, magna est præsumptio, si de conceptu dubitemus, eam iam concepisse.

Commistionem cum masculo conceptũ pręcesſisse necesse est, quam indagare in nuptis superfluum, in aliis verò necessarium, à quibus cùm fateri nolunt, variis artibus id expiscandũ, inter quas & hæc erit, cùm magna est suspicio, si Medicus se ex vrina eam corruptam cognouisse asseueret, cùm vulgò putent Medicum quæuis ex vrina hariolari posse; vel etiam minis illud parentes, magistratus, &c. extorquebunt. Mulier quoque apud seipsam, illud aliis manifestare pudore fortè impediente, si depræhenderit, semen post concubitum retẽtum fuisse, nec denuò

profluxisse, magnum conceptionis factæ erit inditiũ: præsertim si tunc temporis vteri aliquam contractionem veluti suctionem, cum magna voluptate senserit: vti & eodem tempore & sui & mariti seminis effusionem & concursum esse factum.

Menses si subsistant, qui priùs ordinariè fluere solebant, primum & præcipuum conceptionis est indicium, quo mulieres se grauidas esse mox conjiciunt, & à primo mense post cõcubitum initio supputationis ducto, partus tempus solent colligere. Et si de conceptu dubiæ sint, Medicis quoque quòd & quando menses cessarint, liberè aperiunt, tàm illæ quæ licito, quàm quæ illicito concubitu, quem tamen fateri nolunt, alias suppressionis causas effingentes, vsæ sunt. Licèt autem etiam in grauidis mulieribus, aliqua interdum per vterũ fiat sanguinis euacuatio, si parca sit, nec mensium instar ordinem seruet, prædictionem conceptus, ea nõ facilè euertet. Quod si quoque mulier eo tempore quo concepit, infantem lactans, menstruis aliquandiu caruerit, vti quibusdam hoc peculiare est, licèt non statim, postmodùm tamen, si penitùs menses cessent, mulierem cõcepisse verisimile est, ob eamq; causam matres, hoc sentientes, infantes ablactare mox solent.

Venter si sensim increscat, nullis morbi alterius præsentibus accidentibus, præcipuũ est conceptionis indicium: Præsertim si tumor inde natus sub vmbilico magis emineat, durus sit & nonnihil collectus, nulla vt in ascite impressa retinens vestigia, neque vt in tympanite tensus: Dein & eandem magnitudinem, nisi quatenus sensim increscit, si seruet, nec vt in hydropicis asciticis, dum corpus erectum est, augeatur, dum recumbit minuatur: neque etiam corpore inclinato in latus, vt in ascite tumor eò subitò prouoluatur. Quæ quidem sic se habent, si non falsus sit, aut irritus, vti dicetur, conceptus, vel alius tumor, vt hydropicus grauidis mulieribus superuenerit, vti aliquando accidisse vidimus, tunc enim ventre vehementiùs intumescente, mulieres ex summa dispnœa in suffocationis versantur periculo, quo è medio aliquando tollũtur, nisi per abortum vel partum verum, si tempus hoc attingere possint, & fœtum & aquam profundentes, liberentur.

Mammarum incrementũ magnum quoque si cętera adsint, conceptionis est signum, cùm in morbosis tumoribus potiùs flaccescant: Indubitatum, si lac contineat, illudq; reddant, quod & iam gigni, antequam prodeat ex venis mammarum turgidis & liuescentibus, conjicere aliquo modo possumus. Quò & facit Papillarum augmentum, pruritus, & si circulus papillas ambiens, magis fuscus reddatur.

Fœtus in vtero cùm moueri incipit, quod medio vteri gestationis tempore, nunc citiùs nunc tardiùs fit, seipsum, & proin ex eo grauidam matrẽ prodit. Cuius motus non cum murmure aut torsione ventris, sed vno impetu vnam ventris sedem impellendo, & veluti intrinsecùs trudendo perficitur, & à matre deprehenditur.

Fastidium quorundam ciborum plerunque in iis quæ conceperunt, nunc citiùs primis mensibus, nunc tardiùs sequentibus sese offert. Et à vino aliquæ tunc quoque abhorrent atque abstinent; Vomitusque priùs illis non consuetus, aliquas similiter infestat. Aliæ verò etiam ea, quæ extra conceptum fastidiebant, summo desiderio appetunt, etsi quandoque cibi consueti minimè sint, vel etiam alia abominabilia; qui affectus in ipsis Pica dicitur, vt in Appetentia deprauata dictum fuit.

Accidentia alia quoque vtero gerentibus aliqua sunt peculiaria: vt Animi quædam defectio seu potiùs imbecillitas, quando diutiùs veluti conclusæ, in vno loco sedere aut moram trahere coguntur, vt in conuiuiis, templis, vnde cordis hanc, vti aiunt, angustiam sentientes, mox surgunt, aërique libero se exponunt, & vt liberiùs spirare possint, pectus aperiant, oportet. In aliis præsertim plethoricis vel cacochymicis, alia insuper accedunt, vt tumor pedum, varices venarum in cruribus, cæteraque in aliis affectibus hinc inde descripta, ab aliis quoque causis profecta.

Vrinarum iudicium quod attinet, cùm licèt incertum & fallax penitùs existat, nihilominùs

hilominùs tamẽ illi tantum vulgus tribuat, vt ex sola earum inspectione, certò aliquid Medicos pronuntiare posse existiment, quibus hoc nomine plurimùm negotij facessunt, quippe si nihil certi ex ea se cognoscere posse, fateãtur, pro indoctioribus habeantur, si aliquid pronuntient, facilè labantur, & risui, sicuti multis accidit, quibus falsæ vrinæ vel etiam pecorum suppositæ fuerunt, se exponant, Medici, cautos admodùm & sagaces se hìc præbere debent, ne inscitiæ per calumniam nota, vti dictum, illis inuratur. Proin dum eam intuentur, multa sciscitentur de variis conceptus indiciis, si quæ extorquere queant, oportet, nihilque temerè, sed circumspectè & dubiè respondendum. Imprimis si vrinã sanæ similem deprehenderit Medicus, & inde, ansâ de affectu aliquo inquirendi sumptâ, menstrua suppressa esse, quod sponte libenter fatentur, cognorit, nõ à morbis aliquibus, in quibus vrinæ plerunque crudæ vel aliter mutatæ apparent, sed potiùs ob conceptum id fieri colligere licebit, aliquoque sic indicio, ex vrinis hac ratione potiùs quod sanæ sunt, quàm ex aliis illius notis collecto, vterũ gestare mulierem deprehendet, liberiusque tunc de aliis quoque signis indagando, aliquod pronuntiare poterit. Nam quod alias cõceptionis in vrinis notas concernit, vt sunt contenta, instar floccorum vrinæ innatantia, vel potiùs, vti ego obseruaui aliquoties in modo nuptis, conceptione iam factâ, quòd vrinas veluti purulentas, aliquot diebus, citra renum & vesicæ vitia reddiderint, incerta cùm hæc sint penitùs, ex illis solis nihil solidi, sed omnibus simul collatis indiciis, tandem aliquid indicandum.

Experimẽta quod attinet, quibus an mulier grauida sit nec'ne, deprehendi posse existimant, sunt varia. E quibus magis vsitata sunt hæc; Mulsa cum aqua Cælesti exhibita mulieri dormituræ, si tormina ei excitet, grauidã esse docet Hippocrates; Ex Allio pessi instar muliebribus indito, si odor ad fauces pertingat, eundemq; exspiret mulier, idem in illa significare censent, cùm tamẽ meo iudicio contrarium potiùs, nimirum minimè grauidam esse, hoc argumento probari posset, quòd in grauidis vterus conclusus, exhalationi ab allio sursum per muliebria, viã præcludat, quæ in non grauidis cùm aperta sit, liberiùs sursum eam penetrare sinet. Prçterea si vrina vini albi permistione, fabarum iusculo similis euadat, conceptum quoque arguere scribunt.

An fœtus masculus vel fœmineus vtero gestetur, indiciis quoque aliquibus posse discerni, non solùm vulgus, sed & Medici quidam præstantissimi opinantur, verùm cùm hæc incerta & erronea magnâ ex parte esse deprehenderim, ea studio, ne errores fouere videar prætereo.

Ventris tumor ex Mola.

A' conceptu deprauato, si non fœtus, sed Mola appellata vteroq; genita retẽta eum in tumorem diuersimodè formatum attollat, vt in excretis dicetur, tandẽ rejicitur; quæ cùm indicia & accidentia pleraq; conceptus veri notis similia proferat, difficilè ab initio præsertim, conceptum hunc præternaturalem cognoscere, eumque à naturali distinguere. Primùm enim etiam bonæ constitutionis mulier ad conceptionem apta, & viro cohabitans, huic vitio, ex causa aliqua potest esse obnoxia, licèt rariùs hoc fiat. Magna interim molæ in vtero suspicio est, si mulier priùs quoque talem gestarit; maiorque, si sæpiùs illi acciderit, sicuti aliquas quotannis, aliàs singulis ferè mensibus, eiusmodi reiecisse obseruauimus, interim nihil grauius passas, beneque nihilominus habitas & vegetas.

Alioquin vt in vtero cõceptus, sic & in hoc mox menstruus fluxus desinit, venterque & mammæ simul successiuè ad aliquod tempus vsque incrementum sumunt, postea verò si subsistat mola, venter vel in eodem statu manens, non ampliùs sicut in fœtu vero, augetur, vel si augeatur, nõ in eo motus ille sentitur, quem fœtum gerentes, ab illo percipiunt, nec vt in his, est ita adstrictus sed pendulus, talisq; qui veluti pondus aliquod contineat quod cùm se mulier in latus vertit, eò prouoluitur: Ex quibus demum, conceptum nullum fuisse, vel falsum esse, suspicari solent.

Quod reliqua accidentia concernit, appetitus imminui vel deprauari, vt in legitimo

con-

conceptu, aliaq; illic enarrata accidentia superuenire solent, atque etiam, cùm hic conceptus sit præternaturalis, plura peioraque, inter quę frequentiora sunt, corporis reliqui præter ventrem extenuatio, eiusdemque discoloratio, vētris punctiones, appetitusq; prostratio diutiùs durans; ex quibus tamen reuera nihil certi de eo pronuntiare possumus, vti neque ex vrinarum intuitione, quibus etiam in hoc casu cognoscendo vulgus multum tribuit, Medicique sæpè vt peritiores esse videantur, ad ea conniuent. Adeò vt cōceptum falsum à verò exquisitè discernere, valdè sit arduum; donec vel per abortum factū, vti ferè fit, nunc primis, nunc sequentibus mensibus, vel per partum destinato tempore, ex reiecto præternaturali cognoscatur. Quem quoq; terminū pariendi prætergressa mulier, de vteri gestatione, ex supradictis indiciis certa, si non pariat, nec conatum aliquem illius sentiat, aliáve indicia, quæ fœtum mortuum retineri demonstrāt, nisi hoc nulla conceptione factâ, oriatur, vti iam explicabitur, certum est, non fœtum sed molam vel aliud simile vtero gestari, qualia diu postea eas retinuisse ventre turgente, mensibusq; suppressis, accedentibus quoq; aliis insuper malis, obseruauimus, multisq; pòst mensibus vel annis, cum periculo vitæ, ex larga profusione sanguinis, demum reiecisse, vel ad mortem vsque conseruasse,

Ventris extumescentia citra conceptū in fœminis ac si grauidæ essent.

Citra conceptum venter interdum intumescit augeturq; vti in grauidis, ita vt & mulieres ipsæ, atq; inter eas etiam aliquæ quæ priùs vterum quoque gestarunt & pepererunt, se grauidas esse putent; eadem de virginibus si hoc illis accidat, suspicio, tum ventris excrescentiæ causâ, tum quia menses ipsis substiterunt, tum quia nullo alio morbo illiusq; accidentibus grauioribus, quæ aliàs mensium suppressioni iuncta esse solēt, vti nec hydropis aliorúmve tumorum ventris symptomatibus, ab initio præsertim, infestantur. Ex quorum etiam signorum defectu, hanc ventris extuberantiam ab illis tumoribus ventris in morbis illis natam facilè distinguimus.

Ab illo verò tumore ventris, qui ex conceptu tàm legitimo quàm deprauato prodit, hunc internoscimus, si ætatem habilem ad conceptū annis fœmina superarit, vel nondum attigerit, licèt nisi iuuenes admodùm sint, aut ætate prouectiores, hoc quoque iudicium nos possit fallere, vti minimè, si virgo sit, quod tamen cognoscere, si consuetudinem cum viro occultare velit, arduum. Interea tamen quia illarum ventris tumor nō adeò collectus durus & æqualis, vt in grauidis & molam gestantibus existit, dein & quia mamillę illis non sic augentur, nec motum qualem fœtus edere solet, percipiunt, & signa plethoræ vel alioquin malæ constitutionis, in languore, pallore, compressiuo circa regionem ventriculi dolore, cordisque palpitatione, vrinarumque in peius mutatione, se proferunt: atque aliquando aliis insuper accidentibus superuenientibus, tumor ventris vlterius se extendens totum ferè attollit, murmuraque & rugitus edit, hisce indiciis non à conceptione fœtus, ventris hunc tumorem prouenisse, nec mulierem grauidam esse, aliquo modo possumus colligere.

Vti neque molam esse, grauiora hęc in hoc casu, quam in illa vitia suborta demonstrāt, sicuti & quādo tempore partui alioquin destinato præterito, de mola, vti dictum, vel de hoc casu suspicio est: Potissimumq; & indubitantèr, quando hæmorrhagia larga subsequente per vterum, citra carneam aliquam molam, quod aliàs citiùs ante legitimū pariendi tēpus, aliàs post illud demùm accidit, venter vel sensim vel subitò rursum subsidet. Quod cum largissima sanguinis si fiat effusione, vires exhauriendo, ægram summè debilitat, noxásve post se relinquit, vel eam penitùs conficit.

Particulares extuberantiæ sunt, quę certa duntaxat loca possident, tum in superficie hinc inde, tum in cauitatibus apertis, vt in oculis, ore, pudendis. Suntq; quam plurimę & diuersorum generum, & plerumque collecti Tumores; aliàs etiam latiùs diffusæ intumescentiæ. Et distinguuntur primùm: quod alię in locis citatis prodeuntes, illi persistunt, de quibus primò agemus: aliæ verò retrocedere ab illis possunt, quas postea tractabimus.

Qui persistunt permanentque in suis sedibus tumores, aut etiam diffusæ intumescentiæ, nec vti iam enarratæ retrocedere & abigi rursum possunt, variant primũ: quòd alij molliores sunt, alij duriores.

Molliores tumores qui tactui plus minúsve cedunt, prout magis minúsve tensi sunt, & pressi vel mox iterum attolluntur, vel etiam impressionis vestigium aliquandiu retinent, in Carnosos & Cutaneos præcipuè tumores diuiduntur.

Sarcoma vel Sarcitis. Carnosus tumor, quia carnem aliquo pacto de nouo veluti adnatam, cute obtectam venisque plenam refert, dicitur, vti & Sarcoma, Sarcitis, Hyposarcosis, Carnis excrescẽtia. Hic è corpore magis minúsve prominet, aliquando & propendet, tumoreq; nunc maiore, nunc minore, nunc rotundo, nunc longo, aliterque formato se profert, & pondere nonnunquam illi molestus est, actionesq; interdum simul impedit. Hic extrinsecùs vbiuis in corpore sponte nasci potest, cute vti reliquum corpus obductus, variis formis, è quibus capitis magnitudine rotundum globum exactè referentem, ceruici appensum & angustiore basi adnatum, pistorem quendam multis annis ad vitæ finem vsque gestasse vidimus. *Caro luxurians.* Ex vulneribus quoque vel vlceribus sanatis Caro sic luxuriás, vbi hæc fuerunt, prodire potest.

Sarcocele Carnösel Ger. In sacco testium seu scroto, eiusmodi carnosus tumor testi accrescens quoque prouenit, qui Sarcocele, cùm omnibus tumoribus in scroto genitis κήλη nomen attribuatur, appellatur, quem Germani à carne Carnösel vocant. Hic etsi in eo quod in scroto consistit, cum enterocele conueniat, tamen ab illâ facilè distinguitur, quòd compressione nõ cedat, nec ventrem rursum subeat, sed sensim excrescens, nec subitò vt in enterocele eò delabens, semper fixus testique adnatus permaneat, eumq; plus minúsve, aliquando & totum includat. Hic tumor in magnam molem quandoque excrescit, saccumq; testium adimplens & extendens dependet, pondereque admodum molestus est; non dolens alioquin & concolor.

Narium sarcoma. Intrinsecùs eiusmodi tumores carnei variis in locis formâ differentes se offerunt, membranâ obtecti. In naribus frequenter caro eiusmodi expullulat, & Sarcomatis nomen seruat: quæ si adaucta forâs è naribus vel intrò in faucium amplitudinem propendeat, Polypus vocatur, *Polypus.* cùm ad illius similitudinem, rotundus & oblongus sit, & angustiore basi venisq; per eam ductis, naribꝰ adhæreat, qui & vti narium interior tunica rubet, sed indolens est, quo vti & mollitie à cancro differt: Qui si in naribus gignatur, vti aliquoties fieri vidimus, durus est & pungens, in immensum sæpè excrescens, & in carcinoma desinens, cùm polypus præter turpitudinem quam adfert, nares obstruendo, respirationi & voci solùm incommodet, rariusque sponte non præcedente alia in naribus læsione, secùs ac cãcer nascatur. Hunc luna crescente augeri, decrescente verò minui putant.

Pudendi mulieris carnositas. In pudendo mulieris carnositas talis quãdoque nascitur; vidimusq; ex eminentiore illius sede, media quæ est inter labrũ vtrumque, processum Clithoridem dictum, adeò excreuisse, vt colli anserini longitudinem & crassitiem adæquaret, & farciminis instar carnei propenderet, sicque totius vitæ curriculo permansisse. Quod vt hermaphroditi aliquæ esse censeretur, cùm pro virili membro sumeretur, causam in multis fuisse existimo. *Condyloma.* Quæ præter eiusmodi carnositatem, excrescẽtia, tàm in pudendo mulieris quàm podice illius vti & viri, frequentiùs prodit, cum dolore aliisque accidentibus Condyloma dicitur, atque in doloribus fuit expositum.

Gingiuarum caro luxurians. In ore in buccis, caro quoque luxuriare potest, præsertim verò in gingiuis, quarum carnositas adeò sæpè augetur, vt dentes & præsertim molares magna ex parte obtegãtur, diciturque Dentium superincarnatio. *Dentium superincarnatio.* Aliàs verò certis in gingiuarum locis circa dentium radicem caruncula emergit, quæ priuatim Epulis dicitur. *Epulis.* Eiusmodi vna mihi in dentium sedis fine excreuit, mollis, rubra, pendula, crassa, sed radice tenui nitens, quæ per vices increscens & decrescens, sic in hodiernam diem vsque perseuerat, nullum impedimentum alioquin adferens.

Encan- In oculorum regione, Caruncula quæ in

[Vitium] in oculi angulo. angulo est oculi naturaliter posita, vlteriùs nonnunquam excrescit, atque instar tuberculi se exerit, quæ præter molestiam quam parit, etiam interdum prurit. Quod vitium Encanthis vti & ipsa caruncula dicitur.

Cutanei tumores non duri sic vocantur, quod cutem præcipuè occupent, eamque in tumorem mollem vel tensum attollant. Hi autem diuersis in corporis sedibus, vel peculiaribus solùm, vt in pedibus, in scroto vel collo occurrunt, eaque loca distendunt. Alij verò cuticulam possident; Alij venas & arterias in cutem deductas.

Oedema. Inter eos tumores qui diuersis in corporis sedibus accidere solent, præcipuè occurrit Oedema appellatum; quod nomen etsi tumorem quemuis denotet, tamen propriè huic accommodatur, qui collectus, mollis est, & tactui cedit, atque indolens & concolor vel albus existit, sæpeque admodùm magnus euadit. Hic frequentiùs circa genua vel humerum, aliquando & aliis in locis nascitur.

Pedum Oedematosus tumor, nõnunquã & brachiorum & manuum. Est & aliud Oedema diffusum, nec ita circumscriptum, sed expansum, quod Tumorem œdematosum vocant, aliquando vniuersum pedem à genu ad malleolos vsque in immensum tumorem attollens, & duplo vel etiam triplo crassiorem quàm esse debebat, reddens, in reliquis priori œdemati simile. Qualem tumorem citra alium affectum multos diu, alios per totam vitam gestasse, sæpiùs vidimus, diuersum ab eo qui in hydrope ascite vel leucophlegmatiâ, non solùm in pedib⁹ sed & ventre vel reliquo corpore, de quo iam illic dictum fuit, prodit, cùm ille in pedibus perseueret, nec vlteriùs feratur, firmiorque nec adeò mollis, nec cui tam facilè fouea imprimatur, existat: Eiusmodi crura Germ. Oelschenckel/i.e. crura oleaginosa, quòd quasi vncta videantur, vocant. Sed & simili ratione manus cum digitis, nonnunquam & brachia simul aliquousque intumuisse, tumidaque quàm diutissimè, aliàs etiam semper permansisse, sæpiùs obseruauimus. Quod & in aliis partibus hoc pacto accidere potest.

Oelschenckel Ger.

Phisodes tumor. Sunt & tumores aliqui ex illis qui diuersis in locis prodire possunt. In quibus cutis magis tensa est, minusq; pressioni cedit, Phisodes dicti à flatibus à quibus prodeunt. Vel si medium quid obtinent inter hos & œdemata, Oedemata flatulenta vocari possunt. Quo & Phlyctenæ flatulentæ referuntur.

Oedema flatulentum, Phlyctene flatulentæ.

Pedum intumescentia. In pedibus solis Tumores diffusi seu intumescentiæ aliquæ se offerunt. Quarum vna tumoris Oedematosi instar diffusa pedes occupat, mollior tamen eo, & hydropicorum pedum intumescentię nonnihil similis. Quę vel sponte à caussa interna procedit; vel in morbis aliquibus pedum, vt scabie peruersa, erysipelate œdematoso, simul se offert, & post eos quoque diu sæpè adhuc remanet. Aliàs verò ex aliis morbis conualescentibus ægris, post febres præsertim, demum superuenit, & maximè circa malleolum & pedem inferiorem, obiter saltem post incessum sub vesperam se manifestat, ægroque confirmato rursum à morbo euanescit.

Pedum intumescentia in nuda tibiarũ sede. Vidimus & in nuda tibiarum sede similem tumorem, secundùm ipsius longitudinem diffusum, nec vlteriùs pertingentem, certo tempore, præcedente priùs pruritu, leui calore & punctione, indolentem alioquin nec alio colore imbutum prodire, in quo nõ nisi per vim fouea impressa diu hærebat. Qui tumor vti subitò se obtulit, ita mox quoque euanuit; Per interualla tamen aliquot annis quendam molestauit.

Hydrocele. Scrotum tumores eiusmodi priuatim quoque occupare solent, præter eos qui in enterocele & sarcocele iam sunt expositi. Quorum vnus frequentior, quo scrotum admodum intumescit ponderosiusque fit, qualem in hydrope ascite scrotum quoque implere diximus, hîc sine eo se offerens. Qui cùm ab aqua scrotum replente quoq; vt in hydrope prodeat, & tumorem in scroto, cuius tumores omnes Κήλη vocari diximus, efficiat, Hydrocele appellatur, quem & Aquosum scroti tumorem seu illius Ascitem nominare possemus. Hic ab enterocele, quòd non cedat sed stabilis maneat; à sarcocele quòd non caro sed aqua illum efficiat, quod tactu facilè explorare, & adhibito lumine scrotum illuminetur, cernere licet, potissimùm distinguitur.

tur. Qui affectus vti adultis sic & infantibus sæpè accidit.

Pneumatocele. Est & alius tumor, per quem scrotum vesicæ alicuius instar inflatur & distenditur, adeò vt etiam translucere, præsertim lumine admoto videatur. Qui cùm à flatu oriatur, & vti de priore dictũ, tumorem in scroto faciat, Pneumatocele appellatur, quem & Ventosum scroti tumorem vel illius Tympanitem, cùm tympani instar tensus sit & pulset, vocare possumus.

Scroti inflatio. Præter hunc alia quoque scroti occurrit intumescentia, in colicis plerunque doloribus sæuissimis se offerens, qui deorsum in inguina protensi, faciunt, vt vtrumque scrotum aliquousq; infletur, vti & in conatibus magnis diu continuatis hoc aliquando accidit: quæ inflatio crebrò quidem remeat sed mox iterum euanescit. De qua in colicis doloribus quò & pertinet, egimus.

Inguinis aquosus tumor in mulieribus. In Inguine mulierum, aliquando Tumor quidam aquosus colligitur, qui cum hydrocele in viris, causæ potissimùm ratione aliquo pacto conuenit, atque vti hydrocele in scroto, sic hic tumor in inguine prominet.

Hydromphalos. Circa vmbilicum aquosus tumor, cute illic in tumorem eleuatâ, aliquando se offert, quem Hydromphalon vocant. Qui vt rariùs per se, ita potissimùm in hydrope ascite aliquoties euenit, vmbilico vesicæ instar aquâ pleno & distento.

Hydrocephalos. In capite aquosus quoque tumor in infantibus præcipuè exoritur, atque in ipsius summitate cutem illius crassam & pilosam admodum attollit, quem Hydrocephalon appellant.

Palpebrarum intumescentia. In palpebrarum externa sede intumescentia quædam, œdemati diffuso non absimilis quandoque exurgit, per quam palpebræ inflatæ & tumidæ apparent, nonnunquam & circumferentia quæ eas ambit simul; tum in oculorum morbis tum extra hos, quæ diu sępè permanet, aliàs mox remittit. Hanc Oedema oculorum aliqui vocarunt; quę rectius Palpebrarũ intumescentia dici posset.

Bronchocele. Gutturis hernia. Collum tumore eximio quoque interdum occupatur, in anteriore illius sede seu gutturæ, amplo spacio extuberante, qui tensus est admodùm, adeò vt cùm pulsatur sonum edat, & cùm premitur sicuti vter inflatus cedit, sed mox iterum attollitur, quibus à struma facilè secernitur, vti & eo quòd fixus est, nec uti illa mobilis. Hunc tumorem, quia in gutture nascitur, & asperæ arteriæ incumbit, ab illo vel hac, quibus ambobus bronchi nomen conuenit, & quia eandem cum cele seu herniâ causam habere putant, Bronchocelem seu Gutturis herniam vocát. Hæc autem præterquam quòd admodum deformat, vocem raucam efficit, & respirationis difficultatem, quæ aliquando adeò inualescit, vt de suffocatione sit metus.

Phlyctena. Cuticulam summam vesiculæ seu bullæ quædam lucidæ aquosæ aliquando possident, in diuersis corporis sedibus, maximè manibus & pedibus; Vti & aliquando in oculi globo, Phlyctenæ dictæ; quæ perse quidem insensiles sunt: tamen aliquæ ex illis disruptæ, maximè in locis tenerioribus sensibilibus, vel etiam integræ si acrem humorem contineant, dolorem mouent; De quibus in doloribus in Phlyctenis communibus & priuatis oculi egimus. Sunt & quàm plurimæ interdum & minimæ eiusmodi vesiculæ, Hydroa dictæ, in manibus aliisve in locis, scabiem præsagientes vel comitantes & inducentes, quas Germ. Syren vocant, pruritum admodum mouentes, quas proin continuè vnguibus vellere vel acu aperire solent, vt serosus humor exsudet; In oculi globo magnam quoq; vesicam ex succo fructus cucumeris asinini maturo disrupto casu exiliente in oculum, obortam lucidissimam & tenuissimam, sequenti die citra omnem offensam, rursum subsedisse atque euanuisse vidimus. *Oculi globi vesica.*

Mamillarum tumor seu extuberãtia ex lacte. Venas tumor occupat interdum eas quæ lac deferunt, in mamilla vna vel altera, qui eas vel omnino tumidas & distentes reddit, vel collectus alicubi & durus, partim mamillis insertus, partim exertus deprehenditur: cum dolore aliquo se aliàs offerens, aliàs & cum rubedine circumcirca, quæ in inflammationem aliquando, dolore inualescente, conuertitur.

Varix Krampfader. Sanguinem deferentes venas tumor etiam infestat, qui Varix, Cirsos, Germanis

Krampffader dicitur, per quem vena distenta & dilatata, secundùm ipsius ductum aliquousque tumet, & digiti amplitudine protuberat, liuet vel nigricat, atque conglomerata est, admodumque inæqualis, certis in locis tubera ceu nodos promens, interdum & tensione quadam, venæ apertionem minans, nonnunquam & pruritu molestiam adferens. In pedibus plerunque, nunc vno nunc pluribus in locis se ostentans, vbi paulò vel etiam procul sub varice, vlcus aliquãdo se offert, quod quia à varice fouetur, Vlcus varicosum appellatur, & in vlceribus descriptum fuit. Sed & sine hoc vlcere in pedibus varices prodeunt, quales, vti multis sic prægnantibus mulieribus consuetæ sunt, quę & sponte post partum rursum secedunt, aliàs etiam sine noxa remanent.

Varicosum vlcus.

In aliis locis varices quoque exoriuntur, vt in scroto; vel extrinsecùs, tuncque venæ quæ illud implicant, tument, intortę sunt & nigricant; Vel intrinsecùs, & tunc venæ internæ spermaticæ intumescunt & contorquentur, tactuq; tumidæ deprehenduntur, adeò vt iis qui hunc affectum non nouerunt, vel sarcocelem vel tertium testem esse, vnde eos Triorches vocant, suspicionem prębeat; cui tumori vti & reliquis in scroto κήλη nomen quoque imponentes, hunc Cirsocelen vocant. In pudendi mulieris alis varices etiam nasci prodit Aëtius, easque ad cirsocelen refert. In palpebris similiter euenire possunt, illisque in motu impedimentum aliquod adferre.

Cirsocele.

Fit quoque vt in tenera cute, in albo corpore venæ turgidulæ vel latiores redditæ, in conspectum si dent, coloreque potiùs quàm tumore deforment, citra aliud incõmodum. Quod in coxis frequenter nec non aliis in locis euenire potest.

Venulæ nudæ in cute.

Arteriis insidet tumor qui Aneurisma appellatur, dilatatâ admodum vel arteriâ, vel ipsius osculo, vt in caussis dicetur: Tumorq; est pulsum edens veluti arteria, sed magnũ & molestum; Hic cùm premitur ex parte refugit, sed mox iterum cum impetu erumpit, pugni interdum magnitudine, aliàs minor. In pedibus & manibus frequentiùs se offert, aliàs etiam circa iugulum & pectus, teste Fernelio. In interioribus corporis quando euenit, cùm alia producat symptomata, vt cordis palpitationem & pulsationem, quæ in cachexia sentitur, ibi tractatur.

Aneurisma.

Duri tumores qui tactui vix cedunt, sedibus præcipuè discernuntur: Quòd alij in glandulosis: alij in carnosis: alij in excarnibus: alij in cute potissimùm resideant, sicuti demonstrabitur.

In glandulosis sedibus, glandulæ sub cute latentes, indurescentes, tumore extrinsecùs in illis locis apparente, vel qui tactu, si nonnihil lateant, illic inueniri potest, se proferunt. Qui tumores & Glandularum nomen seruant, atque vti glandulæ, secus ac scirrhus in hanc illámve partem moueri possunt, sensimq; crescunt & plus minúsve augentur.

Glandulæ.

Tales autem in variis locis, cùm in diuersis glandulæ sitæ sint, erumpere solent. Quæ in maiorib. apparẽtiores sunt, prominentq; ampliùs, in aliis minùs. Et vel pluribus in locis simul vel certis duntaxat erumpunt.

In pluribus corporis sedibus Glandulæ eiusmodi adauctæ induratæque eodem ferè tempore simul se produnt. Vt in colli sub mento ambitu, vbi plures longa interdũ serie occurrunt, atq; Chirades seu Scrophulæ, quia scrophis seu porcis in hac sede frequenter quoque enascuntur, appellantur. Aliàs quoq; non solùm in hac colli sede, sed & post aures sub axillis in inguinibus, articulorum flexuris, nec infrequenter etiam in pectore, & mulierum mammis, alibiq; tumentes & duræ glandulæ, visui vel si sub cute nonnihil lateant, tactui se offerunt. Quas alibi etiam quàm in collo existentes glandulas, Scrophulas similiter, vti eas quæ in collo erumpũt, communiter vocãt, minùs fortè rectè, cùm scrophis si ab illis sic denominentur, in colli glandulis hoc vitium tantùm eueniat, nec quod sciam in aliis locis, atque aliæ pustulæ quæ in collo & carne porcorum inueniuntur, quas elephantiasim in illis denotare putant, & Finne/ vti illic ostensum est, vocant, non sint glandulæ induratæ sed pustulæ de nouo natæ; nisi fortè scrophulæ quòd plures simul nascantur, à multiplici partu por-

Scrophulæ Chirades, Escruelles Gall.

porcorum nomen sortitæ sint, hæ quoque quòd maiori numero prodeant, sic appellari possint: aut quia plerunque cùm tot vnâ erumpunt, in collo simul prodeunt, illicque magis apparent, ob eas totus ille affectus, quem Galli Les Escruelles vocât, Scrophularum nomen sortiatur. Malum nonnunquam hæreditarium & quibusdam regionibus familiare, in plures incidens. In quo glandulæ vel induratæ scirrhi instar manêt, tuncque Schirrhodes, vel exulceratæ in vlcus serpens abeunt, tuncque Nomodes, vel in carcinoma desinunt & Carcinodes nominantur, magnamque noxam & pernitiem corpori sæpè adferunt.

Struma. In certis quandoque tantùm locis glandulæ eiusmodi erumpũt, vt in colli sedi gutturi incumbẽte, vbi vna simplex vel ex duabus tribusq; nonnunquam vuæ instar complicata prominet, & in immensum sæpè excrescit, aliàs etiam pendula est aliquousque dependens, quas Strumas vocant, & Scrophularum nomẽ, cùm in collo fiant, illis imponunt. Vti & priores, scrophulas, strumas, vel si paruæ sint strumulas appellãt. Tamen cùm has strumas à prioribus scrophulis diuersas esse, quòd non tanto numero vt illæ emergant longeque maiores plerumque fiant, nec in porcis sic se habeant, deprehenderimus, eas ab illis distinguemus, vt has quidem Strumas, illas verò Scrophulas simus vocaturi. Quæ strumæ præter turpitudinem quam pariunt & impedimentum, si gutturi & iugulo profundè incumbant, raucedinem vel etiam dyspnœam aliquam efficiunt: Hæ quoq; certis regionibus, vbi plurimis accidunt, adeò consuetæ sunt, vt non indecoræ illic habeantur; Aliàs raræ nec ita frequentes. Ex illis vnam aliquãdo profundè latentem, nec conspicuam infantem suffocasse, non cognitâ causâ, donec per sectionem innotuisset, obseruauimus.

Sub axillis & in inguinibus glandulæ hoc pacto, vel solùm induratæ, vel etiam in tumorem simul eleuatæ, deprehenduntur, & Eubones priuatim appellantur, quod si in glandula post aures sita fiat, Parotis dicitur, atque vtraque Frigida vel indolens ad differentiam illius bubonis & parotidis, quæ cum calore & inflammatione oriuntur, de quibus in doloribus egimus: In illis enim concoloribus & indolentibus, nihil tale se offert, nisi quòd interdum quoque in abscessum desinunt, è quo tandem, vti de abscessu frigido in carnosis locis nato, modò ostendimus, non pus, sed alia materia, vti illic explicatum, progreditur. E' cuius generis parotide durâ in abscessum indeq; in vlcus desinente, etiam calculos aliquot prodiisse, ipsi vidimus.

Bubones indolentes. Parotis indolens.

Ad eiusmodi glandulas induratas etiam testes induratos referimus: qui interdum simul in magnum tumorem, adeoq; sæpè immensum, vt scrotum sacci repleti & distenti instar dependeat, excrescunt, augenturque, huncque affectum Scirrhum testium ob duritiem quâ scirrho similis, vocât: quem nos ad glandosos potiùs tumores referimus: vti & glandulas aliàs induratas scirrhodes appellari diximus.

Testis durities vel scirrhus.

In carnosis locis hinc inde in corpore occurrit durus tumor renitens, firmus adeò, vt loco moueri nequeat, circumscriptus, & plus minùsve amplus & è corpore prodiẽs, aut in eo profundiùs hærens, concolor & indolens, Scirrhus nominatus, qui nunc in fieri est, tuncque Incipiens dicitur, aliàs in facto, & Confirmatus appellatur. Hic inflammationes plerunq; sequitur, & post eas relinquitur: Aliàs per se incipit sensimque nascitur & augetur. Hunc in cancrum commutari posse aliqui putarunt. Verùm nos illos qui hoc asserunt, fortè quod cancrum incipientem vel nondum exulceratum pro scirrho, cui duritie & formâ nonnihil respondet acceperint, & cum exulceratur scirrho hoc accidisse putarint, sic deceptos fuisse, suspicamur.

Scirrhus.

In Ventris regione duros collectos tumores hinc inde per abdomen disseminatos aliquando obseruauimus adeò sæpè, si plures præsertim concurrant, ventrem attollentes, vt hydropicos, vel si mulieribus hoc contingat, grauidas esse, vulgus suspicetur: à qua intumescentia facilè huius tumoris ventris inæqualis durities eum discernit, tandemq; nihil horum esse, diuturna illius perseuerantia patefacit: cùm ad finem vitæ ventrem

Abdominis tumores scirrhosi vel glandulosi.

eiusmodi induratum aliquas gestasse, obseruauimus, etiam sine magno aliquo partiũ naturalium incommodo. Quos tumores ad scirrhos quoque, nisi glandulę etiam sint induratę illius loci, vel omenti, huc vsq; etiam prominentes, referimus.

Præter quos tumores, alij in abdomine quoque se patefaciunt, qui à subiectorum viscerum extuberantiis & tumoribus in sede hac, quæ illis cedere potest, diuersis illius in locis protuberantibus, prodeunt.

Hepatis & Lienis scirrhi vel durities, prominentiam in hypochondriis efficientia.

In hypochondrio nunc dextro nunc sinistro prominentia quædam potiùs quàm tumor collectus occurrit costarum spuriarum; in scirrho vel alio duro tumore hepatis & lienis, costam extrorsum propellente. In media verò cordis dicta sede nudâ, vbi costæ ab inuicem dehiscunt, etiam tumores enarrati, si in hepate sint, cùm illud à dextro latere eousque pertingat, se proferunt & prominent, vel saltem tangi possunt: Aliter enim eos explorare visu vel tactu minimè possumus, nec nisi ex aliis affectibus comitibus, in quorum descriptione horum quoque tumorum meminimus, eos cognoscere. Qui affectus sunt tensio & dolor grauis in hypochondriis, dolor cordis compressiuus dictus, icterus, cachexia, hydrops, cuius caussâ si venter vniuersus distentus sit, hæc rectè ampliùs distingui nequeunt.

Vteri durities vel scirrhus tumorē in ima ventris sede pariens.

In ventris ima sede sub vmbilico, tumor durus nonnunquam se quoque manifestat, ab vteri fundi duritie vel scirrho eousque se exerente prodiens: cuius & in vteri inflammatione, à qua facilè suboritur, mentionem fecimus.

Quæ in abdomine aliæ se offerunt extuberantiæ, dolorem adferentes, in doloribus expositæ fuerunt. Qualis illa est quæ in media supra vmbilicum inter costas nuda sede se offert, ex ventriculi inflatione nata. Aliæq; in aliis ventris sedibus, ex intestinorum distentionibus, inter quas admodum extuberat, in sinistro iuxta vmbilicum latera illa coli distentio, quæ circa anfractum magnum illius fit; Sicuti hæc in colicis & ventriculi doloribus simul inde natis, quò & pertinent, sunt exposita.

Alius quoque tumor in aliquibus corporis carnosis sedibus, vti scirrhus enasci interdum solet, non adeò tamen vt ille induratus, & qui inueteratus in Abscessum desinit, non illum qui dolorem parit, & inflammationes sequitur, sed qui indolens atque diuturnus & apertus, non pus sed aliam aliquam materiam profundit. Quæ si sæuum referat, abscessus ille Steatoma, si pultem, Atheroma, si mel Meliceris priuatim appellatur. Occurrunt insuper & alij, è quibus exit materia, alium humorem vt grumum, vel partem aliquam, vt glandulam, vnguem, os, pilum, vel etiam alia extra corpus posita, vt lutum, tophum, calculum, carbones, cortices fructuum, ligni ramenta repræsentans, quæ ideò magicis artibus eò deuenisse vulgus opinatur: qui abscessus nullis peculiaribus insigniti sunt nominibus. Hi autem abscessus ex tumoribus enarratis geniti, cuiuscunque generis, vti passim occurrere possunt, sic & sub lingua aliquando deprehensi fuerunt, tumorem illum quem Ranam vocant, nonnihil exprimentes, sed indolentem, è quo in abscessum conuerso, vti & alio qui cum inflammatione fit, de quo in oris partium dolore egimus, calculus aliquando prodiit. In capitis pilosa cute, frequentiùs eiusmodi tumores emergere solent, illi præsertim qui mollem aliquam profundunt materiam: sicuti in reliquis animantibus, cum vndique pilosa cute obtegantur, similes etiam aliis in locis generantur. Qui abscessus in capite geniti, ob diuersam formam, Testudinis vel Talpæ aliquando nomen sortiuntur.

Steatoma. Atheroma. Meliceris.

Rana sub lingua citra inflammationē.

Testudo & Talpa tumores in capite.

Ganglion.

In excarnibus locis in habitu corporis extrinsecùs tumores variis in locis inueniuntur, tum in articulorum sedibus, tum extra articulos, illic vbi ossa cute tantùm inuestita sunt, vel vngues è cute emergentes patent. In articulorum regionibus illic vbi tendinum, ligamentorum, neruorumque est concursus, circa genu & cubiti aliosque interdum articulos, tumor enascitur Ganglion dictus. Qui tumor sensim hisce partibus accrescens, & circumscriptus, nunc inæqualis, aliàs angustiore termino, aliàs latiore, vniuersum interdum articulum comprehendens, non adeò durus,

durus, sed tamen renitens est; nec planè sine sensu, sed qui fortiter pressus, molestiam aliquam pariat, nec adeò fixus quin aliquousque pelli possit, motum articuli liberum impediens, nonnunquam & adeò articulum sistens, vt membrum omnino vel aliquousque astrictum, munus suum illic vel planè non, vel non integrè possit perficere: Et si in genu hoc fiat, vbi frequentiùs nunc in illius lateribus, nunc poplite nunc vtrinque ganglion nascitur, totumque ferè aliquando articulum includit, tunc quò minùs æger stare aut rectè incedere possit, efficit, & vt pes adstrictus sursum, non possit in incessu terram vel nullo modo, vel saltem digitorum pedis eminentiis attingere, vnde vel ambulare sine Scipionis adminiculo nequeunt, vel saltem claudicare coguntur, in causa existit.

Nodi iuxta articulos podagricorum. Sunt & alij tumores articulorum loca possidentes, Nodi appellati; Qui digitorum internodiis in podagra & chiragra Nodosa ob id dicta, longo temporis spacio innascũtur. Quorum alij duri & tophacei, alij verò molles adhuc deprehenduntur, qui & aliquando vlteriùs feruntur, aliísve in locis prodeũt, sicuti in Arthritide hæc vberiùs exposita sunt, vti & quo pacto dolorem interdum adferant, motumque articuli sistant.

Nodi in ossibus callosi: Vberbein. In osseis sedibus tumores durissimi occurrunt, qui firmiter subiectis ossibus insistunt, nec ab illis loco moueri possunt, quasi nouum os priori accreuisset, vnde eos Nodos ac si internodiũ aliud accessisset, Germ. Vberbein, i. e. os supra os vocant, cùm duritie interdum ossibus non cedant. Quales circa frontem & tempora, tibiarumq; longitudinem, in nudis illis regionibus nascuntur: Aliàs etiam in Carpo & Pedio aliísve similibus in locis. Hi indolentes etsi sint, si tamen vicinas partes premant, molestiam & dolorem interdum pariũt; si articulos occupent, motui ipsorum obsunt. *Nodi in lue Venerea & Cephalea.* Suntque eiusmodi nodi aliàs per se incipientes; aliàs morbi alicuius comites: sicuti Luis venereæ, & Cephaleæ cuiusdam, in quibus affectibus cum ossium dicto dolore, nodi eiusmodi erumpunt, non multùm alioquin à prioribus dissimiles, de quibus in illis affectibus egimus.

Callus ossium. Ad eiusmodi nodos & Callus referri potest, si in ossium fracturis denuò conglutinatis genitus, in nudis illis sedibus, extra ossiũ superficiem extuberet & foris promineat, qui si ad articulos vsque se extendat, motui ipsorum simul incommodat.

Vnguiũ extuberantia callosa. In vnguibus extuberantia veluti callosa quædam etiam nonnunquam occurrit, per quam nõ solùm vngues crassescunt, eo modo sicuti in magnitudine adaucta dictũ fuit, sed & inæqualiter adeò sæpè extuberant, vt vngulas potiùs, sicuti in puella quadam accidisse vidi, quàm vngues referant.

In cute tumores duri quoque occurrunt, Cutanei ob id dicti, variis in locis. Quorum primum genus est, cutis tantùm crassior facta & indurata, Callusque & Tilloma appellatur; *Callus cutaneus.* amplum interdum, aliàs angustum spacium cõprehendens, & nunc leuiter saltem prominens & sparsus, aliàs amplius, eleuatus & circumscriptus, tenebricosiorq; reliquâ cute, cùm spissior sit, quâ de caussâ, & cutis eo in loco, vt partes contactum rerum minùs sentiant, efficit, cùm per se vti & cuticula ex qua componitur, sit indolens. Hic in vola manuum & plantarum pedum circumferentia, digitorumque internâ sede in manibus & pedibus frequentiùs occurrit.

Cicatrix. Est & alius callus instar cutis cuti impact?, quem cicatricem vocant quæ insensilis, reliquaq; cute albidior, solidiorque, sine poris & pilis, nunc exiguum aliàs amplius spacium comprehendens, è vera cute se interdum exerens, aliàs verò minimè, & solùm albæ maculæ instar conspicua, aliàs verò cuti profundiùs insidens. Cuiusmodi cicatrices in variis corporis locis cutaneis, ex vulnere vel vlcere sanato, relictæ inueniuntur.

Variolarum foueæ in facie relicta. Huc & refertur inæqualitas illa faciei, quæ foueis multis veluti alueolis in facie impressis, ob cicatrices altiùs immersas, nec dum cuti æquales, exsurgit, post Variolas relicta. Quæ cicatrices etsi minimè extuberent, & proin ad extuberantias non pertineant, vti & aliæ cuti æquales, tamen rectiùs hîc vnà cum cæteris describuntur.

Vmbilici fouea profunda. Sicuti & fouea illa Vmbilici, post occlusionem illius ab ortu relicta, si illa ob callum

quo

quo coaluit, nimis profundè latentem profunda nimis, existat.

Vmbilici eminentia. Vti & extuberantia nimia vmbilici, non illa quæ in omphacele vel hydrocele se offert, sed quam callus ille nimiùm excrescés, vt in causis dicetur, parit.

Verruca. Veriùs tumorem exprimit, tuberculum paruum Verruca vocata, quæ pisi vel ciceris instar è cute prominet & circumscribitur, dura insensilis & circa radicé, quâ cuti veluti pediculo innititur, angustior. Et si magis propendeat, Verruca pensilis vocatur, siue Acrochordon, fortè quòd tunc chordâ ligari posit potiùs quàm quòd, vti volunt, chordæ instar dependeat. Hanc si non sit concolor sed colore thymum referat, minorque & magis inæqualis, Thymium vocant. Erumpunt autem eiusmodi verrucæ in diuersis locis, frequentiùs tamen in manibus & pedibus, & plerunq; plures simul, inuicem distinctæ, nonnunquam & copulatæ. Quæ præterquam quòd turpes sint, eoque magis si in facie prodeant, vbi ciceris formâ adnatam verrucam Ciceroni nomen dedisse scribunt, molestiam etiam quandoq; & impedimentum adferunt.

Verruca pensilis Acrochordon.

Thymiũ verrucæ species.

Verruca sessilis. Minùs iam dictis, è cute se exerit Verruca sessilis appellata, cùm sit stabilis, nec vt alia mobilis, lupini formam exprimens, radiceq; latâ cuti firmiter inhærens, in reliquis vt prior se habens, nisi quòd cùm vehementiùs impellitur, punctionis molestum sensum insuper inferat. In hac quandoque pilus vnus vel alter infixus, in facie præsertim, apparent.

Clauus. Eiusdem generis etiam, & verrucæ sessili similis est in pedum plantis prodiens, Clauus dictus, tum quia claui capitis formam rotundam refert, tum quia dolorem, ac si clauo pungerentur, punctorium, cùm incessu premitur, adfert. Valde molestus proin, & qui incessui plurimùm incommodat. Hic quia in ambitus illius cutis concoloris medio seu centro fuscam aut nigram notam habet, pupillæ oculi instar, & ob id oculo paruo totus assimilatur, à Germanis Egerstenaug/quasi Picę oculus nominatur.

Vari, Ionthi. Præter hæc tubercula, sunt & alia caput potissimùm infestantia, quæ Vari seu Ionthi appellantur. Suntque pustulæ duræ nonnunquam & callosæ, aliàs humorem aliquem exsudantes, faciem occupantes; interdum & capillosam illius, vel barbatam in mento sedem, tuncque Psydracia nominantur.

Psydracia.

Interdum alia tubercula dura, priuatim in palpebris gignuntur, verrucarum instar, quorum vnum è palpebræ margine inter cilia prodit, quod Hordeolum vocant, Germani ad verrucam alludentes, Werren appellant, durum, figurâ hordei, vnde nomen, insensile, aliàs verò pruritu molestum, rubens. Alterum palpebræ superiori adnascitur, durum, quod Grando vocatur.

Hordeolum in palpebris Werren.

Grando in palpebris.

Qui cedit abitque rursumque remeat tumor, Κήλη vel Cele in genere vocatur, licèt hoc nomen aliis quoque tumoribus accommodetur, à causa verò, vti dicetur, Ruptura, Hernia, Ramex appellatur, & qui hoc affectu laborant, Rupti & Herniosi vocantur. Qualis tumor in inguine tàm mariũ quàm fœminarum quandoque prodit. Qui interdum, ab initio paruus est, mox altior & amplior fit, concolor, nunc mollis, nunc duritiem inæqualem obtinens, pressus retrocedit, moxque iterum redit, magisque conatu ex spiritus retentione propellitur: Hic Epiplocele cùm ab omento fiat, & Bubonocele cùm bubonem referat, aliis Bubo herniosus, vel Hernia inguinalis, quod illic appareat, dicitur.

Cele, Chili.

Hernia. Ramex. Ruptura.

Hernia inguinalis.

Epiplocele Bubonocele.

Enterocele. Aliàs verò Enterocele tumor hic, si ab intestinis prodeat, appellatur. In qua tamen specie frequentiùs tumor ille in inguine minimè subsistit, sed inde in scrotum seu saccum testium in masculis descendens, prout saccum ex parte vel totum implet, tumoré maiorem minorémve gignit, cute alioquin in colore nõ immutatâ, sed cùm rugosa aliàs sit, tunc tensâ existente. Hic tumor si prematur aut corpus resupinetur, euanescit, rursúmque his cessantibus, redit, citiusque si ex spiritus retentione conatus eum impellat.

In mulieribus quoque eiusmodi tumor Enterocele inguine aliquando suboritur, qui & interdum ex inguine, vti in viris in

in scrotum, sic hic deorsum sub cutem exporrectus, eam in immẽsum sæpè tumorem eleuat, & sicuti in viris, rursum remeat iterumque redit.

Hernia abdominis. Omphalocele.

In Ventris seu abdominis aliis sedibus, tumores hisce similes etiam prodeunt, maximeque in vmbilici regione, tuncque Omphalocele dicitur; In qua vmbilicus aliàs leuiter saltem, nucis instar, aliàs magis adhuc, pomi magnitudine se exerit, atque Vmbilici exitus eminentia & prominentia appellatur: aliquãdo verò ex ipsius sede tumor magnus emergit, & sacci alicuius instar propendet. Interdum & in ambitu vmbilici, eiusmodi tumores minores maiorésve erumpunt, qui κῆλαι, seu Herniæ generale nomen seruãt. Retrocedunt hi omnes quoque pressione & decubitu tumores, quod aliàs ægrè fit, sed iterum nisi caueatur, vt de prioribus dictum, remeant.

In enarratis tumoribus seu herniis dolor aliàs nullus, nec alia quàm ex tumore exsurgit molestia seu impedimentum, aliàs verò maximè circa initia, in inguine, præsertim cùm ab eo loco in scrotum descẽdit tumor, dolor lancinans & veluti lacerans, & punctorius plus minúsve diuexat. Constipatio alui hosce frequenter molestat, aluusque interdum penitùs supprimitur, si tumor permaneat nec abeat; quod quando protrahitur diutiùs, fæces alui euomunt; vti de hoc affectu quem Conuoluulum vocant, in Vomitionibus dictum fuit.

Ad tumores qui erumpunt rursumque refugiunt, referre possemus eos, qui in spasmo flatulento, in suris aliísve carnosis locis, cum dolore summo eminẽt, rursumq; mox subsident: de quibus in Conuulsione & dolore Habitus corporis egimus.

Causæ.

OMnium extuberantiarum, siue generaliorum intumescentiarum, siue tumorum particularium causæ proximæ dependent vel ab humoribus, vt semine, vel lacte, vel sanguine, aut sero; Vel à flatu, illisque nunc simplicibus vel aliis quoque humoribus permistis; Vel quorundam tumorum causa, à parte aliqua corporis loco mota proficiscitur, sicuti nunc in singulis hisce declarabitur.

Semen parentũ, causa Sarcomatum, Tuberculorũ, Strumarum, Scrophularũ, Verrucarũ, hæreditariorũ.

Semen sicuti deformationibus & discolorationibus quibusdam ab ortu procedentibus occasionem præbet (vti in deformationum causis demonstratum fuit) ita & tumores diuersi aliqui, ab eo originem trahunt & hæreditarij sunt. Veluti Sarcomata aliqua, nonnunquam & alia Tubercula mollia duráve, & inprimis ex glandulis induratis in collo natæ Strumæ seu Scrophulæ; vnde potiùs has à parentibus in liberos propagari certis in regionibus, quàm cibi vel potus alicuius peculiaris causâ euenire censendum est. Glandulas quoq; illas complures, per corpus disseminatas perniciosas in vlcera cancrosa desinentes, à parentum semine frequẽter proficisci, vel hoc demonstrat, quòd in certis regionibus, vbi hoc malum vrget, matrimonia nunquã ferè contrahantur, nisi priùs probè constet, neutram partem huic vitio obnoxiam fuisse. Sed & vti aliorum tuberculorum etiam minorum originalium, causa similiter à parẽtibus prodire potest, sic & Verrucarũ & similium tuberculorum, sicuti ciceris formâ, vnum in naso Ciceronem ab ortu gestasse, illiusque causâ nomen hoc illi inditum fuisse scribitur. Quæ extuberantiæ diuersæ originales à seminis parentum dispositione ad ea vitia, quibus illi fuerunt infecti, quoq; procedunt. Quemadmodum & deformationes à semine progressas, similiter illic ratione & modo fieri, antè vberiùs exposuimus.

Semẽ imperfectũ, causa Ventris tumoris in Mo...

A concepto in vtero semine, vti si perfectum est, fœtus ex eo generatur, & venter naturaliter in grauidis intumescit, sic si imperfectum existat, & ex eo mola vel aliud quid præter fœtum gignatur, illudq; augeatur, ventris tumor similiter, sed præternaturalis procedit. Qui defectus in semine cùm explicatu sit difficilis, tamen si caro ex eo, quæ nonnunquam vasis implicata est, atq; inuolucris tecta, aut aliud membranei quid generetur, ab imperfectione potiùs quadã seminis viri vel mulieris, quàm omnimoda vitiositate, vnde nihil generaretur, procedere necesse est, nisi vteri matris intemperatura, quò minùs absolutum quid gignatur,

ſimul impediat. Alioquin cùm & vena vmbilicalis vnà quoque naſcatur, fit vt & hæc informis maſſa augeatur, materque ad illius enutritionem ſanguinē retinens, eum menſtruatim non ampliùs ac ſi fœtum geſtaret, profundat, vberaque tandem ſanguinem allicientia, in lac interdum conuertant.

Aliis de cauſis molam gigni, à ſemine ſolo mulieris, vel à ſanguine menſtruo, aut eo quo vterus alitur, haud veriſimile, cùm citra commiſtionem ſeminum viri & mulieris nihil naſci queat; neque à ſanguine menſtruo, cùm licet alimoniam molæ vti & fœtui præbeat, nihil tamen in illis procreet; Atque ille quo vterus nutritur ſanguis ſeu ſuccus, ſi luxurians aliquid producit, ſarcoma potiùs, quod vtero innatū eſt, quàm molam ab eo liberam, & venis duntaxat adhærentem, procreabit, ſicuti in aliis locis eodem modo fieri, in ſarcomatis cauſis oſtendimus.

A flatu ſeu vento Molam non prodire, quam ventoſam ſeu flatulentam vocant, inde liquet, quòd ſi ille vtero incluſus hęreret, Inflationē potiùs illius, quam molam cum qua hæc nihil habet, quia tunc nihil noui procreatur, ſimile progigneret: Cæterùm nec ſic vterum inflari poſſe, in Vteri doloribus ab illius diſtentione progreſsis, demonſtrauimus.

Succus nutriens corporis partes, cauſa Extuberantiarū & Tumorū quorundam ſpecierum.

Succus nutriens ſingulis corporis partibus nutriendis idoneus, ex ſanguine qui illis diſtribuitur, & apponitur aſsimilaturque genitus, ſicuti ſi moderatus & laudatus eſt, partium ſubſtantiam alendo, eam in ſua mediocritate conſeruat, ita ſi quātitate vel qualitate peccet, pro horum ratione nunc generalem aliquam extumeſcentiam, nunc particulares tumores aliquos producit. Quod duplici nomine potiſsimùm molitur; Vel gignendo aliam veluti in partibus ſubſtātiam, vel eam ſaltem adaugendo.

Gignendo veluti nouam & ſuperfluam in partibus ſubſtantiam, quæ illis vel innaſcitur vel adnaſcitur vel adhæreſcit, tumores diuerſos ſuccus ille qui partes nutrit, producit. Idq; quia vel luxuriat ſeu redundat, & quātitate potiùs quàm qualitate peccat, tunc enim præterquam quòd partium ſubſtantiam, quarum eſt nutrimētum, conſeruat, ſuperfluam quoque ſimul in iis gignit, parti quam alit nonnihil ſimilem, & pro illius ratione nunc mollem nunc durā, vel etiam craſsiorem, tumoreſque ob id duriores, ſi craſsior quàm parti conueniebat, exiſtat; parti quam alis nonnihil ſimilem, & pro illius conſtitutione molliorem duriorémve; Vel etiam quia craſsior quàm parti nutriendæ conueniebat portio illius exiſtēs, duriores in illis tumores procreat. Quod qua ratione in diuerſis partibus quas nutrit, præſtet, in ſingulis nunc explicabitur.

In carnoſis partibus ſuccus nutriens ſeu nutrimētum, carneos tumores hinc inde in corpore foris intuſque prominentes, atque inter ſe differentes producit; Idque potiſsimùm vel ob copiam, quando exudat vel alioquin abundat, vel ob craſsitiem illius; ſicuti nunc patebit.

Succ⁹ nutriens è carne exſudans, cauſa ſarcomatū diuerſorum, vti & carnis luxuriātis, Polypi, Epulidis, Gingiuarū carnis luxuriantis, Encanthidū, Sarcoceles.

Exudans è carne ſuccus, ob cutis tunicarumq; quibus obuoluitur, quibusq; ſuccus coërcetur, & venarum ſuccū hunc deferentium oſcula obliterantur, defectum, accidit, vt ſi ſuccus carni accreſcat, nouamq; veluti carnem illi adhærentem, & ab ea protuberantem gignat, varia Sarcomata producantur. Veluti in vlceribus carne impletis, nec dū in cicatrice obductis, ſucco ex ea expullulante; Excreſcentia illa carnis, qualem in Vlcere excreſcente deſcripſimus, gignitur. Vel ſi tunica narium in illarum eroſionibus, vlceribus, aliiſve læſionibus ablata ſit, eodē modo Polypum, & ſi gingiuæ hoc pacto afficiantur, Epulidem producit. Intrinſecùs quoq; tunicis carnoſarum partium diuulſis, ſucco extra ipſas ſe diffundente, ſarcomata gigni poſſunt. Sicuti ex contuſione, per quā tantùm illæ diuelluntur, oſculaq; venarum nonnihil patefiunt, nec dum grauior lęſio fit aut ſuppuratio vel exulceratio ſequitur, ſenſim quandoque carnoſitates eiuſmodi excreſcunt relinquunturque. Atque ex contuſione vaſorum ſpermaticorū in ſcroto, ſucco è vaſis illis quoque luxuriante, Sarcocele interdum oritur.

Abundantia huius ſucci, ſi accedat enarratæ cauſſæ, eò citiùs huiuſmodi ſarcomata prodibunt. Cui vel plethora occaſionem dat,

dat, vel ſanguinis ad partem aliquam ſæpè repetita attractio, à variis cauſsis promota; Inter quas & impetus alij in partẽ aliquam citra læſionem facti, ſuccum hunc in partem allicientes, hoc poſſunt efficere. Quibus cũ & ſeſſione incõmoda vel equitando teſtes ipſisq; adnata vaſa ſæpè validéq; impelluntur, licèt nulla adhuc, vti dictũ, fiat alia læſio, ſanguine ob id cõtinuò eò attracto, ſarcocele interdum naſcitur; Vti & ſi ob immoderatã venerem, vaſis hiſce dilatatis ea ratione ſanguinis eò quoque fiat influxus; Quod vt in hac aliáve ſede fiat, partiũ diſpoſitio apta ad recipiendũ, cuiuſmodi & laxitas illius exiſtit, plurimũ adiuuat. Cuius cauſsâ & gingiuæ ſępè adeò excreſcũt, & caruncula in laxa oculi anguli carne augetur, præſertim ſi vis illa quam gingiuæ maſticando, oculus frictione multâ ob pruritum factâ patiuntur, inſuper accedát.

Succus nutriens craſsior, cauſa Scirrhi, Atheromatũ, & Steatomatum, Meliceridum.

Craſsior ſuccus, quàm carni nutriendæ conueniebat, Tumores duriores quàm ſarcomata exiſtunt, interdum progignit; eosq; ſimplices, vel ſi alius humor illi iungatur, cũ illo compoſitos, qualis eſt Scirrhus appellatus, à ſucco admodũ craſſo natus, duritiemq; hanc acquirens, & de die in diem magis indureſcens, firmusq; permanés: Vnde etiam plures illi ſcirrhi ſi modò non ſunt glandulæ ſcirrhoſæ, ab illorum cauſa genitæ, in abdomine prodeunt. Dein & tumor alius durus, qui non adeò confirmatus eſt, quin tandem in Abſceſſum deſinere poſsit, in quo diuerſa materia, pro ſucci huius qui tumorẽ hunc genuit diuerſitate, & miſtione cum aliis humoribus generatur, non tamen vti alij abſceſſus, à ſanguine geniti, ſuppuratur, aut in pus conuertitur, ſed (vti in abſceſſus deſcriptione oſtenſum) in ſolidam quandam ſubſtantiam carni innatam transſmuratur, vel in humorem quendam, propriâ incluſum veſiculâ maturatione abit.

Hæc autem ſucci huius nutrientis craſſa portio, tumores hoſce producẽs, ab illius incraſſatione, vel priùs in ſanguine, vel hoc ſucco facta procedere poteſt. Idque vti variis de cauſsis, ita & ab inflammatione ſcirrhus hoc pacto gigni, non ea ratione vti putatur, quòd ſanguis non diſcuſſus aut ſuppuratus ſic induretur, vel frigidorum nimiâ applicatione condẽſetur, cùm tunc potiùs putreſceret & corrumperetur, ſed quòd à calore vehementiore inflãmationis, ſanguine diſcuſſo, ſuccus partis illius quæ inflãmata erat, incraſſatus, induratusq; ſcirrhum procreet. Præter quã cauſam, quòd ſuccus ille craſsior quàm decebat, parti oblatus eiuſmodi tumores duros producat, fortè non minima illa erit, ſi nutrimenti alterius partis, quę craſſo admodum ſucco ali debuit, portio ab ea abſcedés, in carnoſas ſedes cum illarum nutrimento delata, talem duritiem in illis gignat. Quod & inde comprobari poteſt, quòd in eiuſmodi abſceſsibus ex illis tumoribus genitis, aliquid aliarum partium ſubſtantiæ ſimile inueniatur, nunc pilum, nunc vnguem, nunc os, nunc glandulam referens, quæ vix dum aliis, quàm ex ſucco haſce partes illic in cute vel carne vicina, nutriente, huc cum proprio carnis nutrimento delato, naſci potuiſſent; vti & ſi ſæuum referat, pinguiorem ſanguinis partem, quæ pinguedinem efficit, huc quoq; perueniſſe, ex eoq; ſic concreuiſſe, veriſimile videtur: Vel ſi pultem aut mel exprimat, ſuccum carneum, non in pus tale quale in calidis tumoribus per ſuppurationem naſcitur, ſed eiuſmodi humorẽ magis tenacem, maturatione vi caloris excoctum fuiſſe; qui ſi vlteriùs torreatur, ſuccusq; ille magis terreus fit, aliud quid vt carbones, vel calculos ſimiliaq; referet. Hæc ſi propriâ incluſa ſint membranâ, & illa quoq; à membranoſo ſucco, ſimiliter vti de cæteris partibus dictum, huc perueniente naſcetur. Quæ vti in tumore in abſceſſum degenerante ita fieri poſſunt; ſic & alterius craſsioris durioris partis ſuccus carni inſertus, Scirrhũ hoc pacto quoq; producere poterit. Qui ſi in cancrum, vti putarunt, deſineret, aliquid de veneno illo, è quo cancrum gigni docuimus, huic ſucco ſcirrhum gignenti, permiſtum eſſe oporteret. Quæ vti probabilia, potiùs in generatione horum durorum tumorum proponere maluimus, quàm pituitam aut melancholiam horum cauſſam, vti plerique ſtatuêre; cùm ſi ex eiuſmodi excrementis ſolis tale quid naſceretur, non tam ſtabile, ſed putredini & corruptioni obnoxium eſſet;

ſicuti etiam in aliis tumoribus, quos ab iiſdem humoribus proficiſci exiſtimarunt, oſtendimus.

Succus nutriens craßior, cauſa Duritiei & Scirrhi. Hepatis, Lienis & Vteri.

Verùm & interni tumores duri in parenchymate hepatis & lienis nati, vti & ſcirrhi, qui tumorem extrinſecùs in hypochondriis apparentem, vel tactui expoſitum proferũt, vti & qui circa vteri regionem à fundi vteri ſcirrho prodeunt, eodem modo, ſicuti de externis dictum, ab inflatione præcedente, vel conſimili ſucco craſſo, gigni poſſunt, quemadmodum quo pacto hoc fiat, in hydropis aſcitis, cachexiæ & icteri cauſſa, à tumoribus hiſce & ſcirrho procedente, expoſuimus, & in vteri inflammatione ſimiliter illius ſcirrhi meminimus, qui aliquando admodum quoque increſcit, & augetur, licet vterus alioquin exiguus ſit, qui tamen vti cùm fœtum continet, admodum excreſcit. Sic & hic in molem augeri poteſt.

Succus nutriens craßior, cauſa Parotidum & Bubonum indolentiũ & Strumarum Scrophularumq;

In Glandulis ſuccus eas nutriens, vel ſimplex, ob ſui copiam, vel craſsitiem, aut aliis etiam humoribus permiſtus, durities & tumores, inter quos aliqui etiã in abſceſſum, materiam aliquam in ſe continentem alienam, deſinunt, vel alioquin vlcerantur, procreat: Veluti Parotides & Bubones induratos, vel in tumorem frigidum dictum conuerſos & Strumas in collo, quæ frequentiùs induratæ manent, & Scrophulas illas in pluribus locis nunc in ſcirrhum, nunc vlcus peruerſum abire ſolitas, quas ſcrophulas vocamus.

Huius autem ſucci redundantiæ & craſſitiei cauſſa eadem, quæ & ſcirrhi & tumoris alterius duri eſſe poteſt, qui cùm hîc alioquin in glandulis ad earum nutritionẽ craſſior, quàm in aliis carnoſis locis eſſe debuerit, eò faciliùs vlteriùs incraſſatus, eas vel indurat aut ſaltem tumidas reddit, vel ſi aliunde quoque ab aliis partibus accerſatur, ſic in illis duritiem vel tumorem, in quo materia generatur, illis partibus nõnihil ſimilis, procreat, quæ materia ſi tunicâ quoque inuoluta & concluſa ſit, niſi hæc ipſa glandularum ſit tunica, ex ſimili quoque ſucco, vti illic dictum, naſcetur. Cui ſucco etiam pituitam aliosve humores permiſceri interdum, minimè negamus, ſed ſolam pituitam aut melancholiam has glandulas gignere, ſupradictis rationibus nixi, affirmare minimè poſſumus. Sed ſi à pituita defluente à capite, vel influxu ſanguinis infeſtentur, eas quidem intumeſcere, minimè tamen hoc pacto indurari: Et ſi illa ſucco huic permiſceatur, tumori, vt citiùs in abſceſſum vergat, occaſionem prębere, aſſerimus. Sed & ſi ſerum cum eiuſmodi craſsiore ſucco permiſceatur, dum ille condenſatur, & ſeri terreſtreitas exiccatur, calculos gignere poſſe, vti in podagricorum nodis idem fieri docuimus, ex calculis, quos in parotidibus nos inueniſſe diximus, colligere licet. Quòd ſi quoque alius humor prauus accedat, deteriores & quæ facilè exulcerantur, glandulę inde prodibunt. Quales illæ ferè ſunt ſcrophulæ, quæ pluribus in corporis locis ſimiliter erumpunt. In quibus, ſi humor exedens ſit, in vlcera nomodea, ſi aliàs malignus, cacoëtha, ſi verò veneni illius, quale cancrum gignere diximus, adſit portio, in cancroſa conuertentur. Quorum prauorum humorũ origo, in corpore ab eadem cauſſa, quæ & alia eiuſmodi peruerſa vlcera efficit, in illisque fuit expoſita, dependet. Cuiuſmodi eſt, quæ efficit, quòd ſtrumoſi in collo aliqui populi fiãt, quam inprimis aquæ niuium, ab Alpigenis bibi ſolitæ, adſcribunt. Quod tamen, cùm in aliquibus ſolùm locis, regionis illius, vbi hęc aqua in vſu eſt, accidat, vt in Valeſiæ noſtræ inferioribus tantùm ferè illius vallis partibus, non videtur veriſimile. Sed quòd & eiuſmodi colli ſtrumæ, & ſcrophulæ illæ plures ſimul corpora inuadentes, populares ſint in quibuſdam regionibus, illud potiùs diſpoſitioni cuidam, naturali iſtorum hominum ad eas ſuſcipiendum aptæ, attribuendum. Quæ quoniam hæreditaria, & à parentum ſemine continuâ generis ſucceſsione propagata, glandulisque innata eſt, quòd in certis locis hi affectus adeò vulgares ſint & regnent, efficit, quàm huius rei cauſſam ſtatuere, quàm aquam ante aliam, minùs mihi videtur à ratione alienum. Sicuti & in ſeminis cauſſa explicanda, quomodo fiat, demonſtratum fuit.

Succus membraneus ſe-

In excarni articulorum ſede ſuccus craſſus, tendines, neruos, membranas, ligamentaque.

des nutriẽs, causa Ganglij. taque illius loci nutriens, luxurians, tumorem durum eo in loco Ganglion dictum, gignit. Quando quoque ab iis partibus, alicubi ob laborem, vt de cuticula dictum, attritis vel attenuatis, exudans illisque se adglutinans, similem iis in duritie substantiam producit; idq; in hisce articulorum sedibus potissimùm, cùm hi per motũ nimium vel diuturnum, magis exerceantur, vnde & in poplite propter genu articulum, qui validissimos in motu impetus sustinet, frequentiùs ganglion enascitur. Quod & præter hasce caussas, ab aliis in locis illis factis læsionibus, vt vulneribus, dum sanantur, luxuriante harum partium succo prodire potest. A' pituita verò excremẽtitia vti statuunt, eiusmodi nerueam solidam stabilemq; substantiam minimè gigni, iisdem argumentis, quibus nec callos nec nodos cæteraque similia corpora ab ea nasci posse demonstrauimus, facilè comprobamus. Vti & bronchocelen, quam eiusdem generis cum ganglio esse, & à pituita quoque prodire aliqui existimarunt. Cùm tamen diuersi sit generis, aliisque de causis; vt in causa flatulenta demonstrauimus, oriatur.

Succus cuticulã nutriens, causa Callosæ cutis. In cuticula nutrimentum seu succus eam nutriens cùm luxuriat, duritiem illam callosam quam Callum vocant, procreat; Id si succus qui eam reficit, ad cuticulam plus iusto vergat, contingit. Quando nempe alicubi ob laborem continuò attrita, licèt non penitùs abradatur, nihilominus tamen semper aliquid de ea abscedit attenuaturq;, tunc enim succus nutriens, eò copiosiùs hac frictione allicitus, non solùm eam reparando, sed & sub ea nouam aliamque, si prioris attritio non desinat, rursum sub illa producendo, tandem hisce coalescentibus & induratis, callum illic vbi hoc accidit, gigni. Vt in manuum & pedum eâ sede, quæ tangendo & ambulando magis teritur, solet euenire.

Succus cutẽ nutriens, causa Cicatricis. In cute succus eam nutriens, diuisioni alicui ex solutione continui ex vulnere vel vlcere factæ, vt eam rursum conglutinet, se ingerens, spacium hoc implendo, callum loco veræ cutis gignit, Cicatricem dictam, à cute vera proin, vt indicatum, quod insensilis & solidior sit, nec porosa, nec pilis obsita, differentem. Quæ pro ratione solutæ continuitatis iam vnitæ, formam amplitudinẽmque seruat. Et si succus luxuriet, altior euadit, sin minus cuti similis manet. Quòd si vlcus cauum fuerit, illique nondum carne impleto, cicatrix innascatur, profunda & foueæ alicuius instar impressa manet, vel vno loco, si vnum vlcus, vel pluribus si plura, vt in variolis, fuerint.

Sicuti & in vmbilico accidit, vt si foramẽ illius quod in fœtu chordam transmittebat, postquam ille in lucem prodit, eâ ablatâ, in profundo coalescat, fouea profunda relinquatur; si verò altiùs hoc fiat, callus ille foramen cum cute quæ illi complicata est, opplens, vmbilicum ventris superficiei æqualem reddat, vel si callus vlteriùs excrescat, Vmbilici dictam eminentiam efficiat.

In cutis poros irruens succus, durioribus partibus alendis destinatus, similem in illis substantiam gignendo, Verrucas & Clauos producit. Qui succus ab eo qui cutem cuticulamque alit, prodire potest; nam vti in illorum substantia adhuc consistens, durities callosas & cicatrices gignit, sic in porum vnum pluresve portio illius irrepens, cuti adhærens radicibusq; adnascens, excrescénsque, portiunculam exiguam, portam adimplentem duram & callosam generat; quæ nunc extra porum effertur, in verruca pensili, aliàs in eo permanet, in verruca sessili, vti & clauo in pedibus, vbi ex incessu dum crescit pressus, ne vlteriùs euagetur, prohibetur, dolorque ex compressione cùm subiectam carnem cui infixus est, pungat, mouetur. Quòd autem succus ille in poros se ingerat, illorũ dilatatio & amplitudo in caussa esse potest, cùm alioquin angusti penitùs esse, & tantùm exhalationes vnde sudores fiunt, transmittere debeant. Quod vti à variis causis prodit, ita in pedibus cute loco vno validiùs pressâ, poroq; sic ampliato, clauus facilè gignitur, cui callosa cutis simul in eò loco ob eandem caussam, vti dictum, iungitur. In manibus quoque cùm plerunque se verrucæ offerant, ab externis iniuriis hoc prodire, credibile. Vti & in palpebris tubercula dura, quæ Hordeolum & Grandinem *Succus nutriens in cutis poros illapsus, causa Verrucarum & Clauorum.*

vocant, ab oculorum multa frictione principium sumere possunt. A' succo pilos alente, qui singulis poris infixi sunt, radicibusque suis albis nutrimentum ab eo accipiunt, tale quid quoque oriri potest, si crassior vel copiosior in porum infusus, loco pili durá hanc portiunculam, eo modo vti dictum, producat. Qui succus nonnunquam & pilum simul verrucæ huic infixum, vti in facie aliquando apparet, simul generat, vel prius in poro existentem ampliat. Ab humore vti aliqui voluerunt pituitoso, vel alio tale quid quod corporis partium substantiam aliquomodo referat, enasci, haud verisimile, multò minus tam exiguam, si præsertim solitaria sit verruca, vel clauus vnicus, aut saltem non plures, portiunculam, à defluxione humoris illius vel congestione, prodire posse. Nec si contagiosæ essent, quæ solo contactu alterius manum inficientes easdem procrearét, vti voluit Rondel. ab humore pituitoso eas gigni, comprobat, cùm & enarratus succus malignitatem aliquam adipisci possit, vt in maligna caussa mox demonstrabimus. Vti & si hæreditariæ sint, vel ab ortu processerint, à semine hoc (sicuti in illorum caussa demonstratum fuit) prodire potius, quàm alio humore præternaturali, patet.

Succ⁹ nutriens in pororcutis se insinuans, causa Vari.

Ab alio succo crassiore aliis partibus nutriendis assimilato, poris se insinuante, pustulæ duræ & nonnunquam callosæ, quos Ionthos seu Varos vocant, eadem ratione, sicuti de verrucis diximus, gignuntur. Qui in capite, potissimùm capillosa & barbata sede erumpunt, Psydraria vocata, inde nascuntur, quod illic cutis dura & crassa existens succo crassiore alatur, à cuius nutrimento ad poros redundans portio, eiusmodi tubercula producit; & si vlterius succus ille diffundatur, eadem in facie ob illius loci laxitatem efficit. Quæ pustulæ si ex solo hoc nutrimento nascantur, stabiles sunt. Quòd si verò excrementitius aliquis humor aut ichor simul illi permisceatur, tunc pustulæ ichorem profundunt, atque interdum suppuratæ in vlcuscula abeunt.

Succus ossa nutriẽs, causa Nodorum & Callorũ in illis.

In ossibus succus ea nutriens, Nodos in ipsis quoque gignit. Quod vt in carne à cute tunicis denudatâ accidit, ita hîc in ossibus ob periostium abrasum ab ipsis, aliqua in parte vel exesum, euenit, siquidem succus ossium expullulans, quem periostia quoq; cohibere intra ossa solent, forisque se illis affigens, iisque adnascens, Nodos illos veluti osseos progignit. Quod à violentia aliqua externa, vti in equorum pedibus, sic in hominibus nonnunquam aliàs ab alia caussa pernitiosa, vt lue Venereâ, sicuti illic demonstrabitur, prouenit. Fractis quoque & abruptis ossibus, ex ipsorum fracturis hoc succo luxuriante, Callus quia ea rursum iungit & conglutinat, natus, si vltra ossium amplitudinem excrescat, & nodi instar promineat, Tumorem hoc pacto quoque hic succus gignet.

Succus vngues nutriens redundans vel craßior, causa Vnguiũ extuberantiæ callosæ.

In vnguium radicibus succus illis nutrimentum affigẽs, si copiosior offeratur & apponatur, non solùm crassitiem eorum non decentem parit, sed & si admodũ luxuriet, vel crassior plus iusto sit, extuberantias inæquales producit, nonnunquam etiam spissos & duros vngularum reddit. Cuius succi redundantiæ caussa, inter reliqua etiam hæc esse potest, si eò per attritionem aliámve læsionem alliciatur, vt in crassitiei illorũ caussa, in magnitudinis auctæ causis demonstrauimus. Vel etiam succus ille, si admodum crassescat, aut ossium vicinorum succo permisceatur, vt ad osseam hanc duritiem & crassitiem redigantur, causat. Quòd si alio succo prauo misceatur, præter duritiem alia quoque, vt alibi declarabitur, illorum accedunt vitia.

Succus nutriens corpus crudus, causa Leucophlegmatiæ.

Augendo corporis substantiam, succus corpus nutriens, extumescentiam parit, si crudus seu imperfectè coctus, loco perfectè cocti & elaborati, vniuersum corpus diu alat, tumidum, molle & languidum reddens, Leucophlegmatiæ sic dictæ, quia succum hunc pituitam nominant, causa existit, illiusq; simplicis, si impermistus sit, vel alteri⁹ serosę appellatę, si serosus vel aqueus humor huic permisceatur, quam rectiùs Aquę inter cutem speciẽ statuere nos posse ostendimus, quàm priorem ex solo succo crudo genitã, quam tamen vt eò quoque referre possent, hunc succũ non saltem pituitam, sed aquam concretam aliqui appellare voluerunt.

Huius

Huius autem crudi ſucci generationis & coaceruationis, cauſſa non alia quam & cachexiæ, ab eodem ſucco genitæ exiſtit, ſicuti eam illic à ſanguine crudiore ſimilem ſuccum gignente, dependere oſtendimus, & quomodo vel alimenti aſſumpti cauſsâ generetur, vel ob viſcerum naturalium, vt ventriculi affectus in prima concoctione chylum imperfectum relinquentes, vel hepatis & lienis imbecillitatem, intemperiem aliósque morbos, vt obſtructionem & duritiem, quorum cauſsâ in ſecunda concoctione ſanguis non ſufficienter elaboratur, ſuccus ille in venis coaceruetur, corporisque habitum nutriens, ab initio cachexiam, quæ leucophlegmatiam ſolet præcedere, gignat, mox verò ſi diutiùs hoc agat, materiaque illius vberior ſuppetat, Leucophlegmatiam producat. In ſeroſo quoque humore, quâ ratione ab ijſdem ferè cauſis illius prouentus fiat, & crudo permiſtus, ſeroſam dictam leucophlegmatiam ſimul proferat, ſufficienter illic vt non opus ſit ea hoc loco repetere, deſcripſimus.

Succus nutriens crudus ſimpliciter vel ſimul ſeroſus, cauſa Oedematum & Tumorum œdematoſorum diuerſorū.

In peculiaribus ſedibus crudus ſuccus congeſtus, Oedemata vel Tumores œdematoſos dictos, latiùs diffuſos, parit, in quibus quoq; ſubſtantia partium quam occupant, aucta potius mollis & tumida, quam pituitâ excrementitiâ infarcta, quam illius cauſam ſtatuunt, eſſe apparet, & proin difficiliùs, quàm ſi pituitoſo humore ſcaterent, abſumi iterum & in integrum reſtitui poteſt. Sed & ſeroſus aqueusq; humor ſimul cum hoc ſucco illic coaceruatus, molliora magíſque aquea ſeu pituitoſiora, ſi ita ea appellare lubeat, quę nos ſeroſa vocauimus, gignit œdemata, idq; in cruribꝰ potiſsimùm, quæ & tunc vti dictum, hydropicorum cruribus nonnihil ſunt ſimilia.

Quorum œdematum ſeroſorum cauſas in ſeroſo humore expoſuimus. Illorum verò quæ ſolo crudo ſucco conſtant cauſſa, aliquando ob prouētum huius ſucci ab ijſdem cauſis in cachexia & leucophlegmatia, ab eadem cauſa genitis, dependere poteſt, ſi ob partis diſpoſitionem eò potiùs quàm aliò feratur, ibiq; recipiatur. Aliàs verò ſolius partis hæc mala conſtitutio, quâ ſanguinem allectum non ſibi perfectè aſsimilat, ſed crudiorem & imperfectiorem relinquit, cauſa eſſe poterit; Si vel frigidior vel imbecillior alióve modo laxior languidiorque fiat, quòd graues ea ſedes ſæpè morbos, externáſve iniurias, ſit perpeſſa.

Lac redundans cauſa Mamillarū extuberantiæ & tumoris.

Lac redundans in mamillarum ductibus, tumorem vel totam mammam diſtendentē, vel collectum in certo ipſius loco, vti dictum, parit. Cuius redundantiæ lactis cauſa, ſanguinis vnde lac oritur copia eſſe poteſt: Imprimis verò lactis iam geniti in mamillis retentio & collectio, idq; plerumque poſt partum, lactationis tempore, quo ſi mulieres vti multæ ſolent, infantem non lactēt, hoc illis interdum euenit: aliàs etiam licèt infans lac ſugat, quia tamen exſugere penitùs non poteſt, ob copiam, nouo ſemper lacte ſuccedente ſeque cumulante, idem ſolet accidere. Frequentiùs adhuc, cùm infantem ablactātes à lactatione ceſſant, hunc affectū, diebus aliquot poſtea ſentiunt. Vix autem ante partum, etſi mamillæ creſcant & lac generari incipiat, interdumque è papillis emanet, illius causâ tumorem patiuntur. Cæterùm non ſolùm lactis hanc extuberantiam, cauſam eſſe huius mamillarum intumeſcentiæ; ſed & illius concretionem, plerique docent, quod ſi eſſet, tumor inde collectus & durus, qui in illis interdum apparet, ea in ſede vbi concreſcit potiùs, quàm alia illius diſtentio oreretur, atque lacti hoc quia è proprijs vaſis excidit, accideret, & tunc, cùm lac coagulatum, vti & ſanguis concretus citra ſuppurationē vel corruptionem, diutiùs in parte nō poſsit perſeuerare, nec niſi ægrè diſcuti queat, hic tumor in abſceſſum facilè conuerteretur.

Sanguis venas implens & dilatans, cauſa Varicum.

Sanguis quâ ratione extra vaſa delatus, tumores calidos cum dolore pariat, in doloribus deſcriptum fuit. Verùm interdum & in vaſis adhuc perſiſtens, tumores creat, prout vel in venis aut arterijs conſiſtit. In venis ſi hoc accidat, tumentes extrinſecùs venas in Varicibus dictis gignit, quando eas adeò implet, & continuo impulſu dilatat, nonnunquam & ſimul certis in locis validiùs impellens, in cellulas vel ſacculos, ſicuti inteſtina craſſa habere obſeruamus, eleuat, vt

plus

solito è superficie intumescentes, nonnunquam velutinodis protuberantes emineāt, & ex dilatatione attenuatę & transparentes factæ, sanguinis colore tunc magis per eas conspicuo, ex rubro vel liuescere vel nigricare per cutem, & pro ratione ductus venarum, nunc rectè nunc obliquè, nunc curuè & contortim duci videantur, quòd si adeò dilatentur, vt vicinos comites neruos premant, aut materia in illis contēta aliter neruos quoq; afficiat, dolor quoque infertur. Quod citiùs illis in locis sanguis efficit, quò prolapsus in venas illius loci, ægriùs, propter situm partis decliuem, ab illis remeare potest, vt in cruribus, vnde frequentiores illic atque ampliores nascuntur varices; vti & ob eandem causam in scroti interioribus vasis, cirsocele aliquando nascitur rariùs tamen, cùm in alia potiùs quàm hæc loca angusta sanguinis, nisi magna, vti dicetur, adsit caussa, fiat in venas profusio. Dein & in alias cutaneas venas sanguis effusus, varices illic gignit, præsertim vbi maior venarum est congeries, veluti in inuolucris quibusdam, vt scroto, palpebris cæterisque similibus in locis. Cæterùm pro ratione sanguinis varices etiam variant, nam si temperatus & purus fuerit, mitiores gignet, qui distendendo tantùm molestiam exhibebunt: si verò vel feruidior vel magis fœculentus, vel alioquin alienâ materiâ bibliosâ aliáve malignâ permistus, impurus aut deterior extiterit, magis vrentes, vel alioquin grauiùs molestantes, deterioresque varices progignet, & simul interdum vlcus in humiliore horum varicum sede, vbi sanguis ille subsidet, vt in cruribus ferè fit, si acris & exedens illius sit materia, vlcus serpens vel alioquin cacoëthe excitabit. Quæ omnia à melancholico humore prodire, indeque omnes varices gigni pleriq; existimant, nigredine illorum moti, cùm tamen etiam sanguis purus, vti dictum, per cutem translucens, hunc colorem proferat, eò tamē magis alienum, si ille quoq; permutatus aut fœculentior sit.

Quod verò ille sanguis in venas illas adeò copiosè feratur, tum loci affecti caussâ accidit. Illius quidem, si ob copiam eò expurgetur; quod vt in plethora, sic in mulieribus gravidis, ob menstruum sanguinem, circa venas vteri retentum, & plus quàm ad fœtus enutritionem opus erat, cumulatum, frequenter accidit, vt in venas in pedibus (quas magnam cum vteri venis communionem habere, hoc demonstrat, quòd in pede sectæ, menstrum fluxum simul promoueant) delatus, varices qui vtero gerentibus familiares sunt, illic excitet, qui post partum, sanguine in partu per vterum se expurgare solente, rursum subsident, nisi venarum hæc dilatatio adeò impressa sit, vt rursum recolligi nequeant. Ob cacochymiā illius, nonnunquam etiam in extremitates corporis depulsus in venas, varices in illis producit, & interdum si admodum paruus sit, vlcera simul vti dictum est. Aliquando & cuiuscunque conditionis sit, in illas quoque impellitur, motu vehementiore & perseuerantiore illius partis in quam delabitur, in eaque varices excitat: vnde in pedibus, quia eundo, cursu, saltu validiùs impelluntur, frequentiores fiunt. Et venus immoderata sæpiusque continuata, quia sanguinem in vasa spermatica violentiùs impellit (quem ex nimio coitu loco seminis reddi obseruauimus) vasis sic dilatatis, Cirsoceles caussa existit. Partis affectæ caussâ varices in hoc illóve loco faciliùs fiunt, si debilior laxiórve & ad influxum recipiendum ea aptior sit, venæq; & plures vel patentiores in eadem occurrant, vel in loco decliui, vti priùs dictum, positæ sint.

Alius quoque tumor à sanguine, in venis circa vterum coaceruato, easque distendente, oboritur, qui extumescentiam illam ventris in mulieribus, quam citra conceptum, acsi grauidæ essent, in ipsis apparere, in generibus ostendimus, parit. Quam vteri intumescentiam à sanguinis copia & collectione illic proficisci, vel hoc satis demonstrat, quòd menstruus fluxus in illis diu substiterit, tumorque ille non post partum aliquem fœtus aut molæ, vel alterius humoris excretionem, sed hæmorrhagiam copiosam superuenientem, cesset & soluatur. Hunc autem sanguinem, non quòd se in vteri cauum insinuet, vterumque adimplendo dilatet, in tumorem sic eum attollere

Sanguis in Venis vteri, caussa Tumoris ventris ac si granida esset mulier, citra conceptū apparentis.

tollere inde patet, quòd cùm carnosus & neruosus sit, non ita ac si membraneus esset, ex repletione alicuius humoris, diduci, nec nisi vnà cum fœtu aut malo excrescendo, vti in conceptu ostendimus, augeri atque ampliari queat: & quòd si sanguine impleretur, ille tam longo tempore quin efflueret, retineri minimè posset, vel saltem eum concrescere & corrumpi interea necesse esset, quod tamen non fieri, cùm fluidus adhuc cùm prorumpit, existat, & licèt aliqui grumi cum eo prodeant, hi in mora portionis alicuius illius inter effluendum primùm nati sint, sufficienter comprobat. Quibus moti, hoc pacto potiùs vteri hanc intumescẽtiam gigni putamus. Quòd sanguis longo temporis spatio in vteri venis, quæ eum implicant, retentus & congestus, non solùm extrinsecùs in ambitu vteri, eas dilatet, atque vti de varicibus modò dictum, tumidas, fortè & varicosas reddet, sed in ipsa crassa vteri substantia venæ illi intextæ, quæ aliàs minimæ sunt & vix apparent, tunc impletæ sensimq; dilatatæ, vteri substantiam quoque nonnihil attollant amplioremq; efficiant, & sic illius hic tumor, & venarum illum ambientium dilatatio, intumescentiam illam ventris proferat: quæ & proin fluxu menstruo redeunte, postquam venæ illæ inanitæ sunt subsidentque, iterum euanescit, nisi alio affectu insuper accedente, veluti cachexia aut hydropis initio, à flatibus vel aqua venter ampliùs distentus, (sicuti hoc etiam illis quæ ex fœtu grauidæ sunt, accidere sæpè vidimus) tumor ille aliter se offerat, nec per hæmorrhagiã integrè soluatur.

Sanguis ex arteriis sub cutem effusus, causa Aneurismatis.

In arteriis sanguis, tumorem eum pulsantem, qui Aneurisma dicitur, gignit, quod eadem ratione ex arteriæ dilatatione, vti & venarum varices, fieri autumant: verùm hoc quidẽ in interioribus arteriis accidere, pulsationemque molestam eam quæ in cordis & arteriarum pulsatione sentitur, ab interno aneurismate sic prodire posse, in eo affectu demonstratum fuit. Sed cùm arteriarum rami ad cutem vsque minimè dispergantur, nec illi, vti cutanei venarum rami implantentur, hoc eodem modo sicuti in varicibus euenire vix poterit, nisi fortè arteria in loco alicubi cuti proximo adeò intumescat, vt foras hic tumor etiam pertingat, illicque pulsum edat. Quod si fit, ab eadem causa in cordis palpitatione descripta, à qua internum aneurisma prodire diximus, hoc quoque nascetur.

Cæterùm non ex sola hac illius dilatatione, clausâ & integrâ adhuc arteriâ manente, aneurisma oritur, sed frequentiùs, si non semper, si in exterioribus fiat, ab illius apertura manifesta aliqua procedit, tunc enim sanguis tenuis & spirituosus ex arteria erumpens sub cutem, eam in tumorem attollat, illicque sinum sibi format, in quem arteria eo ferè modo, sicuti naturaliter in sinus crassæ cerebri membranæ arteriæ se exonerare solet, hic præternaturaliter, sanguinem cum spiritu in illius diastole effundendo, & in systole rursum in sese rapiendo, pulsationem hanc in hoc tumore efficit.

Causa autem huius eruptionis sanguinis ex arteria, osculi illius reseratio plerunque existit, quando à caussis iam expositis dilatata, non solùm turget, sed & osculo illius simul ex distentione hac diducto & aperto, sanguini vt exilire possit, sub cute viam patefacit. Vel si alioquin ex impetu illo spirituosi sanguinis, arteria ab iisdem causis, quas eam dilatare diximus, osculaq; aperire, tantopere impellatur, vel alioquin ab externa aliqua vi adeò lædatur, vt in superficie corporis alicubi disrupta, sanguinem eo modo vti dictum, sub cutem profundat. Quod quidem hoc pacto, seu è rupta aut aliàs ex dilatatione nimiâ apertâ arteriâ, in externo, non autem interno aneurismate accidere, hæc demonstrant, quòd oscula arteriarum, quibus arteria finitur & clauditur, in extremitatibus corporis, vbi arteriæ desinunt, terminentur, & quòd, si intrinsecùs arteria læsa vel aperta, sanguinem profunderet, ille in cauitates corporis delaberetur, nec tumorem, qualis alioquin si solùm arteria dilatetur, in interioribus quoque gignitur, produceret. Dein & ex hac arteriosi sanguinis à causis dictis sub cutem effusione, nec sola illius dilatatione, aneurisma externum fieri, idque frequentiùs si non semper, id quoque comprobat, quòd rotundus ille tumor po-

tius, quàm arteriæ dilatatæ instar oblongus, & varicum modo contortus appareat. Imprimis verò ipsa sectio in cute solâ, tumore obductâ, factâ, sanguinem illic delituisse apertè conuincit, cùm mox ille tunc prosiliat, atque tantâ sæpè abundantiâ, vt sicuti obseruatum est, nullo pacto ampliùs in quodam sisti potuerit, sed largiùs & penè vniuerso sanguine exhausto, mortem subitaneam ægro attulerit, cui ex saltu arteriâ disruptâ, aneurisma hoc, quod pulsatio tale fuisse conuincebat, quodq; diu perseuerarat, & in immensum excreuerat, fuit exortum. Vidimus & mulieri cuidam, venâ sectâ, sanguinẽ cum pulsatione magnâ mensurâ fuisse effusum, qui vix sisti potuit, licèt varia adhibita fuerint. relicto postquam vlcus coaluit, tumore eiusmodi pulsante, quem aneurisma esse, facilè patebat. Natum id fuit vel idcirco, quia arteria casu secta fuit in excarni cubiti flexura, vbi tumor ille apparebat, sanguine illic sub cutem, postquam vulnus in eadem nõ autem in arteria coaluisset, fluxu delata, rursumq; refluxu refugiente: Vel quia arteriæ osculum priùs dilatatum erat, antequã sectio fieret, ideò cute incisâ fluxus illius in hanc sedem, eo vti dictum modo, tumorem illum peperit, postquam sectio iterum coaluit. Nec quòd, si sanguis arteriarum sub cutem effunderetur, illic statim concresceret corrumpereturque, aneurisma eo modo minimè fieri posse conuincit, licèt hoc si sanguis è venis in vacua spacia excidat, fiat; tamen cùm sanguis ex arteriâ in hoc casu admodũ dilatatâ & apertâ prosiliens, mox iterum in eandem (vti dictum) recidat, cutisq; illi extra eam loco sit arteriæ, citra concretionem, vti in ipsa arteria, sic & in hunc veluti illi affixum saccum, ferri ab eoq; rursum remeare potest. Quod, cùm in venis sanguinem effundẽtibus fieri nequeat, à venarum sanguine aneurisma non oriri, vt aliqui quoque docuerunt, satis comprobat, & ipsa pulsatio ab arteria hoc proficisci, luculenter demonstrat.

Serosus vel aquosus humor, intumescentias aliquas generales, & particulares tumores quosdam gignit, idque variis in locis; cùm in variis corporis partibus, vt venis vndique corpus intus forisq; perreptantibus, visceribusque, in quæ illæ distribuuntur, vnà cum sanguine, vel in aliis vasis à sanguine separatus, contineatur. E quibus sedibus; nunc simplex serum, nunc mistum aliis humoribus, erumpens, diuersorũ generum tumores producit; variantes maximè, prout vel in cauitates abdominis, scroti, inguinum, vel in habitus corporis superficiẽ, idq; vel in inferioribus solùm, aut totius, vel certis saltem corporis locis, illabitur; sicuti in singulis demonstrabitur.

Serum in abdominis cauitatem effusum, causa Hydropis ascitis.

In ventris seu abdominis cauitatem, aquæ instar frequenter serosus humor illapsus, hydropem ascitem gignit; Tuncq; pro quantitate aquæ illic collectæ, venter plus minúsve intumescit, atque aliquando adeò impletur, vt in vastam molem attollatur, in quo libras sexaginta & plures pendentem aquæ copiam adhuc remansisse, cùm multùm prius de ea per pedes effluxisset, paracentesi in viuis adhuc factâ, vel sectione in mortuis deprehendimus. Quæ aqua nõ solùm pondere suo grauat, sed & septum premendo, illique incumbendo, motumque illius liberum impediendo, dyspnœam eam parit, de qua tantopere conqueruntur, eaq; maximè quando decumbunt, angũtur, cùm aqua tunc versus septum ampliùs tendens, magis illud grauet, vnde liberiùs erecto corpore, aquâ tunc deorsum ab eo prolabente, spirant. Sed & eadem aqua, si madore suo interiora viscera, hepar, lienem, renes, ventriculum, intestina nimiùm humectando, debilitet; vel salsedine aut acrimoniâ, quam ex commistione aliorum humorum, vel putredine aut corruptione, pluribus mensibus sæpè retenta concipit, adeò vt nauseosum vel cadauerosum, aut alioquin fœtidum odorem spiret, illa potiùs exiccet, sicuti talia esse ferè deprehenduntur, atque mesenterium, omentum renumq; inuolucrũ, veluti arefacta contracta, adipemque instar glebarum illis adhærentem, in quodam inuenimus. Vel si easdem partes certis in locis aqua illa erodat, exulceret, vel etiam putredinem in illis inducat, aut corrumpat, contaminetq;, sicuti omentum plerunq; flauum, putre & fœtens in plerisque, præter quam

quòd

quòd retractum, vti diximus, fuerat, & mesenterium quoque quibusdam in locis eiusmodi fuisse, in anatome hydropicorum inuenimus; quod si accidat, vti & si alia viscera simili modo ab hac aqua lædantur, grauiora in partium naturalium functionum læsionibus, hydropicis tandem superuenire solita symptomata, vt appetitum deiectũ, sitim, cachexiam, atrophiam & diarrhœas aliaque producet.

Caussa verò huius influxus seri in capacitatem ventris, in partibus ventris inferioris serum continentibus consistit, vel visceribus parenchymate constantibus, sanguificationi destinatis, vt hepate, liene, renibus; vel in venis hęc viscera aliásve sedes in ventre perreptantibus, aut etiam vesicâ serum excipiente. E quibus serum, si continuitas ipsarum soluatur, vel citra eam, per diapedesin vel anastomosin illarum elabitur. Sicuti in singulis, quomodo id fiat, declarabitur.

Ex hepatis & lienis parenchymatis continuitatis solutione hoc semper accidere, nec aliam esse hydropis causam, Fernelius testatur. Quod nos, frequenter euenire, sectione cognouimus. Idque potissimùm ex fissa & dehiscente ipsorum substantia, vnde serum è vasis venæ portæ & cauæ, per eam penetrans, & sub tunicas exsudãs, illic coërcitum, eas à subiecta sede separãdo aquâ implet, atque in vesicas eleuat, quibus disruptis serum in abdomen promanat. Cuiusmodi vesicas plures sæpè, easque interdum amplas limpidasque, hepati lienique adnatas, in hydrope extinctis hominibus vti & simiâ inuęnimus, laniique & qui pecora mactant, has quoque frequenter ostendunt. Verùm & tunicis tandem exesis, serum ex hisce visceribus rectà in abdomen exstillat. Fissurarum autẽ eiusmodi in hepate & liene caussa non minima est, parenchymatis tanta siccitas & ariditas, vt non solùm decrescat & imminuatur, sed & tandem rimis dehiscens findatur. Cuius caussam intemperiem potiùs calidam quàm frigidam fuisse, non solùm sitis summa hydropicorum, & vrinarum rubedo, aliaque caloris potiùs quàm frigoris indicia demonstrant, sed & quòd illis hoc potissimùm eueniat, qui lautiùs viuendo calidissimis aromatibus cibos condiunt, vel vina generosissima & meraca bibunt, & in eiusmodi vivendi ratione perseuerantes, quidam iuuenes adhuc, quidam adultiores, maximè verò senes, quo tempore hæc viscera alioquin ætate sicciora euadunt, in hydropem incidunt, & se ab aqua infestari, quam tamen non biberint, iocülariter conqueruntur. Quam potissimùm causam, quòd nostris in regionibus hydrops adeò grassetur, esse, iam diu obseruauimus, atque in ebriosis hydropis imminentis, perpetuam sitim quâ ob intemperiem calidam hisce visceribus impressam, diu ante premuntur, quæ illos ad continuam potationem impellit, certissimum prænuncium esse, nisi alius morbus præueniens, eos è medio priùs tollat, deprehendimus.

A medicamentorum calidissimorũ quoque nimio & frequenti vsu, quibus ventriculum, atque vterum mulieres, calefacere student, vel in aliis frigidis morbis immoderatiùs ægri vtuntur, hoc euenire, visceraque adeò calefieri exsiccarique possunt.

A morbis quibusdam calidis acutis vel diuturnis, vt febribus, ictero similibusque, hæc viscera simili modo exsiccari findique possunt, ideoque hydrops caloris signa potiùs quàm frigoris proferens, hosce affectus subsequitur.

A tumore duro, qualis est durities horũ viscerum, quâ ipsorum substantia vel tota interdum, vel maior illius pars, vel aliqua saltem, induratur, vel tumor in ea collectus durus, in caua simáve hepatis vel lienis sede generatur, scirrhus dictus, vel alius durus tumor, qui in abscessum abire solet, eiusmodi fissuræ in illis, vel aliæ aperturæ, per quas serum in abdomen exstillat, frequenter prodeunt, cùm ex duritie hac, tunica horum viscerum facilè crepet & findatur: & si tumor durus in abscessum conuertatur, indeque in vlcus, viam hac ratione illi patefaciat, vt in vlcere dicetur. Quæ & caussa est, quare durities illa vel scirrhus, vel tumor durus in abscessum desinens, hepatis vel lienis, hydropem inducat, cùm si citra hanc fissuram aut diuisionem apertam, durities illa vel scirrhus aut tumor se offerant, obstruendo

& arctando solùm, icterum, vel cachexiam aut atrophiam, potiùs pariant, nec dum hydropem, donec tandem hæc læsio viscerum inde procedat, tuncque hydrops priores affectus sequitur, vel si statim hoc fiat, mox comitatur. Vnde & aliæ horum viscerum obstructiones, cùm substantiam ipsorum extrinsecùs minimè diuidant, hydropis ascitis si solæ sint, caussæ minimè fiunt, vti verò enarratorum tantùm affectuum, hydropisq; interdum anasarcæ dictæ, quemadmodum in singulis hisce fuit expositum.

Huius autem duritiei, sicut & scirrhi caussa, eadem horum viscerum siccitas, quæ ea findit, esse potest, si adeò in ea agat, vt ad indurationem vsq; torreat; à cibo potúve, medicamentis vel morbis calidis etiam dependens. Vel quæ causa existit, tumorum horum, vt scirrhi & tumoris duri in abscessum desinentis, extrinsecùs in corporis carnosis sedibus oboriri solitorum, illorum quoque qui in visceribus hisce prodeunt, caussa esse potest. Veluti est succus quo hæc viscera aluntur, crassior quàm par erat redditus, quod illi ob chylum & sanguinem ex quibus generatur, vel permistionem crassioris alterius partis succi accidit, vt similem substantiam reponendo, tumores hosce in visceribus gignat, quorũ ille qui in abscessum vergit, ob easdem caussas, vti in externo, materiam variam, quæ in illis aliquando inuenitur, continere potest. Neque enim ex pituita vel bile aut alio humore, viscerũ substantia sic indurari, sed vasa ipsorum solùm, vti in obstructionibus ostẽsum, obstrui possunt. Sed & inflãmatio in hisce visceribus, si scirrhum gignit, succum ea nutrientem incrassando potiùs quàm alio modo, vti in scirrho externo ostendimus, ea indurat vel scirrhũ in illis producit.

Aliter quoque læsâ & apertâ horum viscerum substantiâ, circa superficiem, serum in abdomen transferri potest. Sicuti in hydropica quadã puella, hepar vna parte malè affectum, tumore fungoso illi adnato, in quo concretum quid inerat, vidimus, è quo serosus humor exstillare potuit. Potissimùm verò hepate & liene vlceratis, adeò vt ad superficiem ipsorum vsque vlcus penetret, serum vti & in cæteris vlceribus quæ semper madent, exsudans, hydropem etiam accersit. Qualia vlcera post inflammationes suppuratas, vel tumores supradictos in abscessus desinentes, oborta relictaque diu sæpè, purulentas deiectiones mouentia, tandẽ hydropem efficiunt. Aliæ verò læsiones, alias & præsertim contusiones ab externis iniuriis factas sequuntur; Sicuti duos ab equo deiectos, & in latus dextrum lapsos, prægressis aliquando hepatis læsi symptomatibus quibusdam, tandem hydrope correptos eoque extinctos fuisse, nouimus. A' vulnere extrinsecùs ad viscera hæc vsque adacto, nisi mors præueniat, vlcus relictum idem potest efficere. Sed & corruptio ac putredo horum viscerum vel ex parte vel omnimoda, qualẽ in hydropicis sæpissimè vidimus, caussa hydropis non infrequens existit, quæ tumores vel erosiones & vlcerationes, aut alias læsiones horum viscerum, à causis, vti iam expositum, sequitur. Verùm & ab aqua iam priùs in hydropicis in abdomine collectâ putrescente, si horum viscerum tunica erodatur, vel vlteriùs ipsorum substantia lædatur, sero tunc inde quoque transsudante, aquæ illius copia in ventre augebitur. Obseruauimus quinetiam ab eadem aqua, & hepatis & lienis tunicis, vti & peritonæo eo in loco vbi illa huic adiacent, exesis, ita concreuisse, vt nec hepar nec lien à regione illa septi cui adnata erant, citra dilacerationem tunicarum auelli potuerint, vnde fortè quoque serum in cauitatem exsudare potuit.

In renum corpore, cùm & illud, vti iam dicta viscera, parenchymate constet, si illius continuitas eo modo, sicuti de cæteris dictum, soluatur, hoc idem fieri posse, hydropemque ascitem inde prodire, & rationibus atque experientiâ moti, asserimus. Cùm enim ad eos serum non solùm per emulgentes venas continuò cum sanguine deferatur, sed & ibi ab illis secretum, cõtinuò coaceruetur, si substantia renum ad eas sedes vsque vel diuisa aut aperta sit, serum ex iis æquè atq; è cæteris visceribus vel exudans, & vesicas priùs excitans, vel statim penetrãs, copiosiùs ac citiùs quàm ab aliis visceribus

ribus in abdomen profluet, hydropemque ascitem, qui diu perseuerare potest, cùm renum læsiones, præsertim si vnus tantùm afficiatur, non subitò hominem perimant, sed diuturnum morbum procreent, vnoque penitùs cōsumpto, vti alibi dictum, alter queat diu adhuc sufficere, procreabit. In quo casu, præter cætera accidentia, ab aquæ hac collectione in abdomine, vti dictum, prouenientia, in vrinis interdum aliquid purulenti, si vlcus adsit, deprehenditur, mictioque adhuc longè quàm in cæteris parcior, & sæpè paucissima, si vterque præsertim ren simul affectus sit, cùm vrinę non minima portio in abdomen continuò deferatur, nec vti decebat, ad vesicam perueniat. Harum autem læsionum caussæ in renibus, eædem quæ & cæterorum viscerum esse possunt: vt nimia illorum ariditas, sicuti hanc renibus quoque accidere, siccitatemque illorum, calculi simul causam fieri, in eo describendo ostendimus, quam non solùm ætas, morbi calidi, sed & vrina calidissima ex ciborum calidorum & vini inprimis potentissimi, vti priùs ostensum, vsu accensa, renibus tandem infert.

Dein & vlcera renibus admodùm, ob caussas in exulcerationibus enarratas, peculiaria, si non solùm interiores ipsorum sedes occupent, sed & ad exteriora vergentia, substantiam ipsorum, nunc vno, nunc pluribus vlcusculis perforent, caussam hydropi, renum vitio nato, præbere possunt. Vti & renum omnimoda qualem sæpè vidimus corruptio, remanente tantùm illius inuolucro veluti marsupio: Postremò & aliæ renum ab externa vi læsiones eiusmodi, vt contusiones vel vulnera idem possunt efficere.

Cæterùm nō solùm hisce rationibus moti hæc sic fieri posse statuimus, sed & tantò certiùs hoc affirmare possumus, quòd eiusmodi casus nobis cùm multis aliis spectandus fuerit oblatus. Cùm enim nobilissimus quidam vir, hydrope ascite septem mensium spacio conflictatus, post mortem aperiretur, visceraque omnia ventris inferioris quàm diligentissimè fuissent inspecta, nec aliud vitium in illis, quàm quod aqua in abdômine tamdiu retenta corruptaq; & viroso odore prædita, peritonæo & potissimū mesenterio & omento pepererat, deprehenderetur, vterque ren multis vlceribus fistulosis perforatus, adeò amplis, vt digitum singula facilè reciperent, inuentus fuit, adnatis insuper hinc inde renum corpori vesiculis aquâ plenis, quæ ex illis scissis profluebat, erosâ simul vndique renum exteriore tunicâ. Quam renum exulcerationem ab immoderato potu profectam, ex eo collegimus, quòd nobilis ille ab adolescentia ad annum senectutis septuagesimum & vltra, vinum generosissimum consuetim & copiosè biberit, & in conuiuiis, bibendo nulli cedens, vrinam nihilominus continere ad multas horas potuerit: Quò præterea multùm contulisse, hydropemque ex parte causasse iudicauimus, quòd in eo splendidè & magnificè, vt erat opulentus, viuente, iugi ciborum aromatibus conditorum vsu, vti reliqua viscera accendi & siccari ostendimus, ita & renes, ac præsertim ob retentionem hanc vrinæ diuturnam, potissimùm erosi vlceratiq; fuerint.

E venis ventris inferioris, & potissimùm venæ portæ propaginibus, ab intestinis & ventriculo per mesenterij & omenti membranas deductis, atque in duos truncos collectis, dextroque hepati, sinistroque lieni insertis, per diapedesin, tunicis ipsarum rarefactis, aut anastomosin, osculis illarum, & præsertim venarum à truncis illis maioribus, in omentum & mesenterium dispersis, illicque finientibus, reseratis, si serum copiosiùs, quàm alioquin ad partium humectationem ne arescant, naturaliter etiam exudat, emanet & in ventre congeratur, hydrops ascites quoque potest produci. Hoc autem eo modo fieri, serumque per poros cæcos vel oscula, citra solutionem continuitatis è iam dictis venis, promanare posse, idque citra cruoris permistionem, aut seri à sanguine tincturam, comprobant, quòd sicuti in aliis quoque sedibus è venis, hoc pacto, tum in corpore variis à sero obortis defluxionibus, tum extra illud per sudores, lachrymas aliásve è corpore per nares, vterum, aliásve sedes factas fluxiones, subitò interdum magnaque copiâ erumpit: ita &

ex venis meseraicis non solùm naturaliter semper aliquid in abdomen transsudare, sicuti semper in eo mador eiusmodi deprehenditur, sed & præternaturaliter maiori copiâ abdomen implere posit, eoque faciliùs, quàm in aliis locis, cùm in illis venis serum à poculentis & esculentis progressum, & cum chylo continuò attractum maximè redundet. Et sicuti in diarrhœis spontaneis, vel catarcticorum vsu concitatis, illud per oscula earundem venarum, per quæ eas subierat, rursum incrementum effluit, ita & per interiora oscula, quibus rami ipsarum in partes dispersi, circa finem occluduntur, patefacta, nullo cruore tinctum, in spacium abdominis influere potest.

Eadem ratione & serum à sanguine in renibus secretum, in vesicam delabitur. E' quibus omnibus, vti ob enarratam causam etiam hydropem ascitem fieri posse, quod aliquibus videtur imposibile, colligimus: Ita in hydropicorum quorundam sectione, cùm nullam manifestam in visceribus continui solutionem, sed magnam in venis vti & ventre seri redundantiam deprehenderemus, inde illud eo quo diximus modo in abdomen perueniße, conjicientes, liberiùs rem ita habere se affirmare ausi fuimus, eóque magis, cùm & in hydrocele, ab eadem caussa plerunque in abdomen, indeque in scrotum, vti ostendimus, idem serum destillet.

Huius autem anastomosis & diapedesis in venis meseraicis caussa est, seri plerunque in hisce venis nimia redundantia, quæ eas distendendo aperit, vel tenuitas & aquositas, quâ eas facilè penetrat. Tunc enim in venis meseraicis accumulatum, nisi per easdem vias, per quas has subiit ad intestina denuò remeans, per alui fluxiones, vti ferè fit, euacuetur, ex vasis hisce, vti dictum, interdum erumpens, in abdomen fertur. Cuius redundantiæ, si transitus illius è venis meseraicis per hepar in venam cauam impeditus sit, præcipua causa existit: Quod præsertim ob facultatem ipsius hepatis attractricem debilitatam accidit, adeò vt serum, quod chylo partim permistum, cuius vti & sanguinis portio est, eò defertur, partim etiam ab eo separatum, continuò à potu has vias pertransit, non sufficienter ad se allicere & in cauam venam trasferre possit. Idque ob caussas in cachexia, quæ tunc quoque ob hanc hepatis imbecillitatem se offert, expositas. Ab obstructione hepatis ab humore, aut alia duritie, vel scirrho factâ, eundem transitum impediri quoq; posse censuerunt; quæ tamen si adeò magna esset, vt serum inde retineretur, etiam sanguis minimè permeare posset, vnde atrophia citiùs quàm hydrops prodiret. Sed & citra hanc caussam, si in venam cauam sero translato, naturali illius euacuatione, quæ per vrinas fit, impeditâ, illic adeò cumuletur, vt subsistere nequiens, à natura rursum per illius ramos in hepar & venæ portæ propagines repellatur, vel alioquin eò regurgitet, illicque coaceruetur, idem poterit accidere. Cuius causa renum facultas attractrix non sufficienter suo fungens munere, esse potest: Vel obstructio tanta, & præsertim in vtroque ipsius vretere, vt serum in vesicam destillare sufficienter vel omnino non posit. Quorum caussas in aliis mictionum symptomatibus exposuimus.

A' sudoribus suppresis idem fieri autumarunt, verùm cùm tunc per vrinam serum retentum euacuari posit, hæc nisi alia concurrat caussa, sola esse minimè poterit. Generatio quoque seri superflua, cuius causam in leucophlegmatiæ causis vberiùs ostendemus, si enarratis causis accedat, eò citiùs & faciliùs hydropem inducent, quòd maiore tunc illius copia existente, celeriùs eo modo, vti dictum, in abdomen fundatur. Quod vti ab humidis assumptis procedit, ita à potu nimio & ingurgitatione continuâ in ebriis, etiam hydrops ascites, non solùm ob viscerum illam læsionem, quæ à vino exurgit, sed quòd materiam simul aquæ copiosam subministret, frequenter gignitur, in illis præsertim, qui pro ratione & copiâ potus, vrinam non profundunt, sero in venis abundante, vnde quoque grauantur, & de grauedine aliquâ ac tensione ventris, antequam hydropici fiant, conqueruntur.

A' soluta continuitate venarum meseraicarum

ſeraicarum, omentum & meſenterium implicantium, ſerum in abdomen excidẽs, hydropis aſcitis cauſam aliquando eſſe poſſe, tam argumẽtis probabilibus, quàm demonſtrationibus certis oſtendi poteſt. Nam conſtat aliquãdo caſu externo, vel vi illatâ ventri, ruptâ eo impetu venâ aliquâ, pluribus accidiſſe, vt primùm inde ſanguis & ſerum ſimul in ventrem profluxerint, & dein vulnere in vlcus, vel etiam corruptionem aliquam horum viſcerum commutato, quæ poſt mortem inuenta fuerunt, inde continuò ſero exſtillante, hydropem ſubſecutum fuiſſe, quem etiam cruenta deiectio & vomitio, aliquando primùm præceſſerat, mox purulenta comitabatur. Quæ exulceratio vel corruptio, per quam ſerum elabitur, in omento & meſenterio, vbi venæ ſunt, ab eroſione quoque proficiſci poteſt: cùm humores ſummè acres & maligni in venis hiſce, quæ varijs excrementis ſcatere ſolent, retenti, eas hoc pacto exedentes, cauſam ſic hydropi præbent. Vti & ſi corruptio hæc in hiſce membranis & vaſis, ab aqua in abdomine hydropicorum diutiùs retenta putreſcente, eaſque corrumpente fiat, vti superiùs oſtenſum, ſicuti in omnium ferè hydropicorum ſectionibus, omentum nonnunquam & meſenterium hoc pacto infectum vidimus. Quod cùm fit, licèt hæc non prima huius aquæ collectionis cauſa, cùm aliunde proceſſerit, exiſtat, quia tamen inde quoque tunc exſtillat, maioris aquæ quantitatis congeſtioni occaſionem præbet, eoque ampliùs, ſi viſcera alia ſimul hac aquâ adeò afficiantur, vt continuitas ipſarum quoque lædatur.

Ab alijs venis ventris interiora peruadentibus, vt vena caua illiuſque propaginibus, ad renes, vterum parteſque alias vti & muſculos & membranas diſperſis, per diapedeſin vel anaſtomoſin, ſerum quoque in ventrem labi poſſe, hydropique originem præbere, credibile, idque maximè in cachecticis, vel alijs affectibus, in quibus hæc ſeri copia in venis accumulatur, & præſertim mulieribus, quibus cùm hæc ſeroſitas per menſtruum fluxum, vel poſt eum mox in fluore muliebri, expurgari ſolebat, ſi illis ſupreſsis, ſerum aliam viam & exitum è venis quærat. Ex ſoluta verò illarum continuitate hoc non adeò facilè in hiſce venis fit, cùm ſi in maioribus hoc accideret, hæmorrhagia interna, cum interitu hydropem præueniret, quæ minores ſunt, immerſæ partibus non tam facilè vti meſeraicæ in omento ſuſpenſæ, & iniurijs expoſitæ, hoc pacto vt illæ lædi poſſunt.

In vena vmbilicali, vbi hepati inſerta, atque extra illud peritonæo adnata erat, dilatata admodum, cùm aliàs in adultis ligamentum potiùs quàm vas cauum referat, aquam quoque ſatis copioſam in hydropico ſecto deprehendimus. Aliàs verò non ſolùm illic retentam, ſed & inde per idem vas ad vmbilicum vſque in quem deſinit penetraſſe, & ſub cute collectam, tumorem inſtar veſicæ aquæ plenæ illic peperiſſe, atque inde quoque in abdomen defluxiſſe, eaq; diſruptâ è corpore emanaſſe, vel alioquin illic viam ſibi aperuiſſe, & per eam è corpore effluxiſſe, adeò ſæpè copioſè, vt totum ventrẽ exaniret, aliquos obſeruamus.

E veſica diſrupta, vrinâ in abdomen totum effusâ, ventrem ante mortẽ intumuiſſe, in quodam, vidimus, indeque tumorem illum profectum, poſt obitum, ſecto corpore, deprehendimus, quòd ei eius bene poti humiq; ſtrati, ventrem alius quidam inſiliens, veſicam ex ebrietate diſtentam & plenam, eo impetu ruperat. Quod & vreteribus diſruptis vel ex alia læſione apertis, emanante tunc ſero, ſimiliter accidere poſſe veriſimile videtur, hydropemque inde ſpacio temporis, cùm hi non ſtatim moriantur, immò nihilominùs diu ſuperuiuere poſsint, quoq; prodire.

Serum in ſcroti cauitatẽ inſtillatũ, cauſa Hydroceles.

In ſcroti cauitatẽ ſi ſeroſus humor delabatur, vel tumorem illũ qui in hydrope aſcite, vnà cum ventris intumeſcentia, in hac parte aliquando ſuboritur, vel eum qui ſine hydrope in hydrocele ſe in hoc loco offert, excitabit. Hic autem humor aquam referens, in vtroque caſu non aliunde, quàm ex abdominis cauitate, in quam priùs delapſus erat, prouenit, indeque in hunc ſaccum delabitur. Idque duobus modis; Vno per diapedeſin vel anaſtomoſin, ſero ex abdominis

ſpacio ſub cutem penetrante, & ſub ea in ſcrotum ſubſidente; Quod in hydrope aſcite, cùm eodem modo in pedes quoque è ventre, ſicuti mox oſtendemus, deriuetur, vt hac ratione quoque in ſcrotum portio illius tranſmittatur, euenire poteſt. Alio modo tranſitus hic per proceſſum peritonæi, vaſa ſeminaria in ſcrotum deducentem perficitur, ſi ille eouſque dilatetur, vt aqua in abdomine collecta, per eum in ſcrotum deſtillare queat, nam etſi relaxatio non adeò ſit ampla, vti illa eſt per quam inteſtina in ſcrotum prolabuntur, tamen vel leuiter hac viâ patefactâ, aqua guttatim poteſt trãſmitti. Quæ relaxatio proin hîc etiam à ſola aqua, quæ hanc ſedem inferiorem ventris vbi hi proceſſus prodeunt, continuò alluit & madore ſuo humectat, proficiſci poteſt vt non maiori vi opus ſit, quæ tamen ſi accedat, maiorque inde ſequatur dilatatio vel etiam ruptura, ſicuti priùs in hydropico rupto ſimul oſtendimus, viâ tunc ampliùs patente, citiùs ſcrotum aquâ replebitur. Quod & ſi humectatio ſola in cauſa fuerit, eueniet, magnâ aquæ, vt in hydrope fit, præſente copiâ. In hydrocele verò tardiùs, cùm pauca illius ſit quantitas, eaque non niſi ſenſim in abdomen indeq; in ſcrotum inſtillet.

Cuius collectionis aquæ in abdomine in hydrope, cauſam non ſolùm ſolutam continuitatẽ viſcerum & vaſorum eſſe diximus, ſed & anaſtomoſin vel diapedeſin venarum meſeraicarum eſſe poſſe oſtendemus. A qua etiam cauſa potiùs, quàm inſigni alicuius partis læſione, in hydrocele ſerum in ventrem tranſſudare, vel è venarum oſculis exſtillare, hoc comprobare videtur, quòd in hoc caſu, nullo alio, præter ſcroti tumorem, grauiore affectu, niſi alius accedat morbus, laborent, & non niſi longo tempore hic tumor excreſcat, paulatimque per venarum tunicas vel oſcula ſerum efferatur. Idq; ab iiſdem cauſis, à quibus hydropem quoque interdum procedere, demonſtrabimus, ſed leuioribus, & proin minorem noxam adferentibus. Cùm & citra præternaturalem cauſam, naturaliter ſero continuò non nihil patefactis, vel ob ipſius madorem, vel alijs exſudante, atque interiora abdominis irrigante, etſi non adeò redundet, tamẽ de cauſis, hiſce meatibus, in ſcroto ſenſim colligi, & proceſſus illius relaxatio, tunc ſola hydroceles cauſa fieri poſsit.

Serũ in inguinũ ſpacium ſe ingerens, cauſa aquoſi illic tumoris in vlceribus.

In inguinum mulierum ſpacium ſeroſus humor deſcendens, tumorem hydroceli quodammodo ſimilem, vti eum deſcripſimus, in ea ſede aliquando gignit. Idque ob laxatum foramen per quod vas quoddam ab vtero deductum, extra peritonæum in pubem defertur, illi quod vaſa ſeminaria in viris emittit, nonnihil correſpondens. Quæ relaxatio quoq; ab aquæ illius humectatione, & quòd illa priùs in abdomine congeratur, ab iiſdem, quibus & hydrocele, cauſsis, proficiſci poteſt. Inter quas, conatus vehemens in partu, vti rupturis, in hac quoq; ſede factis; ſic dilatationi, & per conſequens huic tumori aliquando occaſionem præbet.

Seri in thoracis cauitate collectio in Hydrope aſcite.

In thoracis cauitatem, in abdomine collectus humor, interdum quoque in hydropicis defertur, qui poſt mortem aperto pectore demum deprehenditur, cùm priùs tumore nullo in illo ſe prodat, niſi vti in empyemate aliquãdo fieri diximus, tanta copia illic colligatur, vt in coſtarum ſpaciis, alicubi protuberantiam aliquam, quod tamen rariſſimum, pariat. Citra hanc tamẽ ex dyſpnœa, quæ tunc hydropicos magis, atque licet erecti ſint, angit, aquæ illius collectionem in pectore aliquomodo colligere poſſumus: cũ ſicuti in ventre exiſtens, ſeptum inferiore ſede alluendo, ita thoraci inſerta, ſuperiore quoq; lateri incumbendo, grauet, duplicíq; modo motum illius impediendo, ita difficilem reſpirationem procreet, eoque ampliùs, quòd & pulmonum motui aliquo pacto obſtet. Cæterùm quo pacto è ventre in pectus feratur, aliam viam quàm per ſeptum, quod hæc ab inuicem ſeparat, inuenire non licet, per quod vti per peritonæum, illique adhærentes muſculos, eam in ventre hydropicorum tranſſudare poſſe, vel per oſcula tranſferri, oſtendimus, ſic & hîc eodem modo ſeptum permeare poterit; niſi fortè eroſio quædam, qualem in ſepti hac regione in peritonæo, ab aqua in ventre hydropicorum retentâ, aliquando fieri mox oſtendemus, vel etiam alia perforatio patens, quam

quoque interdum inuenimus, viam hanc illi patefecerit. Qua ratione &, si aqua non ex abdomine in hydrope, sed aliunde in thoracem illapsa, in aliis pectoris affectibus, septũ pertransiens, in vẽtrem inferiorem labatur, tumorem in eo, vel si vlteriùs ꝓcedat in pedibus, excitare poterit. Quam & causam, quod asthmatici quandoq; hydropici fiant, esse existimamus, nisi hoc ideò quod vtriusque affectus caussæ simul concurrãt, accidat, frequentiùs tamen occasionem præbere putamus, vt licèt nondum, pedes tamen tandem in pectoris eiusmodi affectibus illis intumescant, nisi per alium exitum è pectore aqua sub cute ad inferiora vergat.

Seri per vterum effluxus, in Hydrope ascite.

In vteri capacitatem se ex vena caua insinuantem aquam, eumq; dilatantem, tumorem ventris quandoque, qualis hydropicorum existit, gignere docent, hydropemque vterinum vocant. Verùm non tantam vteri fundi esse capacitatem, vt tantum aquæ capere queat, nec adeò dilatari posse, nisi quando cum fœtu simul excrescit, in vterinis doloribus fuit expositum. Fieri tamen potest, vt & ex sero in abdomine collecto, per vteri orificium exterius, ex parte vel penitus effuso, ventris tumor subsideat, quod & vt in vtero eam collectam fuisse crederent, occasionem fortè præbuit. Verùm hoc cùm fit, tunc venis quæ vteri ceruicem potiùs quàm fundum implicant, sanguinemq; menstruũ in eum, vel aquosum quoque humorem in fluore muliebri, vti illic demonstrabimus, effundunt, se insinuando serum, per anastomosin, naturâ operante, vt quod eam grauat expellat, vti in iam dicto fluore, per hanc viam excretionibus destinatam, effunditur, vt non opus sit in vteri fundo hanc aquam delituisse, indeque ventrem intumuisse, statuere.

Serũ in inferiorẽ corporis habitus sedem dispersum, causa Tumoris pedum in Hydrope ascite.

In inferiorem habitus corporis sedem, serosus humor dispersus, in hydrope ascite, tumorem illic ventris intumescentiæ copulatum efficit, eumque in pedibus, cùm humor tenuis versus inferiora suâ naturâ semper vergat, infimaque illorum regione, vbi figitur, primùm apparentem, mox etiam perseuerante influxu, vlteriusq; pedes implente, sursum etiam vergentem, tandemq; per tibias & crura ad superiora vsque, & lumborum & abdominis exteriora ascendentem, illicque sub cute, vnde Aquæ inter cutis nomen, illi quoq; attribuitur, se manifestantem parit: in quibus locis cutem & vicinas sedes irrigando atq; imbuendo, cùm non solùm in tumorẽ attollat, sed & emolliat, ille pressus cedendo foueam concipit, eamque aliquandiu retinet. Quæ cum fiunt, in ventre tunc simul seroso humore coaceruato, ille quoq; cum pedibus, citiùs tardiúsve, vti priùs ostensum, intumescit. Et cùm hic aquosus humor, sub cute collectus vltrò citroq; ferri possit, accidit, vt si crura deorsum, vti corpore erecto potissimùm fit, pendeant, sero tunc magis eò tendente, ampliùs intumescant, ventrisque tumor nonnihil minuatur, si verò per decubitum alióve modo attollantur, remeante rursum versus superiora humore, tumor nonnihil, aliàs quoque penitùs, in pedibus decrescat, in ventre verò augeatur.

Hic verò aqueus humor, in hydrope ascite in pedes crura ventris & lumborum inferiora defluens, è venę cauæ ramis exsudãs, aut per anastomosin emanans, in ea hydropis specie, quæ à copia seri in eiusmodi venis, ob causas enarratas coaceruata oritur, eò deferri potest, sero tunc non solùm è venę cauæ ramis in abdomen, sed & in exteriora se exonerãte, vti in leucophlegmatia serosa, eo quoq; modo pedes intumescere ostendemus. Frequentiùs verò in aliis omnibus ferè causis hydropis ascitis, à viscerum in abdomine contentorum, vti & venarum meseraicarum affectibus, dependẽtibus, serum ex abdominis cauitate, in quam priùs deuenerat, in exteriora hæc loca transferri & in pedes vergere, nõ solùm hoc, quòd defluente deorsum in crura humore, ventris tumor nonnihil subsideat, vti & quòd liberior sit respiratio, refluente verò illo hęc rursum redeant, demonstrare videtur: sed & illud certò confirmare, quod sponte vel arte apertâ in pedibus tumentibus cuticulâ, sero tunc sensim exstillante, successiuè ventris tumor decrescat; aut si affatim erumpat, vel diu effluxus hic perseueret, penitùs quoque recedat, multæq; mensuræ aquæ per hanc viam

sæpè effluant, quam non nisi in abdominis capacitate collectam fuisse, ex iam dictis facilè licet conjicere, cùm in pedibus non solùm dum tument, sed & postquam ex parte ob effluxum aquæ detumuerunt, tamen semper adhuc aquæ copiam profundunt, tanta mensura contineri minimè potuerit, nec tumor alius in ascite, quàm in ventre appareat. Dein & cùm ex læsione viscerum, in abdomine contentorum, in ventrem aqua labitur, quam frequentiorem ascitis caussam esse diximus, nec alibi quàm in ventre hujus aquæ sit scaturigo, pedesque quoque intumescant, idque antequam sæpè in ventre tumor obseruetur, eam ipsam ex abdomine in eos defluere, cùm extra abdomen nullibi aliàs collecta fuerit, hæc quoque sufficienter comprobant.

Verùm vti hæc euidentia sunt, sic quomodo extra peritonæi cauitatem serosus hic humor elabatur, cùm per peritonæi membranam non detur manifestus exitus, minùs est perspicuum. Quamobrem per diapedesin hoc fieri, & serum per hác membranam, tumore distentam, & madore emollitam, sub cutem transsudare, atque inter eam & partes subiectas quibus adhærescit, in inferiora, vti in cæteris defluxionibus fit, sensim delabi, eademque viâ sursum remeare posse, ex eo quod & alibi, venas sic transeat, membranasque penetret, colligimus: Vel per anastomosin in oscula venarum, à peritonæo in cutem vicinam dispersarum, sero se insinuante, & per ea in partes subiectas fluente, rursumque refluente hoc contingere: Aut quia vno pluribúsve in locis, ab acri vel putri hac aqua, peritonæi aliqua sedes eousque exeditur, vt aqua per eam sub cutem quoq; possit elabi. Sicuti quoque sectione patefactum, hanc membranam non vno sed variis in locis fuisse exesam, idque interdum etiam illic vbi septum succingit, heparque & lien ei incumbit, quorum viscerum tunica tunc si simul abrasa sit, hæc vbi se mutuò tangunt, aliquando coalescere, superiùs in hisce viscerum læsionibus, ostensum fuit. Sed & in hydropico illo rupto, cui intestinum & aqua scrotum impleuerant, illudque processui peritonæi adnatum erat, vti demonstratum fuit, hunc coalitum ab hac erosione aquæ, quâ intestini tunica & membrana illius fuit exesa, profectum, hoc vti & priores conglutinationes probat, quòd citra detractionem tunicarum, vti in fistulis videmus, partes nequeat inuicem concrescere. Deinde cùm in viuis sæpè obseruauerimus, hanc aquam in vmbilici regione, è ventris cauo, non per venam vmbilicalem, hepati insertam, quæ si aperiretur ex hepate solo, non autem abdomine aquam non adeò copiosam profunderet, sed per peritonæum sibi viam ad superficiem cutis vsque aperuisse, illicq; sub cuticula collectam, eam in amplam vesicam eleuasse, quâ scissâ, ex vniuerso ventre omnis aqua magno cum impetu, effluxerit, ex eo quoque, naturam huic aquæ in peritonæi etiam aliis locis, exitum sub cutem diuersis modis moliri posse, cõjicimus, vesicis fortè etiam in interioribus illius natis, alióve modo continuitate eius solutâ; qualia multa eiusmodi in hydropicis si frequentiùs post mortem inspicerentur, hactenus nondum descripta & à plerisque incognita, deprehenderentur.

Serum in totius corporis habitum se ingerẽs causa Leucophlegmatia serosa.

In totius corporis habitum serosus humor se ingerens, generalem illic intumescentiã, in Leucophlegmatia illa excitat, quæ non solùm crudo nutrimento, sicuti in hac causa explicanda, ab illo nasci ostendimus, sed & à seroso humore, vel minori vel pari, vel etiam maiori quantitate simul accedente, proficiscitur, in qua non solùm partium substantia plus iusto aucta est, sed & sero irrigata mollior euadit, quæq; impressionem faciliùs recipit, illiusq; vestigium diutiùs retinet. Quæ tamen in pedibus, cùm serũ ob suam tenuitatem deorsum semper tendat, manifestiùs apparent, qui tunc cum asciticorum cruribus magnam habent similitudinem. Cui leucophlegmatiæ serosę, nomen illud Aquę intercutis rectiùs, quàm illi quæ à solo succo crudo fit, attribuitur.

Prouentus verò huius serosi humoris, in iam dicta Leucophlegmatiæ specie, non è ventris capacitate, vt in ascite, sed è venis in habitum corporis distributis procedit, è quibꝰ vnà cum sanguine crudiore, dum ad partium nutritionem effertur, elabitur, atq; vti ille

ille eas crudo succo alit, sic hic aqueo humore simul imbuit. Cuius serosi humoris cum crudo permistionis caussa, illius in venis nimia abundantia existit, quando cum ea imbecillitate viscerum sanguificationis, à qua sanguine non sufficienter elaborari, in Leucophlegmatiæ simplicis causis ostendimus, causæ prouentũ huius serosi humoris simul producentes, concurrũt. Inter quas hîc præcipua erit, Generatio illius immodica, quam in hepate fieri pleriq; contendunt, atq; in secunda hac concoctione, vt serum naturaliter gigni, sic si iecur debilitatum vel refrigeratũ fuerit, dum chylum non sufficienter excoquit, & in sanguinem penitùs transmutat, in serum conuertere, illudque sic generare docent. Verũ non hîc serum, sed in prima mox concoctione gigni, suamq; illic formam statim sumere, vsumque mox præstare, hęc cõprobant, quòd in vẽtriculo partim vnà cum chylo, ex puriore succo genitum, portio ipsius fiat tenuior seu serosior, vti serum in lacte, eiusdemque cum chylo cuius pars est, sit vsus, partim verò à redundante humore à potu & cibo humidiore profectum, & in tenuiorem transmutatum, seri quoque formam nanciscatur, atque intestinis cum cæteris excrementis infusum, à venis meseraicis vnà cum chylo, & sine eo quoque vti videmus aliquos mox potum nimium iterum mingere, raptum ad hepar, indeque vti dictum, in venam cauam transferatur. Vnde copiosum seri prouentum, nimiæ potationi, vsuique humidorum potiùs, quæ materiam illi subministrant, quàm hepatis noxæ attribuere debemus, nisi crudiorem succum quem ipsius vitio generari ostendemus, serosum, vti aliqui faciunt, appellare velimus; vel quia secretio seri, quæ dum sanguinis elaboratio imperfecta, vti dictum, illic fit, ab eadem caussa non decenter procedit, & serum proin sanguini, plus quam oportebat, confusum, nec ab eo, vti aliàs portio ipsius ex parte segregari solet, separatum, eum aquosiorem reddit, hac ratione serum hepatis causâ, non quidem generari, sed in venis copiosiùs colligi pronunciare licebit: Et sic leucophlegmatiam illam aquosam hepatis imbecillitatis quoque causâ nasci statuere. Quod potissimùm, tunc euenit, si insuper euacuatio illius naturalis, per vrinas non sufficienter fiat, renum facultate attractrice simul debilitatâ; vel si ex sudorum consuetorum suppressione, per quos alioquin serum se exonerare solet, serositas illa in venis in habitu corporis remaneat. Quæ & sola causa, citra hepatis affectum, prouentum serosi humoris in venis potest efficere. Quod eò citiùs tum ab hac, tum alia caussa fiet, si sumpta & bibita, materiam ex qua serum generatur, suppeditent. Quibus causis concurrentibus etiam leucophlegmatia quædam, in qua serum crudum succum exsuperat, nascetur, vel quæ ex solo sero proficiscitur, si hepatis desit, quæ crudum succum gignat, imbecillitas. Quemadmodum etiam à solo potu copiosè, nullo ducto spiritu, hausto, dum corpus vehementer calebat, & æstuabat, à calore humore illo subitò in venas translato, indeque in habitum corporis attracto, aliquos intumuisse illicò, vidimus: Vti & corpori calenti & sudanti, frigori exposito, seroque in habitum corporis represso, idem accidisse. Sed & nonnunquam euenit, vt sero è venis meseraicis, ob causas priùs expositas, in abdomen eodem tempore, quo in habitum corporis fertur, influente, hydrops simul accedat ascites, geminæque hydropis species, ascites & anasarca tunc coincidant.

In certas corporis sedes serosus humor delatus, ibiq; collectus, particulares quoque tumores vel intumescentias excitat. Vt quando in pedes citra hydropem ascitem, de quo iam diximus, se ingerens, Intumescentiam eam, quæ in tumore œdematoso se offert molliorem, & quæ ad hydropicorum pedum intumescentiam nonnihil accedit, qualem in generibus descripsimus, gignit. Quod fit, quando vnà cum crudo nutrimento, vnde œdemata prodire dicemus, ob causas in Leucophlegmatia serosa expositas, circa hasce inferiores sedes collectus, in pedes illabitur. Vel quando in morbis pedum, vt erysipelate œdematoso vel aliis, cum humoribus reliquis, hæc excrementa in pedes feruntur, eosque morbos simul procreant, & discussis reliquis, illis aliquandiu manen-

Serũ in pedes extra hydropem ascitem se insinuans, causa intumescentiarum illic genitarum.

tibus,etiam tumor remanet.Vel cum ex defluxione in oculos facta, in epiphoris,& lachrymis,palpebræ simul sero imbutæ intumescunt, in Palpebrarum seu Oculorum œdemate dicto. Vel quando in aliorum morborum acutorum vel diuturnorum declinationibus, naturâ quod residuum superfuit excrementorum, vnà cum sero deorsum in hasce sedes infimas exonerante,pedes post hosce morbos tumere incipiunt, eoque citiùs,cùm quòd per decubitum,longum pedes eleuati, cùm ambulare incipiũt, deorsum spectantes, humorem faciliùs admittant. Quem tumorem pedum in conualescentibus, cùm nihil inde mali sequatur, vulg⁹ pro signo bono habet,quo loco & nos, quia reliquiæ morborum sic expurgantur, habere possumus,qui &, cum tenues eiusmodi humiditates mox iterum dissipentur, non diu durat,nisi talis sit,qui post morbũ, hydrope sequente,in illius principio se primùm in pedibus manifestat, multos ideò, qui bonum esse censent,fallens,à quo tamen cùm alia quoque hydropis accidentia tunc se offerant, facilè distinguitur.

Serũ in nudam tibiarũ sedem diffusum causa particularis cuiusdam intumescentiæ illic genitæ.

A solo quoque seroso humore,in nuda tibiarum longitudinis sede, in cutem & periostia diffuso, tumescentiam illam, qualem in quodam nos vidisse,in generibus exposuimus, progenitam fuisse, indicio fuit, quòd subitò facta,moxque iterum euanuerit, impressaque vi maiore in hac parte ossibus instratâ, retinuerit aliquandiu vestigia. Qui à natura eò, ob ipsius copiam, quod sudores perpetui quibus affligebatur,satis ostenderunt,& tenuitatem atque acrimoniã, vnde pruritus quoq; infestabat,propellebatur, accedente insuper laxâ pedum ab hoc humore sæpiùs irrigatorum,aliisq; externis humiditatibus contractâ dispositione.

Seri sub cute capitis collectio, causa Hydrocephali.

In extimam corporis superficiei sedem aliquam sero effuso sub cutem,si eam à subiectis sedibus diuellat, spaciumq; illud adimpleat,tumorem collectum illic excitabit.Vti sub crassa capitis tunica hoc interdũ accidit, in Hydrocephalo dicto tumore,ob copiam serosorum & sicuti volunt pituitosorum excrementorum illic gigni solitorum,si illa nõ aliò defluxu, vel discussa subsistant,& coaceruata sinum sibi faciendo,cutem in tumorem hunc attollant.

Seri in vmbilico collectio, causa Hydromphali.

In vmbilici regione sub cutem sero quoq; effuso,Hydromphalos gignitur, per venam vmbilicalem dilatatã eò translato,vel ob copiam illius in illa vena,vel alias causas,ductu hoc non arescente,sicuti & in hydrope hoc ob aquæ copiam euenire diximus.

Serũ palpebras irrigans, causa ipsarum intumescentiæ.

In palpebras se insinuante seroso humore, illarum intumescentia prodit,quod faciliùs fit,cùm lachrymæ ad oculos effusæ,eò quoque subsidere possint, adiuuante interdum oculorum frequenti frictione, cum facilè pruriant.

Seri sub cuticulã seu membranam adnatã oculi profusio, causa Phlyctenarum.

Sub cuticulam sero quoque effuso,si eam à subiecta carne & venarum eò desinentium osculis,quibus continuatur,eaque occlusa retinet,separet,vesiculas illic Phlyctenas dictas procreat. Quod & fit,si sub alias externarum partium membranas, veluti oculorum externam tunicam adnatam, se ingerat. Cuius causa interdum quoque existit,serum redundans eò translatum, atque quo minùs per poros sudore exhauriatur impeditum,& proin sub cuticulam effusum, eamque subleuans. Quod si salsum vel acre,naturam exsuscitans,in plures partes propellatur, Hydroas illas quæ in scabiosis nascuntur,procreat.Sed & alia vis externa,per quam cuticula à subiecta sede auulsa,nondum tamen scissa,viam illi per quã sub eam exsudat,aperit, illudque quod illic in exilibus venis continetur, simul allicit. Vti per frictionem atque vstionem accidit; sicuti in doloribus qui tunc simul adsunt, vel vesicis ruptis superueniunt, vel scabie quam etiam inducunt,illic & in phlyctenis fuit expositum.

Flatus intumescẽtias & tumores aliquos enarratorum generum parit,variantes quoque,prout vel in abdominis cauo,vel scroto, vel ventriculo & intestinis,aut in aliis spaciis corporis continetur.

Flatus in abdominis cauum aliunde irrepens vel illic genitus.

In abdominis cauitate collectus retentusq; flatus,hydropis quem Tympanitem vocãt, præcipua caussa existit,cùm rariùs solus,sed vnà cum aquoso humore permistus, hunc affectum inducat: Idque cùm in abdominis cauitatem delatus,illicq; coaceruatus,ventrem.

Caussa Tympanitis simplicis, vel si cum aqua se offerat, compositi cum ascite.

trem dilatat, & in immensum sæpè distendit, in quo flatum inesse, ex murmure & sono quem dum percutitur, edit, cognoscimus. Qui & dolore interdum ob distentionem membranarum subiectarum, lancinantem & punctorium simul inducit. Quos flatus in abdomen irrumpentes, cùm alia non sint viscera in ventre inferiore, in quibus flatus tam copiosè congeri posśint, à ventriculo & intestinis prodire necesse est, à quibus si in abdomen illabantur, facilè illud flatibus implebunt. Cæterùm per quam viam hoc fiat dubium, nam per cæcos meatus ventriculi vel intestinorum eos erumpere, cùm etiam tenuisśimis membranis facilè coërceantur, & humor tenuis faciliùs transsudet quàm flatus erumpat, vix fieri posse videtur: dein & per solutionem aliquam continui manifestam in illis visceribus, eos non elabi, illud demonstrat, quòd tunc etiam chylus excrementaque alia ex illis simul, quod tamen non fit, prociderent. Itaque in oscula venarum meseraicarum, si ab intestinis vel ventriculo flatus in abdomen ferantur, eos primùm se insinuare, atq; ex venis meseraicis rursum eodem modo sicuti serosum humorem, inde quoque elabi diximus, in ventris spacium procidere, magis verisimile existit, quod & aqua vti dictum, cum flatibus in tympanite, in ventre plerunque permista, hæc simul per eandem viam huc peruenisse, aliquo pacto comprobat. Nisi alio pacto, quo aliqui quoq; spectare videntur, flatus per intestinorum tunicam interiorem in exteriorem, penetrando illic mesenterium, vbi illi connascitur, se ingerant, atque inter duas illius tunicas coërciti, eas tandem permeantes abdomini inserantur. Quod siue hoc illóve modo fiat, quod tamen rarum est, vnde & tympanites hoc pacto factus rarus, non nisi ex maxima flatuum copia, à qua intestina adeò dilatentur, vt attenuata ad extremum vsque, eos transmittere posśint, potest procedere. Idque nisi ita in intestinis sint cōclusi, vt nullo pacto alium exitum supra infraq; habere posśint, facere non poterunt.

Horum verò flatuum redundantiam, ipsorum continua in ventriculo atque intestinis generatio efficit, à summa illius imbecillitate procedens, calore suo debili in flatus pleraque quæ excoquere deberet, conuertens, à qua etiam hepate simul debilitato, si hac quoque caussa accedente seri simul fiat prouentus, vti in hydrope ascite docuim9, tympanites ex aqua & flatu commistus, vti ferè fit, prodibit. Quod verò per intestina minimè deorsum per naturalem exitum prodeant, summa obstructio vel intestinorum conuolutio efficit, cuius causâ colici dolores primùm, cum alui constipatione, se offerunt, sicuti in illis affectibus, & à qua causa hæc prodeant, demonstratum fuit, illisque perseuerantibus, si flatus in abdomen, vti dictum, ferantur, venter intumescere incipit, remanente ab initio adhuc colico dolore, aluique constipatione eousque, donec ex dilatatione continua, viâ patefactâ, flatus qui in intestinis erant, liberiorem transitum consequuti; tantam vim non ampliùs adferant, quibus licèt erumpentibus, qui tamen hi flatus qui extra intestina in vtre ventris inclusi sunt, vix dum prodeunt, venter distentus remanet, colicusque dolor in tympanitem conuertitur.

Ex soluta aliqua continuitate manifesta in vētriculo vel intestinis, ob summam hanc ex flatibus distentionem, vel aliam ob caussam factâ, flatus in tympanite in spaciū ventris interdum erumpere, fortè si eiusmodi corpora frequentiùs aperirentur, deprehenderetur, quod & hinc colligere posśumus, quod cùm omnium deterrima sit hydropis species, læsionem quoque magnam in ea esse oporteat, quæ in ascite si simili modo fiat, eum incurabilem reddit. Quæ soluta continuitas si tanta sit, vt & chylus fæcesque in ventrem simul procidant, citiùs interimet, si verò soli flatus vel aqua, quod & citra crassiora hæc corpora fieri potest, exeant, vita prolongabitur.

Præter hanc tympanitis caussam, ab illapsu flatuum intestinorum in abdomen dependentem, alia à congestione & generatione illorum in ipsa ventris cauitate proficisci potest. Quod fit quando aquosus humor, quo abdomen interius semper madere diximus, copiosiùs quàm par erat, è venis

meseraicis, sicuti ostendimus, transsudãs vel oscula penetrans, illic collectus, in flatum resoluitur, qui postea retentus, cùm illi nõ pateat exitus, cumulatusque, Tympanitem tandem producit. Qui si totus humor in flatum abeat, quod vix fit, purus & simplex erit, si verò portio aquæ adhuc remaneat, ex flatibus & aqua compositus, vti frequentiùs fit, erit. In quibus speciebus si aqua non adeò redundet, nec in pedes nec aliò ex ventris cauitate decidat, neque etiam alibi extumescentiam faciet, neq; in abdomine adeò deprehendi poterit. Quod si verò tanta illius remãserit copia, nouâ cõtinuò affluente, vt tumor ille ventris præter tensionem, etiam fluctuationẽ aquæ labentis in latera si eò corpus inclinet, ægro adferat, & deorsum quoq; subsidens pedum tumorẽ simul proferat, Tympanitem asciti coniunget. Causa verò huius conuersionis aquę in flatũ (cùm illa quæ eam in abdomen promouet, in ascitis causis fuerit explicata) calor viscerũ interiorũ esse potest, hanc aquã in vaporem seu flatum crassiorem resoluẽs. Sicuti vbiq; hac ratione in corporis spaciis ex humiditatibus illic cõtentis in flatus resolui, illicq; flatuum prouentum procreare potest.

In scrotum vti aquam è ventris cauitate, in hydrope ascite, deferri, tumoremq; illius vel extra eum, hydrocelen excitare in seroso humore ostẽdimus: Sic & flatus ex eadem ventris capacitate in scrotum descendens, atq; illud inflans, Pneumatocelen parit. Quod in tympanite accidere nunquam vidimus. Vti & per se hoc rarum quoque, & quando fit, aqua ferè subest. Frequentiùs verò flatu eò delato, Inflatio scroti illa sequitur, quæ in colicis cruciatibus & conatibus aliquando suboritur, moxque iterum euanescit. Cæterùm vtriusque causa à dilatatione processus peritonæi semper dependet, eaque leuiore, si per eam flatus tantùm solus, vel cum pauca humiditate erumpat in scrotum, sensimque illic colligatur. Quæ dilatatio in pneumatocele à variis causis in herniis expositis, potest accidere, præsertim in tenerioribus puellorum corporibus, qui huic affectui, vti & rupturis, ob clamores præ cæteris obnoxij sunt, quem Wässlin Germani vocant; eoque faciliùs, si flatuum in illorum abdomine sit prouentus, quemadmodum citra tympanitem, illic etiam in sanis alioquin ex humore, in eos resoluto, gigni solent, sicut in omnibus corporis spaciis hoc fit, & tympanitem quoque eo modo prodire posse ostendimus, qui licèt non abundent, sponteq; dissipentur, tamen si pateat hic in scrotum desinens meatus, eò sensim perferuntur. Qua ratione etiam inflatio hæc non diu durans scroti, à conatibus illis validis processum illum per vim dilatantibus, flatibusque per eum erumpentibus, proficiscitur, per quem tamen mox iterum cessante hoc impetu, flatus remeantes in ventrem, scrotum detumescit, nec inflatio hæc processu eo se rursum recolligente, nisi noua vis accedat, redit.

In intestinis & ventriculo retenti flatus, nec dum in spacium abdominis procidentes, non solùm colicos cruciatus pariunt, sed & si adeò inclusi sint, vt nullo patente exitu, ea in immensum adeò attollant, vt totus venter inde distentus appareat, Tympanitis quoddam genus, & fortè frequentiùs quàm aliud, quod illis in ventrem erumpentibus, fieri communiter docent, procreare possunt. Sicuti in illis quos tympaniticos esse putabant, deprehendimus, flatum nullum in sectis post mortem è ventris cauo erupisse, nec vẽtrem subsedisse, sed intestina, tenuiora præsertim, adeò flatibus distenta & conuoluta prosiluisse, vt in eundem ventrem reponi ampliùs minimè nequirent, mirumque fuerit, quo pacto in ventre priùs clauso adhuc contineri potuerint. Quæ & in quodam adeò attenuata ex summa illa dilatatione reperimus, vt non solùm tenuissimæ vesicæ instar vento inflatæ & dilatatæ pellucida essent, sed & compressione aliquâ disrupta, stercora cum flatibus procul effunderent. Cuius tympanitis caussa non alia, ab ea quæ & alteriùs existit, flatuum scilicet prouentus, atque intestinorum conuolutio vel insignis obstructio, vti priùs ostensum, vnde & in hac specie, nec flatum nec quicquam per aluum, longo sæpè tempore egerunt.

Flatus in intestinis & ventriculo retenti, causa Tympanitis intestinalis.

In ventriculo collectus flatus, eum distendendo,

Flatus

In ventriculo tentus, causa Inflationis ventriculi in intestinis Tumoris in colico dolore prominentiis.

dendo, in tumorem qui etiam foris in illius regione prominet, attollit, Inflationemque dictam vẽtriculi parit, cuius causam in Ventriculi affectibus in hoc casu exposuimus: Vti & si flatus in certis intestinorum anfractibus, vel cellulis hærens, illis in locis in ventre prominentias pariat, in Colicis doloribus qui tunc potiùs vrgent, causæ declaratæ sunt.

Flatus sub cutem erumpentes vndique, causa intumescẽtiæ seu Inflationis generalis.

In spacia alia corporis, quæ partes cohærentes intercedunt, flatus nonnunquam, nunc soli, nunc cum sero iuncti, irrumpentes, illisque inclusi, extuberantiam aliquam vel tumores pariunt: Vt cùm sub cutem vndique delati, Intumescentiam illam generalem corporis, quæ interdum subitò quoque inuadit, cutemq; distendendo à subiectis sedibus aliquousq; eleuat, procreant; qua ratione per foramen in cute factum, aërem inflando coturnicum cutem, vt meliùs deplumari posſint, distendere vulgò solent. Eiusmodi autem intumescentia etsi rariùs eueniat, vixque posſit vndiq; corpus hoc pacto inflari, tamen aliquando quoque contingit, vt natura, vel copiâ flatuum, hinc inde in spaciis diuersis corporis collectorum, maximè si seri quoque accedat abundantia, offensa, hæc vno veluti impetu, in morbis quibusdam, vel etiam extra hos si redundent, aut alia accedat simul causa, eam sollicitãs, in extimam superficiem sub cutẽ excutiat. Quod &, si à veneno sumpto, vel per ictum bestiarum, immisſo, aut in corpore genito natura similiter irritata, cùm illud expellere nititur, euenire potest.

Flatus sub cutis certa loca erumpentes, causa Tumorũ atq; Intumescentiarũ quas Physodes & Oedemata vocant.

Peculiares quoque tumores & intumescentiæ apparentes, à flatibus sub cutem ab iisdem causis erumpentibus, certis in sedibus nonnunquam prodeũt. Qui si simplices sint, Physodes dicuntur: Quò & phlyctenæ flatulentæ referuntur; si verò hoc fiat crudo nutrimento, vel seroso humore simul accedente, Oedemata erunt, vel Intumescentiæ, flatulenta tunc dicta. Quæ vti sponte œdematum instar à causa interna in variis corporis locis prodire posſunt, sic & ab externis aliquando oriuntur. Sicuti tractis nimiùm capillis, cutem capillis eo in loco subleuatam, succedentibus flatibus aliquandiu inflatam permanere videmus. Atque ex frigore, cutem constringente, atque sic eleuante, tenuesque humiditates exprimente manus, & pedes intumescere.

Flatus sub cuticulam delati, causa Phlyctenarũ flatulentarum.

Sub cuticulam si ferantur, eamque in vesicam attollant, sero mox exsudante, Phlyctenæ fiunt, iam non simplices sed flatulentæ dictæ.

Flatus in musculorum spacia irrumpentes, causa Spasmi flatulenti.

In musculorum externorum inuicem incumbentium spacia si ferantur, illic quoque, prominẽtias, quam diu hærent, Spasmumq; flatulentum dictum simul procreant, in quo causas illius exposuimus.

Sub alias membranas externas, vel periostia in nudis osſium sedibus si flatus se insinuent, tumoremque illic excitent, cùm ille dolori iungatur, in doloribus illis, à flatibus genitis, causæ horum sunt explicatæ: In alias verò sedes interiores, vel cauitates, vt thoracis, capitis, vteri, cùm alia potiùs accidentia procreet, quàm tumores manifestos, de quibus hîc agimus, in illis horum facta est mentio.

Flatus sub cutẽ membranasq; colli irrumpentes, causa Bronchoceles.

Sub cutem membranamque generalem cuti substratam adnexamque in colli anterioribus, flatum irrumpentem, tumorem illum, quem Bronchocelem vocant, progignere, illud indicare videtur, quòd in ea colli sede cutis eleuata & distenta appareat, & cùm pulsatur, sonum aliquem, ac si aër tantùm subesset, edat. Cuius aëris seu flatus collectionis eo in loco non aliam causam esse existimo, quàm laxationem seu auulsionem cutis, cùm membrana illa, quæ per colli eam sedem expansa, crasſior illic & rubicundior quàm alibi, à subiectis asperæ arteriæ musculorumque colli anteriorum sedibus, spaciumq; illic eo modo efficientis, in quod ob fugam vacui aër seu flatus è vicinis locis irrumpens, illud non solùm implendo, cutem membranamque in tumorem eleuat, sed & continuatione distendens, in immensum tandem adauget. Vnde non tàm flatũ, quàm eiusmodi diuulsionem partium inter se fibris naturaliter cohærentium, causam huius intumescentiæ statuimus, quam & meritò ob id, causâ huius separationis membranarum ab inuicẽ, ad rupturas referentes, bronchocelen quasi rupturam seu herniam gutturalem

gutturis, vel circa guttur factam, appellarunt. Licèt plerique hunc tumorem à pituita à capite eò delapsa prodire censuerint, à qua tamen non fieri, vti neque ab illius congestione, quod verisimiliùs esset, si à pituita nasceretur, tumor tensus, nec impressum seruans vestigium, satis demonstrat, vti & illud, quòd neque à seroso humore prodeat; Qui & duo humores, si affectum hunc gignerent, & tam diu in hoc diuturno affectu ad dies vitæ vsque nonnunquam perseuerante, illic continerentur, putrescentes alias insuper læsiones, quas tamen minimè sentiunt, procrearent. Atque dyspnœa illa & raucedo quam patiuntur, non ab incumbente humore, sed à tensione illa quâ laryngis liberior motus impeditur, proficiscitur. Non negamus interim defluxiones vti in omnia spacia perferri possunt, etiam in hoc affectu aliquando eò delabi, humiditatesque aliquas excrementitias illic quoque congeri, sed tumorem hunc tamen minimè hæc efficere, cùm illis humoribus iterum vt in reliquis defluxionibus & congestionibus discussis, tumor nihilominus remaneat. Cęterùm causam huius auulsionis membranarum præcipuam esse, conatum illum vehementem, quem spiritu retento, dum excrementa vel fœtum excludere nituntur, vel buccas inflando ad flatum fortem exsufflandum obeunt, non solùm quod inde subitò hoc euenisse viderimus, maximeque in partu, comprobat, sed & venarum iugularium colli tumor, qui in conatu hoc se quoque offert, aliquomodo ostendit, à quarum venarũ non solùm cutanearum maiorum iugularium, sed & vicinarum aliarum arteriarum substratarum, in hoc conatu valido vel sæpè & diu cõtinuato, membranæ quibus intextæ sunt, eo vt dictum modo tandem, quod tamen raro fit, separari possunt, & cùm spiritus per eum in venis & arteriis adeò sursum in collum propellatur, sine dubio & flatus in spaciis hinc inde contenti, inter cutem & membranas eò quoque propulsi, hac ratione quoque diuulsionem hanc possunt efficere, vel promouere.

Pars aliqua è sua sede, procidens, extrorsumque delata, tumores Herniosos Celes nominatos parit, estque hæc vel intestinum aut omentum, quæ hoc faciunt, quando è peritonæi cauitate sub cutem; vel in scrotum prolabuntur. Cuius procidentiæ causa, cùm vnà cum reliquarum partium veluti vteri & podicis prominentiis commodiùs explicetur, nos in excretis tum huius tum aliarum procidentiarum, causas simul explicabimus.

Curatio.

Exuberantiarum diuersorum generum curationem distinguemus, primùm ratione causarum, à quibus hæ prodeunt, nimirum quatenus intumescentiæ vel tumores eiusmodi, potissimùm originem trahũt; Vel ab humore pituitoso, quem nos crudum succum vocamus, vel seroso, vel flatu; Aut à succo nutriente, illisque vel separatim, vel inuicem permistis; Vel prout tumores à lacte vel à sanguine aut semine proficiscuntur. Quod verò illos tumores attinet, qui à parte aliqua prolapsa procedunt, & Celæ nominantur, cùm in illis partium harum aliqua fiat è sede sua, vel è corpore excretio, nos curationem eorum in reiectis, vbi de procidentiis agemus, quippe qui etiam ab intestinorum & omenti procidentia proueniunt, cum reliquarum partium procidentiis proponemus.

A crudo succo seu pituitoso humore vt vocant, præcipuè prouatarum intumescentiarum & tumorum curatio, accommodatur primùm generali totius corporis intumescentiæ inde natæ Leucophlegmatiæ; Postea particulari certarum partium tumori, Oedemati.

Leucophlegmatia si simplex sit, etsi totum corpus in ea tumidum fiat, in ascite verò solùm venter & pedes, tamen faciliùs quam ascites sanatur, cùm minor hîc sit viscerum læsio, imbecillitasque hæc illorum crudum sanguinem gignens, corrigi posit; difficiliùs si in ascite tendere videatur, & vix dum si illi iam copuletur. In senibus ægrè ampliùs sanatur, etsi diu sæpè protrahatur. *Leucophlegmatiæ curatio.*

Instituenda curatio eo ferè modo, sicuti in cachexia, cùm hæc illius sit principium, & ab eadem causa in hoc affectu auctâ & diutiùs remanente, dependeant: hepatisque & lienis

lienis imbecillitas corrigenda, causam primùm amouendo, si à nimio fluxu mensium, hæmorrhoidum aut aliâ hæmorrhagiâ processerit, dein viscera hæc roborando. Si obstructio adsit, ea aperienda soluendaque, aperientibus & abstergentibus iis, quæ moderatè illud, si fluxus aliquis adhuc adsit sanguinis, ne nimiùm illum concitent, efficiat; vel validioribus, si ab eo non sit periculum, quæ simul & menses si hi suppresi sint, cõmouere possunt; hæcque omnia internisq; remediis perficiuntur. Euacuandi interim semper crudi humores & aquei, qui in primis viis, ventriculo, intestinis & venis, dein etiam in corporis habitu coaceruantur, tum purgantibus per aluum, tum per sudores & vrinas exhibitis: Tum etiam extrinsecùs admotis, locis maximè tumentibus, quæ materiam corporis partes imbuentem, discutiendo absumendoque exhauriant. In leucophlegmatia verò, in qua simul seri copia coaceruatur, vel ea cui ascites iungitur, curatio ferè eadem quæ asciti, in educendâ absumendaque aquâ debetur, causę interim ratione, remedia huic quoq; accommodando. Cæterùm remedia quæ in curatione anasarcæ vsurpantur, sequenti modo erunt dirigenda.

Purgationes instituuntur ad ventriculum potissimùm repurgandum à cruditatibus, & obstructiones reserandas, abstergentibus & purgantib⁹, sicut in cachexia eiusmodi purgationes descriptæ sunt, admistis hydragogis, si serosa sit leucophlegmatia, sequentibus modis.

Decoctum: ℞. rad. Aperitiuarum iiij. vel v. an. ℥. j. rad. Iridis, Enulæ an. ℥. ß. rad. Asari ʒ. ij. cort. rad. Capparũ, cort. medij Fraxini, cort. Tamaricis an. ʒ. vj. Liquiritiæ ℥. j. ß. Cichorij cum radice, Endiu. Chamæpyth. Capill. Veneris, Eupatorij, Fumarię, Lupul. an. M j. Absynthij, Thymi an. M. ß. florum Sambuci, Genistæ, Tamaricis an. P. j. Passul. enucleat. paria x. semin. Anisi, Fœniculi an. ʒ. j. ß. semin. Endiuiæ, Portulacæ, Cuscutæ an. ʒ. j. seminũ quatuor frigid. Maiorum ʒ. ij. Polypodij ℥. j. ß. foliorum Sennæ ℥. ij. Epithymi ℥. ß. fiat decoctio, & in colatur. infunde Agarici trochisc. ʒ. iij. Rhabarbari ℥. ß. fiat expressio, adde syrupi Rosarum solut. ℥. ij. vel succi Rosarũ ℥ j. Sacchari q. s. fiat Apozema pro v. vel. vj. vicibus, aromat. Cinamom. Spicâ, Schœnantho & Santalis. Quod si per vices eo vti magis conueniet, fiat Syrupus auctâ quantitate Sacchari, mediæ vel perfectæ decoctionis.

Huic syrupo quoque addi possunt in serosa pręsertim leucophlegmatia, folia Soldanellæ, vel Mercurialis, semen Carthami, &c.

Vinum: ℞. radicis Cichoreæ ℥. j. ß. radic. Fœniculi, Iridis an. ℥. j. radic. Enulæ ℥. ß. radic. Asari ʒ. ij. corticis Tamaricis ℥. j. Absynthij, Chamæpyth. Eupatorij, Thymi, Epithymi ana ʒ. ij. summit. Centaur. minoris, florum Cordial. seminis Apij veri seu Petroselin. Fœniculi ana ʒ. j. foliorum Sennæ ℥. j. ß. possunt & addi fol. Soldanellæ ʒ. j. Agarici trochisc. Rhabarb. elect. ana ʒ. iij. Spicæ ℈. j. Infundantur in Vini s. q. Pro quinque dosibus.

Potio communis: ℞. Rhabarb. ℈. iiij. Agarici troch. ʒ. j. Spicæ gr. vj. macerentur in Vino albo, & postea affusâ aquâ Absynthij vel Centaurij, fiat expressio, adde aliquantum syrupi rosar. solut. vel alterius elect. solutiui, si fortiorem esse velimus, vel cum decocto alicuius Medicinæ, vel, in serosa, cũ decoctione Mercurialis vel Soldanellæ, fiat potio.

Pilulæ, Electuaria, Tabulæ purgantes in Cachexia descripta, hîc quoque locum habent, addendo simul quæ aquas ducunt in serosa leucophlegmatia.

Clysmata quæ fæces educant, stimulent & abstergant, flatusque discutiant, locum quoque habent. Quale hoc erit: ℞. herbarũ Emollitiu. trium vel quatuor ad M. iij. Mercurialis vel Betę, Pulegij, Calamentę an. M. j. florum Chamomillæ, Sampsuci, Centaur. min. an. P. j. radic. Iridis, Enulæ, Asari an. ℥. j. seminũ Fœniculi, Carui vel Cimini an. ʒ. ij. fiat decoctio in aqua vel decocto Hordei seu Cicerum, dissolu. in s. q. Benedict. Laxat. vel Hieræ ℥. ß. olei Rutacei, Anethini an. ℥. j. ß. Salis parùm, fiat Clyster.

Posset in decocto etiam addi Absynthiũ, Maiorana, Chamæpythis, flor. Rosmarini, Stœchados vel Lauandulæ, Genistæ. Item Agaricus trochisc. & in eo dissolui Muria, Vrina, Lixiuium, atque alia quædam laxatiua & Olea.

Abstergēs Clyster minùs operosus: ℞. Vrinæ pueri ℔. j. cui & Lixiuium addi potest, olei de Lilio vel Chamomill. ℥. ij. fiat Clyster.

Vomitus ventriculum repurgando, vbi principium cruditatis est, ad eam impediendam cum cæteris adiuuat; Qui promouetur iisdem quæ in ventriculi affectibus dicta sunt.

Venæ sectio, si menses retenti sint in fœmineo sexu, vti ferè fit, illorum prouocandorum causâ in pedibus fieri potest. Aliàs etiam in consuetis & crudo sanguine repletis, si concedatur, cùm per eam illius portionem euacuari nobis cùm effluit crudus, maximeque cùm concrescit talis apparens ostendat, prodesse eo nomine, vel saltem non multùm obesse poterit, cùm si non nimiùm larga fiat, adeò viscera refrigerare nequeat.

Sudorum prouocatio, cùm multùm absumat de aquosis humoribus, tàm ex habitu corporis, quàm è venis, cōuenit admodùm, per eosque sæpè tumor mox decrescit. Qui, si ferri possint, Exercitiis eliciendi, adhibitis frictionibus indies, repetitis vicibus; quæ & solæ materiam discutiunt.

Vel prouocantur per vices exhibitis, vt decocto Gaiaci, addito Salsafras, cùm fœnulaceum habeat saporem: Vel aliis non tamen immoderatiùs hoc mollientibus.

Vel datur hoc decoctum: ℞. seminis Milij excort. ℥. ij. Aquæ fontan. ℔. ij. coquantur donec quatuor vel quinque vnciæ supersint, huic colaturæ adde Vini albi tantundem; Bibat hydropicus calidum mirè sudores elicit.

Syrupus S. Ambrosij nominatus, simili ferè modo paratus, exhibitus, idem efficit, puerisque hydropicis gratus & vtilis.

Sudatorium aliud: ℞. Theriacæ ℥. j. ß. Calami aromat. quartarium j. decoquantur bene tecta in Mens. j. ß. Vini rubri ad cōsumpt. tertiæ partis: Bibat noctu cubitum iturus haustum, calidè, & totidem manè; sudet.

Aquas theriacales aliqui quoque propinant.

Rob de Sambuco & Ebulo vulgus vsurpat, dissolutum cum aqua conuenienti, quæ cum decocto Milij, vel aqua florū Iridis, vel Cardui benedict. sumi possunt.

Alterantia ad viscera roboranda, obstructiones soluendas, & vrinas promouendas, vt per eas quoque aliqua fiat ab hisce visceribus euacuatio, dein & ad durities, si illæ quoq; adsint; vti aliquando in ea quæ asciti copulatur, emolliendas, varia exhibentur. Qualia pleraq; in cachexia in alterantibus, copiosè, & quo pacto hæc pro ratione causæ diuersitatis sint dirigenda, sunt exposita. Seligenda è singulis, cùm magis pertinax sit leucophlegmatia quàm cachexia, efficaciora scopoq; accōmodatiora, tum ex illis quæ bibūtur, vt decoctis, syrupis, succis, vinis, aquis stillatitiis, oleis, lixiuiis, vrinis, aquis naturalibus, inter quas tamen aquarum atramentosarum diuturnior & copiosior potus, non nisi diligenti cautione adhibitâ, concedendus, & si ventriculi vel hepatis magna adsit imbecillitas vel refrigeratio, inhibendus. Item ex illis quæ in substantia sumuntur, veluti quæ in cibis vel condimentis, conseruis, pulueribus, speciebus vsitatis, vel aliis mistis potionibus, electuariis, pilulis exhibentur, è singulis conuenientia desumenda, hîcque etiam vsurpanda.

Quibus & sequentia subiungi poterunt, in quibus & ventriculi, vt illius quoq; concoctio promoueatur, cruditasque vitetur, habetur ratio.

Decoctum conueniens: ℞. radicum Aperitiu. aliquarum ad ℥. j. ß. Filipendulæ ℥. j. herbarum Eupatorij, Capillarium, Chamædr. Chamæpyth. Cuscutæ, Maioranæ an. M. j. Hysopi M. ß. sem. Anisi, Fœniculi an. ʒ. j. florū Sambuci P. j. fiat decoctio, addendo parùm Vini, aromat. Cinamom. Spicâ, Schœnātho, addendo Saccharum, fiat Apozema; Pro aliquot vicibus. Si simul laxandum, additur sem. Carthami & Polypodium.

Vinum ex infusione horum fieri potest, & illius loco vsurpari.

Vel hæc decoctio à quibusdam experta: ℞. granorū Iuniperi ℔. ß. rad. Enulæ, Bryoniæ an. ℥. ß. herbarum Thymi, Maioranæ, summit. Rosmar. Rutæ, Arthemisiæ an. M. ß. coquantur in ℔. iiij. Aquæ, dulcoretur, aromatisetur: Bibat aliquoties.

Aliud: ℞. Rhapontici ℥. ij. herbarum Absynthij, Marrubij, Ceterach ana M. j. co-

quantur in Aqua & Vino, ad consumpt. tertiæ partis.

Aut decoquatur hoc pacto radix Acori veri, Pulegium & Hedera.

Syrupus de Absynthio inter alios, cruditatis causâ probatur, vti & de Betonica, qui ex succo illius cum saccharo decoctus sit.

Aquæ item Absynthij & Betonicæ eodem nomine, cæteris aperientibus mistæ probantur: Vti & Enulæ, Maioranæ, Mentæ, &c.

Pulueres stomachici aperitiuis quoque miscentur; Diacalamenti, Diagalangæ, Aromat. ros. & Cordiales imbecillitate viriũ, de Gemmis & similes.

Ad concoctionem iuuandam, & pulueres post cibum sumendi, post pastum nominati, quandoque assumuntur.

Conseruæ & condita Betonicæ, Acori veri, Zingib. Maioranæ, Stœchados, Rosmarini, Corticum citri, concoctionis caussâ, & virium Buglossi vtriusque, hisque affines, cæteris miscentur.

Vel fiat talis: ℞. Conseruæ flor. Cichorij, conser. rad. Apij, an. ℥. j. cons. rad. Iridis, cons. Maioranæ, florum Betonicæ & Buglossi an. ℥. ß. Laccæ ℈. ij. Coralli ʒ. ß. Cinamomi ʒ. j. Galangæ, semin. Fœniculi an. ʒ. ß. Spicænar. ℈. ß. cineris Intestinorũ & pellicularũ Ventriculi gallinæ ℈. j. cum syrupo de Radicibus vel alio, fiat electuariũ: Capiat superbibendo aquas. Si hepar Lupi præparatum addatur, magis appropriatum esse creditur.

Vel: ℞. Conseruas prædictas, addendo specierum Triasantali vel Diarrhodon ʒ. ß. Diagalang. Dialaccæ an. ℈. j. cinerum pellicul. ventriculi vel intestinorũ Gallinæ ℈. j. ß. misce: Pro electuario.

Electuarium vel mistura vtilis: ℞. radic. Ireos ʒ. ij. Amygdal. amararum ℥. j. ß. seminis Anisi, Fœniculi an. ʒ. j. Sacchari ad pondus omnium, fiat Mixtura.

Pilulæ efficaces quę & menses si suppressi sint, provocant, vrinas ducunt & duritieS emolliunt: ℞. Rhabarb. ʒ. j. ß. rad. Gentianæ, Aristolochiæ, Rubiæ, Costi amar. an. ʒ. j. sem. Apij, Ameos, granorũ Iuniperi an. ʒ. ß. Squœnanthi, Spicę an. ℈. j. gummi Laccę ʒ. j. ß. cum succo Ireos vel Eupator. fiat massula pilularum, vel additis Amygdalis amaris, fiant trochisci.

Aliæ adhuc efficaciores: ℞. Rhabarb. rad. Rubiæ, Valerianæ, Asari an. ʒ. j. foliorum Sabinæ, Maioranæ, seminum Apij veri & Paludapij an. ʒ. ß. Spicæ ℈. ß. Cantharidũ abruptis alis tenuioribus n. xij. Gummi ammon. diss. in Aceto fortiss. ʒ. j. cum syrupo de radicibus fiat massa: Capiat à ʒ. ß. ad ʒ. ij. superbibendo parùm decocti Cicerum & semin. Melonũ.

Vel: ℞. puluerem prædictum cum Gummi dissoluto, adde Amygd. amar. excort. ℥. j. ß. seminis Melonum mund. ʒ. ij. & cum syrupo de Eupatorio, vel radicum, vel syr. Ireos fiat electuarium: Capiat ʒ. j. superbibendo decoctum Cicerum & Petroselinum.

Externa remedia hepatis vel lienis affectorum causâ, eadem quoq; quę in cachexia declarata sunt, in hoc casu competere possunt, tàm inunctiones quàm emplastra, fomenta & alię applicationes, eligendo ea pro ratione causæ. Quibus & ventriculo quoq; accommodata addi possunt sequentia.

Epithema hepatis regioni applicandum: ℞. rad. Apij ℥. j. ß. rad. Asari ℥. ß. Absynthij M. j. flor. Bugloss. Borrag. Sambuci an. P. j. seminũ Cuscutæ ʒ. ij. Endiuiæ Acetosę an. ʒ. j. Santal. omnium an. ʒ. j. ß. Spicænar. vel Cassiæ lign. Squœnanthi an. ʒ. ß. decoquantur in Vino & Aqua: Pro fotu regionis hepatis.

Potest & Cerato santalino illiniri regio hepatis.

Ventriculus ad cruditates impediendas sic inungatur: ℞. olei Absynthini, Mentæ an. ℥. j. olei Mastichini vel Cydoniorum & Nardini an. ℥. ß. Mastiches ʒ. ij. Santali, Cyperi an. ʒ. j. Garioph. ʒ. ß. Ligni Aloës ℈. j. Ceræ q. s. fiat Vnguentum.

Vel inungatur oleo Nardino composito.

Emplastrum ad idem fit, miscendo prædictis, pulu. Absynthij, Mentæ, Mastiches, atque inspissando augendoque Ceram, addendo Galliam mosch. Vel vtatur emplastro pro stomacho.

Ad tumida loca, vt subsideant, nonnunquam applicantur quædam discutientia, & si serosus humor redundet, eum absumentia, multaque ex illis quæ in ascite exposita sunt, conuenientia: Veluti sequentia.

Balneis humidis & siccis seu stuphis sudor quoque elicitur materiaque absumitur, tumidæque partes subsident, maiorique successu hîc quàm in ascite vsurpantur; Ex iisdem, vti illic ostensum, parata.

Immersio corporis vniuersi, capite dempto, in arena vel cineribus, vt in ascite, hîc quoque maiori fructu operabitur.

Fotus partium tumidarum ex lixiuio, vti illic quoque demonstratum, conuenit.

Fasciis in Lixiuio vel Oxymelite madefactis inuoluantur partes tumidæ diebus aliquot.

Cataplasmata ex stercoribus vt dictum præparata idem præstabunt.

Sacculi illic quoq; positi applicari possunt, additis etiam aliis discutientibus calidis.

Regimen quod attinet; Aër sit cōueniens, temperatus, non vdus sed siccior potiùs.

Cibus euchymus, eupeptos, conditus calidis exiccantibus ventriculo accommodatis.

Carnem ericii comestam leucophlegmaticis prodesse scribunt.

Vigiliæ, affectus animi siccando, prodesse creduntur, sed debilitando plus obsunt.

Oedematis, & tumoris œdematosi curatio. Oedemata tam ea quæ circumscripto tumore, maximè circa genua & humerum se offerunt, quàm ea quæ diffuso nec ita collecto per pedes aut brachia tumore, œdematoso dicto occurrunt, à succo crudo simplici vel sero permixto progressa, difficulter, cùm sit substantia carnis aucta, cedunt, sæpeque ad dies vitæ permanent.

Quorum curatio, per generalia in quibus totius corporis habetur ratio, remedia, & particularia tumoribus tantùm hisce accommodata, perficienda.

Generalis cura, quæ totum corpus respicit, pro ratione causæ dirigenda, vt crudi illius succi prouentus impediatur, qui si vitio viscerum concoctioni destinatorum, vt ventriculi hepatis vel lienis generetur, tunc quia cachexia simul iuncta erit, quæ particulares potiùs eiusmodi tumores in peculiaribus partibus erumpentes, quàm generalem totius corporis in anasarca, vt aliàs facere solet, parit, curatio ea quæ in cachexia exposita fuit, primùm erit instituenda, atque victus ratione idoneâ euacuationibusq; decentibus, per aluum per sudores factis, vti illic ostensum, perficienda, viscerumque imbecillitati aut morbis aliis occurrēdum, antequam particularem curam huic tumori adhibeamus. Quòd si verò succus ille crudus œdemata hęc proferens, ex partis quam occupat & nutrit, malâ constitutione illic congestus prodeat, tunc habitâ saltem ratione corporis constitutionis, vt laudatus sanguis gignatur, corpusque purum sit, vnde faciliùs curatio procedit, generalis cura erit particulari præmittenda.

Particularis cura quæ œdematibus accōmodatur, perficitur ab initio & in augmento illis, quæ succum, hæc loca nutriendo auctiora reddentem, astringendo premendoq; repellant, sicque incrementum impediant. Atq; vbi œdemata iam nata fuerint, quæ siccando digerendoq; eum absumant, sicq; tumores hosce dissipent, additis illis quæ præterquam quod id præstant, partem imbecillem & laxā simul roborēt: Vel quæ per manifestas aperturas nutrimentum ipsorū exhauriant: Vel si in abscessum desinant, quod rariùs fit, quæ eum maturent, maturumque aperiant, tandemque vt vlcus, sanent: Quæ omnia sequentibus peraguntur.

Adhibemus fotus œdematibus, vel balnea si amplum spacium occupent, vt partes illis immergi queant.

Fiuntque ab initio fotus ad repellendum cum spongia, quæ si recens haberi possit, magis astringere creditur, immersa in Posca hoc est Oxycrato.

Vel cū Aceto fortissimo cōtemperato cum Aqua extinctionis ferri, aliáve astringente.

In progressu fiat fotus ex Aceto & Lixiuio, vel Aquâ salsâ arte factâ, vel à natura productâ.

Postea vbi tumores iam excreuerunt, Aqua salsa sola, vel Nitrosa thermarum conueniet, in qua immergantur partes œdematosæ, vel foueantur.

Vel fiant hæc ex Lixiuio transcolato per cineres communes, vel sarmentorum Vitis, aut ligni Quercus, Ilicis, Fagi, Salicum, Ficus vel Ossium combustorum.

Fortius fit, si Alumen, Sal vel Nitrum in eo

eo dissoluas, vel illi incoquas: Nonnunquam & Acetum addas.

Digeret simul partemque roborabit, si de plantis sequentibus aliquæ incoquantur: Veluti rad. Ebuli, Acori veri, Lapatij, ex herbis odoratis, Saluia, Rosmarinus, Maiorana, Betonica, Lauri folia, Calamenta, Origanū, summitates Iuniperi, Ruta, Sabina, Arthemisia, fl. Lauandulę, vel Stœchados, Chamomillæ, semina Lupinorum, Fabæ, baccæ Iuniperi, conquassata, aliæ've artheticæ calidę.

Vnguenta post fotum adhibentur; fitque tale repellens à principio: ℞. Boli vel Terrę alt. pingu. ℥.ß. Aloës ʒ.iij. Acaciæ, Sanguinis draconis an. ʒ.ij. radicis Cyperi ʒ.j. Croci ʒ.ß. Aceti ℥.j.ß. olei Rosacei ℥.iij. Terebinthinæ q.s. fiat vnguentum, vel additâ cerâ, Ceratum.

Aliud in progressu admouendum: ℞. Sulphuris viui ʒ.iij. Salis gemm. ʒ.ij. Cinerum communium vel peculiarium plantarū ʒ.j. farin. Fabarum ℥.ij. Aceti fortis. ℥.j. olei Nucum & Terebinth. q.s. fiat Vnguentum. Potest & addi succus Caulium.

Emplastrum etiam quod tumorem vniuersum complectatur gestandum: ℞. Ladani ℥.j.ß. Thuris ℥.j. Styracis cal. ℥.ß. Sulphuris viui ʒ.vj. Aluminis, Salis nitri an. ʒ.ij. pulu. Vsneæ quercinę, Isatidis, Cinerum communium vel prædict. an. ʒ.j. radic. Acori, Spicæ an. ʒ.ß. Croci ℈.j. stercoris Vaccini exic. ʒ.ij. puluis omnium excipiatur Aceto, & cum parùm rursum siccatus fuerit, adde Tereb. fæcis. olei Rutacei vel Liliorum, fiat emplastrum.

Vsitata sunt emplastra ad hanc rem, Diachylon ireatum, Ceroneū, Diachalcytheos.

Cataplasma digerens tale fiat: ℞. rad. Liliorum vel Altheæ, Bryonię an. ℥.iij. rad. Cucum. asinini ℥ ij. rad. Ebuli, Lapatij an. ℥.j. foliorum Saluiæ, Rutæ, Tamaricis, vel Salbinę an. M.j. coquantur in aquæ Pluuialis & Vini æquis partib. addendo sub finem Aceti ℥.iij. contundantur, adde farinæ Fabaceæ vel Orobi ℥.ij. farin. Lupinorum ℥.j. Cinerum supradict. pro lixiuio ℥.ß. Stercoris vaccæ exiccati ʒ.vj. Salis ℥.ß. Fermenti ℥.j.ß. Axungiæ porci ℥.iiij. olei Chamomelini, Cheirini ana ℥.iij. fiat Cataplasma.

Possunt hisce quæ decoquūtur addi etiam Limacum caro; Item succi loco plantarum illarum, vt Ebuli, Lapatij, aliíve vt Fœniculi.

Sacculi discutientes etiā adhibiti, aliquid præstant, pulueribus idoneis referti. Vel asperguntur pulueres Spongiæ siccæ, vel madefactæ in liquore aliquo & cum ea sic tumori adligantur.

Fiuntq; ex Saluia, Rosmarino, Betonica, seminibꝰ Carui, Dauci, Fœniculi, &c. Adianthum generationem œdematum impedire censetur, appositum.

Applicationes aliæ ad maturandum, si in abscessum vergat, eædem quæ in abscessus cura expositæ fuerunt, hîc quoque vsurpari possunt.

Fasciis vincire & stringere locum vbi œdema enascitur, admodùm ipsius incrementum prohibet.

Frictio quoque dissipat, eoq; magis, si adhibito Oxyrrhodino & Sale fiat.

Scarificatio vel cauterisatio actu potentiáve operans, in pluribus locis œdematis, illud quoque minuit. Vel si vesicatorium illi ex cantharidibus aliisve paratum adhibeatur.

Palpebrarū œdemata, in quibus palpebrę hoc pacto in tumorem eleuantur, simili ratione vti cætera curantur, tum per generalia præsidia, si corpus humiditatib. scateat, tum topica, ea tamen hîc eligenda & palpebris sic accōmodanda, ne oculo noxam inde adferamus, quare tunc tutiùs vtimur inunctionibꝰ spissioribus, ne in oculū defluant, vel emplastris vt hæreant, palpebris admotis, quæ ab initio repellant & postea digerát. Vel si fotu vti velimus, ad id quoq; præstandū (omissis illis acrib. ex aceto, sale & lixiuio paratis, vel cautè cū spongiola adhibitis, potiùs cùm digerere volumus) illo vtamur, qui in visus imbecillitate fuit descriptus: Vel inungendę palpebræ inunctione illic quoque expositâ.

Cui & sequens potest adjici: ℞. Gallarum vel Nucum cupressi ʒ.ij. Cimini ʒ.j. Aloës, Myrrhæ an. ʒ.ij. Croci ℈.j. Mellis q.s. fiat Vnguentum vel Emplastrum supra palpebras oculo clauso imponendum.

Laudantur & folia Amarici, Ricini & Alsines, tusa cum polenta apposita.

A' seroso humore potissimùm prodeuntium intumescentiarum & tumorum curatio, primùm in ea quæ generalior est intumescentia, mediæ corporis sedis inferioris, Hydrope ascite; Dein in peculiari Intumescentia pedum, & tumore in inguine, qui in scroto occurrit Hydrocele; Postea & in ventre vbi tumor aquosus in mulieribus instar Hydroceles, & iuxta vmbilicum Hydromphalo, & in capite Hydrocephalo, & in palpebris ipsarum Inflatione; Postremò & paruis aquosis pustulis Phlyctenis, instituetur.

Ascitis hydropis curatio. Ascites hydrops, si ab hepatis aut lienis substantiæ soluta continuitate, à siccitate vel duritie aut scirrho, vel tumore alio, vel vlcere, aut omnimoda corruptione, aut contusione vel vulnere proficiscatur, cùm ægrè hæc reparari possint, incurabilis ferè existit; Vti & si à renum eiusmodi læsionibus, vel vreterum & vesicæ disruptione prodeat; Aut à venarum meseraicarum, cum omento & mesenterio rupturâ, exesione, vlceratione & corruptione, immedicabilis quoque plerunque existit morbus. Quòd si verò à nimia seri copiâ, in venæ portæ vel etiam cauæ ductibus coaceruatâ, & ex illis in abdomen exsudante, vel per anastomosin exstillante, prodeat, curationem admittere potest, modò non huius collectionis, omnimoda hepatis vel renum imbecillitas, quæ reparari ampliùs nequeat, vel vterque vreter adeò obstructus, vt reserari non possit, quod rarum est, in causa sint, vel aqua in abdomine diutiùs retenta, iam viscera vel omentum & mesenterium, cum venis illis intextis, vt sæpè fit, infecerit. Quibus obseruatis, si de causa constet, eò audaciùs aliquid prædicendum, sin ea nos lateat, vti sæpè fit, vel de ea dubitemus, dubiè quoque respondendum. Inprimis si vrina admodum rufa sit, malũ erit, si cruda & alba, maior erit spes.

In curatione hydropis ascitis, causæ primùm erit habenda ratio, quæ si à viscerum hepatis & lienis imbecillitate, refrigeratione, obstructione, duritie, scirrho, tumoréve alio duro, procedat, curatio in cachexia potissimùm, partim etiam ictero, quæ ab iisdem caussis nata, hydropem præcesserunt, copiosè explicata fuit, adeò vt non opus sit hîc eam repetere. Vti & si à calore & siccitate horum viscerum hydrops originem traxerit, in cachexia, cuius quoddam genus quoque illum præire solet, similiter curatio fuit proposita. Quòd si verò ob imbecillitatem renum potiùs accidat, vel vreterum omnimodam obturationem, remediis quæ in mictione suppressa præscripta, huic seri retentioni & coaceruationi in venis, occurremus. Quibus sic institutis, ilicò quoque ad aquam ex abdomine educendam, antequam viscera interna corrumpat, omne studium conuertemus; per aluum eam educendo, per vrinas, per sudores eam exhauriendo, & nisi hæc succedant, etiam per manifestas sectiones & aperturas, vel externas applicationes, quæ hasce aquas absumant, illud moliendo. Quod & in pedibus similiter faciendum, tum vt illorum quoque tumor subsideat, tum vt illic effluente aquâ, illa quoque quæ in abdomine existit, in illius locum succedens, ab eo ex parte per hanc viam euacuetur; scrotoq; si illic aqua quoq; consistat, quæ eam consumant, extrinsecùs apponenda erunt.

Cæterùm in aliis causis, quas auertere difficile vel impossibile, vt viscerum solutâ continuitate, ex siccitate nimia à calore contractâ, refrigerantibus & humectantibus potiùs, quàm calidis & siccantibus, quibus aliàs in omnibus ferè hydropis caussis vti solent, hanc emendare, vti in cachexia eo modo quoque genitâ, exposita sunt, studebimus; & in duritie ac scirrho horum viscerum tumoreque, ea, remediis in cachexia similiter expositis, emollire conabimur; quæ tamen ad præcautionem in hydropis metu plus efficient, cùm vbi inualuerint, ea vix ampliùs queamus corrigere; Vti neque si grauior læsio aut corruptio hæc viscera aut vasa infecerit. In quibus tamen desperatis causis, nihilominùs ad symptomata lenienda, aquas quoque ex ventre & pedibus educere, iisdem vel etiã extremis remediis tentabimus, vt sic dyspnœa minùs illos grauet, & ne aqua retenta, ob moram & pernitiem summam quam acquirit, viscera interna lædendo, grauiora illis pariat accidentia, & in pedib⁹ sponte vel aperturâ priùs factâ erumpen-

pendo, illic inflammationes & gangrænam, vnde miserè sæpè ante obitum affliguntur, procreet. Hę autem omnes operationes per sequentia reme.i a perficiuntur.

Purgantia in ascite, tum obstructionibus soluendis, tum aquæ educendæ per aluum, accõmodátur. E' quibus quæ causâ obstructionum vsurpantur, potissimùm in viscerũ obstructionibus, à quib⁹ cachexia & icterus oriuntur, si hæc hydropi iungantur, conuenient. In hydropis verò aliis causis, ideò, quod & illa aquarum deiectionem, naturam sollicitando promouent, cùm nulla liquida excretio sine sero fiat, competere possunt, & cùm hisce visceribus multa appropriata recipiant, eo nomine in horum lęsionibus etiã tum per se, tum reliquis fortioribus permista, vsurpari; tutiusq; quàm ea, quæ tantùm ad aquæ expurgationem exhibentur, Hydragoga dicta, cùm illa naturam illiusq; facultatem expultricem, si magnam aquarum copiam profundere debet, admodùm commouere & irritare debeant, ob quam & caussam acri & adurente vi quâ illud faciũt, corpus, nisi ritè & pręparatè administrentur, facilè accendunt, & ventriculum intestinaque rodunt & adurunt. Hæc proinde non nisi cautè, si alia non proficiant, tanquam extrema remedia tentanda, si fortè per ea, natura commota, non solùm aquam eam, quæ in venis proximioribus vel distantioribus adhuc consistit, per venarum meseraicarum oscula rursùm ad intestina excuteret, quod faciliùs fit, sed etiam de ea quæ in abdomine collecta redundat, per eandem viam, vti sæpè natura mirabiliter per medicamenta hæc operante, accidit, expurgaret: Quæ omnia sequentibus præsidiis perficiuntur.

Communia cæteris quoq; hepatis & lienis maximè ab obstructione dependentibus affectibus, in ictero & cachexia & leucophlegmatia descripta sunt, quæ hîc ab initio ad aquas educendas, vti dictum, aliquando antequam ad vehementiora accedamus, vsurpantur. Veluti potiones, ex Rhabarbaro inprimis, quod hisce visceribus adeò amicum censetur, cæterisque adiectis leuioribus fortioribusque catharcticis paratæ: Item ex electuar. solutiuis, catholico, diaphœnico, de succo rof. & præcipuè ex hieris simplicioribus compositisve, syrupis solutivis, rof. fumarię, epithymi, polypod. Ex pilulis de hiera, de tribus, de rhabarbaro, de agarico, aggregatiu. quorum formæ aliunde peti possunt.

Quę verò priuatim hydropi asciti accommodantur catarctica remedia, ex hydragogis cum cæteris permistis, vel solis concinnata, sunt sequentia.

Decoctum aquas educens, hepati & lieni insuper appropriatum: ℞. radic. quinque Aperitiu. ℥.ij. radic. Iridis, Valerianæ, Pentaphylli ana ℥.j. rad. Asari ℥.ß. cort. Tamaricis vel radic. Capparum, Sambuci vel Ebuli ana ℥.j.ß. herb. Cichoreæ cum toto, Dentis leonis cum toto, Endiuiæ, Sonchi, Hepaticæ, Eupatorij, Chamędreos, Chamępythios, Fumariæ, de quinque Capillaribus aliquas an. M.j. florum Genistæ, Tamaricis, Sambuci vel Ebuli quatuor flor. Cordial. ana P.j. florum Centaur. minor. P.ß. seminum quatuor frig. Maior. ℥.ß. seminis Anisi, Fœniculi, Petroselini an. ʒ.ij.ſ. Cuscutæ ʒ.j. Hederæ ʒ.iij. Prunorum P.v. Tamarin. ℥.j.ß. Passul. enucl. ℥.ij. foliorum Sennæ, Polypod. ſ. Carthami an. ℥.j.ß. Epithymi ʒ.ij. fiat decoctio in Aqua, addendo poculum vnum Vini albi, & in colatura infunde Agarici trochisc. ℥.ß. Rhabarbari ʒ.iij. Spicæ ℈.j. fiat expresſio, adde Sacchari vel Mellis q.ſ. fiat Apozema, aromatisetur Cinamom. Pro quatuor vicibus.

Hoc decoctum hydragogum magis fiet, si Mercurialis vel Soldanellæ M.j. addas, vel Esulæ præpar. ʒ.j. Vel Chameleæ aut Thymeleæ M.ß. Quorum si plura sumátur, Rhabarbarum & Agaricus hîc omitti poterunt. Apios rad. aliqui addunt. Quæ fortiora cùm vsurpantur, minori quantitate ab initio propinari debent, vt antequam dosis eorum exactè definiatur, priùs de operatione & vehementiâ illorum constet, quam priusquam exploraueris, ægrè licebit exprimere, quod & in reliquis formis, quæ aliquoties exhiberi debent, obseruandum; adhibitâ semper simul diligenti, vt vocant, custodiâ; & lauatiuo si opus fit, postea vsurpanda.

Aliud hydragogum simplicius sic fit: ℞. fol. Soldanellæ ℥.ij. sem. Hederæ ℥.ß. rad.

Asari

Asari ʒ.ij.semin.Anisi ʒ.iij.fiat decoctio in Aqua & Vino, vel Decocto aliquo simpliciore ex supradictis: Capiat haustum.

Vel fiat hoc pacto: ℞.radic.Liquiritiæ ℥.j. rad.Enulæ ℥.ß.rad.Cyclam.℥.j.fol.Soldanellæ M.j.Thymeleę vel Chameleę vel Laureolæ M.ß. vel ℥.ß. Passul. enucleat.℥.ij. seminis Hederæ ʒ.iij.sem.Fœniculi ʒ.ij.decoquantur in iure Cicerum rubr. & in colatura, adde Sacchari & Mellis rosq.s. iterũ parũm bulliant,addẽdo ℥.ij. Vini, aromatis. Cinamom. & Squænantho vel Spicâ: Bibat portionem, & pro operatione illius, reliqua quantitas dirigatur.

Vina per macerationem aut etiam; decoctionem facta,& tutiùs & meliùs,operari,illisq; maximè hydropem,si modo curari possit, sanari, experientiâ longâ comperimus. Quale illud est, quod ℞.rad.Iridis ℥.j.ß.rad. Cichor.Fœnicul.an.℥.j. radic.Enulæ vel Imperator.℥.ß.cortic.rad.Sambuci & Ebuli an. ℥.j.fol.Absynth.ʒ.iij.Chamædr.Chamępyth. an.ʒ.ij. summ.Rosmarini P.j. flor.Centaurij min.ʒ.j. semin.Fœniculi ʒ.ij. semin.Coriandri,Carui,Petroselin.an.ʒ.j. foliorum Sennæ ℥.j.ß.Agaric.trochisc.vel radic.Bryoniæ præpar.vel Mechoacæ ℥.ß. vel Agaric.Rhabarb. ana ʒ.ij. & si efficaciùs esse debeat, Turbith. ʒ.ij. Arida omnia incisa & comminuta,infundantur in ℔.v.vel vj. Vini. Et de eo macerato solùm vel cocto in duplici vase: Bibat haustum, & prout operabitur,illius dosis vel augebitur vel minuetur,atq; successiuè exhibebitur.

Vel adde simul prædictis,radic.Gentianę & Aristoloch.ana ℥.ß. radic. Asari ʒ.ij.cortic. Dulcamaræ ʒ.vj. Thymi ʒ.j. florum Genistæ P.j. seminis Hederæ ℥.ß. sem.Apij ʒ.j. & sic paretur.

Vt potentiùs,in tardis præsertim, aquarum eductionem operetur,hisce vinis addemus fol.Soldanellæ vel rad.Cyclaminis ℥.ß. Et si adhuc validius esse debeat,& fol.Chameleæ vel Thymeleæ destituamur, cortic. rad.Esulæ præpar.vel cortic.Hellebori nigri à ʒ.j. ad ʒ.j.ß. vel Colocynthidis ʒ.ß. quæ omnia in vino exhibita,minùs quàm in decocto lædere possunt, addendo simul Spicæ, Squœnanthi ana ʒ.ß.

Alia vina simpliciora sed efficacia fiunt,si in Vino vel Musto recenti macerentur,vel etiam decoquantur,addito interdum pauco Absynthio, ventriculi gratiâ, cort.rad.Sambuci,vel cortex Ebuli,vel cortices medij virides Sambuci vel Dulcamarę,vel Ebuli grana: Et hoc vinum detur.

Fortiora sunt: si ex rad.Cucum.sylu.vel Bryoniæ sic vina fiant, vel foliis Chameleæ aut Thymeleæ, vel solis, vel vnà cum floribus & fructibus,si hæc adsint.

Potiones aliæ, additis succis, ex infus.vel decoctis in Vino sic fiunt: ℞.Rhabarbari & fol.Soldanellæ an.ʒ.j.vel ℈.iiij. infundantur. Expressio detur,addito Syrupo aliquo rosarum solut.vel alio.

Vel: ℞.Rhabarbari ʒ.j.vel ℈.iiij.Irroretur succo Iridis depurato ab ℥.ß. ad ʒ.vj. aliàs & succo rad.Sambuci addito, & post sufficientem macerationem, adde Vini Absynthij q.s.exprimatur diligenter: Et sic propinetur,vel addantur quoque syrupi.

Efficacior erit, si Rhabarbarũ in succi Cyclaminis ʒ.j.ß. vel succi Palmæ Christi ℥.ß. immergatur,& potio vti prior paretur.

Vel: ℞.Agarici ʒ.j. Zingib.℈.ij. Salis gem. ℈.j.irrorentur prædictis succis: Et vino addito,expressio detur.

Probatur & potio ex sero vel iure galli facta, hoc modo: ℞.Polypod.querc.℥.ij.sem. Carthami conquass.℥.j. radic. Iridis, recent. ℥.j.ß. decoquantur in Sero caprino,vel Iure galli decrepiti, quod ius iam priùs coctum sit; Vel cum gallo hęc materia infarcto,coquatur: Detur haustus, addendo pulu.rad. Ireos & Cinamomi an.℈.j. & repetatur: Possunt & plura addi ex supradictis vt magis operetur.

Succus Iridis recẽter expressus,cùm semper inueniatur, aluũ & vrinas mouet,à ʒ.ij. ad ʒ.vj.propinatus,sæpè solus hydropem sustulit,qui & per residentiam priùs depurari potest,præsertim si ad vsum diutiùs asseruari debeat. Quia fauces inflammat,possumus eum cum vino vel aqua mulsa aut iusculo vel lacte exhibere,vel saccharum aut mel illi permiscere, additis etiam aliis gratiam illi conciliantibus,vel hepaticis.

Vel syrupus ex eo ad vsum paratur,admiscen-

ſcendo æquam partem ſacchari pulueriſati ſucco, ſicque conſeruando, vel priùs ad conſiſtentiam aliquam, ſi diu aſſeruari debeat, coquendo: Sed tunc duplo pondere, vel ampliùs, prout operationem illius videbimus, exhibebitur.

Vel: ℞. Rhabarb. elect. infuſi in vino abſynth. & expreſſ. ʒ. iij. ſucci radic. Iridis recent. expreſſ. ℥. iiij. aquæ Cinam. ℥. ß. Sacchari quartar. j. ß. decoquatur ſenſim in formam Syrupi. Detur ab ℥. j. ad ℥. j. ß.

Cyclaminis ſuccus eodem modo crudus præparatusq; exhiberi poteſt: Vel alij ſucci, vt Sambuci, Ebuli, Bryoniæ, &c. Vel additâ quoq; Rhabarbari infuſione, vel etiã Agarici, in ſyrupos, vti iridis ſuccus, coqui poſsũt.

Vel paretur ſuccus hoc modo, à quibuſdã expertum remedium: ℞. Cort. recent. viridium Sambuci, aliquãdo & Dulcamaræ, qui ſub deraſa exteriore dura tunica mox occurrunt ad M. ij. radic. Bryoniæ rec. ℥. j. contundantur ſeu piſtentur diligenter, addendo Vini & Aceti bonam quantitatem, exprimatur ſuccus: Detur duabus vel tribus vicibus.

Efficaciſsimus inter omnes eſt ſuccus Cucum. ſylueſtr. fructuum, præparatus & exiccatus, quem Elaterium vocant, quod fit ex ſucco pulpoſo è fructibus penè maturis antequam diſsiliunt expreſſo, & per cribrum tranſmiſſo, in vas ſubiectum, cui poſtea decoctum ſegminum quæ de fructu remanſerant, in aqua factum colatum miſcetur; Hæc ſimul agitata in ſole vel alio calore linteo tecta, collocantur, & poſtquam aliquandiu ſteterint, tota ſupernatans aqua cum humore concreto effunditur, idque toties, donec tota exiſtens aqua liquefacta, ſtillatim exhauſta fuerit; quo facto, quod remanſit, in paſtillos cogitur. Aliter & citiùs fit, ſi liquor ille, ſupra pannum linteum triplicatum, cineribus inſtratum, in medio depreſſum fundatur, & quod in panno remanſit, ſiccetur, ſicq; in paſtillos redactum, ſeruetur.

Aliter ſic quoque præparari poteſt expeditè magis: Si ſuccus horum fructuum expreſſus, cum Sacchari quadrupla quantitate ad conſiſtentiam vel ſyrupi, vel electuarij coquatur, permiſcendo interdum & alia conuenientia. De quibus omnibus parua exhibenda à principio eſt quantitas, donec de viribus medicamenti conſtet.

Extractum ſeu ſuccus Eſulæ, inſpiſſatus in formam rob, etiam in hoſce vſus datur: Item rad. Ari; aliàs & Hellebori nigri, Euphorbij; omnia cautè adminiſtrando, doſisq; conueniens potiùs experiunda, quàm hîc exprimenda.

Conſerua facta ex foliis Chameleæ, Thymeleæ, vel Laureolæ, priùs maceratis in aceto, contuſis & cum Mellis duplo pondere permiſtis: Cum Lacte vel Sero illius datur.

Electuarium ex aridis eiuſmodi plantarum foliis, pulueriſatis, & cum melle coctis, interdum eodem modo exhibetur.

Vel fiat hoc electuarium: ℞. fol. Soldanellæ, Mezerei, in aceto macerat. poſtea exiccator. & puluer. folior. Senæ ana ʒ. iij. medullæ ſem. Carthami ʒ. ij. Turbith. ʒ. iij. rad. Iridis puluer. ʒ. j. Maſtiches, Laccæ ana ʒ. j. ß. Syrupi roſ. ſolut. q. ſ. fiat electuarium.

Vel hoc magis tutum: ℞. ſucci Iridis ℥. j. ß. Mellis ℥. j. leuiter coquantur, in fine miſcendo pulu. fol. Soldanellæ ʒ. vj. rad. Iridis pulu. ʒ. j. Cinamomi ʒ. j. ß. fiat inſtar electuarij: Incipiat vſum à ʒ. ij.

Aliud valdè à quibuſdam probatum electuarium validiſsimum, ſic paratur: ℞. ſucci Cucum. ſylueſtris, (è fructibus nimirum expreſsi) & radicis eius, ſucci Laureolæ (foliorum ſcil.) ſucci Ireos flor. purpureo (radicis) ſucci Abſynthij & Eupatorij ana ℥. j. ß. reſideant, aqua quæ ſupernatat limpidior per inclinationem effundatur, craſsiori miſce pulueris Rhabarbari & Agarici ana ʒ. ij. ſeminum Endiuiæ, Scariolæ, Portulacæ, gummi Maſtiches, Laccæ, Tragachanti ana ℥. ß. Salis gemmæ, Spicæ nardi an. ℥. ß. Mellis colati ʒ. ij. ſtent in calore ſolis vel fornacis, ſæpè agitando, donec ad conſiſtentiam redigantur, quæ aſſeruari poſsit: Datur ʒ. j.

Huius loco hoc componi poſſet, formâ elegantiori & meliori: ℞. ſuccorum prædictorum ana ℥. j. ß. Aceti roſac. ℥. j. infuſionem factam ex Rhabarbari ʒ iij. Agarici ʒ. ij. Salis gemmæ ʒ. j. in Vini albi ℥. vj. & aqu. Cinamomi ℥. ß. maceratis & expreſſ. adde Sacchari, Mellis roſac. ana quartar. j. pulpæ Cydoniorum ℥. iiij. infuſ. gũmi Tragach. factæ in aqu.

Rosar. ℥.ij. coquantur ad formam electuarij, addita Masticbe, vel aliis, vel sine illis; vel etiam omissâ pulpâ, cum Sacchari & Mellis ℔.ß. coquantur in formam syrupi.

Ex vsitatis hydragogis electuariis est quod Mezereon dicitur, quod fit ex foliis mezerei & oleo, melle, agarico, mannâ, saccharo, carne cydoniorum & sero; quod sic parari potest: ℞. Agarici ℥.ß. Rhabarbari ʒ.iij. infundantur in Sero lactis atq; exprimantur, & in infusione dissolue Mannæ ʒ.x. Sacchari, pulpæ Cydoniorum coctæ parùm cum aceto ana ℥.ij.ß. olei Amygd. dulc. ʒ.iij. coquãtur in formam electuarij, permiscendo circa finem pulueris foliorum Mezerei ʒ.ij.ß. hoc est Chameleæ vel Laureolæ, quæ in aceto priùs infundi possunt, & sic præparari.

Aliud vsitatum est electuarium Esulæ, quod Scebron vocant, paraturque ex esula & myrobalanis cum succo fœniculi diu per insolationem in massam exiccatis. Quod & vti illud de Mezereo, esulam pro eo sumendo, parari posset.

Est & electuarium Diaphysalidon Mesuæi, quod fit ex foliis mezerei macer. præp. & oleo mezerei, scammoneâ, turbith, agarico, myrobal. quinque generibus, mannâ, cassiâ, tamarind. passulis, penidiis, iride, semin. apij, fœniculi, absynthio, rhabarb. succis volubilis, intybi, apij, eupator. absynth. ol. sesamino.

Benedicta laxatiua, quia esulam recipit, vel Hiera Hermeris cùm mezereon contineat, inter hydragoga referuntur.

Pulueres hydragogi aliqui exhibentur cum vino, vel aquâ mulsâ, vel lacte, vel iusculo pulli, vel iure galli decrepiti, vel decocto aliquo, addito interdum saccharo, melle rosaceo, cinamomo, aliisve; sæpeque repetiti rectiùs operantur: Possunt &, si ingrati sint, pilulæ ex illis formari.

Soldanellæ puluis sæpè exhibitus à ʒ.j. ß. ad ʒ.ij. vsitatum præ cæteris est remedium.

Mechoacæ vel Bryoniæ puluis sic datur à ʒ.j.ß. ad ʒ.ij.

Ebuli rad. vel Sambuci pulu. ad ʒ.iij.

Azarum cum Musto.

Cucumeris agrestis radic. cortic. puluis ad ℈.j. cum aqua Mulsa.

Ricini semina à quinque ad plura puluerisata data.

Meliùs hæc conuenient, si hisce pulueribus Rhabarbari puluis quoque addatur, aliaque correctiua, vt spica, cinamomum, mastiche.

Vel sic: ℞. fol Soldanellæ ʒ.j.ß. Senæ ʒ.ij. Rhabarbari ℈.j. Sacchari ʒ.j. fiat puluis: Pro vna vice.

Vel: ℞. fol. Soldanellæ ʒ.j.ß. Turbit. ʒ.j. Rhabarbari ʒ.ß. Zingib. ℈.j. Sacchari ʒ.j. fiat puluis: Detur loco prioris. Si Esulæ præparatæ tantillum misceas, validum fiet.

Efficacissimum & hoc est: ℞. foliorum Soldanellæ ʒ.ß. Cicadarum pulu. ℈.j. fiat puluis: Detur cum iure.

Serapinum gummi vel Sagapenum cum Myrobal. vel Rhabarbaro exhibent aliqui. Singulare à quibusdam censetur, si Serapinum in aceto dissolutũ, additis Aloë & trochiscis Alhandal, vel Scammoneâ, in forma pilular. sæpè propinetur.

Pilulæ hydragogæ fiunt ex vsitatis, si pilulæ de Rhabarbaro vel Agarico, vel Aggregatiuæ, vel de Euphorbio, de Sagapeno, aliæ ve, succo rad. Iridis vel Cyclaminis aut Palmæ Christi, aliisve enarratis excipiantur formenturque.

De Rhabarbaro pilulæ Rhazis hydragogæ sunt, fiuntque ex Rhabarbari ʒ.j. Agarici ʒ.j.℈.ij. sem. Endiuiæ ʒ.j. formanturque cum succo Endiuiæ & Eupator.

Quæ sic paratæ, tutiores erunt: ℞. Rhabarbari, Agarici ʒ.j.ß. Spicæ ℈.ß. cũ succo Iridis, in quo fol. Chameleæ vel Laureolæ maduerint & Euphorbium, excipiantur.

De Mezereo pilulæ in vsu quoque sunt, fiuntque ex foliorum Mezerei ʒ.v. maceratis per triduum in aceto, & Myrobal. ℥.j. cum Mãna vel pulpa Tamarind. & aqua Endiuię.

Horum loco si media tantùm sumeretur quantitas Myrobal. & Rhabarbari ʒ.ij. adderentur, & cum infus. Tragach. formarentur, pilulæ minùs noxiæ fierent.

De Elaterio pilulæ vsitatæ quoque sunt, fiuntque ex Elaterij ʒ.iij. Aloës ʒ.ij. Mastiches ʒ.j. cum succo Sambuci vel Ebuli.

Quorum loco, Elaterij ℈.ß. vel grana aliquot, addita pilulis Mastichinis pond. ʒ.ß. vel

vel ℈.ij. vel De tribus, vel de Rhabar. aut Aggregat. exhibere possumus: Vel cũ trochiscis Rhabarbari aut Laccæ misceatur Elateriũ.

Sunt & Pilulæ à Philonio descriptæ hydragogæ, quæ ex folijs laureolæ macer. in aceto, diagryd. rhabarbaro, myrobalan. radic. iridis, costi, absynthio, semin. anisi, fœniculi, ligno aloës, laccâ, ære vsto, succoq; fœniculi parantur.

Inter purgantia serum per aluum, sunt & Clysmata, quæ ad serum per venas meseraicas rursum ad intestina reuellendum, inijci possunt, quod abstergendo & naturam sollicitando, osculaq; venarum meseraicarum simul patefaciendo præstant, ex sequentibus parata, quæ & flatus abigendo, distentionẽ illam ventris nonnihil subleuẽt.

Leuius enema sic parabitur: ℞. herbarum recent. Betæ vel Mercurial. Parietariæ, Geranij illius quod Pedem columbinum vocant, Rutæ ad M. iij. vel iv. florum Sambuci, Genistæ, Hyperici, Chamomill. Anethi, Liliorum alborum ad P. iij. vel iv. seminum Carui ℥.ß. semin. Apij, vel etiam de alijs Calidis maioribus vel minoribus ad ℥.ß. foliorũ Sennæ ℥.j.ß. aliàs & seminis Carthami ℥.j. fiat decoctio, & in s.q. dissolue Hieræ alicuius vel Benedict. laxatiu. vel Fermenti ℥.ß. Mellis ℥.j. olei Laurini ℥.j.ß. Salis parùm: fiat Clyster.

Fortius erit si priori decocto plura purgantia addas: Veluti Agarici vel Turbith. ℥.ß. Azari ʒ. iij. Vel si his omissis Colocynthidis ʒ.j. in decocto maceres, omissis tunc vel simul relictis, quæ in eo dissolui diximus purgantibus electuarijs,

Maximè verò ad aquas ducendas efficax fiet; Addendo primo decocto foliorum Soldanellæ vel Chameleæ vel Thymeleæ circiter M. j. vel rad. Cucumer. agrest. & Cyclaminis ana ℥.j.ß. quibus & radicem Apios aliqui addunt: Hocque modo vnâ cum illis quæ in eo dissolui debent, inijciatur.

Aliud: R. Vrinæ sani hominis biliosi, vel Lixiuij mediocris efficaciæ q.s. dissolu. Fermenti acris ℥.j. olei Rutacei ℥.j.ß. misce. Si succi radic. Iridis ℥.ß. addatur efficacius erit. Qui & prioribus Clysteribus additus eos validiores reddit.

Euacuantia per alias vias quod concernit, ea quæ per Sudores fit euacuatio, cùm serum in habitu corporis contentum, in pedibus præsertim nonnunquam & superioribus sedibus, educant, in ascititis quoque conuenient, sed per vim eos elicere velle, incommodũ, nonnunquam & noxium, cùm si in lecto hoc fiat, exhibitis sudorificis, actualiq; adhibito calore, ægri decubitum ob dyspnœam, citra suffocationis periculum diutiùs ferre nequeant, & si in stupha tententur, admodùm debilitentur atque ampliùs accendantur. Itaq; nisi sponte erumpant, & in declinatione morbi crurum tumoris causâ vsurpentur, non temerè ad sudores vi sunt adigendi. Quòd si verò ad eos proni sint, & erecti quoq; sudare posfint, propinentur ea quæ in Leucophlegmatia sudores prouocare docuimus. Quæ etsi sudores non moueant, tamen quia per vrinas simul operantur, sic iuuare poterunt.

Per Vomitum euacuatio, quia ventrem nimis concutit, & dyspnœam auget, quibusdam noxia, aliquibus tamen si per vomitum aliqua reuulsio à venis meseraicis ad ventriculum & intestina fiat, vel ob causæ, vnde seri fit prouẽtus, aliquam ablationem, eo nomine, si præsertim ad vomitum faciles sint, prodesse potest; vti & si aquam copiosam siti euicti biberint, ad illius reuomitionem; quam & vt faciliùs vomant, aliqui vt affatim interdum bibant, sed mox iterum reuomant, concedunt.

Per sternutationem ad renes serum propelli, eoque nomine eam quoque promoueri debere docet Rhazes.

Per sanguinis emissionem quæ fit sectâ venâ, in cura ascitis vix dum aliquid dignũ efficiemus, cùm læsis visceribus, nisi alius simul accedat affectus, vti inflammatio, hîc nihil opituletur, & de sero nihil, vel ex abdomine, aut corporis habitu educat, vti neque de eo qui in venis adhuc consistit meseraicis, à quibus vena extrinsecùs secta nihil elicit, & ne quidem multùm de eo qui in venæ cauæ consistit ramis, cùm illud continuò aliò potiùs quàm eò feratur, videamusque in asciticis, aliquando merum ferè sanguinem, eumque crassum & subnigrum potiùs

quàm dilutum, venâ sectâ promanare.

Per hæmorrhoides tamen, si vel sponte fluant, vel in consuetis aperiantur, vnà cum illo sanguine, aqua in venis meseraicis contenta, vel eò rursum è ventris cauo deriuata, nonnunquam, idque sæpè magna quantitate profundi potest.

Per manifestam aperturam, sectione, punctione, vstione factam, aquæ ex abdomine, scroto & pedibus, effluxus, extra corpus nõnunquam procuratur.

Estque expeditior operatio illa, quæ per puncturam abdominis Paracentesin appellatam perficitur, cùm per eam aqua vniuersa è ventris cauo possit educi, idq; citiùs quàm vllâ aliâ ratione. Vnde & frequentiùs, quàm alioquin fieri solet, matureque antequam hæc aqua diutiùs retenta viscera interna vitiet, viresque collabantur, hæc administrari deberet, cùm vulnus hoc leue per cutem musculos & peritonæum tantùm adactum, nullum, vti vulgus putat, ægro conciliet periculum, nec intestina facilè, dum illud sine maiore impetu imprimitur, lædi possint, cùm abdominis superficies aquâ distẽta, admodùm ab ipsis eleuata distet, illaque inania, vti sectione inueniuntur, à conuexo ipsius separata collapsa iaceant. Dein & cùm impossibile sit, si aliâ viâ aqua hæc per aluum aut vrinas non excernatur, sed illic subsistat, ægrum euadere, satiùs erit in desperato malo, hoc remedij genus tanquam extremum tentare, quàm ægrum deploratum relinquere, cùm nisi caussæ magnitudo obsit, hoc pacto interdũ liberari possint, vel si moriantur, cùm alioquin minimè conualescere potuissent, Medicus priùs hæc prædicendo, se à crimine liberare, conscientiamque suam integram seruare queat, ægroq; saltem hoc commodi inde proueniat, quòd aquâ hac effusâ, à dyspnœa illa graui, aliisque internis doloribus liberatus, placidiùs expiret.

Cæterùm ad hanc decenter administrandam, locus in abdomine sub vmbilico tribus digitis, in lateribus eligi debet, illic vbi obliquè & transuersim procedentes epigastrij musculi, carneis sedibus mutuò incumbũt, cùm tutiùs eo in loco quàm in medio sub vmbilico ductu, vbi aponeuroses musculorum concurrentes, lineam albam nerueámque efficiunt, vulnus infligatur. In eo itaque loco phlebotomum scalpellum, vel aliud ad hoc aptum instrumentum acutum, per cutem musculos & peritonæum, ad interiora vsque placidè, ne intestina, vti dictum, lædantur, imprimatur, aquaque quæ prosilire magno sæpè impetu solet, pelui excipiatur. Mox tamen iterum occludendum foramen, ne tota simul, vnde vires prociderent, effluat, ita vt successiuè indies bis térve portionem emittendo rursumque recludendo, sensim aqua citra virium iacturam, quæ interim restaurandæ erunt, educatur. In quo maxima, ne error committatur, & vt aquæ effluxus cùm volumus, iterum sisti queat, cautio adhibenda. Quod fiet, si Siphone immisso, qui foramen occludat, ille aperiri rursúmque claudi pro voluntate nostra possit. Vel si antequam punctura fit, cutis priùs deorsum validè tracta, transuersim aliquousque ad musculos vsque secetur, & postea demum introrsum scalpellum adigatur, tunc enim inferiore vulneris in cute facto labro, rursum sponte, cùm cutis remittitur, sursum remeante, foramen occultatur & obturatur, & cùm deorsum trahitur, iterum reseratur; sicque ad libitum aquam retinere, vel emittere possumus, & ne inuoluntariè effluat, præcauere: vti & si in latere, in quod æger non recumbere solet aut potest, sectio fiat, vt aqua minùs prõptè effluat, hac quoq; ratione cauetur, cùm alioquin parum intersit, in dextro sinistróve fiat, quod tamen, obseruato hepatis lienísve affectu, in hoc illóve fieri debere, cùm abdomen minimè, vti pectus, diuisum sit, aliqui citra rationem docent.

Cæterùm & aqua quæ effluit consideranda, nam si limpida & inodora adhuc sit, bona esse iudicatur, quòd inde viscera nõdum ab ea infecta esse, conjiciamus; contrà verò, si fœtidissima aut subcruenta reddatur, visceribus noxia est censenda.

In scroto punctura facta, eo modó quem in Hydrocele exponemus, non solùm vt aqua ex illo effluat, procurat, sed & vt ex abdomine sensim quoque per hanc viam, per quam

quam priùs in ſcrotum deſcenderat, ſi foramen diu apertum ſeruetur, extra feratur, prodeſſe poteſt. Ob quam & cauſam, etſi in abdomine negligatur, hîc ſaltem, cùm tutiſſimè fiat, inſtitui poſſet: quæ tamen magna ad curandum hydropem occaſio, ſi modò curari poteſt, vtplurimùm negligitur.

Per ſcarificationem aquam etiam ſub cute collectam educere poſſumus. Quæ in pedibus facta, non ſolùm eam quæ in vicinia tumidos illic pedes reddidit, euacuat, ſed & ſuccedente ſemper in locum aquæ effluxæ, nouâ tandem etiam à ſuperioribus, atque ipſius etiam abdominis cauo, aquam exhaurit, adeò ſæpè potenter, vt diu eâ vel etiam copioſè exſtillante, venter penitùs detumeſcat. Quæ ſcarificandi ratio cùm cõſueta ſit, minùs ab ægris repudiatur, licèt & eo nomine poſsit videri noua, quòd cùm tunc cute apertâ aqua emanans, inflammationem, ſicuti diximus, vehementem, & quæ in gangrænam interdum cõuertitur, facilè pariat, hoc ob vulnera hæc inflicta accidiſſe, ſuſpicionem facilè poſsit excitare, medicumque ſic calumniâ onerare: Quam vt vitet, hoc à pernicie, aquæ effluere incipientis, ſiue per ſcarificationem aut ſponte id fiat, facilè fieri ſolere, prædicere debet: dein etiam ſcarificationem rectè adminiſtret, & poſtea gubernet, oportet. Quod fiet, ſi in pedum carnoſa ſede, circa ſuras aut inferiora, nonnunquam & in femore primùm tentetur, cuticulaque vel tantùm ſecetur, cùm & tunc aquæ guttæ mox per eam exſudare ſoleant, vel ſi nõ procedat, etiam cutis vera, ſed leuiter duntaxat tundatur, vulneraq; diſtantia & lata, ſcalpello proin latiore facta infligantur, ſerumque quod ſtatim exſudat, placidè linteo molli adhibito, citra fricationem tamen, abſtergatur, poſtea Vnguento albo, ſuccisq; conuenientibus, quibus inflãmationem arcemus (inter quos ſucci Solani, Plãtaginis & Hyoſciami vulgaris, vel Peruuiani ſummi vtiles, vti & Folia parùm cõquaſſata appoſita,) eam auertamus: Et imprimis ne faſciæ madidæ maneant, eas ſæpè permutando, caueamus, vel Sæuo hircino vel ceruino eas illinendo, & ſic circumuoluendo, ne humorem concipiant, ad hanc rem idoneas reddamus.

Ventris totius ſcarificationem aliqui quoque probant, eaque ad muſculorum aponeuroſes vſque factâ, quæ rectos muſculos integunt, aquam è ventre quoque exhauriri poſſe, docent.

Per veſicarum productionem in pedibus, illarumq; diſruptionem, aquæ ſimiliter exitus patefieri poteſt, & ſi apertæ maneant, vt deinceps quoque effluxus illius continuetur, procurari. Quæ ſponte vi aquæ cutem intrinſecùs diu irrigantis, atque etiam ob acrimoniam irritantis vel vrentis, tandem in pedibus ſolent erumpere: Aliàs arte prouocantur, Vſtione leui factâ cuticulæ, per cauterium actuale, cuiuſmodi caſu aliquando vaſe æneo calefactorio inter calefaciendum lectum inductâ in pede, hoc pacto, exitu aperto, vt aſciticus ſanaretur, occaſionem præbuit. Vel hoc veſicatoriis admotis effici poteſt, prædictione ſemper quoque, vti in ſcarificatione dictum, de periculo inflammationis præmiſsâ, illisque adhibitis quæ moderatè & ſenſim hoc faciunt, cùm vehementer adurentia admouendo, inflammationi citiùs, quàm à ſcarificatione occaſio præberi poſsit.

Cæterùm non ſolùm in pedibus per veſicas ſponte artéve inductas, aqua tum ex illis tum abdomine penè vniuerſo quandoq; effluit, ſed & in abdomine vmbilicum in amplam & pellucidam veſicam aquaq; plenam, ab ipſius copia dilatatum, in aſciticis aliquoties deprehẽdimus, è qua diſſectâ forpice vel ſcalpello, quod leui negotio & citra ſenſum fit, aqua tota niſi per vim compreſſa fuiſſet, impetu magno effluxiſſet: Qui modus aquam educendi, cùm adeò ſit expeditus, ſi arte procurari poſſet, vt vmbilicus hoc pacto intumeſceret, quòd cucurbitulæ ſæpè illi admotæ fortè efficerent, cùm illud tentare cupimus, magnum ad curationem adferret adiumentum.

Per Fonticulum, vti vocant, in pedibus excitatum aquæ quoque via aperitur. Qui cauterio actuali ſi fieret, cùm altiùs quàm pro ſolius veſicę productione requiritur, imprimi tunc deberet, inflammationem facilè accerſeret; ſatiùs ob id & tutiùs longè potẽtiali aliquo, quòd ſine dolore cutem mor-

tificando aperit, illud, si nihil impediat, in pedibus moliri, cautione ea quæ in illorum applicatione & gubernatione requiritur, alibi etiam explicata, adhibitâ. Quod & in scroto sine periculo fieri posset, cute illius sic apertâ. In ventre verò per abdomen adeò crassum, fonticulum ad interiora vsque vbi aqua latet, deducere, cùm sit arduum, vix tentandum erit.

Alterantia præter ea, quę ad viscerum imbecillitatem corrigendam, illorumq; infarctus, obstructiones soluēdas, durities emolliendas instituuntur, qualia in cachexia multa proponuntur, & hîc quoque, si hydrops illius causâ eueniat, vsurpari possunt, illaque præsertim in eo locum habebunt, quæ sic componuntur, vt simul cum illis operationibus, vel etiam sine illis in aliis illius causis, aquas absumant, vrinasque prouocent; Qualia sequentia existunt.

Decoctum ad hæc vtile: ℞. radic. quinque Aperitiuarum, Cichoreæ, Iridis ana ℥. j. ß. Dentis Leonis, Pentaphylli, Filipendulæ, Valerianæ, Eryngij ana ℥. j. radicis Asari ℥. ß. cortic. medij Tamaricis, Fraxini, Sambuci, radic. Capparum ana ʒ. vj. herbarum Endiuiæ, Eupatorij, Marrubij, Chamædreos, Chamæpytheos, Capillarium, Pimpinellæ, Pilosellæ, Absynthij, Cardui benedicti ana M. j. florum Sambuci, Genistæ, Tamaricis, Hyperici, Bugloss. Borragin. ana P. j. semin. quatuor frigid. Maiorū ℥. ß. iv. sem frig. Minorum ʒ. iij. Cicerum P. j. seminum Apij, Fœniculi, Petroselini, ana ʒ. ij. Passularum enucleat. ℥. ij. Liquiritiæ ℥. j. ß. fiat decoctio in aqua & quartâ parte vini albi, addendo Sacchari q. s. Potest addi succus Iridis; aromatiseturr Cinamomo, Schœnantho, Spicâ celticâ, Nardi, vel Cassiâ ligneâ, vel pulueribus Diarrhodon, Triasantal. &c.

His adjici possunt, rad. Cardui albi, Filiculæ, Filicis, Lapatij, Vincetoxici, cortic. Frangulæ, Viscum quercin. Ex herbis Asarina, Plantago, Morsus diaboli, Lupulus, Mentha, Hyssopus, Polium, Betonica, Pulegium, Origanum, Ruta, Maiorana.

Aliud decoctum: ℞. radic. Fœniculi, Petrosel. ana ℥. j. Rhapontic. ʒ. ij. Absynthij, Ceterach, Eupator. ana ʒ. ij. iv. semin. frigidorū Maiorum ana ʒ. j. Schœnanthi, Spicæ ana ʒ. j. decoquantur in iure Pulli vel alio, vt Cicerum; vel in Vino infundantur, omissis tunc seminibus frigidis.

Potionem Rhazes habet quæ magni fit, paratam ex absynthio, cuscutâ, alkekengi, fumariâ, seminib. iv. frigid. maior. squœnantho, & spicâ in sero lactis maceratis.

Ex simplicioribus decoctis probatur Ligni Gaiaci decoctum, ad vrinas mouendas. Item Allij & Rubiæ decoctum cum Melle, Plantagin. maioris decoctum, per se vel cum Lenticula, vt vult Dioscorides, qui & probat Origani cum Ficu decoctum & Ciceris cum Rosmarino, & Calami odorat. cum semine Apij.

Viscum quercinum ad ℔. j. rasum in mensura j. seu ℔. iij. vel quatuor aquæ ad consumptionem medietatis decoquatur. Dantur manè & serò de colatura ℥. iv. diu continuando magno successu: Sacchoro dulcorari possunt & aromatisari.

Lumbricorum decoctum, additis diureticis, vtiliter datur. Item Cicadarum puluerisatarum ad ʒ. ij. decoctum cum aliis.

Vina per infusionem vel decoctionem facta, admodum iuuant. Ex radice Apij, vel Iridis vel Azari, vel cortic. radic. Sambuci, vel Ebuli, semine Hederæ, vnum, aliquot, vel plura sumendo.

Absynthites Vinum etiam vtile, quod in debilioribus ventriculis ex generoso, vel etiam Maluatico, quod vrinas mirè ducit, Vino parari potest: Marrubij item vinum, vti & Scyllinum.

Composita vina fiunt ex pluribus è prædictis simul mistis, vel aliis quoq; in decocto expositis additis; exempli gratia: ℞. radic. Apij, Fœniculi, Iridis ana ℥. j. ß. Phu veri, Acori veri ana ℥ j. Imperatoriæ, Gentianæ ana ℥. ß. Azari, Scyllæ ana ʒ. ij. cortic. radic. Sambuci, vel Ebuli, Ligni sassafras ana ℥. j. herbarū sicc. Absynthij, Marrubij, Eupatorij, Capillor. veneris, Chamædr. Cardui bened. ana ʒ. ij. summit. Centaur. minor. florum Genistæ, Tamaricis ana ʒ. j. acinorū Sambuci aridorū ʒ. ij. seminum Petros. Fœnic. ana ʒ. j. ß. sem. Ameos, Anethi ana ʒ. j. Cinamomi ʒ. ij. Spicę ʒ. ß. conquassentur pro Vini mensur. ij. vel iij.

Lixi-

Lixiuia præparata ex Fabarum stipitum, vel Iuniperi ramorum cineribus, per exiccationem omnimodá in furno factis, per transcolationem frequentem vel macerationem diutinam aquę, bibita aliquoties, plurimùm sæpè profuerunt: Aliquique cùm diu nihil aliud bibissent, horum sed tunc magis dilutorum vsu fuerunt restituti: Probatur & ex cineribus Genistæ factum: Item Hederæ, & imprimis ligni Dulcamaræ, & Gratiolæ. Quòd si in hisce omnibus parandis, loco aquæ Vinum sumatur, vel illud aquæ permisceatur, efficaciùs penetrabit. Vel si cineres horum in nodulum ligati, Vino immergantur, & Vinum illud proderit, eoque magis, si cineres non ex penitùs combustis plantis, sed in furno eousque exiccatis, donec in cineres redigantur, colligantur.

Hæc quoque lixiuia in Salia decoctione redacta, probant Chymici, illisque vti malunt: Inprimis sale Absynthij, Iuniperino, Gratiolæ, dein & Ebulino.

Vrina vel propria, vel pueri impuberis bibita, mictionem impellendo accelerat. Capræ vrinam cum Spica quotidie bibitá laudat Dioscorides.

Aquæ stillatitiæ quia valde penetrant, multùm quoque, si affatim ad ℥.iv. & diu bibantur, possunt efficere, addito interdum & Vino.

Quales ex simplicioribus sunt, aqua ex Sambuci vel Ebuli radicibus, & floribus, vel etiam acinis separatim simúlve destillata: Item ex radicibus floribusq; Iridis, atque ex Hirundinaria: Dein & ex floribus Liliorum alborum, ex Raphano, ex Iuniperi baccis & Smilace hortensi, ex Cuscuta: Vel aliis herbis & radicibus plantarum Aperitiuarum & diureticarum, inter quas & efficax Fœniculi marini aqua: Stercoris humani aquam stillatitiam aliqui extollunt: Alij aquam Nicotianæ dictæ.

Compositæ sunt ex prædictis aliquibus, vel omnibus simul destillatis, addito interdum & succo Iridis: Aliqui Cantharides miscent, vt magis vrinas ducant. Cinamomũ, Spica, Schœnanthum, similiaque permista has aquas magis appropriant; Vel si hisce vbi iam destillatæ fuerint, aromatisentur.

Liquores alios Chymici, & aquas validiores parant, cochleatimq; exhibent: Addendo prædictis herbis, vt Hirundinarię vel Sambuco aliísve, ex quibus aquas elici diximus, aut aquis ipsarum simplicibus vel compositis, Tartarum & Vitreolum calcinata priùs, & parùm spiritus Vini, aquam ex illis eliciendo. Vel ex solo Tartaro & Vitreolo, additis Silicibus calcinatis, puluerisatis, sinunt liquorem effluere, eumque postea destillant, & pro experimentis habent.

Succum Laserpitij cum Caricis, Anagallidis cum Vino exhibet Diosc. alij herbę Peti, alij extractum Iuniperi laudant.

Oleum Cnicinum potum: Olea Salium prædictorum miscent cæteris Chymici.

Ex misturis, eæ compositiones, quę in cachexia à viscerum imbecillitate, obstructione, duritie & scirrho progressa conueniunt, illicque descriptæ sunt, in hydrope ascite, si ab hisce caussis quoque nascatur, & tunc cachexia illum præcesserit, vel etiam comitetur, locum habere quoque possunt, & cùm vrinas ferè simul prouocet, ea ratione etiam hydropis causâ competunt; Vti sunt illic expositæ.

Potiones ex Iulepis, & lactea illa ex Terebinthina.

Electuaria item, maximeque illud quod in metu hydropis in cachexia ex variis, vti & rob de ebulo & sambuco paratum proposuimus. Et ex vsitatis compositio Dialacca & Diacurcuma, hydropicis etiam accommodantur.

Ex pulueribus quoque seu speciebus vsitatis, tum plerosque, tum maximè duarum iam dictarum compositionum, dare possumus.

Et ex simplicioribus, puluerem summit. Cẽtaurij minor. & comarũ Absynthij Pontici, aliosque aliquos.

Dein & Napi vel Anethi pulueres, cum Vino Absynthite vel Prasij in hydrope propinamus.

Vti & Hepar lupi præparatum, Intestinorum item lupi vel galline pulueres vel cineres. Et præter hæc in hydrope etiam Hepar cuculi: Dein & Splen asini domestici vel syluestris, vel pulli Equini, liene affecto: Item

caro

caro Ericij: Corpus vespertilionis ablato capite: Lumbrici; omnia exiccata & puluerisata, vel in cineres vsta exhibita, per se vel cum alijs pulueribus, in Vino syrupo vel aqua, conuenientibus, appropriata hisce visceribus affectis censentur.

Cantharides vel Cicadæ aut Grilli, si in furno in cineres vrantur, & de puluer ℈. j. cum aqua vel syrupo conuenienti detur, vel lacte, potenter vrinas ducunt. Potest addi gummi Cerasorum vel Prunorum, vt minùs exulcerent.

Æs combustum, Magnetem puluerisatum, sunt qui probant, si propinentur.

Pilulæ quoq; in cachexia expositę, in hydrope inde nato conuenient. Et ad vrinas mouendas in hydrope sequentes sunt efficacissimæ, quæ ℞. Cantharidum abiectis alis tenuioribus ℈. ß. adde Mastiches gr. vj. Rhabarb. ʒ. ß. omnia tenuissimè puluerisata excipiantur resinæ Lariceæ vel Abietinæ limpidę ʒ. ij. addendo infusion. gummi Tragach. fact. cum aqua Viol. spissæ adhuc, Butyri recentiss. ana ʒ. ß. Incorporentur Saccharo cando, vt Pilulæ formari queant: Detur ʒ. j. ad vires explorandas ab initio.

Extrinsecùs admotis abdomini & partibus subditis tumetibus, aquam in illis contentam conabimur quoque absumere, illis quæ serum ex illis sedibus attrahunt seu eliciunt, & in halitum digerunt seu exicant. Quod varijs modis per externa remedia perficitur.

Fotus vel balnea pro ventre, & pedibus tumentibus, nonnunquam & scroto tumido, fiunt ex Aqua salsa naturali maris, vel fontium, vel nitrosa aut sulphurea, aut bituminosa; Vel artificiali ex permistione Salis vel Sulphuris paratâ,

Vel ex Lixiuio forti, præsertim in pedibus, per transcolationem cum aqua vel Vino per cineres Vitis, Quercus, Fagi, Fabarum, Brassicæ, Ossium aliorúmve parato: Addito cùm fortius esse volumus, Alumine, Sale. In quo & fasciæ madefactæ pedibus obuolui possunt.

Vel ex decocto in eiusmodi lixiuio vel vino, vel aqua fabrorum vel alia aqua facto, fotus vel balnea fiunt: Inprimis ex radic. & fol. Ebuli: Item Iridis, radic. Vrticæ Asclepiadis, Cyclamin. cort. rad. Vlmi & Filicis herb. Chelidoniâ, Centaurio, Mezereo, Rutâ, Calamentâ, Origano, Caulibus rubr. flor. Chamomill. Sambuci, aliísve herbis siccantibus, addito Sulphure viuo, Sale vel Alumine: Interdum & Scoriâ ferri: Si Cicadarum vel Cantharidum pulu. ʒ. iij. in decocto addantur, vrinas simul promouebunt.

Vel fiat hæc fomentatio: ℞. Lixiuij. communis ℔. x. Aceti ℔. j. Salis vel Aluminis ℥. iij. bulliant cum plantis exiccantibus: Et cum spongia foueantur partes tumentes.

Stupha seu balneum siccum, corporis inferioris sedis, vel pedum solùm, validiùs siccat, humoresq; per sudores simul educit, idque validiùs si suffitu decocti prædicti, in labro positi, extinctis silicibus, excitato, calefiant: Cui ramos Laureolæ aliqui se cum successu addidisse profitentur.

Vapor seu suffitus, qui à Scoria vel Silicibus vel Marcasitâ, ignitis in Aceto forti immersis & extinctis, vel Aceto hisce vti & lapidi Molari infuso excitatur, idem præstat: Potentiusque aget, si Ebulus aliáve illi incocta priùs fuerint.

Fumus si in stupha excitetur, accenso Asphalto durissimo, quod Gagatem lapidem vocant, idem facit.

Immergatur & veluti sepeliatur, corporis nudi pars media inferior, tumescens, in arena à sole vel arte calefacta. Quæ si marina sit propter sal magis exiccabit, vnde & Dioscorides hoc in littore maris fieri debere iubet. Idem præstabit arena alia, Sale conspersa vel Cineribus.

In Cineribus solis hoc quoque fieri potest, qui à combustione lignorum & herbarum siccantium facti, magis operabuntur.

In Frumenti aceruo, vel Furfurum aut Vinaciorum cumulo calido idem fieri potest.

Sacculi Arenâ vel Cineribus & Sale tosto impleti calefacti, ventri & pedibus applicatur: Quibus & herbę siccantes aliæ, seminaq; calida maiora minoraq; addi possunt.

Emplastra, cataplasmata, inunctiones diuersimodè ventri & pedibus tumentibus, & scroto interdum, si illud aquâ plenum sit, apponun-

apponuntur, ad aquas absumendas; miscendo interim, quæ visceribus simul sint accommodata, sequentibus modis.

Ex simplicioribus, Raphani radix vel Acori; Item Lepidium, contusa, cruda vel cocta cum aceto forti ventri adhibentur: quibus semina Nasturtij vel Sinapis admista, efficaciora hæc reddunt.

Bulbos cum Melle & Pipere tritos & admotos: Item Amurcam in villosa pelle perunctum, probat Dioscorid.

Cucumeris asini radix contusa, & per 24. horas in aceto squillitico macerata, additâ Mellis duplâ quantitate, si coquatur parùm, addito P.j. puluer. Cimini, singulare est remedium.

Stercus inprimis Caprinum, dein & Vaccinum ventri & pedibus admota, admodum iuuant, quibus & Columbinum addi potest vel Gallinaceum. Quæ vel simpliciter applicantur, vel mista aut cocta priùs cum Vrina pueri vel capræ vel Lixiuio. Aliàs cum Vino vel aceto aut Oxymel. simpl. vel squillitico, addendo interdum & Sulphur, interdum & Nitrum vel Sal.

Vel: ℞. stercoris Caprini vel Vaccini parùm exiccati, emplastri de baccis Lauri ana ℔. ß. cineris Cochlearum terrestr. vel aliorum Testaceorum ℥.ß. Aceti, Mellis q. s. fiat emplastrum.

Aliud à quibusdam probatum, sic commodiùs parabitur: ℞. Stercoris Columbini, Vini optimi an. ℔.j. aceti ℥.iij. succi Ebuli & Iridis ana ℥.ij. Mellis ℥.iij. Sulphuris viui ℥.j. Salis vel Nitri ℥.ß. farinæ Fabarum vel Lupinorum ℥.j.ß. coquantur ad spissitudinem, addendo circa finem baccarum Lauri ℥.j. semin. Cimini ℥.ß. semin. Nasturtij, radic. Cyperi, Enulæ ana ℨ.ij. florum Chamom. & Anethi ana P.j. Terebinth. q. s. fiat Cataplasma.

Aliud sic fit: ℞. Stercoris caprini vel vaccini arefacti quartariū j. Thuris, Mastiches, Myrrhæ ana ℥.j. radic. Cyperi, Costi ana ℥.ß. Cimini ℨ.ij. Sulphuris viui, Salis ana ℨ.iij. Aceti squillitici & Mellis q. s. fiat emplastrum.

Vel: ℞. Stercorum prædictorum ℥.ij. fol. Pedis columbin. Rutæ, Parietariæ, Ebuli ad M.iij. coquantur in Vrina vel Lixiuio, & aqua salsa, & Vino, pistentur, adde farinę Lupinorum, bacc. Lauri, ana ℥.iij. olei Rutacei ℥.ij. fiat Cataplasma.

Cochlearum terrestrium seu limacum caro contusa applicata valde conuenit. Cui Opercula admiscere iubet Diosc. Quod vt cōmodiùs fiat, in puluerem priùs redigi debent, quod faciliùs fit, cùm friabilia sint. Si testas admiscere etiam velimus, vti aliqui docent, rectiùs priùs in cineres rediguntur, cùm ægrè contundantur: Mucus quoque cochlearum conuenit.

Huic carni sic contusæ, si Stercoris caprini vel vaccini æqua pars addatur, vtile admodum fit emplastrum. Cui viscerum internorum caussâ, Mastiche, Spica, Schœnanthum, Asarum addi possunt.

Vel tale fiat additis etiam aliis: ℞. Baccarum Lauri ℥.ß. seminis Cimini vel Carui ℨ.ij. seminis Nasturtij, Viticis, Staphis agr. an. ℨ.j. rad. Iridis ℨ.iij. radic. Asari ℨ.j. Mastiches, Myrrhæ ana ℨ.ij. Mumiæ ℨ.j. Spicæ, Schœnanthi ana ℨ.ß. Sulphuris viui ℨ.iij. Salis vsti ℨ.ij. cinerum Vitis vel Quercus aut Cochl. ℨ.j. fiat puluis subtilis, irroretur Aceto forti, & cum æqua portione, Stercoris capræ vel vaccæ, vel carne cochlearū, fiat, Cataplasma.

Succis quibusdam si venter illinatur, vel emplastretur, aquæ ab eo exhauriuntur. Efficacissimi sunt succi Cyclaminis, vel loco illius Serpentariæ vel Ari, Cucumeris agr. Mezerei, Chameleæ, vel Thymeleæ, vel in illorum penuria Laureolæ, vel Lathyridis: Item Soldanellæ. Mitiores sunt succi Ebuli, Sambuci, Iridis, Aristolochiæ, Asari, Mercurialis: Hi vel soli vel inuicem permisti excipiuntur farinâ Fabarum vel Lupinorum vel Orobi, addendo interdum Spicam, Asarum, Schœnanthum, atque cataplasmatis instar supra vmbilicum lato spacio applicantur: Vel magis diluta illinuntur.

Vel fiat tale ex illis vnguentum: ℞. succi Cucum. agr. ℥.iij. succi Cyclaminis vel illius loco succi Serpentarię vel Ari ℥.ij. succi Chameleæ, vel illius loco Laureolæ ℨ.j. succi Ebuli, succi Iridis ana ℥.j.ß. Fellis tauri ℥.ß. olei Nucum, Squillitici, Butyri ana ℥.iiij. fiat decoctio ad succorum aliquam consumptionem, addendo postea puluer. Scammoneæ ℨ.j.ß. Colocynthid. ℨ.j. Euphorbij ℨ.ij. pulu.

radic.Cyclamin. si succus non fuerit admistus ʒ.iij. Ceræ q.s. fiat vnguentum.

Si omissis quibusdam parua illius quantitas cũ melle coqueretur, esset efficacissimũ.

Vel vtendum sequenti liquore pro inunctione partium tumidarũ: ℞. succi Cucum. agrest. ℥.j.ß. succi Ebuli vel Iridis ℥.ij. fol. Laureolæ vel Chameleæ M.j. resinæ Lariceæ vel Abietinæ ℥.xij. Myrrhæ ℥.ß.Thuris, Masticheș ana ʒ.ij. Nucis mosch.℥.ß.misceantur atque destillentur.

Aut illinantur oleo sequenti: ℞.olei Nucum vel Lini ℔.j.ß. Vini & Aceti squillitici ℥.iij. decoque in illis fructus vel folia Cucumer.asini: item Mezerei vel Laureolæ contus.ad M.iij. radic.Squillę,Euphorbij ana ℥.ß. colentur ad vsum.

Vt visceribus hæc etiam accõmodentur, Poterimus succis eiusmodi aquas promouentibus, vt Cucum.agrest. vel alteri, æquã portionem succi Absynthij addere, atq; interdum etiam, si hepar læsum suspicemur, succi radic. Consolid.maior. tantundem, & cum Oxymell. simpl. vel squillitico, addito Gummi ammon. dissol. in Aceto squillitic. parùm decoquere, atque Santalos, Spicam, spec. Dialaccæ vel Diacurcumæ aliáve permiscere,totique abdomini apponere.

Aliæ quoque illitiones vel applicationes ex sequentibus fiunt: ℞. radic.Cyclaminis ʒ.j.ß. radic.Asari ʒ.j. radic. Aristoloch & Pyrethri ana ʒ.ß. seminum Apij, Rutæ, Sinapis ana ℈.ij. Spicæ, Schœnanthi ana ʒ.ß. cinerum Cicadarum vel Canthar.℈.j. olei Absynthini, Laurini vel Rutacei ana ℥.ij. olei Scorpionũ ℥.j. Bdellij in aceto dissol. & Ceræ q.s.fiat Linimentum. Vel addendo farin.Orobi vel Lupinorum, vel Fabarũ q.s. fiat Cataplasma. Vel omissis oleis excipiantur pulueres, & farinæ succo Cucumer. asinin. vel Laureolæ, vel Cyclam. vel Ari, & fiat Vnguentum vel Cataplasma, quæ meliùs Melle addito hærebunt. Vel in formam emplastri,additâ Pice & Cerâ redigantur.

Vel: ℞. Æris vsti ʒ.ij. Aluminis vel Salis ℥.ß.radicis Iridis ʒ.iij. farinæ Orobi ℥.j. excipiantur vti superiora oleis, vt Oleo squillitico, vel succis,& eodem modo adhibeantur.

Vsitata vnguenta pro ventre inungendo, sunt Arthanitæ vnguentum, seu de Cyclamine dictum Mesuæi,præ cęteris efficacissimum. Quod paratur ex succis cyclaminis, cucum.agrest.aceto,felle taurino,aloë,scammoneâ, colocynthide, turbith, mezereo, gummi euphorb. sagapeno, myrrhâ, polypod.chamomill. pipere, zingiber. sale gemmæ, oleo irino, butyro & cerâ.

Est & aliud de Arthanita seu de Cyclamine minus vnguentum, cùm splen induruit, maximè conueniens. Quod fit ex succis cyclamin. ebuli & aceto,tamarice, polypodio, gummi ammoniaco, bdellio, radice capparum, spicanardi,& oleo irino.

Aregon siue Arrogon falsò dictum Vnguentum Nicol.in ascite,ventri quoque illitum idem facit. Quod fit ex rad. ari seu serpentariæ,cucumer. asin. bryoniæ, pyrethri, herbis laureolâ, pulicariâ maiori & minori, fol.cucumer.asinin. rosmarin. maioran. serpilli,rutæ, lauri, saluiæ, sabinæ, calamentæ, gummi,mastiche,oliban.euphorb.aromatis. zingib.pipere,oleis moscel.communi,laurino,petroleo,adipe vrsi, butyr.& cerâ.

Agrippæ vnguentum Nicolai ad idem vsurpatur: Quod fit ex radic.bryoniæ,cucum. asinin. squill. iridis, ebuli, tribul. aquatic. oleo & cerâ.

In vesicę regionem,circa pectinem applicationes & inunctiones eiusmodi pertingentes,vrinam simul mouendo, etiã proderunt. Et priuatim quoq; ad eam promouendam, huic loco ea quæ mictionẽ promouere possunt, in suppressione illius descripta adhiberi possunt. Veluti inter cætera est Fotus ex decocto Allij & succo Pedis Columbini & Vrina pueri: Item Inunctio ex oleo Scorpionum aliisve.

Podici aliqui etiam remedia adhiberi volunt,vt inde virtus ad abdomen perueniens, in eò fortè aquam absumat.

Quod commodiùs præstabitur, si suffitus, vapor aut fumus, quibus venter & pedes suffumigantur, etiam podice excipiatur.

Fouetur quoque eo nomine podex, vel inungitur: Aquâ vitæ,cui parùm olei de Euphorbio vel de Castoreo,& succus Iridis admista sint, addendo si vrant, Butyrum vel Oleum commune. Cataplasmata idem pręstabunt.

stabunt, eadem quæ ventri aliàs applicâtur.

Narrant Lapidem à colubro aquatico, fune caudę alligato & suspēso, vomitu in suppositam aquam eiectum, tantarum virium esse ad aquam absumēdam, vt eam in quam decidit, mox absumat, eum si ventri alligetur, aquam in eo quoque consumere.

Hepatis & Ventriculi, si affecta sint, habetur ratio, remediis quæ in illorum affectibus maximè, in cachexia & obstructionibus exposita sunt.

Viuendi rationem quod attinet, Aër siccior melior quàm vdus.

Exercitium si ferre possint, semper aliquid discutit.

Frictiones validiùs illud præstant, inprimis si fiant manibus priùs inunctis Sale & Oleo, vel Hydrelæo, eousque donec erubescat cutis.

Discutiuntque potentiùs Rubificantia simul adhibita abdomini, inter quæ Sinapis semen cum Vrina illitum probatur.

Cucurbitulæ vniuerso vētri admotæ, etiā ad discussionem opitulantur.

Vigiliç, etsi eo quòd magis quàm somnus siccent, probentur; tamen quia ob dyspnœā molestæ, plus debilitant, potiùs de somno vt reficiantur, illis prospiciendum.

In victus ratione, quæ moderatā & parca magis quàm larga esse debet, vtendum euchymis & eupeptis: Abstinendum ab humidis, & assis potiùs quàm elixis fruendum: A salsis, aromatisatis, calidisq; potiùs temperandum, ne sitis quæ alioquin vrget, concitetur. Diureticis tamen oleribus vti licet, vt Petroselin. Fœnicul. Eruca laudatur, & Brassica: Hepata Lupi, Vulpis, Gallinarum, Alaudæ comesta, appropriata censentur.

Potus sit parcissimus; nam omnino ab eo abstinere perdifficile, quod tamen cùm aliquibus pluribus diebus fecissent, sanitati restituti fuerunt, illi nimirum quibus viscera nondum læsa erant. Aquæ autem potus, cùm multum seri procreet, immodicus præsertim, noxius; si Aceto addito parùm acescat, vtilior ad sitim restinguendam. Vinum tenue acidulum, cùm vrinam prouocet, vtile: Aceto condire res quoq; confert, non solùm lienis, cuius obstructionibus acetum inprimis conuenire existimant, sed & hepatis, atque sitis extinguendæ causâ.

Intumescentia pedum diffusa alia ab ea quam tumorem œdematosum vocauimus, mollior, à seroso crudoque succo pronata, quæ nunc vnius, nunc vtriusque pedis, vt in hydrope amplum spacium occupat; aliàs in certa aliqua saltem illius parte, vt pede inferiore, vel circa malleolos, aut vti nos obseruasse diximus, in nuda tibiarum sede occurrit, quæ siue hoc illóve modo se offerat, citra alium morbum comitem, diu perseuerat, vel si cesset, & certis temporibus recurrat, difficulter in quibusdam, quibus familiaris & consueta est, amouetur, vel ne redeat, præcauetur: nisi corpus ab eiusmodi excrementis & humiditatibus, quæ natura continuò ad inferiores hasce sedes ablegat, optimè repurgetur, illorumque prouentus impediatur. *Pedū intumescentiarum curatio.*

Quod moderatâ & parcâ victus ratione præstabitur; & per multas euacuationes per aluum, per sudores, diu interdum ad septimanam vnam vel alteram, vel mensis quoque spacium continuatas, vel etiam per mictiones: adhibitis simul aliis quoque particularibus euacuationibus, aliisque alterantibus, hosce humores absumentibus, visceraq; quorum imbecillitatis causâ hæc congeruntur, roborantibus: cuiusmodi remedia in defluxionibus & arthritide, à serosis quoque humoribus hisce dependentibus, aliisq; inde natis morbis, copiosè exposita fuerunt, quæ & huic affectui accommodari possunt.

Topica quod attinet, eiusmodi humiditates vnde pedes intumescunt, etiam ab initio repellendæ erunt, iisdem admotis, quibus œdemata diffusa reprimi diximus, postea etiam exiccandæ & absumendæ, iisdem quç in eodem casu, & in hydrope ascite proposita fuerunt, ad illud præstandum topicis fotibus, inunctionibus & emplastris. Imprimis autem fasciæ hîc aliquid singulare efficient, intumescentiamque hanc continebunt, tandemque ne ampliùs redeant, prohibebunt, si indies fasciâ longâ palmum latâ, ab imo pedis incipiendo & ad genua vsq; procedēdo, pedes strictè manè dum nondum adeò atq; interdiu fieri solet, intumuerunt, obuoluan-

tur, sicque donec iterum decumbant, vel etiam dies noctesque retineantur, quod & ocreâ molli arctè per suturas in longum pedi adstrictâ, aliisve artibus præstari possit.

Pedũ intumescentia post morbos remanentis cura.

Aliæ quæ in pedibus accidunt intumescentiæ, post morbum aliquem relictæ, illisque qui ab eo conualescunt, aliquãdiu contingere solitæ, subsidentibus eò quibusdam humiditatibus excrementitiis, quæ in morbis remanserant, cùm pro bono signo reputentur, ferè negliguntur, & sponte vel post leuem euacuationem, aut sudores iterum dissipantur. Quòd si verò ex viscerum læsione aliquâ, post morbum relictâ, aut ab eo inductâ, hoc procedat, tunc quia hydropis est initium, vt in eo facere iussimus, hîc quoq; procedendum.

Hydroceles cura.

Hydrocele si cum hydrope ascite iungatur, scrotumq; vnà cum abdomine aquâ impletum in tumore excrescat, periculosa vti & ipse ascites existit. In qua sananda eo modo veluti in ascite dictum, cura instituenda, asci tiq; in genere accõmodanda, per quam si venter subsideat, etiam scrotum spontè detumescit. Quod nisi fiat, particulatim quoq; topica in ascite explicata, veluti fotus, suffitus, emplastra scroto erunt applicanda, vel vti illic quoque edoctum, per puncturam factam, aqua ex illo educenda, vnde eam quæ in abdomine erat, subsequi ostendimus.

Quòd si verò hydrocele per se citra alium manifestum morbũ in infantibus vel adultis nascatur, scrotumque solùm sero plenum intumescat, cùm impedimentum non magnum, donec admodùm augeatur, adferat, ab initio ferè negligitur, nec dum, donec incrementum acceperit, cura illius suscipitur. Quæ iisdem remediis topicis in ascite expositis, vt serum, si fieri possit, exhauriamus, instituitur. Inter quæ cataplasmata ex stercore caprino vel vaccino & cochlearum carne facta, neglectis aliis quæ viscerum causâ, si ventri applicari debeant, admiscentur, erunt efficaciora.

Vel fiat tale cataplasma: ℞. Stercoris caprini vel vaccini ℔.j. Cochlearum terrestriũ coctarum in Lixiuio & incisarum minutim, numero xij. misce cum stercoribus, & coquantur denuò simul cum remanentia illius lixiuij, addendo farinæ Fabarum ℥.iij. semin. Cimini ℥.ß. semin. Sinapi ʒ.j. Sulphuris ℥.j. Cinerum testarum cochlearum & radicum & Caulium brassicæ crematorum ℥.ß. misce.

Foueatur interea simul locus affectus fotu ex Lixiuio, cui Salis & Sulphuris portio admista sit.

Præter hæc remedia vsurpantur & simul per vices, quæ non solùm aquas absumant, sed & valida adstrictione prædita, viam per quam aqua in scrotum exstillat, constringendo arctent, & nihilominùs siccitate suâ quam obtinent, aquam quoque exiccent.

Quale hoc est cataplasma, quod paratur ex stercoribus enarratis, admistâ tertiâ parte Boli rubri, atque aceto vel Oxymelite.

Vel sequens, quod ℞. Furfuris subtilissimè triti ℔.j. farinæ Fabaceæ quartarium j. seminis Cimini ʒ.ij. Gallarum ʒ.vj. Hypocistidis vel Acaciæ ℥.ß. Aluminis ʒ.ij. coquatur in Oxymelite in formam cataplasmatis.

Hisce si non cedat tumor, per puncturam curam aggrediemur, quæ leui negotio, & non ita magno cum dolore, in parte scroti humiliori perficitur, adigendo scalpellum, per cutem illic distentam, aquamque donec nihil ampliùs prodeat, educendo, & si quid residui remansit, exprimendo, vulnusque aliquandiu apertum, immissâ turundâ, seruandum, vel chorda per vulnus, pro aquæ effluxu, aliudque pro chordæ egressu paratum, trahenda, sicque aquæ via patens retinenda.

Præter quam curam, si huic affectui obnoxius ita sit aliquis, vt intra certum temporis spacium aquâ redeunte, noua fiat eius in scroto collectio, præueniendum hac ratione, Nimirum aquæ illius in abdomine collectio seu nimia humiditas, bonâ viuendi ratione, euacuationibus decentibus, vsuq; eorum quæ serositates in corpore absumant, impedienda, sicuti in imbecillitate ventriculi fuit expositum, & si viscerum sanguificationi destinatorum, aliquod vitium simul adesse cognoscatur, hisce quæ in cachexia fuerunt declarata, huic quoq; medendum.

Dein si à relaxatione processus peritonæi hoc dependere, ex eo maximè quod mox

redeat, cognoſcamus, vt eam conſtringamus, viamque ſic obturemus, iiſdem remediis, quibus in enterocele & epiplocele ab eadem cauſa natis, inguini appoſitis, illud præſtari diximus, hîc idem moliri conabimur, quibus ſi nihil efficiamus, non alio modo huius affectus recurſus præcaueri poterit, quàm vinciendo hunc proceſſum, ſectione priùs in inguine factâ, vti in aliis illius relaxationibus & rupturis, per quas inteſtina in ſcrotũ prouoluuntur, fieri diximus. Quod cùm non ſine periculo vitæ, vel teſtis amiſſione fieri poſsit, & proin nec illi niſi magna vrgeat neceſsitas, facilè ſuſcipiatur, ſic longè minùs in hydrocele, in qua ſatiùs eſt leuem hanc moleſtiam perferre, vel aliquoties per puncturam quæ non adeò ardua, aquam emittere, quàm de ſupradictis periclitari.

Inguinũ Aquoſi tumoris curatio. Aquoſus inguinum tumor in mulieribus hydrocelæ reſpondens, eandem ferè cum ea curationem requirit, applicando ſimilia quæ aquam abſumant.

Hydrõphali cura. Hydromphali circa vmbilicum enati cura quoq; nõ diſsimili ratione, & per topica adminiſtrata, manualéq; operationẽ perficitur.

Hydrocephali cura. Hydrocephalus in capite vix topicis adhibitis curatur, cùm materia ob craſſam capitis cutem difficulter digeratur, tentatis tamen priùs efficaciſsimis in œdemate & hydrope expoſitis, ſi non ſuccedat; per ſectionem aut vſtionem, cura facilè perficitur, eoq; tutiùs, cùm hæc citra periculum hæmorrhagiæ maioris, aut doloris in hiſce ſedibus ſtupidioribus fieri poſsint, vnde ſatiùs hoc pacto rem aggredi, quàm multis aliis adhibitis, ægrum diutiùs moleſtare.

Palpebrarum intumeſcentiæ cura. Palpebrarum inflatio, vel ſponte iterum actuali calore diſsipatur, vel ſi perſeueret, fotibus, qui clauſis oculis palpebris adhibentur, vel inunctionibus diſcutientibus, in œdemate ſeroſo expoſitis, denuò ſubſidet.

Phlyctẽnarum cura. Phlyctenæ ſeu veſicæ paruæ ſero impletæ, interdum ſpontè ſubſident, vel vi perforatæ aut ſciſſæ vel diſruptæ per ſe, aquoſum humorem profundentes, cutis ſciſſuram hanc & abraſionem pariunt, tuncque abraſio hæc cutis vel ſciſſura, vti in illis dictum fuit, ſanantur.

Hydroæ cura. Hydroæ verò illæ paruæ & multæ, quas Germani Sũren vocant, ſi quem diuexent ob pruritum, quia copiâ ſeroſi humoris ſalſi vel birioſi aut alioquin impuri ſignificant, ille expurgandus, corpusq; purum reddendũ erit; iiſdem remediis quæ in ſcabiei cura docuimus; ipſas verò quod attinet, vt humor ex illis effluat, aperiendæ erunt: Ad quod faciendum vnguibus, pruritus impellit; Vel acu alióve acuto ſtylo, vti ferè conſuetum eſt, perficitur; quo facto, cruſtæ inde natæ & ſcabies quæ ſequitur, aut plerunque comitatur, vti in ſcabie oſtenſum, ſanabuntur.

Oculi veſicæ curatio, in oculorum doloribus fuit expoſita.

A flatu maximè genitarum intumeſcentiarum & tumorum curatio, primùm debetur huic quæ generaliter quoq; eſt vẽtris totius, Tympaniti, & totius corporis Intumeſcentiæ aut Inflationi; Poſtea peculiari inde nato tumori, in ſcroto Pneumatocelæ, in gutture Bronchocelæ, vel huic quem Phyſodem vocant.

Tympanitis cùm tres ſpecies ob cauſarũ diuerſitatem occurrant, è quibus duæ frequentiores, prima à flatu in inteſtinis ſolùm conſiſtente profecta, altera à flatu & aqua in abdominis cauo coaceruatis dependẽs, tertia rariſsima à ſolo flatu ibidem incluſo enata, ſicuti in cauſis fuit expoſitum; nos, quid in ſingulis agendum ſit, explicabimus.

In prima tympanitis ſpecie, quæ à flatibus non in ventris capacitate, ſed ventriculo & inteſtinis collectis, eaq; adeò diſtendentibus, vt inde venter intumeſcat, procedit, ſi ob conuolutionem inteſtinorum, aut aliam permanentem obſtructionem eueniat, atq; inteſtina ad extremum vſq; attenuata ſint, adeò vt rurſum in ſe redire nequeant, vel etiã leui impetu, vti vidimus, diſrumpantur, deſperatum plerunque malum exiſtit; quòd ſi verò non adeò hæc diſtentio aut obturatio inualuerint, ita vt colici doloris flatulẽti potiùs ſit ſpecies, quàm verus tympanites, ſpes ſanationis tunc maior affulget. *Tympanitis inteſtinalis curatio.*

Cura autem in hac tympanitis ſpecie ſic inſtituenda, vt viam hanc inteſtinorum interclusam rurſum reſeremus, idque maturè, antequã ad extremum res deuenerit, illudq; Clyſteribus iniectis potiſsimùm, qui emol-

liendo, stimulando, aluum soluant, flatusq; simul dissipent, vel exhibitis purgantibus aliisve intrò forisq; adhibitis remediis, iisdẽ quibus in colicis doloribus simili modo excitatis & alui constipatione, vtendum eiusmodi casibus esse diximus, eaq; illic copiosè, vt non opus sit hîc repetere, descripsimus.

Tympanitis cũ ascite copulati cura. In altera verò tympanitis specie, in qua & flatus & aqua, abdominis cauum replentia, ventrem in tumorem attollũt, cuius & tanquam frequẽtioris, curam Practici ferè tantùm attingunt, quia in eo & tympanites & ascites concurrunt, ob geminum hunc affectum, quorum vterq; grauis est, periculum quoque maius exurgit.

Cuius curatio ab ascitis curatione non adeò discrepat, nisi quòd imbecillitatis ventriculi, vnde flatus prodeunt, siquidem inde tunc proueniant, simul habetur ratio, & siue inde siue ab aquâ in ventre contentâ, in flatumque resolutâ proueniant, illis simul dissipandis cura adhibebitur.

In eaque purgantia in principio eadem quæ in cachexia & leucophlegmatia, ventriculum & viscera ab excrementis expurgare diximus, & postmodum quę & aquas simul educunt, in misto hoc casu similiter vsurpabimus, flatus pellentibus, illis interim ampliùs, quàm in simplici ascite permistis.

Præterea & sequentibus vti possumus: ℞. radicis Liquiritiæ ℥.j.ß. radic. Aperitiuarum ana ℥.j. Valerianæ, Ireos, Enulæ ℥.ß. radic. Asari ʒ.ij. herbarum Menthæ, Betonicę, Marrubij, Capillarium herbarum aliquarũ, Chamædryos ana M.j. florum Cordialium, Genistæ, Rosmarini, Stœchados vel Lauandulæ ana P.j. semin. Anisi, Fœniculi ana ʒ.ij. semin. Petrosel. Seseleos, Endiuiæ, Cuscutæ ana ʒ.j. seminum Melonum ʒ.ij. Passularum enucleat. ℥.j. foliorum Sennæ, semin. Carthami ana ℥.j.ß. Epithymi ʒ.iij. Possent & foliorum Soldanellæ ʒ.ij. addi: fiat decoctio in aqua & tertia parte vini, infunde Rhabarbari, Agarici vel Mechoacæ ana ℥.ß. Cinamomi, Zingib. Santali ana ʒ.j. Spicæ, Schœnanthi ana ʒ.ß. adde Sacchari q.s. fiat Apozema: Pro tribus vel quatuor vicibus.

Vel Vinum tale ex infusione sequentium fiat: ℞. rad. Cichoreæ, Fœniculi ana ℥.j. rad. Ireos, Enulæ ana ℥.ß. radicum Gentianæ, Phu veri ana ʒ.ij. herbarum Absynthij, Mentę, Chamępyth. Ceterach ana M.j. summitat. Centaur. Rosmarin. ana P.j. seminum Fœniculi ℥.ß. seminis Carui ʒ.ij. foliorum Sennæ ℥.j.ß. Agarici trochisc. Rhabarbari ana ℥.ß. Spicæ, Schœnanthi ana ʒ.ß. infundantur in Vini debitâ quãtitate: Pro quatuor vel quinque vicibus.

Clysmata similiter in anasarca & ascite exposita hîc competent. Vel sequens flatibus simul dissipandis accommodatum. ℞. radic. Ireos, Bryoniæ ana ℥.j.ß. radic. Gentianæ ℥.ß radic. Asari ʒ.ij. Cortic. radic. Sambuci ℥.j. herbarum Rutæ, Matricariæ, Marrubij ana M.j. florum Centaurij min. Chamomill. Meliloti, Anethi vel Sambuci, Lauandulæ vel Stœchados, Rosmarini ana P.j. baccarum Iuniperi vel Lauri ʒ.vj. seminum Cimini vel Carui, vel Fœniculi ℥.ß. semin. Petrosel. offic. ʒ.ij. semin. Fœnogræc. ʒ.iij. seminis Carthami ℥.ß. Agarici troch. ʒ.iij. foliorum Soldanellæ vel rad. Cucum. asin. ʒ.ij. (Vel his omissis purgantibus, parùm Colocynthidis addimus) fiat decoctio in aqua & tertia parte vini vel Lixiuij debilis, & in colaturæ q.s. dissol. Fermenti ʒ.ij. Mellis ℥.ij. olei Rutacei ℥.iij. Salis parùm, fiat Clyster.

Possumus, omissis in decocto catharticis validioribus vel paucioribus additis, dissoluere horum loco Hieras vel Bened. laxat. ad ℥.ß. & succi Mercurialis vel rad. Iridis ℥.j.ß. permiscere.

Alterantia quæ variis formis in hydrope ascite exhibita conuenire diximus, hîc quoque locum habere possunt, eligendo potissimùm ex illis, quæ plura flatus dissipantia simul recipiunt: Vel permiscendo ea ipsis, & sic vtendum.

Inter quæ & talis puluis componi potest: ℞. radic. Valerianæ ʒ.j. rad. Ireos, fol. Chamædreos, Mentæ ana ʒ.ß. seminum Cimini in aceto priùs maceratorum & siccatorum, Fœniculi, Carui ana ʒ.j. cinerum Intestinorum Gallinæ vel Lupi, vel Lumbricorum ʒ. ß. fiat Puluis.

Vel hoc electuarium fieri: ℞. conserue radic. Cichoreæ, conseruæ rad. Valerianæ ana ℥.j. conseruæ Maioranæ, Zingib. condit. ana ℥.ß.

ʒ.ß. spec. Diacimini, Diacurcumæ ana ʒ.j. cineris Intestin. gallinæ vel lupi ʒ.ß. cum syrupo de Radicib. fiat Electuarium.

Extrinsecùs ea quę in hydrope ascite pręscripsimus, hîc quoque ventri apposita proderunt, cùm sicuti aquas, ita & flatus simul absumant, eligendo tamen hîc quæ singulariter flatibus dissipandis destinata sunt, vel talia illis permiscendo, vel per vices nunc his quæ vtrumque faciunt, nunc illis quæ in tympanite à flatibus solis genito competunt, vtendo.

Inprimisq; in mista hac causa conferunt emplastra, ex stercoribus illis descripta, pręsertimque ea quæ multa flatus discutientia simul recipiunt.

Vsitatum emplastrum de Lauri baccis hîc præsertim accommodum, vel solum vel cæteris admistum, cùm & præterquam quod in ascite conuenit, flatus simul discutiendo, tympaniti, si is quoque adsit, conducat: Quod, vti in Ventriculi imbecillitate dictum, paratur.

Regimen in viuendi ratione quod attinet, idem quod in ascite propositum est, hîc etiam obseruandum, & in victus ratione, inprimis ab illis quæ flatuum prouentum procurant, abstinendum.

Tympanitis simplicis curatio. In tertia Tympanitis specie, quæ à flatibus è ventriculo & intestinis in abdominis cauum erumpentibus, ventremq; in tumorem attollentibus oritur, quod rarò accidere diximus, grauius adhuc quàm in cæteris se offert periculum, deteriorq; proin hydropis species esse censetur, tum quia ab iisdē caussis, vti prima species, obstructione scilicet omnimodâ & conuolutione, summaq; intestinorum attenuatione procedit, tum quia ex abdomine flatus ægrè rursum discuti absumique possunt. Grauiusque adhuc & immedicabile ferè erit malum, si extrema ventriculi imbecillitas, flatibus hisce gignendis occasionem præbuerit, cùm discussis prioribus ex parte, noui semper succedant, vti & si solutio aliqua manifesta in intestinis facta, flatibus, vt in abdomen ferantur, ianuam aperiat, cùm ea ampliùs reparari nequeat.

Huius curatio, si à suppressione alui à caussis dictis originem sumpserit, per eadem remedia, quibus in prima specie eam aperiri debere ostendimus, aggredienda, & si ab imbecillitate summa ventriculi principiū trahat, ad eam emendandam, vti & flatibus discutiendis absumendisque, cura præcipuè erit dirigenda, idque remediis in ventriculi imbecillitate prolixè descriptis.

Purgantia exhibēdo, quæ crudos humores, ventriculi imbecillitatis causâ cōgestos, flatibus materiam præbent, euacuent, flatibusq; simul educant. Qualia in cura imbecillitatis ventriculi varia fuerunt proposita.

Possumus ad idem sequenti decocto flatibus simul pellendis accommodo vti: ℞. radic. Fœniculi, Petroselini ana ℥.j. rad. Enulę, Iridis ana ℥.ß. Absynthij ʒ.ij. Mentæ, Maioranæ ana ʒ.j. florum Rosmarini, Stœchados vel Lauandulæ ana P.j. seminum Anisi, Fœniculi ana ʒ.iij. sem. Carui ʒ.ij. seminis Carthami conquass. foliorum Sennæ ana ʒ.vj. fiat decoctio in Aqua & Vino, in fine addendo Rhabarbari, Agarici trochisc. ana ʒ.iij. Cinamomi ʒ.j. Spicæ ℈.j. & in colatura dissolue Sacchari q. s. fiat decoctum: Pro aliquot vicibus.

Vel hæc omnia, Saccharo dempto, infundantur in Vino; Illudq; aliquoties bibatur.

Alia Potio: ℞. Rhabarbari ℈.iiij. Spicę ℈.j. Agarici trochisc. ℈.ij. Zingib. ℈.j. macerentur in vino albo & aqua Fœniculi. fiat expressio: adde Diacarthami vel Diaphœnic. ʒ.j. detur.

Enemata ad flatus potissimùm dissipandos, eadem quæ in ventriculi imbecillitate, & colicis doloribus flatulētis descripta sunt, hîc quoque possunt competere.

Vel ad rem hanc potissimùm destinato clystere, & paratu faciliore hoc vtemur: ℞. Rutæ recentis M.ij. florum Chamomill. P.ij. baccarum Iuniperi vel Lauri P.j. seminis Cimini vel Carui ʒ.vj. semin. Fœniculi ℥.ß. fiat decoctio in Aqua & Vino, dissolue Mellis, olei Nucum ℥.ij. olei Spicæ exstillati guttas vj. misce.

Aut: ℞. Vini generosi vel Maluatici ℥.vj. Aquæ florum Chamomillæ ℥.iiij. misce.

Vel: ℞. Aquæ Rutæ q. s. adde Aquæ seu Spiritus vini ℥.ß. fiat iniectio.

Vel: ℞. Aquæ granorum Iuniperi, seminum Carui, Cimini, Fœniculi, Anisi, vnius

vel

vel plurium, quę post macerationem horum in aqua cõmuni, & extractionem oleorum remanere solet q.s. Atque injiciatur hæc ad flatus pellendos efficacissima.

Hisce ex Vino & Aquis paratis Clysteribus succum Rutæ, oleum Rutaceum, Chamomelinum, Anethinum vel Liliorum ad ℥.ij. vel iij. addere possumus, vti & Mel.

Vel ex solis oleis tale parare: ℞. olei Rutacei ℥.iiij. olei Chamom. Anethini, Liliorũ ana ℥.ij. olei Spicæ vel Carui, vel Cimini per destillationem eliciti guttas vj. vel vij.

Alterantia ad primam concoctionem iuuandam, flatusque impediendos & genitos dissipandos, ea quæ illud in ventriculi imbecillitate præstare posse, descripsimus, hîc quoque exhibita locum habebunt. Qualia imprimis sunt Vinum fœniculatum vel anisatum, vel quod ℞. cortic. rad. Fœniculi, & quæ sequuntur: Iuscula quibus baccæ lauri seminave incoquuntur: Vel illud quod semen carui cæteraque recipit. Potiones aliquæ, vt castoreum cum vino: Pulueres compositi quintus & decimus: Item post pastum appellatus ex seminibus concinnatus: Tabulæ cum oleis stillaticiis anisi, fœniculi paratæ: Conditurae & Conseruæ ad flatus destinatæ: Electuarium in quo flatuum præsertim habetur ratio, & similia.

Puluis ad eadem efficax: ℞. Cimini in Vino albo infusi rursumque siccati ʒ.ij. semin. Fœniculi ʒ.j. Mentæ, Maioranæ siccæ ana ʒ. ß. Zingib. ℈.j. Detur ʒ.j. Si castorei ℈.j. vel semis addatur, efficacissimus erit.

Vel vtantur hoc electuario: ℞. conseruæ foliorum Mentæ, Maioranæ ana ℥.j. conseruæ Rosmarin. Lauandulæ, Zingib. condit. ana ℥.ß. seminis Anisi, Fœniculi ana ʒ.j. sem. Carui, Cimini ana ʒ.ß. vel horum seminum loco, specierum Dianisi vel Diacumini ʒ.iij. Cinamomi ʒ.j. Cum syrupo de Absynthio fiat electuarium.

Applicanda ventriculo, quæ eum roborent, præcipueq; ventri quæ flatus absumat, qualia in ventriculi imbecillitate sunt exposita: Inprimis ad flatus resoluendos illic descripta Olea simplicia, tum compositum ex sem. cimini cæterisque: Vnguentumque ad inflatum ventriculum præscriptum; Cataplasma ex pane & seminibus: Fotus ex foliis pulegij, origani, &c. Sacculos ad flatus dissipandos, alium ex radice galangæ, menta, &c. alium ex surfure & milio, quoque approbamus.

Hisce etiã iungi possunt sequentia: Veluti Vnguentum hoc, quod ℞. olei Rutacei ℥. ij. olei Liliorum, Mentæ, vel Maioranæ ana ℥.j. succi Rutæ, Fœniculi, Aquæ vitæ ana ℥.j. ß. coquantur ad succorum consumptionem, adde pulueris semin. Cimini, Baccarum lauri ana ʒ.ij. Ceræ q.s. fiat inunctio. Si omissis pulueribus oleum Spicæ vel Cimini aut Carui per destillationem elicita ad ℈.j. addas, efficacissimum erit, magisque si Castorei dissoluas in Aqua vitæ ʒ.ß. & misceas.

Cataplasma ex stercore Vaccæ vel Caprę fiat, coquendo in Vino forti, Vrinâ & Lixiuio, addendo puluerem seminis Cimini, Carui, Apij, baccarum Lauri, farinã Fabaceam & Rutam, vel etiã alias de supradictis plantis, & Sal.

Vel sumatur Ruta, Hysopus & Absynthium, & Ficus: coquantur in Vino vel Vrina & Aceto, pistentur, addendo farin. Fabaceæ & baccarum Lauri P. j. & Nitri portionem, fiat Cataplasma.

Fotus ventris ex decocto sequentium in Vino facto conuenit: Veluti radicum Iridis, Enulæ, herbarum Rutæ, Mentæ, Maioranæ, Rosmarini, florum Chamomillæ, Anethi, baccarum Lauri, Iuniperi, seminum calidorum Maiorum, Minorum & similium supradictorum.

Vel suffitum ex eodem decocto in lecto sub integumentis ad ventrem admittat.

Sacculus ventri apponatur ex sequentibus: ℞. seminum Milij integri vel Panici P. ij. seminum Cimini, Carui ana P. ß. baccarũ Lauri, Furfuris ana P. j. florũ Meliloti, Chamom. Anethi, summit. Centaurij, Rosmarini ana P. ß. fricentur in sartagine, affuso Vino & Aceto, fiat sacculus. Addi potest & semen Rutæ, Nigellæ Seseleos & Viticis: Item Aromata quædam & Sulphur.

Cucurbita magna, ventosa quòd flatus eliciat, dicta, ventris regioni in vmbilici circuitu cum multa flãma affixa, potenter eos dissipat: Vel plures cucurbitulæ sic admotæ.

Viuendi rationem quod concernit, quo pacto hæc, vt cruditas flatuumque inde prouentus vitentur, institui debeat, tum in ciborum quantitate qualitateque conuenienti, tum motibus corporis & animi decentibus, in ventriculi imbecillitate prolixè fuit expositum.

Intumescentia generalis seu Inflationis totius corporis cura.

Intumescentia seu Inflatio generalis totius corporis, à flatibus progressa, quæ rara admodum est, vti verò alia à crudo succo genita, Anasarca dicta frequens, cùm non nisi à causa vehementi aliqua, vel morbo magno proficiscatur, illis cura maximè accommodatur. Quâ si causa tollatur, & si à veneno fiat, vis illius Antidotis infringatur, vel si alius morbus sit, ille abigatur, intumescentia hæc facilè iterum cessat. Vel si morbus lethalis sit, quem tunc intumescentia hæc insolita præsagit, per mortem cum morbo desinit.

Ad eam tamen remouendam, si persistat, causâ semotâ, per insensilem transpirationem, sudoresque factis euacuationibus, flatibusque absumptis, intumescentia hæc remittit, quæ & exhibitis id præstantibus perficiuntur, inter quæ & Theriaca aliæ've Opiatæ, si à veneno processerit, præterquam quod huic resistũt, sudores quoq; prouocando, prosunt. Dein & extrinsecùs vsurpatis stuphis, suffitibus admotisque aliis calidis actu & potentiâ, similiter flatus dissipantur, atque intumescentia tollitur: Qualia etiam in tympanite exposita sunt.

Pneumatoceles cura.

Pneumatocele si à flatibus & aqua simul, scrotum distendẽtibus proficiscatur, eadem ratione, præmissâ generali curâ, quâ aquę & flatuum prouentus impeditur, topica quæ in tympanite cum ascite copulato conuenire diximus, scroto applicata proderunt, vti & ea quæ in hydrocele fuerunt proposita, cùm & quæ aquas absumunt, flatus etiam dissipent. Vel vti illic ostensum, si necessitas requirat, per puncturam & aquàm & flatus simul educemus.

In simplici verò pneumatocele, vbi flatus soli scrotum extendunt, tum generalis cura per quam flatuum generatio impeditur, genitique flatus discutiuntur, tum particularis per topica eos absumentia, scroto applicata, in tympanite exposita, hîc quoque locum habebunt: Imprimisque conferet cataplasma ex stercoribus illic descriptum, additâ etiam Sulphuris vnciâ semis.

Vel hoc: ℞. farinæ Fabaceæ ℔.ß. farinæ baccarũ Lauri ℥.iij. seminis Cimini ℥.j. pulu. foliorum Rutæ ʒ.ij. Nitri ʒ.j. Sulphuris ʒ.iij. coquatur in Vino generoso, addendo Aquæ vitæ ℥.j. fiat Cataplasma.

Fotus, sacculi, suffitus & inunctiones in tympanite descripti, scroto vtiliter in hanc rem quoque adhibentur.

Vel inungatur hoc vnguento: ℞. olei Rutacei ℥.iij. olei de Castoreo, de Piperibus ana ℥.j. olei Spicæ per destillat. ℈.j. Saponis ʒ.vj. Aquæ vitæ ℥.j.ß. rad. Gentianæ, Hermodact. an. ʒ.j.ß. radic. Pyrethri, Cyclaminis an. ʒ.j. sem. Cimini, Staphisagr. an. ʒ.ß. cineris Lumbricorum ℈. j. Terebinthinæ q. s. fiat Vnguentum.

Aut fiat emplastrum addendo Mastiches, Thuris q. s.

Scroti inflationis curatio.

In inflatione alia, quâ in colicis doloribus, & conatibus validis vtrumque scrotum nõnihil intumescit, cùm illa non sit stabilis, sed cessante vi illâ, sponte rursum intumescentia hæc leuis iterũ subsideat, nullam aliam curam requirit, nisi vt, ne ampliùs redeat, causę auferatur, ne iterata ea sæpiùs, tandem quoque permanentem inducat pneumatocelem, cuius si aliquod principium appareat, maturè topicis, quæ in eo casu conuenire diximus, illud erit auertendum, flatuumque in scroto collectio impedienda.

Brõchoceles cura.

Bronchocele, quæ est intumescentia colli in gutturis regione, nisi maturè antequam omnino excreuerit, occurratur, vix dum ampliùs abigi potest, sed toto vitæ curriculo permanet, aliàs citra aliud incommodum, quàm quod turpitudinem eam in collo conspicuam, nisi margine crenato indusij tegatur, adfert, aliàs verò raucedinem & spirandi difficultatem, eamque sæpè periculosam inducit.

Curatio autem licèt plerunque humoribus pituitosis, quos eò defluxisse credunt, è capite expurgandis & è loco tumente absumendis, accommodetur, nos tamen qui illius causam flatum esse statuimus, ob relaxa-

tionem seu auulsionem membranę illius loci, cùm cute à partibus subiectis, illic se ingerentem, curam potissimùm eò dirigendam esse censemus, vt flatus & si quæ alia humiditas simul illic collecta sit, absumantur, & hæc relaxatio vel separatio rursum in integrum restituatur. Quod cùm ægrè possit perfici, vti in herniis illud quoque vix succedere ostendimus; adhæc astringentia quæ illud prętare debebant, gutturis regioni adhibita, vias respirationis stringendo, si præsertim iam prius dyspnœa adsit, respirationi incommodent, maior adhuc hîc difficultas curandi, quàm in herniis circa inguina factis nascitur, minusque spei est, quòd nec, si sectio aliqua cutis tentaretur, quæ extremū in herniis sanandis est remedium, hîc aliquid vinciendo aut affigendo illud quod solutum est, efficere queamus.

Nihilominùs tamē ab initio cùm incipit, vel nondum ad extremum usque excreuit tumor, nec dum dyspnœa accessit, astringentia quædam illi possunt applicari, fortiora plus minúsve, prout respirationem inde vel impediri nonnihil vel minimè, cognoscimus, vsurpando, additis semper iis quæ flatus humiditatesque absumant.

Vtendum ergo emplastro pro Ruptura vsitato vel nostræ descriptionis, cui æqua portio emplastri de Baccis lauri commista sit, vel alia flatus discutientia semina, vt Cimini, similiaque illi incorporata.

Aut cataplasmata adhibenda, quæ in hydrocele ad adstringendum & simul discutiendum, vnum ex stercoribus & bolo, aliud ex farinis & gallis concinnata sunt.

In eundem finem, vt membranarum illa soluta contiguitas, si fieri possit, iungatur, quædam ex illis quæ in herniis propinata aliquid hoc pacto pręstare posse ostendimus, hîc quoque tentari atque exhiberi possunt.

Compertumq; est experientiâ, puluerem Aluminis vsti, sæpè exhibitum, multùm in hoc casu abigendo, vi nimirum adstringente & siccante quâ præualet, profuisse; Qui cum Vino simpliciter ʒ.ß. pondere dari potest, vel cum aliis pulueribus discutientibus & siccantibus, speciebusque commistus, in forma tragematis exhiberi.

Vel hoc modo: ℞.radicum Ireos, Galangæ an.ʒ.j.ß. Pulegij, Satureiæ Herniariæ an. ʒ.ß. semin. Fœniculi, Anisi an.ʒ.j. semin. Petroselin.ʒ.ß. Piperis longi, Spicænardi, Nucis mosch. Cinamom. an.ʒ.ij. Myrrhæ ʒ.ß. Aluminis vsti ℥.ß. Sacchari rosf.tabul.ad pondus omnium. Capit ad ʒ.j.ß. cum Vino.

In Confirmato hoc tumore, saltem flatibus & humiditatibus, si quæ inhærent, absumendis intenti erimus, & variis admotis illud efficere tentabim⁹. Qualia varia in hydrocele & pneumatocele descripta topica remedia, hîc quoq; admota, ꝓdesse poterūt.

Quibus nisi succedat, ad fortiora calidissima transeundum, hoc pacto: ℞.rad. Bryoniæ, Iridis an.℥.iij. rad. Cucum.asin. vel Squillæ ℥.j.ß. incidantur & coquantur in Vino generoso, addendo farinæ Fabarum & Orobi an.℥.ij. Amygdal.amar. vel nucleorum Persicorum ℥.j.ß. semin. Cimini ʒ.ij. Piperis ʒ.j. pistentur, miscendo olei Liliorum vel Irini ℥.iij. fiat Cataplasma.

Vel gestet hoc emplastrum: ℞.gummi Ammoniaci, Galbani, Bdellij dissolut. in Aceto fortiss. an.℥.ij. puluerum rad. Ireos ℥.ß. seminis Sinapis, Vrticæ an.ʒ.ij. pulpæ Colocynthidis ℈.ij. Croci ℈.j. Salis Gemmæ & Aluminis an.ʒ.j. cum Picis naualis ℥.j.ß. resinę Abietis vel Pini ℥.ij. dissolutis in oleo Nucū antiquiss.q.s. fiat emplastrum. Cui & odoris & efficaciæ gratiâ oleorum destillatorum Spicæ Carui aliorúmve ℈.ß. addi potest.

Inunctiones ex oleo de Piperibus vel de Castoreo vel Sycioneo, fiunt manibus aquâ Vitæ priùs madefactis. Vel ex iisdem additis pulueribus supradictis vnguenta parantur.

Fotus in hydrocele & tympanite descripti similiter hîc adhiberi possunt: Inprimisq; Aquâ vitæ panno linteo exceptâ tumor sæpè foueri.

Physodes appellati tumores, vel illi qui à flatu & sero simul prodeūt, quos Oedemata flatulenta vocant, si à flatibus solis aut tenuibus saltem humiditatibus eueniát, mox iterum subsident, nonnunquam verò si copiosiora aut crassiora hæc sint, diutiùs permanent. *Physodū tumorū curatio.*

In Curatione autem horum, causa primùm

mùm auferenda, quæ si interna sit, foueatq; hos affectus, ea exstirpanda, flatuumque prouentus, vti & cruditatum & humiditatum impediendus, eaque si redundent, euacuanda, dissipanda, topicaque hæc simul absumentia, applicanda erunt.

Qualia & generalia & particularia præsidia, in tertiæ tympanitis speciei curâ, & pneumatocele & bronchocele sunt exposita.

Quòd si verò à causa externa processerint, & ex cutis attractione tumor talis oboriatur; Vel ex frigore manus aut pedes intumescant, tunc causâ ablatâ, sponte hæc rursum abeunt. Vel calore actuali aut potentiali per fotus inunctiones dissoluuntur. Sicuti in aliis à frigore natis affectibus externis & doloribus, hæc sunt exposita.

Phlyctenarum flatulentarum cura.

Huc & Phlyctenæ, quas à flatibus gigni putant, referri possent, in quibus, cùm cuticulâ à subiectâ sede liberatâ, serum quoque sub eam exsudet, non alia cura, quàm ea quę aquosis phlyctenis conuenit, debetur.

A' succo nutriente partes genitorum tumorum, atque ab eo vel quia luxuriat, aut alioquin abũdat, aut crassior existit, progressorum, curatio distinguitur primùm, quatenus hi vel in glandulosis sedibus; Vel in carnosis locis, & vel duriores aut molliores; Vel in excarnibus sedibus gignuntur.

Glandularum cura.

In glandulosis sedibus, ex succo nutriente enatorum tumorum cura, debetur primùm generalioribus glandulis in pluribus corporis sedibus simul occurrentibus; Postea particularibus illis quæ guttur occupant, Strumis; Dein illis quę post aures prodeunt Parotidibus, & quæ sub axillis vel inguinibus se offerũt, Bubonibus; Postremò & Testibus hoc modo induratis.

Scrophularum cura.

Generales Glandulæ quæ in pluribus locis simul offeruntur; Aliàs tantùm in collo plures secũdum mentum serie quadam ductæ Scrophulæ, Strumæ quoque dictæ, nonnunquam & in aliis locis simul prodeuntes, cùm frequentiùs occurrant, malumque aliquando sit hæreditarium, aliàs populare, curam præ cęteris exigunt, quæ certè non sine labore, nonnũquam & non nisi longo tempore perficitur, aliàs verò irrita est, cùm scirrhosæ factæ hæ glandulæ, non ampliùs cedunt, vel pernitiem magnam vti cancrosam adeptæ, in vlcera inemendabilia transeunt, aliàs verò etsi succedat cura, tamen in eo nõ absoluta esse dicitur, quòd licèt auferantur, grauia tamen post se relinquant vitia, vti cicatrices turpes & inæquales, & noxas aliquas ac læsiones functionum illarum partium, quas obsederunt.

In curatione autem harum, priùs corporis totius ratio est habenda, illudq; vt mundùm & purum sit, ante omnia præparandũ, per varias euacuationes & alterationes institutas. Dein scrophularum causâ exhibenda quæ eas absumant, adhibendaq; quæ eas dissipent, vel si hoc fieri nequeat, saltem eousque maturent, vt apertæ sponte vel arte, ichorem profundentes sic imminuantur, quod cùm fit, & sic vel per se vel arte vlcerantur, tunc vti vlcera peruersa vel exedentia aut cancrosa, in quæ nonnunquam conuertuntur, exhibitis admotisq; tractari debent, sicuti in illorum cura explicatum fuit. Interdũ & antequam eò deueniant, vel cùm scirrhosæ factę non ampliùs aliâ ratione tolli possunt, nec eas tolerare velint, sectione vel vstione auferuntur. Quæ omnia quo pacto administrari debeant, ex sequentibus patebit.

Venæ sectio si plethora adsit, tum reuulsionis loco, tum deriuationis, vti & scarificationes idoneæ conducere queunt.

Purgantia in scrophulis vsurpari solita, plerunq; defluxionibus pituitosis, vnde has nasci putant, accommodant, non solùm si in collo, sed & reliquo corpore se exhibeant: & ad pituitã expurgãdam præcipuè ea dirigũt; Eam priùs præparantes, postea phlegmagogis sæpè & validè expurgantes, per decocta, pilulas, potionesque alias, passim in defluxionibus & morbis pituitosis descripta. Nos verò prout corpus eiusmodi vel plethoricum vel cacochymicum, aut alioquin vitiosis humoribus scatet, hisce euacuandis ea accommodamus, si præsertim hi illis occasionem prębuerint, & cùm si magna illuuies vel vitiositas humorum adsit, & deteriores & plures scrophulæ erumpant, tunc etiam maiores purgationes instituimus, cùm sine illis vix abigantur.

Si itaq; leuiores requirantur purgationes, passim descriptæ hîc quoque vsurpari possunt. Si frequentiores & validiores, conueniũt & illæ, quæ in scabie maligna, & lue venerea copiosè variis formis descriptæ sunt, corporis hanc sentinam quoq; euacuabunt.

Præter quæ si continuanda sit purgatio, hic syrupus, cùm simul ea quæ scrophulas abigunt admittat, exhiberi per vices poterit: qui ℞. rad. Aperitiu. ℥. iij. rad. Iridis, Acori veri, Pæon. an. ℥. j. ß. rad. Chelid. min. Batrachij, Lepidij, Spatulæ fœtid. an. ℥. j. rad. Aristol. rotund. Pyrethri, Asari an. ℥. ß. Squillæ præpar. ʒ. ij. herbarum Scrophulariæ, Pimpinellæ, Arthemisiæ, Melissæ, Betonicæ, Maioranæ, Capillarium an. M. j. florum Stœchad. vel Lauandulæ, summitatum Rosmarini, Thymi an. P. j. florum Genistæ P. ij. baccarum Iuniperi P. ß. seminum calidorum Maiorum & Minorum ʒ. vj. radicis Liquiritiæ ℥. ij. Passularum ℥. j. Polypod. ℥. ij. foliorum Sennę ℥. iij. Turbith ℥. ß. fiat decoctio, & in colatura dissolue Mellis vel Sacchari ℔. ß. decoquatur ad consistentiam eam, quâ aliquamdiu conseruari possit ad vsum.

Efficacissimus erit, si loco turbith Esulæ præpar. & infusæ in Oxymellite ʒ. ij. vel ʒ. iij. sumas, radic. Cucumeris agrestis ℥. ß. Adhuc ampliùs vti plerumque docent, si Hellebori albi & nigri an. ʒ. j. decoctioni addas. Vel vt aliqui quoque probant, Laureolam aut Draconteam.

Vinum ex earundem maceratione factũ, sumẽdo mediam saltem singulorum quantitatem, ad Vini Mens. j. ß. æquè & tutiùs operabitur.

Vt eadem operâ, excrementitij & praui humores per purgationes euacuentur, & simul è parte affecta absumantur, miscere solent purgantia fortia, alterantibus mox describendis, diuq; ea sic exhibent. Et ita Hellebori albi & nigri ana ʒ. ij. cum puluerum alterantiũ mox describẽdorum ℥. v. miscent, & ʒ. j. per quatuor septimanas manè exhibent, quod singulariter iuuare scribunt.

Alij Diagrydium hisce pulueribus miscent & sic exhibent: Vel Thuri, Coriandro, Spicæ atque Aromatibus permiscendo propinant.

Euphorbium cum succo Iridis in pilulas formatum, & ℈. ß. de illis tertio semper die exhibitum, valde probant.

Sudorum prouocatio, si scrophularũ copia hinc inde per corpus dispersarum, abundantiam humorum excrementitiorum & peruersorum indicet, nonnunquam conuenit, in corporibus præsertim phlegmaticis & humidioribus, cùm in calidioribus & biliosioribus non adeò possit competere, sed corpus humoresque magis accendat & efferuescere faciat, in quibus temerè sæpè hoc vnico remedio, chirurgi, vti alios multos externos affectus diuturnos, sic & hunc curare se posse existimant, corporaque sæpè frustra emaciant.

Quando tamen hæc euacuatio locum habet, corpore priùs purgato, per vices etiam sudores prouocare possumus: Vel continuatis vicibus ad multos dies, adhibitâ insuper ciborum parsimoniâ, & quorundam abstinentiâ. Sicuti in lue Venerea hic modus sudores prouocandi, vsurpando simul & diætam, quam vocant, explicabitur.

Exhibentur in scrophulis quæ vi siccante prædita & digerente, vel etiam proprietate quadam illas absumere queant: quæ cùm ægrè cedant, diu continuanda erunt. Quo nomine pulueres exiccantes humiditates, in ventriculi & cerebri eiusmodi affectibus expositi, atque ex illis præsertim qui validiùs exiccant, vti ex cineribus parati, hîc quoque iuuabunt.

Præsertim verò huic affectui destinati pulueres, qui per se vel cum Vino aut Aqua cõuenienti, aliòve liquore ieiunè diu sumi debent, sunt sequentes.

Spongiæ in furno adeò exiccatæ vel vstæ, vt comminui possit, pulueris ʒ. j. datur ieiunis, aliquot septimanarum spacio. Potest admisto Saccharo & aromatis gratus vt libentiùs sumatur, reddi.

Spatulæ fœtidæ radicum, Genistæ florum, Amianthi lapidum pulueres similiter exhibiti, præ cæteris commendantur.

Vel compositus hic puluis: ℞. pulueris Spongiæ, eo modo vti dictum, exiccatæ ℥. ß. lapid. Spongiæ, Ossis sepiæ vel Pumicis ana ʒ. ij. cineris corticum Ouorum ʒ. ß. Auellana-

rum igne exiccatarum vel vstarum, Gallarum rad. Aristoloch. an. ʒ.j. seminis Plantag. Cinamomi an. ʒ.ß. Piperis, Zing. Salis gemmæ ana ℈.j. fiat Puluis.

Vel sic: ℞. Spongiæ ℥.j. lapidis Amianthi & Spongiæ an. ʒ.vj. foliorum Pimpinellæ & Arthemisiæ an. ʒ.j. rad. Aristolochiæ & Pyrethri an. ʒ.j.ß. fiat Puluis. Potest etiam aromatibus condiri.

Hisce pulueribus purgantia violenta, vt Helleborum album, nigrum & Diagrydium aliqui miscent, sicuti in purgantibus dictum; Sicque vt simul & purgent & absumant, exhibent.

Conueniunt & Spongia marina & Pila marina, vti dictum, in pulueres vel cineres redacta, per se data vel cùm cæteris: Chartæ item combustæ cinis: Limatura acus prioribus permista.

Trochisci de viperis vel cineres Viperarũ, vel Spolium ad absumendam eiusmodi materiam plurimi fiunt, & proin reliquis pulueribus aliquomodo permiscentur; quæ ab aliis serpentibus desumpta, fortè æquè erunt efficacia. Quorum loco & Theriaca quæ eosdem trochiscos recipit, & alioquin vtilis est, sæpè sumi potest: Viperinas carnes etiam comestas prodesse docet Diosc.

Conserua rosarum facta cum Saccharo vel Melle, Genistæ florum, pondere ʒ.ij. aliquoties sumpta, valde laudatur. Idem præstat conditura vel conserua radicis Spatulæ fœtidæ, vel Xiphij, hoc est Gladioli vti aliqui volunt, cùm fortè Xiphij nomen etiam Spatulæ fœtidæ conueniat, quam Plinius scrophulas abigere docet.

Potiones vulnerariæ dictæ, vti in vulneribus & vlceribus, sic & in exulceratis scrophulis propinatæ, eas expurgant & sanant. Quales plures illic inueniuntur, quibus & hìc vti licet, vti & sequenti: ℞. foliorum Agrimoniæ, Pyrolæ, Solidag. Sarracen. Filipendulę vel Pimpinellę, Ceterach, Caulium rubr. an. M.j. rad. Consolid. maior. ℥.iij. radic. Liquirit. ℥.j.ß. fiat decoctio in iure Cicerum rubrorum vel decocto Gaiaci, in Aquę mensuris tribus & tertia parte Vini, ad cõsumpt. iij. partis, dulcoretur si velit æger: Bibat multis vicibus.

Vina idem efficientia magisque strumis appropriata, aliqua per multos dies bibuntur. Veluti vinum in quo Scrophularia contrita aliquandiu maduerit, vel decocta fuerit.

Vel hoc: ℞. rad. Filipendulæ, Spatulæ fœtidæ an. ℥.j.ß. rad. Pentaphylli ℥.j. rad. Aristoloch. rotund. ℥.ß. Scrophulariæ, Pimpinellæ, Pilosellæ, Agrimoniæ an. M.j. Arthemisiæ, Tanaceti, Caulium rubrorum an. M.ß. florũ Genistæ P.j. semin. Raphani ʒ.ij. semin. Vrticæ ʒ.j. fiat decoctio in Vini generosi Mens. j. & Mellis quartario j.ß. Bibat colaturam ad ℥.iiij. diu in eo perseuerando.

Probatur & Vinum in quo Talpa decocta fuerit.

Succi Scrophulariæ vel Vitis nigræ radicis, aut Cotyledonis per se sumpti cum Vino & Melle; vel Syrupi ex iis parati, prosunt.

Aquarum nitrosarum seu aluminosarum, item sulphurearum naturalium potus, aliquandiu continuatus iuuat.

Testiculi apri iunioris comesti commendantur.

Si quoque de pulueribus supradictis ex Spongia paratis, portio Melle excipiatur, & in trochiscos formetur, illique noctu in ore contineantur; sic quoq; strumas colli abigi posse, aliqui docent.

Gargarisatio frequens ex decocto radic. Ireos, Pyrethri, aliarumque plantarum in Vino facta, aliquid quoq; efficiet. Vti & tab. Diaireos in ore retentæ.

Applicationes supra scrophulas fiunt ex iis quæ potenter digerunt, succumque hunc crassum absumũt, additis semper emollientibus duritiem hanc, ne tenuiore parte discussâ, crassior magis induretur, quæ & si ad maturationem scrophulæ tendãt, eam quoque adiuuare possunt: Quò si perueniant, atque sponte vel arte vti abscessus aperiantur, & in vlcus desinant, prout illud erit, adhibitis remediis, curari debet. Administrantur scrophulas digerentia, emollientia & maturantia topica remedia, variis formis, tum per illitiones, tum per applicationes, diutiùs illis adhærentes, diuersimodè.

Ex pinguibus & mucilaginosis frequentes fiunt applicationes: ℞. olei antiqui Oli-

uarum vel Nucum, Liliorũ vel Sambucini, Irini, vel Cheirini, Amygdal. amar. an. ℥. ij. Axungiæ gallinæ, Anseris vel Anatis, mucilaginis seminis Lini, Fœnograeci an. ℥. j. ß. medullæ crurum Vituli vel Hirci vel Cerui, vel Sæui ℥. j. Ceræ q. s. fiat Vnguentum, vel ceræ quantitate auctâ, Ceratum.

Possunt & alia olea addi efficaciora, veluti fæx olei Liliorum vel Oliuarum, quam Amurcam vocant, ad ℥. j. Vel oleum de Castoreo aut de Euphorbio ℥. ß.

Vel adhuc validiora quæ & sola illita conferunt: Veluti è lachrymis & gummi exstillata, vt oleum Terebinthinæ. Vel cocta, vt oleum de Croco, oleum Sycioneum, siue Cucum. asin. Vel in quo aliæ plantę conuenientes mox describendæ, vel illorum succi coxerint, aut macerati diu fuerint. Quale & hoc est: ℞. succi Bryoniæ, Sabinæ vel Rutæ, Chelidonij an. ℥. ij. Aceti squillit. ℥. iij. Aquæ vitæ ℥. j. Mellis ℥. ij. olei Antiqui, Liliorum, Irini an. ℥. ij. ß. (possunt & alia olea addi ex supradictis) decoquatur ad succorum consumptionem, remanente solo oleo.

Axungiæ aliæ quoq; Vnguentis eiusmodi adjici possunt, cùm omnes vim emolliendi habeant, aliæque ex illis præsertim, quæ à syluestribus & ferocibꝰ animalibus sumuntur, vim quoque digerendi habere credãtur. Inprimis autem commendantur præter iam enarrata in vnguento, axungia Porci, & Hominis: Item Gallinacei generis: Piscium item, vt Anguillæ, Thymali, atq; ferocium, Lupi, Vulpis, Taxi, Vrsi, & ex rarioribus, Leonis, Elephanti, Struthiocameli, Vulturis, Aquilæ, quæ vti rara, ita & preciosa esse iudicantur.

Pinguedinem quæ destillat ab ansere dum assatur, priùs infarcto multis muribus, valde quidam approbabat.

Butyrum in quo Scrophulariæ radix contusa macerata fuerit aliquandiu, vel cocta, commendatur. Quæ & in oleo sic macerari vel coqui ad eundem vsum poterunt.

Ex gummi & lachrymis sequentes fiunt applicationes: ℞. gũmi Ammoniaci, Bdellij vel Galbani an. ℥. ij. Oppopanacis ℥. j. ß. dissoluantur in Aceto simpl. vel squillitico, vel Aqua vitæ vel vtrisq;, diluantur oleis suprascriptis paucioribus pluribúsve, mitioribus seu efficaciorib. ad ℥. ij vel iij. & fiat linimentũ. Vel additâ Cerâ Vnguentum vel Ceratũ.

Vel: ℞. Gummi prædicta dissoluta, & cum vnguento supradicto ex pinguibus mucilaginosisq; parato decenti quantitate, permisto, in formam dictam redigantur.

Hisce gummatis, addi alia quoque gummi possunt, vt Serapinum, Elemi dissoluta: Vel etiam Ladanũ, Storax, Calamita, Aloë, Thus, vel Mastiche puluerisata ad ℥. ß. sicque in formam Vnguenti vel Cerati redigi: vel additâ Resinâ & Pice nauali, in formam emplastri.

Ex Pice, Resina, Cerâ, additâ Axungiâ aliquâ, emplastrum paratum, vtile quoque.

E' plantis variæ quoque fiunt applicationes. Qualis ex radicib. parata hæc est: ℞. rad. Bryoniæ albæ vel nigræ, quam aliqui albæ præferunt quartarium j. contundatur si recens fuerit, vel incisa coquatur in Vino vel Aceto, vel vtrisque aliàs etiam addito Lixiuio vel Muriâ, vel parùm Aquæ vitæ, sicque cataplasmatis instar applicetur, vel cũ Mellę priùs contemperata; Vel cum Oleo aut Axungia conuenienti subacta.

Eadem ratione radices Iridis vel Raphani præparatæ adhiberi possunt, vel cum Bryonia commisceri.

Vel vt efficaciùs agant, sic misceri debent: ℞. radic. Bryoniæ quart. j. rad. Iridis ℥. ij. rad. Ari vel Dracunculi, Cyclaminis an. ℥. j. ß. vel plus, præparentur & misceantur vt primũ. Si Cucumer. sylu. radix ad ℥. j. ß. addatur, validiùs agent. Et proprietate quadam simul operabuntur, si his commisceatur Xiphij radix, quam alij Spatulæ fœtidæ esse putant, cùm hæc à Plinio in scrophulis commendetur, alij Gladioli. Quod & facit radix Anonidis vel Cannæ, apponendo ad ℥. j.

Ex bulbosis radicibus applicatio quoque fit efficax: Veluti ex bulbis Cœparum, Alliorum, Liliorum, Narcissi, sub prunis parùm assorum, vel etiam coctorum & contusorũ, mistorumq; eodem modo, vti de prioribus ex radicibus paratis cataplasmatibus diximus. Squilla assa vel cocta, efficaciam maiorem hisce addita tribuit.

Possunt & cataplasmata ex radicib. prioribus

ribus & bulbosis istis parata inuicem commisceri, sicque vsurpari.

Ex Ficubus siccatis seu Caricis & Vua passa contusis, vel parùm priùs coctis, & cum bulboso eiusmodi cataplasmate permistis, conueniens quoque fit cataplasma, vel etiam cum prioribus è radicibus concinnatis.

Ex herbis aliis à Dioscoride recensitis similiter fiunt applicationes, veluti Scrophulariâ, Galeopsi, Adiantho, Semperuiuo minimo, radicibus Capparum, Quinquefolij & Lapatij contusis quoque vel coctis, vti dictũ, iisque vel solis vsurpatis vel additis quoque prioribus radicibus, vti & radic. Altheæ.

Commendantur & ab aliis Sinapis herba, Agnicasti folia, item Sabinæ, Pini & Cupressi, Viscus arborum, similiter vsurpata; Medullam Maizi arundinum aliqui probãt appositam: Herbæ acres his quoque permiscentur aliquando, vt Hydropiper, Esula, Cataputia.

Ex illis quæ ab animantibus sumuntur, admodum hîc conueniunt stercora. Veluti ex communibus Bubulum, Asininum, Aprinum, Caprinum, Columbinum, atque ex rariorib. Rupicapræ & Mustelæ fimus. E quibus aliqua sola, vel plura simul Aceto vel Oxymellite subacta: Vel axungiis & oleis permista applicantur.

Vel etiam reliquis applicationibus, vt illis quæ ex gummis constant, vel explantis, certâ quantitate permista ea efficaciora reddunt.

Aut ex Cæpis, Caricis & Stercore inuicem contusis & commistis, fiat Cataplasma.

Sanguis Mustelæ illitus à Dioscoride cõmendatur.

Fel item Testudinis per se vsurpatum vel reliquis etiam permistum.

Ex pulueribus diuersæ fiunt applicationes, qui vel materiâ aliquâ incorporantur, & in formam cataplasmatis, vel vnguenti aut emplastri rediguntur: Vel miscentur prioribus iam expositionibus, ad vires ipsarum augendas: paranturque ex variis.

Primus puluis ex seminibus paratur & ℞. farinarum seminis Lini, Fœnogræc. Fabarum, Lupinorum, (quæ & sola vsurpata efficax est, vti & Orobacea & Lolacea,) subigantur, vel cum Melle & Aceto, vel horum loco Oxymellite simplici vel squilllitico, vel solo Aceto aut Melle.

Vel misceatur illius pulueris ℥.j.ß. cum Vnguento pingui primo vel altero gummato: Aut cataplasmatibus ex radicibus, vel bulbis ficubusque paratis.

Alter puluis ex seminibus, magis dissipans sic fit: ℞. Farinarum enarratarum ℥.iij. semin. Sinapis vel Nasturtij ʒ.ij. semin. Cimini Vrticæ an. ʒ.j. misce, incorporetur vel misceatur cæteris vti prior.

Quartus puluis à plantis desumptus proprietate insuper agens: ℞. Nucum cupressi ℥.ß. rad. Aristolochiæ, Arundinis vel Xiphij an. ʒ.ij. foliorum Agnicasti, Absynthij an ʒ.j. si Spolium serpentis addatur, optimum erit: Excipiatur vti priores.

Vel misceatur portio illius cum Vnguentis prædictis vel Cataplasmatibus, inprimis ex Bulbosis & Ficubus paratis.

Quintus puluis ex radicibus compositus: ℞. pulueris radic. Ireos & Bryoniæ ana ℥.ß. radic. Cucumer. agrestis vel Cyclaminis ʒ.iij. radic. Ari vel Serpentar. ʒ.ij. radicis Aristolochiæ ʒ.j. Excipiantur vti priores: Vel subigantur Oleis vel Axungiis conuenientibus, additâ interdum & Cerâ, pro cerato faciendo, vel Resinâ aliquâ aut Pice, pro emplastro formando.

Sextus puluis valde efficax: ℞. Sulphuris ℥.ß. Salis gemmæ vel nitri, Halcyonij quod spumam maris vocant, vel illius loco Pumicis ana ʒ.ij. misce. Vel adde prædictis, seminis Sinapis ʒ.ij. semin. Vrticæ ʒ.j. fiat puluis. Potest & Marcasitæ vel Lithargyrij ʒ.j. addi.

Hic vel simplicior vel magis compositus, vti prædictus quintus incorporari, & in easdem formas redigi potest: Vel quantitas aliqua illius cæteris quoque applicationibus misceri.

Septimus ex cineribus fit: Qui desumuntur à combustis lignis Iuniperi aliorúmve, vti & Ficuum & stipitum Cauliũ, herb. Absynthij, Agnicasti, Astacis fluuiatilib⁹, Cochleis, Spongiâ, Vngulâ asini & inprimis Mustelâ vstâ: Excipiunturque hi cineres Aceto vel

vel Oxymellite, & apponuntur: vel portio illorum cæteris quoq; applicationibus priùs dictis vnà cum prioribus pulueribus, vel sine illis miscetur.

Præter hosce pulueres alij etiã conueniũt adhibiti: Veluti Lutũ fornacum antiquum combustum mistum cum Aceto, quibusdam vel aliis applicationibus additum.

Calx viua subacta cum Melle vel Axungia, vel aliis compositionibus permista.

Ærugo æris, Chalcitis vsta, vnà cum cæteris pulueribus.

Stercora siccata in puluerem redacta, hoc modo subacta, quoque vsurpari possunt, vel reliquis compositionibus misceri.

Ex vsitatis applicationibus, conueniunt emplastrum Diachylon ireatum, Magnum & Compositum ex gummi & mucilaginibus. Quod magis operabitur, si de pulueribus supradictis aliquis illi permisceatur, & malaxetur oleis conuenientibus.

Habet & Galenus emplastrũ ad scrophulas tollendas, ex bdellio, ammoniaco, seminibus sinapis & vrticæ, radice aristolochiæ, spumâ maris, sulphure, oleo & cerâ concinnatum.

Est & aliud Oribasij à Mesuæo descriptũ.

Vnguentum Apostolorum hîc quoq; vtile censetur. Vti & vnguentum de Arthanita.

Narcotica vti extrinsecùs adhibita, vim magnam resoluendi habere sępè iam ostendimus, ita & scrophulis admota, multùm efficient. Veluti folia Mandragoræ, Hyosquiami, Papaueris contusa, vel parùm sub prunis tosta, aut cocta alióve modo per se adhibita: item radix Mandragoræ, vel Farinis simul additis aliisque pulueribus & liquoribus incorporata, aut aliis Cataplasmatibus addita.

Succus expressus eodem modo simplex illitus, aut aliis permistus adhibitus, admodùm efficax.

Aqua insuper ab illis exstillata: Quæ hoc pacto ex illis & aliis simul destillata inuncta valdè iuuat: ℞. Hyosquiami, Cicutæ, Chelidoniæ, Sabinæ recent. an. M.ij. Tithymali M.ß. radic. recent. Raphani ℥.iij. radic. Ari ℥.j. Cæparum vel Aliorum incisorum ℥.iiij. sem. Sinapis ℥.ß. Salis ℥.j. Eliciatur aqua.

Emplastrum hoc ex opio magnarum est virium: ℞. Opij ʒ.j. Scammoneæ ʒ.ij. Myrrhæ ʒ.j. Croci ℈.j. misceantur cum Melle: Pro emplastro.

Vel hoc Vnguentum: ℞. gummi Ammoniaci vel Galbani ℥.j. dissol. in Aqua vitæ, quę & ipsa narcosi prædita est: In qua aqua vitæ dissolue, Opij ʒ.j. seminis Hyosquiami ʒ.ij. Stercoris Gallinæ vel Columb. exicc. ℥.ß. Axungiæ vel Olei q.s. fiat Vnguentum, vel additâ cerâ Ceratum.

Naribus inditum oleum Cucumer. asin. iuuare credunt.

Appensæ radices Plantaginis & Acetosæ aliquid opitulari posse existimant.

Fotus adhibitus cum spongiis scrophulis, ad eas abigendas quoque confert: Vel si cęteris applicationibus præmittatur, vt illæ meliùs operentur, iuuant.

Fiuntque ex prædictis plantis, ex quibus cataplasmata formari diximus, in Vino, Aceto & Melle, Vrinâ, Lixiuio, Muriâ, Aquâve fabrorum coctis, sumendo vti illic dictum, pauciores pluresve simul.

Vel additis etiam aliis, talis fiat fotus efficax: ℞. radices duas primi cataplasmatis, vel plures secundi, adde de bulbis illic expositis tres vel quatuor, Caricarum num. xij. Herbarum illic enarratarum M.iij. vel iiij. seminis Sinapis ʒ.ij. Sulphuris ℥.ß. Salis ʒ.ij. decoquantur vti dictum: Pro fomentatione.

Frictio scrophularum eousque vt ferè rubescant, etiam ad discussionem aliquid adfert emolumenti, & si ante applicationem topicorum fiat, vt vim eorum rectiùs experiantur, eas disponit.

Sectione scrophulæ quæ aliâ ratione curari nequeunt, interdum auferuntur. In qua facienda cutis incumbens, primùm eousque donec nudæ pateant, incidendo aperitur, posteaque apprehensæ, cum suo inuolucro attractæque & à radicibus & connexu à corpore liberatæ, eximuntur. In quo faciendo diligenter, ne neruus aliquis aut vas aliud insigne lædatur, cauendum; Ob quam & causam, si præsertim sub mento consistant, profundeque hæreant, non sine periculo, propter vasa magna vicina, exsecantur. Si verò vel ea in sede, vel etiam aliis in locis exter-

ternis existant, admodumque promineant, minori hoc fit periculo, nisi fortè glandulæ vasorum magnorum diuisionibus interpositæ induratæ exsecentur, eæque maximè, quæ articulorum regionibus adiacent, vbi si incuriâ neruus aut tendo lædantur, facilè illius membri, vti contingere vidimus, contractio sequitur.

Cauterio potentiali, quod sine dolore in cute escharam faciens, eas patefacit, sæpiùs illud præstitimus, scrophulasque hoc modo eximi curauimus: Vel vt sic denudatæ suppurari meliùs appositis remediis possint, procurauimus.

Vstione per potentialia vel actualia cauteria illud moliri graue & periculosum, cùm inflammatio facilè subsequatur, in loco tamen penitùs ignobili, hoc pacto quoq; aperiri possunt.

Pungendo scrophulas Pastinacæ vel Raię piscis caudæ osse, quidam eas curari vel ne vlteriùs excrescant, prohiberi posse, putant.

Contactu solo regum quorundam, quibus à Deo hoc concessum sit, easdem sanari posse, creditur, peculiariterque hoc Regibus Galliæ datum, ad quos, qui hoc malo conflictantur, cateruatim certo tempore ad illud destinato, vt ab illis tangantur, confluunt. Idem diuinitùs regibus Angliæ contigisse, eosque similiter tangendo scrophulas sanare asserunt.

Strumarum curatio. Struma, quo nomine vel simplicem, vel ex duobus tribúsve complicatam, gutturi vel solùm incumbentem, vel ab eo etiam propendentem intelligimus, si hæreditaria sit illis regionibus consueta, atque iam excreuerit, indurataque sit, vix dum remediis ampliùs cedit, aut in abscessum conuerti potest, sed toto vitæ curriculo, nisi sectione tollatur, gestatur, vti etiam illa, quæ in quibusdam saltem se offert, pertinax admodum est.

In principio tamen, si præsertim non sit originalis, aut popularis illis locis, aliquid tentandum, & corpore priùs decenter mundato, illi quoque aliquid erit applicandum.

Euacuationes autem quod attinet, nisi aliis de causis eæ requirantur, propter vnam strumam non adeò in illis, vti ferè fit, insistendum, vt si plures scrophulæ corpus vitient, præsertim vbi alioquin parua spes curationis affulget.

Exhibitis tamen, vti in scrophulis, illis quæ eas absumant, illarum incrementum sæpè impeditum fuisse, nonnunquam & illas nondum confirmatas euanuisse, experientiâ compertum. Danturque ex iis quæ in scrophulis exposita sunt, præcipuè pulueres ex Spongia, Amiantho lapide, Spatulâ fœtidâ, floribus Genistæ, & compositis, duobus illic expositis, parati: Vti & Conseruæ ibidem descriptæ. Nam quòd potiones vulnerarias attinet, cùm vix exulcerentur, hîc conuenire vix dum possunt.

Applicationes quod attinet, inter ea quoque quæ in scrophulis sanandis multa exposita sunt, efficaciora, cùm longè difficiliùs quàm illæ euincantur, & quæ diutiùs hærent, viresque ideò meliùs & diutiùs exerunt, strumis admouenda erunt: Veluti emplastrum ex gummi lachrymisque paratum: Vel cataplasmata è radicibus, bulbis aliísve herbis parata, aut quod ex stercoribus fit, additis hisce etiam pulueribus efficacibus: Veluti puluere sexto ex variis, aut septimo ex cineribus parato, aliísve vt Calce insuper. Vel vtendo hisce pulueribus per se, vti illic dictum, Aceto vel alio efficaci liquore exceptis.

Sectione strumam confirmatam, & quæ alio modo abigi nequit, si, quia indecora est, displiceat, præserim verò si respirationi incõmodet, auferimus, quæ similiter administranda est, sicuti in scrophulis fieri debere ostendimus, tutiusque fit, si procul exerta sit vel propendeat. Non sine periculo verò fit sectio, si vasis inserta vel adnata, altis radicibus adeò hæreat, vt citra horum læsionem exsecari nequeat, tũc enim satiùs ab ea abstinere, quàm ægrum in discrimen conjicere, & seipsum diffamare.

Cauterio illud ipsum eo modo, vti in scrophulis dictum, præstari potest.

An contactu, vti illic quoque demonstratum fuit, etiam Strumæ illæ magnæ abigi possint, in dubio relinquam, iudicio aliis, qui ea ipsi viderunt, de ea re permisso.

Parotidum Parotis frigida dicta, id est glandula indu-

lentis curatio. rata post aures, sine calore & dolore, si cõfirmata sit & scirrhosa fiat, vix alio modo quàm sectione auferri potest. Quæ autem adhuc in principio vel augmento est, vel nondum penitùs indurata, faciliùs ferè quàm in aliis locis glandulę vel discuti, vel saltem maturari, & in abscessum materiã aliquam in se cõtinentem, vti dictũ, indeq; in vlcus, per quod illuuies illa, quæ nunc ichorosa, aliàs purulenta est, vel alia materia pelliculæ quoque inclusa, interdum & tophacea & calculosa vti ostendimus, existit, redigi potest, & sic curari.

Quæ cura quibusdam ex illis quæ in scrophulis dicta sunt, quoque perficitur. Veluti primùm, euacuationibus eodem modo, vt si quæ adest humorum vel excrementorũ copia, illa tollatur, institutis, eoque potissimùm directis, & vt crassorum humorum prouentus impediatur, quo nomine alterantia varia vsurpantur: Dein exhibitis aliquibus ex illis quæ scrophulas absumere posse diximus, quæ in scrophulis recensita sunt, si diutiùs perseuerent, atque ægrè cedant, idem tentamus, cùm aliàs, cùm non tanta sit hîc glandularum vt in scrophulis copia, hæc in sola parotide absumenda, non adeò requirantur.

Ex illis quæ in scrophulis adhibentur, veluti ex pinguibus gummosis, plantarum radicibus, bulbis, herbis, stercoribus, pulueribus aliisque paratæ applicationes, pleræq; hîc quoque possunt competere.

Et cùm ad maturationem aliquam tendunt, ea quę eam promouent permiscemus: Sicuti hoc cataplasma paratum est, quod fit ex bulbis Cæparum vel Liliorum, radicibus Altheæ atque Iridis, parùm sub cineribus assatis & contusis cum Caricis, addendo farinam Lini vel Fœnogr. Mel atq; Oleum vel Axungiam aliquam.

Vel si ad apertionem vergant: ℞. Caricarum pistatarum quartarium j. Fermenti ℥.j.ß. rad. Iridis recent. emollitæ vt contundi possit ℥.j. Aloës ʒ.ij. Nitri ʒ.j. misce cum Oleo vel Axungia.

Aut possumus iis quæ in abscessu, qui inflammationes sequitur, exposita fuerunt, parotides ad suppurationem inclinantes maturare, maturasque aperire, & postea vt vlcus sanare.

Si confirmata & scirrhosa facta sit glandula, sectione, vti de scrophulis dictum, vel cauterio potest adimi, cauendo ne vasa maiora illic tangantur.

Bubonũ indolentium curatio. Bubo frigidus dictus, hoc est glandula tumens & dura, sine calore in inguinibus, vel sub axillis, aliquando scirrhosus quoque fit atque incurabilis, sicuti bubonem pestilentialem, sic toto vitæ tempore permansisse, aliquoties vidimus: Aliàs verò per curam iterum dissipatur: Rariùs in abscessum, vti verò ille qui cum inflammatione est, conuertitur: Vel si hoc fiat, vlcus peruersum ferè post se relinquit.

Tractandus autem ferè eodem modo, vti parotis: Euacuationibus similibus præmissis, & Alterantibus quoque: Inter quæ & in pertinaci bubone, aliqua ex illis quæ exhibita, glandulas abigere possunt, hîc tentare licebit.

Admouentur quoque eadem vel similia, qualia in parotidibus tum illis, tum scrophulis conuenire diximus: Præsertimq; eligendo ex eorum numero, quæ admodùm discutiant, simulque emolliant. Quòd si ad maturitatem tendat, eodem modo in illis, vti parotidibus atque abscessu, sicuti illic ostensum, procedendum est.

Per sectiones aut cauteria rem aggredi non facilè debemus, cùm non admodùm incommodent, nec conspicui abditis illis in locis latentes sint.

Testium duritiei & Scirrhi curatio. Testes in tumorem citra inflammationem elati atque indurati, quod frequentiùs priùs præcedente inflãmatione fit, tandem etiam scirrhosi facti, sic permanent, & molestiam inter equitandum maximè pariunt, & si in vtroque teste hoc fieret, vasaque spermatica simul indurarentur, ad procreandum impotentem hominem redderent: Maturè verò si huic tumori occurratur, ille rursum tolli potest.

In cura illius, præmissis generalibus præsidiis, digerentia emollientibus, inter ea quę applicantur præualere debent, ne facilè suppuratio sequatur, cùm per eam testis sæpè vnus vel etiam alter deperdatur, admouendaque

daque ex remediis in ſcrophulis explicatis, cataplaſmata, emplaſtra atque fomentationes, quæ potenter operantur, illic deſcripta.

Quòd ſi verò in abſceſſum tumor hic vergat, maturatio illius procuranda, & ſicuti in abſceſſu docuimus, ſuppurandus, aperiendus, vlcusque inde natum poſteà ſanandum.

Si remediis non cedat, induratusque penitùs ſit teſtis, nec tolerari poſsit, per caſtrationem eo modo, vti in ſarcocele dictum, exſecandus.

In carnoſis locis, ex ſucco nutriente profectorum durorum tumorum curatio, accommodatur Scirrho & Tumoribus in abdomine prominentibus, à ſcirrho interiore obortis: Item aliis, qui materiam alienam in ſe continent, vt Atheromati, Steatomati, Meliceridi.

Scirrhi curatio. Scirrhus in carnoſis locis alicubi ſe offerens, ſiue inflammationibus ſuccedat, qui & frequentior, ſiue ſponte excreſcat, qui rarior, & vel vnus tantùm exiſtat, vel plures ſimul, vti in abdomine aliquando ſcirrhi in carne, vel glandulis illis ſcirrhoſis factis, occurrunt, ſi omnino indurauerit & confirmatus ſit, ſineque omni ſenſu, nec emolliri, nec diſcuti aut maturari ampliùs poteſt: Si verò nondum perfectè excreuerit, ſenſusque aliquis adhuc in eo remanſerit, ſpes ſanationis aliqua affulget.

Quæ remediis validiſsimis, cùm leuioribus non cedat, tentanda, corpore priùs per euacuationes ſi neceſſe ſit, ſic diſpoſito, vt ſi impurũ ſit, vel alius prauus humor adfluat, hæc curationem minimè impediant. Cùm alioquin ipſius ſcirrhi causâ, ſi præſertim ob inflammationem, exiccato ſucco, vel alterius partis ſucco quo alebatur craſsiore huc delato, ſicuti ferè, vti in cauſis oſtenſum eſt, inde prodire conſueuit, naſcatur, vt corpus à craſſo ſucco purgetur, vti plerumque facere ſolent, non ſit adeò laborandum: Sed potiùs eo inſiſtendum, vt ſcirrho adhibeantur, quæ potenter eum emolliant, attenuent, & ſimul illud quod emollitum, & attenuatum eſt, diſcutiant, quæ vel inuicem permiſta, vel ſeparatim & alternatim adhibentur.

Qualia pleraque inter ea quæ ſcirrhoſis ſcrophulis adhiberi debere diximus, etiam ſcirrho adhibita, ſimili ratione operari poſſunt.

Vtendo cùm emollire magis volumus, applicationibus ex oleis, axungiis aliisque pinguibus & mucilaginoſis, vti & gummi & lachrymis paratis illic deſcriptis.

Vel ſequenti Cataplaſmate: ℞. radicis Altheæ, Liliorum ana ℥.ij. radic. Iridis ℥.j. herbarum iiij. Emollitiuarum, Attriplicis, Braſsicæ, Parietariæ circiter M.iij. florum Chamomillæ Meliloti ana P.j. ſeminis Lini, Fœnogræci ana ℥.j.ß. fiat decoctio in Aqua vel Iure pingui, contundantur, adde Axungiæ Gallinæ, Anatis vel Anſeris aut alterius circiter vncias duas, olei Oliuarum, Amygdalarum dulcium an. vnciam vnam, fiat Cataplaſma.

Foueatur quoq; ſæpè decocto earundem plantarum: Vel etiam oleo ſolo Liliorum aut Amygdalarum: Vel in quo emollientia alia cocta ſint.

Vbi verò & ſimul emollire ſcirrhum & diſcutere volumus, applicationes diuerſæ ex plantarum radicibus, bulbis, herbis; Item ex animalium ſtercoribus, aliiſve, vti pulueribus ſubactis, vel aliis permiſtis, emplaſtriſque vſitatis parata, hîc quoq; locum obtinebunt.

Quibus & hæc adjici poſſunt, quæ ſcirrho admota conueniunt, veluti Raphani radix cum Vrtica contuſa.

Cæparum bulbi ſub prunis aſsi parùm, & cum Cochlearum carne contuſa permiſti, additis & aliis nonnunquam.

Viſcus arborum cum modico Calcis & Axungiâ.

Pix vel Reſina cum Cera & Axungia diſſoluta, addito puluere Marcaſitæ, aliiſve.

Sanguis taurinus cum Polenta aliiſve Farinis incorporatus.

Fotus quos ſcrophulis competere diximus, ad ſcirrhum digerendum & emolliendum quoque adhiberi poſſunt.

Suffitus hoc idem in ſcirrho præſtare po-

test; qui ex Aceto acerrimo, superfuso lapidi molari ignito excitatur: Vel si in Aceto Pyrites lapis Marcasita dictus, ignitus immersus vel iniectus extinctus fuerit, vel Scoria ferri, quam fabri candentem adhuc abjiciũt, & vapor ab aceto eleuatus, scirrhum attingat, ibique aliquandiu coërceatur.

Frictio scirrhi ante ipsius suffumigationẽ, vel remediorum applicationem facta, vti in scrophulis dictum, ipsorum operationem adiuuat, & simul aliquid discutit.

Sectione vel aliâ vi maiore scirrhum euellere, temerarium esse videtur, cùm adeò altis firmetur radicibus, vt eum penitùs eradicare, non sine periculo liceat, non solùm hæmorrhagiæ sed & grauioris læsionis alicuius: Dein & cùm, si portio illius auferatur & ea quę superest, facilè rursum crescendo augeatur, hoc nomine quoque sæpè frustra dolor & quidem cum periculo inducitur, nihilque interim efficitur.

Abdominis tumorum scirrhosorũ & glandulosorum curatio. Vteri scirrhi curatio.

Tumores alij seu prominentiæ aliquæ, in abdominis regione superiore, à scirrho hepatis vel lienis apparentes, qua ratione curari debeant, in cachexia, vti & hydrope, quæ inde sequuntur, abundè expositum fuit.

In inferiore illius verò sede, circa vteri regionem, si tumor à scirrho vteri fundi proficiscatur, scirrho cura accommodabitur, qui quo pacto præcaueri debeat, si inflammatio in eum tendat, in vteri inflãmatione tractatum fuit. Genitus verò vel hanc aliámve ob causam, vti in causis fuit expositum, licèt vti reliqui scirrhi, & præsertim in hoc loco positus, difficillimè sanetur, tamen curatio aggredienda, si fortè imminui vel aboleri posset.

In quam rem, corpore decenter priùs repurgato & disposito, exhibentur etiam quędam ex illis, quæ in duritie & scirrho hepatis & lienis, competere diximus. Veluti pilulæ ex Ammoniaco aliaque varia, in cachexia inde profecta, descripta.

Extrinsecùs ventris sedi vbi scirrhus tumore se manifestat, vel tangitur, variæ applicationes, quarum in scirrho externo meminimus, & quæ plerunque in scrophulis, vel etiam in eodem describuntur, hîc admota quoque competunt.

Vt sunt fotus ex oleis adhibiti, vel ex decoctis parati, addendo etiam quæ matricem respiciunt. Veluti radices Altheæ, Liliorum, Iridis, Bryonię, Maluam, semen Lini, Fœnogræci, Ficus, flores Chamomillæ, Violarum, Meliloti, aliaq; emollientia & digerentia illic exposita; Arthemisiam, Nepetam, flores Partheni, Sambuci, Ebuli, Lupuli. Atque in declinatione etiam Calamenthum, Pulegiũ, flores Anthos, Stœchados.

Inunctiones emplastra & cataplasmata in scirrho externo proposita, hîc quoque ventris tumẽtis regioni apposita, idem moliuntur: Vt sunt illic recensitæ pingues illæ & mucilaginosæ & gummosæ: Item ex plantis paratæ applicationes: Vti & cataplasma in scirrho externo ex plantis concinnatum, descriptum.

Quibus cataplasmatibus & matricem respicientia, supradicta in fotu, addere possumus, vti & Rutam insuper & Absynthium.

Præter quæ Mãdragoræ radix, Hyosquiami folia, vel Papaueris aut Cicutæ, si decoquantur in Vino, Oleo & Axungiâ, & contundantur, efficacia admodum sunt: Quibus gummi dissoluta, aliáve addi poterunt.

Absynthium, Rutam, farinam Lupinorũ cum Myrrha admouere iubet Diosc.

Sanguis anserinus cum farina Fœnogr. vel Lupinorum incorporatus Gal.

Ex vsitatis emplastris & ceratis hîc quoq; prosunt, in scirrho externo dictum Diachylon ireatum compositumque. Item alia in nodis exposita cerata, œsipata.

Iniectiones in sinum vteri quoque fiunt, quales in declinatione vteri inflãmationis, ne in scirrhum vergat, in ipsius inflammationis curatione descripsimus.

Vel etiam aliæ ex oleis vel decoctis in fotu expositis paratæ: Quibus & oleum Myrrhæ, Styracis: item ex Balsaminæ cucurbitulis factum, additum, eas efficaciores reddit.

Pessaria item in inflammatione vteri, quę scirrhũ minatur, exposita, hîc indi possunt, additis interdum prædictis quoque oleis. Ad quæ & Fœnogræci succum: item Panacem Herculeum referre possumus, quæ subdita iuuant.

Suf-

Suffitus itidem illic recensitus: Agerati suffitum commendat Diosc.

Atheromatũ, Stateomatum & Meliceridũ cura.

Atheromata, Steatomata & Melicerides, diu sæpè sine noxa circumferuntur, & proin negliguntur, sponteq; tandem in abscessum desinũt, vti & in capite prodeuntes eiusmodi tumores, quos Talpas & Testudines vocant. Aliàs verò etiam curationem requirũt, quæ non adeò est, vti scrophularum & scirrhi difficilis, citiusq; suscipitur, si alicubi parti incõmodent, aut etiam periculum, sicuti de atheromate sub mento nato diximus, adferant.

Perficiturq; ferè eodem modo, vti in scrophulis, strumâ, parotide & scirrho eam fieri debere diximus, per generalia quædam præsidia, corpori accommodata, si ob aliam ferè illuuiem, quàm hanc quæ exigua est, simplici tumore existente, requiratur, vt vel purgatione, aliòve modo euacuetur. Dein & per particularia tumori admota, resoluentia, emollientia, tandem etiam maturantia, in scrophulis exposita, quæ in hosce tumores, cùm non penitùs duri sint, vti alij, citiùs & meliùs vires suas exerunt, eosque si nondum confirmati sint, vel absumunt, vel saltẽ maturando, vt citiùs in abscessum, qui in vlcus mutari queat, sicque sanari, conuertunt.

Præter quæ ad melicerides tollendas, Vuam passam à nucleis repurgatam contritam, cum Ruta applicatam laudat Dioscor. Item Rumicem cum oleo Rosarum & Croco, Melilotumque: Et ad steatomata, Chrysanthemi flores cum cerato appositos.

Conferunt & sequentia, radix Cyclaminis vel Ari cum Axungia veteri addito Sulphure.

Calx viua distemperata cum Axungia vel Oleo.

Stercus caninum vel aliud cum Aceto.

Ammoniacum gummi vel Bdellium dissolutum in Aceto, & cum Melle mistum.

Vel vtatur hac picatione: ℞. Picis naualis diss. ℥.j. Sulphuris pulu. ℥.ß. malaxentur, extendantur supra corium, fiat emplastrum, quod singulis diebus detractum à madore abstergatur, rursumque reponatur, & de nouo quarto die mutetur.

Fotus similiter vti in Scrophulis & Scirrho dictum, sæpè adhibiti, vt & illic parati, competunt.

Sectione, cùm ægrè sponte aperiantur, abscessum natum aperiemus, cutem non transuersim, sed rectà vel subobliquè, ad myrthi vti docent folij figuram, secando, membranamque simul quæ sæuosam vel pultaceam aut mellitam illam materiam continet, à carne subiectâ, sectione liberando, & si quid remanserit, cathereticis auferendo: Quibus factis, postea vt vlcus sanabimus.

Cauterio, vti de scrophulis dictum, actuali vel potentiali, hoc idem fieri poterit.

In carnosis locis ex succo nutriente exortorum tumorum molliorũ cura, primùm distinguitur hoc pacto, quod alia debetur illis qui cum dolore se offerunt, vt sunt Condylomata in podice vel pudendo mulieris, quorum curationem in doloribus harum sedium exposuimus: Alia verò reliquis, quę sine omni dolore existunt, accommodaturq; primùm illis quæ cute verâ inuestiti sunt, vt Sarcomati hinc inde in corporis cutaneis sedibus, & Sarcocelæ in scroto, & Carnositati in pudendo mulieris enatis: Dein illis qui leui saltem tunicâ inuestiti sunt, vt Polypo in naribus, Gingiuarum carni auctæ circa dentes, Epulidi in ore, Encantidi in oculi angulo nascentibus: Postremò & Carni excrescenti in vlcere.

Sarcomatum curatio.

Sarcomata quæ hinc inde in corporis cutaneis sedibus excreuerunt, cuteque obtecta sunt, nisi maturè dum crescunt, impediantur, postea medicamentis extirpari vix ampliùs possunt, cùm sint veluti caro naturalis, & pars aliqua corporis, quam vti absumere potentiâ agentibus applicitis impossibile, ita nec hanc carnem, etsi superflua sit; sed cogimur eam vi auferre, quòd cùm non sine periculo hæmorrhagiæ, & læsione alicuius partis subiectæ fieri possit, satiùs illud cùm dolorem nullum pariat, intactum relinquere, præsertim si nec impedimentum magnum functionibus quibusdam, nec turpitudinem insignem adferat, vt cùm non est in parte aliqua conspicua, sed vestitu tegi solitâ.

In curatione tamen, si eam aggredi veli-

mus, in principio illius maximè occurrendum,& vbi primùm expullulat caro,vel etiã aliquousq; iam processit, nutrimentum illi subtrahendum,Sanguisq; per venæ apertionem erit detrahẽdus,item à parte reuellendus,& venâ aliquâ sarcomati vicinâ sectâ deriuandus,scarificationeq; sæpè in eo factâ,ex eo eliciendus,cucurbitulisque appositis aliò diuertendus:Purgationibus,item sudoribus & inediâ corpus aliquomodo emaciandum, si fortè hoc pacto & plethora,atque ex ea natum sarcoma minueretur.

Topica quoq; validè repellentia,incipiẽti sarcomati erunt applicanda,quæ succum ex quo gignitur,reprimant:Qualia in incipiente inflammatione plurima sunt exposita.

Dein fasciâ,si commodè fieri potest,stringendum,strictúmque relinquendum, vel aliâ arte premendum,vt Laminâ plumbi illi impositâ,vinculisq; appressâ.

Vbi verò excreuerit , cùm carnem eam cum cute illi obnatâ & venis intextis,nec maturatione in pus cõuertere,nec digerentibus absumere queamus,tunc si molẽ hanc carneam, vel ex parte vel omnino auferre velimus, sectione hoc tutiùs quàm vrendo perficiemus; In qua facienda cutem instratã vel simul auferimus, vel eâ saltem dissectâ indè carnem sectione, vti artis est amputamus,cauendo à vasis substratis quoad fieri poterit,maioribus venis arteriis & neruis, indeq; mox ad hæmorrhagiam restinguendam accedimus,posteaque vti vulnus sanamus,quæ duo remediis in vulneris cura expositis perficiuntur.

In minoribus eiusmodi sarcomatibus,si sectione ea auferre graue fit,cute in illis solùm dissectâ,carnem tunc nudam cathæreticis detrahere studemus, vel etiam cauteriis eam vrere,vel saltem putrefacere,sicq; sensim absumere.

Quòd si quoq; radice constent tenui sarcomata,vbi corpori adhærent,aut alioquin ligari possint,setâ vel chordâ aliâ sericeâ,circa radicem,illis circumdatâ,constrictaq; sensim eousque arctanda sunt,donec caro nutrimento destituto flaccescat,atque insensilis reddita,minori difficultate postea amputari queat.

Paratur quoq; chorda intincta vel inuncta causticis,vt Arsenico vel Sublimato,quâ sarcomatis radix vincta, adeò vritur in ambitu, vt postea sarcoma reliquũ emortuum abscedat, quod tamen, cùm non nisi cum dolore vehementi & inflãmatione plerunq; subsequente perfici queat, tutiùs si chorda in cauterio indolẽte nostro ab aëre in liquorem abeunte, intincta, vsurpetur, sæpeq; repetatur,procedemus.

Sarcocele seu carnositas in scroto testi adnascens,& in immensum sæpè excrescens, vix dum cùm adhuc crescit,impediri,multò minùs cùm excreuit,alia arte quàm sectione, quæ cum noxa castrationis fit, auferri potest : ob eamque causam cura illius negligitur. *Sarcoceles curatio.*

Interea tamen si aliquid mutare velimus, maturè ab initio dum in fieri est,faciendum, & venæ sectione in pede vel poplite factâ, sanguis ab hac sede sæpè deriuandus.

Adhibitis sacco testis,illic vbi extuberat adstringentibus repellentibusque,augmentum illius impediendum.Qualia multa quibus fluxionem in oculos impediri,si vicinis illis sedibus adhibeãtur,in ophtalmia descripsimus,hîc quoque conuenire possunt. Quibus adhibitis nisi crescere desinat,cùm intrinsecùs carnositas hæc lateat,scrotumque proximè illi non sit adnatum,frustra cathæreticis adhibitis hîc aliquid efficeremus,& causticis vel septicis cutem saltem aperiremus, quâ vel hac arte vel sectione apertâ, hæc eadem remedia huic carnositati commodè applicari minimè possent , testisque corruptio & amissio æquè atque si omnia simul amputarentur, quod citiùs fit, esset metuenda.

Multò minùs emollientibus adhibitis,vti aliqui iubent facere,hîc aliquid efficiemus, cùm nõ sit scirrhus;qui hæc,vt in cura illius dicetur,requirit,sed carnositas, quæ cùm emollitur,magis excrescit & augetur,& proin potiùs,vti ostendimus,adstringentibus & siccantibus debet reprimi , vel vt subsistat nec vltra crescat,indurari.

Mole tamen eius fatigati ægri,si ablationem requirant,sectione hoc faciendũ. Quæ communiter à chirurgis eo modo vti in herniis

niis eam fieri solere docuimus, in inguine sectâ & apertâ cute, euulsisque vasis seminariis, cum illius loci teste & adnata carne, ligatisq; simul vasis, & sub ligaturâ hisce amputatis administratur, vnde æquè ac dum in hernia hæc exscinduntur, ea in sede æger castratur, periculumq; non minùs magnum subire cogitur.

Quod minus esset, si non in inguine, sed scroti latere tumente, scroto dissecto, testis cum carnositate illi adnatâ, per vulnus extractus amputaretur, quâ ratione porcellos, canes aliosque mares cuiusuis animalium generis castrari, & citra aliam curam vel ligaturam, sponte sanari, vulnusque rursum coalescere videmus.

Quòd, si dum hoc fit, carnositatis pars aliqua sectione citra testis læsionem adscindi posset, testisque rursum cum vasis in scrotum reponi, fortè & sic succederet, præsertim si iniectiones vlcus sanantes simul adhiberentur.

Pudendi mulieris carnositatis curatio. Carnositas è pudendo mulieris interdum enata, admodùm se quandoq; exerit & propendet, quæ cùm impedimentum marito potiùs in copula, quàm aliud mulieri pariat, & mulierem hoc aliis patefacere pudeat, plerunque intacta finitur, cùm præsertim ægrè & non sine periculo auferri queat.

Ab initio tamen admotis iis quæ in sarcomate generali dicta sunt, coërceri debet: Et si excreuerit, & cura aliqua necessaria sit, vel ligatura, stringẽdo marcida erit reddenda, vel chordâ causticâ in ambitu circa radicem vrenda, quo tamen aliquando tentato, cùm dolor immensus & inflammatio subsecuta, nos ab opere reuocassent, nihil effectum est, vel septico potiùs, vti in sarcomate hæc demonstrata sunt, ambitus illius circa radicem mortificandus.

Polypi curatio. Polypi cura vbi excreuit difficilis, quæ rectiùs dum vel incipit vel nondum adeò auctus est, procedit, nam confirmatus, non nisi cum labore dolore & periculo aufertur.

In curatione generalia primùm, ad sanguinis influxum ad eam sedem, impediendum, præmittenda, per venę sectionem, & si corpus impurum sit, deiectionibus sudoribusque motis repurgandum.

Topica polypo accommodantur, tum mitiora adhuc, Epulotica seu cicatricem inducentia, quòd hoc in vlceribus sanandis præstent dicta, quæ validè exiccando & adstringẽdo polypum dum adhuc crescit, reprimere atq; siccare possunt; sin excrescens nondum confirmatus sit, priùs scarificatus vel dissectus, sępè iterata, similiter operantur, vel si excisus fuerit ne recrescat, prohibere, & cicatricem simul inducere possunt. Quòd si hæc parùm aut nihil proficiant, ad fortiora cathæretica trãsimus, quæ adhuc vehementiùs siccando valideque simul abstergendo, carnem minuant. Et si nec hæc sufficienter agant, ad caustica & septica digredimur, quę erodendo, vrendo & putrefaciendo carnem corrumpant & mortificent: Vel sectione factâ polypum auferimus.

Eiusmodi autem remedia trium generũ, quæ id præstãt varia sunt, è quibus plurima in epuloticis, in vlcerum cicatrice inducenda, & cathæretica caustica & septica in vlceris excrescentis carne amouendâ, fistulisq; extergendis, aliquaq; in abscessu rumpendo exposita, hîc quoque in polypi curâ conuenient: Aliaque insuper his addita, variis formis polypo applicari poterunt.

Pulueres qui subtilissimè triti polypo asperguntur, sunt qui in remediis cicatricem generantibus describuntur, ex simplicioribus illi qui efficaciores sunt, atque ex compositis septimus præsertim admodùm efficax. Ex cathæreticis in vlcere excrescente expositi, ex simplicioribus qui parantur ex radice Hermodactylorum, & Hellebori nigri: Item Boracis, Pumicis, ex Vini fæce crematâ: Atque ex compositis inprimis ille, qui ℞. Aluminis vsti ℥.iij. &c. Et qui ℞. Vitreoli ℥.iiij. Aluminis, &c. Ex fortioribus verò ille qui ℞. Vitreoli, &c. Alter qui ℞. Arsenici rubri & citrini, &c.

Vel vtimur puluere rad. Ari vel Serpentariæ, aut Vuæ seu seminis illorum: Quibus & Hermodactylorum puluis addi potest: Helleborus niger & Scoria æris.

Fuligo cum fumo ab accensis suscitata, nareq; affectâ excepta, retentâ paulisper interim respiratione, polypo se affigens, cum potenter exiccat, si aliquoties hoc repetatur.

Talis

Talis autem à Thure, Mastiche, Pice carbonibus iniectis, excitatur, vel si candela inde cum elychnio indito paretur, ab eaque accensâ rursumque extinctâ, fumus fuliginosus in nares intromittatur.

Validiùs siccabit, si Sulphur addatur, aliáve metallica.

Vnguenta polypo applicantur cum paruo linteolo, vel si fortissima sint, per canalem polypo admotum, ad eum propelluntur, ne partes vicinas tangendo lædant. Ex cicatricem gignentibus in vlcere expositis, illud hîc maximè cōuenit, quod ℞. pulueris Sexti mediam partem, hoc est ʒ.ß.&c. Ex cathæreticis in vlcere excrescente propositis illud quod ℞. Hermodactyl. vel Agarici, & qui ℞. Antimonij, &c. Ex fistulas extergentibus in cura ipsarum declaratis, Vnguentum Ægyptiacum: Vel potentiss. ex Sublimato factum: Vel quod in abscessu aperiendo ponitur ex Sublimato, vel Trochiscis veterum parato.

Præter quæ si mitioribus vti velimus, ex puluere suprascripto ex radice Ari parato, Vnguentum paramus, excipiendo eum Oxymellite squillitico vel succo Granat. acidorum inspissato vel Omphacio.

Vel inungitur Omphacium solum, aut succus expressus ex cortice & granis Granatorum acidorū coctione vti Omphacium inspissatus.

Succus Ari vel Serpentariæ item illinitur.

Aut vtimur validiore hoc Vnguēto: ℞. Vnguenti Ægyptiaci ℥.ß. cort. Granatorū, Gallarum an. ʒ.ß. olei Vitreoli ℈.j. misce.

Vel sumitur Chalcanthi aliquod genus, quod maximè erodit, vt Chalcytis vel Mysi, vel Æris ærugo, vel hæc duo simul, & cum Omphacio vel Melle incorporantur, addendo interdum & Æris florem seu squamam.

Efficacissimum fiet, si Arsenicū vel Sublimati tantillum addas.

Liquores aliqui fiunt & Aquæ, quibus polypus sæpè madefit, vel si validè agant, penicillo in iis merso tangitur aut inungitur, vel per pilulam cottonis aquis his immersam, vel canalem polypo adhibitum ad eum propelluntur, atque aliquandiu illic retinentur.

Tales autē liquores ex priùs recensitis, in fistulis sunt aqua, quę ℞. Ærug. æris ʒ.iij. &c. vel quę ℞. Auripig. ʒ.j. Ærugin. æris ʒ.iij. &c. & quæ ℞. Auripigm. Æruginis æris an. ℥.j. &c. Vel illa quæ inter ea quæ abscessus aperiunt, ponitur, & ℞. Vitreoli, Arsenici, &c.

Insuper confert & hæc aqua stillatitia, quę ℞. Aluminis ℔.ß. Chalcanthi ℥.j.ß. Gallarum vel cortic. Granatorum puluer. ℥.iij. Omphacij seu Agrestæ ℥.ij. vel succi Vuarum immatur. recentis, si haberi potest: Affunde Aceti fortis q. s. vt in pultem redigatur: Eliciatur per destillationem aqua: Quâ polypus sæpè tangatur vel madefiat.

Potenter & subitò operantur vel solo cōtactu, liquor quem spiritum seu oleum Vitreoli vocant.

Vel sic paretur: ℞. olei Vitreoli ℈.j. Aluminis vsti ʒ.j. dissolue cum aqua Plantaginis.

Alius efficacissimus: ℞. Sublimati ℥.j. coquatur in Aquæ fabrorum extinctionis ferri ℥.iij. ad consumpt. medietatis: Et per se admoue: Vel addendo olei Vitreoli ℈.ß. Aluminis vsti ʒ.ß. Adhibeatur.

Aquâ aurifabrorum fortis appellatâ, tactus polypus mox flaccescit, cui Auripigmentum etiam misceri poterit.

Oleum in fistulis extergendis descriptū, quod ℞. Antimonij, &c. hîc quoq; proderit.

Cauteria ex Calce, Vini fæce vsta, indolentia, aliaque quæ abscessum aperire diximus, polypo cautè per canalem, vel aliâ arte ne vicina loca tangat, admota, eum tandem vrendo putrefaciendoque absumunt.

Actuali cauterio citiùs hoc efficimus, ferro candenti per canalem intromisso, polypumque vrendo.

Sectione cum instrumento idoneo, vt forpice, polypum dissecamus vel amputamus, qui si priùs igne candefiat, eum vrendo, simul hæmorrhagiam & ne recrescat, quòd aliàs facilè fit, impedimus.

Gingiuarum carnis excrescentia, quam & Dentium superincarnationem vocant, cùm vix aliud incommodum adferat, quàm quòd in morsu ciborum sanguis leuiter inde emanet, cibosque cruentos aliquo pacto reddat, non admodùm curatur: Cùm masticando cibos in ea dentium sede, vbi gingiuæ tument, *Gingiuarum carnis luxuriantis curatio.*

tument, hæ sæpiùs impulsæ, ferè decrescant iterum & diminuantur, eodem modo quo illic, neglectâ masticatione, priùs excreuerant.

Quòd si verò eousque augeantur, vt iam dentes molares ferè obtegant, atq; in morsu inter dentes veniant, tunc collutionibus oris admodùm siccantibus & abstergentibus, hæc oris sedes sæpiùs erit abluenda, quales in oris vlceribus expositæ fuerunt. Et dentifriciis admodùm siccantibus & abstergentibus, gingiuæ tumidæ erunt sæpè fricandæ, qualia in dentibus sordidis sunt descripta.

Quæ nisi iuuent, ad validiora erit transeundum, atque Vnguento ex puluere Ari, dein & illo quod ex omphacio succisque aliis fit, in polypo descriptis, gingiuæ erunt illinendæ. Vel oleo Vitreoli, vt illic quoque ostensum, solo vel misto leuiter madefaciendæ.

Et si dentes admodùm vel omnino gingiuis obducantur, fortioribus quoque aquis quæ ℞. Aluminis ℔.ß. Calchanthi, &c. Vel aquâ Forti, vt illic quoque edoctum, earum superficies eminens, solùm tangenda, ne si circa radices dentium hoc fieret, illic quoque consumptæ, nudos dentes & imbecilles relinquerent. Vnde ne vel hæc aut alia loca attingant, nec dum aliquid de illis aliò feratur aut deglutiatur, cauendum, muniendo dum hæc apponuntur loca vicina, osque post horũ vsum sæpè & studiosè colluendo.

Epulidis curatio. Epulis caruncula iuxta radicem dentium enascens, cùm nullum imprdimentum ferè adferat, & licèt in catarrho aliquando magis intumescat, sponte tamen iterum subsideat, plerunque negligitur.

Si tamen adeò excrescat, vt dentibus se interponens, masticationem impediat, & morsa dolorem pariat, tunc oris collutionibus admodùm adstringentibus, caro hæc laxa facilè flaccescit & minuitur. Quòd si magnum impedimentum adferat, potentioribus quoque, vti in gingiuarum carne absumendâ dictum, vtendum, caroque hæc tangenda, cautione si noxia sint, vt illic dictum, eadem adhibitâ.

Quòd si pendula sit hæc caro, radice gracili, & setâ vinciri posset, hoc pacto tandem marcescens euanesceret.

Encanthis seu caruncula in oculi angulo excrescens, adeò vt molestiam adferat, præmissis quæ influxum sanguinis in hanc sedem oculi impediunt, prolixè in ophtalmiâ expositis. *Encanthidis curatio.*

Topica carunculæ huic apponimus ea, quæ vi siccante & adstringente quoque eximiâ prædita sunt, qualia in oculorum vlceribus collyria varia descripta, quorum continuatione, rursum in se hæc caro laxa facilè retrahitur & subsidet.

Si verò hisce minimè cedat, & ad fortiora quæ eam absumant, transeundum sit, sic illis vtemur, ne oculum lædamus, vel carnem hanc vniuersam auferamus, vnde Rhyas oculi vitium adhuc maius sequeretur, à mitioribus adhuc ad validiora; & si nihil efficiant, ad validissima pergendo. Qualia omnis eiusmodi generis remedia in oculorum maculis, & panniculo extergendis & absumendis, descripta, huic carunculæ, cùm eâ curâ quæ illic quoque annotata est, apposita, similiter eam possunt absumere.

Carnis excrescentia in vlcere excrescente dicto, enata, si nondum cicatrice obducta fuerit, faciliùs reprimitur aut aufertur, eo modo vti in vlcere excrescente hoc expositum fuit; si verò iam cute tecta sit & coaluerit, cùm tunc cum sarcomate conueniat, eo modo vt alia eiusmodi sarcomata, tractanda erit. *Carnis luxuriantis curatio.*

In excarnibus locis, à succo nutriente nascentium tumorũ curatio, primùm accommodatur illis, qui in articulorum sedibus se offerunt, vt Ganglio & Nodis illic quoque, vel etiam in nudis ossium sedibus enatis: Dein & huic, quæ in vnguibus quandoque visitur, Vnguium extuberantiæ: Demum & illis qui cuti innati sunt, vt Verrucis, Clauo & Callo cutaneo: Postremò & Varis & Hordeolo.

Ganglion in articulorum regionibus enatus tumor, licèt mollior nonnihil scirrho existat, ægrè tamen quoq;, si aliquousq; processerit, sanatur, interdum verò etiam nullâ ratione euinci potest, sed altiùs radices agẽs, articuli motum & per consequens membri *Ganglij curatio.*

impedit, vel etiam ita sistit, vt rectum adstrictumque, sicuti dictum, moueri nequeat.

Occurrendum autem maturè hisce incommodis, antequam vlteriùs excrescens confirmetur ille tumor, & demum quoq; omnia tentanda erunt, vt tumor hic dissipari vel saltem eousque minui possit, quò nihilominus articulus aliquousq; moueri queat. Quod præmissis decentibus euacuationibus, in durioribus & mollioribus tumoribus iam priùs expositis, molimur topicis remediis emollientibus & digerentibus, cauendo quantùm fieri potest, ne suppuratio hîc aliqua sequatur, cùm ea vel sponte facta, vel incuriâ inducta, vlcera peruersa & sæpè incurabilia secum trahat, à quibus neruosæ hæ sedes adeò interdum corrumpuntur, vt illius articuli motus deperdatur vel deprauetur: Sed & manuali operatione adhibitâ, aliquid, vti dicetur, præstari poterit.

Applicationes verò quod attinet, eædem quæ in scrophularum cura descriptę fuerũt, cùm emolliant & digerant, in ganglio quoque competent, additis interdum iis, quæ eiusmodi neruosis locis appropriata sunt, vel cùm multa quoque eiusmodi contineant, quæ hasce sedes respiciunt, eorum quantitas, vt cæteris præualeat, augenda.

Quâ ratione fotus, quo membrorum affectum fouetur, vel balneum in quod immergitur, ex sequentibus omnibus vel paucioribus parari poterit: ℞. radic. Altheæ, Liliorum, Bryoniæ, Iridis ana ℥.ij. herbarum Maluæ, Brassicæ ana M.ij. Hyosquiami ana M.j. Chamæpytheos vel Saluiæ, Absynthij ana M.ß. florum Chamom. Meliloti, Cheiri vel Sambuci ana P.j. semin. Lini, Fœnogr. ana ℥.j. baccarum Lauri ℥.ß. decoquantur in Aqua vel Vino aut Lixiuio pro fotu, vel auctâ omnium priùs dosi: Pro balneo.

Hisce & fortiora, vt radix Cucumer. asini, Cyclaminis, Ari, Serpentariæ addi possunt.

Vel ex illis parata fomentatio in scrophulis exposita, additis simul decocto, quæ in iam dicto fotu vlteriùs continentur.

Ex decocto Ranarum & Lumbricorũ fotus, hîc commendatur. Vel si cedere aliis noiit, ex aceto acerrimo simplici, vel in quo lapis Molaris aut Pyrites priùs extincti sint. Aut Lixiuio colato per cineres, & pręsertim Ficulneos: Vel Vrinâ, aliisve eiusmodi in scrophulis expositis, incoquendo interdum & ex supradictis quædam.

Ex oleo Lumbricorum, Ranarũ fomentatio quoque vtilis. Vel Sabinæ, quod cæteris præfertur.

Sulphureas thermas Naturales actu calidas, si diu illis insideant, & per mensem aut vltra, vti consuetum est, vtantur; hunc tumorem præ cæteris remediis aliquandò amouisse, & membrum adstrictum rursum relaxasse, obseruauimus; ob quam causam vel maturè, vel saltem si alia non proficiant, eò mittantur, illisque tanquam extremo remedio vtantur.

Vnguenta, cataplasmata & emplastra in scrophulis exposita, hîc quoque, cùm multa inter ea, quæ neruoso generi simul appropriata sint, recipiant, competent. Veluti ex pinguibus & mucilaginosis, vti & gummosis: Vel ex plantis, stercoribus, pulueribusq; parata. Quibus & vt meliùs membranosis illis sedibus accommodentur, oleum Lumbricorum, Vulpinum, Ranarum & similia permiscere possumus: Sicuti & axungias, eas pręcipuè, quas præ cęteris appropriatas, vt Hominis, Vrsi, Taxi, Vulpis esse credunt.

Fit & emplastrum conueniens hisce sedibus: ℞. Picis naualis ℥.ij. dissolutæ in olei Lumbricorum & Irini ℥.j.ß. addendo Ladani, Masticheș ana ʒ.ij. Styracis calamit. ʒ.j. cinerum Lumbricorum ʒ.ß. malaxentur oleo in magdaleonem.

Cataplasma hoc quoq; probatur: ℞. Nucum iuglandium antiqu. nucleorum ℥.iij. farinæ Lupinorum vel Orobi ℥.j.ß. radic. Raphani, Ireos ana ℥.j. Mellis q.s. contundantur, adde parùm Salis: Applicetur.

Suffitus etiam probantur ex aceto, in quo igniti lapides, vt in scirrho dictum, extincti sint.

Vel fiat talis: ℞. Benzoini, Storacis ana ʒ.ij. Myrrhæ, Bdellij ana ʒ.j. radic. Ireos ʒ.ß. Marcasitæ ʒ.ij. cum Terebinth. fiant Trochisci: Ad fumigandum.

Sectio citra læsionem tendinum aut ligamentorum, vel etiam neruorum, cùm vix fieri possit, omittenda.

Manuali aliâ operatione possumus procedere, per quam licèt ganglion auferri nequeat, vitium tamen inde contractum, aliquo pacto corrigitur.

Per aperturam factâ sectione alióve modo, ganglion auferre velle, periculosum, cũ citra tendinum atque ligamentorum, vel etiam neruorum læsionem, si exactè eximi debeat, vix fieri possit.

Si membra ex tumore illo circa articulum astricta sint, quo pacto ea sensim retrahi, & vel omnino vel saltem aliquousque reduci queant, idq; variis artibus & instrumentis, in cõtractione membrorum expositum fuit.

Nodi in excarnibus locis geniti, cùm triũ sint generum, quorum alij in articulorum sedibus enascuntur, vt sunt Podagricorum nodi: Alij verò in nudis ossium sedibus prodeunt, in lue venerea & Cephalæa; Tertij à causa alia violenta, Callosi nodi, nos singulis curam accommodabimus.

Nodorũ in Podagricis curatio. Podagricorum nodi, qui circa internodia digitorum pedis vel manus, nonnunquam etiam aliis in locis excrescunt, ægrè rursum dissipantur, sed plerunque vel aperti humorem aliquem vel tophos proferunt, vel alioquin indurati fixi manent prominentque, & articulum figentes, vt digiti recti vel curui maneant, sicut hæc in podagra ostensa fuerunt, causam præbent.

Vt tamen, si fieri potest, incrementum ipsorum impediatur, vel dissipentur aut citiùs maturescant; Primùm curatio ipsi podagræ erit accommodanda, quæ hisce causam præbuit, corpus euacuando, exhibendo Antipodagrica dicta illic descripta, quę adeò operari creduntur, vt si per menses aliquot, vel etiam toto anno, auellanæ quantitate sumantur, etiam nodos podagricorum dissoluant.

Quod & sequens sic vsurpatum efficere docent, quod ℞. Hyperici, Chamædreos, Chamæpytheos ana ʒ.vj. summit. Centaur. minoris ℥.ß. rad. Aristol. rotund. Phu, Mei, Hermodactyl. Agarici an. ʒ.iij. radic. Gentianæ, Petrosel. an. ʒ.ij. Spicænardi ʒ.j. puluerisata optimè, excipiantur Melle, fiat electuarium.

Applicantur dein quæ nodos emolliant, & quod emollitum est obiter digerant, vel quæ eos maturent, sicuti etiam aliis tumoribus hæc adhiberi eo modo debere ostendimus, è quibus multa, atque ex illis efficaciora hîc quoque possunt competere. Inprimis verò sequentia.

Vt Cataplasma hoc: ℞. radic. Altheæ ℥.ij. radic. Ireos rec. ℥.j. seminis Lini ℥.ß. coquantur in Vino & Melle, addatur primùm Terebinthinæ: Applicetur.

Præsertim verò competunt radix Cannabis syluestris, Dipsaci, herbæ Vermicularis, Senecio, Cicuta, Hyosquiamus, recẽtia contusa, vel priùs cocta in Vino vel Aceto, addito interdum Melle vel Oxymellite, & applicata, nonnunquam additis Axungiis.

Vel: ℞. foliorum Rutæ, Bursæ pastoris, additis Passulis enucleatis, contundantur.

Bulbi Cæparum & Allij tosti vel cocti parùm, quibus Axungia gallinæ vel alia addi potest, inprimis Taxi aut Muris montani.

Poma putrida applicata, vtilia sunt.

Ammoniacum, Sagapenum, Galbanum dissoluta in aceto acerrimo, vel Oxymellite, addito interdum Furfure minutim cribrato.

Vel: ℞. Galbani in aceto forti liquefacti ℥.j.ß. Visci seu Collæ emollitæ in aceto, Terebinth. & Ceræ ana ℥.ß. misce.

Stercus caprinum vel caninum, cum Oxycrato, additâ interdum farinâ Hordei, prodest.

Caseus itidem putrescens acris, qualis præcipuè sic fit ouillus, pistus & appositus.

Nigellæ semin. & radic. Ireos pulueres, cum Cera liquefacta, continuò supra callos posita, prosunt.

Vel puluis Vsneæ quercus & Auellanarum cum Sapone gallico, addito Nitro.

Cinis corticis Salicis cum aceto acerrimo misceatur, sæpeque tumor eo illinatur.

Vel sic: ℞. Ochræ ʒ.ij. cineris cortic. Salicis, sem Nigellæ ana ʒ.j. Stercoris canis sicci ʒ.j.ß. fiat puluis, excipiatur Caseo putri; fiat pasta. Cui & Gummi in aceto liquefactum addi potest.

Succum Capparum & Oleum nucis Indicæ commendant.

Fomenta quoque nodis apponuntur, & vt reliquæ applicationes meliùs operentur,

Aquâ calidâ priùs, vel alio decocto emolliente fouentur.

Maximè verò fomentis vel embrocis vtimur ad tophos absumẽdos, & partem simul corroborandam; Ex decocto facto in Vino rubro, Altheæ, Maluæ, Lapatij, &c.

Vel sic: ℞. Aquæ marinæ vel Salsæ mensur. x. singul. ℔. iv. in quibus decoquatur Gaiaci tornati ℔. j. Corticis ipsius ℥. iv. Absynthij, Iuæ, Betonicæ, florum Stœchados, Rosarum rubr. ana M. vj. radic. Ireos ℥. ß. fiat decoctio, donec remaneant Mensuræ vj. rursum affusis Vini rubri mens. xij. decoquantur ad consumpt. iv. partis, & colentur: Pro fotu ad dies 20. vsurpando.

Ex eodem decocto per fistulam seu canalem suffitus, ad locum affectum diu manè admissus, durities discutit, admodumque partem roborat, vti magno successu expertum fuit.

Idem præstat si Vinaceis pars affecta obruatur, primò eligendo succulenta adhuc, mox siccissima.

Inciduntur quandoque nodi, & sic aperiuntur, vt materia contenta prodeat, vnde vel subsident, vel cùm medicamenta admota, tunc meliùs in residuum agant, citiùs curantur.

Nodorũ in lue Venerea & Cephalæa curatio.

In lue Venerea qui erũpunt nodi, in fronte, tibiis manuumque externâ sede, cùm priuatam curam generalem, quę lui huic competit, requirant, & particularia quoque quędam, quo pacto hæc administrari debeant, in huius Luis cura tractabitur.

In Cephalæa nodi interdum erumpentes in fronte, curatâ cephalæâ, vt in ea descriptum, sponte euanescunt; Si remanserint, euacuationes aliaque erunt repetenda: Atque topica quæ iam dicta sunt, illis quoq; erunt admouenda.

Nodorũ callosorũ Überbein cura.

Alij nodi Callosi dicti, qui per se non ex morbo alio, ob abrasionem periostij, succo ossium luxuriante nascuntur, ac calli vel ossis noui instar ossi adnascuntur, vel à fracti ossis conglutinati rursum callo, nodi instar protuberãte, proficiscuntur, difficulter quoque auferuntur, & indurati omnino, ad dies vitæ perseuerant.

Si tamen vel molestiam aut deformationẽ adferant, topicis adhibitis eos emollire & resoluere studebimus: Non adeò hîc euacuationibus incumbentes, cùm à causa externa, vt labore vel simili ferè proficiscantur.

Applicareque possumus hîc varia, ex illis quæ in nodis podagricorum quoque conuenire diximus: Vel etiam alia in scrophulis proposita.

Atque inter ea, narcotica multùm operari posse, experientiâ cognouimus, quibus aliquando desperatos nodos in homine, vti & equis dissoluimus: Sumendo radicẽ Mandragoræ, vel folia Cicutæ aut Hyosquiami, eaque decocta miscendo cum Axungiis, vel decoquendo in aceto fortissimo: Pro fotu & cataplasmate: Quibus & Vrticam mortuam cum successu addidimus.

Ex Hydrargyro parata vnguenta & emplastra, sicuti in lue Venerea, ita & hîc ad nodos illos dissoluendos sunt efficacissima.

Ex vsitatis ad nodos emolliendos, conueniunt Oesypatum ceratum, quod fit ex oleo chamomelino, irino, œsypo, resinâ, terebint. mastiche, cerâ, spicanardi & croco.

Item Zachariæ filij emplastrum, quod paratur ex oleo lini vel leucoij, œsypo, adipe anatis, gallinæ, medullâ cruris vaccæ, mucilagine lini, fœnogræci, altheæ, piscium glutine, cerâ.

Dein & Philagrij œsipatum ceratũ, quod recipit oleum nardinum, œsypum, adipem anserinum, medullam cruris vaccæ, terebinth. bdellium, ammoniacum, mastichem, styracem, aloën, fœnogręcum & chamęmelum macerata, crocum.

Est & aliud quod sæuum vitulinum, olibanum, succum squillæ & ceram recipit: Item aliud Oesypatum Pauli, aliud Democriti Diapente.

Amputantur aliquãdo nodi, si præsertim versus articulos tendant, illorumq; liberum motũ impediant, aut premendo dolorẽ continuum inducãt, quod eò tutiùs fit, cũ in nudis tantùm ossibus, cute ferè solâ obtectis, hi nascãtur: Fitq; hoc apertione primùm cutis eos denudãdo, postea acuto ferro, ab osse continuato ictu abscecando, tandem vulnus inflictum ossi & cuti, vt decet, curãdo: Quod minùs tutò, nec ita citò vstione perficeretur.

Vnguium

Vnguiũ extuberantiæ callosæ cura. Vnguium extuberantia callosa, si à læsione aliqua vnguiũ procedat, cùm vngues crescendo sponte sensim è corpore secedant atque amputentur, vnà cum illis tandem abit.

Si verò ab internis causis hæc inęqualitas in illis proueniat, vel etiam vngularum instar crassescant, cùm tunc noui succedentes, tales quoq; euadant, vix ampliùs attenuantur; Tentandum tamen, si vitio aliquo corporis laborent, vndé hęc enasci posse vel saltem foueri, colligimus, vt illud priùs emendetur: & topicis emplastris & balneis validissimè emollientibus, in nodis expositis illam duritiem emolliamus, & ab hac extuberantia semper aliquid deradamus vel abscemus, si fortè qui succrescũt vngues, minùs crassi & tuberosi sequerentur.

Calli cutanei curatio. Calli cutanei in manibus, cùm non adeò obsint, nec cùm laboris sint indices, turpitudinem aut vituperium, sed potiùs laudem concilient, atque hi qui in pedibus circa calcem, vbi plerunque nascuntur, in incessu robur aliquod adferant, curationem vix priuatam exigunt, præsertim cùm, si ab attritione vehementiore harum partium aliquamdiu temperetur, spontè sensim euanescant, & cute nouâ succrescente, ab ea secedant, atq; auelli queant.

Quòd si verò adeò increscat & luxurient, vt impedimentum aliquod in contactu rerum, maximè verò in incessu, vbi claui instar validiùs premendo molestant, adferant, tunc quæ validè crassam hanc cutem emolliant, adhibenda erunt remedia.

Inprimisq; balnea, quibus manus aut pedes immergant; Qualia ex aqua cõmuni parata, actuali calore & madore, corium hoc crassum humectando, possint emollire; eoq; magis si quæ potentiâ simul humectent & emolliant, hisce quoque incoquantur. Vt plantæ emollientes, hinc inde in Clysteribus emollientibus descriptæ, atque eæ ex quibus in scirrho balnea quoque fieri debere diximus: Quibus & pinguia quandoque adduntur, vti Ius pingue intestinorũ aliáve olea vel axungiæ.

Præter quæ, inunctiones, emplastra ex oleis, axungiis, mucilaginosis & gummosis in scirrho exposita, hîc quoque conferunt: Vti & quædam ex illis quæ clauum emolliunt.

Inter quæ gummi Ammoniacum dissolutum in aceto fortissimo, emplastri instar callo obductum, valde eum mollem reddit.

Abraditur præsertim priùs benè emollita cutis hæc dura in manibus, vnguibus & in pedibus circa calcem, post pedum lotionem: Vbi & cùm admodum extuberat, lapide tophaceo vel limâ exteritur.

Cauterio indolente callum in lateribus pedum, in incessu valde molestantem, admodumque durum, claui instar, aliquando abstulimus.

Cicatricum curatio. Cicatricum seu callorum illorum cuti insertorum cura, plerunque nulla suscipitur, cùm nõ pro vitiosis habeantur, imò aliquando, si in acie aut pugna vulneratis acciderint, maximeque in facie appareant, honestæ esse, vtpote quæ non fugientibus, sed in conflictu viriliter pugnantibus contigerint, censentur. Dein & aliam ob causam productæ, si non eleuatæ sint, sed tantùm instar albæ lineæ vel maculæ cutis superficiei æquales appareant, quia colorem non ita cuti absimilé possident, similiter negliguntur, cùm si alium colorem illis inducere vellemus, eas manifestiores redderemus.

Quando verò nonnihil prominent, aut alioquin inæqualitatem quandam habent, tunc vt eas cuti æquales reddere queamus, remediis detergentibus moliri tentabimus. Qualia cicatricibus extergendis dicata sunt sequentia.

Decoctum Papaueris erratici & hortensis pro fotu vel lotione adhibitum.

Aqua item florum Liliorum & Fabarum: Commendaturque à quibusdam aqua Stercoris humani.

Oleum itidem Myrrhæ, & Vitellorum ouorum, & de Frumento, & ex nucleis Amygdalarum amarar. & Persicorum, Dactylorum & nucum Been expressum: In quorum oleorum defectu, nucleorum expressorum affricatorumque oleum idem præstat.

Sputum proprium dum ieiuni sunt, adfricant vulgò.

Sudor item qui ex Ouis dum sub cineribus assantur, exsudat, prodest.

Axungia thymali piſcis inũcta probatur.

Vel fiat vnguentum ex ſemine Erucę, vel Sinapis cum Felle bouis aut alio.

Vel ex Borace, Camphorâ & Axungiâ vel Medullâ aliquâ.

Glandis vnguentariæ coctę in aceto cum Nitro, illitionem probat Dioſc.

Vnguentum: ℞. radic. Cucum. aſini vel Serpentariæ, Ireos, Arundinis ana ʒ.ij. ſeminum Melonum excortic. ſ. Raphani ana ʒ.j. Oſsiũ vel cornu Cerui, vel Teſtarum ouorũ combuſt. ʒ.ß. Cretæ albæ vel Cryſtalli aut Amianthi ʒ.j.ß. Thuris ʒ.j. Sacchari candi ʒ.iij. Infuſ. gummi Tragach. vel mucilag. ſemin. Fœnograeci ℥.j. Olei vel Axungiæ alicuius q.ſ. fiat Linimentum.

Hiſce ſi nil proficiamus, & omnino eas aliquo pacto abſumere animus ſit, fortioribus detergentibus & erodentibus, & vrentibus vti poſſumus: Iiſdem quibus maculas pertinaciores in diſcolorationibus abſumi diximus, & tum illa, tum alia detergentia, quæ hîc quoque prodeſſe poſſunt, abundè illic deſcripſimus.

Radendo donec attenuentur cum cultello, vti & calloſam cutem minui vel cuti adęquari tandem poſſe, cenſent.

Altiùs impreſſæ cicatrices, ſi ſinum aliquem aut foueam faciant, minimè cuti adæquari poterunt, niſi illis ſectione aut vſtione ablatis, vlcus cauum carne priùs impleatur, tuncque alia cicatrix inducatur.

Variolarum fouearum poſt curã ipſarum relictarũ curatio. Verùm in foueis illis quæ plurimæ per faciem & naſum diſperſæ, poſt morbillos ſanatos relinquuntur, cũ fieri nequeat, vt fortiora illa ſingulis locis adhibeantur, nec alia extergentia hîc, quæ vulgò præſcribuntur, aliquid abradendo efficerent, ſed potiùs ampliùs excauarent, exigua ſanè emendationis huius vitij ſpes eſt, & proin ferè negligenda: exemplo ſint magnatum liberi, in quibus ſi quid tali curâ profici poſſet, nihil relinqueretur intentatum. Quòd ſi tamen aliquid tentandum, non deradentibus, ſed contrariis potiùs, emollientibus & attrahẽtibus adhibitis illud, vt ſe attollant, facieſq; aliquo pacto magis plana euadat, moliendum. Veluti Liliorum decocto, item pedis Vituli, aliiſq; ſimilibus, quæ ſtudio, cùm parua ſpes ſit curationis, omittimus: Huicq; vitio potiùs prę cauendo ne hoc fiat, eo modo, qui in morbillorum cura explicabitur, occurrendum eſt.

Fouea item profunda vmbilici, à coalitu illius nimis profundè facto procedens, cùm nullum impedimentum adferat, nec conſpicua ſit, negligitur; præſertim cùm emendari nequeat: Vti & extuberantia à callo excreſcente prodiens, cùm nec hæc tanti momenti ſit, vt curatione egeat; ſicuti verò omphacele aut hydrocele, quarum cura ſuo loco expoſita eſt. *Vmbilici fouea cura.*

Verrucæ & Claui, aliàs ſpõte rurſum progreſſu temporis marceſcunt atque abeunt; Vel ſi non magnum impedimentum adferant, nec ita conſpicua ſint, negliguntur. Quando vero hæc, quia deformant faciem aut manus, vt verrucæ, vel dolorem & impedimentum in inceſſu adferunt, vt claui in pedibus, auferre volumus, tunc faciliùs hoc in illis, quàm aliis duris tumoribus moliri poſſumus, licèt enim duriſsima ſint corpora, & radicibus altis quoq; hæreant, tamen cùm poris infixa, non illic cuti veræ adeò continuentur, nec cute, vti alij duri tumores inueſtiantur, & ſenſu proin omni deſtituta, quæuis perferre poſsint, curatio in illis magis ſuccedit. Quã ſic inſtituimus, vt hæc vel citra vim maiorẽ conſumamus, aliàs verò vi ea vel aduramꝰ, vel ſecemus, vel extrahamꝰ. *Verrucarum & clauorũ curatio.*

Abſumimus verrucas & clauos, adhibitis, quæ vel proprietate quadam hæc in illis operantur, vel alia qualitate nutrimentum ipſorũ exiccante vel abſumẽte, vnde poſtea marceſcere atque euaneſcere incipiunt, tandemq; cõſumi; cùm aliàs emolliri hæc dura corpora vix poſsint, multò minùs diſcuti.

A' Plantis quædam petita id pręſtant: Vel folia recentia contuſa, Senecionis, Linariæ, Agrimoniæ, Sumach, Geranij Robert. Dentis leonis, Cichorij verrucarij, Bliti, Populi, Rutæ, Millefolij, Naſturtij. Radices item Aſari, Iridis, Dipſaci, Chelidoniæ, Aſphodeli.

Efficaciùs operantur piſta cum Vino vel Aceto, eoque fortiſsimo, addito quandoque etiam Sale vel Nitro: Interdum & Pipere, quandoque aloë.

Bulbi Porri, Cepæ, Liliorum toſti, cum axungia aliqua apponuntur.

Succi

Succi illiti è prædictis plantis, idem præstant, inprimisq; lacteus ex cauliculis cauis Dentis leonis abruptis, aliarúmve inthybacearum plantarum emanans: Et prçter hæc succi foliorum & florum Verbasci, Mali punici & Portulacæ: Dein & Laserpitium.

Mel Anacardinũ illitum efficax censetur.

Aqua quç è sarmentorũ Vitium extremitatib. dum vruntur, exudat, affricata ꝓbatur.

Puluis seminis Nigellæ cum Vrinâ vel Lixiuio aut Melle exceptus, apponitur.

Vti & seminis Heliotropij, quod fortè tricoccon cùm verrucas referat, ob hanc similitudinem in eas agere posse, creditum fuit. Veluti & farina Cicerum, Pisorum, Hordei, quâ quoque eas abigi posse putant.

Fermentum triticeum clauos absumit.

Cinis corticum Salicum combustorum cum Aceto subactus, quoq; à plerisque laudatur: Cui & Squillæ cineres vtiliter miscentur.

Thus cum Pice puluerisatum, nonnunquam & Sale, Aceto vel succo Cæparum subigitur in formam emplastri.

Ab animantibus desumpta, sequentia applicantur vel affricantur.

Gobius fluuiatilis clauo adligatus & retentus, donec putrescat, eum abigit.

Lacertæ caput incisum commẽdat Dios. in verrucis & clauo.

Smaridis piscis caput salitum crematum probant, quod Cerâ vel Aceto potest excipi.

Cutis dura squamosa in pedibus gallinarum, quæ si ad ignem parùm torreat, separatur, calida sæpe affricata & superposita verrucis, eas delere creditur.

Cornuum recentiũ succus expressus inungitur.

Sanguinem mulæ vel Menstruum, vt quidam docent, aliqui illinunt.

Stercus canis, Ouinum, Caprinum cum Cera vel Sapone aut Lixiuio vel Vrinâ admouetur.

Fel Tauri vel aliud inungitur.

Præter hæc Sal nitrum & Sal Ammoniacum; & Alumen, cum Melle vel Sæuo aut Sapone mista, vsurpantur.

Item Lapis Lazuli puluerisatus cum Aceto incorporatus.

Adurimus quandoq; verrucas & clauos, tunc enim non solùm in escharam abeunt, sed & radicibus inde exiccatis & absumptis, non ampliùs recrescunt, quod actu potentiaque operantibus perficitur, è quibus, si quæ vim maiorem adferunt, adhibeantur, cutis, verrucam aut clauum ambiens, munienda, ne ab illis lædatur.

Ex illis quæ potentiâ operantur, mitiùs agunt Ranunculi folia & radix contusa, quç sæpè admota, tandem aliquid possunt efficere: Vti & aliæ adurentes herbæ.

Validiùs agunt caustica varia, passim descripta, quæ cautè adhibenda, vt solam verrucam vel clauum attingant, vel priùs parte circumcirca cerâ vel alio emplastro munitâ, in medio illius foramine relicto, per quod hæc prominent, sic erunt apponenda.

Imprimis in vsu hîc sunt, lacteus succus, qui è Ficuum fructu, vel folijs illius succulentis recentibus abruptis emanat: Vti & Tithymali alicuius lac: Inter cuius species Myrsinites copiosum lac reddit, quod & ad hunc vsum asseruatur, licèt & hyeme à planta hac, quæ perennis est, haberi queat: Lathyridis lac idem præstat: Pepli quinetiam vti & Chamæsyces.

Ægyptiacum vnguentum mistum succo Tithymali etiam conuenit; Cuius loco, Ærugo æris contrita, succo iam dicto potest excipi: Si tantillum Sublimati vel Auripigmenti addatur, erit efficacissimum.

Calx viua cum Sapone mista apponitur; Magis aget, si Vitreolum addas, & parùm Æruginis æris: Vehementiùs si Arsenicum aut Sublimatum.

Cauterium ex Calcis Lixiuio factum indolens, aliaque in abscessu aperiendo descripta, illud citò & commodè agunt.

Ex Cantharidibus cum fermento pasta idem operatur.

Aqua item fortis appellata aurifabrorum, si guttâ illius donec nigrescant, tangantur.

Vel adhibeatur hoc pacto Aqua ex Vitreolo, Arsenico, &c. vti in abscessu rumpendo descripta est.

Cuius loco hæc potest fieri: ℞. Salis ammoniaci, Aluminis, Vitreoli ana ℥. ij. Calcis viuæ ℥. j. Æruginis æris ℥. ß. Destillentur.

tur. Efficacior fiet, addito Sublimato vel Arsenico.

Actu adurimus, vel Ferreo stylo candente per canalem ne partes adiacentes lædat, transmisso, tangendo verrucas aut clauum.

Vel bacillum Betulæ accensum, rursumque extinctum adhuc ignitum adhibemus.

Aut Candelam ceream accensam sic inuersam vt guttæ ab ea adhuc vrentes, & flammam secum trahentes, supra verrucam aut clauum cadant, admouemus.

Vel Sulphureo bacillo, aut Papyro, vti in vsu habent, ad ignem excitandum accenso, hoc simili modo moliendum: Muniendo in circuitu partem ne vratur, priùs emplastro, vti dictum, vel plumbi laminâ tenui, illic vbi verrucæ imcumbit pertusâ, aliáve arte, tunc, cùm hoc modo vel priori verruca aduritur.

Quod & hoc modo fit: Si Nucis semiputamen verrucæ amplitudine perforetur, atque verruca huic foramini intrudatur, ita vt in caua illius sede conspicua sit, postea puluis Sulphuris illi inspergatur, eoque accenso tamdiu, donec vicina pars sentiens dolere incipiat, retineatur tuncque primùm abjiciatur.

Secamus varijs modis, vel Incidendo aut Scarificando hæc, vt remedia adhibita citiùs & meliùs vires suas possint exerere.

Vel abscindimus de illis acutâ nouaculâ sensim superficiem, procedendo eousque, partes sensiles attingendo non ampliùs perferre possint, quod fit, vt quod reliquum superest, meliùs quoque medicamenta auferant. Vel etiam, si præsertim ad viuam carnem vsque hoc fiat, vt sic penitùs auferantur; Vrendo postea ne rursum recrescant validè siccantibus, vel Plumbi laminam illis adligando.

Filo sericeo, vel Setâ, si pensiles sint, vel aliàs vinciri queant, eas circumdantes & stringentes; ligamus, vt sic alimento destitutæ arescant & secedant.

Extrahuntur etiam subitò cum suis radicibus, verrucæ aliquæ prominentes, arte quadam & industriâ, ab huius rei peritis circumforaneis ferè, vnguibus vel alio instrumento, quas priùs aliquo vnguento inungunt, quod tanquam magni vsus esset in varijs morbis, populo quæstus causâ venale proponunt, vt hac ratione commodiùs fucum facere plebi possint.

Exhibita quædam verrucas abigere creduntur, vi quadam occultâ & proprietate: Veluti Cichorium verrucarium, nomen tale proin sortitum, in Acetarijs comestum: Item Clinopodium.

Semẽ itidem Cichorij verrucarij ʒ. j. pondere ante somnũ aliquot diebus sumptum.

Contactu solo verrucas abigi, si totidem Ciceres, quot sunt verrucæ, sumantur, & singulæ verrucæ tangantur, posteaq; linteolo inuoluti, post tergũ, lunâ nouâ projiciantur, docet Dioscor. Vulgus sic vsurpata pisa, postea in ignem conijcit: Alij aliter hęc cum pisis fieri docent.

Vari seu Ionthi, id est extuberãtiæ seu pustulę durę caput occupantes, tã faciem quàm pilosas sedes, Psydraciæ tunc dicti, validè detergentibus, permiscendo nonnunquam & emollientia quædam, & nisi iuuent, etiam erodentibus & causticis curari debent. *Vari curatio.*

Qualia eiusmodi & leuiora & fortiora & validissima remedia, in maculis pertinacibus, vitiliginib. alijsq;, capite de discoloratione varia fuerunt descripta, quæ inde peti possunt. Vti & quo pacto corpus priùs præparandum & purgandum sit, illic quoque propositum.

Præter quæ varos admodùm dissoluunt sequentia: axungiæ Anseris, Lupi, Cati, & inprimis Thymali piscis illitæ.

Pinguedo item quæ ex Linteo panno dum vritur, exsudat.

Aloës vel Gummi Fœniculi cum Aceto squillitico illita.

Vel: ℞. succi Lapathij ℥. iiij. Aceti squillitici ℥. j. gummi Ammoniaci dissol. in Aceto ℥. ß. Boracis ʒ. iij. Salis vel Alumin. ʒ. j. misce.

Valde conueniens: ℞. succorũ foliorum Cæparum, Porrorum & Scabiosæ ana ℥. ß. Saponis mollis ℥. j. gummi Ammoniaci dissol. in Aceto ʒ. ij. Myrrhæ, Aloës ana ʒ. ß. pulueris foliorum Pulegij, Hysopi, sem. Ocimi ana ℈. j. Salis communis vel Nitri vel Aluminis ʒ. j. Boracis ʒ. ß. Chalcanthi ℈. j. fiat linimentum.

Vel ℞.

Vel: ℞. rad. Lapatij & Enulæ incisas, decoque in aceto, postea contunde, adde Boracem, Aloën, Thus, Os sepiæ, vel fortiora etiam.

Vel: ℞. foliorum Pulegij, Hysopi aut Agnicasti exiccat. ana ʒ.j. farinæ Lupinorum vel Orobi ʒ.ij. Salium vel Salsorum succorũ prædictorum aut Boracis ʒ.j.ß. Thuris ʒ.ß. Cum oleo Sinapis vel de Frumento aut Axungiâ Thymali, fiat vnguentum.

Vel: ℞. Farinæ Lupinorum ℥.ij. farinæ Orobi vel Lentium ℥.j. semin. Melonum excortic. ʒ.ij. sem. Raphani ʒ.j. radic. Ireos ʒ.ij. Salis ammoniaci ʒ.j. cornu Cerui vsti ʒ.ß. incorporentur cum infus. gũmi Tragach. fiant trochisci, dissoluendi in lacte, ad vsum.

Illitio ex Fellibus piscium, addito Omphacio, Melle & Saccharo, varos admodum discutit.

Si è Psydraciis ichor emanat, Lithargyrium nutritum in aceto & Æris squama, aliaque siccantia, in scabie exposita, inunctionibus adduntur.

Erodentia & Caustica in maculis descripta, extrema in hisce duris tuberculis sunt remedia.

Hordeoli & Grandinis curatio.

Hordeolum, tuberculum durum palpebræ inferiori verrucæ instar adnatum, atque illud quod Grando dicitur, in superiore prodiens, eadem ferè ratione, vti de verrucis dictum, curabitur. Applicando ea, quæ eas absumere posse diximus, sic tamen accommodando, vt huic solùm parti hæreant, nec oculum subeant, eùmve, si fortiora præsertim sint, lædant.

Præter quæ in hisce tuberculis cõueniunt etiam sequentia admota, nimirum gummi Ammoniacum vel Serapinum, emollita & super corium deducta.

Item Muscæ, ablatis alis, & Formicæ, cũ Cera vel Resina mista.

Fæx Vini, Vitreolum cũ Melle vel Cerâ.

Calx cum tertia parte Vitreoli & Terebinthinâ.

Adurere quoq; possumus ea, si nil iuuet, sed oculum diligenter muniendo, cùm hæc adhibentur tam potentia quàm actu id præstantia, vti in verrucis dictum.

Scarificare quoque ea licet: Alio verò modo ea abscindere non satis tutum: Vti neque per vim velle ea euellere.

Filo itidem ea, si commodè licet, ligare possumus, vti verrucas, sed sensim stringendo, ne dolor inflammationem pariat.

Mamillarũ tumoris à lacte curatio.

A' Lacte profectæ mamillarum extuberantiæ & tumoris cura, aliàs cùm spõte plerunque cesset, non suscipitur. Quòd si verò adeò vrgeat, vt metus sit inflammationis, tunc cura eò maximè dirigitur, vt prouentum lactis & influxum illius in mãmas impediamus, atque genitum ex parte absumamus: Vel illud educamus.

Si verò concretum, tumorem collectum & duriorem gignat, eum quoque discutere & absumere studebimus; si in abscessum verò vergat, maturare, aperire, vlcusque inde natum, vt in abscessuum & vlcerum cura dictum, sanare. Quòd si verò ex hoc illòve tumore inflammatio sequatur, illa vt in cura phlegmones in doloribus dictum, curanda.

Impedimus lactis prouentum, Victu tenui, Euacuationibus per sanguinis missionem & purgationem: Propinandoque quæ vt semẽ ita lac absumunt: Vti est Agnus castus & semen Rutæ.

Influxum, reuellendo & deriuando aliò sanguinem, sistimus; Sanguinis missione è brachio vel pede, si præsertim mulier in partu non rectè purgata fuerit; Aliisque quæ menses promouent, Scarificatione, Cucurbitularum applicatione in scapulis, supra genu, Frictionibus aliisve.

Repellimus sanguinem influentem Topicis, quæ supra venas cutaneas conspicuas, ad mamillas ab axillari descendentes, & in ambitu mamillarum glandularum potiùs, quàm supra medium illarum ponimus, cùm lac si illic concresceret, repelli ampliùs minimè posset. Verùm & extra mamillas, vbi venæ ab axillis descẽdunt, eadem etiam apponi poterunt.

Applicantur autem emplastra repellentia, defensiua dicta, ex bolo parata, qualia in phlegmonis cura præscripsimus, & in oculorum doloribus, si à fluxione fiant, in fronte, temporibusque applicata, defluxiones sistere docuimus: Vel alia etiam ex aliis parata repellentia, descripta iisdem in locis,

quæ & in ambitu, vti diximus, circumponi possunt.

Præcipueque ea quæ mammarum incrementum adstringendo, impedire, in eo casu descripsimus; hîc quoque idem præstare, in lactis adfluxu prohibendo, queunt.

Quod & Epithema ex aqua rosarum, aceto rosac. & Alumine faciet, additâ etiam ad penetrationem magis quàm refrigerationem, Camphorâ.

Resoluimus lac retentum in venis, exiccantibus & digeretibus supra mamillas vndique appositis, si distentæ sint, sin tumor collectus in illis appareat, supra eum, quæ & lac abundans & concretum nonnihil aliquo pacto absumere possunt, si non omnino à natura derelictum sit, cùm tunc, vti dictum, faciliùs maturatione in pus conuertatur.

Hoc autem præstant Mentha inprimis, dein & Calamenta, & Apium, Coriandrum, Vitex; Item Absynthium, Marrubium, Baccharis, Ricinus, Epimedium, Ruta, Eruca, Chelidonia, Caules, Sicla, folia Bryoniæ, radix Nenupharis, recentia contusa, vel priùs in Vini & Aceti partibus æquis, & Mellis tertiâ parte cocta, & cataplasmatis instar applicata.

Vel aliud quod ex Pane triticeo vel Furfure, farinis Fabarum, Hordei, Lentium, Lupinorum, Orobi, Fœnogræci, similiter coctis paratur, additis interdum simul & herbis, & permiscendo oleum Anethinum, Chamomelinum, Liliorum.

Vt exempli gratia: ℞. radic. Altheæ, Liliorum ana ℥.ij. herbarum Mentæ M.ij. Absynthij, Chelidonij ana M.j. florum Chamomillæ P.j. coquantur in Vino, Aceto & Melle vt suprà; contundantur, permiscendo farinam Fabarum & Hordei, vel etiam aliarũ ad ℥.iiij. olei Anethini, pinguedinis Anatis ana ℥.ij. fiat Cataplasma.

Vel sic: ℞. Farinæ Fabarum & Lentiũ an. ℥.iiij. coquãtur in Aceto & Mellis tertia parte, addendo Menthæ siccæ ℥.ß. Absynthij sicci ʒ.ij. seminis Cimini ℥.ß. seminis Viticis, florum Chamomill. ana ʒ.ij.ß. Storacis liquidæ ℥.ß. Croci ℈.j. olei Anethini ℥.ij. fiat Cataplasma: Cui coagulum hœdi ad ʒ.vj. ad lac dissoluendum, si concretum sit, addunt.

Aliud: Panis distemperatus in aqua Portulacæ & Saluiæ, addendo Mel pro Cataplasmate.

Sunt quæ Panem in aqua Mentæ, Saluiæ, & Portulacæ diu macerant, tandemque applicant.

Supra papillam radicem Chelidonij maioris contusam, positam, lac concretum dissoluere dicitur.

Cicutam lac extinguere docet Dioscorid. quam & mammarum incrementum prohibere, vti & alia narcotica, illic docuimus, vi sanè non refrigerante, sed potiùs admodum discutiente, qualẽ ipsis inesse, adeò vt etiam duros tumores dissoluant, multoties iam declarauimus.

Vnguenta ex succis enarratarum herbarum parata, additis nonnunquam & oleis, vt de Mentha aliisque, lac quoq; absumunt, & concretum dissoluunt. Quale hoc est: ℞. succi Apij, Menthæ ana ℥.ij. Aceti ℥.j.ß. Mellis ℥.ij. coquantur parùm: Pro illitione.

Vini fæcem cum aceto mistam, inunctam probat Diosc.

Fotus cum spongia vel panno linteo, in decocto herbarum prædictarum, admodum quoque conueniet.

Vel factus ex Vino generoso, vt Maluatico, addito etiam pauco Croco.

Educimus lac redundans per viam illi destinatam, suctione per infantem, qui si non sufficiat, plures adhibendi, vel hoc, alia quædam mulier faciat, vel ore proprio, aut instrumento suctorio in hunc vsum fabricato. Si hoc ob papillarum defectũ fieri nequeat, ea quæ in amissis papillis & lactationis defectu dicta sunt, facienda erunt.

A sanguine profectorum tumorum cura, debetur primùm hisce qui à sanguine Venarum prodeunt, Varicibus, Cirsocelæ, postea huic qui ab arteriarum sanguine enascitur Aneurismati.

Ventris extumescentia citra conceptũ in fœminis cura.

Quod verò aliam ventris extumescẽtiam attinet, quæ citra conceptum in fœminis, ac si grauidæ essent, à menstruis retentis proficiscitur, quia & illa plerunque cum larga sanguinis per vterum profusione finitur, in reiectis quoque, cùm de hæmorrhagiis per sinum vteri factis agemus, quo pacto in casu hoc:

su hoc procedendum sit, explicabimus.

Varicum curatio. Varices in quibus venæ maiores seu tumentes & distentæ à sanguine, conuolutæque in cruribus plerunq; se offerunt, si mulieribus grauidis accidant; plerunque vbi pepererunt, rursum sponte subsident. Si permanentes sint, in vtroque sexu, nec aliter molestent, non adeò ipsorum habetur ratio; Si verò pruritu doloreque continuò vel sæpè diuexent, vel vlcus quod ab ipsis varicosum dicitur, gignant, tunc eos curare oportet, cùm quamdiu perseuerant, vlcus sanari nequeat, sicuti in vlcere varicoso hoc ostensum fuit.

Cæterùm in curatione, primùm plethorę & cacochymiæ sanguinis habetur ratio, quę Venæ sectione & purgatione ante omnia emendare oportet, sicuti in variis ab iisdem causis pronatis affectibus, quo pacto hæc instituenda sint, fuit demonstratum.

Admotis dein quibusdam sanguinem & illuuiem venas distendentia, reprimere atq; absumere nitimur: Idque lotionibus vel fotibus ex decocto facto in aqua Fabrorum vel Lixiuio, vel Vrinâ, radic. Filicis, Cirsij, fol. Agrimoniæ, Lauri, Caulium, florum Rosarum, Sambuci, Lauandulæ, Nucum cupressi, Prunorum syluestrium, sem. Lupinorum & Caulium, addito Sale vel Alumine: & cùm validiùs adstringendum, etiã Vitreolo.

Vel hac fomentatione aut epithemate, quod ℞. Gypsi vsti ℥.iij. Boli rubri vel alterius terræ pinguis ℥.j.ß. Acaciæ vel Hypocistid. vel Prunorum sylu. siccorum ℥.j. Sanguinis draconis ʒ.vj. Myrrhæ ℥.ß. Aceti fortis ℔.j.ß. Lixiuij ℔.iij. Misce: potest & parùm Salis vel Vitreoli addi.

Ligaturâ influxum cohibemus, eumque reprimimus: Quæ fit Fasciâ crus vel partem varicosam inuoluendo, & ab imo sursum, vti in œdemate dictum, eam ducendo, sensimque stringendo, idque vel tantùm, vel simul fotum præmittendo. Vel fasciam in fotu madefaciendo, expressamque vsurpando, quæ vires inde aliquas assumit, maximè si in decocto prunorũ syluestrium priùs mersa fuerit; Vel succo illorum aut Agriotarum imbuta.

Sectione quandoque venam ex varicibus magis turgentem, & quæ ad vlcus quod fouet, per pedem deducitur, exscindimus, idq; maximè cùm vlceris sanationem impedit, vt sit vlcus, sicut in vlcere varicoso dictum fuit, curetur, cùm si vlcus absit, ipsæq; venæ solùm appareant, hoc non facilè fiat, pręsertim cùm plures, non sine magna offensâ & periculo exscindi possent: Vti & sanè eas alioquin secando solùm aperire, cùm admodùm turgent, non satis ob hæmorrhagiam, quæ magna metuitur, tutum est, quod tamen aliqui faciendum docent; cùm maiori commodo in altero crure, vena ad sanguinis ex crure affecto reuulsionem, secetur; Cæterùm quando venam varicosam vlcus fouentem exsecare volumus, primùm ductus illius ab vlcere sursum aliquousque vergens, lineâ ductâ notatur, & secundùm illius longitudinem, cutis acuto incisorio aperitur, venaque denudatur, postea sanguine deorsum frictione propulso, venæ superior sedes vinculo excipitur, & sub eo in longum, vt sanguis effluat, dissecatur; Dein in infima illius sede, vlceri proximâ, denuò vincitur, illiusque portio inter duo vincula penitùs exscinditur, vt sic via per quam influxus fiebat, intercludatur: quo facto, postea vlcus sanatur.

Venulæ aliæ minores varicosæ, in scroto testium, alis pudendi mulieris, palpebris, vel alibi in cute apparentes, cùm non multùm obsint, non adeò curam aliquam requirunt. Si tamen in illis quoque auertendis & minuendis aliquid tentare velimus, reuellendo sanguinem ab hisce sedibus, eumque repellendo & discutiendo, vti ferè in inflammationibus, nisi quòd adstringentia hîc non adeò refrigerare debent, ne sanguis coaguletur, aliquid moliri possumus.

Cirsoceles curatio. Cirsocele in qua venæ spermaticæ intumescunt, nisi seminis prouentui incommodet, ferè negligitur, cùm difficulter aliâ ratione, quàm per castrationem auferri posit, quæ tamen vix nisi sarcocelæ instar in immẽsum excrescat, & pro sarcocele sumatur, tentatur. Possumus tamen antequã eò deueniamus, si seminis prouentui incommodet, fomentationibus aliisq; adhibitis in aliis va-

ricibus expositis, hîc quoque aliquid, si fortè succederet, experiri.

Aneurismatis curatio.

Aneurisma, id est tumor ex arteriæ apertione, illiusque sanguinis sub cutem effusione factus, iam aliquousque progressum, curam vix dum ampliùs admittit, cùm adstringentibus sanguis ille minimè posit repelli, vel arteriæ osculum in profundo plerunque latens, occludi. Nec hîc aliquam apertionem facere vllo modo licet, cùm ægrum ob largissimam hæmorrhagiam, quæ inde sequeretur, & quam compescere ampliùs, impossibile esset, in apertissimum mortis periculum conjiceremus. Ob quam causam, si non à principio validè repellentibus, atque osculum arteriæ glutinantibus, in hæmorrhagiis expositis, aliquid præstemus, postea relinquẽdum, nisi ligaturâ aliquâ, vel plumbi tenui laminâ, tumorẽ hunc ne adeò protuberet, continere aliquo pacto velimus.

Quod internum Aneurisma concernit, cùm non tumorem apparentem extrinsecùs, de quo hîc agimus, producat, sed cordis palpitationem, in eo affectu, vti & de cachexiâ, in quo etiam hi affectus interdum concurrunt, quo pacto gubernari debeat, ostensum fuit.

A' semine profectarum Intumescentiarum, illa quæ naturalis est, ventris, in grauidis mulieribus, à fœtu proficiscens, curationem non aliam, quàm vt rectè gubernetur mulier, viuidusque maneat fœtus, nec ante tempus illa abortiat, exigit; Sicuti in partu intempestiuo, seu abortu quomodo ille præcaueri, decenti mulieris regimine debeat, declarabitur.

Ventris ex tumescentia in mola curatio.

Præternaturalis verò ventris intumescentia, quæ in grauidis mulieribus, non à fœtu, sed mola prodit, cùm non adeò certò causa cognoscatur, donec mola rejiciatur, cura in reiectis potiùs explicanda erit.

Tumorũ originaliũ cura.

Tumores verò alij particulares, qui à semine profecti, ab ortu processerunt, vt sunt Sarcomata quædam, Glandulæ, Strumæ, aliíve tumores, cùm nõ aliam curam, quàm eam ipsam, quam in aliis ipsorum causis exposuimus, requirant, hîc eam repetere non erit necesse.

DE DEFOEDATIONE.

CAPVT IV.

Genera.



DEFOEDATIONIS nomine intelligimus Lues illas, quę pluribus simul vitiis illisque contagiosis corpus defœdant contaminantque adeò, vt qui hisce infecti sunt, à consortio hominum sanorum relegentur, eorumque consuetudinem vitare cogantur. Huius autẽ defœdationis seu Luis duo potissimùm occurrunt genera. E' quibus vnum non nouum, sed antiquum semperque cognitum, Lues elephantica: aliud nouum, Lues venerea dici potest. Pluribus vitiis corpus in illis dedecoratur, partim vtrique lui communibus, tuberculis, pustulis, vlceribus, pilorum defluuio: partim quibusdam priuatis; vti & aliis insuper malis, cuiq; lui propriis, tum in functionum læsionibus, tum doloribus.

Præter illa sunt & lues aliæ, quæ nostro hoc seculo primùm innotuerunt, corpora pluribus vitiis quoque defœdantes, certis regionibus peculiares, & contagiosæ, inter quas magis cognita scriptisq; mandata est lues Stomacace dicta, Septentrionalibus populis frequens, quam & hîc describemus, aliis reliquis, qui eas cognouerunt, describendas relictis.

Elephantica lues, seu Elephantiasis.

Lues elephantica, Elephas vel Elephantiasis communiter appellatur, ob similitudinem, quam, qui hac infectus est, cum elephanto in multis habere dicitur: nos verò quòd aures ipsorum patulæ & latæ, alarum instar factæ, elephanti aures aliquomodo exprimant, sic denominatam potissimùm fuisse credimus, licèt alij alias quoque denominationis caussas adferant. Hanc lepram communiter, eaque correptos, Leprosos, ob cutis scabritiem, quæ lepra Græcis dicitur, Arabes vocarunt, indeq; nomen hoc in vsu mansit. Dicitur & à vultu truci, quando leonis faciem repręsentant, Leontyasis, & cùm luxuriosi nihilominus sint, Satyriasis; Germani

Lepra Arabũ. Maltzey vel Aussatz German.

mani hunc affectum Maltzey nominãt, à malitia huius morbi meo videre, potiùs quàm à Malacia nomẽ hoc mutuantes, licèt sic quoque aliqui hunc morbum nominare voluerint, fortè eandem ob caussam, quòd mollities in hoc affectu, quæ græca malaciæ voce significatur, nulla præualeat. Proprio idiomate, eum Aussatz/ & eos qui hoc patiuntur, Aussetzig/ quasi Relegatos, cùm ab aliis separari soleant, appellant.

In hac lue diuersa accidentia se offerunt, quæ, cùm ex iis, quomodo comparata sit, & qua ratione se habeat, cognosci possit, eò diligentiùs erunt indaganda, & describenda, cũ examinibus, ob hanc luem suspecti, magistratus etiam iussu, si illa subterfugere velint, subjiciantur, vt si infecti esse deprehendantur, maturè à sanis, ne ipsos inficiant, ad loca separata illisque destinata relegentur. Quæ censura vti ritè fiat, nec vti sæpè fit, qui tales minimè sunt, pro elephanticis habeantur; neque qui reuera elephantici sunt, sani iudicentur, è quibus erroribus, prior ægro relegationem, alter sanis periculum contagij accersit; Nos qui censuræ & iudicio plus quàm sexcentorum, de hac lue suspectorũ, annis triginta & aliquot præfuimus, primũ vitia quibus corpus illorum contaminatur, postea actionum quarundam læsiones proponendo, reiectaque examinando, quomodo ex illis lues dijudicanda, bonâ fide recensebimus.

Vitia externa quibus corpus ipsorum impeditur, potissima in capite & artubus occurrunt, vnde & inspectores hæc ferè tãtùm loca, vix dum reliqui trunci corporis alia aliquâ parte nudatâ, perscrutantur, atque inde certiora huius luis indicia desumunt; In artubus, manus & pedes, ipsorumq; digitos, illisq; adnatos vngues, vti & tibias supra genu ad femora, cubitum supra ipsius flexurã ad humerum vsque. Vt & in capite os, oculos, nasum intus forisque, reliquamque faciem, auresque & pilos in capite, superciliis, ciliis, barbâ, & in iam enarratis locis, tumores, vlcera, aliaque vitia iam enarranda, diligenter inspiciendo, perquirendo & examinando: vt ex illis vel solis, si sufficiant, vel pluribus simul collatis, hæc lues iudicetur, eaque ratione, sicuti nunc in singulis declarabitur, primùm ab illis quæ pathognomica sunt, initio facto.

Tubercula quædam in elephanticis plerunq; occurrunt, per faciem atq; artus disseminata, in facie frontem & genas opplentia, horridumq; aspectum præbẽtia, illicq; hunc morbum primùm prodentia; & in brachiis manuum summitatem cubitumque, in pedibus femora potissimùm occupantia. Ea cùm impelluntur, loco moueri possunt, doloreque carent, & liuore ad rubedinem aliquam, in facie præsertim tendunt, instar tuberculorum in cancro protuberantium, vnde hanc luem fortè Cancrum generalem appellarunt. *Cancer generalis.* Eiusmodi pustulæ si adsint, siue vnâ pluribúsve in sedibus, plures pauciorésve apparentes, elephantiasis certa sunt indicia, quæ nisi compareant, non facilè hanc luem esse, nisi alia plura signa concurrant, est affirmandum.

Sunt & alia tubercula hanc luem comitantia, quæ ore hiante, linguâ depressâ in palato, & faucibus citra radicẽ linguæ, plura plerunque, aliàs pauciora inueniuntur, nunc flauescentia, nunc subliuida, inter signa elephantiasis pathognomonica referenda. Qualia etiam ab hisce non admodùm discrepantia, in porcis frequenter visuntur, porcisq; ob id omnibus ferè antequam mactentur, faucis à certis quibusdam ad id deputatis laniis vi diductæ inspiciuntur, quibus deprehẽsis, leprâ infectos porcos, quam Finne vocant, existimantes, ab eorum esu abhorrent. *Finne/ porcorũ lepra.*

Vlcera quandoque in elephanticis inueniuntur, & præcipuè in pedum digitorum interstitiis & plãtis, in crassa illic & dura cute, dein & in manibus; item iuxta cubiti articulum in acutiore illius præsertim sede, aliisq; artuum locis. Quæ vlcera cutem veram penetrant, & rariùs vlteriùs feruntur, sed lata sunt, labiisq; callosis vel prætumidis constant, sanguinemque si lædantur, facilè reddunt, carcinomatum omnino instar; vnde &, non solùm quia tubercula ipsorum, vti dictum, cancrum dum integer adhuc est, referunt, sed & quia vlcera hæc eundem exulceratum repræsentant, eò magis cancrum

vniuersalem elephantiasim vocatam putamus. Hæc quoque vlcera dolorem nullum, quod peculiare his vlceribus accidit, etsi tangantur & nonnihil molestentur, inferunt, vti nec tubercula: vnde fortè sinistra hæc opinio, illos sensu tactus omni carere, nata est. Dein & serpunt hæc vlcera, alioq; in loco rursum erumpunt, sanatis prioribus. Ex quibus vlceribus solis, si rectè cognoscãtur, de hac lue certi quid pronũciare possumus, sed longè rectiùs, si cætera quoque, vti ferè fit, consentiant. Qui hisce affecti sunt, vt suspicionem lepræ declinent, ab vstione ipsis euenisse, solent prætendere, cùm ambustorum vlcerum cicatricibus, illorum relicta vestigia, ex parte respondeant.

In narium interioribus Vlcera interdum etiam inueniuntur, hisce quoque deteriora, quæ narium septum, fungosaq; illarum ossa exedentia, vt nasus turpiter collabatur, efficiunt, vlteriùs quoque ad narium amplitudinem serpentia, illa loca depascuntur, palatumq; aliquando perforant, columellam absumunt, indeq; nonnunquam in fauces vsq; pertingũt, & si in asperam arteriam descendant, exitium illis procreant; vti & si in aliis sedibus narium aut faucium, loca illa grauiùs lædant, mortem accersunt.

Tumidæ insuper aliquę in illis partes redditæ, hunc affectum demonstrant, inprimis Auriũ pinnæ in ambitu, vti & auriculæ, quæ plus solito crassescunt, aliàs etiam admodũ intumescunt & latescunt, vt sicuti dictum, elephantum hoc pacto repræsentantes, Elephantes vel elephantici dicantur. Eodem modo Narium alæ augentur & dilatantur, & in immensum sæpè excrescunt, vnde facies, cuius pulchritudo non parùm in decẽti nasi figura consistit, turpis admodum apparet, eoq; magis, si nasus in medio hac alarum vtrinq; protuberantiâ, collapsus & depressus, vti ferè fit, existat, foueamq; instar valli, inter duos illos monticulos efficiat, naresq; resimæ simul fiant. Quæ vitia non solùm dedecorant, sed & cùm nares simul occlusæ sint, respirationi, vti dicetur, obsunt. Intumescunt insuper ipsis præter tubercula, faciei, reliquæ partes: Vti & tandem palpebrę, adeò vt inuersæ pterygij instar, interna rubra ipsarum sedes prominẽs, trucem aspectũ p̃beat: Dein & manus & pedes in ipsis veluti inflata apparent, cũ reliquũ corpus alioquin consumatur & tabescat: vti & nõnunquam illæ quoque partes similiter marcescunt.

Pellicula in oculo nata, si cæteris accedat signis, magnum huius affectionis argumentum erit. Quæ albo oculi iuxta canthum illius maiorem sensim accrescẽs crassescénsque & carnosa facta, tandem supra pupillam protensa, eandem attingens, visionem lædit, vel obtegens cæcitatem, vti in visus læsione dictum, infert.

Scabra & aspera leprosorum alioquin est cutis, tum vbi nuda in pedibus, manibus, facie & auribus se offert, tum maximè in capitis pilosa sede & superciliis, vnde tandẽ furfures & squamulæ, nunc albæ, nunc liuidæ, nunc subnigræ decidunt, nullo vel exiguo cùm pruritu. Finditur quoque certis interdum in locis cutis, præcipuè in manibus, duraque & callosa fit. Vngues itidem finduntur turpiterque curuantur, atque vngularum instar quandoq; crassescunt. Scabies alia, sicuti est sicca illa & fœda, quam Mager vocant, vel illa quam Psoram nominant, etsi, quia vniuersum corpus contaminant, elephantiasi saltem caput & artus inficiente, magis hac hominem defœdare videantur, posteriorque illius species, quam psoram deterrimam vocauimus, lepra Græcis dicta, deploratus quoque interdum sit affectus, eoque nomine falsò sæpè pro elephantiasi sumatur, sicuti in psora explicatum fuit, tamen cùm nondum sit ille morbus, ab eo erit distinguendus, nec lepra illa Græcorũ, lepra Arabum, quæ vera est elephantiasis dicenda, nisi alia illius signa certiora huic quoque copulentur.

Pilorum accedit insuper in hoc malo casus, qui passim decidunt ac defluunt; Tum in capite, quòd hinc inde areis ductis caluescit; Tum in mẽto, vnde barba illis vel planè excidit, vel rarescit; Tum in palpebris, quæ superciliis & ciliis decedẽtibus glabrę fiunt.

Color alienus aliquid adiumẽti ad cognitionem huius mali adferre potest, qui non ampliùs in illis viuidus, sed ab eo declinans, cute plus iusto albescente seu pallente, vel flaue-

flauescente aut subnigricante, tenebricoso colore apparet; præsertimq; facies in illis, vti & oculi rubent vel liuent. Magnũ quoq; indicium habetur, si Venæ sub lingua, quas, eam ad superiores dentes reflectente ægro perscrutantur, plus solito nigricare & tumere, varicosarum instar conspiciantur; in quibus tamen, cùm non magnam fieri mutationem toties deprehenderim, exigui momenti hanc obseruationem esse existimo.

Functiones in hac lue ab initio, nisi aliud accedat, nullæ ferè læduntur; ob quam & causam cùm nec dolor eos vrgeat, licèt vestigia aliqua huius affectus appareant, eum negligunt, donec signa illius magis conspicua proferantur, quibus admoniti, seriùs huic malo obuiam ire tunc primùm conantur. Quo tempore cùm vitia enarrata externa admodùm increscant, & ob id partibus quibusdam incommodét, in operationibus defectum aliquem patiuntur: Præsertim in respiratione, quæ non solùm ob nares occlusas, vti dictum, illic intercepta est, ita vt ore aperto spiritum ducere cogantur, sed etiam propter vlcera & tubercula in faucibus nata, sicuti quoque ostensum, sic deprauatur, vt vox inde rauca edatur, vel si ampliùs noceant, adeò impedita & difficilis fiat, vt æger in suffocationis periculo versetur, quâ & aliquando vitam finiunt, cùm aliàs cæterorum vitiorum causâ diu, vti accidit superuiuere possint, nisi vlcera faucium etiam alias læsiones adferendo, illos enecent.

Sed & sensus aliqui in huius morbi progressu læduntur: Veluti visus, qui crescente pelliculâ in oculo, sicuti declaratum fuit, hebetatur, eaque ampliatâ, penitùs amittitur. Tactus sensum adeò aboleri in elephanticis, adeoque cutem stupere, vulgò creditur, vt dolorem, etsi ea grauiùs impetatur & lædatur, nullum sentiat, & proin vnum ex documentis, quibus an elephantici sint, explorare solent, hoc statuunt, si re acutâ aciculâ vel acu puncti, vel aquâ feruente perfusi, minimè afficiantur. Verùm hoc non semper, vel in omnibus locis accidere, experientia ipsa comprobat, cùm in certis solùm quibusdam locis, & pedibus præsertim tumidis, & iam diu longoque tempore vitiatis, caloreque omni, qui contactu deprehendatur, destitutis, & frigidis ac veluti emortuis hoc euenire posit, vt illic compuncti, etiam ad profunditatem aliquam vsque, sicuti expertus quoque sum, vix dum aliquid, aut nihil etiam sentiăt, nec cruor, sed aquosus ichor, vti in alphis pũctis euenit, promanet. Quod fortè occasionem præbuit, etsi rariùs hoc accidat, vt in omnibus elephanticis, idem euenire, eosque externas iniurias minimè sentire, crederent, nisi fortè ex eo quod vlcera eorum & tubercula indolentia, vti dictum, esse viderent, reliquam cutem quoque insensilem esse, collegerunt.

Quod reliquas functiones attinet, nisi diuturnitate morbi vires tandem deficere incipiant, munia sua nihilominus obire possunt, cæterasque actiones perficere, cibum appetere, eundemq; concoquere & digerere, sanorum instar, quem & proin, si pauperes sint, mendicant. Dein nec incitamentũ venereum in illis extinguitur, cùm luxuriosos eos esse, exempla multa, cõmissorum huius causâ facinorum, hoc satis comprobent, quod etsi alijs caussis adscribant, nos, quia ab vxoribus segregati vitam agere coguntur, nec eas attingere audent, hoc ipsis euenire putamus. Sed nec procreationem liberorum in ipsis cessare, inde videre licet, quòd grauidas sępè, cum relegantur, vxores relinquant, etsi iam diu priùs elephanticos eos fuisse, constet: dein & quòd si præter leges scortentur, mulieres aliquando impregnent; vnde elephanticos similes sibi procreare, scribitur.

In excretis quoque nihil singulare, quod hanc luem demonstrare posit, deprehenditur; cùm tamen ex sanguine vel solo, elephantiasim cognosci posse, plerique medici & chirurgi doceant, & vulgus huic signo tanquam certissimo, plus quàm cæteris omnibus tribuat, eoq; nomine ab omnibus, qui examini subijciuntur, sanguinem è vena secta detrahant, eundemq; dijudicent, & si, vti docent, ater vel liuidus aut scaber & veluti arenosus sit, ex eo elephantiasim esse pronũtiant: Alij verò eundem percolantes, vermiculos aliquos in eo perquirunt, illosque huius luis certum indicium esse volunt:

Alij

Alij experientiâ quadã in ſanguine factâ hoc explorare nituntur; nempe ſi ſal calens ſanguini iniectus, minimè diſſoluatur, vel acetum perfuſum illi non conmiſceatur, luis huius ſignum certũ aſſeuerant. Verùm nos qui ſuperioribus triginta & ampliùs annis, plurimorum hac lue infectorum ſanguinem diligentiſsimè inſpeximus, obſeruauimus & tentauimus, ſanctè teſtamur, neque nos neq; nobis adiunctos chirurgos, ex ſanguine quicquam certi quod elephantiaſim denotaret, vnquam deprehendere potuiſſe, ſed vel ſanorum ſanguini ſimilimum, vel ſi ab eo receſsiſſet, non plus mutatum, corruptum aut infectum, quàm in febre aliqua vel ictero, aliove morbo accidere ſolet, fuiſſe. Quod & de vrina ipſorum, cuius inſpectioni plurimùm vulgus tribuit, verè pronuntiare poſſumus: Vt & de pulſu, cuius mutationem aliquam inquirere, eſt nodum in ſcirpo quærere.

Venerea lues. Neapolitanus, Gallicus morbus, Lues Indica.

Lues Venerea, cùm inde plerunque hæc cõtrahatur, dicta, quam aliàs morbum Neapolitanum, Gallicum, quòd in ea loca primùm peruenerit, vocant, rectiùs fortè Luem Indicam, appellaturi, vtpote ex qua primùm prodierit, diuerſis quoq; & pluribus vitijs non minùs quàm elephantiaſis, atque aliquibus illi ſimilibus, corpus contaminat, & fœdum, ægrumq; ac aſpectu horrendum, vt illa reddit. Accedit inſuper in hac lue aliquando etiam ſummus dolor, qui ſi ſolus occurrat, ad dolores, qui circa oſsium regionem verſantur, refertur, vbi & in habitus corporis doloribus deſcribitur. Si verò alia inſuper accedant vitia, vti ferè fit, raroq; talis dolor citra vnũ vel plura cum eo concurrentia, in hac lue ſe offert, huc pertinet. Huius autem accidentia eò quoq; diligentiùs ſunt recenſenda, quòd & illa lues contagioſa ſit, vt maturè eâ cognitâ, hac correpti, à ſanis ſeparentur, quibus etiã ob id magiſtratus propria noſodochia, ſi pauperes ſint, quò relegentur, & vbi cura ipſis adhibeatur, deſtinauit. Præcipua autem accidentia huius luis, ſunt ſequentia, quorum vnum ſolùm interdum illius genus priuatum conſtituit, aliàs pluribus ſimul concurrentibus, cõpoſitum illius exoritur genus.

Luis Venereæ vnum genus.

Pilorum caſus in hac lue frequenter accidit, eamque denotat, vti capillorum capitis, potiſsimùm circa tempora & occiput; item ſuperciliorum, & in viris barbæ pili, qui ſi labantur, certius adhuc erit ſignum, eoque magis ſi alia quoque huius luis indicia concurrant, licèt & ſi hoc tantùm eueniat, hanc luem oſtendere poſsint, quando alterius affectus, in quo quoque pili excidere ſolent, nulla adſunt ſigna, & ſi concubitũ cum immundis & ſuſpectis mulieribus fateantur, vel hoc variis artibus ab ipſis extorqueatur.

Luis Venereæ alterum genus.

Maculis quandoque cutis ipſorum hinc inde, nunc certis in locis, in facie, collo, thorace, ventre, circa pudenda præcipuè, nunc per vniverſum corpus conſpergitur, non tamen attollitur, quæ pulicarum morſus aliàs repreſentant, & rubent, aliàs lentiginum inſtar obſcurè flaueſcunt ſeu liuent. Vidimus & ſæpenumerò, continuatis maculis eiuſmodi lateſcentibus, amplo ſpacio cutem alicubi commaculatam, frequentiùs in pectore & dorſo, nonnunquam & abdomine, vel etiam aliis in locis, quibus preſsis colore alieno refugiente, veſtigium preſſum albicabat, quod mox ad colorem priſtinum redibat. Hæ maculæ vel ſolæ, ſi non aliam illarum cauſſam, quàm congreſſum inpurum eſſe conſtet, luis huius initium, vel leuiorem illius ſpeciem, ſicuti & pilorum defluxus ſolus, conſtituunt & arguunt: Quæ tamen aliis inſuper accedẽtibus certiora erunt, morbumque grauiorem eſſe oſtendent.

Luis Venereæ tertium genus.

Puſtulæ eleuatæ indolentes, in hac lue aliquando in cute prodeunt, ſubrubræ vel ſubflauæ, rotundæ, duræ, & ſiccâ ſquamâ ſeu cruſtâ obductæ, in fronte, in aurium, narium, faucium ambitu, ac in capilloſa capitis ſede potiſsimùm apparẽtes, nec non in collo, thorace, mamillis, brachijs, cæteriſq; partibus interdum etiam occurrentes; quæ puſtulæ hanc luem certò indicant.

Præter quas & aliæ puſtulæ malignæ in interioribus locis, vt ore, faucibus, naribus & virilis membri præputio, mulierumque obſcœnis, oboriuntur. Quæ puſtulæ ſi præſertim plures concurrant, luem hanc certè produnt, maximè ſi alia quoq; illius indicia præceſſerint vel ſuperuenerint. Infantibus

infectis, hæ in ore erumpentes, potiſsimùm illius infectionis ſignum præbent.

Vlcera, ex enarratis puſtulis quibuſdam, peruerſa ac ſordida prodeunt, vti variis, ſic frequentiùs in cutis tenerioribus locis, vt facie, iuxta nares & labia, & in ambitu obſcœnorum ac podicis: Et in præputio, vlcus illud peruerſum, quod Cancrum vocant: In pudendo mulieris, vlcera illic nata; Dein & in vtroq; ſexu, vlcera in faucibus, ore, (cujus vlculcula aphtas vocant) naribus, nonnunquam & in podice exorta. Quorum aliqua vlteriùs ſerpentia, ſubiectas partes exedunt, atque oſſa ſimul interdum corrumpunt, partibusq; graues noxas, illarumque mutilationem, vel omnimodam amiſsionem pariunt: Alia in facie naſum depopulãtia, faciem turpem reddunt: Alia labia depaſcentia, quo minùs poſtea bibere poſsint, cùm ſorbere potum ampliùs, quod labijs perficitur, nequeant, in cauſa ſunt; ſicuti quendam, cui labia amputata fuerunt, conquerentem audiuimus: Alia columellam abſumentia, palatum perforantia, vocem raucam, ac veluti per nares efflatam, Cauam dictam, reddunt. Quæ & glandem corrumpentia, ad actum venereum exercendum ineptos vel impotentes reddunt. Sicuti hæc in vlceribus depaſcentibus, & functionum læſionibus, ab hiſce vlceribus prodeuntibus, quoq; expoſita ſunt. Ex quibus &, ſi plura præſertim ſimul prodeant, hanc luem cognoſcimus, certiùs tamen, ſi alia ſimul accedant indicia.

Luis Venereæ quartũ genus. Dolores circa nudam ſeu excarnem oſſium ſedem, plerumq; in hac lue ſe exerunt, in tibijs, homoplata, circa clauiculas in ſcapulis, in capite maximè circa frontem, & temporibus. Aliquando & in ſterno, quod tantùm in hac lue dolere creditur. Qui dolores atroces ſunt, & verſus noctem præſertim ſæuiunt, contactuq; exacerbantur, nec anodynis adhibitis, vti alij dolores miteſcunt, ſed increbreſcunt. Hi ſi abſq; alijs indicijs hac ratione ſe offerant, genus huius morbi, in habitus corporis doloribus, quò & pertinet, deſcriptum, conſtituunt. Quòd ſi alijs quoque accidentibus iam enarratis iungantur, diuerſum ab illo genus efficiunt, & faciliùs tunc quoque cognoſcitur.

Præter hæc & alia accidentia, cum iam enarratis, luem verè conſtituentibus & ſignificãtibus, nonnunquam concurrũt, quæ ſola quidem, cùm & in alijs affectibus accidere poſsint, certi quid de hac lue indicare nequeunt, niſi poſt coitum cum immumdis mulieribus euenientia, magnam ſuſpicionem illius præbeant, quod tamen nec tunc quidem, niſi alia accedant ſigna, indubitanter pronunciare poſſumus, cùm & antequã hæc lues ad nos perueniſſet, ex congreſſu, citra hanc infectionem, bubones venerei, aliaque nunc explicanda accidentia, aliquos corripuerint. Quæ ſi in lue hac eueniant, mox alia quoq; illius indicia, vt dolor circa oſſa, pilorum defluuiũ, maculæ poſtulæ've, ea comitantur. Sunt autem eiuſmodi accidentia quę tum in hac lue, tum citra hanc in aliis morbis euenire poſſunt, ſequentia, quę cùm alibi exactiùs deſcripta ſint, nec, ſi in hac lue prodeant, multùm ab illis differant, obiter hoc loco tantùm erunt recenſenda.

Bubo in inguine Venereus dictus, aliquãdo mox in huius luis initio erumpit, & rurſum euaneſcit, vel remanens induratur vel ſuppuratur, nec ab alio bubone venereo citra hanc luem genito, vel ſimplici differt.

Condylomata in pudendo mulieris, & in podice, tàm viri quàm feminę, aliàs naſcuntur: Quæ eodem modo vti cum ſi ſine hac infectione facta eſſent, ſe habent.

Sciſſuræ in manibus & pedibus, aliquando etiam ſuperueniunt; Cutisque craſſa in manuum vola, à ſubiecta cute interdũ abſcedens, ſine ſenſu doloris abradi detrahiq; poteſt. Sicuti etiam ſine hac lue, hoc aliquando euenire, alibi deſcripſimus.

Vngues digitorum nonnunquã decidiſſe, ſimulq; pilos defluxiſſe, obſeruatum fuit.

Nodi & tuberoſitates in ea luis ſpecie, quæ doloribus circa oſsium ſedem, ſe potiſſimùm exerit, in fronte, nonnunquam alia caluariæ ſede, tibijs, alijsq; vbi dolor vrget excarnibus locis, ſi aliquando patefaciunt, ſicuti in ea ſpecie, in doloribus qui circa oſſa verſantur, eo in libro deſcriptum fuit. Qui non admodum illis abſimiles ſunt, qui citra hanc luem, dictis in locis interdum oriũtur, ſicuti ibidem oſtenſum fuit.

Purulenta materia nonnunquã maribus præcipuè è pene, & aliquãdo fœminis sponte emanat, atq; indusiũ vel linteamina, subflauo colore commaculat & immunda reddit: Quem effluxũ virulentæ cuiusdam materiei seu seminis emanatio p̃cessit, in Gonorrhęa virulenta dicta, quæ & cum lue hac interdũ copulatur, aliquãdo extra eã accidere solet.

Mictio ardens seu vrens, cum conatu magno & vrinæ stillicidio, vti in aliis affectibus, vbi describitur, ita & in hac lue nonnunquam offertur.

Quod reliqua attinet in functionũ quarundam læsionibus accidentia, cùm nõ per se ab hoc morbo proueniant, sed ex accidẽti enarratorum vitiorũ causâ, si ea adeò inualescãt, vt illis quoq; incommodent, cùm generalia tantùm sint, in aliis quoq; diuturnis morbis consueta, hancq; luem nec constituant, nec ab illis signa aliqua certa desumi poßint, studio omittimus. Vti & ex vrinis vel sanguine detracto hîc aliquid prædicere, vel affirmare cùm experientia repugnet, superfluum esse putamus, religioq; nobis est, eiusmodi falsis persuasionibus vulgi sinistram opinionem seu potiùs stultitiam, omnia ex vrinis patere existimantis, fouere.

Lues Stomacace. Scorbutus morbus. Lues Stomacace: quòd os potißimùm afficiat, à Plinio, vti volunt, cognita & appellata, Scorbutus communiter in Germaniæ illis locis, vbi regnare solet, vocatur, à Scorbuck Schoorbuyck linguâ vernaculâ, hoc affectu nominato. Quæ lues, cùm in maritimis Septentrionalibus locis primùm se patefecerit, sitque contagiosa, non paruam suspicionem mihi mouet, potuisse & illam ex procul dißitis regionibus, quas per maria nauigantes hi populi, nostro seculo ad extremos terræ fines vsq; perlustrant, vbi fortè familiaris est, contagio, per nautas in loca hæc mari vicina primùm peruenisse, vti & lues Indica ab Indis primùm in maritima, circa Neapolim loca, translata, toti Europæ innotuit, cùm pręsertim hæc lues in quibusdam Venereæ non adeò sit dißimilis, & ad eam accedat. Nam & hæc variis vitiis corpus quoque inficit, atque simul actionibus quibusdam incommodat, sicuti iam explicabitur.

Maculæ in cruribus horum erumpunt, exiguæ primùm, mox latescentes, ad puniceum dein purpureum vel violaceũ, tandem nigrum colorem inclinantes: Aliàs verò tibiæ amplo spacio, vel etiam vndique & circumcirca liuore vel nigrore commaculantur: Interdum maculę per reliquum corpus quoq; disseminantur. Hæ maculæ quandoque cute illic abscedente, per squamas secedunt, aliàs subitò, ante obitum ferè, euanescunt, rursumq; post mortem efflorescunt.

Tument illis gingiuæ laxæq; fiunt, & pruriunt dolentq; nonnihil, & cruentæ existũt. Crura itidem illis intumescunt interdum, aliàs verò admodum attenuantur. Tubercula quibusdam insuper erumpunt, dura in glandulosis corporis sedibus, tum musculorum mediis spaciis, nec non alibi in corpore, nunc indolentes nunc dolorem parientes, ad similitudinem illorum tuberculorũ, quæ in glandulis potißimùm occurrunt, & peculiarem quandam veluti luem, à Gallis Scrophularum nomine expressam, superiùs descriptam, constituunt.

Exulcerãtur etiam postea gingiuæ & putrescunt, corrumpunturque, vnde fœtidus oris prodit anhelitus, atque illis tandem absumptis, dentiũ radices nudæ apparent, dentesq; nonnunquam vacillant: vti & in Herpete gingiuarum, quem cancrum illarum vocãt, accidere, in oris dolore descripsimus, vbi & Scorbuti, quatenus hanc sedem afficit, meminimus. In tibiis vlcera sed rariùs nascuntur, quæ cacoëthe sunt, adeoq; putrida & gangrænosa fiunt, vt omnem sensum amittant.

Tensio & contractio seu rigiditas in cruribus, maximè circa suras, quoq; mox superuenit, cum leui dolore & punctionibus quibusdam in plantis pedum, quod etiam illos, quò minùs stare nec incedere poßint, cohibet: aliàs & venæ varicosæ in illis apparent.

Grauedo corporis & spontanea laßitudo, in prima inuasione mox se offert, pulsusque debilis: Mox tanta sequitur imbecillitas pectorisq; angustia, vt cùm æger se erigere vel mouere vult, animo sæpè delinquat, pulsu interim subsistente.

Quod reliqua attinet, Appetentia ciborum in

in aliis proſtrata eſt, in aliis potiùs adaucta: Vti & in quibuſdam aluus fluida in aliis adſtricta; Vrina rubra turbida; Sudor fœtidus.

Comitatur interdũ febris lenta hâc luem; aliàs illam aliqua præcedere ſolet, acuta vel maligna: quandoq; quartana eam ſecuta eſt, & poſt eam rurſum hęc lues. Grauiores quoque affectus interdum producit, vt euulſiones, reſolutiones, atq; alios poſt ſe aliquando relinquit, in quos deſinit, vt atrophiam, tabem, hydropem & dyſenteriam, &c.

Cauſæ.

CAuſas vnde infectiones ſeu Lues illę cõtagioſæ & quæ pluribꝰ vitiis corpus impetunt: nimirum antiqua illa lues Elephantica, noua item Venerea, vel conſueta ſaltem certis regionibꝰ Stomacace appellata, aliæ've ſimiles aliis locis populares prodeunt, nõ ad certam & manifeſtã qualitatem aliquam vel humorem ſed venenatã potiùs vim ſeu venenum, quod malignitate ſuâ, occultè & pernitioſè, vti ex effectu patet, agit, referimus. Quod quibus partibus corporis potiſſimùm inſidietur, & quos affectus in illis producat, & à qua cauſâ proueniat, in ſingulis hiſce generibus explicabitur.

Sedes affecta in Elephãtiaſi. Elephanticâ lue, membranea ſolùm inuolucra aliqua infici, vitia quæ in hiſce tantùm locis inueniuntur, demonſtrant, inprimiſque cutem quâ corpus obuoluitur, & illius præſertim certa duntaxat loca, aliàs etiam plura, in quibꝰ enarrata vitia in generibus expoſita, lues hæc procreat, vt tubercula in cute faciei, manuum & pedum, vlcera in cute pedum, plantarum digitorumque interſtitiorum, aliorumque locorum, cutiſq; intumeſcentiam in auribus & narium alis, nec non faciei aliarumq; partium, nonnunquam & in illis ſedibus cutis ſcabritiem fiſſuriſque, vti & in vnguibus, cuti inhærentibus, pilorumque cuti infixorum defluuium: Dein & in tunica ſuccingente oris, faucium, nariumque amplitudine, idem venenum tubercula in palato, vlceraque in illis ſedibus gignit: Et in adnata oculi tunica, craſsitiem, tandemq; panniculum. In cæteris verò corporis partibus, præter recenſita inuolucra, veluti muſculis, oſsibus viſceribuſq; internis & vaſis, hoc venenum illud non efficere, nec vti vulgò opinantur, hæc in hac lue affici, ſatis inde liquet, quòd præterquam, quòd nulla vitia eouſq; pertinentia in hac lue infectis deprehendantur, nullæ quoq; aliæ functionum læſiones, nec in motu voluntario, nec animalibus, vitalibus aut naturalibus actionibus, niſi alius accedat morbus, in illis ſe offerant, nec in ſanguine emiſſo aut excrementis redditis, vel vrinâ, aliquid quòd viſcera hęc affecta eſſe demonſtret, appareat, ſicuti hoc in accidentibus huius luis explicandis, in generibus oſtendimus.

Affectus verò ſeu morbus, quem eiuſmodi venenum producit, ſimiliter intemperies quædam erit ſeu qualitas venenata, cuti tuniciſque enarratis impreſſa, non ſolùm veram ipſarum temperaturam peruertens, ſed & totam ſubſtantiam deprauans, vt ſuccum quo nutritur, & qui in deperditam continuò reponitur, etſi à laudato ſanguine, cæteriſque ſanioribus partibus nutriendis apto, profectus ſit, poſtquam illi apponitur, ſibi aſsimilando in ſimilem ſubſtantiam prauam, vitiis eiuſmodi in ea proferendis idoneam, conuertat. Eodem ferè modo, vti qualitatem aliam venenatam cancrum producere, ſuccoque deprauato eum augeri docuimus. Nam vt ab hac in vna ſolùm ſede tumor ille malignus, ſic ab illa, plura tubercula aliaque vitia diuerſis in locis, procreantur; vnde & quòd conſimili ferè ratione & à cauſâ eadem venenatâ, diuerſas tamen operationes edente, naſcantur, elephantiaſis, Cancer generalis, vti eum nominare ſolent, rectiùs quàm quòd totum corpus vndique inficiat, appellabitur: cùm illa non totum, ſed vti dictum, cutem tantùm tunicaſque aliquas ſolùm occupet. *Qualitas ſeu intemperies venenata, cauſa Elephantiaſis.*

Cauſa verò à qua hoc venenum, qualitatem hanc noxiam in cute tuniciſq; dictis gignens, vnde vitia in lue hac producuntur, à variis ortum ducit. Aliàs enim per contagium, à lue hac infectis parentibus in fœtum, vel de corpore eâ lue infecto, in corpus transfertur: Aliàs verò hoc ex aliis humoribus, vel cauſis in corporibus ſuſcitatur.

A' parentibus cum ſemine hoc venenum in fœtum tranſiens, Hæreditarię elephantia-

sis in eo causa fit. Nam cùm semen ab vniuerso corpore promanet, ab infectis partibus portio illius dimanans, labem ab illis eam accipit, quæ in conceptu, dum fœtus ex eo formatur, in parte simili, cute scilicet & tunicis affectis, quam hæc seminis portio gignit, impressa manens, rariùs mox in natis infantibus se patefacit, sed salubrioris seminis portionis viribus domita, sopita aliquandiu manet, potentiaque tantùm inhæret, donec languescentibus aliis, vis hæc noxia præualens, in actumque erumpens, se nunc citiùs, quò maior est noxa, vel tardiùs, si minor, atque eâ ætate præsertim, quâ parentes primùm hac lue laborare cœperunt, manifestat. Sed & accidit, vt delitescens in liberis ad multam vsque ætatem, citiùs in sobole ipsorum quàm ipsis aliquando se exerat, immò vt & immunes ab hac lue filij per totam vitam maneant, & in nepotibus ea primùm se prodat. Quæ, vti hoc pacto, per contagium à patris vel matris hac lue infectorum semine, in filios vel nepotes propagatur, sic & in parentibus, si saltem dispositi sint ad hanc luem, seminaque aliqua occulta illius, siue aliunde acquisita, aut in ipsis genita sint, in se contineant, etsi huius affectus certa indicia in illis minimè deprehendantur, tamen in liberos eorum, hæc lues deriuari, atq; in illis primùm erumpere potest. Sicuti à quodam sene, nulla elephantiasis aperta indicia habente, filium illegitimum, & legitimos binos, genitos fuisse, qui circa adolescentiam, elephantiasi horrendâ correpti fuerunt, cùm tamen tres filiæ ab eodem procreatæ, per totam vitam immunes ab ea manserint, vidimus. Quod patris seminis inquinati, sed nondum in eo vires suas exerente, in filiis, & in filiabus materni purioris seminis causâ accidisse, credibile erat. Licèt in illo vt & aliis hoc pœnæ loco Deus etiam sine eiusmodi medio facere soleat.

A corpore hac lue infecto, per contagium venenum hoc in alterum transferri posse, non solùm communis & antiqua est opinio, quo & nomine à sanis relegantur, sed & hoc fidem facit, quòd lues hæc exteriora, vt cutem præcipuè occupans, per contactum illorum præcipuè locorum, quibus hæc vitia scatent, vel accubitum proximiorem, vti concubitum, in alterius corporis superficiem faciliùs se ingerat: Vel quòd interuentu inquinatæ tunicæ succingentis, per sputum veneno hoc infectum, eorundem poculorum vel cochlearium vsu, aut ciborum ab ægris præmorsorum esu, primùm in alterius fauces, indeque in alias sedes, se insinuet. Qua ratione & in lue Venerea illius venenum, vti & bestiarum virulentarum, per sputum corpora inficere posse, ostendimus. Inficiuntur autem hoc pacto eò faciliùs hi, quorum temperamenta inuicem nonnihil participiant, vt qui sanguine proximi sunt, sicuti aliquoties nunc duos nunc tres fratres in iisdem ædibus, examine habito, lue hac corruptos esse deprehendimus, vel qui alioquin ad eam suscipiẽdam, dispositionem aliquam idoneam habent, quam aptitudinem qualis sit, explicare vix possumus, sed ex eo saltem talem esse, quòd è pluribus, qui iisdem periculis expositi erant, vnus saltem vel alter inficiatur, colligere aliquo pacto possumus. Quinetiam si animalia quædam hac lue infestarentur, vti de quibusdam scribitur, fortè & ab illis per cõtagium in hominem deriuari posset. Nam etsi vitium aliquod in illis natum, cum aliquo elephanticorum quandam habeat similitudinem, vti tubercula faucium in porcis, quia tamen non cum illis penitùs conueniunt, nec alia insuper quæ in homine eâ lue correpto reperiuntur, accedunt, elephantiasim eam vel non esse, vel aliam ab ea quæ soli humano generi pœnæ loco, à Deo immissa videtur, luemque solis eiusdem generis animalibus potiùs, quàm homini contagiosam, asserere non adeò præter rationem erit. An etiam ab aliarum bestiarum virulentarũ morsibus vel ictibus, aut solo earum, vel alicuius alterius veneni contactu, aut etiam illius assumptione, aut odore, vti de ocimo nugantur, talis lues in corpore possit exsurgere, licèt, varia ea de re vulgus spargere & credere soleat, certi quid affirmare nolumus, sed experientię singulorum committere.

Ab humoribus causam huius luis quoq; produci, idque frequentiùs, ex eo patet, quòd

quòd multos elephanticos per contagium minimè hanc luem acquisiuisse constet, videamusq; sæpè eos, qui diu cum infectis cõuersantur, vel etiam per matrimoniũ commiscentur, sanos tamen permanere. Deinde cùm nulla alia externa causa adduci possit, vnde malum hoc subortum liceat dicere, ab interna eam profectam esse, satis liquet. Cæterùm nec hanc in humoribus noxam, vnde hæc venenata qualitas partibus affectis inducitur, intemperiem aliquam in illis vel putredinem aut corruptionem esse, vti vulgò creditur, dicere possumus, cùm nullos alios morbos neque illorum accidentia vel indicia, quæ ab eiusmodi humorum transmutatione suboriri solent, proferat, sed venenatam potiùs in illis qualitatem, quæ similem morbum seu affectum venenatum gignit, statuimus. Qualis in sanguine nasci atque consistere potest, & proprietate eâ, quâ illa certis duntaxat sedibus nocere solet, pro venenorum natura, cuti tunicisque solùm noxam hanc imprimere, nec alias sedes inficere. Quod vt faciat, & vt ad superficiem corporis hæc ipsius vis perueniat, non vniuersam ipsius massam sic inquinatam esse necesse est, cùm sic exitium ægro pareret, sed si certis duntaxat in locis, sanguis semina eiusmodi venenata in se contineat, ab illis noxia vis eousque etiam propagari potest. Vel si eiusmodi naturę aduersum venenum, ab ea ad hasce exteriores sedes propellatur, non ampliùs in sanguine, etsi inde originem traxerit, causa illius cum affectu quem genuit, sed illic solùm vbi lues hæc erupit, hærebit, substantiamque sic partium, illaque rursum succum quo nutritur, vt ostensum, peruertet, elephantiasimq; eo modo & inducet & fouebit. Hæc autem in sanguine semina venenata, nisi per contagiũ, vti dictum, sanguis primùm, indeque postea partes inficiantur, à corruptione aliqua in sanguine factâ alicubi procedere possunt, eaque non simplici, aut putredine, sed tantâ, in qua in eiusmodi venenatam qualitatem sanguis alicubi conuertatur, sicuti & in alia venena eum peruerti, quæ alias noxas inducere solent, in aliis eiusmodi affectibus demonstrauimus. E' quibus, vti aliquos sanguine menstruo, quem venenatum esse credunt, prodire docent, sic & elephantiasim ab eodem proficisci, existimant, non solùm in muliere, si sanguis ille in ea supra tempus expurgationis diutiùs retineatur, sed in viro per contagium, si cum muliere menstruatâ congrediatur, vel si eo tempore conceptus fiat, in fœtu hanc luem enasci. Quæ tamen omnia, ratione menstrui sanguinis non eueniunt, cùm, vti alibi ostendimus, suâ naturâ in sanis non sit, vti eum statuunt, vitiosus, nisi ille, vel etiam alius, aliis de causis vitium contrahat tale, è quo semina illa luis elephanticæ prodeunt. Quod vitium, an à cibo sumpto, vel morbo aliquo prægresso, alióve modo in sanguine venenatam illam vim inducat, indagare, aut quale illud sit venenum aliter quàm ex effectu describere, aut ex sanguine emisso iudicare velle, cùm in eo abstrusum lateat, perdifficile.

In aliis humoribus si elephantiasis causa lateat, vt melancholico, sicuti aliqui opinati sunt, vel etiam alio, nec illa ab ipsius certâ qualitate, etsi vitiosa & noxia quoque, vel ex ipsorum natura in præternaturalibus maximè humoribus sit, vel ex corruptione aut putredine talis fiat, procedet, cùm alij potiùs morbi, qui in elephantiacis minimè inueniuntur, inde prodeant, sed & tunc ex illorum eâ corruptione quoque prodibit, vnde malignam & venenatam insuper qualitatem elephantiasi gignendæ aptam, hi humores induunt, eamque eo vti de sanguine dictum, modo, in exteriores corporis partes propellendo, easque inquinando, hanc luem producent.

A' refrigeratione insigni extrinsecùs membrorum, hanc luem contrahi, vulgò creditur, vnde Germanorum prouerbium; Du erfreurest daß du möchtist maltzig werden; Idque maximè, si in aqua vel aëre frigidissimo & niuibus diu versati fuerint homines: Vel corpore calente vehementer, potissimùm post balneum, frigus subitò & summũ patiantur; vel etiam in calidis tumoribus, vt erysipelate, membra nimiùm refrigerent. Verùm cùm inde alia accidentia, & si extrema accedat refrigeratio, calorisque natiui

extinctio, mortificatio potiùs ſequatur partium, non poſſumus hanc cauſam horum diuerſorum vitiorum in hac lue ſtatuere:

Vti neque alios tumores vel vlcera, exteriores haſce ſedes occupantia, in hanc luem commutari poſſe aſſeuerare, licèt in eryſipelate & herpete hoc accidere poſſe, exiſtiment multi, falſi eò quòd quando in pſoram malignam, quam lepram Græci vocant, conuertuntur, hanc elephantiaſis quoque eſſe ſpeciem, à qua tamen, vti in illis affectibus demonſtratum eſt, admodùm differunt, putant. In quam ſi vel hæc vel alia externa vitia tranſirent, humores qui hæc induxerunt, corruptione etiam, in venenatam eiuſmodi qualitatem degenerare priùs neceſſe eſſet.

Sedes affecta in Venerea lue. In lue Venerea venenum huic lui producendæ aptum, membranea quoque inuolucra potiſsimùm infeſtare, in illisq; non ſolùm vitia, ſed & quandoque dolores excitare, in habitus corporis doloribus, in luis huius ſpecie vnâ explicandâ, oſtenſum fuit. Nam vt in illa, circa perioſtia, dolores atroces iuxta excarnem oſsium ſedem in capite, tibijs, ſterno, excitat, nodoſque in quibusdam locis, ſic & in aliis ſpeciebus eodem modo, vt elephantica lues, cutem potiſsimùm inuadens, & ſuccingentem os, fauces nareſque tunicam, pilorum in cute defluuium, in eaque maculas, puſtulas, vlcera hinc inde & circa pudenda, atq; in ore, faucibus, naribus, vti in generibus hæc omnia diffusè explicata ſunt, eaque plura ſimul vel pauciora, parit.

Qualitas maligna, cauſa Venereæ luis. Affectum verò in hac lue ſeu morbum, non alium quoque eſſe, quàm intemperiem harum partium ſeu qualitatem venenatam, talem, quæ eiusmodi non ſolùm vitiis, vt elephanticorum venenata illa vis, ſed inſuper & aliis & doloribus ſimul producendis proprietates aptas in ſe habeat, ex illis quæ in elephantiaſis affectu dicta, & in hac lue in ſecundo libro expoſita ſunt, ſatis patet:

Vbi & quo pacto hoc venenum à venenata causâ, per contagium ex commiſtione maris & fœminę, vel alio contactu, vel etiam ſputo in corpus aliunde, vel per vaporem aut humorem, transferatur, illicque membraneas, vti dictum, ſedes, inuadat, eaſque inficiat, accidentiaq; enarrata proferat, prolixè & exactè explicatum fuit, vt non opus ſit eadem hoc loco repetere.

Qualitas maligna, cauſa Stomacaces luis. In lue Stomacace dicta, priuatum quoque quoddam venenum, qualitatem venenatam inducens, ſimilem affectum noxium parere, diuerſitas quoque & malitia vitiorum, quæ in hoc affectu ſe offerunt, etiam hinc inde in cute, vt ſunt maculæ in cruribus, tubercula & vlcera, atque in ore gingiuarum tumor, exulceratio, aliæque inſuper læſiones, demonſtrare videntur. Quam & potiùs huius luis cauſam, quàm melancholicum humorem, ad quem tanquam noxiũ, grauioribus noxis vel læſionibus oblatis, mox recurrere ſolent, vt causâ aliquâ manifeſtâ poſitâ, ad occultam deuenire non cogantur, vti aliorum multorum eiuſmodi pernitioſorum morborum, quorum pernicies non niſi à veneno eos proficiſci poſſe, ſatis demonſtrat, ſtatuere malumus, quàm ea quæ fundamento labili nituntur, proponere. Vnde verò hoc venenum exſurgat, qualitaſque hæc in corpus imprimatur, & an fortè, vti lues Venerea, quemadmodum in generibus meminimus, aliunde in Septentrionalia loca per contagium primùm irrepſerit, indeque de corpore in corpus propagetur, lubet potiùs illis, qui hæc loca inhabitant, dijudicanda relinquere, quàm venenorum cauſas, quas inuenire perdifficile, atque aliter quàm ex effectu dignoſcere, impoſsibile, aliquas abditas in medium proferre.

Curatio.

Elephãtiaſis curatio. Elephantiaſis ſeu elephantica lues, etſi tantùm inuolucra corporis aliqua cutemque imprimis, eamque certis duntaxat in locis, poſsideat, tamen ægerrimè, licèt primùm illa incipiat, præcaueri, multò minùs ſi confirmata ſit, curari poterit, præſertimque ſi hæreditaria ſit. Nec dum qui eam curarint, hactenus inuenti fuerunt, quamuis ij qui pſoram, falsò ab imperitis pro elephantiaſi habitam, curarunt, ſe elephantiaſim ſanaſſe, glorientur. Quæ licèt ita ſint, tamen non negligenda hæc lues, ſtatim-

timque ab initio huic, omnibus artibus occurrendum, & si penitùs impediri nequeat, saltem vt protrahatur quàm diutissimè fieri poterit, cura adhibenda. Atque vbi vitia eruperint, hisce delendis incumbendum, ne ægris si inualescant, tandem exitium pariat, cùm nisi id fieret diu sæpè possent superuiuere. Dein & cùm deformitatem summam hæc vitia creent, vt minùs suspecti, diutiùs in hominum consortio versari queant, cura interdum palliatiua illis quoque adhibetur: Quam magnates à Medicis sæpè magnis promissis efflagitant.

Curatio elephantiasis duplici modo instituitur: Primùm generatim toti huic morbo accōmodata, postea particulatim vitiis tantùm illius inde natis.

Generalis curationis scopus in eo consistit, si fieri posit, vt causam huius luis, venenum scilicet illud euacuantibus educamus, & qualitatem venenatā inde natam emendemus: Verùm cùm quæ peculiari quadam vi id efficiant, vel certis euacuationibus, vt in lue venerea, in hac non sint hactenus inuenta, eoque modo in curatione illius procedere nequeamus; Curationis methodus plerunque vitiis hisce prauis, quæ nascuntur delendis, accommodatur. Et proin cura non adeò absimilis huic, quæ in psora peruersa, aliisque prauis maculis, pustulis vlceribusque malignis vsurpari solet, in elephantiasi quoque instituitur, sequentibus modis.

Purgationes prout corpus humoribus superfluis, vel excrementis scatere cognoscimus, instituuntur, cùm eas causæ venenatę accommodare nequeamus, quam tamen ad melancholicum humorem educendum plerique dirigunt, præcipueque ea quę illius excretionem moliuntur, seligunt, permiscendo, illius humoris acrimoniam suâ humiditate & frigiditate contemperantia, quæ cùm & aliis acribus salsis & biliosis pertinacibusque humoribus expurgandis competant, vt in cæteris vitiis externis inde genitis, in scabie peruersâ & in lue venereâ, sic & in hac lue, in qua & hæc plerunq; congeruntur, locum habebunt. Quibus corpora hæc præcautionis loco & ne augeatur malum, Veris & Autumni tempore, vnâ vice vel pluribus purgamus: Interdum & intermediis temporibus, si impuritas corporis illud requirat.

Perficitur autem hoc ritè: Primùm leuioribus communia excrementa eluendo: Vt iniectione Clysmatis stimulantis, qualia passim describuntur, eaque quæ in melancholiæ veræ cura descripta sunt, hîc quoq; possunt competere.

Vel datur eo nomine Cassia, Catholicon, Tryphera persica, vel Sarracenica, Diasena dissoluta cum aquis conuenientibus, vel decocto Cicerum, alióve, vel cum Sero caprino.

Vel: ℞. Rhabarbari infusi in aqua Endiuiæ, vel Sero lactis ʒ.j. vel ℈.iiij. Syrupi rosarum solutiui ℥.j.ß. Cassiæ vel Catholici vel Trypheræ persicæ ℥.ß. aquarum Buglossi, Fumariæ q.s. fiat potio.

Horum loco vomitus aliquando, cùm, vt minùs excrementa coaceruentur, iuuet, in consuetis prouocādus, tum leuioribus sumptis, tum etiam fortioribus Hellebori præsertim vsu concitatus.

Præparatio ante purgationem humorum præmittitur, cum syrupis, vt Violarum vel Fumariæ simplic. Buglossi, Endiuiæ; vel etiam Fumariæ composito, Nympheæ, de Cucurbitis, dissolutis cum aquis Fumariæ, Lupulorum, Buglossi, Endiuiæ, Cichorij, Acetosæ, &c. Aromatis. puluere Triasant. vel Santalis.

Vel hoc decocto: ℞. Buglossi vtriusque cum radicibus M.ij. rad. Graminis, Asparagi, Liquiritiæ an. ℥.ij. cort. Capparum, Tamaricis an. ℥.j. herb. Endiuiæ, Cichorij, Lactucæ, Capill. an. M.j. florū Cordial. Cicerum rubr. an. P.j. quatuor semin. frigid. Maior. ʒ.vj. sem. Anisi ʒ.ij. Passul. mund. ℥.ij. fiat decoctio & in ℔.ij.ß. dissolue de Syrupis prædictis, q. s. vel adde Saccharum, aromatis. Triasantalo: Pro 5. vel 6. vicibus.

Vel vtatur Iulepo præparante in Melancholiæ curâ exposito: Qui ℞. syr. Viol. Borrag. &c. Aut eo qui ℞. succorum Buglossi vtriusque, de Pomis redolentibus: vel decocto quod ℞. rad. Buglos s. vtriusque.

Purgamus post præparationem prægressam

ſam ſequentibus: ℞. Rhabarb. infuſ. in aqua Endiuiæ ʒ.j. Agarici trochiſc. infuſ. in ſyrup. Roſ. ſol. ℈.ij. confect. Hamech vel Diaſenæ ſol. ℥.iij. ſyrupi Viol. ℥.j.ß. diſſolu. cum aqua Fumariæ, Lupulorum.

Vel detur, Bolus: ℞. Catholici ℥.ß. conf. Hamech ʒ.ij. de ſucco Roſ. ʒ.j. cum Saccharo, fiat Bolus.

Aut hæc potio: ℞. herbarum cum radicibus Bugloſsi alterutrius, vel Cichorij aut Endiuiæ, foliorum Fumariæ, ſummitat. Lupuli ana M.ß. ſeminum Endiuiæ, Portulacæ, Melonum, Citri an. ʒ.ß. Aniſi ʒ.j. florum Cordial. P.j. Paſſul. mund. ℥.j. Prunorum numero v. pulp. Tamarind. ℥.ß. radic. Liquir. Polypod. an. ℥.j. foliorum Sennæ mund. ʒ.vj. Epithymi ʒ.ij. adde Sacchari q.ſ. fiat potio. Poſſunt infundi Myrobalani, vel Rhabarb. vel electuaria in ea diſſolui.

Horum loco dari poſſunt purgantia in Melancholiæ cura deſcripta, vt Potio quæ ℞. Catholici ℥.j. &c. Vel quæ ℞. Sennæ, Polypodij, &c. vel Pilulæ ibidem propoſitæ.

Præparamus & purgamus interdum ſimul hoc Apozemate: ℞. radic. Graminis, Aſparagi, Ruſci, cortic. Capparum, Fraxini, Tamaricis an. ℥.ij. temperentur in Vino acidulo, vel addito pauco Aceto, radic. Liquiritiæ ℥.iij. rad. Enulæ ℥.j. herbarum cum radicibus Bugloſsi vtriuſque, Cichorij, Acetoſæ, Lapatij ana M.j. herbarum Fumariæ, Lupuli, Mercurialis, Scabioſæ, Capillariũ an. M.ij. herb. Endiuiæ, Dentis leonis ſeu Roſtri porcini, Lactucæ, Hepaticæ, Lenticulæ aquæ ana M.j. Betonicæ, Thymi, ſummit. Roſmar. Chamæpyth. Chamędr. an. M.ß. florum Cordialium, Geniſtæ, Tamaricis, Nenuphar an. P.j. ſemin. iiij. frigid. Maiorum ℥.j. quatuor ſeminum frigid. Minorum ℥.ß. ſem. Acetoſæ ʒ.ij. ſem. Aniſi ʒ.iij. ſ. Fœniculi ʒ.ij. Cicerum rubr. P.j. Paſſularum enucleat. ℥.ij.ß. Prunorum numero x. Iuiub. Sebeſten ana par. v. Tamarind. ℥.j. Polypodij quern. ℥.iiij. Sennæ ℥.iij. ſeminis Carthami conquaſs. ℥.j.ß. Epithymi ʒ.vj. coquantur omnia in Aqua cum radicibus earumq; infuſione vt dictum, addendo Sacchari q.ſ. aromatiſ. Santalo citrino, Cinamom. vel puluere Triaſantali, vel Diamarg. frigid. Pro 5. vel 6. vicibus.

Per vices purgationes inſtituuntur, aliàs continuando per aliquot dies, aliàs alternis ternis, quaternísve ſemel, bis vſurpando, prout corpus excrementis redundare videmus.

Syrupi in hanc rem parantur, qui ad vſum diutiùs conſeruari poſſunt; Componiturque ex apozemate prædicto purgante & præparante conuenienter talis. Recipiendo radices, herbas, flores, fructus, ſemina vti illic demonſtratum, atque addendo Tamar. ℥.ij. Polypodij ℥.vj. foliorum Sennę quart. j.ß. ſeminis Carthami conquaſs. ℥.iij. Epithymi ℥.j. Hellebori nigri ℥.ß. factaque decoctione in ſ.q. colaturę, infundendo Myrobal. citrin. Indarum confricat. oleo Amygdal. dulc. an. ʒ.iij. Rhabarbari ℥.ß. Spicæ ʒ.ß. Cinamomi ʒ.j. Agarici trochiſcati ʒ.v. factaque expreſſione, miſcendo ſyrupi Roſarum ſolutiui ℥.iiij. Sacchari ℔.ß. & decoquendo ad conſiſtentiam ſyrupi: Cuius decens quantitas per ſe, vel cum iure Cicerum, aut ſero Lactis, vel decocto Mercurialis exhibeatur, vel cum aquis conuenientibus.

Ex ſuccis ſic fiet: ℞. rad. Polypod. Liquiritiæ an. ℥.iij. foliorum Sennæ ℥.iiij. ſeminis Carthami conquaſs. ℥.ij.ß. Epithymi ʒ.vj. Tamarind. ℥.ij. Paſſul. ℥.j. ſemin. Aniſi ʒ.ij. fiat decoctio in ſero Caprino & in colaturæ ℔.ij. adde ſuccorum Fumariæ, Lupulorum, Bugloſsi alterius, Scabioſæ, Lapatij an. ℥.iij. Iterum decoquantur & deſpumentur, addendo Sacchari ℔.ß. coquatur ad conſiſtentiam, aromatiſetur Santalis, Cinamomo ad vſum. Si ſuccus Mercurialis addatur, erit efficacior.

Hellebori dilutum ſeu decoctum, vt ipſius acrimonia minuatur, aliqui ſic parant. Fit decoctum in Aqua, ex Endiuia, Cichorio, Bugloſſo, vtroque, atque in ℔.vj. colaturæ infunditur Hellebori nigri radic. inciſorum ℥.j.ß. & poſt macerationem aliquam decoquitur ad conſumpt. duarum partium: Et de tertia dantur ℥.iiij. cum ſyrupi Viol. ℥.ß. continuando per aliquot vices.

Epithymi puluerem ad ʒ.ij. cum ſero Caprino per menſis ſpacium & vltra propinãt. Operabitur meliùs ſi pulueris & Epithymi, & Sennæ ana ʒ.j. Tartari ʒ.ß. Sacchari can-

di ʒ.j.

di ʒ.j. cum Sero detur, aliquandiuque continuetur, quibus & alia vt Turbith addi possunt,& quæ grata sunt,pauca aromata. Quæ rectiùs quàm puluis Diasenæ, quem aliàs commendant, propinantur.

Electuarium gratum laxans: ℞. pulpæ Cassiæ fistularis ℥.ij.ß. pulpæ Tamarindorũ ℥.j.ß. pulpæ Passul. maiorum & Prunorum dulc. rob. de Pomis redolentibus an.℥.j. syrupi Violac.& Ros. solutiui an.℥.j.ß. Diagrydij ʒ.ij. subtilissimè triti cum Sacchari candi ℥.ß. Turbith ʒ.iij. pulu. rad. Liquirit. & Cinamomi an.ʒ.j.ß. misce in formam electuarij: Capiat ʒ.ij. experiũdi primùm gratiâ, postea plus minúsve prout operatio successerit.

Medicamentosum saporem magis habebit, si omisso Diagrydio & Turbetho, hisce pulpis Catholicon, Trypheram, syrupum Rosarũ solut. cum infus. Rhabarbari addas; Item pulu. Rhabarbari, Sennæ. Vel fortiora solutiua elect. vt de succo Rosarũ, Hamech, Diasenam, de Citro similiaque.

Conueniunt & in eosdem vsus eiusmodi per vices vsurpatæ purgationes, in Melancholiæ cura expositę: Vt Apozema vel syrupus ex succis parata: Vel Vinum aut electuarium: Puluis item.

Vti & alia aliqua, quæ in cura Scabiei peruersæ fuerũt declarata: Vt Serum lactis cum permistione aliorum: Syrupi item vsuales, decoctaque purgantia: Ex succis paratus syrupus; dein & Vina purgantia: Inprimisq; Infusum vel decoctũ Hellebori, potionesq; aliæ, electuaria & pilulæ, quorum illic meminimus.

Multa quoque in lue Venerea exposita purgantia, maximè quæ in acrium humorũ redundantiâ illic competere diximus, hîc quoque vsurpari poterunt.

Finitâ purgatione visceribus robur additur, exhibitione conseruarum Rosarum, Buglossi vtriusque, Cichorij, Violarum, Capill. Nenuph. Vel tabul. Diarrhodon, Triasantali, Diamargaritonis: Vel Theriacæ, cum cõserua Buglossi similibúsve.

Sanguinis detractio per venam sectam, Veris & Autumni temporibus, cùm generales purgationes fiunt, ante horum vsum institui solet, ad generalẽ totius corporis euacuationem faciẽdam, cùm alioquin per eam semina huius luis, quibus sanguis in venis, vti ostendimus infectus non est, tolli nequeant, atq; eo nomine minimè institui debeat. Fitq; hæc in brachio, atque in plethoricis mox quoq; sequentibus diebus in manu vel pede: Vulgò si sæpiùs phlebotomiâ vtantur, hac malum præcaueri posse creditur: Cùm tamen per eam corpore exhausto, lues citiùs & ampliùs inualescat. Temerè quoque vt vulgatæ opinioni satisfiat, sanguis, vt ex eo lues hæc cognoscatur, dum examini sistuntur, emittitur & censetur.

Scarificationem singulis mensibus repetitam, in scapulis, tibiis, adhibitis insuper cucurbitulis, conuenire admodùm credunt; vel etiam Sanguisugas illic adhibitas.

Menses mouere, si tardi vel omnino suppresi sint, valdè vtile, venâ Malleoli sectâ, aliisve illud præstantibus.

Hæmorrhoides prouocare inprimis quoque conueniens, applicitis in podice sanguisugis, aliisve admotis.

Vstio per Cauteria actualia & potentialia, si fortè extremum hoc remedium aliquid efficere posset, aliquando tentatur, non solùm in brachiis aut tibiis, vti magis consuetum, sed & in capitis superficie quandoque facta.

Castratio in virili sexu à veteribus in desperatis interdum instituebatur: idq; fortè quòd per eam totius corporis temperamento immutato, in iis sic effœminatis redditis, atque aliam planè constitutionem adeptis, morbum hunc faciliùs cessurum, crederent. Quo remedij genere eo minori cum difficultate sunt vsi, quòd elephanticis alioquin ne alios inficiant, congressus interdictus sit, & illis sublata virilitas nullum adferat in ea functione ipsis non necessariâ, incommodũ, vtque etiam eo nomine à coitu arcerentur, quàm vt sic curarentur.

Alteramus ipsorum corpora, vt si fieri possit, in meliorem statum ducantur: Verùm cùm intemperies non manifesta, ratione huius luis se patefaciat, non quæ certâ qualitate contraria illi resistant, possunt illi opponi: sed vsurpantur plerunque quę acrium humorum prouentum impediunt, eosque

contemperent. Dein & cùm obseruetur in eiusmodi corporibus siccitas, ariditasque & consumptio quædam; quæ humectando reficiendoque corpora eiusmodi, restaurent reficiantque, plerunq; ipsis præscribuntur. Inter quæ multa ex illis quæ in hectica competere diximus, hîc quoq; possunt conuenire: vti & sequentia.

In Aëre puro, non valde feruescente, sed temperatiore versentur, sintque procul ab illis qui hac lue infecti sunt, semoti.

Cibus euchymus ex carne iuniorum animalium, iusculis, ouis, lacticiniis, oleribus, fructibusque humectantibus & temperatis: Vt in hecticis & consumptis conuenit.

Ranarum vti & Astacorum fluuiatilium & Testudinum aquaticarum & nemoralium carnes comestæ, vti in hecticis sic & hîc probantur.

Potus sit Aqua vel Vinum non nimiùm potens vel dilutum: Interdum & lac caprinum bibant, aliaque decocta in hectica exposita.

Medicamenta varia quæ refrigerant & humectant seu temperata sunt, atque acres humores contemperant, hinc inde in aliis vitiis externis descripta, hîc quoque possunt competere. Vti & illa quæ in febre hectica describuntur; Iulepi, Syrupi, Aquæ, Confectiones, Conditure.

Inter reliqua hoc electuarium maximè illis conueniet: quod ℞. conf. florum Buglossi vtriusque ℥.j.ß. florum Cichorij, Violarum, Nympheæ & Rosarum an. ℥.j. capill. Vener. Rosmar. ana ℥.ß. radic. Buglossi condit. ℥.j. specierum Triasantali vel Diarrhodon, Diamarg. frigid. an. ʒ.ß. trochiscorum de Camphora ʒ.j. cum syrupo de Pomis redolentibus misce.

Superbibat aquas Fumariæ, Lupul. Buglossi vtriusque, Endiuiæ, &c.

Alia multa quæ hepati conueniunt & lieni, quorum vitio sanguinem immundum genitum lui huic occasionem præbere putant, propinant, & foris simul hisce visceribus applicant, passim in morbis ipsorum ab intemperie calida & obstructione progressis descripta. Quæ tamen nisi hæc viscera manifestè sic affecta cognoscamus, inutiliter plerunque vsurpantur.

Antidota quædam quæ peculiari vi elephantiasi contraria esse creduntur, præ cæteris commendantur, suntque sequentia.

Viperarum carnem quocunque modo assumptam, inprimis elephantiasi resistere, plerique statuunt. Alij etiam aliorum serpentum cuiuscunque generis, etiam cæcorum vocatorum German. Blindenschleich, vsu, cutem cum vitiis illi adnatis abscedere posse, ex eo colligunt, quòd cùm eiusmodi serpentes exuuium quotannis exuant, hoc ab innata illorum carni vi procedere, & proin etiam in homine idem operari posse, existiment.

Exhibetur autem hæc caro ipsis, præparata variis modis: Aliàs cocta in iure aliquo conuenienti cum sale, vti anguillarum caro, pelle etiam, vti in illis, priùs detractâ, aut alioquin per coctionem derasâ, capiteque & caudâ amputatis, & exenteratis visceribus: sic enim, cùm se anguillas comedere, illis persuadeatur, minùs à cibo hoc abhorrebunt. Licèt & aliter sic coctam & dein incisam, aliòve modo conditam, vt minùs eam agnoscant, præparatione possimus efficere. Cuius vsu cutem squamarum instar certis in locis vitiatis abscedere, aliqui prodiderunt.

Sufficit & ius interdum, in quo caro hæc coxerit, vt illud sorbeant, vel vnà cum carne comedant. In quo præter sal, semen Anisi, Anethum decoqui possunt; alij etiam Mentham addunt vel Porros.

Syrupus ex Iure prædicto serpentum, addito Sacchare, Cinamomo aliquando coquitur, vt ad vsum diutiùs asseruari possit: Eaq; formâ sæpiùs exhibetur.

Alij, si Gallinæ carne serpentum tamdiu donec pennæ illis decidant, saginentur, & postea coctæ comedantur, idem præstare docent.

Sunt qui & Vinum in quo Vipera extincta fuerit, propinatum præbent.

Exiccata quoque caro viperarum, vt diu ad vsum seruari, & cùm non passim viperæ inueniantur, etiam aliò transmitti queat, in trochiscos redigitur. Ad quos

parandos sumitur caro ipsarum tantùm, abiectis vti dictum etiam extremitatibus & visceribus, atque cum Anetho & Sale in aqua coquitur, postea tunditur, & cum panis triticei micæ quarta parte in pastam cum iure subigitur, indeque in pastillos formatur atque exiccatur: Talesque pastilli trochisci de Tyro, quo nomine viperas appellant, vel de Viperis nominantur. Licèt & à serpentibus aliis eodem modo paratos, æquè efficaces esse aliqui iudicent.

Hi autem trochisci rariùs per se, sed cum conseruis permisti vsurpantur. Quales in electuario supradicto descriptæ fuerunt. Cui & si trochiscorum horum ʒ.j. vel plus addatur, efficaciores reddentur. Dein & cum hi trochisci Theriacam subeant, eam propter ipsos, vel quia aliàs venenis resistit, huic veneno aduersatur, Elephanticis quoq; exhibent.

Astacorum fluuiatilium, cancrorum vulgò dictorum carnem, eâdem vi quâ & serpentum operari, ex eo quòd vt illi exuuium, sic & cancri testam quotannis mutent, colligunt, nec solùm vi reficiente, quâ & prodesse diximus, sed & hac potissimùm operari, putant.

Erinacei terrestris carnem exiccatam seu assam in cibis quoque exhibet. Diosc. & Salamandram aliis medicamentis miscet: Quę si quid in hac lue possunt, proprietate quadam illud moliuntur.

Sanguinem humanum à recenter iugulato bibitum, profuisse, historiæ aliquæ, si non potiùs fabulæ sint, testantur: Aquam inde destillatam similiter probant.

Cornu cerui & Eboris rasuram elephantiasi, vt & aliis venenis resistere aliqui docent. Imprimisque magnatibus, Vnicornu, vt precium augeatur, cōmendant, magniq; faciunt.

Smaragdi puluis exhibitus ab aliquibus magni fit.

Externa remedia, quibus in generali elephantiasi vtimur, sunt Balnea, si fortè illorum continuo vsu, vis illa venenata & maligna cuti membranisque impressa, auferri atque extirpari posset, & si hæc lues maturè præcaueri, aut etiam si iam inualuerit, curari: Vel saltem per hæc, in delendis tuberculis, vlceribus & cutis scabritie, aliquousque hæc deformitas palliari. Suntque eiusmodi balnea vel naturalia vel artificialia.

Naturalia balnea sunt Aquarum dulcium calefactarum, quæ certis temporibus corpore priùs & postea quoque bene purgato, frequenter vsurpata, Veris & Autumni temporibus, ante & post prandium, in iis sedendo, perseuerando in vsu horum per tot dies, donec cutis efflorescat, rursumque sanetur, de hac causa maligna in superficie cutis latente, multùm demere possunt.

Thermæ naturâ calidæ validiùs id præstant; Sulphureæ præsertim, quales sunt in Heluetia nostra, in Argouia Badenses, in Valesia Brigenses, aliæ've aliis in locis, quæ vti scabiem cuiuscunq; generis, vi singulari, vti in ea dictum, sanant, sic & in lue hac eadem vel malignam illius vim absumere, vel tantùm vitia inde nata, si non penitùs, saltem ex parte delere possunt; si diu illis, vti aliàs fieri solet, vtantur. Eoque nomine ad has thermas non solùm, cùm de hac lue constat, se vt malum celare aliquandiu possint conferunt, sed & cùm de ea adhuc dubij sumus, post examen, eò an fortè aliqua inde sequutura esset mutatio, illos ablegamus.

Artificialia balnea humida in quibus sedeant, illisque vti de naturalibus dictum, diu vtantur, ex aqua fiunt, in qua varia, quę cutem rarefaciendo & detergendo prauos succos absumant, decoquuntur. Qualia sunt ex radicibus cum foliis, Althea, Lapathum, Ebulus, Enula: radices item Ari, Serpentariæ, Cucumer.agr. Bryoniæ, Cyclaminis, Iridis, Raphani, Hellebori vtriusque, Liliorum; Item herbæ vnà cum radicibus, Malua, Buglossum vtrumque, Cichorium, Endiuia, Sonchus, Beta; Item Absynthium, folia item Sennæ, Fumariæ, Lupuli, Scabiosæ, Saponariæ, Parietariæ, Violariæ, Hepaticæ, Lenticulę aq. Senecionis, Acetosæ, Agrimoniæ, Arthemisiæ, Plantag. Polytrici, Hederæ vtriusque, Chelidonij vtriusque, Nympheæ, Tamaricis; Flores Chamomill. Meliloti, Sambuci. Dein & Fabæ aliáve legumina. Furfur macrum; Semina Lini, Fœnograeci, & Cucurbitacei generis.

Hisce plerunq; Sulphur, Alumen vel Sal addunt, maximè vbi iam aliquoties leuiori decocto vsi fuerint.

Adduntur & alia, forte artuum caussâ, Primula veris, Chamæpythis. Item odoratæ plantæ, vt Calamenta, Rosmarinus, Lauendulæ; Sunt qui & quinque Aperitiuas radices addant.

In scabie peruersa exposita balnea humida, non multum ab hisce differētia, hîc quoque locum habere possunt: Inprimisq; efficax illud quod Gypsum cum aliis recipit. Vti & decocta quædam, quibus maculas vitiosas ablui debere, in illa ostendimus, pro balneo hîc vsurpari poterunt.

In sanguine humano si sedeant, eoq; balnei vice vtantur, profuisse quibusdam, historiæ aliquæ testantur.

Sicca balnea in aëre calefacto, cū nimium corpus accendant, & violenter ad superficiem corporis, humores propellant, non ita probantur. Possumus tamen & illis, ex suffitu decoctionis balnei humidi, leuiter calefactis & tepefactis, aliquando corpus, antequā balneum humidum intretur, vt hoc meliùs operetur, sic disponere.

Illitiones variæ quoque extrinsecùs pro generali etiam cura huius luis fiunt, in corpore hinc inde, vbi præsertim cutis pustulosa, vlcerosa & scabra tumidaque occurrit, ad vitia hæc tollenda, & si fieri posset, malignam illam impressam qualitatem aliquo pacto auferendam. Fiuntque ex illis quæ vi exiccante detergenteque illud agant, additis insuper iis, quæ proprietate quadam id efficere posse existimantur, qualia à serpentum genere desumpta existunt; Sic axungiam illorum inunctam, idem quod carnem ipsorum assumptam, præstare posse, putant, nimirum vt cutis inde cum vitiis illi adnatis abscedat. Vti & oleum in quo caro serpentum coxerit, vel serpens viuus suffocatus fuerit: Carnem ipsam coctam aliqui inunctionibus quoque miscent.

Ex prædictis itaque tale fiat Vnguentum: ℞. radic. Serpentar. vtriusque, Asphodeli vel Liliorum, Enulæ campanæ, Betæ, Croci satiui ana ℔.j. pistentur optimè. Oleo rosaceo omphacino, adde vnguenti Citrini ℔.ß. axungiæ Serpentis ℥.iij. Terebinthin. ℥.ß. olei de Frumento vel Vitellis ouorum ℥.j.ß. olei de Tartaro ℥.ij. Sulphuris viui, Nitri ana ʒ.iij. Lithargyrij vel Cerusæ ℥.ß. Boracis vstæ ʒ. vj. Tuthiæ præparat. Sarcocoll. nutrit. Thuris ana ʒ.ij. mucilagin. ſ. Lini ℥.ij. succi Lapatij, Fumariæ, Limonum, ana ℥.iij. agitentur inuicem in formam nutriti: Vngantur partes scabræ vlcerosæ & pustulosæ.

Vel fiat tale: ℞. succorum Limonum vel Arant. vel Citri, Lapatij, Fumariæ, Scabiosæ, Enulæ camp. ad ℔.j. Aceti ℥.ij. Aquæ vitæ ℥.j. olei Rosac. omphac. Myrtillorum vel Mastichini ana quart. j.ß. coquantur ad succorum consumpt. addendo olei Vitellorum ouorum ℥.ij. de Tartaro ℥.j.ß. Saponis Gallici ℥.ij. axungiæ Serpentis vncias iiij. Pomatæ ℥.ij. Fellis tauri vel hirci ℥.ß. mucilagin. ſ. Psyllij, vel Lini ℥.ij. Mellis ℥.j.ß. radic. Ari vel Serpent. Cucumer. agrest. Cyclaminis, Ireos ana ʒ.iij. Hellebori vtriusque ʒ.ij. seminis Stapisagr. Raphani ana ʒ.j. Boracis & Tartari vsti ana ℥.ß. Sulphuris viui ʒ.iij. Ossis sepiæ ʒ.ij. Cochlearum terrestr. cineris ʒ.j. Camphoræ ʒ.j.ß. Lithargyr. Tuthiæ & Cerusæ ana ʒ.j.ß. Agitentur diligenter & fiat Linimentum: Pro partibus affectis in corpore.

Hisce & alia addi possunt, veluti oleum de Frumento, de semine Raphani, oleum in quo coxerit Serpens, succus Cyclaminis: item Nitrum.

Posset & argentum viuum hisce vnguentis addi, quod licèt venenatam illam vim in elephantiasi, vt in lue venerea, minimè extirpet, & proin non eam vti illam sanet, tamen quia vitia hæc externa in cute in vtrisque admodum emendare solet, ob eam causam illis quandoque misceri poterit, non tamen eâ quantitate aut eâ ratione, præsertim si generaliores fiant inunctiones, quâ ad luis Venereæ curationem, vsurpatur, ne expuitionem moueat, cùm per eam aut alia vi, quâ luis venereæ venenum expellit, non possit hoc in elephantiasi præstare, sed saltem ad vitiorum ablationem opitulari, & proin in particularibus, quæ tantùm vt pustulis adhibentur re-

remediis, rectiùs vsurpatur. Quòd si tamen generalibus etiam inunctionibus permiscere velimus, poterimus prioribus vnguentis primo præsertim, Argenti viui ℥.j. addere.

Vel tale cum eo linimentum parare: ℞.vnguenti Cirrini quartarium j. olei Ouorum ℥.j. olei de Tartaro ℥.ß. Argenti viui dissoluti cum pauca Terebinthin. & Vnguento prædicto ℥.ß. succi Limonum vel Arantiorum ℥.ij.ß. Boracis ʒ.ij. radic. Serpentariæ vel Ari, Lapatij & Asphodeli vel Liliorum parùm tostorum & contus. & cum prædictis mistorum ana ℥.ij. misce.

Particulares applicationes, vitiis tantùm adhibentur, à lue hac prodire solitis, vt licèt lues hæc sanari nequeat, saltem vitia hæc minùs deforment aut noceant. Vsurpanturque tum in vitiis externis, si fortè ea delere vel aliquo pacto imminuere aut obliterare, vt minùs appareant, possent, vt Pustulis, Vlceribus; Aut ea corrigere, vt Pilorum defluuium: Maximè verò in internis vitiis, ne illa grauiores noxas inducát, illis quamdiu fieri potest, ea auertere studemus: Vt in Pustulis & Vlceribus internis, in Dyspnœa, atque oculorum Pelliculâ.

In pustulis externis, tuberculis, aliisque tuberositatibus cutis, tum in facie vbi magis patent, tum aliis in locis, applicantur remedia: Fiuntque ex illis quæ exiccando detergendoque potissimùm illud agant, vel vi potentiore & causticâ. Quâ ratione & cutis nigredinem in cosmeticis, & maculas & pustulas rubras aliásve prauas, vt vitiligines similesque deleri, in eiusmodi vitiis ostendimus. Quæ remedia externa illic exposita, tàm leuiora quàm fortia, vti & interdum caustica illic enarrata, cum pustulæ delendæ sunt, hîc quoque locum in eiusmodi vitiis tollendis habere possunt: Quæ variis modis & formis applicantur.

Ex illis quæ nondum erodunt, aquæ destillatæ ad faciem plerunque vsurpantur. Qualis hæc est: ℞.Sulphuris ℥.vj. Tartari calcinati ℥.ij. Salis nitri, Vini crystallini calcin. ana ℥.j. Thuris, Myrrhæ, ana ʒ.iij. Camphoræ ʒ.j. succi Lapatij ℥.iiij. succi Limonum ℥.ij. aquæ Rosarum, florum Fabarum vel florum Nympheæ aut Plantag. ad ℔.j. Destillentur.

Alia Aqua: ℞.Tartari calcinati quartar. j. Boracis ℥.ß. Thuris vel Masticis ʒ.ij. Sacchari candi ℥.j. Camphoræ ʒ.j. puluerif. & subigantur cum mucilagin. seminis Psyllij vel infus. gummi Tragachant. factis cum aqua flor. Fabarum vel Nenuphar. ℥.vj. Albuminor. ouorum agitatis numero iij. succi Limonum vel Arantiorum ℥.ij. vel iij. Destillentur in alembico.

Aliæ aquæ quoque idem præstare possunt in discoloratione, inter cosmetica expositæ efficaciores, quæ vrinam, tartarum, sublimatum cum cæteris recipiunt, vel ex pluribus componuntur. Et in pustulosa rubra facie, descriptæ aquæ, inprimisque illę quæ Lithargyrium & tartarum cum aliis admittunt. Dein & in maculis aliis diuersorum generum ibidem declaratæ aquæ ex variis compositæ & cum tartaro effectæ.

Liquor albus, quo instar lactis virginalis vti possunt, ad illinendam faciem aliáve tubercula: ℞.Lithargyr. ℥.j.ß. Aceti albi ℥.vj. succi Limonum vel Arantiorum ℥.ij. Aluminis vel Salis gemmæ ʒ.ij. Tartari calcinati ℥.ß. Camphoræ ℈.j. macerentur & agitentur sæpè, ad vsum, vel coquantur parùm, si statim eo vti velimus.

Vel Sulphuris, Salis nitri & Crystalli seu vitri Crystallini tenuissimè triti æquæ portiones, parùm coquantur, in Aceto forti albo: Et cum colatura facies illinatur.

Alij liquores in facie pustulosa in discolorationibus descripti cum sulphure, vel lacte ex lithargyrio parati; horum loco vsurpari poterunt. Vti & lac virginale in maculis aliis ibidem declaratum.

Inunctiones priuatis partibus adhibentur variæ, quales in discoloratione copiosè sunt expositæ, vt in cosmeticis, Vnguentum citrinum, quo facies illinitur potissimùm, paratum vti illic descriptum fuit. Dein & in pustulosa rubra facie, propositæ ex variis concinnatæ: Vti & in aliis maculis illic descriptæ, ex succis plantarum, aliisque inde petitis, & ex oleo vitellorum ouorum & tartari aliisve cum helleboro fa-

ctæ; Item ex Sanguine leporis & Fellibus. Inter quæ Capræ syluestr. fel in elephantiasi probat Dioscorid. Oleum Lacertæ etiam hîc magni fit.

Aliud ad pustulas valdè efficax vnguentum: ℞. Aloës ℥.iij. radic. Asari ℥.j. Hellebori vtriusque an. ʒ.ß. seminis Staphisagr. an. ℈.j. Colocynthid. ℈.ß. Fellis tauri q.s. fiat Linimentum: Pro facie.

Ex Argento viuo, in discolorationum vti & in luis venereæ maculis & pustulis enarratæ illitiones, hisce quoque vitiis appositæ, admodùm oppitulantur, quæ inde peti possunt.

Aliqui hoc remedium extollunt: Oua duo vel tria macerentur in Aceto forti tamdiu, donec testa consumatur, postea contundantur, addēdo quartam partem illius Aceti, misceaturq; puluis Thuris: Pro facie inungenda. Si Saponem nigrum vel aliud addas, efficacius erit.

Caustica quibus ad pustulas delendas vtimur, in discolorationibus copiosè fuerunt in macularum cura exposita, ex sublimato plerumque præparata. Vti & Cauteria, quibus in elephanticorum vitiis delendis quoque vti possumus.

Vel fiat talis illitio: ℞. Vnguenti Citrini, olei de Tartaro an. ℥.ß. succi Limonum ʒ.j. Sublimati ʒ.ß. axung. Serpentis vel Gallinæ ℥.ß. fiat linimentum: Pro facie.

Sunt qui Vermes natos in serpente sub terrâ defosso colligunt, eosque siccatos cum Cantharidum æquo pondere, & acri Aceto subigunt, atque in vnguentum redigunt.

Ablutiones faciei fiunt, vt vnguenta aliaq; abluamus, ex decocto Furfuris macri, Fabis conquassatis, illarúmve Corticibus, Ciceribus, Oryzâ, Hordeo, Lupinis confractis saltem nō in farinam redactis, ne pasta cùm decoquitur, fiat, sicuti & decoctum pro facie illustrandâ, in cosmeticis fieri diximus. Cui decocto & flores Fabarum, Nenupharis addi possunt, & Malum arantium in frusta dissectum priùs.

Vel lauetur facies aliis aquis, vt florum Fabarum, vel decoctis, in facie tuberosâ rubrâ, vel fuscâ, in cosmeticis & maculis expositis.

In vlceribus externis, serpentibus, callosis, multa ex illis remediis, quę pustulis conuenire diximus, iuuare poterunt. Vel vtimur illis quibus alia praua eiusmodi vlcera curari, in doloribus exposuimus.

In pilorum casu, topicis præsidiis in pilorum defluuio in deformationibus prolixè expositis, illud quoque vitium auertere studebimus.

In pustulis internis & vlceribus inde natis, narium, palati, faucium, non alia remedia, quàm quæ in cæteris harum sedium vlceribus, in doloribus descripta sunt, quoque adhibentur. Vti & si columella exesa sit, raucedoque inde proueniat, sicuti in vtroque hoc affectu quoque ostensum, procedendum.

In dyspnœa & raucedine, pulmonum affectorum causâ, quæ in illis affectibus cura describitur, etiam hîc adhibebitur. Et si narium obstructarum causâ difficulter aërem attrahant, illic quoque, quid agendum, declaratum fuit.

In oculis enascens pellicula carnea rubra, ne pupillam obtegat, & cæcitatem pariat, maturè quantum & quamdiu fieri poterit, impediendum, idque non aliâ ratione, quàm eâ quæ in panniculi oculi curâ, in visus læsionibus, tum si aliàs ob causas, tum ob hanc luem eueniat, fuit copiosè descripta. Quod si palpebrarum accedat rubedo, xyrophtalmia vel scabrities, eodem quoque modo in illis, vti in aliis illorum eiusmodi affectibus, procedendum.

Lues Venerea etsi à veneno quodam externo occulto, summeque noxio prodeat, tamen eam curari posse, quotidiana docet experientia, magno tamen cum labore, eoque maiore, quò altiùs corpori impressa est, diutiusque illi insedit, pluraque & grauiora intulit vitia: E quibus aliqua etiam, sublatis per curam cæteris, remanentia, noxas inemendabiles in corpore relinquunt. *Venereæ luis curatio.*

Curatio huius luis diuiditur primùm in Generalem, quæ vniuersæ lui, & Particularem, quæ vitiis illius & accidentibus separatim accommodatur.

Generalis curationis, quæ lui omnibusq; illius inde natis vitiis simul accommodatur, sco-

scopus in eo consistit, vt causam huius luis, venenum scilicet illud, per contagium corpori illatū, rursum ex eo educamus, & morbum inde genitum, qualitatē nimirum seu intemperiem illam noxiam, cutaneis & membranosis sedibus impressam, vitiaque hæc in illis producentem, emendemus.

Hoc autem remediis euacuantibus potissimùm perfici, experientia docuit, ratioque quomodo hoc fieri possit, ostēdit, nimirum, quòd dum naturam ad excretionem sollicitant, vt sic quoque venenum hoc, vnà cum cæteris humoribus atque excrementis, per sudores, deiectiones aliasque excretiones expellatur, efficiant, idque eò citiùs, si euacuantia illa, vim simul occultam seu manifestam qualitatem, quâ virus hoc simul exhauriant atque absumant, possideant, vnde & tunc rectiùs è corpore educitur, qualitásque hæc noxia inde contracta, citiùs recedit: Eoque perfectiùs si quæ hæc præstant, proprietate quadam abditâ quam possident, huic lui resistant illiusque veneni vires retundant, noxiamque qualitatem deleant.

Talia autem remedia, quæ iam dictis viribus luem hanc sanant, cùm nunquam vno euacuationis genere, vel vi saltem absumente aut proprietate solâ id agant, curatio etiam huius luis, secundùm hasce operationes commodè diuidi nequit. Quam nos clarioris doctrinæ gratiâ, sicuti mox ab ipsius origine, præcipuè curari cœpit, per guaiaci & argenti viui vsum, & postea etiam alio modo sine hisce eam sanari posse inuentum est, sic distinguemus, vt quandoquidem ea cura quę cum argento viuo fit, ab alia maximè discernitur, ita quoque curationem diuidamus, & Primùm eam quæ sine argento viuo, Dein & illam quæ cum eo fit, proponamus.

Sine argento viuo quę huius luis cura instituitur, duplex existit, aliaque per Sudores potissimùm instituitur, alia verò per purgationes, quâ ratione curam quoque diuidemus.

Per sudores quæ potissimùm instituitur curandi ratio, aliàs Intrò exhibitis, aliàs etiam per Foris admota perficitur.

Cura quâ per intrò exhibita sudores eliciuntur, frequentior antiquiorque est cæteris: Perficiturque primùm exhibitione eorum quæ Sudores prouocant, quæ si proprietatem quandam, quâ huic lui aduersantur, præterea possideant, tantò meliùs hoc idem præstabunt. Dein & adhibenda simul atque vsurpanda ea, quæ sudorum hanc promotionem iuuant, corpusque interim per inediam simul euacuant: Idque per vitæ regimen conueniens. Et præter hæc præmittendæ atque immiscendę huic curæ aliæ quoque euacuationes, præcipuè per purgantia. Quæ curandi ratio tribus hisce modis instituta, licèt ob diuturnitatē quam exigit, & labores quos sudando, ieiunando purgandoq; sustinent, molestiam aliquam pariat, quia tamen tutior est quàm cæteræ, quæ, si in illis delinquatur, non carent periculo, magis ab ægris expetitur & in vsu est.

Per Guaiaci vsum talis cura plerunque instituitur, quod ab Indis vnà cum hac lue ad nos translatum, & ad curationem huius luis, iam ab eo tempore quo in nostris regionibus primùm innotuit, vsurpari solitum est: Idque quia non solùm sudores mouere cernitur, sed & proprietate quadam huius luis vim retundere creditur.

Paraturq; in hunc vsum Decoctum sudatorium ex ligno illius, quod acrimoniam bituminosumque odorem in se continet, nonnunquam & simul ab illi adnato cortice, sequentibus modis.

Simplicius & communiter vsurpatum decoctum: ℞. ligni Guaiaci scobis vel rasuræ à trunco duro, seu stipite à cortice nudo extrinsecùs flauo, intrinsecus nigro, tornati vel rasi ℔. j. affunde Aquæ purissimæ ℔. xij. stent in infusione cooperta aliquandiu in vase testaceo incrustato, postea lento igne prunarum sensim coquantur, donec absumptis duabus, tertia pars supersit, de qua vbi subsederit, quod limpidum est in vitrum effundatur, in eoque clauso retineatur, fæcesque ad vsum alium vti dicetur, reseruentur.

Efficatius erit, si, vti qui maiori diligentia illud decoquunt, facere solent, corticis

cis illius qui separatus vel ligno adhuc adhærens, ad nos quoq; peruenit, friabilisque est, contusi ℥. iij. vel iiij. ad ℔. j. ligni addas, sicq; priori modo decoquas: Vel si hoc priorive modo lignum solum aut vtrumque vlteriùs quàm dictum, decoquas, aut aquæ tantùm ℥. viij. addas.

Hac ratione paratum, cùm non ita medicamentosum gustum odorémve habeat, linguamque & fauces nonnihil suauiter pungat, libentiùs ab ægris bibitur, & consuetudine tandem gratum illis fit.: Si tamen delicatuli suauiorem illius saporem & odorem expeterent, possent hæc Sacchari & Cinamomi additione illi conciliari. Quod Vini permistione aliqui quoque faciunt, sed cùm vinum à ieiunis, illisque qui sudant, diu bibitum, vti cùm decoctum hoc bibunt, facere necesse est, noxam capiti adferre corpusque quod sudoribus alioquin incalescit, nimiùm accendere posset, satiùs est illud omittere.

Propinatur hoc decoctum vt bibant, ad quatuor, quinque vel etiam sex septimanas, idq; indies summo mane, dum ieiuni sunt, & adhuc in lecto recumbunt, daturq; priùs nonnihil calefactum; mensurâ vnc. vj. ad viij. vsque, sensim ascendendo, & circa finem iterum descendendo. Postquam autem biberunt, bene tecti ad sudorem se in lecto componant contineantque, & cùm eruperit, tamdiu eum quamdiu ferre possunt, ferant, illiq; ad horas duas vel vltra morem gerant: Indeq; ab eo diligenter pannis calefactis abstergantur, linteaminaque madida aliis siccis calefactis quoque permutentur, & postquam sic ad se redierint, è lecto surgentes, in conclaui tempus prandij, quod post horas duas vel tres illis apponi debet, expectent.

Repetitur hoc decoctum in robustioribus, tum vt efficaciùs hæc euacuatio procedat, tum vt citiùs cura absoluatur, in lue præsertim altiùs impressâ; Idque sub vesperam, tribus vel quatuor ante cœnã horis, eâdem mensurâ, quo tempore denuò in lecto sudandum est. Quod aliqui post cœnam horis aliquot transsactis demum fieri volunt, sed minùs commodè, cùm nox inquieta propter sudorem ægro reddatur, & cum manè repetendus, sudorem sudori breuiori morâ interpositâ iungendo, æger admodùm debilitetur.

Viuendi rationem dum hac curâ decocti ligni vtuntur, quod atinet, cùm admodum exquisita esse debeat, factum vt totam hanc curam diætam appellare soleant, non quòd hæc præcipuum curandi scopum compleat, sed quia lue hac infecti, cùm curam subeunt, ne sudores diu continuati, ipsos lue hac infectos esse prodant, cùm domi residere cogantur, se diætâ conuenienti aliquandiu vti velle prætendentes, eo modo infectionis suspicionem declinare prudenter conantur. Quæ diæta seu viuendi ratio, in sequentibus potissimùm strictè obseruanda.

Aër in quo versatur æger, dum hac curâ vtitur, propter sudores vt eos euocet, nec progressos repellat, calidus sit, foco vel fornace calefactus, in conclaui vel hypocausto, in quo toto curationis tempore bene ab aëre externo munito & occluso, se continere illicque dormire & sudare debet, nec libero aëri, nisi ille anni temporis ratione calidus sit, & tunc quoque solùm circa meridiem se exponere.

Cibus dum cura hæc administratur, sit parcus admodum, & solummodo eâ quantitate, quæ viribus, ne penitùs collabantur, sufficiat, quique euchymus & simplex nec varius sit: Idque vt sic quoque per hanc inediam, aliqua etiam fiat humorum excrementorumque absumptio, minorq; tum ob eam, tum cibum illum exquisitum, illorum prouentus, vnde cura quæ per sudores corpus exhaurit, meliùs procedit, minusque natura in illis promouendis, quàm si ciborum copiâ grauaretur, & ad concoctionem illorum diutiùs reuocaretur, impeditur. Ob quam causam sedulò eiusmodi cibandi ratio, strictequе in cura hac obseruatur, vt in die solùm bis vel semel si ferre posint, comedant, & quidem citra satietatem & ne vel minimùm grauentur. Debet autem cibus esse simplex: duorumque saltem generum ferculis vel ad summum trium in vna mensa contenti sint; Atque vt euchymus minimeque excrementitius sit, tantùm

tantùm carne & pane fructibusq; quibusdã fruantur, sequenti modo administratis.

Caro gallinarum plerunq; in vsu est, præcipuè pullorum, quæ elixa cum suo iure datur, vel etiam adultiorum, cùm iusculum inde, quo maximè delectantur, sapidius & efficacius fiat: quartam partem illarum pro vice tantùm dando. Cuius loco & Vitulina, Hœdina, Veruecina tenera caro sumi, ad ℥. iij. ad summum: Vel per vices etiam Columbarum, Perdicũ, Auium pullorum, eâ quantitate solùm caro assa etiam cum alia permutari poterit: Oua sorbilia, vel vitellum illius solùm, si tantùm de carne detrahatur, illis quinetiam permittuntur.

Panem ex consuetudine ipsis comedere licet, cuius ℥. iiij. cùm tenuissimus victus esse debet, sufficiunt; partim cum carne, partim in iusculis eum sumendo. Qui ex farina pura Zeæ vel Tritici pistus, parumque fermentatus & probè coctus esse debet.

Fructus non excrementitij, & proin siccati pro secundâ mensâ, sed pauci vsurpari possunt, & qui non admodùm impleant aut grauent, vt sunt Passulæ, Pruna, Ficus. Si multùm nutriant, vt Amygdalæ, tantum illis quantũ de pane demitur, concedi poterit.

Condimenta quod concernit, salsa omnia vitanda, & si fieri potest, nec caro nec panis salita vel parcissimè esse debent, non tam quòd sudores (vti docent) sal impediat, sed quia salsi cibi sitibundos eos, ex sudore alioquin tales, ampliùs reddant, & ad potum immoderatum impellant, magisque calidos & inquietos efficiant. Quamobrem & aromatum vsus vel omittendus vel contemperandus. Acidi fructus, nisi ad calorem mitigandum dentur, improbantur.

Potus in hac diæta, cùm citò digeratur, non adeò erit subtrahendus, immò & liberaliùs, si præsertim admodùm sitiant, concedendus, cùm ille citra grauamen admodùm reficiat, & sudoribus vehiculum præbeat, quare & intra cibandi tempus, tum & extra hoc, si sitis vrgeat, bibere ipsis, nisi aliud quid obstet, licebit. Verùm non vinum, cùm si consuetim illud affatimque biberent, corpus accendendo, caputque & neruos feriendo noceret, & proin nõnisi refectionis causâ in imbecillioribus, haustus illius aliquando puri vel diluti conceditur. Illiusque loco aqua cocta, bibenda ipsis pręscribitur, eo modo parata, ne cruditate suâ noceat, & sudoribus simul feliciùs mouendis, adiumentum adferat. Quod sic præparata feliciùs præstabit: Si Guaiaci semel iam decocti remanens scobs cum Aquæ nouę ℔. xij. vel viij. ad medietatis vsque vel vltra consumptionem decoquatur, decoctaq; aqua inde coletur. Quã & liberaliter tam in mẽsa, quàm extra hanc siti vrgente possunt bibere, illique assuescere, cùm & decoctum hoc, vti de primo dictum, non adeò ipsis displicere possit, quin si aliquandiu eo vtantur, tandem sapor illius ceruisiæ alicuius instar iis placeat. Si tamen & huic gratiam aliquam addere libeat, poterit hoc Cinamomo illud leuiter aromatisando perfici: Vel Saccharo aut Passulis incoctis, dulce nonnihil reddi. Alia multa immiscere, vt liquiritiam & similia, cùm medicamentosus inde sapor illi cõcilietur, quem plerique fastidiunt, superfluum videtur, nisi Vinum huic addere, vrgente summa debilitate, rariùs tamen illis permittatur.

Somnus virium causâ, non tantùm noctu, sed manè atque ante cœnam, cùm sudant, illis conuenit, cùm non solùm sudores promoueat, sed & in hac quiete eum faciliùs perferant.

Exercitia ambulando in conclaui obeat; Frictionibus vtatur, præsertim post sudores, cùm ab illis abstergitur: Pectinet caput similiter, pannis fricet.

Quod reliqua attinet, vt aluus respondeat, quæ hoc ieiunio & hisce euacuationibus facilè constipatur, promouendum. Caueat à Venere, animum Lusu, Musicâ, Colloquiis recreet.

Purgationes aliæ humorum atq; excrementorum crassiorum, per viam cõsuetam, aluum scilicet, huic curæ, quæ per sudores vsu guaiaci fit, semper præmitti debẽt, nonnunquam & per vices immisceri, eoq; magis si hisce redundent, vt sic corpore puriore reddito, reliquorum actio meliùs procedat, neque horum illuuie impediatur, & cùm de morbi causâ semper aliquid demãt, sic quoque operatio ipsorum adiuuetur. Hæc autẽ

purgantia, cùm nullus certus humor, ad quem referri possent, hanc luem, vti dictum, procreet, corporis cõstitutioni potissimùm, prout illa se habet, atque excrementis & humoribus, prout quantitate vel qualitate peccantia se offerunt, accommodantur sequenti modo.

Eluuntur primùm per deiectiones obuiæ fæces, idq; Clysmate aliquo emolliente, detergente abluenteque & stimulante iniecto, qualia passim describuntur: Vel Suppositorio podici intruso aluum irritante.

Vel hoc per exhibita minoratiua perficitur, dando Cassiæ pulpam, Mannam, decoctum aliquod Leniens, infusum Rhabarbari, syrupum Rosarum solut. de floribus Persicorum, Catholicon, aliaque Electuaria mitiora: Vel Pilulas leuiores, aut Tabulas, qualia in aliis quoque affectibus hinc inde descripta sunt.

Hisce præmissis, si plethora adsit, sanguis è venâ brachij sectâ emittatur, quod in pituitosis aut in macilentis corporibus, nisi consuetudo hoc etiam exigat, non adeò necesse est. Præparatio humorum deinde erit instituenda, eo modo prout eos redundare conjicimus, sumendo si biliosi vel acres sint, syrupos Fumariæ, Lupulorum, Buglossi, Capil. Veneris, Endiuiæ, Cichorij, Violarum, Pomorum redolentium, similiumq; decentem quantitatem, eosq; cum aquis eiusmodi, vti & Scabiosæ aliisve diluendo, sicq; ad aliquot dies ante purgantium vsum, Iulepos hosce propinando.

In pituitosioribus atque doloribus addimus syrupum de Stœchade, vel illius loco de floribus Lauandulæ, qui admodùm est efficax, paratum, de Betonica & Hysopo; item Mel rosatum similesque miscendo aquas, etiam harum plantarum: Vti & Calamenthæ, Melissæ, &c. & in doloribus circa ossa, aquam Iuæ & Primulæ.

Eadem præparatio decoctis de nouo paratis ex iisdem plantis fieri poterit, additis & aliis interdum.

Aromatisamus eiusmodi Iulepos vel Decocta Cinamomo aliisve gratis & vtilibus aromatibus: Vel speciebus compos. Triasantali, Diarrhodon, Aromatici rosati aliisve. Vel dando tabulam vnam harum, statim post eorum assumptionem.

Purgamus & præparamus eadem operâ frequentiùs, idque admiscendo præparantibus purgantia mitiora in debilioribus & biliosis, aut fortiora in robustioribus & pituitosis, hæc humoribus quos redundare videmus, accommodando, & potissimùm ea quæ serosos, salsos acresque humores educunt, si maculæ, præsertim pustulæ & vlcera adsint, vsurpando, qualia in variis morbis, inprimisque in scabiei generibus exposita sunt. Vel si dolores circa ossa præcipuè molestent, qualia etiam in articulorum morbis à sanguine & serosis humoribus profectis, competere, in illis ostendimus.

Apozemata seu decocta talia in hanc rem per dies quinque, sex vel plures exhibentur. Qualia hoc pacto parari possunt: ℞. herbarum cum radicibus sequentium, Cichorij, Endiuiæ satiuorum aut syluestrium, Dentis leonis, Oxylapathi, Acetosę, Buglossi vtriusque; dein herbarum Capillarium, Scabiosæ, Chamædrios, de omnibus vel pluribus paucioribúsve ad M. v. vel vj. herbarum Fumariæ, Lupuli, Mercurialis ana M. j. radic. Asparagi vel Rusci, Graminis ana ℥. ij. florũ Cordialium P. iij. florum Rosarum rubrarum P. ij. florum Tamaricis P. j. Prunorum numero x. Passularum ℥. iij. Sebesten vel Iuiubar. n. xx. quatuor sem. Maiorum, sem. Anisi an. ℥. ß. sem. Fœniculi ʒ. ij. fiat decoctio omnium in Aqua, vel decocto priùs facto ex ligno Guaiaci colato, vti illud fieri debere ad sudores mouendos mox demonstrabimus, vt sic huic lui, vti putant, magis approprietur, atque in colaturæ s. q. infunde de nouo foliorum Sennæ ℥. iij. vel iiij. Polypodij, semin. Carthami ana ℥. ij. Epithymi ʒ. j. fiat iterum decoctio eousq; donec decens quantitas remaneat: Quæ, Sacchero in fine decoctionis addito, vel Melle vel Sapâ dulcorabitur, & puluere Cinamo. vel aliorũ aromatisabitur.

In humidioribus & pituitosiorib. naturis, sequentibus prædictis addere possumus, vt radicum Acori veri vel Galangæ ℥. ß. j. rad. Enulæ cum foliis tenerioribus, Betonicę, Maioranæ ana M. j. florum Rosmarini, Lauandulæ vel Stœchados ana P. j. summitatum

Thymi

Thymi P.j.ß. Ficuum numero xij. seminum Carui ʒ. dein & illa quæ ichores purgant, Cortic.Sãbuci vel Ebuli ℥.j.ß. atq; validiora interdũ purgantia prioribus adjicere, veluti Agarici vel Rhabarbari ℥.ß. Turbethi ʒ.iij. Item Soldanellæ ʒ.ij. Vel in robustis admodùm,vti ferè sunt,qui hac lue laborant,Hermodactylorum ʒ.ij. in ossium præsertim dolore: Vel Colocynthidis pulpæ in panno ligatæ ʒ.ß. nam potenter operatur, aut Hellebori nigri ʒ.j.ß.

Hisce quandoque & alia addunt, vt si capitis & ossium adsint dolores, alia capiti & artubus appropriata: & nonnunquam quæ venenis resistunt, vt Tormentillæ radicem, & similia.

Possunt & in scabie descripta decocta vsurpari: Veluti illud quod ℞. radic. Lapatij ℥.iij. Graminis,&c.

Vel Vina purgantia exhiberi, quale quoque ex simplicibus quibusdam in decocto priore descriptis,in vino infusis fieri poterit: Vel illud quod in scabiei cura proponitur, propinari.

Purgamus catharcticis fortioribus vnâ vice,post præparationes factas simplices,vel etiam post alias quæ pręparant & simul purgant, si non ab illis sufficienter corpus purgatum censeamus, idque variis modis, vel permiscendo vltimæ exhibitioni, electuariũ aut infusum aliúdve purgans: Vel Priuato quodam decocto vel potione, electuario, tabulis pilulisve, simili modo obseruando, an cum maculis, pustulis,vlceribus doloribúsve hæc lues se offerat, eoque catharctica dirigendo. Quæ plerique aliàs melancholico humori expurgando accõmodant, qui luis causam illi attribuunt, & proin præ cæteris, Confectionem hamech in hoc casu probant: Vti & Diasenam; Pilulas item ex lapide Lazuli paratas, de Fumaria, aliaque in melancholicis morbis exposita. Quæ & nos in robustioribus, cùm biliosos & acres cuiuscunque generis humores educant, concedimus. Et similiter alia catharctica in scabiei cura exposita, hîc quoque conuenire existimamus,vti si dolores circa ossa sint, pilulas de Hermodactylis, Fœtidas aliásve Artheticas,aliaque purgantia in arthritide exposita. Aliaque multa in aliis morbis descripta, tam quæ Scammoneam, quàm Colocynthidem recipiunt, quibus etiam indifferenter plerunque Practici, sicuti ex ipsorum scriptis videre licet, etsi vnum aliquem humorem educere cogitent,vtuntur.

Sed & citra præparationem præmissam, antequam illis quæ per habitum corporis euacuant, vtantur, Empirici & Chirurgi corpora mox purgant, citra quoque catarcticorum delectum, cui nam humori educendo conueniant, modò corpus egregiè ab illis purgetur, copiosæque inde deiectiones sequantur. Vnde & quæuis ac præsertim fortissima ex illis in robustioribus statim exhibent. Atque inter cætera, Vinum in quo pomum Colocynthidis per noctẽ infusum madueritt, illis admodum in vsu est. Alij Vinum in quo Lathyridis seu Cataputiæ minoris grana aliquot macerata sint, propinant: Vel grana ipsa aliquot deglutire iubet: Vel Helleborato decocto vel infuso mox ab initio corpus purgant: Quale in scabiei curâ fuit descriptum: Vbi & quâ ratione Empiricus scabiem aliosque morbos pertinaces, Stibij decocto curarit, fuit expositum, quod hîc quoque conuenire posset: Vti & imprimis in multis peruersis morbis competens purgatio, quæ ex foliis Hellebori nigri veri, aridis puluerisatis & cum Aloë in formam pilularum redactis, magno successu fit.

Post eiusmodi totius corporis euacuationem factam, corpus sequẽti die vno vel etiã altero reficimus, exhibitione conseruæ Buglossi, Borraginis, Rosarum, Stœchados, Rosmarini, Maioranæ; vel Theriacâ aut Mithridato, aliisve Antidotis. Inter quæ ex ligno Guaiaco parata, hîc potissimùm conuenire existimant, illiusq; puluerem, vel cum aliis conseruis aut electuariis mistum exhibent: Et Chymici Sal inde paratum magni faciunt: Alij simili modo Zarsæ parillæ puluere vel Sale vtuntur.

Vsuales purgationes interdum dum cura hac p sudores, ex vsu decocti Guaiaci cõcitatos vtuntur, si crassiora adhuc recremẽta superesse videamus, & maximè constipati sint, certis dierũ interuallis, in quib. à cura quiescunt, instituuntur, aliàs iterum repetuntur.

Fiunt ex decoctis prædictis in formam syrupi, vt conseruari possint, redactis: Vel syrupis vsualibus in scabie descriptis, inter quos & helleboratus est syrupus de Pomis, aliusque à Montano annotatus, & ex succis decoctus: Vel fiunt ex Electuariis simul permistis, Pilulisve vsualibus passim descriptis.

Ex aliis sudatoriis cura præter eam quæ per guaiacum fit, adhibito quoque vitæ regimine decenti, & purgationibus instituitur, illis nimirum, quæ vti ad alios multos morbos diuturnos vel pertinaces, ita & ad curationem huius luis vsurpantur: & licet cum guaiaco nullam habeant in sapore vel odore conuenientiam, tamen proprietatem quoque, quâ huic lui resistunt, aliquam habere existimantur: Vt sunt Zarsa parilla & China dicta, ab Indis etiam petita, & post guaiacum primùm cognita, hisque vsibus accommodata.

Ex Zarsa parilla, Americana planta, sic ab Hispanis, quòd smilacem asperam referat, vel eadem cum illa sit, quam illi zarsam parillam, id est Rubum viticulam vocant, nominatam, sudatorium ad luem hanc sanandam, quod nunc ab annis aliquot valde in vsu est. Atq; ex decocto illius radicum, quas copiosas multis flagellis longissimis dispergit, sapore exiguo, odore nullo præditis, paratur sequenti modo.

Sumuntur Zarsæ parillę, in talleolos breues incisæ ℥.iij, Aquæ puræ ℔.xij. macerantur inuicem aliquamdiu, vti de guaiaco diximus, & decoquuntur eodem modo, vt tertia pars relinquatur, quæ colata ad vsum reseruatur. Hæc media est illius efficacia, quam si augere minuereve oporteat, plus vel minus radicum addendo vel coquendo, perficitur.

Bibunt hoc decoctum per septimanas aliquot manè, nonnunquam & vesperi, sudantque, corpore priùs ab initio purgato, intermediisque aliquibus vicibus, eo penitùs modo, qui in guaiaci decocto vsurpando describitur.

Regimine similiter eodē adhibito, quod aërem concernit, cibumque & potum, qui tamen vti illic ex remanētia guaiaci scobis, sic hîc ex residuis radicum talleolis semel coctis, denuò in noua aqua recoctis paratur, atque bibitur. Quod somnum aliaque attinet, eadem quoque hîc vt illic obseruanda.

Ex China, quæ ab Indiæ orientalis Chinâ dictâ regione aduehitur planta, similiter sudorifera potio ad luem hanc curandam fieri solet: Ex decocto nimirū radicis illius crassæ & tuberosæ subrubræ, & penitùs insipidæ, vnde ἄποιος, hoc est, sine gustu appellatur; Quod decoctum subrubrum nonnihil, non ingratum, nec ventriculo aduersum, sic paratur.

℞. radicis Chinæ non cariosæ aut leuis, sed integræ & ponderosæ ℥.ij, secetur in orbiculos seu laminas tenues, affunde Aquæ ℔.xij. vel viij. solùm, si efficacius esse velimus, macerentur & decoquantur, eâdem planè ratione, vti de prioribus diximus, seruetur colatura diligenter obturata, quia facilè acescit: Quod ne, si diu asseruetur, fiat, media saltem pars coquenda, eaq; mox absumptâ, iterum altera.

Propinatur similiter hoc decoctum vti reliqua, sudoresque promouentur, ægerq; eodem omninò modo & priùs, ac si necesse sit, postea quoque purgatur, & in viuendi ratione gubernatur: Potus ordinarius pro siti ex eadem radice priùs coctâ, rursum recoctâ, vti de reliquis dictum, paratur: Quæ & tertiò cocta vires adhuc aliquas retinet, & potu deficiente, interea donec alius paratur, bibi poterit.

Est & alia præter iam dictas nouiter primùm inuenta, & ab Indis quoq; petita, Salsafras dicta arbor, ex qua sudatorium etiam fit, vti ad curationem aliorum quorundam morborum, sic & huius luis vsurpari solitum. Quod ex decocto ita paratur.

Sumendum radicis vel ligni cum cortice assulatim confracti pondus, quantum chinæ esse debere diximus, ℥.ij. nimirum, & cum ℔.xij. vel viij. Aquæ eodem modo vnâ vice vel diuisim coquendum, atque eadem mensurâ, adhibitaque curâ bibendum. Quod cùm grati odoris & saporis sit, eò lubentiùs sumitur, cùm nec ventriculum perturbet, nec flatus copiosos gignat.

Mista ex duobus vel tribus aut quatuor prędictis, fiunt decocta sudatoria ad hanc curam:

ram: Frequentiùs ad ſcobis vel raſuræ Guaiaci ℔.ß. addendo ℥.j.ß. vel ℥.ij. Zarſæ & cum Aquæ ℔.viij. coquendo, vti priora decocta.

Vel loco zarſæ parillæ ad Guaiacum, radic. Chinæ ℥.j. addimus.

Vel & Guaiacum & Zarſam parillam, & Chinam hoc pondere ſimul miſcemus, coquimusque: Aut Guaiaci pondus minuimus, reliquorumque augemus.

Quibus vel duobus vel tribus ſæpè Salſafras quoque additur, tum quia idem præſtat, tum quia gratum illis odorem ſaporemque conciliat.

Quæ qualiacunque decocta pari menſurâ & ordine, regimineque vt in cæteris vſurpari debent: Potusque ordinarius ex horum reſidentiâ iterum decoquendo, vt de cæteris dictum, parari.

Compoſita eiuſmodi decocta, ex pluribus etiam aliis cum eo decoctis, aliquando facere ſolent; frequentiusque addunt quædam decocto Guaiaci, nonnunquam & Zarſæ parillæ, rariùs Chinæ & Salſafras decocto, ne gratiam amittant. Aliquandò & in miſtis iam dictis, adduntur quædam ob varios vſus; vt quæ calorem quem Guaiaco ineſſe putant, contemperent, immiſcendo, Intybacea, Lactucas ſimiliaq;. Verùm cùm, licèt acrimoniam leuem habeat, non tamen tantopere calefaciat, vt corpus inde accendatur, & ſi hæc qualiſcunq; illi demantur, minus commodè ſudores promoueat, vti nihil vtilitatis, ſed potiùs impedimentum inde ſequitur, ſic ingratus guſtus inde conciliatur, vt decoctum faſtidiant. Aliàs quæ caliditatem decocti augere poſſunt, vt meliùs ſic ſudores eliciat, radices calidas, vt Arum, Enulam & Aromata, vti & Aperitiuas radices vel herbas, Meliſſam, Serpillum, Thymum aliàsve odoratas, ſemen Nigellæ addunt: Aliàs quæ capiti & artubus, ſi illic dolor, appropriata ſint: veluti Betonicam, Iuam, flores Roſmarini, Stœchados; Aliàs etiam quæ ſanguinem mundum ſimul reddant, vt Fumariam, Lupulos, Bugloſſum, Sambucum, Ebulum, Iridem aliaque eiuſmodi. Præter quæ, vt meliùs corpus vſu decocti huius exiccetur, etiam Succinum, Thus, Benzoinum miſcent.

Quâ permiſtione decoctũ inualidius interdum, vel vt alias vires conſequatur, maximè verò vt minùs ægro ſapiat, nauſeamq; illi pariat, & ſic continuum illius vſum ferre nequeat, efficiunt. Præſertim ſi & Gentianam ſummè amaram, & Mumiam tetro odore præditam, vti aliqui volunt, ſimul decoquant, abominabile hoc decoctum reddunt. Quòd ſi tamen vel caloris contemperandi, vel ſudorum promouendorum, vel alterius rei (vti dictum) gratiâ, aliquid huic decocto addere placeat, minùs ingratum reddetur, ſi in aquis illarum plantarum, quæ illud præſtant, vel ſaltem aliquâ illarũ quantitate, decoctio hæc fiat.

Præter hæc etiam purgantia tam leuiora quàm efficaciora, cum Guaiaco, dum coquitur, multi miſcent, veluti Polypodium, Aſarum, Epithymum, Carthamum, Agaricum, alia quoque amariſsima, vt Aloën: Imprimis ſi in artubus dolor ſit, Hermodactylos. Nonnunquam & validiſsima, vt Veratrum & Colocynthidem. Quæ decocta purgantia, ſi in cura huius luis, quæ per ſudores fieri debet, loco purgationis circa initium, vt corpus priùs purgetur, præmittantur, vel per interualla vſurpentur, locũ habere poſſunt. Vel ſi curam hanc non per ſudores, ſed purgationes potiſsimùm perficere velimus, hiſce etiam decoctis, loco eorum, quibus in curâ ſic inſtitutâ aliàs vtimur, vti poterimus, & ſic continuò vel alternatim, vti illic dictum, corpus ad finem vſque purgare.

Aliarum quoque plantarum decocta, præter ea quæ ex guaiaco, zarſâ parillâ, chinâ & ſalſafras, excoticis lignis, radicibus & corticibus ipſorum parantur, ex aliiset iam quibuſdam ſimplicibus, idem efficere vel omnino vel aliquomodo, experientiâ compertũ fuit; vnde quoque quod & hæc & illa, ſudores potiùs mouendo, quàm occultâ vi in curatione huius luis operentur, conſtare videtur. Talia autem ſudatoria ex ſequentibus decoquuntur.

Ex lignorum quorundam, vt Buxi flaui, & duritie guaiaco ſimili, raſurâ tale decoctũ factũ, idem efficere docet, non tamen, cũ nõ vt guaiacũ gratum ſit, integrâ libram ad coćturam, cũ ℔.xij. aquæ, ſed minùs ſumendo.

Ex Iuniperini ligni admodùm odorati & nonnihil acris decoctione, pauperes lue hac infectos aliquos sanaui: Sumendo scobis vel rasuræ illius non tantum, quantum guaiaci, cùm efficaciùs ferè sit, sed mediam vel tres saltem illius partes, & cum ℔. ij. aquæ, eodem penitùs modo vti guaiacum coquendo & vtendo: Cui & Guaiacum aliæ ve supradictæ radices addi possunt: Egregium sanè sudatorium & innoxium, etsi aliqui ex Dioscoride, lignum iuniperi exitium parare, demonstrare velint, quod tamen non verum esse, illius frequens vsus approbat, mendosumque esse illum Dioscoridis locum, non solùm mihi, sed & aliis videtur.

Ex Cedri, Cupresi, Sabinæ bacciferæ lignis odoratissimis, & Agalochi Rhodij rosarũ odorem spirãtis, decoctione simili modo factâ, idem fieri posse, non dubitamus: Vti & ex aliis, vt de Terebinthi ligno scribunt.

Ex radicibus quibusdam decocta, vti ex zarsa parilla & china, pondere eodem, vel minori, si efficaciores sint, cum aquæ ℔. xij. facta, idem præstare à quibusdam docetur: Veluti ex radicibus Dictamni, Myricæ, Cannarum, Petasitidis, Tormentillæ, Acori veri, Enulæ: Et efficacibus radicibus Iridis, Cyclaminis.

Vel ex herbis quoque, vt Asarinâ, Aspleno, Scordio & Herniariâ.

Aut ex seminibus: inter quæ semen Iuniperi efficacissimum: Cuius decoctum sic factum, cùm admodum à semine saporem acrem & odorem concipiat, erit & præ cæteris in cura hac per sudores faciendâ efficacissimum.

Propinantur & præter decocta enarrata in lue hac, per sudores curandâ, alia ad bibendum, quæ idem efficere, vel aliquomodo existimant: Veluti Vina sudatoria per decoctionem & infusionem facta, ad curationem huius luis in debilioribus & frigidioribus nonnunquam vsurpantur; Quale hoc mellitum & aromatisatum gratumque ob id: ℞. radic. Galangæ vtriusque ℥. ij. Zingiber. ℥. ß. Cinamomi ℥. ij. ß. Gariophyllorum ℥. j. ß. Nucis Mosch. vel Maceris ℥. j. Schœnanthi ℥. ß. conquassata injiciantur in dolium, addendo florum vel summitat. Rosmarini P. ß. affunde Vini albi mediocris mensuras x. Mellis ℔. j. vel plus, seruentur obturata ad vsum: De hoc vino bibat ℥. iij. vel iiij. vel plures, singulis matutinis, & sudet; perseuerando in vsu illius ad multos dies.

Efficaciùs sudores mouebit, si granorum Iuniperi quartarium j. vel plus addas.

Vel sic paretur: ℞. radicum Iridis, Acori veri ana ℥. iij. Galangæ ℥. j. radic. Asparagi ℥. j. ß. radic. Enulę ℥. ß. radic. Cyclamin. ʒ. ij. herbarum Thymi, Scordij, Dictamni Cretici, Herniariæ ana M. j. flor. Rosmarin. Stœchad. vel Lauandul. Chamomill. ana P. j. gran. Iuniperi quartarium j. ß. Cinamom. ℥. ij. Gariophyll. ℥. j. Maceris ℥. ß. Schœnanthi ʒ. ij. conquassata ponantur in dolio, adde rasur. Guaiaci quartar. j. vel plus, Ligni Salsafras ℥. j. infunde Vini mensur. xij. vel plures: Vtatur per dies triginta aut amplius.

Aliud valde efficax, quo solo se hanc luem sanasse aliqui profitentur, quod ℞. foliorum Plantaginis, Oleæ vel Myrthi, Millefolij recent. ana M. j. radic. Cyclaminis ʒ. ij. vel plus in robustioribus, Vini albi mediocris ℔. v. Mellis ℔. ß. vel in senioribus paulò plus, bulliant ad consumpt. medietatis. Dentur colaturæ ℥. vj. vel vij. sudet. Continuet per dies 25.

Aquæ stillatitiæ ad sudores mouendos, sed vix solæ ad curam huius propinantur, cùm ventriculo minùs conueniant, aliquando tamen illis quoque etiam eam sanare volunt, vel reliquias huius luis quæ remanserunt, extirpare.

Quod maximè præstabit sequens aqua: ℞. rasuræ ligni Guaiaci ℔. j. ß. corticis eiusdem puluerisati ℔. ß. ligni Salsafras ℥. ij. radic. Graminis & Asparagi ana ℥. ß. radic. Enulæ ℥. iij. radic. Cyclaminis ℥. j. ß. foliorum Cardui benedict. Pulegij, Acetosæ ana M. j. florum Buglossi vtriusque, Rosarum, Rosmarini, Chamomillæ odoratæ ana P. j. Cinamomi ℥. ß. Nucis moschat. ʒ. ij. incidantur omnia, adde Theriacæ selectæ quartarium j. Vini generosi, Aquæ Lapatij & Cichorij ana ℔. ij. destillentur: Dentur huius aquæ ℥. iij. vel iiij. dissolutæ cum aquis conuenientibus, vel decocto Guaiaci, aut alio sudatorio, vt Milij. Hisce Polypodij quar-

quartar. j. Epithymi ℥. j. aliqui permiſcent.

Sunt & alia varia ſudatoria, tam decocta quàm vina, aquæ ſtillatitiæ, electuaria aliæ've formæ, aliis morbis curandis accommodatæ, quæ & hîc fortè ſi ſæpè repeterentur, aliquid præſtare poſſent: qualia in ſudore ſupreſſo alibique in variis morbis, qui ſudorem exigunt, deſcribuntur: Imprimisq; in curâ febris peſtilentialis, in qua illa ſudatoria, quæ peſtis veneno ſimul reſiſtunt, etiam huius luis veneno aduerſari creduntur, & ſic non ſolùm ſudores mouendo, ſed & veneni huius vires infringendo ſimul opitulari. Vti inter reliqua aquæ etiam ſunt Theriacales illic explicatæ.

Regimen quod attinet, quando eiuſmodi ſudatorijs ex Vino, aquis aliiſve modò dictis paratis vtuntur, idem ferè obſeruatur, quod & in aliis obſeruari diximus, tum vt in conclaui calido ſe contineant, cibo pauco & ſimplici vtantur, & pro potu ordinario, aquam cui Guaiaci vel Zarſæ parillæ portio aliqua incocta ſit, bibant. Vel ſi vinum ſudatorium illud ſupra dictum ſit gratum, hoc quoq; in prandio & cœna vti poſſunt, quod ſi nimiùm accendat, priùs diluendum. Sin metuendũ ne ſudatoriorum horum calidorum vſu, hepar aliáve viſcera nimiùm incaleſcat; exhibitis per vices conditis, ſyrupis nonnihil refrigerantibus calor contemperari; Dein ne aluus ſupprimatur, huic quoq; proſpici; Et vt cura meliùs ſuccedat, corpus per vices purgari poterit.

Foris admotis cura quæ per ſudores ſine vſu argenti viui præcipuè inſtituitur, vix dum perficitur, ſed nonnunquam non ſolùm Aëre calidiore, in quo dum in lecto ſudant, moram trahere ſeq; continere debent, vti in vitæ regimine oſtendimus: ſed & Balneo adiuuatur; Siccoq; imprimis ex aëre in hypocauſto vel labro anguſto calefacto, illicque coërcito parato: quod, cùm corpus in eo concluſum calefaciendo & rarefaciendo, atque ad ſuperficiem ſic humores attrahendo, ſudores prouocet, ad curam huius luis interdum adhibetur. Quam & fortè, cùm vnà cum illis luis huius ſemina ſimul educat, & abſumat, diu continuatum, ſi præſertim altiùs radices non egerit, curare poſſet. Verùm cùm vix hoc ſolũ adminiſtratum ſufficat, ſi eo vti lubeat, tunc potiſsimùm locum habebit, cùm ſudores per exhibita commoti in lecto minùs promptè ſuccedũt, tunc enim balneum ingredi, illiusq; calore ſudoribus viam aperire, & ad eos corpus ſic diſponere, ſemel iterúmve, donec natura eò ſponte tendat, licebit. Præcipuè verò balnei ſicci in fine curæ huius luis vſus exiſtit, vt per illud, ſi quid in ſuperficie corporis remãſerit inpactum, penitùs abſumatur, ſordesq; ſi quæ adhæſerint, ſudoribus qui eas abluunt, auferantur. Tuncque etiam in balneo ſicco ablutio, quæ priùs nec conceſſa, nec neceſſaria erat, Lixiuio, Vino & Aquâ conceditur. Cæterùm non tantùm in cura luis huius, balnea ſicca, vt rectiùs perficiatur, adhibentur; Sed & antequam illius cura ſuſcipiatur, ſi de eâ, quia ſigna non adeò aperta, ſed obſcura ſolùm ſe patefaciunt, dubitetur; balneis eiuſmodi ſudatorijs aliquoties iteratis, latentia huius luis ſemina ad ſuperficiem euocando, ex maculis, puſtulis aliiſque vitijs ſi quæ tunc ſe prodant, luem hanc cognoſcimus, de eaque eò magis certi ſimus.

Quæ balnea quâ ratione adminiſtrari debeant, cùm vulgò cognitum ſit, non neceſſe eſt vlterùs explicare. Vt tamen ſudores potentiùs educant, ante ingreſſum, ægro Theriacam vel Sudatoria quædam propinamus; Eumque quamdiu bene ferre poterit, in eo moram trahere ſinimus: Et poſtquam egreſſus fuerit, vt ab aëre frigido diligenter muniatur, curamus.

Humidum balneum quod ex Aqua diuerſimodè naturâ vel arte calefactâ concinnatur, ad curationem huius luis vix dum vſurpatur, cùm madore ſuo plus obeſſe quàm prodeſſe experientia docuerit.

Sunt tamen, qui licèt balnea aquę dulcis, vel alia nimiùm adſtringentia improbent: Aliqua tamen, quæ admodum rarefaciunt, vel validè attrahunt, vt eorum, quæ in cura per ſudores operantur, actio adiuuetur, ſi minùs commodè ſuccedat, vt priùs in balneo humido ex iis præparato aliquandiu ſedeant, permittunt. In quibus calidas herbas, flores, & ſemina, omnis generis, imprimis Ebulum, & Enulam, cum toto

& Ar-

& Arthemisiam, & flores Chamomill. Meliloti, gran. Iuniperi: Dein & ligni Guaiaci vel Iuniperi rasuram decoquunt. Quæ tamen cùm non adeò sint tuta, nec multùm proficiant, rectiùs omittuntur. Sed & Thermarum quarundam potenter exiccantium vsum, in certis huius speciebus conuenire aliqui docent, quas tamen nullo modo iuuare, sed plurimùm nocere, sæpè obseruauimus: Nisi fortè hisce vel aliis etiam balneis, post curam priùs exactè absolutam, ad refectionem aliquam corporis, vsu tot medicamentorum defatigati, & membris robur addendum, vti velimus; tuncque prioribus artificialibus balneis, quæ artibus appropriata sunt, veluti Iuam, aliaque similia in articulorum doloribus explicata, addimus.

Per purgationes quæ potissimùm instituitur curandi ratio, non adeò freqūes, cùm non ita dudum inuenta sit, existit. Perficiturque corpus sæpiùs vel validè admodùm, exhibitione medicamentorum purgātium expurgando, & per vices reficiendo. Solaq; hac ratione lues hæc interdum sanatur, vt non opus sit aliis insuper per sudores vel expuitiones, alióve modo factis euacuationibus. Aliàs verò aliæ maximè, quæ per sudores fiunt, simul in cura adhibentur, præcipuè si deiectiones quæ per aluum fiunt, lōgiores vel violentiores, vti si per eas solas curari debet, ferè requiritur, ferre nequeant, tūc post purgationes aliquoties repetitas, sudores exhibitione decocti Guaiaci, alióve modo, diebus aliquot mouemus, indeque rursum purgationes molimur, & sic vice versâ, donec morbus integrè curatus sit. Aliquando & medium curationis tempus purgādo, reliquum sudores prouocando absumimus. Idq; cura quæ per sudores, exhibitione præcipuè sudatoriorum, perficitur. Sed & extrinsecus balneis siccis in hanc rem aliquot vicibus vtimur, eaque purgationibus hisce quando ab illis quiescunt, intermiscemus.

Ad eiusmodi autem purgationes moliendas, non certa humori alicui saltem destinata cathartica seliguntur, cùm qualis hanc luem efficiat, ignoretur, sed quęuis naturam ad excretionem hanc sollicitātia, hîc locum habere possunt, cùm illa excitata, eos qui redundāt potiùs, quàm alios expellat. Quod & plerosque Medicos, etsi humori vel melācholico vel pituitoso aliíve, quem causam huius luis statuunt, hæc accommodari debere doceant, nihilominus tamen facere videmus, & promiscuè cuiuscunque generis catharcticis vti, eaque inuicem commiscere. Quæ nos maximè pro corporis temperaturâ & constitutione, & pro virium ratione, mitiora in debilioribus, fortiora in robustioribus vsurpando, & prout vel maculæ, pustulæ, vlcera dolorésve se offerunt, sicuti in eâ purgatione faciendâ, quæ in cura per sudores fit, obseruari quoque debere, diximus, dirigenda esse censemus: Quæ diuersis modis præparantur.

Ex decoctis seu apozematibus dictis frequentiùs; Illa præmissâ generali corporis euacuatione ad tempus aliquod propinando, spacio breuiore, si continuis diebus semel in die manè, vel etiam bis, manè scilicet & vesperi, ea ad dies quindecim vel etiam vltra assumere queant; vel longiore, si æger debilior factus, diem vnum aut alterū quiescere cogatur, & postea rursum ea repetere, tuncque ad septimanas tres vel quatuor cura protrahenda. Sed & in aliquibus purgatione per hæc apozemata ter quatérve in septimana factâ, postea spacium quiescendi per tres dies reliquos illius septimanæ conceditur, quibus manè & vesperi quoque interdum corroborantia assumant, hacque ratione & purgando & reficiendo septimanas iv. vel v. complent. In qua cura, quę per purgationes eiusmodi diu frequentatas perficitur, decens quoq; regimen in viuendi ratione adhibebitur. Quod tamen non adeò exquisitum & strictum, in cibi præsertim subtractione esse debet, cùm qui sic purgantur, cibo exquisito sæpiùs sint reficiēdi, nec quoque, vt cùm per sudores cura instituitur, ab äëre liberiore tantopere sunt arcendi, quin si temperatus sit, eum possint in conclauia admittere, vel etiam ex illis in publicum prodire, quod & maximè expetunt, qui hac curâ vtuntur, ne hac lue se infectos esse, si domi inclusi detineantur, prodant, & proin hac ratione potiùs, etsi æquè operosa sit ac alia, illisque molesta, curari exoptant.

Paran-

Parantur autem eiusmodi decocta hoc pacto. In calidioribus & biliosioribus corporibus, & cùm maculæ ac pustulæ vlceraque in hac lue erumpunt, illud præcipuè competit: ℞. Polypodij ℥.iij. foliorum Sennæ ℥.ij. Epithymi, Myrobalan.citrin. chebul.ana ʒ.ij. florum Cordialium ʒ.ij. herbarum Capill. Buglossi vtriusq; ana M.j. radicis Cichorij ℥.ß. seminis Anisi ʒ.ij.fiat decoctio in aqua pro quinque vel sex dosibus, dulcorando cum Saccharo, dissolue in qualibet, succi Rosarum & Fumariæ ana ℥.ß.vel horum syruporum, interdum & Violatum ana ℥.j. Atque interdum misce, si præsertim minùs operetur, Rhabarbari infusionis factæ in hoc decocto ʒ.j. Nonnunquam & validiora electuaria dissoluenda, si ampliùs purgare velimus. Veluti de succo Rosarum, Confect. hamech.&c. Vel interdum omisso ad diem vnum aut alterum hoc decocto, alio fortiori medicamento corpus interim validiùs purgare, posteaque ad vsum decocti redire possumus. Atque sic indies vel interpolatis vicibus, vti dictum, eiusmodi potionibus vtatur æger, quinquies vel sexies, quibus absolutis nouæ eodem modo, vel paulò efficaciores vel mitiores, prout priores operatæ fuerint, parentur, & donec morbū curatum esse conjiciamus, cōtinuentur. Quòd si quoque toties decoctum de nouo recoquere arduum sit, auctâ ingredientium quantitate, vti & sacchari, ad consistentiam mediam vel integram syrupi, vt diutiùs conseruari possit, coctione redigimus, eamque quantitatem de eo, quam sufficienter operari deprehendimus, exhibebimus.

Pro pituitosis, serosioribus & frigidioribus, si dolores circa ossa præsertim molestent, eiusmodi decocta fiunt: ℞. semin. Carthami conquass.℥.j.ß. Sennæ fol. ℥. ij. Polypod.℥.j. Turbethi ℥.ß. Epithymi ʒ.ij. Passul. mundat.℥.j. Ficuum num.x. radic. Liquirit. ℥.j. radic. Enulæ ʒ.vj. Galangæ ℥.ß. Thymi, Betonicæ, Maioranæ, Hysopi, Chamæp.an. M.j. florum Bugloss. vtriusque, Rosmarin. Stœchados vel Lauandulæ ana P. j. florum Chamomillæ P.ß. seminū Coriandri, Anisi, Fœniculi ana ʒ.j. seminis Nigellæ ʒ.ß.fiat decoctio in aqua, pro v.vel vj. vicibus, dulcorentur Melle, dissolue in singulis succi radic. Iridis ℥.ß. syrupi Rosar. solut. de Fumaria vel Lupul.ana ʒ.vj. Si efficaciùs operari velimus, infunde Agarici vel Mechoacę ʒ.j. Zingib.℈.j. Vel misce electuarium, vt Diaphœnicon aliúdve. Vtantur eiusmodi decoctis, eo planè modo, vti de prioribus dictum est.

Alia quoque decocta hîc competere possunt, quibus & quę lui huic aduersa creduntur, vt guaiacum, zarsa parilla simul incoquuntur. Quæ sæpè repetita, vti alios pertinaces morbos, sic & luem hanc interdum sanant. Quale hoc est, si per dies 25. vel 30. indies vel interposito aliquo, sed breui interuallo, cùm necesse est, bibatur: Quod ℞. ligni Guaiaci rasuræ vel scobis ℥.j. Zarsæ parillæ ʒ.vj. radicis Glycirrhizæ ℥.ß. radicis Cichoreæ ʒ.ij. florum Buglossi vtriusque ana ʒ.j. Passularum ℥.ß. Prunorum num.vj. macerentur in aquæ ℔. viij. per diem & noctem, fiat decoctio, coletur, & si placet, aromat. pauco Cinamom. In huius colaturæ ℥.v. infunde foliorum Sēnæ ℥.ß. Mechoacæ vel Agarici ʒ.j. Zingib.ʒ.ß. stent per diem & noctē, colentur, misce syrupi Ros. solut. aquæ Melissæ ana ʒ.ij. fiat haustus vnus, moxq; pro sequēti die eodem modo secundus, indeq; indies reliqui, donec tota cura absoluta fuerit.

Huius loco decoctū huic ferè simile, quod vt in multis morbis curandis, sic & in scabie sanandâ, si per triginta vel plures dies bibatur, in eadem conferre diximus, illicque descripsimus, vsurpari poterit.

Possunt & alia purgantia pauca vel etiam plura, in decoctis Guaiaci vel Zarsæ parillæ cocta vsurpari, in quibus folia Sennæ præualeant, tanquam quæ meliùs & tutiùs operantur, vel etiam Hermodactyli qui nunquam ferè in doloribus omittuntur. Sicuti in cura, quæ per decoctum guaiaci fit, eiusmodi purgantium quoque facta est mentio.

Huc & referuntur, decocta Helleborata, vt in melancholicis morbis, aliisque grauibus, sic & lue hac curanda commendata, si sæpiùs illis vti possumus, vel si nimiùm exagitent, alternis saltem diebus, dieq; quietis, & medicamentis cordialibus, & antidotis, ciboque exquisito & potu vini reficiantur. Quæ & in aliis violentioribus purgantibus

obseruari debent. Imprimis autem inter decocta helleborata, in lue hac probatur, quod ℞. cortic. Hellebori nigri ʒ.vj. Myrobalanorum quinq; generum ana ℥.ß. foliorum Sennæ, Polypodij ana ℥.j. Epithymi ℥.ß. Sonchi M.j. florum Cordial. P.j. semin. Citri ʒ.j. ligni Guaiaci rasi ℥.iv. Bulliant in ℔. viij. aquæ & Vini albi ℔. j.ß. Colentur & dulcorentur Saccharo, aromatis. Cinamom. & Gariophyllis: Capiat ad ℥. iij. aut iv. prout operabitur.

Idem præstat aliud Hellebori decoctum vel infusum, in scabiei curâ descriptum, sicuti illi, ita & aliis deterioribus morbis luique huic sanandæ imprimis vtile.

Vel hoc quod ex cort. Hellebori nigri puluerizati ʒ.j. vel ℈.iv. in Sero lactis infusione, vel alio aliquo decocto fit, manè coquendo: Et colaturam cum syrupo de Fumaria aut Ros. solut. sæpiùs exhibendo.

Vinum helleboratum ex simplici infusione, etiam citra decoctionem idem præstabit. Quod & tale fieri docent aliqui, si radices Hellebori recentes ad vitium radices defossæ fuerint; atque ex vuis illarum vinum paretur.

Pilulæ ex Argento viuo præcipitato paratæ, Mercuriales dictæ, huc quoque referuntur, quæ violenter corpus purgãdo, vix dum bis terve vsurpatæ, hanc luem quandoque extirpant. Verùm cùm de his quæ ex argento viuo parantur remediis, iam separatim simus acturi; de illis ibidem agemus.

Præter hæc purgantia, quorum vsu luem hanc interdum curare possumus, alia quoq; tam leuiora quàm fortiora purgantia medicamenta, diu continuata, idem nõnunquam præstant. Cuiusmodi sunt electuaria, pilulę, aliæque purgantium formæ, in aliis diuturnis omnibus morbis quibus cõueniunt, expositæ, tum præcipuè illa quibus corpora generatim ante reliquorum vsum purgari debere docuimus. Quò & extracta referuntur, præcipueque foliorum Sẽnæ, vt & Rhabarbari aliorumque purgantium.

Vires restaurantia partesque principaliores, ventriculum, hepar, cor, cerebrum roborantia remedia, dum huius luis cura per purgantia, vti dictum, peragitur, interpolatis vicibus, cùm à purgatione abstinent, illis exhibentur, maximè si violẽtioribus vtantur, atque etiam extrinsecùs ventriculo, si propter illorum vsum laboret, vel cordi, si animus deficiat, quædam adhibentur. Qualia in virium lapsu abundè sunt descripta.

Inprimis verò in hac lue Antidota, quæ vti cæteris venenis, sic & huic lui aduersari creduntur, vel sola, vel aliis restaurantibus permista, exhibentur. Qualia superiùs post alia purgantia exhibita descripsimus.

In apozematum prædictorum, quibus luem sanare solemus, vsu, si vires labascunt, die vel vno saltem in septimana, vel duobus aut tribus, prout necessitas requirit, quo quiescunt, sequentia dantur: ℞. radic. Tormentillæ ʒ.j.ß. Dictamni ℈.ij. sem. Citri, Cardui bened. Acetosæ ana ʒ.ß. Santalorum omnium ʒ.j. rasuræ Eboris vel Vnicornu ℈.j. Margarit. præpar. ℈.ß. Coralli rubri ʒ.ß. fiat puluis subtilissimus; Cuius ʒ.ij. misceantur cum conserua Rosarum, cortic. Citri cond. conf. flor. Scabiosę vel Cordial. an. ℥.j. & cum syrupo de Buglosso fiat electuarium: De quo capiat instar nucis moschatæ, superbibendo aquam Melissæ, Scabiosæ, Card. bened. cum Vino mistam.

In frigidioribus & debilioribus huic pulueri adde Cinamomi, Garyophil. an. ℈.j. Maceris ℈.ß. Conseruæ Rosmar. Maior. atq; Acori ana ℥.j. Permisceantur: Sicq; dentur.

Possunt & tabulæ ex enarratis pulueribus & conseruis concinnari, sicque illis, si hasce malint, vti.

Sunt qui de aliis purgantibus vno die exhibent, alteroque die decoctum Buglosi vel Absynthij superbibere iubent, sicque ad aliquot dies perseuerare.

In helleboratorum decoctorum & infusionum vsu, alternis vel ternis diebus, prout vires exposcunt, hæc eadem vsurpari possunt, imprimis tamen tunc sequens cõmendatur electuarium, quod & in aliis purgationibus violẽtis prodesse poterit: ℞. succi Sonchi in formam Rob decoctione inspissati ʒ.ij. Scordij veri sicci ʒ.j. semin. Citri ʒ.ß. Mithridati vel Theriacæ ℥.ß. syrupi de Cortice Citri q.s. misce: Pro vsu.

Mithridatum & Theriaca per se quoque interdũ dantur, maximeq; si ex nimiâ purgantium

gantium vi, metuatur dysenteria, alia quę in dysenteria dicta sunt, tunc præcautionis loco propinari possunt.

Cum Argento viuo, sic quia argento similis, sed fluida est minera, à Metallicis dicto, Hydrargyro à Græcis, quod aquæ instar diffluat, & à Chymicis Mercurio vocato, curatio huius luis frequenter instituitur. Differtque ea primùm, quatenus illud vel extrinsecùs adhibetur, vel intrò sumitur. Quâ ratione hanc curam quoque diuidemus.

Per extrinsecùs corpori adhibitū Argentum viuum curatio cōmuniter instituį solet, non solùm à Medicis probatis, sed & Chirurgis aliisq; empiricis, indeq; morbum frequentiùs, atq; integrè sanari videmus. Verùm quâ qualitate aut viribus illud perficiatur, dubium; licèt enim cùm eo forinsecùs vtimur, ad sudores promouendos corpus simul disponamus, tamen incertum, an hi calore actuali, qui simul tunc adhibetur, vel illius efficaciâ, promoueantur. Dein & licèt illius vsu expuitiones copiosè superueniant, quas vi quadam illi peculiari, cùm alia quæ hoc pacto illud faciant, hactenus non fuerint cognita, molitur, non solùm in hac lue, sed & aliàs adhibitum aliquandiuq; continuatum, tamen an per hasce expuitiones luem sanet, dubitari quoq; posset. Verisimile tamē videtur ad curationem huius luis, expuitionem hanc plurimùm conferre, idque ob hęc argumēta, quòd nisi illa hydrargyri vsu concitetur, tandemque superueniat, cura non succedat; & quòd vnà cum hac expuitione oris illa vitia, illius nimirum inflammatio, exulceratio, fœtor dentiumq; inquinatio & labefactatio sequantur. Quæ à sputo, veneni labe, eò vi hydrargyri propulso, infecto potiùs, quàm hydrargyri malitiâ, vt putant, accidere, probabile. Præter quam illius potentiam, quâ manifestam illam euacuationem concitat, fortè & aliâ insuper vi, quâ multa quoque vitia externa in aliis morbis, ita & hæc in hac lue prodeuntia absumit, atq; extirpat: Vel etiam alia proprietate huic lui aduersâ venenatam illius qualitatem retundit; Atque vti creditur, huius veneni, est alexipharmacum. Quibus suis qualitatibus & proprietatibus occultis, ex iis effectis nobis cognitis, hāc luem illud sanare cum aliâ ratione non possit, nec operatio illius aliud demonstret, licet colligere, adeò vt non sit necesse, qualitatem aliquam aliam manifestam, quâ calefaciendo aut refrigerando agat, vt viri magni contenderunt, in eo inquirere, & quo pacto id operetur, anxiè scrutari. Vti neque conueniens est, ob vitia quæ ori, dum in curatione huius luis adhibetur, contingunt, vel alia accidentia, inter quæ conuulsiones præcipuè metuendæ, quæ si in illius vsu grauiter delinquatur, interdum accidunt, illius vsum tantopere damnare, penitusque rejicere; cùm in hac cura, oris hæc vitia facilè iterum possint corrigi; & si rectè eo vtamur, citra damnū ea possit perfici: Videamusque etiam in alia cura, quæ sine eo suscipitur, tum sudatoriis, tum purgationibus, si sinistrè aut violenter illis vtamur, errores quoque plurimos, eosque sæpè maximos committi.

Cæterùm cura hæc quæ per argenti viui externum vsum instituitur, variat primùm, quòd vel eo crudo vtimur & fluido adhuc, vel coctione & mistione fixo & concreto.

Crudo adhuc & fluido argento viuo, ad curationem huius luis frequētissimè inunguntur per Linimenta seu vnguenta, quæ Neapolitana, à morbo hoc sic dicto, vocantur. In quibus parandis, argentum viuum vt commodè inungi corporiq; adhærere, atque in illud operari possit, pinguibus additis axungiis, butyro, oleis & tenacibus resinis & gummi adeò diducitur, vt nulla ampliùs illius vel minima mica appareat, sed totum hisce confusum, solo colore gryseo, quo ea tingit, sufficienter dissolutum esse cognoscatur. Sumuntque ad argentum viuum sic excipiendum, ea quæ simul rarefaciendo cutem, illiusque poros, viam illi ad penetrationem, sudoribusque ad excretionem aperiant, & digerēdo quoq; aliquid de eo quod ad cutem peruenit, absumant. Quantitasq; in hisce rectè distribuendis, hæc ferè obseruatur, vt Argenti viui ℥.iij. cum materiæ illius ℔.j. excipiantur, quæ media erit argenti viui, pro decenti actione edendâ, in corpore non nimiùm debilitato, quantitas, quam & augere vel minuere pro ratione consti-

tutionum atque operationis modo licebit.

Hoc pacto sequens parabitur in genere conueniens inunctio: ℞. Argenti viui ℥. ij. crudi vel priùs nonnihil rectificati succo Limonum vel Sputo, Axungiæ porci recentis non salitæ, repurgatæ priùs à pelliculis, & fusæ, addendo & tertiam partem, si placet, Axungiæ gallinæ, Anatis vel Anseris vel Butyri recentis quartarium j.ß. Resinæ puræ & claræ abietinæ vel pini lotæ in Aqua vitæ ℥.j. pulu. Thuris, Mastiches ana ℥.j. olei Laurini ℥. ij. olei Chamomelini, Anethini vel Liliorum aut Rosacei ana ℥.j. Ceræ parùm, fiat Linimentum. Agitando primùm argentum viuum cum resina in mortario, additâ tandem & axungiâ, donec omnino dissolutum sit, postea miscendo olea, in quibus cera dissoluta sit, postremò & pulueres.

Ad odorem vnctuosum huius vnguenti aliquo pacto corrigendum, addi potest olei Spicæ ʒ.j. vel plus, cùm ad penetrationẽ admodùm iuuet. Cuius odor vehemens, cùm curam hanc per vnguenta fieri interdum prodat, illud quidam omittere, qui eâ vtuntur, malunt. Additur & Storax liquida melioris odoris, tum resolutionis gratiâ.

Ad venenatam hanc vim vel educendam vel infringendam, Theriacam vel Mithridatum ad ℥.ß. hisce vnguentis permiscent, quæ cùm non commodè cum vnctuosis illis misceantur, & vires suas non extrinsecùs admota, sed assumpta, exerant, nescio quo successu id fiat.

Si cum doloribus circa ossa & caput potissimùm ostendat hæc lues, sic fieri poterit: ℞. Argenti viui, Axungias, Resinas & Gummi, vt in priore, adde medullæ Cruris vituli vel alterius ℥.j. oleorũ Irini, Cheirini, Lumbricorum vel Vulpini, Laurini ad ℥. v. pulueris radicis Ireos, Hermodactyl. baccarum Lauri ana ʒ.j. Euphorbij ℈.j. Ceræ q. s. fiat Linimentum.

Vt magis penetret, & odoris causâ oleum Spicæ, Storax, calam. & liquida, Ladanum addi possunt. Et maioris penetrationis causâ oleum Terebinthinæ ad ℥.ß. vel Petroleum, quod tamen ob grauem odorem alij recusant.

Aliàs, & vt ampliùs neruoso generi approprietur: In oleis prædictis antequam misceantur, succi ad consumptionem vsque ipsorum decoquuntur; vt succus Rutæ, Ebuli, Saluiæ: Aqua item vitæ & Vinum.

Si cum pustulis & vlceribus se offerat hęc lues, adduntur siccantia quædam, quæ tamen vnguenta, si horum validorum permistione admodùm siccent, quia sudores impediunt, non statim ab initio, sed post illorum quæ rarefaciunt vsum, tandem administrari debent. Fiuntq; hoc pacto: ℞. Argentum viuum, Axungias, Resinas, Gummi, vt in priore, addendo Laurini, de Lateribus ana ℥.ij. olei Hyperici ℥.j. Myrrhæ ℥.ß. Lithargyrij, Cerusæ ana ʒ.ij. cineris Sarmentorum ʒ. ß. Ceræ q. s. fiat Vnguentum. Oleum Iuniperi loco Spicæ ad ʒ.j. addi poterit, & succus Fumariæ, Lapatij, Bryoniæ in oleo decoqui.

Efficacissimum erit, si Cinnabaris vel Minij ʒ.ij. addas. Alij Æruginem æris similiter addunt ad ʒ.j. vel etiam Sublimatum. Sed hæc tutiùs, vt in illis dicetur particularibus vnguentis, immiscentur, quæ solùm illic vbi vlcera vel pustulæ sunt, adhibentur, cùm vndique illinere non adeò conueniat.

Horum vnguentorum loco sumuntur interdum vsitata quædam, & ad ℔. j. illorum Argenti viui ℥. ij. permiscentur, & sic vsurpantur. Veluti ex vnguentis quatuor calidis applicatis communiter, Dialtheæ, & in doloribus Martiatum, Aregon Agrippæ; Vel ex aliis in scabie, Enulatum.

Aliud: ℞. Argenti viui ℥.ij. Thuris, Mastiches ana ℥. ß. Axungiæ porci, Butyri ana quartar. j. olei Laurini ℥. iiij. Salis ℥.j.ß. Aluminis vsti, Tartari vini albi ana ℥.ß. Aquæ vitæ ℥.j. misce, fiat Linimentum, cui in vlceribus Litharg. & Cerusæ ana ʒ.ij. addi possũt.

Sunt qui sine argento viuo ex solis Vnguentis quatuor calidis & oleis, additâ Theriacâ & Mithridato, item pulu. Hellebori vtriusque, Cucumer. asin. Euphorb. Æruginis æris, eiusmodi vnguenta, ad curationem huius luis parare se posse prædicant: quæ tamen, vt & ipsimet fatentur, plerisque non sufficiunt.

Alij etiam ex Argẽto non crudo, sed sublimato, vel in Cinabrium dictum, permistione Sul-

ne Sulphuris redacto, cum axungiis, resinis & cerâ exceptis atq; Aquâ vitæ additâ, eiusmodi vnguenta parata, aliquid proficere posse putant. Quæ tamen cautè non adeò tuta sunt.

Simplicissima aliqui hæc parant, ex Argento viuo cum axungia, alij etiam cineres Sarmentorum addunt. Alij ex argento viuo cum Terebinthinâ & Aquâ vitæ. Quæ omnia rectè misceri & cautè adhiberi debent.

Vsus autem harum inunctionum hic est. Inungitur illis æger nudus, in conclaui calefacto ad fornacem vel focum, aut stuphâ, in extremitatibus, manibus, pedibus maximè, in volis & plantis, deinde in spinâ dorsi, sensim ab inferioribus sursum ad ceruicem eius ascendendo: item in emunctoriis sub axillis & circa inguina, & in iuncturis; nullibi pectus aut caput tangendo. Fiatque hoc matutino tempore semel in die vel bis, manè scilicet & vesperi, si vires constent, vel vno die semel, altero bis. Sic inunctus linteaminibus calidis obuolutus, in lectum calefactum collocetur, illicque bene tectus quamdiu ferre poterit, sudet. Et si sudor difficulter erumpat, lagenâ aquâ feruente plenâ, vel puluinis plumeis, vel nucleis cerasorum aut leguminibus, vt calorem diutiùs retineant, repletis, pedibus & sub axillis appositis, aut lateribus aut silicibus calidis sudor prouocetur, aliisve partibus. Atque ita quamdiu commodè sudorem ferre poterit, aut horam vnam cum dimidiâ, vel vltrà sudet, posteaque eum abstergat, linteaminibusque mutatis sensim se recolligat, & posteaquam surrexerit, parumque deambularit, cibo se reficiat. Continuetque eiusmodi inunctiones ad dies octo vel decem, vel pauciores, desistendo cùm expuere incipit, osque affici, quod nisi prædicto tempore fiat, vnguentum Argento viuo denuò addito, fortius reddendum, vel bis in die, si hoc non priùs factum fuerit, inunctio, donec hæc in ore vitia superueniant, repetenda, quibus dein emendandis cura erit adhibenda, ægerque ritè donec & dolores & vlcera pustulæque abeant, gubernandus, & postremò vt à sordibus ab vnguento relictis expurgetur, in laconico sedens & sudans, lixiuio diligenter abluendus, sensimque aëri, temperatiori tamen, ab initio, assuefaciendus.

Viuendi rationem quod attinet, in aëre calido quãtum fieri poterit inclusus se contineat. Cibo vtatur euchymo, simplici & moderato. Potus loco, vinum debilioribus, & quando vires deficere incipiunt, conceditur: aliis verò vel dilutum, vel aqua, in cuius ℔.iij. Guaiaci ℥.ij. decoctæ fuerint.

Euacuationes per purgationes generales & venæ sectionem, si opus sit, antequam inunctiones inchoëntur, præcedant: nam corpore bene purgato, cura faciliùs succedit, quare & interdum intermediis diebus, quibus ab vnctione cessabunt, purgationes, maximè si constipati sint, reiterabuntur, eo modo sicuti in purgantibus exposuimus.

Alio modo inunctiones hæ quoq; in delicatioribus vsurpãtur, & certis duntaxat partibus adhibentur, sed cura tunc diutiùs protrahitur, neque semper succedit. Vt si iuncturæ tantùm inungantur, vel saltem spina in renum regione, continuando quandoque semel indies vel bis, vti de generaliori inunctione dictum est: Idem tamẽ regimen obseruando.

Aliàs volæ tantùm in manibus & plantæ pedum inunguntur, nec dum alia corporis pars, cum debito quoque regimine. Quæ ratio inungẽdi minùs ægris molesta est, minusque curam huius luis detegit, cùm adhibitis chirothecis inunctionem in manibus celare possint, eoque magis, si in aërem liberum egredi, quod illis tempore calido interdum permittitur, & se exercere, quod ad sudorem eliciendum illis conuenit, possint, domumque inde reuersi, sudori cæterisque quæ requiruntur, operam deinceps dare queant.

Quæ vnguẽta non alio modo quàm priora parantur, sed auctâ Argenti viui quantitate, efficaciora reddenda.

Ex crudo Argento viuo etiam emplastra, quæ ipsis applicantur, ad curationem huius luis fiunt. Vel in forma communi, aut Cerati vel Sparadrappi, quo nomine linteũ pannum hisce imbutum vocant. Vsurpanturq; hæc rariùs, & tantùm ferè in illis, qui deli-

catiores cùm sint, inunctiones respuunt, quia maiorem molestiam adferunt; & vt diligentiùs inclusi maneant, requirunt, & potiùs hæc emplastra, quia tunc illis, vti dicetur, libertas maior conceditur, gestare cupiunt. Verùm cùm hæc tardiùs quàm vnguenta, quæ illis fortiter inuncta, penitiùs imprimuntur, operentur, cura, si hæc sola vsurpentur, nisi plus argenti viui, quàm vnguenta recipiant, diutiusque illis vtantur, vix succedet, vel imperfecta erit; Quod si fiat, neque emplastrorum vsu expuitio vel oris vitia sequantur, inunctionibus vel suffitibus postea adhibitis ea promouebuntur, tuncque emplastra hæc, etsi morbum non penitùs sanent, tamen vt citiùs reliqua curam perficiant, efficient.

Præparantur autem hæ applicationes, ex eadem vnguentorum dictorum materiâ, auctâ ampliùs quàm in illis ad ℥.ß. vel vlteriùs argenti viui quantitate, prout operationem succedere videbimus. Cui & Cinnabarim & Sublimatum aliqui miscent. Hæcque in ceratum Ceræ, vel emplastrum Resinæ permistione formant, quæ supra pellem tenuem, alutam dictam, extendunt: vel dissolutis illis, pannus linteus pro Sparadrappo vocato parando, aliquoties intingitur.

Vel sumunt alia emplastra vsitata gummata, quæ non argentum viuum recipiunt, vt Ceroneum, de Meliloto, emplastrum filij Zachariæ, Diachylon ireatum, illisque Argenti viui eam quantitatẽ, quæ in vnguentis dicta fuit, maioremq; adhuc permiscent, sicque adhibent.

Est & aliud vsitatum ceratum vel emplastrum cum Argento viuo paratum; Vigonis ab autore vel Ranarum, quia eas simul recipit, dictum; quod etsi particulatim illic vbi dolores maximè vrgent, adhiberi soleat, tamen & generatim ad curam huius luis, quę per emplastra fit, vsurpari potest, auctâ Argenti viui & Euphorbij quantitate. Quod ℞. præter argentum viuum, pinguedinem porci & viperæ (cuius loco serpentis sumere possumus) terebinthin. thus, euphorbium, styracem liquidam, ceram, oleum chamomel. anethinum, liliorum, laurinum, de spica, de croco, (cuius loco oleum iuniperi substituere possumus) succos ebuli, enulæ, vinum, herbam matricariam, flores stœchados, schœnanthi, lithargyrij, ranas, lumbricos.

Vsus horum emplastrorum talis existit; Applicantur linteis latis vel alutis, vti dictũ, excepta, iisdem in locis, quibus & vnguenta, veluti manibus & pedibus, quibus obuoluuntur. Item emunctoriis; dein & spinæ longitudini, illicque fasciis vel vestibus interdum indutis retinentur, aliisve artibus & subligaculis. Sicque continuò dies noctesque gestantur, atque tertio vel quarto die renouantur. Interea vt sæpè sudent, præsertim dum in lecto quiescunt, opera danda, hacq; ratione donec signa in ore appareant, procedendum.

Interea viuendi modum eundem, quem dum vnguẽtis vtuntur, vti & decentes purgationes obseruare debent: conceditur tamen ipsis, cùm cura diutiùs protrahatur, ipsique hanc potiùs alicuius libertatis consequendæ causâ, sibi elegerint, vt aëre sereno & calido, progredi in publicum aliquando possint, sicque deambulare aliquandiu vel equitare, quod eò minùs curam ipsorum retardare poterit, cùm prodeuntes nihilominus emplastra ipsis adhærentia, secum circumferant.

Paucioribus sedibus, vel etiam solis volis manuum & plantis pledum hæc emplastra apposita, aliquid interdum quoque in cura moliuntur. Quâ ratione indutis chirotecis & tibialibus, hæc emplastra retinentur; & ne pateliant, luemque hanc prodant, celantur. Quæ & minùs cognoscitur, si simul cum aliis conuersari illis liceat, nec dum feclusi ab hominum cõsortio arceantur, quod illis ferè liberum permittitur.

Sed & hæc paucioribus sedibus admota, vel etiam solis volis manuum & plantis pedum, quod minori labore fit, sed diutinum tempus requirit, idem in tenerioribus corporibus interdum efficiunt.

Non crudo & fluido adhuc Argẽto viuo, nec simplici, sed permisto & coctione fixo & concreto, ad curationem huius luis etiã vtimur, idq; duplici ratione sic præparando, vel cum additione Sulphuris aut Chalcanthi.

Cum

Cum Sulpure Argentum viuum coquendum, vrendumque donec in glebam ruberrimam redigatur, quam Cinnabarim vocât, quòd Cinnabari natiuo, quo nomine Minium natiuum etiam appellant, colore, hæc cinnabaris artificialis respondeat, ita præparatum, ad curationem huius adhibetur, non per illitionem, vti cùm crudum est, sed per illius accensi fumum, quo corpus suffumigatur. Nam cùm facticia hæc Cinnabaris, argenti viui vim & efficaciam, quâ in luem hanc agit, adhuc seruet, cùm vritur, ob admistum sulphur, fumum copiosum magisque penetrantem reddens, dum nudum corpus tangit, illique se affigit & insinuat, æquè efficaciter atque cùm Argentum viuum inungitur, operatur, atque expuitiones, quæ oris sequuntur vitia, promouet, luemque hanc abigit; & proin per hasce suffumigationes hanc luem frequentiùs quàm per inunctiones nostri chirurgi sanare solent. Vel etiam si quæ reliquiæ illius, post curas alias priùs adhibitas, remanserint, hac suffumigatione eas penitùs tollunt.

Huic autem ad suffimigia eiusmodi excitanda, alia insuper quæ præsertim tetrum illius odorem, quem Cinnabaris reddit, corrigunt, permiscent. Quæ in puluerem simul redigunt, qui carbonibus ad fumum faciendum inspergitur, vel Resinâ exceptus, aut infusione Gummi Tragachanti in trochiscos formatur, qui prunis pro suffimigiis imponuntur. Obseruatâ in hisce eâ Cinnabaris quantitate, vt ℥. j. illius, pro vnâ vice vsurpetur, quæ media illius erit quantitas, quam augere minueréve, consideratis circumstantiis, vti & in aliis diximus, licebit.

Tale igitur suffimigium pro octo vicibus, ne opus sit toties repetere, paratur simplicissimum: ℞. Cinnabaris ℥. j. Thuris solius, vel cum media parte Masticheś ℥. iij. fiat puluis; Vtatur ℥. ß. pro vnâ vice; vel excipiatur Resinâ aliquâ, Terebinth. dictâ, quæ copiosum fumum reddit, aut infus. gummi Tragach. & fiant trochisci pro octo vicibus ad vsum quoque distribuendi.

Vt odorem adhuc gratiorem acquirat: ℞. Cinnabar. ℥. j. Thuris vel Masticheś ℥. j. ß. Benzoini ℥. vj. vel plus & tunc minùs thuris accipiendum, Storacis calam. ℥. ß. Ladani ʒ. ij. Ligni Aloës vel Santhali albi odor. ʒ. ß. fiat puluis: Vtatur ℥. ß. pro vnâ vice.

Addi possunt & alia odorata gummi vel aromata, vt Gariophylli, Cinamomum, Nux moschata, aliáve.

In vlceribus primo vel secundo pulueri, Myrrhæ ℥. ß. commodè additur; confert & Succinum. In prauis vlcerib. etiam validissimè siccantia miscentur: veluti Antimonij ℥. ß. Cadmiæ fossilis ʒ. ij. Vitri Veneti ʒ. j.

Interdum adhuc efficaciora in robustioribus, veluti Auripigmenti ʒ. j. vel Argentum viuum præter Cinnabarim aliter etiam præparatum, vt Sublimatum vel præcipitatum ad ʒ. j. Hac cautione tunc adhibitâ, ne fumũ naribus quoad fieri poterit, hauriant.

Theriacam aliqui vti inunctionibus, sic etiam hisce suffimigiis permiscentes, venenum hoc sic se reprimere posse, quoque existimant. Verùm cùm vrendo vim amittat, vti vix in inunctionibus, licèt non ita corrumpatur, aliquid agere potest, sic hîc nihil adiumenti adferre posse, putamus.

Administrantur suffimigia hæc sequenti modo: Collocatur æger exutus in locum aliquem angustum, conclusum, calefactum, & diligenter ab aëre externo munitum. Qualis esse potest hypocaustũ paruum, pro balneo sicco vsurpari solitum. Vel solium seu labrum ad idem paratum, inferiùs ligneum & superiùs stramineo camerato obtectum, vel alio ex fulcris & pannis illis obuolutis confecto, vel tentorio ex solis pannis concinnato. In hoc sedens æger, fumũ qui puluere carbonibus ardentibus ibi collocatis iniecto, vel trochiscis impositis excitatur, totumq; locum adimplet, nudo corpore excipiat, sola facie, vt eum diutiùs ferre queat, extra locum illum aliquousque exertâ, sed ita pannis capiti obuolutis munitâ, ne aër subintrare queat, quæ tamẽ circa finem, vt hæc fumum aliquo pacto percipiat, intrò rursum retrahi, illicque parumper quoq; retineri debet. Atque ita quandiu æger eiusmodi calorẽ fumumq; virib. non labentibus pferre poterit, in tabernaculo hoc morã trahere, sudoriq; qui interea emanat, operã dare debet. Quo tẽpore exacto, linteaminibus calidis

calidis obuolutus, ex loco isto, in aliud conclaue, hoc fumo minimè infectum, non tamen procul ab eo dissitum, ne diutiùs dum locũ mutat, aëri se exponere cogatur, transferendus, ibique in lecto calefacto repositus, vti in inunctionibus quoque fieri debere docuimus, adhuc ad tempus aliquod vsque, quamdiu vires permittunt ei, sudandum. Alia suffumigandi ratio in delicatioribus, minori molestiâ perficitur, si iuxta caminũ inclusum peripetasmate hoc fiat, cùm fumus tunc non adeò inclusus hæreat, sed per caminum mox exhalet, ægerque liberiùs in eo spirare queat. Et adhuc faciliùs eum perferet, si in lectum rectà collocatus æger, fumum in vase, quod exactè occludi potest, extra lectum posito, excitatum, per canalem ab eo vase sub stragulis ad ipsum vsq; transeuntem, corpore nudo excipiat, illicq; occlusum retineat, capite interim è lecto prominente, & sub finem solùm, vt & illud suffimigetur, reducto atque aliquamdiu retento.

Eiusmodi autem suffimigandi modi indies semel tantùm, vel si debilior sit ęger, alternis diebus administrantur, aut si vires deficere incipiant, cessando per dies aliquot, postea vbi se recollegerit, rursum repetuntur, idque siue continuatis vicibus seu interpolatis fiat, tamdiu continuando, donec expuitio & in ore superuenientia accidentia, desistendum esse, nos admoneant; quæ postquam decies suffumigati fuerint, nonnunquam & citiùs ferre eueniunt, aliàs verò nisi pluries hoc fiat, vix succedunt.

Viuendi ratio eadem, quę dum inunguntur, instituitur. Reficiendi tamen cibo & potu frequentiùs, cùm suffimigiis plus quàm inunctionibus debilitentur, & cibi abstinentia non tantum hîc opituletur, quantum verò virium prostratio nocere potest. Purgationesque, vt in inunctionibus, interea adhibentur.

Cum Chalcanti additione atque aceti, argentum viuum in Sublimatũ (sic quia cùm præparatur, vi ignis in sublime eleuatur, operculoq; accrescit, appellatum,) redactum, ad curationem huius luis extrinsecùs quoq; adhibetur, cũ liquore aliquo dilutum. Quo liquore extremitates corporis, veluti tibiæ & brachia illinuntur & madefiunt, Lauatoriaque dicta ex eo sic parantur. Nam cùm sublimatum corpori sic affigitur, quia adhuc argenti viui vires retinet, easdem perinde in lue hac sanandâ exerit, ac si inungeretur vel suffimigaretur, sicq; expuitiones, vnde etiã os vitiatur, prouocando, luem hanc sanat. Atque vi insuper acri, quam mistione chalcanti atque sublimatione hac adipiscitur, cutem adurens vesicasque excitans, sic quoq; in dolentibus præsertim vel nodosis locis illitum, venenum hoc euocando, operatur. Et tandem sic vel sola vsurpata, hanc luem sanant, doloresq; præsertim & nodos tollunt: Vel si per alias curas hæc non cedant, ea penitùs extirpant.

In hisce autem Lauatoriis parandis, Sublimati huius Mercurij, vt vocant, quantitas idonea & media erit, si ℥.j. illius cum liquoris alicuius ℔.ij. permista sit, à quâ prout operabitur, ascendere descendereve augendo minuendòve mercurium, licebit.

Hac itaq; ratione per decoctum ablutio talis fit: ℞. Mercurij sublimati ℥.j. Aquę communis vel de sequentibus, vt Rosarum, boni odoris causâ, vel Scabiosæ, Fumariæ, Maioranę, Saluię, &c. ℔.ij. Vini albi ℥.iiij. vel Aquę vitæ ℥.ij. bulliant parũ & seruentur ad vsum.

Vel: ℞. Mercurij sublimati ℥.j. Aluminis vsti ℥.ij. Lithargyrij & Cerusæ ana ℥.j. Aquæ vitæ ℔.j.ß. Aquæ alicuius ℔. iij. coquantur ad vsum.

Infusio pro Lotione: ℞. Mercurij sublim. ℥.j. Aluminis ℥.j.ß. Lithargyrij, Cerusæ ana ℥.j. Aquæ vitæ ℔.ij. seruentur in maceratione in vitro bene obturata.

Aliter sic per decoctionem fit: ℞. Mercurij sublimati ʒ.j. Arsenici ʒ.iiij. Euphorbij ʒ. ß. Aquæ rosarum vel alterius & Aquæ vitæ ana ℥.xj. bulliant in vase vitreo parumper.

Vtimur eiusmodi lauatoriis hoc pacto: Madefiant tibiæ, panno in hisce intincto, & illinantur à genu deorsum, & brachia à cubito antrorsum, repetitis aliquot vicibus, idque manè nonnunquam & vesperi in calore, iuxta focum vel fornacem: Perseuerando ad decem vsq; dies, donec quoq; accidentia in ore cum expuitione superueniant.

Guberneturq; æger interea eo modo, vti cum

cum inunctionibus vtuntur, fieri debere, dictũ est: Contineatq; se in loco calido, sudetq; noctu. Cibo vtatur exquisito & Potu conuenienti: Purgeturq; & ante harum lotionum vsum, & dum illis vtitur, corpus decenter.

Per exhibitum introq; sumptum argentũ viuum, hanc luem quoq; sanari posse, experientia similiter docuit, tum si crudum, tum coctione & vstione calcinatum propinetur.

Crudum assumptum, non aliis viribus, quàm quibus cùm extrinsecùs adhibetur, luem hanc sanare, ex eo patet, quòd nullas alias euacuationes manifestas, nec per sudorem aut aluum, sed saltem eam quæ per os fit, expuitionem scilicet, vt cùm foris admouetur, moueat, nec priùs, quàm hæc orisque enarrata vitia superueniant, eam curet: Et proin cùm hoc idem extrinsecùs admotum faciat, & si in corpus sumatur, noxam illi aliquam inferre existimetur, non temerè aut frequenter curandi hæc ratio suscipiẽda, nisi fortè inueteratâ lue, quando cætera præmissa nõ iuuant, aut quia minori labore & sumptu cura sic perficitur, aliqui eâ vti malint. Quod minori fiet periculo, si diutiùs in corpore non hæreat, vti ferè sponte, dum crudũ adhuc sumitur, pondere suo & lubricitate deorsum ad exitum properat, nec diu subsistit, vel aliis simul, vti dicetur, admistis eò propellitur: Vt sic ventriculum & intestina alioquin sordibus obducta, non tàm facilè posit lædere, & nihilominùs tamen breui hac morâ suas vires exerere.

Sumatur autem, cùm eo vti volumus, argentum viuum crudum, pro vnâ vice, à granis sex vel octo ad decem vsque, & additis quibus exactè dissolui queat, illis quæ, vti dictum, excretionem illius per aluum accelerent, cùm sponte aluum vix moueat, in formam pilularum quas Mercuriales ab eo vocant, redigitur, sicque exhibetur. Idque ferè quotidie, continuando tamdiu, donec in ore calor & fœtor atque expuitio frequens sequi incipiant. Quod ad dies triginta sępè producitur, curaque sic perficitur: Purgationibus generalibus præmissis, vitæque regimine decenti adhibito.

Pilulæ itaq; eiusmodi sic parari poterunt: ℞. Argenti viui crudi ℨ.ß. extinguatur succo Limonum vel Saluiæ, vel Rosarum, aut syrupo Rosarum solut. vel cum Terebinth. adde Agarici trochiscati ℈.ij. fiant pilulæ tres: Capiat quotidie vnam, in plures si nimis magni sit diuisam, post mediam noctem: Quibus absolutis, tamdiu donec signa supradicta appareat, possunt repeti. Aliàs Rhabarbarũ loco Agarici sumitur: Huic compositioni aliqui Opij, gr.j. vel ij. miscent, fortè vt sensum obtundendo diutiùs hęreant, vel sudores simul moueant. Nonnunquã & Ambræ vel Moschi grana aliquot addunt, vel olei Cinamomi guttam, iuuãdi odoris & cordis recreationis gratiâ. Quo nomine, vti & quod aurum argenti viui sit antipharmacũ, maximè verò splendoris & prætij causâ, hæ pilulæ foliis auri obducuntur.

Alia compositio sic fit: ℞. Aloës ℥.j. Rhabarbari vel Agarici ℨ.ij. Masticheś ℨ.j. Argenti viui extincti cum Terebinthin. ℨ.ij. vel iij. cum syrup. Rosarum solut. fiat massa, cui & supradicta odorata misceri possunt: Capiat de hac ℈.j. vel paulò plus, si nullus à prioribus successus.

Aliàs catharcticis validioribus additis, has pilulas, vt & aluum efficaciùs subducant, efficimus, quæ tunc propter argentum viuum non solùm viribus illi innatis, vti dictum, sed & admistione purgãtium, corpus sic expurgando luem hanc curant, & si deiectiones frequentes & copiosè sequantur, vt minùs expuitio orisque vitia postea sequantur, procurant. Quod fiet si eiusmodi pilulas vel cõtinuatis aliquot diebus, si ferre posint, vel saltem alternis intermediis diebus, tunc Theriacam propinando, assumant.

Fiuntq; hæ tali modo: ℞. pilularũ ex Argento viuo, rhabarbaro, agarico & mastiche paratarũ, in euacuatione quæ per os fieri debet, descriptarum, quibus adde Scammonęę vel Colocynthidis præpar. ℨ.ij. Detur ℨ.ß. pro vice.

Vel hisce vtatur: ℞. pilularum Cocchiarum, Fœtid. an. ℥.ß. Rhabarbari, Agarici an. ℨ.j. Argenti viui extincti cũ Tereb. ℨ.iij. cum syrup. Rosſ. solut. fiat massa: Capiat ℈.j. vel ℨ.ß. prout operabitur.

Non crudum argentũ viuum sed calcinatum, hoc est veluti in calcem redactum,

seu vti vocant Præcipitatum, ac si in fundum vasis, cui adhæret, vi ignis dum coquitur, præcipitaretur, vel potiùs, vt puto, quia subitò & violenter aluum mouens, deiectionem veluti præcipitat, ad curationem huius luis quandoque exhibetur. Quod tunc non viribus innatis, vti cùm crudum adhuc remansit, quas vstione ex parte amittit, sed nouis inde acquisitis, quibus violenter naturam irritando, deiectiones vehementes cõcitant, perficit, nec dum expurgationes illas per os mouendo, sed purgando tantùm, luem eâ ratione, sicuti etiam ex solis purgãtibus, eam sanari posse, priùs docuimus, profligat: Idque non longo tempore, vti verò alia purgantia, vsurpatum, sed breuissimo, vt bis terve vix vltra propinatũ, vnde copiosus & alui fluxus & vomitiones simul concitantur, aliquãdo & sudores vrinæq; promouentur, morbusq; breui spacio veluti miraculo, non tamen sine periculo, abigitur.

Modus autem præcipitandi seu calcinandi ad hunc vsum sequens existit: Sumuntur Argenti viui ℥.ij. Aquæ fortis ℥.iij. mista hæc per diem vnum aut duos sinuntur in vase vitreo, donec in fundo calcis instar subsideat, è quo liquor innatans per inclinationem sensim effunditur, donec remanẽtia sicca euadat; vel humiditas illa per vas igni impositum eliciatur: Vel coquendo hæc inuicem donec lapidescant, absumatur. Hoc illóve modo materia illa concreta reddita, puluerisetur, & in crucibulo super ignem, per horam vnam vel ampliùs, continuò bacillo puluerem illum agitando, calcinetur, hoc est in formam calcis redigatur, minij instar rubescentem, quem puluerem Præcipitatum vocant.

Sumiturque sic præcipitati Mercurij puluis, atque infunditur in aquis Rosarũ, Plantaginis vel Scabiosæ, Betonicæ aliísve, & lento igne vel in balneo Mariæ sensim coquitur, donec omnis aqua euaporet, siccusq; relinquatur puluis. Hunc denuò in vase testaceo calcinabis. Hic puluis conseruâ aliquâ idoneâ, vt Rosarum, vel pulpâ conuenienti, vel Pomorũ exceptus, in massam redigitur: Deq; illa pilula vna pisi minoris maiórisve magnitudine manè propinatur. Sunt qui puluerem aliquem stomachicum vel Cordialem simul addunt, vel Theriacam vel cum confect. Alkermes dant.

Alij maiore studio & labore præcipitatum vt minùs noxium sit, elaborant, atq; vti vocant, rectificant, variis artibus. Primumq; illud in aquâ calidâ lotum, vt aiunt, viuificant, deinde in Aceto quater destillato illi 3. vel 4. digitorum altitudine superinfuso, in vase vitreo bene cooperto per quatuor horas coquunt, acetumque postea ab eo per inclinationem in aliud vas effundunt, seu vt aiunt decantant, nouoque affuso denuò sic coquunt, separantque, idque tertiò, postea acetum tribus hisce vicibus collectum, in balneo Mariæ, donec totum euaporet atq; exstillet, coquunt, remanentiamq; salis instar in fundo hærentem colligunt, rursumque in aqua pluuiâ coquunt, & postquam subsederint, quod clarum innatat, effundunt, & in balneo Mariæ denuò, donec tota absumpta fuerit, excoquunt, massamque remanentem seruant, eoque præcipitato, vti de priore dictum, tanquam tutiore vtuntur.

Alij plus adhuc laboris impendentes, massam hanc Spiritu vini macerant, seu vt vocant, digerunt, & per retortam destillant, alioque modo rursum exiccando in puluerem rubrum cogunt: Cuius granum j. in vino exhibitum, mirabiliter in lue hac sananda præstare, docent chymici.

Purgantibus, Mercurio præcipitato simplici ratione parato, additis, pilulas formatas aliqui exhibent, admiscentes illi Rhabarb. folia Sennæ, Scammoneam, alij quoq; Helleborum, Crocum item & cum Amydo contemperantes, & succo Limonum subigentes, pilulas formant, atque vnam continuis pluribus diebus exhibent.

Quæ omnia cùm sanè non sine periculo fiant, cautè admodùm erunt tentanda, & nonnisi tanquam extrema remedia in vltimis necessitatibus vsurpanda, nec cuiuis temerè vt præparentur, communicanda. Quibus cùm vtimur, ægrum ne animo deficiat, reficientibus remediis intrò forisq; administratis refocillabimus, & si dysenteriæ, ne suboriatur, metus sit, vti in dysenteria dictum, occurremus.

Parti-

Particularis cura quæ accidentibus & vitiis ab hac lue profectis separatim accõmodatur, pro diuersitate horum instituitur.

Dolores circa ossa nuda in tibiis, homoplata, circa clauiculas, in scapulis, in capite, frontem & tempora, erumpentibus interdum simul & nodis, in eâ specie luis quam Gemmy vocant, si post curam huius luis generalem, licèt integrè ac sufficienter administratam, nihilominus persistant, ægrumq; molestent, horum causâ certa ipsis accommodanda erunt remedia, quæ nisi iuuent, cura generalis de nouo erit repetenda. Quæ autem priuatim horũ dolorum causâ vsurpantur, sunt sequentia.

Vnguentum quod in generali cura huius luis, quæ cum doloribus potissimùm se offert, pluribus sedibus inunctum, conuenire descripsimus, si inde non cessent, postea certis tantùm partibus dolentibus inunctum, proderit. Vel si Cerâ additâ ceratum ex eo formatum, fronti vel capiti, frontalis aut cucuphę instar, aut aliis sedibus dolentibus applicetur, illudque continuò sic gestetur & nonnunquam mutetur.

Vel emplastris, ceratis, telis emplastratis, in curâ generali propositis, eo pacto hisce sedibus admotis vtatur, tam ex vnguentis, vti illic dictum, paratis, quàm ex emplastris vsitatis, illic nominatis, vel etiam aliis similibus, vt Calidis 4, vel Diuino, de Gratiâ Dei, de Betonicâ, addito illis Argento viuo, sicuti illic docuimus, concinnatis. Quibus & hîc Euphorbium, Castoreum, radic. Hermodactyl. Iridis, Pyrethri, Hellebori, aliáve calida & arthetica misceri possunt: Inprimisque vsitatum illud ceratum de Ranis vel Vigonis ab auctore vocatum, ad eiusmodi dolores, nodosque illis comites tollendos, summè conducit.

Confert & Ceratum quod nodos absumere diximus, dolentibus hisce sedibus, in quibus & nodi hi præsertim se offerunt, admotum.

Excellens aliud magno successu à me sæpè vsurpatum sic fit: ℞. Argenti viui ℥.iij. agitentur cum Tereb. lotæ in aquæ vitæ ℥.j. addendo Axungiæ porci, medullæ Cruris vituli an. ℥.j.ß. ol. Liliorum, Chamomel. Anethini, Laurini, Lumbricorum vel Vulpini an. ℥.ß. ol. Spicę vel Terebint. ʒ.ij. Euphorbij. Thuris an. ℥.ß. Styracis liquidę ʒ.vj. pulueris Hermodactyl. ʒ.ij. Castorei ʒ.j. Ceræ q.s. fiat Ceratum. Oleum Guaiaci inunctum dolores hosce admodum compescere docent.

Lauatoria ex Argento viuo sublimato, dolentibus partibus in tibiis pręcipuè admota, dolorem maximè compescunt, atque in hac luis specie cum doloribus & nodis interdũ se offerente, tum ad curam generalem, tum particularem, si generalis non sufficiat, locũ potissimùm obtinent. Quorum descriptio in cura generali fuit exposita.

Aliis quoq; sine argento viuo paratis fomentis & vnctionibus hosce dolores mitigari posse docent, eaq; proinde adhibẽt, tum quæ moderato calore anodyna esse dicuntur, tum quæ admodùm calefaciendo, neruoso & membranoso generi, sunt appropriata. Verùm cùm calore & actuali & potentiali, dolores isti à lue hac contracti, secus atque alij potiùs irritentur atq; increscant, sicuti in signis huius luis demonstrauimus, non solũ nullo leuamine, sed potiùs cũ molestiâ maiore, quæ sequitur, hæc adhibentur, nisi huius luis antidotum summũ, Argentũ nempe viuum illis additum, illorum vires augeat.

Præter hæc, in eiusmodi doloribus persistentibus, corpora frequenter pilulis, potionibus, aliísve purgantium formis, in capitis atq; articulorum aliis doloribus in habitus corporis doloribus descriptis, de nouo purgare, plurimùm conueniet: quibus solis interdum vsurpatis, remanentiæ hæ dolorum extirpantur: Aliàs cæteris localibus iuncta, ambo vt citiùs desinant, mutuis viribus agunt. Quibus cùm vtimur, quæ & capiti & membris robur addunt, interpolatis vicibus quoque exhibentur. Et si caput doleat, particulares euacuationes per caputpurgia, aliaque simul instituuntur.

Sed & sudorum prouocatio, per decocta ad generalem curam faciendam destinata, bibita, atque aliquoties repetita, dolores hosce post curam relictos, interdum tollunt, maximè si purgationes atque alia quoque externa adhibeãtur. Ad quos potentiùs euocandos, & reliquias hasce abigendas, aquæ

stillatitiæ, hîc quoque propinatæ, egregiè opitulantur. Qualis est quæ ex decocto Guaiaci elicitur, vel composita illa Theriacalis in cura generali, quę per potiones fit, descripta, quæ in hunc vsum potiùs aliquoties, quàm ad totam curam absoluendam, vti illic docuimus, propinatur.

Narcotica, necessitate vrgente, ad dolores compescendos, magno interdum successu propinantur, cùm vti sæpè diximus, præterquam quòd dolores sedent, somnum simul conciliando, sudores prouocent. Atq; innoxiè, sicut sæpissimè obseruauimus, sæpiùs assumi queant. Quo nomine & Theriaca exhibita, tantopere in doloribus hisce, nō solùm sudores mouendo, sed & dolores sedando, prodest. Aliaque insuper narcotica idem plerunque præstantia.

Nodi seu tuberositates, qui in excarnibus quibusdam locis, vt fronte aut aliâ caluariæ, tibiarum nudâ & manuum externâ sede, in lue venereâ erumpunt, si lues hæc perfectè sanetur, plerunq; ferè rursum abeunt. Quæ cura si per inunctiones aut suffimigia fiat, illique nodi simul cum aliis locis inungantur, aut suffumigentur, eò citiùs recedunt. Quòd si verò curatio per exhibita ea, quæ sudores mouēt, instituatur, nodiq; nihilominùs permaneant, tunc si non exactè lues hæc sanata fuerit, per vnguēta & suffitus cura repetēda. Vel hęc sola, si tātùm ex lue alioquin sublatâ hi supersint, illis vt recedant, adhibeantur, auctâ tunc in vnguentis eiusmodi axungiarum & oleorum, gummorumque emollientium quantitate.

Emplastra quæ pluribus sedibus applicata, ad huius luis curam interdum vsurpari diximus, priuatim nodis apposita, iuuant: Et imprimis Vigonis ceratum, quod admodùm eos emollit & absumit.

Vel hoc illis adhibemus ceratum: ℞. gummi Ammoniaci vel etiam aliorum, Oppopanacis ana vnc.ij. dissol. in aquæ vitæ; axung. Anatis, Gallinæ vel alterius ana vnc.j.ß. medullæ cruris Vituli vel Hirci vnc.j. Ladani, Storacis calament. ana drachm.ij. Styracis liquid. drachm.j. puluueris radicis Hermodactylos Ireos ana drachm.iij. Cinnabaris drachm.j. Argenti viui cum Therebint. dissol. drachm.vj. olei Lumbricorum & Ceræ q.s. fiat Ceratum.

Vel coquantur radices Bryoniæ, Cucum. agrestis & Iridis in Vino & contusis ad ℔.ß. misceantur gummi Ammoniacum Galbanum, aliáve dissoluta in Aqua vitę ad vnc.iij. Styracis liquidæ, pinguedinis Vrsi vel medullæ Equinæ ana vnc.j. Argenti viui cum Therebinth. extincti vnc.ij. Pro emplastro.

Vel sumatur radix Bryoniæ nigræ, quam Sigillum S. Mariæ vocant, atque excauata impleatur Mercurio præcipitato, seruetur q; aliquandiu in loco humido, postea exempto rursum Mercurio, è radice sectâ succus exprimatur; atque illinatur.

Lauatoria ex Mercurio sublimato, pro cura generali descripta, particulatim quoque nodis & extuberantiis adhibita, ad ipsorum dissolutionem plurimùm faciunt. Maximè si adeò efficacia sint, vt & vesicas illic excitent, vti ferè facere solent, vel cutem etiam adurant. Quod auctâ Sublimati quantitate, & addito Arsenico, vti in generalibus lauatoriis formulam descripsimus, perficitur.

Spuma quæ dum guaiacum decoquitur, colligitur, nodos etiam discutit, si sæpè eâ lauentur.

Præter hæc nodis luis huius præcipuè accommodatis, alia insuper remedia, quæ alios nodos absumere, in tumoribus eiusmodi ostendimus, efficaciora præsertim ex hisce quoque vsurpari possunt. Vti in illis etiam hæc, quæ ex Hydrargyro parari modò diximus, similiter competere illis, declarauimus.

Imprimisque herbarum narcoticarū folia & radices, sicuti illic dictū, admota competunt. Vti & radix Bryoniæ nigræ etiam sine Mercurio contusa, apposita mirabilem effectum præbet.

Sunt qui in Lixiuij fortis parte j. & Saponis part.ß. Rhabarbarū & Aloën decoquunt, donec in emplastrum redigantur, additaque Cerâ applicant.

Fouentur etiam nodi decoctis emollientibus in scirrhis & nodis podagricorum descriptis, aliisque duritiebus.

Sacculus, Auenâ diligenter coctâ implemus,

tus,calideque applicatus,sępeque repetitus, valde quoque conuenire dicitur.

Amputantur & nodi,si non cedant & impedimentum adferant,vti in aliorum nodorum curâ demonstrauimus. Et si in sede,articulis aut neruis tendinibusque minimè vicinâ existant, vt in capite,aut metus sit ne ossa subsint carie infecta, eo modo etiam vtuntur cauterio actuali, & si caluariæ vel tibiarum media longitudinis pars aliqua infecta sit,vel alterius ossis,nec per vstionem à sanâ abscedat, instrumentis idoneis vel etiã forpicibus vel per treparationem,si in caluaria hoc fiat,portio ossis extrahitur vel aufertur. Quo in caluariâ facto,si menynx nuda appareat,syndone rubrâ antequam emplastra vlceri imponantur, intecta munitur. Dein vlcus vti in capitis vlceribus ostensum, sanatur.

Vlceribus tam externis quàm internis diuersis, in luis huius specie aliquâ,prodire solitis, aliàs si leuiora sint, cura generalis, quâ solâ curantur,sufficit, aliàs verò si altiùs radices egerint, particularis etiam cura, si præsertim deteriora sint,ne partes depopulentur,ossaque vicina vitient,debetur, illisque statim dum adhuc curâ generali vtuntur, si post eam nihilominus remaneat, adhiberi debet.

In externis vlceribus in facie iuxta nasum,labia,vel circa obscœna & podicem,vel in præputio in masculis, vsurpando primùm, si sordida sint, quæ illa munda reddant,si putrida,quæ putredinem auferant,si caua quæ carnem regenerant,indeque cicatrice obducantur. Dein &,si ossa cariosa facta sint,quæ cariem ab illis abradant. Qualia remedia quę & potentia & actu illud pręstent,in vlcerum malignorum curâ,sub quibus & huius luis vlcera comprehensa, copiosè fuerunt proposita: Atque in generali ossium cariei curâ, ea quæ & hîc facienda sunt,abundè declarata.

Conueniuntque inprimis in vlceribus huius luis, quæ argentum viuum vel sublimatum aut calcinatum, seu præcipitatum, aut in cinnabarim redactum, simul cum illis quæ vlceribus accommodantur,recipiũt, cùm hoc maximè, vti sæpè dictum, huic lui aduersetur. Quale illud est in vlcerum curâ descriptum,quod ℞. Argenti viui vnc.j. Terebinth.&c.illudque quod sequitur,crurum vlceribus maximè accommodatum.

Vel quod parari poterit ex Vnguentis etiam aliis illic descriptis,quale est Apostolorum,aliáve, addendo ad ℥.iiij.Argenti viui cum Terebinth.dissol.℥.ß.vel Mercurij sublimati aut præcipitati ʒ.j. vel plus: Vel miscendo Vnguentum generale pro curatione huius luis in inunctionib⁹ descriptum,cum æquâ horum Vnguentorum,quæ vlceribus competunt,proportione: Vel aliud illic quoque descriptum, & pustulis vel vlceribus si adsint,accommodatum,hîc etiam vlceribus post curam relictis,admouendum,atque vti illic docuimus,si putrida sint vlcera,Cinnabaris, Ærugo æris, & si necessitas exigat, Sublimatum etiam ei permiscenda, & si de ossis corruptione metus sit, Myrrhæ dosis ad ℥.j. augenda. Quòd si ossa cariosa iam facta sint,Euphorbiũ simul ad ʒ.vj. addendum, quod corruptas squamas ab osse sano separat & detrahit.

Pulueres rad.Hellebori albi,Agarici,fol. Sennæ, admisti, peruersa ista vlcera admodùm emendant.

Inter cætera quæ ad curationem horum vlcerum faciunt, etiam oleum commendatur Guaiacinum: Item Antimonij, Petroleum & Iuniperinum.

Spumam dum decoctum Guaiaci coquitur, collectam, vlceribusque illitam, ad sanationem illorum quoque prodesse docent.

Interna alia vlcera in corporis cauitatibus in hac lue prodeuntia,licèt & hæc,vt de externis dictum,per generalem curam sanari debeant,tamen & ipsis dum eâ curâ vtimur, vel etiam postea si perseuerent,particularia administrata competent. Quæ non multùm ab illis differunt, quæ aliis eiusmodi locis vlceribus enatis,citra hanc luem,competũt. Nam in narium internis exulcerationibus, eodem modo, vti in narium aliis vlceribus docuimus,procedimus,per errhina attracta vel infusa,pulueres qui insperguntur,fumos naribus hauriendos. Inter quæ illa quæ decocta Guaiaci, Cinnabarim, sublimatum

illic admittere docuimus, peculiariter etiam hîc conueniunt: Suffumigatioque ex Cinnabari facta non tantùm corpore toto excepta luem hanc, sed & tunc quoque naribus attracta, vlcera hæc potenter sanat, sicuti illic quoque demonstratum fuit.

In oris & faucium vlceribus diuersis vti & aphtis, fissuris, excoriationibus, siue hæc à lue ipsa mox prodeant, vel post hydrargyri vsum primùm erumpant, ea, quæ in aliis eiusmodi exulcerationibus, in dolore oris fauciumq; competere diximus, hîc quoque proderunt. Inter quæ & priuata quædã huic lui præcipuè destinata, quarum aliqua theriacam admittunt, recensentur.

In podicis vtriusq; sexus & pudendi mulieris interioribus, vlcera, vti & Condylomata, vtriusque loci frequentiùs luem hanc comitantia, similiter non aliam curam requirunt, quam quæ in doloribus harum sedium exposita, atq; istis, quæ ab hac lue proueniunt, illic quoque accommodata fuit.

In penis interno canali in viris, & ceruice vesicæ, in vtroque sexu vlcera, ardentem & purulentam mictionem, huius luis accidentia, interdum procreantia, quomodo curari debeant, cùm de mictione purulentâ, in in reiectis agemus, demonstrabitur; Vti & in gonorrhæa virulenta, quæ præcedere interdum hæc solet, in excretis, quo pacto procedendum, docebitur.

Oris inflammatio & pustulæ ex vsu hydrargyri superuenire solita, quo pacto præcaueri debeant; inunctione ex Lacte aliisq; pinguibus, in oris dolore expositum fuit. Atque ibidem quoque declaratum, quomodo si sequantur, illis cura cum aliis illius loci inflammationibus sit adhibenda, & priuatim quędam quæ theriacam recipiunt, illius causâ administranda; Et si in vlcera desinãt, de quibus & modò egimus, quomodo ea sint gubernanda.

Maculis & pustulis aliàs non alia cura, quàm ea quæ morbo huic conuenit, debetur, quò radicitùs extirpato, per varias vti dictum expurgationes, illæ quoque rursum plerunque auferuntur, vel si non sanato integrè morbo, remanserint, curâ repetitâ, eaq; maximè, quę per extrinsecùs corpori admota, vti dicetur, perficitur, illæ cum morbi reliquiis tolluntur. Quòd si verò morbo sublato, quia altiùs impressæ, nihilominus adhuc pertinaciter hæreant, iisdem remediis, quibus alias maculas & pustulas rubras maximè, si tales hæ quoque sint, vel alias vitiosas extergi, vel absumi aut aduri diximus, hasce quoque abolebimus.

Inprimisq; cùm Argentum viuum, huius luis vitia potenter tollat, inunctiones generales, quæ ad morbum sanãdum ex eo fiunt, hæc vitia egregiè simul abigunt.

Tum etiam particulares illis tantùm admotæ inunctiones, quales in maculis rubris aliæ sunt descriptæ.

Vel admoueatur illis solùm Argentum viuum, diligenter agitatum cum Axungiâ vel Terebinthinâ aut aliâ Resinâ.

Vel cum succo Limonum & Lapatij diu agitetur Argentum viuum, addendo Cerusam, Thus, Mastichen, vt fiat Vnguentum.

Vel: ℞. Argenti viui ℥.j. Lithargyrij ℥.ij. Mastiches ℥.ß. Camphoræ ℈ j. Terebinth. ℥.j. olei Vitelli ouorum q.s. agitentur.

Hisce prædictis si Sublimati tantillum addas, efficacissima ea reddit.

Vel vtantur Sublimati aquis, misturis, vel aliis ex eo paratis vnguentis, in maculis rubris & vitiosis copiosè expositis.

Aut si leuioribus illud ab initio tentare velimus, aliis quoque illic declaratis topicis remediis: Vel etiam vnguento ex Alumine vsto, Aloë, succo Arantiorũ vel Lapatij, cum Oxymelite squillitico parato:

Vel emplastro ex rad. Liliorum sub prunis coctorum contusis, & cum Saccharo & Camphorâ incorporatis, facto.

Aut illitione ex oleo Tartari.

Balneo aliqui etiam hæc abigere in ipsâ curâ, per inunctiones factâ volunt, balneóque ob id insidendum esse post cœnam, & manè inunctionem fieri debere, docent: In balneo eadem ferè, quæ & in aliis pustulis conuenire, in illis docuimus, hîc quoque incoquentes: Veluti Lapatium, Scabiosam, Fumariam, Lentes, Lupinos, Helleborum nigrum, Sulphur & similia. Quæ tamen nisi morbo integrè sublato, non adeò conuenire possunt: Quare hisce balneis & aliis

aliis circa finem demum vti possumus, illísque vitia hæc remanentia delere, sordesque alias quæ ab inunctionibus adhæserunt, abstergere: Quod tamen etiam in balneo sicco fit securiùs.

Scissuræ in manibus vel pedibus si persistant, curatione peractâ, indicium est reliquias morbi superesse, quáobrem repetenda cura, maximè per inunctiones, vel hisce tunc solùm volæ manuum inungendæ.

Vel Argenti viui ℥.ß. dissoluatur cum ℥.ij. Vnguenti alicuius de quatuor calidis, aut Enulati, vel Axungiâ cùm Terebinthinâ, additaque Sublimati ʒ.j. Vngantur fissuræ.

Vel Sublimatum puluerisatum misceatur cum Oleo violarum vel Amygdalarum aut Pomatâ, eâ quantitate ne exulceret, & sic illinatur, addito interdum & Alumine, Borace & Camphorâ.

Vel in aquis coquatur Sublimatum, quâ postea tangantur scissuræ, vel alio modo illinatur hisce formis, quas & maculas delere, in cura harum in discolorationibus & inprimis in fissurarum curatione, in superficiei corporis abrasionibus, fuit expositum. Vti & alia ibidem fissuras cæteras quoque sanantia remedia, & hîc locum habere possunt.

Vbi & declaratum fuit, quomodo antequam inungãtur fissuræ, priùs ablui debeat, decocto emolliente, quod & hîc conueniet. Cui & abstergentia quædam, vt Lapathum, Fumaria similiaque addi possunt.

Squamæ in manibus se offerentes, si post curam remanserint, iisdem curari poterunt. Vel aliis quoque remediis in eo affectu, si sine lue hac fiant, in deformationis capite declaratis.

Vbi & si furfures supersint, curato alioquin morbo de Furfurum curâ agentes, hi quoque eâ ratione tolli poterunt.

Pilorum defluuium, vt capitis, capillorũ, circa tempora & occiput, vel in facie, superciliorũ & barbæ, certam huius luis speciem constituens, vel vnà cùm aliis vitiis se offerens, per curam generalem, per purgationes, aut alias euacuationes per habitũ corporis factas, plerunque cum hac lue curatur, nec vt illius causâ aliquid priuatim fiat, necesse est. Quod si verò & hoc vitium relinquatur, cura vel repetenda, vel si luem aliàs cessasse conjiciamus, hoc solo relicto, topica varia in Alopecia seu pilorũ defectu, copiosè exposita, hîc quoque locum habebunt. Inter quæ & humorum acrimoniam, pilorum radices arrodentem contemperant, peculiariter hîc antequam defluant, adhibita, illorum defluxum prohibere, atque vbi iam deciderunt, vt causa illius auferatur competere, illic quoque ostendimus. Inunctiones alias quæ argentum viuum recipiunt, vti in aliis huius luis casibus, post curam generalem relictis, peculiariter adhibitas conuenire diximus, hîc fortè quoque aliquid præstarent, sed quia capiti & faciei, vbi pilorum hic lapsus præcipuè se offert, hæc inungere commodè non licèt, aliis potiùs, quæ sine eo parantur, vtemur. Estque inter cætera hoc præstans, quod ex Cantharidibus paruis cum oleo Spicæ mistis, compositum illic descripsimus.

Accidentia alia seu symptomata in lue hac interdum euenire solita, curam ad se se quoque pertrahunt; Inter quæ hæc sunt frequentiora.

Virium lapsus ob nimias per aluum sudorésve factas euacuationes, corrigitur cessando aliquandiu ab iis, nec repetendo, donec ad se redeant; Reficiendo interea ægrum victu & potu restaurante, medicamentisq; corroborantibus, intùs forisque administratis, in Vitalis spiritus defectu expositis. Quibus & dum eiusmodi euacuationibus vtitur æger, ægrum ne vires deficiant, præmunire possumus. Quod si quoq; in ipsâ curâ animo penitùs deficiant, & in syncopen cadant, tunc statim admotis variis, spiritus reuocandi. Quæ omnia, quâ ratione fieri debeant, viresq; vel deiectæ vel omninò lapsæ reparandæ, in vitalis spiritus defectu, abundè fuerunt exposita.

Dyarrhœa vel Dysenteria si ob violentas purgationes aut alioquin superueniant, remediis in eiusmodi affectibus in reiectis enarratis, iis succurrendum. Inter quæ Narcotica veluti Theriaca aliáve opiata data, naturam irritatam sopiendo, & sudores interim minimè impediendo admo-

admodùm, sicuti illic quoque demonstratum, proderunt.

Stomacacis luis curatio.

Lues Stomacace seu Scorbutus vulgò dictus, etsi à venenatâ quoque causâ prodeat, tamen æquè, & citiùs quàm lues Venerea curari potest, quod si negligatur, aut malè gubernetur, in hydropem facilè abit, aut alia grauiora infert mala.

Curationem huius luis, quæ illi vniuersæ abigendę accommodatur, per euacuationes aliquas, atque alterantia quædam manifestis & occultis viribus, huic contrariis, perfici posse, experientia docuit, quibus & caussa huius luis abigitur, intemperiesque emendatur.

Euacuationes sic instituendæ, vt quos maximè prauos humores redundare videamus, euacuemus. Quos cùm melancholicum esse plerique statuant, in venis meseraicis circa lienem, vel in eo coaceruatum, huic educendo curam omnẽ adhibent, tum per sanguinis emissionem, tum per purgationes per aluum factas, tum per sudores.

Sanguinis emissio, si plethora præsertim adsit, ante purgationes fit, tum in brachio, tum in manu, sinistri pręsertim lateris. Nonnunquam & in pede, maximè in fœmineo sexu, vbi menses substiterunt. Hæmorrhoidum quoque apertio plurimùm affert emolumenti.

Purgationes sic fiunt, vt præmissâ alui elutione ab excrementis, per iniecta vel assumpta, sanguineque, si opus sit, detracto, postea præparemus humores superfluos, eosq; euacuemus. Quę omnia cùm ad melancholicum succum dirigãtur, hæc iisdem & pręparantibus & purgantibus perfici possunt, quibus & lue Venerea, cùm eam hoc modo maximè sanare volumus, vtimur, vbi & copiosè descripta sunt. Non tamen hæ purgationes tamdiu, vt in illâ lue, continuando, sed ab initio aliquot saltem vicibus faciẽdæ, & si opus sit, semel atq; iterum reiterandæ. Quibus remediis & ea quæ obstructiones simul soluant, quas circa viscera lienemque imprimis, huic melancholiæ gignendæ occasionem præbere existimant, permiscent. Sicuti eiusmodi remedia & præparantia & purgantia, obstructionesque simul soluentia, in aliis variis morbis ab hisce obstructionibus & à melancholia genitis, descripta, hîc quoque vsurpari possunt. Quæ eò rectiùs huic lui accommodantur, si de alterantibus quędam, quæ illi proprietate quadam aduersantur, permisceantur.

Per sudores euacuatio, in cura scorbuti etiam, vt in lue venerea locum habet, quæ tamen non longo tempore, vt in illa continuari debet, sed postquam corpus purgatum fuerit, aliquoties tunc manè in lecto vel etiã in balneo sicco, si vires ferant, promoueri. Quo nomine & decoctum Guaiaci, Zarsæ parillæ, Salsafras, aliaque in lue venereâ copiosè enarrata propinari possunt. Vel possumus dare Theriacam vel Mithridatum, aut quod valde est conueniens; Rob de baccis Ebuli, Sambuci, Iuniperi, addendo ad ℥. iij. horum, syrupi de Papau. ℥. j. atque ʒ. ij. exhibere. Vel dantur affatim bibendæ aquæ destillatæ, in alterantibus explicandæ.

Alterantibus vtimur quæ malignam intemperiem huius luis, viribus contrariis vel proprietate quadam possint reprimere.

Quæ proprietate illud efficere experientia comperit, acrimoniâ quadam sunt præditæ aliquæ plantæ: Inter primas tenet, quas Cochlearia dicta, acris herba nasturtij instar, quam huic lui imprimis aduersari illiusque esse antidotum, omnes attestantur; tum comesta in acetariis, tum cum Saccharo in conseruam redacta, sæpeque vsurpata: tum succus illius cum Saccharo in formam syrupi coctus, sicque aliquoties sumptus: Vti & decoctum illius in Lacte vel Vino factum, vel Ceruisiâ, atque aliquot diebus continuis potum: Vel Aqua destillata.

Nasturtium aquaticum Brunnkressich nostris, idem præstare censetur, iisdem formis vti Cochlearia assumptum, vel vnâ cum illa sic præparatum & vsurpatum.

Anagallidem aquaticam quam Bachbungen vulgò appellant, similiter conuenire docent, quæ tamen non adeò, vti nasturtium aquaticum, acris est.

Sedi tertium genus quod Illecebram vocant, vrensque nonnihil existit, his quoque addunt.

Sinapi item herbam, imprimisque illius semen: Quod conditum cum Melle vti ex eo bellaria fiunt, magni vsus esse censent, nō solùm ad curam huius luis, sed & præcautionem: Vti & bellarium ex Lepidio seu Raphano rusticano, quemadmodum cum Amygdalis nostri parare solent.

Alia ad intemperiem prauam illam corrigendam, quam visceribus, imprimis lieni & hepati inesse putant, obstructionesq; eorundem viscerum liberandas, quæ simul concurrere ferè solent, varia exhibentur, in aliis similibus inde genitis morbis, & melancholicis affectibus descripta, tum in formâ decocti, syrupi, infusionum in Vino, aquarum destillatarum, conseruæ, electuarij, puluerũ, indeque effectarum tabularum, pilularum aliarúmve.


Quæ ex sequentibus ferè parantur, obstructiones soluentibus & spleneticis, radic. Aperitiu. Gariophyllatâ, Anonide, Enulâ, Rhapontico, herbis Fumariâ, Thymo, Epithymo, Polypodio, Buglosso vtroque, Chamædri, Eupatorio, Tamarice, Chelidoniâ, Pimpinellâ; Et amaris, Gentianâ, Squillâ, Gratiolâ, Absynthio: Item acidis, Acetosâ, Oxi; Et in frigidioribus etiam ex calidis, vt Betonicâ, Menthâ, Saluiâ, Rosmarino, Stœchade, Origano, Hysopo, Arthemisiâ, Rutâ, Lauri baccis; Item aromatibus quibusdã additis vt Nuce mosch. Macere: Dein & ex terrestribus, vt Vitreolo, Chalybe, Ferri scoriâ, Lapide bezoartico aliisque cordialibus.

Symptomata huic lui copulata quod attinet; Gingiuarum tumor & vlcera, non alia topica, quàm quæ aliis eiusmodi gingiuarum vitiis in oris doloribus, vbi & horum meminimus, exposita sunt, hîc requiruntur, vsurpandæq; collutiones & illitiones postea desiccantes, permixtis interim semper iis in hoc casu, huic lui aduersis, vti decoctis, cochleariæ, nasturtij & anagallidis aquat: Vel succo aut aquis eorum.

In aliis quoque locis si vlcera prodeant, vti vlceribus cacoëticis aliis, similia remedia erunt accommodanda.

Maculas in cruribus vel etiam alibi se offerentes, quod attinet, cùm hæ curato morbo, sponte iterum dissipentur, peculiarem curam minimè exigent: quòd si quędam remaneant, localibus in maculis, in discoloratione, expositis admotis, abiguntur.

Alia accidentia si superueniant, vt cõtractio, vel resolutio membrorum, vel leucophlegmatiæ aut hydropis si adsit principiũ, tunc eò cura dirigenda erit, & sicuti in eiusmodi casibus in motus læsionibus & tumoribus ostensum fuit, procedendum.



DE CONSVMPTIONE.

CAPVT V.

Genera.



Onsumptionem vocamus, quãdo corpus illiúsve partes consumuntur aut decrescunt, nam si alioquin graciliores sint, cùm ad magnitudinem imminutam pertineat, in deformatione de hac egimus: Vti & si internæ partes absumantur, quemadmodum viscera quædam parenchymate constantia, etiam consumpta, citra corruptionem aliquando sectione inuenta fuerunt, vt hepar, lien, renes, quorũ attenuationem, Maciem illorum aliqui vocarunt, & sub hoc titulo descripserunt, quod idem fortè in pulmonibus, corde, cerebro quoque inueniri potest, hæque ipsorum consumptiones, in functionum, quæ tunc inde prodeunt, magnis læsionibus, descriptæ fuerunt. Externarum verò consumptionũ, de quibus hîc agimus, duo præcipua occurrunt genera: Vnum in quo totum corpus, alterum in quo partes saltem aliquæ consumuntur.

Totum corpus interdum decrescit & absumitur, idque in amplitudine saltem, longitudine illius nihilominus manente, immò decrescente crassitie, ea quasi aucta esse videtur. Hoc autem magis minúsve fit; nam aliàs saltem minuitur ipsius moles & flaccescit, diciturque Marcor seu Macilentia, etsi ob nutrimenti defectum accidat vt in causis dicetur, Atrophia, vel si penitùs ferè vel majori ex parte corpus consumatur & contabescat, Tabes, tuncque in facie, Tempora collapsa, Oculorum sedes minùs quàm de- *Macilentia seu Marcor. Atrophia Tabes.*

cebat, impletæ, seu vt vocant concauæ, Naresque acutæ apparent. Qualem faciem quòd Hippocrates, eam sic describat, Hippocrateam vocant. In qua præter hæc Malæ exertę prominent, Osq; hiat, nisi barba in viris faciei has sedes inuestiens, quò minus hoc in illis obseruetur, obtegat & occultet. In thorace quoque Costæ omnes fiunt conspicuæ, atque ipsis interposita adhærens cartilago xiphoides nonnunquam curuata cernitur. Scapulæ etiam alarum instar & Clauiculæ veluti arcus, sub quo profunda fouea, procul à thorace se exerunt. In dorso Vertebræ spinæque harum admodùm patent. Venter verò collapsus & veluti inanis, nisi hydrops superueniens, eum in tumorem attollat, se offert. In reliquo corpore collum attenuatum, & proin longius admodumque inæquale, cum externâ larynge, pomo Adami dicto, cernitur. Clunes pendulæ vel amissæ, Coxæ nudæ, Coccyx caudæ instar exertus. Crura brachia, manus, pedes ipsorumque digiti, macra & veluti arida existunt, circa articulorum verò regionem, amissâ vicinâ carne, magis adhuc protuberare videntur. Vngues item longiores sunt, & in summâ corporis attenutione interdum curuantur. Aliquando & radices eorum adeò absumuntur, vt postquam iterum conualuerunt, recrescentes, parte posteriore, quæ succrescit, humiliùs procedente, quàm illa quæ priùs exerta erat, impressionem transuersam, vnguem veluti diuidentem obtineant, quæ tamen cum vngue crescendo procedens, tandem amittitur. Pili quoque radicibus exiccatis, in consumptis, nonnunquam excidunt. Cutis flaccida, corrugata, fusca aridaque existit: In qua venæ sub ea latentes, penè omni illorum ambitu fiunt conspicuæ, liuidæque toto ductu apparent.

Hac autem ratione, vel macilentia saltem aliqua, aut atrophia, vel absoluta corporis tabes, in sanis alioquin aliquando se offert; vt in illis qui victu necessario destituti, vel laboribus aut curis attriti, plus minúsve consumuntur: Vel ob senium decrepiti, præsertim facti macilenti, vel etiam sicci & aridi omnino fiunt.

In ægris corporis hæc consumptio frequenter superuenit, morborumque diuersorum est vnum inter cætera symptoma. Acutorum pręsertim & diuturnorum, in quibus corpora magis minúsve macra redduntur, & postquam sanitati restitutę sunt, ægri rursum ad pristinam integritatem redeunt: vel aliquando etiam macilenti & flaccidi, toto vitæ tempore permanent, iamque senes, etsi ætatem illorum nondum attigerint, esse videntur, vnde hunc marcorem Senium ex morbo aliqui appellarunt.

In aliis grauibus & magnis morbis, corpora, morbo diuturno perseuerante, interdum penitùs contabescunt & absumuntur: Tabesque hæc tunc cum symptomatibus illorum morborum comitibus se offert, veluti frequentiùs cum tussi atq; expuitione cōtinuâ, quæ tabis species peculiariter Phtisis, aliis Phtoë, etsi hoc nomē alioquin omnem corporis attenuationē significet, appellatur: Vel ob illius causam mox explicādam. Pulmonis exulceratio: In qua consumptionis specie, tussis indesinenter ægrum dies noctesque fatigat; cui Exscreatio ferè semper succedit, quâ interdum crueta sputo permista, ab initio, nonnunquam & purū sanguinem, illumq; aliquando copiosum egerunt, sicuti in hæmopticâ passione expositū fuit, quâ per vices cessante, etiam redeunte, purulenta sequitur per tussim excretio, per quā tandem pus syncerum, plerunq; inodorum, aliàs etiam fœtidum, nunc album, aliàs subflauum & virescens, vel etiam nigricans expuunt. Quandoq; & pulmonum putris portiuncula cum pure ejicitur. Febricula comes est hectica, comitata ob id dicta & in febrib⁹ descripta, calorem leuem, pulsum citum adferens, cuius causâ & respiratio præsertim ex leui motu concitata fit, vt & ex tussi cōtinuâ. Quibus multos menses, vel etiam annum aut ampliùs durantibus, ad extremam corporis maciem, & formam aridi cadaueris vel sceleti cute obtecti, corpus tandem redigitur.

Senium ex morbo. *Phtisis vel Phtoë.* *Pulmonis exulceratio.*

Accedit insuper huic Phtisi interdum etiā alius affectus, quem Empyema seu Suppurationem, ob puris in pectoris cauo congestionem, vocant, non aliis signis, quàm iis quæ &

Empyema, Suppuratio.

& pulmonum exulcerationem denotant, se prodens. Aliàs verò fluctuatione quâdam, in pectoris alterutrâ sede se manifestat, certiúsque adhuc, si tuberculum aliquod in costarum spacio se exerat, quod pressum refugit, missumque redit. Quæ signa, si quandoque ea quæ phtisim denotant indicia præcedát, quod rarum est, mox tamen interdum ea subsequuntur, phtisi, vti in causis dicetur illicò succedente.

Marasmus. Cum febre hectica simplici, hæc corporis consumptio se præcipuè offert, & præter calorem licèt non magnum, perseuerantem tamen, ægrum afficit sensimque consumit, adeò vt ob hoc præcipuum illius symptoma marcorem, quem Marasmum Græci vocát, febris hæc Marasmodes dicatur, vel Marasmi nomen, etsi omni marcori conueniat, huic tantùm febri attribuatur, eamque Marasmum appellantes, illius marcoris potiùs quàm febris causâ, tres eius gradus statuunt; quorum primum, qui prout corpus plus minúsve absumpsit, vel Incipientem cùm incipit, vel Adauctum, cùm augetur, vel Confirmatum, cùm ad extremum peruenit, Febrem marasmodem vel Marasmum simpliciter cum additione horum graduum, sicuti hæc vberiùs in febre hecticâ exposita fuerunt, nominant. In cuius summo gradu adeò corpus fit siccum & aridum, vt & cartilagines curuentur, quæ proin in costarum extremitatibus & osse xiphoide prominent, cutisq; tensa & aspera, vngues incurui fiant, pilique excidant.

Colliquatio corporis. Cum alia febre, quam quoq; hecticæ speciem statuunt, quę ex ardente febre seu causone prodit, hæc corporis consumptio aliquando iungitur, quę quia subitò, breui, non sensim & longo tempore, vti aliæ hecticæ corpus absumit & veluti colliquat, Colliquatio vel Colliquans febris ob id appellatur, qualem in febribus descripsimus.

Atrophia cachexia copulata. Cum aliis accidentibus, vt coloris viuidi amissione seu pallore, compressiuo cordis, vti vocant, dolore, cæterisq; in cachexia expositis accidẽtibus, quibus intumescentiam corporis in eâ copulari diximus, etiam decrescentia quoque illius & consumptio interdum iungitur, tuncque Atrophia, vti dicetur, appellatur, quam etiam cachexiæ speciem, cùm & hîc corporis malus habitus, si decrescat, occurrat, statuere, eamque sic appellare possemus, etsi cachexiæ nomen aliàs corporis incremento potiùs quàm decremento attribuatur. Hanc atrophiam, sub morborum, vnde prodit, titulo, vt hepatis lienisq; affectibus describũt Practici, eamq; consumptionem, morborum illorum nominibus comprehendunt, nec sub titulo atrophiæ priuatim tractant.

Atrophia hydrope comitata. Præter eiusmodi atrophiam copulatam cachexiæ huius speciei, occurrit & alia, hydrope illiusq; accidẽtibus comitata, per quã licet venter & pedes intumescant, reliqua tamen superiora corporis quoq; attenuantur, nonnunquam & penitùs contabescunt, corpusq; ex parte supra modum tumidum, ex parte consumptum euadens, miserum aspectum præbet, sicut hæc in hydrope exposita fuerunt.

Atrophia particularis Schweinsucht. Partes peculiares aliquæ interdum consumuntur, plus minúsve, tumque partis illius atrophia, quo nomine & quandam tabis speciem, ob eádem quam & illa causam appellant, in causis ostendemus, vocari solet, quam Germ. Schweinsucht nominant: Frequentiùs autem hæc in membris seu artubus exterioribus occurrit: Veluti circa coxam, vbi imminutâ carne illic, & circumcirca idem quoque in pede subiecto, maximè circa femoris & surarum crassitiem accidit, manifestiusque apparet. Vel hæc circa summum humerum aut cubitum, illorumque carnosiora loca occurrit, & in manu quoq;, maximè in interuallo, quod pollici & indici substrata ossa intercedit, collapso & impresso se manifestat.

Oculi atrophia vel tabes. Præter hasce atrophias, Oculus potiùs quàm pupilla, vti illi docent, atrophiâ contabescere, vel phtisi laborare dicitur, quando non exactè distentus & impletus, sed nonnihil collapsus & subsidens, quasi minor obscuriorq; apparet, pupillæq; foramen seu nigrum oculi angustius, magisque constrictum cernitur. Quæ angustatio pupillæ in Visus læsione descripta fuit. Quò & oculi hæc subsidencia potiùs quàm tabes, quæ in crassa illius tunica fit, pertinet.

Causa.

Sedes affecta. OMnium tam generalium, in quibus totum corpus, quàm particularium, in quibus saltem partes aliquæ decrescunt, vel contabescunt, causa in partibus præcipuè mollioribus, carne & pinguedine consistit, cùm hæc citiùs, ob causas mox dicendas, consumantur, quàm quæ duriores sunt, vt ossa, cartilagines & membranæ, quæ manifestè vix decrescunt, ob solidiorem eorum substantiam, licet absumpto ipsorum succo & humiditate, etiam viuente adhuc homine siccari & arescere, nonnihil possint. Hincq; fit, vt carne & pinguedine absumptâ, loca quæ illis priùs opplebantur, postea inania relinquantur, ossaque minus tecta, & tanquam pelle solùm obducta, promineât. Quę inæqualitas in protuberantiis & cauitatibus illis in locis se maior offert, vbi plures maioresque existunt musculi, vt in temporibus & facie circa malas, in quibus collapsis, os iugale prominentiam illam efficit, vbi & oculi sedis cauitas anterior, propter musculos & pinguedinem, quæ circa radicem oculi existit, absumpta, retrocedente tunc oculo, se offert. Et in reliquo corpore, absumptis musculis copiosis collum occupantibus, thoracem inuestientibus, dorsum implentibus, abdomen cōstituentibus, clunes efficientibus, multa loca inania, & cauitates ostiumque vt vertebrarum, costarum illarumque & laryngis cartilaginum, scapularum, clauicularum & ilij protuberantiæ comparent, & in reliquis membris, absumptis musculis, qui brachia & crura implebant, surasq; constituebant, brachialisq; & pedis interstitia opplebant, & digitorum ossa ambiebant, ea loca nuda & depressa, ossaq; in illis, illorumque præsertim articuli, protuberare cernuntur, vnguesque consumptâ etiam digitorum extremâ carne, magis prominere, non verò ampliùs, vti creditum fuit, in consumptis excrescere, cùm tunc potiùs decrescerent, nisi à natura hoc illis inesset, cùm continuò atterantur, vt ad extremū vsque vitæ tempus, pauco, vti de ossibus dictum, nutrimento contenti, semper crescerent. Quod & pilis euenit, vt consumpto vniuerso penè corpore, & illi cōtinuò incrementū capiant, nisi etiam tunc exiccatis vi morbi eorum radicibus, vt sæpè fit, defluant. In aliis cartilaginibus, vix dum aliqua consumptionis apparet indicia, nisi quòd externæ illæ denudatæ, magis prominent & attenuatæ esse videntur, vnde nasus acutior apparet, dein & vngues, qui soli è cartilaginibus se è cute exerunt, in summa corporis attenuatione interdum curuantur. Quod membranas attinet, Cutis quę sola inter eas conspicua est, cùm corpus ambiendo æquale reddat, si subiectū illi stratum, quo distenta manet, caro & pinguedo absumantur, flaccida & corrugata, vti dictum, fit, & rugarum vmbras efficientium causâ, circa illas fusca & obscura. Et sub eâ venæ cutaneæ, ob absumptam quæ illas toto ductu ambire solet, pinguedinem, nudæ apparent.

Quod verò enarratæ partes consumantur vel contabescant, causa est vel Nutrimenti illarum aut Humidi substantifici defectus, vel Temperamenti ipsarum mutatio.

Ob nutrimenti defectum si corpus emacietur vel contabescat, Atrophia appellatur. In qua partes succo ipsos nutriente ex sanguine singulis assimilato procedere solito, destitutæ marcescunt, cùm in locum substantiæ deperditæ, nulla noua aut non sufficiens reponatur, imprimisque carneæ, cùm ampliori vt sustententur nutrimento, eoque continuò opus habeant, & cùm molliores sint, faciliùs absumi possint, duriores verò, vt ossa, cartilagines, membranæ, minimè vel non apparenter, cùm vel minimo refici queant, & ob duritiem stabiles & firmæ maneant, nec ipsorum substantia vt in aliis cedat, vnde & post mortem ossa nihilominus diu perdurare videmus. Cæterùm variis de causis nutrimenti ille defectus accidit, imprimisque quia vel non generatur, vel inutilis est, vel impeditus. *Nutrimenti defectus, quia sanguis non generatur vel inutilis est, causa Atrophiæ simplicis vel illius quæ cum cachexia aut hydrope copulata est.*

Quando non generatur sanguis sufficienter, tunc quia succus partes nutriens, ab eo profectus deficit, & quia pinguedo non à pinguiore ipsius portione exudante, quæ quoq; continuò deperditur, restituitur, & sic perit, corpus absumitur. Penuria autem hæc sanguinis primæ interdum concoctionis, seu

ſeu chylificationis, cùm chylus illi materiã præbeat, causâ accidit: Si ille deficiat, quod fit, vel ob cibi penuriam in ſanis, quando inediam patiuntur, vel in ęgris, quando ob appetitum deiectum, cibum reſpuunt, vnde quoque non ſolùm morbi causâ corpora, vti dictum, debilitando attenuantis vel etiam abſumentis, ſed quod diu cibo exiguo aut minùs nutriente aliti fuerint, corpora ipſorum attenuantur. Quod & ab aliis ventriculi morbis euenire poteſt, vt concoctione per eos labefactatâ, chylus parcior vel imperfectus gignatur, corporaque eâ ratione emacientur, vti & in tympanite corporis eæ ſedes, quæ non flatu intumuerunt, conſumptæ ſunt. Secundæ concoctionis ſeu ſanguificationis læſæ causâ, ſanguinis generatio deficit, corpusq; inde attenuatur, vel ſi omnino impedita ſit, atrophia conſumitur. Quæ læſio à viſcerum hepatis & lienis morbis diuerſis proficiſcitur, veluti tantâ imbecillitate, à qua horum viſcerum actione non ſolùm diminutâ, cachexia vel leucophlegmatia procedit, ſed ferè abolitâ, adeò vt prouentus penè omnis ſanguinis ſit ſublatus: Cuius magnæ imbecillitatis cauſæ eædem, quæ & minoris in cachexia expoſitæ, ſi validiores exiſtant, eſſe poſſunt. Sed & alij hepatis & lienis morbi hydropem aſcitem gignentes, atrophiam eâ ratione hydropi copulare poſſunt; In qua ſuperior corporis regio, ſupra præcordia, quæ non diſtenta tumore exiſtit, vti venter & pedes, penitùs emaciata conſumptaque apparet. Qui morbi in hydropis cauſis quoque deſcripti fuerunt.

Inutilis & corpori nutriẽdo minimè idoneus eſt ſanguis, ſi vitioſus ſit non crudus, vnde cachexiam, & leucophlegmatiam naſci diximus, ſed aliàs impurior, tunc enim marcorem vel atrophiam, cacochymiæ iunctam procreat; Vel etiam ſi ſeroſior ſit, eum qui aſciti copulatur, progignit. Quod vitium in primæ concoctionis labe, quam ſecunda non emendat, vel etiam ſecundæ, ſanguis contrahit, à cauſis quoque in eiusmodi affectibus expoſitis.

[illegible]

Impeditus ſanguis nonnũquam quò minùs partibus cõmunicetur, Atrophiam particularem plerunque progignit, à cauſis externis ferè deductã, cùm internæ priùs enarratæ, ſanguinis defectum procreantes, marcorem toti corpori cõmunem potiùs quàm particularem producant. Impeditur autem eiusmodi ſanguinis diſtributio, Venis per quas influere debebat, impeditis ex compreſsione, per luxationem aliquam interdũ factam alicuius articuli, vt coxendicis: Quâ diutiùs perſeuerãte atrophia cruris frequenter ſequitur, & ſtupor aliquis, ſi cum venis nerui ſimul premantur. Quod & in aliis luxationibus ſimili modo poteſt accidere: Vti & ſi membra diutiùs arctè vincta fuerint: Vel venæ à vicino aliquo tumore, callo, aut nudo vel ganglio circa iuncturas, vti frequentiùs fit, arctatæ, vel etiam abſciſſæ, præſertim ſi hoc circa maiores venas, vel in pluribus ſimul accidat, cùm alioquin, ſi pauciores aut minores hoc pacto preſſæ diſſectæ ve fuerint, pluribus per partes diſtributis, reliquæ intactæ, adhuc partem enutrire valeat. Idem ſi magnæ arteriæ, quæ in profundo latent, abſecentur, euenire poteſt, vnde tamen mortificatio potiùs quàm marcor membri ſequitur.

Sanguinem impediti, causâ Atrophia particularis.

Ob humidi ſubſtantifici & per conſequẽs caloris natiui, cuius eſt pabulum defectum, corpus interdum conſumitur, idque aliquãdo ætatis causâ, ſicuti enim eo per ætatem iuuenilem abundante, corpora creſcunt, & poſtea in ætate conſiſtente, eo perſeuerante, vigent, ita per ſenium vti illud, ſic & corporis ſubſtantia, quæ eo ſuſtentabatur, decreſcit abſumiturque, adiuuante inſuper ſiccitate partium, quæ ratione temperamenti in ſiccius mutati, ſenibus aduenit, vnde etiã corpora ipſorum aridiora fiunt.

Humidi ſubſtantifici defectus, cauſa Marcoris & Tabis.

Idem laborum & curarũ, & in ægris morborum occaſione euenire poteſt, quando ob illorum vehementiam & perſeuerantiam, & morborum diuturnitatem vel peruicaciam, abſumpto humido primigenio, caloreque natiuo debilitato, vt in ſenio, ætatis decurſu accidit, ſic extra id, vi laborum, curarum vel morbi, citiùs quàm par erat, hi tanquam ſeneſcentes, non ſolùm imbecilliores ſed & macilentiores fiunt, tandemq; marceſcentes ad extremum vſque vitę tempus ſic permanent. Niſi fortè hæc calorem

natiuum nondum adeò debilitarint, quin reparari posſit, tunc enim etſi admodùm attenuati ſint, tamen ſi à laboribus & curis deſiſtant, & à morbo conualeſcant, priſtinum corporis vigorem ſtatumque recuperant.

Temperamenti inſiti in calidius & ſiccius peruerſio in febre hectica & colliquante, cauſa Maraſmi & colliquationis corporis.

Ob temperamenti inſiti in calidius & ſiccius ſtabilem permutationē, accidit, vt tunc ſingulis partibus eandē intemperiem adipiſcentibus, & retinentibus, corpus non ſolùm non ampliùs creſcat, in iuuenibus, ſed & in prouectæ ætatis, & ſenibus decreſcat, ſenſimque exiccatum marceſcat & contabeſcat. Sicuti in febribus hecticis euenit, in quibus ob febris ephemeræ vel alterius prçcedentis calorem, cordis temperamento, & per conſenſum omnium partium, in calidius & ſiccius conuerſo, corpus maraſmo dicto, vti in febre hecticâ demonſtratū, ſpacio temporis conſumitur.

Quod vti non niſi ſenſim in hac hecticæ ſpecie, ita ſubitò & breui tempore hoc in illa accidit, quæ Colliquans dicitur, & ardentes febres ſeu cauſones ſequitur, à quarū ſummo ardore non ſolùm cordis temperamento, citò in calidius & ſiccius conuerſo, ſed & ſubſtantiâ illius colliquatâ, vt vocant, ſeu potiùs arefactâ & abſumptâ, cùm hoc idem in partibus ſolidis moliatur, corpus inde ſtatim conſumitur, ſeu vt vocant, colliquatur, ſicuti in febre colliquante id abundè oſtenſum fuit.

Temperamenti inſiti in calidius & ſiccius peruerſio, in febre hectica comitata, phtiſis cauſa.

Quæ vti in febribus eiuſmodi hecticis ſimplicibus ſeu ſolitariis accidunt, ſic & in ea, quæ comitata eſt pulmonum affectu, atque ab hoc proficiſcitur, ſimiliter contingit, corpus ſenſim, vt in hectica ſimplici contabeſcere, vnde & febris hæc hectica, cum morbo qui illi cauſam præbet, ob tabē hanc, phtiſis nominatur. Quæ tabes à putredine in pulmonibus excitatâ, cor vicinum continuò laceſſendo, calefaciendo, intemperaturamq; calidam & ſiccam, in eo vti & ſingulis partibus, febremque proin hecticam introducendo, oritur, vti aliæ hecticæ ab aliis febribus originem trahunt, ſicuti in eiuſmodi febribus hecticis, in febribus deſcriptum fuit. Cuius putredinis, indeque natæ febris hecticæ, & ab ea prodeuntis tabis cauſa prima, pulmonum eſt exulceratio, eouſq; progreſſa, vt putredo inde ſequatur, quâ corruptos pulmones ex parte aliquâ, vel etiam penitùs in vno latere, & in pus conuerſos deprehendimus, vaſis cordis, quæ illi cum pulmonibus ſunt communia, ſimiliter cum pulmone illius lateris deperditis, & circa cor veluti abſectis, & callo illic iuxta radices occluſis & obliteratis: Tantamque ſæpè corruptionem fuiſſe, vt & mediaſtinum pulmones diuidens, ipſumque pericardium cor obuoluens, eâ infecta fuerint.

Pus in pectore coaceruatum, cauſa Empyematis.

Quibus ſic ſe habentibus, pus in pulmonum hac exulceratione genitum, nō ſolùm aſperæ arteriæ ramis illapſum expuitur, ſed & tandem, quando ex corruptione pulmonum ſubſtantia diuiditur, in pectoris cauitatem influens, illicque ſenſim coaceruatum, atque interdum magnâ copiâ congeſtum, Suppurationem quam Empyema vocant, producit. Quod ab exulceratione hac in phtiſicis, eo vti diximus modo potiſsimùm prodire, vti ſectio patefacit, per quam in corruptione pulmonum, puris ſemper aliquam ſaltem portionem, ſi non magnam, pectori adhærere, vel innatare deprehendimus, ita & hæc comprobare videntur, quòd vix dum ex ſuccingentis membranæ inflammationis ſuppuratione pus genitum, in pectus ſe, vti verò docent, exoneret, ſed ſi hoc fiat, quod rarum eſt, per exteriora potiùs, vti in illa pleuritide quam ſuccingentis vocauimus, demonſtrauimus, emergat. Niſi fortè abſceſſus quidam, ſuccingenti aut intercipienti membranæ, vel etiam pulmonum exteriori tunicæ adnatus, aliis quàm ab inflāmatione de cauſis ruptus, in pectus pus effundat: Vel aliunde extra thoracem pus in illud defluat: ſicuti in anginâ ſuppuratâ hoc fieri poſſe docent, & à defluxione labentis pituitæ in pectus, idem fieri, quod tamen, cùm nullus ductus qui à collo deſcendat & in pectus ſe aperiat, exiſtat, & ſi hæc in aſperam arteriam influant, niſi tuſsi iterum rejiciantur, in pulmones potiùs quàm pectoris cauum delabantur, haud veriſimile videtur, multoq; minùs à pituita defluēte hoc euenire poſſe. Quòd ſi tamen citra pulmonum exulceratione empyema, eo vti dictū modo, naſceretur, retento in pectore pure, pul-

pulmones etiam etiam tandem inficerentur, illorumq; exulceratio, mox etiam empyema tale sequeretur, quæ tamẽ (vti diximus,) plerumque si non semper, empyema solet precedere.

Soluta pulmonũ cõtinuitas, causa Pulmonis exulcerationis.

Huius autem exulcerationis indeq; natæ putredinis causæ sunt, vel Inflammatio pulmonum, vel Ruptura vasis alicuius in pulmonibus, vel Vulnus illius, vel Substantiæ exesio, ab humore aliquo acri vel putri vel venenato procedens.

Ab inflammatione pulmonum in peripneumonia & pleuritide, si non saltem sanguis maturatione & coctione in pus, quòd postea excreatur, vti plerumque fit, sicut & in pleuritide ostensum fuit, conuertatur, sed & pulmonum substantia inflammata, alicubi simul suppuretur, exulceratio pulmonum quæ interdum eiusmodi inflammationes sequitur, gignitur, in qua pus maiori copiâ tunc genitũ, tussi propulsum, faucib. palato, & ori adhæret, magnaq; sæpè quantitate ab initio, sicuti crebrò vidim⁹, exspuitur. Quod pus nisi mors præueniat, pulmonum substãtiam vlteriùs corrumpens, phtisim eam diuturnam, febre hecticâ comitatã, in qua sensim corpus contabescit, procreat, cui, si vel in illius mox principio, vel postmodum pus in cauum pectoris defluens, illic coaceruetur, Empyema insuper accedit, vti & Hipp. pleuriticos, si quatuordecim diebus non purgentur, in suppurationem seu empyema transire docuit: quo eo modo, in pleuriticis vti & peripneumonicis, è pulmonibus pure emanante potiùs, quàm à succingente membrana, vti aliàs voluerunt, euenire, cùm vera pleuritis æquè ac peripneumonia à pulmonum inflammatione, vti in ea declarauimus, procedat, comprobat.

A' ruptura vasorum pulmonum, vel quæ substantiam ipsorum vndiq; perreptãt, sanguineq; repleta sunt, frequẽtiùs hoc fit, tuncque sanguine è vasis in asperæ arteriæ ramos effuso, sanguinis excreatio per tussim primùm se offert, quæ cùm plerunque phtisim præcedere soleat, à disruptâ venâ eam frequẽtiùs nasci demonstrat, idq; hac ratione, quòd per disruptam venam, vulnus in pulmonib. factum, ob continuam pulmonũ dilatationem & constrictionem, per quam illius labra indesinenter diducuntur, coalescere & consolidari nequat, sed diuturnitate in vlcus sordidum conuersum, vicinam pulmonum substantiam putredine afficiens & corrumpens, vti dictum, febrem hecticam producendo, tabi occasionẽ hoc pacto præbeat. Cuius vasorum rupturæ causa, nimia & vehemẽs pulmonum dilatatio interdum existit, in vociferatione, sufflatione validâ vel conatu intenso, in rebus gestandis vel voluendis, aut excernendis excremẽtis, aut fœtu excludendo. Aliàs verò ruptura vasorũ ab aliâ vi externâ prodit, vt ab ictu, casu, si pectus eousque vt pulmones simul lædantur, contũdatur. Sicuti hæc in hæmoptoicæ passionis causis vberiùs explicata sunt.

A' vulnere pulmonum à causis externis producto, ob contusionem pectoris iam dictam, non solùm vasa disrumpentem, sed & substantiam ipsorum contundentem, vulnusq; contusum procreantem, vel vulnere punctim plerunque pectori inflicto, & ad pulmones vsq; penetrante, cùm vel hac vel illa ratione illarum vulnus sordescit, vlcus in pulmonibus quoque gigni potest.

Ab humore salso vel alioquin acri à cerebro defluente, pulmonesque erodente vel exedente, eos exulcerari, eamque potissimam phtisis causam esse, plerique censent, quod tamen tam facilè vix fieri posse, hoc comprobare videtur, quòd innumeri, quibus eiusmodi defluxiones multis temporibus molestę sunt, tussimq; concitant, tamen minimè fiant phtisici, iuuenesq; freqũetiùs quàm senes, quibus defluxiones magis consuetæ sunt, in hoc malum incurrant. A' defluxionibus tamẽ, tum quia tussim promouent, hæcq; aliquando, vti dictum, venæ rupturam, tum quia multoties pulmonum interiora irritando, eos successu temporis lædere potest, phtisin interdum suboriri posse cõcedim⁹; defluxionesq; phtisicis facilè suboriri, à quibus etsi læsio pulmonũ, non primùm genita sit, tamen ea ob tussim, quam de nouo huic, quæ ab vlcere alioquin iam priùs progressa fuit, copulat, plurimùm sic augeri potest. Frequentiùs tamen si ab humore pulmones vlcerãte phtisis fit hoc eo in pul-

pulmonũ substantia congesto, retento corruptoque, nec per tussim reiecto, vel sæpiùs se iterum congerente, procedere potiùs existimamus, cùm in substantia pulmonum genitus, nec dum in asperæ arteriæ ramos se ingerens, tussim minùs, quàm si à capite deflueret in asperam arteriam, mouendo, diutiùs subsistere, sicq; magis lædere possit.

A' sanguine vel pure pulmones quoque vitiari, hocque pacto phtisim suboriri posse, docent; Et in hæmoptoica passione, quod sanguis non sufficienter per tussim excretus, retentus, putrescens pulmones lædat, phtisim sic produci. Verùm cùm ob venam ruptam potiùs hoc, vti demonstrauimus, fiat, si tunc quoque sanguis è vasis elapsus, alicubi subsistat, nec excernatur, & corrumpatur, duplicem ob causam, tunc pulmonum hæc læsio procedet. Quòd si verò sanguis non à venâ ruptâ pulmonum, sed per asperam arteriam à superioribus in pulmones delabatur, nisi tussi rursum, vti ferè fit, eiiciatur, & ille infixus alicubi subsistat, quod vix tum fit, tunc etiam putrescens, eâ ratione pulmones potest lædere. In inflammationibus pulmonum in pleuritide & peripneumonia, sanguis similiter ab ea exudans, vel pus, quod ex eo suppurato nascitur, si per tussim non sufficienter expurgentur, sed in pulmonibus retenta eos inficiendo corrumpant, pthisim quæ nonnunquam pleuritidem vel peripneumoniam non bene per tussim expurgatam sequitur, gignunt. Pus quoque in vlceratis & corruptis iam phtisicorum pulmonibus, tum quia continuò generant, tum quia pulmonibus infarcta portio illius manet, illos iam priùs vlceratos, vt magis magisq; corrũpantur, efficit.

A' venenato humore vel qualitate pulmonibus infestâ, pulmones si exulcerentur, sicuti de lepore marino scribunt, illius esu pulmones vlcerari, siquidem verùm est, id non nisi ab eiusmodi aduersâ pulmonibus vi, inde exurgente, proficisci potest.

Curatio.

ACcommodabitur hęc consumptioni corporis primum huic quæ generalis est, totumque corpus occupat, postea particulari, quæ certis duntaxat partibus accidit.

Generalis totius corporis consumptionis diuersorum generum curatio, primùm prout hæc vel in sanis vel ægris accidit, distinguitur.

In sanis alioquin nec alio morbo detentis, si ob inediam diu passam, nutrimentique inde profectum defectum, Atrophiam quandam corpus patiatur; Vel ob labores curasque, absumpto humido substantiali consumatur, tunc si rursum decenter cibentur, à labore vehementi abstineant, curasq; seponant, sponte hæc emendantur, nisi penitùs ad extremam vsq; tabem corpus redactum sit, quæ ęgrè ampliùs cedit. Vti & ob senium ætatis causâ, absumpto humido substantifico, atque arefactis membris contracta macilentia, sicut nec senium ullo pacto ampliùs corrigi poterit. *Atrophiæ & Marcoris curatio.*

In ægris si ob Appetentiam prostratam, quia cibos non sufficienter admittunt, vel morbi vim nutrimentum absumentem, nutrimentiq; inde profectum defectum, Atrophiam aliquam corpus patiatur, ea postquam morbo cessante, ægri conualescentes cibum rursum appetunt, quoque desinit, corpusque pristinam habitudinem recuperat. Quòd si verò ob morbi diuturnitatem, vel vim & acutiem, illius humidi substantifici defectus sequatur, marcorque quem senium ex morbo vocant, inducatur, is certè, vti nec humidum ipsum, aut senium, reparari ampliùs minimè poterit.

In morbis viscerum chylificationi & sanguificationi destinatorum, ventriculi pręsertim, hepatis & lienis, quę sequitur Atrophia ob nutrimenti defectum, qui à morbis illis procedit, vnde sanguis non sufficiens vel inutilis ad nutritionem generatur, curam potissimùm eam exigit, quæ hisce morbis debetur, quibus sanatis mox corporis redit integritas, sin minùs, ægrum cum morbo pessundat. Quam curationem horum morborum in aliis grauioribus accidentibus, ab eiusmodi morbis etiam profectis, descripsimus: Veluti in Cachexia, cuius quoque speciem esse Atrophiam, illic ostendimus. Dein. & in Hydrope aliisque nonnullis, à vi- *Atrophia cũ morbis copulata vti & cachexiâ & hydrope curatio.*

à viscerum horũ morbis prodeuntium symptomatibus, atrophiam quoque comitem nactis. In quibus omnibus, corporis huius consumptionis causâ, si admodùm hominem conficiat, Nutrimentis euchymis, beneque nutrientibus, sæpè sunt reficiendi: Eligendo exquisitiora ex illis, quæ in hectica febre & phtisi copiosè descripta sunt, & à ventriculo, qui hîc plerunque debilitatus est, euinci queant: Huius quoque causâ, si illorum appetitus omnino deiectus sit, adeò vt vix aliquid vel parcissimè saltẽ assumant, iniectio per clysmata ad nutriẽdum, aliquid iuuare posse creditur. Qualis in febre hectica ex lacte, iure capi & vitello oui concinnata exposita fuit: Quę & ex decocto aliarum carnium & succo expresso, vel per decoctionem in formam congelati redacto, & aquis inde exstillatis; item cremore Hordei, addito & Vino parata conueniet.

Marasmi & Colliquationis corporis curatio. Febris hecticæ causâ, ob temperamenti insiti in calidius & siccius sensim conuersionem, si Marasmus sequatur, quo pacto procedendum, in cura febris Hecticę Marasmodis abundè declaratum fuit.

Vti & in causone febre ob eandem causam, sed violentiorem subitò accidens colliquatio corporis, in cura febris colliquantis quid faciendum, expositum fuit.

A febre verò hecticâ lentâ ab exulceratione pulmonum profectâ, temperamentum quoque peruertente, quæ sequitur Tabes seu Phtisis, quo pacto tractari debeat, & quid de eâ prædicendum, cùm in febribus obiter illius tantùm meminerimus, hîc nunc exponendum.

Phtisis à Pulmonũ exulceratione cura, & Empyematis. Pulmonum continuitas soluta, ob ruptũ vas aliquod, vnde sanguinem spuunt, ægrè iterum coalescit, & proin vix dum quò minùs exulceratio sequatur, impediri potest. Quæ si iam, vel ob hãc aliámve causam pulmonum substantiam inuaserit, purulentaq; & putrida exscreent, longè minùs, immò difficillimè curatio succedet, desperataque omnino est salus, si pulmones corrumpi, atque ex parte aliquâ vel magnâ in pus conuerti atque putrescere, ac empyema in pectore excitare incipiant. Quam curationis difficultatem vel impossibilitatem, motus continuus pulmonum ex parte parit, qui illorum continuitatem solutam nõ finit ampliùs coalescere, vti & tussis comes, à purulenta illa materia, vel accedente defluxione, indesinenter molestans, pulmonesque magis magisque concitans. Dein & cùm medicamenta ad pulmones vix minimâ suâ portione peruenire possint, illa quoq; in ruptura vasis, aut vlcere iam nato, cùm parùm operari queant, curam protrahunt, atque irritam sæpè faciunt: Vti & illud, quòd pulmones corrupti reparari ampliùs nequeant, & quod de pure pectori illapso in Empyemate, si accedat, parùm aut nihil per exscreationem egeri possit. Et licèt sectione factâ è pectore educatur, tamen pulmonum remanet exulceratio, sine quâ empyema vix gigni posse priùs demonstrauimus. Quod &, licèt nullâ præcedente exulceratione pulmonum, ab abscessu aliquo alióve modo, vti dictum fuit, orir etur, nisi maturè illi exitus sectione patefiat, vnde fortè sanari posset æger, si ita rem se habere cognosceretur, vel æger apertionem cõcederet, retentum pulmones corrumpit, & in idem periculum inducit.

Curatio, cùm nihil intentatum relinquere debeamus, suscipienda, prognostico tamẽ priùs in deteriorem potiùs quàm meliorem partem inclinante, præmisso. Accommodaturq; hæc præcipuè morbo, veluti exulcerationi seu corruptioni pulmonum, & simul cum eo purulentæ huic excretioni cũ tussi, quæ inde procedit, vti & puris collectioni in pectore in empyemate, si illi iungatur: Dein & alio morbo comiti febri hecticæ, & simul consumptioni corporis, quæ ab ea potissimùm exurgit: Postmodùm & causæ, defluxioni nimirum, vlcus vel inducenti vel fouenti, tussimq; adaugenti. Quod aliam causam attinet, venæ scilicet rupturam, quæ per sanguinis expuitionem cognoscitur, quid illius causâ faciendum, in hæmoptoica passione fuit expositum.

Exulcerationis pulmonum & corruptionis, indeque profectæ purulentæ per tussim excreationis & collectionis in pectore, causâ, exhibentur quædam, quæ licèt vix & minimâ quãtitate, ad eos per asperam arteriam

penetrare queant, tamẽ successivè vsurpata, aliquid quoq; possunt efficere. Danturq;, vti in aliorum vlcerum curâ fieri solet, abstergentia, quae pulmones à pure, & pectoris interiora etiam, si & illi pus à pulmonibus inhaereat, repurgent, & ad excretionem, quae per tussim fit, promoueant. Quae & in empyemate si citra exulceratione pulmonum illud fieret, vti docent, pus expectorando similiter proderunt. Dein & cõsolidantia exhibentur, quae vi exsiccante nonnihil & emplasticâ, pulmonum hanc diuisam substantiam, rursum quantum fieri potest, cõglutinent atq; vniant. Quod sequentia praestant.

Lac cùm tenuiore serosioreque suâ portione abstergat, & crassiore caseosâ conglutinet, & vtroque modo sic agat, ad curationem vlceris imprimis vsurpatur, cùm & simul fauces leniendo, pingui suâ butyrositate tussim inde natam quoque minuat: Facitque ea, tum sensim addito praesertim Saccharo aliisque conuenientibus linctum, vel bibitum, tum copiosè potum, sicuti ad consumptionem corporis reparãdam, illud hoc pacto affatim diuque bibi debere, mox demonstrabimus.

Potus Aquae mulsae, quae ex Aquae duodecuplâ, ex Mellis vnâ parte coquitur, loco potus ordinarij ad vlceris abstersionẽ iuuat, vti & Aqua saccharata, vel Ptisana; Aquae Chalybeatae potum, vlcus siccando, iuuare dicitur.

Iulepus à quibusdam probatur, factus ex aquis exstillatis è radic. Petroselini, Foeniculi, Enulae & Altheae, mistis, coctisq; cum Saccharo, addito dum coquitur, gũmi Tragach. vel Arabici portiũculâ, & succo Glycirrhizę.

Syrupi ad vlcerum pulmonũ curam propinantur: Atque ex vsitatis syrupis conueniunt Myrtinus vel Myrtillorum, lentorem cum vi siccante simul possidentes. Proderit & syrupus de Rosis rubris siccis & Cydoniorum.

Vel paretur sequens, rectius scopum adimplens: ℞. radic. Consolidae & Glycirrhizae ana ℥.j. ß. rad. Altheae ℥.j. radic. Acanthi vel Aristoloch. ℥.ß. herbarum Plantaginis, Veronicae, Pulmonarię, Brassicae, Tussilaginis, Bursae pastoris ana M.j. flor. Rosarũ, Violarum ana P.j. quatuor seminum frigidorum Maiorum ℥.ß. quatuor semin. frigidorũ Minorum, seminum Lini torrefact. ana ʒ.ij. seminis Nasturtij torrefacti ʒ.j. Cicerum rubr. P.j. baccarum Myrti vel Myrtillorum ʒ.ij. Iuiubarum, Sebesten ana paria vj. Passularum praepar. x. fiat decoctio, addendo Mellis vel Sacchari quart.j.ß. coquantur in formam syrupi, de quo sensim & saepè sumat. Botryos decoctum ad purulentas exscreationes commendatur.

Vel: ℞. succi radicum Cõsolidae ʒ.iij. succi Tussilaginis, Rosarum rubrarum ana ℥.j. succi Liquiritiae & Hypocistidis exiccatorũ dissolutorum in praedictis succis ʒ.j.ß. gummi Arabic. Thuris cõtusi ana ʒ.j. Hydromellitis ℥.iv. Sacchari Penidiat. Rosat. tabul. ana ℥.ij. syrupi Iuiubarum & Myrtillorum ana ℥.j.ß. Potest & succus Scabiosae addi, & ad consolidationem succus Plantaginis.

Eclegmata vel Linctus qui lambuntur, vel Electuaria quae sensim assumuntur, aut Tabulae seu trochisci, qui in ore donec sponte dissoluantur, tenentur, pro vlceribus pulmonum idonea, variis modis fiunt.

Ex vsitatis quibusdam, vt Diatragachanto frigido, Diapenidio sine speciebus, plerunque tabulatis: Vti & Saccharo Rosac. tabulato, quod valdè est vtile: Item ex conseruâ Rosarum frequenter sumptâ: Deinde & electuar. Resumptiuo sine speciebus, & Looch de papauere, quod & tussim admodùm sedat.

Ex illis qui in tussi describuntur, linctus aliqui, incrassantes praesertim, vi glutinandi aliquid ad vlceris huius curationem cõferre possunt, veluti ille qui ex Mucilaginibus, dein alter ex Resinâ laricea compositus.

Praeter quae, inprimis ad pulmones vlceratos vel corruptos, si fieri vllo modo potest, sanandos, proderunt sequẽtes pulueres; qui vel cum Sacchari rosf. tabulat. aut penidiati permistione, per se, vel cum Lacte sumũtur. Vel cum Saccharo dissol. in aquis cõuenientibus, in tabulas prius redigũtur: Vel cum syrupis instar eclegmatis componuntur, aut electuariis aliis misti, eo pacto sumuntur.

Primus: ℞. radic. Consolid. maioris ʒ.ij. rad. Altheae, Glycirrhizae ana ʒ.j. Rosarum rubr.

rubr. ℈. ij. gummi Tragachant. & Arabici parùm asſi ana ʒ.ß. Amyli ʒ.j. fiat puluis ſubtiliſsimus.

Alter: ℞. Cicerum rubr. ſeminis Lini & Cydon. parùm torrefactorum ana ʒ.j. ſemin. Naſturtij torrefacti ℈.j. ſemin. Plantagin. Altheæ, Maluæ, Portulacæ, Bombacis ana ʒ.ß. ſemin. Papau. albi ʒ.j. quatuor ſemin. frigid. Maiorum mundat. ʒ. ij. Balauſt. ℈.j. Thuris vel Maſtiches, Succini ana ʒ. ß. fiat puluis: Vtatur per ſe, vel cum priore permiſto.

Hiſce & Spodij vel rectiùs Lapillorum oculorum cancri & Coralli rubri puluerum ana ʒ.j. commodè permiſceri poteſt; Vel ſi ampliùs glutinandum, tantum Boli vel Terræ ſigillatæ.

Efficaciores magiſq; appropriati fieri creduntur, ſed minùs grati erunt, addẽdo Pulmonis vulpis cum tracheâ illius arteriâ in furno exiccati ʒ.j. cineris Aſtacorum fluuiatilium ʒ.ß. miſce. Confert & puluis cochlearum exiccatus, & Muſtelarum pulmo. Si ſputũ ſanguinis adhuc adſit, ſeminis Hyoſquiami albi ℈.j. vtiliter miſcebitur.

Ad purulentas exſcreationes, rad. Perſonatæ, Æthiophim. fol. Betonicæ, ſem. Irionis exhibet Dioſc. Alij etiam fol. Vlmi, Veronicæ & Scabioſę dant: Quæ prædictis pulueribus addi poſſunt.

Electuarium ſequens efficax exiſtit: ℞. conſerucę radicum Symphyti mai. ℥.j.ß. conſ. Roſarum rubr. ℥. j. infuſ. gummi Tragach. factæ in aqua plantaginis ℥.j. Coralli, Boli vel Terræ lemniæ ana ʒ. j. Hypociſtid. ʒ. ß. Croci ℈. ß. ſyrupi Myrtini vel Myrtillorum q.ſ. fiat electuarium. Poteſt huic addi de pulueribus præſcriptis ad ʒ.j.

Morſelli vel tabulæ ſequentes gratæ ſunt & vtiles: ℞. florum Roſarum exactè rubr. abſectis albis quibus innituntur vnguibus, exiccentur, fiat puluis ſubtilis, Irroretur ſucco Limonum, & cum Saccharo cocto cum aquâ Roſarum fiant morſelli.

Vel: ℞. Sacchari q.ſ. diſſolut. in Aqua Roſac. atque addito ſucco Roſarum rubr. fiant tabulæ.

Vel: ℞. Sacchari quartar.j. diſſoluti cum ſucco Roſarum & coquatur, & circa finem adde ſpecierum Diapapau. & Diatragach. frigid. ana ʒ.j. Conſeruæ radic. Symphiti ʒ.ß. fiant Tabulæ.

Trochiſci ore tenendi, admodùm conducentes: ℞. Reſinæ lariceæ, vel Terebinth. parùm coctæ vt pulueriſari queat, Thuris ana ℥.ß. Myrrhæ, Sanguinis draconis vel Balauſt. ana ℈.j. Croci ℈.ß. radicum Conſolidæ ℈.ij. Sacchari roſarũ tabulat. ℥.j. infuſ. gummi Tragach. factæ in aqu. Tuſsilag. q.ſ. fiant formulæ.

Sulphur diſſolutum & fuſum in aquam Plantaginis, Tuſsilaginis vel Roſarũ, boni odoris causâ aliámve conuenientem; idque ter quatérve repetitum, pulueriſatum, datũ per ſe cum ouo ſorbili alióve modo, aliiſve permiſtum, vti & Saccharo, hîc quoq; vt in cæteris eiuſmodi pectoris affectibus, probatur. Chymici magis elaborando, albumque reddendo, flores illius exhibent. Sulphureas quoque thermas bibitas opitulari putant.

Ad curationem exulcerationum pulmonum, præter exhibita, alia quoque adminiſtrantur. Conferetque ſi ſuffitus vel fumos, qui vlcera ſiccant, naribus atque ore excipiant, & cum inſpiratione in pulmones attrahant, quò & rectiùs, quàm quæ exhibentur, peruenire poſſunt.

Proderitque imprimis ſuffitus ex vapore decocti, quem calidum ore excipere debent, in tuſsi deſcriptus.

Ampliùs ſiccant fumi, probaturque præ omnibus ex radicibus & foliis Tuſsilaginis accenſis excitatus fumus per inſpirationem attractus: vt & caudæ equinæ.

Vel qui aliis quoque additis, vti & ſemine Hyoſquiami, ex trochiſcis in tuſsi ibidẽ declaratis paratur.

Aut alij qui cum foliis iiſdem cæteriſque, Sulphur quoque recipiunt, in Aſthmate expoſiti.

Vel qui hoc pacto fiunt: ℞. gummi Hederæ ʒ.j.ß. Thuris ʒ.j. Myrrhæ ʒ.ß. Succini ℈.j. Benzoini, Storacis ana ʒ.ß. Hypociſtidis ℈. ij. ſemin. Coriandri, roſarum Rubr. Santali rubr. ana ℈. j. pulueriſentur, excipiantur infuſ. gummi Tragach. vel Reſinâ lariceâ, fiant trochiſci: Poteſt & parùm cortic. rad. Mandragoræ, vel ſemin. Hyoſquiami addi; Auripigmenti tantillũ non ſatis tutò aliqui

addunt, falsi fortè, quod cùm Sandaracham legerent, gummi Vernicem dictum intelligentes auripigmentum sandaracham quoque vocatam esse putarunt.

Aër siccus, qui phtisicis magis quàm vdus conuenit, si in eo potiùs versentur, & spirando eum attrahant, aliquid siccando vlcera, poterit efficere.

Inunctiones pectoris aliquid quoque opitulari possunt, ex relaxantibus vnguentis, vt faciliùs expuant purulentam materiam, qualia in tussi & asthmate fuêre exposita. Quòd si verò illa pauca sit, vel remittat, ad vlceris sanationem aliquo pacto iuuandam, leuiter adstringentia & consolidantia illis permiscenda, an fortè vis illorum ad pulmones vsque penetrans, aliquid posit efficere.

Veluti: ℞. olei Myrtillorum vel Rosacei, Mastichini ana ℥.j.ß. mucilagin. rad. Consolid. & seminis Altheæ ana ℥.j. farin. s. Lini vel Fœnogr. ʒ.ij. Sarcocollæ nutritæ in lacte, Thuris vel Mastiches ana ʒ.ß. Myrrhæ ℈.j. Resinæ lariceæ ʒ.j. Croci ℈.j. Ceræ albæ parùm, fiat Linimentum.

Ad cōcoctionem seu maturationem abscessus, quem alioqui in pectoris cauo genitum, empyema producere existimant, vt citiùs antequā grauiores noxas adferat, rumpatur, quædam quæ illud efficiant, pectori applicant. Quæ nos eo nomine potissimùm aliquid præstare putamus, quòd excoquendo pus, vt faciliùs tussi postea excreetur, opitulentur.

Atque ita emplastrum Diachylon magnum, vel ireatum, similiaque admoueri poterunt.

Quòd si maturantibus, ea quæ materiam euocant, metasyncritica dicta addātur, tunc quia prẹter puris elaborationem, illud ad superficiem trahendo, cutemque simul rarefaciendo, vt illic exitum quærens, tuberculum protrudatur, efficiunt, locumque vbi sectio fieri debet, illudque emitti debeat, demonstrant, hocque pacto præcipuè iuuant.

Cuius rei gratiâ sequens conueniet: ℞. rad. Altheæ, Bryoniæ, Iridis ana ℥.ij. Ficuum p.x. Dactylorum num. vj. flor. Chamomil. Meliloti ana P.j. sem. Fœnogr. Lini ana ℥.j. coquantur & contundantur, adde ol. Liliorum ℥.ij. de Piperibus ℥.j. sem. Sinapis ʒ.ij. Fermenti ℥.j. fiat cataplasma.

Picatio supra pectus facta; si de puris collectione magnâ constet, atque ex fluctuatione, & prominentiâ quadam in pectore cognoscatur, vt magis se tuberculum patefaciat, conuenire poterit.

Iniectiones in pectoris cauitatem factæ, in corruptâ pulmonum substātiâ aliquâ, vel in ambitu vlceratâ, si à vulnere pectori illato, pulmonibus simul læsis hæc sequantur, cùm tunc via aperta sit, per quam hoc fieri posit, plurimùm iuuant. Vidimusque horum vsu, propinatis interim quoq; aliis, quę in aliis exulcerationibus conuenire iam ostendimus, quendam, cui à cultro per pectus ad pulmones vsque adacto, vlceriq; inde nato, pulmonum portiones corruptæ, aliquoties è vulnere prodibant, & qui penitùs contabuerat, nihilominus restitutū, multis annis postea vixisse: Alium quoque diu cruentam, saniosam & purulentam per vulnus pectoris excernentem materiam, iam longo tempore horū vsu, adhuc manere superstitē.

Fiuntq; hę iniectiones primùm ex abstergentibus, & postea vlcus siccantibus & consolidantibus, vsurpando quædam ex leuioribus, quibus in aliis vlceribus quoque vtimur, illicque descripta sunt, parata ex Aquâ mulsa, Sero lactis aut ipso lacte; Aquâ Mellis vel Lariceæ: Vel vnguento de Apio, decocto Hordei aliarúmve quarundam plantarum.

Vel abstergens hæc fiat iniectio: ℞. seri Lactis caprini ℔.j.ß. Mellis rosac. ℥.iv. Succorum Chelidoniæ & Apij ℥.j.ß. misce.

Ad sanationem interpolatis vicibus & tandem, vbi pus nullum ampliùs prodit, indies vtatur hac iniectione: ℞. Lactis Caprini, in qua radic. Consolidæ maioris coxerint ℔.ij. succi Plantag. ℥.j.ß. Sarcocollæ nutritæ cum lacte, & dissolutæ in eodem ʒ.j.ß. Myrrhæ ʒ.j. resinæ Lariceæ dissol. in vitello Oui ʒ.j. misce.

Sectione aperturam in pectore moliendo, si de collectione puris in Empyemate certi simus, atq; illud ex tuberculo in interuallis costarum prominente, & fluctuatione (vti dictum) cognoscamus, pus omnino erit educen-

educendum, cùm aliâ viâ inde euacuari tanta illius copia minimè poſsit, per quá ſi empyema citra exulcerationé pulmonum fieret, curari poſſet; & licèt ſi illa ſimul adſit, & ſectione factâ cura non ſuccedat, tamen cùm ſine eâ, empyema curari nequeat, ſatiùs erit in extremo morbo, extremum remedium, quod tamen ſine periculo adminiſtrare poteſt, tentare, quàm ægrum deploratum relinquere, eoque magis, cùm, etſi non conferat; quia tamen, cauſam huius affectus, pus & pulmonum corruptionem fuiſſe, patefacimus, & quòd ſanari non potuerit, eâ oſtendimus, nos à culpa omnis commiſsi erroris liberamus. Sed &, etſi de empyemate adhuc dubij eſſemus, dummodo de pulmonum corruptione conſtaret, ſi maturè ſectio inſtitueretur, fortè ad curationem non parùm adferret vtilitatis, cùm tunc per inciſum hoc foramen, pus è corruptis pulmonibus atque thorace, ſi illi etiam adhæreret, quod alioquin per ſuperiora tuſsi ægrè, nec dum ſufficienter, exſcreari poteſt, faciliùs expurgaretur: & quòd iniectiones, vti priùs dictum, per hoc vulnus, ad pulmones vſque, quo alioquin remedia aſſumpta vix perueniunt, penetrare, indeq; rurſum è pectore refluere poſſent. Quâ ratione quendá, cui à vulnere inflicto pulmonũ portio computruerat, ſanatum fuiſſe, priùs demonſtrauimus.

Perficiturque hæc ſectio, præmiſſo ſemper prognoſtico, ſi tuberculum promineat, illic nouaculam vel ſcalpellum in pectus vſque adigendo, ſubiectaque pelui pus excipiendo, nec tamen vnâ vice vniuerſum, ne vires concidant, ſed reiteratis vicibus illud emittendo. Quòd ſi nil appareat, in humiliore thoracis ſede, illic vbi nulli alij muſculi intercoſtalibus incumbunt, ſupra duodecimam coſtam per interuallum illud, ſectio facienda, vt ſic pus quod in pectus delapſum ſepto incũbit, quod duodecimæ coſtæ connectitur, promptiùs effluere poſsit, tamque diu vulnus, donec omne penitùs effluxerit, apertum retinendum.

Vſtione pectus ſic aperiri etiá poſſe docet Hipp. Quæ cauterio actuali, cùm potentiale in ima pectoris vſque, viam vix patefacere poſsit, perficienda eſſet; Verùm cùm non ſatis tutum ſit ferrum candens imprimere, ſectione hoc tutiùs præſtabitur.

Febris hecticæ, vlcerationem pulmonum comitantis, indeq; natæ extabeſcentiæ cauſâ, quæ potiſsimùm vſurpãtur remedia, ſubſtantiam corporis amiſſam reponere, atque intemperiem ſiccam partium corrigere debent; quæ ſi alia quoque commoda vlceri præſtent, eò erunt conuenientiora.

Quæ ſubſtantiam corporis præcipuè reſtaurant, & ob hanc cauſam licèt alias quoque vtilitates præſtent, præcipuè vſurpantur, remedia alia exhibentur, alia foris adminiſtrantur, alia injiciuntur. *Reſtaurantia ſubſtantiã corporis, in phtiſicis remedia.*

Exhibentur quæ nutrimenta vel tantùm ſunt, vel etiam medicamentoſa exiſtunt.

Quæ nutriméta tantùm ſunt, ad refectionem corporis abſumpti, illud alendo conducunt, & cum rorido ſucco, dum corporis ſubſtantię apponuntur, illud humectent, ſiccitatem à febre hecticâ illi inductam, ſimul corrigunt; quod vt faciliùs præſtent, talia quæ facilè concoquantur, bonumq; ſuccum gignant, citoq; digerantur, corporiq; apponantur, eſſe debent. Inter quæ cùm Lac non ſolùm hoc præſtet, & totâ ſuâ ſubſtantiâ corpus admodum alat, ſed & ſimul temperie ſuâ & humiditate, puris humorumq; in pulmonibus coaceruatorum, vel humorum defluentium, ſi hi inſuper accedant, acrimoniã & ſalſedinem contemperet, atq; vlceri pulmonum ſimul ſeroſitate ſua abſtergendo, & caſeoſitate glutinãdo, vti priùs dictum, proſit, pinguedineque illi inſitâ leniendo, tuſſim ſedet, cæteris omnibus ferè in phtiſi vſurpari ſolitis, præfertur remediis.

Sumitur auté in hanc rem, lac tum quod vſitatum eſt, in cibis vaccinum, caprinum, ouinum, vel etiam quod non ampliùs conſuetum eſt, aliàs aſſumi, vt poſt infantiam, muliebre, & à beſtia deſumptum, aſininum. In quib. omnibus, etſi vires eiuſmodi nutriendi, leniendi, detergẽdi & glutinandi ob quadruplicem, ex qua quodlibet lac componitur, ſubſtantiam inſint, tamen cùm vnũ lac in vno aut altero homine potẽtiùs agat, nos prout operationem illius requirimus, hoc illúdve, quod id quod cupimus potẽtiùs præſtare poteſt, eligimus.

Ex vsitatis lactis generibus, quibus frequętiùs cùm ægris grata nec fastidiosa sint, vtimur, præfertur lac Caprinum, cùm magis serosum, & proin vi abstergente maiore prędìtum sit, quam in purulentis hisce phtisicorum pulmonibus maximè requirimus. Propinaturque recenter emulsum & adhuc tepens vel recalefactum, idque ieiunis manè ab ℥. iv. vel v. incipiendo, indiesq; illius mensuram augendo, donec ad ℥. viij. vel xij. vsque peruentum sit: Interdum & sub vesperam tempore somni repetendo, illiusque vsum sic ad mensis spacium vsque vel vlteriùs continuando.

Huic vt magis abstergat, Saccharum vel in senioribus Mellis tantillum misceri poterit, quæ & lac à corruptione præseruant. Vires illius detergendi aliquo pacto etiam intenduntur, & pulmonibus magis appropriatur; si capra herbis, qualitatem eiusmodi & proprietatem habentibus, pascatur; vt fol. Rubi, Salicis, Pulmonariâ, Tussilagine; Item Hordeo, Fabis, Lentibus contusis, addito seminis Fœniculi & Salis modico, aliisve similibus.

Non adeò absimile lacti caprino & Vaccinum existit, quo & in illius penuriâ, vel in illis qui eo consueuerunt, vti possumus, cùm & vim detergendi, licèt non adeò validam, vt putant, possideat, quam tamen additione sacchari augere possumus. Et cùm vicissim vaccinũ plus lacte caprino exulceratos pulmones glutinare, crassiore suâ parte videatur, non incommodè eo, postquam aliquandiu caprinum vel aliud detergens biberint, vlcusq; repurgatum fuerit, vtemur, & quod reliquum supererit, ad vsum lactis temporis, vaccini lactis exhibitione, eadem mensura & ordine, vti caprini, complebimus.

Cui quoque vt vlcus validiùs consolidari iterum possit, Saccharum rosatum tabulatum commodissimè admiscebitur, sicq; diu propinabitur. Sunt qui Silices vel Ferrum, aut Chalybem ignita in eo priùs extinguũt, vt sic absumptâ serositate illius, crassius redditum magis glutinet. Vel illud cum aqua pluuiali, admistis rosis, priùs decoquunt. Quod rectiùs si radices Consolidæ in eo ebulliant, efficiet. Quæ tamen circa finem vsus lactis aliquoties sic vsurpata, magis conuenient, quàm si toto tempore eo modo vsurparentur. Vti & lac Ouinum circa finem aliquamdiu bibitum, glutinando similiter iuuabit.

Sunt qui lactis eiusmodi genera in cibis consueta, nullo obseruato ordine, potus ordinarij, vel aquæ, vel vini, vel alterius potionis loco ebibere iubent.

Ex non consuetis aliàs lactis generibus, & proin ægris minùs gratis & nauseâ quandam parientibus, præcipuè extollitur lac Asininum, cùm ob serositatẽ admodùm abstergat, quod maximè in cura vlcerum pulmonum necessarium esse diximus. Et proin illud cùm haberi potest, atque ægri non respuunt, loco lactis caprini, quod & viribus hisce hoc superat, eodem modo & mensurâ propinari, & tamdiu, vti illic dictum, continuari debet.

Non minùs in phtisicis etiam summopere lac Muliebre commendatur, quod iisdem viribus instructum, peculiariter etiam præ cæteris ad nutritionem & refectionem corporis tabidi, feliciùs operatur, vtpote quod naturæ nostræ magis simile & familiare, in corporis substantiam citiùs & meliùs conuertitur. Quod à muliere sanâ ægro sic propinari debet, vt illud è mammis ipsius indies bis terve bonâ mensurâ exsugat, sicq; à nutrice tanquam infans longo tempore lactetur. Quâ ratione aliquos restitutos nouimus, aliquemq; conualuisse, non solùm, sed tantas etiam vires recepisse, vt ne lac sibi in posterum quoq; deficeret, nutricem de nouo imprægnarit.

Alia quoque alimenta in cibis vsurpari solita, euchyma & eupepta, ad corporis extenuationem nutriendo conferunt, qualia omnis generis passim, & præcipuè in febris hecticæ cura, vbi eundem vsum præstant, describuntur: vt sunt ab animantibus petitæ carnes quadrupedum, esui destinatorũ, iuniorum teneræ & succulentæ, gallinacei item generis: in quo Capi & Perdices præcellunt. Dein & auium quarundam, inprimis nemoralium. Præterea cerebra & testes, oua, à quibusdam desumpta. Quo & piscium saxatilium carnem referre possumus,

quæ

quæ etiam euchyma & plus humectare videtur. A' plantis petita idem prestant, semina aliqua cerealia, vt Triticum, Hordeum, Oryza, Auena & fructus nucleati quidam, vt Amygdalæ, Pineæ, Pistacia, & ex pulposis, Passulæ, quæ singulari potentiâ impinguare corpus, aliqui docent.

Imprimis verò ad reparationem hanc, corporis sustantiæ, & humectationem ariditatis ipsius, in phtisicis antefertur cęteris, caro testudinum Nemoralium & Cochlearum terrestrium: Vti & Astacorum caudarum & chelarũ, Ranarumq; coxarũ carnes.

Ex quibus enarratis, innumerę præparationes pro cibo & potu in hosce vsus destinatæ fieri possunt. Vt caro prædictorum elixa vel assa in cibis datur integra vel incisa, vel contusa alitérve præparata. Vel ius inde coctum, aut priùs in congelati formam redactum propinatur, aut succus à carne assâ expressus. Dein & ex fructibus cerealibus fit Panis laudatus & purus, vel Placentæ aut Pultes, cum Iure vel Lacte, ad quæ & referimus Amygdalatum, Pineatum, Hordeatum, Oryzatum, Auenatum, quod & Galenus phtisicis competere docet: Item emulsiones quas lac vocant, ex illis expressas; Passulæ & Vuæ pensiles per se comeduntur. Quò & Vinum referimus subdulce, quod cùm plurimùm reficiat, si ægris priùs consuetum fuerit, non temerè penitùs subducendum. Quemadmodum in febris hecticæ, curâ quoque demonstratum fuit, vbi & ciborum enarratorum præparationes aliquas, quæ phtisicis quoque conuenire possunt, descripsimus.

Inter quas Aquæ quoque à nutrimentis exstillatæ aliquæ illic recensentur simplices, quibus corpus quoque restaurari & humectari existimatur, & præter has Aqua ex capone destillata inprimis in vsu est, atque inter reliquos phtisicis hoc pacto præsertim competere aquam Cochlearum terrestrium autumant, quod & ex Testudinum, Cancrorum, Ranarum carne exstillatæ, vtpote huic affectui admodùm appropriatæ, efficere poterunt.

Nutrimenta medicamentosa additione etiam aliorum, quæ febri hecticæ ampliùs adhuc resistant, & plumonum læsioni simul opitulari nonnihil queant, fiunt: Qualia in formâ panis & tabellarum in febribus hecticis proposita, hîc quoq; possunt cõpetere.

Ad quorum imitationem multæ aliæ eiusmodi parari possunt, quibus non solùm pectoralia, sed & vt simul vires deiectas restaurent, cordialia, vt Diamargaritum frigid. Electuarium de gemmis sine speciebus: Item Lapides preciosi, Margaritæ, Aurum limatum & foliatum, aliaque eiusmodi cùm preciosa sint, etiam efficacia credita, interdum adduntur.

Fiunt & aquæ stillatitiæ ex nutrimentis, quibus & alia iam dicta pectori congruentia & vires reficientia permiscentur, elicitæ ad eosdem vsus, quas destillationes seu sublimationes, vti eas nominare solent, Instauratiua, quòd corporis substantiam, instaurare nonnihil etiam nutriendo credantur, appellant. Cuiusmodi aqua composita ex Iure caponis cæterisque parata in febre hectica annotata fuit, quæ hîc quoque propinata proderit.

Vel potest tale Instauratiuum ex destillatione sequentium fieri: ℞. Carnis Capi vel Gallinæ musculosæ, quæ sternum ipsarum opplet, diligenter vndique abrasæ ad ℔. j. Cui & Columbarum, Pullorum vel Perdicum eadem caro addi poterit, Cochlearum terrestrium exemptarum è testis num. xij. caudarum Cancrorum abruptarum, vel coxarum Ranarum numer. xx. decoquantur omnia in Aquæ ℔. vj. donec duæ absumantur, dein Ius residuum cum carne infundatur in alembicum, addendo simul Pultem factam ex Medullæ panis ℔. ß. Amygdal. quartar. j. nucleorum Pinearum ℥. ij. seminum Melonum vel Peponum ℥. j. ß. seminis Papaueris albi ℥. j. cõtusione & maceratione cum Lacte. Item Passular. Ficuũ ana quartar. j. radic. Consolidæ maioris, Liquiritiæ an. ℥. j. ß. radic. Ireos, Enulæ ana ℥. ß. foliorum Vngulę caballin. & Plantagin. rec. ana M. j. florum Cordialium ana P. j. gummi Tragachant. Thuris puluer. ana ʒ. ij. Succini ʒ. j. Boli purissim. vel alt. Terræ pinguis ʒ. ij. Spicænardi ʒ. j. Sacchari vel Mellis ℥. ij. Eliciatur aqua ad vsum.

Quæ febris hecticæ causâ, vt hanc illius intemperiem corrigant, propinantur medicamenta, eadem ferè conueniunt, quæ & in aliâ hecticâ solitariâ describuntur, vt Iulepus: qui ℞. aquæ Violarum, &c. Vel qui ℞. succi Portulacæ, &c. vel Syrupus qui ℞. radicum Buglossi aut aquam Portulacæ, Scabiosæ, vel Tabula. Saccahari Rosati, aut Cõditum, quod ℞. conseruæ Rosarum, &c. Quæ tamen in hac febre lentâ, sic vsurpari debent, quemadmodum in curâ huius febris lentæ, in fine tractationis febrium meminimus, & quo pacto administrari debeant, docuimus.

Foris quædam & febris hecticæ causâ & tabis inde progressæ nomine administrantur, vti Balnea atque Inunctiones spinæ post balneum, Frictionesque molles, eo modo vti in Febre hectica solitaria hæc edocta fuerunt.

Vbi & iniectionum nutrientium, vti & priùs in curâ atrophiæ meminimus, quæ tempore summæ necessitatis, tentari quoque poterunt, si cibum planè sumere vel non possint, aut omnino fastidiant, quod tamen raro illis euenit, cùm plerunque appetitus eorum vel nihilominus constet, aut non omnino sit deiectus.

Phtisis cum catharro copulatæ cura. Humores à capite defluentis potissimùm causâ, vnde tussis iam priùs eius affligens, ampliùs augetur, si catharrus phtisi copuletur, sequentia fiunt.

Purgantia exhibentur interdum ad prouentum illius humoris nonnihil impediendum, tuncque solùm, cùm is admodum abundat, cùm alioquin ratione vlceris, quia nihil è pectore educunt, nullam vtilitatem adferunt, & si corpus admodùm emaciatum sit & debile, potiùs lædant, & quia alui fluxus in phtisicis exitialis, in periculum sæpè abducant.

Leuioribus proin purgantibus, si necessitas aliquo pacto illud expostulet, vtimur, qualia in asthmate cui defluxio quoque accessit, descripta sunt, & Mannam, cùm & illa simul expectoret, & Cassiam cum decocto Polypodij & fructuum, vel cũ Iure galli decrepiti recipiũt. Vti & alia mitiora expurgãtibus trochiscis, potionibus, infusionibus, pilulis atque electuarijs illic similiter exposita. In tussi quoque à defluxione genitâ, purgantia eiusmodi, quæ blandiùs agunt, tum ea quę catharrum simul sistũt, in eâ explicata, huc quoq; accommodari poterunt.

Præparantia humorem tum defluentem ante purgationẽ, vt rectiùs expurgetur, tum eum qui iam defluxus est in pectus, vt inde expectoretur, etiam exhibentur, qui si tenuis sit, eum incrassando sistant, vel vt faciliùs excreentur, præparent, si crassus pulmonibusq; infixus, eum nonnihil incidant, & si tenax, abstergant. Qualia quæ hoc illóve modo id præstant, variis formis in tussi vti & asthmate copiosè fuerunt exposita, è quibus quæ detergendo potissimùm operantur, cùm & pus simul ab vlceratis pulmonibus abstergant, & quæ incrassant, cùm & ad vlceris glutinationẽ aliquid conferant, præ cæteris eligi atque hîc vsurpari debent.

Sistentia defluxionem illam, si admodùm vrgeat, exhibentur quæ incrassando eam minùs fluxilem reddant, quibus & adduntur quæ humoris acrimoniam leniendo, & faucium exquisitum sensum nonnihil obtundendo, tussim mitigant, tum à pure, tum defluente humore concitatam. In quam rem conueniunt, in tussi ob catharrum eo pacto conuenientia narcotica, tum eclegmata, aquæ & pilulæ imprimis ibidem declaratæ. Et in asthmate expositæ Opiatæ & Formulæ.

Quibus & sequens addi poterit, quod admodum lenit & fluxum retinet: ℞. Mucilagin. s. Psyllij ℥. j. ß. infus. gummi Tragach. vel Arabici ℥. j. Amyli ʒ. ij. emulsiones s. Papauer. albi factæ in aqua Viol. ℥. j. ß. syrupi de Papau. Saccha rosac. tabulati ana ℥. j. misce: Capiat frequẽter. Ampliùs leniet si cùm exhibetur, portioni illius, ol Amygd. dulc. vel Butyri, recentiũ parùm permisceatur.

Formulæ: ℞. Amyli, Sacchari candi illius quod in syrupo Violarum concrescere solet, loco illius Penidiati ana ʒ ij. Boli arm. pinguis ʒ. j. Spicænardi ℈. ß. Hyosquiami albi ʒ. ß. cum infus. gummi Tragach. fiant trochisci: In buccis tenendi.

Reuellentia & deriuantia humorem defluentem ad pectus aliò similiter vsurpãtur:

Vt sunt

Vt sunt Clysmata iniecta aliquoties repetita, quæ tutiùs quàm purgantia per aluum deiectiones moliendo, ad humoris diuersionem potiùs, quàm expurgationes operantur.

Capiti in hunc etiam vsum adhibentur quæ siccando, caputque firmando, defluxiones & sistant & absumant, vt sunt Pulueres qui pilis insperguntur: Vel Sacculis excepti illi adhibentur: Item Emplastra eo nomine capiti admota: Lotiones capitis idem præstantes: Dein & fumi qui integumentis capitis, & puluinis excepti, capiti sic applicantur, naribusque excipiuntur. Qualia eiusmodi in defluxionibus cæteris passim describuntur: Vti & inde natis, tussi & asthmate.

Cucurbitulis item cum flamma sæpè scapulis seu colli lateribus admotis, defluens à capite humor à pectore auertitur. Item ligaturis, frictionibus, lotionibus extremitatum, sicuti in aliis quoque defluxionibus ostensum fuit.

Per vstionem in cute factam, defluxiones à capite si vrgeant, reuellere & deriuare, si non cessent, tandem necesse est. Idque vrendo cutem cauterio actuario potẽtialive, Reuulsionis gratiâ in brachio vel crure. Deriuationis autem in vertice supra suturam coronalem impressis: qualia cauteria omnis generis in defluxionibus etiã aliò delabentibus, & capitis antiquis doloribus, & abscessus curâ in doloribus descripta fuerunt. Item in tussi & asthmate, &c.

Alui fluxus si superueniat, citò cohibendus, nam mortem accelerat, cùm vires statim prosternat, & nihil de causa morbi educat. Augetur in hoc casu dosis adstringentium, quæ vlceris causâ per os dantur, vt bolus, terra lemnia, rosæ. Atque eorum quæ extrinsecùs ventri apponuntur, in diarrhœâ exponenda.

Atrophia particularis Schweinsucht curatio.

Particularis corporis consumptionis cura accommodatur huic Atrophiæ, quæ certis membris musculosis in pedibus, brachiis ipsorumq; fulcris euenit, ob impeditam sanguinis ad partes, quæ nutritionis illarũ causâ fieri debebat, distributionem. Quæ si à laxatione ꝓficiscatur, aut à Ligaturis nimiùm vel diutiùs membrum arctantibus, aut à tumore aliquo premente, hisce priùs prospiciendum, atque os luxatum reponendum, fasciæ vel vincula relaxanda, tumores (si fieri potest) summouendi, idque per eam curam quæ in singulis hisce affectibus fuit exposita. Quòd si ob absectas venas aut arterias maiores vel plures hoc eueniat, interceptâ viâ per quam pars nutriri debebat, desperatum ferè est malum.

Interea tamen omni studio sanguinem ad partem plùs minúsve absumptá allicere conabimur, adhibitis quæ illum calore alióve modo attrahant, vel dilatando viam aperiant.

Inunctiones hoc præstant calidæ actu, cũ validâ seu durâ frictione adhibitæ, indiesq; repetitæ, diuq; donec membrum augeri videatur, continuatæ, quod cingulo circumdato coriaceo, vel rectiùs chartaceo, quia nõ vltra quàm alioquin existit, tracta charta se extendit, commodè exploramus.

Fiuntque ex calidis potentiâ & relaxantibus Vnguẽtis, quę Schweinsalb nostri chirurgi vocant. Qualia multa quæ in aliis affectibus, iisdem potentiis operãtur, hîc quoque adhiberi possunt.

Præcipuè verò huic affectui hæc magis conuenire, vsu longo compertum: ℞. summitat. Sabinæ & Iuniperi, foliorum Leuistici recent. ana M. ij. florum Chamomill. vel etiam herbæ à nobiliori Chamæmelo desumptæ P. ij. granorum Iuniperi viridium immatur. vel etiam nigrorum maturorum P. ij. Incidantur omnia & contundantur parùm, adde olei Laurini & Liliorum q. s. vt omnia integantur, Axungiæ Porci vel Lardi separati à membranis, probaturque imprimis quod à rubro porco prouenit, Rotberger schmaltz vocatum, quartarium j. Aquæ vitæ ℥. ij. coquantur omnia, donec humiditas omnis consumpta sit, colentur & exprimantur, adde olei Spicæ vel de Baccis iuniperi exstillati, prout hoc illúdve ob odorem expetit vel fastidit æger ad ʒ. ij. vel plus, adde pulueris seminis Sinapi ℥. ß. radicum Pyrethri ʒ. iij. Piperis rotundi vel lõgi, vel Zingib. ʒ. ij. Ceræ q. s. fiat Linimentũ vel Vnguentũ.

Adduntur nonnunquam eiusmodi herbis

etiam Pini summitates, folia item Rutæ & Vrticæ: Item alia olea calida varia, vti & de Piperibus & Euphorbio, multæque aliæ Axungiæ, imprimis Equi, Ramschmaltz/ Canis, Vrsi, Vulpis, Taxi: dein & Butyrum. Et si cum hisce Astaci aliquot nostrates coquantur & Lumbrici, efficacius fieri docent. Maximeque si Euphorbij vel Castorei ʒ.ij. cum cæteris pulueribus adjiciantur, vel folliculi Capsici puluerisati, quod valde vrit. Amianthi pulueré ad ʒ.ß. vel plus additum, quamplurimùm proficere existimant. Vel Salis tantundem.

Ex enarratis herbis succus nõnunquam exprimitur, & cum oleis atque axungiis ad consumptionem coquitur, sicque additis aliis vnguentis concinnatur. Vel succi cum oleis misti citra actionem additâ Resinâ laricea & pulueribus, in formam nutriti rediguntur, sicque illitio fit.

Emplastra ex vnguẽtis eiusmodi fieri possunt, additâ Resinâ liquidâ & durâ, sed purâ. Sanguinem Vituli, addito puluere Piperis, aliisve, aliqui commendant.

Balnea ex decocto herbarum calidarum prædictarum, in vnguentis, additis quoque aliis calefacientibus, partibus præsertim appropriatis; Vt Saluiâ, &c. item relaxantibus quibusdam, vt Maluâ, facta similiter proderunt, si membra cõsumpta sæpè illis immergantur, & postea inungantur.

Dropaces adhibiti sæpeq; iterum decocti, sanguinẽ admodùm alliciendo, iuuare quoque possunt. Vti & Sinapismi hisce validiùs adhuc operantes, & eousque vt pars ruborem concipiat, sanguinem attrahentes.

Exercere quoque membra consumpta, item ea Fricare sæpiùs, plurimùm iuuabit.

Percussio itidem leuis citra dolorem, vel saltem non magnum, sæpiùs iterata, idque tabellis tenuibus, vel virgis, si præsertim membrum tabidum nonnihil stupeat, interdum si nihil aliud iuuet, fieri poterit.

LIBRI PRIMI FINIS.



DE VITIIS
LIBER II.

EXCRETORVM VITIA TRACTANS.



EXCRETORVM siue Reiectorum è corpore vitia, Symptomata sunt tertij generis, quæ excrementis, hoc est illis quæ excernuntur, insunt; & proin æquè affectus præter naturam atque reliqua symptomata, aut morbi, illorumque causæ, de quibus iam egimus, existunt. Hæc autem vitia in excretis, quæ postquam è corpore prodierunt, primùm sub sensus cadunt, pleraque visu & tactu, aliqua etiam olfactu, gustu & auditu percipiuntur & cognoscuntur. Variantque hæc in excretis, quòd illud quod excernitur, vitium contraxit, vel Substantiæ, si toto genere præter naturam sit: vel Qualitatis, si aliter se quàm secundùm naturam se habere debebat, habeat: vel Quantitatis, si abundantiùs vel frequentiùs quàm par erat, excernatur; atque hac ratione præternaturale & vitiosum existat. Vel quòd ob illius excretionem, quia non per loca conuenientia fiat, tale, licèt per se aliàs vitio careat, esse dicatur, cùm si tunc quoque illud quod excernitur, vitio laboret, duplici nomine hæc illius excretio præternaturalis euadat.

Hæc autem excreta præternaturalia & vitiosa per se vel causâ excretionis vel vtriusque existentia, cùm varia sint, nos primùm hac ratione illa distinguemus. Quod eiusmodi excreta vel reiecta è corpore, sunt ex eorum numero, quæ vel corpus constituunt: vel in eo continentur: illicque vel nata sunt, vel aliunde in illud peruenerunt.

Partium excretio. Constituentia corpus, Partes sunt ab ortu genitæ, è quibus corpus componitur. Vel illæ quæ postea in illo de nouo gignuntur, & corporis etiam humani partes existunt, corpusque fœtus constituunt. E quibus fœtus præternaturaliter excernitur: in *Abortu* & *Superfœtatione*; partes verò corpus constituentes; *in Partium ablatione.* Quæ omnia simul explicabuntur in PARTIVM EXCRETIONE, CAP. I.

Partium procidentia. Alias è partibus quæ corpus constituunt, aliquæ non penitùs à corpore excretæ abscedunt, sed saltem aliquousque extra illud feruntur & procidunt: in *Procidentiis Intestinorum, Omenti, Vteri, Podicis, Oculi, Testium*: de quibus simul agemus in PARTIVM PROCIDENTIA, CAP. II.

Contenta in corpore in eoque nata varia existunt, quæ præternaturalem excretionem pariunt, veluti Spiritus & Flatus, Humores & Excrementa, Corporaque varia sequentia.

Efflatio. Spirituum & Flatuum excretio præternaturalis se offert: in *Efflatione præternaturali*, per *Exspirationem*, per *Vulnus*, & præter hæc in *Stertore Narium, Ructu, Crepitu ventris, & Rugitu, Fœtore oris, narium*: Quæ simul exponemus in EFFLATIONE, CAP. III.

Humorum & Excrementorum excretio præternaturalis occurrit, in variis sequentibus excretionibus. Quod Lactis excretionem attinet, etsi & illa copiosa fit, vel etiam sponte citra suctionem lac effluat, vix præternaturalis esse censetur. Et si lac ob copiam mamillas distendendo in tumorem attollat, ad tumores, in quibus de eo actum, pertinet.

Spermatica excretio. Seminis excretio præternaturalis se exhibet: in *Venere nimia, Gonorrhœa simplici & virulenta, Seminis imperfecti*, vel per viam alienam, *aut nimis citâ effusione*: de quibus agemus, in SPERMATICA EXCRETIONE, CAP. IV.

Sanguinea excretio. Sanguinis excretio præternaturalis occurrit; in *Narium hæmorrhagia, Mensium & hæmorrhoidum fluere immoderato*, & præter hæc in alia *Sanguinea excretione* per *Oculos, Aures, Virgam virilem. Vrinarium meatuum mulieris, Vteri sinum, Podicem*, in *Poros*, & per *Aperturas* alias: De quibus agemus in SANGVINEA EXCRETIONE, CAP. V.

Purulenta excretio. Puris excretio præternaturalis fit: in *Purulenta excretione* per *Oculos, Aures, Nares, Vrinarium meatum, Vteri sinum, Aperturas.* Quæ simul proponemus in PVRVLENTA EXCRETIONE, CAP. VI.

Aquosa excretio. Pituitæ & Seri excretio præternaturalis se offert: in *Lachrymis, Stillicidio narium, Coryza, Vterino fluore, Sudore nimio seu vitioso*: atque alia horum humorum *Aqueâ excretione* per *Aures*, & *Aperturas alias*: de quibus simul tractabimus in AQVOSA EXCRETIONE, CAP. VII.

Exspuitio. Sputi humorumque illi permistorum excretio præternaturalis occurrit: in *Ptyalismo*, aliaque *Pituitosa exspuitione, Hæmoptoica passione*, aliaque *Sanguinea exspuitione*, vti & *Purulenta*, & *Vomicæ exscreatione*: Quæ simul describemus in EXSPVITIONE, CAP. VIII.

Vomitio. Cibi humorumque atque excrementorum simul excretio præternaturalis se offert: in *Vomitu* diuersimodè facto, vti & *Pituitoso, Bilioso*, quò & *Cholera morbus* refertur: item *Sanguineo*: De quibus agemus in VOMITIONE, CAP. IX.

Mictio. Vrinæ humorumque illi confusorum excretio præternaturalis se exhibet: in *Mictione Inuoluntaria, Immoderata*, sub qua & *Diabetes: Ardente*, sub qua & *Dysuria, Turbulenta, Purulenta, Lactea, Cruenta*, atque in *Vrinæ incontinentia* & per *Vulnus effluxu*, *Tinctáque vrina*: Quæ explicabuntur simul in MICTIONE, CAP. X.

Deiectio. Fæcum alui diuersorumque cum illis excrementorum excretio præternaturalis occurrit: in *Dyarrhœa, Lienteriâ, Cœliacâ passione, Dysenteriâ, Tenesmo, Hepatico fluxu, Deiectione* as, per aluum *Sanguinis concreti, Purulentâ, Mucosâ & Pituitosâ, Pingui, Stercoris euomitione, Mictione*, per *Vteri sinum*, & per *Vul-*

nera extretione: De quibus agemus in DEIECTIONE, CAP. XI.

Sordida excretio. Sordium diuersarum excretio præternaturalis fit: in excretione sordium *Aurium, Narium, Oculorum, Oris angulorum, Vteri sinus, Cutis, Pedis digitorum interstitiorum, Dentium*: Quę simul describemus in SORDIDA EXCRETIONE. CAP. XII.

Corpora diuersa in corpore nata, quæ toto genere præter naturam sunt, & præternaturaliter rejiciuntur, alia sunt animata: alia inanimata.

Animalium excretio. Ex animatis corporibus quæ excernuntur, alia & viuunt & mouentur: vt sunt *Lumbrici, Ascarides, Vermes prodeuntes è Naribus, Auribus, Tussi, Mictione*, ex *Vlceribus, è Vulnere, Dentium vermiculi, Vmbilici vermis, Pediculi, Chyrones manuum*: De quibus omnibus agemus in ANIMALIVM EXCRETIONE, CAP. XIII.

Animatorū excretio. Alia ex animatis quæ excernuntur, viuunt, sed nec sentiunt, nec mouentur; suntque *Mola, Tæniæ, Cucurbitinus vermis*: Quæ simul describentur in ANIMATORVM EXCRETIONE, CAP. XIV.

Terrestriū excretio. Inanimata corpora quæ excernuntur, sunt terrestria: *Arenulæ Mictione redditæ*, atque *Oculorum, Calculi, Emicti, Emuncti, Exscreati, Deiecti, Linguæ, Tonsillarum, Pororum*, aliive, vti & *Tophi Dentium* aliique: De quibus agemus in TERRESTRIVM EXCRETIONE, CAP. XV.

Rerū externarū, corpus subeuntium excretio. Ex non natis in corpore, sed extrinsecùs illud subeuntibus, indeque rursum præternaturaliter excretis, diuersa existunt: qualia occurrunt, in excretione illorum per *Oculos, Aures, Nares, Exspuitionem, Vomitum, Deiectionem, Mictionem*: Vti & per *Papillam, Corporis superficiem*, & à *Cute*: Sicuti hæc simul describentur, in RERVM EXTERNARVM CORPVS SVBEVNTIVM EXCRETIONE, CAP. XVI.



DE PARTIVM EXCRETIONE.

CAPVT I.

Genera.



PARTIVM corporis humani excretio, quâ penitùs à corpore abscedunt atq; auferuntur, quę pręternaturalis causâ huius excretionis, vel illius quod rejicitur, existit, dupliciter accidit; Primùm, quandò partes corporis post ortum genitæ, fœtum formantes, seu fœtus ipse rejicitur: Vel partes ab ortu natæ, corpus constituentes, à corpore prodeunt.

Partus naturalis, non tamen absque dolore. Fœtus per sinum vteri exclusio, Partus dicitur, qui naturalis & legitimus est, si fœtus humanus maturus & viuus tempore vteri gestationis absoluto, quod tempus pariendi vocant, excernatur. Qui partus cùm secundùm naturam fiat, fortè inter affectus homini incommodantes referendus non esset. Verùm cùm & hic actus ob peccatum cum dolore perficiatur, curaque diligenti & regimine opus habeat, etiam hîc obiter de illo agemus, vt quo pacto à præternaturali discernatur, illeque gubernari & regi debeat, cognoscatur.

Abortus. Præternaturalis partus, & illegitimus ipsius fœtus existit, si fiat intempestiuè, hoc est ante terminum partui naturali destinatum, qui in decimum plerunque mensem cadit, licet & septimestrem partum legitimum esse posse doceant, diciturq; Abortus, quasi non tépestiuus illius ortus. Per quem fœtus immaturus, hoc est nòdum ad iustam magnitudinem progressus, citiùs quàm par erat, plerunque mortuus, aliàs etiam viuus adhuc, sed qui mortem vix effugit, rejicitur. Qui interdum est adeò paruus, vt dū membris suis adhuc complicatus, vti prodire solet, in globulum conuolutus est, vix vuæ baccam amplitudine suâ exuperet, ægreque in eo brachia, crura, caput à trunculo discerni distinguique possint; qualem reiectum paucis à conceptu septimanis semel

ite-

iterumq; vidimus, & vt membra meliùs apparerent, stylo ab inuicem separauimus, atq; in capituli sede puncta duo nigra, oculos exprimẽtia, & circa dextrum latus leuem maculam, hepatis situm denotantem, in corpusculo hoc alioquin albo, obseruauimus. In aliis verò abortibus fœtum digiti longitudinem adæquantem, omnibus membris, vti & illis quæ sexum demonstrant, sese patefacientibus, cum adnatis corpori etiã vnguibus, eiectum fuisse vidimus, atque ex eo sceleton sectione formauimus. Quod & in aliis mediæ saltem vel paulò vlterioris longitudinis, reiectis fecimus.

Dein & fœtum imperfectum spithamæ longitudine, postquam paucis diebus ante, maturum alium fœtum partu naturali pepererat, mulierem postea etiam abortiuisse notauimus.

Superfœtatio. Quòd si plures fœtus numerum ternarium vel quaternarium, quod etiam rarum, non tamen præternaturale, si maturi & absoluti sint, excedentes, vno partu vel distincto, diebus aliquot nascantur, vti accidisse aliqui testantur, alij etiam infinitos fuisse fabulantur, cùm & hi ad iustam magnitudinem peruenire minimè potuerint, hic etiam ipsorum partus ad abortum referendus.

Eiusmodi fœtus per abortum reiecti, etsi immaturi & parui adhuc plus minúsve existant, tamen integri & bene habiti aliquando prodeunt, maximeque si adhuc viuant, vel non diu ante, aut in ipso abortu vitam primùm amiserint. Aliàs verò macri & consumpti, si diutiùs postquam extincti sunt, in vtero hæserint, tardiusque mulier eos abortiat, apparent, nonnunquam & ex parte corrupti putridi & fœtentes. Interdum etiam alicuius morbi indicia in ipsis deprehendimus. Sicuti fœtum, qui medio vteri gestationis tempus in matre nondum superauerat, reiectum, ex pedum tumore, ventris distentione, aquaq; quæ eum vti & venas maiores impleuerat, hydropicum in ipso matris vtero fuisse, sectione cognouimus.

Præter hæc, si fœtus maturus & absolutus, in ipso partu ob pariendi difficultatem moriatur, non huc, sed ad partus defectum potiùs referri debet. Vti &, si eo tempore extinctus, nihilominus in vtero hæreat, nec excludatur: quemadmodum mulierem fœtum maturum, in ipso pariendi actu conatibusque vitã priuatum, viginti septimanarum spacio, post pariendi tempus, adhuc in vtero ad mortem vsque etiam retinuisse, vidimus, quem postea sectione factã, putrem fœtentemque ex vtero similiter affecto, exemimus.

Si monstrosum fœtum, vel alioquin malè formatum mulier pariat, nisi per abortum fiat, aut ille extinctus sit, ad partum præternaturalem non referendus, sed ad malam conformationem pertinet, quæ homini ab ortu accidit, sicuti in deformatione hoc expositum fuit.

Partium aliarum corpus cõstituentium, ab eo omnimoda ablatio, etsi ad numerum imminutum, si integrè secedant, vel magnitudinem diminutam, si portio aliqua ab illis tantummodo abscedat, pertineat, vbi & illorum meminimus, tamen & ad excreta referri potest. *Partium corpus cõstituentium ablatio.*

Qualis se offert, si ex oculorum sedibus Oculus eruatur: Vel potiùs ea, quæ in ipso continentur, humores scilicet, aqueus præsertim, nonnunquam & crystallinus & vitreus effluant; E naribus cerebri portio emergat; Ex ore dentes euellantur; Lingua amputetur vel præscindatur; Pulmonum bronchiæ exspuantur; Atq; intestina omnia per aluum effundantur; cuius, pœna diuina potiùs, quàm causa naturalis existit, vt Ario accidisse testantur. Vel quod frequentius euenit, si è vulnere inflicto, cerebri, pulmonum, hepatis, lienis portio aliqua prodeat: Sicuti in harum omnium partium læsionibus hæc similiter proposita fuerunt.

Causæ.

FOetus in vtero geniti, per partum reiectionis, tum aliarũ partium corpus constituentium exeretionis causæ, à solutione Contiguitatis vel Continuitatis, vti in vtrisque demonstrabitur, dependent.

Partus naturalis quo fœtus maturus & viuus in lucem editur, cùm crescendo eousq; adauctus est, vt iam à matre non ampliùs sustentari possit, sed aëre insuper ad vitam, ali- *Vasorum vmbilicalium cũ vteri vasis connexus se-*

paratio, ob fœtus maturitatem, causa Partus naturalis.

mento ad nutritionem copiosiore opus habet, nec etiam si vlteriùs excresceret, per angustias illas prodire posset, tunc natura prouida insurgens, facultate expultrice, eum loco mouens, venasque & arterias, quibus fœtus inuolucrum, quod secundinam vocat, cum vtero copulatur, mutuisq; osculis connascuntur, separans, citra læsionem plerunque, eodemque ferè modo, vti pediculi maturorum fructuum ab arbore, sine vi abscedunt, fœtumque deorsum propellens, coadiuuante simul hunc naturæ motum, etiam matre parturiente, conatu suo, tandem ex sinu materno in lucem profert, non sine dolore, labore, sudore & hæmorrhagiâ, ob venas hasce, tam in vtero quàm secũdinâ reseratas, quæ parturientibus omnibus, aliis tñ vehementiùs, aliis paulò mitiùs cõtingunt.

Vasorum fœtus cũ vteri vasis connexus separatio, fœtu adhuc immaturo, causa Partus præternaturalis.

In præternaturali partu, per quem fœtus immaturus rejicitur, à natura itidem hunc propellente, & connexum vasorum, vti in partu naturali, dirimente, hoc fieri potest, vt fœtus per abortum prodeat, tuncq; vix grauiora, quàm in partu naturali sequuntur accidentia, vel etiam minora, si fœtus exiguus sit. Quòd si verò vi maiore per continui solutionem hæc vasorum fiat disiunctio, & veluti dilaceratio, naturaque hoc pacto ad partum expellendum sollicitata, eum ejiciat, grauiora tunc & quod dolorem attinet, & hæmorrhagiam, aliaq; symptomata superueniunt.

Horum autem & disiunctionũ vasorum, naturæque stimuli ad fœtum excludendum causæ occurrunt variæ, hoc vel illud, vel vtrunque efficiendo abortum procurantes.

Vasorum fœtus cũ vteri vasis connexus separatio, ob motum corporis vel animi, causa Abortus.

A motu nimio corporis, si fœtus adeò concutiatur, vt vasa quibus ad vterum suspensus est, separentur, maximè cum iam ad iter veluti accinctus est, natura insurgens, eum excludere nititur. Sic autem per saltum potest deorsum pelli, quo psaltriam illam fœtum studio excussisse, scribit Hippocrates. Ab aliis itidem commotionibus vehementioribus, partium præcipuè infernarum, per equitationem, cursus, aliòve motu violento factis.

A compressione ventris hoc itidem euenire potest, si tanta sit, vt fœtum quoq; comprimendo deprimat. Talis autem ab externis iniuriis procedere potest. Vel etiam ob constrictionem validiorem musculorum abdominis, à conatu illo in tussi, vomitione, sternutatione, clamore, alui deiectione, quo, vti in partu naturali fœtus excretio iuuatur, sic & fœtus ante tempus, si validus sit, potest loco moueri.

In conuulsione ob eandem compressionem à musculis factam, accedente insuper motu illo corporis violento, vti excrementa alui, sic & fœtus quandoque propellitur. Quemadmodum quandam in ipso paroxysmo, sine omni sensu abortiuisse vidimus; & cùm ad se rediret, de ventre, quidnam illo factũ esset, vti illa loquebatur, conquerentem.

Ab animo admodum commoto, ob spirituum agitationem vehementem, natura excitata, molestiam hanc depulsura, vti alias excretiones, sic & hanc nonnunquam molitur. Sicuti ob terrorem, iram, aliamque affectionem aliquam grauem, aliquas abortiuisse constat. Maximè verò, si in deliquium animi incidant, cùm tunc & fœtus spiritui vitali, quamdiu hoc durat, vnà cum matre, à qua eum haurit, priuetur, tum ob subitam hanc perculsionem, tum quòd vitâ priuari potest, abortus quandoque sequitur.

Vasorum fœtus cũ vteri vasis connexus separatio, ab irritatione naturæ profecta, causa Abortus.

Ab assumptis admotisve irritantibus naturam ad excretionem, illa insurgens, vti alias sic & hanc excretionem quandoq; perficit. Veluti ab vsu catharticorum magnâ vi facultatem expultricem stimulantę, quandoque euenit, vt non solùm alui excrementa, sed & fœtus simul propellatur. Dein & vsu illorum, quæ sumpta vteróve admota, vias illic recludendo, vterumque ad excretionem stimulando, qualitate suâ & proprietate menses mouere, fœtum expellere, abortumque promouere possunt: qualia in partus & mensium defectu descripta fuerunt.

Ab humoribus vterum grauantibus, illius facultas expultrix quoque ad excretionem tum eorum, tum fœtus simul interdũ compellitur. Idque maximè à sanguine, qui si nimiâ copiâ ad fœtus enutritionem eò feratur, nec à fœtu absumatur, illicque circa venas vteri illiusq; ceruicis, cumuletur, naturam grauãs, dum eum excutere conatur,

vel

vel aliquando per menstruum fluorem, qui grauidis quandoque superuenit, illud molitur, fœtui vt simul erumpat, viam sternit; ob quam causam, si grauidis menses superueniant, periculum de abortu imminet. Aut si ob pedis venam sectam menstruus fluor concitetur, itidem contingere potest, & proin illis quæ vterum gerunt, eam aperire nefas esse ducunt. Sed & citiùs menses quoq; erumpent, si sanguis affluens, tenuis biliosus aut alioquin vitiatus & fœtui nutriendo minimè sit idoneus.

A` pituitoso vel seroso humore vterũ irrigante, adeò vt relaxatus fœtum continere nequeat, causam abortus præcipuam profisci, plerique statuunt. Quod si fieret, extra illum hunc existere, illicque orificium quod vteri ceruicem spectat, & in grauidis exactè occlusum existit, humectare necesse esset, cùm in vtero, cuius cauitatem fœtus opplet, ille colligi nequeat, neque si illic coaceruaretur, eum adeò, cùm nec à sero cui fœtus innatat, hoc fiat, vt aperiretur, relaxaret. Vti reuera neque in ceruicem delatus, cùm non illic subsistat diutiùs, hoc poterit efficere; maiorque causa, quarum plures recensuimus, quàm hæc vt abortus fiat, requiratur.

Vasorum fœtus cũ cum vteri vasis cõnexus separatio, ob fœtum mortuum facta, causa Abortus.

Ob fœtum emortuum abortus potissimùm fit, cùm tunc eum tanquam corpus præter naturam, quod illi oneri est, natura ex vtero excutere nitatur. Cuius extinctionis fœtus causa, à variis procedit.

A` vi extrinsecùs ventri fœtu tumenti illatâ, ictu vel contusione, fœtus emori potest.

Ob alimenti quod à matre haurit defectum, fœtus marcescere tandemq; extingui potest, non tamen facilè, cùm vix viuente matre, venæ adeò inaniri queant, vt fœtui ad nutritionem nihil supersit: Dein etsi impurus & nonnihil vitiosus matris sit sanguis, puriorem & vtiliorẽ tamẽ ab eo fœtus plerunq; sibi allicit, vnde & mulieres phrisicas & cachecticas fœtum nihilominus alere, & ad pariendi tempus vsque gestare, [illegible]que postea progignere, sæpè obseruauimus. [illegible] tamẽ potest, vt, si fluxus men[illegible] mulieri superueniat, immo[illegible] venę vteri & per consequens reliquæ successiuè exhauriantur, vt fœtui sufficiens alimentum subtrahatur. Quod & tunc accidit, si ob dictas causas, viuente adhuc fœtu, separatio vasorum ipsius ab vteri vasis fiat, tunc enim non solùm quia sanguine destituitur, diutiùs superuiuere nequit, sed & cùm arteriis simul auulsis, vitali spiritu priuetur, subitò eum mori & cùm aërem attrahere nequeat, vti mox cùm in lucem editur, facit, suffocari necesse est.

Morbo aliquo, fœtum adhuc vtero inclusum atque imperfectum ægrotare, matres ex quibusdam signis colligunt, qui & mori potest. Quos quales sint, difficile est iudicare, nec antequam in lucem prodeant, de illis aliquid cognoscere licet, quamuis nec tunc nisi manifesta aliqua se morbi alicuius prodant indicia, vti in hydropico diximus, de iis certi esse possimus. Non tamen dubium, quibusdam morbis vti adultos, ita & fœtum posse affici: Veluti intemperie calidâ, quando mater febre diutinâ vel acutâ laborans, eam vti omnibus partibus, sic & fœtui imprimit. Vel alio morbo detenta, hunc illi communicat, aut aliàs prauis humoribus scatẽs, hosce cum sanguine in nutritione in fœtum transferendo, cacochymicum reddit. Vel lue aliquâ contagiosâ aut peste infecta, eandem fœtui imprimit: Quod tamen non, nisi magna adsit causa, facilè fit, cùm vti diximus, fœtus sibi maximè conuenientia plerunque alliciat, & licèt mater ægra vel infecta fuerit, sæpè tamen liber ab illius morbo euadat: sicuti in peste correptis matribus, infantes quos lactabant, incolumes permansisse, cùm reliqui plerique inficerentur, sæpiùs obseruauimus. Verùm & malignam qualitatem fœtui noxiam atque exitiosam, ab assumptis à matre, vel vtero exceptis suffitib⁹, ad fœtũ vsq; vires suas exerere, fœtuiq; exitium parere posse, creditur: qualia multa eiusmodi fœtum enecantia appellata medicamẽta & venena describũtur.

Alij quoque morbi organici, fœtui à semine concepto innati, hos in ipso nunc [illegible] nunc tardiùs producunt, qui eum a[illegible] ante ortum pessundant: aliàs illi [illegible] emisso adhærent, ab ortu prog[illegible] in deformatione expositi.

Vulnus & Vlcus, causa Partium corpus constituentium ablationis.

In partium corpus constituentium excretione, solutio continui, quæ eas separat, varijs modis accidit: Plerunque à vulnere, vnde cerebri, pulmonum, hepatis, lienis substantiarum portio absecta, per illud egreditur; dentes eruti, lingua amputata ex ore prodeunt; oculus eruitur, vel illius humores effluunt. Quod & ab vlcere oculorum fieri potest. A contusione omnimodâ capitis, cerebri pars à naribus quoq; effluere potest. Sicuti hæc in partium harum vulneribus aliisq; læsionibus alibi sunt exposita.

Curatio.

Partus naturalis & legitimus, in quo fœtus ex semine concepto genitus, maturus tempore conuenienti in lucem à matre emittitur, cùm impediri nullo modo debeat, vt rectè gubernetur potiùs, & si difficulter procedat, promoueatur, curam requirit, in qua quo pacto parturiens atq; obstetrix se gerere debeant, & quid præterea agendum, in partus defectu fuit expositum.

Puerperæ & fœtus post partum regimen.

Postquam verò partus iam peractus est, mulierq; peperit, tunc & matri atque infanti cura adhibetur: Et in puerpera, vt dolores mitigentur, purgationes post partum fieri solitæ, rectè procedant, viresque instaurentur, hoc modo procedendo. Ex sella in lectum placidè ne animo deficiat, quod sæpè fit, collocetur, exhibitis iusculis; vino odoribusq; refocilletur, & cibo somnoq;, vti decet, gubernetur, nec dum donec vires receperit, vterusque ad suum pristinum statum redierit, quod citiùs, si fasciâ ventri circumdata, leuiter vt subsideat stringatur, ambulando aut exeundo se nimiùm commoueat, aërive intempestiuo se credat. Fœtum quod attinet, ille more consueto, in balneo aquæ tepentis à sordibus adhærescentibus abluatur, pannisq; mollibus leuiter abstergatur, lactis cremore vel butyro, oleóve amygdal. dulc. recenti inungatur, postea fasciis inuoluatur, atque cunis inpositus, continuò donec dormiat, agitetur, & vt lactare discat, vberibus matris adhibeatur.

In abortu, hoc est fœtus intempestiuo partu, cùm iam abortierit, non alia cura, quàm quæ puerperæ debetur, illi adhibebitur. Postea verò ne ampliùs hoc ei contingat, eoque magis, si iam aliquoties abortum passa fuerit, præcautio adhibẽda. Quæ tum antequam grauida fit, tum quando iam grauida est, sequenti modo instituetur.

Abortus præcautio ante conceptum.

Antequam grauida est mulier, eamque concepisse constat, quod certò illa, si post puerperij tempus viro se nõdum cõmiscuerit, cognoscet, diligenter ante omnia perpendendum, an aliqua causa in corpore illius latens, deprehendi queat, ob quam licèt concipiat, fœtusque ex conceptione formetur (nam si semen conceptum statim iterum effluat, conceptus non verus sed falsus existit, sterilitatisq;, vti in ea dictum, causa) tamen eum non retineat. Quod fiet, obseruando ipsius constitutionem an plethorica vel cacochymica existat, & prout hic illéve humor in ea exuperat, sanguinis detractione, purgationibus, sudorum prouocatione, & viuendi decenti regimine, corpus purum & mundum reddendum. Vel si affectu aliquo mulier laboret, aut vteri quodam vitio, quæ cùm concepit abortui causam præbere possent, his emendandis studendum. Quòd si horum nihil appareat, aut cognosci posit, tamen quæ vtero robur aliquod addant, eumque sic confirment, ne facilè fœtus in eo contentus, rursum elabatur, remedia alia vsurpanda, atque ex illis qualia in sterilitate exposita sunt, exhibenda, & admotis imprimisque balneis vtendum; quibus præcipuè malum hoc auertere mulieres contendunt, & proin thermas adeunt, illisque ad tempus insident.

Abortus præcautio post conceptum.

Postquam verò iam grauida facta est mulier, eamque denuò concepisse vterumque gestare, certis indiciis innotescit, tunc vt fœtus ad tempus vsque partus legitimum crescat viuidusq; permaneat, cura adhibenda. Quod si verò eum iam extinctum, coniecturemus, nihil tale moliemur. Sed si de eo certi simus, quæ eum potiùs propellunt, administrabuntur, cùm si remanserit ille, vel secundina eius, exitium matri adferant.

Ad fœtum retinẽdum & conseruandum, causis priùs omnibus, quæ eum loco mouere, aut illi nocere possent, summotis, varia administrabuntur.

Sanguis

Sanguinis missio locum habebit interdum, si ex sanguinis circa vterum retenti maiore copiâ abortum, quem priùs passa fuerit, puenisse, ex plethora, vel quòd menses ante abortum, dum adhuc prægnans erat, fluxerint, certis indiciis cognoscamus, tuncq; si ex eo, quod iterum fluere incipiant idem suspicemur, sanguiné, per venam brachij non pedis, cùm menses facilè commoueat, sectam, detrahere conueniéter & citra detrimentum possumus, nec adeò vti veteres fecerunt, in grauidis plethoricis phlebotomia metuenda, cùm ex illius vsu aliquas abortiuisse, mihi non cõstet, etiamsi eam bis térve repetierint: videamusque multas, etsi vulneratæ alitérve læsæ, plurimùm sanguinis profuderint, tamé fœtui minimè nocuisse. Quod etsi se ita habeat, non tamen temerè & inconsideratè: mulieribus hunc illius nimis consuetũ abusum concedemus: Neq; tamen, si phlebotomiam illis vtilem esse censeamus, illis eam denegabimus, sed vt parùm pro vnâ vice sanguinis detrahant, & potiùs post mensem repetant, vel etiam tertiò si necessitas exigat, imperabimus.

Purgationes per alui deiectionem, similiter non temerè erunt illis instituendæ, nisi fortè adeò aluus constipata sit, vt per iniecta clysmata, aut leuiora exhibita, aluũ mouentia, eam lenire vel etiam nonnihil stimulare oporteat. Vel si corpus admodum impurum sit, etiã ad paulò validiora cathartica transire oportebit, quæ tunc plus vtilitatis quàm damni adferent, cùm & casu sæpè mulieres fœtum gestantes, & tamen se grauidas esse nescientes, si purgatione vtantur, aut aliàs vel hæ vel aliæ, quas fœtum gestare, nullum ampliùs dubium, diarrhoêâ largâ sæpeque diu persistente, infestentur, minimè tamen labem aliquam fœtui imprimant, aut abortiant.

Alterando operantia ad abortum præcauendum, ea vsurpantur, quæ vi adstrictoriâ prædita, vasa quibus fœtus vtero alligatur, firmant, vteroque robur fœtuique vigorem addũt, & proprietate quadam per experientiam cognitâ, id agunt. Quæ variis modis & dantur & admouentur.

Dantur sæpiùs tempore vteri gestationis assumenda quædam, eoque frequentiùs, si tempus quo priùs abortiuit, immineat. Potissimumque conuenient hi pulueres, vt eos bibant cum Vino rubro, vel in Ouo sorbili: vel comedant addito Saccharo rosaceo, vel in tabulas cum Saccharo dissol. in Aqua rosacea vel Plantagin. redactos.

Parantur hoc pacto: ℞. Coralli rubri puluer. ʒ.ij. ras. Eboris ʒ.j.ß. Masticheś vel Thuris ʒ.ß. fiat puluis.

Vel: ℞. granorum Cocci infectorij sicc. ʒ.j. Margaritar. vel Lapid. preciosorum ʒ.ß. Panniculos auri aliqui miscent, fiat Puluis: Detur per se, maximè si fœtum non bene se habere mulier existimet. Vel misceatur priori pulueri, aut illius loco species Diamarg. frigid.

Alius sic fit: ℞. radic. Bistortæ vel Tormentillæ ʒ.ij. ossium Dactylorum ʒ.j.ß. sem. Plantag. ʒ.j. semin. Nasturtij parùm assi ʒ.ß. Succini ℈.ij. fiat puluis.

Vel: ℞. Coaguli lepor. exicc. ʒ.ij. Astacorum fluuiat. assorum ʒ.j. Spodij ex ebore ℈.ij. semin. Coriandri præp. ʒ.ß. Santali rubri ℈.j. fiat puluis: Qui solus aut prædictis mistus sumi poterit. Si Matrix leporis siccata & puluerisata addatur, appropriatus magis erit: Alij Priapum tauri addunt, rectiùs fortè Genitale cerui.

Mistura ex hisce talis poterit fieri: ℞. Conseru. Rosarum ℥.j.ß. cort. Citri, carnium Cydon. condit. an. ℥.j. cons. florum Saluiæ vel Mentæ, quæ quoque vterum roborando, vtilia esse censent ʒ.vj. Myrobal. condit. pulpæ Dactylorum an. ℥.ß. Misce de prædictis pulueribus vnum vel duos ad ʒ.ij & cum syrupo Conseru. cort. Citri, fiat electuarium.

Adhibentur extrinsecùs ad abortum euitandum, quæ iisdem viribus, vti dictum, illud præstant, inunctiones & emplastra, vteri regioni tum anteriore sede supra pubé, tum posteriore circa lumbos, vel etiam supra eos circa renum sedem. Vsurpanturque cùm de conceptu constat, ab initio paulatim, mox in progressu paulò frequentiùs, eoq; magis, si præludia quædam abortus appareant.

Inunctio pro locis prædictis sic fiat: ℞. olei Rosac. simpl. vel Omphac. Myrtini vel Myrtillorum, Mastichini, Cydoniorum ad ℥.iiij.

Acaciæ vel Hypocistidis, Bdellij dissoluti in aceto rosac. vel Vino rubro ana ℥.ß. Styracis liquidæ ʒ.ij. Ceræ puræ q.s. fiat Vnguentum. Addi poterit olei de Mentha ℥.ß. quæ vti aliis fluoribus vteri retinendis, ita & fœtui apta censetur.

Alia vnguenta ex sequentibus pulueribus sic parari possunt: ℞. Thuris, Mastiches an. ʒ.ij. Sanguinis draconis ʒ.j. Boli vel Terræ alterius, quas sigillare solent, ℥.ß. Santalorum omnium ʒ.j. Spicæ ʒ.ß. fiat puluis, excipiatur Oleis vel Vnguento supradictis, auctaque Cerâ fiat vnguentum.

Vel ex hoc puluere fiat vnguentum: ℞. Radic. Bistortæ vel Tormentillæ, Nucum cupress. capul. Glandium, vel Gallarum ana ℥.ß. foliorum Myrti, Ros. rubr. Balaustiorum vel Psidiarum ana ʒ.ij. semin. Myrtillorum, Sumach. vel Berberis, Coriandri præpar. ana ʒ.j. semin. Nasturtij vel Cimini in aceto macerat. ʒ.ß. Santalorum omnium, radic. Galangæ ana ʒ.ß. gũmi Arabic. vel Tragach. ʒ.j. fiat puluis, excipiatur vti prior pro vnguento.

Alter puluis ex appropriatis paratus pro vnguento: ℞. Coralli rubri ʒ.ij. rasur. Eboris ʒ.j.ß. cornu Capræ vel Cerui, Coaguli hœdi vel Leporis ana ʒ.j. fiat puluis; Addi potest puluis Turturis in furno exiccati; excipiantur vti prædicti, vel permisceatur reliquis vnguentis portio illius pulueris.

Composita ampliùs vnguenta ex pulueribus enarratis, duobus vel omnibus tribus inuicem permistis, atque oleis vel vnguento primo subactis fiunt.

Cerata & emplastra ex iisdem vel simplicioribus magisve compositis vnguentis fieri possunt, quæ supra corium rubrum vel sericum coccineum extensa, supra vterum posita, per horas aliquot retineant, quod commodiùs noctu dum recubant, fit, indiesque vel per interualla repetant. Rediguntur que hæc in formam cerati, augendo Ceræ quantitatem; & vt hæreat, addẽdo Resinam abietinam vel lariceam: Vel in emplastri consistentiam, miscendo Resinam siccam, picem puram, Naualem dictam, dissolutam priùs in oleis supradictis; Vel etiam puluerem Colophoniæ, vti artis est.

Ex vsitatis horum loco adhiberi possunt, vnguentum Comitissæ, atque emplastrum Contra rupturam, adhiberi solitum.

Vel in forma vnguẽti aut emplastri vsurpari poterit, applicatio illa, quam in mẽsium nimio fluore sistẽdo, admotam, competere illic diximus & descripsimus. Atque sic incipit: ℞. Radic. Bistortæ vel Tormentill. &c.

Amuletis quibusdã aliquid tribuunt, imprimis lapidi quem Ætitem siue Aquilæ vocant, qui agitatus propter inclusam terram vel lapidem, sonum edit, si ille brachio sinistro alligetur, vt detectus tangatur, vel vt alij volunt, corio vitulino priùs inuolutus: qui vti pedi alligatus partum promouere, sic si brachio, eundem impedire creditur, vti & si sub mammis collocetur.

Alij lapidem Iaspidem, & Lazuli, & Samium gestatos vel collo appensos, idem efficere docent; vel ex plantis Maluam, Parietariam, Tormentillam cum radicibus appensa, similiter operari.

Regimen vitæ quod prægnans mulier abortui obnoxia, studiosè obseruare debet, in eo consistit, vt in aëre quoad fieri potest, temperato versetur, vitet æstum & balnea. Cibis temperanter vtatur euchymis, temperatis. Vino diluto vel rubro, non potenti. Caueat ab omnibus acribus, aut corpus accendentibus oleribus aut aromatibus, vel etiam amaris, quæ & fœtui nocere creduntur. Ab odore item vehementi præditis, vti & croco, aliisque omnibus & alimentosis & medicamentosis, quæ menses mouere vel fœtum expellere, vel noxam exitiumque illi adferre possunt, qualia in causis & in defectu mensium & partus fuerunt exposita. A motibus corporis & animi validiorib. sibi temperet. Quieta potiùs maneat, vel leuiter obambulando corpus exerceat. A congressu frequenti cum marito abstineat. Ne aluus constipata sit, sed respondeat, procuret. Et ab omnibus quę morbis quibusdam, fœtui exitiosis, veluti sunt etiam conuulsiones, occasiones præbent, sibi caueat, eaque bonâ viuendi ratione auertat.

Partium corpus cõstituentium, ipsarúmve portionum, si nobiliores sint, è corpore reiectio, lethalis plerunque existit: vt si cerebri *Partiũ corp.⁹ constituentium abs.*

lationis cura. bri, pulmonum, hepatis, lienis prodeant. In reliquis facta, functiones, quas eæ partes obibant, abolet, & cùm hæ partes à corpore penitùs separatæ & ablatæ ampliùs reponi aut agglutinari nequeant, cura quoque non alia, quàm quæ huic solutę continuitati, vulneri, contusioni aut vlceri debetur, instituitur: Qualis in eiusmodi partium functionũ læsionibus fuit declarata.

DE PARTIVM PROCIDENTIA.

CAPVT II.

Genera.



PRocidentia partium, licèt in ea partes non penitùs à corpore separentur, nihilominus tamen præternaturalis existit: cùm per eam partes internæ aliquę à sua sede, quam naturaliter possidebant, extrorsum in aliam, vel etiam extra corpus procidant atque prolabantur. Aliæ partium quarundã situs peruersionis prominentiæ, veluti quæ in fracturis & luxationibus ossium, aliisve dislocationibus eueniunt, cùm tunc partes non in aliam sedem, aut extra corpus procidant, sed saltem promineant, eoque nomine deformationem aliquam pariant, in vitiis quę ex deformatione nascuntur, descriptæ sunt.

Intestinorũ procidentia in Enterocele, Omphalocele. Omenti prociden tia in Epiplocele. In corporis aliam aliquam sedem è propria, nondum tamen extra corpus pertingens partium procidentia, ea est, quam Intestinorum & Omenti procidẽtiam vocamus. Quæ cùm tumore saltem se manifestet, nec procidentia harum partium aliter in cõspectum veniat, nos in tumoribus describendis, diuersa quę inde exsurgunt genera, atq; Enterocelen ac Omphalocelen vocant, iam proposuimus.

Extra corpus procedens partium procidentia, in qua partes quæ prolabuntur, apparent; est vel Vteri, vel Podicis, vel Testiũ, vel Oculi, vel Linguæ.

Vteri procidentia seu exitus. Vterus seu matrix, cum sua ceruice per pudendum mulieris aliquousque interdum elabitur, diciturque Vteri procidentia, seu prolapsus vel exitus. Quod cùm fit, tunc ceruix ipsius inuersa, crassa, rugosa, maiori ex parte albida, alicubi tantùm rubens, conspicua fit, eaque tumida pudendi rimam opplens, atque aliquando totam obturans, à qua succi instar nunc spithamæ longitudine, aliàs paulò minùs dependet, vterusq; illi inclusus saltem basi suâ in fundo huius sacci se manifestat, atq; orificium illius subrubrũ, & veluti cruentum labiis tumidis, illic in medio basis prominens, apparet, sicuti hoc diligenter considerãs aliquoties obseruaui.

Vteri descensus. Aliàs verò vterus deorsum prouolutus, paulò supra pudẽdum, vel in eo subsistit, nec extra illud procidit, illicque tactu cognoscitur, vel saltem leuiter ex eo prominet, sensimque nisi succurratur, magis magisque effertur, tuncque Vteri descensus appellari potest.

Hunc affectum in mulieribus, nisi aliud accedat, veluti inflammatio aut corruptio, in vtero diutiùs foris remanente, nec rectè gubernato, non alia grauiora symptomata, facilè concitari solent, præter turpitudinem illam, atque impedimentum, quod inter deambulandum adfert, & ponderis molestum sensum, à quo venter & lumbi deorsum trahi vidẽtur. Cùm alioquin nihilominus mulier, si illum iterum reponere queat, vti ferè fit, virum admittere, atq; concipere, conceptumque & inde natum fœtum, ad pariendi tempus vsque, citra ipsius, quamdiu mulier grauida est, prolapsum, retinere possit.

Podicis seu Ani procidentia. Podex seu anus vel aluus, cuius pars exterior manifesta, ex cute perforatâ loculiq; instar collectâ & occlusâ, formatur; interior verò latens, ex fine recti intestini musculisq; illud ambientibus cõstituitur, si præter consuetam ipsius operationem atque inuersionem prominentiamq;, quam in excrementorum egestione molitur, rursum in corpus reduci, vti verò oportebat, nequeat, sed foris aliquamdiu remaneat, vel etiam vlteriùs se cum portione recti intestini illi adnatâ, quam secum trahit, similiter inuersa exerat, Ani seu Podicis prominentia vel exitus appellatur.

Quæ procidentia aliàs citra alium affectũ, tunc tantùm, quando cũ difficultate egerũt,

se offert, & breuiùs vel longiùs durat, vel sponte in suam sedem redit, vel leui negotio intrò pellitur.

Aliàs verò licèt reponatur, mox iterum, & præsertim in deiectione alui relabitur: infantibus frequentiùs accidens vitium, aliquando tamen etiam adultis & senibus molestum.

Aliàs verò rectum intestinum elapsum intumescit, adeò vt reponi vel omnino nō, vel difficulter queat. Aliàs etiam inflammatur, rubet, nec pressionem vllam, immò vix contactum vt reponatur, ferre potest.

Ani resolutio. Aliquando & inuoluntariè & sine sensu procidit, nec retrahi voluntariè ampliùs potest: diciturque ipsius Ani resolutio.

Testium procidentia. Testes è scroto seu sacco, in quo inclusi suspensique sunt, aperto, prolapsos procul propendentes vidimus.

Oculi procidētia. Oculus ex sua orbita longiùs prolabi vix potest, vti verò nonnihil prominere; sicuti in oculi prominentia, in deformatione dictū fuit: Quòd si vlteriùs feratur atque se exerat, Oculi quoque dicitur procidentia.

Linguæ procidētia. Lingua ex ore nonnunquam aliquousq; exerta remanet, illiusque hic progressus, Procidentia linguæ dici potest.

Causæ.

Omnium procidentiarum enarratarum, tum intestinorum, omenti, vteri, podicis, oculi, linguæ, causa dependet, vel ab apertione aliquâ factâ in peritonæo: aut dissolutione ceruicis vteri; vel inuersione podicis & recti intestini extrorsum versus; aut relaxatione connexus oculi vel linguæ; aut vulnere scroti.

Ab apertione aliquâ in peritonæi membranâ, quæ intestina & omentum in ventre inclusa retinet factâ, si intestina vel omentū ex abdomine per foramen elabantur, horū procidentia sequitur, quæ tumorum Celæ dictorum varia genera, sicuti ea vbi de tumoribus egimus, descripsimus, producit. Hæc autem apertio peritonæi, vel ab ipsius rupturâ, vel dilatatione proficiscitur.

Peritonæi processus ruptura in inguine masculorum, causa Enterocele & Epiploceles in illis. Ob rupturam peritonæi procidentia illa exoritur, intestinorum vel omenti; quæ tumorem illum qui veriùs Hernia vel Ruptura dicitur, gignit, illiusque species diuersas pro diuersitate loci vbi ruptura fit, & partis quæ procidit variantes. Si enim in inguinis regione fiat ruptura, & in masculis processus peritonæi, qui testes cum seminariis vasis suspensos retinet & includit, initium scindatur, intestinis tunc per hanc aperturam in inguina sub cutem se insinuantibus, fit Enterocele: & si illic subsistant, tumor in inguine prodit, si verò in saccū deorsum quoq; prolabantur, illic tumorem excitant, eumq; sæpè immensum, si magna intestinorum portio descenderit, vel illa flatibus distenta, aut excrementis referta sint, quæ si dura fuerint, tactu etiam deprehenduntur: si verò flatus in illis contineantur, cùm premuntur murmur edunt; & si illic hæreant intestina, nec reponi quia distenta vel conuoluta sunt possint, cùm excrementorum ductus interclusus sit, vt illa minimè dejiciantur, causam præbent, vnde fæcibus coacervatis, sursumque regurgitantibus, illæ tandem euomuntur. Quòd si verò omenti portio, per enarratam rupturam in inguen feratur, Epiplocele fit, tumore illic plerunq; remanēte, nec vlteriùs descendēte, cùm omētum ob breuitatem, longitudine suâ os pubis vix superantem, tantopere descendere, vti intestina quæ longissima sunt, non possit, nisi fortè de illo portio abrupta, quod eâdem vi quâ peritonæū scinditur, fieri potest, eoq; citiùs, si postquam egressum & retentū, attractum admodùm & tensum est, vi hac illi illatâ, vlteriùs feratur, & in scrotum tunc pars illius subsideat, quæ tamen ampliùs reponi minimè posset. Vidimus & in inguine, immensum, in quodam, tumorem, quem ex omento eò prolapso processisse, ex contactu adipis duriusculi, inæqualiter, vti in omento adnasci solet, se offerentis, dijudicare potuimus, quod disruptum fuisse, copia illius quæ huc procideràt, aliquo pacto innuere videbatur, vel maximā fuisse hîc, sicuti mox ostendemus, relaxationem, cùm dolorem alioquin nullum sentiret, vnde neglectâ curâ, non diu postea superuixit.

Peritonæi ruptura in inguine. In inguinis mulierum regione, si peritonæum illic disrumpatur, vbi vas quoddam ex vtero per illud in inguina extrorsum fertur,

tur, tunc vti per processum in viris, sic in fœminis per hanc viam prolabentibus quoque intestinis, Enterocele quædam prodibit, in qua immensus tumor quandoque in inguine se offert: vel Epiplocele, si omentum procidat, quod cùm longiùs in mulieribus quã in viris existat, tumorem quoque eminentiorem in hisce quàm illis progignet.

mulierũ, causa Enteroceles vel Epiploceles in fœminis.

Quod si peritonæum in abdominis alia regione rumpatur, atq; intestina vel omentum illic sub cutem prouoluatur, si in vmbilici regione hoc fiat, Omphalocele dicitur, aliter Exomphalocele: si alibi circa eum, herniæ seu rupturæ generale nomen seruat. In quibus herniis, tactus sępè an intestinum sit, quod pressum murmur, vel omentum, quod nullum edit, & quòd illud maiorem, hoc minorem tumorem efficiat, discernet.

Peritonæi ruptura in abdomine, causa Omphaloceles vel Herniarum aliarum, illius loci.

Rumpitur autem vel scinditur peritonæum illis in locis, vel ob casum aut ictum supra has sedes factum; Vel ab alia corporis concussione vehementi in saltu; Vel quando in ephippiũ magno cum impetu insiliũt, vnde aliquoties hoc pacto læsionem factam obseruaui. Dein & per conatũ vehementem, presso ventre à musculis abdominis, in partu & deiectionibus difficilibus illud accidit, vti & infantibus ob clamorem intensum. Præter quas caussas, vulnerato etiam cæsim vel punctim peritonæo in abdomine alicubi, vulnereque in cute quidem sanato, interim eo quod in membrana eâdem erat, aperto relicto, herniæ eiusmodi, eodem modo, vt si alia ex causâ scissum sit, quoque fiunt.

Ex dilatatione seu relaxatione solâ, processus peritonæi, per quem vasa seminaria, ex abdomine in scrotum descendunt, citra rupturam, intestini vel omenti portio etiam prolabi atq; Enterocele vel Epiplocele fieri potest. Quod cùm fit, non subitanea vis quæ eum disrumpere potiùs solet, sed conatus saltem frequens & validus egerendi, sępè repetitus in naturâ cõstipatis, in causa erit, vnde & non subitò, sed sensim nascitur; cùm enim per eum intestina deorsum in inguina protrusa, ad huius processus initiũ propellãtur, illius meatum sæpè impellendo, illiq; se tandem insinuando, sicuti etiam rupto illo, per conatum fieri videmus, eum sensim dilatant, vel si maiori hoc fiat vi, quandoque disrumpunt. Quod sic fieri, illiusq; processus exordium eousque dilatari, atq; etiam citra rupturam admodùm aperiri posse, præterquam quòd hæc comprobant, quòd & alij ductus angustiores & crassiores sic ampliari possint, veluti vreteres, per quos calculus aliquoties descendit, sicuti in eo descripsimus; dein & quòd citra prægressum doloré sensim nec subitò fiat, etiam ocularis demonstratio idem nobis patefecit. Siquidem in hernioso hydropico, secto post mortem, eiusmodi foramen per quod intestinum in scrotum descédens transmittebatur, rotundo margine integrum, nec dum scissum vel ruptum vllo modo, deprehendimus. Per quod intestini tenuioris portio illa, quæ supra cæcum est, in scroti aquâ pleni infimam sedem vsq; ferebatur, totoq; illo ductu huic processui peritonæi huius aquæ causâ, quæ tunicas has, vti mox ostẽdetur, erodendo, vt conglutinentur facit, firmiter accreuerat & adnatum erat; ægro interim dum viuebat, sanusque adhuc erat, nihilominùs sine incommodo excrementa egerente, nec dum de dolore conquerente. Fernelius qui processum hunc peritonæi in exteriorem & interiorem illius tunicam distinguit, in enterocele & epiplocele tunicam interiorem necessariò disrumpi, externam verò duntaxat laxari, scribit.

Peritonæi processus dilatatio, causa Enteroceles & Epiploceles.

In fœminis à relaxatione solâ peritonæi in inguine, illic vbi vas quoddam peculiare ex eo emergere diximus facta, Enterocelen & Epiplocelen gigni, ille forte innuere voluit, qui tendinem quendam ab inguine in peritonæum emitti, illiusque robore peritonæum, atq; hinc omentum & intestina confirmari, scribit, eoque relaxato hernias illic fieri docuit.

Verùm cùm vas illud nõ adeò, vti processus peritonęi; membranosum sed nerueum & durum existat, nec proin tam facilè dilatetur, vix illius relaxationis causâ, nisi peritonæum illic disrumpatur, intestinum vel omentum in inguen poterit descendere.

A relaxatione seu dilatatione peritonæi circa rupturam, Omphalocelen quoque prodire posse, vel hoc satis comprobat, quòd

Peritonæi dilatatio iuxta vmbi-

licis, cau- sa omphaloceles.

in conatibus magnis, maximeque in partus difficultate, vmbilicus aliquando in tumorem admodùm attollitur, inteſtinis hoc conatu, in hanc potiſsimùm ſedem peritonæi, vbi proceſſus breuis, vmbilico inſertus, qui in fœtu chordę vmbilicali patuit, poſtea coaluit, impulſis illicq; peritonæum diſtendentibus, & ceſſante conatu, atque inde profectâ dilatatione, tumor interdum omnis recedat, nec ampliùs redeat: quod, ſi à ruptura progreſſus prodiret, minimè fieret. Ob quam cauſam, ſicuti omphalocelen hanc non perſeuerantem fieri manifeſtè videmus, etiam illam quæ permanet, promanare poſſe facilè licet colligere, peritonæo à cauſis prædictis adeò relaxato, vt ſe recolligere nequeat. Quod in aliis peritonæi ſedibus in abdomine, præter eam vbi ſe proceſſus in inguine exerit, vti & hîc in vmbilici ſede, vix citra rupturâ poterit accidere.

Vteri ceruicis connexus diſſolutio, cauſa Vteri procidentiæ.

A dissolutione vel diuiſione ceruicis vteri, à partibus quibus adnectitur, Vteri procidentia exurgit. Cùm enim vterus ab illius ceruice, cui innititur, & ſuâ baſi ſe inſerit, & in ambitu firmiter connaſcitur, potiſsimùm ſuſtentetur, reliquâ verò ſede vt promptiùs in conceptu ſe dilatare augeríque poſſet, ab omni connexu, præterquam quòd in lateribus tantùm vtrinq; membranarum & vaſorum beneficio, admodùm tamen laxè peritonæo copuletur, liber exiſtat, fieri minimè poteſt, vt ille in ſignum vſque toto corpore prolabatur, niſi collum illi adnatum atque ita continuatum, vt ab eo ſeparari nequeat, ſimul ſequatur. Quod cùm citra diuulſionē connexus fibroſi, quem ceruix cum vicinis ſedibus conſtituit, fieri nequeat, vteri procidentiæ cauſa proxima hæc illius ceruicis connexus diſſolutio erit. Quæ ſi in vtero vicino loco tantū fiat, vterus in ſinu cum parte ſaltem aliquâ colli inuersâ adhuc permanebit: ſin verò toto ductu collum à ſubiectis liberetur partibus, tunc & vterus cum collo inuerſo, extra corpus prouolutus dependebit, vterusque in fundo ipſius non inuerſus, vti collum, cùm hoc fieri nequeat, ſed eâ formâ, vti cùm in ventre adhuc latebat, erat, ſuſpenſus & incluſus, baſi & orificio illius in imo ſolùm patente hærebit, ſecum membranas illicque annexum peritonęum cum vaſis & teſtibus aliquouſq; trahens. Quod & citra rupturam, ob laxitatem harum membranarum, quæ cedere & dilatari admodùm poſſunt, vti peritonęum in ventre hydropicorum tumēte, in immenſum ſe extendere videmus, fieri poteſt, eaque vaſa minimè abrumpi, etiamſi vterus longo ſpacio è ventre receſſerit, ex eo patet: quòd eo in locum ſuum repoſito, nihilominùs mulieres poſsint concipere, quòd ſi vaſa hæc ab vtero ſepararentur, fieri nequiret.

Hanc autem ſeparationem ceruicis vteri, à fibroſo nexu, quo vicinis ſedibus, alicubi ſaltem, nec ita firmiter adhæret, & proin citra grauiorem læſionem & hæmorrhagiam faciliùs abſcedere poteſt, vterus ipſe plerunque perficit, ſi ille per vim deorſum in ſinum detruſus, adeò impellatur, vt adnatam illic ceruicem ſimul trahendo, vel impetu quodam ſubitò, vel ſenſim ſi minori vi ſed frequenter illud fiat, à fibris primùm vtero proximis auellat, & ſi vlteriùs procedat, reliquas quoque diuellendo, collumque inuertendo ſecum deorſum aliquouſque, vel etiam extrorſum detrahat: vbi ſimul appenſa, pondere ſuo, vt magis magiſque tandem delabantur, efficiunt.

Pellitur autem hoc pacto vterus deorſum, in conatibus magnis ſæpè iteratis, in deiectionibus difficilioribus vel exſufflationibus, vnde & inteſtina & cum illis vterus deorſum validè premuntur. Maximeque ab eo conatu, quem in partu mulier adhibet: ſi pręſertim is ob difficultatem pariendi magnâ vi peragatur, vterusque cum fœtu in ſinum ceruicis nimiùm detrudatur: eoque citiùs, ſi & fœtus cum difficultate per anguſtias illas tranſiens, ceruicem validè etiam impellat & ſic quoq; à connexu liberetur. Vel ſi ſecundina adhærens adhuc vtero, ab obſtetrice ita trahatur, vt & vterus cum ea in ſinum feratur, ceruixque ſimul detrahatur. Quorum cauſâ & frequentiùs poſt partū vteri procidētia ſolet cōtingere, illisq; mulieribus, quę crebrò pepererūt, atq; eiuſmodi vim ſæpè paſſę ſunt, tandē hoc vitiū vel mox vel iam ſeneſcētib. ſuperuenire.

Vteri ceruicis diſſolutio per vim aliquam facta, cauſa Vteri procidentiæ.

In

In ſaltu aliáve corporis cõcuſsione validâ vel ſæpè iteratâ, hoc idem poteſt accidere, vt vterus ſic in ſinum vltra quàm par erat impulſus, eo modo vt dictum, procidentiæ cauſam præbeat.

Ceruicis vteri cauſâ, præter eam, quâ ab vtero tracta auellitur, etiam ob hanc, vteri prolapſus poteſt euenire. Si ille ob vim aliam à ſubiectis ſeparetur, quod fortè ob coitum violentum vel multoties repetitum, in meretricibus per frictionem nimiam & ſine fine continuatam, poteſt contingere. Vel propter corruptionem, & putredinem illic collum abſumentem, vnde vterum quoque procidiſſe in quadam vidimus.

Ab aliis cauſis quàm hiſce violenter agentibus, vix dum vteri procidentia poteſt oriri. Nam quod relaxationem ligamentorum, vel vti alij voluerunt, muſculorum, quibus vterum ſuſpenſum retineri putabãt, attinet, quam à vi iam enarratâ, quâ vterum impelli diximus, vel humore copioſo membranas haſce irrigãte, proficiſci, vteriq; procidentiam gignere docent, nos, cùm muſculi eiuſmodi nulli ſint, nam liberum eſſe, vterum vti dictum fuit, oportuit, & membranæ ita comparatę, adeoq; laxę, vt & cùm vterus procidit, eum ſubſequi poſsint, nec proin adſtrictæ, vti eſſe eas, ſi vterum ſuſpendere deberent; oportebat, ab harum relaxatione vteri procidẽtiam procedere, concedere non poſſumus. Licèt enim vltra conſuetam ipſis laxitatem, ſi ampliùs relaxentur, vterusque minùs firmus retineatur, tamen per ſinum ferri & prolabi, ob hanc remiſsionem ſolam minimè poterit, niſi colli ceruicis, vnde præcipuè vterus ſuſtentatur, modò expoſita fuit ſeparatio.

Vti neque membranarum diſruptionem, quoque procidentiam vteri efficere aliqui ſcripſerunt, eius cauſam eſſe poſſe, vel hoc oſtendit, quod in muliere quadam, cui has membranas putredine penitùs abſumptas fuiſſe, ſectio poſt mortem patefecit, diuque ante obitum hoc factum fuiſſe, effluxus præcedens ſaniei fœtentis & putris comprobauit, vterus minimè à ſua ſede receſſerit, ſed firmus & ſtabilis permanſerit.

Quod humorem pituitoſum vel ſeroſum attinet, vnde procidentiam vteri euenire interdum aſſerunt, vti ligamenta vteri irrigando id efficere non poſſe, priùs oſtendimus, ſic & hoc comprobat, quod hydropicis mulieribus, quibus vterus cum adnatis membranis, in qua ſæpè longo tempore innatat, ille tamen nullo pacto ob eam cauſam prolabatur. Fieri tamen poteſt, vt ceruice vteri continuò in fluore vterino humectatâ, atque ob id laxiore redditâ, vterus aliis de cauſis impulſus, faciliùs haſce ſubeat penetretque, ceruixque promptiùs ſecedat atq; inuertatur.

Pręter hanc vteri fundi loci mutationem, & motum quem ſuo collo per ſinum ipſius molitur, eum quoq; non deorſum tantùm hoc pacto, ſed & in abdomine adhuc perſiſtentem ad latera moueri, illisq; ſe inſinuare, nonnunquam & ad ventriculum vſque aſcendere, docent. Verũ cùm ille ceruici ſuæ adnatus atq; inteſtinis vndique circumdatus, in medio plerunque ſubſiſtat, non facilè in alia loca iam priùs occupata declinabit, ſed potiùs ſi loco mouetur, deorſum quàm ſurſum motu naturali feretur. Niſi fortè adeò ille increſcat, vt plus ſpacij in abdomine, quàm dum paruus adhuc eſſet, occupet, vti in pręgnante muliere accidere videmus; quamuis & tunc eum potiùs ſuo pondere deorſum vergere, ventris tumor circa inferiora magis prominens, & quòd durities illic tactu potiùs deprehenditur, oſtendere videntur. Quibus moti & hyſterica accidentia, in vteri ſuffocatione ſe offerentia, ab alia cauſa quàm vteri aſcenſu, à vaporib. nimirum inde eleuatis prodire, in vteri ſtrangulatûs cauſis oſtendimus.

Podicis & recti inteſtini inuerſio à conatibus magnis, cauſa illius Procidẽtiæ.

Ab inuerſione podicis & recti inteſtini extrorſum verſus, podicis procidentia naſcitur, tunc enim ſic inuerſa, foras protuberat. Quemadmodum enim in alui deiectione podex vi & impulſu excrementorum patefactus, & vt elabi queant inuerſus, donec rurſum retrahatur, prominet: Ita ſi ob conatum & impetum vehementiorem durorum excrementorum, adeò propellantur, vt portionem recti inteſtini ſimul trahens, inuerſam vnà exerat, tunc vt hæc aliquandiu foris permaneant, cauſa exiſtit: Ab

alii6

aliis conatibus, in quibus deorsum aliquid pellitur, hoc idem potest accidere: vt in partu, quādo fœtus cum difficultate excluditur, aluus quandoq; etiam procidit. Dein & ob irritationem magnam factam in podice, vel iuxta eum, conatus commoti eum propellunt: veluti in tenesmo & dysenteria nonnunquam contingit. Et incisione factâ in peritonæo iuxta anū pro vesicæ calculi extractione, ob cruciatum illum, magno conatu & podicem admodùm propulsum fuisse, & virgam simul, etiamsi exigua adhuc esset, in infantibus multùm intumuisse, seque erexisse, vidimus.

Quòd si à conatib⁹ illis validis adeò podex extrorsum trudatur, vt rectum intestinū secum trahēdo à membrana mesenterij, à qua intestina suspensa retinentur, nonnihil auellatur, tunc extrorsum hæc simul delata & propendentia, nō ampliùs remeare possunt, & reposita longiùs subsistere nequeunt. Licèt enim musculi vt anum leuiter exeuntem retrahant, illi appositi sint: tamen si tantopere elabatur, nec aliis ligamentis sustineatur, illud soli efficere nequeunt, eoq; minùs, cùm & tunc, si procul exeat, vnà cum podice inuerso prolapso, è corpore prodeant.

Podicis musculorum resolutio, causa quo minus prolapsus retrahi nequeat.

A musculorum tamen horum, qui podicem in egestione excrementorū propulsum, post eam factam sursum iterum trahunt & constringūt, imbecillitate fieri potest, vt cùm tunc functio ipsorum debilitetur, podex inter excernendum propulsus & dilatatus, nō sufficienter aut difficulter in suam sedem reduci queat, aut se posit constringere. Ob quam rem anus foris quidem remanere potest, non tamen, nisi per conatum præcedentem extrudatur, prolabi: cùm hisce musculis exiguis non ita suspensus retineatur, vt actione ipsorum remittente, statim eum citra maiorem vim è corpore, in quo inclusus retinetur membranisque nectitur, excidere necesse sit. Hæc autem imbecillitas, quæ hosce musculos impotētes ad reductionem ani, in fæcum egestione exeuntis reddit, illis, vel quia sæpè ani procidentiam, vel podicis diuturnam emanētiam passi sunt, tandem euenit. Vel etiam à refrigeratione nimiâ huius sedis, summè sensilis, obsessionem supra saxum frigidum simileve quid, aut moram in aquâ aëreve frigidis, anum præcipuè tangentibus & refrigerantibus, potest accidere.

Podicis musculorum resolutio, causa quo minus prolapsus retrahi nequeat.

A resolutione eorundem musculorum, à defluxione in neruos illorum delapsâ, ani procidentiam eam gigni, quam Ani paralysin, eamque particularem vocant, plerique censent. Verùm vt particularis hæc illius tantum partis, nec aliarum simul paralysis à defluxione gignatur, haud verisimile, nec eam, quam copiosè ab alto, vt paralysim efficiat, defluere necesse est, tātùm in imam ossis sacri sedē, vbi exiles hi nerui hisce musculis communicati emergunt, se insinuare, & non totius potiùs ossis sacri ciuitatē, vnde propter neruorū durorum exortum, etiam illorū sequeretur resolutio, opplere, probabile. Vnde si resolutio fieret ani musculorū, non solùm ano peculiaris sed & illi cum toto corpore vel certis inferioribus partibus communis paralysis sequeretur: quod tamen etsi extrema omnium partium in apoplexia sequatur resolutio, minimè fieri nec anum procidere videmus, vti nec in alia paralysi, in qua partes infernę alioquin omnes resolutæ sunt, cùm eâ laborantes nihilominus fæces alui dejicere, podicemque sponte retrahere posint, & licèt quandoque inualidiùs propter hunc morbum id fiat, tamen minimè prolabi. Quibus moti, si neruorum causâ talis ani sequatur non procidentia, sed reducendi difficultas, cùm & hæc rariùs in paralysi à defluxione nata fiat, eam potiùs à compresione neruorum ob contusionem aliquam ex casu vel ictu, circa ossis sacri aut coccygis infimam sedem factam, aut insignem aliquam refrigerationem harum sedium, nō solùm musculos hosce, sed & neruulos afficientem, procedere, non sine ratione opinabimur.

Oculi connexus à contusione relaxatio, causa illius Prolapsus.

A relaxatione oculi connexus cum sua orbita, illius Procidentia procedit. Quæ non nisi à causa violenta summè impellente proficisci potest, cùm membranis suis & musculis adeò firmiter orbitæ suæ sit connexus, vt etiam vix & non nisi magno labore in mensa appositi cocti erui, sectioneque connexus ille dissolui queat.

Ob con-

Ob contusionem tamen magnam capitis, casu vel ictu oculi impulsi, ex suâ sede aliquantisper procidunt.

A' vi aliâ vix dum hoc potest accidere, licet enim per conatum magnum, in excretione alui difficili aut partu, aut vociferatione, oculi nonnihil extrorsum vergere, atque ob id maiores apparere videantur, non tamen perseuerans ipsorum est prolapsus, sed saltem prominentia, de qua in deformatione actum, cùm ex spiritus hoc impulsu, in conatu eo, minimè impleri aut distendi, sed saltem aliquousque musculis ipsorum tunc quoque veluti agentibus, impelli queant.

A' distentione oculi globi à flatibus & humiditate aliquâ, in eius interiore sede collectis, eum adeò impleri & distendi posse, aliqui existimarunt, vt procidentia illius aliqua inde sequatur. Verùm cùm nulla cauitas in oculo vacua inueniatur, sed vndique oculus impletus suis humoribus distentúsque sit, nec via detur, quâ hæc eum subire posint, nec hæc in oculo congeri, nec aliunde eò corriuari posint, hoc concedere minimè possumus, sicuti in dolorum oculorum causis, quos à flatibus & suffusionis causis, quam ab influxu aquę dependere putarunt, quoq; hoc fieri non posse demonstrauimus.

Linguæ cônexus relaxatio à cõtusione, causa illius Procidentiæ. A' linguæ connexus relaxatione seu remissione, illius Procidentia euenire potest, vix tamen nisi summa vis hanc pariat, cùm connexus illius per musculos, tunicam succingentem & ligamentum factus adeò firmus existat. Accidit tamen in contusione colli vel pectoris vehementi, qualis est ea, quâ valido rotæ ictu latronibus membra & pectus franguntur, vt lingua procul ex ore in mortuis exeratur, quod & ex casu potest accidere.

Scroti dissectio, causa Testium procidentiæ. A' vulnere ex dissecto cum forpice per iocum scroto, testis procidentia in eo quem vidimus, accidit.

Curatio.

INtestinorum vel Omenti procidentia ex ruptura vel dilatatione peritonæi profecta, tumorem Celen appellatum producens, si in inguine enterocelen & epiplocelen gignat, illicque tumor persistat, leuiterque saltem promineat, nec dolorem grauiorem inferat, sæpè negligitur, vel leuiore negotio coërcetur, & curationem si maturè adhibeatur, citiùs admittit. Vti & in omphalocele, in qua vmbilicum aliquousque prominentem, presioneque refugientem, per totam vitam gerunt; vel alterius ventris regionis cele, si simili modo se offerat. Sed & omphalocele aliqua, vti dictum, non est perseuerãs, sed sponte iterum euanescit. Quòd si verò in scrotum vsque tumor hic descendat, in enterocele maior curandi difficultas exoritur, vel etiam periculum tunc interdum exsurgit: nam si inde remeare non posit, nullaque arte propelli, doloremque inferat & omnimodam constipationem alui, mortem accersit, quam vomitus alui fæcum præcedere, & instantem indicare solet.

Quod & in omphalocele vel alia ventris cele si eueniat, vt reponi nequeat, eademque accidentia proferat, mortale existit. In epiplocele verò si quoque tumor in scroto factus, induratus, vti iam dictum, subsistat, quod etiam est rarisimũ, aliquando tamen accidisse diximus, licèt non ea symptomata producat, tamen eum quoque neglectum, mortem attulisse in quodam, ostendimus. In aliis verò enteroceles, tam in scroto quã ventris aliis sedibus se exerentibus, speciebus, si tumor cedere posit, ad eum penitùs auertendum, ne ampliùs redeat, atque integrè sanandum, medicamentis, etiamsi recens malum sit, hoc perficere, præsertim cùm vt ea operentur, diu continuari, & æger interim quiescere, & vinculis astringi debeat, quod ægrè perferunt, est difficile, si verò inueteratum sit, imposibile, nisi manuali opera, aliquid, vti mox dicetur, præstetur, quod tamen non sine labore, & periculo mortis, si sectione (vti plerunque fieri solet,) hoc fiat, & amisione illius loci testis si in inguine sectio instituatur, peragitur. Quàm si ægri ideò vitare velint, cura erit, eiusmodi tumores quos auertere penitus nequimus saltem reprimere; & ne excrescant, retinere. Quæ omnia quâ ratione fieri debeant, & per medicamenta, assumpta admotáve, vel manuali operatione administ ari, tunc demonstrabitur. Primùm quo pacto hæc cau-

ſæ, hoc eſt parti prolapſæ, dein quomodo morbo ipſi, hoc eſt ſolutioni huic continui, in rupturâ, vel contiguitatis, in relaxatione peritonæi, accommodari debeant.

Partis quæ vel inteſtinum aut omentum eſt, prolapſæ extra peritonæi cauitatem, tumoremq; vel in ſcroto vel inguine, aut in aliâ ventris ſede excitantis causâ, ea adminiſtramus, quæ eam reponere, repoſitam retinere, & ne relabatur, impedire poſſunt.

Reponimus digitis & manu, ſenſim tumorem in ſcroto vel inguine, vel vẽtre prominentem premendo, & huc illucq; impellendo, verſus foramẽ vnde prociderat, quod digito eò deducto aliquãdo deprehenditur. Fieriq; hoc debet reſupinato ęgro, & ſic collocato, ſi in inferioribus ſit, vt diductis cruribus pedes reliquo corpore elatiores ſint, quo & ſolo ſitu inteſtinum ſuſpenſum ſponte quandoque ſenſim relabitur.

Quòd ſi verò per hanc operationem non ſuccedat, vti inteſtino præſertim egreſſo frequentiùs euenit, quando illud ob flatus diſtentum aut contortũ, aut ſciualon induratũ adeò intumuit, vt anguſtam viam rurſum ſubire nequeat, tũc ante omnia hiſce occurrendum, ne excrementorum tranſitu impedito, illa ad ſuperiora regurgitantia, aut inflammatio ſuperueniens, ægrum enecent.

Proinde in eiuſmodi caſibus, ſi dolor & calor metuſque inflammationis adſint, anodyna, in phlegmone deſcripta, applicanda erunt.

Inprimis autem hoc cataplaſma, quod & ſimul vias relaxat & duras fæces emollit, flatuſq; leuiter diſcutit: ℞.rad. Altheæ ℥.ij. Liliorum ℥.j. herbarum Maluæ, Violariæ, Brancæ vrſinæ, Parietariæ an. M.j. flor. Roſarum, Violarum, Chamomillæ vel Meliloti, Anethi, Furfuris an. P.j. fiat decoctio in Aqua & Lacte, ſi magnus dolor adſit, contũdantur & per cribrum fricentur, addendo illi quod tranſmiſſum eſt, farinæ Hordei, Fabarũ an. ℥.iij. farinæ ſeminis Lini, Fœnogr. an. ʒ.j.ß. ſeminis Pſyllij ℥.j. Vermiũ terreſtrium pulner. ʒ.j. olei Roſacei ℥.iij. axungiæ Anatis vel Gallinæ ℥.j. fiat Cataplaſma.

Quando calor non impedit, & maiori emollitione & diſcuſsione flatuum opus eſt, addimus huic decocto, rad. Iridis, Bryoniæ vel Cucum. agreſtis an. ℥.j. herbarum Abſynthij, Calamentæ vel Origani an. M.j. florũ Sambuci, Roſmar. Centaur. min. an. P.j. ſem. Viticis ʒ.j. & omiſſo lacte, in decocto addimus parùm Vini, & cum farinis prædictis, vel Orobi, Lupini an. ℥.j. baccarum Lauri ℥.ß. & cum olei Irini, Rutacei an. ℥.j. facimus cataplaſma,

Vel in magna flatuum copia: ℞. ſem. Carui ℥.j. ſeminis Cimini ℥.ß. farinæ Fabaceæ ℥.iij. olei Rutacei ℥.j. Oxymellitis ſimpl. q. ſ. fiat Cataplaſma.

Ruta frixa cum oleo ſuperpoſita valde iuuat.

Fotus in eandem rem fiunt, ex decocto, ex cuius reſidẽtia cataplaſma fieri diximus, vel prioris, ſi calor adſit, vel poſterioris, ſi magis diſcutiẽdum, additis illis etiam oleis illic enarratis.

Ex oleo Roſaceo, Anethino, Liliorum, Chamomelino, Meliloti, Irino, Sambucino, Rutaceo, inunctiones & fotus ſimiliter fieri poterunt.

Sacculi, cùm diſcutiendum eſt, adhiberi poſſunt, ex Plantis aridis & ſeminibus Milij, cæteriſq; Calidis maioribus dictis & Sale parati.

Præter hæc aliis quoque tam aſſumptis, quàm ventriculo aut ventri admotis, non ſolùm flatibus inteſtinũ prolapſum implentibus, ſed & ne iterum vbi repoſitum eſt, ſi flatuum adſit copia, illud propellant, illi pręcauendi aut diſſipandi: ſicuti in Ventriculi inflatione & colicis doloribus à flatibus, hęc copioſè præſcribuntur.

In omenti exitu, cùm illud in inguine plerunque ſubſiſtat, & vel decubitu ſolo, aut ſimul adhibitâ manu intrò remeet, eiuſmodi externis applicationibus minimè opus eſt, niſi & illud in ſcrotum vſque delapſum, vti aliquando eueniſſe, in cauſis illius oſtendimus, inde cedere nolit, tunc enim & prædictis relaxantibus quoque tumor foueri emplaſtrarique debet, flatuum hîc non adeò habitâ ratione, niſi & hi in ſcrotum per eandem aperturam, quæ omento fecit viam, eruperint.

Sectione factâ, cogimur interdum, ſi inteſti-

testina omnino reduci nequeant, & necessitas exigat, opitulari, vt ita si fieri posit, cute apertâ, denudatis tūc intestinis & parentibus, foramineq; per quod egressa sunt manifestato, rectiùs illa reponi queant. Quod in inguine tentare, si intestina hîc egressa, illic & in scroto hæreât, valde periculosum, cùm sectione cutis, quæ tumori incumbit, facilè etiam intestina distenta, cutique firmiter hęrentia, vulnerentur, vti accidisse aliquando vidimus. Dein etsi ob diligentem sectionis administrationem, nulla sequatur illorum læsio, tamen cùm & sic intestina nuda ob dolorem vulneris, minùs commodè, quàm cùm cute adhuc obtecta erant, tractari possint, hac operatione in inguine factâ, etiam plerunque vel nihil efficimus, vel morti, quę alioquin si intestina foris maneant, subsequi solet, nos occasionem eâ sectione præbuisse, in suspicionem venimus. In abdominis verò aliis sedibus peritonæo rupto, si intestina nullâ arte aliâ reponi potuerūt, sectione cautè illic administratâ, hoc successisse obseruauimus, cùm tumore tunc ferè non adeò distento, citra intestinorum læsionem, tutiùs hæc perfici, & foramen peritonæi meliùs inueniri, digitoque admoto & nonnihil dilatato, intestina illic vbi huic proxima sunt apprehensa, sensim per illud introrsum rursum adigi, sicque totus illorum ductus qui exciderat, reponi posit.

Retinemus intestinum aut omentum ne prolabantur, tumoremque sic ne redeat, auertimus variis modis, nempe collocando corpus situ conuenienti, & comprimendo tumorem manu vel instrumentis.

Situ idoneo collocandum corpus, vt intestina cum omento introrsum potiùs quâm extrorsum vergant, sicque ea quò minùs elabantur, retineantur. Quod decubitu supino perficitur, quali & noctu, hæc minimè quam diu iacent, exeunt, ideoq; cùm cura instituitur, vt ea perfici posit, tamdiu nisi aliis artibus retineantur, lecto eo decubitus modo se continere iubentur.


Manus adhibita tumori eumq; premens, non solùm illum repellit, sed & quamdiu illic retinetur, ne redeat, cohibet. Verùm licèt hoc continuò fieri nequeat, tamen aliquando manus appressa loco iuuabit, maximè quando per tussim, aut conatum egerendi aliumve, intestina ab abdomine pressa, per hanc viam egredi nituntur, sic contra nitendo premendoq; manu, exitus illorum impedietur. Quod si tumor herniosus nondum adeò increuerit, & in eiusmodi conatibus consuescant, manu extuberantiam premere, ne ille augeatur, malumque augmentum sumat, prohiberi potest.

Instrumentis certis, quæ retinacula ob vsum appellare possumus, adhibitis, intestina vel omentū, ne procidant, cohibemus: quæ & proin quamdiu erecti ægri manent, gestare debent, & non nisi noctu cùm decumbūt, si tunc admodùm impediant, deponi: vel si interdum necessitatis causâ ea amouere necesse sit, tamdiu donec reponantur, manu vices ipsorum supplendæ: Hæc autem ex puluino vel scuto, quæ tumori hernioso imposita, eum premendo intropellant, illicque subsistentia illius recursum impediant, parantur. Quæ ne inde declinent, sed validè illic retineantur, variis fasciis, nunc corpori cinguli instar circumductis, nunc ab humeris pendentibus, aliisque ligamentis ab illis subtus subligaculi modo reductis, aliisq; interdum simul additis vinculis, mutuò cōnexis, vel ligulis colligatis, aut loris per fibulam transeuntibus, spinthere cōstrictis, coërcentur, & prout vel in inguine, vel aliâ ventris regione tumor se offert, maximeq; vt æger commodiùs minoriq; molestiâ hæc perferre & gestare posit, formæ horum effinguntur, è quibus sequentes accommodatissimæ à nobis deprehensæ fuerunt.

Inter ea quæ inguinum regioni adaptantur instrumenta seu retinacula, primum & simplicius illud est, quod ex puluino fit illius longitudinis & latitudinis, vt totum spaciū inguinis impleat, & vt protuberet, lanâ duorum digitorum altitudine infarctus, & ne continuo vsu cutem excoriet, panno molli vel xylino aut corio leni sit obductus. Qui puluillus vt firmiter hæreat, nec loco facilè moueatur, cingulo lato ex eâdem materiâ parato, per lumborum regionem cincto, & vti diximus, constricto, anteriore sede inguini adnexus esse debet, & subligaculo xylino

in modum fasciæ latiusculo, quod posteriori sede cingulo enarrato innexum deorsumq; ductum, sub crurum diuisione sursum denuò reflexum, per puluini mediũ transcendens, & pronexum illi affixum, ne ab eo declinet, permeans, cingulo illic rursum adstricto, comprimi, & vt se bene applicet, adstringi debet. Sicuti figurâ sequenti exprimitur.


I. Instrumentum expansum.




A Puluinus.
B Cingulum.
C Subligaculum.
D D Lorum cinguli & subligaculi.
E E Fibulæ, quas vtrumq; lorum peruadit.
F Pronexus puluini, quem subligaculum peruadit.

Alterum instrumentum pro hernia inguinali, ex puluino & cingulo, vti de primo dictum, formatur, subligaculũ verò in hoc, anteriore regione cingulo affixum, per pronexum puluini transiens, in duas fascias diuiditur, quæ sub crure reflexæ, duobus in locis cingulo alligantur, vt sic arctiùs latiusq; quàm vnica tantùm fascia, premendo, validiùs subsistentes, puluinum rectiùs in sua sede contineant. Vti figurâ hac, tam expansum, quàm quo pacto corpori alligatur, instrumentum ostenditur.

II. Instrumentum expansum.



Idem Instrumentum clausum, quo pacto corpori adligatur.




A A Puluinus.
B B Cingulum.
C C Subligaculum.
D D D D Fasciæ binæ, in quas subligaculum diuiditur.
E E Pronexus puluini, sub quo subligaculum.
F F F F Ligulæ, quibus cingulum simul, & subligaculum vtrinq; nectitur.


Tertium instrumentũ inguini adaptandum, admodumque firmum, ideò & infantibus, cùm inquieti sint, nec sibi vti adulti cauere posint, accommodum, ex subligaculo fit, quod cingulo supra inguina adnectitur, latumque & amplum supra vtrumq; inguen & scrotum expanditur, atque vtrinque vbi inguina premere debet, puluinorum duorum instar, lanâ infarcitur, in medio verò, foramine peruium penem transmittit, & subtus saccum efformat, in quo testes inclusi suspensi retinentur, non tamen arctantur: inde-

indeque in duas fascias desinit, quæ sub cruribus retrorsum ductæ, cingulo ex vtraque parte adnexæ, subligaculum attrahunt, & præter has alias duas fascias, posticâ sede cingulo vtrinque adnexas continet, quę sub cruribus antrorsum reflexæ & per puluinorum duorum ac cinguli eas sustinentis pronexus vtrinque transeuntes attractæ, subligaculum illique innexos puluinos ampliùs firmant: quemadmodum sequens figura denotat.

III. Instrumentum expansum.



Idem Instrumentum clausum, quomodo corpori accommodatur.




A A A *Cingulum.*
B *Subligaculum.*
C C *Idem expansum.*
D D *Foramen subligaculi.*
E E *Saccus subligaculi.*
F F F F *Fasciæ duæ subligaculi.*
G G G G *Fasciæ duæ cinguli.*
H H H H *Pronexus in subligaculo expanso & cingulo.*
I I I I *Ligulæ, cingulum simul, & subligaculum illi nectentes.*

Interdum quoque prædicta tria subligaculorum genera, quæ cingulis suspenduntur, vt minùs deorsum subsideant, magisq; adstricta maneant, aliis fasciis duabus cingulo posteriùs adnexis, & per vtrumque humerum ductis, rursumque deorsum anteriori sede ligulis cingulo vtrinque adligatis, sustentantur.

Quartum accommodatissimum, in inguinis rupturâ, ex duobus fit separatis subligaculis latis & xylinis, quibus singulis puluinus adnexus est, quæ posteriore sede thoraci seu pectorali vtrinque adligantur, & sub cruribus reflexa, sursum ad vtrumque inguen feruntur, illicque puluinaribus illi adnexis, vtrique inguini tam sano quàm rupto incumbunt, & pectorali denuò ligulis validè adstringuntur, & vt firmi maneant puluini, cingulo coriaceo, per vtriusque puluini pronexus anteriùs quoque per duos alios subligaculis appositos, transeunte stringuntur, sic enim firmissimè etiam in validis corporis motibus nihilominus subsistunt, & puluinus in loco sano positus, etiamsi illic nullus tumor sit, tamen cùm vicinum puluinum loco ægro incumbentem, ne in latus inclinet, sustineat, ita quoque opitulatur.

Hoc autem sequens figura exprimit.

IV. Inſtrumentum diductum.




A A Puluini duo.
B B Subligacula duo.
C Cingulum coriaceum.
D D Pronexus vtriuſq; puluini.
E E Alij, vtriuſq; ſubligaculi.
F F F F Foramina vtriuſq; ſubligaculi, ex puluini, per quæ, ligulæ pectorali infixæ tranſeuntes, hæc illi aſtringunt.


Quintum retinaculum ex ſcuto fit ligneo, duos digitos craſſo, deorſum verſus attenuato & rotundo, quod in medio vbi penem reſpicit, exectum ſpacium efficit, ne radicem illius premat, vtrinque verò extuberantiis duabus introrſum ſpectantibus, vtrumque inguen comprimit, Hoc cingulo ex ferrea lamina, tenui ſed firmâ, vt nonnihil cedere poſsit, concinnato, corioque vndique inueſtito, ſuperiore ſuâ ſede clauis vel gyris affigitur, illicque cinguli extremitatis portione, quæ ab alio ſeparata eſt, vt claudi cingulus rurſumque aperiri poſsit, & corio quo circulus inuoluitur, tantùm adhæret ſupra alterius extremitatem circuli, quæ ſcuto affixa eſt, fertur, illicque cingulum attrahit nectitque, ſcutumque ſic firmiter in ſua ſede retinet: Sicuti gemina hæc figura, hoc retinaculum tam clauſum quàm apertum demonſtrat.

(*.*)

V. Inſtrumentum apertum.



Idem Inſtrumentum, clauſum vti corpori applicatur.




A A A A Scutum ligneum.
B B B B Cingulum ferreum corio in prima figura obductum, in ſecunda nudum.
C Extremitas cinguli ferrei nuda, ſcuto clauis & gyris affixa.
D D Hami duo illius ſedis.
E Extremitas altera cinguli ferrei nuda, pro hamis excipiendis pertuſa.
F F Cingulum ferreum, illic abruptum; in prima figura corio ſolùm cohærens.
G Clauſtrum quod ex cinguli extremitatibus mutuo iunctis hamisq; affixis perficitur, corioq; obtegitur.

Sextum inſtrumentum ex ſcuto quoque ligneo fit, ſed lato admodùm, quò vtrumque inguen integat, introrſumque inclinans, ſimul ſcrotum ſuſtineat, cingulo ferreo priori ſimili affixo retentoque. Sub quo ſcuto vbi inguen ruptum reſpicit, pannus conuolutus vel puluinus inſertus tumorem illic premendo, ne protuberet, cauent. Cuius ſcuti figura talis eſſe debet.

VI. In-


VI. Instrumentum ex scuto lato fabricatum, quod cingulo ferreo, vti scutum quintæ figuræ, affigitur.



A Scutum ligneum latum.
B Cinguli ferrei extremitas scuto affixa.
C Cingulum illic abruptum.

Septimum instrumentum ex ferreo scuto fit, quod affectum tantùm inguen occupat, cinguloque ferreo, vti priora duo scuto affixo, illius extremitate clauditur & adstringitur. Quod scutum ex lamina spissa & latâ fit ferreâ, cuius posteriori sede cochleare ferreum eiusdem ferè latitudinis, articulo vt moueri queat, iunctum est, ea sede quâ inguen tangit corio munitum & nonnihil suffultum, quod à cochlea ferrea, laminis exterioris medio insertâ, dum circumuertitur, versus inguen eousque quoad sufficit, pellitur, illicque fixum retinetur. Vti hoc ex figura sequenti patefit.

VII. Instrumentum apertum.



A Scutum ferreum.
B Cochleare ferreum.
C Conuexum cochlearis, corio obductum.
D Cochlea ferrea, quâ circumductâ, cochleare introrsum pellitur.
E Foraminula, per quæ corium scuto obductum suitur.
F Cingulum ferreum, quale & quinta figura.

In aliarum ventris regionum, vt vmbilici vicinorumq; locorum tumoribus herniosis, quę adhibentur instrumenta, ex cingulo vel xylino vel ferreo, vti de prioribus dictum, parátur, quod ventris sedem illic vbi tumor erumpere solet, ambiat, puluinoque illi adnexo, vel scuto ligneo aut ferreo, premat, sicuti artificiosè hæc excogitari possunt; quod cingulum ne propendeat, quoque adnexis fasciis humeris sustentari, vel pectorali ad illud parato, alligari poterit.

Impedimus quoque aliâ ratione, ne facilè intestina prolabantur, causam quæ illa vt citiùs excidant, impellit, subtrahendo. Veluti cibi & potus copiam, eorumque quæ multa excrementa flatusque gignunt, vsum, cùm hisce intestina repleta distentaque faciliùs procidant.

Ob quam & causam ad ipsorum prouentum impediendum, & si redundét, ad ea expurganda, purgantia interdum exhibentur. Qualia in ventriculi affectibus & colicis doloribus, alibique descripta sunt. Quibus si simul constringendo aliquid rupturæ causâ opitulari volumus, rhabarbarum, myrobalanos, aliaque in dysenteria dicta purgantia eiusmodi addimus, vel illis solùm vtimur; vel alia quę rupturarum causâ propinantur, hisce permiscemus, ex decoctis præsertim, mox describendis parata.

Clysmata verò in enterocele minimè injicienda, nam si intestina egressa illic subsistant, ea implendo tumoremq; augendo, vt minùs cõmodè reponi possent, impedirent, & licèt tenuia essent, quò clysmata facilè non perueniunt, cùm tamen ægrè liceat id cognoscere, interdumq; eò penetrare quoq; posśint, satiùs est ea omittere, nisi postquam reposita sunt, summa constipatio vrgeat, vt illis vtamur. In epiplocele verò omento procidente, cùm eò non ferantur, si flatibus aut

aut excrementis retentis, venter distendatur,commodè illis vti possumus.

Frigus quoq; constringendo,exitum intestinorum aliquâ ratione promouet; Maximè verò si hæc iam prolapsa sint,cùm ex frigore intumescant & lędantur,nocet,ob quā causam à frigore prohibeantur ægri.

Motus nimij pręsertim cauēdi,vt qui per exercitia violēta corporis & conatus nixúsque validos in excretionibus,vociferandoq; obeuntur,cùm per ea abdomen constrictum intestina propellat. Venus quoque commotione nimiâ exercita hac ratione incommodat. Quies conuenientissima, non solùm præcautionis illius gratiâ,sed & ad curationem,vti dicetur,summè necessaria.

Rupturæ peritonæi,vel relaxationis processus illi⁹ in inguine vel aperturæ illius circa vmbilicū,causâ,vt hæc curentur, varia & exhibentur atq; admouentur,vel si hæc minimè proficere possunt,sectione perficiūtur.

Exhibētur in hanc rem consimilia nōnihil illis,quę assumpta,vulnerū conglutinationē iuuare, in curatione ipsorū docuimus. Quæ & hîc si à relaxato peritonæo procedant,vi siccante & constringente aliquid præstare possunt; sicuti & in ruptura vi cōsolidante,si modò in ea vulneris labia nondum admodū retracta sint,nec dum vetustate callosa facta, tunc enim nisi carnem illic nouam circumfundendo,viam hanc occludant,aliâ ratione prodesse non poterunt. Sunt autem diu hæc continuanda,& septimanis aliquot successiuè,vt virtus illorum tandem ad hæc quoq; loca pertingat,assumenda.

Ad hanc itaque rem decocta eadem vulneraria,in vulnerum cura descripta,vsurpari possunt.

Vel alia, ex his vel aliis rupturis sanandis accommodatis plantis,recentibus vel aridis paratis,& in vino aliòve liquore decoctis,aut cum melle vel saccharo in formam syrupi redactis, eodem modo vti traumatica decocta fieri ostendimus.

Simplex decoctum Polygoni minoris speciei,quę Herniaria ob singularem in herniis vsum nominatur:Vel Saniculæ,aut Filicis speciei quam Osmundam vocant, in Vino factum,valde probatur.

Compositum ex tribus hisce plantis simul decoctis,admodùm efficax.

Vel insuper addendo Violam tricolorem Trinitatis, aliàs Iaceam dictam, Alchimillam, Arthemisiam, Betonicam,Agrimoniā, Equisetum,Pimpinellam,Pilosellam,Perfoliatum, Cruciatam, ad M.aliquot. Et radic. Consolid. maior.℥.j.ß.radic.Rubiæ, Bistortæ ana ℥.j. radic. Aristoloch.℥.ß. florum Verbasci,Hyperici ana P.j.Nucum cupresi ℥.ß.seminis Abrotoni & Nasturtij ana ʒ.j. seminis Anisi ʒ.ij. faciendo decoctum in Vino & Aqua, ad consumptionem tertiæ partis,vt remaneant ℔.iiij. Sicque bibendo,vel addito Melle aut Saccharo,in syrupi consistentiam aliquam coquendo,sicque successiuè de eo sumendo.

Sunt & alia idem præstantia,quorū aliqua prædictis mista,in decoctis conuenient:Velut radix Narcissi, Gariophyllatæ, Acanthi, Leucacanthi, Baccharis, Libanotidis: Item ex herbis, Consolida media & minor & Sarracenica, Virga aurea, Sanamunda,Plantago, Ophioglossum, Fragaria, Verbascum, Primula, Auricula vrsi, Crassula,Millefoliū, Tanacetum, Cannabis,Saluia,Calamintha, cæteráve in traumaticis exposita.

Capitis Caprini cum pilis decoctum probant Arabes: alij pilorum Leporis.

Vina per infusionem ex selectioribus aridis in dolio facta, minori fastidio diu vsurpari possunt,& nihilominus idem operari.

Succi aliqui propinati idem præstant,per se ℥.j.pondere vel maiori sumpti,vel Vino aliòve liquore addito, vel inspissati priùs coctione, in formam Rob seu extracti ʒ.j. aut circiter, quantitate exhibiti,vel addito Saccharo aut Melle in forma syrupi: Et sic ad ℥.j.ß.datur.

Inprimis Herniariæ cōmendatur succus; Dein & Violæ trinitatis,Filicis item quam Osmundam vocāt & Symphiti maioris,rad. Gentianæ succi ʒ.j. exhibet Diosc. Alij Rusci etiam succum:Possunt & aliarum plantarū, quarum decoctum conuenire diximus,succi similiter vsurpari. Laserpitij liquorem cum Lixiuio aliqui propinant.

Aquæ stillatitiæ Alchimillæ, Consolid. maioris, Equiseti, Plantaginis, Peculi rosarum, alia-

aliarumq; in decocto dictarum plantarum, exhibentur in eundem vsum, per se vel cum aliis remediis.

Potiones aliæ in hanc rem fiunt, ex pulverum quorundam ʒ.j. vel plus, mistorum cum Vino rubro austero, vel decocto aut Aquâ stillatitiâ côuenientibus, aut etiam cum Aqua vel Lacte in pueris, aut Ouo sorbili, aliòve modo; Sicque propinantur, addito si velint, Saccharo vel Melle, aut Syrupo.

Hoc pacto dantur pulueres simplices vel inuicem permisti, sequentes; Inter quos primas tenent, puluis Herniariæ, Hippoglossi radic. & foliorum Ophioglossi, radic. Gladioli, Xiphij, Violæ tricoloris.

Conueniunt & pulueres Equiseti, Bursæ pastoris, Alchimillæ, Perfoliatæ: Item radicum Symphiti, Valerianæ, Aristolochiæ, Bistortæ, Tormentillæ, Pentaphylli, Bryoniæ.

Præter hæc commendantur & à Diosc. aliisque, aliarum quoque plantarum pulueres sic bibiti: Veluti Betonicæ, Hepaticę, Panis cuculi, Balsaminæ, Periclymeni, Polycnemi, Helycrisi, Symphiti petræi, radicum Bardanæ, Helenij, Smyrnij, seminis Nasturtij & Thlaspi, aliarumq; plantarum quarundam efficaciam in decocto enarratarum.

Laudatur & puluis Lumbricorum, Blattę Bysantiæ, limatur. Chalybis, Lapidis Hæmatitis, Amianthi & Osteocolli, quem & rupta ossa consolidare docent. Terræ item pingues, quas Sigillatas, ob impressum sigillum vocant, aliáve terrena siccantia.

Ex vsitatis sic quoque exhiberi possunt, pulu. Trochiscorum de Charabe, de Spodio & de Bolo; Item puluis Diacydonites sine speciebus, cum liquore aliquo.

In forma pulerum hæc eadem sumi possunt, permiscendo Saccharum ad gratiam, vel cum eodem cocto in aquis conuenientibus in tabulas redigi, sicque sumi, addendo insuper grata, & ventriculo conuenientia, ne ab illorum continuo vsu lædatur, & quæ flatus abigunt, cùm & hi intestina replendo, tumorem in herniis augeant.

Veluti: ℞. seminis Coriandri præpar. ʒ.j. seminum Carui vel Cimini, Nasturtij ana ʒ.ß. Herniariæ ʒ.j.ß. Hippoglossi vel Ophioglossi aut Caudæ equinæ ʒ.j. radic. Consolidæ, cortic. Granatorum ana ʒ.ß. Boli ʒ.j. Coralli rubr. ʒ.ß. Sanguinis draconis, cineris Priapi tauri vel cerui ℈.j. Cinamomi ʒ.j. Sacchari rof. tabul. ad pondus omnium, fiat puluis, vel auctâ dosi Sacchari, dissol. in aqua Equiseti & Rof. fiant tabulæ.

Electuaria ex iisdem pulueribus fieri possunt, excipiendo eos, conseruis, condituris, syrupis vel rob, conuenientibus ʒ.ij. aut circiter dando, aquasque superbibendo.

Vel hoc modo: ℞. conseruæ vel conditturæ radic. Symphiti maior. & Narcissi radicum ana ℥.j.ß. conseruæ Herniariæ, more consueto paratæ ℥.j. conf. Rof. antiquæ, conseruæ Acori palustris ana ʒ.vj. conseruæ Saluiæ, vel Stœchados ℥.ß. seminis Coriandri præpar. & Fœniculi ana ʒ.ß. Succini, Mastiches vel Thuris ana ℈.ij. lapid. Hæmatitis ʒ.ß. Cinamomi ʒ.j.ß. cum syrupo Myrtillorum fiat electuarium: Cui & alij ex pulueribus supradictis, nisi fastidiant, efficaciores præsertim, addi possunt.

Mixtura ex variis pulueribus enarratis inuicem in massam coactis parari potest, de qua ʒ.ß. vel ℈.ij. in forma boli vel pilularum, cõtinuis multis diebus commodiùs degluttiuntur, quàm alio modo cùm ingrata sint, sumuntur.

Hoc pacto: ℞. radicum Consolidæ maioris, Rubiæ mai. Tormentillæ, Aristolochiæ, Rhabarbari, Bryoniæ ana ʒ.j.ß. herbarum Herniariæ, Violæ tricoloris, Hippoglossi, Ophioglossi, Bursæ pastoris, Alchimillæ, Equiseti, seminis Nasturtij, Mumiæ, Blattæ Bysantiæ, Boli, Coralli ana ʒ.j. gummi Arabic. Sarcocollæ, Mastiches vel Thuris, Succini ana ʒ.ß. fiat puluis, excipiatur syrupo Myrtillorũ & infus. gummi Tragach. fiat pasta.

Additis aliis quamplurimis vel omnibus pulueribus supradictis, polychrestum remedium sic parari poterit.

Pilulæ ex aliis quoque præparatæ dantur: Veluti ex vsitatis, pilulæ de Bdellio.

Vel illorum loco his vti possumus: ℞. Asphalti siue Mumiæ ʒ.ij. Bdellij, Galbani vel Sagapeni, Myrrhæ dissolutæ in aceto an. ʒ.ß. Limaturæ chalybis præparat. ʒ.j. Stercoris leporis sicci ʒ.ß. pulu. Lumbricorũ ℈.j. cum succo Violæ tricoloris vel Herniariæ cocto,

cum Melle in formam syrupi, fiat massa. Capiat ℈.ij. vel ℈.iij. pro vice.

Aliæ ex Stercore leporis siccato, & Pilis eiusdem minutim incisis, cum Melle cocto subactis factæ, ad ʒ.j. aliquandiu deglutitæ, commendantur.

Admouentur loco affecto illic vbi tumor sese exhibere solet, & peritonæum ruptum vel relaxatum est, vel in inguine, aut vmbilici aut alia ventris sede, variæ applicationes, quæ validè adstringendo, relaxationē hanc, si in inguine sit, restringant, vel in ruptura, siue illic siue alibi sit, scissuræ labia diuisa rursum nonnihil iungant, additis simul consolidantibus, per quæ, etsi peritonæum ægrè possit ampliùs coalescere, tamē quia horum continuo vsu, caro de nouo parti læsæ, si recens præsertim hæc læsio fuerit, accrescere potest, eâ ratione aperturam hanc obturando, vti adstringentia angustiorem reddēdo, affectum hunc, sicuti ea quæ exhibere iussimus, sanare poterunt. Quod vt rectiùs præstent, omni studio intestina interim continenda sunt, ne vllo pacto ad locum affectum rursum impulsa, exitumq; quærētia, aut etiā prolabentia, illud quod vel adstringi vel iungi inceperat, iterum diuidēdo separetur, donec integrè & perfectè hæc rursum fuerint curata. Ob quam causam quamdiu hæc cura perficitur, ad mensis spacium vel vltra, vel in lecto supini recumbere, vel subligacula continuò gestare, aliisque modis intestina retinere debet, omniaq; quę hæc impellunt, illis quæ priùs explicata fuerunt, impedire.

Fiunt autem eiusmodi applicationes plerunque per emplastra, cùm diu ad cōtinuum illorum vsum asseruari possint, quæ & elapsis quibusdam diebus renouari debent.

Quale sequens ex pluribus paucioribusve sic parari poterit: ℞. radic. Consolidæ, Bistortæ an. ʒ.iij. radic. Aristolochiæ ʒ.ij. Gallarum, Nucum cupressi, cortic. Granatorum an. ʒ.ij. foliorū Visci querni, Balaustior. Ros. rubr. an. ʒ.j. Aloës, Sanguinis draconis, Hypocistidis vel Acaciæ ana ʒ.j.ß. Lumbricorū terrestr. exiccat. ʒ.j. Thuris, Mastiches, Myrrhæ, Sarcocollæ, Mumiæ, an. ʒ.ij. Picis naualis, Colophoniæ an. ℥.ß. Boli, Lithargyrij, Hæmatitis ana ʒ.ß. Gypsi vsti ʒ.iij. Resinæ abietinæ vel lariceæ, vel pini q.s. puluerisata puluerisentur, & gummi in aceto forti dissoluātur, fiat emplastrum secundùm artem: Vel subigātur omnia oleo Cydoniorum vel Lentiscino aut Myrtillorum, additaque Cerâ rubrâ fiat Ceratum.

Istis & alia addi possunt, veluti radices Narcissi, Asphodeli, Plantag. Nenuph. fol. Herniariæ, Glandium capulæ, semen Myrtilli, gummi Ammon. Bdellium, Galbanū, Serapinum, Tragach. Arabicum, Succinū, lap. Magnes, Chalybis limatura, Scoria ferri, Alumen, Vitreolum; Item pulueres Musci querc. Tuberum terræ vel cineres, Limacum rubrorum, Erinacei pellis, Pilorum leporis, Blattæ Byzantiæ, puluerisatus item Sanguis humanus exiccatus, Colla vel Mucago, quæ ex pellis arietis cum pilis, decoctione elicitur. Quæ omnia vel ex parte, cū supradictis in formam emplastri, vel cum oleis prædictis, aut aliis in quibus Bursa pastoris aliáve adstringentia, vel succus Plantag. & Acetum cocta sint, & Cerâ, in Ceratum redigi possunt.

Alia emplastra sine vnctuosis parata, quæ admota mox siccantur, & firmiter hærent, non solùm potentiâ constringendo, sed & actu locum premendo arctandoq; meliùs operantur, sicq; parari possunt: ℞. Thuris vel Mastiches ʒ.iij. Boli, Gypsi vsti an. ʒ.ij. Aloës, Sanguinis draconis an. ʒ.j.ß. Gallarum vel cort. Granatorum, Nucum cupresi, rad. Aristoloch. vel Bistortæ ana ʒ.j. Vermium terrestrium vstorum, Pilorum leporis vstorum ana ʒ.ß. fiat puluis subtilissimus, qui excipiatur Albumine oui & Aceto vel Collâ pisciū, vel contund. emollita vel dissoluta in Aceto forti; Et cum Bombace intincto applicentur, renouando bis térve in septimanâ.

Picatio seu Dropax ex Pice dissolutâ, additâ Resinâ, supra partem fieri potest, diuque retineri; & quando pruritum mouet seu decidit, de nouo mutari: Cui & alij pulueres stiptici misceri possunt.

Ex vsitatis emplastris Ceratum de pelle arietinâ, vel contra rupturam appellatum, Arnoldi Villanouani, admodum in vsu est, fitque ex lithargyrio, lapide hæmatite, bolo, gummi, thure, mastiche, ammoniaco,

galba-

galbano, myrrhâ, pice nauali, græcâ, cerâ albâ & rubrâ, terebinthinâ, ſuccis, aloë, ſanguine draconis, hypociſtide, opio, radicibus conſolid. maioris & minoris, ariſtoloch. coſti, floribus roſ.rubr. balauſt. viſco quercino, gallis, lumbricis, ſanguine humano, pelle arietis.

Emplaſtrum Maſtichinũ conuenire quoque poteſt, præſertim ſi flatibus ſimul occurrere velimus, deſcriptum in ventriculi imbecillitate.

Vnguentum Comitis vel Comitiſſæ dictum adſtringens, hîc quoque conferre poterit, applicatum.

Aliæ quoque applicationes ex plantis in Vino rubro auſtero coctis fieri poſſunt, & vnà cum cæteris admoueri, veluti;

Herniaria cocta cum radice Symphiti.

Filix oſmunda ſic cocta prodeſt. Cui & Equiſetum addi poteſt & Burſa paſtoris: item Herniaria, Gallę, Nux cupreſsi & Malicoriũ.

Viſci quercini ſeu in illius defectu, pyri folia recentia cum ſeminibus viſci glutinoſis, ſi adſint, vnà cum radice Conſolidæ, Hyperico, Saniculâ & Betonicâ, cocta & contuſa appoſita, probantur.

Præter hæc, Cicutæ exiccatæ puluerem aliqui adhibitum commendant, qui Albumine oui excipi, ſicque applicari poteſt.

Bdellium Saliuâ ieiuni hominis, vel Vino auſtero aut Aceto emollitum, admotum, etiam laudatur.

Lupini cum panno linteo combuſti, cum Vino in omphacele vmbilico applicant.

Fotus conſtringentes cum ſpongiâ vel panno immerſo in decocto ſæpè repetiti, actu calidiſsimi apponuntur, fiuntque ex decocto facto in Vino adſtringente, vel admiſto inſuper Aceto, vel Lixiuio, aut Aquâ extinctionis ferri, ſimplicium ſequentium.

Ex radice Biſtortæ, Tormentillæ, Pentaphylli, Rubiæ maioris, Narciſsi, ex herbis Herniariæ, Caudæ equinę, Plantaginis, Hyperici, Tapſi barbati, Symphyti petræi, fol. Quercus, Berberis, Sumach, aliarúmve herbarum adſtringentium. Vti & cortice Granatorum, Cupreſsi nucibus, flor. Roſarum ſicc. ſemine Coriandri, Naſturtij torrefacti.

Quibus & flatus abſumentia, ne inteſtina implendo propellant, commiſcentur: Veluti Ruta, præſertim agreſtis, Centaurij minoris ſummitat. & Roſmarini, flores Stœchados vel Lauandulæ, ſemina Cimini, Carui, Fœniculi.

Hiſce omnibus ſi Aluminis & Vitreoli ana ℥.j. vel plus addatur, vires fotus admodũ augebit. Ex quibus ſolis in liquoribus ſupradictis pro fotu diſſolutis fomentatio facta, efficaciſsima eſt, admiſto nonnunquam & Bolo vel Gypſo vſto.

Liquorem qui in Vlmi folliculis inuenitur, inunctum aliqui commendant.

Sectio poſtremum eſt remedium, quod in ruptura & relaxatione peritonæi ſanandâ locum habet, cùm per eam cute apertâ, peritonæum apprehendi, conſtringi & vinciri, cuius nomine ſectio fit, poſsit; quæ tamen, quia cum maximo ægrotantis dolore & periculo fit, non niſi omnia priùs tentata irritaque fuerint, tentanda; ſed nec tunc quoq; temerè, niſi eiuſmodi hernioſi tumores ſupra modum incommodent, & facilè procidentes, magnum cruciatum ſæpè ægro pariant, & metum ne fortè extra ſubſiſtentia, reponi nequeant, alioquin ſatiùs ſubligaculis, vti dictum, eiuſmodi protuberantias auertere, leuiorique hac moleſtiâ, dolores atrociores & vitæ diſcrimen declinare. Talis autem ſectio, rupturas eiuſmodi & relaxationes idcirco auertere poteſt, & ſanare dicitur, quòd per eam cute apertâ, præſertim ſi in inguine fiat, proceſſus peritonæi ruptus aut dilatatus vinciri poſsit; & ſic via hæc intercludi, & in vulneris conſolidatione carne accreſcente, ne vinculo ſoluto membrana, quæ aliàs difficulter coaleſcit, vt ſuperiùs dictum, rurſum diducatur, hoc veluti glutine iuncta contineri. Quæ & ſectio in aliis abdominis rupturis, ſi illic fiat, licèt peritonæũ ſciſſum tunc non facilè colligi ligarique poſſit, tamẽ ob adnaſcentem carnem, obturantemq; foramen, hoc pacto eas curare poteſt.

Vt hæc autem decenter adminiſtretur in inguine, vbi præſertim fieri ſolet, præmiſsâ inuocatione diuini auxilij, cùm res ſit periculi plena, æger ſupinus ita in aſſere collocandus, vinculiſque adſtringendus eſt, vt caput decliuius ſit reliquo ſuo corpore,

pedesque altiores, dein si intestina adhuc scrotum inguenque occupent, illa priùs reponenda, tumorque omnis premendo abigendus; postmodum cutis apprehensa, attractaque, secundum inguinis lõgitudinem acutâ nouaculâ, sectione cute tota diuidente aliquousque incidenda, indeque processus peritonæi ab eo in scrotum descendens, vasaque seminaria in se inclusa continens, apprehendendus, & ad exortum illius vsq; à subiectis, quibus adhæret, vel solâ attractione, vel adhibito sectionis adminiculo, liberandus, atq; iuxta principium illius, vinculo forti & crasso, ex filo cannabeo contexto excipiendus, valideque vinciendus, relictis vinculi extremitatib. extra corpus protendentibus, demũ processus ille infra hanc ligaturam amputandus, & cum vasis seminariis adnatoque teste euellendus auferendusque. Quibus factis, æger in lectum collocandus, & quietus decubitu supino, donec vulnus sanatum fuerit, retinendus, quod & vti reliqua vulnera, adhibitis quæ conueniũt, vel solâ ablutione, sæpè sanatur, & vinculis tandem recedentibus consolidatur.

Quòd si rei Anatomicæ peritus Chirurgus, ita processum dictum priùs diuisum, & à vasis seminariis separatum, vincire posset, vinculo solum processum, nec simul vasa seminaria comprehenderet, tunc illis remanentibus, vti & teste, citra illius castrationẽ, quod maximè omnes optant, hæc sectio posset perfici.

Per puncturam citra sectionẽ aliqui hoc efficere tentarunt, qui acu longo scroti superiorem regionem perforantes, eamque per processum enarratum adigentes, filumque illi insertum trahentes, sic ligando per scrotum processum illum claudere se posse narrant, vt liberis quoque vasis seminariis, & remanente teste, sanentur.

Citra sectionem hernias curari posse, sæpiùs ante hac audiui, sed dum hæc scribo, opportunè chirurgus quidam Gallus ad nos appulit, cui feliciter taliter medicanti spectator fui. Quæ ratio cùm sine dolore aut saltem exiguo fiat, citraque hæmorrhagiam, est commodissima & tutissima, siquidem vasa sanguine neutiquam tinguntur, ideoq; meliùs conspici & tractari queunt, eoque magis optanda in masculis, quòd citra testiculi ablationem & castrationem perficiatur, hoc modo.

Cauterium potentiale paulò supra testiculi regionem lateris rupti, vbi peritonæi processus saccum subit, collocauit, eâ quantitate, vt semi digiti longitudine & amplitudine cutem mortificando, escharam inusserit, quâ mox discissâ, aliud cauterium imposuit, donec cute integrè ablatâ, pinguedo apparuit, quam forpice discidit eousque, vt processus vasa seminaria deferens pateret. Quibus biduo peractis, vasa illa digitis à processu artificiosè separauit, & acu curuatâ filum subduxit, processum leuiter strinxit, nullum planè dolorem tunc inferendo. Filo postmodum successu temporis sponte elapso, admotis vnguentis sarcoticis, carnem calli instar sensim illic produxit, quæ eò faciliùs huic processui, cùm tunica illa elithrois rubra carnosa musculosaque sit, accreuit, & sic premendo ac opplendo locum deperditæ substantiæ, viam prolapsuris visceribus occlusit, sicque curam integrè & feliciter citra castrationem absoluit. Quâ ratione eum multos alios sanasse, ex literis testimonialibus, quas mihi obtulit, didici.

In aliis ventris rupturis, operatio hæc per sectionem aut cauterij applicationem, non adeò, vt si in inguine fiat, facilè institui debet, sicuti verò illa ad intestinorum repositionem aliquando, vti superiùs dictum, necessitate vrgente tentatur, cùm peritonæi diuisionis latera vix dum ita apprehendi & colligi vincirique possint. Aliquando tamen & hac ratione, & præsertim quòd caro luxurians faciliùs, vti dictũ, dum vulnus coalescit, nascatur, iuuare potest. Quæ resupinato ægro, illicq; vbi tumor eminebat, vulnere inducto, vel cauterio admoto, illiusque curatione decenti, quoque perficitur.

Vteri procidentiæ curatio.

Vterus quando extra corpus cum sua ceruice prolabitur, cùm hoc, quia connexus colli vteri dissoluitur, vti ostendimus, fiat, illeq; connexus ægrè ampliùs reparari possit, cura admodum erit difficilis; & si malum inueteratum fuerit, quia partes ab inuicem disiunctæ iam callo obductæ, consolidari

ampliùs

ampliùs nequeunt, impoſsibilis. Maior ſpes ſanationis, ſi vterus nondum prodierit, ſed in ſinu incluſus perſiſtat, maximeque ſi in profundo adhuc lateat, cùm minor tunc facta ſit fibrarum ſeparatio. Cæterùm ad curationem hanc perficiendam, tum perfectam, quâ partes hæ diſiunctæ vniuntur, vel imperfectam, ſi hoc fieri nequeat, vt ſaltem prolapſus ille vitetur, primùm illa cauſæ, dein morbo accommodanda.

Cauſæ quæ vterum propellit, ratione cura inſtituitur, ſi illa ante omnia auertatur. Quod fiet ſi quietæ maneant, aut leuiora ſaltem munia obeant: A coitu immoderato ſibi temperent: Occaſiones quæ eas ad ſternutandum, tuſsiendum & vociferandum adigunt, vitent: Et ſi grauidæ ſint, quæ partum facilitent, cùm tempus inſtat, vſurpent. Dein & omni tempore, vt aluus ſine magno conatu reſpondeat, & victu & medicamentis eum ſoluentibus, procurent. Quo nomine potiùs purgationib. hiſce vtemur, quàm vt hæc humiditatibus illis, à quibus ligamentis vteri irrigatis, laxioribusque inde redditis, procidentiam naſci poſſe, voluerũt, expurgandis accommodemus. Niſi fortè ſi mulier hiſce in ſinu abundet, aut fluore vterino ſimul laboret, ad lubricitatem huius viæ, quæ vt promptiùs vterus exeat, cauſam præbet emendandam, catharticis etiam fortioribus vti neceſſe ſit. Qualia quæ non ſolùm purgando, ſed & validè ſiccando illud præſtant, in fluxus vterini curâ abundè deſcripta fuerunt. Aliàs enim niſi ob hanc cauſam, vt corpus mundum & purum redditum rectiùs tractari queat, minusque curatio illuuie excrementorum impediatur, in causâ procidentiæ tollendâ, euacuationes hæ per purgationes aut ſanguinis miſsionem, alióve modo factæ, parùm prodeſſe queunt.

Morbo qui duplex hîc occurrit, nimirum vteri ipſiusque ceruicis ſitus dislocatio, atq; continuitatis ſeu connexibus cum partibus vicinis diſſolutio, accommodabitur cura, ſi hæc prolapſa in priſtinum locum reponantur, repoſitaque illic retineantur; & vt rurſum cum illis à quibus auulſa ſunt, vniantur, efficiatur.

Reponi debent ante omnia in ſinum vteri, ea quæ ex eo exciderũt, & quoad fieri poteſt, rurſum vterus ſurſum adigi. Quod vt faciliùs fiat, alui fæces atque vrina priùs exoneranda erunt, ne hæc cùm ceruix vteri recto inteſtino incumbat, ſibique incumbentem habeat veſicam, haſce ſedes implendo, ſicque viam hanc anguſtiorem reddendo, vteri repoſitionem impediant.

Quo facto, mulier in dorſum ſupina recumbens, cruribus diſtentis genibusq; ſurſum attractis, manibus baſim ſacci prouoluti introrſum premat, ſurſumq; in ceruicem trudendo, ſicq; inuertendo, donec in ſinum vſque omnia remearint, adigat. Vel ſi ægrè ſuccedat, obſtetricis operâ hoc peragat, vel bacillo craſsiore obtuſo, pānis inuoluto hoc faciat; quo & in ſinum profundiùs quàm ſolis manibus, poteſt repelli. Aut vt minus lædatur dolorque inferatur, petacium ex panno linteo ſæpiùs conuoluto, filoque ſtrictè ligato paretur, & huic vſui accommodetur: quâ ratione toto biennio vterum propendentem, qui reponi aliis artibus minimè poterat, ſurſum pellendo, ceruice ſic vt lanij bacillo inteſtina ſolent, inuerſâ, cuidam repoſui, quæ adhuc viuit, & nihilominùs aliquoties interea peperit.

Quòd ſi verò quò minùs vterus ſinum denuò ſubire poſsit, tumor in hac propendentia ſubortus impediat, hic ante omnia erit tollendus; ſi inflammatio ſit, hæc quæ huic ſanandæ competunt, ſi alia inflatio, quę eam diſcutiant, vſurpāda; qualia in tumore hernioſo, ſi ille ob eandem cauſam reponi nequeat, conuenire diximus.

Vt promptiùs intromitti queat, butyro, oleo & pinguibus inungatur. Quòd ſi verò neceſsitas nõ exigat, ſatiùs erit ab illis abſtinere, ne vncta citiùs rurſum excidant, ad quod præcauendum, potiùs aſtringentibus, quę aſperiora hæc loca reddendo, vt firmiùs hæreant, efficiant, etiam antequam reponantur, vtendum: ſicuti ea poſtea explicabuntur.

Ad retinendum vterum cum ſuo collo in ſuo ſitu, tum quādo repoſita ſunt, tum etiam antequam exciderunt, ſed caſum minari videntur: vtque etiam cum partibus vicinis

coaleſcant, variis medendi modis vtimur: quorum alij aſtringendo, ſiccādoque & glutinando, vtrumque præſtant, vnde perfecta cura ſequitur; alia verò tantùm hæc retinent, curamque imperfectam atque vti vocant, palliatiuam ſolùm poſt ſe relinquunt. Perficiunturque hæc tum illis quæ per os exhibentur, tum hiſce quæ extrinſecùs vteri regioni applicantur, vel collo cum vtero dum adhuc foris ſunt, apponuntur, vel per ea quæ ſinum vteri ſubeunt, aut etiam olfacienda, proponuntur.

Exhibita quædam, vti in herniis ad relaxationem vel rupturam peritonæi ſanandam, & in vulneribus ad ea conſolidanda, aſſumpta quæ iuuant, an hîc quoque in hac diſſolutione continuitatis aliquid præſtent, tentare licet.

Præter quæ & hic puluis ſæpè ſumptus, huic affectui præcipuè accommodatur: ℞. radic. Tapſi barbati ʒ. ij. foliorum Myrti, ſemin. Paſtinacæ domeſtic. ana ʒ. j. raſur. Cornu cerui ʒ. ß. Cineris oſtraceorum vel Concharum ℈. j. Coralli rubri ℈. ij. fiat puluis.

Extrinſecùs vteri regioni, dum adhuc in ſuo loco eſt, antè, retrò & ſubtus, varia adhibentur, quæ aſtringendo vterum, ne facilè labatur, contineant, & ſiccando an fortè collum diuulſum rurſum ſic coaleſcere queat, aliquid præſtent, addendo quę vtero appropriata illi robur addunt.

Quod fouēdo frequenter haſce ſedes, vel balneo immergendo ſupra lumbos vſque, & cōtinuando per multos dies, efficere ſtudebimus. Quæ ex decocto ſequentium fieri poſſunt, facto in aqua Ciſternæ, vel Fabrorum extinctionis ferri, addito ſi præſertim pro fotu eo vti velimus, etiam Vino, nonnunquam & Aceto. Sumimuſque pro hoc decocto coquendo, rad. Biſtortæ, Tormentillæ, Pentaphylli, ſummitates vel teneriora Quercus, Pyri & Pruni ſylueſtris, Meſpilorum, Rubi, Myrti, Lentiſci, Ciſti, folia Pini, Cupreſsi, Lauri, herbas Burſæ paſtoris, Verbenacæ, Verbaſci, Millefolij, Sanguinariæ, Hederæ, Polygoni, Herniariæ, Abſynthij, Centaurij, Arthemiſiæ, Matricariæ, Rutæ, Betonicæ, Lau[illegible]dulæ quam Caſiæ nomine Dioſc. in hoc caſu commendare putant. Item cortic. Granatorum, capularum Glandium, Gallas, Spongiam bedeguar, nuces Cupreſsi, Lentes, Cineres rubr. baccas Myrtillorum, Rhois obſoniorum, Lauri, flores Roſarum rubr. Balauſtia, Pſydia, flor. Stœchados vtriuſq; Saluiæ & Roſmarini, Muſcum itē pulmonarium, quem Vſneam vocant. Horum plurium pauciorúmve decocto, ſi efficaciùs operari velimus, Alumē vel Sal addim⁹, aut parùm Chalcāthi; Vel Bolū aut Gypſum incoquimus, vel Scoriam ferri.

Aquæ naturales thermarum atramentoſæ, aluminoſę, ſalſæ, vel in quarum ſtillicidio tophi multi gignuntur, cumque decoquuntur multùm calcis vaſis adhæret, ad menſem vel vltra, vt ſolent, cōtinuatę, plurimùm ſæpè proſunt: cùm licèt madore ſuo humectare videantur, tamen non ſolùm potentiâ, ſed & ſudores mouendo, humoreſq; abſumendo, exiccare eas tandem & aſtringere effectus doceat, atque corrugatio cutis & aſperitas, quę inde ſequuntur, ſatis oſtēdant.

Vnguēta vel emplaſtra vteri regioni, circa pubem aut lumbos applicāda, ex ſequentibus fiunt: ℞. rad. Biſtortæ ʒ. ij. rad. Cyperi, Herniariæ, Vſneæ an. ʒ. j. flor. Roſarum rub. Balauſt. an. ʒ. ß. Gallarum vel corticū Granatorum vel capul. Glandium ʒ. ij. nucum Cupreſsi, oſsium Dactylorum vel Myrobal. vſtarum an. ʒ. j. ſem. Myrtillorum ʒ. ß. Thuris vel Maſtiches, Acaciæ vel Hypociſtidis ana ʒ. j. Spicæ ʒ. ß. Coralli rub ʒ. j. fiat puluis ſubtiliſsimus, qui excipiatur oleo Myrtill. vel Myrtino, aut Maſticino, addendo tertiā partem olei Laurini, Reſinæ liquidæ alicuius & Ceræ q. ſ. fiat vnguentum: Vel additâ Reſinâ ſiccâ, Pice & Colophoniâ fiat emplaſtrum.

Alia inunctio quæ ad abortū prohibendū vteri ſedi illinitur, atque ℞. olei Roſac. ſimplic. vel Omphacini, &c. Item quæ ſequuntur vnguenta duo ex puluerib. concinnata, hîc quoq; inuncta, vel in formam emplaſtri redacta, & appoſita idem præſtabunt.

Vſitata vnguēta & emplaſtra ad alias fluxiones matricis, etiam ad vteri prolapſum cohibendum iuuant. Veluti vnguentum Comitiſſæ, emplaſtrum de Maſtiche, contra Rupturam & ſimilia.

Cata-

Cataplasmata ex residentiâ decocti contusâ, additis iam dictis oleis, apposita similiter iuuabunt.

Vrticam admotam probat Dioscor. Quæ recens contusa applicabitur.

Sacculi, prædictis pro fotu remanentiis impleri possunt, & hoc modo vsurpari.

Cucurbitæ maioris ventosæ dictæ, vel si minores sint, trium vel quatuor, affixio sub vmbilico in hypogastrio, sæpè repetita, ad retinendum vterum in suo loco, aliquid adjumenti adferre fortè poterit.

Foràs propendẽti vteri basi cum suo collo, quædam applicantur, quæ postquam hęc reducta & in suam sedem reposita sunt, inter ipsa & partem vnde diuulsa fuerant, interuenientia, hæc loca vtrinq; adstringendo & corrugando, vt minùs promptè relabantur, efficiunt, præcipuè verò si hæc simul vi siccante & glutinãte prædita sint, in consolidandâ iterum hac diuisione, plus quàm vlla alia, cum glutinis instar hisce sint interposita, præstabunt.

Fouendo procidentiam illam antequã reponatur, hoc possumus efficere, cum decocto fotus, quo vteri regionem foueri debere, vel immergi, diximus. Cui ad consolidandum, radicem Consolidæ maioris Narcissi, aliaque in vulnerum consolidatione exposita, addere possumus: Vel ex hisce solis, coquendo simul & Thus, Mastichen aliaque gummosa, fotum parare.

Cùm magis adstringere volumus, nulláque spes cõglutinationis ob inueteratũ malũ, Spongiâ in Aceto rubro, aut Lixiuio vel Aquâ salsâ, aut fluminosâ intinctâ fouemus.

Vel linteolum in aqua Nucum aut conorum Pini syluestris exstillatâ immersum madefactumque applicamus.

Pulueres sacco huic propendenti, priùs madefacto, vel inuncto mucagine radicis Consolidæ, vel infus. Gummi tragach. vel glutine ex Farina cocto, asperguntur, qui asperitatem nullam, ne cùm collo reposito, sub eo hæreant, eum lædant, habere debent, & proin vi glutinãdi potiùs quàm astringendi pręualere. Qualis hic est puluis: ℞. Thuris vel Mastiches ʒ.j.ß. Sarcocollæ nutritæ in Lacte ʒ.j. Mumiæ, Gummi Arabici, Acaciæ vel Hypocistidis ana ʒ.ß. redigantur in pollinem tenuissimum.

Inungi poterit hic puluis exceptus prędictis mucilaginibus, vel semin. Cydoniorum, vel etiam oleo Hypericonis, alióve loca diuulsa consolidante, in vulnerum curâ expositis.

In sinum vteri induntur, injiciuntur, & intromittuntur sequentia, quæ iisdem viribus prædita, & adstringendo hasq; vias arctando, prolapsum impediant, & siccando consolidandoq; aliquid insuper præstent.

Induntur Pessi, qui se adeò longi & crassi formentur, & vinculis, fasciis aut subligaculis adeò stringãtur, vt nõ solùm noctu sed & interdiu inter deambulãdũ retineri possint, vterumq; sustinẽdo, illius descẽsum non solùm illorum efficaciâ, sed & hoc modo, vti & globum inmissum idem facere ostẽdemus, prohibebunt.

Præparantur hi ex vnguẽto prędicto, additâ Pice, in emplastri durioris formã redacto, atq; ex eo formãdo magdaleonẽ, eâ figurâ quę sinũ vteri impleat, illiusq; fundum attingat. Cui & alia gummosa in Aceto dissoluta permiscentur, vt Galbanum, Bdelliũ, Sarcocolla; dein & Oppopanax, ad ℥.ß. Quibus & deterrimi odoris Assam fœtidã, vt vterus, sicuti putant, retrocedat, miscent: quod tamẽ non adeò, ne inuisa fiat mulier, vitiúmque hoc odore prodatur, necesse est.

Ex emplastris, quibus admotis peritonęum ruptum, interdum carne nouâ accrescente, consolidari posse ostendimus, idem fortè in hac fibrosæ continuitatis solutione, simili modo operabuntur magdaleones hoc pacto formati, ideoque non sine successu, si quid spei subest, gestari possunt.

Possunt & alij pessi eiusmodi, ex pulueribus prædicti vnguenti parari, si priùs Albumine oui, vel infusione Gummi tragachanti, aut mucagine radicis Consolid. aut Cydon. incorporati, sacculo infarcti, sic immittantur, & diu retineantur.

Quòd si eiusmodi pessi molestiam exhibeant, & minùs commodè diutiùs possint retineri, alij minores digiti crassitie & longitudine, more cõsueto, qui noctu retineantur, ex prædictis parentur.

Vel horum

Vel horum loco Lana madefacta in Albumine oui & Aceto, pulueribus conspersa inditur.

Aliud pessarium, in fluore vterino albo descriptum, quod ℞. Gallarum vel capul. Glandium, &c. & hîc poterit competere.

Ex Ouo cui Gallina diebus aliquot incubuit, confracto, Vitellum cum Albumine exemptum, mistum, Lanaque exceptum, atque inditum, aliqui probant.

Globo seu Pilâ rotundâ in sinu vteri gestatâ, mulieres quò minùs vterus exeat, communiter solent prohibere. Quæ huius magnitudinis esse debet, vt sinum adimpleat, & tamen orificium ipsius externũ subire possit, ac citra vim maiorem intrudi. Item leuis & lubrica seu polita, ne asperitate suâ aut pondere, tenera hæc loca lædat vel grauet, sed dura interim, vt vterum meliùs sustineat, & sicca, ne si mollis esset, vel diffluerer, aut si humorẽ conciperet, minimè subsisteret, sed facilè iterũ elaberetur. Paraturq; hoc modo ex cortice leuissimo Suberis vel Betulæ, duo segmenta si vnũ non sit satis crassum, conglutinãdo, & in formam globi tornando. Vel sumendus glomer, qui ex filo conuoluto formari solet. Talisq; globus corticeus vel filarius in Cerâ dissolutâ tamdiu volutetur, donec planus & æqualis fiat, ceraque aliquousq; obducatur. Quem appenso ligamento vt rursum eximi queat, mulier sinui vteri indat, eumque interdiu quamdiu erecta manet, vel etiam noctu decumbens, ne opus sit sæpiùs factum iterare, gestet: & ne vterus prolabatur, retineat, nec facilè nisi cùm se viro coniungere vult, eximat, quod tracto ligamento promptè fiet. Quæ ratio vterum cohibendi, etsi molesta nonnihil sit, minùs tamen impedimentum quàm si vterus prolabatur, adfert.

Injiciuntur in sinum ceruicis vteri per syringam, quæ idem præstent: potestque sumi Decoctum prædictum pro fotu descriptum, aliquotiesque repeti; quod sic iniectum, potentiùs, quàm si foris tantùm adhibeatur, operabitur.

Efficax iniectio ex paucioribus sic fit: ℞. Gallarum ℥.iij. Vsneæ ℥ ij. rad. Consolidæ ℥. j. Herniariæ siccæ ʒ.ij. Absynthij ʒ.j. Boli rubri ℥.j. cinerum Sarmentorum ʒ.ij. coquantur in Aqua ferrata, & tertiâ parte Vini rubri, ad mensuram j. Pro injectione.

Intromittuntur in eundem sinum, eoque excipiuntur, Suffitus, ab eodem decocto pro fotu dum adhuc fouet, exhalantes, qui cùm penitùs subeant, atque vndiq; se insinuent, multùm proderunt.

Vti & illi qui à decocto rad. Consolidæ, Bistortæ, Caulium stipitibus, summitat. Buxi cum foliis, exhalant.

Fumi admissi potentiùs adhuc siccando & fuligine quæ se affigit, operantur, excitati à Thure, Mastiche, Succino, Ladano, Asphaltho seu bitumine natiuo, Pice, Colophoniâ. Quibus & fœtida, quorum odore vterum refugere existimant, miscent: Veluti Galbanum, Castorium nonnunquam, & abominabili odore præditam Assam fœtidam. Quibus & alia ex astringentibus pulueribus addi possunt, & Resinâ aliquâ in trochiscos redigi.

Sandaracham Græcorum quam Auripigmentum vocant, aliqui miscent, quæ potenter siccat. Verùm cùm noxius illis sit fumus, tutiùs Sandarachâ Arabum, quę Gummi est, quod Vernicem vocant, vtemur.

In fluore vterino descriptus fumus, qui ℞. Mastiches ʒ.ij. Thuris, &c. hîc quoq; conuenire poterit.

A stercore bubulo aut bouino exiccato, carbonibusque iniecto, fumum suscitatum exceptumque, multùm efficere, experientiâ compertum.

Et si exuperans in Vngula mulæ tuber vratur, illiusque fumus admittatur, mira præstare aiunt.

Multa præter enarrata remedia etiam ea quę sanguinem menstruum immodicum sistunt, extrinsecùs admota, vel indita aut iniecta, hîc quoque adstringendo ad vteri retentionem opitulari possunt. Verùm cùm si mulier adhuc statuto tẽpore sua habet menstrua, hunc fluxum supprimere possent, satiùs ab illis erit abstinere, atque iam dictis huic affectui dicatis potiùs vti, nisi fortè cùm tempus menstruorum iam præteriit, aliqua quoque ex illis adhibere placeat.

Odoribus vterum allici iucundis & suauibus

uibus, pelli verò tetris & fœtidis existimant, eoque nomine illa naribus, hæc pudendo admota, vterum vt minùs descendat, magisque sursum vergat, aliquid adiumenti adferre credunt.

Vomitu vterum sursum trahi existimarunt, verùm cùm & ille magno conatu perficiatur, non minùs atque sternutatio, premēdo eum cum intestinis potiùs propellet.

Decubitu vterus quò minùs procidat, retinetur: & quamdiu decumbit mulier, maximè si corpus nō admodum erigat, vterus in corpore manet.

Postremò per conceptum, vteri procidentia etiam cauetur, quamdiu enim vterum mulier gestat, tamdiu ille prolabi nequit; cùm enim ille statim post conceptum vnà cum fœtu augeatur atque increscat, nec tum quidem, multò minùs quando in molem iam excreuit, ventremque opplet, poterit in sinum delabi, aut vlteriùs descendere, sed tamdiu subsistit, donec fœtu excluso vteroq; iterum subsidente, pristinam paruitatem adeptus, denuò vti priùs in colli sinum se inserere posSit.

Podicis prociden tiæ curatio. Podex ob conatum validum inuersus, & vltra quàm par erat, vnà cum portione recti intestini similiter inuersâ expressus, atque aliquandiu emanens, sponte interdum rursum in suum locum reducitur, vel si hoc nō fiat, facilè reponitur. Si verò sæpè hoc accidat, & quotiescunq; dejicit, aluus procidat, nec vel ob imbecillitatem, aut resolutionem musculorum, retineri posSit, difficiliùs curatur, omniumque ægerrimè vel nunquam, si ob auulsionem à membranis, quibus suspensus retinetur, procedat: In curatione causa primùm erit auertenda, postea morbo, hoc est huic ani situs permutationi seu procidentiæ accommodanda.

Causa vt declinetur, si conatus vehemēs, ob deiectionis difficultatem, prolapsum ani procreet, vt aluus liberè respondeat, atque fæces molliores & dilutæ sint, ne tanto conatu inter egerendum opus sit, procurandū, illorumque nimia congestio impedienda; quod exhibitis iniectisque, victusque ratione idoneâ perficitur. Si ob partus difficultatem aut dolorem intensum in sectione lapidis hoc accidit, hisce cessantibus etiam remittit.

Procidentiæ podicis quæ debetur cura, in eo versatur, vt prolapsum reponamus, & repositum retineamus, quæ variis modis perficiuntur.

Reponitur aluus intra corpus, manuali operâ ipsius ægri, vel chirurgi, premendo eum digitis, vel panno ad id formato.

Quòd si intumescentia quædam suborta vel inflammatio, hanc repositionem impedat, hisce primùm abigēdis cura adhibebitur, eo modo sicuti in vteri procidentia, si hi humores quoq; superueniant, expositū fuit.

Retinemus aluum ne prolabatur variis remediis, quæ illud præstant, vel quia vias illas astringūt, vel separationem factam rursum vniunt, vel si ob musculorum podicis refrigerationem nimiam vel imbecillitatem aliam aut resolutionem, retineri nequeat, quæ ea corrigant; quod exhibitis, extrinsecùs admotis, podicique applicatis, in eumq; intromisSis, perficitur.

Exhiberi posSunt, si à soluta continuitate alui exitus dependeat, quædam ex illis, quę in eadem causa in vteri procidentia exhibita, aliquid consolidando efficere posse, illic ostendimus, abstinendum tamen à nimiùm astringentibus, ne hisce aluum difficiliorem reddendo, & proin conatum maiorem excitando, illius prolapsum potiùs promoueamus, quàm impediamus. Dein & si à resolutione ab humore defluente progresSâ, ani exitus, vti putant, procederet, illius causâ & purgantia & alterantia in paralysi descripta, etiam propinari posSent.

Prominenti podici & cum portione recti intestini inuerso, eadem quæ in vteri procidentia fomenta applicata, & pulueres iidem aspersi, hîc quoq; simili modo vsurpata conueniunt, eundemque effectum, podicem retinendo, firmandoque, præstare posSunt.

Præter quæ etiam alij pulueres, quales in vteri simili affectu cōmodiùs sinui illius, formâ pesSarij indi, quàm foris propendenti apponi debere diximus, hîc ano suppositorij instar suppositi, quia eum stimulando, mox iterum excernerentur, illi antequam reponatur, priùs inuncto vel alioquin hu-

mectatò, vti in vteri exitu dictum, aspergi debent.

Veluti hunc puluerem: ℞. Gallarum ʒ.ij. Balaust. ʒ.j.ß. Masticbes, Thuris ana ʒ.j. Succini, Sanguinis draconis ana ʒ.ß. Cornu cerui vsti, Antimonij ana ʒ.j. fiat puluis subtilissimus.

Huic etiam addi potest Bitumen, Pix; Itē Cochlearum putamina, Pisces salsi, Fimus caninus, Seta porcina, & similia priùs vsta.

Aut etiam de pulueribus in Vnguēto pro vteri procidentiâ descripto quædam sumi.

Vel etiam ipsum vnguentum podici adhuc exerto inungi.

Intromissi in podicis & recti intestini interiora, suffitus, fumi imprimis, hîc, cùm anus alia crassiora immissa, vel liquidiora iniecta, non retineat, præ cæteris conuenient. Poteritque & suffitus in vteri exitu descriptus, hîc quoque vsurpari: Vel ab aliis & imprimis à decocto Tapsi barbati in Aceto facto suscitari: Vel vapor qui ab Aceto supra lapidem Molarem candentem fuso exsurgit, podici excipi.

Fumi item ex gummosis & resinosis, illic nominatis accensis excitati, admisti multùm proderunt, omissis hîc summè fœtentibus, Assâ scilicet & Castorio, addendo tamen & Bdellium, interdum & Acaciam, Hypocistidem, aliaque quædam ex astringentibus: vti & ex aromaticis, Galangam, Cyperum, Gariophyllos, Macerem, Nucem mosch. flores item Rosarum, & Verbasci, similiaque.

Extrinsecùs fouetur vel balneo immergitur inferior corporis sedes subtus circa anum, & lumborum regionem, hisce quę adstringendo anum retineant, & consolidando, si connexus illius solutus sit, eum rursum vniant; dein & quæ, si musculorum adsit imbecillitas, vel refrigeratio, calorem natiuum fouendo & calefaciendo, frigidā conceptam intemperiem corrigant, deniq; proprietate quadam cum neruoso genere, maximè si à resolutione procedat, robur hisce addant.

Fiuntque hæc ex decoctis plantarum adstringentium & consolidantium quarundā, in vteri procidentia descriptarum, plura paucioráve ex illis sumendo, atque in liquore aliquo, vt illic quoque ostensum, coquendo, addendo hisce etiam ex calefacientibus illic recensitis quædam, imprimisque ea, quæ (vti diximus) neruis appropriata sint, vt Chamæpythim, Saluiam, Primulam veris, Absynthium, Marrubium, Betonicam, Pulegium vtrumque, flores Chamom. Anthos, Stœchados & similia.

Aquæ thermarum in vteri procidentia conuenientes, hîc similiter congruunt, illarumq; vsus continuatus nōnunquam iuuat.

Vnguenta & emplastra illic descripta, hîc quoq; possunt competere, lumbis vel etiam podici admota, quibus musculorū & neruorum causâ, si hæc labefactata sint, etiam calida admiscentur olea: Veluti Costinum, Nardinum, Laurinum, Vulpinum, de Castoreo & similia: Item pulueres Costi, Galangæ, Cyperi & quorundam aromatum: Et præter emplastra vsitata illic nominata, etiam Oxycroceum & Ceroneum.

Cataplasmata similiter ex residentia decocti supradicti fieri possunt, vel ita parari: ℞. Herniariæ, Vsneæ sicc. ana ℥.ß. Gallarum ℥.j. farin. Orobi vel Lentium, vel Cicerum rubr. ℥.ij. radic. Cyclaminis ℥.ß. Chamæpythid. ʒ.ij. Stercoris capræ vel columbæ vel hirundinum aut etiam lacertarum ad ℥.j. olei Myrtill. vel alterius & succi Herbæ conuenientis ana q.s. Pro cataplasmate.

Torpedinem marinam admotam iuuare docet Dioscor.

Sacculos, vti in vteri prolapsu similiter admouere possumus, qui si podici apponantur, vti & alij Puluini duriusculi, eum sustentando premendoque simul cohibere possunt, quod fiet illis insidendo, vel firmiter podici subligaculis aliísve pro cuiuslibet industriâ excogitatis, eos alligando stringendoque.

Linguæ procidentia cùm vix nisi à mortali læsione proueniat, lethalis plerunq; est, quòd si superuiuant, aliis potiùs accidentibus grauioribus quàm huic cura adhibetur. *Linguæ procidētiæ cura.*

Testium procidentia à dissecto scroto eueniens, facili negotio curatur, si reponantur illicque contineantur, curaq; vulneri etiam citra suitionem, adhibeatur. *Testium procidentiæ cura.*

Ocu-

Oculorũ pciden-tiæ cura. Oculorum procidentiam, quæ vix nisi ab extremâ vi capiti aut oculis illatâ procedit, cùm mors plerunq; sequatur, non est quòd in illius curâ laboremus; eoque minùs, cùm etsi viui manerent, hæc dissolutio ex parte facta, reparari minimè posset, oculusque vt in pristino statu permaneret, firmari, astringentiaque in hoc casu applicanda, potiùs oculum corrugando, cęcitatem inducerent, quàm vt in suâ sede diutiùs remaneret, efficerent.

DE EFFLATIONE

CAPVT III.

Genera.



EFFLATIONEM vocamus eam excretionem, per quam non solùm flatus efflatur, vnde nomen accepit, sed & spiritus vel aër exspiratur, quæ etiam efflari dicuntur. Efflatio verò eiusmodi spiritus seu exspirationis quæ per nares & os fit, dicitur Exspiratio vel Exsufflatio; flatuum verò efflatio seu emisio per os, Ructus vel Crepitus oris: per podicem verò Crepitus ventris vel ani appellatur. Tales autem efflationes præternaturales existunt, si deprauata hæc spiritus fiat exspiratio aut flatuum emisio; vel vitiosa, ob vitium quod vel spiritus vel flatus cõtraxerunt; vel si hæc per viam non competentem erumpant.

Efflatio præternaturalis. Deprauata exspiratio existit, si illa interrupta, vel nimiùm vehemens, vel diutiùs continuata exsuffletur, interdum cum sono alieno, aliàs & cum excretione aliquâ, non solùm obscurâ aëris, sed materiei alicuius manifestâ, in cita respiratione, suspirio, oscitatione, singultu, sternutatione, tussi, emunctione, exspuitione, screatu, vomitione; sicuti in deprauatâ respiratione, quò hæc etiam pertinent, hæc fuerunt exposita.

Stertor narium. Ad deprauatam hanc respirationẽ, etiam Stertor pertinet, in quo sonus admodũ dissonus se offert. Qualis dormientibus plerunque aliquibus accidit, qui dum noctu stertunt, alios non sinunt dormire, vel dormientes excitant: Vitium quod & vigilantibus quibusdam contingit, & affectuum quorundam comes, vt apoplexiæ, epilepsiæ, plerunque etiam dyspnœæ, sicuti in enarratis affectibus illius quoque meminimus.

Emisio flatuum per os in ructu edendo, vel per aluum in crepitu emittẽdo, quocunque modo fiat, ob sonum alienum, quem crepando edit, nonnunquam & fœtorem, deprauata esse censetur, eoque magis, quòd cùm eiusmodi flatus cohiberi possent, tamẽ emittatur: vnde & magis indecentes hi crepitus, quàm alij sonus, qui in respiratione deprauata, vti dictum, eduntur, etsi cum clamore, vt in tussi & sternutatione fiant, censentur, quòd hanc efflationẽ reprimere nullo pacto queamus. Ructus seu crepitus oris. Crepitus ventris.

Ad præternaturales eiusmodi sonos, qui in flatibus hisce emittẽdis se exerunt, etiam eos referre possumus, qui licèt non statim cum flatibus, à quibus proficiscuntur, è corpore prodeant, sed corpori inclusi audiantur, tandem tamen per ructum aut crepitum erumpunt. Quales sub hypochondrio vtroque, sinistro tamen frequentiùs se offerunt; qui si aquæ fluctuantis sonum exprimant, Fluctuationes; si murmur, Murmura; si rugitus, Rugitus appellantur: aliàs verò alios sonos repræsentant, vt ranarum vel aliorum animalium, vnde postea hæc reuera in seipsis contenta, eiusmodi sonos edere, sibi imaginantur. Eiusmodi soni virginibus sunt frequentes, & aliis quibusdam, atque morborum quorundam, ventriculi & intestinorum scilicet, sunt symptomata. Alibi etiam in vẽtre, imprimis in vmbilici circuitu, eiusmodi soni cum strepitu audiuntur, & extuberantiâ quadam vagante, nec in eodem loco persistente. Quod frequenter etiam in sanis, ante excrementorum exclusionem & crepitus euenire solet, aliis alio tempore. Et in colicis doloribus familiare quoq; existit, vt in eo indicatum fuit. Fluctuationes, Murmura, Rugitus ventris.

Alij præter hosce varij soni qui audiũtur, veluti in ventre hydropicorum fluctuans sonus, in pectore stertor, sibilus: Item pulsatio, in cordis palpitatione, quæ non solùm tactu deprehenditur, sed & quandoq; auditur: Vti & illi quos æger tantũ auditu perci-

pit, aurium diuersi soni, cùm hi non è corpore cum spiritu aut flatu erumpant, sed occlusi maneant, ad hasce efflationes minimè pertinent, sed ad alios affectus, in quibus se manifestant, vbi & describuntur.

Vitiosa expiratio se offert, si spiritus qui efflatur, graui odore sit præditus, aut fœteat.

Fœtor oris seu anhelitus. Qualis per os dum exspiratur in Fœtore anhelitus, vel halitus aut oris, cùm inde prodeat, nominato, exhalat, nunc stercorosum, nunc cadauerosúm, aut putrem casei aliorúmve odorem redolens. Qui admodum molestus est, & ab astantibus faciliùs, quàm ipso ægro percipitur. Et in quibusdam dum ieiuni sunt, vel saltem, vel magis se exerit. Aliàs nec postea cessat, sed omni ferè tempore perseuerat; Aliquãdo post certorum duntaxat ciborum comestionem aut ebrietatem oritur, atque aliquandiu durat, & postea remittit. Interdum morborum quorundam est symptoma, & vel eos præire vel præsagire solet, quando citra aliam manifestam causam hoc vitium quod Siechelen / ac si dicas ægroturire, nominatur, in illis deprehenditur.

Fœtor narium. Per nares spiritus in exspiratione efflatus, simili labe & odore tetro fœtidoq; imbutus, Exhalationem è naribus fœtidam, quam Fœtorem narium appellant, gignit. Qui astantibus eumque odorantibus admodùm grauis, sæpè & intolerabilis, diu sæpè eos qui hoc vitio laborant, aliis inuisos reddens.

Fœtor, crepitus oris seu ventris. Emissio flatuum vitiosa in eructatione occurrit, in qua flatus nunc nidorosum quid, nunc fœtidum, nunc aliud graueolens redolet: Vel in crepitu ventris, in quo plerunque fœtidus odor excrementorum ventris exspirat, grauiusque quàm alia omnia, nares astantium ferit atque offendit.

Efflatio è vulnere procedẽs. Per viam non competentẽ spiritus quandoque erumpunt, si non per nares & os, sed vulnus aliquod in collo vel pectore, quoties exspiratio fit, effletur, quod flammâ admotâ, si inde agitetur, vti & tactu deprehenditur.

Flatus itidem non per interualla vti spiritus, sed confertim & simul per vulnus, in ventriculi aut ventris regione aliquando prorumpunt.

Causæ.

OMnis efflationis præternaturalis, quæ in deprauata vel vitiosâ exspiratione vel emissione flatuum oboritur causa, à spirituum vel flatuum eruptione incõueniente vel infectione procedit.

A' spiritus seu aëris eruptione inconueniente, per asperam arteriã in fauces & nares, quo pacto exspiratio deprauata procedat, atque si alicubi impingat, sonus inde edatur, in deprauatæ respirationis causis fuit expositum. *Spiritus exspiratio inconueniens, causa Efflationis præternaturalis.*

A' cuius spiritus, per inspirationem naribus attracti rursumque exspirati impulsu, Stertor dictus quoque enascitur: In illis maximè, qui resimas habent nares, vel in quibus alioquin illarum amplitudo à natura angustior est, aut aliis de causis collapsa, vel ex parte muco aut pituitâ infarcta aut obturata, tunc in angustiis illis refractus sonum illum in stertore dicto profert. Idq; inter dormiendum potiùs, cùm tunc ore clauso per nares saltem aërem hauriẽtes, validiùs eum attrahant: præsertimque si supini iaceant, pituitâ tunc faciliùs eò delabente illicque hærente. Quæ & in morbis quibusdam, si ad nares perueniat, illicque subsistat, stertorem in illis excitat, vti in epilepticis, apoplecticis, caro, symptoma hoc illis consuetum existit, à causis illis in locis explicatis profectum. *Spiritus in nares impellẽs, causa Stertoris.*

Per vulnus aliquod asperæ arteriæ vel pectori inflictum, spiritus per viam incompetentem sequitur efflatio. Quę vulnera quandoque studio, aperturâ factâ pectori in empyemate, vel asperæ arteriæ in angina, sicuti illic fuit ostensum, infliguntur, aliàs casu accidunt. *Spiritus & flatus è vulnere eruptio, causa Efflationis præternaturalis.*

Flatuum quoque è ventriculi vel ventris sede eruptio, si illa loca vulnerentur, sequitur; In sectione hydropicorum, vel casu contingentibus vulneribus.

A' flatibus à ventriculo sursum per œsophagum & fauces erumpentibus, ructus, & ab illis qui per intestina deorsum per rectũ intestinum & anum exeunt, crepitus ventris procedunt, sonum & bombum eò maiorem edentes, quo maiori erumpunt impetu. *Flatus à vẽtriculo per os erũpentes, causa Ructus.*

Qui

Flat⁹ ab intestinis per podicē erumpentes, causa Crepitus vētris.

Flatus vētriculo atq; intestinis inclusi, causa Rugitus & Murmurum ventris.

Qui flatus si ventriculo intestinísve inclusi retineantur, nec exitum inueniant, discurrendo per horum cauitates & ductus, murmura rugitusque in abdomine edunt, circa sinistrum maximè hypochondrium, si in ventriculo vel illi substrato & annexo intestino colo coërceantur, cùm hæ partes hanc sedem potissimùm occupent, (quod tamen causâ lienis, qui flatibus impleri nequit, communiter putant accidere) vel etiam in aliâ ventris regione hi rugitus audiuntur, si alibi intestinis inclusi sint, maximeque circa vmbilicum, propter tenuium illic intestinorum conuolutionem. Quorum flatuum causas, in variis ventris & intestinorum affectibus exposuimus. Inter quas & coarctatio hypochondriorum in virginibus, quam vestibus arctè strictis quò graciles appareant, sibi conciliant, existit; sic namq; flatus coacti murmura illic edunt, & vt turpiter se sæpè dent, occasionem frequenter præbent.

Flat⁹ in vētriculo & intestinis humori permistus, causa Fluctuationis in ventre.

Sed & præter hosce flatus simplices, si flatus alius humori in ventriculo aut intestinis contento permistus fluctuet, tunc fluctuans sonus cum rugitu se offeret: vel si humor solùm agitatus hunc sonum edat, fluctuans tantùm emerget. Quod vt à variis fit causis, in ventriculi affectibus expositis, sic & frequenter aquâ affatim bibitâ, alióve liquore, si tunc corpus agitetur, ventriculusque comprimatur, fieri obseruamus.

Ob infectionem spiritus ab illis quæ tetrum odorem exspirant, factam, Halitus fœtor, vti & Narium & Oris exsurgit. Atque si flatus hoc pacto odorem ab illis concipiant, Ructus graueolētes vel Crepitus fœtidi prodeunt. Qui fœtor à variis assumptis vel excrementis dependet.

Spiritus infectio ab assumptorū a lieno odore profecta, causa Anhelitus tetri vel fœtidi.

Assumpta quædam si alieno odore prædita sint, eo anhelitum inquinantia, vt illa aliquamdiu redoleat, efficiunt, eoque magis, si in ore aut dentium interstitiis diutiùs hæreant; in ventriculum quoque delata, odor ipsorum teter per os exhalatur: veluti ab esu allij, casei putris similiumque accidit: Et ab aliis, quorum odor etsi non adeò grauis, tamen astantibus nauseosus & ingratus: vt à vino in ebriis, vel ab aliis pinguibus cibis halitus vel ructus. Multa quoque non per se odore graui prædita, sed putredine vel corruptione demum illum adipiscentia, halitum vel ructum eodem inficiunt: veluti in ore caro, si dentium interuallis, & maximè in dentibus erosis vel cauis hæreat, ob moram & locum quoque, si ille similiter corruptus sit, putrescens, pessimum odorem acquirens, oris fœtorem parit. Quæ & in ventriculo corrupta idem potest efficere, quod & facilè in quibusdam hominibus & animantibus euenit, è quibus illa ferè sola, quæ carnibus vescuntur, anhelitus fœtorem aliquando concipiunt. Dein & alia multa, per se alioquin non ingrati odoris, in ventriculo corrupta (quod facillimè fit) vt raphanus comestus, qui ructū pessimi odoris efficit, tetrum anhelitum pariūt.

Vētriculi atq; intestinorum excremētorū odor teter vel fœtidus, causa Anhelitus, Ructus, Crepitus graueolentis vel fœtentis.

Excrementa fœtida vel alioquin graueolentia, intrinsecùs in intestinis ventriculo aliisve cauitatibus, ad exteriora pertingentibus, latentia, odores ipsorum tetros inde, vel exhalatione aut cum flatu emittunt: vel si extrinsecùs sint, ab illis locis exspirant.

In intestinis excrementa contenta, cùm suâ naturâ fœteant, eoque magis si biliosa vel aliis prauis humoribus commista sint, fœtor ille non tantùm cum excrementis inter dejiciendum se profert, sed & cum flatibus, qui in intestinis facilè colliguntur, & ab excrementis fœdum hunc odorem concipiunt, per podicem erumpentibus, crepitu, (vti dictum est) se prodit, excrementorumque odorem prauum, à quibus exspirauit, refert.

Sed & oris fœtidus anhelitus, ab intestinorum excrementis prodire solet, quando ob nimiam laxitatem & dilatationem ventriculi, illiusque præsertim orificij, pylori dicti, quo in intestina se aperit, is nimiùm patet, vixque exactè ampliùs constringi occludique potest, sicuti naturaliter fieri debet, tunc fœda excrementorum exhalatio, sursum per intestina expirans, per apertas hasce & laxas vias, in ventriculum, indeque ad os vsque delata, anhelitum fœtore suo inficit. Quam nos præcipuam causam illius oris fœtoris, qui stercorosum odorem exprimit, esse, diligenti inquisitione deprehendimus; ob id adeò perseuerantem & perti-

nacem, cùm ab organi vitio procedat, quod ægrè reparari potest. Cui occasionem crapula diu continuata præbere solet, ex qua tandem vẽtriculus adeò laxus redditur, vel alia illius imbecillitas sequitur; sicuti in ventriculi imbecillitate id expositum fuit.

In ventriculo excrementa quædam alieno odore prædita, vel fœtentia, illic genita, vel eò delata, eundem odorem per œsophagum interdum eructant, vel sursum exhalantia anhelitum inficiunt: sicuti in multis morbis, illisque præsertim, in quibus excrementa circa ventriculum in venis meseraicis retenta, putrescunt, in eumque deferuntur, hic oris fœtor, quem Stinckelen vocari diximus, eos præcedere & postea comitari solet.

Oris odor fœtidus vel teter, causa. Anhelitus fœtoris. In ore & faucibus non solùm ex comestione graueolentium, & corruptione factâ in dentibus, vti dictum, os fœtidum redditur; Sed & à saliuâ vel aliâ oris humiditate, hoc interdum quoque accidere solet, quando fœtidis humoribus inquinatur, sicuti in lue venerea à prauis humoribus ex inunctione hydrargyri, ad os vt expuantur compulsis, oris fœtorem, aliis tunc oris accidentibus iungi videmus. Limus quoque dentibus adnatus, si exuperet alicubi, vbi inter masticandum non aufertur, odore aliquo ingrato tandem etiam os imbuit. In vlceribus faucium & oris partium putredo nata, fœtori oris quoque occasionem præbet, cùm pus alioquin naturale minimè fœteat: vti & in vlceribus pulmonum, nisi putredo adsit, ratione puris vix fœtor aliquis, vti creditur, oboritur.

Narium odor fœtidus vel teter, causa inde progressæ Expirationis fœtidæ. In narium profundo, circa ossa spongiosa, & in antris cauis maxillæ superioris ossium, pituita, mucus, diutiùs retenta, nauseosum, vel si putrescant, fœtidum odorem reddentia, narium fœtorem dictum inducunt. Quod tum ob muci illius tenacitatem, & commistionem cum prauis aliis humoribus, tum etiam ob angustias harum cauitatum, vbi hæ sordes colligi, atque donec emungantur vel effluant, retineri solent, euenire potest, ab ortu sic constitutas, vel casu coarctatas, tunc ferè nasus naturâ, vel vi aliquâ externâ depressus apparet. Ab vlceribus in abdito narium vel illius amplitudine aliquâ latentibus, hoc idem accidit, fœtorque ab illis pro ratione vlceris putrescentis teter exspiratur, sicuti in narium vlceribus hoc fuit declaratum. Ab humoribus intra caluariam circa organa olfactus, vel etiã in ipsis cerebri ventriculis putrescentibus, idem fieri scribunt; sed veritati haud consonum esse videtur, tantam putredinem in cerebro gigni, quin longè grauiora accidentia, & mors interdum ipsa sequatur.

Curatio.

Efflationis præternaturalis curatio. Efflationis præternaturalis, quæ à deprauata exspiratione dependet, cura, in deprauata respiratione fuit exposita.

Stertoris narium curatio. Nec alia curatio stertori huic, qui narium angustiæ causâ fit, quàm ea, quæ respirationi impeditæ, ob narium obstructionem vel coarctationem debetur, & illic quoque fuit declarata; vbi ostensum, quomodo nares ab adhærente muco, & pituita expurgari debeant: quod vitium tamen, si instrumenti fit, ob nares resimas vel alioquin angustas, vix penitùs auferri potest; emendari tamen nonnihil, si decubitu erecto nec supino, sed in latere dormiant. In equis hic stertor, naribus sectione patefactis, emendatur.

Crepitus oris & vent. curatio. Crepitus oris & ventris, etsi vtiles, indecori tamen cùm sint, honestatis causâ potiùs retinendi sunt, vel in secessu ab hominibus seorsim emittendi. Quòd si adeò vrgeant, vt ægrè & cum damno impediantur, flatuum prouentus erit amoliendus.

Ventris murmurũ, rugitus & fluctuationis cura. Quâ ratione & murmura, & rugitus ventris impediuntur: Cruditatem arcendo, & foris admotis introque exhibitis, flatus discutiendo, quorum formulæ in imbecillitate ventriculi propositæ fuerunt. Quibus plerunque lieni appropriata, in rugitu hypochondriorum virginibus familiari, permiscere solent, quod quidem si prodest, non quòd à liene hi flatus prodeant, aut illic contineantur, vel inde proficiscantur, vti crediderunt, sed quòd externorum quæ sinistro lateri applicantur remediorum vires, ad lienem quoque pertingant, idcirco aliquo

quo pacto huic accommodari debent. Vt cùm sacculis ex Cumino aliisque flatus discutientibus paratis, semen Viticis, Rutæ, Ceterach, similiaque permiscemus, Acetoque pulueres fricamus, vel olea splenetica inunctionibus quæ flatus pellunt, addimus.

Fœtoris anhelitus curatio.

Halitus seu anhelitus fœtidus ex ore prodiens atque Oris fœtor ob id vocatus, si ab assumptis proueniat, eaque vel in ore grauem odorem exspirent, vt allium, vel eructent, vt raphanus, sponte breui post tempore cessat, quo à colloquio cum hominibus propinquiore abstinere, vel si necessitas exigat, odoratis, vti dicetur, anhelitum corrigere possunt. Si verò quia dentes immundi sunt, vel ipsorum interstitiis angustis, vel cauitatibus quando erosi sunt, cibus inhærens putrescit, vel ob alias sordes in ore collectas, hoc fit, cauendum ne quid dentibus inhæreat, atque os diligenter expurgandum, dentes erosi & vitiati euellendi.

Si causâ ventriculi eueniat, ille erit repurgandus atque castigandus, si in morbis quibusdam accidat, vti & in lue venereâ, hisce morbis sanandis opera dabitur, quibus sublatis iterum remittit; si ob ventriculi laxitatem hoc fiat, fœtore ab intestinis ad os pertingente, immedicabile ferè est malum organicum. Interim tamen ventriculus roborandus constringendusque, & in omnibus hisce causis, odoratis in ore retẽtis, masticatis, illisque os colluendo, gargarisando, eaque deuorando, fœtorem corrigimus. Quæ omnia sequentibus modis administrantur.

Exhibentur purgantia, si in ventriculo causa lateat, quę accommodatur excrementis fœtorem excitantibus, vel humiditati eum relaxanti. Inter quę pilulæ ex Aloë paratæ, cùm ventriculum egregiè abstergant, & putredini resistant, valdè sunt accommodatæ. Vel Vinum purgans Absynthio addito, quod idem facit quod aloë, & simul est adoratum. Sicuti & aliæ multæ purgantium formæ, quæ in ventriculi imbecillitate fuerunt expositę, & recipiunt purgantia, inter quæ & myrobalani & rhabarbarum in hoc casu commendantur. Hîc tamen multa odorata illis permiscenda, quæ fœtorem corrigunt, tam plantæ quàm aromata, vnde & pilulæ Alephanginæ, de aromatibus dictæ & paratæ, sæpè sumptæ prosunt. Et vino purganti radicem Angelicæ similiaque multa boni odoris, mox explicanda, addimus.

Alterantia propinata ventriculum roborare debent, excrementorum prouentum impedire; quòd in victus ratione præstatur, dando cibum paucum, minimè excrementitium, ad siccitatem tendentem. In carnis esu, cùm facilè, vti dictum putrescat, sint temperantes, eamque aromatibus, aceto, aliisque succis acetosis, Citri, Limonum, Arantiorum, antequam comedatur, condiant; Vti & alios cibos. Pani semen Carui, Fœniculi, vti solent, permisceatur. In fine mensæ, Cydonia, Pyra, aliáve adstringentia in laxo præsertim ventriculo; Condituras item seminum Anisi, Fœniculi, Coriandri comedãt, vel aliis pulueribus Post pastum appellatis, prandium claudant. Ieiuni manè pulueribus, tabulis, electuariis, condituris conseruis, in ventriculo humido & laxo vtilibus, in imbecillitate ventriculi descriptis, vtantur, ea ex illis quæ odoratiora sunt, eligendo, veluti Aromatic. rosarum, musca. Diamoschum, Diambram similiaque. Trypheram magnam, quod delicatos & colore & suaui halitu reddat homines, sic appellari creditam, probant: Mastiche sæpè deglutita, vitium hoc corrigere traditur.

In ore odorata, quæ suaui & amico odore os imbuant, quædam retinenda, alia etiam masticanda, nonnunquam & deglutienda, sequentia.

Ex simplicibus, Angelicæ radix præ cæteris odorata sed amara; dein & Imperatoria, Zedoariæ, Nux moschata, Gariophylli communiter vsurpantur.

Moschus & Ambra in diuitibus ob insignem odorem anhelitus, hoc vitium egregiè corrigunt, mista cum saccharo, & in orbiculos vel trochiscos, cum infusione gummi Tragachant, factâ, in Aqua rosarum vel florum Arantiorum, aliáve odoratâ, redacta, eoque retenta, in quo dissoluta, vel etiam sensim deglutita, è faucibus odorem

gratum

gratum spirant. Quibus & Lignum aloës, Santalum, Angelicæ radix addi possunt, quę & ventriculo debiliori conueniunt: Vti & Benzoini portiuncula.

Præter hæc multa alia odorata sic mastiçari possunt, veluti radix Iridis, Acori, Cyperi, Enulæ, cortic. Arantiorũ, Citrij, folia Rosmarini, Lauri, Serpilli, Apij veri petroselini vulgò dicti herbæ recentis masticatio, post allium aliáve graueolentia comesta, tollit eorum fœtorem, aliumque ex orę prodeuntem occultat. Idem præstare dicuntur folia Anethi & Anisi, Sonchi itidem, Myrrham & Resinam lentiscinam probat Dioscorides. Aurum in ore contentum commendat Matthiolus.

Ex compositis: Vinum conuenit pro oris collutione, vel etiam bibitum, in quo macerata sint radix & semen Angelicæ, Maioranæ, Saluia, Semen Coriandri, aliæque odoratæ dictæ herbæ, vti & aromata.

Acetum rosaceum, Ribes, Rubi Idæi, Fragorum, mirè efficax, cæteris collutionibus mistum, vel solùm hoc & simplex ore retentum, vel deglutitum, odorem fœdum ab assumptis mox emendat.

Vino rubro odorato, Aceto, addito Sale vel Alumine, os continuò abluant.

Decoctum Myrthi foliorum recentium in Vino valde prodest, pro collutione: item decoctum Citri aliorúmve.

Aliud fit ex decocto radicum Cyperi, cortic. Citri, Rosis, Santalo odorato, Gariophyllis, Cinamomo, decoctis in aquâ Cysternæ addito vino.

Aquæ stillatitiæ variæ odoratæ, sic quoque vsurpantur, veluti aqua Rosarum, Moschata, vel additis Gariophyllis, aliisq; aromatibus, Sale, aquâ florum Arantiorum, quam Naffe vocant: Item Aquâ vitæ cum infusione Cinamomi & Aromatum.

Olea destillata Cinamomi vel aliorũ odoratorum, mirè efficacia sunt, mista aliis, vel sola, si minima guttula eorũ ore retineatur.

Fricandi insuper dentes, præsertim si immundi simul sint, odoratis abstergentibus & à putredine arcentibus.

Veluti: ℞. radicum Ireos ℨ. ij. Angelicæ ℨ. ß. Santali odorati vel ligni Aloës vel ligni Sabinæ bacciferæ aut Iuniperini ℨ. j. Galliæ moschatæ ℨ. ß. vel parùm Moschi, Salis alkali ℨ. ij. Addunt os Sepiæ, Cornu cerui, Alumen vstum in dentium putredine, sicuti illic dicetur.

Vel Moschi tantillum adde cum Sale, vel Cornu cerui, vel aliis.

Fœtoris narium curatio. Exhalatio fœtida è naribus, quam Nariũ fœtorem vocant, si ab vlcere exsurgat, eo curato, cessat, cuius curationem in narium vlceribus iam exposuimus. Si verò à morbo narium organico proficiscatur, ob illarum angustiam, vitium est ferè inemendabile, nisi præcaueatur, ne excrementa cerebri maiori copiâ vel planè nulla, eò defluant.

Quod si alioquin causâ sordium, quæ ob copiam vel prauitatem facilè corrumpuntur vel putrescunt, fœtor hic, quando hæc redundant, aut retinentur, exurgat, tunc curatio aggredienda hoc pacto.

Purgamus corpus decenter, & pro ratione humorum redundantium, medicamenta exhibemus, capitiq; imprimis ea accommodamus, passim in cerebri excrementitiis affectibus exposita.

Naribus attrahuntur errhina, vel eæ illinantur vnguentis, quæ abstergendo & irritando sordes promouent, odoreq; suaui has sedes imbuunt. In quem vsum varia eiusmodi caputpurgia dicta, in cerebri præsertim affectibus phlegmaticis, fuerunt descripta, quibus odorata hîc iam dicenda, admisceri possunt.

Succus Iridis attractus vel illitus naribus, valde efficax est & boni odoris.

Vel sic: ℞. succi Iridis ℥. j. ß. succi Maioranæ ℥. j. Vini odorati vel Maluatici ℥. ß. misce. Cui & succus Betæ ad maiorem stimulationem addi potest.

Vel cùm magna adest putredo, adde huic errhino, succi Centaurij, Absynthij ana ℥. j. Aceti rosac. vel squillitici ℥. ß. Myrrhæ ℨ. j. misce.

Succus foliorum Lauri & Myrthi, aliique odorati addi possunt.

Inspissantur hæc quandoque vt meliùs hæreant, & illini possint, hoc pacto: ℞. prædictæ alicuius compositionis ℥. j. ß. adde Ladani, Storacis calamit. ana ℨ. ß. Mellis vel

lis vel infus. gummi Trag. factæ in aqua aliqua Odorata q. s. ad formandum linimentũ.

Ad odorem suauem conciliandum, odoratis, quæ attrahenda vel naribus etiam infundenda, vtimur: vt Vino generoso vel maluatico, in quo folia Ocymi, Maioranæ, Calamenthæ, Lauri, flores Lauandulæ, Cinam. Gariophylli infusa macerataque sint.

Vel aqua stillatitia fl. Arantiorum, Rosarũ, foliorum Limonũ vel prædictarum quæ in Vino macerari diximus plantarũ, vsurpãda.

Vel aliæ suauis odoris, compositæ variis modis ex odoratis plãtis, seminibus, & aromatibus. Quibus tam simplicibus quàm cõpositis, si moschus vel ambra addantur, maiorem habebunt gratiam.

Inunctiones similiter odoratæ fiunt ex Moscho, Ambrâ, dissolutis in oleo Been vel aliis, quæ tamen horum odorem non planè infringant, vt ferè fit, si hæc aliis compositionibus, vti multi docent, addantur: Ciueta per se inungi potest.

Olea stillatitia Cinamomi, Gariophyllorum, Maioranæ, aliáve odorata, cerâ albâ excepta, si naribus indãtur, odorem vehementem & diu perseuerantem, exspirant.

Efflatio ex vulnere curatio. Spiritus efflatio per vulnus inflictum, si in aspera arteria hoc fit, plerunq; lethalis, cùm vulnus in hac sede ægrè sanari queat, existit. Quòd si in pectore vulnus sit, & partes internæ læsę sint, plerunq; idem euenit, licèt pulmonibus lęsis, aliquem euasisse, sicuti in pulmonum affectu demonstratũ fuerit viderim. Alia pectoris vulnera citra viscerũ interiorũ læsionẽ, vt vulnera tractari curariq; debent.

Flatuum eruptio è vulnere, cùm ventriculum & intestina lęsa demonstrat, plerunque immedicabilis, aliàs tamen intestinis inflictum vulnus quoque sanatum fuit.

DE SPERMATICA EXCRETIONE.

CAPVT IV.

Genera.

SPERMATICA excretio, est effusio seminis in viro per virgam, in muliere in sinum vteri naturaliter fieri solita, & præternaturalis existit, cùm nimia est, vel citiùs quàm debebat euenit, eoque magis, si vitiosum insuper sit, vel per non decentem viam egrediatur.

Nimia seminis profusio, admodùm, vti vocant, eneruat, hoc est languidum atq; imbecille corpus ad omnes functiones edendas, discoloratumque reddit, ac Senium vti & mortem accelerat. Fitque hoc vel cum actu venereo, aliàs sine eo.

Cum actu venereo seu congressu, nimia seminis fit effusio, si nimiùm eum exerceat, cui intemperantiæ indulgentes, luxuriosi mares se ipsos perdunt, fœminæque priùs vegetæ, fiunt inualidæ: Et præter hæc viri ad procreationem, mulieres ad conceptionem ineptę. Ita vt, quod in masculis tantùm obseruatur, tandẽ in coitu vix guttam vnam aut alteram illius effundant: Vel alioquin non satis excoctum, & crudum, nec non, in quibusdam adhuc subcruentũ potiùs, quàm vti aliqui voluerunt, sanguinem purum loco seminis ejiciant. *Venus nimia.* *Seminis imperfecti & subcruenti excretio.*

Sine venereo actu semen inuoluntariè si excidat, Gonorrhæa appellatur. Quæ si cum sensu voluptatis fiat, quia dormientibus & somniantibus noctu plerunque euenit, Nocturna pollutio vocatur. Et si sæpè contingat, quia tunc æquè ac si cum actu venereo hæc emisio fieret, debilitat, præternaturalis est: Illaque longè magis, si nullo sensu voluptatis aut valdè exiguo tam dormientibus quàm vigilantibus accidat, & tunc crudum & aqueum ferè effluit, quod si perseueret, vires admodùm prosternit. *Gonorrhæa.*

Vitiosum semen inuolũtariè, & sine sensu delectationis aliquando effunditur, quod nõ formam naturalem seminis, sed virus quoddam album vel flauescens refert, quem fluxum purulenta per penem excretio puris, ardorque inter mingendum sequitur: sicuti in purulenta excretione demonstrabitur, diciturque hic affectus, Gonorrhæa virulenta, symptoma plerunque Luis venereæ, sicuti illic declaratum fuit, aliàs etiam extra eam quibusdam, & præsertim meretricibus impuris accidens, quâ alij qui cum illis rem habent, inficiuntur, luemque dictam, vel saltem similem labem aut aliam contrahunt. *Gonorrhæa virulenta.*

Seminis in conuulsione excretio. Huc quoque referri poteſt, inuoluntaria ſeminis profuſio, quę in Epilepticis vel Cõuulſis interdum ſuperuenit, cùm licèt nullum inde detrimentum accedat, præternaturalis tamen ſit hæc illius excretio.

Seminis per alienum foramen effuſio. Per aliam viam, quàm ſemini dicatam, ſemen aliquando pręternaturaliter effluxiſſe, nimirum per foramen quoddam ab ortu, vel fiſtulâ natâ, & in virgæ virilis canalis ductu, ſubtus factũ, in conceptus defectu, cuius etiam cauſa exiſtit, vbi & quo pacto fiat, & quid in eo agendum, fuit oſtenſum.

Seminis cita nimis profuſio. Citiùs ſi ſemen ejiciant, quam par erat, nec eodem temporis momento & vnà conueniant coniuges, ſed vnus altero id citiùs profundat, præſertimq; ſi ſtatim initio congreſſus hoc fiat, aut etiam paulò ante eum, in ipſa præparatione, mox ſemen eiaculentur, cùm hoc actui venereo, quòd vel non, vel diminutiuè nec abſolutè fiat, defectum pariat, præternaturale quoque habetur,

Huc & refertur ea à ſemine procedens excretio, in qua ſemen non ſufficienter, ſed portiunculam duntaxat illius & veluti ſpumam dum vehementi ſtimulo venerem exercendi irritantur, ſine ſenſu aut expletione voluptatis egerunt, vnde & licèt non debilitentur, vt tamen actus poſtea perfectè minimè queat perfici, efficit. A cerebro defluentem materiã per penem quoq; expurgari, aliqui docuerunt, quod tamen, cùm in communem hunc ductum ſeminis & vrinę via non pateat, haud veriſimile videtur.

Cauſa.

Seminis enarratarum præternaturalium effluxuum cauſa, vel ab irritatione, aut imbecillitate, vel anaſtomoſi, aut ab affectu per conſenſum dependet.

Vaſorum ſpermaticorum irritatio, cauſa Veneris nimiæ citaq;, Gonorrhææ ſimplicis & virulentæ. Ab irritatione vaſorum ſpermaticorum quæ ſemen incluſum continent, facultatem ipſorum expultricem ſtimulante, ſeminis excretio nimia vel nimis cita, aut etiam inuoluntaria in vtroque ſexu ſequitur.

Ob copiam ſeminis ſi vaſa turgeant, quia cum voluptatis ſenſu exit, vt veneri nimiùm aliqui indulgeant, ei occaſionem prębendo, cauſa nimiæ illius profuſionis & quæ inde ſequitur debilitatis exiſtit, niſi hoc ob laſciuiæ æſtum fiat, vt ſe ſtrenuos in eo actu demonſtrent, aut quæſtus causâ, vti meretrices faciunt. Quod & irritando facit, ſi caliditatem maiorem & acrimoniam, quàm alioquin obtinet conceperit, ſicuti in cauſis ſalacitatis, quæ inde quoque prouenit, oſtenſum eſt.

Eiuſmodi ſemen etiam ſtimulando, imaginatione ſolâ illius actus, quæ in ſomniantibus frequentiùs, nonnunquam & aliàs de eo cogitantibus excitatur, commotum excretumque, Pollutiones in dormientibus, interdum & vigilantibus parit.

A ſeminis quoq; hoc feruore accidit, vt citiùs in ipſo actu quàm oportebat, ejiciatur, vel portio illius etiam citra actum emergat.

Atque vt cum ardore quodam eoque veluti vrente aliquando progrediatur,

Quòd ſi acrimonia inſignis, ſemini ab infeſtâ qualitate illius aut corruptione aliquâ accedat, Gonorrhæa illa virulẽta, per quam ſemen vitioſum emanat, ſequitur, à luis venereæ plerunque malignâ vi procedens, ſeminiq; communicata. Quod & in illis, qui nondum hac lue infecti ſunt, ab aliâ noxiâ qualitate poteſt procedere, quam ſemen per contagium in congreſſu, ab alterius ſemine infecto, concipit, indeq; corruptum, acrem illam vim adipiſcitur, à qua inuoluntaria vitioſa hæc excretio, non ſolùm à ſtimulante illius vi procedet, ſed & ſi adeò inualeat illius acrimonia, vt & ſimul erodat atque exulceret, purulenta quoque accedit mictio.

Ab imbecillitate vaſorum ſpermaticorum, ſeminis inuoluntarius effluxus, in gonorrhæa dicta ſuboritur: Cùm aquoſius ſemen, nec ſufficienter lactis ſimilitudine excoctum, ſed ſeri inſtar dilutum crudumque redditur; tunc enim facilè è ſuis receptaculis, vtpote tenue & fluidum excidit, & ſine ſenſu vel leuiſſimo elabitur, etiam nullâ aliâ præcedente causâ, vel exiguâ ſaltem aliquâ irritatione, non ſolùm in genitalibus factâ, ſed & ſicuti obſeruatum eſt, in vicino podice, dum dura excrementa egeruntur, aut, vti Fernel. alicui accidiſſe refert, canalis ad clyſma injiciendũ in anum intruditur. Quæ imbecillitas ab intemperie maximeq; à refrigeratione vel caloris natiui labe, in hiſce *Vaſorum ſpermaticorũ imbecillitas cauſa: Gonorrhœa.*

ſedi-

sedibus, aut etiam aliis simul, nonnunquam & toto corpore, à morbis vel ætate inducta, proficiscitur, quæ vti diximus, vt aquosius semen fiat, occasionem præbet. Nam quod hæc aquositas seminis ab excrementis pituitosis aut serosis proueniat, haud verisimile, cùm illud ex sanguine generetur, qui licèt ille crudus ac pituitosus vt vocant, existat, ad seminis tamen generationem, etiam in corporibus, crudo sanguine, vel aliis eiusmodi excrementis abundantibus, semper puriorem adhuc restantem sanguinis portionem, testes, vt mamillas ad lactis procreationem, abripere, ex eo quod & cachectici interdum procreent, & mulieres simili affectu laborantes nihilominus infantes lactando nutriant, conjicimus.

A' laxitate nimiâ vasorum seminalium profecta imbecillitas, gonorrhœam quandoque producit: Quando folliculi semen continentes in suis gyris, vasaque illud deferentia nimiùm ampliata laxataque, vt facilè vel sponte vel leui occasione, ab illis excidat, viasque pertranseat, causam præbent. Quæ laxitas, à multoties breui tempore peracto coitu, sæpè subitò, aliàs tardiùs, in iis qui longo tempore luxuriei fuerunt dediti, oritur, per quam vesiculæ seminis toties inanitæ, rursumque repletæ viæque irrigatæ, tandem eam laxitatem, atque interdum ob spirituum simul profusionem, imbecillitatem acquirunt, quâ semen crudum fluidiusque redditur, geminis tunc causis gonorrhœam producentibus.

Vasorum spermaticorum osculorũ apertio, causa Seminis imperfecti aut subcruẽti excretionis.

Per apertionem osculorum venarum spermaticarum, quæ semen ex sanguine elaborant, semen illud subcruentum, vel sanguis loco seminis, vti voluerunt, in coitu procedit, quando ob eum sæpè breuique spacio repetitum, adeò vasa semen elaboratum continentia exhauriuntur, vt per venarum spermaticarum oscula, suctione hac dilatata, semen ex illis adhuc imperfectum & sanguinolentum, vel sanguinem ipsum rapiant, & in congressu profundant.

Vasorum sperma-

Ab affectu aliarum partium quarundam, per consensum vasis spermaticis affectis, seminis inuoluntaria sequitur profusio. Velut neruorum in conuulsione, in qua ob concussionem validam, quâ vniuersum corpus exagitatur, vasa spermatica simul concussa, semen interdum si præsertim redundet, excutiunt, vti & ob eandem violentiam, accedente insuper constrictione musculorum abdominis, etiam vesica pressa vrinam profundit. Quod hac potiùs ratione, vt semen conuulsis interdum promanet, accidere videtur, quàm musculorum occasione, qui vasis spermaticis præficiuntur, licèt & hi in generali conuulsione conuellantur. Nam etsi in ipso actu venereo, leuiter vasa deferentia dilatando, pleniorem ipsius excretionem adiuuent, hoc tamen non priùs, donec semen iam è suis vesiculis excidens, per hosce ductus feratur, faciunt, ob quam & causam conuulsi, ad excretionem hanc nihil efficiunt, sed motus ille inordinatus, illud è suis receptaculis propellit. Vti nec resolutio horum musculorum, in apoplecticis effluxum seminis, sicuti verò vrinæ parit, cùm hi musculi, non vti sphyncter ad retentionem sint comparati.

ticorum concussio, causa Seminis profusionis in cõvulsione.

Curatio.

Gonorrhœæ curatio.

SEminis in vtroque sexu inuoluntarius effluxus, in Gonorrhœa dicta, si sit nocturna illa pollutio, ob copiam seminis eueniens, cùm non nisi eo redundãte accidat, & proin tantopere non noceat, ferè negligitur, vel matrimonium, huic illius nimiæ collectioni, indeque natæ inuoluntariæ profusioni, medetur; in cœlibatu verò viuentibus, ab illis quæ prouentũ illius gignunt, illudq; facilè commouent, abstinendum. Sin ob semen feruidius aut acriùs, etsi parua illius sit quantitas, gonorrhœa frequenter infestet, semen corrigendum, atque ad mediocritatem erit reducendum. Si verò ob imbecillitatem vasorum spermaticorũ aquosius redditum, facilè effluat, vel etiam ob laxitatem à nimio veneris vsu contractũ, semen qualecunque fuerit, diutiùs contineri nequeat, quia tunc hæc gonorrhœa admodùm debilitat, illi, vasa hæc roborando, semenque crassando, prospiciendum. Quæ omnia sequen-

tibus præsidiis, causis gonorrhœæ accommodatis, perficiuntur.

Exhibemus purgantia interdum, si à biliosiore vel crudiore aut serosiore sanguine, semen acrius aut aquosius generetur, vt ab hisce repurgetur mundusque fiat sanguis, laudatamque semini materiam præbeat. Quæ purgantia, prout corpus excrementis his illisve refertum est, hisce educendis accommodantur. Qualia passim cùm exponantur, non opus est hîc ea repetere.

Quæ alterando ad sistendum hunc fluxũ propinatur, pro diuersitate causæ instituuntur. Et si ob seminis copiam fiat, exiccantibus & quæ proprietate quadam illud absumunt, illud minuimus; si ob feruorem aut acredinem, refrigerantibus & lenientibus contemperamus. Quòd si semen aquosius aut fluidius sit, illud incrassamus; si vasa semen continentia imbecilliora aut laxiora sint, illis, adstringentibus calefacientibus & appropriatis, robur addimus. Quæ omnia partim remediis in Salacitate expositis, maximè si ob seminis copiam aut efferuescentiam, gonorrhœa fiat, cùm & inde salacitas procedat, partim sequentibus, quæ gonorrhœę omnibus causis accommodantur, perficiuntur.

Puluis exiccans, constringens & proprietate agens: ℞. radic. Iridis, seminis Agnicasti, Coriandri pręparat. an. ℥. j. seminis Plantag. semin. Rosarum, Rutæ, Alkekengi, fol. Mentæ an. ʒ. ß. Succini, Coralli rubr. an. ʒ. j. Thuris vel Mastiches ʒ. ß. fiat puluis subtilissimus: Detur illius ʒ. j. per se, vel cum Saccharo ros. aut Liquore aliquo dissolutus.

Cùm amplius siccandum & adstringendum, prædictis, ex sequentibus quædam addi possunt, vt semina Myrthi, Berberis, folia Sumach, Millefolij, Agnicasti, Rutæ, lanugo fructus Rosarum & folia Asplenij, Glandes, Balaustia, cineres Intestinorum & pelliculârum stomachi gallinæ, Priapi cerui vel tauri, Pili leporum vsti, rasura Eboris, Bolus, Hæmatites, Crystallus.

Ad feruorem & acrimoniam seminis contemperandam: ℞. seminum quatuor frigid. Maiorum mund. ʒ. ij. quatuor frigid. Minorũ, imprimis Portulacæ, Lactucæ vel etiam Acetosæ an. ʒ. j. rad. Nenuphar. vel florum, & Rosarum florũ an. ʒ. j. ß. gummi Tragachanti vel Arabici tosti ʒ. j. fiat puluis. Cui de supradicto puluere tertia vel quarta pars addi poterit. Camphoram plerique addunt, refrigerationis gratiâ, vel quòd occultâ vi semen extinguat.

Decoctum sistens fluxum & caliditatem & acrimoniam seminis extinguens: ℞. radic. Iridis, Nenuphar. an. ℥. j. herbar. recentium vel aridarum Agnicasti, Coriandri, Asplenij, Millefolij, Sumach, Plantagin. & Portulacæ, Lactucæ ana M. j. Mentæ, Rutæ ana M. ß. florum Rosarum, Nenuphar. an. P. j. semin. quatuor frigid. Maior. ℥. ß. Minorum ʒ. ij. seminis Plantagin. & Portulacæ an. ʒ. j. Myrtillorum ʒ. ij. semin. Alkekengi ʒ. ß. fiat decoctio in Aquâ & poculo Vini rubri, & in colaturæ ℔. iij. dissolue syrupi Cydoniorum ℥. ij. Sacchari q. s. decoquantur ad mediam consistentiam: Vtatur frequenter.

Syrupi competunt Portulacæ, Plantagin. aliive ex prædictis quibusdam plantis illarumve succis decocti, aliisve acidis vt Citri, Granator. vel austeris, vt Myrtillorum syrupus.

Succi item ab enarratis plantis expressi per se vsurpati, vel Aquæ elicitæ.

Conseruæ itidem & conditurę eiusmodi, simpliciter vel cum admistione puluerũ prædictorum & syruporum, in formam misturæ redactæ sumptæ.

Lac ouillum vel chalybeatũ sæpè bibitum, seminis contemperat acrem vim. Vti & emulsio seminum frigid. & Amygdal. & sem. Papau. albi: Aliaq; multa quæ ardorem vrinæ in mictione ardẽte restinguere diximus.

Injiciuntur clysmata in hoc casu quãdoq; vt tanquam topica remedia, parti affectę adhibeantur, cùm vires ipsorũ ab intestinis ad vasa seminaria vsq; etiã possint pertingere. Paranturque proin pro causæ ratione, ex decocto illorum quæ refrigerant, si caliditas in causa sit, additis etiam huius fluoris seminis causâ, siccantibus & adstringentibus, qualia in decocto quod exhibetur, descripta sunt, aliisq; validiùs adhuc constringentibus, vt fol. Quercus, Lentisci, Cupressi, floribus Granatorum similibusque, eaque coquen-

coquendo in Aqua & Vini rubri vel etiam Aceti portione.

Sunt qui iniectiones siccantes, ex Tuthia similibusque paratas, in seminis & vrinæ communem canalem, in viris infusas, plurimùm iuuare doceant.

Extrinsecùs vsurpantur balnea, fotus, inunctiones, quæ salacitatem reprimunt, hîc quoq; in simili causâ competentia: vti & in aliis causis. Balneum vel fotus perinæi & testiũ ex rad. Cynoglossi, vel decocto herbarũ, quarum & decoctũ vel pulueres assumptos prodesse diximus, parata, conuenient.

Ad roboranda vasa semen continentia & deferentia, debilitata aut laxiora facta, in illis qui gonorrhœam diu sunt passi, vel ad recidiuam eius sunt procliues, Thermæ naturales calidæ adstringentes, more consueto ad tempus aliquod vsque continuatæ, proderũt. Vel alia Balnea artificalia, ex illis quæ hoc præstant concinnata, quibus & calida, ad calorem natiuum harum sedium fouendum, adduntur, vt Rosmarinus, Maiorana, Stœchas, Lauandula, similiaque.

Inunctiones insuper idem refrigerando, siccando, adstringendo, proprietatéve operantes, renibus si calor ipsorũ in causa quoque sit, vel perinæo & testibus adhibentur. Inter quas tale Vnguentum proderit: ℞. olei Myrtillorum, Lentiscini, Mastichini, Cydoniorum ad ℥. iij. olei Irini ℥. ij. succi Plantag. Portulacæ, Lactucæ, Mentæ, Aceti an. ℥. j. ß. coquantur ad succorũ consumptionem, adde Nucum cupress. vel Gallarum, rad. Iridis, seminis Viticis an. ʒ. j. Acaciæ vel Hypocist. ʒ. ij. Spicæ ℈. j. Ceræ q. s. fiat inunctio.

Oleum Camphoræ perinæo & testibus illitum commendatur.

Laminá plumbeam tenuissimam renibus impositam per noctem, vti salacitatem reprimere, sic gonorrhœam emendare scribitur.

Lectulus vel puluinus lumbis inter decumbendum suppositus, Lanâ potiùs quàm plumis refertus, cui Agnus castus & Ruta misceantur, aliquid iuuare possent.

Sectio venæ si gonorrhœa à seminis vbertate proueniat, quandoque competit, in plethoricis præsertim, ad materiam semini, vnde generatur, nonnihil subtrahendam.

In vitæ regimine, sicuti in Salacitate dictũ, si ab eadem causâ gonorrhœa fiat, se gerant: Imprimisq; pro condimẽto Aceto frequenter vtantur, quod mirè & caliditatem & acrimoniam ciborum vti & seminis compescit. Et si semen nimis tenue & fluidum sit, cibis crassioribus vescantur: Inter quos Lentes, Fabæ frixæ cum Aceto probantur: Item Pineæ, Amygdalæ, Oryza comesta: Caro item testudinis & radices Pastinacæ.

Gonorrhœa virulenta dicta, à semine corrupto & vitiato profecta, non eam, quâ retineatur & fluxus illius sistatur, vti in alia gonorrhœa, rationem curandi exigit, cùm noxium retentum, loca illa exedendo exulceraret, sed potiùs ne in locum illius quod natura euacuat, tale quid ex infectione renascatur, prouidendum, quod per curam, quæ generatim toti lui Venereæ, indeq; natis etiam aliis vitiis debetur, si in hac lue hæc quoque se offerat, integrè interdum perficitur; quòd si verò post eam, exulceratione quadam in penis ductu, ob exesam eam sedem, relictâ, puris effluxus sequatur, tunc cura quæ in purulenta excretione præscripta fuit, hîc quoque locum habebit. *Gonorrhœæ virulentæ curatio.*

Vti & si citra luem hanc, ab alio impuro congressu gonorrhœa hæc maligna sequatur, cùm & illa in purulentam conuertatur, cura eadem competit.

Alia seminis Inuoluntaria excretio, quæ in Epilepticis & conuulsis accidit, cùm inde nihil detrimenti sequatur, nec ab ægris nec plerunque ab astantibus obseruetur, negligitur. *Seminis in conuulsis excretionis cura.*

Nimia seminis profusio per actum venereum, vnde corporis languor sequitur, non aliam curam, quàm vt à Venere abstineatur, vel ab immodico eius vsu temperetur, requirit, & si ad eam incitentur, in salacitate expositis remediis, feruor hic restinguitur. Denique vt corpus per victus rationem admodum nutrientem & reficientem, rursum restauretur. Sicuti etiam in inuoluntaria seminis excretione, idem fieri debere, diximus. *Veneris nimiæ cura.*

Cita nimis per exercitium venereum seminis effusio, hoc est quando citiùs quàm oportebat, semen mox in ipso principio con- *Seminis citæ nimiũ profusionis curatio.*

gressus vel præparatione ad eum, profunditur, vnde imperfectus actus hic vel inutilis ad conceptionem redditur, quia hoc ab eo nimis feruido, aut etiam fluido proficiscitur, pro emendatione huius incommodi, eadem quoque quæ in gonorrheeâ hisce de causis excitatâ, fieri debere docuimus, hîc quoque vsurpabuntur, vnde hæc anticipans seminis excretio faciliùs leuioribusque remediis, quàm illa inuoluntaria, si modò ea, & præcipuè quæ victus rationem concernunt, continuentur, corrigetur.

DE SANGVINEA EXCRETIONE.

CAPVT V.

Genera.



SANGVINEA vel cruenta excretio illa, quæ etiam secundùm naturam, in mensium fluore per sinum vteri, interdum & in hæmorrhagiâ narium per nares, vel hæmorrhoidum fluxu è podice, procedit, præternaturalis fit, si per loca huic excretioni minimè competentia, sanguis effluat: Vel si sanguis siue per loca illi destinata aut alia emanet, quantitate quòd nimiùm effluat, vel qualitate quod vitiosus existat, peccet. Sicuti quo pacto hoc fiat, per quæcunque loca effluat, in singulis demonstrabimus. Quòd si sanguis aliis confusus vel exspuatur vel vomatur, mingatur aut dejiciatur, in illis excretionibus describetur.

Oculorũ sanguinea excretio. Ex oculis si sanguis parcissimè etiam prodeat, quod rariùs accidit, præternaturale quoque est.

Auriũ sanguinea excretio. Vti & si ex auribus effluat, vnde nunc purus nunc saniosus emanat. Vidimus & cuidam, qui narium hæmorrhagiâ frequenter infestabatur, accedente capitis dolore pulsante, ruboreq; faciei, non solum è naribus, sed & auribus simul sanguinem satis largiter effluxisse.

Narium hæmorrhagia. E' naribus frequenter sanguis interdumq; copiosè exstillat, Nariumque hæmorrhagia appellatur. Quæ cùm consueta quibusdam & naturalis fit, tunc primùm prẹternaturalis fit, si immoderatè tantaq; copiâ sanguis profundatur, vt vires labascant, vel etiam penitùs cum vita extinguatur. Vti in iis qui priùs sani erant, vel morbo aliquo tenentur, euenire aliquando solet. Leuiter etiam sanguis quandoque & saltem muco permistus in affectu aliquo narium se manifestat.

Penis sanguinea excretio. E' virga virili citra mictionem, purus sanguis rariùs profluit, quod tamen si fit, prẹternaturale existit, & dolor aliquis plerunque in ea sentitur. In congressu sanguinem loco seminis ejici quandoque perhibent: qui tamen, vti in seminis excretione dictum, potiùs semen imperfectum existit.

Vrinariũ meatus sanguinea excretio. Ex meatu vrinario in fœmineo sexu, sanguinis effluxus præternaturalis, citra mictionem magno cum cruciatu, in lapidis è vesica extractione, se manifestat.

Mensiũ fluor immodicus. E' sinu vteri effluens menstruus fluxus naturalis, præternaturalis fit, si tempore quo alioquin menses fluere solent, diutiùs maiorive quantitate effluat, Mensiumque fluor immodicus appellatur. Vel si hoc alio tempore intermedio, quo nondum fluere debebant, nec dum tempus fluxus instabat, intempestiuè & inordinatè eueniat, præsertim si priùs suppressis diu menstruis, per menses aliquot, virginibus aut mulieribus, quas proinde grauidas esse suspicantur, hoc accidat: Vel si mulieribus quibus menstrua diu substiterunt, venterque grauidarum instar intumuit, sicuti de hac intumescentia in tumoribus egimus, diu se grauidas esse opinatis, tandem inopinatè ante vel post pariendi tempus, hæmorrhagia eiusmodi superueniat, per quam sanguinis magna quantitas interdum effunditur, venterq; iterum subsidet, non sine virium iacturâ magnoque vitæ periculo. *Vteri sinus fluxus sanguineus, alius à mẽstruo in fenibus mulieribus.* Imprimis verò alienus & è fluxu menstruo differẽs, si tempore quo menses desierunt, iam senescentibus vti ferè fit, contingat mulieribus, cùm nullo ordine aliàs copiosiùs aliàs parciùs accidat, sæpè quàm diutissimè durans, vnde hunc fluxum menstruum, vti aliàs faciunt, minimè, sed Hæmorrhagiam per vterum immoderatam potiùs appellamus. Hasce menstruas aliásve præternaturales, sanguinis nunc puri nunc impuri per vterum purgatio-

gationes, languor corporis, pallor, cachexia, interdum & hydrops sequuntur. Et subitò magna fiat sanguinis profusio, sicuti post diu suppressos prius menses, nonnunquam accidit, vires admodùm prosternuntur, & nonnunquam penitùs extinguuntur.

Partiũ subsequens excretio cruenta. Aliàs per hæc loca præternaturalem eam purgationem sanguineam, quę post partum fieri consueuit, etiam illa immoderata accidit, adeò vt summè ob largum illum fluxum aliquando puerperæ debilitentur. Quod vti in naturali partu quandoque euenit, sic & in præternaturali partu & abortu frequentiùs cum magno sæpè vitæ discrimine contingit.

Vteri sinus sanguinea excretio in deuirginatione & cõgressu. Ex sinu vteri alius sanguinis effluxus quoque fit, post primam ferè coitionem fœminæ cum mare, in deuirginatione, vt vocant, superueniente tunc sanguinis aliquâ apparentiâ, vel potiùs, sicuti compertum est, fluore simili qualis menstruatim illis alioquin solet accidere, qui fluxus cùm virginitatis certa nota esse, & proin subsequi debere censeatur, pro præternaturali vel saltem noxio minimè habetur.

Vti verò illa cruenta excretio ex vteri sinu, quæ in congressu siue primo aut sequentibus, cum dolore magno facto, interdum superuenit.

Hæmorrhoidum fluxus immoderatus. Ex podice sanguinis effluxus præter eos quos cum fæculenta deiectione in dysenteria, tenesmo, fluxu hepatico, prodire illic ostendimus, alius occurrit, vtriq; sexui communis, Hæmorrhois peculiari nomine, etsi reliquæ quoque hæmorrhagiæ sic dici possent, appellata. Quæ alioquin peculiaris cuiusdam temperamenti hominibus, maximè masculis nonnunquam & fœminis, adultis potissimùm & senibus consueta atque vtilis, & per interualla mensium, non tamen eo ordine vt menses in mulieribus, vel singulis annis semel atque iterum, vel duobus saltem aut tribus, eueniens, tunc præternaturalis fit, quando immoderatiùs, hoc est maiore quantitate, vel diutiùs quàm par erat, fluit, aut frequẽtiùs quàm decebat redit, vnde tadem lassitudo, virium defectus, pallor, cachexia & hydrops, vti in aliis eiusmodi præternaturalibus hæmorrhagiis accidere diximus, quoque superueniunt. In hac hæmorrhoide sanguis separatus à reliquis excrementis effluit, isq; ferè purus & sincerus, & reuera non adeò nec ampliùs quàm & aliunde effluens aut emissus sanguis, vti verò eum depingunt, ater. Et si aliter coloratus aut impurus sit, potiùs rubore exacto tinctus vel flauescens bileque flauâ permistus quàm aliter se habens, sicuti obseruantibus patebit, apparet.

In morbis quibusdam, superueniens eiusmodi hæmorrhois, si non, vt cùm decenter fit, prosit, & morbum soluat, sed potiùs ob immoderationem noceat, viresque prosternat, ad præternaturalem refertur.

Vti & illa, quæ non consuetis naturæ operâ, sed à causa alia violenta, vti dicetur, & proin sine commodo ac inutiliter accidit, maximè si dolor simul adsit, & noxa aliqua inde sequatur.

Podicis sanguinea excretio alia ab hæmorrhoidibus. Præter hunc sanguinis fluxum, hæmorrhoidalem dictum, alij præternaturales ex podice prodeuntes se exhibent: Veluti ille est, in quo paucus saltem cruor apparet, à causa quoque violentâ, cum pruritu & dolore podicis procedens.

Huc & refertur sanguinis illa excretio, per quam sanguis menstruus in fœminis nõ solùm per sinum vteri, sed & per podicem emanat, rara quidem, sed quæ tamen aliquãdo, cum exulcerationis illorum locorum notis, sese obtulit.

Cutis pororum sanguinea guttæ. Per poros cutis eâ illæsâ vt sanguis transudet, vix nisi miraculosè, vti in Saluatore nostro, fieri potest. Vidimus tamen aliquãdo, in puero hydropico poros plerosque corporis cruore notatos, ac si corpus guttis sanguineis conspersum esset, sanguine tamen inde minimè emanante, nec linteamina conspurcante.

Sanguinea excretio per vulnera aut aperturas. Per aperturas alias quàm orificia naturaliter patentia, & præcipuè per vulnera nunc parua nunc magna, vel studio ad sanguinem per ea emittendum facta, vel casu contingentia, sanguinis fluor è corporis diuersis locis, non naturali modo, tamen frequentissimè prodire solet: Quemadmodum nunc explicabitur, atque in vulneribus aliisque cutis diuisionibus morbisque, in quibus eius-

eiusmodi sanguinis fluor se offert, huius quoque facta est mentio.

A superficie corporis è cute sanguis leuiter tantũ emanat, in attritione ipsius & vulneribus cutem saltem diuidentibus, nullam alioquin noxam inferens.

Prosilit copiosiùs & cum saltu ferè in phlebotomia, quæ vires debilitando noxia euadit, si immoderata sit: Vti & si non necessariò sed inconsideratè fiat, sæpeque ex consuetudine quadam prauâ repetatur, vnde multi languidi euaserũt, atque ante tempus consenuerunt.

Cum interrupto nonnihil saltu, sanguis feruidior exilit in artherotomia, eadem, si diutiùs perseueret, adferens in virium iacturâ accidentia; & nonnunquam etiam grauiora. Vti in quodam aneurismate dissecto accidit, vniuerso arteriarum sanguine exhausto, in quo non solùm subita virium defectio, sed & mors ilicò subsecuta fuit.

Aliquando & è vena sponte se in cute aperiente, sicuti in plebotomia, sanguinem in pedibus erupisse vidimus, magnamq; illius profusionem in tibialia antequam id animaduerterent, factam: Aliàs quoque in varicibus crurum idem euenisse obseruauimus. Quod & in aliis corporis locis quibusdam accidisse, in brachiis, facie, thorace, hypochondriis, aliqui testantur: Vnde etiam si inter dormiendum hoc eueniret, aut aliàs lateret, nec ob id maturè ei occurreretur, noxa non minùs magna quàm à venæ nimio fluore posset subsequi. Hoc tamen rarissimum in homine, in equis verò aliquibus non infrequens, quibus dum vehementer calent, hoc interdum solet, sed citra incommodum, euenire.

Ex habitu corporis aliàs sanguis nunc pari impetu prosilit, nunc minori emanat, copiosiùs partiùsve in vulneratis membris aut amputatis, vnde magnum sæpè sanguinis sequitur profluuium, imbecillitatem proin citiùs, nisi mox cohibeatur, eamque summam interdum adferens.

E cauitatibus internis vt abdominis, thoracis, capitis, &c. in vulneribus eò pertinentibus, sanguis copiosè aliàs, aliàs partiùs profluit, vel in cauitates influit: Vires quoque si immodicè hoc fiat prosternens: & si in cauitatibus retineatur concrescens & putrescens, grauiora simul profert, præter ea quæ à vulnere procedunt, symptomata.

Causæ.

OMnium sanguinis excretionum enarratarum generum, è diuersis corporis sedibus prodeuntium, causa procedit, vel à solutione contiguitatis per apertionem venarum osculorum, vel continuitatis à læsione aliqua tum venarum tum partium substratarum.

Per apertionem osculorum venarum seu anastomosin, aliquæ hæmorrhagiæ suboriuntur eæq; pro venarum, quæ aperiuntur diuersitate.

Venarũ osculorũ apertio seu anastomosis in Aurib. Narib. Vteri ceruice, Recto intestino, Caute, causa Sanguinearum excretionum ex illis ocu.

Aurium interiores venæ, per anastomosin apertæ, largam sanguinis copiã aliquando profundunt; Fitq; hoc ob sanguinis in capite redundantis copiam vel tenuitatem, sed rarissimè, cùm tunc per narium venas vti dicetur reseratas, natura potiùs eum euacuet, nisi eò quoque illius portionem ablegет, sicuti in eo, cui & ex naribus & auribus eum effluxisse simul diximus, ob nimiam illius quantitatem vel calorem quo caput æstuabat, non solùm narium sed & aurium venis patefactis, accidit.

Narium interiores venæ, à iugulari per fauces sursum ad cerebrum ascendente profectę, si per anastomosin reserentur, Narium hæmorrhagia sequitur. Cuius anastomosis causa est, sanguinis interdum copia, naturâ tunc illius redundantiam exonerante, per has venas teneriores existentes, ob loci cui implantantur teneritatem, & quæ proin faciliùs dilatantur & aperiuntur, in virili quidem sexu, cùm in illis non alia commodior ad hanc expurgationem detur via: nam quæ in ipsis per podicis venas hæmorrhoidales fit sanguinis expurgatio, quod tamen rarò & in quibusdam tantùm accidit, saltem illiùs qui in venæ portæ ramis consistit, existit. In mulieribus verò si adeò sanguine abundent, vt per venas vteri menstruas exhauriri sufficienter nequeat, vel fluxus ille subsistat, sæpiùs natura eundem per venas nariũ etiã expurgare cõsueuit. Quę hemorrha-

rhagia inde subsequens proin, etsi non semper consueta, tamen adhuc naturalis est, nisi modum excedens præternaturalis fiat. Calidior quoque & feruidior sanguis calore suo venas dilatãdo & aperiendo, hæmorrhagias nariũ mouet, tum si naturâ suâ talis existat, vel per motus corporis, insolationes, & æstuaria calefiat: Aut si in morbis calidis capitis & febribus accendatur, in quibus vel mox ab initio vel in statu morborum & per crisim interdum erumpit. Tenuior itidem sanguis, magisque dilutus sero & fluidior factus, & bilis permistione citiùs vasorum oscula penetrans, narium hæmorrhagias efficit. Vnde & cachecticis, hydropicis, ictericis, etsi sanguis non redundet, fluxus ille sæpiùs nihilominus superuenit. Quòd si quoque causæ plures ex illis concurrant, tantò maior sanguinis fiet effluxus. Qui faciliùs repetit aut profusior est, si simul venarum accedat laxitas, talis oborta suâ naturâ, vel quia frequenter hoc passæ & dilatatæ ac reseratæ fuerunt. Per vim, vt emunctionem validam sæpeque repetitam, sanguine impulso, venæ aperiuntur, sanguisque inde fluit, vel iam fluentis fluxus augetur.

Vteri ceruicis venæ à caua progressæ, si per anastomosin aperiantur, sanguinis inde effusiones frequenter prodeũt. Sicut enim hisce statuto tẽpore se aperientibus, sanguinemq; profundentibus, naturalis fœmineo sexui fluxus menstruus oritur, ita & præternaturalis immodicus hic fluxus menstruus, vel alij eiusmodi, extra tempus menstruum se offerentes, menstruis tamen nonnihil correspondentes, in generibus expositi, inde nascuntur: Quando ob copiam sanguinis eò à natura propulsi, in plethoricis, oscula hæc patefacta, citiùs & frequentiùs, & proin intempestiuè, vel ipso menstruorum tempore, sed immoderatè sanguinem profundunt: Vel cùm sanguis ob tenuitatẽ aut feruorem, eò delatus, oscula permeans, inordinatas vel immodicas eiusmodi fluxiones parit: Aut quando natura superfluitates corporis, per hanc viam cum sanguine, vel cõsueto menstruorum tempore vel alio, euacuans, inconsuetas aut profusas illas hæmorrhagias progignit. In quibus sanguis nunc serosus admodùm, vel alioquin vitiosus & impurus emanat. Profusissimè autẽ hic fluxus ferè accidit, si magna sanguinis vel puri aut impuri quantitas circa vteri venas, ob suppressa diu menstrua congesta, subitò venas aperiens, magnâ vi erumpat, osculaq; hoc illius impetu adeò diducat, vt cùm se tam citò recolligere huicq; impetui resistere, nequeant, non solùm sanguinis ex vteri, sed & aliis maioribus vasis, in locum illius exhausti, succedentis sequatur effusio, corpusque veluti exangue reddatur.

Quod vti in venis vteri ceruicem implicãtibus fieri plerunq; solet, sic & in illis, quæ vteri fundum subeunt, si & illæ in mulieribus, quibus venter ob menstruorum diutinam retentionẽ, sanguine in vterum se tunc ingerente, eumque vt in molem excrescat, ventremq; in tumorem attollat, infarciẽte; sicuti in tumoris eiusmodi ventris in mulieribus, quæ se grauidas esse falsò putant, causis expositum fuit, se eo modo, vti de ceruicis vteri venis dictum, aperiant, hæmorrhagia illa periculosa sæpè & vitiosa sequitur.

Aliàs etiam à vi aliquâ, per quam vteri ceruicis oscula solùm aperiuntur, nec dum continuũ vteri alio modo soluitur, hæmorrhagia suboritur; Idque frequentiùs & ferè consuetim, in prima coitione, seu deuirginatione, non ob hymen, vti vulgò creditur disruptum, cùm membrana sit exanguis, & si inde eueniret, potiùs quia auellitur, accideret: Sed quod verisimiliùs est, quia per subitam illam & validam orificij vteri dilatationem, vel confricationem illam insuetam ceruicis vteri, venarum menstrualium oscula nonnihil reserantur, menstrui fluxus instar sanguinem profundũt, vel saltem cruoris aliquas notas proferunt.

A' medicamentorum oscula venarum aperiendo, fluxum menstruum concitantiũ vsu, maximè si violenta sint, atque ex illis præcipuè, quæ vteri sinui induntur pessaria, hæmorrhagia copiosior quoque excitari potest.

Ab iisdem causis, à quibus menstruum immoderatũ fluxum euenire ostendimus, etiam expurgatio illa sanguinis post partũ fieri consueta, immoderata fit: sicuti enim

naturaliter hoc, in partu diductis & separatis ab inuicem osculis, vasorum secundinæ cum vteri, apertisq; & sanguinem profundentibus, accidit; ita & præternaturaliter ob nimiam eius quantitatem vel tenuitatem, nimia illius fit euacuatio.

Recti intestini venis, à venæ portæ ramis deductis, hæmorrhoidalibus appellatis, per anastomosin apertis, vti naturaliter hęmorrhoides, non tamen ordinariè, sicuti menstrua, per quæ sanguinem in vena caua, singulis mensibus pro fœtus enutritione, in fœminis dum ad conceptum habiles sunt, coaceruatū, cùm nondum conceperunt, expurgari necessum erat, erumpunt, sed tunc solùm, quando sanguis in venis meseraicis nimiùm abundans, vel feruidior aut biliosior redditus (sicuti bilem præ cæteris humoribus frequentiùs in eo coaceruari, in febriū intermittentium causis inde quoque progressis demonstrauimus) illic coaceruatus, & subsistens, nec in venam cauam sufficienter translatus, aut à vesicula bilis repurgatus, à natura per hanc viam vicinam, excretionibusq; aliis etiam destinatum podicem, vti menstrua per vterum, euacuatur. Sic & in nimiùm ampliatis aut diutiùs reseratis, aut tempore non conuenienti, osculis illarum venarum, ob maximam huius sanguinis retenti copiam, vel efferuescentiam, aut bilis permistionem, à quibus morbi graues sequi possunt, vel iam sunt geniti, natura irritata, hæmorroides immoderatas & copiosam illam sanguinis profusionem molitur, eoque magis, si oscula venarum vltra modum aperta diductaque se ampliùs recolligere nequeant.

Quòd si quoque nec ob repletionem aut impuritatē huius sanguinis, sed aliis de caussis mota natura, nullâ necessitate per hæmorrhoides sanguinem venarū meseraicarum vtilem excernat, præternaturales hæmorrhoides non consuetæ nec vtiles exsurgunt.

Per anastomosin cutis venarum, sanguis per cutem illiusve poros emanare minimè potest, neque per rarefactionem seu diapedesin cuticulæ, sanguis vti verò serum transudare, cùm crassior sero sit, nec possit per hasce minutissimas cutis aperturas penetrare, nec per eam, nisi illius cōtinuitas diuidatur, effluere, sed si cum eo sub cutē diffunditur, illic persistit, & hypochyma, vt in eo dictum, producit. Licèt autem in puero hydropico hinc inde in poris apparuerit, cùm tamen inde minimè emanarit, sed à cuticula quoq; prohibitus fuerit, poris quidem se insinuasse, quod rarissimum est, sed eos tamen minimè peruasisse, patet.

A solutione continuitatis ob varias partium & venarum læsiones, plura sanguinis eruptionis genera procedunt, variantia pro venarum quæ læduntur varietate. *Venarum solu a cōtinuitas in Oculis, Auribus, Naribus, Virgâ virili, Vteri ceruice, Recto intestino, & Podice, Cuteq;, causa Sāguinearū excretionum ex illis locis.*

In oculis venę adnatę tunicę, si ob frictionem, cùm pruriūt, vehemētem, quod tamen vix fit, vel contusionem aut sectionem quæ in panniculo oculi detrahendo instituitur, lædantur, cruor ex illis, sed paucus, cùm venæ exiguæ tantùm sint, exit.

In auribus interiores venæ si lædantur, ab immissis in aures, paucus sanguis prodit: aliâs copiosior, ex casu aut ictu, capite adeò conquassato, vt venę illic disrumpātur.

In narium interioribus venæ si lædantur, sanguis ex illis exstillat. Quæ læsio ab vnguibus nonnūquā, dum digitis naribus immissis, illę purgantur, loca hæc vulnerantibus accidit: aliàs ab aliis in nares intrusis, eas polientibus, vel erodētibus: quibus studio sibi aliqui hūc fluxū accersunt: alij dum sternutationē ciere hisce volūt, sanguinem simul concitant. Ex contusione nasi à vi externa hoc idem euenire potest, interdum & ab humore acri nares summopere vellicāte: In Grauedine itidem contingit, vt nares sanguinem exstillēt, iuuante etiam illarum frequenti pressione, in emunctione, ad quam continuò cōpelluntur. Ab vlcere refricato, vel à quo crusta detrahitur, sanguis quoq; exudans, emunctionem cruentam parit.

Virgæ virilis interior canalis, si à cathetere in eum profundè adactò, lædatur, non solùm cruor cum mictione, vti in ea dictum est, sed etiā sine eâ excernitur: Quod & ab alia læsione potest contingere, à calculo nimirum vesicæ, per vim hęc loca permeante.

In vteri ceruice venæ læsę sanguinis ex ea effluxū etiam concitant: veluti in partu difficili

difficili frequentiùs accidit, si ob secundinæ ab vtero post partum attractione, aut alia vi auulsam, osculis venarum diuulsis aut scissis, sanguis immoderatiùs profluat: Vel etiã ob fœtum, dum per hasce angustias transit, continuum soluentem, hoc eueniat: Vel per abortum, vasis fœtus, vteri vasis connatis, nec sponte secedẽtibus, vti in fœtu iam maturo in partu accidit, sed impetu hoc violento abruptis contingat.

Aut in coitu difficili mox ab initio, vel postmodum vi peracto, si læsio tanta fiat, vt sanguis inde emanet.

A' ceruicis vesicæ distentione nimia, vel etiam dilaceratione, ab instrumento dilatatorio, illi vt lapis vesicæ eximi posit, inserto, dum eam violenter ampliat, sanguinis magna sæpè profusio subsequitur.

A' recti intestini & podicis venarum læsione aliquâ, sanguinis per eum excretio etiã prodit: quæ venæ cùm non sint vnius sed duorum generum, & in interioribus venis, à meseraicis profectis, si hoc fiat, fluxus hæmorrhoidalis minimè naturalis inde subsequitur, nullius proin vsus, sed potiùs si præsertim vltra modum fiat, noxius. Si verò in exterioribus venis podicis extremum implicantibus, à vena caua prodeuntibus, læsio hæc fiat, sanguinis exiguus ille & nullius ferè momenti progressus accidit.

Cuius læsionis & solutæ cõtinuitatis causa, ab excretis per podicem frequentiùs procedit, vt à duris excrementis seu scibalis magnis aluum nimiùm distendentibus; aut asperis quibusdam assumptis, podicem in transitu admodùm vellicantibus: Vel ab excretione per sinum vteri factâ, non solùm eum sed & vicinum podicem nimio impulsu lædente: vt in partu difficili accidit. Quod & ab intrusis in anum suppositoriis acribus, & canali fistulæ vel sacci enematum, euenire potest.

Ab vlcere sinuoso, à ceruice vteri rectum intestinum permeante, sanguinis menstrui fluxus per podicem progredi, præternaturalisq; omnino hæc illius excretio fieri potest. Nam quod citra illud, sanguinem menstruũ suppressum, quò minùs per vteri sinum possit effluere, natura per vicinum podicem expellat, illicque sibi viam faciat, vti aliqui docent, haud credibile: Cùm nulla continuatio venarum menstrualium, quę à vena caua, & hæmorrhoidalium, quæ à vena portæ descendunt, illic appareat, & proin sanguis eò minimè, nisi per apertam viam vlcus scilicet aut vulnus, possit transmeare.

In corporis exterioribus sedibus solutio continui à causis externis internísve profecta, omniũ sanguinis fluorum, qui per aperturas præternaturales harum sedium procedunt, causa existit, sicuti nunc demonstrabitur: Licèt & in illis morbis, quos excretiones hæ comitantur, causæ harum pleræque similiter fuerint expositæ. Quæ causæ potissimùm quatenus huius illiúsve partis continuitas soluitur, variant.

In cuticula si continuitas soluatur per abrasionem aliquam illius, à frictione ob pruritum factâ, vel aliâ aliquâ illius attritione procedente, sanguis obiter se tantùm, si cutis simul radatur, manifestat.

Cute verâ illiusq; venis exilioribus simul dissectis, nisi vlteriùs sectio pertingat, vix magna hæmorrhagia sequitur. Quę illius sectio varicum vel tumorum detergendorum causâ instituitur, nec ab ea multus sanguis, donec illa etiam aperiantur, profunditur.

Venæ alicuius insignioris sub cute proximè latentis, si continuitas soluatur, sanguinis sequitur profusio. Quòd si secetur potissimùm euenit, idque frequentissimè in phlebotomia, quæ ad præcautionem & curationem morborum adeò est vsitata; In qua magna sanguinis fit profusio, si nõ tempore conuenienti iterum supprimatur: Vel vena aliqua maxima cutanea temerè, vt iugularis, incidatur: Nonnunquã & in sectione venarum varicosarum, magna sanguinis copia ex illis exhauritur. Sed & casu nonnunquam euenit in sectionibus, cùm aliis de causis cutis aperitur, vt ob hernias vel tumores præter naturam, vt tunc venæ hæ tactæ, vel alioquin à vulnere fortuitò cutem scindente, simul vulneratæ, multùm sanguinis emittant. *Venæ sectio seu phlebotomia, causa illius sanguinis effluxus.*

Nec solùm à vulnere extrinsecùs venæ inflicto hoc accidit, sed & à sponte se aperiente venâ cutaneâ, perinde ac si secta esset, san- *Venæ osculi apertio*

Spontanea, causa illius Sanguinis fluxum.

guinis illa spontanea profusio, citra illius sectionem procedit. Quam apertionem illius sanguinis plethora, aut feruor molitur, quæ licèt eam sanguinis excretionem frequẽter pariant, quæ per anastomosin apertis venarum osculis contingit, tamen vt venarum, ac si sectæ essent, continuitas ab hisce causis soluatur, cùm vix euenire possit, rarissimè illud accidit, nisi summa à sanguine fiat distentio venarum, vti in varicosis fieri potest: Vel si etiam natura crebris in certa aliqua sede venæ sectionibus assueta, iis aliquandiu omissis, sanguinem eò impetuosè impellendo, exitum venæ cutis vellicatione aperiat, quod eò faciliùs fit, si tenuis illic sit cutis, venaque solito, ob sæpè factam illic sectionem, amplior & proin tenuior, vt & in aliis locis in simili venâ, ab aliis causis attenuatâ, sanguis itidem profunditur.

Arteriæ sectio seu Arterotomia, causa illius Sanguinis effluxum.

Arteriæ apertio in Arterotomia, vel si alioquin vulneretur, sanguinis arteriosi validam illam effusionem parit. Ab arteriolæ denti substratæ dilaceratione, vehemens quoque & diuturna illa inde nata hæmorrhagia euenire potest: Nam si gingiuæ tantùm lædãtur, quæ inde sequitur, nullius ferè momenti est. Si arteriæ quoque quæ sanguinem sub cutem fundendo aneurisma peperit, per sectionem cutis illi obductæ, via aperiatur, periculosa illa sanguinis, vti dictũ, sequitur profusio.

Partium vulnus, causa Hæmorrhagiarum.

Partes ex enarratis si plures simul vulnerentur, hæmorrhagiæ variæ inde oriuntur. Quæ vulnera aliàs in morbis necessitate vrgente, ad abscessus profundiores aperiẽdos, tumores exsecandos, vti & calculos è vesica extrahendos, vel rupturas curandas, infliguntur: aliàs casu accidunt. In quibus si venæ maiores aut plures vel etiam arteriæ vnà vulnerentur, hæmorrhagiæ abundantiores inde sequuntur. Quæ vasa maiora cùm natura, vt securiora essent, in cruribus & brachiis posteriore ipsorum loco musculis immersa collocarit, vulnera quoque illic inflicta, hæmorrhagias copiosiores proferent. Quæ vti in magnis vasis læsis ita se habent; sic si exiliores tantùm vulnerentur venæ, vel in carnosas magis sedes vulnus pertingat, hæmorrhagiæ minores subsequentur. Quòd si quoque maioribus vasis læsis, sanguis in cauitates internas, vt abdominis & pectoris præsertim influat, non magna illius per vulnus externum fiet profusio. Per eiusmodi vulnera studio facta, non solùm sanguis, sed & res ipsa, quam auferre cupimus, è corpore cum sanguine excernitur, aliàs etiã ea quæ minimè prodire cupiebamus, si error committatur, vel casu vulnus inflictum sit: Sicuti in horum humorum aut partium excretis explicabitur.

Imprimis amputatis vel mutilatis membris quibusdam, largissimæ sequuntur hæmorrhagiæ; Cùm id necessariò agendũ est, ob illorum vitia inemendabilia, aut corruptionem, vt brachiorum aut pedum, quorũ portio alicubi in carnosa sede, sectione priùs factâ, postea serrâ esse dissecto aufertur: Vel quando digiti carne circumsectâ, forcipe auelluntur: Vel partes aliæ prominentiores ossibus destitutæ, vt nasus, aures, labia, cultri acie resecantur: Vel casu per vulnera fortuita hæ partes mutilantur.

Curatio.

PEr anastomosin hoc est venarum osculorum apertionem, Hæmorrhagiæ procedentes, cùm largiter plerunque sanguinem profundant, illæ primùm explicandæ, præsertim cùm cura harum in aliis morbis, quorum symptomata interdum sunt, non fuerit exposita.

Auriũ hæmorrhagiæ curatio.

Aurium hæmorrhagia copiosa, ab anastomosi venarum profecta, cùm raròaccidat, nec nisi ob magnam plethoram contingat, curam priuatam minimè exigit, si narium hæmorrhagiæ copuletur, huic potiùs cura debetur.

Narium hæmorrhagiæ curatio.

Narium hæmorrhagia, si commodum adferat, veluti illa quæ plethoram minuit aut tollit, in sanguinis redundãtia, vel ipsius impuritatẽ aufert, morbumq; sistit in crisibus, sisti aut impediri minimè debet, nisi toties repetat, aut tamdiu persistat, vt vires inde labantur. Nõ necessaria nec vtilis, aliis de causis eueniens, ob sanguinis feruorem, tenuitatem, fluxionem aut vim læsionemq; inductam, si immoderata sit, eò citiùs cõpesci debet: si moderata aut pauca exstiterit, vel saltem

tem obiter muco permistus prodeat sanguis, negligitur, & si ab vlcere alioq; morbo proueniat, hisce potiùs cura adhibenda.

Methodus curandi est, vt causæ occurramus, si presertim hic affectus, quòd frequentiùs infestet, noceat, tunc eo potissimùm tempore, quo aliquas dat inducias, si ob plethoram accidat, prouentũ sanguinis impedire debemus, copiamque illius minuere, si ob feruorem vel tenuitatem, eum contemperare & incrassare. Vrgente verò iam hoc malo, dum sanguis effluit, illum ad nares impetu fluentem, ab iisdem retrahere studebimus, viasque intercludere, indeq; eum repellere. Quæ omnia sequentibus mediis perficiuntur.

Sectio venæ brachij illius lateris, è cuius nare sanguis emanat, cùm vt sanguis in locum illius qui effluit, sequatur, & deorsum à capite subsideat, efficiat, sic reuellendo eum à naribus, proderit, per quam tamen nõ larga illius copia, cùm alioquin propter hæmorrhagiam narium deficiat, emittenda, sed saltem vbi sanguis obiter saliendo fluxum eò cõuerterit, rursum venâ clausâ supprimendus, & si opus sit, venâ denuò per interuallum aliquod reclusâ, portio illius saltu vno aut altero saltem depromenda, quod sic repetitis vicibus factum, egregiè cursum sanguinis eò diriget, nec tum exigua hæc quantitas, in plures vices diuisa, corpus admodum exhauriet.

Scarificatio quâ admotis cucurbitulis, sanguis & attrahitur & elicitur, eodem modo vti venæ sectio operatur, nisi quòd non tanto impetu, tunc per capillares venas cutis prodiens, vti si per venam aliquam manifestam apertam flueret, feratur. Talis autem scarificatio in scapulis & colli lateribus commodissimè instituitur: Aliàs etiam in distantioribus locis, vti in carpo factam aliqui peculiariter probant.

Sanguisugis post aures admotis, sanguis exuctus, e naribus fluentem quoq; reuellit.

Cucurbitulæ cum multa flamma sedibus capiti vicinis affixæ sæpeq; repetitæ, admodũ sanguinem alliciẽdo, deriuant; vt si colli lateribus, supra vasa ascẽdẽtia, item homoplatis & scapulis apponantur: Reuellunt quoque mammis in mulieribus admotæ: Imprimisque si hypochondriis magna cucurbita, Ventosa dicta, apponatur, atque vti volunt dextro, si è nare dextrâ, sinistro si à sinistrâ sanguis profluat.

Ligaturæ vinculis fasciis vel chordis factæ, quibus brachia vel pedes validè stringuntur, sanguinis impetum per totum corpus concitatum, & nimium illius per nares fluorem, nonnihil cohibẽdo, vel etiam eundem à capite retrahendo, vel reuellendo aliquid operantur, si eousque vt rubor inde contrahatur, vel ampliùs vt dolor inde sequatur, nexus stringatur; quod rectiùs in digitis manuum aut pedum, vbi minùs periculi, moliendum, siquidem in testibus, vti docent, id peragentes, res est periculi plena.

Frictiones extremitatum vehementes adeò vt partes inderubeât, sanguinem quoque deorsum reuellunt.

Exhibitis purgantibus, si sanguis biliosior aut serosior sit, quia ille irritando fluxũ mouet, hic tenuitate suâ ad fluendum habilis, bilem & serosos humores ab eo expurgando, vt minùs profluat, efficimus: Hacque sanguinis mundificatione, in eiusmodi hęmorrhagia diu aliquos molestante curandâ, plurimùm sæpè præstitimus.

Vtimurq; in eum finem mitioribus, ne calidioribus catharcticis & acribus sanguinẽ magis accendamus, ægrumq; debilitemus: dein & illis quæ adstrictione quadam simul prædita, fluxum nonnihil cohibent; Vt Rhabarbaro, Myrobalan. succo & syrupo Rosarum, Sennâ similibusque ex hisce compositis: Vel etiam in biliosi serosiq; humoris copiâ, fortiùs eos expurgantibus, passim in aliis eiusmodi affectibus descriptis.

Alterantia exhibemus, quæ vi refrigerante & astringente prædita, sanguinem incrassando, vel aliâ proprietate quadã hunc fluorem sistant, eaque variis formis.

Decoctũ probetur imprimis Pentaphylli, Plantaginis, Bursæ pastoris, Polygoni, Myrti vel Myrtillorum, Consolidæ maioris mediæ & minoris, Equiseti, Pilosellæ, Pyrolæ, Saniculæ aliarúmve plantarum, quæ in vulneribus propinantur, ad ea sananda, ad-

ditis Lactucâ, Nympheâ, Acetosâ & floribus Rosarum.

Syrupi ex harum plantarum decocto parari possunt, vel vsitati sumi, in hæmoptoica passione nominati, & præter hos acidus vt syrupus Acetosus, Limonum, Granatorum, Cydoniorum & refrigerans, vt Nympheæ.

Succi itidem enarratarum plantarum, & qui in hæmoptoica passione describuntur, eo modo, vti illic dictum, propinati conueniunt: Et cum illis acidi quoq; succi, ex quibus syrupi parantur: Vti & vinum Granatorum, Omphacium atque Acetum, hisce permisceri, vel in condimentis sumi possunt.

Aquæ destillatæ ex eiusmodi plantis, similiter possunt exhiberi, sicuti in hæmoptoicâ passione declaratum; vti & Acetosæ, Nenupharis & Rosarum.

Pulueres trochiscorum in hæmoptoica passione expositorum hîc quoque competunt, vel etiam ex aliis validiùs quàm in pectoris affectibus necesse sit, adstringentibus parantur, Vt: ℞. Boli vel Terræ sigill. ʒ.ij. lapidis Hæmatit. Coralli rubri an. ʒ.j. Cornu tauri vel Cerui vsti ʒ.ß. Balaust. semin. Plantag. an. ℈.j. fiat puluis.

Conseruæ vtiles florum Rosarum antiqua, Violarum, Nympheæ, Cichorij, foliorũ Acetosæ, conditura radicis Symphiti, &c.

Misturæ seu electuaria, ex conseruis pulueribus & syrupis hisce fiunt; Vel vtimur hoc quod in hæmoptoica passione: ℞. conseru. Rosarum antiq. & conseru. Violarũ, &c.

Potiones itidem ex syruporum, succorum, aquarum & puluerum commistione fiunt: Vel dantur quæ in hæmoptoica passione propositæ fuerunt.

Aliâ vi nimirum ad naturæ facultatem expultricem hanc commotam compescendã, exhibẽtur Narcotica, quæ vti in hæmoptoica passione ostensum, eam ob causam hîc quoque prosunt. Possuntq; eædem Opiatæ illic expositæ vsurpari, vel pilulæ Cynoglossæ, syrupus de Papauere; Vel etiam puluis illic recensitus; Aliáve in doloribus colicis præsertim exposita, eligendo ex illis quæ minùs calida recipiunt, quibus ea contemperari, cùm per se calida sint narcotica, malè putant.

Induntur naribus quę vi siccãte & adstringente, venas apertas cõstringendo claudãt, vel nonnihil adurente crustam obducendo, eas sic obducant, vel emplasticâ suâ substantiâ se illis adglutinãtia, sanguinis effluxum cohibeant. Talia autem vel in forma errhini naribus attrahuntur, vel vnguenti tenuioris spissiorísve cum penicillo aut digito imponuntur, vel linteo spongiolâ exceptâ introtruduntur, aut puluerisata insufflantur: Fiuntque ex sequentibus.

Plantæ aliquæ parùm conquassatæ indi possunt, veluti Plantago, Equisetum, illiúsve radix, Bursa pastoris, Millefolium, Lysimachia aliæ've adstringentes: Probatur & Porrum, Ocymum, Vrtica, Betonica & Ruta à Dioscor.

Succi item harum plantarum attracti vel illiti.

Puluis qui naribus insufflatur, vel albumine Oui addito interdum & Aceto exceptus inditur, sequens conuenit:

℞. Thuris part. ij. Aloës part. j. fiat puluis subtilissimus, qui naribus insuffletur vel excipiatur Albumine oui, addendo interdum parum Aceti, & sic penicillo vel linteo molli aut bombace, excepta indantur. Telæ aranearum vtiliter permiscentur, vel fungus quem Crepitum lupi vocant. Pilos leporis minutim incisos communiter permiscent, verùm cùm adeò minutim incidi, aut conteri nequeant, quin nares pungendo ad sternutationem facilè compellant, satiùs est eos omittere.

Alter simili modo vsurpandus: ℞. Gallarum ʒ.j. Acaciæ, vel Hypocistid. Sanguinis draconis, Mumiæ an. ʒ.ß. Vernicis ℈.j. misce, fiat puluis.

Huic pulueri etiam de priore puluere aliquid misceri poterit, sicque vsurpari.

Tertius valde efficax: ℞. Boli, Gypsi ana ʒ.j. Chalcanti, & Aluminis vstorum an. ʒ.ß. fiat puluis.

Trochiscorum de Succino puluere similiter vti possumus.

Stercus asininum valde probatur, tum arefactum, tum recẽs vel succus inde expressus Aceto dilutus: Addendo quandoque & de prædictis pulueribus vel succis parùm.

Ster-

Stercus suillum similiter in illius penuriâ vsurpari potest.

Cineres item combustarum Chartarum, Panni lintei & Lanei, Pilorũ leporis, Bombacis, Spongiæ, Testarum ouorum per se vel cum Vitello vstarum, item Cochlearum & imprimis Ranarum: Fuligo camino adhærens etiam vtilis.

Sanguis qui è naribus fluit, si compressâ vel obturatâ nare, è qua manat, tamdiu retineatur, donec concrescat, vasa obliterando, vt fluxus illius cohibeatur, efficit. Idem facit, si portio illius qui effluxit, per se vel cum vitello ouorum mista, tosta & vsta, vt puluerisari queat, indatur.

Telæ aranearũ tum solæ, tum farinâ quæ in molendino dispergitur imbutæ: Fungorum item quos crepitus lupi vocant, siccatorum molissima & leuissima substantia lanuginosa: Pappi item florum Salicum aliarumq; plantarum, vti & Populi albi illiusq; foliis adhærens lanugo, priùs in Aceto macerata siccataque, si naribus intrusa, venam quæ sanguinem profundit, tangãt, citò eam obturant, opitulante simul sanguine qui cõcretus illis adhærescit.

Panni lintei vel serícei aut Bombacis, scriptoriis immergi in illisq; retineri ad scribẽdi vsum solitorum exempta aliqua portio, si siccetur naribusque intrudatur; Vti & in puluerem redacta ac immissa, valde iuuat:

Chalcitis & Auripigmentum subactum cum Stercore asini, additis & succis.

Odor Aceti acerrimi iuuat, cui & Camphoram aliqui priùs addunt.

In ore contineat Aquam frigidissimam, sæpè eam vbi tepuerit renouando.

Applicantur extrinsecùs variis corporis sedibus, ad hęmorrhagiam narium sistendã, tum quæ manifestâ qualitate tum occultâ vi operantur.

Manifestâ qualitate illud agentia, sunt quę actuali frigiditate, aliàs etiam potentiali, sanguinis caliditatem feruoremque retundendo, eumque quasi nonnihil coagulando, minùs fluxilem reddunt, atq; vi astrictoriâ vias per quas sanguis labitur, constringendo, cursum ipsius intercipiunt. Quæ sequentibus locis apponuntur.

Colli lateribus, per quæ iugulares venæ & arteriæ ascendentes ad caput, in interiora narium quoque ramos transmittunt, commodissimè applicantur, vt sic scaturiginem huius sanguinis inde prodeuntem aliquo modo intercludant. Quæ & temporibus & fronti apposita illic sanguinem quoque refrigerando & condensando iuuant; Paranturque ex sequentibus.

Epithemata fiunt ex Aquâ & Aceto, ea separatim vel mista cum panno linteo intincto, frigidissima dictis sedibus applicando, quibus & reliqua facies madefieri poterit.

Addi poterit & succus Plantag. & vt meliùs se affigat liquor hæreatque, Albumen oui conquassatum vel Farina volatilis molendini, & loco aquæ communis, aqua Plantaginis, Bursæ pastoris aliæ ve adstringentiũ plantarum, & in delicatioribus aqua florum vel peculi Rosarum sumi: Succus Vrticæ temporibus illitus, admodùm sanguinem fluentem sistere dicitur.

Applicationes aliæ spissiores diutiùs hærentes sic fiunt: ℞. succi Plantag. ℥. iiij. Aceti rubri vel rosarũ ℥. ij. Omphacij ℥. j. ß. Boli ʒ. vj. Sanguinis draconis ℥. ß. Cortic. mali granati aut Balaustior. ʒ. ij. farinæ Tritici vel Amyli ʒ. j. Albuminis oui conquassati numero iij. misceantur: Et sic bombace vel panno excepta applicentur.

Alia: ℞. Gallarũ ℥. j Thuris vel Mastiches, Vernicis an. ℥. ß. Acaciæ vel Hypocistidis loco Licij ʒ. ij. Lapidis hęmatitis ʒ. j, fiat puluis, excipiatur succo conuenienti, vt Plantagin. vel Bursæ pastoris vel Polygoni, vel Lapatij sanguinei aliarúmve plantarũ stipticarum: Item Aceto & Albumine oui, vel infus. gummi Tragachanti: Pro applicatione.

Hisce applicationibus & alij pulueres adstringentes addi possunt, vt Terræ sigillari solitæ, Cimoleæ, Argillæ, Coralli rubr. Spodij, Stercoris asinini vel Suilli, rad. Bistortæ, Nucum cupressi, seminis Myrtillorum.

Emplastra sanguinis fluentis impetum in oculum compescentia, in ophthalmiæ cura descripta, hîc quoque possunt competere. Quale illud est quod valde adstringit, & aliud quod operosum magis esse illic diximus, fronti & temporibꝰ apposita. Item Defen-

fensiuum commune ex bolo ibidem descriptum, quod valde proderit, si ex eo duo emplastra fiant, & colli lateribus vtrinque, supra venas iugulares admoueantur.

Vnguenta etsi inualidiora sint, hisce sedib. quoque inungi possunt, ex oleis astringentibus, vt Rosarum, Omphacino, Myrtillorum, Lentiscino, additis Succis prædictis & Aceto, pulueribusque adstringentibus.

Vel hoc vsurpari, quod post defensiuum prædictum in ophthalmia expositum est.

Cataplasmata ex herbis adstringentibus, quarum succum conuenire diximus, contusis similiter prodesse possunt, sedibus prædictis admota, quibus & alia ex prædictis addere licet.

Testibus, cùm multa vasa sanguinem deferentia admittant, & consensum magnum cum vniuerso corpore habeant, (vti ex mutatione temperamẽti, si castrentur apparet) refrigerantia admota, admodùm narium hæmorrhagiam compescunt.

Vt si foueantur testes, Panno vel Spongiâ madefactâ, vel imbutâ Aquâ frigidissimâ per se existente, vel refrigeratâ niue alióve modo, cùm hîc minùs quàm si circum caput hæc apponeretur, sit periculum. Item Aceto aliísve epithematibus, quæ & collo, temporibus & fronti applicari docuimus. Vel etiã aliæ illic descriptæ applicationes adhibeantur.

Mamillis eadem applicita, cùm & illic venarum sit copia, similiter operari possunt.

Manuum & pedum refrigeratio iterata sæpè pariter iuuat. Quæ fit lotione harum partium cum Aquâ vel Aceto intensè frigidis, vel madefaciendo præcipuè volas, & plantas aut carpi regionem, vbi arteriæ pulsant, hac ratione. Vel Silices, Ferrum aliáve dura corpora frigida, manibus tenenda: Vel pedibus eorum latæ Laminæ ex lapididibus sectæ, vel Plumbo conquassatæ, substernendæ.

Axillis hæc supposita, cùm & illic venarum sit concursus, multùm prçstare possunt.

Corpus vniuersum capite dempto, aquæ frigidæ si immergatur, sanguine vti dictum refrigerato, fluxus illius hac arte quandoq; compescitur, & in robustioribus calidioribusque, annique tempore feruidiore, vsurpari potest, in debilitatis verò iam ex fluxu, omitti.

Hepatis regioni cùm sit sanguinis officina, vt statim sanguis in prima illius generatione temperatior minusq; feruidus gignatur, quę illud nonnihil potẽtiã potiùs quàm actu refrigerant maximeque si calidius sit, illius intemperiem hanc castigent, adhibeantur.

Vtpote epithemata, qualia in curatione hepatis inflammationis, & febrium continuarum putridarum inueniuntur: item iniunctiones & sacculi in cura eorundem affectuum descripta.

Occultâ vi & incognitâ, narium hæmorrhagiam compescere solo contactu, creduntur Amuleta quædam sequentia, si collo appensa, vel circumligata vel manib. gestata versataque corpus nudum attingant.

Ex gemmis parati globuli filo traiecti, vel aliter formati sic vsurpantur: Conuenitque imprimis Iaspis, Sarda Carniola aliàs dicta, Onyx Chalcedonius dictus, Coralliũ item. Quæ & si actu frigida collo circumdata, iugulares & soporales illic arterias ascendentes, tangant, frigiditate simul sanguinis fluorem compescunt.

A' plantis gestata tactaque prosunt, Clematis, Bursa pastoris, radix Bistortæ, Muscus qui cranio humano accrescit, & buxo adnascitur.

In ore retentum lapidem Cyprinũ priùs refrigeratum, citissimè narium hunc fluxũ compescere docent. Quem aliqui esse putant cartilaginem quadratam, capitis & primæ vertebræ articulo interpositam, partim cartilaginosam, partim osseam, & proin eum in palato vel faucibus inueniri docent. Verùm cùm alius lapis in cerebro carpionis inueniatur, propè oculi illius superficiem, qui semilunaris est, duriorque & in reliquis piscibus lapilli ibidem formâ similes quoq; deprehendantur, vt in perca cæterisque, hunc potiùs pro vero haberem. De gemmis prædictis globuli ori quoque inditi, in aqua frigida, vbi incaluerint rursum refrigerati, si extrinsecùs admoti, fluorem hunc compescunt, longè efficaciùs sic adhibiti id

præ-

sic adhibiti id præstabunt. Peruincæ radix, linguæ supposita idem efficere scribitur, & radix Dentis leonis, ore contenta.

Capiti si folia Vrticæ insternantur, atque integumēto ipsius substernantur, sanguinis fluorem è naribus compescere aiunt: vti & si Frons succo Vrticæ admodùm madefiat.

Cùm imaginatio faciat casum, non reticendum, quod multi certissimum remediū esse affirmant, si cum sanguine qui è naribus effluxit, scribatur in fronte patientis, Consummatum est. Reliqua superstitiosa, præsertim impia, lubens prætereo.

In Vitæ regimine cùm quædam vsurpata iuuare possint, alia nocere, illud sic instituendum.

In aëre versetur frigido potiùs quàm calido, eoque obscuro, vel saltem non luce nimiâ, radiisque solaribus illustrato, cùm talis nares irritando, facultatem illius expultricem ad sternutationem vsq; facilè commoueat. Vti & si odore vehementi imbutus naribus trahatur, ob quam rem odorata nimiū vitet. Intuitum ipsius sanguinis aut rerū rubrarum eundem cōmouere vulgò putatur. Quod ab imaginatione fortè procedit.

Cibis vtatur qui huic malo obnoxij sunt, qui sanguinem gignendo, eum minùs fluxilem reddant. Vti crassis & glutinosis Pedibus iuniorum animalium bene coctis, similibusque; Caseo recenti leuiter salito, Oryzatis, Hordeatis, Amylatis: Dein & astringentibus fructibus, Cydoniis, Pyris; Et refrigerantibus oleribus, Intybo, Lactucâ, Portulacâ coctis vel crudis actuque frigidis, in acetariis. Ab aromatibus & salsis caueant.

Potu vtantur Aquæ, & à Vino abstineant, dum hoc affectu premuntur, nisi virium causâ illius concedatur. Et qui facilè in hunc casum incidunt, si à Vino sibi temperare nequeant, ebrietatem tamen vitent: Vinumq; non potens vel dilutum, vel rubrum, & nonnihil austerum bibant.

Quies corporis iuuat, cùm nimius illius motus hunc fluxum concitet. Ideò partes, præsertim loco affecto vicinæ, non nimio motu commoueantur. A' sermone vel longiore vel altiore abstineant. Et inter masticandum nullam violentiam adhibeant, sed moderati sint.

Decubitus supinus, capite decliui, cùm sanguis tunc retrocedat, aliquid adiumenti adferre poterit, si modò non ob hunc situm capitis sanguine in fauces delabente, per os exeat, vel vlteriùs inde descendens, maiorem noxam adferat.

Animi subita cōmotio per terrorem, sanguinem extra fluentem, ad interiora subitò propellendo, sistit. Quæ perterrefaciendo ægrum, si vires ferant, induci poterit. Defectio omnimoda animi in illius deliquio, illud adhuc ampliùs molitur, & citissimè fluorem sanguinis supprimit. Quam datâ operâ, cùm citra periculū non possit fieri, vix conciliare debemus. Spontè tamen ea ex nimia hac per nares profusione superueniēte, hunc fluorē, qui priùs nullis remediis compesci potuit, cessasse, sæpè obseruauimus.

Mēstruorū præternaturalis fluxus vti & reliquarum per vteri sinū sanguinearū excretionum curatio.

Per sinum vteri factæ hæmorrhagiæ, in fœmineo sexu naturales, etsi paulò à mediocritate recedere videantur, sicuti pro naturarum varietate, plus minúsve fluere solent, nondum tamen grauiores affectus inducentes, nō temerè aut per vim erunt supprimendæ. Quòd si verò noxę grauiores, inter quas & hydrops existit, metuantur, aut iam instent, tunc maturè succurrendum. Veluti si menstrua purgatio consueta immoderatiùs vel frequentiùs quàm par erat, eueniat: Vel diu priùs suppressis menstruis, cum tumore ventris vel sine eo, tandem hæc cum magna sanguinis profusione, summoque virium & vitæ discrimine erumpant. Vel si purgatio sanguinea post partum fieri solita, modum excedat, maximè illa quæ est in abortu, copiosissimè sæpè accidit, atque vti & partus præternaturalis est, nec minùs quàm aliæ interdum periculosa. Quæ præternaturalis omnino ex vteri sinu procedens est hęmorrhagia, qualis illa est, quę tempore quo menses ampliùs fluere minimè debebant, senescentibus mulieribus euenit, cùm citra læsionem diutiùs perseuerare nequeat, cura huic similiter debetur, eoque magis, si & hæc immodicè vel sæpè contingat, vel diu duret. A' vi externâ, maximeq; ob congressum, quæ sequitur sanguinis excretio, si in

devirginatione accidat, cùm adeò copiosa non sit, nec ita noceat, & pro bono signo, vti dictum, habeatur, negligitur, præcipuè si menses maturiùs ob hanc refricationem fluant: Si verò ob læsionem graviorem, vel primum hunc aut alios congressus, immoderata sequitur hæmorrhagia, & huic si perseueret, sistendæ cura adhibebitur.

Quæ in extractione lapidis è vesica mulieris, per dilacerationem ceruicis illius, hæmorrhagia oritur, non aliam quàm quæ in aliis vulneribus adhibetur, curam exigit.

Curatio autem in omnibus eiusmodi & menstruis & aliis per vterum factis hæmorrhagiis, instituitur per ea, quæ sanguinem euacuant, & ab vtero aliò retrahunt & deriuant: quæ eum puriorem, crassiorē minusq; fluxilem reddunt; & vias per quas eò defertur, intercipiunt, vel proprietate quadam incognitâ agunt: Vno ex his mediis sequentibus exhibitis a motisve, vel pluribus simul pro ratione causæ in cura procedendo, caussasque ante omnia, quæ hisce fluxionibus occasionem præbuerunt, quales sunt, vis adhibita, ciborum calidorum & acrium vsus, motus corporis vel animi nimius, aliasque tollendo.

Venæ sectio, antequam hæmorrhagiæ ejusmodi superveniant, in illis quæ ob plethorā hisce obnoxiæ sunt, euacuationis gratiâ in brachio instituenda, quæ & in gravidis, si in partu priùs illas passę fuerint, concedenda, cùm cōstet, eam tunc non semel saltem factam, sed & repetitam, in hoc alióve à plethora nato casu, plurimū contulisse, neq; fœtui alimoniam, vti putabatur, subtraxisse.

In ipso etiā paroxysmo, ad sanguinis fluorem hunc, per illius hanc emissionem reuellendo, sistendum, vena in brachio vel manu alióve in superioribus loco aperta, competit, non autem inferioribus, cùm in pedibus facta, menstrua, vt alibi dictum, prouocet. Exigua autem, vt ritè fiat, illius quantitas emittenda erit, & successiuè per vices hoc potiùs faciendum, quam vnâ vice multùm sanguinis emittendum, cùm alioquin corpus per hæmorrhagiam exhauriatur.

Cucurbitula magna vel plures parvæ, sub mammis appositæ, admodum revellendo prosunt, cùm venæ harum, cùm vteri venis magnum consensum habeant. Quæ & dextro hypochondrio, scapulis item affigi possunt. Ligaturæ, Frictiones in extremitatibus factæ, vt in cæteris hæmorrhagiis, sic & istis reuellendo prosunt.

Sudorem frequenter mouere balneo sicco, aliisve, serum exhauriēdo, si illud in sanguine redundans, nimio huic fluori occasionem præbeat, plurimùm ad præcautionem iuuabit, cùm dum hoc affectu laborant, eos ad sudores adigere, & sic corpus accendere, humoresque commouere, noxium ipsis potiùs quàm vtile esset.

Purgantia exhibentur, si sanguis quia sero nimiū abundat vel bile perfusus est, hunc fluxum concitet, ad eum ab hisce repurgandum. Quod commodiùs ad præcauendum, antequā ille fluor oboriatur, perficitur, cùm tunc etiam paulò fortioribus vti, eaque aliquandiu continuare liceat. Quod hæmorrhagiâ iam vrgēte, tutò facere minimè possumus, cùm tunc non solùm vires nonnihil dejectas ampliùs prosternerent, sed & corpus accendendo, irritando & commouendo, fluxionem augerent.

Itaq; si tunc alui quædam lenitio aut purgatio, ob constipationem aut illuviem in primis viis potissimùm collectam requiratur, leuioribus laxantibus id moliendum, illisq; quæ astrictionē aliquam post se relinquunt, vt rhabarbaro, myrobalanis, similibusq; in dysenteria expositis, è quib9 multa hîc quoque possunt competere.

Vt & sequens potio: quæ ℞. Tamarind. Prunor. acidulorū ossibus exemptis an. ℨ.vj. corticum Myrobalan. citrinarum ℥.ß. fiat decoctio in Aqua & tertiâ parte Vini rubri, & in colatura infunde Rhabarbari ℨ.ß. Spicę ℈.j. fiat expressio, adde syrupi Rosarū rubr. siccarū ℥.j. Capiat vna vice: Si folia Senæ in decocto addantur, efficaciùs operabitur, nec dū adeò naturam irritabūt, cùm succus horum, decoctione elicitus, cum succo rhabarbari & colore croceo, & odore aduerso magnam habeat similitudinem, ex quo & viribus non adeò dissentire, colligimus, vti & ex eo, quòd tantopere in variis affectibus vti & biliosis æquè ac rhabarbarum vsurpentur.

Potest

Poteſt & talis hauſtus exhiberi: ℞. cortic. Myrobalan. citrin. puluer. ʒ.ij. infundantur in Vino rubro, addendo & Spicæ ℈.j. fiat expreſsio, adde ſyrupi Roſarum ſolut. ſimplic. ℥.j. Rhabarbari ſubtiliſs. pulueriżati & diligẽter permiſti ℈.ij. vel ʒ.j. Sumat vno hauſtu.

Tryphera Perſica ad ℥.ß. ſumpta, cùm aſtringentia multa & feruorẽ ſanguinis contemperantia recipiat, idem præſtabit.

Compoſitiones alias calidas acres, ſcammoneã vel agaricum, turbith, &c. recipientes exhibere, in largo ſanguinis fluxu, nõ eſt tutum, cùm ſtimulando menſes euocent.

Alterantia exhibemus quæ incraſſando ſanguinem, illiusque feruorem contemperando, viasque aſtringendo, ſanguinem ſiſtunt, ſequentibus formis. Qualia multa in aliis hæmorrhagiis expoſita, & pręcipuè narium & hæmoptoica paſsione, hîc quoque poſſunt cõpetere. Imprimis verò in hiſce vteri fluoribus ſequentia cõmodè exhibẽtur.

Cibentur craſsiorem ſanguinem gignentibus, ex farinis cerealium fructuum & leguminibus vſitatis paratis. Et Carne glutinoſâ, Caſeo recenti. Quibus & Lac acetoſum addunt; Ouis itidem & ſimilibus, in aliis hæmorrhagiis, vti & mictionis immoderatæ cura expoſitis.

Fructibus vtantur aſtringentibus, crudis vel coctis, vel condimẽtis variis ex hiſce paratis, vt Cydoniis, Pyris auſteris, Cornis, Sorbis, Meſpilis, Moris, Rubo, Rubo Idæo, Prunis ſylu. Fragis, Berberis, Ribes, Myrtillis.

Ex oleribus conueniunt Portulaca, Lactuca, Endiuia, Cichorea, Acetoſa, Plantago cocta in iuſculis, vel cruda in Acetariis; Quibus & aliæ plantæ, in decoctis expoſitæ, quę minùs ſapore medicamentoſo nauſeam pariunt, addi poſſunt.

Decocta vel vnâ vel pluribus vicibus bibant, quæ ſi diutiùs aſſeruari debent, in formam ſyrupi priùs rediguntur.

E' quibus ſyrupis vſitatis confert imprimis Myrteus vel Myrtillorum, de Roſis rubris ſiccis paratus.

Vel fiat tale decoctum: ℞. radicum Conſolidæ ℥.j. herb. Plantag. cum radic. Burſę paſtoris, Millefolij ana M.j. flor. Roſar. rubr. P.j. Balauſt. ʒ.ij. ſem. Myrtillorum, Plantag. ana ʒ.j. fiat decoctio in Aqua pluuiali vel ferrata aut chalybeata, adde colaturæ Sacchari q.ſ. fiat potio pro tribus vicibus, vel cũ Saccharo coquatur in formam ſyrupi ad vſum.

Ex aliis etiam variis decocta fieri poſſunt, in hanc rem idonea, è quibus multa in aliis quoq; hęmorrhagiis fuerunt expoſita. Veluti ex decocto herbarum, ex quibus & vulnerariæ dictæ parantur potiones, vt ex Pyrolâ, Agrimoniâ, Caudâ equinâ, Saniculâ, Potentillâ, Piloſellâ, Conſolidis, Polygono, Fragariâ, Auriculâ vrſi, Sumach, Virgâ paſtoris, Pulmonariâ, Lapatho ſanguinario, Sanguiſorbâ, Acetoſâ, Portulacâ, Lunariâ, Ocymaſtro, Menthâ, Perſicariâ maior. Phœnice, Symphyto petræo, Flore ſolis cum radic. foliis Myrti, Lentiſci, Oleæ, Quercus, Rubi: Item ex rad. Gariophyllat. Rubi Ideæ, Nympheę & floribus Medij, Peucedani: Ex ligno Sãtali rubri, Braſilij, Loti arbor. cortic. Oleæ, nucleis Granatorum, Roſarum: Vuarum.

Ex ſpica Milij Indici, Amaranthi purpur.

Succi aliqui propinantur, vel crudi vel cocti in formam Syrupi aut rob. Veluti ſunt ex vſitatis ſuccis fructuum acidorum & auſterorum, Cydon. Granat. Ribes, Berberis. Qui & ſucci citra coctionẽ ſi addito ſaccharo in ſole efferueſcant, vinoſum ſaporem & odorem adipiſcentes, gratiores fiunt. In tabulas quoque eiuſmodi ſucci cum ſaccharo cocti rediguntur, valde ſuaues & elegãtes, addendo inſuper aquam Roſarum, Plantag. aliáſve. Sed & horum ſuccorũ loco alij quoque acidi, vt Citri, &c. in has formas redacti, vſurpari poſſunt.

Plantarum quarundam ſucci ſimiliter exhiberi poſſunt, per ſe, vel cocti, veluti ex vſitatis ſucci Plantagin. Acetoſæ, Portulacæ, in ſyrupos redacti. Quâ ratione alij, vt Burſæ paſtoris, Millefolij, aut ab enarratis in decocto plantis expreſsi dari poſſunt. Et vt docet Dioſcorid. ſucci Clymeni & Barbæ hirci ac Perſicariæ.

Aquæ quæ bibuntur vel cum aliis miſtæ ſumuntur, Plantaginis, Roſarum rubr. illarumque cuſpidum, Burſæ paſtoris, Portulacæ, Acetoſæ, aliarumq; ſupradictarum plantarum: Aliqui Limacum etiam probant: Aqua itidem extinctionis ferri conuenit.

Mucilaginosa à quibusdam exhibita probantur, vt Albumen oui, mucago sem. Cydon. infus. Gummi tragach. &c.

Conserua Rosarum antiqua, & Morselli ex Rosar. rubr. puluere cum Saccharo cocto paratæ competunt. Item conditum vel conserua radic. Consolidæ. Efficax est & conserua ex floribus Mali punicæ parata: Vel aliæ ex Acetosâ aliisve plantis supradictis quibusdam ipsarúmve radicibus aut floribus paratæ conseruæ & conditurae.

Pulueres qui per se vel cũ additione Sacchari rosac. sumuntur, vel cum Vino aut Aquis bibuntur, aut electuariis vel potionibus miscẽtur, ex vsitatis sunt, trochiscorum quorundam sequentium pulueres.

De Charabe vel succino dictorum, qui ℞. succinum, gũmi arabic. tragach. mastichem, thus, laccam, acaciam, hypocistidem, cornu cerui vstum, corallia, balaustia, sem. papau. nigri, crocum, mucilagin. psylij.

De Terra lemnia trochisci: ℞. terram lemniam, bolum, hæmatitem, corallia, margaritas, cornu cerui vstum, spodium ex ebore, succinum, gummi arabic. tragach. thus, acaciam, hypocistidem, sanguinem draconis, rosas, balaustia, semen portulacæ, rosarum, papau. nigri, gallas, amylum assum, aquam plantag.

De Spodio trochisci ℞. spodium, gummi arabic. semen acetosæ, portulacæ, coriandri, gran. sumach, berberis, amylum torrefactũ, omphacium.

Horum loco sequentes fieri possunt pulueres, quorum hic à plantis concinnatus sequentibus vel paucioribus etiam: ℞. foliorum Plantag. vel Agrimoniæ vel Equiseti, Myrti vel Quercus, florum Rosarum, Balaust. ana ʒ.j. semin. Plantag. Acetosę vel Lapatij, Portulacæ, Coriandri præpar. Cimini torrefact. ana ʒ.ß. Nucis cupressi vel gallarũ, granorum Myrti vel Myrtillorum, Berberis vel Oxyachanthæ, Sumach, nucleorum Rosarum vel Granatorum, Vuarũ ana ʒ.j. cortic. inter. rubri Auellan. Castanearum vel Glandium ana ℈.j. Santali rubri, Nucis cupress. ana ʒ.ß. Spicæ ℈.ß. Acaciæ vel Hypocistidis, Gummi arabic. Thuris vel Mastiches, Sanguinis draconis ana ℈.j. fiat puluis, qui exceptus infusione gummi Tragachanti factâ in aqua Rosarum vel Plantag. in trochiscos fingatur, si asseruari diutiùs debet.

Alius ex aliis sic fit: ℞. Succini, Coralli rubr. Boli vel Terræ lemniæ ana ʒ.j.ß. lapid. Hæmatitis ʒ.ß. Margaritar. ℈.j. Cornu cerui vsti, Spodij ex ebore ana ʒ.j. Ossis sepiæ ʒ.ß. cinerum test. Ouorum ℈.j. fiat puluis ad vsum vti prior.

Ex commistione horum efficacior redditur, vel permistione etiam sequentium, ex quibus & alij formari possunt. Veluti ex cortice Suberis, Granat. inuolucro Palmularũ, lanugine in fructibus Rosarum, Bedeguar in rubis, Glandibus, Castaneis tostis, baccis Virgæ sanguineę, testis Nucum, ossibus Dactylorum vstis, cineribus Vrticæ mortuæ, fructibus siccatis cum nucleis Mororum, Sorborum, Cornorum, Mespilorum, seminibus Limonij, Iunci marin. Nympheæ, Pæoniæ, Tragij ricinis, Mumiâ, Coagulo hœdi, leporis, alióve, pelle Anguillæ, lapidibus Pretiosis, Iaspide & Conchaceis vstis. Alij insuper Scoriam ferri addunt.

Misturæ diuersimodè ex prædictis fiunt, vt Iulepi, aquas cum syrupis commiscendo: Vel aliæ potiones ex illis vel decoctis & pulueribus: Vel electuaria ex conseruis, syrupis, pulueribus.

Pilulæ ex supradictis ingratis præcipuè fieri possunt pulueribus, vt minori molestiâ assumantur. Vel fiunt ex Scoria ferri priùs in Aceto dum ignita est, extinctâ, vel Ferri limaturâ, hoc pacto potiùs quàm cum aqua forti in crocum Martis dictum redactâ, quâ tamen exhibitam mulieres steriles reddere aliqui docent: Item ex Stercore caprarum sicco, quod alij probant. Quibus & alia addi possunt, & cum syrupo conuenienti in pilulas formari.

Murium maiorum stercora nouem deglutita, aliquæ mulieres pro singulari & pro experimento habent.

In hæmorrhoidum nimio fluxu descripta quædam vsitata, etiam hîc competere possunt. Veluti pilulæ de Bdellio, Micleta, electuar. de baccis Myrthi, & confectio Rhazis, de scoria seu stercore Ferri.

Narcotica vti alias multas hæmorrhagias,

gias, sic & mensium hisq; similes remorantur, & quia somnum inducunt, illeq; omnes excretiones sistit præter sudores, eo nomine quoque conueniunt. Dando eas compositiones, quæ præter ea quæ sanguinem sistunt, etiam opium recipiunt, in aliis etiam hæmorrhagiis expositas. Veluti trochisc. de Terra sigillata, de Succino cum opio paratos; & Diacorallium Galeni, Philoniū Persicum, aliáve quæ Terram Samiam vel Lemniam, Bolum, Corallia, Amylum, Hypocistid. Balaustia, succum Plantaginis, atque ex narcoticis semen Hyosquiami & Opium continent: Præter quæ & aliis narcoticis, vt syrupo de Papauere, decocto capitum Papaueris, aliisve in doloribus colicis potissimùm descriptis, si ea quæ fluxum sistunt, vt syrupum Myrtillorum, Bolum, Acaciam similiaque addas, accommodata quoque sic reddes. Imprimisque conducet, si seminis Hyosquiami ℈.j. cum enarratorum portiunculâ misceas, sicque exhibeas. Vel eo modo sicuti in hęmoptoica passione conuenire diximus. Cuius loco & semen Papau. nigri alij exhibent.

Extrinsecùs inunctiones & applicationes aliæ fiunt, circa lumborum renum & pubis regionem, quæ idem vti ea quę exhibentur, præstando, sanguinem sistant.

Olea inunguntur hisce sedibus ex vsitatis Rosaceum simplex vel Omphacinum, Myrtillorum vel Myrtinum, Cydoniorum, Mastichinum.

Vel Oleum in quo fructus austeri nō plenè maturi siccati, vel recentes aut succi ipsorum cocti fuerint: Veluti Pyrorum, Prunorum sylu. Mespilorum, Cornorum, Sorborum: Vel succi Plantagin. Bursæ pastoris, Polygoni, fol. Rubi, Quercus similiumque, addendo & Acetum rubrum pari cum oleo mensurâ, & decoquendo ad succorum consumptionem vsque.

Stupefaciendi vim aliquam habentia olea, circa vteri regionem inuncta, etiam prodesse putant: quæ hisce viribus, quibus sensum minuunt, vti cùm assumuntur narcotica, hac ratione quoque fluxum sistere diximus potiùs quam refrigerando, vti putant, illud præstabunt; [illegible] Oleum Hyosquiami vel aliud in quo opium dissolutum, vel cortex Mandragoræ aliáve narcotica cocta fuerint, inungitur.

Vnguenta inunguntur, ex vsitatis præcipuè illud quod Comitissæ vocant, & præ cæteris efficax est. Quod fit ex sequentibus decoctis in aqua plantag. vt cortic. med. glandium, quercus, castanearum, cortic. fabarum, radic. chelidonij vel potiùs bistortę aut tormentillæ, fol. caudæ equinæ, capparum, prunorum sylu. fructibus sicc. mespilorum, sorborum, capul. glandium, gallarum, baccis myrti, vuarum acinis; miscendo hisce pulueres cortic. medior. prædictor. & gallarum, bacc. myrti, vuarum acinor. sorborum, hypocist. cineres ossium cruris bubuli, trochiscos de charabe, oleum myrtillorum & ceram.

Alia ex vsitatis vnguenta sunt Rosaceum, Refrigerans renes. Quæ renibus potiùs, vt refrigerando si calidiores sint, illorum calorem retundendo, & sanguinis, qui ab emulgentibus copiosè illis infunditur, feruorem impetumque compescendo, sic minùs fluxilem reddant, inunguntur.

Dein & emplastrum pro Ruptura vteri regioni ante retróve admotum, admodum adstringendo, hunc fluxum cohibet.

Vel horum loco sequens paretur vnguentum: Quod ℞. radic. Bistortæ vel Tormentillæ, Gallarum vel capul. Glandium vel nucum Cupressi, cortic. Granat. ana ℥. j. ß. Balaust. vel Psidiorum, bacc. Myrtillorum vel Myrti, acinorum vuarum nigr. Acaciæ vel Hypocistid. ana ʒ.j. Sangu. draconis ʒ.ß. Boli puri ʒ. j. ß. Corall. rubr. ʒ. j. Mastiches vel Thuris ʒ. ij. olei Rosacei vel alterius ex supradictis vsitatis, in quo & Acetum ad consumpt. priùs coctum fuerit, vel Compositi q. s. ad excipienda hæc, & redigenda cum additâ Cerâ in formam vnguenti: Vel addendo insuper Resinam & Picem q. s. ad emplastrum formandum; Conuenientq; hæc ampliùs si vtrinque anteriùs posteriusque hæc simul applicentur. Quæ & plantis pedum admota iuuare creduntur.

Multa alia quæ hisce adduntur astringentia & refrigerantia, cùm inualidiora sint extrinsecùs admota, studio omittimus. Vti &

trochiscos de charabe, de terra sigillata, ramich similesque, qui dũ assumuntur rectiùs, quàm cùm foris admouentur, operantur.

Fotus supra pubis sedem, vel etiam supra ipsa pudenda simul adhibendi, vel Insessiones ad hæc loca vsque pertingentes, ex decocto fiunt sequentium, nimirum radic. Bistortæ, Tormentillæ, Pentaphylli, Acori palustr. Symphyti maioris cum foliis, cortic. Granatorum, herb. Plantagin. cum radic. Bursæ pastoris, Polygoni, Rubi, Equiseti, Sumach, Verbasci, Tamaricis. Quibus & Saluiam & Mentam, quam menstrua sistere docet Diosc. addunt, & flor. Rosar. rubr. Balaust. ac Psidiarum: Item Gallas, capul. Glandium, Nuces cupressi, grana Myrtill. Sumach, Pruna sylu. aliósve austeros fructus, Acaciam & Hypocistidem aliósve: addendo si validius reddere velimus, in decoctione Gypsum vstum, Bolum: vel Alumen aut Vitreolũ; & decoquẽdo in aquâ ferratâ & Vino rubro stiptico, vel etiam addito pauco aceto.

Epithema iisdem sedibus adhibitum, ex aquæ Plantag. & Bursæ pastor. part. duabus & vnâ aceti, vtile est. Quod & plãtis pedum admotum cum Spongia competit.

Vti &, si ex aceto in quo Alumen decoctum fuerit, hoc fiat.

Cataplasma hoc hisce sedibus quibus fotus apponi potest, admoueatur: ℞. Plantag. Bursæ pastor. Herniariæ, Mentæ ana M.j. coquantur in Vino rubr. contundantur, adde farin. Lentium ℔.ß. Stercoris capræ, asini vel porci in furno exiccati ℥.ij. Acaciæ vel Hypocistid. ℥.ß. Sanguinis draconis, Thuris ana ʒ.ij. Gypsi vsti, Boli ana ℥.j. misceantur omnia, & portio illius excipiatur Albumine oui & aceto, & sic vteri sedi appositũ donec siccetur, retineatur. Vel miscendo ol. Rosaceum, Myrtillorum aliúdve, sic applicetur.

In sinum uteri ceruicis indita vel iniecta, cùm venarum menstrualium illic pateant oscula, ea occludendo vi astrictoriâ aut emplasticâ, multùm in fluxu hoc sistendo possunt efficere, vti & alio, si è fundo vteri sanguis profluat, nã etsi iniectiones eũ minimè subintrent, tamen vires eousq; extendunt.

Injectiones sic competent factæ ex decocto, pro fotu enarrato; Vel fiant ex succis illarum herbarum, imprimis Plantag. Bursæ pastor. Millefolij, Caudæ equinæ, Polygoni. Quibus vtrisque misceri etiam illa possunt, quæ in fotu eodem fuerunt exposita.

Vel fiat talis: ℞. Decocti vel succi ex iam dictis plantis ℔.j. misce Acaciæ vel Hypocistidis vel Omphacij ʒ.vj. Sanguinis draconis ʒ.ij. Boli ℥.ß. Succi rubri qui à lapid. Hęmatite ꝑ attritionẽ elicitur ℥.ß. Stercoris asini vel porci ʒ.ij. misce: Pro iniectione: Magis astringet si parũ Vitreoli aut Chalcitidis misceas.

Aliarum quarundam herb. decoctum vel succi similiter injici possunt: Vel iam dictis admisceri: Vt Lysimachiæ, Barbæ caprę, Coriandri, Achileiæ, Moly, Semperuiui.

Pessaria diuersimodè concinnata immittenda, fierique possunt ex Vnguento comitissæ, vel illo quod descripsimus, Petiâ vel Lanâ exceptis, sicque immissis

Vel ex herbis cõtusis prædictar. plantarũ, sacculo ritè formato impositis sicq; intrusis.

Aut hoc pacto: ℞. Gallarum ℥.j.ß. capul. Glandiũ ℥.j. Amydi, radic. Bistortæ vel Tormentill. ana ℥.ß. Balaust. semin. Myrtill. ana ʒ.ij. Thuris ʒ.iij. Acaciæ, Sanguinis draconis an. ʒ.ij. lapid. Hæmatit. ʒ.j. puluerisentur subtilissimè, excipiantur Albumine oui, succo Plantagin. & pauco aceto, fiant pessaria.

Vel: ℞. cortic. Granatorum ℥.j.ß. Nucum cupress. ℥.j. farin. Lentium, radic. Lapatij ana ℥.ß. Rosarum rubr. granorum Sumach ana ʒ.ij. Mastiches ʒ.iij. Mumiæ, Hypocistid. ana ʒ.j.ß. gummi Arabic. ʒ.j. Boli vel Rubricę fabril. ℥.ß. Aluminis vel Vitreoli ʒ.j. Stercoris caprini sicci ʒ.ij. excipiantur puluer. infus. gummi Tragach. add. Omphacium, vel Vini fæcem: Pro pessariis.

Hisce & alia addi possunt: veluti pulueres aliarum radicum & herbarum astringẽtium siccatarum: Item cineres de Quercu, Pappi florum salicum aliorumq; in pappos abeuntiũ, Crepitus lupi dicti siccati leuissima pulpa, Telę aranearum, Stercus leporinum, Rubigo ferri secundùm Dioscor. & Morochtus lapis, corallia: Dein & Trochisci de charabe, de Terra sigillata: Micletam alij addunt.

Ex cineribus calidis, cum Vino rubro calido vel succo Plantag. & Album. oui subactis formatum pessarium, experimentum est

quarun-

quarundam mulierum, quibus tamen nimiùm feruidis impositis, quædam vterum admodùm corrupit.

Suffitum à decocto feruido exsurgentem in vteri sinum admittat; Vel hunc fumum excipiat fœmina: ℞. Thuris Masticheς ana ℥.ij. Ladani ℥.j. Succini, Nucis cupressi, Rosarum rubr. Balaustior. ana ℥.ß. Spicæ ℈.j. cum infus. gummi Tragach. factâ in aqua Rosarum, fiant trochisci: Pro fumo.

Ex Vngula asini vel equi, Pelle anguillæ exiccatâ, Soleis, veterib. & cornu cerui vstis, fumus exceptus probatur. Quibus & boni odoris gratiâ, Thus & Mastiche addatur.

Aceti fusi supra scoriam aut laminam ferri, fumus admissus.

Hepatis sedi in dextro hypochõdrio, prȩsertim si calidius sit hepar & imbecillius, ephithemata, vnguenta, cerata, refrigerantia vicusque hoc roborantia, ad sanguinis fluxum nonnihil moderandum, etiam aliquid adiumenti adferent: Vti & in narium hæmorrhagia ea competere diximus, eorúmque illic meminimus, & in inflammatione hepatis descripsimus, quæ & hîc conueniunt, vti & vsitatum illud Ceratum santali.

Amuleta ad sanguinem sistendum, corpori appensa, aut manibus retenta esse creduntur, Lapis hæmatites, Corallia rubra, Carniola, Onyx, Iaspis: Item Chelidonium maius, Potentilla, Phœnix, Acetosa, Clematis peruinca dicta, cruribus aut fœmoribus alligata: Oua conquassata cum bombace intincto, plantis pedum apposita, & cùm siccantur, denuò repetita.

Hæmorrhoidum fluxus p̄ternaturalis curatio. Per podicem erumpens Hȩmorrhoidum fluxus, etiamsi non sit consuetus vti menstruus, ac proin illis, quos primùm inuadit molestus & fastidiosus, impediri tamen nec supprimi vllo modo debet, cùm natura per eum, vti dictum, vtiles & necessarias euacuationes moliendo, morbos imminentes sæpè auertat, præsentesq; curet.

Quòd si tamen vel quia nimiâ copiâ fluunt, aut diutiùs durant, vel frequentiùs redeunt, vires inde labefactentur, tunc hisce moderandis vel sistendis animus adhibebitur, curaque tunc eodem ferè modo, vti & in mensium fluore immoderato ostensum, per euacuantia atque alterantia perficietur.

Euacuationes variæ instituuntur, inter quas Sãguinis missio per venã sectam tunc competet, si ob illius redundantiam in venis meseraicis fluor nimius ille hȩmorrhoidum proueniat, licet enim tunc sanguis ab illis per venam apertã minimè effluat, cùm nullibi hæ venæ cutem attingant, quia tamen vena caua per eam aliquo pacto à sanguine exhausta, à meseraicis sanguinem rapit, eo pacto per reuulsionem aliqua fit illius inde quoq; euacuatio. Præsertimq; per largam aliquam, è vena patente in brachio aut manu sectâ factam sanguinis detractionem: Vel etiam alicuius in crure aut pede apparentis & manifestæ venæ sectionem, è qua sanguis extractus, non hæmorrhoidũ vti menstruũ fluxum concitat, cùm hȩ venȩ cum hæmorrhoidalibus minimè, vti verò cum iis è quibus mẽstrua prodeũt, cõtinuentur, & proin non attrahẽdo, sed vti dictũ, reuellendo, per sanguinis hãc emissionẽ hȩmorrhoides potiùs sistantur quàm commoueantur.

Scarificationes, Cucurbitulæ Ligaturæ, Frictiones, licèt reuellendo in hæmorrhagiis aliis, in quib. è venȩ cauæ ramis sanguis promanat, competant, hîc tamen cum neque sanguinem è vena caua exhaurire, aut à meseraicis aliò eum deriuare queant, parùm proderunt.

Per aluum deiectiones promouẽtur, tum si illa constipata sit, aut excremẽta dura sint, ne ob conatum, vel impulsum, hæmorrhoides aperiantur, vel iam fluentes ampliùs impellantur. Idq; laxantibus aluum & fæces emollientibus exhibitis, in deiectionis defectu, aliisq; in locis descriptis. Quæ humores purgant, quoque propinantur, si ob bilis in sanguine venarum meseraicarum, aut alterius illuuiei nimiam copiam, hæmorrhoides immoderatiùs fluant, ad prȩcautionem, antequã hæ superueniant, in illis qui hisce obnoxij sunt, frequenter & decenter purgando, prouentum horum excremẽtorum, & ne illa congerantur impediendo, idq; medicamentis bili tam flauæ quàm atræ, quam ex flaua in eam degenerante potiùs quàm fæce sanguinis nasci putamus, expurgandæ dicatis passimque expositis, quod

eò tutiùs antequam illæ fluere incipiant, perficietur, maioreque successu, cùm humores illi excrementitij, in primis hisce viis latentes; citiùs purgantibus administratis, à natura ad intestina propellantur.

Verùm nec cùm iam fluunt hæmorrhoides, ob eandem causam, purgationes erunt negligendæ, sed vt eiusmodi excrementa ad intestina diuertantur, sicque ne hæmorrhoidum illum fluxum nimium concitent impediatur, instituendę. Quod exhibitis illis præstabimus, quæ etsi naturā ad deiectionē per aluum sollicitant, tamen non adeò irritant, vt fluxus ille hæmorrhoidalis ampliùs per ea commoueatur. Eoque nomine non validis & calidis acribúsve illud moliemur catharcticis, sed leuioribus & astrictione aliquâ præditis purgantibus. Qualia & in aliis hæmorrhagiis, & imprimis in mensium nimio fluore competere diximus, illicque descripta sunt, ex Rhabarbaro, Myrobalanis, syrupo Rosarum solutiuo similibusque prępąrata: Vti & Tryphera persicâ.

Alterantibus, ad hæmorrhoides, eodem modo, vti & menses immoderatos sistendos, per ea quæ sanguinem incrassant, contemperant, viasq; adstringunt procedimus.

Exhibitaque hoc præstant pleraque ex illis, quæ menses sistere diximus, vti Cibi illic expositi, crassiorem sanguinem, eumque minùs feruidum & biliosum gignentes, vnde postea sanguis in venis meseraicis, temperatior redditus, minùs fit fluxilis.

Ex medicamentis in mensium fluore enarratis, hîc quoq; competet præcipuè, Decocta, Syrupi, Succi, Conserue, Pulueres, Misturæ, illic descripta: quorum vis cùm per intestina ad venas meseraicas vti & hęmorrhoidales, proximè intestinis adnexas, mox perueniat, citiùs etiam in hac quàm aliâ hæmorrhagiâ operabuntur.

Præter hęc ad hæmorhoides sistendas ex vsitatis Micleta dicta etiam cōuenit, ex myrobalan. quinq; generibus tostis, balaustiis, semin. nasturtij, cumini, anisi, fœniculi, ameos, carui, in aceto maceratis, antispodio, mastiche, gummi arabico, puluere rhois, syrupo myrtillorum concinnata.

Item electuar. de baccis Myrti ex semine isto, myrobalan. semin. anisi, cumini, apij, in aceto macerat. syrupo cydon. paratum.

Dein & Confectio de stercore ferri seu scoria Rhazis, ex myrobalan. squænantho, cypero, zingib. pipere, ammi, thure, stercore ferri, præparata.

Imprimisq; pilulę de Bdellio dictę, in hoc casu maximè commendantur, quæ myrobalanorum quatuor genera, bdellium, succinum, concham veneream, semen ameos, & succum porri recipiunt. Sunt & minores dictæ, ex myrobalanis solis & bdellio concinnatæ. Quibus & scoriā ferri aliqui addunt.

Narcotica in mensium fluoris curâ enarrata exposita, si necessitas exigat, visque expultrix admodùm sit excitata, ad eam consopiendam, plurimùm iuuabunt.

Extrinsecùs ad venas hęmorrhoidales apertas, occludendas stringendasque, loco illis proximo, podici scilicet, sequentia adhibentur.

Fouendus per fomenta admota, vel insessus actu frigidos vel saltem temperatos, ex decoctione Verbasci quem Tapsum barbatum vocant, qui peculiariter hæmorrhoidū fluori & dolori appropriatus est, facta in Vino rubro aut Aquâ extinctionis ferri.

Cui & alia in decocto addi possunt, vel etiam permisceri, in fotu menstruorum nimio fluori conuenienti exposita.

Cataplasma ibidem descriptum, similiter ano impositum vtile erit: Vel ex residentia illic quoque enarrati fotus paratum; Cui & Libanotis & Clematis addi poterunt; Oleaque illic enarrata.

Vel sequens paratu facilè: ℞. Tapsi barbati, Plantag. cum radicibus, fol. Quercus ana M. j. Semperuiui maior. vel Solani P. j. Gallarum ℥. j. Aluminis vel Vitreoli ʒ. ij. fiat decoctio in Vino rubro & Aquâ ferratâ, residentia contundatur, addendo olei Myrtillorum ℥. j. ß. fiat Cataplasma.

Hisce & pulpa Cydon. Mespilorum aliorumque fructuum adstringentium permisceri poterit.

Vnguenta podici & in ambitu illius inunguntur, vel cerata, emplastra, illis locis apponuntur: Veluti ex vsitatis vnguentum Comitissæ, emplastrum pro Ruptura.

Vel

Vel sequenti modo parentur: ℞. radic. Bistortæ ʒ.ij. Gallarum ℥.ß. Thuris ʒ.ij. Acaciæ vel Sangu. draconis ʒ.j.ß. Boli ℥.ß. Scorię ferri ʒ.ij. fiat puluis tenuissimus, subigatur oleo Rosarum omphacino vel Myrtillorũ, vel in quo succi Tapsi barbati, Plantag. Bursæ pastoris, Linguæ passerinæ, vel Rubi vel Ocymi, æquali cum oleis pondere, addito etiam parùm aceti rubri ad consumptionem vsque decocti sint, atque additâ Cerâ fiat vnguẽtum vel ceratum, aut Resinâ, & fiat emplastrum.

Aliud vnguẽtum vel emplastrum in mensium hæmorrhagiâ sistendâ expositum, podici admotum hîc quoq; competet. Pinguedo Anguillæ quę dum torretur exsudat, hisce addita, proprietate quadam agens, ipsa efficaciora reddit.

Efficacius hoc emplastrum operabitur, si omisso oleo, pulueres horum emplastrorum Succis, & Albumin. oui excepti, aut Mucilagine seminis Psylij vel infus. gummi Tragachanti, factis in aquâ Plantag. hoc pacto emplastri instar supra anum apponantur. Et antequã penitùs siccentur, tunc enim non sine labore & dolore in adultis auelluntur, rursum detrahantur, iterumq; reiterentur. Vel ne arescat, loco glutinis syrupo Myrtillorũ vel alio astringente in formam emplastri redigantur, quod tunc diutiùs retineri poterit.

Hisce & alij pulueres permisceri possunt; Veluti osium Myrobalan. & Dactylorum vstorum, Spongiarum rubi, Echinorum castanearum, Lagopi paniculorum cinis, Mumiæ, Succini, Mastiches, Cornu cerui vsti, Oui cum testa assi, Cerussę, Antimonij, Lithargyrij, Lapid. hæmatitis, &c. Fuligo furni si nigredo non metuatur, addita conuenit.

Hoc quoq; emplastrum egregiè hunc fluxum sistit: quod ℞. Aloës, Thuris, Boli vel Gypsi ana ʒ.ß. Sanguinis draconis vel Acacię aut Hypocistidis ʒ.ij. puluerisata excipiãtur glutine supradicto, vel syrupis, & applicetur, sæpeq; ne validiùs hæreat, repetatur.

Induntur in interiora podicis, quæ oscula venarum reserata iterum coarctent vel obliterent: Veluti de enarratis vnguẽtis & emplastris portio, quę bõbace vel linteolo molli aut spongiolâ excepta, in anum inauditur,

Vel de pessariis, quæ vteri sinui in mẽsium fluore compescendo indi diximus, hîc ano si ea ferre possint, supponuntur.

Quòd si hisce podex ad dejectionem motus, ea rursum excutiat, ea quæ minùs irritant, supponenda. Qualia hæc sunt suppositoria: ℞. Colophoniæ, Thuris ana ʒ.iij. Boli ℥.ß. Cerussæ, Plumbi vsti ana ʒ.j. Acaciæ ʒ.ß. subtilissimè trita excipiantur Albumine oui, vel alio glutine & Cerâ pro formandis suppositoriis.

Fungus qui Crepitus lupi nominatur, siccatus leuissimus & subtilissimus in podicẽ insertus, admodùm fluorem sistit. Vti & Telæ aranearum, & Leporis pili subtilissimi.

Iniectiones per syringam in anum fiunt, ex succo Plantag. aliisve supradictis. Vel etiã illæ iniectiones, quæ vt in mensium fluore vtero, ita hîc in podicem injiciendæ. Sanguis humanus vel aliorum animalium feruidus adhuc iniectus, mirabiliter aluũ fluentem cohibet. Pulmo arietis modò exemptus, tepens adhuc & cruentus, podici subiectus, magnam in sanguine sistendo habet efficaciam.

Suffitus ex decoctis supradictis pro fotu, ano excepti competunt, vti & alij in mensium fluore expositi: Atque in dysenteria expositæ suffumigationes & fumi: Bdellij item accensi.

Venæ hæmorrhoidali fluenti, quædam etiam adhibentur, si illa appareat: quod fiet si æger per conatum validum podicẽ eousq; exprimat, donec conspicua fiat, adhibito insuper si necesse sit, instrumẽto, ad eum nonnihil inuertendum, tuncque venæ validissimè siccantia, Bolus, lapis Amianthus, Alumen vstum, puluis vitreoli & similia; vel etiã necessitate vrgente, nonnihil venam adurẽtia; sed cautè, ne rectum intestinum quod summè sensile est, lædant, admouenda: Vt sunt puluis radic. Caulium, Stercoris canini, Fæx vini vsta. Quibus & Chalcanthum addere possumus. Oleo vitreoli venam tangere, efficax est remedium, vel in extremo periculo, Aquâ forti appellatâ.

Cauteriis aliis potentialibus vti, cùm diu subsistere nequeant, incommodum & periculosum. Actuale tamen, cùm solo contactu

mox operetur, extremum erit remedium.

Vti & si vena volsellâ apprehensa atq; eleuata, & filo sericeo vel setâ cum acu subducto ea vinciri posit.

Hepatis regioni vti & lienis, cùm venæ meseraicæ, visceribus hisce inserantur, proximæq; sint, præsertim si hæc calidiora sint, aut debiliora, non inutiliter epithemata atque vnguenta refrigerantia, visceraque hæc roborantia applicantur. Qualia in horum viscerum intemperie calida & inflammatione descripta sunt.

Sanguinearum excretionũ è variis orificiis, ob solutionem continui factarũ, curatio.

A solutione continui variæ læsiones partium, illarumq; venarum profectarum sanguinis excretionum cura, secundùm loca è quibus procedunt, distinguitur.

Ex oculis si sanguis ob adnatæ tunicæ attritionem, vel læsionem ex contusione aut vulnere inflicto, effluat, cura in oculorũ eiusmodi læsionibus, in doloribus exposita fuit.

Ex auribus si sanguis excernatur, ob læsionem ab immissis, ea quæ in vulnere aurium exposita fuerunt, hîc quoq; locum habebunt. Si ex capitis violenta contusione, huic potiùs cura accommodabitur, cùm in fluxu hoc vti in illa, non tantùm sit periculi, illeque aliàs non diu perseuerare soleat.

E virgæ virilis ductu si sanguis promanet, ob catheterem intrusum, vel calculum cum difficultate has angustias pertranseuntem, cùm nullius ferè sit momenti, vix illius causâ aliquid moliendum, vti verò si ardor inde vrinæ subsequatur, aut exulceratio metuatur, hisce maximè prospiciendum, túncque cura (vt in illis locis dictum) iis accommodanda.

Ex meatu ceruicis vteri profluens sanguis, ob dilacerationem illic factam in vesicæ calculi extractione, cùm sponte iterum remittat, non aliam curam, quàm quæ vulneri & dolori debetur, requirit.

Ex vteri sinu læso ob partum difficilem, vel congressum impetuosum, si hæmorrhagia proficiscatur, cura non alia quàm illa quę aliis per hanc viam hæmorrhagiis ab anastomosi natis, huic debebitur.

E podice ab excretis per eum, vel intrusis in eum, læso, si hæmorrhoidalis fluxus sequatur, cura eadem quæ in alio immoderato exposita fuit, hîc quoque instituenda. Si verò paucus tantùm sanguis exeat, cura læsioni potiùs quàm huic fluori accommodabitur. Quòd si ex fistuloso vlcere, rectum intestinum penetrante, fluxus menstruus per podicem quoque erumpat, ad fistulam curandam cura tunc tota dirigenda erit.

Sãguinis excretionũ, & hæmorrhagiarũ à vulneribus profectarũ curatio.

Per aperturas alias nec per orificia iam enarrata, sed vulnera in corporis exterioribus locis inflicta, emanantium sanguinis excretionũ cura pro partiũ diuersitate, cuius cõtinuitas soluitur, sequenti modo instituitur.

Sanguis è cute abrasa prodiens, cùm nullius sit mométi, illius causâ nihil adhibetur, sed cura omnis abrasioni cutis accommodatur, sicuti in ea fuit expositum. Ille quoq; qui à cute incisa emanat, spõte iterum cessat, vel leui negotio cohibetur. E vena secta prosilientem facile quoq; cùm tempus est, denuò compescimus. Vti & eum qui à sponte se aperiente vena, quod rarum est, profluit. Non tamen sine labore, si magna aliqua vena incisa fuerit, sanguinis impetuosus ille fluxus sistitur, multoq; minus, si arteria secta fuerit, non solùm magna, sed & parua interdum, quemadmodum in dentis extractione, arteriola dilacerata, vidimus hęmorrhagiam inde natam, compesci nullo modo potuisse, ab eaq; quendã è medio sublatum, cui difficultati in cura non paruam occasionem, quòd remedia ad arteriolam profundè latentem peruenire vix potuerint, prębuit. Quam etiã ob rem in vulneribus, quibus interna viscera læduntur, cùm medicamenta indere atq; infundere, cauitatesque illis replere periculosum sit, in quibus alioquin sanguis qui effluere debebatur, retinet, noxasq; parit, hæmorrhagiam inde natam compescere perdifficile aut etiam impossibile. In aliis autẽ vulneribus licèt magnis, vti & illis per quæ membra mutilantur, etsi maxima sanguinis fiat profusio, quia tamen topica illis proximè admoueri possunt, hæmorrhagia etiam sisti potest: In istis autem omnibus sistendis sequenti modo procedendum.

Reuellimus seu retrahimus sanguinem, à parte vnde fluit, alióq; eum deriuamus, sicq; impetum ipsius ad eam cohibemus: Idq; sectione Venæ, Scarificatione, Cucurbitularum

rum affixione, Ligaturis, Frictionibus, vti in aliis hæmorrhagiis, perficimus. Eaq; in parte ab ea vnde sanguis emanat, remotâ, si reuulsionis, vel vicinâ, si deriuationis gratiâ fieri debeat, administramus.

Impedimus affluxum sanguinis ad locũ vnde profluit, vt & sic effluxum illius nõnihil coërceamus, applicando supra venarum ductum eò tendentem, non procul à vulnere, epithemata, vnguẽta, emplastra, quæ vias hasce validè constringant, sanguinemq; insuper refrigerando, simul repellant, & veluti coagulando minùs fluxilem reddant. Qualia quæ illud præstant, in aliis etiam hęmorrhagiis, & imprimis narium in eundẽ vsum colli lateribus aliisque sedibus, & in oculorum fluxione temporibus & fronti ad eas retinendas, apponi debere, illic docuimus, hîc quoque adhiberi poterunt.

Ad idem efficiendum vena transuersim, per quam sanguis fluit, abscinditur; priùs in superiore & distantiore ab eo vbi effluit loco, aliquousque cute per leuem sectionem illic apertâ, venaque detectâ, eam vinciendo vtrinque retrorsum ne cedat, sicque via occludatur, quod tamen nisi reliqua iuuent, non temerè faciendum.

Vel detecta sic vena, funiculo illi subiecto & circumducto excipitur, & eousque donec transitus impediatur, ligando stringitur.

Occludimus vasa aperta sanguinem profundentia, in vulneratis locis, hisce quæ obturando, & adstringẽdo illa, vel etiã vrendo id præstant. Quæ variis modis administrantur tum admotis tum adhibitis, tũ appensis.

Ligaturis adhibitis, nõ solùm ea quæ vulneribus applicantur, retinemus; & vt firmiter illis adhæreant stringimus, sed & cùm premendo vasa occludãt, sanguinis fluxum sic quoque impedimus. Quæ ligaturæ eâ ratione, sicuti in vulnerum curatione edoctum fuit, erunt faciendæ.

Solâ etiam ligaturâ interpositoq; tantùm bombace supra vulnus, vt meliùs illic prematur, chirurgi sanguinem è vena secta prosilientem, cùm tẽpus est, iterum subsistunt.

Comprimendo cum digito os vulneris, si angustum sit fluẽs sanguis cohibetur, hocq; solo interdum sistitur, cùm retentus circa venarum orificium sanguis concrescens, illius qui sequitur & fluidus adhuc est, effluxum impediat.

Retinendo partem vulneratam hoc situ, vt vulnus in elatiore illius sede sursum spectet, vt minùs impetuosè fluat & citiùs compescatur, efficimus.

Infarciendo diuisionem vulneris, atq; opplendo cauitatem illius, si profundum sit, adeò vt sanguini non pateat exitus, eum aliàs penitùs, aliàs aliquo pacto cohibemus. Quod re molli quæ se vndique applicet, perficitur; quæ si aliis insuper viribus instructa sit, quibus sanguis etiam sistitur, vel talia illi permisceantur, eò efficaciùs operabitur. Quod sequentia præstant.

Telæ aranearum leuibus cutis dissectionibus inditæ, cùm propter leuitatem & subtilitatem se illis vndique insinuent, non tam vi siccante, quàm & opplendo atque obturando eas, labiaque veluti conglutinando, adiuuante ad hoc simul sanguine, qui illis accrescens siccus & durus euadit, sanguinẽ hoc modo sistunt. Quæ telæ aranearum, si è molendino farinâ volatili conspersæ sumantur, maiorem emplasticam vim habebunt.

Lanugines florum papposorum & fructuum, inter quas & bombax, item lana quę à panno veteri abraditur, quibus & pilos leporis subtilissimos addere possumus, non solùm emplastris sanguinem sistẽtibus permista, sed & sine illis bene priùs mundata, leuioribus vulneribus imposita, vti telę aranearum, sanguinem aliquomodo retinere possunt.

Fungus ille orbicularis, quem Crepitum lupi, Plumacellum Chirurgi vocant, leuissimus præ cæteris illud præstat, qui & venæ è qua sanguis salit, impositus, aut vulneri etiã ampliori vel profundiori intrusus, cùm pertinaciter mox illis adhæreat, inde quoque emanantem cruorem retinet, eoque magis, si vnà cum pulueribus, vti in emplastris dictum, adhibeatur.

Corium leue & fungosum latum, quod in annosarum arborum caudicibus, inter corticẽ & lignum inuenitur; Vel à fungis detrahitur, quo scintillas è silice excussas, ad ignẽ excitandum excipiunt, suppositum vul-

neribus leuioribus, aliquid quoque in sanguine compescendo, præstabit.

Spongia idem præstat imposita vel intrusa, maximè si vulnus amplum sit, cùm priori materia non adeò oppleri possit: Vnde & si arteria dilatata in aneurismate aperto, sanguinem profundat, cùm copiosam tunc materiam requirat quam spongia subministrare potest, conueniet. A' qua tamen, vti & panno linteo, aneurismati cuiusdam abundanter intruso, fluxus cùm apertura per vulnus inflictum adeò ampla fuerit, cohiberi minimè potuit, nec patiens quin ob nimiam sanguinis profusionem extingueretur, liberari.

Applicationes variæ, supra partem affectam, ad eum sistendum fiunt: Primum eæ quæ vi siccante astringente, & emplasticâ id agunt: Vt sunt pulueres, qui vel per se vulneribus insperguntur, vel cum bombace, aut aliâ re molli iam expositâ, quâ vulnera obturamus, illis indũtur, vel glutine aliquo excepti, in formam emplastri redacti, supra venam aut arteriam, quæ sanguinem profundit, vel supra vulnus, amplo angustioréve, prout illud fuerit spacio, imponuntur, aut si profundum sit, etiam ei induntur, fasciisq; circumductis adligantur, & donec nullus ampliùs hæmorrhagiæ sit metus, ad dies aliquot relinquuntur, ac tunc demum sed emollita priùs si pertinaciter hæreant, blandè detrahuntur. Quæ & emplastra nonnunquam, si profundiora sint vulnera, intrò adiguntur. Et cùm ob amputationem pedum vel brachiorũ, hæmorrhagia sisti debet, pulueres prædicti per se vel vti dictum excepti, porci taurive vesicæ impositi, statim vbi mẽbrum mutilatum fuerit, vulneri sic cum vesica obducuntur, vesicaque in ambitu partis exactè ligatur, sic enim & hæc larga hæmorrhagia commodè sistitur.

Eiusmodi autẽ emplastra quæ illud præstant, in vulnerum curatione descripta fuerunt, atque à principio mox dum è recenti vulnere sanguis adhuc profluit, vulneris sanandi causâ, tum vt simul sanguinem sistãt, apponenda esse, illic docuimus. Veluti inter ea quæ glutinandis inuicem labiis vulnerum præcipuè accommodantur, illud quod fit ex Boli partibus iij. & Thuris, &c. Atque ex illis quæ vulnerum labia simul consolidant, hoc quod ℞. Thuris, Myrrhæ, &c. cuius loco Galen. emplastro, quod ℞. Thuris part. ij. Aloës part. j. Albumen oui & Pilos leporis, vti possumus. Sicuti & aliis consolidantibus & sanguinem simul sistẽtibus emplastris ibidem descriptis, vt quod ℞. Boli vel Gypsi, &c. & quod ℞. Gallarum, &c. & quod ℞. Colophoniæ, &c. Quædam quoq; ex emplastris oculorum fluxionibus impediendis accommodata, ad hæmorrhagias hasce vulnerum vsurpari similiter possunt. Quale est, quod ℞. Mastiches, Thuris, &c. Vel quod ℞. Boli armen. ℥. ß. Sanguin. dracon. &c. Item ℞. Boli armen. Gypsi, &c. omisso tunc oleo rosaceo, illic addito.

Quibus emplastris alia insuper sanguinẽ supprimentia addi poterunt. Veluti Pulueres ex combustis, carbones seu cineres Ranarum, Lumbricorum, Stercorum asini vel equi, Testarum ouorum, Spongiæ, Pãni lintei, Bombacis, Papyri, Vrticæ: Item Fuligo furni, Sanguis torrefactus, Resina quæuis eousque cocta & frixa vt puluerisari queat. Gummi arabicum, tragachãtum tosta: Item Lapis hæmatites, Stibium, Plumbum vstũ. Dein & Terræ aliæ aliquæ pingues præter Bolum. Addendo etiam præter lanugines illic expositas, ab aliis floribus papposis desumptas, vel à quibusdã fructibus, vti etiam quæ sub cortice Castanearum inuenitur, atque in fructu Anemones, quod bõbicinum ob hanc lanuginem bombaci persimilem, appellauimus. Dein & pilulæ Platani: Adhæc & eam quæ à panno veteri Linteo per abrasionem colligitur. Quæ omnia prædictorum emplastrorum pulueribus quibusdã permista, glutineque eodem quo & reliqua emplastra excepta, vel etiam mucilaginibus aliis quibusdam incorporata, in emplastra redacta, apponuntur. Aliàs etiam pulueres cum succis plantarum, vt Plantaginis, Polygoni, Bursæ pastoris, vel etiam cum sanguine in pastam redacti, addito simul aliquo ex glutine prædicto, vel Resinâ vt promptiùs hæreat, eo modo applicantur.

Aliæ applicationes præter hæc emplastra aliâ formâ ad vulnerum hæmorrhagias etiã fiunt.

funt. Qualis illa eſt, quâ in vtraque manu latronis cuiuſdam amputatâ, ſanguinem ſubitò ſubſtitiſſe vidimus: quod hoc modo factũ; carnificis vxor gallinaceo pullo iuxta podicem eo in loco vbi galli caſtrari ſolent, amplo foramine ſectione aperto, brachium iuxta carpum abſectum hiatui ampliato introtrudebat, & corpus gallinæ cum plumis, fune brachij ſedi vulneri propinquę circumducto fortiter adligabat: atq; ſic citra magnã effuſionem ſanguinis eouſque, donec in locum ſupplicij ductus, interficeretur, ſuperuixit. Quo remedij genere poſtea in abſectis digitis, cum ſucceſſu fœliciter vſus ſum.

In aliis locis depreſsis nec ita exertis propter abſciſionem vel exectionem partis alicuius, hoc idem remedij genus tentari poterit, alligando illis firmiter, vt partem inſuper premat, pullum gallinaceum per medium ſectum vel columbinum, vel pulmonem arietis cruentum, recenter exectum, aut alia cruenta ab animalibus ſumpta: qualia in phrenitidis curâ capiti applicata prodeſſe oſtendimus, illicque nominauimus.

Fortè & Sanguis humanus aut alterius animalis, calidus adhuc illitus vel priùs farinâ in paſtam ſubactus & appoſitus, aliquid quoque eadem vi poterit efficere.

Pannum linteum craſſum ter quatérve fœturâ ranarum probè madefactũ rurſumq; ſiccatum, ſi vulneri imponatur, ſanguinem certò cohibere docent: ſicque eo tempore cum fœtura ranarum inuenitur, præparatum ad hunc vſum ſeruant.

Cauſtica ſi alia nõ proficiant, tandem adhibere cogimur, quæ vrendo nonnihil vaſa eaque ſic arctando, cruſtamq; ipſis inducendo, ſanguinem ex iis fluentem cohibeant. Vſurpanturq; in hanc rem imprimis Chalcanthum, ſeu Atramentum ſutorium, in genere, cuiuſcunq; ſit coloris, ſic dictum, quod aliàs album, aliàs colore pellucido vitreo vel viridi aut cœruleo colore præditum Vitreolum, aliàs flauo Myſi, aliàs rubro Chalcitis appellatur. Quod ſupra laminam ferream candentem vſtum, aliter calcinatum ad rubedinem vſque, & Colcotar Chymicis dictum, in puluerem redactum, huic ſedi vnde ſanguis profluit, imponitur: Miſcendo, & Alumen vſtum interdum aut Vini fæcẽ crematam: Vel ſi ampliùs hoc vrere velimus, parùm Arſenici, vel tantillum Mercurij ſublimati: Quæ & Albumine incorporata, exceptaque bombace, ſic applicari poſſunt.

Calce viuâ pulueriſatâ, eodemque modo exceptâ, idem efficiemus: Cui & ſi de modo dictis quædam addamus, operationem illius intendemus.

Plerunq; hiſce etiam alij pulueres aſtringentes de ſupradictis adduntur, qui eorum violentiam nonnihil contemperent, atque interim coarctando ſanguinem quoque ſiſtant. Qualis eſt ex pulueribus pro emplaſtris conſolidantibus vulnera, ille; Qui ℞. Oſſa combuſta, &c. & ſimul Vitreolum & Alumen vſtum: Dein & ex illis qui in Vlcere excreſcente ad carnem abſumendam vſurpantur, qui ℞. Aluminis vſti ʒ. iij. Balauſt. &c. Vel qui ℞. Vitreoli ℥. ß. Aluminis, &c. maximè puluis erodens ibidem expoſitus.

Liquor Vitreoli, quem oleum illius vocant, cum bombace intincto admotus venę, egregiè eam conſtringit, & nonnihil vrit. Quæ ſi profundè lateat, eouſque intrudi debet, vt & in dentis euulſi ſpacium.

Validiùs hoc Aqua fortis appellata, eodẽ modo vſurpata, facit magiſque vrit. Quâ affusâ ſupra Ferri limaturam, ſi illa comburatur, & in Crocum Martis, ob croceum colorem ſic dictum conuertatur, ille quoque non lotus, cùm cauſticam vim aliquam retinuerit, admotus, aliquid ea vi in ſanguine ſiſtendo, efficiet.

Cauterium actuale, extremum eſt remedium, quod ſubitò vrendo, ſi venas vel arterias per quæ ſanguis emanat tangere poſsit, eum ſiſtit. Fitque hoc ferro candenti, pro ratione vulneris fabricato, & vel extremitate ſuâ quâ vrere debet in acutiem, ſi in anguſtũ locum immitti debeat, vt dentis euulſi ſpacium, vel globulum rotundum maiorẽ minorémve deſinente, vel latâ ſuperficie in amplis vulneribus prædito. Qua ratione in mẽbris abſectis vulnus laminâ vel palâ ferreâ ardente adurere ſolent. Quod tamẽ, paruo interdum ſucceſſu, præſertim ſi in ſpiſsâ partis carnoſâ ſede ſectio facta ſit, perficitur, cùm venarum amputatarũ & retractarum

orificia minimè vstio hæc, sed solùm ferè carnem tangat, & in mora hac, antequam emplastra apponantur, magna fiat sanguinis profusio, dolorque insuper nouus huic quem ex sectione patiuntur, accedens, ægrũ summè debilitet.

In picem liquefactam, si digiti abscisi remanens pars aliquousq; intrudatur, moxq; iterum extrahatur, non solùm quòd vulnus vritur, sed & quia pix adhærens indurata, veluti operculo vulneri imposito venarum exitum occludit, sanguis sistitur. Quod & in aliis membris mutilatis, si nihil alioquin iuuat, tentari posset.

Bombax si vulneri imponatur atque accendatur, & donec comburatur, retineri possit, quia flamma se vndique egregiè insinuat, vrendo admodùm operatur.

Exhibitis potionibus quibus ad vulnerum sanationem vtimur, etiam hæmorrhagiæ inde pronatæ aliquomodo cõpesci possunt, cùm vi siccante, quâ vlcera consolidare creduntur, etiam sanguinem incrassando viasque astringendo fluxum illius nonnihil impedire queant, præsertim si illis ea quæ sanguini sistendo dicata sunt, permisceantur. Qualis est potio illa in vulnere ex contusione facto, ad sanguinem coagulatum dissoluendum præcipuè accommodata. Quæ ℞. Mumiæ, &c. cui in hæmorrhagiæ metu Bolum, Terram sigillatam, Sanguinem draconis, Sperma ceti, &c. admiscere illic iussimus: Vel etiam alios pulueres qui mox subiunguntur.

Multa alia in aliis hæmorrhagiis quæ per nares & vterum fluunt exhiberi solita, hîc quoque in perseuerante, propinari possunt. Quæ tunc maximè conuenient, si vulnera ad interiores cauitates illicque latentia viscera pertingant.

Cerebrum gallinarũ in potu datum, cùm sanguis è cerebro erumpit, prodesse docet Dioscorides.

Appensis amuletis vel gestatis, multùm quoque tribuunt, & vti in aliis hæmorrhagiis, sic & in illis sanguinem iis posse sisti asserunt. Qualia in illis exposita hîc quoque vsurpari possunt.

DE PVRVLENTA EXCRETIONE.

CAPVT VI.

Genera.



PVRVLENTA excretio illa est, in qua materia liquida excernitur, quæ ex alio humore aliquo, suppuratione seu maturatione, in materiam albam veluti excoctam pultaceam conuertitur, pro humoris ratione variantem, nunc excoctam, nunc crudam & tenacem, & si putredo accedat, putridam; quæ omnia puris nomine comprehendimus. Quæ tum ratione excretionis, tum vitij ipsius quod pus in se continet, præternaturalis est, atq; è variis corporis sedibus procedit. De ea verò puris excretione, quæ in exspuitione, vomitu, mictione, alui deiectione, fieri solet, in illis excretionibus agemus.

In oculo pus aliàs citra alium affectum, ipsius angulis inhærere, vel oculi globo obduci, & si ante pupillam id fiat, visum obscurare, frequenter apparet, indeq; postea sponte prodire vel eximi, vel noctu ciliis clausis illis se insinuare, eaque conglutinare. Aliàs in oculis accensis, rubris, inflammatis, pus se manifestat: Interdum ab vlceribus illius loci, pus nunc album & coctum, nunc aqueum & crudum, ex oculi angulis manat, vel in nares descendens per eas effluit, graueolens aliquando. Illud sub palpebra inferiore viam sibi apparuisse, indeque profluxisse etiam vidimus. *Oculorũ purulenta excretio.*

Ex auribus pus frequenter, diuque sæpè certis temporibus emanat, præcipuè cùm regio vicina premitur; idque interdum sine dolore, aliàs cum eo, sicuti in aurium dolore declaratum fuit. *Auriũ purulenta excretio.*

E naribus purulenta materia nonnunquam emungitur, in coryza, maximè circa finem, inodora & alba, prægresso priùs tenuis & mucosæ pituitæ effluxu. *Narium purulenta excretio.*

Aliàs in vlceroso narium dolore, pus cum muco emungitur, nonnunquã & cum sanie, sicuti in narium exulcerationib. ostẽdimus.

Vidi-

Vidimus & lactis crassioris instar purulentam materiam, copiosissimè per nares etiam sponte prosiliisse, in puerulo quodam, paulò ante illius obitum, conuulsionibus mox extincto.

Vrinarij meatus p penē, aut collū vesicæ in fœminis, Purulenta & Mucosa citra mictionem excretio.

E' virga virili, & meatu vrinario fœmineo, pus nunc album nunc flauum sponte emanat, indusiumque interdiu, aut linteamina noctu, inficit & commaculat. Quem affectum mictio ardens, & dolor in virga, vel meatu vrinæ in fœminis, cum vrina redditur, plerunq; comitatur, aliàs etiam citra ferè sensum effluēs, minùs molestat: diciturq; à causa in viris Penis, in mulieribus, Ceruicis vesicæ exulceratio. Hunc affectū in masculis præcedit plerunq; coitus cum impuris mulieribus; aliquando etiam, sed rariùs, vt dictum est, gonorrhœa virulenta. Desinit quandoque & hic affectus in vlcera sinuosa, quæ aliquando circa penis inferiorē ductum vel perinæi sedem, se vno loco vel pluribus aperiunt, & pus & vrinam illic profundunt.

Obseruauimus & in quodā, è pene quando comprimebatur, magnam copiam puris educi, & veluti ex eo emulgeri, à quo priùs vrinæ permistum, longo tempore emictum fuerat, postea verò purum & è pene, & podice quoque, maximè eo tempore, quando canalis pro enematibus infundēdis, illi intrudebatur, copiosè effluere, dolore circa ossis sacri & coccygis infimam sedem admodùm molestante, & postea etiam subsequente inflammatione in clunibus vtrinque, ex abscessuque illic aperto, pus per hanc viam maximâ copiâ emanare, remittente tunc eo, qui è pene & podice priùs prodibat.

Ad purulentam illam excretionem è pene & meatu vrinario fœmineo procedentē, referre possumus, Mucosæ illius & glutinosæ tenacissimæque materiei excretionem, qualem cum mictione quoque excerni diximus, quæ & sine vrina è virga quandoque prodit, vel post mictionem illic hæret, foramenque glandis obstruit, & non nisi sensim & cum labore procedit, aliàs etiam minimè, nisi trahatur, chordæ alicuius longæ dependens: comitaturque hic affectus, Vlcus vesicæ, aliàs & Calculum, sicuti in causis explicabitur.

Ex sinu vteri pus quandoq; emergit, dolorque lancinans tunc in ea sentitur.

Vteri sinus purulenta excretio.

Purulenta excretio per aperturas in corpore factas.

Per aperturas alias ex morbo vel sectione procedentes, pus variis è locis diuersimode progreditur: Nunc è superficiei corporis vlceribus; Aliàs è profundo per habitum corporis; Aliàs ex internis cauitatibus. E' quibus sedibus pus nunc abundantiùs, nunc parciùs, hoc illóve modo coloratum emanat. Interdumque sanies, ichor fœdus, aliáve putrida materia cum eo prodit. Sicuti hæc in aliis accidentibus describendis, quæ tunc simul concurrunt, fuerunt exposita.

Causæ.

OMnium puris excretionum, è variis corporis sedibus prodeuntiū causa, prout vel cum vlcere eiusmodi excretio iungitur, vel sine eo procedit, variat.

Cum vlcere si excretio puris se offerat, à sanguinis nōnunquam & carnis simul suppuratione, seu in pus conuersione procedit, vnde abscessu eoque disrupto vlcere genito, puris eiusmodi excretiones succedunt, in diuersis corporis sedibus vlceratis contingentes.

Oculi vlcus, causa Purulentæ inde excretionis.

Ab oculi vlcere, alicubi in oculorum sedibus nato, puris ex oculo excretio proficiscitur: Frequentiusque ab eo, quod in interno oculi angulo fit, è qua sede & emanat, vel sinum sibi faciens, si ille in nares descēdat, inde prodit, si in aliam vicinam sedem, quod rarum est, cutemque illic exedat, eo loco effluit. Sicuti in vlceribus oculorum & fistulâ lachrymali hæc fuerunt explicata.

Auriū vlcus, causa purulentæ excretionis.

Ab aurium vlcere puris ex auribus excretio exurgit. Tale autem vlcus pus proferens si in alto lateat, cùm auris premitur pus profundit, si elatiùs existat, sponte inde pus emanat, & si ad tympanum vsque vergat illudque exedat, auditui officit; sin minùs, & extra illud in meatu externo existat, nullam dum noxam auditui parit.

Narium vlcus, causa purulentæ inde excretionis.

In narium vlceribus, à causa quæ in illis fuit exposita, prognatis, puris emunctio procedit.

A' penis interioris canalis, qui cōmunis est & vrinæ & semini, exulceratione, puris è virgæ fluxus, quem à causa hac Penis exulnationem

Penis exulceratio interna, causa Purulentæ è pene excretionis.

cerationem vocant, prouenit. Quæ exulceratio à læsione aliquâ, sed maiore, quàm quæ sanguinem elicit, ob catheterem immissum, interdum accidit; aliàs etiam à semine virulento, quod gonorrhœam virulentam, sicuti in ea dictum, procreat, atque etiam hæc loca cùm pertransit, aliquando exulcerat: Quod & à semine non corrupto, loco moto, si illic subsistat, euenire potest, vt non solùm irritando ardentem dolorem, vti in eo ostendimus, sed & vlcus, si acre admodùm fit, pariat.

Vesica ceruicis exulceratio, causa Purulentæ excretionis & Mucosæ citra mictionem.

A' vesicæ ceruicis in vtroq; sexu exulceratione, non solùm purulenta mictio, vti in ea descriptum fuit, proficiscitur, sed & interdum puris aliqua citra mictionem excretio, præsertimque si in ceruicis vesicæ anteriori parte vlcus resideat, è quo si sordidum fiat, magna sæpè puris copia emergit.

Atq; in eodem colli vesicæ vlcere, mucosa illa materia, quam cum vrina permistam excerni diximus, etiam sine ea aliquando profluens, huic Mucosæ è pene excretioni, quam in generibus descripsimus, causam quoq; præbet.

Vteri ceruicis exulceratio, causa Purulentæ inde factæ excretionis.

Ab vteri ceruicis exulceratione, purulenta quæ ex eo loco procedit, oritur excretio. Cuius causa in vteri vlcere declarata fuit.

Vlcera externa & interna causa Purulentæ excretionis per apertas corporis factas.

Ab externis vlcerib. in cute & carne, per superficiem corporis dispersis, sponte disruptis vel apertis, puris excretio prouenit. Vti & ab internis, in habitu corporis latentibus abscessibus sectione apertis, pus è profundo emanat. E' quibus locis, si diu pus illic coaceruatum fuerit, affatim exilit, idque vel maturatum saltem, vel etiam putrescens, purum vel virosum, aut putri materia permistum. Quarum omnium exulcerationũ causæ, cùm de vlceribus & abscessibus, illis in læsionibus quibus præcipuè incommodant, egimus, descriptæ fuerunt.

E' pectoris cauo, ab exulceratione corruptioneque pulmonum congestum pus, per sectionem Empyematis tantâ sæpè copiâ, quâ pelues adimplentur, promanat: cuius causam in eo affectu exposuimus.

In Ventre ab abscessu viscerum illic contentorum, veluti hæpatis & lienis, sicuti descriptum fuit, pus genitum, vix per aperturam in abdomine factam, excernitur. Licet enim ab abscessibus eiusmodi sponte disruptis, pus in abdomine coaceruari possit, quia tamẽ hoc rarum est, neq; tumore aliquo inde nato, cùm tanta illius copia colligi nequeat, se prodit, & proin difficulter deprehenditur, non temerè etiã via illi per quam effluat, erit aperienda. Quod &, si intra cranium pus alicubi cumuletur, obseruandum: cùm enim an pus illic collectum sit, non certò possit cognosci, non nisi necessitate vrgente, & pus ibi cõtineri certi simus, cum ægri periculo, caluariam perforando, exitum illi molimur, eoque minùs, cùm natura nisi mors præueniat, per foramina pituitæ expurgandæ dicata, in nares illud tandem excutiat.

Sine vlcere purulenta excretio quę se exhibet, plerunque ex sedibus externis humilioribus procedit, veluti oculorũ & narium, quæ perpetuò humore quodam madent, è quo talis materia gigni potest.

Oculorũ humiditas in pus conuersa, causa Purulentæ illius excretionis.

In oculis hæc ex humiditate illa, quæ oculi sedem alluit, interdum gignitur, si illa crassior tenaciorque reddita, & excocta maturataque, veluti in pus redigatur.

Quod ob calorẽ, quẽ oculi cum palpebris concipiũt, euenire solet, à quo humor siccatus tenacitatem acquirit coquiturq;, sicuti in oculis rubẽtibus talem materiã nasci videmus, eãdemq; si à causis externis tantùm oculis incaluerit, calore & rubore cessante, iterum remittere, quãdo verò hæc perseuerant, accedẽte lachrymarũ continuo affluxu in Epiphora, oculos pure continuò sordidos apparere. Sicuti in hoc oculi affectu ostensum fuit.

Narium pituita in pus cõuersa, causa Purulentæ emunctionis, & nonnunquã Lacteæ.

A' pituitâ mucosâ, diutiùs in antris nasi retentâ maturataque, & in purulentam materiam excoctâ, emunctio purulentæ huius materiei, circa finem coryzæ ferè succedit, sicuti in ea ostensum fuit.

Quòd verò magna copia puris lactis instar, in puello quodam per nares effluxerit, illud à cerebro quoq; eò defluxisse, illicque genitum, atq; ex sanguine & pituita excoctum fuisse, hoc comprobare videtur, quòd cerebrũ inde affectũ fuerit, adeò vt cõuulsiones, illisq; continuatis, mors subsecuta sit.

Cura-

Curatio.

Oculorũ Purulentæ excretionis curatio.

EX oculorum ſedibus pus emanans, ſi ab vlcere procedat, non aliam quàm quę vlceribus oculorum debetur, curam requirit. Si citra vlcus, purulenti in epiphora ſint oculi, cura illi accommodata, etiam huic vitio competit. Si ſine hiſce morbis oculorum, purulenta materia in ſupercalefactis nonnihil oculis naſcatur, calore ceſſante, puris collectio rurſum quoque deſinit. A' quacunque causâ, ſi pus oculis inhærens, pupillámque obtegens, viſui impedimentum adferat, fricando palpebram leuiter verſus angulos, eò adigitur, indeque poſtea exit, vel turundâ ex panno vel linteo formatâ, eximitur.

Auriũ Purulentæ excretionis curatio.

Auribus inhærens pus indeq; emanans, quo pacto abſtergi debeat, in vlcere auris, vnde hoc pus prodit, declaratum fuit.

Narium Purulentæ excretionis curatio.

E' naribus purulentæ materię effluxus, ſi à pituitâ ſic excoctâ proficiſcatur, cùm defluxionẽ quæ priùs ferè tenuis erat, in coryza ceſſaturam ſignificet, minimè ſiſti, ſed potiùs promoueri debet, errhinis immiſsis aliiſque in narium obſtructionibus expoſitis. Vti &, ſi lactea illa materia copioſè à cerebro per nares profundatur, nec illa impediri ſed potiùs promoueri debet, quam tamen mors plerunque excipit. Quòd ſi ab vlcere narium pus prodeat, cura in exulceratione fuit expoſita.

Penis ex ulceratione, indeq; prouenientis Purulentæ excretionis curatio.

Per penem puris excretio in maſculis, illa per quam pus etiamſi non mingant, ſponte emanat, atque inter mingendum ardor accedit, ab vlcere in penis canali, per quem vrina redditur, profecta, minùs eſt quàm purulenta mictio, à veſicæ illiúſve ceruicis vlcere procedens, periculoſa, cùm in parte ignobiliore vlcus hoc exiſtat, &, ſi non adeò inualuerit, aut profundè lateat, faciliùs curatur, difficiliùs verò, quò magis abditum eſt & ſordidum factum, cuius curatio ſæpè in longiſsimũ tempus protrahitur, aliàs quoque vicinas ſedes excauans, extrinſecùs circa perinæum ſe apperit, & vrinæ viam patefacit.

In fœminis excretio hæc puris citra mictionem, per meatum vrinæ deſtinatũ, cùm ab vlcere ceruicis veſicæ prodeat, & nunc cum vrina nunc ſine ea ſe offerat, æquè atq; mictio purulenta, inde quoque proueniens, curatu eſt difficilis.

Curatio autem penis exulcerationis, indeq; nati mingendi ardoris, eodem ferè modò ſicuti in veſicæ illiusque ceruicis exulceratione inſtituitur, & pleraque illic expoſita, tàm ad vlcus ſanandum quàm ardorem mitigandũ, hîc quoq; poſſunt competere, cùm hoc vlcus penis in eadẽ via quæ ceruici, veſicæ continuatur, ſit poſitum, ibique etiam ea fiat irritatio, quæ ardorem mingendi parit.

In mulieribus quoque non aliam curam hæc excretio purulenta quàm eam, quæ in mictione purulẽta, cùm ambæ à ceruicis veſicæ vlcere procedant, inſtituitur, illicq; deſcripta fuit, requirit. Nam ſi ab vteri colli aut pudendi vlcere pus hoc emanat, cura in eiusmodi vlceribus, in doloribus illius loci, fuit expoſita.

Itaque in vtroq; ſexu, vti in cura vlcerum veſicæ, ardoris causâ qui hæc comitatur, ſic & in hiſce, eiusdem causâ, exhibitis vel iniectis enematibus, aluum interdum laxabimus, excrementaque ſi dura ſint, vt faciliùs prodeat, emolliemus, iiſdem illic expoſitis, ſimilibusque remediis.

Ad vlcus ſanandum detergentia ſi ſordidum ſit, & ſiccantia illud glutinantiaque, eadem quæ illic deſcripta, exhibita, hîc quoque aliquid præſtare poſſunt, cùm hoc vlcus veſicæ ceruici vel ſit proximum, vel ſaltem non procul ab eo diſsitum, in eodemque ductu poſitum, adeò vt medicamenta, quæ vires ſuas ad ceruicem veſicę vſq; poſſunt proferre, eas etiam vlteriùs huc vſque poſsint extendere. Quas cùm in locis illis diſtantioribus non adeò validè exerant, idcirco per exhibita ſola vix dum curatio exulcerationum, tum in veſicæ tum penis ductu exiſtentium, perficitur, niſi vſus horum ſit frequens & continuus.

Propinariq; poſſunt in eum finem, decocta in vlceris veſicæ cura deſcripta, tum Primum, quod vlceri & ardori coniuncto ſimul competit, tum illud quod Gaiacum cum cæteris quæ vlcus ſanant, recipit.

Aliæ item potiones Vulnerariæ dictæ, vti

non solùm ad vulnera,sed & vlcera quędam externa internaq; sananda exhiberi solent, sic & ad illud quod in penis ductu existit curandum,aliquando propinantur,à chirurgis in hanc rem potissimùm præparari solitæ. Possuntq; præcipuè illæ quæ in vlcerum generali cura describuntur,hîc quoque vsurpari,vt Vina illa & Aquæ exstillatæ,quàm Decoctum quod ℞.radic.Consolidæ maior. Fœniculi,&c.

Succi,Aquæ,Lac,Resinæ,vti in vlcere vesicæ ea exhibere docuimus, sic hîc quoque assumi poterunt.

Pulueresq; imprimis compositi,tum vsitati,tum tres illic descripti,quorum duo & mictioni ardenti & vlceri simul,tertius vlceri præcipuè,accommodantur.

Ex simplicioribus,puluis Glandium quercus,folior. Equiseti, Vincæ peruincæ, sæpè exhibiti,probantur,aliique similes.

Ad dolorem si acriter,vti aliquando solet, vrgeat, non solùm Narcotica cæteris iam expositis permista competunt, sed & per se quoque exhibentur, in ardentis mictionis curâ declarata.

Iniectiones in virgam factæ,cùm citiùs & faciliùs ad locum affectum,quàm si in vesica illiusque collo latitaret vlcus,perueniant,in curatione huius vlceris,præcipuas partes tenent. Conueniuntque similiter in vesicæ vlceribus propositæ iniectiones,quæ primùm abstergant,mox siccando vlcus sanent. Possuntque sic Lac, Decocta, Succi, Aquæ Misturæque aliæ & Collyria illic declarata,injici,atque vnguentum Ægyptiacum,si sorditiem magnam aut putredinem acquirant, permisceri.

Præter quas iniectiones in penis exulceratione, cùm detersione opus est, talis fieri poterit: ℞.radicis Liquirit.℥.j.ß. cort.Fabarum ʒ.vj. Cicerum rubr. vel Pisorum P.j.fiat decoctio in Sero caprino, addendo parū Lixiuij,prout ferre poterit,& ne nimiùm mordicet, dissolu.Mel, Saccharum & parùm LaricEæ dissol.cum Melle & Vitello oui.

Ad sanandum & consolidandum alia iniectio:℞.rad.Consolidæ ℥.j.ß.Equiseti,Plantaginis an.M.j.Lithargyrij ʒ.vj.decoquantur in Aqua ferrata, & in ℔.j.dissolu.Mellis ros. vel Sacchari rosac.tabul.℥.ij. Resinæ lariceæ ʒ.j.dissol.in Vitello oui,fiat iniectio.

Vel sic: ℞. Trochiscorum alborum Rhazis ʒ.ß. lapid. Calam. Tuthiæ, Plumbi vsti, Boli, an.ʒ.j. dissolu.cum Aqua conuenienti vel Lacte vel &c.

Alia: ℞.Cerussæ ℥.ß. Lithargyrij ʒ.ij.Tuthiæ præpar.ʒ.iij.Amyli ℥.j.fiat puluis subtilissimus,qui dissolutus cum liquore,injiciatur:Vel instilletur in glandem.

Aqua pro iniectione efficax: ℞.rad.Consolidæ ℔.ß.radic.Bistortæ,Tormentillæ an. ℥.ij.Narcissi bulbos numero x. foliorum Equiseti,Plantag.recent.an.M.ij.summit.Hypericonis cum florib. rec.P.ij.Aluminis ℥.j. Mellis rosac.q.s.Oua confracta numer.xij.si aridæ sint herbę,irrorentur priùs aquâ Plantaginis,destillentur.

Instillatæ in glandem iniectiones eiusmodi,si ad vlcus penetrare queant,quod citiùs fiet,si minùs in profundo sit,conducent.Quâ ratione & succi indi possunt.

Induntur & vnguenta alia quæ vlcera sanare possunt,vt & Pompholygos dictum,in virgam, & ad vlcus vsque adiguntur,cerea tereti candelâ inunctâ,illiusque anteriori sedi appositâ,sicque intrusâ,quod commodiùs minorique negotio & dolore,quàm aliis fit instrumentis, cùm candela eiusmodi mollis & lęuis sit,seque ad curuum ductum,possit, dum sensim intruditur, flectere, sicque accommodare. Oleum ex semine Hyosquiami expressum,instillatum admodùm dolorem compescit.

Inunctio lineæ quam suturam vocant,ab humiliori virgæ sede per perinæum ad anū vsque ductæ,conuenire aliquo pacto potest, vti & fomentationes illius loci, cum refrigerandum in ardore,qui eo in loco intrinsecùs persentitur,vel relaxandæ viæ illæ si constrictæ sint; quod iisdem quæ in vlcere vesicæ colli exposita, quibus & Opium, si dolor acerbus illud exigat,miscere possumus,perficitur: Ad sanationem vlceris vnguenta quæ illud sanant,illic quoque inuncta,aliquid perficere autumant,ibidem quoque descripta.

Vitæ regimine eodem,quod in vlceris vesicæ curâ præscriptum,vtantur.

Mu-

Vesicae exvlcerationis, indéque profectae Mucosae excretionis cura.

Mucosa excretio glutinosæ materiei, citra ferè mictionem, è pene, aliquando & in fœminis per meatum vesicæ, cùm vlceri & calculo vesicæ copuletur, non aliam quoque curam, quàm quæ excretioni purulentæ & calculosæ debetur, requirit: Iniectionesque præsertim, quæ pus illud viscosum abluant & abstergant. Quod nisi cedat, vti in virga interdum pertinaciter hæret, sensim nonnunquam illud trahendo, eximitur: Vel si virga Raphano excauato imponatur, in eoq; aliquandiu retineatur, pus sic attrahi euacuarique docent.

Vteri sinus exulcerationis indéque profectae purulentae excretionis cura.

Ex vteri sinu promanans pus, non aliam quàm quę vlceri huius loci conuenit, curam exposcit, in vteri exulceratione declaratam.

Purulentae excretionis ex vlceribus superficiei corporis & habitus promanātis curatio.

Per aperturas alias puris excretio, si ab vlceribus externis sordidis cuiuscunque generis, vel in profundo corporis habitus latentibus abscessibus, sponte vel sectione apertis proueniat; quo pacto pus abstergi atque elui, vlcus vel vulnus postea sanari debeant, in vlcerum, abscessuum & vulnerum cura fuit edoctum. E pectore quoq; fluens pus post sectionem in Suppuratis, quo pacto tractari debeat, in cura Empyematis fuit expositum.

DE AQVOSA EXCRETIONE.

CAPVT VII.

Genera.



AQVOSAM excretionem eam nominamus, in qua humor fluidus, aquam referens, nunc tenuior nunc crassior, & tenacior effluit, ex pituita excrementitia, vel cruda naturali & sero inuicem permistis & confusis, in qua mistione nunc pituita nunc serum exuperat, conflatus: cuius excretio, quæ aliàs non ita omnino præter naturam existit, tunc maximè præternaturalis euadit, si abundantiùs aut frequentiùs contingat, maiusque in se vitium hi humores contineant, vel per loca non conuenientia excernantur. Eiusmodi autem aquosa excretio, exceptâ eâ, quæ exspuitione, vomitione, mictione, & alui deiectione, perficitur, de qua in illis excretionibus tractabitur, è variis corporis sedibus procedit.

Lachryma.

Ex oculorum sedibus frequenter hæc prouenit in Lachrymis appellatis, quæ oculum madore perfundunt, atque ex eo exstillant. Hæ nunc serum pituitámve aqueam referentes, in sanis etiam, maximeque in infantibus & senibus iamque repuerascentibus, leui causâ, atq; aliis etiam in animi magnis commotionibus, sæpè erumpunt, nec proin præternaturales censentur. In oculorum verò vel capitis morbis quibusdam, molestiam parientes, diuque sæpè perseuerantes, inter symptomata horum morborum referuntur. Suntque interdum hæ lachrymæ calidæ & acres, quas Calidas ob id appellant; aliàs verò minimè, quas Frigidas nominant.

Stillicidium narium.

E naribus aquea excretio sæpiùs se offert, quę naturalis, cùm per viam excremento huic repurgato destinatam fiat, existit, sed tunc præternaturalis, si nimia sit, euadit. Vti quibusdam hoc accidit, è quorum naribus aquosus humor lachrymarum instar exstillat, guttaque illius à nasi apice, dependet. Vel aliàs mucosam pituitam refert, quod cùm familiare sit infantibus, minùs in illis, quàm adultis turpe & vitiosum esse censetur.

Coryza, Grauedo.

In catarrhi specie quæ Coryza seu Grauedo dicitur, hoc idem accidit, vt è naribus ab initio tenuis & aquosus humor continuò exstillet, & copiosè effluat, actu frigidus, nōnunquam & calidus, interdum & acris, nares vellicans, sternutationem mouens, lachrymas eliciens, alas narium & superius labium vicinum inflāmans & exulcerans: accedente interdum & copiosâ exspuitione cum screatu & tussi; Qui humor tandem circa finem mucosus nunc albus, nunc alio quoque colore imbutus emungitur.

In aliis morbis capitis quibusdam & defluxionibus, hoc idem accidit, sicut in illis fuit declaratum.

Auriū aquosus effluxus.

Ex auribus præter humiditatem, quâ aures intrinsecùs aliquando madent, aquosus humor, nunc tenuis, nunc tenacior, sed rarò ex illis effluit, constatque è cuiusdam puel-

læ aure, mensuras aliquot illius diu per vices, citra vllam aliam læsionem profluxisse.

Vterinus seu muliebris fluor. Ex vteri sinu pituitosa hæc excretio in fœmineo sexu admodùm est frequens, eamq; Fluorem muliebrem seu vterinum, vel Purgationẽ vteri vocant, & quia eiusmodi fluores mulieribus, postquam menstrua cessarũt, plerunque superuenire solent, & ad aliquot quoque dies perseuerare, Menstrua quoque sed alba, ad differentiam sanguineorum rubrorum, appellatur. *Menstrua alba.* Verùm non eo ordine, sed inordinatè, mulieribus menstrua habentibus, contingere, & sæpè diu, aliàs breuiùs perdurare solent: Atque etiam eas, quibus menstrua suppressa sunt aliquando infestare: Vti & illas quibus menstruorum tempus præteriit, & ne vetulis quidem parcunt. In virginibus hic fluxus, etsi rarior sit, aliquando tamen & eas inuadit; Grauidasque mulieres hunc quoque fluxum passas, sæpè obseruauimus.

In hoc fluore humor interdum serosus aqueus effluit, copioseque plerunque, nunc limpidus sine morsu, nunc acris vel salsus, aliàs flauescens, virescens aut nigricans nonnihil, aliquãdo & saniosus, interdum inodorus, aliàs fœtidus, ei copulatur.

Huic pituitosus etiam miscetur, aliquantum glutinosus, inodorus & frigidus, pauciore vel eadem aut etiam maiore quàm serum quantitate.

Huic fluori si moderatè se habeat, nulla aliàs superueniunt grauiora accidentia, & sine noxa tam mulieres quàm virgines hunc incolumes alioquin, sæpè multis mensibus, vel etiam annis, ferunt. Aliàs verò si immoderatus sit, malus corporis habitus, seu cachexia eum comitatur: item languor corporis atque functionum quarundam imbecillitas: Sterilitas item in quibusdam mulieribus, licèt in aliquibus in conceptu nullum impedimentum adferat. Pruritus mordicatio & ardor in pudendo & circa illud, si vitiosa sit materia, eas diuexat. Atque inprimis ipsis, si hæc excrementa fœteat, turpitudo hæc molestiam, & maritis tale fastidium, vt ab ipsarum consortio abstineant, parit.

Sudor præternaturalis. Ex cutis poris frequentiùs serum exudat, illiusque hæc excretio Sudor nominatur, naturalis & communis cuiusuis complexionis hominibus; qui tunc præternaturalis euadit, si nimius aut vitiosus existat, qualis & in morbis atque extra hos nonnunquam se offert.

Extra morbos nimius sudor contingit, quando frequentiùs quàm par erat, concitatur, aut diutiùs continuatur, adeò vt animo deficiant, & si sæpè hoc fiat, languorem corporis inde contrahant.

Vitiosus sudor si fœtidus sit, existit. Qualis nonnunquam è toto corpore, vel certis inde locis, vt pedibus, sicuti hoc in fœtore pedum ostensum, exsudat. Frigidus itidem & tenax, non calens, aqueus & fluidus, qualis esse debebat, præternaturalis censetur: Vti & qui colore aliquo plerunque croceo, lintea imbuit & tingit.

Indecens quoq; sudor ille censetur, quo manus & plantæ pedum continuò ferè, vel nullam aut leuem ob causam madent; aliquibus etiam consuetus.

In morbis si sudor non cõueniat & erumpat, vel tempore non decenti, vti in febribus extra crisim, aut nimia illius sit profusio, vti in sudore Anglico, in febribus accidere diximus, præternaturalis existit, cùm per hosce non alleuientur ægri, aut meliùs, sed deteriùs se habeant, imbecilliores que ampliùs adhuc reddantur. Vitiosus quoque & noxius habetur, si non æqualiter è corpore, sed certis tantùm è locis exsudet: & si frigidus, aut tenax existat; Fœtidus autem & qui colorat, cùm iuuet, non malus esse iudicatur. Sicuti hæc omnia copiosiùs in febribus aliisque quibusdam morbis, in quibus sudores consueti sunt, recensita fuerunt.

Seri ex aperturis in corpore factis effluxus. Ex aperturis in abdomine factis, in hydrope ascite, serum magnâ copiâ profunditur: & si in cruribus fiant, serum guttatim, diuque exstillat. Ex scroto quoque aperto in hydrocele affatim effluit. Atq; ex vesiculis, pustulis, & tumoribus aquosis apertis, serum parciùs copiosiùsve emanat. Denique ex vlceribus quibusdã ichor serosus aquam referens, quem Germani Glidwasser vocant. Sicuti in eiusmodi affectibus hæc omnia iam priùs demonstrata sunt.

Causa.

AQuosus enarratus humor, qui per oculos, nares, aures, sinum vteri, poros cutis & aperturas effluens, aqueas illas excretiones parit, prouenit velà cerebro vel aliunde à corpore.

Oculorũ sedem subiens aquosus humor à cerebro defluens, causa Lachrymarum.

E cerebro à defluxione pituitæ aqueæ, & seri in oculos, lachrymas procedere, hoc demonstrat, quòd aliàs sine acrimonia & calore se offerant, aquæ instar lentorem tamen quendam habentis, qualis est pituita, aquea ob id dicta; aliàs verò tenuiores limpidioresque sint, vti serum, & quandoque acres salsæ, biliosæ & calidæ, quæ à sero potiùs quàm à pituita dependent; Quos humores oculorum sedem irrigantes, à cerebro defluere, hoc abundè & sufficienter demonstrat, quòd tam citò lachrymæ, quæ priùs aberant, erumpere posint, tantaque interdum copiâ. Etsi enim humiditas illa, quâ oculus palpebræque naturaliter, vt ad motum promptiores essent, humectantur, à sero è venis oculorum exsudante, vti in cæteris quoque partibus fieri alibi ostendimus, proficiscatur, tamen tanta illius copia, quæ lachrymarum stillicidium efficeret, in venis sedis oculorum exilibus, minimè contineri, nec tam subitò prodire posset. Defluxus autem ille pituitæ aqueæ, in oculorum sedem ad lachrymas procreandas, eò faciliùs & citiùs fit, quòd alioquin illius consuetus à cerebro descensus ad nares, per quas naturaliter euacuatur, iuxta oculorum radices, per foramen priuatum illic, atque aliud quoque, quod in oculorum interno angulo, in hunc vsum insculptum fuit, fiat, ob quam causam vel leuiter cōmota, oculi sedem adimplens, lachrymarum fluxum sic parit. Sed & serosus excrementitius humor pituitæ plerunque permistus, in cerebro coaceruatus, quemadmodum eum quoq; illic ab excrementis congeri, indeq; defluere, multisque defluxionibus occasionem præbere, cùm de illis quæ habitum corporis cum dolore infestant, ageremus, ostendimus, ita per eandem viam per quam pituitã ad oculos deferri diximus, descendens ad nares, in oculos quoq; profusus, lachrymis naturam illius referentibus, causam præbet. Alio modo per venas externas internásve lachrymas eò defluere, vti putarunt, cùm hæ sanguinem deferant, nec pituita per has descendat, aut serũ à sanguine tam subitò segregari valeat, concedere minimè possumus, sed ex caluaria per destinatos illis ductus, vti dictum, eò peruenire: Et si fortè extra caluariam humores excrementitij eiusmodi ad oculos defluant, sub cute in palpebris subsistere easque in tumorem potiùs attollere, quàm copiosas lachrymas efficere, existimamus.

Quod autem eiusmodi pituita aquea serumq; in oculos deferátur, lachrymasq; quę in sanis pituitosæ, in ægris serosę magis ferè occurrunt, diuturnas & perseuerantes gignant, causa est humorũ istorum excrementitiorum in capite nimia redundantia, ob quam causam, non solùm defluentes in narium amplitudinem, vti decebat, se exonerant, sed & oculorum sedem quam peruadunt, continuò madefaciunt atque opplent, eoque magis, si oculorum dispositio tum ob frequētem hanc illorum irrigationem, tum ob morbos illorum, imbecillis & laxa reddita, ad suscipiendum apta reddatur. Quæ inde natæ lachrymæ, præter madorem, molestiam vix aliam maiorem adferunt, si à pituitoso humore potissimùm proficiscantur: Si verò à seroso humore exuperante, eoque salso vel acri & calido prodeant, cum pruritu & rubore palpebrarum, in Epiphora dicta, se offerunt. Ab vlcere quoque oculorum interioris maximè anguli, consumptaque præsertim illâ, quæ foramini præerat carunculâ, foramineque ampliato, per quod madoris oculi aliqua portio ex oculo in nares delabitur, fistulaque illic genitâ, cùm tunc eò potiùs defluxus humoris, qui per posterius & in alto oculi sedis situm foramen defluere debebat, dirigatur, omnisque eò deferatur, non solùm per fistulam lachrymalem proin dictam in nares descendens, sed & oculi orbitam illic adimplens, lachrymis perseueranter occasionem præbet. Sicuti hæc omnia in eiusmodi oculorum morbis, vti Epiphora & Fistula lachrymali declarata fuère.

Irritatione oculi sedium, aut vicinarum

partium illi consentientium, facultas expultrix suscitata, humores hosce in oculum subitò propellẽs, lachrymis sed non diu perseuerantibus occasionem præbet. Qualis est quæ à splendore solis, fumo spisso, odore & vapore vellicante, vt ceparum, sinapis, & similium, aliisque oculo illapsis, proficiscitur, lachrymas commouens. Quod & dolor propinquarum partium, vt dentium aliúsve potest efficere.

A' commotione nimia humorum ob conatum magnum, lachrymæ frequenter erumpunt, vti per animi perturbationes accidit, in quibus ob miram illam veluti conuulsionem, musculorum buccarum, labiorum, oculorumque, quam in ploratu lachrymas præcedere obseruamus, aquei hi humores oculis vicini, & iuxta eos, vti dictum, defluentes, commoti, in oculorum sedem se insinuant, lachrymasque efficiunt. Quod & in risu valido, ore quoque distorto, gaudioq; nimio accidit, vt & tunc lachrymæ excidãt. In alio quoque conatu magno, in alui excretionibus, vti & in partu, in tussi, sternutatione, eandem ob causam lachrymas elici videmus.

Nares petens aqueus humor à cerebro defluens, causa Stillicidij narium & Coryza.

In nares pituitæ à cerebro expurgationi dicatas, aquosus humor enarratus à cerebro defluens, Stillicidium narium vocatum parit. In quo fluxus ille eò abundantior est, quò maiori copia in cerebro coaceruatur. Exstillatque tenuis humor aquæ instar, si rectà à cerebro ille eò descendat: cùm talis ferè in cerebro congeratur aquea dicta pituita, atque si antris ossium diutiùs retineatur, primùm crassescat mucosaq; fiat. Cæterùm & serosus humor excrementitius, qualem in cerebro quoq; congeri, in aliis defluxionibus ostendimus, inde quoque pituitę plerunque permistus, defluens ad nares, fluorem hunc aqueum ex illis emanantem parit vel auget, qui tunc & tenuior acrior calidiorque plerunq; existit, & vellicando pruritum, & sternutationem commouet, coryzamque dictam gignit. Quam defluxionem horum humorum à cerebro, illorum nimia illic collectio efficit, atque ea quæ facultatem expultricem excitant, promouent: sicuti in aliorum affectuum à defluxionibus dependentium causis, & tussis præsertim, hæc vberiùs fuerunt exposita.

Aures subiens aquosus humor è venis illic emanãs causa aquosi ex auribus fluxus.

Aliunde quàm à cerebro pituita illa vel aqueus humor, qui ex auribus effluit, promanat, cùm ab eo non alia via ad auditus cameram, quàm per foramem neruo auditorio paratum, existat, per quod si illa intraret, interiorem tantùm cameram subire, atque, ad exteriorem meatũ penetrare, minimè posset nisi tympanum peruaderet, quod tamen citra illius læsionem & auditus defectum inde profectum, non faceret. Sed cùm citra auditus abolitionem hic fluxus ex auribus contingat, atq; ab externo auris meatu prodeat, in eum pituitam hanc deferri satis patet. In quam externam sedem, vti serum exudans eam madore suo humectare solet; ita si aquosus ille humor copiosè illic coaceruatus, redundet, è venis meatum hunc implicantibus, prodiens, effluxum hunc illius efficit: quod tamen rariùs, cùm longè conuenientiores viæ seri expurgationi destinatæ sint, accidit, aliquando tamen præsertim in nimiùm laxatis hisce ductibus, illud potest euenire. Sicuti in fluore vterino pituitosam quoq; materiam è venis copiosè egeri posse, iam demonstrabimus.

Vteri ceruici influens aquosus humor, è venis illic promanans, causa Vterini fluoris.

A' ceruicis vteri venis sicuti menstruum fluorem oriri ostendimus, ita & fluor vterinus ab iisdem procedit, neque enim ex vteri fundi cauitate vti vulgò putant, in collum illius effluit, indeque postea expurgatur, cùm tam angustus in vtero sinus, tantam copiam humoris, quantam plerunque emanare videmus, capere minimè posset, nec in eo congeri, multò minùs per venas quæ exiles sunt, nec donec mulier vterum gestat, ampliantur, in illũ influere valeret, vti verò per ceruicis illius venas manifestiores ex eadem effluit. Quod tunc accidit, quando humor ille excrementitius, qualis in hoc fluore se offerre solet, sanguini confusus, vel cum eo in menstrua purgatione adhuc permistus, vnde impurus maleq; coloratus tũc sanguis apparet, expurgatur, vel donec menstrua iam pręterierint, omnino vel ex parte retentus & coaceruatus, tunc demũ à natura propulsus, per eandẽ viam, per quam priùs sanguis, eo ferè modo vti ante eum mẽstrua, ob

quam

quam causam & menstruorum alborum nomen illi fuit inditum, excernitur. Quod & alio tempore quandocunque natura illuuie hac grauatur, potest euenire, tũ in illis quæ menstruas purgationes nihilominus habent, tum in aliis quibus hæ iam cessarunt. Vti & in grauidis hoc itidem aliquando cõtingit, in quibus cùm vteri orificium internum penitùs occlusum sit, hũc fluxum non ex cauo vteri promanare potuisse, sed ex illius collo, satis demonstrat, atq; in illis quæ vterum non gerunt, similiter euenire idem etiam cõprobat. Nec mirum naturam per eandem viam per quam sanguinẽ euacuare solet, hæc excrementa si ea exuperent, repurgare, cùm hoc & in aliis locis per vasa aliis rebus vehendis destinata, ea quandoq; moliatur. Verùm quòd citra cruoris permistionẽ, humor ille venas hasce permeet, hoc ideò, quia fluxus ille extra tempus, quo natura eas ad fluxum menstruum excitandum sanguine implere solet, & proin eo velnti destitutæ sunt, euenit. Vti &, quia natura sanguinem ab impuritate hac segregans, ipsum tamquam vtilem retinet, excrementa hæc verò tanquam vitiosa atq; præternaturalia, eo modo vti dictum, ejicit. Quæ excrementa si aquea sint, à seri in sanguine copia, si pituitosa, à crudo sanguine eò deriuata, si saniosa, à sanguine nonnihil tincta, procedunt: quibus si alij humores excrementitij permisceãtur, vt bilis crocea viridis aut atra, tunc pro horum ratione, colore alieno hoc illóve fluor imbutus est, atq; si acres sint eiusmodi humores, vel serum quod effluit admodùm salsum, tunc & fluxus ille irritando, & vrendo, interdum in locis quibus adhæret, pruritum & ardoris sensum parit, & si diu durat, aliquando & ea exulcerat. Aliàs verò si hisce destituatur, sine sensu, instar aquæ vel albuminis oui cõquassati profluit, nec tunc adeò, nisi immodicus sit, vti cùm vitiũ quoq; in se habet, noxius existit.

Cæterùm horum excrementorum in sanguine contentorum, quę fluxui huic muliebri materiam præbent, causa, ab illis quæ assumuntur, atque à viscerum concoctioni excrementorumq; segregationi destinatorum imbecillitate dependet, eoq; modo ab illis procedit, sicuti in affectibus etiam aliis, qui ab iisdem excrementis in sanguine retentis proueniunt, maximeque in cachexia, quæ huius fluoris plerunque, nisi per eum, succus crudus eam producens, admodùm expurgetur, comes est, hæc abundè descripta fuerunt. Quæ excremẽta, natura vti dictum, quando illis grauatur sic expellit, eoq; citiùs; si vteri simul adsit imbecillitas, vti variis de causis ita & huius fluoris diu hasce sedes alluentis & humectantis & refrigerantis causâ, exorta. Vti etiam si natura ad horũ propulsionẽ, alio modo quoq; excitetur. Sicuti mulieribus, quæ nunquam hunc fluxum passę fuerunt, hunc postquam medicamenta cathartica sumpsissent, quia natura eorũ vsũ, ad alias excretiones moliendas excitata fuerat, superuenisse obseruauimus: Multasq; dum thermis aliquandiu insedissent, hoc vitium contraxisse, non ob contagium, quia cum aliis, quæ eo laborabant, in eodẽ balneo sederint, vti verò sibi persuadẽt, sed quod vsu horum continuo sicuti per sudores natura excrementa deponit, sic & per hanc excretionem, eadem, maximeque quæ ob crassitiem sudore exhauriri nequibant, expellit.

À totius corporis superficie emanat serum quod in Sudore exudat, idq; ob contiguitatis solutionẽ aliquã cutis & cuticulæ, licèt obscuram nec manifestã, vnde serum quod sanguini confusum & per superficiem corporis diffusum, & in venis illic inclusum est, eas permeãs, omni sudori causam pbet. *Cutis poros permeans serum, causa Sudoris.*

Quæ contiguitatis solutio procedit tum à pororum apertione aliquâ, vel anastomosi, vel cuticulę rarefactione, aut diapedesi: tunc enim serum cùm tenuissimũ sit, poros permeando, per cuticulã transudando, sudores efficit. Hanc autem in cute & cuticula apertionem, serum molitur, si eò attrahatur vel propellatur.

Attrahitur serum calore potissimùm, si corpus extrinsecùs eò incalescat, tunc enim serum cum sanguine ad corporis superficiem rapitur, atq; per cutem eo ferè modo, sicuti calore aqua è plantis per destillationẽ dictã, elicitur, eoq; meliùs, cũ & simul calor cutẽ dilatãdo, serũq; nonnihil accendẽdo attenuandoque, vt propius penetret, efficiat. Quod

Quod & ſerum ſi maior illius adſit copia, vel tenuius acre, & bilis ichoribus refertum, fluidumq; proinde ſit, faciliùs copioſiusque calore allicitum, exſudabit. Quæ vt calor in ſudore naturali, cuius præcipuè cauſa eſt, molitur, ita ſi vehemens ille ſit, aut diutiùs duret, vel etiam licèt mitior, tamen ſerum tale vt dictum ſe offerat, præternaturali immoderato ſudori cauſam præbebit. Qui calor ab exercitiis vehemētioribus & balneis tam ſiccis quàm humidis concitatur, & horum immoderatiore vſu ſudores immoderatos parit. Quorum causâ & balnea corpus eneruare dicuntur.

In morbis veluti frebribus licet corpus vniuerſum admodum incaleſcat, ſudores vix erumpunt, donec natura cauſam morbificā, vti iam oſtendetur, per ſudores expellat, quod in febribus intermittentibus ceſſante iam calore in die quietis, in continuis, circa harum declinationem, fit, cùm dum corpus adhuc æſtuat, in concoctione cauſæ morbificæ natura occupata, nondum donec ea præparata attenuataque ſit, hanc per ſudorem excretionem inſtituat.

Propellitur ad ſuperficiem corporis ſerum à natura, ſi eo grauetur, tunc enim facultate expultrice, illud per hanc excretionem, quæ per ſudores fit, nititur excutere; Grauatur autem eo, quando vel quantitate vel qualitate peccat.

Quantitate ſi nimium redundet ſerum in venis, nec per vrinas ſufficienter expurgetur, tunc ibi cumulatum, cùm ex illis per aliam euacuationem, à ſanguine ſeparari commodeq; repurgari non poſsit, à natura hac illi deſtinatâ, viâ, per ſudores certo tempore, vel citra aliam attractionem, vel eadem ſimul per calorem accedente, exhauritur: Vnde qui parùm mingunt, multùm ſæpeq; immoderatiùs ſudant, præſertim ij qui humidis cibis, largoque potu copiam illius ſibi comparant.

Qualitate ſi peccet ſerum, atq; permiſtione aliorum humorum ichorum impurum reddatur, naturæq; ſic graue fiat, ab ea, vti per vrinas, ſic & per ſudores propulſatur. In cacohymicis plerunq; corporibus, tunc ſudores non naturali modo ſe habent, ſed vel fœtidi, vel tenaciores, caloreque aliquando alieno imbuti ſe offerunt, atque nunc in toto corpore, nunc certis ſaltem in ſedibus, veluti extremitatibus, quo natura illuuiem ſolet excutere, conſpiciuntur; ob quam & cauſam in pedib. & manibus, mador aliquibus conſuetus, è quo ſordes fœtidæ, vti in ſordibus dicetur, etiam gignuntur. Qui omnes ſudores vitioſi exiſtūt, & morborum futurorum præcurſores ſunt.

In morbis ſi cauſa morbifica in ſanguine, cuius portio etiam ſerum exiſtit, conſiſtat, veluti in febribus aliisve inde pronatis morbis accidit, natura eam ſi non per aliam viam aut vrinas, per ſudores frequentiſsimè è corpore elicit. Qui etſi nunc odore graui, nunc colore aliquo alieno parumper infecti, ſe exhibeant, ſi tamen decenter procedant non noxij ſed ſalutares exiſtunt. Quòd ſi verò immoderatiùs erumpant, vel non ſufficienter, aut tempore non conuenienti, nondum morboſâ ad expulſionē rectè pręparatâ, inutiles & vitioſi habentur. Idem in morbis à vi malignâ peſtilenti vel venenatâ & contagioſâ profectis, ſæpenumerò euenit, vt natura eiuſmodi qualitatē aduerſam cum ſero per ſudores è corpore expellat, qui quoque ſudores, nunc ſalutares nunc exitioſi exiſtunt. Et ſi vel in his vel in aliis morbis contingentes, tunc ſe exhibent, quando calor natiuus extingui incipit, corporisq; extremitates, in quibus primùm hoc deprehenditur, refrigerari, tunc Frigidi etiam ſudores vel prodeunt, vel progreſsi mox tales fiunt. Quæ omnia quo pacto in morbis eiuſmodi diuerſis, in quibus ſudores ſolent erumpere, fiant, in illis deſcribendis fuit expoſitum.

Commota quoque natura animi affectibus, ſi ſpiritus cum ſanguine intrò foráſve propellat, ſudores nonnihil erumpunt, qui mox frigidi euadūt, ſi calor corporis introrſum vergens, ſuperficiem corporis calore deſtitutam relinquat, veluti in Syncope accidere, atque in agone mortem inſtantem denuntiare videmus frigidum ſudorem.

Cutis apertura per eadis Serum.

Ex aliis in corpore alicubi factis, vel ſuperficietenus tantùm, vel profundis aperturis, ſeri effluxus ſequitur, ob ſolutam illic conti-

causa illius unde effluxas. continuitatem. Quæ si vel obiter in cuticulâ fiat abrasâ, serum leuiter etiam exsudat, vti & si scarificatione, sectione, vstione in phlyctenis, pustulis aquosis, aut hydropicorũ cruribus: Vel si per veram cutem, aut etiã vlteriùs penetrãte sectione, puncturâ, paracẽtesi aqua ex abdomine hydropicorum, aut ex scroto in hydrocele, vel ex tumoribus aquosis emittatur: Vel ex vlceribus vti dictũ malignis serum illud aquosum exsudet, sicuti in eiusmodi affectibus demonstratum fuit.

Curatio.

Lachrymarum curatio. LAchrymarum ex oculis fluxus aliàs negligitur, aliàs verò curam requirit. Nam si à causa non perseuerante generentur, vt à commotione nimiâ in animi affectibus: vel irritatione, à splendore, odore, fumo & similibus, hisce cessantibus vel remotis, sponte iterum cessant. Pręsertim verò hæc, si lachrymis oculi alioquin obnoxij sint, tantò magis declinãda. Quę verò à causa durabiliore, perseuerantes aut sæpè redeuntes sunt lachrymæ, curationem requirunt. Et si cum rubore, ardore & pruritu in Epiphora dicta iungantur, indeq; procedant, eadem cura quæ epiphoræ debetur, in ea exposita, etiam lachrymis comitibus curandis competit. Vti &, si cum vlcere oculi, vel fistula lachrymali copulentur, ab illisque proueniant, non nisi hisce curatis, cessabunt. Et proin cùm ægrè hi oculorum morbi sanẽtur, ex illis natæ lachrymæ etiam difficulter abolentur. Ni fortè vti accidisse aliquando, in curatione fistulæ lachrymalis ostendimus, illa adeò ampla fiat, vel exeso osse interni oculi anguli, foramen illic tam latũ aperiatur, vt aqua omnis ex oculo, per hanc viam deorsum in nares, nec ampliùs extra oculum, vti lachrymæ aliàs solent, profluat.

Ob pituitosi & serosi humoris copiam, nõ per decentes vias se expurgantis, sed in oculorum sedem defluẽtis, citra prædictos morbos, si lachrymæ oboriantur frequentes vel continuæ, tunc illis similiter cura debetur, quæ sic instituenda: Vt humorum horum in cerebro copia inde expurgetur, prouentusq; illorum impediatur, defluxusque ab oculis aliò diuertatur & sistatur, lachrymæque absumantur, oculisque robur addatur. Quæ sic fiunt.

Expurgantur è capite humores eiusmodi per aluum, exhibitis catharcticis, per os Masticatoriis, per nares Errhinis; licèt autem errhina irritando lachrymas concitent, quia tamen easdem ad nares promouent, plus commodi quàm detrimenti adferunt. Qualia quæ hoc illúdve præstant, passim in affectuum variorum à defluxionibus è capite pituitosorum & serosorum humorum profectorum: vt dolorum in habitu corporis inde genitorum, & tussis præsertimq; ophthalmiæ falsæ, & Visus imbecillitatis curâ descripta fuerunt. Inprimis autem sudorum frequens prouocatio, humiditates illas vti in vniuerso corpore, sic & in capite admodùm aufert & absumit. Quam proin vti in aliis defluxionibus perseuerantibus, sic & lachrymis admodum infestantibus, tandem per vsum decocti Guaiaci, aut alia sudatoria diu continuata, cum stuphæ, & balnea non ita oculis conueniant, instituere solent. Eo modo vti hæc in aliis defluxionibus etiam exponuntur.

Prouentum horum humorum in capite impedimus, Parcâ & laudatâ victus ratione: Exhibitis & adhibitis capiti siccantibus, caputque roborantibus, Suffimigiis itidem idem præstantibus, passim quoque in defluxionibus dictis declaratis.

Diuertimus ab oculis defluxiones hasce, Cucurbitularum vsu, & Frictionibus, aliísve reuellentibus & deriuantibus: atq; nisi hæc iuuent, ad caustica tanquam extrema remedia transimus, & Vesicatoria ceruicis posteriori vel scapularũ regioni adhibemus: Cauteriaq; actualia vel potentialia, hisce sedibus vel vertici capitis imprimimus: Eodem modo, sicuti in prædictis affectibus à defluxione genitis, similiter exposita sunt.

Sistimus defluxionem oculis illabentem, admotis fronti & temporibus, quæ siccãdo vel adstringendo descensum illius cohibent, emplastris præsertim, in defluxionibus oculorum, in ophthalmiæ falsæ cura expositis.

Ad absumendas lachrymas, angulis oculorum Collyria instillantur, cùm cubitum eunt, vt in decubitu supino, oculis per so-

num clausis meliùs retineantur, vel bombace aut spongiolâ excepta, illis induntur: vel vnguenta imponuntur, aut pulueres insperguntur, aut fumi oculis excipiuntur.

Quod multa ex illis quae in Epiphoræ & Vlcerum oculi cura topica remedia, ad siccãdum potissimùm præscripta sunt, etiam in lachrymis hisce, citra hosce morbos occurrentibus, absumendis, præstare possunt.

Veluti in epiphora descriptus puluis, qui ℞. Cadmiæ fossilis, &c. Et qui ℞. Antim. præpar. Et collyrium de Hęmatite; Fumus item ex Thure, &c. & suffitus ex Sale: Item ex Vitreolo albo illic parata collyria & puluis ob validam illorum exiccationem.

Et in vlceribus oculi vnguenta illic præscripta, album, rubrum & nigrum vtrumque Collyriũ, item quod ℞. Sarcocollæ, &c. Aliudq; potentiùs: Item Rhazis tria collyria Eleiser, ex Plumbo, & Polychreston, omisso in duobus postremis opio.

Pręter hæc, Aquæ aliæ siccantes hisce collyrijs misceri possunt: Veluti Myrthi aut Myrtillorum, Caprifolij, Sumach, Agrimoniæ, florum Ligustri, Labruscę & Salicis, aut ex fructibus acidis vt Granatis vel Prunellis syluestr. exstillatæ.

Decoctum plantarum quarum aquis vtimur, efficaciùs siccabit; Imprimis Mali granati Platani folior. decoctũ probat Dioscor.

Imposita item folia Elatine, cum polenta iuuare idem docet:

Puluerem itidem Ebeni ligni ramentorum immissum.

Vnguentum oculi angulo indendum hoc erit efficax: ℞. succi Malorum granatorum acidorum; Vel succi summitatum Rubi aut Rosarum fol. q. s. decoquatur ad consumptionem medietatis, misce Myrobalanorũ ossium vstorum, & Vuę acerbę si haberi possit q. s. ad incorporandum: Adde parùm de succo, qui ex lapidibus Hæmatite, Galactite vel Cote albâ, quâ tonsores suas nouaculas acuunt, prodit, quando alijs cotibus affricantur, misce. Hisce & alij pulueres siccantes admisceri possunt.

Vitreolum vstum addito Saccharo, & dissolutum Aquâ, paratu facilè efficaxq; est remedium.

Stillicidium narium aqueum vel mucosum, cùm à cerebri excrementis proueniat, hisce potiùs ne abundent, cura erit adhibenda, quàm vt aliâ ratione fluxum hunc velimus compescere. *Stillicidij narii curatio.*

In Goryza seu grauedine, in qua non solùm magnâ quantitate aqueus humor è naribus effluit, sed & nares partesq; vicinas vti dictum molestiâ afficit, aliquando & tussim simul infert, cura similiter excrementis cerebri expurgandis, & defluxioni inde natę accommodabitur, non aliâ ratione, quàm & in tussi cæterisque defluxionibus fieri debere docuimus. Interim tamen etiam partium inde læsarum, vt narium rationem habentes, topicaque vti in ipsarum inflammatione & vlceratione dictum, illis adhibẽtes. *Coryzæ curatio.*

Ex auribus proueniẽs aquosi humoris effluxus, si paucus sit, nec aliam noxã inferat præter eam curam quâ corpus ab hac superfluitate mundum reddi debet, aliâ priuatâ minimè opus habet. Vti nec si copiosior illius sit effluxus, in quo ea quæ humorũ istorum prouentum impediunt, eosque expurgant, admiscendo & hydragoga & diuretica, vsurpari debent, quorum varia exempla in ascitis hydropis cura sunt exposita. Si spissior & mucosa hæc aqua reddita, non ita promptè vti tenuis effluat, ea diluentibus & abstergentibus eluenda erit: Iisdem quibus & pus ex auribus repurgari debere, in eo fluxu demonstrauimus. *Auriũ effluxus aquosi curatio.*

Fluor vterinus, quem Menstrua alba vocant, licèt in quibusdam feminis citra noxam grauiorem diu sæpè perseueret, tandem tamen eas discolores & segniores reddit, mulieresque ad conceptum minùs aptas, atque ob hunc madorem viris quandoque inuisas; quâ de causâ ab eo liberari maximè optant: Quod non sine difficultate, si præsertim diu durarit, perficitur, vixque integrè, quin aliquando fluxus ille redeat, tollitur. *Vterini fluoris curatio.*

Quòd si insuper vitiosa hæc quæ effluit humiditas existat, tunc præter turpitudinem adhuc maiorem quam adfert, nonnunquam & fœtorẽ, noxæ quoq; aliæ in vteri ceruice, interdum & illi cõtinuato vteri fundo, inter quas pręcipuè est exulceratio tandem succe-

succedunt: Aliàs etiam ob nimiam inanitionem alij morbi sequuntur.

Scopus curandi in eo consistit, vt prouentum horum excrementorum, prospiciendo etiam vẽtriculo, impediamus, eaq; è corpore educamus atq; absumamus, & ab vtero reuellamus, vterũq; exiccemus ac roboremus. Quæ omnia huius solius fluoris causâ fiunt. Quòd si verò alij affectus huic fluori complicentur, qui illi causam præbuerunt vel eum sequuntur, veluti cachexia, hydropis principium, tunc simul & hisce ante omnia prospiciendum, visceraq; concoctioni destinata, quæ labem aliquam contraxerunt, erunt corrigenda. Si sterilitas inde quoque sequatur, mulierq; & fluore hoc molestetur, & sterilis sit, vtrisq; cura accommodabitur, qualis si conceptio ob humiditatem aut excrementorum vteri copiam impedita sit, in sterilitatis cura exposita, hîc quoq; poterit competere. Cæterùm huius fluoris potissimùm causâ, cura per euacuantia & alterantia sequenti modo erit administranda.

Euacuationes ad excrementa hæc ab vniuerso corpore, in quo ferè redundant, repurganda, variæ instituuntur per sanguinis imminutionem, deiectiones, vomitus & diaphoretica.

Sanguinis imminutio cùm vnà cũ illo excrementorũ portio quoq; aliqua educatur, in plethoricis vel nondũ emaciatis corporibus locũ habere poterit: Quæ per venã incisam & scarificationẽ perficitur: Vti & mensium prouocationem, si illi substiterint, cùm per hos vnà cum sanguine excremẽta fluorem vterinum gignentia aliquãdo penitùs, aliàs ex parte, ita vt ille fluor vel non sequatur, vel parciùs se exhibeat, repurgentur.

Deiectionibus per aluum concitatis, imprimis corpus purum & mundum ab excrementis reddere studebimus, eoque frequentiùs cùm ea copiosa esse, vti ferè sunt, ex fluoris copiâ & perseuerantiâ cognoscimus, quæ pro ratione ipsorum, prout vel serosa aut pituitosa magis sunt, & bile hac illáve, aut alio humore permista, obseruatâ maximè corporis constitutione, & quinam in eo humores potissimũ redundent, hisce euacuandis accommodamus: admiscendo in hoc quoq; fluore, vti & in alijs ad eum insuper sistendum, si profusus sit, purgantia adstrictione aliquâ prædita.

In humidioribus corporibus, in quibus hic fluxus serosus vel pituitosus potissimùm existit, ante purgationem sic præparamus. Propinando præmissâ ventris lenitione per clysmata aut exhibita minoratiua, ad dies 3. 4. vel 5. sequentia:

Veluti Iulepum qui ℞. Mellis rosat. colat. syrupi de Hysopo ana ℥. ij. syrupi de Stœchade, de Arthemisia ana ℥. j. aquarum Melissæ, Betonicæ, Nepetæ, Pulegij, Saluiæ, ad duplum vel triplum cum syrupis; misce; aromatis. Cinamomo vel Spicâ, vel puluere Diamoschi aut Diambræ.

Vel vtatur hoc decocto: ℞. rad. Iridis ℥. j. ß. rad. Rubiæ vel Valerianæ ℥. j. rad. Cyperi, Enulæ an. ℥. ß. herb. Betonicæ, Nepetæ, Melissæ, Arthemisiæ vel etiam aliarum plantarum prædictarum aquarum ad M. iij. vel iiij. summitat. Rosmarini, florum Lauandulæ vel Stœchados, Cheiri, Rosarum rubrarum ana P. j. sem. calidorum Maiorum ʒ. ij. Minorum ʒ. j. Cicerum P. j. decoquantur in Aqua, atq; addito Saccharo vel Melle dulcorentur, & Cinamomo vel Spicâ aromatisentur: Pro quatuor vel quinque vicibus.

Purgetur postea hoc pacto: ℞. decocti præpar. q. s. pro vnâ vice, adde seminis Carthami, fol. Sennæ an. ℥. ß. fiat decoctio, infundatur Agarici cum Melle rosat. diligenter permisti ʒ. ij. fiat potio.

Vel dentur ex vsitatis, Diaphœnicon, Diacarthamum, De citro solutiu: vel per se vel dissoluta cum decocto vel aquis præparantibus. Aut sumat pilul. de Agarico, Coccias, Fœtidas, similiaque.

Per vices vt humores hi aquei & pituitosi diligenter è corpore educantur, purgandæ erunt: Vel leuioribus sæpe exhibitis; Qualia sunt pilulæ de Hiera, Mastichinæ, Assaiereth, Alephãgine: Vel etiam fortioribus iam enarratis: Inter quæ decoctum pro potione descriptum, auctis omnibus ad triplum vel quadruplum, atque incoquendo simul vel infundendo Agarici troch. ʒ. v. Turpethi ʒ. iij. Zingiberis ʒ. ß. in formã apozematis vel syrupi vsualis redigi poterit, sicq; suc-

cessiuè vsurpari: Vel hæc omnia in Vino infusa & vel saltem macerata, vel leuiter in duplici vase etiam cocta, addito insuper Absynthio, eo pacto vsurpari possunt.

Multa alia præparantia & purgantia in aliis morbis, à pituita & sero maximè à defluxionibus profectis, hîc quoque possunt competere, quæ inde peti huicq; affectui accommodari debent.

In impuris aliis corporibus, vnde vitiosus hic fluxus & malè coloratus oritur, præparatio sic poterit institui.

Per iulepum: ℞. Mellis rosati colati ℥.ij. syrupi de Betonica, de Endiuia, Fumariæ simpl. vel Lupulorũ an. ℥.j. aquarum Absynthij, Capilli veneris, Buglossi vtriusque, Fœniculi, duplici vel triplici ad syrupos mensurâ, misce: Per aliquot vices est sumendus.

Vel per hoc decoctum: ℞. radicum Liquirit. ℥.j.ß. Cichorij, Fœniculi, rad. Dentis Leonis, cort. Sãbuci, Ebuli an. ℥.j. herb. Endiuiæ vel Cichorij, Buglossi vtriusque, Fumariæ, Lupul. Betonicæ ana M. j. florum Cordial. florum Genistæ ana P. j. quatuor seminum frigidorum Maiorum ℥.ß. semin. Fœniculi, Anisi ana ʒ.ij. semin. Cuscutæ ʒ.j. fiat decoctio, quæ coletur & dulcis reddatur Saccharo, aromatisetur Cinamomo vel Spicâ aut puluere Diarrhodon.

Purgetur dein hoc modo: ℞. decocti præparat. q. s. adde foliorum Senæ ℥.ß. Myrobal. citrin. ʒ.j.ß. fiat decoctio, infunde Rhabarbari elect. ʒ.j. syrupi Rosarum solut. simplic. ℥.j.ß. vel succi Rosarum ℥.j. fiat potio.

Huius loco, potiones in menstruo fluore descriptæ, quarum vna ℞. Tamarind. Prunorum, &c. altera ℞. cortic. Myrobal. citrin. exhiberi poterunt.

Vel dentur ex vsitatis elect. de succo Rosarum, Diasenę solut. Confectio hamech dissoluta cum decocto prædicto vel aquis, aut sero caprino; Vel pilulæ Aggregatiuæ, vel alia eiusmodi.

Cùm pluribus vicibus purgare volumus, damus aliquoties ex leuioribus, Catholicon, Diasebesten, Trypheram persicam; vel syrupum Rosarum solut. simpl. vel cum infusionibus Senæ, Rhabarbari, Agarici: Vel syrupũ de Fumaria compos. aut de Epithymo: vel de efficacioribus modò expositis.

Vel sequens apozema: ℞. Decoctũ præparans supradictum pro quatuor vel quinque vicibus, addendo Passul. enucleat. par. x. Prunorum numero vj. Tamarind. ℥.j. radic. Polypod. ℥.ij.ß. foliorum Sennæ ℥.iij. Epithymi ʒ.ij. cortic. Myrobal. citrin. chebul. indarum ana ʒ.ij. fiat decoctio in Aqua, & in colaturâ infunde Rhabarbari elect. ʒ.iij. Spicæ ℈.j. fiat expressio, adde Sacchari q. s. pro apozemate dulcorando, vel in formam syrupi incoquendo.

Præter hæc multa alia & præparantia & purgantia in cacochymicis, biliosis alijsve affectibus, ab eiusmodi excrementis genitis, hîc quoq; in similibus excremẽtis, hunc fluorem gignentibus expurgandis, possunt competere: Vti & purgantia quædam ex illis quę in cachexia descripta sunt, si pręsertim illa fluorem hunc comitetur: Vel etiam ex hydragogis aliqua, si seri magnã in corpore redundantiam ex hydropis imminentis indicijs cognoscamus, in hydrope exposita hîc quoque exhibere, vel hisce purgationibus fluori huic competentibus commiscere debemus.

Vomitu ante cibum facto, cùm crudorum & pituitosorum humorum vti & biliosorum magna fiat & subita euacuatio, corpora quæ eum ferre possunt, valdè expurgantur. Vti & eo qui post cibum fit, quo tẽpore faciliùs vomunt, & vel cùm cibo, vel etiam sine illo, vti sæpè obseruatur, nihilominus multa excrementa eiusmodi euomuntur: Fit quoq; in concussione hac per vomitum factâ, aliqua excrementorum ab inferioribus ad superiora reuulsio.

Diaphoretica, quæ per corporis habitum euacuant, insensibiliter per transpirationẽ, vel sensibiliter per sudores, in serosis & pituitosis corporibus, ad fluorem hunc abigendum, si præsertim diu hæc continuentur, plurimùm iuuant.

Ad quam rem, Exercere corpus donec admodum caleat, vel etiam sudet, aliquam vtilitatem adferet.

Integumentis aut indumentis, corpus ad calorem vel sudorem vsque compellere, idem efficiet.

Præ-

Præcipuè verò aëre calefacto hoc moliri, in Balneo sicco cùm sudores potenter eliciatur, plurimùm proderit, si præsertim decocti alicuius sudorem promouentis suffitu stupha calefiat: Veluti flor. Chamomillæ, Meliloti, aliarúmve herbarum odoratarum calidarum, ex quibus balnea parari humida, in quibus sedeant, mox ostendemus. Quorum vsu & sudores simul eliciuntur.

Vti & Fumis, quibus totum corpus suffumigatur, atque inunctionibus spinæ. Quæ & præter quòd sudores mouent, corpus insuper siccando, humiditates hasce admodùm absumunt. Inter quæ fumum cinnabaris, vti ille in lue venerea vsurpari solet; sed hîc paucâ saltem additâ illius cum cæteris quantitate, ne fauces inficiantur, plurimùm in desperato hoc malo profuisse, vidimus.

Exhibitis sudores prouocantibus hoc quandoque perficitur, interdum ea propinando. Vel in perseuerante & diuturno hoc fluore hæc ad aliquod tempus vel septimanas continuando: adhibitâ insuper cibi parsimoniâ: Atq; sic ligni Guaiaci decocto vel Zarsæ parillæ aliísve in Luis Venereæ curâ expositis, cura hæc perficienda.

Alterantia exhibentur, quæ humiditates hasce corporis exiccent & absumant, eóque validiùs, si aqueus & pituitosus hic sit fluor, addendo illis, si immodicus sit, quæ adstrictione insuper prædita, illum etiam nonnihil cohibeant. Qualia multa in mensium fluoris cura exposita, quæ assumuntur, atque adstringendo illos sistunt, hîc quoque, si nimius adsit fluor, possunt competere: cùm alioquin, quia per illum illuuies ea expurgatur, non vtilis sanguis, vt in menstruis, nec corpus adeò vti ab illorum fluore, aut non tam citò debilitatur, non statim fluor ille sit compescendus, ob quam & causam hîc potiùs hæc remedia siccando quàm adstringẽdo, secus ac in mensibus, præualere debent, quibus & quæ calore suo vtero simul amica sunt, permiscentur: Danturque sequentibus formis.

Puluerum forma efficaciùs illud præstat: Danturq; hi pulueres, vel per se cum Vino rubro stiptico vel chalybeato, aut alio liquore: Vel possunt sumi addito Saccharo in forma Pulueris, vel Tabularum.

Primus: ℞. Cornu cerui vsti ʒ.ij. rasuræ Eboris ʒ.j. Coralli rubr. vsti ʒ.j.ß. fiat puluis.

Alter: ℞. Succini puri ʒ.ij. Thuris vel Masticheš ʒ.j. gummi Arabic. vel Tragach. ʒ.ß. puluerisentur.

Tertius: ℞. ossium Dactylorum tostorum ʒ.ij. nucleorum Granatorum acidorum vel Rosarum ʒ.j. corticis interioris lanuginosæ Castanearum vel Auellanarum ʒ.ß. fiat puluis.

Quartus: ℞. corticis Suberis vsti ʒ.ij. granorum Sumach ʒ.j. Acaciæ vel Hypocistid. ʒ.ß. fiat puluis.

Quintus: ℞. baccarum exiccatar. Berberis, Rubi humilis vel Idæi vel Mororum, Myrtillorũ ana ʒ.j. se. Viticis ʒ.ß. fiat puluis.

Sextus: ℞. foliorum Consolidæ maioris ʒ.ij. foliorum Alchimillæ vel Millefolij ʒ.j. Mentæ ʒ.ß. fiat puluis.

His singulis ad gratiam de sequenti puluere ʒ.ß. fiat addi poterit: ℞. radic. Cyperi, Galangæ ana ʒ.j.ß. cortic. Citri sicc., Cinamomi ana ʒ.j. semin. Anisi (quod in albo fluore prodesse docet Dioscorid.) ʒ.j.ß. semin. Coriandri torrefacti ʒ.j. Spicæ ℈.j. fiat puluis.

Vel huius loco, tantundem specierum Aromatic. rasati, vel Diagalangæ aliarúmve siccantium addi.

Ex commistione horum compositi alij etiam fieri possunt pulueres, duos, tres vel omnes simul miscendo.

Alij quoq; pulueres in fluore hoc cõpetũt, qui simplices inuicémve permisti, vel supradictis additi, sumi poterunt. Vti radix Gariophyllatæ, Chamæleontis, Vlmariæ, foliorum Quercus, Rubi, Sumach, Potẽtillę, Pulmonariæ, Ophioglossi, Lunariæ minoris, Rosmarini, florum Amaranthi purpur. Milij Indici panicularum, florum Rosarum staminum capillaceorum, luteorumq; in illis apicum, seminum Pæoniæ: Item cineres Astacorum fluuiatilium, Concharum marin. Spongiæ combustorum.

Si admodùm astringendum in fluore nimio, potest de hoc puluere prædictis aliquid addi: ℞. Gallarum vel cortic. Granatorum ʒ.j. Balaustior. ʒ.ß. Boli præparat. vel Terræ

alterius ℥.j. Lapidis hæmatitis ʒ.ß. Acaciæ vel Sanguinis draconis ℈.ß. fiat puluis: Vel alia etiam astringentia in aliis fluxibus exposita.

Decocta ex prædictis plantis, quarũ puluis cõuenit, fieri possunt, sicq; vsurpari; vel Vina ex aridis illis in Vino infusis vel coctis. Polygoni decoctum in vino admodùm probatur.

Succi earundem plantarum, per se vel permisti similiter assumi poterunt.

Syrupi ex hisce parari ad vsum possunt: Vel ex vsitatis dari syrupi nonnihil adstringentes, in mensium fluore expositi, additis vterum respicientibus, veluti de Arthemisia, flor. Stœchados & similes.

Aquæ propinantur Plantaginis, foliorum Quercus teneriorum, Potentillæ, Millefolij, Alchimillæ, Rosarum peculi, Nymphéæ albæ, Mentæ, Sorborum.

Conserua Rosarum antiqua, Balaustiorũ, vel Cytinorum, Acori vulg. Anthos, Stœchados, Condit. Citri.

Misturæ ex prædictis fiunt in forma electuarij, miscendo conseruas cum pulueribus & superbibendo aquas.

Pilulæ de Bdellio vti in aliis fluxibus, ita & in hoc sæpè sumptæ commendantur.

Comesta Cymbalaria in acetariis aut cocta: Item Vrtica mortua.

Extrinsecùs circa vteri regionem, illiusq; orificium externum, varia adhibentur, quæ siccando humiditates circa vterum maximè redundantes, absumunt, & adstrictione aliquâ prædita, vasa cum ambientia, per quæ fluxus hic fertur, nõnihil constringunt, vterumq; simul roborant. Qualia sunt sequẽtia.

Aquarum naturalium thermarũ, ad plures dies vel septimanas continuatus vsus, prægressâ corporis euacuatione, & per vices repetitus, adhibitoq; decenti regimine, tum exiccando tum sudores promouendo, plurimùm iuuat. Eoque nomine mulieres quæ hunc fluxum patiuntur, maximeque steriles simul sint, eas adire, illisque vti solent. Conueniuntque quæcunque vi siccante præditę sunt, in sterilitate expositæ, Aluminosæ, Nitrosæ, Salsæ, vel suâ naturâ actu calidæ aut arte calefactæ. Nec non Sulphureæ, quarum vsu mulieres aliquas, hunc fluxũ quo priùs carebant, primùm cõtraxisse ob causas priùs expositas, nec ab eo donec vsum illarũ rursum repeterent, liberatas fuisse, aliquoties obseruauimus.

Artificialia balnea quibus immergere inferiorem corporis regionem ad vmbilicum vsque debent, pedibus exemptis vel simul, si illis obesse nequeant, intromissis, idem præstabunt, vel diu continuata vti de thermis dictum, vel per interualla vsurpata. Sicuti in sterilitate ostensum, quâ ratione & hîc adhiberi possunt. Paranturq; interdum vt thermis correspondeant, ex Sale, Alumine, Sulphure, decoctis in Aqua pluuiali, Cisternę aliáve, eâ quantitate, vt salsedinem aliquam vel odorem sulphuris aqua contrahat: Addendo interdum si adstringendum, etiam Chalcantum vel Chalcitim, aut Scoriam ferri, cuius loco Aquâ extinctionis ferri vti possumus. Gypsum vstum si cęteris permisceatur, vim siccandi augebit.

Ex plantis balnea parata, similiter competent, si fiant ex decocto facto in Aqua prædicta, addendo quandoque & Aquam extinctionis ferri fabrorum vel Lixiuium, aut Vinum rubrum, incoquendoque radic. Bistortæ, Lapatij, Rubiæ, Valerianæ, Cyperi, herbas, Clematim daphnoidem, Arthemisiam, Betonicam, Tamaricem, Sabinam, Hederam. Si ampliùs adstringendum, Gallæ, Glandium capulæ, cortic. Granatorum & Suberis, Sumach, Rosæ, Balaustia, Muscus quercinus, baccæ Myrti similiaque addi possunt. In frigidis mulieribus odoratæ calidæ plantæ adduntur, veluti Pulegium, Origanum, Calamenta, Mentastrum, Melissa, Saluia, Nepeta, Maiorana, Rosmarinus, ex seminibus Calidis maioribus minoribúsque aliqua, item Rutæ & Viticis. Huic decocto si supradicti terræ succi salsi & nitrosi vel atramentosi addantur, aut alia terrena, vt Bolus, Lapis hæmatites, ampliùs tunc siccabunt & adstringent.

Fotus & ablutiones genitalium mulieris, ex iisdem naturalibus vel artificialibus balneis, si sępè repetantur, loco insessionũ vsurpari possunt. Vel fiãt sacculi, supra quos mulier dum calent sæpè sedeat, herbis decoctis repleti, inter quas Eruca agrestis, in Vino decocta, si sic subjiciatur, fluxum hunc si sanio-

niosus sit, curare docent. Ex odoratis enarratis plantis, si aliquae horum fotuum decoctis misceantur, fœtorem qui ab illis excrementis exspirat, eadem operâ corrigent, inprimisq; si folia Lauri, vel Myrthi addantur, radix Angelicæ, semen Coriandri, Gariophylli & similia suaueolentia, atque Acetum rosaceum, flores Sambuci aliúdve odoratum decocto addatur.

Inunctiones atq; emplastra pubis renum & lumborum sedibus apposita, vti menstrua immoderatiùs fluentia, sic & hunc fluxum, cùm per easdem vias feratur, nonnihil cohibere possunt: Et proin in illis exposita olea (inter quæ & oleum Hyosquiami, vt in illo sic & hoc fluore aliqui approbant) hîc quoque vsurpari debent: vti & vnguenta & emplastra ibidem exposita. Quibus & hîc, cùm aqueus sit humor qui fluit, calida permiscere possumus: vti de puluere aliquid, quem pro pessario vt tetrum odorem emendet, præscripsimus: Galliamq; moschatam, Moschumque & Ambram in magnatibus, quorum tamen odor admistione aliorum retunditur vel amittitur.

In ceruicem vteri varia intromittuntur, quæ illam, vti & fundum vteri vicinum, à largo hoc fluore humectata, rursum exiccent, & venarum orificia laxa adstringendo, fluxum hunc nimium, compescant, hisque sedibus robur addant.

Induntur ad illud præstandum herbæ aliquæ efficaciores, recenter contusæ, veluti Glematis daphnoides, Millefolium, Tamarix & similes: radix item Asari, quę immunditiem abstergit, fœtoremque corrigit.

Pessarium quod exiccat hoc pacto fit: ℞. Gallarum vel Capularum glandium ʒ. iij. Nucum cupressi ʒ. ij. Balaust. ʒ. j. Thuris ʒ. j. ß. cineris Tamaricis ʒ. j. Sabinę vel Arthemisiæ ʒ. ß. Stercoris caprin. vel asini exiccat. ʒ. j. excipiantur succo Bursæ pastor. & Albumine oui, impleatur sacculus pro pessario.

Ad tetrum simul odorem emendandum: ℞. rad. Cyperi ʒ. ij. Maioran. Mentæ, Pulegij pulu. an. ʒ. j. Squœnâthi, Spicæ an. ʒ. ß. Gariophyllorum ʒ. j. fiat puluis; quo vel solo vel prædictis commisto vti possumus. Potest & addi Santalum citrinum vel Lignum aloës. Gallia moschata, Moschus & Ambra addita, suauiorem adhuc conciliabunt odorem.

Iniectiones in vteri ceruicem, fiunt detergentes & abluentes madorem illum & sordes adhærentes. Qualis est iniectio leuiter abstergens in vlcerum vteri cura descripta. Aliaq; quæ sequitur validiùs operans; Dein & tertia cùm fœtor adest vsurpanda; quartaq; idem præstans.

Siccantes iniectiones ad vterum siccandum ab eiusmodi humiditatibus, & adstringentes ad fluorem cohibendum, fiunt ex decocto siccante & sanante vlcus vteri, sicuti in eo descriptũ fuit. Vel parantur ex balneo aut fotu, quibus extrinsecùs aliàs vtimur. Et fœtor adsit, eadem quoque quæ illic dicta sunt, admiscemus.

Suffitus & fumi vteri sinu excepti, cùm altiùs penetrent, illique vndiquaque se affigãt, admodùm siccando adstringendo vterumq; roborãdo: cùm si odorati sint, illis vterus delectetur, operantur. Qui suffitus è decocto plantarũ quarundam, in balneo declaratarũ, dum feruet, suscitari & in vase vtero supponi, ac per infundibulum vel vestes circumductas admitti possunt.

Vel Fumus, ab iniectis supra carbones, pulueribus vel trochiscis in sterilitate expositis, excitatus, eo modo excipi; Vel ex hoc puluere carbonibus iniecto parari potest: ℞. Mastiches ʒ. ij. Thuris, Ladani ana ʒ. j. Succini Hypocistidis, Storacis, Benzoini ana ʒ. ß. fiat puluis. Bdellium hisce additum probant aliqui.

Viuendi ratio idonea simul adhibebitur; Quod fiet si versetur in aëre ficciore, vitetq; frigidũ & vdum: Cibo parcè vtatur, eoq; minimè excrementitio, aut multam humiditatem gignẽte: Potu admodùm moderato, Vinoque potiùs quàm aquâ: Ocia vitet, Somnumq; nimiùm durantem.

Sudores vitiosi quales sunt graueolentes, tenaces & qui linteamina colore alieno nõnihil imbuunt, cùm & in sanis & ægris, per eos excremẽtorum è corpore fiat expurgatio, compesci minimè decent, aut naturæ ille motus impediri, sed potiùs promoueri: Atque redundantiarum harum causâ, quæ materiam huic sudori præbent, cura in-

institui, corporáque sic à morbis, quos sudores hi præsagiunt, præcauere: Et si in morbis, hi sudores proueniant, nec morbum soluant, similiter ad remanentias causæ morbificæ, quæ sudoribus hisce occasionem præbuerunt, nec integrè expurgatæ fuerunt, extirpandas penitùs curam dirigere oportet.

In frigidis sudoribus emendandis nihil peculiare quoq; faciendum, cùm si in morbis lethales sint, prognosticis relinquantur: Si ex animi defectione hi erumpant, sponte ad se iterum redeuntibus ægris, desinant.

In nimiis sudoribus, vires labefactantibus, si à calore proficiscantur, hic erit corrigendus. Si ob seri copiam, illius prouentum impedire, copiamq; minuere oportet. In morbis si superflui & inutiles sint sudores, nec hi facilè, nisi admodùm vires iam priùs morbi vi deiectas, prosternant, reprimendi: cùm verò vel hi per quos aliquam natura euacuationem tentat, vel alij qui ad causæ morbificæ expulsionem rectè à natura instituuntur, adeò profusi sunt & continui, vt ne æger citiùs extinguatur quàm morbus finiatur, periculum sit, tunc ad eos compescendos cura adhibẽda. Quæ omnia sequenti modo perficiuntur.

Euacuamus corpora ad sudores, ob seri copiam nimios & superfluos procliuia, per Venę sectionem si plethorica sint, cùm tunc & seri quantitas vnà cùm sanguine educatur.

Purgantibus item exhibitis, quæ serosos humores aut eos qui illis permisti sunt, eósque nimiùm fluidos reddunt, educant. In morbis quoque, sudores superflui vel nimij morbum non soluentes vel non integrè, reiterandas purgationes esse, nos admonent.

Sudorum promotio, sudores sponte venientes interdum sistit, si hi qui illis obnoxij sunt, & leuem ob causam sudoribus infestantur, balneum intrantes aliquoties egregiè sudent, & sudoribus materiam præripiendo, sic consuetos anteuertant.

Propinantur quæ serum nonnihil incrassando & refrigerando, viasque astringendo, vt minùs fluxile fiat & promptè penetret, efficiendo, sudores sic impediant. Qualia in mictione immoderatâ, eodem modo eam retinere, ostensum fuit. Quæ & hîc conuenire poterunt, permiscendo interim illis ea quæ vires restaurant, si hæ labefactatæ sint: Sicque competit cibus & potus ibidem designatus. Quæ in ægrotis pro morbi ratione dirigenda erunt.

Vrinarũ prouocatio, similiter aliò serùm diuertendo atque euacuando, sudores minuit vel compescit.

Ex medicatis ibidem quoque expositis etiam hîc conuenient, Syrupi, Decocta, Aquæ, Condituræ, Mucagines, Pulueres, addendo cordialia, vti puluerem Diamarg. frigid. & similia.

Extrinsecùs adhibentur repellentia seri effluxum, cutemque constringentia, & glutinositate poros obducentia, sensim à leuioribus ad fortiora si non illa iuuent, procedendo.

Inungantur spina, extremitates, nonnunquam & reliquæ trunci corporis sedes, Oleo in quo folia recentia Salicum, vel Succus eorum coxerint: Vel oleo Myrtillorum, Rosarum, Cydoniorum.

Vel: ℞. olei Salicum ℥. iij. olei Myrtill. ℥. ij. succi Semperuiui vel Solani, Aceti ana ℥. j. ß. coquantur ad consumptionem succorum: Et vtatur.

Huic oleo addere possumus poros obliterantia, vt mucilaginem seminis Psylij vel Cydoniorum ℥. j. ß. infusionis gummi Tragachanti vel Arabici factę in aquæ Rosarum ℥. j. Album. oui num. j. Ceræ q. s. fiat linimentum.

Vel: ℞. Mastiches ʒ. ij. Santali rubri ʒ. j. Rosarum rub. Balaustior. foliorum Myrti vel baccar. ana ʒ. ß. excipiantur oleis prædictis, vel linimento, additaque Cerâ fiat vnguentum. Sulphur, Gypsum & Morochtum addit Dioscorides.

Suffumigentur validè siccantibus linteamina, indusia, vt dum cutem tangunt, eam siccando astringant, vel etiam nudum corpus, Thure, Mastiche, gummi Iuniperi, addendo interdum hisce puluerisatis Rosas, Balaustia & similia.

Odor Camphoræ in Aqua rosarum dissolutæ iuuare creditur.

Actu

tissimùm coërcent, quæ tamen non subitò dum corpus adhuc sudore æstuat, ne subita illa repercussio damnum adferat, sed sensim erunt adhibenda.

Aër hoc imprimis præstat frigidus, admissus fenestris apertis, vel etiam detractis integumentis, denudato corpore. Qui nisi talis sit, cubiculum conspergendo Aquâ frigidâ, Aceto, herbis recentibus Frigidis, sic emendari poterit.

Faciei conspersio, similiter cum aqua & aceto, quòd peculiari vi sudorem sistit, admodum iuuat.

Cordi & pulsibus epithemata actu & potentiâ frigida, vti & cordialia, si imbecillitas à sudoribus iam superuenerit, vtiliter adhibentur.

In Viuendi ratione, Aëre vtantur liberiore, nec calori se exponant, aut vestibus & integumentis corpus obruant. Abstineant à balneorum nimio vsu. Corpus moderatè exerceat: A' somno si eo tempore sudor maximè infestet, sibi temperent.

Sanguinis exsudatio cùm non fiat, non aliam considerationem requirit.


Aquosi ex tumoribus apertu & vlcere effluxus curatio.

Seri effluxus qui ex aperturis factis per paracentesim abdominis, in hydropicis, aliásve puncturas, sectiones, aut vstiones in scroti hydrocele, vel in pustulis & tumoribus aquosis, vel vlcerum serum exudante fit: quo pacto cura illi adhibenda sit, in intumescentiis & tumoribus eiusmodi iam fuit expositum.

DE EXSPVITIONE.

CAPVT VIII.

Genera.



XSPVITIO per quam sputum ex ore ejicitur, opitulante simul etiam screatu, nonnunquam & tussi, præternaturalis tunc maximè fit, si immoderata sit vel vitiosa, eâ potissimùm de causâ, quòd & alij humores & excrementa cum sputo simul expuantur, vnde præcipuè exspuitiones eiusmodi præternaturales differunt, aliaq; pituitosa, alia cruenta, alia purulenta existit.

Exspuitio pituitosa.

Pituitosa exspuitio, sub quâ & saliuam seu sputum & pituitam ac serum comprehendimus, frequentior quàm par est, in sanis alioquin etiam occurrit: Vt illis quibus consuetum est multoties exspuere, maximeque inter loquendum: Dein & illis qui post singula ferè orationis membra, pausæ loco, excreant. Quod in oratoribus quibusdam vitiosum censetur, in aliis verò non adeò indecorum, si non ita frequenter, sed finitâ saltem aliquâ longiori periodo id fiat.

Ptyalismus.

In morbis quibusdam vt catharrhis, & ventriculi humiditatibus, hoc idem euenit, vt copiosè & continuò ferè aliqui expuant, qui affectus Ptyalismus appellatur.

Quæ ex remediorum saliuam prouocantium vsu promouetur, multa & frequens exspuitio, per caputpurgia dicta, cùm ad sanationem opituletur, ad præternaturalem hâc expuitionem vitiosam & nocuam minimè pertinet: Vti & neque ea, quæ ex hydrargyri vsu, in lue venerea fœda & copiosa promanat exspuitio, cùm ad curationem illius, vti in ea dictum est, conueniat.

Maiori conatu pituitam cum saliua etiam extra morbos, Pituitosi senes præcipuè expuunt, quam vel screatu valido ex narium amplitudine faucibusque, vel tussiendo ex imo pectore in os propellunt. In morbis pituitosis tussim mouentibus, pituitosa eiusmodi expuitio similiter & frequenter euenit. In quibus expuitionibus, pituita nunc tenuis & aquosa, nunc crassior & mucosa, tandem etiam purulenta egeritur: Aliàs sapore aliquo, aliàs nullo prædita; atque nunc minori labore, interdũ maiori, si præsertim aquea penitùs vel tenax admodum existat, exscreatur. Sicuti in tussi quam hæc exspuitio comitatur, hæc vberiùs descripta sunt.

Exspuitio sanguinea.

Cruenta exspuitio interdum sine tussi atque dolore oritur, in qua sputum tantùm cruentum redditur, quod & cibos qui masticantur commaculat: in alia purus isque vel fluidus adhuc vel concretus sanguis exspuitur, præcedente vel comite narium hæmorrhagiâ.

Aliàs cum dolore aut aliqua læsione circa gingiuas, linguam, palatum, fauces, oc-

currente, sicuti in causis explicabitur, sanguinis hæc exspuitio contingit.

Cum tussi sanguis per os aliàs merus propellitur; aliàs, permistus cum sputo, instar saniei vel cruoris, in Pleuritide & Peripneumonia, & quidem in illa cum dolore punctorio lateris & febre, excretioneq; tandem purulentâ in vtrisque: Sicuti in dolore pectoris expositum fuit.

Hæmoptoi a passio. Impermistus & purus aliquádo cum tussi per os ejicitur, in affectu quem Hęmoptoicam passionem vocant, vel per Sputum sanguinis sine dolore; Aliàs parciùs, aliàs verò copiosiùs; quandoque certo tempore & interpolatis vicibus.

Eiusmodi sanguinis excretionem perseuerantem, corporis extabescentia seu phtisis frequenter, vti in ea dictum, sequitur.

Sed & citra noxã aliquas virgines & mulieres sanguinem purum cum tussi, verùm non adeò copiosum, instantibus mensibus, reiecisse vidimus.

Aliàs quoque & sæpè certis temporibus, sanguinis insignem quantitatem, per hanc viam excretam fuisse obseruatum, in sanis alioquin, vel saltem anhelosis & dyspnœa quadam laborantibus: Interdumque tantâ mensurâ eum profusum, vt penè vniuerso è corpore exhausto, vitam subitò finierint.

Quod & in morbis aliis & febribus accidisse, peluesque cruore repleuisse aliquos, antequam morerentur, deprehensum fuit.

Exspuitio purulenta. Purulenta exspuitio aliquando pituitosæ copulatur, vel succedit; tam huic quàm pituitosis naturis, quàm illi, quam in catharris, aut aliis affectibus accidere diximus: In quibus, pellucidam tenuem vel mucosam pituitam excernunt, tandem verò puris instar spissam & albam, vel nonnihil subluteo aut subuiridi, nigrescentéve colore tinctam; aliàs insipidã, aliàs ingrato sapore pręditam.

Aliæ verò purulentæ excretiones, morbos alios sequuntur, & symptomatibus ipsorum grauioribus copulantur. Quæ præcipua sunt Dolor in oris & narium diuersarum partium exulcerationibus, vti & faucium in Angina, in quib. affectibus pus exscreatur. In cruenta item expuitione cui purulẽta excretio cum tussi iungitur, in Pleuritide & Peripneumonia, in qua tantam copiam puris aquosi eiectam vidimus, vt peluem, aliquot vicibus continuata hæc excretio impleret, Tabes corporis, puris per tussim exspuitionem comitem habet, in Phtisi, longo tempore & ad mortem vsque plerunque perseuerantem. Sicuti hæc omnia copiosiùs in eiusmodi affectibus describuntur: Dein & in Empyemate, quando illud phtisi copulatur, purulenta hæc excretio, tum ob hunc, tum alium cum illo affectu coniunctũ, copiosior euadit.

Est & purulenta quædam expuitio, per quam pus obductum & inclusum propriâ pelliculâ, quam Vomicam vocãt, per os tussiendo ejicitur, quæ pisi magnitudinem saltem, aliàs verò nucis amplitudinem adæquat, tuncque ferè vna tantùm occurrit, aliàs etiã plures, si exigui præsertim sint globuli, in quibus pus nunc maturatum, aliàs putre & fœtidum inesse deprehẽditur: Nonnunquam etiam pus & disrupta vomica separatim, eodem vel breuiore longioréve interposito tempore excernuntur. Quam excretionem aliàs non alia grauiora symptomata, quàm dyspnœa leuis, aliàs verò tussis diu continuata, & tandem cruenta expuitio præcedere solent, nec aliæ grauiores noxæ subsequi, frequentiùs verò hæc tandem in phtisim desinit. *Vomica exscreatio.*

Causæ.

Causa omnium eiusmodi exspuitionum generum, vel à saliua, aut homóre pituitoso, vel sanguine, aut pure, aut putri humore exsurgit.

A saliua quâ os & fauces naturaliter madent, & quæ continuò ex seroso humore exudante nascitur fouetur que, & pituitâ simul affluente augetur, exspuitio copiosa vel frequens prodit: Si illa concitata, ac impulsa frequenti screatu in ore coaceruetur. Idque vel ex mala consuetudine, quâ sibi hanc exscreationem familiarem quæ tamen indecens est, aliqui reddunt: Hi præsertim, qui cùm inter perorandum ne tacere, aut orationem ex ignorantia diutiùs protrahere videantur, inter pausandum, nulla necessitate adacti, toties ferè quoties sententiam absol- *Oris saliuæ causa Expuitionis pituitosæ.*

uerunt,

uerunt, aut etiam citiùs, excreant. Sed & copia illius inter loquendum, ob linguę & oris agitationem diutinam, saliuam cōmouens, ad exspuitionem impellit. Sic & medicamentorum eam prouocantium vsu promouetur, quę tamen expuitio cùm vtilis sit atq; expetatur, non est, vti dictũ, pręternaturalis.

Cerebri pituita defluens ad os, causa Exspuitionis pituitosæ, & Ptyalismi.

A' pituitoso humore simplici, insipido, vel ob permistionem seri salso acidóve, à capite defluente, per narium amplitudinẽ, ad fauces & os, saliuæque se immiscente, eamque adaugente, exspuitio illa frequens & multa in Ptyalismo oritur. Qui humor, si ad pulmones vsq; descendat, exspuitionem illam pituitosam, quæ cum tussi molestat, sicuti in ea id fuit expositum, concitat; In qua ab initio tenuis humor qualis defluxerat, mox verò crassior ob moram redditus, tandemque calore interno excoctus & maturatus ac dealbatus, puris instar, vti in causis purulentæ exspuitionis dictum, exscreatur.

Pulmonum pituita ad fauces propulsa, causa Exspuitionis pituitosæ.

In pulmonibus quoque eiusmodi humor pituitosus ab excrementis illic congestus, mucosus vel puris instar excoctus, si tussi sursum in os propellatur, exspuitionem similem parit. Quod in sanis alioquin senibus maximè euenit: Dein & in morbosa tussi, interdum & in asthmate, in quo tamẽ sæpè retentus eiusmodi tenax humor, tussim minimè mouens, non exspuitur: Sicuti hæc omnia in eiusmodi affectibus descripta fuerunt.

Vetriculi humiditas ad os perueniẽs, causa Exspuitionis pituitosæ, & Ptyalismi.

In Ventriculo humidiore pituitam multam congerente, si illa sursum in fauces ipsumq; os exsurgens, sputo se commisceat, humiditatem illic copiosam gignens, Ptyalismi causa, vti si à capite eò feratur, interdum existit. In quo manè dum ieiuni adhuc sunt, nec ventriculus aliud ferè quàm aquosam illam materiam continet, os madore plenum, per frequentem & copiosam exspuitionem, se exonerare cogitur. Cuius Ventriculi humiditatis causas, in illius imbecillitate ex intemperie hac contractâ exposuimus.

A' sanguine cruenta exspuitio proficiscitur, si ille è Venâ vel Arteriâ in naribus, ore vel faucibus aut pulmonibus, vel in pectore apertâ, ad os delatus exspuatur.

Narium sanguis ad fauces delatus, causa Exspuitionis cruentæ.

In narium interioribus, quam ob causam sanguis è venis illius loci emanare possit, qui vti per nares effluit, sic ad os quoque descendere potest, in Narium hæmorrhagiâ explicatum fuit. Cæterùm quòd in fauces quoque delabatur, causa est, vel ipsius copia, vel quòd venæ humiliores apertæ sint, vel pręcipuè, quòd cùm eum nimiùm fluentem sistere volunt, decubitu supino, vel obturatione narium, cùm exitum illic non habeat, eò feratur.

Gingiuarũ tumor, sectio, læsio, causa Exspuitionis cruentæ.

In ore à Gingiuis, quæ laxâ & molli carne constat, facilè sanguis exsudat, etiã sponte si eo turgeant & tumidæ sint, aliàs verò per sectionẽ eo elicito, vti in doloribus dentium, humores eò fluentes, collectis buccis circa gingiuas, exugere tentantes, sanguinem sic quoq; exsugunt. A' læsione harum citiùs hoc euenit, vt aliquid sanguinis inde emanet; Vt à punctione illarum, dum dentes purgantur; Vel separatione aliquâ à dentibus factâ, eandem ob causam, vel ob morsum aut masticationem duriorem ciborum, gingiuas validè impellentium, quibus cibis præmorsis, sanguis postea adhærens, eos cruore tinctos, eâ sede reddit: Maximè verò cum dentibus per vim erutis, illi à gingiuis membranisque auelluntur, sanguis maiori quantitate prodit: Vidimusque aliquando tantâ copiâ atque impetu, arteriâ illius loci diuulsâ, sanguinem tamdiu profluxisse, neque sisti potuisse, donec æger vitam hanc ob causam finierit.

Oris interiorum partium vulnus, causa exspuitionis cruentæ.

A' reliquis in ore partibus, vix nisi vi maiori illatâ, sanguis exit. Vt à lingua, eâ læsâ, maximeque per morsum illius, vel casu, vti sæpè euenit, & frequenter in conuulsionibus; Vel à tunicâ os faucesque succingente, si ea alicubi vulneretur.

Pulmonum venarũ reseratio, ruptura, exesio, causa Exspuitionis cruentæ & Hæmoptoicæ passionis.

A' pulmonibus prodiens sanguis, per os frequenter rejicitur. Qui à vasis pulmonum interioribus, quæ magnâ copiâ illorum substantiam implent, vel reseratis vel ruptis aut exesis proueniens, in asperæ arteriæ ramos translatus, indeque in illius fistulam, tussi in os propellitur posteaque exspuitur.

Reseratis per anastomosin vasorum illorum osculis, quandoque contingit, vt hæmoptoica dicta inde sequatur passio: Si ob

plethoram sanguinis in pulmonibus contenti, vasa distendantur osculaque aperiantur, eousque, vt sanguis per ea exsudans, vel etiam emanans, parciùs copiosiúsve expuatur. Idq; sępè citra aliam noxam subsequentem, si oscula sponte iterum se recolligant & occludatur, quâ ratione hoc plethoricis quibusdam, vel fœminis quibus ob conceptum menses non expurgantur, vel ab aliis causis sistuntur, accidere aliquando vidimus. Aliàs verò cum periculo, si rursum hæc oscula, vel nimiùm dilatata, aut motu continuo impulsa, se reserare nequeant, vnde magna sanguinis profusio, & mors etiam quandoque sequitur: Vti & si sanguinis effusi portio in pulmonum substantia retineatur, cùm illic putrescens pulmones vitiare possit, vt in phtisi dictum.

A simili pulmonum sanguine, per anastomosin vasorum illorum exeunte, nec rectà in asperæ arterię ramos vt in hæmoptoica passione se insinuante, sed & in pulmonum substantiam priùs disperso, inflammationemque illic pariente, indeque in ramos arteriæ primùm se ingerente, exspuitio quoque saniosa & cruenta nonnihil in Pleuritide & Peripneumonia exoritur; sicuti quo pacto inde plerunque non, aliàs verò sed rariùs, subsequente pulmonum exulceratione, hoc fiat, in eiusmodi affectibus prolixè fuit declaratum.

Disruptis vasis pulmonum substantiæ intextis, sanguinem continentibus, subita & magna, si in maioribus præsertim hoc fiat, minor si in minoribus, sanguinis cum tussi fit per os profusio, in Hæmoptoica passione, quam plerunque, cùm ægrè sanari queat, pulmonum exulceratio cum Phtisi, vti in illa explicatum fuit, sequitur. Disruptionem autem eiusmodi vasorum in pulmonibus, violeta nimirum & nimia dilatatio vel contractio moliri potest. Quam magna efflatio in clamore vel sufflatione, sicuti ea quam tubicines edunt, aliquando efficit. Aliquando & sternutatio & tussis validissima, rariùs tamen, cùm videamus etiam post diuturnam tussim nihil tale subsequi: Aliàs spiritus violenta retentio, in conatu summo dejiciendi, pariendi, hoc facit, vel ille qui in oneribus & ponderibus loco mutandis adhibetur: vnde aliquot lapicidas, quòd saxa immensa magno nixu volverant vel gestarant, postea sanguinem expuisse, phtisicosque factos obseruaui: quod tamen vulgus pulueri, quem dum saxa scindunt, eos spiritu attrahere existimant, falsò attribuit, cùm ille puluis, si inspiratione in asperam arteriam incideret, mox tussi iterum rejiceretur, eámque asperitate potiùs suâ, quàm acrimoniâ, quæ nulla in eo est, vnde nec eo modo pulmones lædere posset, concitaret. Sed & in aliis laboribus magnis obeundis, qui conatu perficiuntur valido, idem potest contingere. Præter quas causas, contusio pectoris ex casu, ictu alióve modo impetu venas disrumpendo, idem potest efficere.

Exesis pulmonum vasis, cùm & pulmonum substantia simul erodatur, sensimque hoc fiat, moxque vlcus inde sordidum potiùs sanguine madens prodeat, phtisis potiùs, quàm hæmoptoica passio exoritur, cui tamen vti in aliis vlceribus, sanguinemque interdum cùm impelluntur exsudantibus, cruenta exspuitio aliquādo iungi potest: Cuius exesionis causas in phtisi exposuimus.

A pectoris aliarum præter pulmones sedium venis apertis, sanguinemque vel exsudantibus vel effundentibus, pulmonemque in vasa illius vsque penetrantibus, exspuitiones quoque cruentas fieri docent. Veluti in succingentis membranæ inflammatione, in pleuritide: Vel aliis venarum in conuexo pectoris reserationibus aut lęsionibus. Verùm cùm sanguis in pectoris cauitatem illapsus, pulmones minimè subintret, sed illic subsistens corrumpatur, & vel phtisim vel empyema tandem inducat, sicuti in eiusmodi affectibus, & præsertim in pleuritidis causis hoc prolixè demonstratum fuit, hanc exspuitionis cruentæ causam statuere minimè possumus. Nisi ex vulnere pectori inflicto, si pulmones tunc simul quoq; vulnerentur, sanguis emanans, non solùm in interiora pectoris defluat, sed & vasis infusus, ad os vsque regurgitet. Quòd si & aspera arteria vulnerata sit, potiùs euenit, vt sanguis in pulmones delapsus, tussi quoq; iterum rejiciatur.

A pu-

Oris, Narium, Faucium, Pulmonum, Thoracis exulceratio, causa Exspuitionis purulentæ.

A' pure purulenta exspuitio procedit. Quod pus à partis alicuius exulceratione interdum oritur; Veluti ab oris & narium vlceribus, & faucium in angina. Dein & ab exulceratis corruptisque pulmonibus, in Phtisi, sicuti hoc in eiusmodi morbis fuit expositum. Aliquando etiam in thoracis interioribus, pus à pulmonibus thoracéve eò delapsum, illicque collectum in Empyemate, si per pulmones corruptos pateat via, tussiendo rejicitur, cùm alioquin nisi hoc fiat, pus potiùs in pectore retineatur, quàm per os ejiciatur, nec dum per aliam viam, quàm extrinsecùs apertura facta exhauriri queat, sicuti in eiusmodi excretionibus, quæ per superficiem corporis fiunt, ostendemus, huncque affectum describemus.

Pulmonum sanguis in pus conuersus, causa Exspuitionis purulentæ.

Verùm non solùm à partis vlceratæ suppuratione, vti vulgus medicorum dicetium, Vbi pus illic vlcus, censet, semper pus gignitur, sed & à sanguine in pulmonum inflammatione, citra ipsorum exulcerationem, in ipsis maturato & in pus conuerso, exspuitio illa purulenta in Peripneumonia & Pleuritide suboritur, cruentaque mox sequitur. Veluti in hisce morbis abundè fuit demonstratum.

Pulmonum sanguis in pus conuersus, causa Vomicæ exspuitionis.

Aliquando & à sanguine è vasis pulmonum paucâ quantitate, prodeunte, & se alibi in eos ingerente retentoque, & sensim in pus excocto, quod per superficiem siccescés, tuniculam quâ includitur, sibi parit, exspuitio illius puris cum vesiculâ vel vomicâ, vt vocant, integrâ adhuc remanente vel disruptâ, sequitur. Quæ purulenta exspuitio, si pus ita inclusum pulmones nondum læserit, citra aliud incommodum sæpè transit. Si verò pulmones exulceret, phtisin mox comitem nanciscitur, vel si in ipsorum exulceratione talis quoque vomica coaceruetur, iam habet.

Pulmonum Narium; pituita, eò defluxa vel in pulmonibus congesta, causa Exspuitionis purulentæ.

Frequenter quoque à pituitoso humore, tum à capite in narium cauitates pulmonésve defluente, vel in pulmonibus congesto, exspuitionem primùm pituitosam proferente, si pituita illa retenta diutiùs calore loci excocta maturataque & dealbata veluti in pus conuertatur, tandem exspuitio purulentæ illius materiei cum pituita adhuc cruda plerunque copulata quoque superuenit. Qualem in multis adhuc sanis, tum etiam in morbis eiusmodi pituitosis tussim mouentibus exspui nullâ exulceratione aut tabe præsente, indies obseruamus.

Pulmonum substantia corrupta causa Exspuitionis portionum pulmonum.

A' putri humore à pure per maturationẽ excocto differente, pulmonum substantiam exedente & corrumpente, adeò vt in partes diuidatur, vt portio aliqua de ea tussi rejiciatur, fieri potest.

Curatio.

PLerorumq; generum exspuitionum curatio, si aliis functionum læsionibus aut doloribus coniuncta sint, quas magis respicere oportet, in illis fuit exposita, sicuti in singulis obiter repetemus: aliorum verò quæ cæteris symptomatibus præualent, cura hîc erit explicanda, & secundùm causas tractanda.

Exspuitionis pituitosæ curatio.

Exspuitio frequens ex mala consuetudine suborta, in illis qui hoc vitium sibi familiare reddiderunt, præsertimque oratoribus inter perorãdum multoties exscreantibus, non aliter quàm sensim ab eo dissuescendo emendabitur. Si ob multam locutionem hoc accidat, à nimia & crebriore garrulitate sibi temperent. Ptyalismus si à pituita à capite defluente, faucesque irrigante, sputúmque adaugente; Vel à ventriculo sursum regurgitante osque adimplente oriatur, tunc priori in causa per ea quæ pituitæ prouẽtum impediunt, eamque genitam expurgant & absumunt, ipsiusque defluxum sistunt, cura instituitur, in aliis affectibus à catarrho genitis, & tussi præcipuè expositis. In altera causa, pituitæ in ventriculo generatio, similiter erit impedienda, genitaque expurganda, ventriculique imbecillitas atque intemperies corrigenda: Idque remediis in cura ventriculi imbecillitatis abundè descriptis. Quibus factis, in vtraque causa oris mador & humiditas exsiccantibus auferenda, masticatoriis aliisque apophlegmatismis pituita ex ore erit elicienda, passim in pituitosis cerebri morbis expositis: Atque siccantibus mador & humiditas illa oris absumenda, iisdem ferè ablutionibus oris aliisque illi inditis remediis, quibus in

dentium dolore à defluxione nato vtimur, quæque illic descripsimus.

Pituitosa exspuitio à pituita per catarrhũ pulmones delabente, vel ab eadem in pulmonibus congestâ, ob tussim quam cõmouet genitâ, curam non aliam quàm quę tussi conuenit, exigit; quâ desinente, exspuitio inde progressa etiam cessat.

Exspuitionis cruentæ curatio. Cruentæ exspuitionis curatio variat, prout sanguis ille ab hac illáve parte procedit.

Ex gingiuis sanguis frequenter & leui de causâ exsudans, ob illius copiam, cùm plethoram indicet, illius causâ, ne grauiora accidentia pariat, sanguis detrahitur, aliaq; quæ plethoram corrigunt, fiunt, quæ & hoc vitium inde progressum sanant. Quòd si nihilominus perseueret, adstringentibus collutionibus mox dicendis emendabitur. Si ob punctionem leuem aut suctionem, sputum cruentum fiat, spõte cessat. Ob dentem euulsum sanguinis exspuitio cõcitata, etsi ꝑ se quoq; plerunq; desinat, tamen collutione oris factâ, cum Vino rubro stiptico vel Aceto rosaceo, addendo & parũ aquæ rosac. citiùs sistitur. Quòd si verò non desinat sanguis, ob disruptam venam, vel præcipuè arteriã, fluere, tunc os vehementiùs adstringentibus, in oris & faucium inflãmationibus, cùm repellendum est, & dẽtium mobilitate expositis, colluendum, & si non cesset, in spaciũ dentis eruti, pulueres aliaq; sanguinem sistentia, in vulnerum hæmorrhagia descripta, imponenda. Adhæc valde iuuat Chalcãthum vstũ impositum. Et si hæc non proficiant, cauterium actuale huic sedi imprimẽdum, vel potentiale, sed quod mox vrat, ne diu illud in ore retinere cogantur. Commodeq; hoc pilulâ ex Bombace formatâ, in Aqua forti madefactâ, vulneratoq; dentium interuallo intrusâ perficitur, quod cùm cætera omnia irrita essent, ꝓfuisse tum in hoc casu tũ in aliis angustis vulneribus, sæpiùs experti sumus.

Ab aliis oris partibꝰ, læsis aut vulneratis, prodiens sanguinis exspuitio, iisdẽ collutionib. oris, cessat: q̃ si linguâ ex morsu grauiter læsâ, ꝑseuerans quædã sequatur hęmorrhagia, vti accidere cũ periculo vitæ post cõuulsiones vidi, fortiora quoq; & caustica, nisi hęc iuuẽt, vti priùs diximus, erũt administranda.

A naribus descendẽs sanguis in os, si exspuatur, non aliam curã, quàm quæ narium hæmorrhagiæ debetur, vt inde fluens sistatur, exigit; si tamẽ periculum sit, ne in os delatus, deglutiatur, vel in pulmones defluat, quod tamen vix fieri potest, cùm ad asperam arteriam perueniens, mox tussim excitans, subitò per eam rejiciatur; decubitu prono capitisq; inclinatione antrorsum, vt potiùs per nares effluat, quàm retrorsum in nariũ amplitudinem, indeq; ad fauces relabatur, aliquo pacto cauebitur. Aquæ retentione in ore, ne vltra descendat, itidem præcauetur.

A pulmonibus exsudans sanguis, & cum sputo cõmistus, cum tussi reiectus, in Pleuritide & Peripneumonia, non aliam curam quàm quæ illis debetur, in pectorisque eiusmodi doloribus descripta fuit, requiritur.

Hæmoptoicæ passionis curatio. Hæmoptoica passio, etsi quibusdam, fœminis præsertim, citra noxam grauiorem, quod tamen rarum est, contingat, periculo tamen non caret, si præsertim frequentiùs hæc inuadat, augeaturq; sanguinis qui exscreatur quantitas, Lethalis interdum ob magnam & subitam sanguinis profusionẽ existit, tam in morbis quibusdam, quàm extra illos eueniens. Frequentiùs cum copiosiore parcioréve sanguinis excretione accidens, in phtisim tandem conuertitur.

Occurrendũ itaq; maturè huic præternaturali per os exscreationi, antequam phtisis subsequatur, vel immodicus fluxus ægrum enecet. Quod fiet, si sanguinem immoderatè fluentem sistamus, & si hoc ob reserata oscula accidat, rursum ea reseremus: si ob disrupta vasa, ea antequam hæc læsio in vlcus abeat, denuò reintegremus, atq; in vtraque causa, sanguinẽ si grumosus in pectore hæreat, ne retentus corruptusq; pulmones ampliùs lædat, eũ expectoremus, tussimq; quæ molestat admodũq; nocua est, cõpescamus.

Quod si iam vlceratis pulmonibus, sanguinis & puris excretio copulentur, vti hoc in vlcere iam genito, apertis denuò vasis, tum si ob exesa vasa hæmoptoica passio nascatur, contingere potest, tunc remedia quæ vlceri sanando debentur, in phtisis cura exposita, cùm venæ hasce diuisiones quoque oblitterare possint, etiam fluxum hunc pote-

poterunt compescere, vel quæ huic noxæ proprie debentur, aliis erunt intermiscẽda.

In curatione verò hæmoptoicæ passionis, secundum prædictas intentiones, sequenti modo erit procedendum.

Euacuantia variis modis administrantur, primùm sanguinis emissione per venam sectam, in brachio illius lateris, in quo grauedo aut punctio quædam sentitur, quæ si plethora adsit, & immoderatè fluat, eum reuellendo, fluxum illius nonnihil compescit.

Idẽ molimur Scarificatione, adhibitis simul cucurbitulis in scapulis, colli lateribus, carpo. Vel Cucurbitâ maiori hypochõdriis, vel in inguinib. admotâ. Dein & Ligaturis, Frictionibus extremitatum; sicuti in hæmorrhagiis aliis, & præsertim narium, hæc quoque competere diximus.

Prouocamus Menses si substiterint aut parcè fluant, in muliere plethorica, hac exspuitione cruentâ laborante. Et in viris Hæmorrhoides, priùs consuetas, si in hoc casu sint supressæ.

Purgantia si sanguis serosus admodùm & aqueus sit, vt repurgetur & crassescat, exhibentur. Sed mitia, & quæ non admodum calefaciant, nec vomitiones cieant, quæ in hac sanguinis excretione nociuæ sunt Dein & quæ adstrictione quadam prædita, alios fluxus, etsi aluum subducant, cohibent, vel saltem non vti validiora cathartica concitant. Quale est Rhabarbarũ puluerisatum datum cum succo vel syrupo Plãtaginis aut Portulacæ, addito & tantillo Spicæ nardi.

Alterantia remedia, tum per viuendi rationem, tum medicamenta exhibita admotáve administrantur.

Viuendi rationem quod attinet, in Aëre versentur frigidiusculo, & sicciore, per se vel arte facto, qui attractus cùm ad pulmones rectà perueniat, plurimùm siccando iuuabit: maximè suffumigatus, accenso Thure, Mastiche, aliisque siccantibus.

Cibo vtantur glutinoso, ex eiusmodi carnibus cocto; Cochlearum terrestrium elixarum esum commendant: vti & Turturum, sanguinem itidem Hædi. Comedant Amylum cum Aqua rosarum coctũ, & pultes alias ex Farinis. Item Oryzata, Hordeata, Ouum leuiter coctũ & velut crudum adhuc sæpè sorptum probatur. Portulaca recens per se mansa, vel in acetariis vt aliàs solent comesta, aut etiã cocta, valde proderit. Fructus item aliqui aciduli, crudi præparatiue. Bibat Aquam, Lac, Ptisanã & similia. Temperent sibi à vino potenti vt & aliis actu potentiaque admodum calefacientibus.

Quies, Somnus, qui nisi sponte adsit, soporiferis inuitandus, prosunt.

A' vociferatione & tussi sibi caueant: parùm loquantur.

Exhibentur medicamenta in hæmoptoica passione, tum emplastica, tum adstringentia, quæ oscula reserata occludant, & vasa disrupta consolident, ita tamen ne nimiâ adstrictione, sanguinem in pectore retineant, permiscendo proin illis, quæ illum si grumosus hæreat, dissoluant & expectorent, & non temerè vtendo acidis austeris, alioquin non conuenientibus. Talia autem variis formis propinantur.

Decoctum sequens bibant manè & vesperi per biduum vel triduũ: ℞. radic. Consolidæ maioris ℥. ij. radic. Altheæ ℥. j. herb. Portulacæ recentis si haberi potest, Plãtaginis, Bursæ pastoris, Polygoni ana M. j. flor. Rosarum rubr. P. j. semin. Portulacæ Plantaginis, Acetosæ, Scariolæ, Coriandri, Papau. albi ana ʒ. j. baccarum Myrti vel Myrtillorum ʒ. iij. Iuiubarum, Sebesten ana par. vj. fiat decoct. in Aqua pluuiali vel cister. & in colaturæ ℔. j. ß. dissol. Sacc. communis vel penidiati, vel Mellis rosac. q. s. fiat Apozema.

Plura alia in decoctis quoq; probantur à diuersis, petita, veluti radices Cariophylatæ, Rubi, cotices Quercus, vel Glandium, herbę Sumach, Equisetũ, Consolida media & minor, Lysimachia, Verbena, & flores Chamęleontis, Gallij, Salicum, Cannarum, Balaustia, semina Lagopi, Porri, Antheræ, baccæ Virgæ sanguineæ.

Hisce decoctis etiam quãdoq; alias plantas, quæ, in vulnerariis potionibus dictis vsurpari solent, permiscent, quas vti vulnera, sic ruptas venas assumptas etiam consolidare existimãt: Quales sunt Pyrola, Pilosella, Sanicula, Virga aurea, Potentilla, Millefolium, Agrimonia, Achilleia.

Addi

Addi etiam possunt quædam pectori competentia, vt Liquiritia, Tussilago, semen Melonum, aliæque aliquæ ex herbis sanguinem incrassantibus, vt Violæ, Endiuia, Buglossum, Nenuphar.

Decoctum Scoriæ ferri additâ rasurâ Cornu cerui, factum in aqua stillatitia Plantaginis vel aliâ, probant aliqui. Alij pulueris lapidis Hæmatitis decoctum.

Syrupus ex decocto ex plantis prædicto, auctâ Sacchari quantitate, decoqui poterit, vt diutiùs conseruari queat, & sic vnciatim exhiberi.

Vel alij ex simplicibus enarratis confici. Qualis syrupus ex Portulaca fieri potest, qui præ cæteris in sanguinis hac reiectione excellit: paraturq; ex succi Portulacæ tribus partibus coctis, cum duabus Sacchari, ad cõsistentiam: Potest in penuria succi huius, cùm planta non sit perennis, & succus ægrè asseruetur, à Mesuæo descriptus syrupus de Portulaca vsurpari, ex semine illius, succo Endiuiæ & aceto cum saccharo coctus. Proderit syrupus ex Plantaginis succo eodem modo, vti de portulaca paratus: vel ex aliarum herbarum recentiũ iam enarratarum, succo vel decocto, concinnati.

Ex vsitatis, syrupi adstrictione præditi, de Rosis rubris siccis, Myrtillorum; atque incrassantes, Iuiubinus, Violaceus, eodem modo exhibentur.

Succi prædictarum plantarum recentium similiter exhiberi possunt, simplices si efficaciores sint, vt Portulacæ, Plantaginis, &c. vel cum aliis, eosque per se, vel permiscendo cum Saccharo aut Melle.

Saluiæ & Menthæ succos, cum Saccharo vel Melle alij exhibent.

Aquæ destillatæ conferunt, dando ℥. iij. vel plus, per se vel cum Saccharo rosac. tabulato, Portulacæ imprimis, Plantaginis, Polygoni, Bursę pastoris, Symphiti maioris: Possunt & aliæ adstringentes dari, vt Equiseti, Ligustri, Myrti, foliorum Quercus, Rosarum, ipsarumque Peculi. Sunt qui aquam Cyclaminis admodum probant. Alij etiam aquam Saluiæ & Menthæ.

Composita sic fit: ℞. Limacũ rubeorum sine testis, vel in horum penuria Cochlearum terrestrium exemptarum è testis ℔. j. radic. Consolidæ maior. recent. incis. ℔. ß. herbarum recent. Plantaginis, Portulacæ, ana M. j. Rosarum rub. P. j. baccarum Myrti vel Myrtillorum P. ß. succi Cydoniorum vel Berberis aut Cornorum ℥. iiij. Spicæ nardi ʒ. ß. eliciatur aqua ad vsum, vti de simplicibus dictum.

Pulueres ex variis cõcinnantur, qui cùm ingrati sint, plerunq; cũ permistione sacchari assumũntur, estq; hic cõueniens: ℞. radic. Consolidæ ʒ. j. ß. seminũ Portulacæ, Plantaginis, Papaueris albi, Hyperici, ana ʒ. j. florũ Rosarũ rubrarũ ʒ. ß. Balaustiorũ ℈. j. Amyli, Succini ana ʒ. j. gummi Arabici & Tragach. ana ℈. j. cornu Cerui vsti ʒ. ß. Boli vel Terræ sigillat. Coralli rubr. puluerisati ana ℈. ij. Sanguinis draconis ℈. j. Sacchari rosacei tabulati vel penidiati ad pondus omnium vel plus, fiat puluis: Capiat à ʒ. j. ad ʒ. j. ß.

Ex vsitatis trochiscis de Succin. vel de terra sigillata sine opio parati, vel de Spodio, pulueres, eodem modo exhiberi possunt.

Præter quos etiam alij pulueres vsurpari, vel hisce misceri possunt: veluti seminum Vuarum, Berberis, Myrtillorum: Item Thuris Mastichesque, cinerum cortic. Ouorum, Ossis sepiæ.

Conserua Rosarum antiqua sæpè sumpta vtilis. Et quę ex radic. Symphiti maioris cõtusâ, cum Saccharo vel Melle mistâ paratur, vel ex aliis prædictis herbis efficacioribus.

Conditura radicis Symphiti maioris cum Saccharo vel Melle similiter probatur.

Misturæ ex præcedẽtibus paratæ sequentes vsurpari poterunt, vt electuarium tale: ℞. conseru. Rosarum antiquæ conseru. Violarum & radic. Consolidæ maioris an. ℥. j. ß. carnium Cydoniorum condit. ℥. j. de pulueribus Supradictis ʒ. ij. Acaciæ vel Hypocistidis ʒ. j. cum syrupo Myrtillorum, vel alio aliquo, misce.

Alia, vbi metus sanguinis concreti, mistura: ℞. Looch de Portulaca ℥. j. radic. Consolidæ subtiliter puluerisatæ ʒ. ß. Succini ℈. j. Coaguli Leporis ℈. ß. cum syrupo de Rosis rubris siccis vel alio, misce: Capiat frequenter. Sunt qui Mumiam etiam addant, si gumos sanguinis adesse existiment.

Eclegma

Eclegma sequens sæpè lambẽdo vel sensim deglutiendo sumant, Recipiendo albumen oui bene conquassatum, quod misceatur cum pari quantitate Mucilaginis seminis Psylij extractæ cum aqua Portulacæ, & infusion. gummi Tragachanthi factæ cum aqua Rosarum, miscendo Saccharum penidiatum,& parùm Amyli.

Ex vsitatis Looch de Portulaca,ad cruentam exspuitionem efficacissimum est, quod ℞. succum portulacæ, gummi arabic. sanguinem draconis, trochiscos de terra lemnia, de charabe, pilos leporis vstos & saccharum.

Aliud item Looch ex Tragachanta confert,fitq; ex infusione gummi arabici & tragachanti, in aqua rosacea, & conseruâ rosarum antiquâ, syrupo è rosis siccis, terrâ lemniâ & bolo.

Tabulæ vel orbiculi aut aliæ formulæ, ex pulueribus prædictis fieri possunt; quæ sumuntur, vel in ore retenta noctu sensim deglutiuntur. Excipiendo eos cum Infusione gummi tragach. factâ in aqua rosaceâ. Vel cũ Saccharo dissoluto & cocto in aquis conuenientibus.

Ex vsitatis proderunt etiam Saccharũ rosaceum tabulatũ, Tabulæ diatragach.frigid. & Trochisci,quos pilulas sua lingua vocant.

Potiones mistę sic etiam exhibẽtur; Veluti Iulepi hoc pacto: ℞. syrupi de Portulaca & Plantagine ana ℥.j.ß. aquarum Polygoni, Bursæ pastoris,peculi Rosarum ana ℥.ij. misce, aromatis.Santalo vel Spica: Capiant tribus vicibus.

Ex aliis quoque syrupis & aquis alij simili modo possunt fieri.

Alia potio fieri poterit ex pulueris enarrati ʒ.j.ß.dilutâ cum Aqua aut Lacte,& exhiberi poterit, aut cum aqua mulsa, vel cũ additione Syrupi alicuius, & tunc citra cõmistionẽ sacchari,pulueris ʒ.ß.propinari potest.

Vel detur hic potus: ℞. syrupi vel succi Portulacæ vel Plantaginis alteriúsve ad ℥. j. syrupi Myrtillorum vel de Rosis rubris siccis, Vini granatorum acidi ana ℥.ß. Boli vel Terræ sigillatæ, Coralli an. ʒ.ß. Lapid.Hæmatitis,Succini ana ℈.j.(vel loco horum pulnerum,de puluere præscripto,aut de trochiscis ʒ.j.) aquæ Bursæ pastoris, Polygoni alteriúsve q.s. fiat haustus.

Narcoticorum mistione cum prædictis emplasticis & adstringentibus, remedia admodum efficacia pro hæmoptoica passione reddimus, cùm tunc non solùm enarratos vsus præstent, sed & sensum stupefaciendo, naturæque motum sic compescendo, vt minùs sanguinis fluat, & tussis mitigetur vel cesset, quæ aliàs plurimùm obest, efficiant. Quæ præsidia sequentibus modis parari possunt.

Puluis summopere excellens: ℞. Sacchari cocti cum aqua Rosacea vel Violarum donec iterum concrescat,℥.j. semin.Hyosquiami subtilissimè triti ʒ.j. fiat puluis; Capiat ʒ. j. vel paulò plus, per se, vel cum Syrupo aut aquâ conuenienti.

Addere possumus,vbi multum sanguinis exspuunt, puluerem Corallorum rubrorum & Boli vel terræ alterius pinguis ana ʒ.ß. gummi Arabici ℈.j. Sacchari penidiati ʒ. ij. Capiatque tunc ʒ.j.ß. Vel addantur pulueri prædicto,qui ℞. rad.Consolidæ,&c. semin. Hyosquiami ʒ.ij.

Possunt infusione gummi Tragachant. factâ in aquâ Portulacæ,in orbiculos formari,qui siccati,eadem quantitate sumuntur.

Opiata sequens horum loco dari poterit: ℞. conser. Rosarum vel Violarum ℥.j.ß. seminis Hyosquiami albi puluerisat.ʒ.j.ß. syrupi de Papauere vel Diacodij ℥.j. misce: Capiat ʒ.j.

Ex opiatis vsitatis præcipuè hîc conueniunt: Philonium Persicum & Diacorallium Galeni, trochisci Alkekengi cum opio,quę præter astringentia & opium,etiam semen hyosquiami recipiunt. Quò & referri possunt trochisci de Succino cum opio. Quæ omnia cum liquore aliquo decenti dissoluta exhibentur ʒ.j. pondere.

Athanasia Nicolai, ex maioribus opiatis etiã præ cæteris in eiusmodi fluxibus commendatur. Cùm cæteræ vt Theriaca & Mithridatum non adeò sint accommodata.

Pilulæ de Cynoglosso ad gran. vij. commodè etiam exhibentur,quæ præter opium etiam semen Hyosquiami aliis permista recipiunt,sanguinemq; vti & catharros sistũt.

Syrupus de Papauere vel Diacodiũ, cum syrupo, succo vel aquis conuenientibus exhibitus, similiter proderit.

Extrinsecùs thoracis regioni admota, ad venarum in pulmonibus apertarum vel ruptarum adstrictionem parũ iuuare possunt, cùm pulmones pectori minimè sint continuati, & validè adstringentia, pectori apposita, sanguinem in eo retineant; itaque ea maluimus omittere, cùm leuiora ex illis inuncta, quæ tantùm concedunt, vt oleum Myrtillorum, Lentisci, Cydoniorum, exiguum effectum præstare posint: & fortiora quæ si vena thoracis aliqua sanguis emanet, eo in loco vbi dolor aliquis in eo sentitur, adhibentur, cùm tunc, vti in causis demonstrauimus, sanguis ille minimè expuatur, illius exspuitioni proin minimè conueniant, sed empyemati potiùs aut phtisi, quæ inde subsequitur, sicuti in illis casibus fuit expositum.

Aliis partibus vt hepatis regioni, testibus, quæ in aliis hęmorrhagiis ad sanguinis fluorem compescendum adhibentur, hîc quoq; si magna illius sit profusio, locum habere poterunt. Vti & Amuleta in narium sanguinis fluore potissimùm descripta.

Exspuitionis purulentæ curatio. Purulẽta exspuitio, si à pituita in eiusmodi purulentam materiam inclinante transmutatâ oriatur, non aliam curam quàm pituitosa, cuius pars est, requirit.

Si verò à sanguine in pulmonum inflammatione in Pleuritide & Peripneumonia, purulenta cruentæ exspuitioni copuletur, cura iam in hisce affectibus descripta fuit.

Quòd si ab exulceratis corruptísve pulmonibus in phtisi procedat, quid faciendum sit, eo in loco fuit expositum. Si è thoracis cauitate collectum ab Empyemate prodeat, per pulmones exulceratos transiens, tunc eadem cura quæ phtisi pulmonum læsorum causâ competit, requiritur, ipsiusque causâ fit apertura in thorace, sicuti in illis excretionibus, quæ per corporis superficiem fiũt, demonstrabimus.

Vomicæ exspuitionis curatio. Si vomica integra pus continens vel disrupta, cum pure exspuatur, in pulmonum exulceratione in tabidis, ad eam cura dirigitur. Quòd si verò nulla pulmonum læsio illiúsve accidentia se offerant, aliâ curâ minimè opus est. Nisi fortè postquam vomicam vnam vel plures semel vel iterum eiecerũt, ex eo suspicio oriatur, alias quoq; nasci posse, tunc abscessus huius generationem, expectorantibus sæpè exhibitis, in tussi enarratis, impedire conabimur. Et si de nouo natus, ob impedimentum aliquod aut grauamen in pulmonibus, esse conjiciatur, ne diutiùs detentus pulmones lædat, sed maturè disrumpatur, Dioscorid. Tragoriganum & semen Cyclaminis, sæpè bibenda, vel cum Melle lambenda, exhibere iubet. Quod & fumum Tussilaginis siccæ incensæ, per inspirationem attractum moliri existimant: Atque expectorantia quæ validiùs operantur, idem possunt efficere.

DE VOMITIONE.

CAPVT IX.

Genera.



VOMITIO seu vomitus, per quem assumpta & cum illis alij permisti humores excrementaque, ex ventriculo per œsophagum, osq; apertum ejiciuntur, præternaturalis ferè semper, etsi vtilitatem aliquam adferat, ideò existit, quòd nõ vti exspuitio, mictio, alui deiectio, consueta sit & necessaria, nec tam facilè vt illæ excretiones, si secundùm naturam procedant, perficiatur, sed vti & tussis, cum labore magnoque conatu, vociferatione & sudore, præcedatq; eam nausea, oris mador & amaritudo, labiorumque tremor, aliaque accidentia, grauiora in illis, qui ad vomitum inepti & difficiles sunt: Imprimis verò tunc præternaturalis fit, si frequenter vrgeat, nimiaque copia per eam ejiciatur: vel si per eam illa quæ minimè oportet excernantur.

Qualia eiusmodi præternaturalium vomitionum varia occurrunt genera, tum in morbis, quorum sunt symptomata, tum extra hos, in nondum ægrotantibus; hacque ratione primùm distinguuntur. *Vomitus præternaturalis.*

Nullo adhuc morbo præsente, illiúsve aliis

liis accidentibus, sed tantùm hisce quæ vomitus adfert, vomitio se offerens, frequens illa est, quę post crapulam & ebrietatem, gulæ & vino deditis superuenit. Quando crapulam denuò euomunt, vinumque immoderatiùs haustum rursum per os effundunt, & vnà interdum multa excrementa tam pituitosa quàm biliosa. Quod vel subitò, vel post somnum, præcedente plerunque vertigine, multis accidit. Quæ vomitio licet alleuiet, si tamen consueta sit, vel diutiùs perseueret, vt ventriculi functiones minùs rectè procedant, efficit, & sitim aliaque accidentia post illam sæpè aliquandiu molestantia relinquit.

Est & altera vomitio post assumptos certos cibos nauseosos, aut alioquin aduersos, superueniens, per quam ea rursum multaq; alia contenta in ventriculo rejiciuntur; quæ si immoderata sit, quoque nocere potest.

Dein & alia se offert vomitio, frequens admodum, quæ post medicamentorum quorundam vehementium aut venenatorum exhibitionem euenit, imprimis catharcticorum; quæ vel subitò postquam assumpta sunt, rursum omninò vel ex parte euomuntur, vel tunc primùm, cùm operatio ipsorum per alui deiectionem incipit, vomitionem, per quam varia excrementa redduntur, commouent. Sed & quæ post vomitoria studio ad vomitionem concitandam, sumpta, accidit vomitio, si violenta aut nimia sit, damnum quandoque infert. Hasque vomitiones eadem symptomata, quæ in cholera eueniunt, interdum quoque sequuntur.

Vomitus alius prægnantibus mulieribus quibusdam est consuetus, quæ primis post conceptum mensibus, ieiunè vel post cibum sumptum vomunt. Et licèt hoc sine nocumento plerunque faciant, tamen si hoc magno fiat impetu, perseueretque, tandem læduntur.

Sunt & vomitiones aliquæ quibusdam malè plerunque tunc dispositis consuetæ. In quibus aliqui cibum paulò saltem pleniorem vel minùs cōuenientem ingestum, facilè rursum, vel paulò pòst euomunt, vel cùm concoctio fit, aut nondum plenè absoluta est, immutatum sed crudum & indigestum vomitu rursum egerunt.

Alij verò pituitam copiosam, mucum, vel bilem, matutino pręsertim tempore vomūt, prægressâ plerunque cardialgiâ aliquâ, & subsequente aciditate vel amaritudine in ore, vel acerbitate quâ & dentes exasperantur. Qui omnes etsi vomitione leuentur, tamen ex cōtinuatione illius vomitionis, tandem damnum sentiunt, vel aliàs in morbos incidunt. Sicuti typographum excellentem Frobenium, multis annis vomitu, post primum somnum, corruptam materiam ferè atram rejicere solitum, eoque malo tandem extinctum, vidimus.

In morbis diuersis ventriculi, intestinorum aliarúmve partium vomitiones, vnà cum reliquis ipsorum symptomatibus, frequenter concurrunt, sicuti quarundam cùm de illis egimus, etiam meminimus. Quæ prout vel pituita vel bilis vel sanguis rejicitur, variant.

Pituitosa vomitio, præ cæteris in diuersis occurrit morbis: In qua cum cæteris accidentibus morbi causâ euenientibus, pituita nunc aliis permista, nunc mera & sola euomitur; Eaque vel glutinosa, tenax, mucosa, limosa, spumosa vel aquea & serosa, sapore dulcis, salsa, acida, quæ omnia pituitæ nomine comprehendimus. Hanc vomitionem in affectibus aliis, qui magis vrgent, copiosiùs exposuimus. *Vomitus pituitosus.*

Non minùs consueta est, Biliosa vomitio, in multis morbis, vbi & descripta fuit. In qua bilis vel flaua, colore nunc sulphureo, nunc luteo, vitello oui similis, vnde vitellina dicitur, quæ tenax est, euomitur: Vel viridis, illaque vel herbacea, diluta plerunq; & fluida, Porracea vel Prasina dicta: vel admodū virescens, Æruginosa appellata: Vel Atra, tuncque grauiora simul prout morbus existit, concurrunt symptomata. *Vomitus biliosus.*

Priuatim autem hîc occurrit genus, biliosi seu cholerici vomitus, cæteris accidentibus præualens, vnde & hîc tantùm tractatur: Cui alui deiectio biliosa comes est: Estque affectus qui ob causam Cholera dicitur, vel simpliciter, vel cum additione morbus, aut Cholerica passio, vt à colico dolore, *Cholera morbus.*

quem colicam quoque vocant, differat; In quo affectu sequentia occurrunt.

Deiectio & vomitio assidua, magno cum impetu & conturbatione, per quę bilis summè acris & amara redditur; nunc liquida & diluta, aliàs crassior; colore nunc flaua, nunc viridis, nunc atra, mera & pura interdum, aliàs vnà cum aliis quoq; excrementis permista. Sed & cruenta quædam admista fuisse aliquando obseruaui.

Tormina torsionesque in ventre, & circa cordis dictam foueam admodum vrgēt: accedentibus interdum & punctionibus, dolore etiam ad dorsum & lumbos se quandoque extendente.

Ardor vrinæ huic malo ob bilem eò quoque propulsam sæpè copulatur.

Sitis intolerabilis affligit, etsi plerunque nulla adsit febris, quæ tamen nonnunquam accedit, nimirum Synochus illa, quæ in biliosis morbis, vti in febribus declarauimus, quandoque suboriri solet, quæ tamen nisi aliud accedat, magna esse non potest.

Imbecillitas mox adest magna, corporisque languor: pulsus est celer & debilis; perseueranteque morbo & aucto, animus quandoq; deficit, interdum in syncopen cadunt, cor palpitat, extremisque refrigerari incipientibus, sudoreque frigido prorumpente, mors est in propinquo. Frequenter conuulsio superuenire solet, quam singultus & spasmus in suris præire aliquando solet, periculumque denuntiare.

Vomitio sanguinea. Sanguinea vomitio quoque sed rariùs occurrit, in affectu quem Sanguinis vomitum ob id appellant. Qui non solùm in morbis, aliis affectibus simul tunc eum comitantibus euenit, sed & in suppressis naturalibus hæmorrhagiis, & præcipuè fœminis, cùm menstrua extra conceptum & in conceptu suppressa sunt, quibusdam accidit, vnde & priuatim hic casus illic describitur. In quo sanguis aliàs parciùs aliis permistus, cum illis vomitu excernitur, aliàs copiosè admodum euomitur, isque nunc purus, aliàs dilutus, interdum concretus & grumosus, aliàs tenax picis instar & nigrescens, quandoq; atramenti in morem, qualem magnâ copiâ supra infraque excretum, in celeberrimo iureconsulto vidi. Hunc affectum vti deiectio eiusdem sanguinis aliquando, ita & graues interdum morbi illorumque accidentia comitantur.

Excrementitia vomitio pręter iam dictorum humorum, aliorum etiam excrementorum occurrit, diuersorum, quæ vel cum iam dictis humoribus mista, vel etiam separatim euomuntur. Inter quas Stercorosa etiam existit; in qua fæces alui, quæ per aluum excerni debebant, per os euomuntur: quam cùm de fæcum alui per viam non decentem deiectione agemus, describemus. *Vomitio Stercorosa.*

Causæ.

IN omni vomitione ventriculum molestia quadam affici necesse est, vnde facultas ipsius expultrix insurgens, vt quod eum molestat, expellat, ad orificium ipsius superius sinistrum, & œsophagum illi continuatum, quicquid in eo continetur, aut portionem illius protrudens, adiuuante septo & ventriculum impellente, cùm illi vicinitatis causâ consentiat, per œsophagum orificio illius continuatum, tanquam per fistulam extra os eiaculatur seu euomit, quē illius motum, Ventriculi subuersionem vocant. Afficitur autem adeò ventriculus & molestatur, quando vel conturbatur vel grauatur aut irritatur: Citiusque cùm causa magna & vehemens existit, aut plures occurrunt, vel alioquin ventriculus sensu exquisitiore præditus, patibilis est seu facilè patitur, aut ex mala consuetudine vomendi, relaxatus, cibos minùs rectè amplecti, & paulò copiosiores vel minùs gratos retinere nequit. Causa autem ventriculum conturbans grauans aut irritans, vel ab externa vi, aut ab assumptis, vel illis quæ in corpore sunt, humoribus, excrementis, corporibúsve prodit.

Ventriculi cõturbatio, aggrauatio, irritatio, à vi externa vel ab aßuptis, causa Vomitionũ præternaturaliũ. Extrinsecùs Frictio ventriculi regionis, vel impulsio alia vehementior, aut corporis inclinatio nimia, aut commotio in vectione & nauigatione, post cibum præsertim copiosiore aut potum, vel decubitus in ebriis, conturbando cibum & potum in ventriculo, vomitui occasionem præbet.

Digitus vel penna, vel quid aliud in fauces gulamq; intrusa, titillando & molestando iu-

do tunicam oris succingentem, propter illius cum ventriculi tunicæ continuitatem & cōsensum, offensam hanc propellere tentans, contenta in eo simul, excitatus ventriculus, effundit.

A cibi & potus, imprimisque vini nimiâ ingurgitatione, vltra modum impletus & obrutus ventriculus, ea rursum euomit, eoq; magis, si cibi aut vini vis vehemens ventriculum simul offendat; estq; vomitionis tunc illius quæ crapulam & ebrietatem sequitur, causa. Quæ & à cibo nimiùm medicamentoso, vt infrà de medicamentis dicetur, proficisci potest.

Quæ nauseam mouent, si assumãtur, cùm ventriculus illa respuat, interdum rursum ab eo per eandem viam rejiciuntur. Qualia sunt (sicuti in appetitus defectu in nausea hæc vberiùs ostensa sunt) cibi non consueti, à quibus natura abhorret, vel aliàs turpia & abominabilia casu vel necessitate sumpta: quorum & sola imaginatio, quibusdã nauseam nonnunquam & vomitum mouet. Idem faciunt quæ admodum ingrata sunt, vel odore tetro & nauseoso prædita, qualia multa sunt medicamenta, & inter cætera ferè omnia cathartica, nauseam præ cæteris pariunt, quæ medicationis gratiâ sumptâ sæpè iterum euomuntur. Nauseam quoq; quibusdam cibi certi, non per se ingrati, sed illorum naturæ aduersi pariunt, adeò vt si casu ea ingerantur, rursum euomãtur. In morbis quoque quamplurimis, in quibus cibos fastidiunt, alimentosus ipsorum odor, & imprimis carneus & pinguis nidor, alioquin satis gratus, ipsis nauseam inducit, vnde ea alendi gratiâ ipsis obtrusa, fastidientes, aliquando reuomunt.

Medicaméta assumpta, nimiùm acri adurentéve, vel alioquin noxiâ vi; ventriculum vellicantia, vel etiam pungentia, vt sunt pili incisi & rasuræ vnguium, vomitum quoque cieunt, vti Vomitoria, vomitionis mouendæ gratiâ sumpta; quæ si violentiùs aut diutiùs operentur, noxiæ vomitionis quoque causa fiunt. Idem etiam medicamenta alia vehemẽtia, medicationis, & præsertim purgationis per aluum causâ sumpta, faciunt, quæ ventriculum nimiùm sollicitando, breui postquã assumpta sunt, iterum euomuntur, vel tunc quando operatio illorum per aluum primùm incipit, cardialgiam mouentia, ob causas illic explicatas, vomitum creant; imprimisq; deleteria erodentia medicamenta aut venena, casu vel alias ob causas ingesta. In quibus vomitionibus, quicquid in ventriculo cõtinetur succorum, humorum vel excrementorum, illic congestorum, vel eò per cathartica promotorum, vel simul, vel separatim euomuntur: Imprimísque bilis diluta, sicuti post stibij aliorúmve violentorum exhibitionem fieri videmus, magnâ copiâ aliquot pelues adimplentem eam effundi, quam priùs nec in ventriculo aut intestinis hæsisse, quòd nulla priùs symptomata passi sint, satis demonstrat, sed è venis meseraicis, impetu naturæ vehementiùs medicamento cõmota, eò propulsam, sicuti in vomitu bilioso postea ostendemus.

Præter hæc multa quoque casu deglutita, inanimata plerunque, rariùs viua, per hãc viam vomitu prodierunt.

Inter humores & excremẽta, Bilis in ventriculo coaceruata, illum irritans, Vomitionis illius, quæ picrocholis sæpè, ieiunis maximè, & in diuersis biliosis morbis euenit, frequentior causa est, eò vehementioris diuturniorisque, quò ea deterior existit. Quæ etiam si admodum tenax sit & adhærens, qualis ex flauis vitellina existit, vel summè acris, vti viridis vel atra, vẽtriculum grauiùs vellicans ac veluti adurens, nimiumque sic afficiens, non tantùm vomitum, sed & deiectionem per inferiora simul, veluti medicamenta cathartica violenta in ventriculo adhuc contenta facere solẽt, in cholera morbo, sic à bilis excretione appellato, concitat; e[illegible]que magis, si nimiùm abundans, ad intestina quoque propellatur, sicuti & in intestinis collecta, tenuioribus præsertim illaque irritans, ventriculo ob vicinitatem & continuationem simul officiens, vtroque quoque modo per vomitum & sedes, excretiones moliri potest. Plus tamen supra infraq; mouens, prout ventriculo intestinísve magis incommodat.

Vẽtriculi irritatio à Bile, causa Vomitionis biliosæ, & Choleræ morbi.

Nascitur autẽ hæc bilis interdum in ventriculo, ex assumptis cibis, qui vel naturâ suâ

calidiores, acrem & biliosum succum intra se cõtinent, vel ex putredine rancoréve eum concipiunt, aut corruptione in ventriculo demùm in eum conuertuntur; quod ex Cucumerum, Melonum similiumque vsu frequenter contingit, choleræque morbi causa est, sicuti in cordis rosione inde quoque factâ, quo pacto bilis ex dictis generetur, prolixè ostendimus, quæ tamen in cholera morbo ob causas plures vehementiorésve concurrentes, deterior copiosiorque gignitur, & proin grauiùs hîc quàm in cardiogmo ventriculum afficit, atque ad intestina propulsa illa simul affligit. Sed & pernitiosa hæc bilis ex flaua bile è vesicula propria in has sedes effusa, corruptaque genita idem potest efficere. Aliàs verò ex venis meseraicis, vbi coaceruata diutiusque retenta prauitatem hanc acquisiuit, in hæc loca erumpẽs, illaque vti dictum, infestans, choleram morbum quoque parere potest. Sicuti quo pacto in venis meseraicis illa colligatur, & ex qua materia originem trahat, in febrium intermittentium causis abundè declarauimus.

Vẽtriculi repletio aut offensa ab Humoribus & Excrementis, causa Vomitus p̃ternaturalis, & pituitosi.

Ab humoribus aliis & excrementis, ventriculum nimiùm replentibus aut offendentibus, Vomitus quoq; interdum concitatur. Veluti à succo crudo, ex cibo non bene concocto genito, qui in ventriculo fluctuans, ventriculumque flatibus adimplens eum ad vomitũ illius, qui tunc ferè acidus est, quandoque impellit. Vel à succo alio præter bilem acri, ex cibi corruptione nato: Vnde vomitiones accidunt, quæ vel non longè à cibo sumpto, vel tunc quando concoctio facta esse deberet, fiunt. Frequenter & à pituita cuiuscunque generis, aut à lentore qui in ventriculo coaceruari, illicque diu sæpè cùm ægrè descendat, retineri solet, vel alio aqueo humore, à quibus vti nauseam excitari in appetitus defectu diximus, vbi & causas p̃lixiùs declarauimus, ita & immoderatis, vomitus quoque commouetur, eoque magis, si alij quoque praui accedant humores. Qui & per se, atq; vnà cum cæteris in ventriculo geniti, aut eò effusi, ventriculum offendẽtes, vomitionem in variis cacochymicis corporibus accidentem, vti & in mulieribus quibusdã, tunc cùm grauidæ sunt, ob suppressa menstrua, vel etiam aliis fœminis extra conceptum, ob illuuiem, vnà cum mẽsibus tunc retentam, aliquamdiu molestam, & in febrium paroxysmorũ initiis aut crisibus, symptomaticam, aliisq; morbis grauidis, malignis item & pestilentibus, ventriculo compatiente, atq; interdũ ab ipsis læso, euenientem efficiunt: sicuti in horum morborũ tractatione causa pleniùs explicata fuit.

Vẽtriculi repletio à Sanguine venarum meseraicarũ, causa Sanguineæ vomitionis.

Sanguis è venis meseraicis quæ per ventriculum feruntur, in ventriculum instillatus vel effusus, vel à vicinis intestinorum venis hucusque regurgitans, vomitionis sanguineæ causa existit, & prout ille sanguis se habet, talis euomitur, ac proin interdum serosus vel admodum inquinatus aut niger, qualem in venis meseraicis coaceruari sæpè solere, in febribus ostendimus, existit, nonnunquam & si diutiùs in ventriculo moram trahat, concretus. E' venis autem excidit, vel ob copiam, vti in menstruis retẽtis, puellæ vel fœminæ grauidæ sanguinem quandoq; sine noxa euomunt; vel nonnunquam & cessante per nares cõsuetâ hæmorrhagiâ; vel ob amputatum membrum, sanguine in corpore cumulato; vel hoc fit ob nimiam illius cum sero permistionem vel tenuitatem, aut ob illius, quia admodũ biliosus est, fluiditatem, in variis morbis, aut aliàs illius impuritatem aut malignitatem, in febribus præsertim à natura propulsus. Sicuti hoc in variis morbis fieri solere, in illis ostendimus: A' contusione quoque aliquâ factâ circa viscera ventriculo vicina, sanguis nonnunquam euomitur; vel ab alia ventriculi læsione, per deglutita acuta, vel ab accepto vulnere in ventriculo, per vomitum sanguis quoque rejicitur. Deglutitus quoque sanguis in fauces, vel à naribus, aut à thorace deueniens, concretus sæpè rursum euomitur.

Curatio.

CVm per vomitiones materia aliqua, quę per hanc viam vtiliter, nonnunquam & necessariò expurgatur, è corpore educitur, illa minimè compesci, immò si non sufficienter fiat, promoueri potiùs debet. Quòd si verò adeò violenter fiat, vel tam

tam diu perseueret, vt vires dejiciat, vel alioquin damnũ inferat, tunc vt placidiùs procedat vel remittat, cura adhibetur. Imprimis verò quando inutilis est vomitio, per quam ea quæ in corpore retineri debebant, vt cibus & pharmaca, rursum euomuntur; illa & præcauenda & sistenda erit.

Vomitus præternaturalis ab assumptis curatio.

Itaque si post crapulam & ebrietatem vomitus fiat, ille minimè erit impediendus sed potiùs promouendus: Si tamen sæpè fiat, ab ea cauendum, vel illam, vtẽdo iis quę ebrietati resistunt, vti in mentis alienatione dictum, prohibeant, nec somnum mox à crapula capessant, nec vertiginẽ sibi, quæ præcedere solent, intuitu aut motu corporis accersant. Quòd si perseueret, cùm bilis ex ea concitetur, illa quæ in bilioso vomitu competunt, adhibenda sunt.

Si post alia assumpta necessaria, quę satiùs esset in corpore manere, cum nausea vomitio fiat, ea erit præcauenda. Idque maximè post catharticum bibitum, vnde facilè vomitum sequi diximus, quòd cùm subitò post illud sumptum fit, medicamenti operatio frustratur, nam si hoc nonnihil protrahatur, non semper medicamentum irritum est, sed deiectio nihilominus sequitur, & per vomitum, multa excrementa ventriculi, quæ descendere propter lentorem nequibant, expurgantur, vnde etsi deiectio postea minus copiosa sequatur, ob duplicem illam euacuationem, tamen effectum suum consequetur operatio. Quæ eò maior, si non penitùs medicamentum, aut iam aliquandiu retẽtum, demum euomatur.

Cæterùm ne medicamentum reuomant cauebitur, odore & sapore grato & amico, qui tetrum odorem & saporem medicamẽti emendent. Quo nomine Crusta panis tosta in Aceto madefacta naribus adhiberi; collo Pannus aceto madefactus obuolui; ósque Aceto vel Aquâ mox ablui; & Pomum acidulum vel aliud quod maximè ori gratum, masticari debet.

Præter quę Ouum gutturi adhibitum, ne reuomant medicamentum, impedire vulgò creditur. Sed & alia multa eo nomine in biliosa causa exposita, inter assumenda, & adhibenda, vti illic vomitum compescunt, sic & hîc eum præcauere possunt.

Si verò cathartico sumpto, tunc cùm operatio illius incipit, vomitus sequatur, quem cardialgia præcedere solet, nec hic per se noxius, cùm & supra infraque simul fiant euacuationes. Quia tamen ob cardialgiam comitem plurimùm debilitantur, adeò vt in syncopen aliquando cadant; vt præueniamus vtrumq;, Lauatiua vel lotiua dicta, quæ ventriculum ab eo quod eum irritat, abluant, vbi primùm rosionẽ sentiunt, propinantur. Veluti decoctum Hordei, quod calidum exhibere iubet Hippocr. cui & saccharum vt magis abstergat, permisceri potest. Vel datur cremor Hordei cum saccharo, aut iusculum Cicerum vel Pisorum rubrorum. Sed & quęcunque stimulum hunc contemperant, tunc exhibita iuuant. Vt quoduis Brodium vel Iusculum carnis aliorúmve.

Clyster tunc quoq; iniectus, cardialgiam compescens & operationem medicamenti accelerans, vomitum quoque corrigit; tum communis, tum priuatus in cardialgia ex hoc casu factâ, descriptus.

Quòd si ob medicamenti vel purgationis per aluum, aut etiam vomitionis promouendæ causâ propinati, aut deleterij alterius medicamenti, vel veneni, casu aut temerè assumpti, nimiam violentiam, vomitio sequatur, tunc ea quæ horum acrem, adurentem & malignam vim reprimunt, atq; ea abstergendo vt faciliùs reuomantur, iuuant, potiùs quàm vomitum sistentia exhibendo, huic vomitui medemur. Vel etiam dando stupefacientia sensum ventriculi, vt minùs sentiat, vomitum compescimus. Vel Antidota, quæ veneni vim, si inde fiat reprimant. Quæ si opiata simul sint, vt Theriacá & similes, duplici nomine tunc conueniunt. Qualia multa in cardialgia, quæ tunc quoque vehementer angit, proposita hîc quoque vsurpari possunt.

Si à pituita aut alio crudo humore vel excrementitio, modò non biliosus aut calidus & feruens sit (de quo postea) vomitio fiat, siue in cacochymicis, vti & in prægnantibus, vel in morbis, per hanc excrementa expurgentur, rectéque procedat, minimè impediri debet: Si verò sępè eueniat, in sanis alio-

Vomitus pituitosi, aut ab aliis excrementis excitati, curatio.

alioquin, vel in morbis non conueniat, aut nimiùm vrgeat, cura illius erit sequenti modo perficienda: Obseruando diligenter interim, si prægnantibus hoc contingat mulieribus, aut morbo alio ægri laborent, ne quędam ex hisce remediis illis incommodent, quæ & tunc omittenda, aliaq; quæ minimè obsunt, vsurpanda.

Vomitoria exhibita, vomitu perseuerante, tunc iuuant, quando humor tenax ventriculo adhærens, eum ad vomitionem continuam sollicitat, per quam tamen ille minimè cedit neque expurgatur, proin & ad vomitum compellere non desinit, tũc enim vomitoriis eum abstergentibus, & si tenax sit, illum incidentibus exhibitis, cedens, per vomitum quoque ejicitur, causaque sic vomitus vomitu amouetur. Quorum vomitoriorum formas aliquas in ventriculi imbecillitatis cura, atque in aliis pituitosis morbis exposuimus.

Purgantia deorsum causam morbi, præmissis si opus sit præparantibus, si illa, vti dictum subsistat & hæreat, exhibentur, vt quando per superiora expurgari minimè aut non sufficienter potest, è ventriculo deorsum ad intestina deriuata, eum molestare desinat, sicq; viâ consuetâ per aluum euacuetur. Quod eadem medicamenta, qualia in ventriculi imbecillitate alibiq; passim exposita fuêre, præstant: Formas tamen purgantium gratiores & commodiores eligẽdo, ne rursum ea euomant: Inter quas Vini purgantis est conuenientissima: Vel pilularum, si eas facilè deglutiant, vel reliquæ, si illis magis delectentur.

Clysmata iniecta simili ratione causam deorsum reuellendo, in vomitu nimio prosunt, non tamen magnâ quantitate infusa, nec dum admodum acria aut relaxantia, ne dum colon subeunt, ventriculum vicinum premendo, aut relaxando vel irritando magis commoueant: Quorum præparationes multæ in colicis doloribus habentur.

Sed & nutrientibus clysteribus iniectis, quãdo in continuo vomitu cibũ nullo pacto retinere possunt, neq; sic nutriri, ægros necessitate hac vrgente, sustentare aliquandiu possumus. Quales in hecticis ꝓpositi fuêre.

Propinantur postquam per vomitũ spontaneum, vel arte promotum, aut per aluum expurgata est materia, quæ eum si nondum desinat, compescunt. Talia autem in hac causa sunt calida, adstringentia, ventriculo appropriata, minimeq; nauseam mouentia. Qualia multa in ventriculi imbecillitate exposita sunt. Quibus & sequentia, præcipuè in vomitione nimia conferentia, adduntur.

Aqua Cinamomi grata admodum & efficax, vomitionem mox cohibet: Aliæue ex aromatibus destillatæ, in ventriculi imbecillitate enarratæ, nauseã minimè mouẽtes.

Vinum prę cæteris ventriculo acceptum, bibitum, vomitum sedat, generosum præsertim, quale inter varia est Maluaticum.

Medicatum vinum, ex infusione factum, amarum, magis competit quàm dulce, cùm dulcia vomitum potiùs promoueant. Præferturque Absynthites, cui in tenacissima materia, Squillam, Gentianam & summitates Centaurij minoris addunt.

Aliud ex Menta, Maiorana, summitatum Rosmarini, Betonicâ, foliis Myrti, flor. Rosarum rubrarum, semine Coriandri, infusis in Vino, addito simul Absynthio, vel sine illo paratur. Quibus & interdum Garyophylli, Nux moschata & Macis adduntur.

Vina aromatica iuuant, Hippocraticum dictum, vel alia ex infusione aromatum parata, qualia in ventriculi imbecillitate exposita sunt; vel ex puluere mox dicendo aromatico infuso in Vino fieri possunt. Quibus Coralli rub. puluer. quoque adjicere vtile censent. Sacchari minorem quantitatem quàm aliàs fieri soleat, ne dulcedine obsit, addimus.

Decocta non adeò sunt grata, & bibita facilè euomuntur, in formam tamen syrupi redacta, sic per cochlearia exhibentur: Veluti Syrupi de Absynthio & Menta, cum Vino vel per se propinati; additis succis Cydoniorum, Granatorum, & quod aliqui laudant imprimis, Mentæ Græcæ.

Vel fiat tale decoctum, omnia vel quædam sumendo: ℞. radic. Cyperi, Galangæ, Spinæ albæ ana ℥. ß. Mentæ, Betonicæ, Sanguisorbæ ana M. j. summitat. Rosmar P. j. sem.

ſem. Coriandri ℥.ij. ſemin. Pæoniæ ℥.j. Schœnanthi, Spicæ Celticæ, Corallorum rubrorum vti aliqui volunt pulueriſatorũ an. ℥.j.ß. fiat decoctio in Vino & Aquâ, additoq; Saccharo coquantur in formam ſyrupi, aromatiſ. aromatibus.

In cibis Faba, Phaſeolus, Lens comeſta proſunt.

Lentes excorticatas numero xxij. iubet exhibere Dioſcor.

Pulueres ſtomachici varij, in imbecillitate ventriculi expoſiti competunt, maximè qui adſtrictionem habent, vt Aromaticum roſatum, & Gariophyllatum, Roſata nouella & Diagalanga.

Vel ſic fiat puluis aromaticus, adſtringens nonnihil: ℞. radic. Cyperi, Galangæ, Acori veri, Caſsiæ ligneæ an. ℥.j.ß. Nucis moſchat. Maceris, Gariophyllorum an. ℥.j. Schœnanthi, Spicæ Indic. ligni Aloës an. ℥.ß. Piperis, Zingiberis an. ℈.j. fiat puluis. Qui efficacior erit, ſed minùs gratus, ſi ei addas Maioranæ, Mentæ, florum Roſarum an. ℥.ß. Maſtiches vel Thuris ℈.ij. Danturque hi pulueres cum Vino per ſe, vel Saccharo priùs addito.

Conſeruæ & conditurae variæ probantur, vt conſerua Roſarum antiqua, Mentæ, Maioranæ, Conditura citri, Nucis moſchatę aliæque.

Admouenda ventriculo erunt, quæ eum roborant, & conſtringunt, in ventriculi imbecillitate præſcripta, eligendo ex illis formas quas laxum ventriculum adſtringere diximus, & quæ odore magis grato præditę nauſeam minùs mouent.

Oleis illic explicatis ventriculus inungendus erit, quæ quando roborandum & potiùs adſtringendum eſt, cõpetere diximus. Quorum vnctuoſus odor, ne incommodet, vti verò facere ſolet, capite auerſo & interpoſitis odoratis cauebitur. Vel mox poſt vnctionem odorati pulueres illic quoque expoſiti ſuperaſpergendi, aut alia odorata olea ex aromatibus exſtillata, illis permiſcenda. Oleum quoque ex Nuce moſchata, cùm ſuaui odore præditum ſit, hîc imprimis iuuat.

Vnguentum ad humidum & laxum ventriculum illic deſcriptum, vel ſimile aliud, hîc quoq; locum habebit, obſeruando in odore emendãdo, idem quod modò diximus.

Emplaſtra præ cæteris formis, ne per inunctiones fricando ventriculum, vomitus nonnunquam concitetur, hîc ventriculo applicanda potiùs. Quale in imbecillitate ventriculi illud quod in laxiore ventriculo prodeſt, de Maſtiche appellatum exiſtit.

Fotus item, quos debilem ventriculum roborare, laxum conſtringere illic notauimus: hîc quoque vtiles erunt, & cùm odorem non ingratum exſpirent, eò erunt conuenientiores.

Pulueres odorati hi qui cùm validiùs adſtringendum illic explicati fuerunt, hîc quoque inunctionibus inſpergendi, & ſacculis excepti ventriculo admouendi.

Cataplaſmata item citra vnctuoſorũ permiſtionem parata, cùm ſint odoratiora, illic præſcripta hîc vſurpantur.

Præter hæc multa extrinſecùs adhibita alia, vt cucurbitulæ, dropax, ligaturæ, amuleta, in bilioſo vomitu potiùs, cùm ille magis infeſtus ſit, mox explicanda, hîc quoque proderunt.

Adhibitâ interim parcâ & decenti victus & reliquâ viuendi conuenienti ratione.

Vomitus bilioſi & Cholera morbi curatio.

Si à bilioſo humore, aut alio acri & feruente, ex cibo corrupto aut aliàs in corpore nato, ventriculum ſtimulante & irritante vomitio fiat, perque eam hæc euacuentur, potiùs iuuanda quàm impedienda erit. Si tamen conſueta ſit in quibuſdam cacochymicis corporibus bilioſa vomitio, cùm longè grauiùs affligat quàm pituitoſa, & tandem noxam inferat, & præcipuè quia morbos minatur, cura illius erit inſtituenda. Vti & ſi in morbis quibuſdam immoderata ſit & vehemens, quia plurimùm obeſt, cura quoque eò erit dirigenda. Imprimiſque in cholera dicta, cùm vomitio pręcipuum huius morbi ſit ſymptoma, adeò periculoſum, tota huius morbi cura, cum cæteris bilioſis vomitionibus hîc erit proponenda. Acutiſsimus autem eſt cholera morbus periculoſuſq;, præſertim ſi nullâ causâ prægreſsâ manifeſtâ, ægrum corripiat: minùs autem periculi, ſi ob eſum cucumerum, melonum, aut alterius cibi in bilem conuerſi inuadat: Mortemque

minatur, si pulsus debilis, cordis palpitatio, animi defectio, singultus & conuulsio accedant, quæ in propinquo est, si pulsus intermittat, vrinæ liuidæ fiant, atque extrema frigescant.

Scopus curandi in omnibus eiusmodi immoderatis biliosis & acribus vomitionibus, habitâ semper interim ratione morbi, aliorumque symptomatum, si adsint, adhærentem bilem humoresque ab initio abstergere, illorumque vim refringere, & si magis ad superiora tendant, deorsum impellere: Ventriculum dein & intestina roborare, adstringere, nonnunquam & necessitate vrgente sensum illorum, vt minus patiantur, retundere: idque internis externisque medicamentis; viribusque interim quæ citò dejiciuntur, prospicere, atque imminentia grauia accidentia in cholera præsertim morbo, auertere, & si superueniant, emendare, vt & fluxui ventris in cholera simul prospicere. Quod per sequentia medicaméta perficitur.

Vomitoria eadem quæ in cardialgia à bile, & in febribus biliosis descripta sunt, hîc quoque si causa cedere nolit, competunt. Quę & euacuando bilem adhærentem & in cholera reuellendo simul alui fluxũ immodicum sistendo quoque iuuant.

Purgantia eadem quæ in cardialgia à bile proposita fuerant, hîc ad causam deturbandam locum habent: Imprimis Myrobalani, Rhabarbarum cum Spica, quæ illius est correctiuum atque omnes fluxiones sistit, dando, & cæteris ferè semper addendo, quæ præter expurgationem bilis, deorsum materiam deriuando quoque vomitum sistunt. In cholera tamen cùm tunc aluus alioquin nimiùm fluat, si ob bilem intestinis adhærentem, illius euacuatio requiratur, eadem quæ in dysenteria conuenire diximus, hîc quoque proderunt. Fortiora, nisi præcautionis loco in illis qui biliosis vomitionibus obnoxij sunt, nõ dentur, & proin dum morbus adest, ab iis abstinendum. Clysteribus autẽ rectiùs hoc tunc perficitur, abstergentibus, bilisque feruorem minuentibus, in cholera, qui & si alioquin biliosus sit vomitus, reuellendo iuuare possunt.

Inter alterantia multa quoq; conueniunt, quæ in cardialgia biliosa descripta sunt, eligendo ex illis ea quæ magis adstringunt, & nauseam minimè mouent: Idq; maximè inter ea quæ propinãtur: Qualia sunt sequẽtia.

Fructus acidi illic descripti crudi coctíve, comesti vel condimenti loco, ipsi vel succi ipsorum in cibis vsurpati, hîc quoque proderunt, eoq; magis, si non nimiùm maturi austeritatem aliquam habeant. Vnde Vua, Cerasa, Mespila, Sorba, Corna huc quoque referuntur. Olera item illic quoque nominata acida, vel etiam alia cum Aceto vsurpata. Et Brassicæ capitum & Raparum in Composito nostro dicto, conditura.

Conseruæ & conditurae fructuum prædictorum acidorum, sicuti illa variis modis parantur, conueniunt, & præter hæc Myrobalani, cortices Citri conditi, conserua item Rosarum & Acetosæ.

Succi quoque horum fructuum & herbarum acidarũ, extra cibos diuersimodè vsurpati, vomitum compescũt. Acetumq; solum etiam bibitum post crapulam, vti ebrietatem corrigit, ita vomitum impedit vel mitigat. Vinumque absynthites vomitui bilioso medetur: quod proin ab ebriis qui crapulam edormiuerunt, cùm cardialgia vomitum pręsagit, magnopere expetitur. Aquæ etiam frigidæ potus post cibum, aliquando illius vomitionem arcet.

Syrupi etiam acidi illi qui in cardialgia propositi sunt, in hoc casu iuuant, qui per se dantur, vel dissoluti aquâ Acetosæ alióve modo.

Aliquando illis vti & cæteris, in ventriculis debilioribus, alia eum respiciẽtia adduntur; Estq; inter cætera hoc singulare in vomitu emendando: ℞. syrupi Granatorum acetosorum partes quatuor, syrupi de Menta partem vnam; misce.

Vel succi vtriusque expressi cum Saccharo coquantur in formam syrupi: Aut Mentæ parùm, dum syrupus granatorum coquitur, simul incoquatur.

Puluis vomitum sedans per se cum vino, succis alióve modo sumendus, vel aliis formis commiscẽdus, sic parari poterit: ℞. carnis seu pulpæ Cydoniorũ vel Pyrorũm austerorum, vel Mespilorum vel Sorborum vel

vel Cornorum, antequam, plenè maturescant exiccatorum ℥.ß. corticorum Citri sicci ʒ.j. Gallarum ʒ.ß. radic. Pentaphylli, seminum Acetosæ, Plantagin. Vuarum, Berberis, Sumach, Granatorum, Rosarum, Coriandri an.ʒ.j. florum Rosarum, Labrusræ, an.ʒ.ß. Antispodij ex ebore vel cornu Cerui, Coralli rubri ana ʒ.j.ß. Crystalli ʒ.ß. Margaritarum ℈.j. Boli rubri vel Terræ alterius pinguis & puræ ʒ.j. Hypocistid.ʒ.ß. Santali rubr. Cinamomi crassi an.ʒ.j. fiat puluis.

Ex Mastiche, Thure, addito nonnunquã & Succino, puluis simili ratione datur, quem alij cum Vitello oui parùm salito exhibitum magis probant.

Præter hæc pulueres foliorũ Trifolij, corticum Castanearum, seminis Maluæ, gummi Cerasorum, cum Vino bibiti, vomitui peculiariter resistere dicuntur.

Musci arborum quem Pulmonariam vocant, & Lagopi foliorum panicularúmve cum semine pulueres imprimis probantur à Dioscoride, qui eodem modo exhiberi possunt.

Ex vsitatis pulueribus, Diacydonites sine speciebus, trochisci de Spodio cum semine Acetosæ, præ cæteris competunt. Item trochisci de Thure, nisi odor illis omnino aduersetur, descriptionis præsertim Rhazis, thus, mastichem, succinum, bolum, camphoram, & odoris correctionis gratiâ, galliam moschatam & gariophyllos recipientes.

Electuaria & conditum in cardialgia biliosa præscripta hîc quoque iuuabunt.

Vel fiat hoc pacto: ℞.carnium Cydoniorum condit.℥.ij. cortic.Citri condit.conseru. Rosarum an.℥.j. conseru.Acetosæ ℥.ß. seminis Rosarum, Acetosæ, Coriandri an.ʒ.ß. Coralli rubri ʒ.j. misce. Possunt & plura ex prędictis pulueribus hîc quoque misceri, vel de puluere illo ʒ.ij. vel iij. addendo & interdum Triasantalum, vel Diamarg. frigid. vbi syncope metuitur.

Narcotica antidota, quorum illic quoque facta est mentio, cùm sensum ventriculi imminuendo, vt minùs afficiatur, faciant, vomitum admodum tum per se, necessitate vrgente exhibita, tum aliis commista, vti illic dictum, compescunt.

Admouenda interim ventriculi regionis anteriori sedi, nonnunquam & posteriori, quæ illum constringant & roborent; temperata, vel ad frigiditatem aliquam accedentia, actu tamen calida, cùm frigiditate facilè offendatur ventriculus, proin & licet potentiâ frigida nonnihil, hîc vsurpemus, illa tamen permixtis parùm calidis contemperamus. Hæc in cholera simul fluxum ventris quoque compescunt, & in vomitionibus aliis biliosis vti semper locum habent, sic maximè quando per os nihil sumere, ob nauseam volunt, præcipuè adhibere necesse est: odore quoad fieri potest, minimè nauseoso prædita.

Olea cùm propter vnctuositatem omnia actu relaxent, sola non adeò commodè vsurpantur, si tamen illis vti velimus, eadem adstringentia frigida, admixtis parùm calefacientibus, vti in cardialgia biliosa ostendimus, hîc quoque competunt. Acetum conuenit, vti illic dictum, sed maiori quantitate, vel alios succos acidos addendo, & superaspergendo pulueres adstringentes, odoratos, vt nauseam oleorum auferant, in cardialgia biliosa quoque expositos:

Vel hunc qui magis adstringit: ℞.Mastiches ʒ.ij. cortic. Thuris, radic. Cyperi, Balaustiorum ana ʒ.j. Absynthij sicci, Spicæ nardi ana ʒ.ß. fiat puluis.

Vnguentum refrigerans & roborans, in cardialgia biliosa descriptum, hîc quoque competet: Vel quod ampliùs adstringat, tale fieri poterit: ℞.olei Mastichini, Cydoniorũ, Rosarum, Omphacini ana ℥.j. olei Myrtini vel Myrtillorum, vel Lentiscini ʒ.vj. olei de Absynthio ℥.ß. Aceti rosac. Vini rubri stiptici an.℥.j.ß. succi Cydoniorum vel Pyrorum, vel in diuitibus Citri aut Limonum ℥.j. coquantur ad succorũ consumptionem, postea adde pulueris Mastiches, Olibani ana ʒ.j. Boli rubri ʒ.j.ß. Acaciæ Hypocistid. ana ʒ.j. Gallarum, Balaustiorum, Rosarum rubr. an.ʒ.ß. Ceræ q.s. fiat vnguentum.

Vel fiat emplastrum; addendo iam prædictis pondere duplicatis, Sanguinis draconis ʒ.j. Ladani ʒ.ij. capularum Glandium, Nucis cupressi, cortic. Citri, fol. Rubi, Myrti, Absynthij, Mentæ, seminum Myrti vel

Myrtillorum, Coriandri an.ʒ.j. Antiſpodij ʒ.j.ß. Spicæ nardi, Nucis moſch.an.ʒ.ß. Santali rubr.ʒ.j Galliç moſch.℈.ij. cum Pice, Reſinâ Oleiſq; ſupradictis fiat emplaſtrum.

Maſtiche puluerisata, albumine Oui incorporata, nonnunquam & additis oleis ſupradictis, emplaſtri modo applicata conuenit.

Placenta relicta in fundo cucurbitæ poſt exitillatam aquam Roſarum, aſpersâ aquâ Roſarum & Aceto roſac. & Vino rubro ſtiptico applicatur.

Cruſta panis parùm toſta, in Aceto roſaceo macerata rurſumque expreſſa, obuoluta tenuiſsimo linteo, vt cohæreat, ventriculi ſedi applicata, remedium eſt in vomitu vtile & paratu facile: Cui & Maſtiche, Gariophylli aliaque inſpergi poſſunt.

Vel cruſta panis ſic toſta & madefacta in Aceto roſac. vel ſolo vel addito etiam ſucco Cydoniorum, Vuæ acerbæ alióve adſtringente, vel etiam Vino rubro ſtiptico, cōtunditur, ſicque applicatur: vel hi ſucci Farinâ communi vel Hordei vel Lentium ſubacti applicantur. Efficaciuſq; hæc operantur, ſi puluis Maſtiches, Abſynthij, Mentæ, Roſarū addantur, vel plantæ hæ in Vino rubro coctę contuſæ pani miſceãtur; Aliáve adſtringentia in emplaſtris expoſita.

Compoſitum magis & cum oleis paratū Emplaſtrum de cruſta panis, præſertim ad vomitum ſiſtendum, vſitatū habetur. Quod ex Cruſtæ panis toſtæ & in Aceto maceratæ, & farinæ Hordei an.ℨ.ij. fit, ſubactâ olei Maſtichini & Cydoniorum an.ℨ.j. additaque Maſtiches, Antiſpodij, Coralli, Santalorum rubr. & Mentæ an.ʒ.j. Cui & Abſynthium addi poteſt, aliíve adſtringentes pulueres in emplaſtris deſcripti.

Emplaſtrum Diaphœnicum Alexandri ex dactylis, pane, carne cydoniorum, additis aceto, oleo, multiſque adſtringentibus, vomitui ſiſtendo quoque eſt accommodatum.

Vel ex pulpis præcipuè paratum ſic fit: ℞. Cydonia vel Pyra, vel Poma acida odorata, vel alios fructus carneos adſtringentes ſupra recenſitos, aſſentur ſi recentia ſint, parùm in fornace hypocauſti vel ſub cineribus, vel ſi ſicca iam ſint, emolliantur & coquantur parùm in Vino rubro ſtiptico, addito etiam Aceto: Contundantur diligenter & applicentur; Quibus ſi oleum de Abſynthio & de Menta permiſceas, præter quàm quòd per ſe etiam conueniunt, vt pulpæ hæ non tam citò areſcant, & aſperitate ſua incommodent, efficient. Quibus & alia ex ſupradictis multa addi poſſunt.

Epithema ex Aquę roſaceę ℨ.iiij. Aceti roſac.ℨ.ij. cum ſindone rubra calens appoſitū. Cui addi poſſunt Maſtiches ʒ.ij. Santali rubr. ʒ.j. Roſarum rubr. Gariophyll. an.ʒ.ß. nonnunquam & Camphoræ grana aliquot.

Pannus item intinctus in ſucco Cydon. vel Pyrorum vel Pomorum acidorum, addito interdum & ſucco Citri, Limonum, Granator. calidè quoque admotus: Quibus & pulueres enarrati miſceri poſſunt.

Fotus adſtringens paratur ex decocto corticum, arborum & foliorum Pyri, Cydonior. Quercus, Sorbi, Berberis, Liguſtri, Oleaſtri, Meſpilorum, Sumach, Myrti, Rubi, florum Roſarum: Labruſcæ, Balauſtior. cortic. Granatorum & Gallarum: additis etiam ratione ventriculi Abſynthio & Mentâ, ſemineque Coriandri & Myrtillorum, Santaliſque interdum, atque vno aut altero ex aromatibus. Decoctioque in Vino rubro ſolo vel contemperato, Aquâ præſertim extinctionis ferri perficitur.

Cucurbitula ſupra ventriculū vel in fundo ventriculi, vel paulò ſubtus affixa, vomitum ſedat, & ſi fiat dum cibus ſumitur, ne rurſum euomatur, eum retinet. Quòd ſi à venis meſeraicis bilis ad ventriculum feratur, hepatis vel lienis ſedi appoſita, vbi rami maiores harum venarum ſunt, reuellendo prodeſt.

Dropax ex pice diſſolutâ oleo conuenienti ſupradicto, ventri appoſitus, retractuſque, aſsiduum vomitum ſiſtit.

Ligaturæ, Frictiones extremitatum, aliquid quoque præſtant. Vti & ſi facies frigidâ conſpergatur.

Odoretur æger & maſticet grata ventriculo, veluti Poma, Pyra, Cydonia, aliaque ſuperiùs in cathartici ſumpti vomitu impediendo expoſita, aut manus in Frigidam aquam immergat.

Ex

Ex Ebore elaborato facta lamina tenuis lata, ventri admota, vomitum sistere dicitur.

Iaspidem viridem appensum, ita vt ventriculum tangat, idem posse scribitur.

Quod regimen attinet: Cibus parcè detur, per interualla, isque euchymus & qui non facilè corrumpitur, gratus, nauseam minimè mouens, spissior potiùs quàm liquidus, cum condimentis, vt supra dictum.

Inter cætera Panis aut Ferculum ex farina Tritici vel Hordei, cum succo Granator. pistâ, aut aliis acidis probatur; Hordeatum item cum aqua Rosarum, Aceto ros. & Saccharo.

Congelatum ex succo Caponis in duplici vase cocti paratum, addito succo Citri aliisve cordialibus, quando syncope timetur, prodest.

Potus illorum actu frigidus potiùs quàm tepidus aut calidus: Vinum acidulum esse debet: Vel si vinum illis aduersum sit, Aquã coctam addito s. Coriandri vel aliis bibant. Vel in qua syrupi aciduli dissoluti sint, habitâ in omnibus hisce diligenti consideratione, naturæ illorum & consuetudinis.

Aquæ frigidæ post cibum potus, aliquando illius vomitionem arcet.

Thermarum potum huic malo obnoxiis adiumentum adferre docent. Quod nõ tam vomitionis quàm cachexiæ quando inde euenit causâ fieri, verisimile est. Acidarumq; potus tunc competit.

Quieti interim sint, corpus non admodũ moueant, parùm loquantur: Nec masticando os nimiùm commoueant.

Somnus in hac causa valde prodest, cùm eiusmodi euacuationes sistat, qui proin illis cum ob inquietudinem aliàs vix dormiunt, erit concitandus, exhibitis soporiferis.

Accidentia grauia choleram comitantia, vel illi superuenientia; iisdem quę & choleræ competunt, emendamus, vel aliis quoq; horum symptomatum alibi explicatis remediis; vti Alui fluxum, quem & quæ vomitũ externa remedia sedant, sistunt:

Item sitim, acidis in potu & medicamentis expositis; Febrem iisdem quæ biliosos humores educunt, transeundo etiam febris causâ ad ea quæ illam tollunt: Conuulsionem imminentem vel iam pręsentem inunctionibus spinæ, aliisque illi dicatis remediis aliis, præcauere vel curare studebimus: Virium lapsum animiq; defectum, victu & cordialibus medicamentis corrigemus: Si quid aliud iungatur, vti interdum vrinæ ardor, huic peculiariter prospiciendum.

Vomitionis sanguineæ curatio. Si sanguis euomatur, isque in fauces illapsus eo descenderit, & concretus reddatur, tunc vomitus ille, vt nihil illic remaneat, nouaq; symptomata pariat, potiùs promouendus quàm impediendus erit. Si à venis meseraicis eò feratur, morbi magnitudinem & proin periculum denotat, tuncque morbo inprimis prospiciendum. Si à læsione aliquâ graui ventriculi aut partium vicinarũ proficiscatur, summè periculosus, tuncq; vel contusioni vel vulneri quoque remedia erunt accommodanda. In quacunq; autem causâ, habitâ primùm illius ratione, si sanguis magnâ copiâ euomatur, influxum hunc illius in ventriculum potiùs quàm vomitum sistere internis externisque præsidiis oportet, & simul ne concreta illius aliqua portio in eo hæreat, vnde postea grauia quoque superueniunt symptomata, sanguinem dissoluentibus, quæ tamen illius fluxum quoque impediũt, exhibitis auertere. Quod sequentibus modis præstatur.

Sanguinis è vena secta emissio, parùm à meseraicis, vnde sanguis in ventriculum & intestina influit, reuellere potest. Tamen in corpore plethorico, vel si affectus qui causa est huius vomitionis, id requirat, per venam conuenientem sanguinis portionem aliquã educendo, reuellere oportet. Et si menstrua suppressa sint, illud potiùs in pede erit faciendum.

Per cucurbitulas affixas, in hypochõdriis, vel sub vẽtriculi regione ventre, vel in menstruorum defectu in coxis, reuulsio hæc sanguinis quoque perficitur.

Vti & per ligaturas, extremitatum illarumque & inprimis femoris frictiones.

Purgantia hîc minimè nisi morbus illa requirat, nec tunc tamen vehementiora, naturam sollicitantia, locum habent. Concreti tamen sanguinis causâ, Rhabarbarum exhibitum valde proderit, nec tamen fluxio-

nem augebit. Quo nomine & syrupus Rosarum conceditur.

Clysmata, si sanguis quoque per aluum reddatur, & sanguinis vomitui copuletur, qui tunc ferè concretus & ater est, iniecta ad eum abstergendum,& demum quoque ad oscula venarum constringenda, locum habent, illis quæ in dysenteria proponuntur non absimilia. Si sanguinis grumi in intestinis hæreant, Posca infusa eos dissoluit.

Detur per os Amylatum, Oryzatum, Hordeatum, cum Iure glutinoso vel Lacte coctum.

Albumen oui crudum, mucagines seminis Cydoniorum & Gummi tragach. extractæ cum aqua Rosarum, Plantaginis, bene conquassata, dentur per se vel cum pauco Saccharo penidiato vel rosaceo, vel cum syrupis sequentibus.

Succi Plantaginis, Bursæ pastoris, Polygoni maris, Caudæ equinæ, aut Fructuum austerorum adstringentium in vomitu bilioso explicatorum, per se, vel addito Saccharo penidiato aut rosaceo, dantur, vel cum Vino rubro stiptico, vel addito pauco Aceto rosaceo.

Vel fiat syrupus ex succis prædictis, coquendo aliquos cum Saccharo, vel in horũ defectu herbas ipsas, quibus addi possunt Rosf. rub. P.j. Balaust. ℥.ß. Santali rubri ʒ.j. fiat decoctio in aqua Ferrata, additoque pauco Aceto & cum Saccharo coquatur in formam syrupi: De quo sumat.

Vsitati syrupi conueniunt, Myrtinus, Cydoniorum, de Rosis siccis, de Berberis, Omphacinus seu de Agresta, de Plantagine, de Portulaca. Syrupus acetosus, cùm grumosum sanguinem dissoluere volumus.

Aqua Plantaginis data sanguinem sistit: Aqua Nucum concretum dissoluit.

Aquam bibant chalybeatam, in cuius Mensur. j.ß. coquatur Mastiches ℥.j. Corallorum alborum ℥.ß. Crystalli triti vel Iaspidis ʒ.ij. Posca bibita sanguinem coagulatum dissoluit.

Puluis: ℞. lapid. Hæmatitis ʒ.ij. Coralli rub. ʒ.j.ß. Terræ rubr. pinguis, Acaciæ an. ʒ.j. gummi Arabic. vel Tragach. parùm tosti ʒ.ß. fiat puluis. Cui addi potest radic. Bistortæ, Balaust. foliorum Equiseti an. ʒ.ß. Si seminis Hyosquiami quoque ʒ.ß. addatur, vtilissimus erit: Capiat ʒ.j. per se vel cum Vino rubro stiptico. Vel addita Sacchari rosac. æquâ portione: Dentur ʒ.ij. Vel cum Saccharo cocto in aqua Plantagin. fiant tabulæ.

Ad sanguinem grumosum dissoluendum, damus Succinum, Asphaltũ id est Bitumen verum, vel Mumiam, Coagulum hœdi, &c.

Pulueres vsitati cõuenientes sunt trochiscorum de Succino, de Terra Lemnia, qui præterquam quòd sanguinis fluorem sistũt, simul etiam propter succinum eundem coagulatum dissoluunt, quod ambas compositiones subintrat: conueniunt & trochisci de Antispodio cum semine Acetosæ, in hoc casu. Qui & quia Papauer recipiunt, efficaciùs operantur, & eâ formâ & mensurâ, vti prædictus puluis exhiberi possunt.

Electuarium vtile: ℞. conseru. rad. Consolidæ maior. & Rosarum antiqu. cond. Cydoniorum an. ℥.j. trochisc. de Succino vel de terra Lemnia vel de Puluere præscripto ʒ.ij. & si vires deficiant pulueris elect. Diamarg. frig. vel de Gemmis ʒ.ß. cum syrupo Cydoniorum, fiat electuarium, vel cum Saccharo rosato tabul. mixtura, instar castaneæ magnitudinis sumenda: Aquamque aliquam prædictarum herbarũ, quarum succos conuenire diximus, superbibendo.

Philonium Persicum ʒ.j. quantitate exhibitum, valde hîc probatur. Cui Rhabarbari ʒ.ß, additâ, vt concretum sanguinem simul dissoluat, & euacuet, efficit.

Extrinsecùs Epithema & Fotus in vomitu bilioso descripta hîc quoq; iuuabunt. Vti & inunctiones vnguenta & emplastra illic proposita.

Vel hisce vtantur: ℞. olei Myrtini vel Myrtillorum, Cydoniorum an. ℥.ij.ß. succi Plantag. vel alterius succi suprascripti ℥.j.ß. Aceti rosac. ℥.j. coquantur ad succorum consumpt. adde Acaciæ, Hypocistid an. ʒ.j. fiat vnguentum, vel addẽdo Mastiches ℥.ß. Boli ʒ.ij. Balaustiorum, Malicorij, Gallarum, Sumach ana ʒ.j. Ceræ q.s. fiat ceratum, vel cum Resina pini fiat emplastrum.

DE MICTIONE.

CAPVT X.

Genera.



MICTIO per quam vrina in masculis per ductũ & foramen virgæ, in fœminis per meatum vrinæ naturaliter emittitur, tunc præternaturalis fit, cùm inuoluntaria vel immoderata, aut frequens sed pauca existit; vel in ea, vrina turbulenta aut cruenta alióve modo tincta permistaque redditur: vel si per aliam viam quàm quæ illi destinata, effluat.

Mictio præternaturalis.

Inuoluntaria mictio, est in qua citra volũtatem vrina sponte profluit. Atq; hoc interdum sine sensu, in Apoplecticis, Paralyticis, Animo deficientibus fit: Et in quibusdam, quibus lapis è vesica extractus, remanens est vitium.

Mictio inuoluntaria.

Est & alia inuoluntaria mictio, quæ dormientibus, lectum commingẽtibus accidit. In infantibus præsertim, si in illis hoc vitiũ, tum maximè cùm adultiores facti illud cognoscunt, & cauere deberent, perseueret, turpe. Turpius verò est, si ætate aliquousq; progressis vel prouectis, accidat, Vrinæque incontinentia dici potest.

Vrinæ incontinẽtia, eorũ qui lectũ commingunt.

Immoderata mictio dicitur, quando copiosiùs aut frequẽtiùs seu intempestiuè mingunt; qualis Bibonibus consueta est, qui cùm se vino replerunt, à conuiuio mox coguntur surgere, vrinamque copiosè reddere. Quod vitiosum esse meritò, præsertim in illis quorum existimationi non parùm inde detrahitur, ij censent, qui ebrietatem probro, vt reuera est, dandam, & multa pocula exhaurire, summè ignominiosum esse arbitrantur.

Mictio immoderata.

Est & alia intempestiua frequens eiusmodi mictio, quæ non post largam potationem, sed alioquin quàm par erat ad illius excretionem follicitat: cuius causâ diutiùs in conuentibus moram trahere nequeunt, sed vrinæ reddendæ causâ secedere coguntur.

Præsertim verò ea immodica & copiosa mictio existit, quando plus quàm biberunt & humidi comederunt, mingunt. Quod in sanis adhuc quos Vriticos vocant, obseruatur, si citra alium affectum eueniat; aut in morborum crisi vel declinatione, cùm vtile potiùs tunc quàm noxium sit, præternaturale ideò nondum existens, nisi perseuerás supramodum, vires deijciat, quæ facilè ab eiusmodi excretione admodumque labascunt.

Alia in affectu quem Diabeten vocant, sed rarissimè contingit, immoderata & copiosa mictio, in qua quæ bibuntur parùm aut nihil immutata iterum egeruntur, sitísque inexplebilis ægrum diuexat, vnde Dipsacũ eum vocarunt, corpusque admodum calet, & sensim cõsumitur atq; labefactatur.

Diabetes. Dipsacus.

Frequens sed pauca alia occurrit mictio, in qua vrina guttatim seu stillatim emanat, vnde & Stillicidium vrinæ, Stranguria dicitur. Quæ aliquando sine dolore perficitur, de qua in mictionis defectu egimus.

Stillicidiũ vrinæ. Stranguria.

Cum dolore ardente hæc frequentiùs molestat, qui cùm vrina emittitur, sentitur, vnde Ardorem vrinæ vocant, nos Mictionem ardentem appellamus vel Dysuriam, quod vocabulum mictioni cum dolore coniunctæ, vti dysenteriæ deiectioni simili quæ per aluum fit, rectiùs quàm huic quæ diminuta est, accommodatur. In hoc affectu ardor quamdiu vrina guttatim exstillat, excruciat: aliàs verò si vrina paulò vberiùs procedat, citra finem mictionis primùm incipit. Sed & peractâ mictione aliquandiu perseuerat, & ad nouam mictionem vehementer rursum impellit, tantumq; conatum excitat, vt & horrores sudoresq; commoueat. Intolerabilis sanè cruciatus, qui in masculis circa virgæ anteriora, & glandem potissimùm considere putatur: quæ tunc etiam frigida admodum esse contactu deprehenditur, vnde hunc affectum Germani Kaltenseich, hoc est, frigidam vrinam vel mictionem, quæ tamen ardens est, appellant. Fœminis verò pudendi superiora, vbi meatus vrinarius prodit, maximè ab eo infestantur.

Mictio ardens. Vrinæ ardor. Dysuria.

Talis dysuria aliàs citra alios morbos comites, & iuuenes & senes diuexat; Breuisq; est quandoque affectus, si assumptorum quorundam

rundam causâ, aut alijs de causis non perseuerantibus, vt in causis dicetur, eueniat: Aliàs diuturnus longo tempore affligens, cum quo impuritatis corporis notæ aliquæ concurrunt.

Cum alijs morbis illorumque accidentibus ardens hæc mictio aliquando copulatur; Veluti Turbulenta mictione, in qua purulenta vel mucosa aut lactea quædam materia, cum vrina excernitur, In Renũ & potissimùm Vesicæ affectibus, nonnunquam & aliarum partium: Vti & cum Puris citra mictionem excretione, in Vesicæ & Penis exulceratione; Vel fluore seminis inuoluntario in Gonorrhœâ, maximè eâ, quæ virulenta existit. Sicuti in illis excretionibus ostendemus.

Interdum à calculo vesicæ prodeuntia symptomata, dysuriam hanc comitantur, qualia sunt, Pruritus circa pudenda, Virgæ in viris tensio, Ponderis & grauitatis supra podicem sensus, cui digito immisso calculũ in vesica esse deprehenditur, Adest & conatus dejiciendi, Vrinaq; cruda, sabulosa interdum, aliàs etiam parùm cruenta, illiusq; omnimoda quandoque suppressio.

Mictio turbulenta: Mictio purulenta. Turbulenta mictio sæpè variis modis se offert. Aliàs enim purulenta est, pureque referta vrina: Quod cùm aliquandiu in vase vrina steterit, in fundo pultis instar subsidet, atq; agitatâ, iterum cum ea confunditur, & vbi rursum quieuerit, denuò fundum petit. Estq; nunc materia hæc alba inodora, aliàs nonnihil virosa vrinam graueolentem reddens. Interdum & loco puris filamẽta quędam alba in eiusmodi vrina innatant. Talis mictio in renum exulceratione, vel aliâ in illis factâ suppuratione, vti in causis dicetur, aliàs nullo cum ardoris inter mingendum sensu occurrit, sed saltem cum grauedine aliquâ vel dolore nephritico, circa renum regionem: aliàs verò ardens mictio huic comes est.

Aliam purulentam mictionem eiusmodi, in Hepatis abscessu contingere posse, docet, quod tamen rarum est, vti & rarissimum, quòd in Pleuritide aut Peripneumonia vel Empyemate, sicuti quoque creditur, id eueniat.

Alia turbulenta frequenter quoq; se offert Mucosa mictio, in qua mucus quidam crassus, tenax cum vrina egeritur, qui fundo matulæ se affigens, pertinaciter illi adhæret, ab ea, cùm vrina effunditur, glutinis instar dependet, in Vesicæ exulceratione, tuncque illius alia accidentia, inter quæ mictio ardens existit, simul concurrũt. Sed & mucus eiusmodi, citra vrinam è pene interdum progreditur. Sicuti in ea excretione quæ per penem fit citra mictionem explicabitur.

Est & alia mictio turbulenta, in qua vrina veluti lactea mingitur, postea que materia quędam alba in fundo illius copiosa interdum subsidet, rursumq; postquã vrina commota fuerit, vti de pure dictum, illi confunditur. Talem vrinam turbulentã, longo tempore, aliquando continuatis aliàs interpolatis diebus, sed certis tantùm diei horis, maximeque sub vesperam, post exercitationem corporis aliquando reddi, tum in meipso, tum alijs obseruaui. Idque citra alia grauiora accidentia, nisi quòd Ardor inter mingendum quoque circa finem illius, conatusque ille eam iterum emittendi, vrgebat. *Mictio lactea.*

Cruenta mictio quandoque se offert, Vrinaque colore rubro sanguineo tincta apparet, diciturque Sanguinis mictus. In quo, vbi quieuerit, circa fundum vasis residentia crassa, mox nigricans subsidet. *Mictio cruenta.*

Talis in Calculo renum, cum alijs illius accidentibus, vt doloribus nephriticis, frequentiùs se manifestat, vrinaque tunc post equitationes aut exercitia, motusque corporis validiores, sanguinolenta redditur. In calculo itidem vesicæ hoc sed rariùs contingit. Quod & si exulceratio simul in his locis cum calculo concurrat, fieri potest, vt cruenta & purulenta simul vrina reddatur.

Plerunque etiam vrina cruenta fit, sed leuiter saltem, nec diu sic permanet, in illis quibus catheter in vesicam vsq; adigitur.

Aliàs quoque illi, qui ictum vel casum sustinuerunt, post illa sanguinem mingunt.

Nonnunquam & hisce qui aliquid quod mictum sanguinis mouere potest assumpserunt, veluti Cantharides aliáve, idem accidit.

Rariùs

Rariùs cruenta mictio aliter euenit: In morbis tamen quibusdam vt febribus, criticè hoc interdum contingit: Et in febre pestilentiali, puellam sanguine puro per mictionem matulas impleuisse, paulò ante obitum vidimus.

Citra morbum etiam, illiusque aliqua manifesta indicia, sanguinem copiosè aliquando emictum fuisse, similiter obseruatum fuit. Sicuti in causis horum, quo pacto & vnde tam hæ quàm aliæ cruentæ mictionis species procedant, ostendimus.

Vrina tincta præternaturaliter vel permista. Ad mictionem præternaturalem, etiam alia varia huius generis referri possunt. Veluti hæc in quibus vrina tincta alieno colore, aliaque materiâ præter iam dictam vti contentis variis, item arenulis sabuloque mista & perfusa est: quæ vrinarum mutatio & cõmistio vel morbos imminentes præcedit, vel præsentes comitatur. In quibus &, cùm eiusmodi vrinarum mictiones expositę sint, non necesse est hîc eadem repetere, præsertim cùm harum causâ nihil sigillatim instituatur, sed morbo sanato, vrinæ quoque rursum ad naturalem statum redeant.

Vrina stercore, ossiculis mensibus permista reddita. Huc & referri potest, mictio illa penitùs aliena, in qua cum vrina stercus excernitur: qualem in fœcum alui deiectione præternaturali descripsimus; Vel ossicula aliáve assumpta, sicuti huius casus in excretione pręternaturali eorum quæ assumpta sunt mentionem fecimus. Vel menses per vias vrinæ cum ea confusæ egeruntur: sicuti in illorum pręternaturali fluore fieri posse ostendimus.

Vrina per vulnus efflu xus. Per viam aliam quàm eam, quæ vrinæ per meatum vesicæ destinata est, vrina quandoque omnino præternaturaliter effluit, è vulnere nimirum, vti iuxta perinæum in lithotymia, tamdiu donec vulnus iterum coalescat. Dein & in alia vesicæ regione, circa abdominis & lumborum humiliorem sedem, idem fieri potest, vt è vulnere illis in locis facto, vrina profluat. Sicuti iuxta inguina, alicui vniuersam vrinam, nec per aliam viam, iam multis annis profluere vidimus.

Causa.

Causa omnis mictionis præternaturalis, qualis est inuoluntaria, immoderata, frequens sed pauca, turbulenta, cruenta, alióve modo tincta vel confusa & permista; dependet vel ex Consuetudine prauâ, vel Affectu aliquo renum aut vesicæ proprio, qualis est constitutio quædam horum peculiaris, vel calidior aut imbecillior, vel intemperies frigida, calida; vel irritatio aut soluta continuitas vel contiguitas; Vel proficiscitur ab affectu per consensum vesicæ; Vel ab affectu alterius quàm renum & vesicæ partis originem trahit.

Cõsuetudo mala, causa mictionis intempestiua. Ex consuetudine mala, mictio frequens & intempestiua quandoq; nascitur; Si vrinam inordinatè reddere assuescant. Cùm enim in excretionibus alui & mictione, natura, in illis qui in viuendi ratione non peccant, suum seruet ordinem, certoque ad hęc obeunda inuitet tempore, si ordo hic illius anticipando, vel cunctando sæpiùs peruertatur, tandem ex consuetudine hac peruersa exsurgit, vt ad mictionem ante tempus conueniens impellantur. Ob quam & causam infantes, si noctu dormientes, lectum commingere sæpiùs in eo delinquendo assuescant, inuoluntariam hanc & intempestiuam mictionem tandem sibi familiarem reddunt. Quod & adultis quibusdam, ob eandem causam euenit, turpeque in illis est vitium.

Renum & vesicæ cõstitutio quadam causa Mictionis Inuoluntaria & Intempestiua. Ob constitutionem quandam peculiarem renum & vesicæ, mictionum quædam exsurgunt genera. Qualis est, si sensum exquisitum admodum vesica à natura adepta, ab vrina citiùs & antequam mediocris illius quantitas colligatur, stimulum sentiens, ad mictionem sollicitetur, vnde intempestiua oritur mictio. Quæ & causa fortè est in infantibus, quod frequentiùs mingant, noctúque, nisi vt vrinam reddant excitentur, in lectum vrinam emittant. Verùm & exquisitus ille vesicæ sensus, si vrina acrimoniam maiorem consequatur, non solùm vt tantò frequentiùs eam reddant, efficiet, sed & occasionem præbebit, vt eò citiùs mictio ardens ab vrina acri, sicuti in hac illius causa dicetur, eueniat.

Renum calidior constitutio, Mi... Calidior renum constitutio nondum pręternaturalis, sed à natura quibusdam insita, vt plus cæteris sæpiusque mingant, causam

Mictionis frequentioris causa.

aliquam adferre poterit, cùm ad segregationem citiùs absoluendam calor, vti omnes operationes accelerat, iuuet.

Renũ & Vesicæ imbecillitas. causa Mictionis frequentioris.

Quod & imbecillior renum constitutio, similiter efficere potest, cùm facultate tunc retentrice debilitatâ, serum citiùs quàm oportebat, præterlabatur.

Quæ imbecillitas illis ab ortu nonnunquam contingit, ob caloris debilitatem, aut substantiæ vasorumq; illorum, laxitatem nimiam & mollitiē. Aliàs verò postea primùm ob crebram mictionē, à potatione frequenti progressam, accedit, vel ab immoderatâ Venere, quæ hasce sedes debilitat, prodit.

Vesicæ quoque imbecillitatem inde natam, quòd mollior aut laxior sit, mictioni frequentiori occasionem præbere, aliqui docēt. Quæ tamen potiùs, si nimiùm ampliata tenuiorq; existat, illud efficiet, qđ ab ortu quibusdam potest accidere, aliàs verò ob longiorem vrinæ retentionem, in diu durantibus conuiuiorum, vel aliis conuentibus, si sæpè hoc continuent.

Renũ & Vesicæ frigida intemperies, causa Mictionis frequentis.

Ab intemperie frigida renum & vesicæ, si facultas ipsorum retentrix labefactetur, mictio quoq; frequentior reddi potest. Quæ à frigore externo regionem horum admodum impetente, proficiscitur. Quam ob causam, & pedũ frigus vehemens, per consensum hasce sedes quoque afficiens, & ad eas vsque perueniens, mictionem accelerat.

A calida intemperie renum Diabetē proficisci plerique autumant; quòd tamen cum rarissimus sit affectus, renum verò intemperies calida sæpè eueniat, nec tamen mictio adeò immodica inde sequatur, non fieri satis demonstrare videtur. Et quod si renes summopere incalescant vel inflammentur, mictio minimè augeatur, sed potiùs minuatur, vel etiam supprimatur & per hanc illarum intemperiem, vis attractrix potiùs destruatur quàm intendatur: Dein & licèt sitis, calor totius corporis illiusque consumptio, mictioni huic crebræ copulentur, tamen nec quidem hæc eam à renum calore proficisci, comprobāt. Cùm sitis ob omnem ferè per hanc continuam mictionem humorem exhaustum, possit accidere, & calor totius corporis à calore solo renum, nisi inflammatio adsit, vnde potiùs eam mictionem minui ostendimus, non possit accendi, multoque minùs consumi. Quapropter aliam potiùs diabetis causam esse, eamque vt infrequens affectus est, ita quoq; rarò se offerentem, mox ostendemus: Mictionem tamen accelerari aliquo pacto à renum intemperie calidâ, si seri adsit quantitas, eo modo, sicuti etiam à constitutione ipsorum calidiore fieri diximus, libenter concedimus, at verò insuetam illam & profusam inde proficisci inficiamur.

Renum calida intemperies, causa Mictionis ardentis.

Verùm Ardens mictio potiùs à caliditate hac renum prodit, vel ab ea augetur. Vti ex inflammatione renum accidere in eo affectu ostensum fuit, in quo vrina à renum calore feruidior reddita, inter mingendum ardorem parit. Quod & citra inflammationem ab intemperie simplici hac fieri potest, vix tamen nisi jam priùs vrina calorem & acrimoniam ab aliis causis adepta vlteriorem calorem à renibus concipiens, ampliùs dum redditur, vrat.

Renũ & Vesicæ irritatio, causa Mictionis præternaturalis.

Ab irritatione renum & vesicæ, ad excretionē vrinæ facultatem ipsorũ expultricem impellente, diuersa mictionum præternaturalium procedũt genera; quæ irritatio nunc ab vrina, nunc ab alia materia aliqua, nunc à semine, nunc à calculo proficiscitur.

Vrinæ copia, causa Mictionis copiosa.

Ab vrinæ quantitate nimiâ, vesicam implente & ad excretionem stimulante, copiosa exsurgit mictio: Idq; ob eorum quæ materiam sero vnde vrina prodit, præbent, nimium vsum, potusque imprimis ingurgitationem.

Potatio nimia, causa Mictionis immodicæ.

A potatione larga plerunq; euenit, vt ea quę bibuntur nihil aut parùm immutata, vel saltem cruda adhuc, nec in serũ verum, sanguini deducendo accommodum, transmutata, & nihilominus per venas ad renes, moxq; in vesicam transeuntia, copiosè minguntur. Cùm potus ingesti tanta copia, tandiu donec mutationem decentem humorumq; permistionem accipiat, nequeat subsistere, sed imperfectè elaboratus præterlabatur.

Seri copia, causa Mictionis

Si quoque seri magna quantitas, quæ in venis delituit, per hanc viam à natura subitò euacuetur, immodica etiam mictio inde

pro-

immoderata, & Diabetis. prodire potest. Sicuti in corporum quorundam superfluitatibus potest accidere: Et in morbis quibusdam, vt in cachexia vel hydrope aliisque, maximeque in febribus continuis, in quibus causam morbificam criticè vel in intermittentibus in harum declinatione, natura cum sero ad vesicam expellens, copiosam mictionem parit, postquam morbus aliquando soluitur.

Quòd si verò hoc nimiùm fiat, naturaque per hanc viam causam morbi, cum sero per vrinas adeò profusè euacuet, vt vniuersum ferè serũ è corpore exhauriatur, profusa hæc mictio, quam Diabeten vocant, inde fortè prodibit. Vnde iam calor ille totius corporis, sitisque, si præsertim in febre aliqua hoc accidat, tum febris, tum inanitionis huius causâ; vti & corporis marcor, maximè si febris aliqua ardens vel colliquatiua dicta adsit, mictioni huic iunguntur. Et quia rarò hoc accidit, vt in febribus adeò immoderata seri fiat per mictionem profusio, sed potiùs moderatior sit criticeque fiat, febrisque per eam vti dictum, soluatur, ideo & rarus hic est affectus, qui non alleuiat, sed summè debilitat, & in periculum maius ægrum deducit. Nec mirum, cùm tam copiosè subitoq; vrina in hoc casu effundatur, eam crudam minusque ob id tinctam apparere.

Quam rari illius affectus diabetis causam esse potiùs, quam intemperiem renum calidam, à qua sola eum proficisci non posse, in eadem ostendimus, ex prędictis colligimus. Quod & practici aliqui, etsi in causa diabetis explicandâ non ita expresè febris meminerint, tamen in prognostico si febri ardenti iungatur, cùm eum lethalem esse scribant, frigidaque remedia in curatione adhibeant, innuere videntur: Nosque proin verum diabetem, qualem describunt, in quo subita hæc corporis colliquatio, cum calore & siti intolerabili oritur, febri causoni colliquatiuæ potiùs accidere, huicque colliquationi occasionem aliquam præbere, existimamus, & proin vti febris ipsa, rarum & periculosum illi copulatum symptoma esse. Nisi fortè, si citra febrem diabetes aliquis oriatur, ob copiam potus in venis meseraicis diu retenti & coaceruati, (neq; enim in ventriculo aut intestinis tamdiu posset subsistere) posteaque vi naturæ subitò ad renes propulsi potiùs quàm attracti id accidat; vnde & potus ferè talis qualis assumptus fuerat, parumque aut nihil mutatus, nec in prima concoctione quam effugit, elaboratus, mingitur: Et si tunc corporis adsit calor ac sitis, hæc ob inanitionem potiùs illam magnam, quàm à renum calore prodeũt, quippe qui hæc efficere, aut corpus adeò debilitare, vti ostensum, nequiret. Verùm cùm potus sic rarò in venis retineatur, etiam hic diabetes infrequens existit.

Vrinæ acrimonia, causa Mictionis ardentis. Ab vrinæ qualitate vesicam admodum irritante, & ad redditionem illius sollicitante, Mictio ardens cum stranguria nascitur: Si præter illi insitam qualitatem, à bile & salsedine illi innatâ profectam, quâ vesicam naturaliter ad illius emictionem sollicitat, vlteriorem & nimiá stimulandi vim adepta, mox vbi ad vesicam, vel paucâ solùm quantitate, peruenit, eam irritando, quod eò citiùs facit, si vesica admodum sit sensilis, ad excretionem vrgeat, vnde frequenter & stillatim redditur, & in transitu angusto ductus summè sensilis eum irritans, hác molestiam inter mingendum cum ardoris sensu efficit. Qui in virga & maximè circa illius summitatem molestat, cùm vrina acris, in angustiam ceruicis vesicæ & ductus penem peruadentis, perueniens, illas sedes vrendo dolorem pariat, qui in glande, vbi ductus ille finitur, summusque est sensus, præcipuè persentitur. Et quia ex dolore immenso membrum collabitur, flaccidumque sanguine & spiritibus refugientibus fit, frigidum quoque & pallidum inde redditur. Vis autem ea stimulandi nimia in vrina suscitatur, si plus iusto incalescat & inflammetur, tunc enim veluti vrens, ardentem mictionem parit: Vel si vim detersoriam aut erodentem, quâ vesicam vellicat, obtineat: Aut acrimoniam aliam, ob salsedinem nimiam quâ imbuta est: Vel aciditate, quâ non solùm etiam stimulat, sed & meatum vrinæ stringendo & exasperando, sic quoque molestiam dum mingitur, gignit.

Vrina acrimo- Verùm non solùm ab vrina admodum irritátæ, ardens mictio sed & cruenta, vix ta-

nis, causa Mictionis cruenta.

men potest exsurgere, cum si talis sit, ad excretionem illius impellens, diutiùs minimè subsistat. Si tamen non solùm stimulet, sed & vim erodentem adepta etiam vesicam erodat, tunc sanguine exsudante cruenta redditur.

Has autem qualitates quibus ardentem mictionem, rariùs etiam cruentam efficit, vrina nunc ab assumptis, nunc ab humoribus alijsve excrementis illi permistis desumit.

Ab assumptis vrina hasce vires interdum consequitur, accenditurq; per victûs ratione nimio vsu vini potentis, aromatum item, olerumque calidorum, vt nasturtij, ceparum, sinapis & similium. Salsedinem adipiscitur à sale, salsisque cibariis, Aciditatem ab acidis, imprimisque potatione vini acidi, quâ aliqui ardorem vrinæ sibi accersunt: Vel vim Detersoriam vrinæ inditam, tum à prædictis, tum aliis abstergentibus sumptis. Inter quæ & ceruisia, illis, qui eam bibere nõ sunt assueti: huicque malo obnoxij, detergendo nimiùm, mictionem quoque acrem nonnihil reddit. A' medicamentis potentiùs adhuc hæc operantibus idem euenire potest: vt catharticis illis assumptis, quæ non solùm validè accendunt, sed etiam vrunt, veluti est esula, lathyris, colocynthis, quæ vti naturam ad excretionem vi detergente & acri sollicitant, sic & easdem vrinæ imprimentes, vt & illa in vesica operetur, eamque stimulet, efficiunt. Quod & alia alterantia facere possunt: Inter quæ & cantharides adeò vrinam inflammant adurentemque reddunt, vt mictio vehementer ardens inde proueniat. Sed & ab iisdem assumptis, si validiùs agant, sanguinis sequitur mictus, aliquando & vesicæ exulceratio. Qua ratione & cantharides hæc progignere potiùs quàm proprietate, hoc quod etiam foris applicatæ cutem inflamment & erodant satis demonstrat.

Ab humorum permistione, vrina similes qualitates assumere potest. Vt à bile, vim detergendi validam atque acrimoniam caliditatemque, si illa copiosiùs ei permisceatur, maximè eâ quæ præternaturalis est & adurens, cùm alioquin bilis quæ in folliculo fellis colligi solet, sero perfusa eoque diluta, non adeò possit vrinam acrem reddere, sicuti ictericorum vrinas, etsi admodum bile tinctæ sint, non tamẽ mictionem ardentem efficere, obseruamus. Cuius bilis coaceruationis causæ variæ existunt, tum extra morbos, tum in illis, quorum, ardor vrinæ, quoque est symptoma. Causa verò illius bilis, quæ illud potest efficere, cum sero permistionis indeque cum vrina, in variis aliis ab eadem genitis affectibus, explicata fuit.

A' salsis vel acidis aliis humoribus, si præter serum quod tale ab assumptis, vti dictũ, redditur, eiusmodi inueniantur, seroque affatim permisceantur, vrina quoque idem quod ab assumptis eiusmodi concipere diximus, potest assequi.

Ab alia materia vrinæ permista, profecta irritatio, mictionis ardentis vel dysuriæ vti & turbulentæ causa esse potest. Veluti à pure non solùm eo quod ab exulceratis renibus, de quo in illa causa agemus, procedit, sed & ab aliâ illuuie in impuris corporibus illic retentâ, caloreque renum excoctâ, & puris instar maturatâ, nascitur, quæ puris genera per vrinam expurgata, interdum acredine suâ ardorem inter mingendum, & purulentam simul mictionem producunt, aliàs verò, illud præsertim quod citra exulcerationem gignitur, citra alia accidentia, nisi quòd circa renum regionem grauedo interdum quædam sentitur, turbulentam mictionem efficit.

A' lactea & alba alia materia, turbulenta quædam mictio, priori huic non adeò absimilis, nisi quòd albidior est, cum mingendi ardore incommodans, procedit. Quæ etiam à renibus vti alia prouenit, salsa tamen magis existit, quod ex siccata materia, salem album colore & sapore referente deprehendi. Atque à seri salsedine, in illius in renibus segregatione illic congestâ, proficisci, illicq; vt aqua salsa solet, excoqui & crassescere, hac obseruatione potui colligere, quod aliàs vbi terrestreitatem maiorem possidet, in arenulas & calculum renum, vti in illorum generatione ostensum, conuertatur.

Semen loco motũ, causa Mictionis ardentis.

A' semine in masculis, è loco in quo continebatur commoto, nec dum eiaculato, sed retento, vrente atque irritante, Mictio ardens

dens interdum suboritur. Cùm enim semen ex natura sua, vti & alibi dictum, acre admodum sit, licèt in suis vesiculis contineri possit, nec eas, sicuti nec bilis suam vesiculam, vellicando lædat, tamen ex illis prodiens, si in ductu illius per quem ejici debebat, angustò hæreat, cùm tunicâ intrinsecùs vix inuestitus nudus existat, mox illum nonnihil erodens, nonnunquam & exulcerans, facit, vt vrinâ præterlabente, hancque sedem alluente, ardor ille inter mingendum sentiatur : sicuti frequenter hoc illis contingit, quibus per imaginationes nocturnas vel diurnas venereas, aut actus illius imperfectos, semen concitatum, è sua sede non spargitur. Quod & ob seminis paucitatem, & virgæ non sufficientem extensionem, in inualidis & senibus maximè solet contingere, vt & illi mictionem ardentem, quâ iuuenes non laborarunt, in senio primùm experiantur.

Semen corruptũ causa Mictionis ardentis in gonorrhœa virulenta.

A' corrupto semine, in Gonorrhœa vitiosa dicta, hoc idem accidit, vt non tãtùm, quia præternaturalem acrimoniam adeptum est, sicuti in excretione seminis dictũ, elabatur, sed & in transitu, ductum illius erodat, maximeque si portio subsistens illi adhæreat, mictionemque ardentem pariat.

Calculus vesicæ, causa Mictionis ardentis.

A' calculo vesicæ, stillicidium vrinæ cum mingendi conatu & dolore suboritur, quando ille in vesicæ ceruicem se insinuans, eam irritãdo molestat, vbi quamdiu eam affligit, frequenter vrinam reddere coguntur, & proin parùm illius per vices egerunt, qui si magnus sit, grauitatis sensum parit. Eiusmodi calculi à renibus plerunque primùm per vreteres in vesicam delabuntur, illicque retenti, ab alluente eos continuò vrinâ incrementum sumunt, augenturq;, sicuti hæc in calculi renum causis in doloribus hypochondriacis descripta sunt, vbi & quo pacto arenulæ & calculi, quæ mictionis quoque præternaturalis illius, in qua hæc cum vrina prodeunt, causæ sunt, præcipuè in renibus, nonnunquam & in hepate ex sero generentur, abundè ostendimus.

Renũ & Vesicæ soluta cõtinui-

A' soluta continuitate renum vel vesicæ, Cruenta procedit mictio, vtplurimùm, si renum substantia contundatur vel vulneretur. Quod ab ictu aut casu, circa renum regionem facto, potest accidere. Frequentiùs verò à calculo renibus infixo, illorum substantiam eousque vt cruor inde exsudet, atterente & veluti contundente, tunc enim sanguis sero mox confusus, illud rubore tingens, vrinam sanguinolentam reddit, & post emictionem, vbi aliquandiu steterit, ab ea se rursum segregans, fundum petit, illicque subsidet : quod & si in vesica diutiùs retenta vrina fuerit, euenire potest, tuncq; concretus etiam in mictione, vel post eam redditur. Accidit autem hoc à calculo, quando loco motus egredi nititur, & sic suâ duritie aut inæqualitate renes contundit. Vel si ille ob compressionem renum regionis, ab externa vi, vel ob motum, per quem hypochondriorum regio admodum torquetur, impulsus, eos intrinsecùs conterendo, sanguinem ab illis elicit, qui postea cum vrina redditus, plerunque calculum in renibus latêre, si præsertim alia quoque illius indicia adsint, nobis significat. Sæpè quoque si vlcus in renibus simul concurrat, calculus illud refricans, facit, vt non solùm purulenta, sicuti in vlcere dicetur, sed & cruenta interdum fiat mictio.

tæ, causa Cruentæ mictionis.

In vesica contusio vel ictus, circa sedem illius à vi externa illata, aut vulnus ad vesicam vsque penetrans, cruentam quoque vrinam possunt reddere. Quod & leuior illius attritio potest efficere, quæ fit cathetere ad explorandum calculum, vel vrinæ suppressæ emissionem, in vesicam vsque intruso, ceruicem illius ductumque inde progressum, circa angustias illius atterente, vnde tincta nonnihil cruore vrina interdum, præsertim si prima vice hoc fiat, prodit. A' calculo itidem è vesica per ceruicem egredi nitente, hoc idem quandoque euenit, vt sanguinolenta inde reddatur vrina.

Vesicæ sphincteris vulnus, causa Mictionis inuoluntariæ.

Interdum & inuoluntaria mictio à soluta continuitate vesicæ procedit, vt si sphincter vesicæ, qui vrinæ effluxum cohibet, vulneretur; vti in sectione ad calculum è vesica extrahendum, vel dilaceratione colli vesicæ, in mulieribus sæpè euenit, vt licèt vulnus sanetur, mictionem tamen ob læsionem hanc musculi, diutius retinere nequeant.

Vesicæ vulnus, causa Vrinæ per vulnus effluxus.

A' vulnere vesicæ, vrinæ præternaturalis, per viam non destinatam effluxus interdum euenit. Vti non solùm in lithotymia, quemadmodum iam dictum, sed & si illi alio modo vulnus maximè per abdomen infligatur, accidit: Sicuti circa inguina è vulnere in sectione sarcoceles causâ susceptâ, læsâ tunc quoque casu vesicâ, cuidam vrinam prosiliisse, & iam multis annis, ex eodem loco promanare, nec dum per virgam ampliùs reddi, in mictionis defectu ostẽdimus. Dein & iuxta pubis ac lumborũ regionem, è vulnere cornu bouis homini inflicto, corpúsque illic penetrante, & per vesicam adacto, vrinam similiter vtrinque profluxisse, vidimus.

Quod & in aliis quoque locis, abdomine præsertim, vt inde vrina ex vulnere aliter inflicto, effluat, potest accidere.

Renum exulceratio, causa Purulẽtæ mictionis.

Ab exulceratione renum, purulenta sequitur mictio, cùm pus ab illis prodiens vrinæ confusum, eam turbidam, & quæ pure subsidente, & ab vrina se segregante, sedimentum purulentum deponit, reddit. Cui & dolor inter mingendum, si pus illud acrimoniam aliquam acquisiuerit, interdum accedit: aliàs verò nullus vel exiguus. Comitibus etiam aliis quæ ab vlcere renum proficiscuntur, accidentibus. Cuius exulcerationis causa, interdum ab inflammatione renum quæ præcessit, vti in ea fuit expositum, procedit.

Aliàs verò & ab iisdem causis, à quibus renum substantiæ continuitatem dissolui, sanguinisque mictum prouenire ostendimus, si læsio hæc non sanetur, sed in vlcus conuertatur.

Vesicæ vlcus, causa Mictionis purulentæ mucosæ & ardentis.

A' vesicæ vlcere in ceruice illius aut fundo existentis, purulenta quoque mictio enascitur, pure se cum vrina miscente, & cum ea se exonerante. Aliquando verò puris etiam citra mictionem, sicuti in ea excretione ostendemus, effluxus fit, si præsertim in ceruicis remotiore à vesica sede vlcus fit. Quod pus vrinæ confusum putrescens, ipsiusque vrinæ imbutum odore, eam admodum graueolentem reddit. Aliàs verò mucosum & tenax existens, quale in hisce membranosis locis gigni solet, emictum subsidens, fundo matulæ adhæret, vel cum difficultate vti dictum, egeritur. Hisce ardens mictio, quia exulcerata sedes ab vrina irritatur, plerunque accedit, eoque maior, si pus simul acre existens, similiter hæc loca molestet. Prouenit autem hæc vesicæ exulceratio, ab illis quoque illius læsionibus, à quibus cruentam mictionem procedere diximus, si illæ in vlcus abeant.

Vesicæ ceruicis vlcus causa mictionis stercoris, ossiculorũ & mensium.

Ab vlcere ceruicis vesicæ, mictio hæc horrenda, per quam stercus & ossicula cum vrina in quibusdam excreta diximus, quoque prodiit: Quod vlcus vel illic primùm à causis enarratis natum incepit, vel fœminis in vteri collo aut recto intestino à causis illic expositis, primò factum, exedendo serpendoq;, sedes has vicinas permeans, & in vtrisque aperturâ viâ factâ, vt quæ in intestino continebantur stercora, vel etiam ossicula, inter transeundum vrinæ permiscerentur, & vice versâ vrina illis, simulque sic confusa, prodirent, effecit. Ob quam exulcerationem in fœminis etiam menses vesicam subire, vrinæque permisceri possunt.

Renum vasorum anastomosis vel diapedesis, causa Mictionis cruẽtæ.

A' soluta contiguitate, per anastomosin vel diapedesin vasorum in renibus, cruenta quandoque exsurgit mictio. Quãdo ob sanguinis copiam & impuritatem, in plethora aut morbis inde profectis, natura sanguinẽ ex vasis emulgentibus, in sinus renum, indeque cum sero per vreteres in vesicam expurgat. Vnde sæpè multum sanguinis, citra dolorem aliũmve affectum, quæ se in aliis cruentæ mictionis causis offerunt, mingendo excernunt. Quod licèt rarum vti ostensum, in febribus nonnunquam criticè per hanc excretionem eas solutas fuisse, obseruatum est. Verisimileq; est, in puella peste correpta, sanguinem ante mortem mingente, naturam veneni vi ad illud excutiendum tantopere excitatam fuisse, nec tamen hac via id expellere potuisse.

Tenuitas nimia sanguinis & serositas, huius anastomosis vel diapedesis potiùs vasorum in renibus, Vnde cruenta fit mictio, causa esse poterit, ob quam sanguis antequã à sero in renibus segregetur, cum eo adhuc confusus, vasa penetrans, ad vesicam prӕterlabitur, vrinamque sanguinolentam, magis tamen

tamen quàm si purus eò feratus, dilutam reddit.

Renum vasorum laxitas, causa Mictionis cruentæ.

Ad hasce cruentę mictionis causas, à continguitate solutâ procedentes, etiam renum imbecillitatem, nimiamque inde vasorum renum laxitatem, referre possumus, vnde tamen mictio frequentior potiùs, sicuti in hac illius causa expositum fuit, quàm cruenta procedit, nisi iam enarratis causis, hæc accedat, illisque vt sanguis citiùs elabatur, opituletur.

Spiritus vitalis defectus vel priuatio, causa Mictionis inuoluntaria.

Affectu per consensum si vesica laboret, musculorum qui excretioni illius inseruiũt causâ, inuoluntaria exsurgit mictio.

Sphincteris pręcipuè occasione, si eius functio vel aboleatur, vel imminuatur. Quod illi ob defectum spiritus animalis accidit, tunc enim relaxatus vel resolutus, vt vocãt, omnino non potest vel saltem non sufficienter constringi, vrinamque sic quò minùs effluat, cõtinere. Qui defectus ob nerui, sphincteri motum communicantis affectum, procedit, si ille vnâ cum aliis vel totius corporis, in generali resolutione, vel quibusdam saltem, à causis in paralysi expositis, afficiatur: qua ratione & apoplectici, & paralytici aliqui, vrinam inuoluntariè profundunt.

Ob spiritus vitalis priuationem omnimodam in syncope graui, vti omnes functiones tantisper conquiescunt, sic & sphincteris actione cessante, vrina sponte profluit.

Abdominis musculorum conuulsio causa Mictionis inuoluntaria.

Abdominis musculis, in conuulsione validâ, vna cum cæteris musculis conuulsis, similiter vrinæ effluxus inuolũtarius quandoq; accedit: cùm vrinâ ob constrictionem hanc musculorum abdominis, ventrisque compressionem, ex vesicâ propulsâ, etsi tũc spincter quoque conuellatur, ampliusque stringatur, hunc vrinæ impetum cohibere nequeat.

Viscerum internorum abscessus, causa Mictionis purulentæ.

Ab alterius partis quàm renum aut vesicæ affectu, mictio præternaturalis quandoque etiam procedit. Veluti ab hepatis abscessu in vlcus conuerso, pus sero indeque vrinæ commisceri, purulentamque mictionem fieri posse, aliqui existimarunt: Vti & à pulmonibus & thorace in pleuritide, ac peripneumoniâ suppuratis, atq; empyemate, purulẽtam illam materiam, per vrinas quoque expurgari: sicuti in eiusmodi affectibus qui tunc comites erunt ostendimus. Quòd si ab hisce sedibus eò peruenire potest, tunc etiam ab aliis sedibus internis, abscessu indeque vlcere tentatis, pus in vasa remeare, & sic cum sero ad renes peruenire, vrinæq; misceri, & cum ea progredi valet.

Viscerum internorum morbi, causa Mictionis Vrinæ tinctæ & permistæ.

A' ventriculi, hepatis, lienis aliarumque quarundam partium morbis, vel illorum causis, imprimis què in febribus, ab horum affectuum intemperie, vel humoribus, vrina colore alieno tincta, vel cum materia inconuenienti permista, mictionẽ eiusmodi præternaturalem producit. Sicuti quo pacto hoc fiat, in eiusmodi morbis, in quibus vrinæ tales se offerunt, fuit expositum.

Curatio.

ACcommodatur diuersis mictionum generibus, scilicet mictioni Inuoluntariæ, Immoderatæ, frequenti quam Ardentem vocamus, Turbulentæ, Cruentæ, & huic quę per Alias vias vrinæ minimè destinatas, perficitur.

Mictionis inuoluntariæ ob defectum seu priuationem Spiritus animalis & vitalis curatio.

Inuoluntaria mictio, si ob resolutionem aut virium lapsum in Apoplecticis, Paralyticis & Animo deficientibus accidat, cùm grauioris casus potiùs quàm huius mictionis ratio habeatur, cura illuc dirigenda: Et si in Paralysi generaliori, vel particulari, vrinam ampliùs continere nequeant, hocq; incõmodum perseueret, vnde lectum commadefaciendo, sibi noxam ob excoriationẽ in cute, quæ inde sequitur, inferunt, non alia cura quàm ea quæ paralysi debetur, illicque fuit exposita, instituitur, Topicaq; tunc remedia, huius resolutionis causâ, etiam spinæ circa lumborum regionem adhibentur, atque iuxta podicem, vbi ceruix vesicæ, applicantur, suffitusque eo in loco excipiuntur. Qualia remedia in paralysis cura declarata fuerunt.

A' vulnere in sphinctere vesicæ, illiusque ceruice post sectionem aut dilacerationem, pro calculi extractione, facto, si remanserit vrinæ inuoluntaria mictio, immedicabilis ferè hæc remanet. In qua tamen aliqua remedia, in immoderatæ mictionis curâ exponendâ, quæ vrinam contemperando, viasque

viasque nonnihil adstringendo, nimiam mictionem impedire nonnihil possunt, hîc quoque tentanda.

Mictionis inuoluntaria illius, in qua dormientes lectum commingunt curatio.

Quæ somni tempore inuoluntaria mictio accidit, in qua iuniores præsertim, nonnunquam & adulti lectum commingunt, cùm ex consetudine prauâ sit nata, ab eadem hac dissuescendo emendabitur. Quod fiet, si antequam somnus obrepat, vrinam exonerare assuescant, & medio somni tempore, ad eandem reddendam excitentur, idque tamdiu, donec natura assueta, in somno non ampliùs ad mictionem impellat, sed ea vrgente, vt expergefiant, efficiat. Qua ratione vitium hoc inde natū, citiùs quàm aliâ arte emendabitur: Idque maximè si causas alias, quæ insuper accedunt, mictionemque promouent, simul auertant, è quibus larga præsertim tardiusq; tempore somni est potatio, à qua sibi cauere debent.

Quòd si verò ex imbellitate quadam, vel ob sensum nimium vesicæ, etiam hæc inuolūtaria mictio dormientibus noctu accidat, tunc multa ex illis, quæ vrinæ acrimoniam mitigant, leniunt, crassitiemque aliquam illi conciliant, & nonnihil adstringunt, parumque stupefaciunt, in cura immoderatæ mictionis exponenda, hîc quoque vsurpari poterunt.

Proprietate quadam iuuare creduntur sequentia, cocta vel assa comesta, Ericius, Mures, Pulmo hœdi, Cerebrum & Testiculi leporis ac vulpis, Cerebrum item vulturis vel aquilæ, & Adeps perdicis.

Pulueres item, ex sequentibus in furno priùs admodum exiccatis, vel etiam in cineres combustis parati, varijsq; modis exhibiti: vt puluis vel cinis Ericij, Capitis leporis cum pelle vsti, Vesicarum bouis, porci, capræ, ouis, earumque quæ in piscibus inueniuntur, pellicularū Stomachi, gallinę Gutturis galli, Linguæ anseris.

Ad corrigendum aliquo pacto hoc vitium in illis qui in lectos mingentes, eos madefaciunt, atq; sæpè faciendo tandem corrumpunt, conueniet, si vesicæ bouis aut tauri inflatæ siccatæque, & alicubi apertæ, virgam noctu ante somnum inserant, sicque eam alligatam in lecto retineat, eaque vrinam influentem inter dormiendum excipiant, quod & alio instrumento apto fieri poterit. Alij spongiam admouent, vt vrinam concipiat, quod tamen citra madefactionem aliquam vix efficitur.

Mictionis inuoluntariæ seu copiosioris, ob renum & vesicæ constitutionem quandã, vel intemperiem curatio.

Immoderata mictio sic dicta, quando copiosior aut frequentior existit; Si ex mala consuetudine, quàm obseruato ordine, sæpiùs vrinam reddendo, acquisiuerunt, vt postea frequentiùs quàm par erat, mingere cogantur: naturam assuefacerint; tūc eandem consuetudinem contraria sensim corrigant, nec semper cùm mictio vrget, naturæ obtemperent, sed differendo aliquandiu, ad naturalem ordinem reducant, sicque huic incommodo molesto & turpi medeantur.

Ob sensum exquisitissimum vesicę si plùs quàm par erat ad mictionem impellantur, tunc vt vrina minùs acris sit, procurandum, & si perseueret nihilominus, sensus nonnihil etiam obtundendus, remediis in ardenti mictione expositis, mitioribus tamen, cùm defectus hic non adeò magni sit, vti ille momenti.

Ob constitutionem calidiorem renum, nondum tamen præternaturalem, si plùs solito vrinam reddant, cùm citra detrimentum hoc ferè fiat, correctionem aliam non exigit, quàm vt à calidioribus introsumptis, forisque admotis, in viuendi ratione consuetâ, sibi temperent, & temperatis vel ad frigiditatem aliquam inclinantibus potiùs vtantur.

Ab imbecillitate renum à caloris natiui aliquo defectu, vel laxitate vasorum in ipsis, aut vesicæ dilatatione, & attenuatione, quæ procedit frequens mictio, si ab ortu eam imbecillitatem hæ partes acquisiuerint, ægrè ampliùs hæc à teneris assueta sæpiùs mingendi consuetudo, emendatur, Si verò ea ob potationem crebram, vrinæque per vim retentionem, maximeque si sæpè hoc fiat, accidat, tunc causas hasce omittendo, plerunq; etiam hæc imbecillitas remittit: Vti &, si ob venerem nimiam, renum imbecillitas originem traxerit, si postea sibi ab ea temperent.

Quòd si verò nec sic altiùs hæc impressa debilitas cesset, & quæ inde sequitur mictionis

nis frequentia, cùm ea non adeò, vt verò alia peiora accidentia, quæ inde simul prodeunt, incommodet, ferè negligitur, aliorumq; potiùs causâ hisce imbecillitatibus prospicitur, iis, quæ & tunc hanc molestiam inde natam emendare possunt.

Ab intemperie frigida renum & vesicæ, à frigore maximeque à pedibus refrigeratis, hisce sedibus contingens mictio frequentior si accidat, cùm non diutiùs duret, negligitur; si verò hisce locis frigida intemperies impressa remanserit, atque sic mictioni incommodet, eadem quæ in paralysi vesicæ calefacientia remedia competunt, hîc quoq; locum habebunt. Vti &, si imbecillitas inde nata sit, eodem modo procedendum.

Mictionis immoderatæ & copiosioris ob vrinæ copiam curatio.

Ob vrinæ copiam, à vini nimia ingurgitatione coaceruatam, si copiosa sequatur mictio, cùm ea & conferat, & necessariò sequatur, correctione aliâ minimè opus habet, nisi vt, ne turpe aliquid cōmittant, è mensa surgendo, vel inter dormiendum caligas aut lectum commingendo, ab ebrietate abstineant; vel mediis, in nocturna inuoluntaria mictione expositis, hanc quoq; auertant.

Mictionis copiosioris à seri redundantia curatio.

Ob seri redundantiam in venis coaceruati, subitoque per hanc excretionem vesicæ euacuati, copiosa mictio superueniens, tum in nondum adhuc ægrotantibus; tum in morbis quibusdam, vt cachexiâ, hydrope, aliisque, cùm ad morbum futurum in illis præcauendum, in hisce verò sanandum conferat, nisi immoderata omnino sit, vtilis & necessaria salutiferaque existit.

Si verò ob subitam affatimq; hanc & perseueranter factam euacuationem, vires admodum dejiciantur, noxam quoque inferre potest: sicuti enim in asciticis per paracentesin, aperto abdomine, si aqua vnâ vice, tota vel maxima illius pars emittatur, viribus subitò lapsis, in periculum veniunt, pari ratione & hîc, licèt natura per viam ordinariam humores superfluos, euacuet, nimio tamen & confertim facto effluxu, periclitari possunt.

In febribus immodica hæc mictio contingens, si natura causam illarum, in febrium continuarum crisi, atque intermittentium declinatione, expurget, cùm febris plerunq; per hanc euacuationem soluatur, conueniēs atque salutifera existit. Quòd si tamen nimiùm profusa & perseuerans existat, maximeque ea, nondum concoctâ materiâ, nec dum instante adhuc crisi in febribus continuis, & in intermittentibus nondum declinante febre, eueniat, cùm tunc de morbi causa parùm aut nihil euacuetur, nec proin ægri inde alleuientur, sed vires eorum omnino prosternantur, sitis augeatur, corpusque marcescat, diabetes periculosissimus ille affectus suboritur.

In eiusmodi autem copiosioribus mictionibus, per quas causa, quæ morbos producere posset, vel iam produxit, è corpore euacuatur, nihil quod eas impedire possit, moliendum, sed tunc viribus saltem ne labantur, prospiciendum.

Diabetes curatio.

In aliis verò profusis & immoderatis mictionibus, vires prosternentibus, vel etiam rarò illo affectu Diabete, in quo corpus simul absumitur, sitisque summa exoritur, mox occurrendum. Quapropter tunc seri prouentus impediendus, alioque deriuatum per alias vias euacuandum, dein illis tenuitas, caliditas atq; acrimonia incrassantibus, refrigerantibus & lenientibus corrigenda, atque viæ per quas fertur, nonnihil adstringendæ arctioresque reddendæ, & vt stimulum minùs sentiant, stupefacientibus nōnihil, vesicæ sensus minuendus. Qualia multa eiusmodi quæ illud præstant, in mictionis ardentis cura exponuntur, sequentibusque præsertim perficiuntur. Quæ omnia interim pro ratione morbi comitis, si adhuc ille perseveret, erunt dirigenda, sequenti modo.

Sanguinis missio circa initia in plethoricis è venis deriuando, si morbus non impediat, nonnihil prodesse poterit.

Clysmata refrigerantia leuiterq; adstringentia aliquid præstabunt, addendo & Rhabarbarum & Myrobalanos in decocto. Sunt qui talia non solùm ex decocto, sed & aquis id præstantibus, vt Rosarum, Plantaginis facta, approbent; addendo & glutinosa, vt Albumen oui, & mucagines Psylij, Cydoniorum vel infus. gūmi Tragach. in aquis conuenientibus factam.

In vitæ regimine, cibo & potu vtantur

parcè, & saltem quantum ad vires sustētandas sufficiat: Caueantque ab acidis, salsis & acribus adurentibusque aromatis, quia hæc mictionem promouent.

In quiete maneant, neque decubitu lumborum regionem premendo, renibus calorem inducant.

Purgationes per aluum, deriuando serum à venoso genere ad intestina, sicque vrinæ copiosioris prouētum impediendo, nimiam mictionem compescunt, vnde qui aliàs purgantur, eo tempore parùm mingunt: frequensq; mictio, interdum in sanis alioquin, purgationem instituendam esse arguit, vt & in morbis quandoque, non sufficienter corpus purgatum esse ostendit, aut per crisim mortificam causam expulsam.

Perficitur hęc leuioribus, si vires iam prosterni incipiant, iisque nonnihil adstringentibus exhibitis, vt dando Rhabarbarū, Myrobalan. citrin. syrupum Rosarum ex infusion. quibus & alia adstringentia miscentur, vt syrupi vel decocta aut aquæ ex sequentibus: Qualia in dysenteria etiam describuntur, quæ & hîc vsurpari possunt.

Sudores cùm serum per habitum corporis exhauriendo, à venis deriuando, vrinámque sic minuendo, pauciorem mictionem efficiant, similiter possunt competere, eosque ideò maturè, si metus sit in morbis, ne nimia oboriatur mictio, antequam vires labantur, promouebimus.

Propinantur incrassātia, adstringētia & refrigerantia varia: Veluti in cibis, quæ præcipuè emplastica sunt: Vt Panis, Pultes item variæ, parata ex Tritico vel Amylo & Zeâ, cuiusmodi sunt Halica & Chondros veterum, nostraq; varia ex farina illius parata lacticinia. Item ex Hordeo excorticato, quod Hordeum mundum vulgò dicitur, veteres Ptisanam vocabant: ex auena nostrum Auenatum aliaque similia. Vti & sunt Oryzata, Amygdalata, variis modis præparata: Lentes coctæ, Amygdalæ, Auellanæ, Castaneæ tostæ, comesta: Item Caro crassior illiusque partes viscosiores: Oua item, illorumque inprimis albumen: Atque inter olera Lactuca, Endiuia, Buglossum vtrumque, Portulaca, eiusdemque generis varia.

Dein & inter ea quæ bibuntur, conferunt Iuscula ex cerealibus & carnibus dictis facta; Lac omne, Aqua chalybeata, Emulsio seu lac amygdalinum: Vinum crassum & stipticum dilutū aquâ Myrti, Buglossi, aliísve.

Ex Medicatis, dantur syrupi Myrtillorū, Rosarum rubr. sicc. de succo Acetosæ, aliiq; similes adstringentes, non tamen calefacientes.

Decoctum fieri poterit tale: ℞. radic. Consolid. mai. Buglossi vtriusq; ana ℥.j. foliorum Plantagin. M.ij. florum Cordialium P.j. Balaust. sicc. Myrobalan. citrin. ana ℥.ß. seminū Myrtill. vel Myrti ʒ.j. semin. Plantagin. Lapatij, Portulacæ, Acetosæ ana ʒ.j. decoquantur in Vini rubri stiptici ℔.vj. ad cōsumptionem aliquam: Et de hoc vino bibat æger.

Aqua Plantaginis, Bursæ pastoris affatim bibita, iuuat; & si calor adsit, aliæ refrigerantes exhiberi possunt.

Conditura radicum Symphiti, Myrobalanorum, carnis Cydoniorum & Enulę, conserua Rosarum antiqua prodest.

Mucilagines exhibentur seminis Psylij, Cydoniorum, vel infusio gummi Tragachanti facta cum aqua Rosarum, Plantaginis: Dantur ad ℥.ß. cum Saccharo vel Syrupo conuenienti.

Pulueres fiunt, qui exhibentur per se, vel cum Saccharo rosato, aut cum liquoribus supradictis, vel Vino rubro.

Ex Glādibus solis paratus, admodum est efficax, vel ipsis & Lentibus, simul excorticatis & exiccatis in furno.

Vel sic compositus: ℞. seminis Coriandri ʒ.ij. foliorum Agrimoniæ ʒ.j. Rosarum rubr. ʒ.ß. Santali rubri, Cinamom. ana ℈.j. Spicæ nardi ℈.ß. fiat puluis.

Si capulas Glandium, Gallas, Balaustia addas ad ʒ.ß. erit magis efficax.

Vel: ℞. Thuris, Succini ana ʒ.j.ß. Myrrhæ ℈.ij. cinerum Vesicæ vstæ tauri, porci, aut alterius domestici pecoris ʒ.ß. fiat puluis.

Alius: ℞. Myrobalan. citrinarum, ossium Dactylorum ana parùm vstorum ʒ.ij. granorum Berberis, Rosarum, Granatorum, Myrtillorum vel Myrti ana ʒ.j. sem. Plantagin. Portulac. florū Rosarum rubr. gummi Tragachanti vel Arabici ana ʒ.ß. Acacię vel Hypocistid.

pocistid. Sanguinis draconis ana ℈. j. fiat puluis, cui & Spodium & Camphora admisceri poterit.

Vel: ℞. Coralli rubri & Boli præpar. ana ʒ.j.ß. lapid. Hæmatitis ʒ.ß. fiat puluis. Qui per se sumi potest, vel prædictis cùm exhibentur quarta pars ejus misceri, vt efficaciora illa reddat.

Hisce & alia commisceri possunt: Veluti pulueres vel cineres ab animátibus desumpti, proprietate quadam agentes, in inuoluntaria mictione descripti. Et præter hæc, alia, vt semẽ Rutæ agrestis, folia Rutæ, Mentæ, Calamẽtæ, Myrti, Phœnix, Radix Bistortæ, Tormentillæ & Enulæ.

Stupefacientia propinantur, si admodum vrina irritet: Ex vsitatis imprimis syrupus de Papauere, Philonium Persicum, quod adstrictione simul præditum est, aliaque varia. Theriacam exhibitã in diabete, aliqui commendant, & sitim extinguere docent, quod tamen cùm calida sit, quo pacto illud faciat, non video, nisi quòd narcotica vi iuuare quoque posset.

Foris adhibentur renum regioni refrigerantia, adstringentia, additis quæ eos firmãt. Quod præstat inunctio in hepatis & renum inflammatione descripta, quæ ℞. olei Rosarum, Cydoniorum, &c. cui & oleum Violarum, Nenupharis, succus Lactucæ, Menthæ addi poterit: Item oleum Lumbricorum quod peculiariter mictionem compescere creditur. Dein & semina Plantagin. Portulacæ & Camphora.

Conferunt &, quorum illic quoque mentio facta, Vnguentum refrigerans renes & Rosaceum: Et ceratum Santalinum quod potentiùs stringit, ex oleo rosac. santalis, rosis, spodio, bolo & camphorâ concinnatum.

Epithema repellens in inflãmatione hepatis & renum expositum, in hoc casu quoque vsurpari poterit, vti & subsequens Oxyrrhodinum atque Epithema, quod ℞. aquæ Solani, Lactucæ, &c. Quibus & aqua Acetosæ, & ad robur huic visceri addendum, aqua Absynthij admisceri poterunt. Vti & Bolus, similiaque adstringentia, sicut & Spica.

Fotus renum regionis, vel Insessio eousque pertingens, fit ex decocto Plantagin. Bursæ pastoris, Tapsi barbati, Violariæ, Maluæ, Nympheæ, Vitis foliorum, Rosarum, Balaustiorum, cortic. Granatorum, granorum Sumach, Berberis, Myrtillorum, Rosarum similiumque.

Cataplasmata ex iisdem decoctis & contusis fieri possunt, additâ farinâ Hordei, atque Oleis quibusdam supradictis. Lumbrici terrestres contusi additi, à quibusdam probantur.

Mictionis ardentis curatio.

Ardens mictio, quæ Ardor vrinæ, cõmuniter & Dysuria & Stranguria, cum dolore, ad differentiam similiter appellatorum affectuum, qui sine eo in mictionis defectu fuerunt recensiti, dicitur, si ab irritatione facta in ceruice vesicæ, aut penis ductu procedat, faciliùs sanabitur; si verò ab exulceratione in virgæ ductu fiat, difficiliùs. Si ab vlcere vesicæ illiúsve ceruicis, omnium difficillimè, cùm nisi hæc priùs sanentur, quod vel vix fieri vel nunquam potest, ardens hęc mictio minimè cesset: Si à calculo hæc procedat, non nisi eo sublato remittet. Quòd si plures illius concurrant causæ, & ab vlcere & vrina simul oriatur, tantò deteriùs malũ, eoque magis, si hisce etiam accedat calculus, illeque nequeat auferri.

Curationem quod attinet, hanc primùm huic ardẽti mictioni, quæ ab irritatione tantùm proficiscitur, accommodabimus. Quòd si verò ab exulceratione procedat, cùm tunc turbulenta quoque mictio sequatur, in turbulenta mictione curam vtriusque exponemus, vti & si à penis exulceratione, aut gonorrhœa virulenta, in hisce excretionibus curam exponemus. Et si à calculo ardor ille suboriatur, quo pacto tunc cura instituenda sit, postquam curationem illius quæ ab vrina dependet, absoluerimus, explicabimus.

Mictionis ardentis ab vrinæ ardore & acrimonia procedentis curatio.

Itaque si ab vrinæ caliditate seu ardore & acrimonia ardens mictio fiat, quam ab assumptis aut permistione humorum concepit, adjuuante aliquando etiam calore renum, tunc curatio perficietur, causam amouendo, vrinæq; ardorem & acrem vim corrigendo, & vesicam indeque progressum ductum, ne facilè afficiantur, aut vt dolorem

minùs sentiant, ab illius muniendo. Quæ omnia variis tum euacuantibus tũ alterantibus, intrò forisque administrantur.

Euacuationis gratiâ exhibentur, quæ aluum, si adstricta sit, aperiant, & dura excrementa emolliant, cùm ea per vim excreta, ductus vrinæ iam priùs irritatos, premendo offendant, doloremque sic augeant. Dein & damus quæ humores per aluum educant, si à bile aliísve humoribus serosis & salsis, vrinæ hæc acrimonia nascatur, vt eos ab vrina divertamus. Danturque leuiora laxantia, cùm fortiora cathartica accendendo & irritando, malum potiùs exacerbarent.

Imprimisque confert Cassia, quæ & anodynam quandam in se vim habet; atque ex compositis Diacassia, Diaprunis simpl. Diasebesten.

Valde lenit & laxat electuarium hoc vsuale: ℞. Cassiæ recenter extractæ ℥.ij. Mannæ ℥.j.ß. pulpæ Sebesten & Tamarindorum vel Prunorum dulc. ana ℥.j. mucilagin. seminis Psylij ʒ.vj. quatuor seminum Frigidorũ maiorum mundat. ℥.ß. succi Liquiritiæ ʒ.j. cum Syrupo rosarum solutiuo q. s. fiat electuarium: Detur ad ℥.j.

Vt biliosis humoribus medicamentum præcipuè accommodetur, vtimur Rhabarbaro, Myrobalanis, syrupo Rosaceo laxat. Violarum, Catholico, & Electuariis lenitiuis dictis, cùm multa lenientia simul recipiant. Quibus & ad fortiora si necessitas requirat, vt Sennam, addimus, vel alias compositiones, vt Diaprunis solutiu.

Potio sic fit: ℞. Polypodij ℥.ij. foliorum Sennæ ℥.j. Liquiritiæ ℥.j.ß. Passularũ mundat. ℥.j. Prunorum numero x. Iuiubar. Sebesten ana par. x. Hordei P.j. semin. Anisi ʒ.j. fiat decoctio, adde syrup. Rosarum solutiu. ℥.ij. syrupi Violac. ℥.j. Capiat aliquot haustibus: Potest & Rhabarbarum hisce infundi.

Clysteres idem præstant iniecti, fiuntque ex decocto Maluæ, Altheæ, Violariæ, Prunorum, quatuor semin. Frigidor. maior. addendo Cassiam, Mel violaceum, item oleum Violarum, Saccharum rubrum, &c.

Vomitus, quia bilem à venis meseraicis reuellit, vt minùs vrina acris inde reddatur, conferre in consuetis præsertim potest.

Frictionibus quoque, & Sudore bilem reuelli, ob idque conuenire, docent.

Sanguinis missio è poplite, si inflammatio circa inferiores sedes ob dolorem metuatur, quandoque iuuat: Vti & hæmorrhoidum in consuetis fluxus, cùm & biliosi inde diuertantur humores.

Alterantia propinantur, quæ refrigerando ardorem vrinæ, renumque calorem inde accensum restinguant, & leniendo vias vrinæ, & stuporem inducendo, dolorem mitigent: Qualia varia sunt, quorũ aliqua vnum ex illis, alia plura simul præstant.

Lac quoduis bibitum, admodum lenit, & si excoriatio aliqua facta sit ab vrina, eam sanat.

Emulsio lactea plurimùm conducit; quæ fit ex seminibus Frigidis maioribus dictis Cucurbitarum, Peponum, Citrullorũ, Melonum, Cucumerum, si à recentibus contusis, & cum aqua, vel decocto hordei, alióve conuenienti, dissolutis, per transcolationem atque expressionem, cremor albus exprimatur & veluti emulgeatur: vel etiam ex Amygdalis, Pineis, hisce additis, vel separatim ab hisce emulsis. Cum quibus si semen Papaueris albi contundatur, dolor & ardor ampliùs compescetur.

Mucago exprimatur ex seminibus Cydoniorum, Lini, Maluæ. Altheæ, per macerationem in aqua conuenienti, vel per decoctionẽ aliquam, in Decocto aliquo ex enarratis elicita; cuius ℥.j.ß. cum eodem decocto vel iure vel lacte detur. Psylij mucago valde est efficax: Et infusio gummi Tragachanti dissoluta, similiter exhibita.

Albumen oui, optimè agitatum, abiectâ spumâ, sæpè sumptum, per se vel cum Saccharo rosaceo tabulato, vel dissolutum: Oleum Amygdalarum dulcium bibitum.

Decoctum per se sumẽdum, vel cum quo & alia permista dantur, fit ex radice Altheæ, foliis Maluæ, fructu Sebesten, seminibus Frigidis maioribus, semin. Papaueris albi, Psylij vel Cydoniorũ, pauciora plurave sumendo, & decoquendo, in Aqua vel Iure, addendo & Saccharum.

Huic vt ad vias vrinæ dirigatur vis, eaque faciliùs exeat, addimus interdum Ciceres rubros,

rubros, radicem Glycirrhizæ, semen Alkekengi: & in calidis & biliosis naturis, herbas alias refrigerantes, vt Endiuiam, Lactucam, flores Violarum, Buglossi, &c.

Iulepus & syrupus Violarum, de Portulaca, de Iuiubis aliique refrigerantes prosunt.

Aqua item Maluæ, Bismaluę, sæpè bibita.

Puluis admodum ardorem vrinæ compescens, sic paratur: ℞. seminum recentium non rancidorum, excorticatorum, Cucurbitarum vulgò dictarum, licet pepones sint: quibus & ex reliquis aliqua, si recentia haberi queant, addi possunt, vt Melonum, Cucumerum, Citrullorum & Cucurbitarum lõgarum vel lagenatarum ad ℥.j. seminis Papaueris albi recẽtis ʒ. iij. seminis Hyosquiami albi ʒ.j. Sacchari penidiati vel Rosarũ tabul. ℥.j. fiat puluis: Detur ʒ.j. cum Lacte vel Iusculo, vel Iulepo aut Aqua convenienti.

Vel ℞. de prædictis seminibus Frigidis maioribus appellatis ℥.j. semin. Papaueris albi recẽt. ʒ.iij. seminis Lini vel Cydoniorum ʒ.j.ß. seminis Maluæ vel Altheæ, seminis Hyosquiami albi ana ʒ.j. seminis Portulacæ Alkekengi ana ʒ.ß. (quæ fortè vt ad vias vrinæ vires medicamenti penetrent, apponuntur, vti & alij semen Apij addunt) Amyli ʒ.j. nucleorum Amygdalarum vel Auellanarũ, Pinearum vel Fisticorum ad ʒ.iij. gũmi Tragach. Arabici ana ʒ.ß. quorum loco gummi Persicorum aut Amygdalarum sumi posset: fiat puluis tenuissimus; cuius vsus, vt prioris erit. Potest & radix Liquiritiæ vel succus illius inspissatus permisceri.

Hisce pulueribus Opium quandoque additur, vbi dolor intẽsus id exigit, ad ℥.ij. puluerum, Opij ʒ.ß. diligentissimè miscendo, atque antequam certum illius pondus assignetur, illius efficaciam exhibitione ʒ.j. hujus pulueris experiri oportet.

Necessitate vrgente, dantur & fortiora Narcotica alia, vt syrupus de Papauere, aliáve in colico dolore & nephritico exposita.

Iniectiones fiunt, quæ ductum vrinarium & vesicam, quæ vrina irritat & vrit, mitigẽt leniendo, & stupefaciendo dolorem sedent.

Ex Lacte mulieris, vel alio etiam fiunt.

Vel ex emulsione quatuor seminum frigidorum Maiorum, vel seminis Papau. albi. Albumen oui, mucilago sem. Cydoniorum, Lini, optimè agitata & dissoluta cum aquis Violariæ, Maluæ, Solani, Cucurbitę vel Lacte. Quibus & mucago seminum Maluæ & Altheæ addi potest. Vel quod valde iuuat, semen Hyosquiami aut Papaueris.

Decoctum: ℞. radic. Altheæ ℥.j. foliorum Maluæ M.j. Hordei P.j. seminum frigidorũ Maiorum, Minorum, & seminis Papaueris albi ana ʒ.ij. fiat decoctio in Lacte. Ampliùs mulcebit dolorem, si cortic. Mandragoræ ℥.ß. incoquatur, vel capita Papaueris aliquot, vel seminis Hyosquiami ʒ.ij.

Oleum Amygdalarum dulcium recens prodest, & Violarum, aliquoties lotum, si prædictis misceatur iniectionibus. Vel ad sensum minuendum, oleum Mandragoræ, vel expressũ ex semine Papaueris aut Hyosquiami.

Quæ olea turundâ in illis madefactâ, in foramen virgæ immittuntur.

Opium lacti vel iniectionibus prædictis, loco aliorum narcoticorum misceri potest, addendo ad ℥.ij. iniectionũ, Opij ʒ.j. vel plus. Additur & interdum oleis, præsertim illis quæ cum turunda imponuntur, tantillum Camphoræ, quandoque & opio admiscent parùm Croci.

Insessio in Aqua calida, hunc ardorem admodum compescit: In qua & Malua, Violaria, flores Chamomillæ, Meliloti, aliaque lenientia incoqui possunt. Vel cum ea pectinis & perinæi regio foueri debet.

Immersio saltem virgæ in ea etiam iuuat: Vti & in Lacte vel Oleis tepidis.

Vel alioquin fouenda virga & calefacienda puluinaribus, pellibus, vel pannis calefactis, illique vicinæ sedes, vti & podex, quod admodũ mitigat, cùm semper frigeat glans, quamdiu dolor ille vrget, cesseteque cùm frigus remittit. Proderit & pedes calefacere, cùm frigus admodum noceat.

Mingere in profluentem aquam, adeò vt strepitum edat, profuisse aliquando obseruauimus.

Hepatis & renum epithemata atq; inunctiones, si vrina calida & biliosa sit, eam contemperando proderunt, eoque magis si horum viscerum, renum præsertim quoq; ac-

cedat caliditas; fiuntque eodem modo, vti in horum calida intemperie atque inflămatione ostensum fuit.

Danturque per os similia bibenda assumendaque.

Aspectum solum floris Cardui Lactei, quē Mariæ vocant, in stranguria profuisse sibi, quidam miles asseruit.

In vitæ regimine, observanda præcipuè; vt versetur in aëre temperatiore frigidioréve; caveat à vehementi æstu, & quæcunque corpus humoresque vehementer possunt accendere, bilemque concitare. Inter quæ & nimius motus corporis atque animi existit. Quo nomine & à cibis atq; condimentis admodum calefacientibus, acribus & salsis, à quibus vrina acuitur, abstineat, & præsertim à vino, vel illud valde lymphatum & parcè bibat: Vel illius loco tū maximè cùm dolor vrget, decoctum Hordei, aliúdve conueniens: vel Syrupos aquâ dilutos, Serúmve lactis. Vtatur quandoque cibis, qui simul humorum acrimoniam contemperēt, & veluti glutine vias vrinæ obducendo, vt minùs affici queant, efficiant: Veluti glutinosis, ab extremitatibus animalium aliísque desumptis: Item lacticiniis pultaceis, ex farinis vti & Amylo paratis: Imprimísque frequenter Cremore hordei, Amygdalis, Auellanis, Pineis, Fisticis & Ouis sorbilibus. Conueniunt & alia temperata, ad humores leniendos comesta: vt Poma, Pruna, Iuiubæ, Sebesten: & ex oleribus, Lactuca, Spinachia, Melta, Portulaca, Buglossum, cocta in iusculis, hisque affinia. Pinguia, vti & Butyrum & Oleum hoc idem præstant. Coitus, cùm in eo semen, quod naturâ acre esse diximus, per ductum communem seminis & vrinæ transiens eum irritet, nociuus.

Mictionis ardentis à calculo profectæ curatio.

A calculo vesicæ, citra exulcerationem illius, de qua in turbulenta, quæ inde etiam prodit, mictione agemus, si ardens mictio suboriatur, illeque non diu illic hæserit, sed à renibus primùm descenderit, nec adeò magnus adhuc sit, sponte interdum cum vrina progreditur, aliàs vsu medicamentorum propellitur. Quòd si verò in vesicam à renibus illapsus retentusque diutiùs eousq; augeatur, & per additionem adeò increscat, vt vesicæ ceruicis meatum ampliùs permeare nequeat, quotiesque in eum illabitur, ardorem cruciatumque rursum commoueat, tunc vt è vesica, si vnus vel plures sint, auferantur, cura adhibenda; quæ tum medicamentorum vsu, quibus tamen non facilè cedit, tum manuali operâ, eum per sectionem priùs factam extrahendo, quod tamen non sine vitæ fit discrimine, perficitur. Sicuti in calculi vesicæ cura, vti & præcautione, in excretis, vbi in genere de calculis agitur, demonstrabitur.

Renum exulcerationis curatio. Vesicæ exulcerationis curatio.

Turbulenta mictio, quæ & Purulenta dicitur, à pure pultis instar mucoso, in renum & vesicæ exulcerationibus profecta, cum ardente plerunque mictione prodiens, non nisi sanatis eiusmodi vlceribus, curatur; quod cùm ægrè fiat, etiam difficulter inde nata hæc vlcera sanantur, renumque vlcera inueterata sordida facta, puris copiam in mictione augent, sensimq; renum substantiam depascentia, illam aliquando penitùs absumunt, remanente solâ tunicâ induratâ marsupij instar, quod in vno saltem rene si fiat, æger nihilominus diu superstes manere poterit, alterque ren solus actionem edere. Incurabilia vel curatu saltem pertinacissima sunt & vesicę vlcera, tum quia ob madorem vesicæ perpetuum ægrè coalescere possunt, tum quòd ab vrina quæ ex sua natura salsa est, continuò irritantur, maximeque si vrina vlteriorem acrimoniam adepta sit. Maior tamen sanationis spes, si carnosam ipsius ceruicem possideant, minor si membraneam ipsius sedem occupent, cùm harum continuitas soluta vix reparari ampliùs possit, longeque difficiliùs, si substantiam illius omnino penetrent, nisi fortè ob vicinam carnem, sicuti in vulneribus vesicæ, in causis inuoluntariæ inde prodeuntis mictionis, hoc accidere posse ostendimus, etiam hæc vesicę læsio ex vlcere facta, per coalitum consolidari queat. Hisce vlceribus tam in renibus quàm vesicâ, si calculus iungatur, cùm continuò ea affricando ampliùs lædat, nec vlcera nisi ille auferatur, quod fieri non potest, sanari queant, desperatum est malum.

Curatio autem vlcerum renum & vesicæ, cùm

cùm in multis conueniat, vtrisque simul accommodabitur. Nam eodem modo vlcera hæc exhibitis detergentibus, quæ ea à sordibus abstergant, mox siccātibus & glutinantibus, quæ ea sanent, perficitur, miscendo semper ea, quæ acrimoniam vrinæ retundant, eaque augendo, si insignem acrimoniā nacta sit, adijciendo simul ea quæ vias vrinarias leniant, & dolore ardente vrgente, stupefaciant, in ardente mictione exposita: Vel interdum necessitate exigente, alternatim nunc his nunc illis vtendum. In vlceribus vesicæ & ceruicis illius, in hæc loca infunduntur iniectiones idem præstantes. Quòd si calculus hisce exulcerationibus copuletur, ijs & ea quę illum comminuere possunt, permiscenda, sed mitiora, & quæ detergendo potiùs illud, quàm vehementer incidendo, vnde vlcera irritarentur, moliuntur, atque si calculus in vesica fuerit, & fieri possit, sectione eximendus, cùm quam diu ille perseuerat, nulla spes sanationis existat. Sicuti & quo pacto hæc fieri debeant, in calculi cura ostendimus. Sed multa ex illis, quæ in vlcerum cura explicabuntur, detergentia, calculo comminuendo quoque sunt aliquo pacto accommoda. Adhæc & viscosa & glutinosa competunt, quæ vlcera veluti glutine oblinendo, acrimoniamque vrinæ mitigando, iuuant, & calculum obducendo, eumque sic læuiorem minusque asperum reddendo, vt sic minùs infestet, efficiunt. Cæterùm in curatione vlcerum renum & vesicæ hoc pacto procedimus.

Purgantia quod attinet, sufficiet, nisi aliud accedat, si à fæcibus & flatibus intestina interdum expurgentur, cùm ab illis retentis aut induratis excrementis malum irritetur, cauendo tamen à fortioribus catharticis, quibus naturam excitando, dolorem potiùs exacerbaremus, atque interim de vlcere nihil educeremus.

Conueniunt proin & hîc eadem laxantia leuiora, in mingendi ardore ab vrina profecto, exposita, cùm & hîc ardor ille infestet: Præcipueq; Cassia, quæ cum puluere Liquiritiæ exhibetur, alióve modo. Item Manna quæ ad detergendum vlcus vtilis, vti & Serū lactis, & imprimis Resina laricea vel Terebinthina exhibita, cùm non solùm aluum laxet, sed & vlcus, sicuti mox ostendemus, sanet.

Alterantia quæ ad vlcerum renum & vesicæ detersionem, & sanationem, intermistis quæ ardorem mingendi simul compescunt, propinantur varijs formis, sunt sequentia.

Decoctum in mingendi ardore descriptum etiam hîc conueniet, si radix Consolidæ maioris, Agrimonia, Plantago, Ceterach semen Myrtillorum, aliaq; ad vlcerum sanationem propinari solita, illi permisceantur.

Vel vtatur sæpè hoc decocto: ℞. rasuræ ligni Gaiaci ℔. ß. radic. Consolid. maior. ℥. ij. cortic. Peponum, quos Cucurbitas vocant, siccorum ℥. j. ß. Equiseti M. j. Rosarum rubr. P. j. fiat decoctio in Aqua pluuiali ad ℔. iv. Capiat frequenter haustum, miscendo Mel vel Saccharum rosatum aut syrupum Myrtillorum, &c.

Succi prædictarum plantarum per se, vel in syrupos redacti, alióve modo præparati, vtiliter exhibentur.

Aquæ item Caudæ equinæ, Plantaginis, Myrti, &c.

Lac bibitum, vti detergendo, glutinando & leniendo, in vlceribus pulmonum præcipuè conuenit, sic hîc maximè, cùm illud ad renes & vesicam viribus suis meliùs peruenire queat, in illorum vlceribus sanandis proderit, atque insuper ardorem mingendi mulcebit: Eligiq; atq; administrari, sicuti in phtisis cura ostendimus, hîc quoque poterit.

Resina laricea, abietina, & terebinthina vtilissimè exhibetur, cùm non solùm vlcera detergat, sed & lentore glutinet: cuius vires ad vesicam vsque peruenire, vrinæ odor violaceus inde redditus, satis demonstrat: Daturq; per se ʒ. j. quantitate vel maiore, si aluum laxare simul velimus: Vel in pilulas, cum radic. Liquiritiæ, Saccharo cando aliisque pulueribus conuenientibus formata: Admodum operatur, si cum Vitello oui & Melle dissoluta, Vinoq; & Aquâ bibatur.

Pulueres præcipuè ad sanationem vlcerū renum & vesicę exhibentur, qui cùm diu asseruari debent, infusione gummi Tragachanti factâ in aqua Rosarum aut aliâ in trochis-

trochiscos rediguntur & siccantur. Qui cùm illis vti volumus, rursum puluerisantur: Daturq; eiusmodi pulueres per se ʒ j. vel si Saccharum addatur, maiori pondere, cum Lacte, vel Hydromelite, vel alio liquore, manè ieiunis, vel noctu cubitum ituris, si præsertim narcotica recipiant, vt superdormiant, præcedenti cœnâ horis quatuor priùs eaque leui.

Possent & hi pulueres excipi resinâ Larignâ vel Abiegnâ; Et sic in forma boli vel pilularum sumi.

Vsitati in hanc rem sunt trochisci Alkekengi à pharmacopœis allati, qui: ℞. semina solani vesicarij, halicacabi & alkekengi dicti, semin. frigida quatuor minora, hyosquiami, apij, papaueris, amygdalas, pineas, fisticos, hordeū, liquiritiam, rosas, gummi tragach. arabicum, myrrham, bolum, spodium, saccharum candum, penidiatum & hydromel.

Alij ob sanationem horum vlcerum maximè directi, doloremq; acrem qui inter mingendum affligit mulcendum, sic parari queunt.

Primus: ℞. pulueres ardorem vrinę compescentes, in frequenti & ardente mictione descriptos, addendo radic. Consolidæ maior. ʒ j. Rosarum rubrarum, Succini, Thuris ana ℈ ij. Boli rubri vel alterius Terræ pinguis, quas sigillare solent ʒ j. Sanguinis draconis, Spodij ana ʒ ß. fiat puluis: Detur vti dictum.

Alter ex multis compositus, summeq; efficax: ℞. nucleorum seu medullæ sequentium seminum & fructuum excorticat. nimirum Amygdalarum dulc. Auellanarum, Pistaciorum, Pinearum ana ℥ ß. Amygdal. amar. Persicorum, Cerasorum ana ʒ ij. Castanearum, Glandium, Peponum, Cucub. dictarum ana ℥ ß. Melonum ʒ ij. Hordei, Oryzæ ana ʒ iij. radicum Consolid. ʒ ij. radic. Glycyrrhizæ ℥ ß. Rosarum rubr. vel Balaust. seminis Portulacæ, Lactucæ, Endiuiæ, Psylij, Lini, Gossipij, Cydoniorum, Maluæ vel Altheæ, Myrti, Coriandri, Alkekengi, Anisi. Apij veri Petroselini dicti ana ʒ j. semin. Papau. albi ℥ ß. semin. Hyosquiami ʒ ij. ossa Dactylorum num. v. gummi Cerasorum, Prunorum an. ʒ ij. gummi Arabici, Tragachanti ana ʒ j. lachrymæ Lariceæ vel Abietenæ coctæ donec induretur, vel Terebinthinæ veræ ℥ ß. Thuris, Succini ana ʒ j. succi Glycyrrhizæ, seminis tritici Amyli dicti ana ʒ ij. Acaciæ vel Hypocistidis ʒ j. ß. Sanguinis draconis ʒ ß. Opij, in doloribus ʒ j. Boli rubr. vel Terræ alterius pinguis quas sigillare solent ʒ. vj. Coralli rubri, Osteocolli lapidis, Oculorum cancri ana ʒ. ij. Spodij ʒ. j. cineris Priapi tauri vel cerui ʒ. ß. Santali rubri ʒ. j. Sacchari candi & Penidiati ana ℥. j. fiat puluis; Per se vsurpandus, vel cum infusione gummi Tragachanti in trochiscos formandus, atque ʒ. j. pondere cum liquore conuenienti sæpè exhibendus & diu continuandus. Vel addātur huic pulueri, Sacchari albi ℥. x. & sic detur pondere ʒ. ij. per se vel cum infusione dicta in orbillos vel tabulas redactus.

Tertius puluis vlceribus sanandis tantùm accommodatus: ℞. Coralli rubri loti ʒ. ij. pulueris Equiseti, cineris corticum Cucurbitæ ana ʒ. j. Thuris vel Mastiches, Sarcocollæ nutritæ in lacte an. ʒ. ß. Sang. draconis ℈. ß. Sacchari rosa. tabul. vel candi ad pondus reliquorum: Vtatur vt prædictis.

Hisce pulueribus, si dolor summus requireret, etiam Opium, vt in trochiscis alkekengi fieri solere diximus, addi posset.

Vel etiam alia narcotica interdum, sicuti in Ardente mictione docuimus, exhiberi. Quæ innoxiè centies & ampliùs, aliquos ægros & hisce & alijs diuturnis morbis diu afflictatos, singulis ferè noctibus sumpsisse, doloremq; inde ad aliquot horas cessasse, ægrumque refocillatum, diu viuere adhuc potuisse, cùm sine illis dolorem diutiùs perferre impossibile fuisset, sæpiùs obseruauimus.

Pilulæ sanantes & narcoticæ: ℞. Thuris, Mastiches ana ʒ. j. Myrrhæ, Styracis, gummi Tragachanti ana ʒ. ß. cortic. Mandrag. ʒ. j. seminis Hyosquiami ʒ. ß. Opij & Succi liquirit. inspiss. dissolut. in Vino generoso ana ʒ. j. misceantur diligentissimè, addendo syrupi de Papau. q. s. fiat massa pilularum: Detur pilula vna vel plures, prout illarum sequitur effectus.

Iniectiones in vlceribus tantùm vesicæ, non renum per syringam fiunt, per penis ductum in masculis, per meatum ceruicis

vteri in fœminis, in vesicam, quò tamen in masculis ægrè ob ductus obliquitatem & longitudinem perueniunt, in fœminis ob breuitatem faciliùs, vnde & sæpè sine successu in maribus, cùm rursum dum infunduntur regurgitent, administrantur, & si altiùs instrumenti canalis ad vesicam vsque adigatur, interdum lædatur, ac si vlcus in ceruice sit, illud refricando plus obsit quàm prosit hoc remedium. Quæ tamen iniectiones necessitate vrgente, si cætera non iuuët, tentandæ.

Ad quas faciendas sumimus quæ vlcus dum sordidum est, abstergant detergentia, posteaque siccando sanent; quod cùm mador continuus impediat, ægrè perficitur; Nihilominus tamen tentanda, quibus & ea, quæ ardorem mingendi inde contractum mitigant, si ille vrgeat, miscentur, vel illæ iniectiones anodynæ illic expositæ, hisce intermiscentur.

Fiuntque hæ iniectiones ex Lacte, quod lenit, abstergit & glutinat, vtimurque cùm magis leniendum, Muliebri vel Bubulo, cùm detergendum, Caprino, vel alio cum additione Sacchari vel Mellis, vel Aquę mulsæ & seri Lactis; cùm glutinandum, Ouillo, vel alio Vstulato, aut misto cum Saccharo vel Melle rosaceo.

Ex decoctione Hordei, addendo interdum cortices Fabarum, addito Saccharo vel Melle, vti de lacte dictum, fit detergens iniectio.

Decoctum pro iniectione ad sanationem vlcerum: ℞. radic. Consolidæ ℥.j. ß. cortic. Cucurb. siccæ ℥.j. herbarum Equiseti, Plantagin. Solani ana M.j. florum Rosarum, Hyperici ana P.j. quatuor seminum frigidorum Maiorum ʒ.vj. fiat decoctio in decocto Hordei, dissolue in ℔. j. Mellis vel Sacchari rosac. ℥.iij.

Si maiore siccatione opus est, possunt de sequentibus quædam addi, nimirum de Bupleuro, Polygono vel Herniariâ, Pilosellâ, Bursâ pastoris, Ceterach, Betonicâ, Geranio Robertiano. Narcissi radix, quæ valde glutinat: Semina item Plantaginis & Portulacæ.

Succi Plantaginis, Equiseti, Virgæ pastoris, dissoluti vel misti prædictis, vtiliter injiciuntur: Tritici itē succus siccus, Amylum appellatus, dissolutus etiam glutinat.

Aquæ prædictarum plantarum aliquam quoque habent efficaciam iniectæ, imprimis Plantaginis, vti & Myrti, summitatem Rubi & Oleæ, & peculi Rosarum: Item Centaurij, Hyperici.

Chalybeata per extinctionem ferri aut chalybis in aqua, iuuat, vel in quam plumbum igne solutū, aliquoties infusum fuerit.

Misturæ pro iniectione fiunt glutinantes, vt: ℞. Sarcocollæ nutritæ in lacte ʒ. j. infusion. gummi Tragachant. vel Arabic. ʒ. ß. factæ in aquæ Plantagin. ℥. j. ß. Cerussæ ʒ. ß. Sanguinis draconis ℈. j. dissoluantur in Lacte vel decocto, aut Aquis quibusdam: Pro iniectione.

Hisce quandoq; miscentur quæ dolorem simul sedant, vt in decocto semin. Papauer. albi, cortic. Mandragoræ; vel addimus mucilagines, in ardore mingendi expositas, Albumē oui, & necessitate vrgente, etiā Opiū.

In vlceribus pertinacibus confert Decoctum Lithargyrij ℥.ij. in aquæ Rosarum peculi & Plantaginis ℥.iv.

Vel misceantur prædictis iniectionibus, Bolus, Cadmia fossilis, quam lapidem Calaminarem vocat, Tuthia, Cerussa, Plumbum vstum & lotum. Interdum & Antimonium & succus attritus à lapide Hæmatite. In sordidis vlceribus parùm Myrrhæ.

Ex compositis trochiscis aliqui dissolui cum prædictis possunt, qui etiā pes os sumpti competunt, vt trochisci Alkekengi, trochisci Gordonij; Vel etiam alij, vt de Succino, de Terra sigillata, de Spodio, dissoluti in supradictis aquis vel liquoribus.

Collyria quædam siccātia citra morsum, in ophtalmiæ cura exposita, hîc admodum ad vlceris sanationē iniecta conferunt. Qualia sunt Collyrium album, citrinum & de thure, Rhazis dicta. Item de Tuthia, aliaq; hisce similia illic descripta, ex cerussa, tuthia, sarcocolla, thure, gummi tragachant. arabic. amylo parata: Quæ & quia opium simul recipiunt, dolorem simul admodum sedant.

Vnguenti Ægyptiaci exigua portio, in

summè sordidis vlceribus, ea mundificat & à putredine conseruat.

Inunctiones etiam conueniunt in vlceribus renum & vesicæ, factæ circa renum regionem, ex vnguento Refrigerante, aliisq;, in eum solùm finem, vt vrina mitior fiat, minusque partes vlceratas irritet: sicuti etiam in mictione ardente citra vlcus, eo nomine hoc fieri debere, ostendimus.

Pubis & perinæi sedes, eandem ob causam in vesicę illiusq; ceruicis vlcere, refrigerantibus oleis, vt Rosaceo, Violaceo inungi poterit. Et si metuitur inflãmatio ob dolorẽ, addendum oleum Myrtillorum, Cydoniorum atq; parùm Aceti penetrationis causâ.

Hisce vnguentis Cerussam, Lithargyriũ, & succum Plantaginis, Equiseti aliaque siccantia vlceris causâ admiscent, quæ tamen foris inuncta parùm ad vlcus sanandũ conducere possunt, & cùm constringendo ductum vrinæ, liberum ipsius transitum impediendo, vt maior ardor suboriatur efficiant, satiùs erit relaxantibus inunctionibus hasce vias dilatare, vt oleo Amygdalarum dulciũ, Chamomelino, eoque magis cùm & dolorem simul leniant.

Fotus pectinis & perinæi, ad dolorẽ mulcendum, ex iisdem fieri possunt, vt decocto Maluæ, Chamomill. Meliloti, additis si calor adsit, etiam refrigerantibus, vt Nympheæ radic. & floribus, Violis & similibus.

Vitæ regimen quod attinet, idem ferè quod in cura mictionis ardentis sine vlcere declaratum fuit, cùm & hîc dolor ille adsit, cõueniet. In quo cibi qui glutine veluti oblinunt vias vrinæ, vlceribus hisce se obducentes, vt minùs ab vrina molestentur, efficient. Pinguia tamen hîc cùm vlcera sordida reddant, non adeò competent.

Mictionis turbulentæ à renum illuuie profectæ curatio.

Aliæ turbulentæ mictiones, quales sunt, tum ea quæ à purulẽta, vel alia quæ ab alba lactea materia, à renibus nondum exulceratis prouveniente, illicq; ex illuuie quadam ibidẽ collectâ sicq; excoctâ, vrineq; cõfusa nascuntur, cùm ardorem quoq; inter mingendum pariant; & si perseuerent, tandem in renibus aut vesicâ excoriationem quandam, vnde & vlcus sequeretur, posset inducere, ad vtrumque auertendum, curam postulant.

Quæ perficitur, si purgantibus decenter corpus, ab humoribus excrementitiis, vnde hæc illuuies renibus adhærescens oritur, & in eiusmodi purulentam vel pultaceam materiam conuertitur, sic corpus purum reddamus, & causam illius antecedentem subtrahamus: Dein abstergentibus exhibitis ab hisce sordibus renes eluamus: vtendo præsertim leuioribus detergẽtibus, in vlcerum renum cura quoque expositis, quæ vti illic pus ab vlcere, sic hîc hancce materiam abstergant. Inter quæ Terebinthina valde conuenit, vti & Lac, similiaque: Administrando interim etiam lenientia, quæ ardorem inde natum mitigent. Qualia in ardente mictione descripta sunt; quæ vti vrinæ acrimoniam contemperando illic iuuant, sic hîc quoque eandem in hac materia, retundendo proderunt.

Mictionis purulentæ à viscerum abscessib. genitæ curatio.

Quod purulentam raram illã mictionem attinet, quæ à pure aliunde quàm à renibus aut vesica, ab hepatis alteriúsve partis abscessu vel vlcere prouenięte, vel in peripneumonia, pleuritide & empyemate se offert; In ea, naturæ hic motus potiùs erit promouendus, quàm sistendus, exhibitis quæ per vrinas illuuiem in sanguine contentam euacuant, in febribus per hanc viam suas excretiones quoque molientibus expositis. Per reliqua cura potiùs morbo quàm huic symptomati à quo pus hoc prodit, accommodabitur.

Mictionis cruentæ à calculo profectæ curatio.

Cruenta mictio, si à calculo renum, illorum carnem dum lumbi admodum mouentur, contundente procedat, cùm in ea paucus admodum sanguis à renibus abscedat, qui vrinæ permistus eam tingit, neque diu hoc duret, sed cessante motu, vrina rursum clarescat, curationem vix aliam quàm quæ causę illius calculo scilicet debetur, requirit. Quam calculi renum curam in nephritico dolore tunc quoque comite exposuimus.

Mictionis cruentæ per anastomosin, vasorum vel læsionem in renibus cura.

Quòd si verò à finibus renum, sanguine nimiùm refertis, mictus sanguinis proueniat, & natura eum ob sanguinis copiam vel impuritatem aut tenuitatẽ cum vrina confusum per mictionem expurget, quod tamen infrequens existit, quia copiosè tunc plerunque sanguis excernitur, si diutiùs hoc

hoc perduret, cura erit adhibenda. Quod & si à læsione ex casu vel ictu circa regionem renum factâ cruenta hæc mictio sequatur, faciendum. Quæ omnia sequentibus perficiuntur.

Reuellimus sanguinem nimiùm fluentem, per Venæ sectionem, Cucurbitularum in extremitatibus applicationem, cùm si lumbis admouerentur, ad renes potiùs sanguinem è venis maioribus allicerent.

Mundum reddemus sanguinem, si ob serositatem vel impuritatem ad renes feratur, fluxusque ille inde oriatur. Idque purgantibus mitioribus, quæ & simul adstringant, sicuti & in aliis hæmorrhagiis inde natis hoc fieri solet, atque in illis descripsimus.

Sistimus fluxum exhibitis iis quæ sanguinem incrassant, vias adstringunt, additis quandoque quæ stupefaciendo sensum partium minuunt. Qualia multa eiusmodi in aliis hæmorrhagiis exposita sunt, quæ & hîc conuenire possunt, imprimisque sequentia.

Pulueres dantur simplices, vel permisti inuicem, per se, vel addito Saccharo rosat. tabul. aut Ouo, aut cum Lacte chalybeato vel ouillo, aut Vino rubro austero, vel Syrupo aliquo, vt Rosarum siccatar. vel Myrtillorum vel Aquis conuenientibus.

Suntque idonei pulueres Equiseti, Millefolij, radic. Consolidæ, Bistortæ, Pentaphylli, semin. Myrtillorum, ossium Dactylorum vstorum, & vti vult Diosc. Elichrysi & semin. Cumin. sylu. alterius. Item Boli vel Terræ alterius pinguis, lapid. Hæmatitis, Amianthi, Coralli rubr. quod & sanguinis, si adsint, grumos dissoluere dicitur, Succini, Spodij, gummi Tragach. Arabic. Acaciæ, aliorumque idem præstantium.

Trochisci de Succino, Alkekengi, Gordonij, multaque ex illis quæ adstringendo in vlceribus renum iuuant, hîc quoque data fluxum hunc sistunt, & si ardor mingendi simul adsit, eum quoque mitigant.

Aquæ, succi & decocta Plantaginis, Portulacæ, Millefolij, Bursæ pastoris, Sumach, Cydon. similiumque propinantur.

Ex narcoticis Philonium Persicum, vti in cæteris hæmorrhagiis, sic & hîc quoque competit, vti & Trochisci prædicti cum opio parati, aliique alibi expositi. Imprimisq; semen Hyosquiami cæteris additum, vti in hæmoptoica passione, sic & hîc vt & in aliis hæmorrhagiis, plurimùm conducit.

Extrinsecùs renum regio hisce quæ sanguinis fluxum cohibent, inungenda; Veluti hoc vnguento: ℞. Boli Armen. vel alterius Terræ glutinosæ ℥. ß. cortic. malorum Granat. vel Gallarum ʒ. ij. Sanguinis draconis, Aluminis ana ʒ. j. olei Myrtillorum quant. suffic. ad incorporandum, addendo & Albumin. oui & Aceti parùm, fiat inunctio & emplastrum, quod efficacius si oleum omittatur, illiusque loco succus Plantaginis sumatur.

Succus Portulacæ subactus cum farina Hordei renibus admotus probatur.

Mictionis cruenta à cantharidibus prouenientis curatio.

Si à cantharidibus sumptis, sanguinea sequatur mictio, damus ea quæ leniendo vrinæ summum feruorem, à quo vasorum emulgentium oscula reserantur, fluxusque hic concitatur, contemperent vel extinguant: Imprimisque decoctum seminis Lini, Lac chalybeatum, affatim bibenda; Item emulsionem quatuor seminum frigidorum Maiorum & Papauer. albi, Amygdalarum: Item oleum Amygdalarum vel Rosaceum, Albumenque oui, mucilago seminis Psyllij, & similia. Et si mictio cruenta perseueret, transimus ad iam in aliis causis exposita remedia.

Mictionis cruentæ ob vesicam læsam cura.

A' vesica læsa si sanguinis mictio proueniat, quia copiosus sanguis ob venarũ paucitatem, vix ab ea emanare potest, remedia potiùs læsioni, vti in vlceribus dictum, accommodantur, per exhibita atque iniecta. Quod si perseueret, modò exposita quoque conuenient, vnctionesque vesicæ regioni tunc applicabuntur.

Si grumi sanguinis in vesica retineantur, eamq; obstruant, propinamus quæ eos dissoluunt, vt Succinum, Coagulum hœdi, aliaque in mictionis defectu à grumo sanguinis proueniente, & aliis hæmorrhagiis declarata. Imprimis Satureiam sumptam sanguinem in vesica coagulatum dissoluere docent, & si Raphano excauato virga indatur, grumum sic elici.

Mictionis præternaturalis per vulnera prodeuntis curatio. Per vias non destinatas vrinæ, sed per alias, vulnere apertas, præternaturalis vrinæ effluxus, si ob sectionem, quæ in lithotymia suscipitur, accidat, non aliam curam, quàm quæ vulneri debetur, requirit, quo sanato, vrina iterum naturalem cursum repetit.

Ab alio vulnere ventris imam regionem & vesicam simul perforante, si vrina per illud effluat, cura etiam vulneri tantùm accommodatur: quòd si incurabile, vti ferè contingit, existat, tunc & hinc vrinæ per viam inconuenientem effluxus, vel ad mortem vsque durat; vel si etiam euadant, nec vlcus tamen coalescat & occludatur, nihilominus permanet, sicuti huic, cui in sectione sarcoceles vesica læsa fuit, vti priùs dictum est, accidit; quod labiis vulnerum, tum in vesica quàm carne & cute cicatrice obductis, vulnereque sic in fistulam conuerso, per eam ad hodiernum vsque diem vrina effundatur, idque citra aliud incommodum, cùm vrina per viam hanc illi extrinsecùs patefactam, extrorsum nec in abdomen profluens, noxam intrinsecùs nullam adferat. Aliquando tamen in aliquibus, sicuti & in eo cui, vti ostendimus, bos cornu impresso abdomen & vesicam perfoderat, contigit, vt vulnere iterum sanato & penitùs occluso, vrina mictione naturali rursum redderetur; quod, cùm aliàs vesicæ corpori illatum vulnus non ampliùs coalescere possit, hanc ob causam euenisse putamus, quia vulnus non membraneam vesicæ, sed carnosam circa illius ceruicem sedem, vbi vulnera iterum concrescere possunt, penetrauerit; vel quòd illic aliáve illius in sede vulnus inflictum, carni vicinæ, quæ simul vulnerata fuit, ita inter coalescendum accreuerit, vt foramen in vesica factum, veluti callo hoc sic obturaretur & obliteraretur, atque ita minùs in abdomen aut vulnus externum, quod interea simul sanatum fuit, vrina effluere potuerit, & proin ad naturalem suam excretionem redierit.

DE DEIECTIONE.

CAPVT XI.

Genera.



DEIECTIO, excretio illa quæ per aluum fit plerunque appellatur, per quam excrementa ventris tam crassa quàm liquida, diuersisq; humoribus permista excernuntur. Quæ deiectio præternaturalis fit, quando in eo potissimùm peccat, quòd nimia copia excrementorum eiusmodi per eam excernatur, atq; Diarrhœa appellatur; Vel quòd illis alia quæ huc non pertinent, permista, cum fæcibus ejiciantur, veluti cibi crudi adhuc, in Lienteria vocata; vel chylus, in Cœliaca passione nominatâ, vel sanguis in Cruenta, vel pus, in Purulenta, vel pinguedo, in Vnctuosa deiectione. Quòd si præter hæc alia quædã, vt vermes aliáve assumpta dejiciantur, horum excretio peculiari capite singulis accõmodato explicabitur. Prẹternaturalis huc quoq; ea fæcum alui excretio refertur, quâ non per viam naturalem aluum scilicet, sed aliam exeunt. De quibus omnibus generibus hoc ordine agemus. *Deiectio præternaturalis.*

Diarrhœa, Alui fluxus seu fluor, German. Ruhr à commotione, & Bauchlauff / quòd venter nos ad assellationem festinanter incitet, dictus, ac si post purgantia sumpta, immoderatiùs contingat, Superpurgatio vocata, ea præternaturalis est immoderata & frequens deiectio, in qua fæces aliáve excrementa & humores diuersi, nunc pauciores nunc plures, plus minúsve inuicẽ vel etiam cum fæcibus permisti vel confusi, paucis interiectis interuallis, interdum etiam ferè sine quiete, nunc magnâ nunc minori copiâ redduntur, nunc impetu quodam effunduntur & veluti eiaculantur. Suntque hæc ab initio crassiora magis, mox aquea & diluta, colore vario, cinereo, lutoso, flauo, atro, inæqualiter, aliàs etiam æqualiter tincta. Plerunque muco albo crasso & tenaci, vel phlegmate permista. Quod excrementum interdum aqueum, aliàs spumosum, aliàs tenax, pellu- *Diarrhœa, Alui fluxus, Superpurgatio.*

pellucidum, album, fœturæ ranarum vulgò aſsimilatur: Aliàs craſsius adhuc, vitrum fuſum referens: quale ſub finem harum deiectionum aliquãdo purum & impermiſtum, nec olidum prodire, deiectiones propiùs inſpiciendo, videmus. Aliquando ſpumoſa pituita dejicitur copioſè, tuncq; priuatim Fluxum cerebralem, quòd inde prodeat, vocát. Aliàs præcipua horum excrementorum copia ex crocea, bilioſa & ſpumoſa conſtat materia. Aliàs ex nigra atrabilaria craſſa materia componitur. Quæ quando minùs diluta prodeunt, cùm pauciora ſint, conatum potiùs dejiciendi frequentẽ, quàm diarrhœam copioſam concitant, & Teneſmi ſpeciem conſtituunt eam (de qua poſtea dicetur) quę ſine muco, ſtimulo continuo moleſtat, per quem pauca eiuſmodi materia exprimitur, aliquando magna difficultate, tardiùs hac materia procedente, & circa exitũ ſubſiſtẽte.

Fluxus cerebralis.

In diarrhœis torſiones ventris aliàs nullæ, aliàs leuiores aliquæ, aliàs grauiores, cũ tenſione & rugitu, præſertim cùm deiectio inſtat, percipiuntur: aliàs & in podice quædam moleſtia vel ardor, conatusq; dejiciendi vehemens & frequens, maximè in Teneſmo iam dicto.

Ventriculi quandoque ſeu cordis, vt vocant, adeſt dolor, vomitusq; nonnunquam ſimul infeſtat, non tamen adeò violenter vt in cholera morbo, qui proin in vomitione fuit expoſitus, per quem id quod in ventriculo continetur, cibus, chylus, mucus & humor pituitoſus vel bilioſus euomuntur. Interdum aliarum naturalium functionum accedunt læſiones; Febriſque aliquando illis copulata eſt, aliàs nulla, aliàs de nouo illis accedit: vti & in ſuperpurgationibus dictis ea frequenter ſuperuenire ſolet.

Lienteria.

Lienteria alui deiectio eſt præternaturalis, in qua cibi qui aſſumpti fuerant, parùm vel nihil ferè immutati, per aluum, vix ſeparatim, ſed cæteris excrementis miſti prodeunt, ita vt adhuc cognoſcantur; idq; cum alui fluore, minùs tamen frequenti & copioſo quàm in diarrhœa; Atque etiam vt in illa interdum cum murmure ſtomachiq; & ventris aliquâ moleſtiâ, naturaliumque functionum læſione.

Cœliaca paſsio.

Cœliaca affectio ſeu paſsio, illa eſt excretio alui præternaturalis, ſiue copioſa aut parca exiſtat, in qua ſuccus è cibo concocto genitus, ſeu chylus nunc crudior adhuc & imperfectè coctus, & proin fluidus ſubcinereus aut veluti lutoſus, nunc meliùs elaboratus, craſsior & albidior, copioſius interdum & purus, aliàs minùs, egeritur. In qua æger admodum debilis maleque coloratus & pallidus euadit.

Dyſenteria.

Cruenta deiectio eſt, per quem ſanguis progreditur. Quod variis modis fit: Aliàs enim ſimul cum aliis alui deiectionibus redditur, in Dyſenteria ob inteſtina affecta dicta, quã à rubore ſanguinis noſtri Rote ruhr Schaden / vel Rotlauff vocant. Popularis plerunque, in iuuenes faciliùs, ſed & adultos & ſenes quandoque ſæuiens: Aliquando quibuſdam certæ cuiuſdam complexionis peculiaris. In hac deiectio vrget moleſta, per quam interdum copioſa, aliàs pauca egeruntur, frequenti plerunque conatu dejiciendi, & ſæpè redeunte affligenteque, cum torminibus & ventris torſionibus, nonnunquam & rugitu ac murmure: Cruorque purus excrementis & fæcibus permiſtus redditur, & plus minúsve ſanguinis in illis apparet. Dein & præter ſanguinem Mucus quidam, quem pituitam eſſe putant, cùm fibroſæ ſubſtantiæ, qualis in ſanguine in aquam per venæ ſectionem emiſſo, ſecerni ſolet, quæque falsò pituita eſſe creditur, fit perſimilis, copioſè interdum, & plus ferè quàm ſanguinis redditur: tũc Germani eam Albam dyſenteriam, Weiſſe Ruhr appellare ſolent. Quem mucum etiam alij pinguedinem eſſe crediderunt, falſi eo, quòd inteſtina inuerſa à laniis, pinguia eſſe vidẽtes, intrinſecùs quoque pinguia eadem eſſe, cùm tamen omni pinguedine ibi careant, malè exiſtiment. Nonnullis pro ramentis inteſtinorum accipitur, quæ tamen ſi prodeunt, quod rarum, ea membranea eſſe neceſſe eſt. Sed & Bilis flaua hiſce plerunq; commiſcetur, nonnunquam viridis, aliàs atra. Pituitaque vt in omnibus ferè deiectionibus, ſic & hîc quoque iſtis miſcetur.

Sitis in hoc affectu plerunque vrget, caloriſq; aliqua adſunt indicia: Vrinæque tinctæ

& biliosæ sunt. Non infrequenter tamen febris Synochus biliosa, vt in cholera diximus, huic quoque morbo copulatur.

Fit tamen vt dysenteria febres sequatur, easque interdum putridas continuas vel intermittentes, vel quod frequentiùs accidit, malignas, quandoq; & pestilentes, tuncque vti hæ febres, populares & contagiosæ sunt.

Singultum ad mortem vsque durantem, aliaque incommoda grauia dysentericis superuenisse, sæpè obseruaui.

Ad dysenteriam refertur cruenta deiectio, in qua sanguis vt in illa, excrementis permistus, sed copiosior prodit, cum torsionibus & multis veræ dysenteriæ symptomatibus, quæ pro vera dysenteria etiam habetur, ab inflammatione, vt dicetur, non vlcere procedens.

Tenesm⁹. Aliàs subcruenta, mucosa vel purulenta materia, in qua cruoris guttæ quoque interdum apparent, per aluum egeritur, vocatúrque tunc Tenesmus seu Teinesmos, à contentione & nixu summoque conatu, quo sine intermissione ferè ad exonerandum sollicitantur, citra alias secus ac in dysenteria torsiones. Quo malo perseuerante, tandem solum pus idque copiosius redditur, nullo vlcere in podicis exterioribus, vti in illius dolore dictum, apparente.

Hepaticus fluxus. Dilutus & aquosus omnino sanguis interdum, sed rarissimè per aluum effunditur, adeò vt serum potiùs tinctum nonnihil sanguine, & veluti aquam in qua caro cruenta adhuc abluta est, subrubram, quàm exactam sanguinis rubedinem referat, fluxusque Hepaticus, cùm ab hepate hunc prodire putent, communiter vocatur. Hic sine dolore, copiosè admodum fit, noctuque magis afficit, diuque sæpè durat; Vires functionesque naturales admodum dejiciens, & cum siti aliisque accidentibus eueniens. Huic non absimilis est fluxus cruentus dilutus, qui in dysenteria aliquando superuenit, grauiter offendens.

Deiectio per aluũ sanguinis concreti. Concretus aliàs, interdum retorridus, & veluti frixus seu assatus niger, picis instar, cum excrementis, vel paucus, vel suâ copiâ illâ exuperans, vel solus etiam ejicitur, cum vomitu nonnunquã eiusdem materiei, sicuti in vomitione diximus, cui summa virium prostratio aliaque accidentia iunguntur.

Purus & sincerus per podicem nonnunquam sanis emanat, in fluxu Hæmorrhoidum. Qui fæcibus alui minimè permistus, sponteq; defluens, in sanguinis aliis excretionibus describetur.

Deiectio per aluũ purulenta. Purulenta deiectio in dysenteria & tenesmo, vti dictum, parca & cum dolore fit. Et interdum cessante dysenteriâ, illius effluxus diu remanet, ægrumque consumit. Aliàs etiam sine dolore, copiosè pus egeritur: Idq; longo sæpè temporis spacio, quo æger malè coloratus & habitus, marcescit, comitantibus aliis quandoque partium naturalium morbis.

Deiectio per aluũ mucosa & pituitosa. Mucosa deiectio & phlegmatica, cum fæculenta, in diarrhœa, vti dictum, aliàs iungitur, & in ea interdum præualet: Aliquando cum cruenta deiectione in dysenteria & tenesmo copulatur mucus, & circa finem in tenesmo purus exit. Sed & mucum merum, ceu limum subalbidum, sine dolore secus ac in tenesmo, paucâ etiam vt in illo, quantitate, è podice emanare, post morbos diuturnos atque equitationes multas, annotat Fernelius.

Deiectio per aluũ pinguis. Vnctuosa interdum est deiectio & Pinguis, nunc oleum, nunc butyrum, nũc aliam pinguedinem vel adipem referens. Vidimus & candelæ sebaceæ portiuncularum instar portiones aliquas, diu multumq; cum aliis excrementis fuisse redditas. Hæc deiectio Lienteriç est species, si ab assumptis hoc procedat sæpeque fiat, vel Diarrhœæ, si hæc vnà cum cæteris egerantur, atq; aliunde quàm à cibo proficiscantur. Et tunc Colliquationem intestinorum, causâ non bene intellectâ, vocant.

Per aliam viam fæces alui seu stercora, quàm per aluum è corpore prodeuntia, præternaturalem penitùs illorum excretionem faciunt: Vt cùm è sequentibus locis erumpunt.

Fæcum alui per vomitũ excretio. Per vomitum stercora interdum egeruntur: Tuncque fæculentam materiam intestinorum fœtidam, liquidam ferè & dilutã, aliquando simul & chylosam, magna cum molestia ægri, astantiumque horrendo & mise-

miserabili aspectu euomunt: In morbo qui Cōuoluulus dicitur, & in Ruptura seu Hernia, vbi & hic casus aliaque accidentia eum comitantia descripta sunt.

Fæcum alui cum vrina excretio. Per mictionem cum vrina fæces alui, cum insertis auium osiculis, è virga virili prodire vidimus, cum purulenta simul mictione ardoreque vrinæ, magnoq; cruciatu.

Fæcum alui per vteri sinum excretio. Per sinum ceruicis vteri excrementa alui similiter effluxisse vidimus, cum pure aliísque exulcerationis illius loci accidentibus.

Fæcum alui per vulnera & fistulam excretio. Per vlnera abdominis, fæces alui, nonnunquam & chylus exeunt, idque non solùm in illis qui mox moriuntur, sed etiam diu post superstitibus contigisse, illisq; ex vlcere fistuloso stercora indies effluxisse, aliquoties obseruauimus, alijque annotarunt.

Causa.

OMnium harum deiectionum præternaturalium ob id existentium, quòd maiori copiâ vel frequentiùs quàm par erat fiant, vel quòd aliena per eam deijciantur, causa in ventriculo & intestinis consistit.

Estque inter eas præcipua horum viscerum exquisitè sentientium irritatio tanta, quæ facultatem ipsorum expultricem adeò excitet, vt ea quæ in illis continentur, propellere nitatur, eoque magis, si vicinarum sedium facultates, per consensum simul ita irritentur, vt ad intestina etiam quod in illis præcipuè redundat, expellere conentur, vnde Deiectionum earum præcipuè quæ cum torsionibus & dolore fiunt, varia prodeunt genera. *Ventriculi irritatio, causa Deiectionum per aluū præter naturalium.* Nam si in ventriculo hoc fiat, ille insurgens, ad intestina, viam illius expurgationi destinatam, quod in se continet, propellit, & deiectiones sic efficit potiùs, quàm vomitiones, nisi adeò violenter afficiatur, vt & per superiora mox offensam hanc, sicuti in vomitione diximus, eijciat. Quo nomine &, cùm hęc diutiùs minimè retineat, grauiores noxas hac ratione euitat, ob idque rarius quàm intestina exulceratur. *Intestinorum causa Dyarrhœæ, Dysenteriæ & deiectionis cruentæ.* In intestinorum ductu longo alicubi facta hæc irritatio, deiectiones similiter concitat, easque vehementiores moderatiorésve, prout maior minórve est irritatio, quâ concitata vis expultrix intestinorum, ea quæ in illis continentur, deorsum propellens, & adiuuante conatu, ad quem hic stimulus naturæ se iuuari cupientis, incitat, per finem intestinorum expellendo, diarrhœas cum torsionibus molestantes parit. Vel si grauiùs adhuc afficiant, ita vt intestinorum substantiam rodant & exulcerent, Dysenteria dicta oritur. In qua si colon afficiatur, dolor in circuitu illius, latere præsertim sinistro, & cùm colon statim sub vmbilico ducatur, si id illic afficiatur supra vmbilicum, dolor quoque, non saltem tenuibus affectis vti putarunt, se potissimùm manifestabit: vti & si tenuia alicubi affecta sint, eo in loco, siue supra aut infra vel iuxta vmbilicum fiat, dolor se ibi magis exeret. In quo affectu sanguis qui cum excrementis redditur, illis eò magis confusus mistusque apparet, quò longiꝰ ab intestinis tenuibus prodit, minusq; quò recto intestino propiùs è crasso intestino emanat. Et quò maior est læsio, eò sanguis redditur copiosior, maximè in principio minùs cùm vlcus sordescere incipit, prodeunte tunc purulentâ quoque materiâ. Estq; liquidior crasiórve sanguis, purior impuriórve, prout ille in venis meseraicis occurrit: Acceditque ob dolorem interdum febris, præsertim si ille inflammationem intestinorum accersat, quæ aliquando dysenteriæ copulatur. Sed & fit, ob irritationem validam, vt nondum exulceratis intestinis, osculis venarum meseraicarum reseratis, deiectio sanguinis, rariùs puri, frequentiùs concreti, interdum & nigri, vti in eiusmodi sanguinis dejectionibus in generibus ostēsum fuit, sequatur. Vel vt simul accedente inflammatione, fluxus cruentus instar dysenteriæ oriatur, in qua citra vlcus intestinorum, sanguis vt & in alia excernitur, cū maximo dolore & febre, conatuq; deijciendi frequēti: vti sectione in infantibus quibusdā, qui ex dysenteria putabātur mortui, deprehendimus.

Intestini recti irritatio, causa Tenesmi. In intestinorum vltima sede seu recto intestino, circa exitum ferè, non tamen in podice, cuius læsiones in podicis dolore descripsimus, si hæc irritatio fiat, vel etiam exulceratio, tunc ob partis exquisitū sensum, stimulus continuus ad excretionem incitat, causaq; est Tenesmi dicti, in quo si ab vlcere

procedat

procedat, notæ aliquæ sanguinis adsunt, & purulenta materia mucosa subcruenta exit, estq; Tenesmi prima species: si verò biliosa quædam vel alia tenax materia prodit, secũdam illius speciem constituit: Si nihil, tertia erit, recto intestino tunc à ductus vesicæ illi adiacentis calculo, pressione, tumore vel à duris excrementis retentis, vel irritato vel molestato, vel ab ardore illic mictionem ardentem reddente, accedente sępè inflammatione, simul incitato, aut à vermibus ascaridibus stimulato, sicuti in hisce affectib. explicabitur. Qui & tenesmus cum conatu solo sine excretione factus, à refrigeratione podicis ad interiora etiam penetrante, oriri potest. Sed & hæc irritatio venas hæmorrhoidales aperiendo, hæmoroidum fluxum promouere potest, purusque tunc emanat sanguis.

Ventriculi atq; Intestinorum aggrauatio, causa Deiectionum per aluum præternaturalium.

Præter irritationem & offensam hanc vehementiorem, vnde deiectiones cum dolore & conatu exsurgunt, aliqui quoque ventriculi & intestinorum affectus, deiectionibus quæ minori molestiâ & dolore fiunt, occasionem præbent. Idque cùm ab excrementis & humoribus, nonnunquam & alijs quibusdam corporibus affecta, ea deijcere coguntur, vel aliàs ob copiam illorum aut quia pręternaturalia sunt, diutiùs ea retinere nequeunt, eoq; magis, si simul partes hasce ad excretionẽ suâ quantitate vel qualitate incitent: Vnde cùm hæc excernantur, Deiectionis varia genera ab illis quæ deijciuntur denominata, exoriuntur. A' quibus omnibus affectibus, eò faciliùs quoq; ad deiectionem ventriculus & intestina commouetur, si dispositio eorum talis insuper accedat, quâ vel dilatata seu ampliata aut laxata, ea quæ in se continere diutiùs deberent, ægrè continent.

Intestinorum trãsitus obturatio, causa fæcum alvi per vomitum egestionis.

Ob occlusum intestinorum transitum, fæces alvi & chylus sursum regurgitãtia, excretionem hanc fæcum præternaturalem & horrendam, quæ per vomitum fit, pariunt. Cuius obturationis causa, in ileo morbo quem Conuoluulum vocant, explicata fuit: Vti & in Herniarum, in quibus hæc vomitio stercorosa etiam contigit, cura.

Intestinorũ vulnus, causa fæcum alui per illud excretionis.

A' læsione grauiore intestinorum, illa similiter alui fæcum excretio præternaturalis procedit, in qua non per aluum sed aliam aperturam, ob solutam continuitatem, prodeunt. Veluti à vulnere abdomen penetrante, atque intestina simul vulnerante; tunc enim excrementa alui crassa, si crassiora intestina, liquidiora, si tenuia, & chylus, si circa ieiunum læsio facta sit, prolabuntur; quod vulnus, interdum in fistulam conuersum, permanentem eiusmodi excretionem ægro superstite parit. Hocque tunc fieri potest, si labia vulnerum vtriusque partis, tum in abdomine, tum in intestinis, per contactum concrescant, quod, si in carnosa abdomine sede vuln⁹ sit, eo citiùs succedet, túncque si vlcus hoc non penitùs consolidatur, vti factum vidimus, in fistulam conuersum, fæcibus exeuntibus viam præbet, easque quò minùs in abdomen devoluantur, vti alioquin fit, tutò ad exitum canalis instar deducit: Fitque hoc eadem ferè ratione, quâ vulnus vesicæ inflictum, in vlcus fistulosum quoque desijsse, in vrinæ exitu hoc præternaturali ostendimus.

Intestini recti vlcus, causa Fæcũ alui cum vrina & per vteri sinum excretionis.

Ab vlcere quod rectum intestinum cum ceruice vesicæ vel collo vteri, iisdem connatum, penetrarat & sinum illic pepererat, stercoris illa excretio, per Mictionem & sinum Vteri aliquando contingens, procedebat. Sicuti in eiusmodi harum sedium exulcerationibus demonstratum fuit.

Causæ verò omnium horum ventriculi & intestinorum affectuum, vnde præternaturales eiusmodi excretiones exsurgunt, præter causas obstructionum, vulnerum & vlcerum intestinorum, vnde stercorum per vomitum, per mictionem, per sinum vteri, per vulnera excretio prouenit, quas in ileo morbo, vulneribus & vlceribus ceruicis vesicæ & vteri exposuimus, à sequentibus iam enarrandis dependent.

Medicamenta catarctica sumpta, causa Superpurgationum & Cruentarum deiectionũ.

Medicamenta purgantia, quòd per aluum expurgent, dicta, assumpta, si adeò facultatem expultricẽ ventriculi & intestinorum commoueant, vt vehementiùs operentur, & diutiùs quàm par erat purgationes ab illis procedentes durent, Superpurgationes dictas efficiunt. Quod licet præcipuè à fortioribus catharticis, ob illorum vim ad-

modum

modum irritantem aliquando eueniat, tamen & leuiora, laxantia dicta, quòd aluum laxando saltem mouere credantur, cùm etiã abstergente vi aliquâ & aduersâ, naturam ad excretionem sollicitent, nec tanta in illis sit humiditas, vel aliqua vnctuositas, vt sic aluũ vehementiùs laxando soluere possent, Superpurgationes, vt in casiæ & mannæ exhibitione sæpè fieri solet, nonnunquam pariunt. Sed & inter cathartica, quæ admodũ acri & adurente vi prædita sunt, vt sunt esula, cucumis asininus, colocynthis, laureola similiaque, non solùm nimiùm irritando superpurgationes faciũt, sed & nonnunquam erodendo vel inflammando, Dysenterias citra vel cum inflammatione, vel venas aperiendo, Sanguineas alias deiectiones procreant, sicuti priùs, quomodo ab irritatione hæ eueniant, descripsimus: si in podice hoc fiat, quoúsque vis catharticorum, imprimis validorum, vt colocynthidis nonnunquam pertingere potest, Tenesmus inde sequitur, vel apertis etiam illic osculis, Hæmorrhoidum fluxus. Quod & eodem modo à clysteribus iniectis euenire potest. Vti & à suppositorij in podicem intrusi nimiâ vi, non solùm stimulante sed & exulcerante, Tenesmus fit. Quem & canalis syringæ clysmatum asper, aut violenter intrusus, potest efficere.

Clysmata suppositoria, causa Diarrhœæ & Tenesmi.

Assumpta venena aliaq; lædentia causa Dysenteriæ & Tenesmi.

Præter hæc quæ purgationis causâ vsurpantur, etiam alia, casu assumpta, non solùm diarrhœas irritando, sed & exulcerando dysenterias possunt procreare. Vti Venena quædam, inter quæ Adamantis puluerem propinatum dysenteriam gignere docent. Dein & alia acuta, quæ pungũt & scindunt, si fortuitò deglutiantur, idem efficere possunt, quod in intestinorum ductu rariùs fit, cùm illic vix possint subsistere, vti verò in illorum exitu angustiore hærentia, eumque lædentia, Tenesmi quoque causa interdum fiunt.

Cibi & potus copia, corruptio, cruditas, causa Diarrhœæ,

Lienteria.

Cibus & potus tam ob copiam quàm corruptionem vel cruditatem, deiectiones præternaturales efficit. Ingurgitatio eorum præsertim, quę crudiora cùm maneant, grauant, & cùm flatus gignant, conturbant, vel humidiora cùm sint, laxant, vel pinguia, lubricas vias reddunt, eoque modo Diarrhœas gignunt. Vel si tales assumantur, qui facilè corrumpantur, Diarrhœa citiùs inde prodit, tum eâ corruptione, quâ in prauos humores commutantur, de qua causa in humoribus agemus, vel eâ quâ in fæces copiosas, nunc limum, nunc lutum, pultaceámve aliam materiam terram & fœtidam conuersi, copiâ suâ & aduersâ qualitate naturam ad deiectionem sollicitant.

Quod tum assumptorum eorum quæ facilè in eiusmodi succum aduersum corrumpuntur, tum etiam ventriculi eiusmodi constitutionis, quæ sic eos peruertere apta est, ratione euenire potest, sicuti in ventriculi imbecillitate suo loco copiosè exposita sunt. Quòd si verò crudi omnino maneant cibi, & omnimodam concoctionem effugiant, Lienteria fit, quando accumulati, naturæ graues, quales assumpti sunt, rursum vnà cum cæteris excrementis per aluum exeunt, eo maiori copiâ & frequentiâ, quò hæc magis redundant. Hoc assumptorum causâ quandoque accidit, si talia ingerantur, quæ omninò non vel ægrè euinci à natura queunt: Vel occasione ventriculi adeò debilitati vel refrigerati, vt cibos concoquere & transmutare nequeat: cuius causas in imbecillitate ventriculi abundè exposuimus. Inter quas & cicatricem à vulnere in ventriculo relictam, referunt. Quibus causis concurrentibus, vehementiores fiunt lienteriæ, & si certo tempore, certísve in locis, eiusmodi cibi concoctu pertinaces, quibus plures vti necesse est, vel aliæ causæ ventriculum lædentes abundent, frequentiores & Populares fiunt lienteriæ, quas ab aëris constitutione certa, quæ hisce gignentis apta sit, prouenire existimant.

Bilis, causa Diarrhœæ, Dysenteriæ, & Tenesmi.

Humores acres pungentes, vrentes, erodentes, deiectiones præternaturales sæpè excitant. Inter quos bilis flaua seu atra est frequentior, quæ si in ventriculo & intestinis genita, vel è folliculo fellis, aut à venis meseraicis intestinis infusa, ob illius copiam, vel in morbis vt ictero, febribus, eò expurgata, phlegmati intestinorum & muco confusa, seroque diluta & contemperata, mitior fiat, tunc irritando solùm citra ma-

gnas torsiones, Diarrhœam ob commixtionem hanc, excrementa fluida & spumantia, crocea vel atra, prout bilis est, profundentem, procreabit. Quòd si verò bilis eadem, qualem ventriculum & intestina vellicando, choleram morbum efficere diximus, ob maiorem pernitiem quam acquisiuit, vehementiùs in intestina agat, vbi diutiùs quàm in ventriculo, qui eam vomitu mox ferè excutit aut deturbat, subsistere solet, tunc grauiùs irritando, & vel venas patefaciendo, vel erodendo, Dysenteriam cum inflammatione vel exulceratione, vel Alias cruentas deiectiones, vt priùs dictum, procreabit, eò grauiores, quò bilis est deterior; qualem nunc flauam, nunc viridem, nunc atram, vnà cum excrementis & sanguine prodire, videmus.

Sed & eadem bilis descendens nec donec ad intestini recti finis angustias perueniat, subsistens, sed illic adhærens, præsertim si glutinosa sit, vel irritando, vel exulcerando has sedes, Tenesmum procreat; quod & si dysenteria prægressa, bilis à loco affecto huc delata promanet, accidere, & Tenesmus qui dysenteriam sequitur, fieri solet. Quæ bilis ab iisdem causis, veluti in cholera dictum, nasci coaceruarique potest, atque in iunioribus præsertim, qui fructuum horariorum vsu delectantur, illorumque copia se obruunt, ob corruptionem illorum & conuersioné bilem colligi; vnde & dysenteriæ in illis, qui præsertim ad hoc vt facilè hæc in illis corrumpantur, dispositi sunt, circa autumnum ad hyemem vsque, quo tempore hi fructus recentes & maturi inueniuntur, potissimùm grassari solent, eoque magis, si non perfectam maturitatem adepti, vel aliàs vermibus erosi, faciliùs corrumpantur: aut si, vti voluit Rondel. ob fructuũ adstringentium simul comestionem, fructus illi qui statim pertransire deberent, diutiùs in corpore retineantur. Quæ inde natæ dysenteriæ, populares quoque, cùm plures qui hisce fructibus vsi sunt, afficiantur, existit.

Humores alij acres, causa Diarrhœæ, Dysenteriæ & Tenesmi.

Ab humoribus aliis acribus, vellicãtibus, & vel ad bilis flauæ vel atræ naturam accedẽtibus, vel alioquin putridis corruptis, prauis & venenatis, consimili ratione, si sero phlegmateq; ipsorum acrimonia mitigetur, Diarrhœæ fieri solent, vel si minùs diluantur, & magnam habeât acrimoniam, Dysenteriç & Tenesmi, eodem modo vt de bile diximus: Quæ dysenteriæ si à causa pernitiosa procedant, contagiosæ atq; eo nomine quoque populares fiunt. Nascuntur autem eiusmodi humores, vel ex cibis, humoribúsve peruersis, in ventriculo & intestinis; vel à venis meseraicis, vbi sæpè diu latuerunt, eò effunduntur, & hoc pacto, vti dictum, illa lædunt. Quod & frequenter in febribus putridis malignis, nonnunquam & pestilentibus accidit, vt in illis humor ille putris vel malignus, & in peste venenum illud, quod summè ardens esse in febribus ostendimus, vi naturæ interdum & per crisim ad intestina tanquam sentinam excrementorum protrusa, illicque aliquandiu retenta, ea irritent vel etiam erodant & exulcerent. Suntque hæ diarrhœæ & dysenteriæ, vel febribus hisce copulatæ, vel quæ eas mox sequuntur, atque proin cum hisce morbis multis communes. Sed & in aliis morbis venenatis cõtagiosis, vt lue venerea, malign⁹ humor, vel vi naturæ vel medicamentis, vti hydrargyri maximè vsu, quod vti eum in os expellendo, exspuitionem mouet, vel etiam illud exulcerat, sic & si ad intestina propellatur, vel diarrhœam irritando vel dysenteriam exulcerando, quæ in cura huius luis quandoque accedit, producit.

Pituita causa Diarrhœæ, Deiectionis per aluũ pituitosa & Tenesmi citra exulcerationẽ, Fluxusq; cerebralis.

Pituita interdum fæcibus vel humoribus permista, seroque diluta, diarrhœis cum aliis occasionem præbet. Aliàs cęteris in hac mistione præualens, potissima illarum est causa, tuncque in illis, vti dictum, copiosa apparet, vel etiam mera, sub finem præsertim, reliquis omnino iam repurgatis excrementis, accedente quandoque etiam bile, cum muco intestinorum rejicitur. Quæ pituita in ventriculo & intestinis, nunc aquea, nunc mucosa, nunc vitrea, à causis pituitam generantibus, sæpè expositis, nascitur. Aliàs sero diluta, aquea præsertim, per venas meseraicas, vnà cum cæteris humoribus, à variis corporis sedibus eò repurgatur: Quam & à cerebro ad ventriculum & intestina defluere posse, spumosamque esse, fluxumque cere-

cerebralem dictum gignere, Hippocr. hoc Aphoris. Quibus excrementa spumosa sunt, iis à capite pituita defluit, docet. Cuius pituitæ in cerebro prouentus causa in defluxionibus explicata fuit.

Cæterùm & salsam pituitam iuxta podicem congestam, tenesmum gignere affirmant. Qui tamen cùm hic humor adeò non pungere, vt vlcus fiat, posit, non verus tenesmus, sed sola erit in podice irritatio, vnde muci qui in tenesmo prodit cum phlegmate similitudine deceptos, hoc asseuerasse, & vt illi vim stimulantem attribuerent aliquam, salsum mucum statuisse existimo.

Serũ causa Diarrhœa. Serum cùm non solùm sanguinem sed & cæteros humores, vti & excrementa omnia diluat, illisque proinde confusum fit, quò maiori quantitate illis admistum est, eò deiectiones mouet magis fluidas & copiosiores. Idque inprimis in diarrhœis, in quibus præualens, vt aquæ instar deiectiones effundantur, efficit. Quas tamen si ab acribus procedãt humoribus & biliosis, eos contemperãdo, tunc mitiores potiùs, quàm vehementiores reddit. Quod serum nunc in prima cõcoctione, ex cibis humidioribus potuq; copiosiore genitũ, excrementa illa nimiùm diluẽdo, hoc facere potest. Aliàs per venas meseraicas, in intestina infusum, secumq; varios humores ducens, idq; naturâ sponte illud agente, vel vi medicamẽti cathartici impulsa, in repletis corporib. vel morbis ex repletione ꝓdeuntibus, diarrhœis iam dictis serosis varieq; mistis, occasionẽ præbet. Quas à sero è venis meseraicis transsudante, prouenire, magna illius quãtitas, eaq; cõtinuò & diu sępè ꝓfusa ostẽdit, quę in ventriculo & intestinis tamdiu subsistere, aut ex assumptis, quæ interdum perseuerante diu alui fluxu, pauca sunt, prouenire minimè potuisset: nec obstat, quòd illic sanguini permistum, ab eo nõ coloratum dejiciatur, cùm & alibi exsudans è corporis habitu & læsionib., & per renes ab emulgentibus separatum, non cruentũ reddatur, & post sectam venam, vbi concretus ille est serum purum à sanguine separetur.

Serũ cruentum, causa hepatici fluxus. Accidit tamen etiam, sed rarissimè, vt serũ cruore tinctũ, sed leuiter admodum, adeò vt loturam carnis saltẽ referat, copiosè, in fluxu Hepatico dicto excernatur: qđ cùm in venis meseraicis à sanguine illo sine dubio tincturã illam accipiat, in hoc affectu, & tamẽ in aliis à sero natis diarrhœis ex iisdem venis ꝓcedens, vti dictũ, minimè rubescat, quomodo hoc fiat dubiũ: pleriq; causam illius hepatis imbecillitati, vnde etiã nomen illi inditũ fuit, attribuunt, eamq; sanguificationis defectũ statuunt, à quo sanguis imperfectus subcruentus aqueus natus, copioseq; collectus, tandem è venis erumpat meseraicis. Verùm licèt hæc seri redundantiæ & sanguinis crudioris causa esse posit, vnde sæpè diarrhœæ prodeunt, quia tamen tinctura hęc illi rariùs accidit, causam aliam in hepate, & illi adnexis venis meseraicis insuper, eamq; insolitã accedere oportet. Qualis esse potest, sanguinis meseraici summa tenuitas, seu ipsius ichorũ, h.e. tenuiorum partium copia, osculorumq; venarũ amplitudo vel dilatatio. Cuius causam hepatis caliditatem potiùs esse, quàm frigiditatem, vt illa arguũt, sic & inde quòd in hoc affectu calor adsit, sitis, ardor circa hypochondria, & quòd febris quandoq; superueniat, & quod post febres ardentes sequatur, potest colligi, vti & ex ipsa curatione, cùm ea frigidis potiùs hepaticis quàm calidis perficiatur.

À qua hepatis caliditate & feruore, accedente insuper sanguinis constitutione tali, qualẽ exposuimus, venarumq; anastomosi, ab eodem calore profectâ, euenit, vt serũ rursum per hanc viam, exiguis guttis sanguinis tinctũ, in intestina relabatur, huncq; fluxum serosum subcruentum efficiat, vti & in fluxu illo consimili hepatico qui dysenteriæ interdum copulatur, exulceratio hæc oscula aperiens, vt sanguis sero, præsertim admodum in venis redundante mistus, similem fluxũ subcruentum efficiat. Qui fluxus copiosus & dilutus, magis tamen quàm verus hepaticus tinctus & frequentior existit.

Mucus ventriculi & intestinorũ causa deiectionis per aluũ mucosæ. Mucus seu limus ventriculum & intestina oblinire solitus, deiectiones præternaturales, solus minimè, cùm separatim vix prodeat, efficere potest, sed tantùm quatenus cæteris excrementis miscetur, si præsertim hoc fiat maiori copia. Cuius redundantiæ causa à cibo glutinoso & excrementitio

Mucus subcruentus, causa Dysenteriæ mucosæ & Tenesmi.

dependet, vnde sordities illa gignitur. Mucosa verò materia, quæ in dysenteria excernitur, si adeò copiosè egeratur, vt reliqua excrementa exuperet, dysenteriæ veluti priuatam speciem, albam ob huius præualentiam dictam, parit, vti & illa mucosa, nunc subcruenta nunc alba materia, quæ in tenesmo exprimitur, hanc deiectionem, tum ob mucum hunc, tum illum conatum præternaturalem reddit. Qui mucus ab exulcerata intestinorum substantia prouenit, quæ cùm membranosa sit, pus eiusmodi viscosum, vti & in vesicæ vlcere fieri videmus, profert, quæ ab initio dum recens est, sanguinis notas, mox mucum illum tinctum adhuc, postea cùm sordescere incipit, vlcus album magis producit, & cùm in intestini recti exitu illud sit, ob crassitiem illius, copiosum, & quia podici vicinum, in hoc affectu separatim prodit.

Ob quam causam mucum hunc ad pus potiùs quàm ad aliud referimus, quod phlegma esse quidam voluerunt, illudque salsum, vt sic vim ei tantam stimulandi, vti in pituita dictum, attribuerent, cùm tamen tale nequaquam sit, & conatus in tenesmo potiùs à læso intestino summè sensili, quàm hoc muco purulento, procedat, qui tamen acrimoniam quoque adipisci potest. Quod mucum illum, quem sine dolore è podice prodire Fernelius scribit, attinet, & falsò pus aliqui esse crediderunt, illæ verò veluti fæcem sanguinis è venis podicis, in morbis longis melancholicis præsertim, erumpere docet, fieri hoc fortè eadem ratione, vt in albis vterinis fluoribus, vt sicuti in illis per venas menstruas, sic hîc per hæmorrhoidales natura ab alba illa materia, menstruis albis tenacibus non absimili, se repurget.

Pus quâ ratione instar muci cuiusdam in dysenteria, atque tenesmo prodeat, priùs ostensum est: sicuti & in colico dolore, quomodo illic interdũ exeat, ibidem dictũ fuit: Præter quas illius excretiones, vlcere sordido ex dysenteria remanente, pus continuò genitum, purulentam facit deiectionẽ.

Pus causa Deiectionis per aluũ purulentæ.

Dein & pus purulentam deiectionem eam, in qua citra dolorem illud copiosè & sæpè egeritur, efficit. Quod ab vlcere quodam magno, admodumque sordido, cùm tanta illius sit copia, prodire necesse est; eaque in sede, quæ sit insensilis, cùm nullus adsit dolor, atque ideò pars non adeò magnas functiones edens, cùm sensim & longo tempore, non subitò ægrum consumat. Quod in mesenterio fuisse, eius constitutio ignobilis, & quòd intestinis cohæreat, atque sectio demonstrant, sic enim per venas illius in intestina perferri, illicque donec rejiciatur, accumulari potest. A'distantioribus locis si prodiret, fortè à iecore, vel liene, per venas easdem meseraicas illis continuatas, eò peruenire posset, quod si fieret, ob vlcera harum sedium, grauia simul, vt hydrops, aliaque symptomata, superuenirent. A'longinquis locis, vt pectore vel capite, pus eò penetrare posse, haud credibile est, etsi varias ei vias excogitarint, per quas si quid permearet, exiguum illud esse, & per venam cauam in venæ portæ ramos transire oporteret, quod tamen potiùs per emulgentes ad renes & vesicam deduceretur, sicuti illis in locis demonstratum fuit.

Chylus causa Cœliacæ passionis.

Chylus per aluum elabens, Chylosum fluxum, Cœliacum dictum efficit: si ille ob distributionem impeditam, non à venis meseraicis rapiatur, sed in intestinis coaceruatus, copiâ suâ interdum, & quia corrumpitur, vel aliis miscetur acribus, acrimoniâ stimulans, deorsum propulsus, per aluum eâ quantitate & frequentiâ, prout redundat, vel colore & consistentiâ, prout se habet, vel aliis miscetur, ejiciatur. Hoc autem distributionis vitium, vel ob viscerum sanguificationi destinatorum imbecillitatem, vnde non alliciunt succum, euenit, vel propter viarum & ductuum, hoc est venarum meseraicarum obstructionem. Sed & chylus ex cibo fluido & humido pingui diu continuato, liquidior fluidiórve factus, citiùs præterlabitur.

Pinguedo vel adeps copiosè excrementis perfusa, deiectiones Vnctuosas dictas profert, & si intestina excrementaque admodum inungat, eas accelerat, vix tamen per se nimias reddit. Hæc autem ab affatim assumptis pinguibus, vt oleo, butyro, carne pingui, quandoque procedit, cùm qualia fue-

Cibus & potus ex pinguibus, causa

sæ Deiectionis per aluũ pinguis. fuerunt, concoctionem præsertim, vt de cibo in lienteria, dictum, effugientia, iterum per aluum exeunt. Adipem quoque vel pinguedinem ex colliquatione facta circa intestina, prodire, qui docent, & colliquationem intestinorum vocarunt, vel persuasi, quod vt in dysenteria putarunt, intestina intrinsecùs pinguia esse illumque adipem abradi vel dissolui posse, hoc scripserunt, vel quòd à mesenterio aut omento, pinguibus hisce membranis intestinis continuatis, adeps in intestina ferri posсit, quod si fieret, eum liquescere potiùs, vt per venas meseraicas transire posset, oporteret. Quod cùm vix fieri queat, nec eum adipem, multoque minùs aliis corporis sedibus distantioribus adhærentem, huc peruenire, probabile videtur, cùm tantus calor actualis qui eum liquefaciat, intrinsecùs exsuscitari minimè posсit, nec in corde calor, illi adhærentem dissoluat pinguedinem. Qui cùm non ad vrinas, vti in febribus hecticis demonstrauimus, multò minùs ad aluũ, vti de pure etiam dictum fuit, peruenire poterit.

Sanguis quo pacto summè irritatis vel erosis intestinis, aut vlceratis, cruentas deiectiones pariat, in quibus cum excrementis purus exit, & fluidus in dysenteria, & affectu illi consimili, vel sine illis in hęmorrhoidibus, vel concretus, in ea deiectione, iam priùs in affectibus enarrãdis dictum fuit: Et quomodo dilutus fluxum hepaticum pariat, in sero qui illi tunc præualet, explicatum fuit.

Cibus quomodo non transmutatus per aluum excretus, lienteriam faciat, in causa priore in cibo & potu fuit expositum.

Curatio.

A'Grauioribus exorsi deiectionum generibus, hisce quæ plus laboris requirunt, primùm, dein cæteris curationem accommodabimus, videlicet primùm Dysenteriæ, deinde Tenesmo, & cõsequenter Diarrhœę, Lienteriæ Hepatico fluxui, Cœliacæ passioni, Purulentæ & Pingui deiectioni.

Dysenteriæ curatio. Dysenteria grauis & periculosus est affectus, omni ætati, cùm infantes, adolescentes & senes hoc morbo sæpè è medio tollantur, eoque magis, si intestina grauiter læsa sint, quod ex copia cruoris, & carnearum illarum fibrarum, puris & torsionibus magnis ventris cognoscitur. Malum quoque, si accedat inflammatio, existit, febre tunc & conuulsionibus sępè subsequentibus. Si bilis vitellina vel æruginosa vel atra simul prodeat, pessimum, vti & si vires subitò consternantur. Singultus superueniens, lethalem esse ostendit: Peruersum quoque si continuò sine intermissione dejiciant: aut si cessante deiectione cruenta, nouus fluxus dilutus cruentus instar hepatici, tunc alia fœda diarrhœa, cadauerosi odoris excrementa putrida proferens, superueniat: Hæc enim omnia mortem præsagiunt, quæ nunc citiùs septimanâ primâ, aliàs secundâ, nonnunquam tertiâ demum superuenire solet. Si symptoma sit febrium continuarum aut malignarum, vel pestilentialium, & proin contagiosum, plures tunc interficit. Aliquando in vlcus sordidum desinit, & tunc cessante dysenteriâ, diu postea purulentâ deiectione laborãtes, consumuntur, & tandem extinguuntur.

Curandi scopus in eo versatur, vt causam morbi propellamus, siue bilis, aliúsve peruersus humor, aut medicamentum erodens vel venenum existat; quod euacuantibus & abstergentibus efficimus; dein vt illius violentiam infringamus, quod lenientibus, anodynis, stupefacientibus & antidotis, si venenatus sit humor, perficitur; admistis refrigerantibus, si inflammatio simul adsit: Dein vt morbum ipsum, qui excoriatio vel exulceratio existit, siccantibus, quæ vlcera & excoriationes curare, illis in locis ostendimus, sanemus, additis semper adstringentibus, quæ præterquam quòd siccant, fluxum immoderatum cohibeant. Quæ omnia sequentibus præstabimus.

Inter euacuantia remedia, purgantia vt humorem vitiosum, siue biliosus aut alius acris & peruersus existat, qui intestina vellicat vel exulcerat, abstergant, & à loco affecto deorsum propellant & euacuent, propinantur, eoque citiùs, si profundiùs in intestinis, tenuioribus præsertim, lateat causa morbifica, cùm clysmata tam exactè

eò peruenire nequeant: Statimque ab initio morbi, vt eò celeriùs, antequam grauiùs lædat, propellatur, exhibenda, & si non satis deturbetur vna vice, repetenda. Eaque eligenda ex purgantibus, quæ adstrictione aliqua simul prædita, nimiam deiectionem, quæ ratione morbi & medicamenti violentioris, alioquin sequeretur, aliquo pacto moderentur.

Et cùm Rhabarbarum hoc præsertim præstet, illud præ cæteris in hunc vsum exhibetur, tostum priùs vti volunt parùm, ad maiorem adstrictionem illi conciliandam; quod quidem si leuiter fiat, rectiùs vt in puluerem redigatur, conueniet, sed si nimiùm assetur, inualidum & inutile redditur, vnde non adeò in eo erit laborandum, sed potiùs viribus eius adhuc integris, exhibendum, idque in principio, vt rectiùs euacuet, faciendum. Nam si postea repeti debet, tunc potiùs si maiorem in eo adstrictionem requirimus, aliquo pacto torrendum. Daturque à ʒ.ß.ad ℈.iiij.vel v. vel illius puluis, vel priùs infusi & expressi dilutum; puluerem diluendo cum Vino rubro, vel aquâ Rosaceâ, Plantaginis, Oxylapathi, Acetosæ, aliisve, vel hisce simul mistis; quâ ratione & infusum illius fit: addendo interdum & de succo Cydoniorum, Plantaginis, vel Syrupos eorum, aut de Rosis rubris siccis, Myrtillorum ad ℥.j. Vel Hypocistidis aut Acaciæ ʒ.ij. nonnunquam & cùm simul siccare vlcus cupimus, pulueres cornu Cerui vsti, sem. Rosarum, Plantaginis, aliúmve aliquem ex mox enarrandis pulueribus siccantibus.

Rhabarbaro nonnunquam cortices Myrobalanorum citrinarum iungimus, cùm & hæc euacuando nonnihil, aliquid adstrictionis post se relinquant; miscendo maiori ferè vel dupla, cùm inualidiores sint, cum rhabarbaro quantitate, eademque formâ vel siccâ vel liquidâ, admistisque cæteris cum eo exhibendo.

Præter quæ ex iis quæ vtrumq; prestant, etiam Syrupus rosaceus solutiuus censetur, ex infusionibus factus, maximeq; Rosarum rubrarum; qui præter vim purgandi, à rosis adstrictionem aliquam quoque sortitur, admodumque conuenit, eoq; ampliùs, si prioribus permisceatur, vel ex infusione Rhabarbari, vti fieri solet, simul paratus sit, & per se tunc ab ℥.j.ad ℥.j.ß.propinetur.

Ex hisce omnibus, additis simul quæ vlceri sanando competunt, talis quoque potio fieri potest:

℞.rad.Liquiritię ℥.j.ß. foliorum Plantag. recent. aliquot, & flor. Rosarum p.j. Passularum ℥.j. Tamarindorum ʒ.vj. cortic. Myrobalanor. citrinarum infus. priùs in Vino ʒ.iij. decoquantur in Hydromelite, & in colatur. infund. Rhabarbari elect.ʒ.j. Spicæ ℈.ß. fiat expressio, adde syrup. Cydon. vel de Rosis rubris siccis ℥.j. Detur.

Quando mucosa magis quàm biliosa, vel alioquin copiosa sunt excrementa, nec dum adeò cruenta, etiam alia exhibentur, vt Tryphera Persica vel Sarracenica Nicolai, ad ℥.ij. cum Syrupo adstringente, Aquisque conuenientibus; Vel potiùs ex Myrobalan. citrin. vel Indis ʒ.ij. & Trypheræ Sarrac. ℥.ß. dissoluendo vt suprá.

Catholicon etiam datur ad ℥.j. adiecto simul Rhabarbaro & Myrobalanis, aliisve iam expositis. Hiera quoque probatur. Agarici ʒ.j. exhibet Dioscorid. quod validiùs absterget minusque acre erit & irritabit, si in syrupo vel Melle rosaceo infusum, adiecto Rhabarbari diluto exhibeatur: Sunt qui semen Carthami in Sero lactis infusum exhibent; Alij Tamarindorum pulpam vel decoctum cæteris permiscent, qui bilis feruorem simul reprimunt. Ad fortiora, irritantia præsertim & inflammantia intestina, transire periculosum.

Vomitus in dysenteria tunc tantùm, si causa morbi ad ventriculum vsque feratur, vel illic fomitem habeat, probatur. Et si ab adurente pharmaco, vel venenato ortum habuerit, & de eo aliquid adhuc circa superiora hæserit, vomitus sponte factus, vel arte impulsus, ea ratione conueniet.

Sanguinis per venæ sectionem emissio, in dysenteria parùm iuuare poterit, cùm è venis meseraicis, quæ in intestina sanguinem amandât, nihil detrahat, nec tantus illius sit fluxus, qui reuulsionem hanc exigat, viresq; quæ alioquin in hoc casu mox labuntur, ampliùs

pliùs labefactaret. Hæmorrhoidum tamen spontanea apertio, nec immoderatus fluxus, hîc deriuationis gratiâ aliquid conferret.

Sudores fluxiones hasce compescere aliquo pacto possunt, qui proin viribus constãtibus in hũc vsum, maximè si natura eò vergat, integumentis, lateribus, lagenis calidis, aliáve arte promoueri poterunt. Idem vrinarum facit prouocatio, & materiam ex parte ad vias deducit vrinarias. Quo nomine sequens dari poterit: ℞. quatuor seminum frigidorum Maiorum cum cortice contusorum ana ʒ.ij. Capilli veneris M.ß. radic. Asparagi ℥.j. vel seminis Asparagi ʒ.j. Sumach ʒ.iij. Coriandri præpar. Anisi ana ʒ.j.ß. bulliant in iure; Bibat cùm sitit.

Clysmata, si intestina crassa affecta sint, cùm ad locum affectum perueniant, topicáque fiant remedia, præ cæteris ad curationem conuenient: si verò profundiùs in tenuibus intestinis malum lateat, cùm eousq; non tam facilè ascendant, non adeò tunc vlceris causâ insignem vsum præstabunt, nisi quatenus in hoc affectu, prout parantur, nunc torsiones consuetas mitigant, nunc illuuiem in via retẽtam, ad excretionem promouent, vel etiam intestina constringendo, fluxum immoderatum nonnihil sistere possunt.

Hæc autem si crassa intestina læsa sint, vt retineantur diutiùs, paruâ quantitate injici debent; si tenuia, vt sursum quoque portio aliqua illorum deueniat, copiosiore; Et si sedem affectam attingere possunt, sæpè repeti.

Parantur autem hæc, tam acris humoris erodentis, quàm excoriationis vlcerísve ratione, tum ex lenientibus, abstergentibus & siccantibus.

Lenientia clysmata cum humoris acrimoniam contemperando, atque intestina lentore obducendo, dolorem mitigent, & læsionem grauiorem impediant, dolore vrgente, tam ab initio, quàm postea quoque si perseueret vel redeat, vel separatim, vel aliis permista, vsurpantur: Additis interdum & necessitate exigente, stupefacientibus; cùm sensum intestinorum minuendo, dolorem leniant, & fluxum insuper compescant. Suntque etiam hæc lenientia, ad sanationem vlceris accommodata, si aliqua abstergendi leuiter, siccandique vel glutinandi vi simul sint prædita, qualia quædam ex illis existunt, vel adiectione aliorum, clysmata vtrumque præstantia ex illis concinnantur.

Abstergentia clysmata, cùm non solùm humorem irritantẽ & vlcerantem abluant, sed & vlcus à sordibus & pure repurgent, ad sanationem vlceris, cæteris quę illud siccando sanant, vti vlcerum sanatio requirit, præmitti, semperque ferè illis adhuc, quamdiu vlcus est sordidum, misceri debent, & pro ratione illuuiei repeti, aut intermitti. Quæ tamen ne vlcus nimiùm irritent, in parte summè sensili, & inflammationem, vti aliquando fit, accersant, moderatè illud facere debent, nisi sordidum admodùm aut putridum factum vlcus fortiora requirat; post quorum vsum si ex irritatione dolor sequatur, lenientibus tunc immissis, vel cæteris permistis, corrigetur.

Siccantia enemata, quæ iam vlcus repurgatum sanent, vlcere absterso vsurpantur: inter quæ alia, vt de excoriatione, & vlceribus dictum, glutinosa cùm sint, veluti vlcera glutinando, alia siccando, consolidant, & sanant. Ex quibus quæ adstrictione quadam simul prædita sunt, validiùs siccant, & constringendo fluxum sistunt. Quibus si fortiora sint, in fine tantùm vtimur, priùs lenioribus adhibitis, miscendo quoque, si vlcus nondum satis repurgatum sit, adhuc quædam detergentia. Et cùm validioribus vtimur adstringentibus, fluxu immodico illud requirente, glutinosorum permistione, ne nimiùm exasperent, efficimus, illisque sanationem minimè impedimus, sed potiùs vt rectiùs & tutiùs fiat, promouemus. Horum autem omnium formæ accomodatiores sunt sequentes.

Inter lenientia clysmata, Lac solum etiã infusum, non solùm dolorem lenit, sed & abstergendo glutinandoque vlcerationes illas sanat. Ampliùs verò absterget, si serosiore vtamur: glutinabitque magis, si calculis ferróve ignitis immissis, seri illius portionem absumamus, sicque glutinosum magis reddamus.

Effica-

Efficaciùs hoc præstabit doloremque sedabit, si ad Lactis ℔. j. Vitellum oui vnum vel alterum addas, magisque adhuc; si mucilaginea seminum Psylii, Cydoniorum ad ℥. iv. permisceas. Vel horum loco aut cum illis, Sæui recentis ℥. j. cùm illud etiam nonnihil secus ac alia pinguedo, vt in cutis abrasionibus dictum, excoriationes sanet; probaturq; imprimis seuum hircinum, inde ceruinum, sed & hœdinum & caprinum conuenit, maximè duriùs à renibus sumptum. Quod dolore vrgente in pari quantitate olei Rosacei dissoluitur.

Cùm simul abstergendum & leniendum, Lacti cæterisq;, Sacchari vel Mellis ℥. j. ß. vel prius miscemus: Et si magis sanare velimus seu glutinare, succi Plantaginis ℥. ij. iij. vel iv. vel alia in solidantibus explicata.

Lac seu emulsio ex Amygdalis, vel cremor Hordei seu Oryzæ, quem Oryzogalon vocant, sola vel inuicem mista, iniecta, admodum leniunt, quibus & cætera permisceri possunt.

Ius Veruecis, Caponis, aut Pulli, additis Vitellis & Mucilaginibus, vt in colicis doloribus, sic hîc quoque lenit, quibus & alia addi possunt.

Decoctum leniens & glutinans: ℞. radic. Altheæ ℥. j. Hordei mundi vel Oryzæ P. j. seminis Lini vel Fœnogr. Cydoniorum ana ℥. j. semin. Psylii. ℥. ß. & propter flatus semin. Anisi ʒ. ij. florum Chamomill. vel Anethi P. j. fiat decoctio in Lacte vel Iure, addendo Vitellos, Sæuum, & si opus sit Oleum, vt in lacteo clysmate dictum fuit.

Cum Lacte, Iure & Decocto, simplicibus vel mistis, seu clysteribus ex illis paratis, dolore vrgente, Philonii ʒ. j. vel ij. permiscem⁹, Persici præsertim, cùm fluorem quoque sistat: Vel pilularum Cynoglossæ ℈. j. vel ij. dissoluimus. Aut vti cum successu sæpè feci, syrupi de Papauere ℥. j. ß.

Opii ℈. j. vel ʒ. j. similiter cæteris loco aliorum permiscere possumus, sed tutiùs opio iam in cæteris compositionibus diligenter misto, & vt inquiunt fermentato, vti.

Olea sola, necessitate summâ doloris vrgente, injicere cogimur, ad eum compescendum, cùm alioquin quia pinguia vlceribus inimica sunt, & ad sanationem vlcerum nil faciunt, sed eam potiùs impediant, omittantur. Inter hæc Amygdalarum dulcium oleũ quandoque sumitur, sed rectiùs oleum Rosaceum, adstrictione simul aliquâ præditum, eoque magis si Omphacinum sit, vel illi portio olei Cydoniorum vel Myrtini addatur. Cui Mucagines & Vtelli ouorum, aliaq; addi simul possunt.

Abstergens clyster communis hîc in vsu est: ℞. decocti Hordei integri ℔. j. Sacchari impurioris rubri vocati (vtpote vilioris puro, non autem quòd magis abstergat illo, clysteribus indi soliti) vel Mellis ad ℥. ij.

Huic cùm lenire simul volumus, Vitelli ij. ouorum adduntur, & vt adstrictionem aliquam simul habeat, Mel rosaceum loco communis, & aliquando Saccharum loco alterius sumitur, Resinæ laticeæ aut alterius ʒ. j. dissol. in Vitello oui addita, abstersionem & glutinationem valde promouet.

Serum solũ & Hydromel iniecta abstergũt. Quibus & ea quę decocto hordei miscebantur, obseruatis iam dictis, permisceri possũt.

Aliud clysma abstergens: ℞. rad. Liquir. ℥. j. ß. Ficuum Passularũ an. ℥. ij. Furfuris P. j. Hordei, Cicerum, vel Pisorũ rubr. Lentiũ vel Lupinorum ad ℥. ij. fiat decoctio in Sero lactis vel Hydromelite, & in s. q. dissolue Saccharum vel Mel aliáve quædam, vt in decocto hordei dictum fuit.

Fortius erit, in sordidioribus vlceribus accommodum, si huic decocto Parietariam vel Betam addas. Et adhuc validiùs absterget, si amara, vt Centaurii, Absynthii, & Gentianæ portionem addas: Et prædicta in lixiuio, debiliore tamen, decoquas. Sed & si putredo & corruptio sequatur, adhuc efficaciora injicimus, vt Lixiuium solum vel Vrinam. Aquam salsam; Muriam & Garum infundere iubet Diosc. Aliqui & ad erodentium vsum, vt in externis vlceribus putridis, progrediuntur, vnguentumq; Ægyptiacum dilutũ injiciunt; Vel etiam ea quæ ex Auripigmento paratur: E quibus tutiora illa erunt, quæ in oris vlceribus sic parata descripsimus, cautè interim ea administrando & cum Lacte, Cremore hordei, Oryzæ, similibusq; lenientibus contemperando.

Ad glu-

Ad glutinandum seu consolidandum vlcus, enema leuiter siccans, nec adeò adstringens, primum fit ex Lacte vstulato silicibus vel chalybe, in quo Rosæ decoctæ sint.

Alterū fit ex decocto Hordei vel Oryzæ, torrefactis priùs & Ros. rubr. P.j. addendo vtrique clysmati interdum Vitellos ouorū ij. priùs assos: Aliquando & Mel rosaceum, & cùm magis operari volumus, succi Plantag. ℥.j. vel paulò plus.

Tertiū clysma cùm glutinare & adstringere simul volumus tale erit: ℞. rad. Consolidę maioris, Tapsi barbati an. ℥.j. foliorum Plantaginis, Solidaginis an. M.j. Rosarum rubr. Hordei assi an. P.j. semin. Myrti ʒ.ij. vel Vuarum ℥.ß. fiat decoctio in aqua Cisternæ, dissolue in s.q. Mellis rosac. ℥.j.ß. Albumen oui vnius, vel infusion. Gummi tragach. ℥.j. Sæui hirci vel capræ ℥.ij. succi Millefolij vel Polygoni ℥.j. fiat clyster.

Quartum quod magis siccabit vlcus & adstringet hoc pacto: ℞. radic. Bistortæ vel Tormentillæ ℥.j.ß. Consolidæ ℥.j. herbarum Bursæ vel Virgæ pastoris, Polygoni vel Herniariæ, Equiseti, Pilosellæ an. M.j. Balaustiorum, Capul. Glandium, Nucis cupressi an. ʒ.ij. Lentium excortic. Oryzæ tostæ an. P.j. fiat decoctio in Aqua extinctionis ferri fabrorum, dissolue succi Plantagin. ℥.ij. Vitellos ouorum assos ad contemperandum nimiam adstrictionem, num. ij. fiat clyster.

Horum clysmatum decocto alia quoque addi possunt adstringentia & consolidantia, vel quorundam loco substitui, vt Sanicula, Pyrola, Virga aurea, aliáve traumatica; dein & folia Myrti, Lentisci, Oleæ, Sumach, Ceterach, Agrimoniæ, Rubi, Rumicis sanguinei, Salicis, Linguæ passerinæ, flor. Chamæleontis, Gallæ, cortic. Granatorum; Item fructus aliqui adstringentes sicci: Et dissolui ex supradictis quædam, vel succi enarratarū plantarum quarundam:

Succus Plantaginis solus etiam iniectus conuenit, vel Lacte aut decocto Hordei nōnihil contemperatus.

Gummi tragachanti ʒ.ij. si in Lacte vel decocto Hordei, aut clysmate primo vel secundo dissoluantur, aut potiùs infusio ipsius facta cum aqua Peculi rosarum vel Plantagin. illis misceatur, optimum erit ad sanandum enema.

Efficacissimum est, si infusio gummi Tragachanti cum succo Plantaginis injiciatur, & simul plurimùm mulcebit dolorem, addito Sæuo hircino, vti dictum.

Loco Tragachanti vel vnà cum illo gummi Arabicum vsurpatum idem præstat: vti & Thus, Mastiche, Sarcocolla. Quæ omnia diluta, vti dictum, glutinando potiùs operantur, nec vlcera sic vti valde adstringentia, exasperant.

Exsiccati succi, veluti Acacia, Hypocistis, Sanguis draconis, si in supradictis clysteribus glutinantibus à ʒ.j. ad ij. dissoluantur, adstrictionem illis addunt, in aliis adstringentibus eam augent.

Idem facit Hæmatitis lapidis succus rubeus, attritione cum aqua Rosarū vel Plantagin. elicitus, & ʒ.ij. circiter pondere ceteris additus, glutinans & sanguinis fluorem compescens.

Terræ siccantes pingues nec asperæ, idem quoque præstant, vt Boli, Lemniæ dictæ, similiter ʒ.ij. quantitate mistæ.

Trochisci de Succino vel Albi Rhazis ad ʒ.ij. diluti Lacte, succo Plantagin. vel decoctis, aut additi aliis clysteribus, vti in excoriationibus seu exulcerationibus vesicæ, sic & hîc valde prosunt. Et si cùm opio parati sunt, dolorem admodùm sedant.

Præter hæc aliis pulueribus vti, cùm in liquore mox subsideant, partemque facilè exasperando irritent, non adeò necesse est. Licèt Chartam combustam, Chalcithim aliqui quoque permisceri debere, doceant.

Multò minùs vnguenta addere propter vnctuositatem commodum videtur, vt Rosaceum, Pompholygos, Diapalma, Diuinū, quæ aliqui immiscent.

Sanguinem Cerui in dysenteria infusum laudant.

Per os exhibita, alia præter purgantia iam descripta, eò magis si circa superiora intestina affectus consistat, proderūt, danturq; in eum vsum, sicuti clysmata, vt prout dolor morbúsve requirit, vel leniamus, vel abstergamus, aut exulcerationem sanemus, hisce remediis.

Lac vaccinum, cùm omnes vlcerum internorum curandorum, leniendo, abstergendo & glutinãdo indicationes compleat, hîc vtiliter quoque datur, addito Saccharo vel Melle, imprimis Rosaceis, cùm detergere magis volumus. Vel Caprinum damus, cum serosiore vti volumus.

Si verò glutinare potiùs velimus, Lac vaccinum vstulatum silicibus ferróve (sumendo puriùs vel chalybem) vel Ouillum, simplex vel etiam vstulatum exhibemus.

Lactis ℥.iij. si succi Plantagin. ℥.j. addas & totidem Sacchari rosat. tab. admodum sanabit. Quibus & alia permisceri possunt.

Consolidæ radix in Lacte vstulato cocta commodè exhibetur.

Inter iuscula, leniens Ius fit ex decocto Carnis vitulinæ, optimè & diu coctæ.

Brodium Oryzæ mundæ bene coctæ, vtilissimum ad sanationem.

Decoctum ex Hordei bona quantitate, & Liquiritiâ, cum Saccharo vel Melle, ad detergendum exhibetur.

Ad sanandũ decoctum: ℞. rad. Tormentillæ ℥.j. rad. Consolid. & Alceæ an. ℥.ß. Plantag. Bursæ pastoris an. M.j. Rosarũ rubr. sicc. P.j. Sumach vel Vinaciorum ʒ.ij. coquantur in Aqua pluuiali vel cisternæ, addito & pauco Vino rubro, colaturæ addatur Sacchari rosat. tabul. q. s. Bibat duabus vel tribus vicibus.

Vel: ℞. rad. Quinquefol. vel Bistortæ ℥.j. rad. Nenuphar. ʒ.vj. herbarum Millefolij vel Equiseti M.j. Labruscæ P.j. sem. Plantaginis & Acetosæ vel Lapatij an. ʒ.ij. coquantur in aqua Plantag. & pauco Vino, & in colatura dissolue syrupi Cydoniorum vel alterius, vt sequitur q. s. fiat potio: Bibat vt suprá.

Præter hæc decocta, ex aliis quoq; plantis alia fieri possunt, vel illarum aliquæ hisce decoctis permisceri. Veluti sunt radix Cariophyllatæ, Filicis, Acetosæ, Polemonij, Alismatis: Et ex herbis vulnerariis aliquæ, vt Solidago vtraq;, Pyrola, Pilosella, Fragaria, Potentilla, Sanicula, Virga aurea, & præter has Lysimachia, Scordium, Eupatorium, Polygonum seu Herniaria, Phyllitis, Potentilla, Balsamine, Clematis & fol. Quercus, Rubi, Myrti, & Lentisci. Quibus flatus discutientia, propter tormina, vt flores Chamom. sem. Anisi aliquando adjicimus.

Vt causa morbi propellatur simul dum sanare volumus, Rhabarbarum interdum admiscemus aliis, vel hoc pacto: ℞. Rhabarbari torrefacti ʒ.j. Coriandri torrefacti ʒ ij. infundantur in Vino rubro vel succo Cydoniorum, parùm ebulliant, colentur; adde syrupi de Rosis rubris siccis ℥.j.ß. fiat potio: Pro duabus vicibus. Si Acaciæ vel Hypocistidis ʒ.j. addas, efficaciùs operabitur.

Boli aut Spodij ʒ.ij. vel iij. si simul in hisce decoctis coquantur, efficaciùs operabuntur: Vel Mastiches ℥.ß.

Mastiches solius ℥.ß. decoctum in aqua Rosarum vel Plantaginis conuenit.

Ceræ in iusculis decoctum probat Diosc.

Stercoris asinini decoctum bibitum, aliqui pro secreto habent; quòd minùs sentitur, si in Vino coquatur, additis aliis fœtorem illius corrigentibus.

Lumbricorum decoctum, si insciis offeratur, commodum.

Vina medicata fiũt ex iisdem, in Vino rubro vstulato quoque, interdum Chalybe vel Auro infusis & maceratis vel leuiter coctis, imprimis rad. Tormentillæ, Bistortæ, vnde stiptica vis vino accedit, nec ingratum interim saporem illi conciliant. Potestque tunc Saccharo addito, paucoq; Cinamomi vinum instar Hippocratici gratum fieri.

Si Vino rubro, Pruna syluestria matura parumper exiccata indas, stipticum fit nec ingratum. Quod & aliis fructibus adstringentibus fieri potest.

Infusionem Oryzæ in Vino rubro factam, plurimùm profuisse aliqui testantur.

Succi per se etiam exhibiti competunt, præcipuè Cydoniorum, coctus priùs sine additione, ad consistentiam syrupi vel rob, dando sæpè cochlear. j. vel ij. Qua ratione etiam aliorum adstringentium austerorum potiùs quàm admodum acidorum, vnde tormina sequerentur, succi exhiberi possunt: Vt è Pyris austeris vel Granatis medij saporis Vinosis dictis recentibus integris cum cortice, expressus succus: Et de Cornis aliísve, inter ea ex quibus edulia parantur, explicatis.

Plan-

Plantaginis succus crudus ab ℥.iij. ad iiij. exhibitus admodum sanat, & si inflammatio adsit, eam compescit, qui & cum brodio vel lacte aliisve dari potest.

Hederæ terrestris succum propinatum, plurimos à morte liberasse testatur Hollerius.

Trasorum lacteum succum aliqui similiter exhibent.

Syrupi aliqui austeri potiùs quàm vehementer acidi, sæpè per cochlearia exhibentur; vt ex vsitatis syrupus Cydoniorum vel simplex, vel cum Vino coctus, Miua dictus, Myrtillorum, de Rosis rubris siccis: Vel parati ex succo Plantaginis aliisve, vel decoctis supradictis, adiecto saccharo in formam syrupi coctis. Aliqui syrupum Cydon. maximè prodesse putant. Si in illius ℔.j. seminis Nasturtij torrefacti ℥.j. decoquatur.

Iulepi etiam conueniunt & sitim simul restinguunt. Consuetum est iulep Rosaceum, quod ex aqua Rosarum & Plantaginis si coquatur, efficacius hîc erit.

Vel si syrupi prædicti cum aqua Chalybeatâ, vel stillaticiis liquoribus, florum Rosarum vel Calicum, florum Ligustri, foliorũ Plantagin. Bursæ pastoris, Quercus, Aparine, &c. diluantur.

Inter ea quæ comeduntur, alimenta medicamentosa, vt Pultes admodũ nutrientes & consolidantes ex sequentibus fiunt.

Oryza cocta in Lacte, additis Vitellis ouorum, & succo Hederæ terrestris optimum est remedium, quo multi in longinquis nauigationibus, fame pænè enecti dysenterici, vt testatur Lerius in sua historia, restituti fuerunt. Quæ & in Lacte amygdalino cocta probatur: Dein & Lac vtrumque vstulari priùs potest: Si auro id fiat vtilius censetur.

Amylum similiter coctum, vel addito interdum Ouo conquassato vel illius Vitello, Aquâ rosac. & Saccharo ac Butyro, vt nostri Germani parant, dictum Ammelmuß. Butyri loco aliqui Vituli pinguedinem, potiùs addunt.

Milium excorticatum cum Lacte coctum idem præstat, addito Oui vitello. Alij Putamen illius cum Ouo assant, & propinant.

Auena munda integra cocta; vel Farina illius, vti Germani Auenatum ab ipsis Habermuß dictum parare solent, admodũ apud eosdem dysentericis in vsu est.

Eiusmodi pultibus ex Oryza, Amylo, Auenâ, Milio coctis, alia quoque addi possunt, vt efficaciores fiant: vt farina Fabarum, radix Tormentillæ, semen Plantaginis, Sumach, Bolus aliáve.

Panis coctus ex Farina cum albumine Oui subactâ, addito puluere Gallarum, vel corticorum Granatorum, contritus exhibetur cum Vino.

Fabas in Posca decoctas laudat Dioscorides, alij etiam Lentes.

Ex aliis cibis medicatis, prodest Ouum depositâ testâ, coctione in Aceto induratum: vel frixum cum Ceræ nouæ ʒ.j. dissolut. in sartagine: Quibus & puluis Sumach, vel semen Plantaginis vel folia Cannabis, misceri, eaque exhiberi possunt.

Sanguis frixus, Hirci, Capræ, Ceruí, comestus, à Discoride probatur. Imprimis Leporinus, frixus vel coctus, cum farina Hordei. Turtur assus comestus peculiariter prodesse creditur, nonnunquam & deplumatus & euisceratus infarcitur granorũ Myrti & Ceræ nouæ an. drach. ij. vel minori quantitate, coctusq; ad comedendum tribus continuis diebus datur, integer adhuc, vel contusus priús.

Huius infarctui etiam Thuris addi possunt drach. ij. & de sanguine Columbæ siccato drach. j. aliaque adstringentia, vt semen Plantaginis vel Rosæ, Sumach, & Cinamomum ad gratiam.

Inter fructus, Cydonia, Pyra, & Poma parùm austera, non cruda, quia ventrem conturbant, sed cocta vel tosta conceduntur & prosunt: è quibus, varia conditurâ, etiam fiunt edulia, tàm ex recentibus, quàm priùs siccatis. Si Pyra aut Cydonia excauata Cerâ nouâ impleatur, & postea assa comedantur, admodum probantur.

Mespila, Sorba, Corna, Cerasa & Pruna austeritatem habentia, cùm maturari incipiunt potiùs, quàm cùm plenè matura sunt, similiter præparata, adstringendo iuuant.

Vuæ ſpinæ fructus laudatur, vti & Rubi: Mora item, quæ tamen cùm tormina facilè excitent, non temerè dabimus.

Loti arboris baccas, vti & Oxyacanthæ, cõmendat Dioſcorides: Siliquas item deuoratas.

Caſtaneas vulgus probat toſtas, vti & Auellanarum nucleos, tunicâ rubrâ inueſtitos: Dein & Amygdalas crudas eſitatas, ſed facilè ſtomachum grauando nocere poſſunt in debilioribus.

Inter olera Portulaca cocta comeſta, lenit admodum aſperitatem.

Pulueres diuerſi, ſiccando & adſtringendo vel etiam proprietate quadam agentes, vel ſimplices, cùm per ſe efficaces ſunt, vel inuicem permiſti, à ℥. j. ad ℥. j. ß. bibendi propinantur, plerunque, cum Vino rubro auſtero nonnihil, vel cum Aqua chalybeata, aut Iure aliquo, vel Lacte, aquísve Plantaginis aut aliarum Plantarum, addendo interdum & Saccharum, Mel, Syrupos ad gratiam vtiles, aliaque.

Conuenit ad hanc rem puluis radicis Tormentillæ, Biſtortæ, quæ cùm inſipidæ ſint, non ingratæ ſunt guſtui. Nympheæ radix mirificè in dyſenteria & quibusvis fluxibus accommodata eſt: vti & Alceæ, Conſolidæ maioris, Polemonij, & Cariophyllatæ radices.

Herbæ Millefolij puluerem probat Dioſcorides. Item Conyzæ mediæ, Scordij, & Tragi cacuminum. Præter quas & aliæ vſurpari poſſunt, vt Piloſella, Gnaphalium, flos Solis cum radicibus, Verbaſci lutei medium ſeu cor, vel aliquæ ex illis, quæ in decoctis explicatæ fuerunt, ſiccatæ, pulueriſatæ, vt Equiſetum, Balſamina, &c.

Flores Hederæ, Ciſti, Palmæque Chriſti odorati illi & Amaranthi purpurei elegantes flores, vti Granatorum, Balauſtia ſiccata & pulueriſata, ſimiliter proſunt. Vti & Roſarum rubrarum placenta, in fundo alembici, poſt aquam elicitam remanens.

Fructus Roſarum cum lanugine & nucleis, ſiccatus & pulueriſatus valde efficax. Vti & racemi Berberis ſimiliter præparati.

Malum granatum integrum torretur eò vſque, donec in puluerem redigi poſſit, & ſic exhibetur.

Nuclei ſeu ſemina Roſarum rubrarum ſeparatim etiam dantur, vti & Granatorum acidorum & Paſſularum maiorum, minorũ, Vuarúmve aliarum nuclei.

Naſturtij ſemen vel ſolum propinatum vel aliis miſtum, ſingulare plerique in dyſenteria cenſent eſſe remedium, quod cùm acre ſit & veluti adurens, torrendo priùs emendant, vel admiſcendo alia. Probatur & ſemen Tamaricis.

Semina Oxylapathi ſeu Lapatij acuti, vel Sanguinarij, vel Acetoſæ, eundem ferè effectum habentia, pulueriſata, in multis etiam ſola propinata profuerunt.

Glandium nucleorum aſſorum puluis mira præſtat. Vti & Caſtanearum: Fagineas glandes idem efficere docent.

Tunica interior Caſtanearum lanuginoſa, vti & nucleos inueſtiens, Glandium, Auellanarum rubrarum pulueriſata.

Thus, Maſtiche, Myrrha, Tragachantum, integra deglutienda, vel pulueriſata bibenda exhibentur.

Genitale Cerui, efficax eſſe cenſetur, cum Vino rubro datum.

Cornu Cerui crudum vel vſtum, oſſaque Bouilli femoris, proſunt.

Coagulum Leporis & Hœdi magni cenſentur. Equinum addit Dioſcorides.

Adipem caprillum cum Polenta & Roſis præſcribit Dioſc.

Stercus Leporinum vel Caninum aut Aſininum, cum Lacte vſtulato datur.

Terra Armenia quam Bolum vocant, vel alia Pinguis, inter quas præfertur Lemnia, propinata. Item Corallium rubrum, Cryſtallus, Margaritæ, Sapphyrus.

Alumen aliqui cum Ouo propinant.

Sal cum admiſtione ſeminis Roſarum, Dioſcorides condimẽti loco cibis admiſcet. Cui & alia miſceri poſſunt.

Compoſiti ex his varij fiunt pulueres, eadem menſurâ & ratione, vt de ſimplicibus pulueribus dictum, propinandi: Vel admiſcendo Saccharum, roſaceum præſertim, maioreq; tunc quantitate, cum cruſta Panis in Vino intinctâ, alióve modo exhibendi.

Primus sic fit; ℞.radic. Tormentillæ ʒ.ij. radic. Bistortæ ʒ.j. seminis Lapatij vel Acetosæ ʒ.j.ß. Plantaginis ʒ.j. Coralli rubri ʒ.ß. fiat puluis subtilissimus: Ad vsum vti dictum.

Alter: ℞.huius pulueris mediam partem, hoc est ʒ.iij. adde seminis Rosarum, Myrtillorum an.ʒ.j. Balaustiorũ,cornu Cerui vel Spodij vsti an.ʒ.ß.Margaritarum in diuitibus ℈.ß.fiat puluis.

Tertius, si ampliùs adstringendum,conueniens: ℞.insuper cum prædictis, Gallarum ʒ.j. Sanguinis draconis vel Acaciæ ʒ.ß. Boli vel Terræ Lemniæ ʒ.j. Si magis adhuc, lapidis etiam Hæmatitis ʒ.ß.

Puluis Glandium mirè glutinans & sanans: ℞.glandium Quercus nucleorum assorum ℥.j. seminis Coriandri præparati ℥.j.ß. semin. Portulacæ, Psylij an.ʒ.ß. fiat puluis. Possunt & Castanearum assarum nuclei addi,vel loco Glandium sumi.

Si ampliùs glutinare velis, huic pulueri misce Amyli ʒ.j.ß. gummi Tragachanti parùm assi ʒ.j.

Si simul ampliùs siccare & adstringere velis,de prædictis pulueribus,à ʒ.j.ad ʒ.ij.misceto.

Ex cineribus pulueres aliqui facti,admodum extolluntur, & vt cæteri propinantur. Veluti Leporis viui vel potiùs modò iugulati in vase fictili bene obturato,in furno vsti, cinis,maximi vsus esse censetur.

Turturis vel Cochlearum terrestrium cum putaminibus vstarum cineres, æquè extolluntur.

Qui ex vtrisque parati cineres, etiam aliis pulueribus dictis misceri sicque vsurpari possunt. Cum turture alij Bolum, Sanguinem draconis & Mumiam miscent, sicque vrunt, eoque modo vtuntur. Alij cineribus cochlearum Gallas, parumque Piperis albi miscent,sicque propinant.

Vel talis fit cinis: Pannus cannabinus immergatur in succi Plantaginis partibus duabus & Aceti Rosacei parte j. in quibus Aluminis & Boli portiunculæ dissolutę sint: vbi bene madefactus fuerit, siccetur,postea comburatur,cineresque,vti sæpè iam explicatum,propinentur.

Trochisci de Succino vel de Spodio vel de Terra sigillata cum semine Acetosæ,vel Ramich, separatim vel simul ad ʒ.ß. indies sumpti valde prosunt. Dantur puluerisati cum Vino rubro alióve liquore addito ad gratiam si velint,Saccharo rosaceo vel Syrupo aliquo. Vel excipitur puluis conseruâ Rosarum antiquâ, vel aliis mox dicendis, aut syrupo Myrtino,atque instar pilularum, vel boli deglutitur.

Ex cõseruis & condituris,fiunt sequentia electuaria: ℞.conseruæ Rosarum antiquæ, conditur.carnium Cydoniorum an.℥.j. conseruæ rad.Consolidæ ℥.ß.Coralli ʒ.ij.trochiscorum de Terra sigillata vel alterius alicuius pulueris, ex præcipuis simplicibus vel compositis ʒ.j. Nucis mosch. assæ,Cinamomi an.ʒ.ß. Sacchari rosac.tab.q.s.fiat conditum,quod mixturam vocamus.

Vel: ℞.conseru.& condituras prædictas, addendo quandoque etiam eas quæ parantur ex Sorbis, Cornis,Rosarum fructu,Mespilis aliisve adstringentibus. Item puluerres aliquos & Rhabarbari tosti ʒ.j.excipiendo syrupo Cydoniorum, vel Miuâ,vel aliis Syrupis supradictis,vel Succis.

Micleta Nicolai ex myrobalanis, mastiche,gummi arabico,sumach,balaustiis,spodio,seminibus nasturtij & carminatiuis,parata compositio,vtiliter in dysenteria cæterisque alui fluxibus datur.

Nasturtij seminis tosti & puluerisati ʒ.ij. si in quartario vno syrupi Cydoniorum, donec crassescat,coquantur:Data de hoc cochlearia iij.mirè probantur.

Leniens & sanans optimum: ℞.mucilaginis seminis Cydoniorum,mucilag.radicis Consolidæ, infusion. gummi Tragachanti, omnium factorum cum aqua Rosarum an. ℥.j.Amyli ʒ.j.Coralli rubri ʒ.ij. Boli præparati ʒ.j. Balaustiorũ ʒ.ß. rob de Sorbis vel Cornis vel conditur.Cydoniorum ℥.ij. Sacchari rosac.tabul.℥.j. fiat instar electuarij: Capiat ad ʒ.ij.

Narcotica cùm dolorem compescant,& fluxum alui simul sistant, vt in clysteribus dictum,meliusque exhibita quàm iniecta id præstent, atque insuper somnum, qui propter inquietudinem, ob continuam deie-

ctionem impeditur, concilient, & sic viribus quoque admodum prosint; ob multa hæc commoda, non sunt negligenda: aliquotiesque si præsertim dolor, vigiliæ vrgeant, repetenda, cùm nihil adeò facultatem expultricem sopiendo, fluorem indesinentem, vti hæc compescant.

Imprimis autem in hoc casu Philonium Persicum vtile erit, quod fluoribus diuersis sistendis, cùm plura adstringentia recipiat, simul accommodatum est: illius ʒ.j. vel paulò plus exhibendo.

Pilulæ item Cynoglossæ, cùm ad defluxiones cohibendas paratæ sint, hîc etiam præ cæteris proderunt, præsertim si succo Plantaginis, vel Rosarum aliísve adstringentibus excipiantur, formenturque: & à ℈.ß. ad ℈.j. propinentur.

Trochisci de Succino cum Opio, cùm exulcerationes simul sanent, duplici nomine quoque proderunt exhibiti. Præter quæ multa alia in colicis, & nephriticis aliísve doloribus exposita narcotica, hîc quoque conueniunt, si adstringentia quædam illis permisceantur, eaque efficaciora, cùm parua quantitate narcotica dari soleant. Vt si syrupo de Papauere vel Diacodio sicco vel humido Myrtinum aliósve adstringentes addas, & cum aqua Plantaginis aliáve dissoluas: sicque addito puluere, Diamarg. frigidi, virium causâ, propines: vel in aqua Rosacea folia Papaueris albi maceres, vel decoquas: Eamque bibendam des:

Vel Theriacâ, Mithridato, Athanasiâ, aliísve antidotis & confectionibus narcoticis, Bolum, Terram Lemniam, Gallas, Balaustia, Acaciam, Hypocistim, cùm validiùs adstringant, admisceas.

Aut si pulueribus vel electuariis supradictis dysenteriæ adscriptis, tantillum Opij rectè præparati, vti alibi docuimus, optimè permisceas, illisque remediis, hoc quoque commodi addas.

Externa quod attinet remedia, inungatur venter oleo Cydoniorum, Myrtillorum, Rosaceo, eoque si magis adstringendum, Omphacino, vel additâ Aceti tertiâ parte, decoquantur hæc olea ad consumptionem aceti: Quòd si ventriculus simul affectus sit, addatur Masthichinum vel Absynthinum. Si dolor summus, Anethinum, Chamomelinum, vel Amygdalinum dulce; Si inflammatio aut caliditas, Violaceum. Sunt qui & anum eiusmodi vnguentis inungendum esse docent.

Post inunctionem locus vnctus, puluere aliquo adstringente conspergatur, vel composito ex pulueribus, sequenti modo: vel etiam simplici vno ex illis, sed efficaci.

Primus: ℞. granorum Myrtillorum vel Berberis, vel Vuarum rubrarum aut Passularum ℥.ß. Gallarum vel corticorum Granatorum, Nucum cupresi vel capularũ Glandium an. ʒ.ij. Rosarum rubr. vel Balaustiorum ʒ.j.ß. Masticheś vel Thuris ʒ.j. puluerisentur.

Alter ad potentiùs adstringendũ: ℞. huius pulueris ℥.ß. adde Boli ʒ.ij. Sanguinis draconis, Acaciæ vel Hypocistid. an. ʒ.j. Sumach ʒ.j.ß. Coralli rubri vsti ʒ.j. fiat puluis.

Tertius: Trochiscos de Terra sigillata, vel de Bolo, vel de Charabe simul recipit; vel alia insuper adstringentia, in pulueribus qui exhibentur descripta efficaciora.

Vnguentum ex eiusmodi pulueribus fit, si oleis iam enarratis excepti additâ Cerâ in formam vnguenti redigantur.

Emplastrum etiam ex pulueribus prædictis fieri potest, excipiendo eos Oleo adstringente, & admiscendo Resinam & Picem, addendo simul Aloës & Vernicis an. ʒ.ij.

Vel fiat tale emplastrum admodum stringens: ℞. Boli Armen. ʒ.vj. Thuris ℥.ß. Sanguinis draconis, Mastiches, Mumiæ an. ʒ.ij. fiat puluis qui excipiatur Albumine oui & Aceto, & cum panno ventri sub vmbilico apponatur.

Cataplasma hoc efficax est: ℞. Cydoniorum malorum recent. vel siccatorum, vti asseruari solent, carnium, vel aliorum fructuũ adstringentium, vt Pyrorum, aliorúmve ℥.iiij. Panis crustæ assæ & inter torrendum Aceto rosac. sæpiùs aspersæ ℥.ij. coquantur in Vino rubro stiptico & Oleo rosac. omphacino, contundantur, adde pulueris Gallarum ʒ.vj. Boli, Mastiches an. ℥.ß. vel de pulueribus compositis descriptis ℥.j. misceantur: Pro applicatione.

Huius

Huius loco possunt sumi Verbascum cum radicibus, Bursa pastoris, Plantago, radic. Consolidæ, flores Rosarum rubrarum: Hæc coquantur in Vino rubro, & oleo Rosac. vti dictum, contundantur, addendo prędictos pulueres: Pro cataplasmate.

Omentum rete vocatum castrati, vel hœdi aut agni, applicatum calidum, vt in colicis dictum, tormina in infantibus maximè compescit: quod in hoc casu, oleo aliquo adstringente, vt Cydoniorum vel Myrtillorum inungi debet: & si ampliùs adstringere volumus, puluere aliquo ex prædictorum puluerum simplicium vno vel pluribus, vel puluere Tapsi barbati, conspergi. Cuminum in aceto maceratum & torrefactum, idem præstat, omento inspersum, vel aliis applicandis additum.

Diaphœnicum emplastrum Mesuæi, ad idem conuenit, ventri admotum.

Fasciam Aceto irrigatam, ventri circumligatam, aliquid efficere posse, quidam scribunt.

Cucurbitularum in ventris medio seu centro, vel vtrinque circa inguina affixio, nimium fluorem aliquo modo retinet.

Fotus fiunt ventris interdum & podicis ex decocto herbarum adstringentium, vt Verbasci cum radic. Plantaginis, Polygoni, foliorum Quercus, Pyri, Cydoniorum, Sorborum, Mespilorum, Cornorum, Myrti, Berberis, Rosarum rubrarum, Balaustiorum, Sumach, radicis Filicis, Calcitrappæ, cortic. Granatorum, Pinearum, capul. Glandium, Gallarum, Myrtillorum, Vinaciorum, in Vino rubro, addito interdum & Aceto, aliàs in aqua Chalybeatâ.

Oleis quibus ventrem inungi debere diximus, eundem & fouere possumus: addito Aceto nonnunquam, vel aliis succis Herbarum enaratarum.

Salsamento piscis Siluri ventrem fouere iubet Dioscorides.

Lotio crurum in iam dicto decocto admodum calido, facta, similiter iuuat. Quæ & si ex decocto Scoriæ ferri & Limaturæ chalybis in Aceto acerrimo fiat, probatur.

Vapor ab eodem decocto, è quo fotus fit, suscitatus, si podice excipiatur, si præsertim altiùs se insinuet, admodum proderit: Vehementiusque operabitur à salsamento dicto, vel Lotione quæ ex Scoria ferri & Chalybe paratur, excitatus.

Ex Anguilla decocto, vapor probatur à quibusdam.

Fumus in anum admissus, quia & ille penetrat, iuuare potest, excitatus à resinosis in tenesmo explicatis, prunis ardentibus vel laminæ ignitæ impositis: Idem præstat ex puluere Verbasci factus: Vel stercoris Asini siccati: vel Aceto rubro forti insperso iam dictis rebus candentibus; fumoque sic facto, qui & Ferro candenti in eo extincto suscitari potest. In quo aceto astringentia possunt decoqui.

Suppositoria dolorem præsertim sedantia, in tenesmo exponenda, vt de Sæuo, aliáque eiusmodi, etiam in dysenteria nonnunquam indita proderunt.

Purgare podicem ab adhærentibus excrementis post egestionem, foliis Verbasci & Lagopi panniculis, tum ob mollitiem ipsorum, tum vires aliquas, quas simul cōferunt, probantur. Cuius mollitiei causâ folia Altheæ vsurpari possunt.

Quod Regimen attinet: Cibo nutriantur euchymo, qui simul etiam ad morbi sanationem aliquid conferat, denturque Lac, Oua, Pultes, aliáve iam in exhibendis exposita: Vel alia alimenta in aqua Chalybeata aut Rosacea decoquantur, additis interdum pulueribus, vel succis supradictis, quæ gratiora sint: Bibant aquam Chalybeatam, lac Amygdalynum: Interdum Vinum rubrum aquâ Vstulatâ dilutum. Vitent omnia Salsa, Acria & summè Acida.

Quieti maneant, neque corpus surgendo ad sellam, vel ob inquietudinem, lectos & loca mutando, vti verò facere solent, ab eoq; admodum debilitari, exagitent: Excrementaque in lecto remanentes, linteaminibus duplicatis, vel pelui depressâ, cuius ambitus culcitris suffultus sit, excipiant.

Quòd si dysenteriæ alius aliquis affectus copuletur, aut occasionem præbeat, veluti hepatis aut ventriculi: tunc si ob hepatis morbum

morbum bilis fiat prouentus, vel quod maximè metuendum, fluxus accedat hepaticus, dilutaque cruenta copiosa sequatur deiectio, quod lethale admodum, hepatis habenda erit ratio, illicque epithemata & ceratum illi conuenientia applicabuntur: qualia in fluxu Hepatico, aliisque iecoris affectibus explicab mus.

Et si ventriculi dolor aut imbecillitas accedat, ea quæ illi accomodata sunt, aliis adstringentibus dysenteriæ competentibus, permiscebuntur, vt de Mastiche, Rosis, Absynthio, aliisque vtrique competentibus, dictum est. Vel si ventriculi affectus præualeat, priuatis etiā remediis huic subueniendum, quæ in dysenteria tamen nocere nequeunt. Qualia multa adstringentia, ventriculum roborantia, in illius imbecillitate sunt exposita.

Diectionis per aluum cruentæ citra exulcerationem curatio.

Cruentæ deiectiones aliæ, præter dysenteriam veram, cuius curam iam exposuimus & fluxum hepaticū, de quo postea agemus, si à reseratis venarum meseraicarum osculis, accedēte insuper inflammatione procedant, Dysenteriæ nisi quod nondum adest exulceratio, nonnihil correspondent, & interdum pro ea sumuntur, non tamen ita pertinaces sunt, si modò inflammationi occurratur, vt vera dysenteria, quæ citùs quam illa si rectè tractentur, cessant, sæpè tamen auctā inflammatione & febre, ob dolorem, vt in colico dolore ab inflammatione quoque procedente, conuulsi moriuntur, vel si in abscessum vergant, in veram dysenteriam commutantur, quę vlcus post se relinquens sordidum, purulentam dictam, quæ dysenteriam sequitur, efficit deiectionem. Huius in affectûs cura, causa quæ irritando eum procreauit, si adhuc persistat, propellenda & in ea infringenda, iisdem euacuantibus & abstergentibus sed mitioribus propter inflammationem, & lenientibus, vt in dysenteria dictum fuit, vtendum. Et morbi causâ, inflammationis scilicet, refrigerantibus eam compescere studebimus, qualia in dysenteria cum inflammatione & colicis doloribus proposita fuerunt. Dein ad oscula venarum obseranda, & fluxum cohibendum, sedatâ iam inflammatione transeundum, eligendo ex adstringentibus remediis ea, quę in dysenteria injici forisque adhiberi diximus: & si in ascessum vergat inflammatio, indeq; in vlcus, tunc quæ exulcerationem in dysenteria vera sanare diximus, locum habebunt.

Deiectionis per aluum sanguinis concreti curatio.

Concretus nigricans, vti expositum, apertis osculis, si copiosè ejiciatur sanguis, ob violenta cathartica aliáve medicamenta, nonnunquam & simul vomatur, periculosum imprimis, vnde aliquos subitò sanguine nimiùm profuso extinctos vidimus. In quo casu sicuti in vomitione sanguinis docuimus, procedendum, aliaque adstringentia intus forisque, vt in priori casu, administranda.

Tenesmi curatio.

Tenesmus, cùm circa exitum intestinorum illius consistat causa, minùs periculosus quàm dysenteria existit, faciliusque illâ sanatur, cùm ad partem affectam medicamenta rectè perueniant, licèt & hoc quòd ægrè illa retineant, ob stimulum quo diuexantur, & quem in anum immissa, etsi blanda sint, de nouo incitant, difficultatem curæ adferat, morbumq; sæpè protrahat. Qui & per se nonnunquam longus est, difficiliúsque sanatur, si vlcus sit sordidum, sin alia causa leuior, eò faciliùs.

Scopus curandi pro diuersitate causæ instituitur: Nam si cum exulceratione tenesmi prima sit species, in qua mucosa subcruenta egeruntur, siue per se inceperit, aut dysenteriam sequatur, aut ex leuiore talis factus sit, cùm in intestino recto vlcus consistat, eadem cum dysenteria curandi obseruatur methodus, similiaq; ferè remedia, (uti ostendetur) huic sedi accōmodantur. Si verò sola irritatio tenesmi alteram inducat speciem, in qua biliosa, vel aliàs acria simul prodeunt excrementa, nec tunc remedia ab illis, quæ primæ speciei conueniunt admodum diuersa erunt, cùm & tunc ea quæ horum acrimoniam ardorémve leniant & contemperent vsurpentur, postea quæ sordes hasce auferant, abluant abstergántve, demum, quæ inde natam attritionem sanent, & si in vlcus verum degenerarit, quæ hoc vti priùs dictum, curent. In tenesmi verò tertia specie, in qua solus conatus citra excretionem aliquam

aliquam vrget, causæ habitâ ratione, eam amouere studebimus, vt si à duris hoc procedat excrementis, quæ ea emolliant, si à frigore, quæ calore suo illud emendent, administrantes. Si à calculo intestinum premente, vel vermibus, aut ductus vesicæ causâ accidat, curatio horum in doloribus illarum partium fuit exposita. In reliquis, sequentibus remediis hoc pacto erit procedendum.

Exhibentur rariùs hîc purgantia cùm humor circa locum affectum consistens, tenesmum efficiens, in extremis intestinorum consistat, nisi antecedentis causæ nomine, ne malum augeatur vel repetat, illud fieri debeat, tuncque si exulceratio adsit, eadem quæ in dysenteria competere, & pręter vim purgandi vim etiam adstrictione prædita esse diximus, hîc quoque vsurpari poterunt: si verò alia adsit causa, ad alia quoque quæ humores moderatè euacuant, transire possumus, leuiora tamen, ne aluum hisce de nouo irritemus.

Hoc idem de aliis, quæ per os sanationis gratiâ exhiberi debent, intelligendum, parùm hæc, in distantiori hac intestinorum sede affecta, posse efficere. Interim tamen si ea quæ in dysenteria conuenire diximus, lenientia vlcusque sanantia, aliquoties vel copiosè exhibeantur, vires ipsorum etiam eousque deferri possunt. Vt si Lac, Decoctum hordei, copiosè sæpeque bibant, aliáve sumant, quæ interim aliis partibus nocere nequeunt. Decoctum Betonicæ sunt, qui in tenesmo laudant, vti & Saluiæ.

Injiciuntur imprimis in hoc casu Clysmata, cùm ad partem affectam proximè accedant, eamq; alluant, quę vt diutiùs contineri queant, quantitate mediocri infundenda, sępeq; quia cum labore ob conatū retinentur, reiteranda, canalé cùm applicatur, ne locum irritet, blandè in podicem inserendo.

Lenientia clysmata, in omnibus tenesmi speciebus, siue pars erosa, vlcerata, irritatáve tantùm sit, conatu & dolore vrgente, cùm illum mitigent & humorum acrem vim retundant, competent; Qualia in dysenteria descripta sunt, ex Lacte, Iure, Decoctis, Oleis parata, & prout vel simul abstergere vel glutinare volumus, hæc illáve eligimus.

Detergentia enemata, si in tenesmo exulceratio adsit sordida, vel irritatio à mucosa aliáve adhęrente tenaci materia, ad eam abstergendam conuenirent. Similiter eadem quæ in dysenteria ex Sero, Hydromelite, Decocto hordei aliorúmve parari diximus, hîc etiam vsurpanda.

Consolidantia solummodo in tenesmo ab exulceratione procedēte, infunduntur clysmata, ex illis quæ in dysenteria diuersimodè proposita sunt, maximè conuenientia seligendo.

Emollientia clysmata in tenesmo, cuius stimulum dura excrementa commouent, ad ea dissoluenda injiciuntur. Quibus laxantia aluum adduntur, si in tenesmo ad deiectionem sed vanam tantùm irritentur, nihilque vel parùm prodeat. Demum & calefacientia flatusque discutientia, si frigidus humor aut alia refrigeratio, flatuumq; adsit copia, è quibus quæ blando calore prædita sunt, dolorem etiam leniunt. Ita cùm emollire & laxare volumus, decoctum Plantarum quinque emollientium sumimus, vti & seminū Lini, Fœnogræci, additis oleis aliisque pinguibus laxantibus. Si simul calefacere & flatus discutere, tunc quæ illud efficere possūt, adjicimus, vt herbas calidas, Origanum, Calamentum, Pulegium vtrumque, Melissam, Hysopum, Saluiam, Maioranam, folia Lauri, Rutam, flores Chamomill. Meliloti, Anethi, Rosmarini, Stœchados; semina Carui, Fœniculi, atque hisce similia. Cuiusmodi clysmata quamplurima in colicis doloribus, à fæcibus flatibus & frigore genitis, descripta sunt, quæ inde peti possunt, causisq; hisce similibus accommodari.

Imponuntur podici in forma suppositorij vel aliâ, quæ dolorem leniant, in omni tenesmo, in quo ille vrget: dein & quæ erosiones & exulcerationes sanent, si tenesmus inde fiat: quæ cùm locum affectum attingant, admodum iuuarent, si diutiùs retineri in parte hac sensili quæ ad omnē duriorem contactum mox excitatur, possent: quod tamen vt fiat, blanda admodum esse debent, nec dura aut aspera, & si siccare oportet, citra morsum illud faciant: Talia autem ex sequentibus componuntur.

Sæuum hirci vel capræ in formam suppositorij sectum & inditum, cruciatum sedat, & sanat excoriationem factam.

Cui sæuo liquefacto priùs, si semen Papaueris vel Hyosquiami quod efficacius est, subtilissimè tusum permisceas, & in modulum chartaceum suppositorij forma fundas, ac suppositorium formes, ad dolorem sedandum ampliùs conferet. Longeque magis, si horum loco oleorum, ex hisce seminibus expressorum guttas tres, cuilibet suppositorio addas: vel Opij dissoluti in olei Amygdal. dulcium ℈.ß.

Ad sanandum efficacius fiet, si Sæuo vt dictum soluto, vel simplici vel narcoticis additis, Amylum & Gummi tragachãtum tritũ vel infusũ priùs in aqua Plãtaginis misceas.

Vel sic: ℞. gummi Tragachanti portionem, affunde tantillum aquę Plantaginis vt intumescat saltem, neq; nimiùm liquescat, adde mucilaginis seminis Psylij vel Cydoniorum tantundem, & Vitellum oui assum, misce, illisque calentibus nonnihil, adde Ceræ albæ dissolutæ q. s. vt concretum formam suppositorij nanciscatur, sicque indi posit; vel si mollius remanserit, bombace aliòve molli immerso in anum trudi. Cui & narcotica dicta addi possunt.

Hisce suppositoriis ad erosionem maiorem curandam miscentur etiam pulueres, qui tamen subtilissimè triti ne irritent, esse debent, vt Cerusæ, Tuthiæ præpar. Boli, Balaustiorum, aliorúmve citra acrimoniam siccantium.

Vel si magis adstringendum, succi Acaciæ, Hypocistidis, Sanguinis draconis, cum infus. gummi Tragachant. emolliti & triti vsurpando.

Ex Licio paratum suppositorium Rhazis, narcosi & vi sanandi præditum est.

Emollientia suppositoria in duris recrementis, aliáve laxantia, additis calidis, flatus discutientibus, in aliis causis conuenientia, vti de clysteribus dictum, in colicis quoque describuntur doloribus, quæ si necesse sit, huc quoque referri possunt. Ex Ladano & Styrace additis Oleis calidis, quædam parata, in tenesmo eiusmodi quoque laudantur.

Vapores vel suffitus, vti & fumi in tenesmo ab exulceratione, iidem qui in dysenteria competebant, illicque descripti sunt, hîc quoque conueniunt: Præter hosce, fumus etiam factus ex validè adhuc siccantibus, multamq; fuliginem reddentibus prodest, vt Pice, Bitumine, Succino, Colophoniâ, Terebinthinâ, Resinâ pini, Sarcocollâ & similibus, quibus & Sulphuris portionem aliqui addunt, & in Aceto priùs illa macerant.

Vel si calefaciendum potiùs, vaporem ex decocto clysmatis hoc idem efficientis, vt illic exposuimus, excitabimus. Sabinæ in Vino & Aceto coctæ suffitum aliqui probant.

Fotus ad sanandam exulceratioñe in tenesmo, ex plantis in dysenteria propositis, fieri quoq; possunt: Vel etiã insessio ex illis.

Myrrhæ decoctionis fotum, tenesmum qui dysenteriam sequitur, sanare docent.

Si multùm sanguinis reddant: ℞. Verbasci cum radicibus M. ij. Rosarum rubr. P. j. cortic. Granatorum, Gallarum ana ℥. ß. coquantur in Aquæ ferratæ partibus duabus & vnâ Vini. Possunt addi Balaustia vel Psidia ad ℥. ß. & cortic. Pini.

Efficaciùs fiet si Aluminis ℥. ß. addas.

Ad calefaciendum, fotus ex plantis in clysmate explicatis quoq; fieri possunt, illorumq; decocto foueri podex illiusque ambitus ventrisq; inferiora, in quo decocto etiam sedere possunt. Cui, si quædam adsit erosio, Verbascum & Plantaginem addimus. Vel solo etiam Verbasco cocto in Vino, si hæmorrhois accedat, anus fouetur, aliísve in hæmorrhagia expositis.

Vel fiat fotus cum Aqua, Oleo & Vino simul calefactis: Aut cum Oleo solo aliquo enarratarum herbarum, vt Chamomillar. Anethino & Rutaceo, &c.

Vnguentis ad sanãdam exulcerationem, iisdem quibus in dysenteria vsi sumus, hîc quoque vti possumus.

Imprimis dolore vrgente in tenesmo, illitione quæ ex oleo Rosaceo, Violac. Nympheæ & mucilagine seminis Psylij, Vitellis ouorũ paratur: vel aliis in hæmorrhoidum dolore descriptis.

Vel si calefaciendum, vtendum oleis calidis, Chamomelino, Anethino, Laurino, Rutaceo, similibusque.

Cataplasmata ex iisdem quæ clysmata, fotus, vnguenta subintrant, concinnari possunt.

Erui farinam Vino subactam applicat in tenesmo Dioscor.

Sacculus calefaciens anodynus fit ex Milio, Furfure & Sale, frixis in sartagine, additis aliquando herbis calidis in fotu dictis, aridis contritis.

Vel in exulceratione fiat ex adstringentibus, vt seminibus Coriandri, Myrtillorum, Glandium capulis, Gallis aliisve herbis, in fotu dysenteriæ expositis: Sacculoq; in Vino rubro decocto insideat.

Laterem ex fumo denigratum, comminutum & in Aceto feruenti immersum, inuolutũ linteo, perinæo & podici in tenesmo cum excoriatione, applicant.

Sedeat supra Arthemisiam calefactã ęger.

Puluini, Pannive lintei calidi actu adhibiti ad anum & perinæum, blando calore dolorem eorum sedant.

Diarrhœa cura. Diarrhœa, in qua fæculenta excrementa varia humoresque in ventriculo & intestinis genita, vel eò transmissa, per alui fluxum euacuantur, non erit sistenda, si vel arte per medicamenta promota, vel à natura sponte suscitata, ad redundantiam corporis expurgandam, rectè & feliciter procedat. Tum in nondum ægrotantibus ad morbos præcauendos: tum in morbis, ab humorum copia & cacochymia pendentibus, dein & in acutorum principiis, vbi docente Hippocr. si talia qualia oportet dejiciantur, & ægri bene tolerent, bonum, vel etiam declinatione & crisi, per quæ alui fluxum morbos quandoque soluit. Compescenda verò tunc erit, si in sanis & puris corporibus hæc veniat, maximeque superpurgatio dicta sequatur. In ægris verò si vel promota vel sponte superueniens, vel quia non cessat, vel quia de causa morbi nihil aut parùm aufert, vires prosternit, & sic nocet, vel iam priùs illis dejectis, exitiũ adfert. Veluti in internis inflammationibus, pleuritide, peripneumoniâ, & in febribus quibusdam acutis malignis, pestilentibus & in aliis quibusdam diuturnis vires prosternentibus, vt febribus hecticis, phtisi, hydropi superueniẽs lethalis. Quemadmodũ in affectibus hisce aliisve, vbi perniciosa est, fuit expositum. In quibus omnibus, quantum fieri potest, ne fiat, aut si facta sit, rursum sistatur; præmisso prognostico si periculosa videatur, procurandum.

Idq; hac methodo, obseruando primùm an per se hæc accidat, citra alium affectum comitem; Vel an alius affectus concurrat, illúmve sequatur. Si itaque per se eueniat, sitque vel à medicamento facta superpurgatio, vel à cibo & potu nimio, crudo vel corrupto proficiscatur, aut humoribus biliosis vel acribus, vel pituitosis serosis, tunc per euacuantia si quid de causa subsistat, & exagitare non desinat, illud propellere oportet, stimulusque illius reprimendus: Dein ventriculus, eoque magis si vomitus simul infestet, & intestina roboranda, constringenda, idque calidioribus magis minúsve, vel temperatis vel frigidis, prout causa plus minúsve frigida vel calida existit. Quæ omnia sequentibus operandi modis perficiuntur.

Expurgandus ventriculus & intestina ab humore peccante, idq; leuioribus, ne aluum priùs commotam nimiùm exagitent: vtendo si humor aqueus & pituitosus sit, pilulis stomacho simul congruentibus, imprimis illis quæ Mastichem simul recipiunt, vt Assaiereth, Mastichinis aliisque in Lienteria exponendis.

Vel datur electuarium Hieræ simplicis ad ʒ.vj. aut pulueris ʒ.ij. addendo propter amaritudinẽ, Oxysaccharæ simpl. ℥.j. dissoluenda omnia cum liquore cõuenienti, vel mulsâ, vti veteres voluerunt. Sed hæc amara commodiùs in forma pilularum dantur, Pilulæ scilicet de hiera.

Possunt & aliæ formæ id præstantes, in Vino aliòve modo, illud efficere, sicuti in lienteria & imbecillitate ventriculi variæ eiusmodi compositiones proponuntur.

Si biliosus verò humor vel alioquin acris, diarrhœam inducat, eadem remedia leuiter purgantia & adstrictionem quandam simul habentia, in dysenteria explicata, hîc quoq; vsurpabuntur.

Veluti potio ex Rhabarbari vel integri vel torrefacti puluere, vel diluto ipsius, adjectis etiam aliis, vti illic dictum, parata: cui &

hîc Vinum absynthites vel Syrupus illius, aut de Mentha commodè additur.

Qua ratione & ex Myrobalanorum citrinarum vel chebularum, eodem modo ad ℥. ß. infusarum potiùs expressione vel decoctione leui, quàm puluere, cuius ægrè tanta copia vnâ vice sumi potest, potio potest effici: Vel similiter ex Myrobalanorum ʒ. ij. & Rhabarbari ʒ.j. concinnari.

Vel pilulæ ex Rhabarbari ℈.ij. Mastiches ℈.j. Spicæ ℈.ß. cum succo Rosarum formatæ exhiberi. Vel bolus ex eo cum carne Cydoniorum aut conseru. Rosarum fingi: Vel puluis siccus propinandus, adiecto Cinamomo & Saccharo ros. Quibus & Myrobalani addi possunt, si molem medicamenti, quæ hîc exigua esse debet, non nimiùm augerent.

Trochisci de Rosis appellati & parati, vti & ex spica, spodio, sem. berberis & sem. frigid. maior. addito diagrydio, in diarrhœis si purgandum, in vsu sunt.

Tryphera Sarracenica Nicolai ad ʒ.vj. cũ eiusmodi potionibus ex Myrobalanis, vel Rhabarbaro vel vtrisque paratis quandoq; dissoluitur, quando humorum adest copia. Aliàs etiam Catholici tantundem. Ad fortiora transire in alui hoc nimio fluore, non satis est tutum.

Inter ea quæ euacuando prosunt, Vomitus interdum reuellendo, & causam simul euacuando, vt in dysenteria dictum est, conuenit. Sudorum item prouocatio, imprimis si seri copia diarrhœas efficiat. Qui si vires ferant, admodum sæpè iuuant. Inedia leuis ad humorum horum prouẽtum & absumptionem, aliquid adiumenti adferet. Sed in picrocholis nocet.

Clysmata quæuis, etsi, cùm mox iterum dejiciantur, aluum sic moueant, tamen si vim adstringendi habeant, cùm eam tunc potiùs sistant, etiam quandoque vsurpata conuenient.

In quem vsum Quartum clysma in dysenteria descriptum, cùm adstringat validè, ad aluum sistendam quoque erit accommodum. Cuius decocto etiam alia adstringentia, post hunc clysterem descripta, addi possunt. Et si ampliùs fluxum sistere volumus, in decocto succos exsiccatos Plantarum vel lapidis Hæmatitis aut Terrarum siccãtium, vti omnia illic exposita sunt, dissoluere debemus. Vel etiam sub acri humore metuatur excoriatio, Tertium clysterem qui adstringit & glutinat, vel alios ibidem enarratos injicere possumus.

Sed & in acri & bilioso humore si intestina vellicent, abstergẽtia clysmata, in dysenteria quoq; copiosè descripta, ante adstringentium vsum possunt infundi. Quæ & si alij humores redundent, maximè si adhæreant, ad eos promouẽdos, præsertim quando purgantia alia, illis non fuerunt exhibita, conuenient, additis etiam fortioribus, si necesse sit, vt Absynthio, Centaurio, & in pituitosa causa, ꝓpter tormina & murmura, quæ tunc simul adesse solent, illis quæ flatus discutiunt, vt in decocto, seminibus Fœniculi, Anisi, floribus Chamomillæ, Meliloti, Anethi, vel horum oleis.

Nõnunquam & lenientia enemata, si humores intestina irritent, vel medicamẽtum violentum catharticum aliúdve intestina lędat, ad eos contemperandos vsurpari possunt, in dysenteria abundè proposita, additis etiam, si cruciatus adsit, iam enarratis flatus discutientibus; Veluti in decocto leniente in dysenteria descripto, quod ℞. radic. Altheæ ℥.j. Hordei, &c. factum est.

Exhibenda quædam, adstringentia præsertim, interdum & abstergentia, & lenientia, pro causæ ratione, vt priùs dictum, idque diuersis formis, ne natura vni assueta, parùm aut nihil inde mutetur, bis terve in die.

Decocta varia in Aqua vel Vino, vt Adianthi, Trichomanes, Altheæ, Rubi, radic. Quinquefolij, Pœoniæ à Dioscoride commendantur.

Vinum infusionis Prunorũ syluestrium, priùs exsiccatorum, ne ventrem conturbent, vti & aliorum fructuum austerorum; Item Musci arborei, vel Absynthites, in quo radices Bistortæ, cortic. Citri aliáve adstringentia maduerint.

Succi Plantaginis, Polygoni, Equiseti, Chondrillæ, Punicorum acidorum Diosc. Cydoniorum.

Syrupus Cydoniorum, Myrtillorum, de Rosis rubris siccis, de Berberis, de Ribes, per se su-

ſe ſumendi, vel cum Aquis ſequentibus in forma Iulepi.

Aquæ Plantaginis, Roſarum florum & pecali, Acetoſæ, Burſæ paſtoris, Sorborum, Prunellorum, foliorum Quercus.

Vel decocta in dyſenteria deſcripta. Quorum vnum ℞. radic. Tormentillæ ℥.j. radic. Conſolidæ, &c. Alterum ſubſequens; ℞. radic. Quinquefolij vel Biſtortæ, &c. & quę ſequuntur. E quibus & ſyrupi poſſunt parari.

Vel ſyrupus ex ſuccis ad vſum aſſeruandus: ℞. ſucci Cydoniorum ℥.iij. ſucci Berberis qui eodē tempore, cùm Cydonia matura ſunt, haberi poteſt, ℥.ij. ſucci Plantaginis vel alterius ℥.j.ß. Vini rubri ſtiptici, Aquę roſarum ana ℥.ij. Sacchari quartarium j. decoquantur ad conſiſtentiam ſyrupi, aromatiſ. puluere Santali rubri. Si ante coctionem Acaciæ aut Hypociſtidis ʒ.ij. in eo diſſoluas, efficacior erit, & in biliosa cauſa, Aceti roſac. tantillum, vt meliùs aceſcat, addas.

Eſt & ſyrupus Nicolai contra omnem fluxum ventris, ex fructuum & aliorum decocto concinnatus.

Inter alimentoſa, Carnes in aqua chalybeata coquantur, vt in dyſenteria, addendo interdum Sumach, vel alia non ingrata.

Iuſcula condiantur ſucco Cydoniorum vel aliis.

Cibi craſsi, ſpiſsiores potiùs quàm liquidi.

Turtur præparatus, vt in dyſenteria.

Sanguis frixus, vt in dyſenteria.

Lac vſtulatum Vaccinum vel Ouillum, vt in dyſenteria.

Ouorum bene coctorum Vitellus cum Aceto comeſtus.

Ouum, detracto albumine per anguſtum illius in apice factum foramen, Aquâ roſacea impleatur, beneq; obturatum coquatur, donec aqua abſumatur; Vitellusq; comedatur, vel cum Iure diſſolutus bibatur.

Milij putamen cum Ouo aſſum, comeſtū, vt in dyſenteria.

Caſeus elixus in iuſculo vel aſſus, Heluetiorum remedium, quod & Dioſc. probat.

Panis triticeus ſiccus nec dum recēs, non tamen rancidus nec mucoſus. Panis coctus ex paſta factâ ex Amylo, farina Fabarū & Ouis, addito ſemine Plantaginis vel aliis.

Panis ex farina ſubacta Hordei vel Oryzæ & Vitellis ouorum coctus, beneq; exiccatus, diu aſſeruatur. Qui ad vſum pulueriſatur & cum Lacte in formam pultis redigitur; Sicque ſumitur.

Alter ex farina fit Tritici cum ſucco baccarum Sambuci, in paſtam redacta: quæ in clybano eouſque coquitur, donec penitus areſcat, vt diu vſum aſſeruari poſsit. Cuius pulueriſati cochl. j. cum Vino rubro aliquoties propinabitur.

Oryza cocta cum Lacte vſtulato, vel cum Brodio carnis, cui gummi Tragach. vel Arabicum additum valde iuuat.

Amylum cum lacte Amygdalarum, vt in dyſenteria.

Puls ex farina Zeæ, Auenæ, Milij, vt in dyſenteria.

Lentes non excorticatæ coctæ, addito Aceto, vel aliis adſtringentibus, nonnunquam & Betâ, Dioſc.

Fructus recentes vel exſiccati, Meſpila, Sorba, Corna, Pyra ſylu. Dioſc.

Braſsica, Beta nigra cum radicibus, Plantago, Intybus, Apium, cocta in cibis, Dioſcorid. addito Aceto.

Cibi conditi Gariophyllis toſtis & Aceto.

Bibat aquā Hordei loco vini, ſeu aquam Vſtulatam vel Ciſternæ.

Pulueres ꝓpinādi, vt in dyſenteria dictū.

Præcipuè in vſu ſunt rad. Alceę, Tormentillæ, quæ & in venenatorū morborum diarrhœâ ſimul eſt antidotus, Equiſetum, pulueriſata cum Vino data, vti & Lagopi folia, panniculi, & ſemen Oxylapathi, Acetoſæ, Plantaginis, Naſturtij torrefactum, quod magni fit, Maſtiche item & gummi Tragachantum.

Præter hos à Dioſc. & aliis probatur pulueres Aſtragali, Hyacinthi, Acāthi, Alyſmatis, Xyridis, Myricæ, Verbaſci, Rubi Ideæ, cortic. Tamaricis.

Folia Sanguiſorbæ, Fragariæ cum radice, Pyrola, Piloſella, Virga aurea, Pulmonaria, Clematis prima, Anchuſa, Lens ſylueſtris, Phyllitis, Sedum maius, Phœnix, Ruta, Acinos, Anethū, Aniſum, Fœniculum erraticum.

Flores Labruſcæ, Verbaſci, Milij Indici.

Ossa Myrobalan. assata, Auellanarum putamina, Nux moschata tosta, Gariophylli tosti.

Semen Coriandri, Milij seminis putamẽ, Anethi, Iunci maximè, Granatorum nuclei.

Coagulum leporinum, Fimus caninus, Cornucerui.

Rubrica Synopica, Terra Armenia, Crystallus, Margaritæ, Corallia, Gummi Arabicum, Tragachantum.

Trochisci Ramich, aliiq; ad fluxum Mesuæi; Item de Terra sigillata, de Succino, de Spodio cum semine acetosæ. Dantur vt in dysenteria, vel fiunt ex iis pilulæ. Item Diacorallium.

Puluis cum rhabarbaro: ℞. Rhabarbari torrefacti ʒ.j.ß. Boli Armen. vel lapid. Hæmatit. ana ʒ.j. ossium Myrobalanorum vstorum, Succini ana ʒ.ß. fiat puluis: Detur duabus vicibus cum Vino; Vel cum mucilagine Tragach. factâ in aqua Rosarum vel Plantaginis, fiant pilulæ: Capiat ʒ.j.

Adduntur pulueres cordiales, si vires deficiant, vt Diamarg. frigid. de Gẽmis. Item Triasantalum, Diarrhodon.

Vel sic ex pluribus concinnatus: ℞. Castanearum nucleorum assorum, vel Glandium ℥.ß. cortic. Myrobalanorum citrinarum, Chebularum assarum ʒ.ij. seminis Coriandri, Nasturtij in aceto macerat. & torrefact. ana ʒ.j.ß. seminum Myrti, Sumach, Mespilorum, Granatorum acidorum, Berberis, Rosarum, Plantaginis, Oxylapathi ana ʒ.j. sem. Cimini in Aceto macerati, Thuris vel Masticbes ana ʒ.ß. Coralli rubri ʒ.ij. Boli, Lapidis Hæmatit. ana ʒ.j. cornu Cerui vsti ʒ.ß. Margaritarum vel lapidum preciosorum ℈.j. Acaciæ vel Hypocistid. ʒ.j. pulueriſentur. Et detur ʒ.j. per se vel cum Saccharo, vel alio modo: vel fiat ex eo electuarium.

Diacydonites cum speciebus, in frigida, sine illis, in calida causa, per se vel cui alia permista sint, datur in forma electuarij, aut pulueris, addito Saccharo rosac. à ʒ.j.ß. ad ʒ.ij.

Conserua Rosarum antiqua, Acori, Symphiti: Possunt & aliẹ cordiales conseruæ addi: vel conditur. Cytoniorum, Citri, Myrobalanorum per se vsurpantur, vel pulueres trochiscorum aliive adduntur.

Micleta dictum electuarium Nicolai, vt in dysenteria (vbi ex quibus componatur ostensum fuit) sic & diarrhœa cæterisque alui fluxibus datur.

Myrti baccarum, Mesuẹi item electuariũ, ex myrobalanis, baccis myrthi, seminibus anisi, cimini, apij, & syrupo cydoniorum.

Narcotica in diarrhœa, si dolor aliquis accedat, vt in colicis vsurpata, eum mitigant, & facultatem expultricẽ sopiendo, fluxum sistunt, eoque modo vt in dysenteria ostensum, additis plerunque validiùs adhuc adstringentibus, cùm necessitas requirit, vsurpari possunt.

Foris adhibenda in diarrhœa, propter fluxum immoderatum, magis quàm in dysenteria locum habent, vt in illa, clysmata, propter exulcerationem internam, quare illic ea copiosiùs, vt in hac hæc erunt explicanda. In diarrhœa quoque ventriculo simul affecto, frigidâ quædam in lienteria explicanda, hîc locum habebunt: In calidâ verò, quæ in dysenteria.

Inunctiones ex oleis eẹdem conueniunt, vt in dysenteria; & si ventriculus affectus sit, ille vt in lienteria dictum, inungendus.

Vel ventris & ventriculi regio hoc pacto illinenda: ℞. olei Myrtillorum, Cydoniorum, Rosarum, Omphacini an. ℥.j.ß. olei Mastichini ℥.j. Absynthini, Nardini ana ℥.ß. succi Plantaginis, Bursæ pastoris an. ℥.j.ß. Aceti rosac. ℥.j. fiat decoctio ad succorum consumptionem, addendo Ceræ q.s. Et permiscendo vel inspergendo post inunctionem puluerem vnum ex præscriptis in dysenteria; cui addere possumus Nucis mosch. ʒ.ij. Santalorum omnium ʒ.j. radicis Galangæ vel Cyperi, seminis Coriandri, Storacis calamit. an. ʒ.ß. misce. Vini fæcem admiscet & illinit Diosc.

Fotus & insessus fiunt ex radic. Tormentillæ, Bistortæ, Pentaphylli, Calcatrippæ, Filicis, (Consolida nihil foris facit, non enim adstringit) Verbasco, Plantagine, Equiseto, Bursâ pastoris, Centinodiâ, foliis Rubi, Berberis, Sumach, Lentisci, addito Absynthio & Mentâ ratione ventriculi, nucibus Cupressi, cortic. Granatorum, baccis Myrti, Nasturtio torrefacto, ex floribus, Rosis, Balaustiis,

laustiis, Spongiâ Bedeguar; coctis in Vino rubro, & Aquâ chalybeatâ, addito Aceto, addendo interdum Alumine.

Saccus ex enarratis quibusdam impleri potest, vel duo sacculi iteratis vicibus adhibendi, & in eo decoqui, sicque ventri applicari possunt.

Vapores & fumi in dysenteria & tenesmo positi, hîc prodesse possunt.

Cataplasmata ex residentia decocti herbarum pro fotu fieri possunt, additis oleis enarratis, Sæuo hirci, Farinâ, Amylo vel Pane & pulueribus, quos inspergere docuimus.

Vel ex succis herbarum dictarum, vel fructuum adstringentium, Pyrorum, Pomorũ austerorum & Prunorum, præsertim syluestrium, Cydoniorum, Sorborum, Mespilorum, Cornorum, Berberis, &c. incorporando eos cum Farinis aut Pane, additis oleis & pulueribus.

Emplastra & cataplasmata in dysenteria exposita, in diarrhœa calida, illa verò quæ in lienteria exponuntur, in frigida competunt.

Vel sic ex pluribus paucioribúsve compositum: ℞. Fructuum adstringentium prædictorum exiccatorum optimè & veluti vstorum ℥.iv. farinæ Hordei ℥.ij. frixæ cum Aceto, radic. Bistortæ ℥.ß. Equiseti, Absynthij, Mentæ, cortic. Granatorum, Gallarum, cortic. Myrobalanorum, Nucum cupressi ana ʒ.ij. baccarum Myrti, acinorũ Vuarum, Coriandri præpar. Cumini, Nasturtij torrefact. in Aceto mac. ana ʒ.j. Thuris ℥.ß. Mumiæ, Acaciȩ, Sanguinis draconis an. ʒ.j.ß. Boli Armen. lapid. Hæmatit. & Magnetis ana ʒ.j. Nucis mosch. ʒ.ij. Santali rubri, Gariophyll. an. ʒ.j. Spicænardi ʒ.ß. Caseum veterem & Gluten piscium miscent puluerisata omnia Vino rubro vel Succis herbarum incorporentur, & parùm calefacta & frixa contundantur, addendo olei Mastichini, Rosarum Omphacini an. ℥.ij.ß. fiat cataplasma, vel additâ Pice nauali & Colophoniâ, Cerâ & Resinâ emplastrum.

Vsitata emplastra vsurpari possunt ex Gallia mosch. Mesuæi, de Mastiche, Diaphœnicon, Contra rupuram, Ceratum santalinum, additis adstringentibus fortioribus.

Rete castrati, oleo Rosarum omphacino, vel alijs inunctum, pulueribus prædictis aspersum.

Cucurbita affixa vmbilico.

Potentilla viridis, plãtis pedum apposita.

Podex Tapsi barbati foliis tersus.

Pedes calefacere actu & potentiâ illud agentibus, plurimùm quoque iuuat, ad alui fluxum sistendum, præsertim si à frigiditate pedum aut aliarum partiũ, diarrhœa oborta sit: Vel si pituita aquea intestina continuò alluens, ea refrigeret, aut ob sessionis in sella morâ, podex partesq; vicinæ refrigerētur, quas & calefacere tũc quoq; oportet.

Si cum diarrhœa alius affectus concurrat, qui tamen non cum illo implicatur, aut illius causa est, tunc singulis sua cura adhibetur, huicq; quod magis vrget, primùm subuenitur. Si verò affectus ille diarrhœȩ causa existat, tunc causa hæc primùm erit auferenda vel auertẽda, & postea nisi causâ sublatâ cesset, hoc pacto procedendum:

Si cum catarrho diarrhœa coincidat, vtrisque remedia accommodanda, maximéque si vti putatur, illius sit causa, humore pituitoso aqueo vel seroso, salso vel acri, à cerebro ad ventriculum delabente, tunc primò defluxioni, postea diarrhœȩ occurrendum. *Dyarrhœæ cũ defluxione coincidentu curatio.* Et defluxionem quod attinet, illius ratione fortioribus catharticis, propter fluxum alioquin immodicum, eam expurgare non consultum erit, sed potiùs particularibus euacuationibus, per nares & os factis, errhinis & caputpurgiis eam euacuabimus, & simul diuertemus, aliis modis: veluti Lotionibus pedum actu calidis, quæ tum defluxionum nomine, tum alui fluxus causâ competunt, si ex capitis congruẽtib. & simul adstringẽtibus decoctis fiant; Item Frictionibus, Cucurbituiis vel etiam Aperturis, si necessitas exigat. Dein illud quoq; roborabimus atq; exsiccabimus, inspersis pulueribus, admodis cucuphis, emplastris, & suffumigationibus. Quorum omnium formas vtendique modũ, in aliis defluxionibus, in habitu corporis factis, & affectibus à pituita & seroso humore, in capite prodeuntibus, vt cephalæâ, sopore, apoplexiâ, paralysi, copiosè exposuimus.

Fluxus verò alui seu diarrhœæ nomine,

Ventriculum à pituitoſo humore leuiter purgabimus & roborabimus, illique vti & ventri ad fluxum conſtringendum per admota exhibitaque medebimur, iiſdem præſidiis eademque ratione, vt in diarrhœa pituitoſa, & lienteria iam dictum fuit. Ea præſertim eligendo, quæ & caput ſimul reſpiciunt, qualia multa inter adſtringētia, veluti Nux moſchat. Galanga, Cyperus aliaque illic deſcripta inueniuntur.

Diarrhœa poſt morbos alios ſuperuenientis curatio.

Si febrem intermittentem diarrhœa ſequatur, illiusque causâ bilioſa per hunc fluxum expurgentur, iiſdem remedijs purgantibus, quibus in bilioſa diarrhœa vtimur, hîc quoq; procedendum, & poſtea iiſdem quoq; remedijs adſtringentibus, quib. in dyſenteria vtimur, fluxus eſt ſiſtendus, febris interim ſemper habitâ ratione. Quod & in febribus continuis obſeruandum erit, ſi per eum natura bilioſam materiam exoneret, in quibus etiamſi fluxus hic criticus ſit, non erit, niſi natura per eum admodum debilitetur, ſiſtendus: Sin verò aliàs ſuperueniat, vires dejiciendo, nihil boni portendit: tamen ad eum cohibendum, viresq; ſuſtentandas remedia adhibemus. Quod & in febribus peſtilentialibus faciendum, in quibus cùm de cauſa nihil detrahat, ſemper ſuperueniēs ille fluxus pernitioſus exiſtit.

Si in alijs morbis, hepatis, lienis eueniat, eadem erunt obſeruanda & prædicenda: In Phtiſi, Atrophiâ, Hecticâ febre, Hydrope ſuperueniens alui fluxus, lethalis plerunque: tamen & huic quamdiu conceditur, reſiſtenſtendum, ad morbum comitem ſemper interim reſpiciendo.

Lienteriæ curatio.

Lienteria, in qua cibus non mutatus, ſed vti aſſumptus fuerat, iterum redditur, ſi ratione aſſumptorum accidat, faciliùs ſanatur; Si ventriculi causâ eueniat, cùm magnam illius imbecillitatem eſſe oporteat, quæ cibos omnino non immutet, ſiquidem in aliis illius intemperiebus aliquomodo, ſi non omnino concoquitur, curationē difficiliorem reddit, & in ſenibus aliquando incurabilem. Qualis & ea eſt, quę grauibus, vt in diarrhœa dictum, iungitur morbis.

Methodus verò curandi pro ratione cauſæ inſtituitur; Quæ ſi fuerit intemperies frigida vel humida, vel alia imbecillitati ſimplici, vel cum humore crudo & pituitoſo iuncta, curandi ratio in imbecillitate Ventriculi abundè fuit expoſita, quo pacto hæc emendari debeant, eligendo præſertim ea in hoc caſu, quæ adſtrictione ſimul prædita, ventris fluxum poſsint compeſcere, tum ex illis quæ pituitam ſi illa redundet euacuent, tum quæ intemperiem alterent, ventriculumque ſimul roborent.

Euacuamus autem humorem, ſi ille ventriculo inhæreat, per Vomitionem, per quā fluxum ad inferiora factum ſimul diuertendo ſiſtimus: Quam ſicuti illic dictum, proin promouemus, imprimis illis quæ humorem ſi tenax ſit, ſimul abſtergant & incidant: Veluti Oxymelite ſimplici vel ſquillino.

Purgamus etiam eundem humorem exhibitis, quæ ventriculo ſimul accommodata ſunt, eumque roborant. Veluti pilulis leuioribus, de Hiera, Alephanginis, Aſſaiereth & Stomachicis dictis: vel fortioribus, Maſtichinis, de Agarico. Quorum loco in imbecillitate vētriculi deſcriptis illis, quæ cùm purgare, & ſimul roborare laxum ventriculum volumus, competunt; & ℞. Aloës præparatæ cum ſucco Abſynthij ℥. ß. &c. Vel ſequētibus, quibus alia quoq; purgantia adduntur & ℞. Aloës ſelect. & præpar. ℥. ß. Rhabarbari, &c.

Vel vtimur Vino medicato, in laxo, debili & pituitoſo ventriculo ibidem deſcripto, qui ℞. Rhabarbari ʒ. ij. Myrobalan. citrin. &c. Alijsq; formis ad ventriculum purgandum & ſimul adſtringendum illic traditis.

Clyſmata cùm ventriculus hîc potiſsimū laboret, magiſque quòd cibus incoctus dejicitur, quàm deiectio ipſa ſpectetur, hîc non adeò erunt neceſſaria. Niſi immoderata deiectio accedēs, vt in alijs diarrhœis ea requirat. Tunc ea ipſa, quæ in aliis alui fluxibus eum ſiſtere oſtendimus, hîc quoque locum habere poſſunt: Eligendo ad hæc ea, quæ ventriculum ſimul reſpiciunt; vel illis eadem erunt permiſcenda in decocto; veluti radic. Cyperi, Nuces cupreſsi, Abſynthium, Saluia, flores Roſarum, Stœchados, Roſmarini, ſimiliaque.

Roboramus ventriculum varijs exhibitis, in im-

in imbecillitate ventriculi expositis, seligendo quæ adstrictione simul aliquâ cùm sint prædita, in ventriculo laxo, humido præcipuè competere, illic ostendimus; vt sunt Nux moschata, & Gariophylli, comesta, quę in hoc casu parùm priùs torreri debent: Vel Mastiches grana duo vel tria aliquoties deglutita.

Vinum item, conuenitque hîc imprimis vetus, rubrum, stipticum, per se, vel post alia stomachica sumpta, quantitate mediocri bibitum. Vel illud medicatum, quod ℞. radic. Imperatoriæ, Galangæ, &c.

Cuius loco tale parabitur: ℞. radic. Tormentillæ, vel Bistortæ ℥. j. cortic. Citri ʒ. vj. Nucis mosch. Gariophyll. ana ʒ. iij. seminis Coriandri ʒ. ij. Mastiches ʒ. j. ß. conquassentur pro vino.

Vinum infusionis Musci arborei sunt qui probent.

Pulueres stomachici in imbecillitate ventriculi expositi, per se aliáve formâ, vt illic ostensum, vsurpandi, qui lienterię accommodari possunt; Sunt ex vsitatis pulueres Aromatici rosati Gabrielis & Mesuæi, Rosatæ nouellæ, Diagalangæ: Et ex de nouo illic compositis, numero Octauus & Nonus.

Atq; ex pulueribus qui post pastum dantur, ille qui ℞. Cinamomi ℥. ß. Casiæ arom. ʒ. ij. rad. Galangæ, &c.

Et ex illis è quibus tabulæ parantur: Qui ℞. pulueris Octaui vel Aromatic. rosat. ʒ. j. pulu. Noni, &c.

Vel fiat talis puluis: ℞. Nucis mosch. assæ ʒ. ij. Gariophyll. tostorum, seminis Coriandri præpar. ana ʒ. j. Coralli ℈. ij. Da cum Vino, vel addito Saccharo rosac. vel carne Cydon. fiat conditum vel electuarium.

Vel: adde huic pulueri nucleorum Granat. acetos. ʒ. j. seminis Oxylapathi, nucleorum Passularum ana ʒ. ß. aliáve adstringentia stomachalia, vt Acaciam, Lycium: Interdum & Myrobalanos parùm assas.

Ex aliis ventriculum laxum humidum pituitosum, adstringentibus & roborantibus illic descriptis, hîc quoque competentibus sunt, ex conditis tam humidis quàm siccis, Acori, cortic. Citri, Cydoniorum, Nucis mosch. Gariophyllorum.

Ex electuariis, Diacydonites cum speciebus, Acori palustris cum speciebus. Vel illud quod à nobis compositum: ℞. carnium Cydon. condit. ℥. j. ß. cortic. Citri condit. ℥. j. &c. Mixturæ item binæ sequentes.

Extrinsecus ad ventriculi intemperiem vel imbecillitatem corrigendam, & fluxum simul cohibendum, prægressâ euacuatione pituitæ, si illa redundent, multa in imbecillitate ventriculi exposita, præsertim adstrictione prædita, ob fluxum ventris hîc quoq; ventriculo admota, vti & ventri competent. Et præter hæc aliqua in diarrhœa descripta, si nimia deiectio hoc expostulet.

Inunctiones ex oleis, quæ cùm roborandum vel potiùs adstringendum, in imbecillitate ventriculi declaratæ sunt, hîc quoque locum habebunt.

Vnguenta item duo subnexa: Quorum vnũ ℞. olei Mastichini, Nardini ana ℥. j. &c. Aliud ℞. olei Myrtini vel Myrtillorum, &c.

Ceratum similiter stomachicum Galeni, vel illius loco illud quod ℞. radic. Aristoloch. longæ, Acori veri ana ℥. ß. &c. Vel aliud quod ℞. Mastiches ℥. j. ß. Thuris, &c.

Emplastra itidem, vt vsitatum de Mastiche, vel correctum illic descriptum, quod ℞. Mastiches ℥. ij. Thuris ℥. j. Storacis, &c. Vel emplastrum Diaphœnicon. Mesuæi: Aut de Panis crustâ Montagnanæ: quorũ omnium mentionem illic fecimus.

Cataplasma dein, etiam illic propositum, ex succis paratum, quod ℞. Mastiches ℥. ß. Thuris, Ladani, &c. illud vel solum, aut cum additione pulpæ Cydoniorum, vti illic ostensum, vsurpatum.

Vel paretur sequens: ℞. pulpæ Cydoniorum vel Pyrorum (vt in dysenteriæ cataplasmate dictum) ℥. iiij. medullæ Panis ex secale ℥. viij. coquantur in Vino generoso, & circa finem misce puluerem Cortic. citri ℥. ij. cortic. Granatorum ℥. j. Nucis mosch. ℥. ß. radic. Galangæ vel Cyperi ʒ. ij. Gariophyll. ʒ. j. Spicæ ʒ. ß. Absynthij, Mentæ sicc. ana ʒ. ij. Ladani ʒ. iij. Mastiches ℥. ß. optimè agitentur & contundantur, addendo olei Myrtillorum, Rosac. Omphacini ana ℥. j. ß. olei Nardini ℥. j. fiat cataplasma.

Fotus adhiberi etiam possunt, qualis in-

ter eos qui in imbecillitate ventriculi describuntur, ille est qui debilem ventriculum roborat, & ℞. radic. Acori veri, Imperator. &c. Vel alter laxum ventriculum constringens; qui ℞. cortic. Citri ℥.ß. cort. Granat. ʒ.ij. &c.

Ex sacculis ibidem descriptis conueniet ille, qui cùm validiùs adstringendum, ponitur: Vel alter qui ℞. Mastiches ℥.ß. Thuris ʒ.ij. &c.

Cucurbitula ventriculi regioni affixa, cibos diutiùs in ventriculo retinet, vti in vomitione dictum.

Lieteria ab humore acri vel bile, vt alimentis procedentis cura.

Sinapismo & Dropace aliq. quoq; vtũtur.

Si ab aliis causis lienteria fiat; veluti à bile alióve acri humore, ventriculum ad propulsionem cibi sollicitante & vellicante, tum vt is præsertim euacuetur, illiusque acrimonia infringatur, mox intendendum, fluxusq; alui, qui tunc magis vrgere solet, vti nonnunquam & simul vomitus, compescendus: Eodem ferè modo, similibusque præsidiis, in dysenteria, atque etiam in vomitu cholerico seu cholera morbo explicatis, per interiora exterioraque hæc administrando.

Si alimẽtorum assumptorum causâ Lienteria procedat, ab illis abstineant, & moderatam ac decentem victus rationem obseruẽt, qualis in imbecillitate ventriculi descripta fuit. Imprimis verò cibi non fluidi, sed qui substantiæ densioris & tenacioris cùm sint, faciliùs subsistunt, atq; interim tamen concoctionem non effugiunt, exhibebuntur; vt Caro minùs pinguis & humida, Caseus recens, Oryza, Pultes, sed sine lacte cocta. Adhibendo interim foris ventriculo, quę cibos retineant, medicamenta adstringentia, vti & cucurbitulá, sicuti iam demonstratum est.

Lienteria ab vlcere & cicatrice relicta eueniens, cura.

Si ab vlcere ventriculi lienteria proficiscatur, huic curando intenti erimus, sicuti in ventriculi exulceratione in Cordis dolore inde nato, explicatum fuit, atque interim fluxus ventris causâ, vt in diarrhœa dictum, procedendum.

A cicatrice relictâ, vti aliqui putarunt, si hoc fiat, exigua curationis spes, cùm illa nisi sponte minuatur, extergi aliâ ratione vix possit.

Fluxus hepatici curatio.

Fluxus hepaticus dictus, si dysenterię accedat sub finem, vti frequentiùs fit, prostratis iam viribus, hepate malè affecto, mortem plerunque infert. Alter quoque rarus affectus eiusmodi, vires admodum dejicit, cùm copiosa seri euacuatio plurimùm debilitet, vti in hydrope & diabete ostensum, heparq; calore præternaturali affectum sit & imbecille. Cui in curatione præcipuè remedia accommodantur, vt intemperies illius emendetur, illique appropriatis ei remediis robur addatur, & fluxus interim alui compescatur, vbi multa in dysenteria dicta etiam locum habere possunt. Quapropter à nimiùm aperientibus calidis cauere debemus potiùs, quàm illis venas ampliùs reserare, nisi quatenus quædam ex illis temperatoria, ad vrinas serum deriuant. Hæc sequentibus operandi modis præstantur.

Inter ea quę euacuationis causâ fiunt, Venæ sectio minimè necessaria, cùm sanguis hæc pauca in hoc affectu euacuatio, reuulsionem hanc non requirat, quæ vires prosterneret.

Rhabarbarum in dysenteria, sic in fluxu hepatico, cùm hepatis anima dicatur, vbi aliquid simul educendum etiam, valde conuenit. Daturq; vel puluis illius vel dilutum ad ʒ.ij. addito Spicæ ℈.ß. vel Cinamomi ʒ.ß. additis interdum & Myrobalanis, vel aliis, vt in dysenteria dictum: Vel fiunt pilulæ ex Rhabarbaro cum Mastiche, vt in diarrhœa notatum: Abstinẽdo hîc ab Aloë, cùm venarum oscula aperiat.

Clysmata non adeo hîc necessaria, quod tamen ex Lacte vti dictum præparato paratum, eodem modo vti assumptum prodesse poterit. Quòd si dolor aut aliud accidens superueniat, pro illius ratione, vel abstersoriũ leue, vel glutinans aut adstringens, in dysenteria descripta, vsurpari possunt.

Propinantur ad fluxum sistendum & hepatis intemperiem corrigendam, varia sequentia: ℞. syrupi Cydoniorum, de Rosis rubris siccis, Myrtini ana ℥.j. de Cichorea simplic. vel cum Rhabarbaro, de Endiuia ana ℥.ß. misce: Vtatur.

Vel fiat Iulep, diluendo aquis Plantag. fol. Quernorum, Endiuiæ, Hepaticæ.

Syrupus ex succo Hepaticæ coctus cum Saccharo, probatur.

Decoc-

Decoctum conueniens: ℞. radicis Asparagi, Acetosæ, Plantaginis, Fœniculi ana ℥.j. foliorum Hepaticæ M.j. fol. Endiuiæ, Agrimoniæ ana M.ß. Passularum cum vinaceis ℥. iij. fiat decoctio in Brodio vel Aquâ: Capiat scutellam sæpiùs. Hepar lupi puluerisatum ad ʒ.ß. miscetur vtiliter.

Lac quod glutinando oscula aperta recludat, quandoque conceditur, illis præsertim, quibus & cibus insuper est cõsuetus & gratus: Datur vstulatum; Ouillum cæteris præfertur, coctum, vt serum penitùs absumatur, quod similiter vstulari potest.

Amygdalogalon & Oryzogalon, Hordeatum simili ratione competunt.

Passulæ maiores vel minores, vel minimæ Corinthiacæ dictæ, cùm hepati sint amicæ, valdè probantur comestæ, præsertim cum granis: quod vt commodiùs fiat, priùs contundi possunt.

Rob passulatum fieri potest, coquendo illarum bonam quantitatem in Vino rubro, vel alio illoque generoso, si calor non obstet, & postea succum ex hisce diligenter exprimendo, rursumque in formam rob coquendo: Quod simplex vsurpatur, vel componitur aliis additis pulueribus, vti dicetur.

Pulueres qui per se propinantur cum Vino, Iusculis, Lacte, vel cum Rob passulato, carne Cydoniorum, additis interdum & syrupis incorporati, in forma electuarij dantur, vel cum Saccharo rosat. tabul. puluerisato, vel cum Saccharo & prædictis conseruis Rosarum, Cichoreæ, &c. cocto in tabulas formantur.

Primus: ℞. Coriandri præparati, seminum Oxylapathi ana ʒ.j. semin. Endiuiæ, Portulacæ ana ʒ.ß. Rosarum rubrarum ℈.j. Santali rubri & odorat. ʒ.ß. Coralli rubri ℈. ij. fiat puluis.

Secundus: ℞. seminum Acetosæ ʒ.j. seminum Securidacæ vel Cuscutæ, Nasturtij ana ʒ.ß. Spodij ℈.ij. pellicularum interiorum stomachi Gallinæ ℈.j. fiat puluis.

Hisce Hepar lupi præparat. ad ʒ.j. additũ, efficacissimum est, & virium causâ pulueres Diamargar. frigid. De gemmis, & similes permiscentur.

Tertius puluis: ℞. Rhabarbari, Hepatis lupi præpar. ana ʒ.j. cortic. Thuris ʒ.ß. Cinamomi ℈.j. Spicæ ℈.ʒ. fiat puluis; Vtatur per se, vel misceatur cæteris.

Ex vsitatis, puluis Diatrion santalorum & hepati & fluxui huic accommodatum est remedium, tum ob santala & rhabarbarum, quod in eo aliquando duplicatur; dein ob gummosa, venarum oscula occludit, & ob frigida, calorem contemperat. Datur tabulatum vel puluis illius per se, vel permistus reliquis pulueribus expositis. Hæc eadem etiam Diarrhodon Abbatis præstat, eadem quoq; recipiens, aliaq; plura idem efficientia, & in tabulis vel alio modo sumitur: Aromatico rosato, cũ tantus non est calor, maior verò vẽtriculi imbecillitas, etiã vti possum⁹.

Narcotica vigiliarum potiùs causâ, quàm doloris quandoque dantur, cùm noctu hic fluxus præsertim ægrum molestans, inquietum reddat. Inter quę Philonium Persicum cùm adstringat, vt in aliis fluxibus, sic & hîc pulueribus iam dictis permistum, si opus sit, exhibetur.

Extrinsecùs ventri applicatur ferè eadem quæ in dysenteria fuerunt exposita, cùm & hîc oscula venarum sint occludenda, fluxúsque sistendus, additis tamen hîc semper quę hepati etiam conueniunt, cùm illud abdominis sub hypochõdrio dextro spacium insigne occupet, atque eousque vnctio soleat extendi. Possumusque vti illic descriptâ inunctione, pulueribus, emplastris, cataplasmate: addendo simul hepatis causâ Absynthium, Eupatorium, Santalorum omnia genera, Spicam, Squænanthum, radices Asari, Spodium, Storacem calamitam, & similia.

Hepatis regioni, si caloris præsertim magni adsint indicia, quæ illud nõnihil cõtemperent & roborent, adhibenda, qualia in illius inflammationis principio adhiberi solent, illic descripta inunctio, quæ ℞. olei Rosac. Myrtini, cum succo Endiuiæ vel Cichorij. Item vnguentum Rosaceum & ceratum Santalinum, quibus adeps lupinus, qui tantopere in fluxu hepatico laudatur, addi poterit. Qui etiam comestus, si recens haberi posset, iuuare creditur. Dein &, calore præsertim exigẽte, Epithema repellens, ibidem descriptum, quod ℞. aquæ Rosarum,

&c. addito etiam Spodio, vsurpari poterit.

Renum sedibus, cùm magnum habeant cum hepate consensum, ex refrigerantibus in illius inflammatione expositis, quædam adhibere possumus.

Pedum fotus, aliorumque externorum in dysenteria expositorum vsus, hîc quoque conuenient.

Cœliacæ passionis curatio. Cœliaca passio seu fluxus alui chylosus, per quem chylus purus exit, frequens est affectus, infantibus præcipuè familiaris, nec adeò periculosus, nisi grauioribus affectibus copuletur, aut illi etiam alia diarrhœa accedat. In hoc casu, cùm ab obstructione venarum meseraicarum proueniat, accedente interdum hepatis imbecillitate, harúmque illi adnexarum venarum, vnde suctionis euenit defectus, obstructionib⁹ aperiendis primaria hîc curandi erit intentio, hisce præsertim quæ hepati simul sint conuenientia, nec aluum perturbare possint: abstinendo ab adstringentibus interim, cùm fluxus ille non adeò immoderatè fiat, nec illis vtendo, nisi apertâ obstructione, diarrhœa alia subsequatur, tunc etiam illa vsurpare possumus. Remedia autem fluxui chyloso competentia, præter multa, in hepatis obstructione explicata, sequentia erunt.

Ad pituitam, mucum, limum quæ venas obstruunt, deturbanda leuiter; Conferunt pilulæ leuiores eiusmodi: ℞. Rhabarbari ʒ.j.ß. Agarici ʒ.j. Cinamomi ʒ.ß. Spicæ, Squœnanthi ana ℈.j. fiat puluis, & cum Aqua vel succo vel syrupo Endiuiæ, vel Vino albo fiat pilulæ: Capiat ℈.ij. semel, vel si opus sit, iteret.

Vel: ℞. Prædictum puluerem, irroretur Vino albo per noctem, postea additis aquis Fœniculi, Apij veri, & Cichorij, fiat expressio, misce syrupi Ros. solut. de Endiuia, Capillorum veneris ana ℥.ß. fiat potio: Bibatur vna vice.

Postea conueniunt sequentia successiuè exhibita, Tabulæ Diarrhodon, Diatrionsantalorum; & si validiùs aperire volumus, Diacurcumæ, quæ omnia rhabarbarum simul recipiunt.

Vel detur hoc electuarium: ℞. conseruæ florum & condit. radicum Cichoreæ ana ℥.j. conseru. Capillorum veneris veri, vel Trichomanes ʒ.vj. conseru. radicum Apij veri vel Fœniculi ℥.j.ß. conseru. Eryngij radic. ℥.ß. pulueris Diarrhodon vel Triasantalorum ʒ.j. Diacurcumæ ʒ.ß. cum syrupo de Bysantiis fiat electuarium.

Aquæ stillatitiæ post tabularum vel electuarij vsum statim superbibantur, Fœniculi, Apij, Cichoreæ, Endiuię, addendo tertiam partem Vini albi.

Syrupus Bysantinus, de quinque, de duabus Radicibus, de Cichorea, de Endiuia, Capilli veneris sumi possunt, per se, vel diluti aquis iam dictis.

Vel decoctum hoc bibatur: ℞. radicum Cichorij, Fœniculi, Apij, ana ℥.j. radicum Eryngij, Pastinacæ syluestris ana ℥.ß. macerentur parùm in Vino albo, herbarum Capilli veneris, Sonchi, Endiuiæ ana M.j. Cicerum rubr. P.j. seminum Coriandri, Apij veri ana ʒ.j. fiat decoctio, & in colatura adde Sacchari q.s. aromat. Cinamom. ʒ.j. Sãtal. odorat. Squœnanthi ana ℈.j. Bibat tribus vicibus.

Vinum per infusionem ex iisdem radicibus factam, efficaciùs operabitur, addendo & Rhapontici, Rubiæ an. ℥.j. Cyperi ℥.ß. Absynthij, Eupathorij ana ʒ.ij.

Inunctiones ventris non ex adstringentibus, sed obstructiones soluentibus faciendæ, quæ cùm illarum vis ad mesenterij & omenti venas, vbi obstructio consistit, penetrare possit, aliquid quoque præstabunt.

Fiat igitur tale linimentum pro ventre; ℞. olei Amygdal. amar. ℥.j.ß. olei Nardini, Chamomel. vel Melilotini ana ℥.j. succi Apij vel Fœniculi, Vini albi ana ℥.j.ß. cocta priùs, vel alioquin inuicem agitata, inungantur, manibus Aquâ vitæ priùs madefactis, vel Vino, si hoc in linimento omissum fuerit.

Vel: ℞. prædictum linimentum, addendo Asari & Gentianæ ana ʒ.j. Spicæ, Squœnanthi ana ʒ.ß. seminis Apij ℈.j. Cerę q.s. fiat vnguentum.

Hepatis regioni si illius adsit imbecillitas, quædam quoque adhibentur, quæ in illius imbecillitate explicantur.

Cucurbita illius sedi admota, chylum eò rapere creditur.

Si diarrhœa alia fluxui chyloso iungatur vel superueniat, tunc si illa admodũ vrgeat, adstri-

adstringentibus, vt in lienteria dictum, intus forisque, sed leuioribus vti possumus. Quae alioquin vti dictum, omittuntur.

Deiectionis purulentæ curatio. Purulenta alui deiectio, si in dysenteria vel colico dolore accidat, curatio in illis affectibus iam fuit exposita: Vti & si ab hepate aut liene proficisceretur, cura in horũ morbis alibi est exposita.

A' mesenterij abscessu in vlcus conuerso, si diu perseuerans illa purulẽta deiectio proueniat, ægri plerunque malè habiti, discolores, longo tempore hoc fluore molestantur. Cui mederi cùm extra intestina vlcus sit, & ab eo in abdominis cauum facilè etiam aliquid de pure illabatur, admodum difficile; Interea tamen iisdem & propinatis atq; iniectis, quibus in dysenteria & tenesmo, si purulenta quoque in illis fiat excretio, vtimur, curam aggredi, in eaque si spes aliqua affulgeat, perseuerare possumus.

Deiectionis vnctuosæ & pinguis curatio. Vnctuosa & pinguis excretio, si ab assumptis pinguibus, coctione non transmutatis eueniat, & lienteriæ sit species, nõ aliam curam, quàm quae lienterię debetur, exigit. Vti nec aliam, si ob nimium talium ciborum vsum, in diarrhœa pinguia cum cæteris ejiciantur, quàm quæ diarrhœæ conuenit.

Facum alui per vomitũ excretionis curatio. Per viam aliam quàm podicem, quæ fit fæcum alui præternaturalis excretio; Si per vomitionem fiat, in Ileo, vti ostensum fuit, morbo, vel Herniâ, periculosa cura, cũ pauci euadant, existit: Et tunc causæ morbificæ, sicuti in illis affectibus dictum est, curatio potiùs accommodatur, & propter vomitum abominabilem, tetrumque odorem & saporem, quem infert, os faucesque Vino, Aceto aliisque odoratis & gratis abluuntur, ventriculusq; roboratur; alioquin in eo sistendo, ne sordes hæ retineantur, laborare minimè debemus.

Facũ alui cũ vrina excretionis cura. Per mictionem si stercora cum vrina prodeant, exulcerationi huic fistulosæ ceruicis vesicæ rectum intestinum permeantis, tota cura accommodabitur, qualis in purulenta mictione descripta fuit.

Facũ alui per vteri sinũ excretionis cura. Per sinum vteri si stercora exeant, similiter cura vlceri ceruicis vteri sinuoso, rectum etiam intestinum penetranti debetur: Qualis in ea exulceratione declarata fuit.

Facum alui per vulnera & fistulam excretionis cura. Per vulnus abdomini inflictum, intestina perforans, si alui fæces vel chylus elabãtur, cura ad vulnus tantùm dirigitur, quod si lethale sit, vti existit, si magna sit facta læsio, aut excrementa in abdominis cauum quoque se inferant cum sanguine, tunc cum morte hęc excretio finitur. Quòd si verò tale non sit, atq; in fistulosum vlcus vulnus hoc conuertatur, tunc excretio hæc permanens est, atq; incurabilis. Si verò vulnus hoc non solùm in cute & carne, sed & in ipsis intestinis, vel callo illic genito, vti cum aliquando deprehendimus, vel carne adnata, sicuti de vesicæ vulnere diximus; coalescat & obturetur, excretio hæc sordida, viuo remanente ægro, vti interdum accidit, aboleri poterit.

DE SORDIDA EXCRETIONE.

CAPVT XII.

Genera.



SORDIDA excretio, per quam sordes, hoc est alia excrementa præter ea quæ enumerata sunt, corpori alicubi se insinuantia, vel adhęrentia, inde abscedunt, sordiũ causâ, quæ omnes vitiosæ sunt, semper præternaturalis existit; cuiusmodi sordes in sequentibus locis se offerunt.

Auriũ sordes. In auribus eiusmodi sordes semper ferè colliguntur, indeque, cùm sponte vix prodeant, eximuntur, suntque plerunque ceræ instar croceæ & spissæ, nonnunquam & duriusculæ, interdum & aliter coloratæ. Hæ pruritum in auribus mouent cùm redundant, audituique impedimentum adferunt: sicuti in auditus læsione ostensum fuit, vbi & eas exactiùs descripsimus.

Narium sordes. In naribus sordes crassæ, nunc humidæ, nunc siccæ, albæ, flauescentes, nigræ, firmiter sæpè adnatæ, adeò vt ægrè & nonnunquam non citra læsionẽ inde auelli queant, hærent, naresque interdum opplent, quas Germani Böcken vocant, admodum cùm extrahuntur, illis qui eas vident, nauseam mouentes; præsertimque si infantes vel etiam

alij sordidi homines eas deuorent.

Oculorũ sordes. In oculis præter lachrymas & pus, sordes aliæ crassæ, albæ vel subflauæ oculorum angulis inhærent: idque in purulentis & lippis oculis, sicuti in hisce oculorum affectibus descriptum fuit.

Oris angulorum sordes. Labiorum angulis, quos frenas vocant, sordes similiter adhærent, vnde si diutiùs illic hæreant, nec auferantur, vt in negligentibus fit, exulceratio quædam earũ sedium quandoque exoritur.

Vteri sinus sordes. In obscœnis mulierum, sordes similiter copiosè interdum, præter alios fluores, coaceruantur, vnde fœtidus odor exhalat.

Cutis sordes. Cuti sordes multis in locis adhærent, tenuiores crassioresve, quæ odorem grauem, vt hirci interdum exspirant, in quibusdam, quos ac si ex longiore in vno loco morâ, ad gallinarum ouis incumbantium fotum alludentes, hoc vitium contraxissent, Brieteken nostri Germani vocant.

Pedũ interstitiorum sordes. In pedibus hoc frequentiùs accidit, illis quibus continuò pedes sudoribus madidi sordescunt & fœtent; consuetumque multis est vitium, maximè ęstatis tempore vrgens, valdè illis cum quibus versantur, molestum. In interstitiis digitorum pedum sordes crassæ & nigræ, frequenter cumulantur, admodumque fœtent; vti & nonnunquam sub axillis, aliisve in locis pilosis, in quibus faciliùs hærent.

Dentiũ sordes. Dentes præcipuè sordibus scatent & inquinantur, quibus sæpè toti obducuntur, aliàs circa radices potissimùm; Quæ nunc molles adhuc sunt, & albæ pultis instar, aliàs subflauæ, interdum duræ, tandem etiam tophaceæ: interdum & fuligo quædam illos denigrat.

Causa.

Bilis, causa sordiũ in Auribus. A Bilioso humore excrementitio, sordes illas croceas in auribus gigni, croceus illarum color & amaritudo summa ostendit. Quæ bilis sero permista, vti in capite naturaliter, sensim in aurium hanc cauitatem cum sero, quod eò quoque, vt aurium hunc meatum humectet, transmeare modò diximus, transudans, in eo coaceruatur, ita copiosius eò delata, aures nisi repurgetur, opplet, & diutiùs retenta, crassescit, tandémque, vti dictum, indurescit. Ab interiore auditus meatur, hanc prouenire, cùm tympanum non lædat, nec auditui, nisi extrinsecùs aurem obstruendo noceat, satis demonstrat.

Aquosus humor, causa sordiũ in Auribus & Narib⁹. Ab aquoso humore oculos irrigante, atque aures humectante, ob retentionem tenaciore reddito, oculorum sordes angulis adhærentes gignuntur, & sordes etiam aliæ quàm croceæ illæ in auribus proueniunt. Atque in obscœnis mulierum, ex madore illo has sedes alluente, maximeque si fluor vterinus adsit, sordes quæ fœtorem expirant, congeruntur.

Ab eodem humore pituitoso tenaci seu muco, nares alluente, ob aëris per nares attracti exspiratique calorem vel siccitatem exiccato, sordes illæ tenaces & siccæ naribus adeò validè affigentes, gignuntur, noctuq; pręsertim, si capite decliui iacente, mador quo nares madere solent, quò minùs ad nares feratur, prohibeatur, & sic exsiccetur.

Sudor, causa sordium in Cute & Pedibus. Ab exhalationibus & sudoribus, è corpore prodeuntibus frequentibus, odore graui præditis, quem hircosum, cùm ab hircis talis exspiret, nominant, in hominibus immundis, qui curam corporis negligunt, se affigentibus, cutis sordescens, fœtorem eum qui ab illius quibusdam locis, vbi magis se affigunt, exspirat, concipit: quod cùm in extremitatibus, quò natura hanc illuuiem propellit, faciliùs accidat, idcirco pedum fœtor adeò est frequens quibusdam, quibus & pedes continuò ferè tunc sudant & calent, idq; æstatis maximè tempore. Sudor quoque aliæve sordes cutis & strigmenta diutiùs in angustiis corporis retenta, si hæc loca immunda seruentur, vel in pilosis sedibus corrupta, ex eiusmodi locis exspirant, vt sub axillis, circa inguina, in obscœnis, & in interstitiis pedum digitorum frequenter accidit, vbi sordes collectæ moraq; crassæ & nigræ euadentes, teterrimum odorem exhalant.

Cibus, causa sordium in Dentib⁹ & Oris angulis. A' cibis sordes quæ dentes oblinunt, nascuntur, præsertim tenacibus, qui suo lentore continuo illorum vsu dum masticantur, nisi abluantur & fricetur dentes, successiuè illis veluti gluten adhærescunt. Ab iisdẽ in oris

oris diuisionis angulis hærentibus, sordes quæ illic sæpè hærent, & nisi abstergantur, tandem eas sedes exulcerant, emergunt.

Saliua, causa sordium in Dẽtibus. A saliua dentes sordidi similiter euadunt, cùm mucosa sit, maximeq; tunc si tenacitatem maiorem à cibo acquirat, vel à calida exspiratione, quæ eam, dum ore clauso dormiunt, exsiccando ampliùs incrassat: Sic autem dentes oblinuntur, cùm otiosi sunt, nec mandunt, & proin à cibo, à quo, solidiore præsertim, vt pane, inter masticandum aliàs abstergi & poliri solent, non repurgantur: vnde iis qui in vno oris latere cibos tantùm conterere solent, alterius dentes sordibus hisce inquinatos plerunque esse cernimus, limoque obductos; qui limus tandem etiam in tophũ conuersus, dentes nõ solùm discolorat, sed & inæquales reddit, quod à serosa & terrestri materia, quam saliua in se continet, dentibus sensim cum limo accrescente, vti & alios calculos gigni ostendimus, hic quoque prouenire solet, maximè illis in locis, vbi dentes minùs læues existunt, vt circa radices sub gingiuis, vel vbi aliàs læsi & attriti sunt, in quibus dentium sedibus primùm tophi adnasci, indeque sensim augeri, nisi abstergantur, donec totum dentem sæpè cooperiant, solent. Verùm & saliua putris & maligna, in lue Venerea, ex hydragyri vsu reddita, dentes inquinat & denigrat, simulque vt vacillent efficit.

Exhalatio calida, causa sordium in Dentibus. Ab exhalatione calidâ, in morbis calidis, aut malignâ, in febribus malignis aut pestilentialibus, vt simili modo dentes cum faucibus & linguâ inficiantur, proficisci potest.

Curatio.

Auriũ sordium cura. IN aurium sordibus, quo pacto procedendum, in auditus læsione quam interdum pariunt, declaratum fuit.

Oculorum sordium cura. In oculorum sordibus, eadem cura, quæ in epiphora & lachrymis exposita fuit, adhibetur.

Narium sordium cura. Narium sordes digito immisso, si impedimentum adferant, plærunque solent eximi; quòd si secedere nolint, priùs attracto liquore aliquo, vt lacte aliisve emolliendæ, & postea auferendæ.

Oris an-gulorum sordium cura. In labiorum angulis sordes, ciborum & saliuæ abstersione, præcauentur, atque amouentur: sin exulceratio sequatur, cura eadem erit, quæ & in aliis oris exulcerationibus.

Cutis sordium cura. Cutis sordes aliæq; adhærentes immundities, actuali ablutione & frictione tum faciei tum aliarum partium, & præsertim mutuâ manuum, quæ frequentiùs immundæ fiunt, Aquâ auferuntur, meliusque calidâ: Et si plures partes sordeant, in balneo. Vel si eiusmodi sordes ob glutinositatem aut pinguedinem pertinaciùs adhærescant, nec facilè cedant, illis abluendæ sunt, quæ præter detersoriam vim, etiam pinguedine quadã prædita sunt, quâ magis quàm aquea sola istis sese permiscendo, potentiùs in ea agere possunt. Qualia sunt Lixiuium, quod ex transcolatione frequenti aquæ per cineres fit, addito interdum si efficacius illud esse velimus, etiam Calce, quod lẽtore quodam pingui simul cum vi detergendi præditum est, cuius vi quæ manus inquinant, facilè cedunt: Inprimisq; si Sapone simul fricentur, qui iisdem viribus & potentiùs adhuc agit; vtpote ex cineribus, calce & ſęuo, donec durescat, coctus qui ad vsum, additis quandoque & odoratis, vt radice Iridis, asseruatur. Aliàs verò loco seui Oleum sumitur, & tunc Sapo mollior remanet, vnde & mollis ad differentiam duri, vel etiam niger ob colorem, & gallicus, quia illic sic ferè paratur, dicitur. Quibus saponum generibus, manus, adhibitâ aquâ vel lixiuio frictæ, spumâ inde suscitatâ, sordes quæcunque auferuntur.

Vrinâ propriâ si manus lauentur, æquè ferè ac lixiuio absterguntur.

Reliqua quæ manus mundas albas mollesque reddunt, in Comptoriis & Cosmeticis iam explicata sunt.

Pedum sordium cura. In pedibus sordes ex sudore contractæ, pedumque fœtorem efficientes, difficiliùs cùm sudores continuò redeant, abiguntur, pedumq; fœtor ægrè emendatur, diuque sępè perseuerat, & vicinis tædium adfert, vnde & maiorem curam requirit. Quæ & in hoc casu vti & axillarum fœtore, hoc pacto debet institui.

Purgatione indoneâ, sudorum, qui hisce vitiis ferè copulantur & occasionem præbent, materiam auertemus, eam humoribus & cor-

& corporis constitutioni accomodando.

Sudores postea vt similiter horum scaturigo è corporis superficie exhauriatur, promouendi, idq; sæpius si redire non desinant.

Abluendi vel fouendi dein pedes, vel etiam axillæ aliáve loca potenter abstergentibus & siccantibus, addendo semper ea, quæ simul bonum odorem hisce sedibus conciliant.

Hoc præstat inprimis Lixiuium, factum ex Cinerum in Aqua maceratione vel etiam decoctione, posteaque colatis, vel etiam sine colaturâ, eligendo interdum Cineres è lignis magis siccantibus vel etiam Ossibus vstis, miscendo si vehementiùs siccare velimus, Gypsum, Bolum, Tartarum, Sal, Alumen, Vitreolum.

Quæ & omnia vel aliqua ex illis in Aqua fabrorum decoqui possunt, vel in aliâ minerali aliquâ.

Decoctum Vitreoli solius in Aqua factum admodùm operatur.

Quibus omnibus boni odoris causâ incoquimus herbas odoratas, Saluiam, Spicã, Lauandulam, fol. Myrthi, Absynthium, Vinumq; permiscemus. Aliasque herbas adstringentes, ad validiùs siccandum.

Applicationes ex Myrrha cum Alumine, Cardui radice, laudat Dioscor. Asphodeli item radic.

Thermarum siccantium, si perseueret malum vsus valde iuuat, &c.

In obscœnis sordes grauem odorem & marito molestum parientes, quo pacto auferri vitiumque hoc corrigi debeat, in fluoris uterini, qui illius quoque causa existit, curâ declaratum fuit.

Dentiũ sordium cura.

Dentium sordes, cuiuscunq; generis tam albæ quàm flauæ, aliàs fuliginosę nigræ, plęrunque tophaceæ, sequentibus modis auferuntur.

Repurgando primùm frequẽter eos à cibis, illorum interstitiis inter masticandum inhærentibus, cùm ab illis corruptis sorditiem quoque acquirant; idque dentiscalpiis atque collutione oris.

Dentiscalpiis extrudi debent ciborum reliquiæ, quando illic subsistunt. Quæ ne cõtinuo vsu dentes lædantur, ex ferro minimè parari debent, & proin nec acie cultri, vti cõmuniter sed malè fit, illud moliendum, cùm succo acri qui illi inest, dentes, crebriori eius vsu, tandem vitientur. Sed ex ligno vel osse firmo & flexili tenuiter incisis, vel per se sic fabricatis, vt dentium spacia subintrare possint; quales sunt Spinæ piscium aliquæ Tẽdines item ossei pedum gallorum vel aliarum auium maiorum, Clauiculæq; quarundam.

Vt simul dentes firment, odoremq; gratum insuper aliquem concilient, ex lignis peculiaribus quibusdam fiunt, vt Lentisci, Myrthi, Lauri, Iuniperi, caulibusque Fœniculi, aliisque similibus, quæ Moscho interdum imbuuntur.

Ex radice Altheæ dentiscalpium conueniens paratur, cùm metuimus ne duriora gingiuas atterant: Fitque radicem sub cineribus calidis vel in furno priùs exiccando, & postea in longas laminas tenues & acutas secando.

Collutione oris, cibos ex interuallis dentium quoque eluimus, Aquam in os è vase vel volâ manus hauriendo, atque validè vt dentes vndique alluat, in eo agitando.

Abstergendo à dentibus sordes, fuliginem & tophos, eos nitidos reddimus, & ad naturalem album colorem reducimus, quod variis modis perficitur.

Frictione potissimùm, quæ sola per se digito vel panno linteo, vel etiam laneo coccineo imprimis facta, dentes mundos reddit, & ne quid ipsis perseueranter adhæreat, impedit: Eoque magis, si hoc quo frictio fit, vi simul efficaci abstergẽdi præditum sit. Vt si cortice Nucis arboris exteriore ab interiore viridi cortice mundato hoc fiat, vel aliis abstergentibus corticibus aut membranis.

Dentifriciis dictis potentiùs hoc perficitur: Quæ ex pulueribus fiunt, qui vel per se digito aut panno linteo madefactis priùs excepti, partimq; illis adhærentes sic adfricantur: Vel priùs infusione gummi Tragachanti aut Arabic. facta in aqua Rosarum aut alia odorata, incorporati, suppositoriorum instar formantur, & ad vsum siccantur, vt cùm opus est, illis dentes fricentur. Excipiuntur interdum & Melle, & sic pultis instar adfricantur.

cantur. Quæ per vices tantùm,cùm ſordeſcunt, aliquoties vſurpari debent,ne nimio ipſorum vſu,ſimul dentium ſubſtantia atteratur.

Pulueres autem,è quibus dentifricia hæc fiunt, deſumuntur ab illis,tum quæ actu illuuiem illam,dum dentes illis fricantur,abradant,ſicuti cùm arenâ vel aliâ terrenâ materiâ adhibitâ, vaſa mundantur, tum quæ potentiâ ſimul vi ſiccante & abſtergente illud agant. Qui tamen ne dentes aſperitate ſua exaſperent, aut etiam de ipſorum ſubſtantia aliquid inſuper deterant, minutim contriti & læuigati eſſe debent.

Quod cùm faciliùs fiat,ſi friabilia & leuia ſint,à quibus hęc petuntur,idcirco communiter vſurpantur pulueres Oſsis ſepiæ,ex alba & fungoſa illius ſubſtantia; Item Oculorum vti vocant cancri, & ſpongioſorum lapidum,vt Pumicis & Spongię: Dein & Halcyonij ſeu Spumæ maris.

E quibus aliqua etiã priùs vt vehementiùs abſtergant, interdum vruntur: vti Pumex,cuius loco Carbone foſsili eouſq; combuſto,vt pumicem referat,vti poſſumus.

Ex ſolidioribus & durioribus quæ ſumuntur,egregiè comminui debent,vel potiùs ſi ægrè hoc fiat,vt friabilia fiant,priùs vri,à qua vſtione nouam inſuper, vti dictum,abſtergendi vim acquirunt: In vſuque ſunt præcipuè pulueres Cornu cerui, aliáve, Ebur, Denteſque varij vti & equi,Concharum omnium genera & Cochlearum terreſtrium teſtæ: Atque oſſa ſeu nuclei fructuum quorundam, vt Dactylorum, Myrobalanorum, Oliuarum , Nucum cupreſsi: Quæ omnia vſta priùs potiùs quàm non vſta rectiùs adhibentur. Vti ex lapidibus,puluis Alabaſtri, vel Specularis lapidis, aliorúmve qui faciliùs atteruntur, vel ſi difficulter hoc fiat,priùs vruntur; Vti & ex Terra vſta, Tegulis minutiſsimè contritis.

Ex mollioribus quoq; & humidioribus aliqua vſurpata,in furno vel ſub cinerib. priùs ita exiccantur vel vruntur, vt in puluerem redigi queant; Veluti Panis illiúſve cruſta, pręferturq; Hordeace⁹ vel ex Rogga ſalitus.

Item ex plantis, Pimpinella, Parietaria, Beta,Capillus Veneris,Caules,folia Myrthi, Lentiſci, Oleaſtri, atque ex odoratis, Pulegium, Origanum, Hyſopus, Menta, Saluia, Roſmarinus, ſeparatim vel plura inuicem, aut cum ſupradictis ſimul vſta & in cineres redacta.

Hiſce odorata varia vt ſuauem inſuper anhelitum cõcilient, permiſcentur,veluti pulueres aromatum,imprimis Cinamomi,Gariophyllorum,Ligni Aloës,ſimiliúmve. Vel etiam plantarum odoratarum,vt Maioranę, Pulegij , florum Lauendulæ, &c. radicis Ireos: Dein & Moſchus.

Et ad gingiuarum corroborationem , ſi præſertim laxæ ſint aut conſumptæ, Maſtiches, Thuris, aliorúmve quę putredinem arcent,vt Myrrhæ pulueres: Quòd ſi dentes corrupti ſint, quæ in illis competunt,ſicuti in hiſce affectibus dictum eſt,vſurpantur.

Atque ad pituitam inſuper educendam, radix Pyrethri, ſemen Sinapis,Piper,Zingiber,vel etiam Hellebori tantillum,ſi ea redundet,additur.

Succi terreſtres ſalſi aliqui non tamen erodentes,abſtergendi vi quâ pollent,vtiliſsimè ad dentes mundandos illis affricantur, cùm aſperi non ſint,facileque comminuantur,& ſponte diffluant; Veluti Sal,quo cùm ſemper ad manus ſit, communiter dentes fricantur; vel cæteris pulueribus ad vim eorum intendendam,& vt gratiores ſint,ferè ſemper additur. Conuenitque tam commune quod coctum eſt,quàm foſsile,quòd ſal Gemmæ vocant. Idem Alumen & Nitrum præſtant , magiſque tam ſal quàm hæc adhuc agunt, ſi ſupra tegulam ardentem fuſa, aſſentur, ſicque vſtis, vti vocant, vtamur.

Salis Alkali,quod ex cineribus Kali plantæ conficitur,diſſoluti cum contritis lapidibus pro vitris conflandis, innatans veluti pinguedo, quæ refrigerata dureſcit lapidis inſtar, atque Axungia vitri vulgò appellatur, pulueriſata dentes mirè nitidos & politos reddit.

Tartarum Vini albi validiùs eos extergit,nõ ſolùm,ſed cæteris additis,adhibitum.

Compoſita varia ex enarratis fieri poſſũt; E multis hæc ſunt faciliora: ℞. Oſsis ſepiæ ʒ.ß. Corallorum ſubtiliſsimè attritorum ʒj.

Cornu Cerui vsti ʒ.ß. Salis ʒ.ij. vel plus, fiat puluis.

Aut: ℞.Pumicis ʒ.ß. Alabastri leuigati ʒ.j. Eboris vsti ʒ.ß. Axungiæ vitri ʒ.ij. fiat puluis.

Vel: ℞.crustę Panis tostæ ʒ.ij. Oculorum cancri ʒ.j. Ossium dactylorum vstorum ʒ.ß. cinerum Rosmarini ℈.j. Aluminis vsti ʒ.ß. fiat puluis.

Hæc addito tantillo radicis Angelicæ vel Ireos, vel Cinamomi, aut Gariophyllorum, aut guttâ vnâ aut alterâ olei ipsorum, odoratiora reddi possunt. Vel infusione factâ in aquâ Rosarum moschatâ, in dentifricia reduci. Addendo & parùm Mastiches, ad robur dentium, aliáve ex jam dictis simplicibus.

Succis plantarum quarundam dentes fricati purgantur. Vt de succo Pimpinellæ scribitur. Et succus radicis Cyclaminis idem illud efficit.

Aquis quibusdam stillatitiis panno linteo digito vel bacillo obuoluto exceptis, dentes fricati, similiter repurgantur; Conuenitque sequens: ℞.Salis communis vel gemmæ vel fossilis ʒ.iij. Salis ammoniaci ℥.j.ß. Aluminis ℥.j. Trita & dissoluta cũ pauca aqua Rosarũ vel Limonũ, destillationi subjiciantur.

Fortis appellata aqua, si diluatur iisdem aquis, cousq; vt innoxia fiat, & dentibus vti dictum, adhibeatur, eos egregiè ab immunditie omni repurgat, vti & eâ quæ in Lue venerea dentibus adnascitur.

Oleum seu spiritus Vitreoli dilutus quoque eodem modo applicatus, similiter operatur.

Collutione oris, non tantùm cibos qui illis inhærent abluendo, vti dictum, sed & sordes & fuliginem, quæ noctu ab exspiratione se illis affigit, abstergendo, dentes mundos reddimus, vel saltem ab immunditie præseruamus: Si matutino semper tempore os diligenter aquâ, addito interdum & Vino, vel pauco Aceto aliisve, colluatur, eoque magis si insuper dentes perfricentur, & tunc quoque si necessitas exigat, dentifricia adhibeantur, eaque rursum hac quoque collutione eluantur. Quæ si fierent, atque dentes ordinariè ita abluerentur, cùm non minùs quàm manus continuò inquinati, jugi ablutione etiam opus habeant, mundi & sani ad extremum sæpè senium vsque, nisi vis alia accederet, conseruarentur; cùm è contra his neglectis, mundi, albi, & incorrupti minimè possint permanere.

Masticatio ciborum facit, vt dentibus minùs sordium adhærescens eos inquinet, vnde & eo in latere, vbi ob dentes vitiatos, cibos non mandere solent, dentes citiùs inficiuntur, tophiq; illisq; accrescunt, ob eamq; causam, si fieri potest, eo etiam in loco interdum cibos manducare assuescant, sic enim successu temporis de adnata illis materia semper aliquid decedet.

Dentiscalpiis cùm cibi dentibus infixi extruduntur, ab iisdem quoque, & præsertim ipsorum lateribus semper aliquid aufertur, quod dum fricantur, in interstititio hærens, attingi nequit, & proin non ita vt quod in superficie ipsorum est, auferri. Hoc validiùs præstabunt, si ligna vel radices, ex quibus dentiscalpia, vt suprà dictum, fiunt, in aqua salsa vel aluminosa coquantur, vel priùs in ea tingantur.

Instrumentis ad id aptis, quæ ex ferro puro lata vel acuta in hunc vsum formantur, Tophi spissiores aliquando ab ipsis abrumpuntur vel abraduntur.

DE ANIMALIVM EXCRETIONE.

CAPVT XIII.

Genera.



ANIMALIA quædam in corpore genita, quę viuunt & mouentur, toto genere prętor naturam sunt, vti & ipsorum excretio. Suntque vel ex vermium genere, & proin Vermes appellantur, vel insectorum, Pediculi nominati. Nam quòd pulices attinet, an & illi in corpore humano gignantur, dubium, vti verò, quòd alibi geniti, corpus inuadant certum existit.

Vermes, qui vermibus aliis extra corpus natis nonnihil correspondent, atque assimilantur, diuersimodè formati, è variis corporis sedibus prodeunt. *Vermes per alui excreti.*

Longi

Lubrici. Longi Vermes quia lumbricis terrestribus admodùm sunt similes Lumbrici appellantur: Suntque teretes, vtrinq; in extremitatibus vti & terrestres acuminati, nec rostrum nec caudam exprimentes, subalbidi & duri, infantibus admodùm familiares. Qui nunc plures nunc pauciores numero, priùs plerunque extincti rejiciuntur, nonnunquam tamen & viui excernuntur.

Ascarides. Accidentia varia eiusmodi lumbricos comitantur; è quibus leuiora sunt, Ventris torsiones, Cordis rosiones, Singultus, Tussicula sicca, Pruritus narium, cuius causâ eas continuò perfricant, Dentium stridor, Inquietudo, Insomnia grauia: quorum causâ à somno subitò, & sæpè cum clamore expergefiunt. Grauiora, quæ superueniunt interdum, sunt Boulimos, Vomitus, Alui profluuium, Lienteria, Febres, Conuulsiones, Animiq; deliquia.

Breues vermes qui per anum exeunt Ascarides vocantur, suntq; rotundi, caseo innascentibus vermibus, aut illis qui in vlceribus nascuntur, non absimiles. Qui viui è podice cum excrementis extra eum protruduntur, aliàs sponte emergunt, Pruritu maximo circa ani sedem molestiam exhibentes, & vix dum grauiora accidentia inferentes.

Hisce vermibus per aluum reddi solitis, Latos lumbricos dictos adnumerant: verùm cùm non vti iam dicti vermes viuant, aut moueantur, sed membranæ sint longissimæ, in corpore crescentes, in inanimatorũ excretione eas explicabimus.

Vermes ex ore prodeuntes. Ex ore Lumbrici quales per aluum excerni modò offendimus, nonnunquam prodeunt, quod infantibus dum dormiunt, aliquando contingit, interdum & aliis, etiam alio tempore, nauseam sæpè & vomitum mouentes.

Dentiũ vermiculi. In dentium interioribus, vermiculos nasci aliqui crediderunt, fortè fibris dentium decepti, quæ vti in maiorum ossium cauitatibus, sic & in dentibus cõfractis inueniuntur, aliique neruos, alii vermes esse crediderunt: Nisi fortè in excauatis & putridis dentibus hoc accidat.

Vermes è naribus emergentes, E' naribus iidem lumbrici qui ex ore aliquando prodeunt, vti dictum, etiam exeũt, pruritum narium mouentes.

Narium vermes. Vermiculi exigui in narium exulcerationibus emuncti fuerunt.

Vermem pilosum, Salamandræ instar, multis pedibus constantem, è naribus mulierem per sternutationem excussisse, cùm longo priùs tempore pruritum, circa frontis regionem sensisset, Bergensis Medicus, sanctè affirmans se vidisse, mihi indicauit.

Auriũ vermes. Ex auribus vermiculos aliquando emergere, cum pure, in auriũ vlceribus demonstratum fuit.

Vermes tussi reiecti. Per tussim vermes in phtisicis aliquando eiectos fuisse, aliqui testantur.

Vermiculi mictione redditi. Per mictionem cum vrinâ, quales in caseo putri gignuntur, exiguos, illisq; omnino similes viuos innumeros, vrinæ innantes, sed mox fundum petentes, illicq; extinctos conglomeratim iacentes, à colico ægro emictos vidimus, sicuti in eo affectu huius rei quoque mentionem fecimus. Postea idem in alio ægro euenisse obseruauimus, atque alios quoque hoc obseruasse legimus.

Vermes in vlceribus. Ex superficiei corporis externis vlceribus vermes prodeunt, sicuti in vlceribus vermicosis ostensum fuit.

Vmbilici vermes. Ex vmbilici profundo, vermem rotundũ longiusculum, quales in farina nasci solent, se nonnihil exerentem, moxq; denuò subducentem, vidimus.

Vermes ex abdominis vulnere. Ex ventris aliâ aliquâ sede, Lumbricos emersisse, quidam testantur, in vlceribus profundis abdomen atque intestina penetrantibus, per quæ lumbrici intestinorum prodierunt.

Dracũculi. In brachiis, cruribus, suris, interdum & lateribus, vermes se in affectu quodam exerere, quos Dracunculos vocant, German. Mittfroß/scibunt. Quorum vtique nobis incognitorum descriptionem aliis concedimus.

Vermes corpori inclusi manẽtes. Præter hæc vermium genera, alii in aliis corporis sedibus internis nati, illic, cùm nullus inde ipsis pateat exitus, abstrusi permanent, quales post mortem in corporibus sectione apertis, nonnunquam deprehenduntur, de quibus dum viuerent, licèt illis infestarentur, ipsis aliis morbis affectis, vel om-

nino nihil, vel saltem certi nihil constabat, vti nec Medicis, qui eorum curam habebãt. Hi vermes ad excreta minimè pertinent, sed ad alia accidentia, quibus incommodant, vbi & explicantur, referuntur.

Vermis sub corde.

Sub corde illiusque inuolucro, sic vermes generari, illicque latere, & punctione aliquâ molestiam exhibere, aliqui prodiderunt, sed locum aliter nõ exprimunt, falsi fortè, quod cùm si lumbrici ad orificium ventriculi vsque ascendant, & statim sub corde illud occurrat, & proin cor dicatur, illudque vellicent, eos sub corde consistere existimarint. Neque enim alibi, vel in ipso pericardio, minusque sub eo, cum septo connatum sit, generari aut subsistere possent.

Pediculi, animalcula exigua sic appellata, è variis corporis superficiei sedibus emergunt, & pruritum admodùm sępè molestum mouẽt. Quam molestiam inde natam, Phtiriasin, Pedicularem morbum appellant. Horum genera pro ratione partium quas occupant, primùm distinguuntur.

Phtiriasis. Pedicularis morbus.

Pediculi in pilosis sedibus.

In pilosis corporis sedibus plerumq; certatim proueniunt, maximeque in capitis capillis, frequentiùs in infantibus & mendicis, nonnunquam & in aliis immundis hominibus, qui plerunque iis scatent, in aliis pauciores inueniuntur. Hi postquam excreuerunt, latiusculi sunt, pedesq; plures obtinent, eosq; æquales, cùm saltem repant non saltent, nigraque maculâ aliquando in dorso notantur: aliàs aliter se habent; & Pediculi nomine generali appellantur. Quòd si verò modò nascantur, minimeq; adhuc vt vix cognoscãtur, existunt, tunc priuatim eos Lendes Latini, Germani Nüss vocant.

Lendes, Nüss, Germ.

In barba & palpebrarum ciliis ac superciliis, eiusmodi quoque interdum deprehenduntur, illisque in locis pruritum excitant; sed exigui plerunque sunt, cùm postquam augeri incipiunt, facilè de loco non adeò spacioso depellantur.

Sub axillis in pilis illic latentibus, pediculi similes quandoque oberrant.

Vermiculi capillos erodẽtes.

Ab aliis pediculis, quos & ventriculos vocant, visum penè subterfugientibus, capillos capitis & barbæ rodi & findi, aliqui docent.

Pediculi cuti impacti, Mortpions Gall. Filtzläuß Germ.

Circa pudenda in pilosa cute, impacti atque inserti inueniuntur pediculi, alterius generis, vehementer pruritum & lancinationem mouentes, & pertinacissimè hærentes, quos Germani Filtzläuß, Latini pediculos Inguinales, Galli Mortpions vocãt: fortè quòd non adeò absimiles pediculis in columbario natis, qui pullos columbinos quandoque interficiunt. Hi nonnunquam alia quoque loca perreptantes, alibi se cuti quoque inserunt.

Chirones pediculi manuũ, Süren Germ.

In nuda manuum volâ plerunq;, vix dum aliis in locis, nisi fortè in plantis pedum hoc quoq; vti aliqui voluerunt, accidat, peculiare genus pediculorum, sub cuticula latitans, ex leui tuberculo seu fissurâ illic apparente, prurituq; indesinente illic solùm molestante, deprehenditur, adeò vt vix dum etsi eximantur, nisi speculo lucido imponãtur, possint cognosci, motusque ipsorum obseruari. Hos Sirones Germani Süren appellant, rectiùs fortè Chirones, cùm manus occupent.

Causa.

OMnia enarratorum & vermium & pediculorum genera, vel ex succo aliquo, vel sordibus generantur.

Ex succo quodam per calorem excocto aut putrescente, Vermes gignuntur; qui vel chylus est, vel pus, aut alia crassa materia.

Chylus, causa Lumbricorum.

E chylo in ieiuno præcipuè intestino, vbi abundat, Lumbrici intestinorum gignuntur, si portio illius, quæ à venis meseraicis non exsucta est, vel quia crassior, aut veluti carnosior & pinguior, calore intestinorum diu elaborata, sic formam & vitam assumens, in lumbricum vnum vel plures conuertatur. Talis autem chylus certorum ciborum vsu producitur, vnde portio illius eiusmodi, ad lumbricos procreãdos idonea, gigni potest. Ob quam & causam præcipuè infantes, si carnibus nimis maturè vesci assuescant, nec in conuenienti ipsis lactis vsu diutiùs perseuerent, lumbricis tam facilè infestantur. Qui lumbrici vti à succo hoc primùm nascuntur, sic & postmodum eodem aluntur, ac si eum immoderatiùs absumant,

appe-

appetentiam nimiam excitant. Et si intestina perreptant, ea titillando, vellicando & sugendo, fatigant, torsionesque & alui profluuium mouent. Atque si ad ventriculum vsq; ascendant, quò facilè à tenuibus transire possunt, tunc & eum molestando, concoctionemque perturbando, alia ventriculi affectus accidentia, atque inter ea etiam lienteriam producunt, & si os ventriculi rodant, cordis & cerebri symptomata procreant. Et si inde sursum in fauces & nares vsque tendant, illicque prodeant, illis quoque in locis molestiam pariunt. Longè autem grauiora, si mortui putrescentes, in tenuibus intestinis hæreant, accidentia inferunt, vapore tetro cor cerebrumq; afficiendo, & febres conuulsionesque excitando. Sed & lumbricos diutiùs retentos, adeò intestina rodere posse existimarunt, vt non solùm ea perforent, sed & ventrem, atq; per eum iuxta inguina aut vmbilicum erumpant, quod haud verisimile, cùm nec rostro acuto vel aperto, nec dentibus præditi esse conspiciantur, & sugendo hoc minimè posſint efficere. Quapropter si illis in locis vermes prodeant, hi certè in sedibus illis exterioribus in abscessu aliquo facto nascentur, & lumbricos minimè, sed vermes quales in vlceribus gignuntur, referent. Vel si ab intestinis lumbrici emergant, vulnus in hisce sedibus præcesſisse necesse est. Quòd si lumbrici à tenuibus intestinis deorsum, vnà cum excrementis depulsi, in colon ferantur, tunc si mox procedant, viui adhuc per podicem exeunt, vel si excrementis permisti diutiusque retenti, priùs extinguantur, mortui cum fæcibus ejiciuntur.

Mucus seu pituita, causa generationis Ascaridũ, & Vermium in naribus.

A putrescente materiâ ascarides cæteriq; minores vermes nascuntur, quę ex putredine calorem nouum adepta, tales vermes diuersimodè pro materiei diuersitate formatos producit: Cùm materia hæc non simplex semper, sed composita mistáve aliis existat.

A pituita vel muco in crassorum intestinorum gyris diu retentis, Ascarides sic gigni possunt, diuque sępè latere, donec ab excrementis ad ani exitum vsque propellantur. Ab eadem in narium antris diu hærente & putrescente, Narium vermiculi nascuntur; Et eruca illa villosa, quam mulierem sternutatione eiecisse è naribus diximus, prodiit.

Pus, causa generationis vermiũ in vlceribus Narium, Auriũ, reliquorumq; & Pulmonum.

A pure, non solùm maturato, sed putri insuper reddito, in vlceribus, Narium, Aurium Externisq; vlceribus, vti & eo, quod in vmbilici interioribus latebat, vermes qui ex hisce sedibus prodeunt, gignuntur: Vti & ab eo, quod in pulmonibus coaceruatum, in ipsorum exulceratione, illi qui expuuntur: Et si in dentibus inueniantur, ex putredine in cauis illis existente, oriuntur.

Cibi sumpti putrescẽtes forte causa generationis Ascaridum & Vermiculorum dentiũ, & qui mictione redduntur.

Ab assumptis cibis qui facilè putrescunt, vt carnibus caseo & fructibus, si de illis aliquid in intestinorum crassorum anfractibus hærens putrescat, ascarides fortè frequentiùs, quàm à pituita, vti dictum, procreantur, cùm & hæc extra corpus putrescentia, mox vermibus scatere videamus: quod in corpore rariùs, cùm nõ nisi diu retineantur, quod vix fit, accidit. Possent & eadẽ assumpta, si diutiùs in dentium cauo hærerent, putredine vermiculos illic gignere.

A caseo vermiculos quosdam genitos, cum vrina excretos fuisse, priùs ostendimus, idemque comprobare videtur, quòd illi, vermiculos quales caseo putri innasci solent, omnino repræsentabant, ægerque sicuti in colico dolore ostendimus, caseo dum sanus erat, immoderatè vtens, illius quantitatem post vsum clysmatis per aluum reiecerit. In quo caseo, diu in intestinorum saccis retento, putrescente, verisimile videtur, hosce vermiculos natos fuisse, & per venas meseraicas, cum sero in venam cauam, indeque in renes & vesicam peruenisse, vrinæque sic se commiscuisse. Quod eò faciliùs, cùm minutisſima sint corpuscula, fieri potuit, cùm & crasſiores humores, & corpora quædam aliquando per eandẽ viam in venas transmearint. Quâ ratione fortè & in aliis, qui vermiculos tales minxerunt, hoc casei assumpti, & iam vermibus scatentis, vel retenti & primùm in intestinis ex putredine eiusmodi vermiculos producentis, causâ accidisse, credibile: cùm ab alia putredine humorum, vel in venis vel extra has factâ, hoc non procedere, illud innuere videatur, quòd putredo

eiusmodi frequenter accidat, rarisſimum verò ſit, tales vermiculos per vrinam reddi, & quod non tam exiles, ſed aſcaridum inſtar aliáve formâ, ſicuti aliis in locis ex putredine naſcuntur, generarentur, quales per vrinam excretos fuiſſe, neminem annotaſſe nouimus, quod &, tales vermiculos, non ex renũ vel veſicæ vlceribus promanaſſe, cùm in vlceribus aliâ quoque formâ prodeant, ſimiliter comprobat.

Sordes cutis, cauſa generationis Pediculorum. Ex ſordibus cuti adhærentibus & impactis, Pediculi naſcuntur. Quæ ab exhalationibus, ſudoribus, cutiſque excrementis, tum in ſuperficie cuticulæ, tum ſub ea collectis retentiſque & coaceruatis, infantibus ſi ipſorum cura negligatur, aut mendicis, aliiſve impuris & immũdis hominibus proficiſcuntur, certiſque in locis vbi putreſcunt, ob id animalcula eiusmodi inde generantur. Fitque hoc potiſsimùm in piloſis corporis ſedibus, cùm pertinaciùs ſordes illis pilis adhæreſcant, minusq; quàm in glabra cute abſtergi queant: præcipueque in capitis denſa ſyluâ pilis obſitâ, vbi proin frequentiùs gignuntur, minuti quidem ab initio, cutique penitùs inhærentes, ſed qui cuticulæ nutrimento alti, mox increſcunt, atq; per caput oberrant, nonnunquam & vlteriùs vti & in veſtes, indeque in vicina corpora exſpaciantur.

Quod ſi pręter humiditatem illam excrementitiam, ſordes hæ vitium ſimul aliquod in ſe habeant, aut contrahant, veluti circa pudenda, vbi virus in immundis hominibus deterius exhalans, illuuiem deteriorem piloſæ cuti impactam producit, tuncque pediculi peiores profundiùs cuti inſerti, quos Inguinales vocant, generantur. Qui in concubitu, iunctis his ſedibus piloſis, vel etiam aliàs corpus inuadunt, cutique pertinaciter inſiguntur.

Humorũ Ichores, cauſa generationis Chironũ pediculorum. Ab ichoribus humorum, vnde ſcabies gignitur, ſub cuticula craſsiore in vola manus alicubi retentis corruptiſque, minutiſsimos illos pediculos ſub cuticula latentes, Chirones nominatos, generari inde liquet, quòd & puſtulæ & ſcabies vel aſperitas illius cutis, ſimul ferè ſe offerant.

Verùm quòd in hac ſede potiùs quàm aliâ hoc fiat, craſsities cutis volæ manus fortè in cauſa eſt, quæ vt excremẽta hæc tenuia minùs diſſipentur, efficit. Quod & ſi in plantis pedum hi quoque naſcantur, eandem ob cauſam euenit.

Curatio.

Lumbricorum curatio. LVmbrici in inteſtinis tenuibus geniti, diu ſæpè illic perſeuerantes, & chylo alti, cùm nulla incommoda manifeſta adferant, nec cognoſcantur, negliguntur, qui citra aliam curam, tandem cum excrementis deorſum in craſſa inteſtina peruenientes, ab illis impulſi, cum iis per aluum dejiciuntur, aliàs ſed rariùs ſurſum repentes, per os vel nares emergunt: Aliàs verò in inteſtinis permanentes, vel viui vel mortui, atque incommodantes, grauiaque ſæpenumerò accidentia, in tenellis præſertim corporibus adferentes, vnde mors quandoque ſequitur, curationem exigunt.

Intentio autem curandi eò dirigitur, vt generationem illorum impediamus, genitoſque è corpore deturbemus. Impedimus illorum exortum, ſi ne chylus lumbricis gignendis idoneus reddatur, caueamus: quod fit, ſi vt moderatus & dilutus lactis inſtar, non copioſior aut craſsior viſcoſiorque reddatur: cibariis temperanter, illiſque quę laudatum ſuccum gignunt, exhibitis efficiamus, infanteſque carne & pinguibus, donec parùm adoleſcant, veſci non ſinamus, eosq; diu in lactis conſueto & pultium vſu retineamus.

Genitos lumbricos è corpore tam viuos quàm mortuos exturbamus, illis quæ naturam ad illorum cum excrementis excretionem ſollicitant: Viuos verò hiſce, quę eos vi ipſis aduersâ vel fugant vel etiam enecant, eaque vel manifeſtâ, vt amaritudine vel acrimoniâ, aut ſalſedine vel aciditate, quos ſapores lumbrifici faſtidiunt: vel quæ pinguedine vel lentore ſpiracula ipſorũ occludendo eos ſuffocant: vel quæ occultâ quadam proprietate illis inimicâ, vſu cognitâ, eos vel depellunt, vel illis exitium pariunt. Dein & alliciendo eos, vt ad exitum properẽt, aliquomodo efficimus, idq; hiſce quæ illis iucunda & grata ſunt, qualia ſunt & alimento-

mentosa & dulcia, è quibus vti viuunt & nutriũtur, ita contrariis afficiũtur. Quæ omnia remedia pro ratione corporis cõstitutionis, accidentiumq; comitum dirigẽda erunt. Vt si febris adsit, calidissima, qualia sunt amara & acria, vitemus vel temperemus, hisce quę aciditate suâ calorem aliorum, vti & febris contemperant, & nihilominus lumbricis resistunt. Si fluxus alui comitetur, eligenda ea aut miscenda quæ adstrictione aliquâ prędita, vtrumque, & aluum cohibendo & lumbricos necando, præstare possunt. Postremò &, si animi defectiones sequantur, cordialia, si conuulsiones, quæ hasce auertunt, prædictis miscebimus. Ad quæ omnia præstanda, sequenti modo per assumpta, admota iniectáve procedimus.

Purgantia exhibentur, vt naturam vti ad cæterorum excrementorum, sic & lumbricorum expulsionem excitent, quod &, siue viui mortuíve sint, efficiunt, & si viui sint, vi insuper ipsis aduersâ, quam pleraque possident, eos enecant vel fugant, quod in mortuis, cùm ea non sentiant, tunc efficere nequeunt.

Ex leuioribus hoc præstat imprimis Rhabarbarum, quod cùm adstrictione aliquâ sit præditum, etiam cùm fluxus alui adest, conueniet, vti & si febris iuncta sit; vel Myrobalani. Quod & succus Rosarum efficiet, & florum Persicorũ, vel cimarum Lauri, lumbricis inimica. Maximè verò Aloës ob insignem amaritudinem conuenit, & cùm ventriculo amica sit, eum repurgando à cruditatibus, chylum puriorem reddendo, sic quoque conducit.

Ex fortioribus, pleraque catharctica cùm sint vel nauseosa aut amara vel acria, & purgando & vermes interficiendo pellendoq; proderunt. Vti Senna, Agaricus, Turbith, Scammonea, Colocynthis cæteraque ferè omnia exhibita, de quibus plus adultis minùs infantibus, formis sequentibus propinatur.

Puluis sic parabitur: ℞. Rhabarbari ʒ.ij. adde pulueris Seminis contra lumbricos, quod & sanctum vocant, ʒ.ß. Musci marini, corallinæ dicti ℈.j. vel horum loco tantundem de composito aliquo mox enarrando: Detur cum liquore aliquo conuenienti & syrupo, mox explicãdis, media pars adulto, minor quantitas iunioribus. Efficaciùs purgabit si & Sennæ vel Turpeti ʒ.j. addas ampliusque si Scammoneæ ℈.ß. misceas.

Pilulæ sic fiunt: ℞. Aloës ʒ.ij. Myrrhæ ʒ.j. sem. Contra lumbricos ℈.j. cum syrupo vel succo Absynthij aut Gentianæ fiat massula: Capiat ʒ.j. vel ʒ.ß. si iuniores sint. Acuuntur prædictorum purgantium additione: Possent & Nitri gran. vj. addi.

Infusio conueniens: ℞. Rhabarbari ℈.iiij. infundãtur in Vino Absynthite, vel si febriãt in aqua Portulacæ vel Graminis, fiat expressio, adde Sacchari q. s. Exhibeatur.

Decoctum vtile: ℞. radic. Graminis ℥.j.ß. Dictamni albi ℥ j. Abrotani Hysopi, fol. Persici an. M. j. sem. Lupinorum ʒ.ij sem. Contra vermes ʒ.j. sem. Cimini ℈.j. Sebesten par. x. quæ vermibus aduersari dicuntur, foliorum Sennæ ℥.j. radic. Polypodij ʒ.vj. fiat decoctio, in fine adde Rhabarb. ʒ.ij. Cinamomi ʒ.j. fiat potio. Pro duabus vicibus, in iunioribus pro quatuor vel quinque.

Vinum valde conueniens, cùm amaritudo, in illo, non adeò iniucunda: vti in cæteris formis habeatur: ℞. radic. Dictamni albi ℥.j.ß. radic. Tormentillæ ℥.j. radic. Filicis. Gentianæ ana ℥.ß. herbarum Absynthij, Abrotani ana ʒ.ij. Menthæ, Hysopi ana ʒ.j.ß. summitat. Centaur. min. ʒ.j. seminis Contra vermes ℥.ß. foliorum Sennæ ℥.j.ß. Agarici vel Mechoacæ ʒ.iij. Turpethi & Rhabarbar. an. ʒ.ij. conquass. infundantur in Vini ℔.iiij. Vtatur per vices, plus minúsve sumendo prout operabitur.

Ex vsitatis purgantibus confert Syrupus de florib. Persicorum, qui pręter quàm quòd laxat, vermibus inimicus existit: Vel syrupus Rosarum solutiuus, qui & ipse amaritudine suâ illis est ingratus. Quibus si Rhabarbarũ infundas, efficaciores reddes; vel si grana aliquot Scammoneæ illis permisceas, vt infantes libentiùs sumant, efficies.

Pilulæ & Tabulæ purgantes, si conuulsiones vermibus iungantur, vtrisq; conuenientes, in Epilepsiæ curâ expositæ, hîc quoque vsurpari poterunt.

Puluis ad lumbricos à quibusdam purgans in vsu est, qui Sennam, semen Contra lum-

lumbricos, coriandrum & Cornu cerui recipit.

Pilulæ vsuales ex Aloë competunt, item Rufi cùm & Myrrham recipiant: Et de Hiera ventriculo acceptæ, aliæ've stomachales aloëm sumentes. Possumus & aliis & leuioribus & fortioribus vti.

Vti & electuariis cuiuscunque generis catharcticis, cùm omnia & vermibus aduersa sint, atque ipsos expellere queant, addendo etiam alia hisce inimica, obseruando tamen in his & ætatem & vires corporisque constitutionem & accidentia, quæ lumbricos comitantur, maximeque si fluxus adsit, hæc vel omittendo vel huic quoq; accommodando, vti & si febris adsit, à calidioribus abstinendo, sicuti priùs diximus.

Qualitate lumbricis inimicâ & noxiâ manifestâ vel occultâ, vti dictum fuit, lumbricos enecantia vel fugantia, varia exhibētur, quibus & vt ea fugant, vnde citiùs moriuntur, quandoq; ipsis grata permiscemus, atq; vt auidiùs rapiát, cibos alios antequam his vtantur, subtrahimus, atque ea, quæ accidentia ipsorum respiciunt, si illa sint præsentia. Idq; variis modis sequentibus.

In victu quædam vsurpata alimenta & condimenta lumbricis inimica & noxia sunt: Veluti Panis siligineus, Nuces recentes, Allium comestum quocunque modo, & Sebestena vti docent: Atque in acetariis Beta, Endiuia, Cichorium nondum dealbata, sed viridia adhuc & amaritudinem seruantia: Portulaca item & Nasturtium. Acetum cibariis additum, præsertim affatim bibitū; Sal cibis permistū, cuius causâ potissimùm accidit, vt cum cibis salsis vti incipiunt, lumbricis minùs infestentur, magisq; ante illius vsum, dum lacte vel aliis planè, nō, aut leuissimè salitis, infantes fruuntur. Sed & sal solum vel ore retentum, vel deglutitum, ne in ventriculum ascendant, indeque in gulam, prohibet.

Inter medicamentosa, Pulueres in hanc rem parantur, qui Sacchato aliisve misti, comedendi vel etiam sine hoc cum Vino, Aquis vel Lacte in infantib., additis Melle, Passo, Sapâ bibendi exhibentur à ʒ.ß. ad ʒ.j. vel plures. Vel cum Saccharo dissoluto in aquis conuenientibus, in tabulas rediguntur.

Simplices pulueres propinari possunt sequentes, inprimisq; puluis seminis Contra lumbricos, ob efficaciam nomen sortitus: Item musci marini Corallinæ dicti: Item rasura Cornu cerui, maximè infantibus, si reliqua ingrata fastidiant. Aliive pulueres in compositis efficaciores, simplices quoque dari possunt.

Compositi ex hisce tribus fiunt, primus: ℞.seminis Contra lumbricos ℥.ß. Corallinæ in Aceto maceratæ & siccat.ʒ.j. rasuræ Cornu cerui ʒ.ij. fiat puluis,

Alter ex seminibus compositus: ℞.seminum Contra lumbricos, farinæ seminis Lupinorum ana ʒ.ij. seminum Caulium, Coriandri præp. Portulacæ, Citri vel Arantiorum ana ʒ.j. fiat puluis.

Tertius: ℞.radic. Dictamni albi ʒ.ij. radic. Tormentillæ ʒ.j. Gentianæ ʒ.ß. Absynthii, Abrotani ana. ʒ.j. foliorum Thymi vel Mentæ, florum Centaurii minoris vel Hysopi ana ʒ.ß. Zedoariæ ℈.j. fiat puluis.

Quartus: ℞. Cornu cerui vsti ʒ.ij. rasuræ Eboris ʒ.j. pulueris Lumbricorum terrestrium ℥.ß. Coralli rubri ʒ.j.ß. fiat puluis.

Hisce quibuscunq; si Rhabarbarum adjicias, efficaciores reddes, in lumbricis è corpore expellendis atq; occidendis.

Ex commistione horum puluerum ampliùs compositi fiunt. Quibus & ex sequentibus aliqui addi poterunt. Vt radic. Filicis masculi & fœminæ, Asclepiadis, Carlinæ, Aristolochiæ, Succisæ, Anchusæ, Rubiæ, cortic.radic. Mori & Caparum; herb. Rutæ, Polii, Asarinæ, Sabinæ, Marrubii, Calamentæ, Seriphii, Tanaceti, Mentæ, Mentastri; seminum item Atriplicis, Anethi, Securidacæ, Nigellæ, Pseudomelanthii, Nasturtii, Erucæ satiu. & sylu. Napi, Leuistici, Lupuli, Acetosæ: Item Sulphuris, Salisnitri, Bouis astragali, Myrrhæ, item gummi Iuniperi: Et vt preciosius fiat medicamētum, Aurum, Margaritas, lapides Preciosos, Vnicornu, Os de corde cerui, Moschum & Ambram addunt.

Vsitati aliqui sunt pulueres, Contra lumbricos inscripti: quorum vnus ex semine contra

contra lumbricos,lupinis,absynthio & cornu cerui paratur. Alij aliter præparant.

Si conuulsiones superueniant aut animi defectus: ℞.seminis Pœoniæ ʒ.j.ß.sem.Portulacæ, Citri vel Arantiorum an.ʒ.j. rasuræ Cornu cerui ʒ.ß.Coralli rubr.pulu.Diamarg. frigid.an.ʒ.j.Sacchari rosati tabul.vel Manus Christi ad pondus omnium. Possunt & species electuar.de Gemmis addi, & quædam ex illis quæ lumbricos necant.

Decoctum vel syrupus:℞.rad.Graminis, Dictamini an.℥.ij. rad.Tormentillæ vel Bistortę,maximè si fluxus alui adsit,Iridis,Helenij,Filicis an.℥.j. herbarum Cardui bened. Absynthij vulgaris vel marini aut Pontici, Marrubij, Thymi, Calamenthæ, Menthæ, Rutæ, Cannabis an.M.j.Lupinorum,baccarum Lauri an.ʒ.ij.seminum contra Lumbricos ʒ.iij.semin.Portulacæ,Caulium,Coriandri præpar.Citri vel Arantiorum an.ʒ.j. Sebesten par.x. fiat decoctio,& in colatura dissolue Sacchari vel Mellis q.s. aromatis.Gariophyll.& Cinam.fiat syrupus: Ad vsum.

Secalis quam Roggam vocant decoctum, valde in lumbricis pellendis cõmendatur.

Sebestenorum decoctum, ad lumbricos necãdos aliqui vtile esse censent,fortè quòd lentore suo spiracula ipsorum obturando, eos suffocet,cùm aliàs illis, vtpote dulcia insuauitate nocere nequeant.

Nucum viridium corticum decoctum in aqua factum,bibitum,lumbricos pellere,ex eo licet colligere, quod si supra terram calidum fundatur,lumbrici terrestres statim ex eo emergunt: sicuti experientia docet.

Lupulorum florum decoctum in Lacte factum, bibitum, cùm & muscas interficiat, si illud sugant,etiam vermibus inimicum esse,verisimile est,possetque ad lumbricos pellendos similiter vsurpari, cùm & semen Lupulorum eos enecare doceant.

Syrupi vsitati ex amaris conferunt,vt syrupus Absynthij,& si febris adsit,Endiuiæ, Cichorij cum & sine rhabarbaro: Ex acidis, quibus præcipuè cùm etiam febricitant vtimur, sunt syrupi de Succo acido, Citri, Limonum,Arantiorum,de Berberis & Ribes,Acetosus simplex vel de succo Acetosæ, de Byzantiis.

Succi ex enarratis similiter conueniunt, vti & Galegæ,Chamędreos,Mentæ,Gręcæ, Eupatorij, Helenij, aliarumque plantarum, simplices vel misti,propinati.

Vinum Absynthites lumbricos exterminat: Cui & alia ex prædictis in decocto,amara præsertim,addi possunt: Vt sem.Contra lumbricos & similia.

Laudatur & Vinũ ex infusione Chamæpytheos; Item florum & foliorum Eupatorij Mesuæi.

Infusio facta ex Rhabarbaro,semine Lumbricorum,& Scordio,maceratis in aqua vini Vitæ dicta, admodũ efficax censetur,etiam infantibus data. Hoc pacto & alia infundi possunt,sicque exhiberi.

Aquæ destillatæ probantur,bibitæ; Veluti aquæ Absynthij,Gentianæ,quæ amaritudine carent,Graminis,Portulacæ,Raphani marin.Rutæ,Mentæ,florum Pruni syluestris: Et si febris adsit,Endiuiæ,Cichorij.

Conseruæ & conditurae aliquæ prædictarum plantarũ similiter dari possunt. Confertque imprimis, conserua florum Persicorum & Gariophyllorum; Item florũ Arantiorum, Limoniorum & Citri, sicuti expertus sum. Corticis item horum fructuum conditi, ita vt amaritudinem suam adhuc seruent.

Vrina propria bibita: Et Lixiuium,lumbricis aduersantur; Muria item.

Oleum oliuarũ affatim bibitũ,lumbricos suffocando, vti & alia quæ spiracula habent, enecat. Huic si succus Limonum æquali quantitate addatur,potentiùs id præstabit.

Idem facit etiam minori quantitate bibitum oleum Amygdalarum amararũ & nucleorum Persicorum, Nucum Indicarum, Item oleum Hyperici.

Item ex oleis destillatis,Spicæ,vel oleum Chalcanthi seu vt vocant Vitreoli,si grana ij.vel iij.dentur.

Misturæ ex enarratis formis variæ fieri possunt,hæc inuicem miscendo,& in compositas formas redigendo,imprimis electuariorum,vel si admodum ingrata sint, pilularum.

In metu conuulsionum hæc mistura fiat: ℞.cortic.Citri condit.℥.j. conseruæ florum

Pæoniæ, Rosarum & Buglossi, Mentæ ana ʒ.ß. Pulueris prędicti ʒ.j. Syrupi de acetositat. Citri vel de Limonibus q.s. fiat electuarium: Capiat superbibendo aquam Portulacæ, Pæoniæ, Buglossi, &c.

Theriaca & Mithridatum, propinata, ob multa quæ recipit, lumbricos similiter tollit, quibus & alia addi possunt.

Argenti viui guttam vnam vel alteram vel ℈.ß. aliqui deglutiendum propinant, quod vermes, quibus admodum aduersum, citò fugat: Potestque innoxiè, vt alibi dictum, sumi.

Aqua in quam portio argenti viui infusa fuerit, in eaque diu agitata, si ab eo colata, bibatur, lumbricos mirificè pellit: Posset & hoc in Vino alióve liquore fieri.

Injiciuntur enemata, quæ lumbricos alliciant, vt ex tenuibus intestinis in crassa descendant, nec superiora petant, præsertim cùm ventriculum eos appetere cognoscimus, ex sequentibusque fiunt, quæ vermes vtpote ipsis grata, appetunt. Propinando priùs per os ea, quæ eos fugent, & à superioribus illos depellant.

Fiunt autem ex Lacte, quod si febricitent, omitti potest, vel Brodio carnium non salito, vel decocto Ficuum, Passularum, Tritici, Hordei mundi ℔.j. dissoluendo in his Saccharum, Mel vel Sapam ad ℥.ij. addanturque Vitella ouorum numero ij.

Ad enecandos lumbricos, si iam in crassis eos esse, illicq; hærere conjiciamus, quia tunc vix ampliùs in tenuia possunt iterum ascendere, ea quæ illis aduersa sunt amara, per enemata injicimus, hoc pacto: ℞. radic. Gentianæ ℥.j. Absynthij vulg. vel seriphij, hoc est marini, Abrotani, Persicariæ an. M.j. summitat. Centaurij minor. P.j. Lupinorum ℥.ß. seminis contra Lumbricos ʒ.ij. fiat decoctio, & in colatura q.s. dissol. olei Absynthij ℥.j.ß. Salis ʒ.j.

Vel fiunt ex Muria aut aqua Salsa & Lixiuio, addendo olei Laurini ℥.j.ß. & dissolue Hieram picram vel Aloën, vel succum Absynthij, aut fel Porci vel Tauri.

Cùm repetendus clyster, vt enecati educantur, addemus & ei incoquemus Agaricum, semen Carthami, aut dissoluemus in eo Benedict. laxatiu. aut Hieras fortiores, aliáve purgantia.

Si febris adsit, omissis hisce calidioribus, alia amara decoquemus, hoc pacto: ℞. Endiuiæ, Cichorij cum radice, Dentis leonis, Portulacæ, Sonchi cum radicibus ana M.j. seminis Secalis P.j. fiat decoctio, dissolue succi Betæ vel Mercurialis ℥.j.ß. succi vel syrupi Rosacei, olei Amygdalarum amarar. an. ℥.j. Salis ʒ.ß. fiat clyster.

Si alui fluor adsit, talis conueniet: ℞. rad. Tormentillæ, Aristoloch. vulgaris an. ℥.j.ß. cort. Granatorum, Myrobalanorum an. ℥.j. Lentium P.j. baccarum Myrti ʒ.ß. Rosarum rubrarum P.j. fiat decoctio, adde olei Mentæ ℥.j. misce: Pro enemate.

Admouentur extrinsecus ventris medio in circuitu vmbilici, vbi sedes intestinorum tenuiũ, in quibus lumbrici resident, existit, quæ vermibus aduersa sunt, sequentia.

Olea quæ inungenda, manibus madefactis priùs aquâ Vitæ vel Aceto, conueniunt sequentia, scilicet oleum ex Nucleis persicorum vel Amygdalis amaris expressum; vel Absynthinum, Rutaceum: Item oleũ Colocynthidis valde efficax, quod fit si oleum in Colocynthidis pomo excauato fusum, vel pulpa Colocynthidis oleo indita, coquatur.

Aliud compositum oleum: ℞. olei Nucum ℥.vj. succi corticum viridium Nucũ ℥.ij. succi foliorum Persici arboris, vel Nasturtij aquatici, Aceti squillitici an. ℥.j.ß. Fellis porci vel tauri ℥.j. coquantur ad succorum consumptionem ad vsum.

Inunctio ex succis talis, vtilis erit: ℞. succi Allij vel Porri & Absynthij vel Persicarię, vel Vermicularis an. ℥.j.ß. succi Iridis, Aloës dissol. in Aceto forti, Fellis tauri vel porci an. ℥.ß. Aquæ vitæ ʒ.ij. misce. Si succum Cucumeris asini foliorum vel fructuum addas, efficacissima erit.

Vnguentum vel emplastrum sic fit: ℞. rad. Gentianæ ℥.j. rad. Dictamni vel Aristoloch. ʒ.vj. cortic. Arantiorum ℥.j. Colocynthid. ʒ.j. cornu Cerui vsti ʒ.ij. Croci ʒ.ß. fiat puluis, cui & alia vermibus inimica addi possunt, veluti semen Pseudomelanthij, Agaricus, Helleborus albus. Hic puluis subigatur cum oleo Absynthino, & de nucleis Persicorum, vel

vel Amygdal.amar.additaque Resinâ & Cerâ fiat vnguentum vel ceratum, vel cum pice emplastrum: Efficaciùs operabitur, si loco oleorum puluis hic inunctioni supradictę permistus, additaque resinâ in formam emplastri redigatur.

Vsitatum vnguentum de Arthanita ventri inunctum, sicuti aluum mouet, ita & vermes propellit.

Cataplasma pultis instar, paratu facilè, fiet ex farina Secalis vel Lupinorũ, si cum Aceto forti subigatur, sicque, vel priùs parùm coctum, applicetur: Cui parùm olei de supra expositis, ne citò arescat, misceri poterit.

Efficacius erit, si eiusmodi farinæ, succis inunctionis prædictæ, excipiantur, & in cataplasma redigantur.

Alia cataplasmata hoc pacto parari poterunt: ℞. bulborum Allij vel Ceparũ aut Porrorum, si allij odor displiceat, quartarium j. de Squillæ bulbosa radice ℥.j. nucleorũ Persicorum ℥.ß. coquantur in Aceto & contundantur, adde farin. lupinorum ℥.ij. Fellis ℥.j. olei Absynthij ℥.ij. misce.

Vel sic: ℞. de herbis sequentibus, Absynthij, Abrotani, Marrubij, Mentæ, Matricariæ, Tanaceti, Rutæ, Cruciatæ, Scordij, Galegæ, foliorum Persici arboris, sumitat. Centaurij minoris ad M. aliquot, coquantur in Aceto, contundantur, adde farinæ Lupinorum ℥.iij. olei Nucleorum persicorum ℥.ij. Aloës dissolutæ in Aqua vitæ ℥.ß. Myrrhæ ʒ.ij. fiat cataplasma.

Fotus ventris ex decocto herbarum, in hoc cataplasmate descriptarum, facto in Vino, Aceto & Aqua, fieri possunt:

Sacculi item adhiberi, impleti residentiâ eiusdem decocti: vel sicci gestari, referti herbis illis aridis puluerisatis, vel etiam puluere superius in vnguento descripto.

Ventriculi sedi, si in eum lumbricos repere suspicio sit, easdem remedia inungi, vel ei illa applicari poterunt, eligendo tamen præcipuè ea, quæ & ventriculo accommodata recipiunt: veluti Absynthium, Mentham, Aloën & similia. Et si fluxus alui vel lienteria simul infestent, addendũ insuper oleum Masthichinum, Cydoniorum, Nardinũ, Rosaceum, pulueresq; Mastiches, Rosarum, Gariophyll. aliorumque ventriculo accommodatorum simplicium.

Cordis regioni adhibitæ inunctiones à quibusdam probantur, ex illis quoque quæ vermibus resistunt paratę, admistis insuper cordialibus. Quæ fortè si animi defectio, aut conuulsiones adsint, horum causâ cordis regioni apponuntur, quæ cùm & ventriculi orificij sedem comprehendat, quæ huic applicantur, in vtrumque vires suas extendent. Sed non solùm cordi, verùm & pulsibus, & temporibus, & spinæ insuper hasce inunctiones applicatas conferre docent:

Imprimisque sequentem: ℞. Aloës ʒ.ß. Myrrhæ ʒ.ij. Croci ʒ.ß. puluerisata subigantur cum succo Citri vel Limonum aut Arantiorum, aut Aceto rosaceo, aut vtrisque; Pro inunctione.

Huius loco massa pilularum Pestilentialium dictarum emollita, in succis enarratis, cordi admoueri poterit.

Vel fiat talis inunctio aut emplastrum: ℞. prædicta tria, adde medullæ seminis Citri, rasuræ Eboris, cornu Cerui vsti ana ℈.j. Coralli rubri ʒ.ß. seminis Pæoniæ in metu conuulsionum ℈.ij. Gariophyll. ligni Aloës ana ℈.j. excipiantur succis vti priùs: Pro inunctione vel emplastro.

Aliàs Theriaca, pulueribus supradictis vel hisce pemista incorporatur; Sicque cordis regioni vel pulsibus imponitur.

Apri vrinam in vesica ipsius retentam, oleoq; permistam, & in fumo diu suspensam, postea exemptam, & pulsibus temporibusq; illitam, prodesse aiunt.

Oleum sequens cordi, pulsibus, & temporibus illitum, valde aliqui commendant, Quod fit ex oleo Scorpionum ritè parato, in quo Theriaca, Aloës, Myrrha, Scordium, Gentiana, Carlina, Nigella & Acetum ebullierint.

Epithemata cordialia etiam aliqui, addito semine Lumbricorum, aliísve, cordi administrant. Quibus & Pulueres cordiales supradicti & sem. Pœoniæ, commodè ad eundem vsum, vti inunctiones misceri poterũt.

Ex amuletis, Allium collo appensum, vermes è corpore pellere docent: Vti & Stœchadem citrinam.

Ascaridum curatio. Ascarides in crasso intestino nati, sæpè sponte cum excrementis extrusi, ipsis inhærere complures, illique nunc maiores nunc minores visuntur: quòd si verò ad podicem vsque delati, illic subsistant, ob pruritum quem mouent, curam exigunt.

Perficitur hæc in illis, prospiciendo, si sæpè hoc contingat, ne excrementa putredini obnoxia gignantur, bona victûs ratione, & purgantium vsu: Item exhibitis medicamentis putredinem arcentibus, qualia sunt tum acidi succi, aliaque multa siccantia, vt cornu Cerui, in lumbricorum cura exposita:

Demum illis, quæ vermes hisce è crasso intestino deorsum, vt excerni queant, alliciant, vel eosdem perseuerantes enecent.

Quod propinatis multis, atque iniectis, quæ idem in lumbricis alliciendis, vel expellendis vel necandis, præstare diximus, vi purgante, vel quia grata illis sunt aut aduersa, cùm & ascarides vti & lumbrici viuant & sentiant, in illorum cura possumus efficere. Imprimis verò iniectis clysteribus, vel immissis suppositoriis, cùm quę per os sumuntur, non adeò vti quæ in rectum intestinum mox perueniunt, in hos vermes vires suas queant extendere.

Potissimumque ad ascarides allectandas, atque eximendas, Suppositoria podici infigunt, filo alligata, vt cùm aliquandiu retenta fuerint, vermes se illis affigentes, cum illis rursum possint extrahi: paranturque ex Carne pingui vel Lardo, leuiter saltem vel minimè salitis, sectione vt indi possint, formatis: vel ex Ficu inuersa & intrusa: aut ex radice Betæ, aut caule Brassicæ folij, Melle illitis.

Ex Melle coctũ suppositoriũ sine sale, eosdem allicit, præsertim si pulpa Ficuum aut Passul. simul misceatur, quod etsi diffluit, nec integrũ prodit, tamen cùm excernitur, vermiculos sibi permistos simul producit.

Ad interimendas ascarides, suppositorium ex Melle coctum, permiscendo Aloën & Fella, valde est efficax, omisso ab initio Sale, vt diutiùs retineatur, postmodum verò addito, vt facultas ad earum expulsionem irritetur.

Clysmata ad necandas ascarides potiùs, quàm alliciendas, cùm non circa exitum maneant, sed penitùs, cum infunduntur, subintrent, vsurpantur: Possuntque eadem quæ in lumbricis interimendis descripta sunt, sed minori quantitate, cùm non adeò procul absint, hîc etiam injici.

Vel hoc: ℞. radic. Gentianæ, Aristolochię cuiuscunque an. ℥.j. herbarum Absynthij, Marrubij, Persicariæ, Calamenthæ an. M.j. Lupinorum ℥.j. fiat decoctio, adde Fellis tauri, hirci vel porci ʒ.ij. Salis gemmæ ʒ.j. fiat clyster. Potest & Hiera vel Benedicta dissolui & Olea addi amara.

Lixiuium, Muria, Vrina infusa, ascarides quoque perimunt.

Vnguentum ex Argento viuo, Resinâ & Axungiâ factum, vt in lumbricorum cura parari ostendimus, si podici illinatur, vel illud illi imprimatur, aut suppositoriis illitum intrudatur, præ omnibus remediis ad vermes eiusmodi delendos, efficacissimum est.

Vermium aliorum præter lumbricos, aliis in locis prodeuntium cura, simili ratione, vt ipsorum causam declinemus, ipsosq; occidamus atque auferamus, instituitur. Vt in narium vermibus, in quibus quæ vlceri debetur cura, in eiusmodi vlcere exposita, & causam illorum, vermesque simul abolet. Hos quoque fumo immisso ex semine Porri, Absynthio & Aloë vstis excitato, abigi docent. *Narium vermiũ curatio.*

In aurium vermibus, vlceri cura adhibita, idem præstat, in vlcere illo descripta, vti & quæ eos enecant. Quod & facit instillatus in aures succus Calamenthæ & Cannabis, & vti docet Dioscorides, succus radicum Capparum, Vrina item in Malicorio cocta. *Auriũ vermiũ curatio.*

Possuntq; & alia quæ lumbricos & ascarides necant, illic descripta infundi.

Si tussi, ab interno vlcere pulmonum vermes, quod vix fit, rejiciantur, huic vlceri, vt in phtisi declaratum, cura debetur. *Vermiũ tussi rejectorum cura.*

Mictio vermiculorum, si ab assumptis vt dictum, veluti caseo prodeat, ab eo abstineant. *Vermiũ mictione redditorũ cura.*

In externorum vlcerum vermibus, vermicosis inde dictis, ea quæ potenter abstergendo, vti sunt amara & acria, ad vlcerũ horum *Vermiũ in vlceribus cura.*

rum

rum putridorum curam vſurpantur, etiam vermes in illis natos enecant & abſtergunt: Maximè quæ ſuccum Abſynthij, Centaurij, Allij, Porri, Cæparum & Fella recipiunt.

Eoſdem decoctum ex radic Hellebori, Dictamni, Gentianæ, foliis Abſynthij, Centaurii, Calamenthæ, Marubii, factum in Lixiuio vel Farinâ, ſi eo vlcus tangatur, tollit:

Et puluis Dentis leonis, Roſtri porcini dicti, inſperſus.

Imprimisq; vnguentum ex Argento viuo, quod etiam alios vermes abigit, idem in hiſce facit.

Vmbilici vermis cura. In vmbilico vermem latentem, applicatione farinæ Lupinorum, in Aceto coctæ, produximus & extraximus, ſine læſione, aliam curam requirente.

Dentiū vermiculorum cura. In dentibus excauatis & putridis ſi vermiculi naſcantur, diu illic nequeunt ſubſiſtere, ſed vel ſponte iterum excidunt, vel dum dentes repurgantur, eximuntur.

Hiſce tamen abolendis, ſi vti putant, hæreant, doloremq; dentium faciant, Aloën & Camphoram cum Aqua vitæ ſubactam induant.

Vel Fumum illis excipiunt, qui à ſemini; Porri, foliorum Abſynthij, & Aloë inuicem miſtorum puluere, carbonibus iniecto, excitatur.

Idem ſeminis Hyoſquiami vſti fumum, per emborum admiſſum, vti in chironibus manuum, efficere docent. Alii verò ex illius fumi admiſsione, qui ad dolorem dentium ſedandum, vt in eo oſtenſum, admitti ſolet, ſimile quid paruis vermiculis, in dentibus generari ſcribunt.

Vermis ſub corde cura. Sub corde, vti putarunt, degentes vermes, ſucco Allii, Raphani & Naſturtij propinato, exſtirpari docent: De quibus ſi ex pruritu circa cordis regionem, ſuſpicio oriatur, ille autem inde potius ſit, quòd lumbrici os vẽtriculi ſugunt, nihilominus in hac cauſa dicta competent.

Pediculorum curatio. Pediculi qui oberrant faciliùs abiguntur, difficiliùs qui cuti impacti hærent, exſtirpãtur, tuncq; pruritus ab illis excitatus, ſimul aufertur, nec alia noxa ſequitur. Hos tamen adeò in morbis quibuſdam abundaſſe, hiſtoriæ teſtantur, vt exitium aliquibus creauerint. Quod tamen diuinæ vindictæ potiùs, quàm cauſis naturalibus adſcribitur.

Curatio autem primùm cauſę accommodatur, deinde ipſi morbo inde excitato, Pediculari vocato:

Cauſam, immunditiem nimiam illam, ex qua pediculi generantur, præcautione & curatione impedire ne naſcatur, genitam auferre ſtudebimus. Quod fiet euacuando corpora, ſi hiſce ſordibus, ſanguinis impuritas aut plethora, vel ichoribus, illorum redundantia occaſionem præbeant; idq; per euacuationes, quibus & in ſcabie ſanguinem repurgari docuimus. Inter quas ſudores hancce cuti impactam illuuiem egregiè exhauriunt. Quos balneo ſicco humidóve eo nomine frequenter prouocamus.

Quibus euacuationibus, ſi decentem viuendi rationem iungamus, vt corpora minùs ſordibus inquinentur, efficiemus. In qua obſeruandum, certa quædam cibaria, ad ſuperficiem cutis excrementa pellendo, pediculos gignere, quoſdam prodidiſſe, veluti Ficus & Viperarũ carnem: Verùm quid viperarum caro ſumpta præſtet, in elephantiaſis cura oſtenſum fuit, quam hanc ob cauſam inhibere, cùm in vſu non ſit, non neceſſe erat: vti nec ficus, quas decepti ſeminum ſimilitudine, quæ pediculos nõnihil, vt alibi oſtenſum, repræſentant, eos procreare, exiſtimarunt.

Lauando frequenter caput Lixiuio, & fricando, pectinandoq; tam ſordes illas pingues, quàm furfures capitis ſimul abluimus atq; abradimus, quæ & in aljis locis ſi fiant, idem præſtabunt.

Morbo pediculari ſeu ipſis pediculis, prurituiq; inde progreſſo, cura accommodabitur, ſi ea adminiſtremus, quæ validè ſiccando & abſtergendo, pediculos cum ſordibus vnde gignuntur, auferant, atque amaritudine ſua, vel acri aliáve illis aduersâ vi eos fugant atque occidunt.

Quod per exhibita, cùm in ſuperficiem corporis ſuas vires nõ adeò exercere queãt, vix poteſt perfici. Aliqui tamen Allium comeſtũ, vel cum decocto Origani potum, pediculos fugare prodiderunt, fortè eadẽ vi, quâ & vermes pellere docẽt. Aliqui ruſticos

allium comedere, ne à muscis infestentur, dixerunt.

Extrinsecùs adhibitis maximè pediculos abigimus, vel necamus, & pruritum cõpescimus, idq; variis modis: Et primùm ablutionibus capitis, aliorumq; locorum, vbi pediculi versantur, atque etiam manuum, in Chironibus.

Veluti hac ablutione quæ: ℞. radic. Aristoloch. vulgaris vel alterius ℥.j.ß. radic. Hellebori albi vel nigri ℥.ß. foliorum Betæ, Persicariæ, Absynthij, Marrubij, Tamaricis, summitat. Centaurii min. an. M.j. seminis Staphisagriæ Lupinorum an. ℥. ß. (possunt & sumi baccæ Euonymi) Agarici ℥. ij. fiat decoctio in Lixiuio: Pro ablutione capitis vel manuum, vel aliarum sedium.

Efficacior erit, si Sal, Alumen vel Nitrum addas, aut Acetum, maximè squilliticum.

Cùm caput abluendum, herbæ, capiti appropriatæ, vt Betonica, Saluia, Stœchas, aliæve addi possunt.

In palpebrarum pediculis confert, si Acetum squilliticum sumatur, & in eo parùm Aloës dissoluatur, eoq; palpebræ madefiant. Huic & alia nitrosa & salsa addi possunt.

Puluis inspergendus capillis, ad pediculos illius loci pellendos: ℞. seminis Staphisagriæ ʒ. ij. Salis ʒ. iij. Aloës ℥. j. Cinnabaris ʒ.ij. fiat puluis.

Illitiones in hunc vsum, ex variis fiunt vnguentis, inter quæ, ex Argento viuo parata, omnium sunt efficacissima, cùm illud quocunque modo foris administratum, pediculos non solùm vulgares & cuti insertos, abigat atq; occidat, & prurituũ interim sedet.

Quod sic vsurpari potest: ℞. Argenti viui ʒ.j. Resinæ liquidæ therebinthinæ dictæ ʒ.ij. Axungiæ porci vel etiam alterius, aut Butyri vel Olei communis ʒ. vj. distemperentur & agitentur probè, fiat vnguentum.

Aut misce cum prædicta materia, loco argenti viui, Cinnabaris, quod ex argento viuo & sulphure conflatum est, ad ʒ.ij.

Vel ad Chirones manuum argentum viuum Sublimatum, loco viui ad ʒ.j. cum eadem materia permisceatur.

Alia vnguenta ex aliis pediculis aduersis parantur; inter quæ semen Staphisagriæ præcipuum est, ex quo solo puluerisato cum pinguibus misto, vnguentum factum egregiè eos exterminat.

Vel sic permistum: ℞. seminum Staphisagriæ ℥.ß. radic. Hellebori albi ʒ.j.ß. Piperis, Nitri ana ʒ. j. Axungiæ vel Butyri vel Olei communis vel Laurini & Ceræ q.s. fiat linimentum vel vnguentum.

Hisce vnguentis si portionem illius quòd argentum viuum recipit, addas, efficacissimum erit; vel si Sandaracæ ʒ.j. permisceas.

Est & vsitatum Vnguentum contra pediculos, in pharmacopoliis, quod ℞. semen staphisagriæ, helleborum album, sal, argentum viuum, axungiam porci, oleum laurinũ, saponem & acetum.

Aliud vnguentum ex amaris sic fit: ℞. Aloës ʒ.ij. Myrrhæ, gummi Hederæ ana ʒ.j. Fellis porci vel alterius ʒ.j.ß. Sulphuris viui, Aluminis an. ʒ.j. olei Absynthini vel Amygdal. amararum q.s. fiat linimentum.

Pasta facta ex farina Lupinorum & Fellibus, manibus diu retenta, chirones tollit.

Fumum excitatum ex semine Hyosquiami, proiecto supra carbones ardentes, manuum volâ exceptum, vt Chirones è cuticula emergant atq; excidant, facere docent. Quod nos pruritum potiùs sedando, iuuare credimus, cùm & inunctione olei seminis Hyosquiami, vel Papaueris alteriúsve narcotici, aut syrupi de Papauere similiter illiti, vel Opji tantilli dissoluti in Aqua vitæ, compesci possit.

Effodiuntur chirones, acu cuticulam vbi sub ea latent, sensim, sed in superficie tantùm diuidendo, ne si altiùs adigatur, serum subsequens, locumq; madefaciens, vt non amplius conspici possint, efficiat, & postea pediculum extrudendo. Quo facto ne renascantur, Vino vel Aceto, quibus Sal vel Alumen aut Nitrum additur, manus sæpè abluendæ.

Pectine pediculi communiter in capite à cute abraduntur, & à crinibus segregantur auferunturque. Cuius dentes cùm minimi abundant, arctè iuncti esse debent, ne spacium interpositum, dum pectine trahuntur, subterfugiant.

Scopinâ setaceâ, pediculi similiter è capite, illius-

illiusque capillis depelluntur, atque detrudũtur. Suntq; eiusmodi scopinę & pectines, ad pediculos abigendos præcipuè excogitati, quibus matres liberis indies capita purgare, mundareque solent.



DE ANIMATORVM EXCRETIONE.

CAPVT XIV.

Genera.



NIMATA corpora quædam in corpore genita, intelligimus ea, quæ viuunt, nutriuntur & vegetantur, stirpium instar, sed non sentiunt nec mouentur, & proin non sunt animalia; suntq; toto genere præter naturam, quemadmodum & ipsorum excretio talis existit; qualia è duobus potissimùm locis, videlicet per sinum vteri, aliàs per podicem eijciuntur.

Mola. Per sinum vteri, corpus eiusmodi insensile & immobile, Mola à mole seu pondere, quo grauat, nominatum, aliquando rejicitur; estque hæc nunc informis, nihil certi exprimens, sed carnem saltem, quæ mollis est, sine ossibus, & in eo contentis visceribus, venis tamen refertam, & cute vel membranâ obductam, repræsentans. Aliàs membranosa & fibrosa magis existit, informis alioquin, qualem è quadam quæ octodecim annis sterilis fuit, post pessarii vsum, eiectam vidimus; aliàs verò formam alicuius rei refert: quemadmodum tale reiectum, stellam arborescentem marinam appositè repræsentantem, à muliere reiectam conspeximus, quæ conuoluta, in aquam proiecta, & diducta stuporem nobis spectantibus præbebat: Sed aliâ formâ talia reiecta apparuisse, obseruauimus.

Eiusmodi molæ per sinum vteri reiectio, Partus præternaturalis instar, seu vti Abortus, procedit, atq; vti ille, nunc ante pariendi tempus, nunc eo ipso, aut postquam hoc prętergressum est, & sæpè diu postea, accidit, eadem pariendi difficultate, facilitatéve, sanguinisq; maiore minoréve profusione, vt aliàs in partu. Hancq; accidentia non admodum illis, quæ fœtu grauidis mulieribus contingunt, dissimilia, solent præcedere. Inter quæ cùm & ventris tumor sit, cùm de illo in tumoribus ageremus, etiam huius, qui in mola se offert, meminimus, illicque accidentia hæc eius in generibus; vti & causam in causis descripsimus.

Fasciæ intestinorum. Per podicem talia corpora etiam sed rarò rejiciuntur, diuersorum generum. E quibus vnum fasciam quandam refert membraneam, intestinorum tenuium substantiæ similem, eorum longitudinem adæquantem, minimè tamen vti illa cauam, sed digitũ transuersum latam, quam Latum lumbricum appellant, rectiùs Tœniam intestinorum, siquidem cum lumbrico nullam habeat similitudinem, nec vti lumbricus viuat aut loco moueatur, sed tam diu donec nunc integrum, magno impetu aut terrore patiẽtis, existimantis intestina omnia sic procidere, vel abruptum, elabatur. In qua fascia plerunque transuersæ lineæ nigræ, spacio digiti ab inuicem distantes, per totam ipsius lõgitudinem, & ad formam vertebrarum, in interuallis illis extuberantes apparent.

Lumbricus latus. Tœniæ intestinorum.

Vermis Cucurbitinus. Aliàs verò aliter formata eiusmodi tœnia longissima, veluti ex portionibus multis cohærentibus, & quæ ab inuicem abscedere possunt, constare videtur, quas portiones, cùm cucurbitæ semina quadrata nonnihil referant, Cucurbitinum vermem vocant. Qualis rariùs integer, sed plerunque in plura frusta diuisus, rejicitur: Quæ singula, priuatos vermes esse, cucurbitinos dictos, crediderunt, licèt tantùm fasciæ illius abruptæ sint particulæ.

Ligulæ intestinorum. Est & aliud tœniarum genus, longitudine prioribus respondens, minimè tamen latum, sed teres, lumbricorum instar, totoque ductu sibi simile, quod & Ligulam appellare possumus, immobile quoque, & rariùs in homine, in canibus verò frequentiùs reiectum; nunc integrum, aliàs verò disruptũ; interdum & cùm tenue sit, podici ex parte adhuc inhærens, adeò vt ex eo illud, nisi trahatur, non facilè cedat.

Accidentia dum tœniæ in corpore hærẽt, nisi aliud accedat, ferè nulla grauiora, è quibus cognosci possint, præsentiuntur, sed incolu-

incolumes alioquin existentes, se illuuiem hanc in corpore gestasse, non priùs donec inopinatò excidunt, cum terrore experiuntur. Interdum tamen, auiditas quædam sæpiùs & plus solito cibum sumendi, vrget, & grauedo quædam in ventre, ac si aliquid illi inesset, sentitur. Deteriora, qualia si lumbrici moriantur, symptomata superueniunt, si abrupta ab ipsis particula remanens putrescat.

Causa.

Corporum enarratorum in corpore generationis causa est vel semen vel chylus.

Seminis imperfecti conceptio, causa Molæ. Ex semine in vtero concepto imperfecto, quomodo mola generetur, in intumescentia ventris, quam ac si mulier grauida esset fœtumque gestaret, parit, expositum fuit. Illius quoque reiectionis causa, eadem quæ & fœtus abortus existit, nimirum naturæ vis expultrix, quæ huius corporis præternaturalis mole grauata, connexum vasorum, quibus & mola vtero adhæret, dirimens, illud per viam partui destinatam ejicit, eoque citiùs, si vi quadam externâ insuper accedẽte, natura ad illius excretionem impellatur. Cuius impulsus causæ eædem, quæ & abortus, per quem fœtus rejiciuntur, esse possunt, in abortu expositæ.

Chylus, causa generationis Tæniarum & cucurbini vermis. E chylo crassiore vel pinguiore, vti lumbricos generari ostendimus, ita si tanta illius sit copia, vt tenuibus intestinis à ventriculo ad colon vsque deductis, vndique se affigat & accrescat, membraneæ illæ Tœniç nascuntur. Qui chylus illis non in toto illorum ambitu, sed sede saltem aliquâ, illius latitudinis, quam hæ fasciæ obtinent, & fortè illic tantùm vbi intestina mesenterio adnectuntur, toto ductu accrescit, atq; in eiusmodi tœnias, quæ non ita vti lumbricus, qui à connexu liber, viuere & se mouere possunt, conuertitur. Et proin eam plerunque, quam tenuia intestina habent, lõgitudinem adæquant. Nam quòd vlteriùs feratur, & crassis intestinis etiam adnascatur, haud verisimile, cùm chylus eiusmodi in illis intestinis minimè contineatur, atque fæces alui illic accumulatæ, hanc moram quam vt accrescat requirit, minimè ferrent, sed eum detrudendo expellerent, quod dum in tenuibus cõsistit, minimè fit, sed cùm fluida ea sint, quæ in illis continentur, nihilominus etiam citra tenuis fasciæ propulsionem, pertransire queunt. Vnde & citra incommodum maius, nisi quatenus intestina grauat, & quòd cùm chylo copioso nutriatur, appetentiam nimiam cibo promoueat, diu sæpè subsistere atque gestari potest, donec tandem in valida aliqua corporis commotione aut conatu, à connexu alicubi soluta tœnia, pondere suo seipsam liberans, sicque vel toto ductu, vel ex parte secedens, & in crassa intestina prouoluta, per aluum, vel integra vel disrupta rejiciatur, vel frustatim prodeat, quod tunc maximè fit, si non continuatim chylus, sed veluti per portiones, quasi articulatim coniunctas, intestinis accreuerit. Cuius qualiscunq; affixionis causa, chyli admodum tenacis in intestinis perseuerantis copia erit, quod cùm rarissimè vt sic colligatur subsistatque accidat, etiam rarissima harum fasciarum reiectio se offert & ostendit.

Quæ quando non penitùs è corpore prodeunt, sed portiones illius aliquæ vel longæ vel breues remanent, tunc illæ putrescentes, grauiora symptomata, vti dictum producunt.

Curatio.

Molæ curatio. Molæ curatio in eo, ne amplius generetur, vel si genita sit, maturè antequam in immensum, vti sæpè fit, excrescat, expellatur, consistit, cùm sic aucta difficulter postea cedat, & vel retenta, vel cum magna difficultate & hæmorrhagia, tandem erumpens, exitium ægræ aliquando pariat.

Præcautione ne generetur vtimur tunc saltem, quando mulieres molæ obnoxias esse, ex eo quòd vel priùs semel aut iterum, vel sæpiùs eas eiecerint, colligimus: tunc antequam conceptio fiat, & si fieri possit, antequam concumbant, ea instituetur. Quæ præcautio admodum difficilis, cùm id quod præcipuum est, lateat, seminis nempe defectus in mare vel fœmina, qui corrigendus:

gendus: diligenti tamen consideratione vtriusque naturæ & temperamenti, si alterutrius aliquod vitium deprehenderimus, vt hoc bona viuendi ratione, medicamentorumq; conuenientium vsu emendetur, tam in viro quàm in muliere procurabimus.

Præcipuè verò quod mulierem attinet, ad molam gerendam pronam, illi præter decẽtes euacuationes, per venæ sectionem, si plethorica sit, per purgationes, si humoribus excrementitiis vel prauis scateat, ad vterum confirmãdum, ea quæ robur addunt, administrabuntur, eoque magis si imperfectio hæc in mola, ab vteri imbecillitate & caloris natiui penuriâ procedat, quod semen susceptum non conuenienter, & prout ad fœtus procreationem opus foret, fouere queat. Qualia remedia vtero conuenientia & appropriata, in sterilitate, & fluxu muliebri, aliisque ab vteri imbecillitate, & fluxu muliebri profectis affectibus, describuntur. Inter quæ & balnea præcipueque thermas, si hæ mulieres eas adeant, multùm efficere posse, sibi persuadent.

Curatio molæ iam genitæ à semine, sicuti in extumescentia ventris inde progressâ ostensum, in eo, ne admodum excrescat, & maturè ex eo propellatur, versatur. Verùm cùm de ea plerunque non satis certi simus, etsi suspicio illius magna sit, tamen validioribus & violentis remediis rem aggredi, & per vim conceptum ejicere velle, cùm si verus conceptus esset, eum perderemus, res est periculi plena, nec temerè suscipienda; & cùm vel minimùm dubitamus, omittenda, satiusque tunc vel naturæ negotium committere, donec certiores de ea fiamus, euentum exspectare, vel saltẽ per sanguinis missionem nutrimentum nõnihil illi detrahendo, incrementum illius impedire, vel purgantibus exhibitis, naturam, vt cùm aliàs immundities expellit, etiam fortè hanc illi grauem & alienam molem propellat, sollicitare; nec ab illis administrandis metus nos, ne si fortè verus esset conceptus, abortus inde sequatur, absterrere debet, cùm hoc minimè factum fuisse, in multis mulieribus grauidis sæpè sic euacuatis, vel diarrhœis diu laborantibus, obseruauerimus, naturaq; non facilè ad ea quę naturalia sunt, sicuti verò præternaturalia illique onerosa, excernenda, commoueatur.

Quòd si tamen de mola nobis certò constet, ex pluribus indiciis concurrentibus, & tunc quoque eodem modo, vti cùm priùs molam passa est mulier, apparentibus, vel ex eo quod adhuc certiùs est, si tempore partus elapso, tumor ille ventris, & durities qualis in fœtu etiam tactu deprehenditur, nihilominus permanserit, tunc vt natura excretionem illius moliatur, eam exhibitis admotisque atque inditis & iniectis in sinum vteri, excitabimus, viasque vt ex vtero emergere queat, aperiemus atque dilatabimus. Quæ omnia iisdem quibus menses prouocamus, atque partum acceleramus, leuioribus remediis primùm perficere studebimus, & nisi succedat, illis quæ fœtum mortuum & secundinam expellunt, illud efficere tentabimus; atque necessitate vrgente, præsertim si malo apparere incipiat, obstetrici, vt eam (sicuti de partu mortuo dictum) manuali operâ eximere studeat, mandabimus. Vel in desperato & extremo periculo, sectione per abdomen in vterum adactâ, vltimam manum adhibebimus. Sicuti quo pacto hæc omnia fieri debeant, in mensium & partus defectu, abũdè declarata fuerunt, indeque peti poterunt.

Toeniarũ & Cucurbitini vermis curatio.

Tœniæ illę intestinorum tenuium, membraneæ & longissimæ, quarum vna lata est, & Lumbricus latus vocatur, altera ex pluribus portionibus compacta, quam Cucurbitinũ vermem, vel si frustratim exeat, vermes appellant, tertia Teres lumbricorum instar, si quod rarum est, in intestinis tenuibus nascantur, quam diutissimè plerunque illic latitant, & cũ certis indiciis non cognoscantur, ferè negliguntur.

Quòd si verò ex distentione & grauedine ventris, atque appetentiâ cibi nimiâ, qui hisce infestantur, eas adesse suspicentur, tunc vt è corpore expellantur, & ne rursum regenerentur, efflagitant, & curam eò magis expetunt, cùm se monstrosum vermem vel serpentem, cui colore & transuersis lineis tœniæ aliquæ nonnihil correspondent, in corpore alere, sibi persuadeant.

Instituitur autem cura illarum hoc pacto: Antequam nascantur, ipsarum generatio impedienda, tum materia ex qua oriuntur, auertenda; tum eadem ne intestinis accrescat, illicque formetur, abstergenda. Postquam autem iam genitæ sunt, atque intestinis adnatæ, abstergentibus similiter, sed validioribus eas abradere, atque purgantibus quæ naturam ad illarum excretionem excitent, exturbare per aluum studebimus. Ingratis autem illis, quæ lumbricis aduersa sunt, eas velle fugare aut enecare, cùm nec vitam nec sensum vti lumbrici, habeant, haud necessarium, sicuti nec aliis quæ idem in lumbricis efficiunt, hîc vtendum, nisi, vti pleraque sunt, vi insuper abstergendi vel purgandi, quæ tunc quoque operantur, sint prædita. Hæc aũt omnia in victus ratione, & medicamentorum exhibendorum, injiciendorum admouẽdorumq; vsu, sequenti modo administrantur.

Victu decẽti, chylum moderatum & fluidum, lactis instar reddendo, illius copiam & tenacitatem auertendo, eumque ne adhæreat, abstergendo, generationem harum tœniarum impedimus. Eaque instituenda, sicuti & in lumbricorum ne nascantur cura, demonstratum fuit: Idque comestione Allij, Mucum, atque ex Oleribus, amaras & acres illas herbas frequenter esitando: Item Sale cibos condiendo, & Aromatibus: Atq; inter condimenta, Sinapis illâ consuetâ confectione, sæpè vtendo: Vinumque absynthites bibendo.

Inter medicamentosa, purgantia cathartica, non solùm ad tœnias hasce ab intestinis depellendas, sed & maximè si iam ab hisce liberata, alicubi portio ipsarum hæreat, & corrumpi incipiat, eam propellendam exhibentur, tum etiam ad easdem, vt citiùs abscedant, abstergendas; Cùm pleraque cathartica, amaritudine atque acri vi prædita, id simul moliri queant. Qualia in lumbricorum cura exposita, atque ex illis ea quæ amara sunt, vti quæ Aloën recipiunt, & Absynthium, aliáve eiusmodi, vti & acria, hîc quoque exhibita, sæpiusque iterata, aliquid tandem efficient. Quibus si Tartari vel Nitri parùm addas, abstergendo potenter operabuntur.

Abstergentia varia, ad tœniarum harum semina, & materiam è qua prodeunt, vel etiam ipsasmet iam natas, abradenda exhibentur, vt sic liberatæ, vel sponte postea delabi atque elabi possint, vel sumptis catharticis faciliùs expelli. Quod multa in lumbricorum cura exposita, quæ ad illos fugandos vel necandos illic dantur, cùm & detersoria vi prædita sint, hac potissimùm hîc operando præstabunt.

Veluti ex pulueribus illic descriptis, tam simplices quàm compositi, ob amaritudinem, vel alioquin vim abstergendi quam habent, hîc quoque conuenient. Quibus semen Heliotropij maioris, & folia addit Dioscorides, vti & semen Nigellæ.

Ex decoctis, syrupis, succis, cõseruis quæ vi abstersoriâ etiam prædita sunt, pleraque & hîc valent.

Imprimisque vtile est, Vinum absynthites cum additione aliorum amarorum, vt Centaurij, Marrubij: Plurimùm etiam abstergunt Vrina, Lixiuiũ, Muria bibita. Idem facit Vinum vel Aqua, cui olei Vitreoli guttæ additæ fuerint.

Iniecta clysmata cùm ad tenuia intestina, quibus fasciæ affiguntur, vix penetrent, eáque subeant, non adeò in illis abstergendis, vti quæ per os sumuntur, operabuntur. Si tamen portiones aliquæ in crassiora intestina delapsa, illic subsistant, eas quoq; possunt eluere, & fortè abstergendo, vires suas si sæpè repetantur, ad tenuia vsque extendere. Eoq; nomine, ea quæ & lumbricos necant, cùm amara sint & proin abstergant, similiter hîc tentari poterunt.

Admota ventris regioni, ad lumbricos fugandos & necandos, cùm & illa ex summè amaris vel acribus concinnentur, ea quæ potenter abstergant, hîc quoque inuncta vel applicata, multùm possunt successu temporis efficere; tam olea quàm vnguenta, emplastra & cataplasmata illic descripta.



DE TERRESTRIVM EXCRETIONE.

CAPVT XV.

Genera.

ERRESTRIA corpora quæ in corpore nascuntur, sunt Arenæ vel Sabulum, Calculi tophacei vel lapidei: Suntque toto genere præter naturam, veluti & ipsorum excretio; prodeuntq; è diuersis corporis sedibus sequentibus, è quibusdam frequentiùs, ex aliis rariùs, ex aliis rarissimè.

Arenulæ mictione redditæ. Per meatum vrinarium inter mingendum, in multis Arenulę cum vrina effluunt; nunc citra alium affectum, aliàs in morbis quibusdam.

Calculus mictione excretus. Calculi inter mingendum quoque progrediuntur, aliàs cum impetu quodam ejiciuntur; quam excretionẽ nephriticus dolor ferè præcessit, vbi & hi calculi descripti fuerunt, interdum & sanguinis mictus; aliàs & vrinæ suppressio, ardensq; mictio, quandoque & mucosæ vel purulentæ materiei simul excretio, sicuti in eiusmodi excretionibus ostensum est, accedit. *Sabulũ mictione redditũ.* Sabulosa quædam alba materia, nõnunquam loco arenularum cum vrina prodit, cum calculæ vesicæ, à quo prouenit, indiciis.

Arenosa oculorum materia. In oculorum angulis, maximeq; in ciliis palpebrarum, non infrequẽter Arenosa materia, aspera, friabilis, cinerea vel subflaua se offert, quæ pilis illis per noctem, dum oculi clausi sunt, iunctis se affigit, illisq; accrescit, vt ægrè ab inuicem palpebræ rursum diduci, oculique aperiri queant. Quod & in affectu oculorum, quem Scliropthalmiam vocant, accidit, sicuti in oculorum doloribus demonstratum fuit.

Calculus emũctus. Ex aliis sedibus arenæ vel calculi rariùs prodeunt: Aliquando tamen emunctione, calculum pisi magnitudine, album friabilem excretum vidimus, eumque cum cæteris in Archiuo supellectilis nostræ medicæ asseruamus.

Calculus exscreatus. Exspuitione cum tussi, calculos reiectos fuisse, non solùm ego, sed & alij obseruarunt. Quorum quidam albi & tophacei; quidam cinerei & lapidei, teretes rotundi vel lati, æquales vel inæquales fuerunt: Præcedente dyspnœâ summâ, seu Asthmate: In quo frequentiùs eiusmodi calculi inclusi remanent retinenturque potiùs quàm expelluntur, sicuti in eo dictum fuit.

Calculi sub lingua. Ex ore quoque alij calculi aliquando prodierunt, veluti è linguæ tumore, quem Ranam vocant: *Calculus tonsillarum.* Vel etiam ex tonsillarum tumore, sicuti aliqui notarunt.

Calculus per anũ deiectus. Per anum calculum sciuali formam exprimentem, redditum, domi quoque asseruamus: aliumque qui ex equi aluo prodiit.

Fœtus lapidescẽs. In partu fœtum lapidescentem seu petrosum exclusum à matre, se vidisse, Medicus quidam nostri seculi clarus, mihi narrauit, idemque scripto publico testatus est.

Calculi cutis poris infixi. Leicht-dörn. Cutis poris tophuli exigui quandoque innascuntur, indeque eximuntur; Vti in faciei cute, nunc vnus, nunc plures se aliquando exhibent, quos Germani Leicht-dörn quasi leues spinas vocant. In cute callosâ plantæ pedis, similem exsectum retinemus.

Calculus in oculi globo. In oculi globi albâ sede tophulum minimum impactum, aciculâ quidam sibi eximi curauit, mihique ostendit.

Dentiũ tophi. Dentibus Tophi frequentissimè adnascuntur, eosque sæpè penitùs obducunt & occultant, aliàs circa radices potissimùm se affigunt.

Calculi è nodis Podagricorum. Per aperturas sponte vel sectione factas, Tophi è nodis podagricorum, plures sæpenumerò prodeunt; sicuti hoc in podagra ostensum fuit.

Calculi sectione exempti. E vulnere in perinæo, calculi per Lithotimiam eximuntur.

Calculi & arenulæ per fistulam prodeuntes. Ex alio vulnere in inguine, dum secaretur sarcocele, inflicto, in fistulam conuerso, & arenulas & calculos iam diu progredi cum vrina, in illius præternaturali excretione ostensum fuit.

Causa.

A Terrestri materia arenulas & calculos generari, nec dum à pituita, sicuti dictum est, & potissimùm eâ, quæ sero per-

mista, hinc inde ficcioribus partibus se affigit, illisque accrescit, in nephritico dolore, qui à calculo procedit, ostensum fuit. Ad hæc & à terrena alia materia, in certis excrementis aut partibus coaceruatâ concretaque, idem fieri, eaq; lapidescere posse, probatur eo, quòd hoc idem extra corpus, in lignis ossibusque petrificatis accidere videamus; & talia aliquãdo in corpore inueniantur. Sicuti quomodo hæc arenularum, calculorum & partium petrificatarum generatio, in corporis diuersis locis fieri possit, iam demonstrabimus.

Renum terrestr. is materia, causa calculi & arenularum mistione redditarum.

In renibus præ cæteris locis, vtpote quos serum continuò peruadit & alluit, arenulæ & calculi, qui per vrinarium meatum prodeunt, ex terrestri se illis affigente materiâ, vt in calculi renum causis abundè demonstratum fuit, generantur. Nam postquam hæc genita sunt, si non illic hæreant, & renum calculum dictum efforment, per vreteres in vesicam delabuntur, & si illic subsistant, vt calculi maiores solent, illicq; incrementum ab vrinæ terrestreitate sumant, vesicæ calculum tunc nominatum producunt: si verò vlteriùs cum vrina procedant, vti arenulæ plerunque solent, nonnunquam & calculi minores, tunc cum vrina, vti dictum, eminguntur. Aliàs verò hi qui in vesica retenti auctique fuerunt, per vulnus ceruici illius inflictum, in lithotimia inde extrahuntur. Qui &, vti casu factum esse diximus, in quodam è vulnere in inguine vesicę inflicto, prodierunt.

Vesicæ illapsæ arenulæ, causa illarũ quæ minguntur, vti & Calculillorũq; quæ exsecant aut alio vulnere prodeunt.

Hepatis terrestris materia, causa arenularũ quæ minguntur, & tophorum qui in eo subsistunt.

In hepate arenulas & tophos gigni, ob serum quoque, quod vasa ipsius pertransit, in illius affectibus ostendimus, è quibus arenulæ, cum sero ad renes delatæ, similiter inde ad vesicam, ab eaq; cum vrina inter vrinandum, excerni possunt. Quam viam ab hepate ad renes, tophi pertrãsire minimè possent.

Oculis innata arenosa materia, causa illius inde secretionis vel Tophuli innati.

In oculorum sedibus, à seroso humore, quo oculum continuò etiam naturaliter humectari, vel in lacrymis eò quoque deferri ostendimus, arenosa materia illa, quæ ex iis prodit, eadem ratione vt in cæteris locis, gignitur: Eoque libentiùs si calidæ & acres ob serum sint eiusmodi lachrymæ, vel alioquin terreni quid in se contineant: Vnde in sanis adhuc oculis, arenosa hæc materia nata, noctu dum oculi clausi sunt, in angulis oculorum colligitur, atque in cilia vsq; progressa, illis adhæret. Sicuti & in ægris, si oculi lachrymis obruantur, atque incalescant, arenulæ eiusmodi nascuntur, vt in Epiphora, quemadmodum illic quoq; fuit declaratũ.

Ab eadem causa, vti arenulæ, sic & tophulus, ex compactis arenulis oculi durę tunicæ accretis, in eo cui talis exemptus fuit, nasci potuit.

Naribus accrescẽs terrena materia.

In narium profundis antris & cauitatibus, à seri cum pituita à cerebro eò delabentis terrestreitate, se illic affigente, calculum qui emungendo prosiliit, genitum fuisse, credibile est. Nam licèt in cerebro etiam calculi inueniantur, cùm tamen hisce non pateat exitus, per angusta caluariæ foramina, vasis aliis oppleta, vix inde ea peruenire possent.

Pulmonibus innata terrestris materia, causa calculorum qui exscreãtur.

In pulmonibus, calculi qui exspuuntur, quo pacto gignantur, in asthmate, cuius ferè tunc causa existunt, ostendimus.

Intestinorum terrena materia se affigens, causa calculorum qui illic latent vel deijciuntur.

In intestinorum angustiis, & crassiorum præsertim gyris, in quibus diu sæpè materia quædam hærere atque indurari solet, ex seri quod & hæc loca continuò cum excrementis peruadit, eaque madefacit, terrenâ materiâ accrescente, calculos generari etiam posse, verisimile videtur, licèt nõ adeò frequenter obseruetur, vti verò in reliquis sedibus cùm hi excrementis misti, sine labore prodeant, & proin ferè se manifestent. Quod tamen & in homine fieri posse, probabile, cùm & ex equo talem calculum reiectum viderim. Quod sciualon verò in calculum conuersum attinet, hoc ex alia terrestri salsáve materia ab assumptis procedente, cum excremento hoc congestâ atque cum eo induratâ prodiisse, vti cætera quæ petrificantur, oportuit.

Vteri terrestris materia, causa Fœtus lapidescentis.

In vtero fœtus lapidescens, qualis in partu prodiit, quod rarum & inauditum aliàs fuit, vel à simili terrestri & salsâ materiâ totus imbutus, sic tandem lapidauit: vel ossa ipsius, vti reliqua ossa etiam extra corpus posita, veluti dentes, cornua, aliaque interdum lapidescunt, eodem modo in terrenam illam formam transmutata sunt.

Poro innata terrena materia, causa Calculi infixi.

In poro vno seu pluribus, seri terrestreitas inclusa manens, tophulis qui illic inueniuntur, materiam præbuit, eosque sensim calore externo exiccando, genuit. Quod maximè in facie, cùm sit aëri calido & sicco exposita, contingit. Eadem ratione hoc in oculi globo, huic cui tophulus illic prodiit, accidit, ex hærente illic simili veluti in puncto materiâ.

Tumorũ terrestris materia, causa calculorum sub lingua, tonsillarum, & in nodis podagricorũ.

In tumoribus, veluti sub lingua, item in nodis podagricorum, quo pacto calculi qui inde exeunt generentur, in iisdem demonstratum fuit. Eo modo & in aliis tumoribus, vti & tonsillis hoc idem fieri potest.

Dentiũ limus & sordes, causa Tophorum illis adnatorũ.

Dentibus quo pacto tophi, ex limo & sordibus qui dentibus adhærent, accrescant, in sordibus ostendimus.

Curatio.

Calculis quæ adhibetur cura, tunc præsertim instituitur, cùm aliqui sæpiùs iam prodierunt, vel aliis indiciis se produnt, vnde facilè cõjicimus eos rursum generari posse. Nam quod illos attinet, qui raro se offerunt, cura tãtùm adhibetur, vt, nisi sua sponte è corpore abeant, expellãtur vel eximantur. Quæ omnia sequenti modo in singulis administrantur.

Vesicæ calculi præcautio & curatio.

In calculo qui è vesica per mictionem egredi solet, & Calculus Vesicæ, licèt aliunde eò perueniat, dicitur, vti & in arenulis, hæc ipsorum excretio promouẽda potiùs, quàm impedienda erit, & ne noui nascantur, præcauendum. Quòd si in vesica hæreat, per curationem inde educendus.

Præcautio autem primùm in calculo vesicæ, non alia quàm quæ & calculo renum debetur, & in nephritico dolore fuit exposita, suscipitur, cùm in renibus calculi, qui ad vesicam ab ipsis descendunt, primam suam habeant originem, illicque exortus ipsorum impediri primùm debeat; quæ tamen præcautio, vt retenti in vesica minùs increscant augeanturq; etiam aliquid poterit efficere.

Curationẽ verò quod attinet calculi iam vesicam occupantis, hæc sic instituenda, vt ille vel atteratur vel comminuatur aut expellatur, vel à meatu quem occupat, remoueatur, aut è vesica eximatur. Quæ omnia sequentibus operandi modis perficiuntur.

Purgantia exhibentur interdum, tum si corpus aliis prauis humoribus refertum sit, ad eos repurgandos, corpusq; sic disponendum, vt quę huic affectui adhibentur, rectiùs operari queant.

Tum verò vt aluus respondeat, exhibenda quæ laxando & leniendo eam frequenter moueant, qualia in ardore vrinæ ab aliis causis proueniente, exposita sunt.

Tum etiam vt calculus vesicæ simul promoueatur ad excretionem, dantur fortiora cathartica, si fortè hisce natura excitata, vti alia superflua excrementa è corpore, sic & lapidem vi expultrice è vesica propelleret: sicuti sæpè vidimus, post conatus illos vehementes dejiciendi, purgantibus propinatis commotos, non solùm alui excrementa, sed & calculos fuisse excretos.

Hisce omnibus etiam lithontriptica permiscemus, si fortè & sic calculus confringi aut cõminui posset. Cuiusmodi laxantia & purgantia medicamenta, in calculo renum exposita sunt, quæ hîc quoque locum habere possunt, cùm virtus eorum cum vrina, ad vesicam vsque posit etiam pertingere.

Clysmata ad aluum leniendam sæpè iniecta prosunt emollientia & laxantia, passim descripta, tum etiam anodyna ad ardorem vrinæ inde contractum, si ille vrget, mitigandum, in colicis doloribus exposita, addendo semper ea, quæ ad lapidis comminutionem aliquid possunt efficere. Qualia in nephritico dolore, à calculo renum procedente, tribus exemplis proposita fuerunt.

Vomitum sæpè factum, ad pręcautionem vtilẽ esse, censent illi, qui à pituita calculum generari credunt, cùm potiùs quòd corpus purum inde reddatur, & maiori successu sic tractari posit, competat.

Hic quoque lapidem iam genitum, cùm magno conatu fiat, aliquando potest è vesica inductum illius excutere.

Exhibentur ad vias aperiendas & terrestreitates, quarum adhæsione calculus incrementum sumit, abstergendas, calculúmque minuendum, eadem ferè, quæ idem in calculo renum moliuntur, illicq; exponuntur. Quæ & ad præcautionem calculi vesi-

cæ, cùm ille in renibus initium capiat, proderunt. Quibus, cùm hic calculus remotior quàm renum existat, efficacioribus ex illis & frequentiùs maiorique quantitate, vt vires eò queant pertingere, vtimur.

Qualia sunt Ius alimentosum & medicatum, & Decocta varia. Cui & hoc adjici poterit, quod ℞. radicis Liquirit. ℥. ij. radic. Graminis ℥. j. radic. Asari ℥. ß. Betonicæ, Capilli vener. vel Trichomanes, Bupleuri, Saxiphragiæ albæ, Parietariæ, Fœniculi marini, Pimpinellæ ana M. j. florum Hyperici, Genistæ, Rosarum ana P. j. baccarum Myrti, seminum Anisi, Fœniculi ana ℥. ß. seminis Milij solis & Paliuri, si haberi potest, ʒ. ij. seminum Apij veri & Paludapij ana ʒ. j. Passularum enucleat. quartarium ß. Cicerũ rubr. P. j. fiat decoctio in Vino & Aqua: Pro 5. vel 6. dosibus bonę quantitatis, vt sic abundè bibitum, citiùs ad partem affectam deueniat, dissoluendo in singulis haustibus, syrupi de Limonibus & Oxymell. simpl. ana ℥. j. Oxymell. squillit. ʒ. ij.

Huic decocto & alia addi possunt aperientia vias, & lapidem atterentia, vt radices Aperitiuæ temperat. in aceto, radic. Rubi, Mori, Herniaria, Erica, Baccharis aliáve.

Infusa item conuenient in calculo renum exposita: Et Lixiuia.

Succi item, vt Vrina, Aceta, Aquæ naturales, aliive succi illic enarrati, quibus & succus acidus Berberis adiungendus, ad idem efficax: Vti & succi Fœniculi marini, Saxifragię, Hyperici, Nucum item viridium & Porri, qui per se vel cum liquore aliquo vel cocti soli aut cum Saccharo, & in formam syrupi, aut rob seu extracti vt vocant, vel tabularum redacti, dari possunt. Sicque tabulæ ex succo Limonum & Berberis nũc fieri consuetæ, valde sunt conuenientes & gratæ.

Aquæ stillatitiæ ad calculum renum præscriptæ, tam simplices quàm compositę, huc quoque referendæ, quibus & ægri faciliùs vtuntur.

Vrina hirci hîc quoque probatur, vti & Apri, à Dioscor. potui datæ.

Olea item illic proposita bibita, similiter & in hoc casu competunt.

In cibis itidem vsurpari solita medicamentosa comesta.

Et ex medicamentis quę in substantia diuersimodè pręparata sumuntur; quibus simplicioribus vtimur, vt sunt Resinæ, Plantarum quarundam pulueres, Sanguis, Cineresque aliquorum animalium: Dein & alia varia, ex quibus composita fiunt remedia, à plantis, animalibus, terrestribus innumeris petita, alibique descripta: Vti & ex illis concinnati pulueres, electuaria, pilulæ, vsitatæque quædam in hanc rem compositiones.

Præter quæ & in calculo vesicæ cõmendantur Murium stercus, lapid. Limacum, Calculi in felle bubuli, Ventriculus ossifragi, sanguis Cuniculi, Vitrum combustum, Sagapenum à Dioscorid. Euphorbium item cæteris additum, gummi Amygdalarum & Vitis viniferæ, radic. Eryngiorum, Pastinacæ syluestr. flores Sambuci nondum expansi, sed compacti adhuc siccati sæpeque exhibiti. Semina Vrticæ, Capparum, Tragij & Sisymbrij.

Iniectiones in vesicam fiunt, ex illis quæ ardorem mingendi, si ille vrgeat, mitigant, in eo dolore expositæ.

Deinde ad calculum confringendum, si fieri possit, fiunt ex oleo Scorpionũ, ex sanguine Hirci vel Vulpis: Maximè ex succo Limonum & Berberis, vel etiam aliis acidis, vt Aceto, quæ & emollire seu dissoluere saxa, corallia & margaritas, si illis imponantur, docent. Quæ tamen sic vsurpanda, & si opus, contemperanda, ne vesicæ noceant.

Insessiones & fotus, & relaxantibus & aperientibus vias, calculumq; cõminuentibus fiunt, iisdẽ quibus & in calculo renum vtimur, quæ vti illic hypochondriorum regioni, sic hîc ventris inferiori sedi maximè accommodantur: Quibus & alia quoq; addi possunt, veluti Fœniculus, Meũ, Saxifragia, flores Melilot. Hyperic. aliaq; Lithõtriptica.

In thermis naturalibus etiam balneæ illic expositæ, hic quoque conuenire possunt, si illis ad tempus aliquod vtantur, vt Acidis & Sulphureis præcipuè. Quarum loco arte paratæ ex Sulphure in aqua decocto, vsurpari possunt.

Inun-

Inunctiones in calculo renum descriptæ, dilatantes vias, anodynæ, & calculum disrumpentes, hîc vtiliter pectinis & perinæi regioni, testibus item & virgæ applicantur. Inter quas & oleum Scorpionum admodum est efficax, tam simplex quàm compositum, in quo aristolochia, gentiana, cyperus & cortices radic. capparum coquantur, cum quo sanguinem hirci præparatum interdum miscemus.

Cuius loco efficax quoque oleum parabitur, ad hunc affectum, ex Cantharidibus tum officinarum tum aliis, tum Scarabeis, Cicadis, decoctis in oleo; efficaciusque fiet, si succus Raphani, Parietariæ, & Sanguis hirci simul incoquatur, additâ Aceti squillitici portiunculâ.

Cingulum lapidem continens, quem calculum renum præcauere existimant, illic declaratū, idem in lapide vesicæ efficere docent.

Zona à quibusdam, si lumbis circumdata gestetur, quod noctu tempore somni commodè fiet, admodum laudatur, ex linteo panno facta, inuncto succis Tanaceti, Plantaginis & Barbæ Iouis, farinâ Fabaceâ & Melle exceptis.

Operationibus aliis calculum vesicæ, si in principium ceruicis illius insertus illic hæreat, vrinæque meatum obstruat, ab eo abigimus: Idque Concussione, si æger supinus collocetur, cruribus attractis & in altum eleuatis, & sic regio vesicæ nonnihil quatiatur, lumbique concutiantur.

Chathetere immisso, atque ad vesicam vsque adacto, calculus in vesicam ex meatu protruditur, qui cauus esse debet, vt vrina quæ suppressa erat, mox per illum effluat, atque ad formam ductus per penem obliqui, curuatus. Candelâ tereti cereâ hoc itidem fit, quæ cùm se commodè secundùm ductū illum flectere possint, & mollis sit, minori labore in vesicam vsque impellitur.

Aufertur è vesica atque eximitur calculus aliis artibus; quod fieri posse aliqui putarunt, applicando quædam peni, quæ proprietate quadam lapidem è vesica, per vrinæ ductum allicere & attrahere credunt: Ideò cerebrum Picæ auis, præputio & glandi impositum alligant: Vel virgam Raphani radici excauatæ eousque vt membrum admittere possit, introtrudunt, sicque relinquunt.

Mictionis impetu calculus è vesica nonnunquam expellitur, si multùm vini, aciduli præsertim, vna vice bibant, vrinamque diu postea, donec admodum vesicam oppleat, retineant, & dein affatim mingant, quo conatu & impulsu vrinæ, calculi interdū exiliunt, præsertimque si pedibus interim terram calcando, inferiora corporis sic concutiantur.

Suctione calculus in canali virgæ subsistens, nec vlteriùs progredi potens, attractus, interdum cedit, si virgæ glans ore, fortiter attracto spiritu, sugatur, vnde in infantibus præsertim, calculi nonnunquam exeunt.

Sectione calculum è vesica, qui aliâ nullâ ratione progredi potest, atque indesinenter dolore, vrinámve supprimendo molestat, eximere cogimur, licèt non sine mortis periculo, & conuulsionum quæ interdum sequuntur, hoc fiat; Vel noxæ alterius subsequentis, præsertim mictionis, quam postea retinere aliqui nequeunt. Multi tamen hoc pacto liberati, nunquam postea à calculo vesicæ molestati fuerunt. Alii verò post sectionem, aliis se offerentibus rursum in vesica calculi indiciis, qui vel de nouo à renibus descenderant, vel relicti in vesica non integrè repurgatâ, fuerant, repetita sectione restituti sunt, alij verò occubuerunt.

Perficitur verò sectio à chirurgis lithotomis hoc ferè pacto: Æger sedes ita mensa, dorso alteri qui eum retineat, in fasciis alligatur, vt motu corporis aut manuum, chirurgi operationē minimè impedire queat, cruraq; attracta, admodumque diuaricata contineat: Quo facto, cathetere intruso in vesicam, extrorsumq; presso, illic vbi supra podicem in perinæo, vesicæ ceruicem denotat, prominentiamq; facit, sectione nouaculâ in longum aliquousque supra catheteris fissuram ad hoc paratam inductâ, collum vesicæ aperiatur, indeq; illud foramen per vlnus factum, cathetere tunc retracto, directorium instrumentū, canaliculum in superficie impressum habens, in vesicam vsque imprimatur, &

tur, & forcipe in extremitatibus in cochleare vtrinque paruum desinente, per canaliculi ductum in vesicam vsque adactâ eaque parùm apertâ, calculus apprehensus extrahatur, qui si plures sint, denuò immissâ forcipe perquirantur eximanturque. Quibus absolutis, vulnus facilè plerunque iterum, nisi vesicæ corpus læsum sit, coalescit.

Minori labore & periculo calculus in penis ductu hærens, & nulla ratione cedens, simplici sectione sub illo, in medio corporum duorum illius factâ, ad calculum vsque, è ductu illo exilit.

In mulieribus citra sectionem, per diductionem meatus vrinarii, ampliati eousque, vt forcipem possit intromittere, calculi è vesica eximuntur: quæ dilatatio fit instrumento quod Speculum matricis vocant, quod stilo, priùs meatui inserto impositum, mucrone eius in ductum illum impresso, sensim ab inuicem donec forcipi qui indi debet, pateat aditus, diducitur: per quam vi hac factam sensilis huius sedis dilatationē, cùm dolor non exiguus suboriatur, & plerunque dilaceratione illius loci vulnus & læsio admodum grauis inducantur, non sine periculo, dictarum quæ post sectionem interdum eueniunt, noxarum, etiam hæc administratio perficitur.

Sunt qui sectione factâ in abdominis sede, in vesicam vsque penetrante, superstite homine, calculos è vesica eximi posse, docent. Quod nos ex casu, vulneratâ vesicâ, fieri vidimus, in piscatore, qui per fistulam post vulnus vesicæ relictam, iam multis annis, non solùm vrinam, sed calculos atque arenulas excernit.

Comprimendo foris & impellendo vesicæ regionem, deorsum versus, & digito immisso in podicem, calculum in vesica premendo, eum in ductum vrinarium impelli, indeque ductum sub pene vlterius impellendo, etiam è corpore citra sectionem educi posse quidam aiebat. Et cùm me præsente hoc tentaret, calculum quidem in ductus illius principium adegit, verùm cùm vlteriùs propelli non posset, mox sectione leui illic factâ, vbi calculus hærebat, is prosiliit.

Viuendi ratio eadem quæ in calculo renum descripta fuit, hîc est obseruanda, cùm calculus vesicæ ex calculo suum capiat initium, & augmentum illius, per adhæsionem terrestreitatis & salsedinis vrinæ, iisdem impediatur quæ illius ex eadem materia generationem præcauent, & contrariis inducatur.

Oculi innatæ arenosæ materiei curatio, vti & Tophuli. In oculorum angulis & ciliis, adhærentis & impactæ arenosæ materiei cura in eo versatur, vt humiditatem illam nimiam madoremque oculorum auertamus. Quod eâ ratione quæ in cura lachrymarum descripta fuit, & si oculorum adsit rubedo, iis quæ in epiphoræ cura proposita fuerunt, poterit perfici. Interim cùm ciliorum conglutinatione, palpebrarum diductio impediatur, vt hæc sine labore rursum separari oculique aperiri queant, liquore aliquo, veluti aquâ Rosaceâ vel Lacte, concretam hanc materiam à somno, quo tempore maximè hæc agglutinatio fit, emollire oportet. Tophulum oculi globo innatum quod attinet, si tale quid contingeret, cùm parùm impediret, vel sinendus donec sponte elaberetur, vel acu, quod citra noxam in crassa hac oculi, tunica fieri potest, eruendus.

Narium calculi curatio. E naribus si calculus emungatur, & suspicio ex noua redeunte narium obturatione alterius calculi oboriatur, Errhinis in nares attractis, aliisque quæ facultatem expultricem excitant, sternutationemque mouent, maturè illum excutere studebimus.

Pulmonum calculorum curatio. E pulmonibus si calculi expuantur, nec dyspnœa aut asthma cesset, ex eoque alios adhuc superesse colligamus, expectorantibus in asthmate expositis, eos ad expulsionem promouere conueniet.

Intestinorum calculi curatio. Ab intestinis calculi progressi, si fortè in fæcum deiectione deprehenderentur, cùm hoc rarum sit, & hæc ipsorum excretio per loca excrementis cuiuscunque generis destinata, fiat, non erit ipsorum causâ aliquid moliendum. Quòd si sæpè hoc eueniret, quod tamen non fit, ad hosce præcauendos, aliquid foret tentandum.

Fœtus lapidescentis curatio. Ex vtero quod fœtum lapidescentem partu redditum attinet, satiùs est rem tanquam priùs inauditam admirari, & in causarum inue-

investigatione hærere, quàm aliquid aliud in præcautione faciendâ tentare.

Poris innatorum tophulorum curatio.

Poris innati tophuli, vix spôte egrediuntur, sed vnguibus in facie vel acu leuiter cuticulâ diuisâ eximuntur: Et in pedum plantis callosæ cuti immersi, scindendo & diuidendo eam, similiter effodiuntur.

Tumoribus linguæ & tonsillarum & nodis podagricorum calculorum curatio,

E tumoribus linguę, tõsillarum aliarúmve sedium calculi, aut nodis podagricorum tophi, si progrediantur, cura vlceri relicto accommodatur. Quòd si tumori inclusi adhuc sint, molestiamque pariant, suppurantibus tumores in abscessum deducendi, vt eo vel per se aut sectione aperto, vel sponte, prodeant, aut eximi queant. Quòd si maturari nequeant, aut alioquin tamdiu moram non patiantur, statim aperiendi, calculique eximendi: Sicuti hæc in tumoris sub lingua curâ, quem Ranam vocant, docuimus.

Dĕtium tophorũ cura.

Dentibus accrescentes Tophi, quo pacto auferendi, vbi de sordibus tum in genere, tum in specie dentium sordibus egimus, fuit descriptum.



RERVM EXTERNARVM CORPVS SVBEVNtium Excretio.

CAPVT XVI.

Genera.



Es externæ corpus subeuntes, indeque rursum excretæ diuersæ admodum sunt, quæ vel corporis interiora subintrant, vel extrinsecus se illi affigunt: Suntque cùm in illud minimè pertineant, toto etiam genere præter naturam, vti & ipsarum excretio talis existit. Quæ è diuersis corporis sedibus procedit.

Oculorũ excretio, rei externæ corpus subeuntis.

Ex oculis varia, quæ in cauitatem ipsorum illabuntur, & lachrymas, pruritum, dolorem, inflammationem, vel etiam exulcerationem pariunt, sicuti in oculorum dolore demonstratum fuit, prodeunt.

Auriũ excretio, rei externæ corpus subeuntis.

Ex auribus quædam quæ in eas irrepunt, & strepitum in illis excitant, vel introtruduntur, audituique impedimentum adferunt, sicuti in auditus læsione fuit expositum, exeunt.

Narium excretio, rei externæ corpus subeuntis.

E naribus, quæ in eas spiritus attractione inuolant, & pruritum mouent, sternutatione excutiuntur: Aliquando quæ per os assumpta fuerunt, per nares rursum effunduntur vel prolabuntur.

Exspuitio, rei externæ corpus subeuntis. Vomitus, rei externæ corpus subeuntis.

Ex ore aliqua quæ in nares illapsa fuerant, & in fauces descenderant, exspuuntur, vel tussi si in asperam arteriam peruenerint, eamque irritent, rejiciuntur. Vel ea quæ per os assumpta fuerunt & deglutita, ventriculoque molestiam exhibent, per eâdem viam rursum euomuntur, vel quæ in œsophago hæserunt, rursum per os prodeunt. Aliquando & quæ per podicem iniecta, per os rursum vomitu rejecta fuerunt.

Dejectio rei externæ corpus subeuntis.

E podice, varia quæ assumuntur, & quæ molestiam aliquam in regione vẽtriculi vel ventris, vel in ipso dum egeruntur, vel illic subsistunt, excitant, dejiciuntur: aliàs verò sine omni molestia iterum egeruntur, & plerunque non obseruantur. Alia quoque quæ in podicem immituntur, infunduntur aut casu, vt dicetur, irrepunt, indeque rursum prodeunt.

Vteri sinus excretio, rei externæ corpus suebuntis.

Ex sinu vteri, quædam eum subeuntia afficientiaq; rursum prodierunt.

Mictio rei externæ corpus subeuntis.

E meatu vrinario aliqua ex assumptis, cum vrina emicta fuisse, obseruatum fuit.

Papillã penetrãs res externa corpori illata.

Ex papillis mamillarum itidem, aliquid deglutitum egestum constat.

Corporis superficiem peruadens res externa corpori illata, cutisse affigentis rei externæ ab eo recessio.

Per aperturas alias in superficie corporis, aliqua ex assumptis vel arte magicâ corpori inditis, prodiisse aliqui scripserunt.

A cute quæ se illi extrinsecus aliquando affigunt, maximè in illius plicaturis, vti & sub vnguibus, rursumq; recedunt, huc quoque referri possunt.

Causæ.

MVltæ & variæ sunt omnis generis res externæ, quæ casu plerunque oculos, aures, nares, os, sinum vteri, podicem subeũtes, indeque vel per easdem sedes per quas subintrarunt, vel etiam alias rursum prodeuntes, hisce excretionibus occasionem causamque præbent, & quæ corporis superficiei se affigentes, inde quoque recedunt. Quas omnes recensere cùm impos-

sibile sit, sufficiat præcipuas, & quæ maioris sunt momenti, vel quæ frequentiùs illud efficiunt proposuisse, & prout has illásve vias subeunt, primùm distinxisse.

Oculis illapsa, causa vt inde rursum excernantur.

In oculos quæ incidunt, indeq; rursum exeunt, sunt plerunque muscæ, casu inter volandum oculis illapsæ. Aliquando pulueres, festucæ, pili, arenulæ, lapilli aliáve minuta cuiuscunque rei corpora, in oculorum dolorum causis exposita. Vbi & quo pacto cilia in oculum contorta, illumq; pungentia molestiâ afficiant, demonstratum fuit.

Aures irrepentia vel illis indita, causa vt inde rursum emergãt vel effluant.

In aures quæ illabuntur indeque prodeũt, sunt præcipuè aqua, quæ inter natandum, in illas influit: Item pulices & pediculi, aliàs & cimices, scarabæi, aliaque insecta, & vermiculi. Inter quos & salamandram paruam, ne in aures irrepat, metuunt. Aliquando & auribus aliæ paruæ res incidunt, sicuti in oculos, in auditus læsione expositæ inter quas & nucleus cerasi existit, qui ab infante quodam intrusus, vbi diutiùs subsistens, terrorem vanum ne illic crescendo augeretur, quibusdam incussit.

Naribus attracta, causa vt rursum emungãtur, vel excutiãtur vel exspuantur, aut exscreentur.

In nares quæ feruntur res, exiguæ quoque sunt, quales oculos & aures etiam subire possunt: quæ inspiratione plerunque attrahuntur, & vel subitò emunguntur, vel sternutatione quam commouent, ejiciuntur, vel per narium amplitudinem in fauces delabentes exspuuntur; vel in asperam arteriam se ingerentes, tussi rejiciũtur. Alia quę in nares sensim repunt animalcula, quod inter dormiendum fieri necesse esset, diutiùs quin ob pruritum quem mouent, sternutatione excutiantur, vix possunt subsistere.

Os subeuntes res extraneæ assumptæ, causa vt hæc iterum dejciantur vel euomantur nonnunquã & emingantur.

Per os assumpta, quæ per deiectionem alui, cum prægressis ventris torsionibus vel etiam sine illis, nonnunquam & vomitionem, si ventriculum molestent, rursum excernuntur, sunt varia.

E ciborum genere quædam assumpta, non quæ ob ventriculi imbecillitatem incocta & cruda permanent, in lienteriaq; dejiciuntur, sed quæ in sano alioquin ventriculo, cùm concoqui & euinci nequeunt, talia qualia erant, rursum rejiciuntur, præternaturalem illorum per anum deiectionem pariunt. Idq; vel quia nimis magnâ quantitate assumpta concoctionẽ subterfugerũt, vti aliquãdo ob pinguiũ, olei butyríve immodicũ vsum, accidit, pinguisq; deiectio sicuti in ea demonstratũ fuit, sequitur; vel quia ob duritiem vel crassitiem non potuerũt mutari, talia rejiciuntur. Sicuti quendam caseũ quem diu immoderatè comederat, in colico dolore excreuisse, in eodẽ ostendim⁹. Et duas puellas, castaneas, quibus se impleuerant, post clysmatis vsum, magnâ copiâ reiecisse vidimus: Vti & in dysenteria similiter quendam castaneas multas, quas ante menses aliquot affatim comederat, quæ adhuc cognoscebãtur, etiam post vsum enematis deiecisse.

Plerunque verò quæ concoqui in hominis ventriculo nequeunt, vti in animalibus, non mutata rejiciuntur: Vt sunt ossei nuclei cerasorum, prunorũ, cornorum similiumq; fructuum, vti & mespilorum ossa dura & veluti lapidescentia, quina plerunq; in quouis, cuiusmodi ad me pro calculis excretis missa, cùm diligenter examinauissem, protinus ossicula mespilorum esse deprehendi.

Cortices fructuum & leguminum, etsi tenues sint membranæ, tamen quia integri etsi medulla cõcoquatur, manent, in excrementis alui conspicui excernũtur: Magnaq; sæpè copiâ post esum leguminum & imprimis lentium, vnde eas non concoqui posse, falsi hisce ipsarum tunicis, & ob id insalubres esse, vulgò iudicant.

Ossicula gallinarum multa simul, mulierem quæ in seruanda diæta pedes gallinarum coctos comederat, diu postea cum clysmate excreuisse, obseruauimus.

Pręter iam enarrata, inter cibandum vsurpari solita, multæ aliæ externæ res casu deuoratę, plerunque dejiciuntur, aliàs euomũtur. Vt sunt animalia quædã tam viua quàm mortua, quæ cùm integra sint, & proin in ventriculo humano digeri nequeant, talia rursum egeruntur, secus ac in cæteris animantibus quibusdam, quæ varia animalia integra adhuc deuorantia, videlicet mures, serpentes, scarabæos (inter quos & ceruum volantem dictum, cornutum à capitone Aleto pisce deuoratum vidi) eadem concoquũt, & licèt viua adhuc sint, ab ipsis tamen minimè læduntur.

Inter cætera, anguillam viuam, fatuum quendam quam per lusum & iocum ori indiderat, in fauces se subitò, vtpote lubricam, insinuantem, deglutiuisse certò constat, eamq; post grauia tormina quæ passus fuerat, sequenti die, mortuam, atque vti ferebat veluti excoriatam in superficie, per aluum reddidisse.

Persuadent sibi fatui quidam, atque imprimis melancholiâ affecti homines, diutiùs murmura quædam, aut motum in ventre, flatuumq; plerumque causâ sentientes, se serpentes deuorasse, illosque intestinis subsistere, vel etiam ranas, quæ ex fœtura ipsarum, casu inter natādum in flumine haustâ, genitæ aut alioquin iam natæ, verùm parvę adhuc ab illis deglutitæ sint. Id tamen falsum esse, hoc ostendit, quòd si in ventriculum hæc vel etiam alia viuentia perueniant, quod tamen vix potest fieri, viuere diutiùs ea minimè possint, sed in angustijs illis suffocentur, & à calore nostro edomentur.

Animantium pili interdū deglutiti, rursum cum excrementis excernuntur, qui si dum adhuc calent, conspiciantur, se nonnihil torquentes ac si viuerent, vermiculos viuos referunt talesque ab imperitis esse putantur: Sicuti impostorem quendam noui, qui vt se vermes è corpore suo pharmaco propellere testaretur, chordas minutas incisas frustatim, clam pilulis insitas propinabat, & postea quando rursum excernebantur, quo pacto se mouerent demonstrabat, multisque sic credentibus vermiculos esse imponebat. Vidimus quoq; & habemus pilas in ventriculis vitulorum, caprarum & imprimis rupicaprarum frequentissimè inuentas, ex pilis deuoratis, & in ventre inuicem firmissimè cōpactis ac intectis, extrinsecusq; crustâ quadam obductas formatas. Quales fortè & in homine, si multos deuoraret pilos, vt iam dicta animalia, quæ horum deglutitione delectātur, possent enasci.

Ex terrestribus quædam deuorata, talia qualia sunt, rursum dejiciuntur. Vt sunt arenæ, lutum, lapides & metalla. Sicuti fatuum quendam quæstus causâ, pretio vili, plurimos silices, etiam nucis magnitudine, subitò sine molestia deglutiuisse, stomachumq; adeò impleuisse, vt dum comprimeretur, sonum lapidum se mutuò collidentium ederet, & postea eosdem eiectos ablutos rursum deuorasse, idq; sæpiùs, spectauimus: Vti & mulierem quandam argentum viuum, fortuitò bibitū, dum in musæo meo mihi casum narraret, copiosè per aluum iterum effudisse vidimus. Quæ corpora solida & dura, terrena, homo nullo modo potest digerere, sicuti verò aues sabulum & lapillos, quorum esu delectantur, consumere posse certò obseruaui, & lupos lutum lambendo, famis tempore se diu sustentare, inq; lupi ventriculo lutum lapidescens, aut ex argilla cinerea conflatum lapidem deprehensum, inter alia rariora asseruamus.

Artificialia multa ex prædictis terrenis, vel ex ligno conflata, varia sæpè casu deglutita, nisi in intestinis subsistant, vti sæpè dit fit, per aluum excernuntur: Veluti globulum sclopeti, quem studio aliqui medendi gratiâ deuorant: Alij temulenti & ebrij immò insani vitra morsa confracta degluttiunt.

Cochleare quidam ebrius, lac eo comedenti ab altero intrusum, deglutiuit, vnde cùm diu torsiones sensisset, altero die, non sine labore & dolore in exitu podicis hærens iterum tandem per aluum idem reddidit.

Crucem auream magni precij, quendam noctu dormienti concubinæ, de collo clam detractam, ne apud illum deprehenderetur, deglutiuisse, & postmodum denuò excretam sic abstulisse, narrat Vesalius.

Cultrum panno linteo obuolutum, per vinm intrusum, aliquem deglutiuisse, indéque torsiones summas persensisse, qui postea in inguinis regione tumorem & abscessum genuerit, ex eoque dissecto extractus fuerit, diu post superstite illo, scribit insignis quidam Medicus.

Acum pridem ante deglutitam, è vena quadam prodijsse alius scribit.

Ex papilla mamillarum, acum in lacte prodijsse, Medicus fide dignus certò mihi affirmauit.

Inter ea quæ os subeunt, multa rursum quam primùm deprehenduntur, exspuun-

tur: Aliqua si à meatu proprio aberrent, vti loquuntur, & in asperam arteriam labantur, sicuti panis micæ, aqua bibita, aliáve, tussi per os rursum exscreantur: Vel in nares vi profusa, vti liquida, per eas denuò effunduntur.

Interdum ex illis quædam deglutita, in faucibus hærentia, transglutiendi vti & respirandi pariunt difficultatem, nonnunquam & suffocant. Quæ inter cætera spinæ, ossa & numismata deglutita, sicuti in transitus per gulam defectu demonstratum fuit, subsistentia, nonnunquam efficiunt: Et sanguisugam fortuitò haustam, in œsophago hæsisse, ostendit Rhazis.

Ex assumptis quædam etiam vlteriùs ex intestinis per venas meseraicas transeuntia, cum vrina mictione quandoq; reddita fuerunt: Veluti Oleum affatim bibitum. Quod & ab aliis pinguibus frequenter & copiosè sumptis fieri potest, vt vrinæ pinguedo hæc innatet, neque illa, quæ sæpè in ea deprehenditur, semper à renibus, vti putant, procedat.

Vermiculos cum caseo comestos, eò quoque peruenisse, & vrinæ confusos emictos fuisse, in vrina excreta ostendimus.

Fortè & arenosa quędam sumpta, per venas meseraicas transeuntia, vrinam sabulosam reddere possunt, vt non sit necesse eas arenas in corpore natas esse, quod tamen si fit, admodum rarum est.

Per recti intestini vlcus, ceruicem vesicæ simul perforans, fistulosum, ossicula auium comesta, inter mingendum prodiisse, similiter obseruauimus.

Podici iniecta clysmata, vel in eum irrepẽtia, causa harum earundem euomitionũ vel deiectionum.

Per podicem iniecta enemata, aliquando ex crassioribus intestinis in tenuia ascendentia, indeque in ventriculum vomitu rejiciuntur.

Sanguisugæ podici ad prouocandas hæmorrhoides induntur.

Talpam rustico cuidam viuam in sacculo femoralium eo perforato, aliquousq; vi podicem subiisse, vixq; inde rursum nisi priùs interfectam, extrahi potuisse, alter rusticus, qui consilij gratiâ ob læsionem podicis ad me venit, mihi retulit.

Vteri sinum ir-

In sinum vteri murem aliquousque penetrasse, quidam testabatur, estque verisimile hoc, cùm mulieres adeò sibi ab illis metuant.

repentia, causa vt inde denuo prodeat.

Quæ magica arte corpori indita ab eo excernuntur, hîc proponere non est nostri instituti.

Ossicula, pili aliaque res externas repræsentantia, in abscessibus genita, cùm extrinsecùs corpus non subire soleant, sed vti in tumoribus eiusmodi ostendimus, ex succo nutriente partium nascantur, non ad hasce excretiones rerum externarum pertinent: Nisi magicis præstigiis talia indita sint, quod tamen à causa etiam naturali dependere posse, in tumoribus in abscessum desinentibus, demonstratum fuit.

Sordes, causa eorum quæ se extrinsecus cuti affigunt, ab eaq; iterum recedũt.

Quæ se cuti extrinsecùs affigunt externa, indeque rursum auferuntur, præcipuè sunt Sordes, non illa quæ ab internis causis proueniunt, de quibus iam egimus, sed quæ ab externis prodeuntes, & ex contactu rerum sordidarum sensim corpori in manibus, pedibus illorumque digitis & sub vnguibus, se agglutinant, eaque sordida reddunt, coloreque alieno interdum inficiunt, & sub Vnguibus nigredinem illam sub illorum eminentiis cõspicuam pariunt, sicuti in discoloratione horum quoque facta est mentio. Inter quæ frequens pecuniæ contrectatio, sordibus abominandis, quas tamen immodicum eius desiderium obfuscat, manus inficit, quæ sordities pecuniæ inde quòd à tot hominum millibus, mendicis, leprosis aliterque infectis contrectatur, aduenit.

Vnguiũ sordes.

Pulices causa eorum quæ se extrinsecus corpori affigunt indeq; recedunt.

Inter animalia Pulices frequentiùs saltu vestibus & integumentis se inserentes, inde corpori nudo se affigunt, & aculeo intruso, ex eo sanguinem, donec impleantur, sugunt. Quos aliunde potiùs huc peruenisse, nec in corpore, vt pediculi ex sordibus cuti vestibusque adhærentibus, vti ostendimus, nasci, ex eo patet, quòd longè aliam quàm pediculi formam habeant, rubeant, nec vti illi repant, sed pedibus longioribus duobus saltent, non sordibus, vti pediculi, sed sanguine se saginent, nec in corpore, vti pediculi, continuò subsistant, sed locum mox mutent. Licèt enim in canibus, in quorum

pilis

pilis tam numerosi hærent, gigni, vel saltem aliunde illati, se multiplicare, novíve ex sordibus illorum cutis nasci videantur: hoc tamen in homine, cuius sordes diuersæ à canum sordibus existunt, fieri nequit: sicuti etiam in aliis animalibus pilosis, & plumeis auibus, ob sordium in illius diuersitatem, aliâ formâ pediculos quàm in homine, & pulices quàm in canibus generari videmus, nec solùm ex sordibus quę ab ipsorum corporibus emanant, illicque permanent, sed etiam ex illis quibus nidi ipsorum replentur, vt in homine in indusiis, sic & pulices in canibus & aliis animalibus tam pulices quàm pediculi enascuntur.

Hirudines, causa eorũ, quæ se extrinsecus corpori affigunt ind' q̃re cedant. Hirudines siue sanguisugæ, studio plerunque cuti ad sanguinem eliciendum apponuntur, raro in flumine natantibus, sponte se affigunt: vti verò minores sanguisugas piscibus copiosè adhærere interdum videmus.

Curatio.

RES enarratæ aliæ've corpus subeuntes, & vel illapsæ vel assumptæ, aut irrepentes, si illic persistant, nec incommodent, maximeque si nihil de eo quod corpori illata sint, constat, negliguntur; si verò vel functionum aliquâ læsione aut dolore se patefaciant, tunc vt è corpore educantur, cura instituitur; sicuti quorundam etiam, cùm de symptomatibus quæ proferunt, ageremus, fuit exposita. Quòd si sponte prodeant, naturæ hoc committendum; si in ipsa excretione molestiam pariant, aut subsistant, hisce cura adhibebitur. Si ægrè procedant, hæc expellere, ejicere, eximere variis modis studebimus; Veluti sequentibus.

Oculis illapsorũ cura. In oculos illapsa varia, nisi sponte rursum exeant, quo pacto elui vel eximi debeant, in cura dolorum oculi fuit descriptum: Vbi & si cilia contorta oculos pungant, quid agendum sit, declaratum fuit.

Aures irrepentiũ cura. In aures irrepentia, vel intrusa, quomodo elui, excuti, extrahi, & si animalcula sint, allici & necari debeant, in auditus læsione quã inducunt, ostensum fuit.

In nares attracta, vel eas subeuntia, mox plerunque sternutatione quam mouent, iterum excutiuntur, vel per amplitudinem narium in os vel fauces prolapsa, exspuuntur vel exscreantur. Et si in asperiam arteriam perueniant, tussi rejiciuntur. *Naribus attractorum cura.*

Per os sumpta varia, si in asperam arteriam incidant, similiter tussi rejiciuntur, quandoque etiam in narium amplitudinem delata, per nares emunguntur. Si in aspera arteria subsistant, nec possint excuti, quod vix fit, expectoratibus exhibitis subueniendúm, ne vti alicubi ob muscam illapsam accidisse scribunt, suffocetur patiens. *Os subeuntium cura.*

Si in œsophagũ delata, illic alicubi in ductu vel circa stomachum hæreant, vti de sanguisugis aliisque dictum, vnde periculum suffocationis oritur, quâ ratione hæc inde sursum deorsúmve propellẽda sint, in Trãsglutiendi impedimento quod adferunt, ostensum fuit.

Quòd si verò in ventriculum varia illa cuiuscunque generis quæ assumpta studio casúve fuerunt, deueniant, nisi sponte eum grauando vel irritãdo, vomitionem mouendo, per eum excernãtur & euomi queant, vomitus mouendus.

Si verò in intestina vsque descendant, eáque peruadentia, per podicem egerantur, & hæc ipsorum excretio clysteribus iniectis promouenda, & si in podice quædam subsistant, instrumentis euellenda.

Per podicem iniecta clysmata, si sursum delata vomitu rejiciantur, pro malo signo habetur, & cùm hoc in colico dolore accidat, cura non alia quàm quæ colico dolori debetur, adhibenda. *Podici iniectorum vel irrepentium curatio.*

Sanguisugæ podici inditæ, postquam sanguinem suxerunt, seque impleuerunt, rursum sponte elabuntur, vel extrahuntur. Si cedere nolint, caudâ præcisa, quod vt sanguinem suctum effundendo, ampliùs sugant, fieri solet, citiùs secedent: Vel cineribus aspersis, sale aliísve, quæ & vermes fugare diximus, vt locum deserant abeantq́; efficimus.

Quæ in podicem scandens, se aliquousque intromiserat talpa, cùm trahendo ob cruciatum, quem pedibus renitendo pariebat, inde auelli nequiret, occisa tandem pro-

Vteri sinum irrepentiũ cura. diit, læsionem aliquam ani, cui cura adhibita fuit, post se relinquens. Quod & in mure, sinum vteri subeunte, accidit.

Cuti adharescentium sordium curatio. Cuti adhærentes sordes, ab externis profectæ, quo pacto auferri debeant, & ab illis corpus repurgari, in sordium quæ ab internis causis proficiscuntur, cura fuit edoctum, cùm eadem ratione, vti illæ abstergantur.

Vnguiũ sordium cura. Sub vnguium eminentiis coaceruatę sordes, ob neglectam ipsorum absectionem, illis præsectis simul amouentur.

Pulicum à corpore depulsio. Pulices quo pacto ex conclaui, lecticiniis & vestibus abigantur, non nostri est instituti exponere; vt verò corpus minùs infestent, si certis decoctis dum in balneo sunt, quibus & pediculi fugantur, se lauarent, posset id aliquo pacto effici, cùm aliter se hanc ob causam inungere tædiosum sit.

Hirudinum cuti affixorũ depulsio. Hirudines cuti affixæ, vti de illis quæ podici induntur diximus, vel sponte iterum procidunt, vel eadem arte abiguntur.

F I N I S.

IAmq; Opus absolui, quod non abolere vetustas,
Non poterunt flammæ, non vis, non vlla potestas.;
Cùm veniet tempus, quod mundo me auferet isto,
Parte tamen meliore mei viuam, atque manebit
Nomen, dum mundus manet, indelebile nostrum.



IN-

INDEX.

AFfectuum omnium qui in hoc opere tractantur, & in margine plerunque adnotati reperiuntur, tam Symptomatum in generibus propositorum, quàm Morborum in causis descriptorum: Quibus, ubi cuiusque cura (quo nomine omnem actionem Medici, quæ prædicendo operandoque perficitur, intelligimus) inueniatur, numero indice, singulis addito, significatur.

A

Abdominis musculorum conuulsio, causa Mictionis inuoluntariæ 681. cura 682
Abortus vel aborsus 472. causa 475. 476. cura 480
Albara, vide Vitiligo.
Alopecia, vide Pilorum defectus.
Alphæ, vide Vitiligo.
Alui fluxus, vide Dyarrhœa.
Anasarca, vide Leucophlegmacia.
Aneurisma 183. causa 299. cura 343
Animalium excretio 784. causa 788. cura 792
Animatorum reiectio 809. causa 811. cura 812
Ani resolutio 487. causa 496. cura 529
Aquosus humor, causa sordium in oculis, auribus, naribus & obscœnis 776. cura 778
Aquosa seu aquea excretio 593. causa 597. cura 605
Arenosa oculorum materia 817. causa 819. cura 821
Arenulæ mictione redditæ 817. causa 819. cura 821
Arteriæ sectio seu Arterotomia, causa illius sanguinis effluxus 567. cura 576
Ascarides 785. causa 789. cura 802
Ascytes 167. causa 212. cura 251
Atheoma 188. causa 197. cura 313
Atrophia 434. causa 440. cura 448
Atrophia cachexia copulata 438. causa 440. cura 448
Atrophia hydrope comitata 438. causa 440. cura 448
Atrophia particularis Schweinsucht *438. cura 465*
Aures irrepentia vel illis indita, causa vt inde rursum emergant vel effluant 831. cura 837
Aures subiens aquosus humor è venis illis emanans, causa Aquosi ex auribus fluoris 600. cura 608
Aurium aquosus effluxus 595. causa 600. cura 608
Aurium excretio rei externæ corpus subeuntis 822. causa 831. cura 822
Aurium purulenta excretio 584. causa 586. cura 589
Aurium sanguinea excretio 558. causa 560. cura 568. 575.
Aurium sordes 774. causa ibid. cura 777
Aurium vermes 786. causa 789. cura 804
Aurium vlcus causa Purulentæ inde excretionis 586. cura 589
Aurigo, vide Icterus.

B

Barba tardius enascens 8. causa 19. cura 26
Bilis ad superficiem corporis delata, causa Icteri 82. cura 119
Bilis, causa Dyarrhœæ, Dysenteriæ Tenesmi 774. cura 725. 748. 753
Bilis, causa Sordium in auribus 775. cura 777
Bronchocele 182. causa 238. cura 299
Bubonocele, vide Cele.

C

Cachexia 57. causa 72. cura 90
Cacochymia cachexiæ species 58. causa 72. cura 90
Calculus emunctus 817. causa 819. cura 829
Calculi è nodis podagricorum 818. causa in podagra, cura 829
Calculi & arenulæ per fistulam prodeuntes 818
Calculus exscreatus 818. causa 819. cura 828
Calculus in oculi globo 818. causa 820. cura 828
Calculus mictione redditus 817. causa 818. cura 820
Calculus per aluum excretus 818. causa 819. cura 828
Calculi poris infixi Leichdörn *818. causa 828. cura 829*
Calculus renum, causa Mictionis cruentæ 678. cura 728
Calculus sub lingua 818. causa 820. cura 829
Calculus tonsillarum 818. causa 820. cura 829
Calculus vesicæ exsectus 818
Calculus vesicæ, causa Mictionis ardentis 678. cura 695
Calor cutem dilatans, causa coloris Rubicundioris & viuidioris 88. cura 129
Calor febrilis, causa impreßionis factæ in vnguibus vel diuisionis 23. cura 51

Calor

Calor febrilis, causa Pilorum defluxus 22. cura 26
Calor feruens, causa Pilorum defluuii 17 cura 26
Calor vehemens extrinsecus aduueniens, causa Dentium mobilitatis vel lapsus vel fractura 17. cura 23.24
Callus cutaneus 190. causa 201. cura 329
Callus osseus 290. causa 204. cura 327
Caluities 3. causa 21. cura 26
Cancer generalis, vide Elephantiasis.
Canities 66. causa 89. cura 162
Carnositas nimia 6. causa 19. cura 43
Caro luxurians 177. causa 196. cura 322
Cele, Chyli 192. causa, cura, vide Partium procidētiam in excretorum vitiis.
Cerebri pituita defluens ad os, causa Expuitionis pituitosæ & Ptyalismi 625. cura 630
Chirones pediculi in manibus Süren 791. cura 806
Cholera morbus 642. causa 646. cura 654
Chylus, causa Cœliacæ paßionis 753. cura 766
Chylus, causa generationis Lumbricorum 788. cura 792
Chylus, causa generationis Tæniarum, & Cucurbitini vermis 812. cura 816
Chyrades, vide Scrophulæ.
Cicatrix 190. causa 201. cura 330
Cibi & potus copia, corruptio, cruditas, causa Diarrhœæ & Lienteriæ 717. cura in hisce affectibus.
Cibus & potus pinguium, causa Deiectionis per aluum pinguis 724. cura 773
Cibi sumpti putrescentes, fortè causa generationū Ascaridum & Vermiculorum dentium, eorumq; qui Mictione redduntur 789. cura 803
Cibus in causa sordium Oris angulorum & Dentium 775. cura 778
Cirsocele 183. causa 207. cura 342
Clauus Eyerstenaug 191. causa 202. cura 332
Cœliaca paßio 710. causa 724. cura 771
Colliquatio corporis 437. causa 443. cura 449
Coloratio cutis 60. causa 87. cura 144
Colores ab externis profecti, causa Discolorationis cutis, Vnguiū & Dentum 87. cura 144
Commaculatio cutis 60. causa 87. cura 142
Condyloma 178. causa, cura in Doloribus.
Consuetudo mala, causa Mictionis intempestiua 670. cura 683
Consumptio 434. causa 439. cura 448
Corporis gracilitas 7. causa 13.15.19.22. cura 47
Corporis superficiem peruadens res externa corpori illata 830. causa 835. cura 839
Corporis totius incrementum 4. causa 13. cura 36
Corpus geminum 2. causa 15. cura 24
Coryza 594. causa 599. cura 608
Crepitus ventris 574. causa 537. cura 746
Cuti se affigentis rei ab ea receßio 836. causa 840. cura 843
Cutis aperturas peruadēs Serum, causa illius inde effluxus 604. cura 621
Cutis poris innata terrestreitas, causa calculorum ipsis infixorum 820. cura 823
Cutis poros permeans serum causa sudoris 602. cura 618
Cutis siccitas, causa illius Coloris obscurioris & Nigredinis vulgo dictæ 90. cura 129.142
Cutis sordes 775. causa 776. cura 778

D

Deiectio cruenta dicta citra exulcerationem 711. causa 714. cura 747
Deiectio per aluum mucosa & pituitosa 712. causa 772. cura in Diarrhœa.
Deiectio per aluum pinguis 712. causa 744. cura 769
Deiectio per aluum purulēta 712. causa 723. cura 773
Deiectio per aluum sanguinis cōcreti 711. causa 716. cura 748
Deiectio præternaturalis 711. causa 713. cura 725
Deiectio rei externæ corpus subeuntis 830. causa 831. cura 338
Defluxio in dētium alueolos causa Dentium mobilitatis & casus 22. cura 25
Defœdatio 344. causa 357. cura 365
Deformatio 1. causa 13. curatio 24
Dentes & vngues se inuicem propellentes, causa vt decidant 24. cura 25
Dentes flaui, nigri 60. causa 87. cura 171
Dentium breuitas 7. causa 18. cura 47
Dentium caries & fractura 9. causa 17. cura 49
Dentium defectus 3. causa 13. 17.22.24. cura 25
Dentium limus & sordes, causa Tophorum illis adnatorum 821. cura 829.
Dentium mobilitas 12.

cau-

causa 17. cura 33
Dentium numerus auctus 2.
causa 13. cura 24
Dentium prominentia 12.
causa 13. cura 47
Dentium sordes 775. causa ibid. cura 779
Dentium superincarnatio, vide Gingiuarum caro luxurians.
Dentium tophi 818. causa 280. cura 829
Dentium vermiculi 785.
causa 790. cura 804
Diabetes 666. causa 672.
cura 686
Digitus sextus 2. causa 13.
cura 24
Dipsacus, vide Diabetes.
Discoloratio 56. causa 67.
cura 90
Dracunculi 786.
Dyarrhœa 711. causa 714. 717.719.720. cura 753.
si post alios morbos 763
Dysenteria 710. causa 714. 716.717.718. cura 725
Dysuria, vide Mictio ardens.

E

Echymomata, vide Sugillata.
Ecthymoses, vide Sugillata.
Echymata 63. causa 70.
cura 158
Efflatio è vulnere procedens 535.
causa 536. cura 545
Efflatio præternaturalis 533.
causa 536. cura 540
Elephantiasis 344. causa 358.
cura 365. Maltzey/Aussatz.
Empyema 436. causa 444.
cura 449
Encanthis in oculi angulo 179.
causa 196. cura 322
Enterocele, vide Cele.
Epiplocele, vide Cele.
Epulis in ore 179. causa 196.
cura 322
Erysipelata 63. causa 70.
cura 158
Exanthemata 64. causa 70.
cura 158
Exhalatio calida, causa sordium in dentibus 777. cura 779
Exspuitio pituitosa 622.
causa 625. cura 630
Exspuitio præternaturalis 622.
causa 624. cura 630
Exspuitio purulenta 624.
causa 629. cura 639
Exspuitio rei externæ corpus subeuntis 830. causa 832.
cura 837
Exspuitio sanguinea 622.
causa 626. cura 631
Extuberantia 166. causa 194.
cura 240

F

Fasciæ intestinorum, vide Tænias.
Faucium exulceratio, causa Exspuitionis purulentæ 629. cura in Faucium dolore Tract.2.
Flatus ab intestinis per podicem erumpentes, causa Crepitus ventris 537. cura 540
Flatus è ventriculo per os erumpentes, causa Ructus 537.
cura 540
Flatus in abdominis cauum aliunde irrepens vel illic genitus, causa Tympanitis simplicis, vel si cum aqua se offerat, compositi cum ascyte 233. cura 285
Flatus in intestinis & ventriculo retenti, causa Tympanitis intestinalis 236. cura 282
Flatus in musculorum spatia erumpentes, causa spasmi flatulenti 238. cura in Spasmo Tract.1.
Flatus in ventriculo retētus, causa Inflationis ventriculi, & in intestinis, Tumoris in colico dolore prominentis 237. cura in inflatione ventriculi & colico dolore.
Flatus sub cutem erumpentes vndique, causa Intumescentiæ generalis 237. cura 289
Flatus sub cutem membranasq; colli rrumpentes, causa Bronco-celes 238. cura 290
Flatus sub cuticulam delati, causa Phlyctenarum flatulentarum 238. cura 293
Flatus sub cutis certa loca erumpentes, causa tumorum atq; intumescentiarum, quas Physodes vocant 237. cura 292
Flatus ventriculo atq; intestinis inclusi, causa Fluctuationis, Rugitus & Murmurum vētris 537.
cura 540
Fluctuatio in ventre 574. causa 537. cura 540
Fluxus cerebralis 709. causa 720. cura 753
Fæcum alui cum vrina excretio 713. causa 773. cura ibid.
Fæcum alui per vomitum excretio 712. causa 715.
cura 773
Fæcum alui per vteri sinum excretio 713. causa 716. cura 773
Fæcum alui per vulnera & fistulam excretio 713. causa 715.
cura 774
Fœtor crepitus oris vel vētris 535.
causa 538. cura 540
Fœtor narium 535. causa 539.
cura 544
Fœtor oris seu anhelitus 535.
causa 537.538. cura 541
Fœtus lapidescens 818. causa 820.
cura 829
Frigus cutem condensans, causa Coloris obscurioris 88. cura eadem quæ & Palloris 129
Furfures 10. causa in Abrasione cutis Tract.2. cura 52

G

Ganglion 188. causa 201
cura 322
Gingiuarum caro luxurians 178.
causa 196. cura 320
Gingiuarum separatio à dentibus 11. causa 22. cura 49
Gingiuarum tumor, suctio, læsio.

causa Exspuitionis cruentæ 626. cura 631
Gingiuæ consumptæ 7. causa 16.23. cura 39
Gippus 12. causa, & curam vide in 1. Tract.
Glandulæ 183. causa 194. cura 293
Gonorrhœa 546. causa 548. causa 550
Gonorrhœa virulenta 546. causa 548. cura 554
Grãdo in palpebra superiore 192. causa 203. cura 337
Grauedo, vide Coryza.
Gutta rosacea 62. causa 70. cura 146
Gutturis hernia, vide Bronchocele.

H

Hepaticus fluxus 711. causa 721. cura 767
Hepatis durities & scirrhus, prominentiam in hypochõdrio dextro pariens 187. causa 199. cura 311
Hepatis terrestreitas, causa Arenularum quæ minguntur, & Tophorum qui in eo subsistunt 819. cura in morbis aliis.
Hernia, vide Cele.
Hernia abdominis, vide Cele.
Hernia inguinalis, vide Bubonocele.
Hirudines causa eorum quæ se extrinsecus corpori affigunt 837 cura 839
Hæmoptoica passio 623. causa 626. cura 632
Hæmorrhoidum fluxus immoderatus 557. causa 560. cura 569
Hordeolum in palpebris Werren 192. causa 203. cura 337
Humidi substãtifici defectus, causa Marcoris & Tabis 442. cura 448
Humores praui in morbis malignis, causa Macularum peruersarum in febribus malignis & luibus 87. cura 158
Humores putridi, corrupti, causa Diarrhœæ, Dysenteriæ & Tenesmi 719. cura 725.743
Humor prauus & malignus circa poros congestus, causa Pilorum defluuij 23. cura 26
Humor vitiosus circa dẽtium radices congestus, causa Dentium mobilitatis & casus 22. cura 26
Humorum ichores, causa generationis Chironum pediculorum 791. cura 805
Hydrocele 180. causa 222. cura 279
Hydrocephalos 181. causa 231. cura 281
Hydroæ Süren Germ. 182. causa 232. cura 281
Hydromphalos 181. causa 232. cura 281
Hydrops, vide Ascytes.
Hyposarca, vide Leucophlegmacia.
Hyposarcosis, vide Sarcoma.

I

Icterus 58. causa 82. cura 119
Impetigo, Zittermahl Germ. 62. causa 70. cura 146
Indica lues, vide Venerea lues.
Inflatio seu intumescentia corporis 167. causa 237. cura 289
Inguinis aquosus tumor in mulieribus 181. causa 224. cura 281
Intestini recti irritatio, causa Tenesmi 714. cura 748
Intestini recti vlcus, causa Fæcum alui cum vrina & per vteri sinum excretionis 716. cura 773
Intestinorum aggrauatio, causa Deiectionum per aluum præternaturalium 715. cura 725
Intestinorũ irritatio, causa Diarrhœæ, Dysenteriæ & Deiectionis cruentæ 713.714. cura 725.
Intestinorum procidentia in Enterocele vel Omphalocele, vel Herniis aliis 485. causa 489. cura 497
Intestinorum terrestreitas se affigens, causa Calculorum qui illic latent vel dejiciuntur 820. cura 828
Intestinorum transitus obturatio, causa Fæcum alui per vomitum eiectionis 715. cura 773
Intestinorum vulnus, causa Fæcum alui per illud excretionis 715. cura 773
Ionthi, vide Vari.

L

Labij superioris diuisio ab ortu Hasenscharten 9. causa 13. cura 47
Lachrymæ 594. causa 597. cura 605
Lac redundans, causa Mamillarum extuberantiæ & tumoris 206. cura 337
Lendes Nüß, vide Pediculos.
Lentigines 61. causa 80. cura 151
Lepra Arabum, vide Elephantiasis.
Leucæ, vide Vitiligo.
Leucophlegmatia 166. causa 204. cura 240
Leucophlegmatia serosa 167. causa 228. cura 240
Lienis durities & scyrrhus, prominentiam in sinistro hypochondrio efficiens 187. causa 199. cura 311
Lienteria 709. causa 717. cura, vide in Curatione.
Ligula intestinorum 810. vide Tænias.
Linguæ connexus relaxatio à contusione, causa illius procidentiæ 497. cura 532
Linguæ procidentia 487. causa 497. cura 532
Lumbrici 785. causa 788. cura 792
Lumbricus latus, vide Tænias.

M

Macilentia, vide Marcor.
Macula erysipelatodes 61. causa 70. cura 146
Macula lutea in Spasmo 64. vide Spasmum.
Macula fusca lata 61. causam & curam in Lentigine.
Maculæ febrium malignarũ causa 87. pestilentiarum, venenatarum 64. cura 188
Maculæ luis elephanticæ, Venereæ, Stomacace 64. causa 87. cura 158
Maculæ originales Anmäler 60. causa 67. cura 151
Maculæ pulicares 61. causa 71. cura 146
Maculæ sanguineæ 62. causa 71
Malum mortuum, vide Vitiligo.
Mamillarum tumor ex lacte 182. causa 205. cura 338
Mammarum moles 6. causa 19. cura 43
Mammæ molles, flaccidæ, pendulæ 8. causa 19.21. cura 47
Manus volarum squamæ, Pelatella Gall. 10. causa in abrasione cutis Tract. 2. cura 53
Marasmus 437. causa 443. cura 449
Marcor 434. causa 442. cura 448
Medicamenta erodentia vel putrefaciẽtia adhibita, causa partium ablationis, & Pilorum 18. cura 44
Medicamenta stimulantia, erodentia, venenata, sumpta inditáve, causa Diarrhœæ, Dysenteriæ, Tenesmi aliarumq; cruentarum deiectionum 716.717. cura 725
Mele, vide Vitiligo.
Meliceris 189. causa 197. cura 313
Mensium fluor immodicus 556. causa 564. cura 588
Mẽstrua alba, vide Vterinus fluor.
Mictio ardens 666. causa 674. 676.677. cura 690.695.696
Mictio cruenta 668. causa 678. cura 704.706
Mictio immoderata 665. causa 612. cura 685
Mictio inuoluntaria 665. causa 681. cura 682.683.684
Mictio lactea 668. causa 676. cura 690
Mictio mucosa 668. causa 679. cura 696
Mictio præternaturalis 665. causa 670. cura 682
Mictio purulenta 667. causa 676.679. cura 704
Mictio rei externæ corpus subeuntis 830. causa 831. cura 837
Mictio turbulenta 667. causa 679. cura 696
Mola 809. causa 811. cura 812
Morbus Arcuatus, Regius, vide Icterus.
Morphœa, vide Vitiligo.
Mucus seu pituita, causa generationis Ascaridum & Vermium in naribus 789. cura 802
Mucus subcruentus, causa Dysenteriæ mucosæ & Tenesmi 723. cura 725.748
Mucus vẽtriculi & intestinorum, causa Deiectionis per aluum mucosæ 722. cura 773
Murmura ventris 574. causa 537. cura 540

N

NAEui, Signa, Notæ, vide Maculas originales.
Nares petens aqueus humor à cerebro defluens, causa Stillicidij narium & coryzæ 599. cura 608
Naribus accrescens terrestreitas, causa calculi qui inde prodit 819. cura 832
Naribus attracta, causa vt rursum emungantur vel excutiantur aut exspuantur, aut exscreentur 831. cura 837
Narium excretio rei externæ corpus subeuntis 830. causa 831. cura 837
Narium exulceratio, causa Exspuitionis purulentæ 629. cura in Narium vlcere Tract. 2.
Narium hæmorrhagia 554. causa 560. cura 568
Narium odor fœdus vel teter, causa inde progressæ Expirationis fœtidæ 539. cura 540
Narium pituita in pus conuersa, causa illius Exspuitionis 629. cura 639
Narium pituita in pus conuersa, causa Purulentæ emunctionis & nonnunquam Lacteæ 588. cura 589
Narium purulenta excretio 584. causa 586. cura 589
Narium sanguis ad fauces delatus, causa Exspuitionis cruentæ 626. cura 631
Narium sarcoma 178. vide Polypus.
Narium sordes 774. causa ibid. cura 778
Narium vermes 786. causa 789. cura 804
Narium vlcus, causa Purulentæ inde excretionis 586. cura 590
Neapolitanicus, seu Gallicus morbus, vide Luem Veneream.
Nigredo Aethiopum 59. causa 67. cura 129
Nigredo à Solis perustione 60. causa 88. cura 142
Nigredo vulgò dicta, cutis fuscus color 59. causa 67. 88. cura 129
Nodi in ossibus callosi 193. causa 204. cura 227
Nodi iuxta articulos podagricorum 189. causa ib. cura 325
Nodi Luis Venereæ & cephaleæ 290. causa ibid. cura 328
Nutrimenti defectus ob sanguinẽ

impeditum, causa Atrophiæ particularis 441. cura 465
Nutrimenti defectus, quia sanguis non generatur vel inutilis est, causa Atrophiæ simplicis, vel illius quæ cum cachexia aut hydrope copulata est 440. cura 448

O

Oculi atrophia vel tabes 438
Oculi connexus relaxatio à contusione, causa illius Prolapsus 496. cura 533
Oculi glauci, cæsij, nigri 65. causa 67. cura 161
Oculi globi vesica 182. causa 232. cura 282
Oculi mēbranorum siccitas, causa Macularum albarum in illis 88. cura 160
Oculi procidentia 487. causa 496. cura 533
Oculi vlcus, causa Purulentæ inde excretionis 586. cura 589
Oculis illapsa, causa vt inde rursum excernantur 831. cura 837
Oculis innata arenosa materia, causa illius inde excretionis vel tophuli innati 819. cura 828
Oculorum exanthemata & echtymata 65. causa 70. cura 158
Oculorum excretio rei externæ corpus subeuntis 829. causa 831. cura 931
Oculorum flauities 65. causa, cura in Ictero.
Oculorum humiditas in pus conuersa, causa Purulentæ emunctionis, & nonnunquam lacteæ 588. cura 589
Oculorum maculæ albæ 65. causa 88. cura 169
Oculorum prominentia 12. causa 16. cura 55
Oculorū purulenta excretio 584. causa 586. cura 588
Oculorum rubedo 65. causa 68. cura in Ophtalmia.
Oculorū sanguinea excretio 555. causa 564. cura 575
Oculorum sedem subiens aquosus humor à cerebro defluens, causa Lachrymarum 597. cura 604
Oculorum sordes 775. causa 776. cura 777
Oculorum sugillatio 66. causa 72. cura 160
Oedema 179. causa 205. cura 247
Oedema flatulentum, vide Physodes tumor.
Oedematosus tumor pedum, Ger. Oelschenckel 179. causa 205. cura 247
Oedematosus tumor brachiorum & manuum 179. causa 205. cura 247
Omenti procidentia in Epiplocele 485. causa 490. cura 498
Omphalocele, vide Cele.
Ophyasis, vide Pilorum defectus.
Orificiorum concretio 11. causa 13. cura 54
Orificiorum nimia amplitudo 5. causa 13. cura 35
Orificiorum nimia angustia 7. causa 13. cura 46
Oris angulorum sordes 775. causa 776. cura 777
Oris exulceratio, causa purulentæ exspuitionis 629. cura in Oris vlcere Tract. 2.
Oris interiorum partium vulnus, causa Expuitionis cruentæ 626. cura 631
Oris odor fœdus vel teter, causa Anhelitus fœtoris 539. cura 541
Oris saliuæ copia, causa Ptyalismi 625. cura 630
Os constrictum in spasmo 19. causa ibid. cura 54
Os subeuntes res extraneæ assumptæ, causa vt hæc iterū dejiciantur vel euomantur, nōnunquam & emingantur 831. cura 839

P

Pallor seu palliditas 59. causa 69. cura 129
Palpebrarum inflatio, vide Physodes tumorem, cura 281
Palpebrarum œdematosa intumescentia 181. causa 232. cura 250
Papillæ absumptæ 7. causa 17. cura 45
Papillam penetrans res externa corpori illata 830. causa 831. cura 837
Parotis indolens 186. causa 199. cura 307
Bubo indolens 186. causa 199. cura 306
Partes duplicatæ, triplicatæ 2. causa 13. cura 24
Partes mutilatæ 7. causa 16. cura 44
Partium coniunctio stabilis indecens 11. causa ibid. cura 54. vide Spasmum in 1. Tract.
Partium corpus constituentium ablatio 474. causa 479. cura 484
Partium defectus 2. causa 13. 17. 20. cura 24. mutilatarum cura 44
Partium diuisio illic vbi vnitæ esse debebant 9. causa 13. 17. cura 48
Partium excretio 472. causa 475. cura 479
Partium figura indecens 9. causa 13. 16. cura 47
Partium gracilitas 8. causa 13. 16. 20. 21. cura 47
Partium immodica magnitudo 5. causa 13. 16. 19. cura 35
Partium paruitas nimia 7. causa 13. 16. cura 44
Partium procidentia 485. causa 487. cura 498
Partium quæ dissitæ esse debebant concretio 11. causa 13. 21. cura 54
Partium situs peruersio 11. causa ibidem. cura 54
Partium vulnus, causa Hæmorrhagiarum 567. cura 576

Partium vulnus & vlcus, causa Partium illarũ ablationis 479. cura 484
Partus naturalis, non tamen sine dolore 472. causa 474. cura 479
Partus præternaturalis, vide Abortus.
Partum subsequens cruenta excretio 557. causa 560. cura 558
Pedicularis morbus 787. causa 791. cura 805
Pediculi cuti impacti, Mortpions Gall. Filtzläuß Germ. 788. causa 791. cura 805
Pediculi in pilosis cutis sedibus 787. causa 791. cura 805
Pedum digitorum interstitiorum sordes 775. causa 776. cura 778
Pedum intumescentia 180. causa 230. cura 278
Pedum intumescentia in tibiarum sede 180. causa 230. cura 278
Peliomata, vide Sugillata.
Penis exulceratio interna, causa Purulẽtæ è pene excretionis 587. cura 590
Penis sanguinea excretio 556. causa 564. cura 575
Peritonæi processus dilatatio, causa Enteroceles & Epiploceles 489. cura 498
Peritonæi dilatatio iuxta vmbilicum, causa Omphaloceles 490 cura 498
Peritonæi ruptura in abdomine, causa Omphaloceles vel Herniarum aliarum illius loci 488. cura 498
Peritonæi processus ruptura in inguine, causa Enteroceles & Epiploceles 487. cura 498
Petechiæ Ital. vide Maculas febrium malignarum.
Phlyctenæ 182. causa 232. cura 281
Phlyctenæ flatulentæ 180. causa 237. cura 293
Phtiriasis, vide Pedicularis morbus.
Phtisis vel Phtoe 436. causa 443. cura 449
Phymosis 7. causa 13. cura 46
Physodes tumor 180. causa 237. cura 292
Pili lanuginosi albi 7.66. causa 19. cura 26.161
Pili intricati, Schrättelinzöpff 11. causa 13. cura 54
Pili nimium crispi 9. causa 14. cura 47
Pili rufi, nigri, flaui 66. causa 67. cura 161.162.164
Pilorum defectus 3. causa 17.18.19. 22.23. cura 26
Pilorum excrescentia nimia 5. causa 19. cura 36
Pilorum fissura 10. causa 23. cura 52
Pilorum siccitas, causa Canitiei 89. cura 162
Pinguedinis in sanguine abundantia, deficientiave, causa Pinguiorum, Macilentorúmve corporum aut Partium 21. cura 41
Pituita, causa Diarrhœæ, Deiectionis per aluum pituitosæ & Tenesmi citra exulcerationem, Fluxusq; Cerebralis 720. cura 753
Pneumatocele 181. causa & cura 289
Podici iniecta clysmata, vel in eum irrepentia, causa harum euomitionum vel reiectionum 836. cura 838
Podicis & recti intestini inuersio à conatibus magnis, causa illius Procidentiæ 494. cura 529
Podicis musculorum imbecillitas, causa quò minus prolapsus reduci queat 495. cura 529
Podicis musculorũ resolutio, causa quo minus prolapsus retrahi queat 495. cura 529
Podicis sanguinea excretio præternaturalis alia ab hæmorrhoidibus 558. causa 565. cura 576
Podicis seu Ani procidentia 486. causa 494.495. cura 529
Polypus 178. causa 196. cura 318
Porcorum lepra, Pfinnen 347
Pororum sanguineæ guttæ 558
Psydracia, vide Vari.
Ptyalismus 622. causa 625. cura 630
Pudendi mulieris carnositas 178. causa 196. cura 317
Pulices, causa eorum quæ se extrinsecus corpori affigunt 836. cura 838
Pulmonibus innata terrestreitas, causa Calculorũ qui exscreantur 820. cura 828
Pulmonum exulceratio, causa Exspuitionis purulentæ 628. cura in Phtisi.
Pulmonum exulceratio, causa Phtisis 436. cura 449
Pulmonum pituita ad fauces ꝑpulsa, causa Exspuitionis pituitosæ 621. cura 629
Pulmonũ pituita eò defluxa vel illic congesta, causa Exspuitionis purulentæ 629. cura 639
Pulmonum sanguis in pus cõuersus, causa Exspuitionis purulentæ 629. cura 639
Pulmonum sanguis in pus cõuersus, causa Vomicæ exspuitionis 629. cura 639
Pulmonum substantia corrupta causa Exspuitionis pulmonum portionum 629. cura 639
Pulmonum venarum reseratio, ruptura vel exesio, causa Exspuitionis cruentæ & Hæmoptoicæ passionis 626. cura 631

Purulenta excretio 584. causa 586. cura 588
Purulenta excretio, per aperturas in corpore factas 586. causa 585. cura 593
Pus, causa Deiectionis per aluum purulentæ 723. cura 773
Pus, causa generationis vermium in vlceribus Narium, Aurium reliquorumq; , vti & Pulmonum 990. cura 803.804
Pus in pectore coaceruatum, causa Exspuitionis purulentæ & Empyematis 444. cura 450

Q

Qualitas exitiosa vel humor vitiosus, causa Vnguium erosionis aut scabritiei, alteriúsve labis 23. cura 51
Qualitas seu intemperies venenata, causa Elephantiasis 358. cura 364
Qualitas maligna, causa Stomacacis luis 264. cura 431
Qualitas maligna, causa Venereæ luis 364. cura 380

R

Ramex, vide Cele.
Rana sub lingua citra inflãmationem 188. causa 197. cura 313
Renum calida intemperies, causa Mictionis frequentioris 672. cura 684
Renum calidior constitutio, causa Mictionis frequentioris 671. cura 684
Renum & Vesicæ constitutio quædam, causa Mictionis inuoluntariæ & intempestiuæ 670. cura 684
Renum & Vesicæ frigida intemperies, causa Mictionis frequentioris 671. cura 684
Renum & Vesicæ imbecillitas, causa Mictionis frequentioris 671. cura 684
Renum & Vesicæ irritatio, causa Mictionis præternaturalis 672. cura 684
Renum & Vesicæ soluta continuitas, causa Mictionis cruentæ 677. cura 704.706
Renum exulceratio, causa Purulentæ mictionis 679. cura 696
Renum humiditas suppurata, causa Mictionis Purulentæ 681. cura 704
Renum terrestreitas, causa calculi & arenularum quæ mingendo redduntur 819. cura in calculo renum.
Renum vasorum anastomasis vel diapedesis, causa Mictionis cruentæ 680. cura 704
Renum vasorum laxitas, causa Mictionis cruentæ 681. cura 704
Rerum externarum corpus subeuntium excretio 830. causæ 831. cura 837
Rhyas 3. causa 23. cura in Oculi vlceribus Tract. 2.
Rubedo 59. causa 68.87. cura 129
Ructus seu crepitus oris 574. causa 536. cura 540
Rugitus ventris 574. causa 537. cura 540
Ruptura, vide Cele.

S

Sabulum mictione redditũ 817. causa 819 cura 821.
Saliua, causa sordium in Dentibus 777. cura 779
Sanguinea excretio per aperturas aut vulnera in corpore 558. causa 576. cura 576
Sanguinea excretio præternaturalis 555. causa 560. cura 568
Sanguinis copia, causa Carnositatis 19. cura 41
Sanguinis defectus in superficie corporis, causa Palloris 69. cura 129
Sanguinis penuria, causa Gracilitatis 19. cura 47
Sanguis ex arteriis sub cutem effusus, causa Aneurismatis 209. cura 343
Sanguis in cutis pororum ambitum se diffundens, causa Macularum rubrarum paruarum, vti & Pulicarum & Sanguinearum 71. cura 146
Sanguis in superficiem corporis delatus, causa Rubedinis 68. cura 143
Sanguis in venis vteri, causa Tumoris ventris, ac si grauida esset mulier, circa conceptum apparentis, causa 208. cura 340
Sanguis in veram cutem effusus, causa Erysipelatum atq; Exanthematum, Ecthymatum, Macularum sanguinearum, Guttaq; rosaceæ, atq; impetiginis illius quam Zittermahl vocant 70. cura 146.158
Sanguis maternus, causa quorundam vitiorum ab ortu, in Magnitudine aucta vel imminuta, vel Figura indecenti, accidentium 15. cura 24
Sanguis sub cuticulam & membranam oculi erumpens, causa Sugillationum in illis sedibus, Punctorumq; quorundam sanguineorum 71.72. cura 144
Sanguis venas replens & dilatãs, causa Varicum 206. cura 341
Sarcocele, Carnöffel 169. causa 196. cura 316
Sarcoma vel Sarcitis 186. causa 193.196. cura 312
Scirrhus 186. causa 195. cura 309
Scorbutus 355. causa 363. cura 431
Scrophulæ, Escruelles Gall. 184. causa 194. cura 294
Scroti dissectio, causa Testium procidentiæ 497. cura 532
Scroti inflatio 181. causa & cura 290
Seri copia, causa Mictionis immoderatæ

derata & Diabetis 672. cura 686
Seri ex aperturis in corpore factis effluxus 595. causa 604. cura 621
Seri in thoracis cauitate collectio in Hydrope ascite 224. cura in Ascite.
Seri in vmbilico collectio, causa Hydromphali 232. cura 281
Seri per vterum effluxus in Hydrope ascite 225. cura in ascite.
Seri sub cute capitis collectio, causa Hydrocephali 231. cura 281
Serum sub cuticulam seu membranam adnatam oculi profusio, causa Phlictenarum & Hydroarum 232. cura 281
Serum, causa Dyarrhœæ 721. cura 753
Serum cruentum, causa Hepatici fluxus 721. cura 767
Serum in abdominis cauitatem effusum, causa Ascytis hydropis 212 cura 251
Serum in inferiorem corporis habitus sedem dispersum, causa Tumoris pedum in Hydrope ascyte 225. cura 278
Serum in inguinum spatium se ingerens, causa Aquosi illic tumoris in mulieribus 223. cura 281
Serum in nudam tibiarum sedem diffusum, causa particularis cuiusdam intumescentiæ illic genitæ 231. cura 278
Serum in pedes extra hydropem ascytem se insinuans, causa Intumescentiarum illic genitarũ 230. cura 278
Serum in scroti cauitatem instillatum, causa Hydroceles 222. cura 279
Serum in totius corporis habitum se ingerẽs, causa Leucophlegmatiæ serosæ 228. cura 341
Serũ palpebras irrigans, causa ipsarum Intumescentiæ 232.
cura 250
Semen corruptum, causa Mictionis ardentis in Gonorrhœa virulenta 677. cura 783
Semen imperfectũ, causa Ventris tumoris in Mola 194. cura 344
Semen loco motũ, causa Mictionis ardentis 676. cura 690
Semen parentum, causa Discolorationum & Macularum quarundã in Cute, Oculis & Pilis, originalium 67. cura 129.151
Semen parentum causa Sarcomatum, Tuberculorum, Strumarũ, Scrophularum, Verrucarum, hæreditariorum 194. cura 443
Seminis cita nimis profusio 547. causa 548. cura 554
Seminis in conuulsione excretio 547. causa 550. cura 554
Seminis imperfecti aut subcruẽti excretio 546. causa 549. cura 550
Seminis imperfecti cõceptio, causa Molæ 811. cura 812
Seminis parentum indispositio, vel vbertas, aut penuria, vel cõmistio, aliáve permutatio, causa vitiorum ab ortu in Numero, Magnitudine & Figura in corpore vel membris, vti & dentibus, vnguibus & pilis cõtingentium 13. cura 24
Seminis per foramen alienum effusio 547. causa & cura in Conceptus defectu Tract. 1.
Senium ex morbo 435. causa 442. cura 448
Sordes causa coloris obsoleti in cute, & nigri sub vnguibus, Dentiumq; flauitiei & nigredinis 87. cura 144.161
Sordes causa eorum quæ se extrinsecus corpori affigunt 836. cura 838
Sordes cutis, causa generationis Pediculorum 791. cura 805
Sordida excretio 774. causa 775. cura 777
Spermatica excretio præternaturalis 548. causa 552. cura 650
Spiritus animalis vel vitalis defectus aut priuatio, causa Mictionis inuoluntariæ 661. cura 682
Spiritus & flatus è vulnere eruptio, causa Efflationis inde naturalis 537. cura 545
Spiritus expiratio inconueniens, causa Efflationis præternaturalis 537. cura 540
Spiritus in nares impellens, causa stercoris 536. cura 540
Spiritus infectio ab assumptorum alieno odore profecta, causa Anhelitus tetri vel fœtidi 537. cura 541
Steatoma 188. causa 197. cura 313
Stertor narium 533. causa 537. cura 540
Stigmata, vide Sugillata.
Stillicidium narium 594. causa 599. cura 611
Stillicidium vrinæ, vide Mictio ardens.
Stomacace, vide Scorbutus.
Stranguria, vide Mictio ardens.
Struma 185. causa 194. cura 305
Succi nutrientis redundantia vel penuria, causa vt Partes aliquæ plus iusto excrescãt, decrescãtq; vti & Vngues & Pili crassescãt atque elongentur vel subsistant aut attenuentur, vel etiam defluant 19.37.26. cura 41.47
Succus nutriens corpus crudus, causa Leucophlegmatiæ 204. cura 240
Succus nutriens crassior, causa Duritiei & Scirrhi hepatis, lienis & vteri 199. cura 311
Succus nutriens crassior, causa Parotidum & Bubonum indolentium & Strumarum, Scrophularumq; 198. cura 306.307

Succus nutriens craßior, causa Scirrhi, Atheromatum, Steatomatum, Meliceridum 797. cura 309. 313
Succus nutriens crudus simpliciter vel simul serosus, causa Oedematum & Tumorum oedematosorũ diuersorum 205. cura 247
Succus nutriens cutem, causa Cicatricis 201. cura 330
Succus nutriens cuticulam luxurians, causa Callosa cutis 201. cura 329
Succus nutriens è carne exsudans, causa Sarcomatum diuersorum vti & Carnis luxuriantis, Polypi, Epulidis, Gingiuarum excrescentiæ, Encanthidis, Sarcoceles 196. cura 314. 316. 317. 320. 321. 322
Succus nutriens exsudans, causa Concretionis partiũ 21. cura 54
Succus nutriens in cutis poros illapsus, causa Verrucarũ & Clauorum 202. cura 113
Succus nutriens in poros cutis se insinuans, causa Vari 203. cura 336
Succus nutriens membraneas sedes, causa Ganglij 201. cura 322
Succus nutriens ossa, causa Nodorum & Callorum in illis 204. cura 327
Succus nutriens pilos, in poros dispersus, causa Lentiginis, & si vitiosus sit Vitiliginis 80 81. cura 151
Succus nutriens vngues redundans vel craßior, causa Vnguium extuberãtiæ callosæ 204. cura 329
Succus nutriens vniuersum corpus crudus, causa Cachexiæ, prauus Cacochymiæ 72. cura 90
Sudor, causa Sordium in cute & pedibus 776. cura 778
Sudor præternaturalis 596. causa 702. cura 618
Sugillata 63. causa 71 cura 144
Superfœtatio 473. vide Abortum
Superpurgatio, vide Dyarrhœam.
Suppuratio, vide Empyema.

T

Tabes, vide Marcor.
Tænia intestinorum 810. causa 811. cura 814
Talpa tumor in capite 188. causa 197. cura 313
Temperamenti insiti in calidius & siccius peruersio in febre hectica & colliquante, causa Marasmi & Colliquationis corporis 443. cura 449
Temperamenti insiti in calidius & siccius peruersio in febre hectica comitata, causa Phtisis 443. cura 449
Tenesmus 711. causa 714. 717. 718. 719. cura 745
Terrestrium excretio 817. causa 819. cura 821
Testis durities vel scirrhus 186. causa 198. cura 308
Testium procidentia 487. causa 497. cura 532
Testudo tumor in capite 15. causa 21. cura 35
Thoracis pus, causa Expuitionis purulentæ 629. cura in Empyemate.
Thymium, vide Verruca.
Tophi dentium, causa Gingiuarũ separationis ab illis 22. cura 49
Tophus vide Calculus.
Triorches 2. causa 13. cura 24
Tympanites intestinalis 169. causa 236. cura 282
Tumorũ terrestreitas, causa calculorum sub lingua, tonsillarum & in nodis podagricorum 820. cura 828
Tympanites cum ascyte copulatus 169. causa 232. cura 283
Tympanites simplex 169. causa 232. cura 285

V

VAri 192. causa 203. cura 336
Variolarum fouea relictæ in facie 191. causa ibid. cura 323
Varix, Krampffader 182. causa 206. cura 341
Vasorum fœtus cum vteri vasis connexus separatio fœtu adhuc immaturo, causa Partus præternaturalis 475. cura 480
Vasorum fœtus cum vteri vasis connexus separatio ab irritatione naturæ profecta, causa Abortus 476. cura 480
Vasorum fœtus cum vteri vasis connexus separatio ob fœtum emortuum facta, causa Abortus 477. cura 48-
Vasorum fœtus cum vteri vasis cõnexus separatio ob fœtus maturitatem, causa Partus naturalis 474. cura 480
Vasorum fœtus cum vteri vasis connexus separatio ob motum corporis vel animi, causa Abortus 475. cura 480
Vasorum spermaticorum concussio, causa seminis profusionis in conuulsione 550. cura 554
Vasorum spermaticorum imbecillitas, causa GonorrhϾ 548. cura 550
Vasorum spermaticorum irritatio, causa Veneris nimiæ, citæq; nimium, Gonorrhœa & Gonorrhœæ virulentæ 547. cura 554
Vasorũ spermaticorum osculorũ apertio, causa seminis imperfecti aut subcruenti excretionis 549. cura 550
Venarum osculorũ apertio seu anastomosis in Auribus, Naribus, Vteri ceruice, Recto intestino, Cute, causa Sanguinearũ excretionum ex illis 560. cura 568
Venarum soluta continuitas in Oculis, Auribus, Naribus, Virga virili, Vteri ceruice, Recto intestino & Podice, causa Sanguinearum

rum excretionum ex illis locis 564. cura 575
Venæ osculi apertio spontanea, causa illius Sanguinis effluxus 566. cura 576
Venæ sectio seu Phlebotomia, causa illius Sanguinis effluxus 566. cura 576
Venerea lues 351. causa 363. cura 380
Ventris excrescentia in grauida muliere seu prægnante 170. causa ibid. cura 343
Ventris seu abdominis tumores scirrhosi vel glandulosi 186. causa 199. cura 309
Ventis tumor à Mola 174. causa 194. cura 343
Ventriculi atq; intestinorum excrementorum odor teter vel fœtidus, causa Anhelitus, Ructus, Crepitus graueolentis vel fœtentis 538. cura 541
Ventriculi aggrauatio, causa Deiectionum per aluum præternaturalium 715. cura 725
Ventriculi humiditas ad os perueniens, causa Expuitionis pituitosæ & Ptyalismi 625. cura 630
Ventriculi imbecillitas, irritatio, vlcus, cicatrix, causa Lientiæ 717. cura 763. 764
Ventriculi irritatio à Bile, causa vomitionis biliosæ & Choleræ morbi 646. cura 654
Ventriculi irritatio, causa Deiectionum per aluum præternaturalium 713. cura 725
Ventriculi conturbatio, aggrauatio aut irritatio à vi externa vel ab assumptis, causa Vomitionum præternaturalium 645. cura 649
Ventriculi repletio à sanguine venarum meseraicarũ, causa sanguineæ vomitionis 688. cura 662
Ventriculi repletio aut offensa ab humoribus, causa Vomitus pituitosi & præternaturalis 647. cura 650
Ventris extumescentia citra conceptum in fœminis 175. causa 184. cura 340
Venulæ nudæ in cute 192. causa 307. cura 343
Venus nimia 546. causa 547
Vermes corpori inclusi manentes 786. causa, cura in aliis prodeuntibus affectibus.
Vermes è naribus emergentes 786. vide Lumbricos.
Vermes ex ore prodeuntes 785. vide Lumbricos.
Vermes per aluum excreti, vide Lumbricos & Ascarides.
Vermes per vulnus abdominis emergentes 786. vide Lumbricos.
Vermes tussi reiecti 786. causa 798. cura 804
Vermes vlcerum 786. causa 790. cura 804
Vermiculi capillos rodentes 787. vide Pediculos.
Vermiculi mictione redditi 786. causa 790. cura 804
Vermis cucurbitinus, vide Tænias.
Vermis sub corde 787. causa ibid. cura 805
Verruca pensilis & sessilis 191. causa 202. cura 332
Vesicæ ceruicis exulceratio causa Purulentæ excretionis & mucosæ, etiam citra mictionem 587. cura 593
Vesicæ ceruicis vlcus, causa Mictionis stercoris & ossiculorum & mensium 680. cura 696
Vesicæ illapsus, calculus renum, vti & arenulæ, causa illius qui mictione redditur vel exsecatur, aut ab alio vulnere prodit 819. cura 821
Vesicæ sphincteris resolutio, causa Mictionis inuoluntariæ 678. cura 682
Vesicæ sphyncteris vulnus, causa Mictionis inuoluntariæ 678. cura 682
Vesicæ vlcus, causa Mictionis purulentæ, mucosæ & ardentis 679. cura 696
Vesicæ vulnus, causa vrinæ per vulnus effluxus 678. cura 713
Vibices, vide Sugillata.
Viscerum interiorũ abscessus, causa Mictionis purulentæ 681. cura 704
Viscerum internorum morbi, causa Mictionis vrinæ tinctæ & p-mistæ 682. cura in Morbis in quibus vrina talis redditur.
Vis illata partibus, causa Dẽtium carentiæ, mobilitatis aut contractionis, Pilorum casus & Oculorum prominentiæ 17. cura 24.25.56
Vitiligo 62. causa 81. cura 151
Vitiligo externa & interna, causa Purulentæ excretionis per aperturas è corpore factas 587. cura 593
Vlcera praua, causa Partium ablationis 22. cura 44
Vmbilici eminentia 191. causa 201. cura in Callo cutaneo.
Vmbilici fouea permanens 191. causa ibid. cura 332
Vmbilici vermis 786. causa 790. cura 804
Vomicæ exscreatio 624. causa 629. cura 639
Vomitio sanguinea 643. causa 648. cura 656
Vomitio stercorosa 644. causa 716. cura 773
Vomitus biliosus 642. causa 646. cura 654
Vomitus pituitosus 642. causa 647. cura 650
Vomitus præternaturalis 640. causa 644. cura 649
Vomitus rei externæ corpus subeuntis 830. causa 831. 838

Vngues inæquales 9. causa 19. 23. cura 36.51
Vnguium breuitas 7. causa 19. cura 47
Vnguium casus 3. causa 24. cura 27
Vnguium discoloratio, maculæ albæ 66. causa 88. cura 161
Vnguium erosio, scabrities, fissuræ, diuisio 9. causa 25. cura 51
Vnguiū extuberantia callosa 290. causa 203. cura 329
Vnguium mobilitas 13. causa eadem quæ & casus, cura 56
Vnguium nimia auctio 5. causa 19. cura 36
Vnguium siccitas, causa Macularum albarum in illis 88. cura 161
Vnguium sordes 830. causa 836. cura 839
Vrina stercore, ossiculis, mensibus permista, reddita 669. causa 679. cura 696
Vrina tincta præternaturalis vel permista 669. causa 678. cura in morbis in quibus vrina sic mutatur.
Vrinæ acrimonia, causa Mictionis ardentis & cruentæ 674. cura 690
Vrinæ ardor, vide Mictio ardens.
Vrinæ copia, causa Mictionis copiosæ 672. cura 685
Vrinæ incontinentia eorum qui lectum commingunt 665. causa 670. cura 683
Vrinæ per vulnus effluxus 669. causa, cura 706
Vrinarij meatus per penem, aut collum vesicæ in fœminis, purulenta & mucosa citra mictionē excretio 585. causa 587. cura 589
Vrinarij meatus sanguinea excretio 556. causa 564. cura 575
Vterinus seu muliebris fluor 595. causa 600. cura 608.
Vteri ceruici influēs humor aquosus è venis illic promanans, causa Vterini fluoris 600. cura 608
Vteri ceruicis cōnexus dissolutio, causa vteri procidentiæ 491. cura 520
Vteri ceruicis connexus dissolutio per vim aliquam facta, causa Vteri procidentiæ 492. cura 520
Vteri ceruicis exulceratio, causa Purulentæ inde factæ excretionis 587. cura 593
Vteri descensus 486. vide Vteri procidentia.
Vteri procidentia seu exitus 485. causa 491.492. cura 520
Vteri scirrhus, tumorem in ima ventris sede procreans 187. causa 199. cura 311
Vteri sinus angustia 6. causa 13. cura 46
Vteri sinus excretio rei externæ corpus subeuntis 830. causa 836. cura 838
Vteri sinum irrepentia, causa vt inde denuo prodeant 836. cura 838
Vteri sinus fluxus sanguineus alius à menstruo, in senescentibus iam mulieribus 556. causa 565. cura 576
Vteri sinus Purulēta excretio 586. causa 587. cura 593
Vteri sinus sanguinea extretio in deuirginatione & congressu, aliáve vi 576. causa 568. cura 558
Vteri sinus sordes 775. causa 776. cura 779
Vteri terrestreitas, causa Fœtus lapidescentis 820. cura 828
Vulnus aut vlcus, causa Partium mutilationis aut ablationis aut separationis vel diuisionis 16. cura 44.45



IN-

INDEX Remediorum quorundam.

REmedia, quorum innumera, nō solùm prius vsitata (ex quibus pleraq; correctiora proponuntur) sed etiam noua & rara (inter quæ & chymica) multa hinc inde variis formis præscripta inueniuntur, Indici inserere noluimus; cùm ea ex affectibus, quibus in curatione accōmodantur, facilè peti atq; illic reperiri poßint. Diligentem enim Lectorem, non talem qui obiter saltem hæc mea scripta inspiciat, & neglectis aliis, remedia tantùm excerpat, requirimus. Vt tamen vbi remedia quædam expreßè copiosè proponuntur, pateat, hæc pauca huic Indici subiungere voluimus, sicuti etiam in primo tractatu operis nostri similiter quorundam meminimus.

Comptoria aut parata remedia 130
Cosmetica arte parata remedia ibid.
Manus nitidas, albas & molles reddentia 139
Oculos denigrantia remedia 161
Fuci 47
Pilos odorem gratum conciliantia remedia 166
Pilos canos seu albos denigrantia remedia 162
Pilos flauos reddentia remedia 164
Pilos nigros corrigentia remedia 164
Pilos rectos crispos reddentia 165
Pilos rufos efficientia remedia ibid.
Psylotra pilos auferentia remedia 37
Restaurantia substantiam corporis in phtisicis remedia 458
Ruborem genis & labiis conciliantia remedia 141
Rugas minuentia vel extirpantia remedia 140.

ERRATA.

QVæ toto in hoc genere Practico, dum excudebatur, inter corrigendum & reuisendum, tum ob festinationem, qua interdum opus erat, tum mentis distractionem, vrgentium negotiorum causa, tum visus aliquam hebetudinem, cōmissa fuerunt, cùm tanti momenti non sint, & quilibet diligenti lectione, sensum eorum quæ scribuntur, percipiens, ea sponte emendare poßit, hîc annotare superfluum esse duximus.

FINIS.

FELICIS PLATERI
quondam
ARCHIATRI ET
PROFESS. BASIL. ORDINAR.

QVÆSTIONVM MEDICARVM Paradoxarum & Endoxarum,

Iuxta partes Medicinæ dispositarum,

CENTVRIA POSTHVMA:

Operâ


THOMÆ PLATERI D. FEL. FR.
Anatomic. & Botanic. Acad. Basil.
Profess. Ordin.

Nunc primùm edita.



BASILEÆ, IMPENSIS LVDOV. REGIS,
TYPIS IOANNIS SCHROETERI.

MDC XXV.



MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRVDENtissimisq; Dominis Consulibus, Tribunis plebis, atque Senatoribus, inclytæ ciuitatis Basileensis,

Dominis meis summè honorandis,

S. P. D.



CVm FELICIS PLATERI, fratris mei, piæ memoriæ, Praxis Medica, Tomis tribus comprehensa, ante annos aliquot publici iuris facta, ob exemplarium penuriam, denuò typis mandanda esset, haud contemnendi nominis viri, & eruditi Medicinæ studiosi, crebrò me instanter rogarunt, vt quæstiones Iatricas, multa paradoxa & endoxa continentes, quas idem olim in actibus publicis & priuatis, discursando tractauit, editioni nouæ adiũgerem. His petitionibus morem gerens, sub Magnif. & Ampl. nominis vestri patrocinio, illas in lucem prodire, æquum esse censui. Quum enim prædictus frater meus, piæ recordationis, in vestra Academia, annos quinquaginta septem Medicinæ Doctoris, quadraginta tres, eiusdem facultatis Professoris & Archiatri munere sit functus, totoque hoc tempore, magna cum auditorum nostratium & externorum acclamatione & applausu, quæstiones illas tractarit, hunc fœtum

eius posthumum, in vrbe vestra conceptum & natum, vobis iure deberi, mihi visum est. Accipite igitur quæso, Viri Magnifici & Amplissimi, Patres Patriæ, submissè mihi colendi & honorandi, à ciue vestro, ad omnia officia paratissimo, quod vobis offert munusculum litterarium, sparsim hinc inde ex lucubrationibus fratris excerptum, & à me in Syllogen centum quæstionum redactum, atque hoc ordine iuxta partes Medicinæ digestum, & sub nomine vestro Amplissimo, lucem aspecturum, ab inuidorum morsibus defendite. Id vos facturos confido, tum ob singularem fauorem & humanitatis officia, quibus illum semper quoad vixit, estis complexi, tum ita merentibus etiam præclaris ipsius virtutibus, & eximiis animi dotibus, inprimis rarâ Medicinæ cognitione & peritiâ, quâ ita excelluit, vt plurimis viris Principibus, ob eam fuerit charus & admirationi, qui illam magno cum successu fuerunt experti. Amplitudinem vestram, viri Prudentissimi, submissè orans, vt quâ beneuolentiâ patrem Thomam Platerum, & fratrem Felicem, vtrumque p. m. semper estis prosequuti, sic fœtum hunc posthumum acceptare, pariq́ue æquanimitate, erga me meosq́ue, propensi & procliues esse, haud dedignemini. Ego vicissim, vt hactenus, ita in posterum daturus sum operam, vt medendo & docendo, pro virili, quemadmodum decet virum & ciuem bonum, prosim quamplurimis. Animum insuper addetis, vt ea quæ à fratre meo mihi in Archiuo (quod ex rerum naturalium & artificialium multis myriadibus concinnatum) derelicta, augeam indies, & hortum arboribus & plantis multis exoticis florentem & virentem, in ciuium vestrorum, aduenarumq́ue commodum, subinde exornem. DEVM Ter Opt. Max. animitùs precans, vt V. Magnif. & Ampl.

Ampl. hisce turbulentis temporibus, felicem Reipublicæ administrationem, vt hactenus, sic deinceps largiatur, totamque Ciuitatem vestram, dulcissimam patriam nostram, potenti sua dextera, ab hostium insidiis & machinationibus clementer protegat & tueatur. Basileæ ex Musæo meo 18. Februarij, Anno 1625.

Mag. & Ampl. V.

subiectissimus cliens & ciuis

THOMAS PLATERVS
professor Medicus.





In auctarium

PRAXEOS MEDICAE,

Excellentißimi Viri,

D. FELICIS PLATERI, ARCHIATRI quondam & Professoris Basileensis,

à Clarißimo Viro,

D. THOMA PLATERO,

itidem Professore Basileense, iterum in publicum editæ

EPIGRAMMA.



Vi velit ingenium FELICIS *nôsse* PLATERI,
Atque eius fuerit gloria quanta Viri,
Hûc sit, quò cernat ne quicquam in imagine pictâ;
(Namque Animi dotes picta tabella negat)
Sed relegat Studij magni & monumenta Laboris,
Quem pendit Medicæ Præses is-ipse Scholæ:
Quæq́; iterum promit Frater, Doctorq́; Lycéi,
Consimilis studio, nec minor ingenio.
Frater is est THOMAS *fraterni Nominis hæres;*
Virtutum fratris cognitor; auctor Opum.
Pro meritis tantis utriq; Scholastica pubes
Debebit grates, ac pia vota feret.
Tu verò perges sic, Vir præclare, mereri;
Pluraq́; pro Genio mox documenta dabis:
Perpetuò ut constet nomenq́; decusq́; PLATERÛM;
Nec desint, vestrâ qui releventur ope.

M. LUDOVICUS LUCIUS, ORGANI LOGICI Professor, & Academiæ Basileensis nunc Rector, P.

ANA-



ANAGRAMMA.

THOMAS PLATERVS:
MAS, PLATO, HERVS.

Corporis, Ingenij, Generisq́ propagine clare,
MAS, Marte; arte PLATO; sorte sed HERVS ave.


RODOLPHVS SIMLERVS, TIGVRINVS,
Med. Doct. Monspessuli inter Musas lusit,
Anno 1595.



Excellentissimo & Celeberrimo Viro,
D. THOMAE PLATERO, INCLYtae Basil. Acad. Professori, Domino suo amicissimo
S. P.

CVM tua Dædaleâ domus inclyta splendeat arte,
Et recreet doctos ingeniosa viros:
Ac tibi, quas Ponto, & vasta Tellure recondit,
Natura omnigenas suppeditârit opes:
Te Medicum eximium, Patriæ decus, atque Minervæ
Delicium, Medicis Ihova beavit aquis.
Nunc ergo, toto quæ nos miramur in orbe,
Ædibus & hortis sunt veneranda tuis.
Exorna spartam, & felicibus vtere fatis:
Excellatq́ tuis chara propago bonis!

IOHAN. IACOBVS GRASSERVS.



QVA-

QVADRIGA EPIGRAMMATVM

Ad

Excellentißimum & Experientißimum Virum,

DN. THOMAM PLATERVM, ANATOMICVM & Botanicum, in inclutâ Rauracorum celeberrimum,

ablegata

à

BALTHASARO SIMONE Fr. P.L.C. & Phil. ac Med. D.

1.

LAus sua cuique: suus manet omnibus ordine cultus!
Pollet hic ingenio; pollet at ille manu!
Prædicat hunc; illum pia prædicat ordine Musa,
Laudatis merces vna relicta viris.
Te vidit, stupuit, cupit &, potiturque cupito;
Parco docere, refert lassa, ministra, tuum.
Hinc illis laudes; hinc illis Carmina: nobis,
Obvia quòd parcam, laus ea, lassa, TIBI.

2.


Flaccescunt demto PLATERI *pectore membra;*
Et repetunt viuo pectore membra decus!
Rauriciæ pectus PLATERIVS *æthere missum,*
Hoc vires membris suppetit; ille bonis.

3. IN HORTVM.


Hortus terra potest dici tuus Itala, dici
Italiæ fructus gratia magna potest.
Italiæ miror quæ tanta cupido videndi?
Suadeat Italiæ quid mihi miror iter?
Italiæ quicquid laudis, tuus eripit hortus
Aemulus; Italicas vincit & vnus opes.
Dixeris an cultu? num frugibus? ambigo: cultu,
Frugibus an illam vincat: vtroque puto.

4.

Non illinc Venerum, Charitum non tecta Dearum
Culta patent. Ergo quid? Charis ipsa, Venus.




QVÆ-



QVÆSTIONES PHYSIOLOGICAE.

1. *An Venæ, Arteriæ, Nerui à Cerebro originem trahant?*



IN huius quæstionis veritate indaganda, & Philosophi & Medici admodũ desudarunt, aliiq; multa incongrua proposuerunt. Nam qui in ea rationem tantùm veluti ducem elegerunt, nec sensuum testimonio cõfisi, ex solius animi iudicio singula metiri voluerunt, hi, etsi præstantissimi essent Philosophi, in eo tamen grauiter peccarunt, quòd ea, quæ sensus falsa esse iudicat, pro veris venditarunt: Vti Peripatetici, qui neruorum originem cordi attribuerunt, imaginatione hac fortè seducti, quòd spiritum vitalem à corde per arterias cerebro communicari, ex eoque spiritum animalem procreari, qui cerebro & neruis vim mouendi sentiendique confert, cognoscentes, à corde sic sensum & motum proficisci iudicauerunt. Quæ sensuum neglectio fecit, vt & in aliis, viri grauissimi errores non leues commiserint, vt qui potionem in pulmones deferri crediderint: Aliiq; qui serum ipsum in vesicam transudare, cùm ex inflata vesica, aërem vnico intercepto meatu, per quem vrina effluit, minimè effluere, viderent, existimarunt. Vti & illi fuerunt hallucinati, qui nullas vias, nulla vasa, nullos ductus & meatus in corpore indagantes, corpus nostrum adeò perspirabile crediderunt, vt citra hæc, omnia corpus permeare & peruadere posse, temere affirmarint.

Sed vt ad quæstionis nostræ sensum accedamus; Si Neruorum Venarum & Arteriarum originem eam esse statuamus, à qua vti à radice vel caudice arbores & plantæ enascuntur, ita hæc vasa ab illis priùs generatis produci, & sic originem trahere velimus, non solùm in Neruis hoc minimè fieri, nec eos ullo pacto à corde sic oriri, sensus iudicabit, sed & in Venis & Arteriis dubium erit, an illę à Corde, Venęq; ab Hepate vel à Corde proficiscantur.

Si enim illic exortum vasorum esse asseuerant, vbi vas à principe parte aliquid deferens primùm emergit, ac tanquam radice altissimis defixum radicibus, substantiæ ipsius inhæret, Iecur, cui vena caua infinitis propaginibus intexitur, cui quoque venæ portæ soboles innumeræ immergunt, & in quod Vena vmbilicalis in fœtu se inserit, Venarum principium erit statuendum.

Si verò eam & venarum & arteriarum originem statuamus, cui vas exactè cõtinuatur, ab eaq; diuelli non potest, vbi quoq; maior ipsius truncus caudexque existit, Cor ipsum, cùm ex sinistro ventriculo arteriam magnam, ex dextro sinu venam cauam promat amplissimam, ipsius substantiæ pertinacissimè cohærentem, indeque ad hepar descendentem, cor vti arteriarum, sic & venarum erit principium. Vti & duorum aliorum vasorum permistę naturæ, veluti Venæ arteriosæ, & Arteriæ venosæ, quæ quoq; ab ipsius substantia emergunt, atque per pulmones disperguntur. Quæ certè à pulmonibus, etsi multis ramis substantiæ ipsorũ inhæreant, si illic vbi radices hæ sunt, origo ipsorum esset statuenda, quod tamen haud verisimile, exortum traxisse oporteret, vti neque emulgentes, etsi per renum substantiam & venæ illę & arteriæ ferantur, nec venas meseraicas quæ lienis substantiam perreptant, à renibus aut liene enatas quisquam iudicabit.

Adeò vt si vel hepar vel cor, venarum &

arteriarum principium ponamus, multæ occurrant difficultates, cùm in hepate nulla insignis deprehendatur arteria, & venarum tantùm rami, non caudices eò desinant. In Corde verò, etsi trunci & caudices horum vasorum illi adnascantur, cùm tamen substantiæ illius cum hisce vasis nulla sit similitudo, & vena magna, quæ inde enascitur, non pulset. Dein cùm & vas vmbilicale, & vena portæ nullibi cor attingant, cor venis originem minimè præbere, constabit.

Cæterum in tanta opinionum ambiguitate, vt certi quid cognoscatur, hac via id facilimè fiet, si quo pacto in prima fœtus formatione, singulæ partes, & quæ primò & quæ posteriùs generentur, diligenter consideremus, quod cùm non aliter sensibus deprehendi queat, quam per Anatomen, eaq; in grauidis mulieribus quam rarissimè se offerat, in fœtu per abortum reiecto, hoc maximè patebit, idque non vno solum sed pluribus, vt quo pacto singulis mensibus partes formentur crescantque, pateat. Verùm cùm & hoc videre paucis contingat Medicis, non mirum, tot dissentaneas de origine harum partium & erroneas opiniones exortas fuisse. Liceat igitur mihi, nec vitio vertatur, quippe cui tot annis in studio Medico versanti, abortus quamplurimi inspiciendi se obtulerunt, si quæ in illis annotauerim, syncerè & fideliter, ad quæstionis propositæ decisionem proposuero.

Posteaquam semen vtriusque parentis fœcundum vtero conceptum est, priusquam formam aliquam absolutam partes quæ ex eo generantur, consequantur, sanguineque nutriantur & increscant, quæ primo ferè mense perficiuntur; exsurgit primùm vis illa procreatrix in semine latens & recondita, ac insigniores seminis portiones, quæ à tribus parentum principiis defluxerunt, in tres quasi bullas, spiritibus turgentes disponit, quæ cerebri, cordis & iecoris sunt rudimenta, in corpusculo exiguo conclusa, reliquasque illi adhærentes portiones, in artus illique adnata membra ruditer segregat, quæ primâ septimanâ ferè perficiuntur, ita vt tum reiecto per abortum embryone, informis talis massula, ex semine veluti concreta, rotunda & conuoluta, tribus hisce bullis distincta appareat. Qualem à Psaltria illa, quæ per vim saltu impetuoso abortum sibi conciliarat, se obseruasse scripsit Hippocrates. Egoque eiusmodi reiectum, globuli rotundi & albi instar, magnitudine auellanæ, in quadam, quæ quotannis ferè, non multis à conceptu diebus, abortiebat, vidi, atque ex amnio tenui, cui innatabat, exemi, & cùm ab inuicem deducerem, tres eiusmodi bullas, quarum inferior iecoris rudimentum exprimens, pallidior non tamen rubra erat, obseruaui, quatuorque portiones pro brachiis & pedibus formandis, & quod spectatu iucundum, duo puncta nigra minutissima, oculis dicata notaui. Quæ vti & in aliis, sic & in generosa quadam, quæ toto ferè biennio, quod mirum & aliàs inauditum singulis mensibus abortiebat, sæpeque ad me eiusmodi abortum, vt quid esset, iudicarem, transmittebat, similiter sic se habere, deprehendi.

Atque hæc vti prima septimana, facultas illa generatrix molitur in semine; Sic & mox eadem vi partes crassiusculas, quæ in ossa abituræ sunt, tenuissimaque filamenta, quæ neruis, venis & arteriis materiam suppeditant, latiusculaque, quæ fœtum ambientia inuolucra, membranæque & tunicæ futuræ sunt, certis locis segregat atque discernit.

Postmodum ad trigesimum usque diem, conformatrix facultas, vlteriùs opus aggrediens, solidarum partium conformationem ex semine tantùm instituit. Atque inchoata prius principia, cor, iecur, cerebrum, propriâ figurâ exornat, mox & Nerui effinguntur, Venæ & Arteriæ excauantur, omnes in fœtus vmbilicum deductæ, à quo duplicem, qua inuoluuntur membranam peruadentes, matris vteri venis continuantur atque osculis adhærent: Eademque opera tum & membranæ fœtum inuoluentes firmantur, vti & reliquæ membranæ. Viscera item interna

terna robur nanciſcuntur: Cutiſque omnia integens concreſcit, Oſſaque figuram aliquam & duritiem ſenſim acquirunt. Quæ omnia ex puro vtriuſque parentis ſemine tantùm perficiuntur, nullo adhuc affluente ſanguine, nondum aucto aut amplificato fœtu, neque rubore aliquo perfuſo. Qualem quoque embryonem ſic formatum & delineatum, primo menſe reiectum, vti aliqui deſcripſerunt, ſic & ipſe vidi notauique, in quo, ex ſphærica figura, vti dum vtero geſtatur eſſe ſolet, dilatato & diducto, lineamenta partium hæc expreſsè cernebantur. Cuius caput, etſi exiguus eſſet embryo, auellanæ inſtar magnitudine, reliquum corpuſculum proportione obſeruata ſuperabat, quod cùm illud ſolùm ex ſemine conſtet, reliquæ verò partes ſanguine enutritæ, augeantur, non mirum reliquas magnitudine ſuperare. Oculi quoque huius embryonis, vti cancris nonnihil exerti, Crura, Pedes, Brachia, Naſus, Auriculæ, Digiti ſecreti, Penis in maſculo conſpicuus, Scrotum ſub eo exile, viſcera interna fibroſa, vaſa fili tenuiſſimi inſtar, Membranæ cæparum pelliculis ſimiles, Oſsicula flexibilia adhuc & mucoſa, Cuteque omnia ſubtiliſsima pellucidaque, ita vt per eam interiora cerni poſſent, contecta: Omniaque hęc adhuc alba, & ſeminis æmula.

Hiſce ſic primò formatis, à trigeſimo demum die partes hę nondum adauctæ, nutriri, carne fulciri, atque increſcere incipiunt. Et à matre ſanguinem in hunc vſum haurire, qui per ſecundinas, fœtus vmbilicum pertranſiens, hepati illius affunditur, atque inde per venas, tum portæ tum cauam, ad partes diſperſas, illarum vndique fibris accreſcit, ipſarumque capacitates quæ inanes erant, ſenſim carne implet, atque partes ſic adauget, quod & in muſculis, tum aliis viſceribus natura molitur, pictorum exemplo, qui primùm imaginem rudibus lineamentis adumbrant, mox variis coloribus illuſtrant perficiuntque.

Atque vti hæc duobus menſibus enarrato modo natura efficit, ſic tertio longè adhuc hæc magis conſpicua apparent, adeò vt tunc quoque, etſi embryo vix digiti longitudinem ſuperet, nulla pars tam exigua ſit, quæ non iam formam ſuam exprimat: ſicuti in ſceleto embryonis quod iam annos quadraginta aſſeruo, ſpectare licet, in quo oſſa omnia vnà cum vnguibus tam manifeſtè citra corruptionem integra adhuc cernuntur.

A' quo tempore, donec fœtus ad perfectum complementum perueniat, atque ad partum abſolutus & maturus fiat, partes formam perfectiorem, atque incrementum capiunt, aliæ citiùs, aliæ tardiùs, & plus minúſve perfectæ, prout fœtui dum in vtero incluſus eſt, vel poſtmodum demum vbi in lucem prodiit, inſeruire debuerunt, formantur abſoluunturque.

Nam cùm magna ſit partium, functionis causâ, varietas, atque ex illis aliquæ dum fœtus vtero incluſus eſt, licèt formatæ ſint, otioſæ tamen deliteſcant, aliæ verò ſtatim opus ſuum aggrediantur, fit vt illæ citiùs aliæ tardiùs formam abſolutam conſequantur. Vt autem hoc magis fiat conſpicuum, ex facultatum quibus fœtus dum in vtero eſt, gubernatur, indeq; prodeuntium functionum enarratione patebit.

Fœtum ab initio ex ſemine recenter conformatum, ſanguinis duntaxat beneficio nutriri, haud ſecus ac ſtirpes terræ ſucco, & calore natiuo innato viuere, certum eſt. Poſtea & ſpiritu vitali accedente, animalium inſtar viuere, & poſtremò etiam moueri & ſentire.

Cæterùm hæ facultatum functiones, cùm certis inſtrumentis ad eas obeundas indigeant, atque fœtus partes principes, ob exilitatem hiſce ſuggerendis non ſufficiant, illiuſque iecur minutum aut venæ minimæ, ſanguinis eam quantitatem, quàm fœtus vt augeatur admodumq; increſcat, requirebat, producere nequeat; Cor item exile, ſpiritum vitalem abundè & affatim ſubminiſtrare non poſsit: aliunde fœtum & ſanguinem ad nutritionem, & ſpiritum ad vitam ſuſtentádam, quam ab hiſce

organis haurire necesse erat, à matris nimirum vteri venis, sanguinem, & arteriis spiritum alliciendo, idque per venas & arterias proprias vmbilico insertas, indeque vena vmbilicali ad fœtus hepar, arteria ad crurales arterias deriuatas, atque sic per hanc viam vniuerso fœtus corpori subministrando: à quo materno sanguine & ipsius fœtus hepar, vti cæteræ partes aluntur & infarciuntur, matrisque spiritu vitali cor ipsum fœtus vitam primùm cum cæteris partibus accipit, ab eodemque spiritui animali quoque materia suppeditatur.

Pulchrè sic disponente naturâ, vt homo non ex se ipso, sed ex parentum semine, primò conformetur, caloremque natiuum accipiat, atque inde à matre alimentum vitam & spiritum desumat, donec eo perfecto & genito, atque à matre excluso, ad sui nutritionem, vitam sensum & motum propriis vtatur organis.

Ex quo patet, fœtus ipsius hepar vti & cor, dum in matre continetur, cùm neque illud sanguinem generet, neque hoc spiritum vitalem procreet; sunt enim hæc iam in matre satis elaborata, proprio munere nondum fungi; Vti & Cerebrum, quod ad quartum ferè mensem otiosum esse, cùm fœtus priùs non moueatur, nec ante partum sentiat, experientia comprobat. Quo tempore etiam reliqua viscera opus propriũ nondum aggressa sunt, neque enim ventriculus chylum conficit, nec pulmones spirãt, occlusis exactè tunc naribus atque ore. Oculus quoque non videt; Auris non audit, nec lingua gustum vllum percipit.

Tantùm igitur vasa postquam fœtus increscere incipit, Venę primùm, inde arteriæ, tardiùs nerui, illæ sanguinẽ matris deferentes, aliæ spiritum aduehentes, hi tãdem motum præbentes, munus destinatũ exequuntur, cùm reliquæ totius corporis partes interea in actum, opus suum minimè producant.

Iam si ad functionem exequendam instrumenti forma perfecta requiritur, quis dubitabit, Venas primùm excauari, perfici, atque absolutam figuram consequi, iecore etiam nondum integrè perfecto, nec dum quicquam efficiente. Vti & reuera nullum vas in fœtu magis manifestum latumque ab initio, quam vena vmbilicalis cernitur. Dedit hoc occasionem quibusdam, vt hepar ipsum à venis pronatum, non venas ab hepate, hisce permoti, pronunciarent, iecurque nihil aliud esse, quàm implexum venarum infinitum, cui concretus sanguis obnascatur.

Sic quoque arteriæ formantur, spiritumq; vitalem à matris arteriis haurientes, deducunt & pulsant, antequam cor vllo modo moueatur, neque enim illud, ad quod aëri non patet aditus, nec prius quàm respirare queat, per systolen contrahi aut dilatari potest, donec fœtus à membranis quibus obuolutus erat, liberatus, atque aqua cui immersus erat, in partu segregatus, & in lucem editus, per nares aërem attrahat; tunc enim cor pulmonesque eum suscipientes, primùm moueri, infansque modo natus respirare, incipiunt. Quod vti ex hisce argumentis licet colligere, sic sensus ipse manifestum facit, si quis in brutis animalibus obseruet, quo pacto, si fœtus vnà cum membranis, quibus inclusus immersusque est, rejiciatur, mater dentibus illud scindens, aëri vt ad fœtum penetrare queat, faciat viam, & nisi hoc subitò fiat, cùm à matre separatus, ab ipsius arteriis nihil sumere queat, suffocetur. Vnde & vsũ edoctæ obstetrices, in fœtu humano, si cum amnio in partu excludatur, non prius vas vmbilicale stringunt, donec inuolucrum disrumpant, quod bruta animalia naturæ instinctu sponte, vti dictum, faciunt.

Ex quibus satis patere arbitror, & hepar & cor, non prius quàm infans in lucem editus sit, functiones suas obire, quod venæ & arteriæ, dum adhuc in vtero latet, in eo moliuntur, nec hepar ipsius prius sanguinem, donec infans cibetur, conficere, nec cor pulmonesque, donec respirare aëremque haurire incipiat, vllo modo moueri.

Cerebri autem ipsius fœtus, longè alia est ratio, cùm enim hoc non tantùm materiam aliquam, vt hepar, vel spiritum vt cor, sed & propriam substantiam, dorsalem scilicet medullam, & neruos, vndique

adi

ad sensum & motum conferendum transmittat, à matre hoc in fœtum deriuari minimè potuerunt: sufficiebat enim matri, sanguinem quo abundabat, & qui in non grauidis per menses expurgatur, & proin eo ad proprij corporis alimoniam minimè opus habebat, pro fœtus alimonia, vti & spiritum vitalem, conferret. Verùm partes solidas, vt sunt Nerui, de suo corpore, fœtui subministrare minimè potuit, sed fœtus eos à proprio ipsius cerebro promit, atque cum cerebro hi & augentur, & cùm illud aliquousq; excreuit, etiam aliquo pacto vires exerunt, motumque aliquem fœtui, sed leuem saltem, dum ille adhuc vtero inclusus gestatur, confert.

Vnde & cùm cerebri structura tardiùs perficiatur, seriùs & non ante medium vteri gestationis tempus, motus fœtus persentitur, donec nonnihil adaucto & confirmato cerebro, quod cùm partus instare incipit, accidit, fœtus validiore motu, se ex sphærica figura sponte extendens, ad exitum in partu inuertit & accommodat. Sed & in lucem editus, principes animæ functiones, donec ad molem conuenientem cerebrum excreuerit, non nisi leuiter exerit, nec rectè ratiocinari, reminiscíve potest. Quod post infantiam primùm, vbi aliquousque excreuerint, aliis seriùs, aliis citiùs, prout cerebrum illorum plus minúsve perfectum existit, accidit.

Ex iam enarratis veris argumentis, quibus sensus ipse adstipulatur, videtur colligi posse, frustra aliquos se excruciare, qui de exortu venarum & arteriarum, neruorumque ita disserunt, ac si hæc vasa à principibus partibus, hepate, corde & cerebro, prius genitis, demùm enascerẽtur expullularent, & per corpus dispergerentur, veluti ex caudice arboris rami & radices propagantur. Cùm ex his quæ prædiximus, potiùs verisimile videatur, omnes partes in prima fœtus conformatione simul gigni, venasque & arterias citiùs quàm ipsorum partes principes perfici, functionesque edere: nisi fortè aliter, dum de origine harum loquuntur, eam intelligant atq; interpretentur. Ex quo, vt variæ de eo sententiæ sint ortæ, occasio fortè nata est.

2. *An'ne venarum origo à Corde vel Iecore dependeat?*

HÆc quæstio primo intuitu facilis & inutilis, atque ob id superuacanea fortaſsis videbitur, in qua explicanda diutiùs moremur. Præsertim cùm in veritate illius inuestiganda, tot Philosophi, tot Medici diligenter laborarint, iamque apud plerosque quid in ea statuendum sit, satis constet. Verùm si rem ad amuſsim metiamur, non videbor rem ingratam facturus, quòd eam rursum in dubium vocem, vt quid de ea sentiendũ, argumentis ratione inuentis, vsuque comprobatis, confirmetur.

Nam qui in ea soluenda, rationis tantùm ductum adhibuerunt, nec sensuum testimonio confisi, ex solius iudicij scrinio singula depromere voluerunt, videntur non parùm hallucinari, vtpote quos ratio ingeniiq; vis, sæpè eò perducat, quæ sensus longè alia esse iudicat. Fecit hoc, vt præstantiſsimi viri, dum propriæ mentis impetum sequuntur, grauiſsimè impegerint. Cùm alius neruos à corde oriri, alius potionem in pulmones ferri, crasso satis errore, asserere non dubitarit, alius quoque serum ipsum Vesicæ insudare, cùm ex inflata Vesica aërem vnico intercepto meatu, minimè prorumpere videret, imaginatione quadam sibi persuaserit, vti in præcedenti quæstione, huius rei quoque fuit iniecta mentio.

Nec & illi laudandi, qui solo sensuum indicio res examinantes, nullam earum rationem causasque adhibent, non aliter atque lanius in macello viscera interna inspiciens, ipsorum vsum, functiones, actionesq; ignorat. Sed & tertio loco hallucinari sæpè videntur, qui subiectum corpus humanum negligentes, à brutorum animantium partibus, sensuum testimonia desumunt, qui idem mihi efficere videntur, quod hi, qui veras Historias, Fabulis conspurcantes, faciunt, vt ea quoque, quæ in iis vera sunt, falsa esse credamus. Exemplo nobis bellum est Troianum, quod multis commentitiis narrationibus auctum, suspicionem præbuit, dubitandi an'ne bellum aliquando eiusmodi fuerit. Qui item sacras Historias variis

figmentis contaminauerunt, magnam occasionem vel atheismo, vel superstitioni dederunt.

Aristoteles Philosophorum princeps, cor dum primò nasci contendit, omnium facultatum originem, ab ipso dependere, ipsumq; cùm mouendi tum nutriendi principium esse asserit: vt neruorum, sic venarum quoq; originem cordi attribuit. Galenus contrà Medicæ artis instaurator, vt facultates certis sedibus distinxit, ita nutritionem ab hepate proficisci, venasq;, quæ sanguinem nutritionis materiam deferunt, ab Hepate enasci, magna contentione integro ferè libro 6. de Hipp. & Platonis decretis euincit.

Vterque multis rationibus dogma suum comprobare nititur; verùm vt veritas magis elucescat, ita habendum: Si illic exortum vasorum esse asseuerant, vbi vas à principe parte aliquid deferens, primùm emergit, vt in præcedenti quæstione quoque fuit dictum, altissimisque defixum radicibus, substantiæ ipsius inhæret: iecur, cui vena Caua infinitis propaginibus intexitur; cui quoque venæ portæ soboles innumeræ permiscentur: in quod vena vmbilicalis in fœtu pertingit, venarum principium erit statuendum. Si verò eam originem statuamus, qua vas principis partis substantiæ, à qua dimanat, exactè continuatur, ab eaque diuelli non potest, vbi quoque maior ipsius truncus caudexque, Cor ipsum, vti ex sinistro ventriculo, arteriam magnam, quod nemo negauit, sic ex dextro sinu venam cauam promit amplissimam, ipsius substantiæ pertinacissimè cohærentem, atque ad hepar deductam, duo quoque alia vasa confusæ & permixtæ naturæ, ad pulmones delata, erit dicendum principium.

Hæc vt veritati consentanea sunt, sic maiorem dubitationem mouent, vt cuinam parti origo hæc sit ascribenda, nondum constet. Quod magis vrgent Venæ arteriosæ & arteriæ venosæ, cum pulmonum substantia confusio, à qua tamen nemo sanæ mentis ipsas progressas, sicuti à corde vnquam prodire, ausus fuit asserere; vt neque emulgentes venas à renibus arterias à liene, cui tamen multæ myriades implicantur. Ita vt rursum hepati ortum venarum acceptum referre vereamur, quemadmodum nec cordi, cùm ipsius substantiæ cum venis nulla prorsus sit similitudo, cùm sanguinis non sit officina, cùm venæ non pulsent, cùm non omnes venæ eò pertingant, & vas vmbilicale & vena portæ, cordi nullibi adnascantur.

Cæterùm si de obscuris & dubiis rebus non modò ratione, quæ ex ingenij acie prodit, verùm etiam obseruatione experientiaque, quæ sensuum beneficio concipitur, iudicandum est. Intelligemus statim in prima hominis conformatione, fœtus partes æquè omnes conformationis suæ adumbrationem & rudimentum nancisci, membráque simul omnia conformari spermatica, atque increscere, nullumque prius aut posterius altero, aliúdve ex alio oriri, ex certis hisce demonstrationibus patebit euidētiùs.

Posteaquam vtero fœcundum semen conceptum est, priusque formam aliquam absolutam, partes quæ ex eo generantur, consequantur, sanguineque nutriantur & increscant, hæc primo mense ferè perficiuntur. Exurgit primùm vis illa procreatrix in semine latens, & recondita ac insigniores seminis portiones, quæ à tribus parentum principiis defluxerunt, in tres quasi bullas spiritibus turgentes disponit, quæ iecoris, cordis atq; cerebri rudimenta sunt. Eadem vi partes crassiusculas quæ in ossa abituræ sunt, tenuissimaque filamenta, quæ neruis, venis & arteriis materiam suppetunt, latiusculasque quæ fœtum ambientia inuolucra membranasque corpus inuoluentes futuræ sunt, certis locis segregat atque discernit. Quæ septem diebus ferè perficiuntur, ita vt tum reiecto embryone, informis quædam massula bullis distincta appareat.

Ab eo verò ad trigesimum vsque diem, conformatrix facultas opus aggressa, solidarum partium conformationem ex semine tantùm instituit. Atque inchoata primùm principia, cor, iecur, cerebrum propriâ figurâ exornat, mox & nerui effinguntur, venæ atque arteriæ excauantur, omnes in fœtus vmbilicum deductæ, à quo duplicē qua inuoluuntur membranam peruadētes matris

tris vteri venis continuantur, atque osculis adhærent. Eadem opera tum membranæ fœtum inuoluentes firmantur, vt & reliquæ membranæ. Viscera item interna robur nanciscuntur, Cutisque concrescit, omnia contegens, ossaque figuram aliquam duritiemque sensim acquirunt. Hæc omnia in puro semine, ex parentibus commixto, tantùm perficiuntur, nullo adhuc accedente sanguine, nondum aucto, nondum amplificato conceptu, neq; rubore aliquo perfuso. Ita quidem abortum ante quadragesimum diem, vt Hippocrates notauit, sic & post eum multi, & ego quoque ex brutorum animalium reiectis, non semel obseruaui, fœtum immaturum eiectum, verè ac prorsus conformatum, seminis quãtitatem mole sua nondum excessisse, cuius partes omnes albę erant, iecore excepto, in quod vena vmbilicalis ferebatur, sanguine conferta, fœtum postea nutritura. Cuius magnitudo vix pisciculum minutissimũ licet excedat, Caput tamen par est auellanæ, & maius pro reliqui corporis proportione. Nam cùm cerebrum tantùm ex semine constet, reliquæ verò partes omnes sanguine enutritæ, molem suam primùm accipiunt, Caput maius toto quo vtero gestatur tempore, semper apparet. Oculi his vt cancris exerti, Nasus, Auriculæ eminẽt, Brachia, Manus, Crura, Pedes, cicadarum instar, hisque secreti Digituli, Penis conspicuus, Scrotum milij magnitudine. Omnia cute tenuissima pellucidaq; contecta, per quam interiora cernebantur: Viscera fibrosa: Vasa filis aranearum subtiliora, Membranæ cæparum pelliculis tenuiores splendidioresque. Ossicula flexibilia adhuc & mucosa. Omnia hæc alba & seminis æmula. A die enim trigesimo, conformatæ partes solidæ, nõdum adauctæ, nutriri incipiunt, carne fulciri atq; increscere. Idq; ex menstruo matris sanguine, qui per secundinas fœtus vmbilicum pertransiens, hepati affunditur, atque inde per venas tum portæ tum cauam, vndiq; fibris accrescit, ipsarumq; capacitates quæ inanes erant, sensim carne implet atq; adauget, tum in musculis tum aliis visceribus.

Hæc donec fœtus ad perfectum complementum perducatur, sitq; iam ad partũ absolutus atq; maturus, natura pulchrè molitur. Ex quibus satis constare arbitror, vno eodemq; tempore partes simul omnes delineari, alio item conformari, speciemq; accipere: alio audaugeri atq; increscere, neq; ex spermaticis partibus aliam ex alia prodire.

Verùm cùm magna sit partium functionis causa varietas, cùm aliæ dum fœtus vtero inclusus est, licèt formatæ sint, otiosæ tamen delitescant, aliæ cõtrà simul opus suum statim efficiant, fieri omnino nequit, vt omnes natura æquè promoueat, sed vt aliæ citiùs, aliæ tardiùs formam absolutam consequantur, atque iam genitæ dicantur. Quænam verò illæ sint, facilè patebit, si in memoriam reuocauerimus facultates, quibus gubernatur.

Fœtum ab initio ex semine recens cõformatum, sanguinis duntaxat beneficio nutriri, haud secus ac stirpes terræ succo calore tantùm innato viuere, certum est. Mox verò spiritu vitali accedente, animantium instar viuere. Postremò omniũ moueri & sentire, omnib. in confesso est. Cæterũ hæ facultatũ functiones, cũ certis instrumẽtis (vt quęlibet actio) perficiantur, neq; dum sufficiat fœtus principes partes ob exilitatẽ hisce suggerendis, vtpote cuius Iecur minutissimũ, sanguinis illa quãtitate procreanda (qua ad pfectionem conceptus opus habebat) maximè sufficeret. Cor item exile, Spiritum vitalem abundè subministrare nõ potest, aliũde & materiam & vitã aduexit, à matris vteri & venis & arteriis ipsius sanguinem spiritumq; vitæ deriuans, illum per venam vmbilicalẽ in venas proprias alliciẽs, hunc per arterias vmbilicales, in arterias crurales deducens: sic vniuerso ipsius corpori distribuens, à quo materno sanguine & hepar ipsum fœtus cõcrescit, & reliquæ partes nutriuntur, à quo etiam matris Spiritu, cor ipsum vnà cum reliquis viuit, atque animali quoque Spiritui materia suppeditatur.

Pulchrè Deo optimo maximo ita disponente, vt homo nõ ex se-ipso, sed ex parentũ semine primò conformetur, caloremq; natiuum accipiat, atq; inde à matre alimentũ, vitam & Spiritũ desumat, donec eo pfecto, &

ad sui nutritionem, vitam, sensum & motum, propriis vtatur organis.

Patet ergò fœtus ipsius hepar, vt cor dum matre continetur, cùm neque illud sanguinem generet, neque hoc spiritum vitalem procreet (sunt enim iam hæc in matre satis elaborata) proprio munere minimè fungi. Vt & cerebrum ad 4. ferè mensem otiosum esse, cùm conceptus prius non moueatur, nec ante partum sentiat, experientia comprobat. Quo tempore etiam reliqua viscera opus proprium nondum aggressa sunt, neq; enim ventriculus chylum conficit, vnde & nulla excrementa in intestinis colliguntur, nec pulmones spirant, occlusis exactè tunc naribus atq; ore. Oculus quoque non videt, auris non audit, lingua non gustat.

Tantùm igitur vasa, postquam fœtus increscere incipit, venæ primùm, inde arteriæ, tardiùs nerui, illæ sanguinem matris deferentes, aliæ spiritum aduehentes, hi tandem motum efficientes, munus destinatum exequuntur, cùm reliquæ totius corporis partes interea in actum opus minimè producát.

Iam si ad functionem exequẽdam, instrumenti forma perfecta requiratur, quis dubitat Venas primùm perfici, excauari, absolutam figuram & perfectionem consequi, iecore nondum integrè perfecto, nondum quicquam efficiente. Vt reuera nihil in fœtu manifestius, nil latius & maius venâ vmbilicali: Dedit hoc occasionem multis, vt hepar ipsum à venis pronatum, non venas ab hepate, non ineptè pronunciarent, cùm iecur nil esse, quàm inplexum venarum infinitũ, cui concretus sanguis obnascitur, inficiari nemo posit.

Sic quoq; arteriæ formantur, pulsant, spiritumq; deducunt priusquam cor vel vllum motum persentiscit, quicquid de origine arteriarum à corde dicant. Hæc enim postquã in lucem editus est infans, primùm operantur, cùm iam solidiorem cibum per os accipit, tunc ex chylo hepar sanguinem efficit, cùm per nares aërem respirationis causâ attrahit, tunc cor pulmonesque dilatantur constringunturque.

Vidi hoc sæpius in brutorum maturo iam fœtu, per abortum cum membranis ipsum ambientibus reiecto. Exteriori enim effracto inuolucro, per interius, quod valde pellucidum est, videre potui, quam fœtus à matre iam separatus respirare conetur, nec possit tamen, cùm aëri ad ipsum inuolucri causâ non pateat aditus, ita vt statim suffocetur, nisi interiori inuolucro scisso, aërem continuò ducere posit. Vnde vsu edoctæ obstetrices, vas vmbilicale non prius vinculo intercipiunt, donec inuolucrũ disrumpant. Quæ bruta ex naturæ instinctu dentibus discindunt.

Cerebri longè alia est ratio, hoc enim cùm non tantùm materiam aliquam, vt hepar vel spiritum, vt cor, sed etiam propriam substantiam vndique ad partes transmittat, dorsalem medullam & neruos, à matre hi fœtui deriuari minimè potuerũt, sufficiebat enim matri si sanguinem quo fœtus aleretur, si spiritum quo viueret, cõferret, quæ non grauida muliere, certis periodis tanquam superuacanea expurgantur. Partes autem solidas mater de suis subministrare nõ potuit. Atq; ideò fœtus neruis ad motum propriis vtitur, ab ipsius cerebro singulis partibus contributis, in easque dispersis.

Cumq; cerebri structura tardiùs quoque perficiatur, seriùs mouetur infans, nec sentit, donec nõnihil confirmato & adaucto cerebro, infans à matre iam excludatur. Neq; tum principes adhuc functiones exerit, donec cerebrum ad molem conuenientem excrescat, sicque ratiocinari reminiscique paulatim incipiat, quod post infantiam seriùs aliis, aliis citiùs euenit, prout cerebri constitutio perfectior atque exquisita.

Videor iam mihi obtinuisse quod volo, etsi vitio minimè dandum, si à veterum placitis nonnihil discedo, tandem effecisse, Venas ipsas vna eademq; opera, cum cæteris spermaticis partibus genitas, formatas, atque ex semine primam originem traxisse. Ad hæc primas omnium perfecta specie ornatas absolutasq;, suum opus perficere, necdũ in fœtu ab adultiorum venis, nisi mole, qua indies ob sanguinis copiam magis magisq; dilatantur, differre. Quæ non tantùm rationibus nixi, sed & demonstratione vera sensuum beneficio ex Anatome didicimus (quã simul

simul omnibus philosophis, ad quos propriè ea pertinet, commendamus) atq; ea asserere non dubitauimus, cum omnibus, maximè philosophis, iucunda & grata fore existimaremus. Cuiusmodi & multa in quæstione præcedenti fuerunt allata, quæ hîc ob quæstionum similitudinem repetere non abs re fuit.

3. Vasa vmbilicalia continua'ne, an contigua?

FOEtus propriæ partes sunt vasa vmbilicalia potissimùm, quæ cum vasis maternis non continua esse, sed contigua (& quidem mediatè) tantùm esse, præter αὐτοψίαν, (cùm in muliere in hepar vterinum, in brutis in cotyledonas disseminari videamus & tangamus) ratio ipsa dictat: si enim vasa dicta continua essent, quanta fieret, proh Iupiter, in partu partium dilaceratio, sanguinisque laudabilis effusio? Quis nescit, vasa dissecta, aut alio modo soluta in indiuiduo, nunquam aut rarissimè ob materiæ ineptitudinem, & tamen intercedente medio vtplurimùm coalescere, vt rectè continua dici possint? Quis dicet, minoris vasis orificium minus, cum orificio maioris vasis maiori, commodè coalescere posse? Tandem si maximè velint, hæc vasa continua esse, non tamen aliter continua sunt, quàm fructus aliquis continuus est arbori; pedunculus enim iungitur arbori, instar illius articulationis ossium, quæ per symphysim fit.

4. Cor sit'ne viscus præstantissimum, primùm viuens & vltimum moriens?

QVis satis Principis huius partis, quæ scaturigo, fons & principiũ vitæ, eiusdémque vltimus actus & finis existit, dignitatem explicare poterit?

Cuius summam necessitatem, quòd nulla ex iis quæ viuunt, corde destituantur, primùm ostendunt, cùm tamen cerebro, hepate, partibus primariis, multa è viuentibus careant. Cor autem & in homine reliquísque animantibus omnibus, viscus rotundũ pyramidale fibrosum compactúmque, duobus ventriculis in reliquis, Vnico saltem in piscibus excauatum, reperiatur, quo nec minima insecta, nec informia ostracodermata carent. Quo neque plantæ destituuntur, in quibus etsi à toto segregatum collectumq;, certaque forma circumscriptum cor minimè sit (neque enim cùm nec sentiant aut moueantur, eo instrumentorum vti reliqua animalia apparatu opus habuerunt) hoc tamen certa aliqua in plantæ sede consistere, vel radice vel medulla, quòd viuant, satis declarat.

Sed & excellentiam cordis, sedis ipsius dignitas ostendit, cùm tutissimo semper in loco, reliquisque partibus septo & munito, inclusum lateat. In homine reliquisque animantibus medio in thorace, pulmonibus immersum occultatumque.

In piscibus verò in capitis ima sede, cerebro proximum; In Plantis in intermedia, vbi radix cauli qui assurgit iungitur sede, sit positum. Hanc enim & carnosiorem & molliorem cæteris partem, plerique plantæ cor esse asserunt, quam & aliqui Cerebrum potius vel matricem appellare voluerunt; nos verò quoque cùm vitalem humorem Plantæ conferant, cor esse dicimus.

Sed multis aliis argumentis omissis, quibus cordis præstantiam ostendere statueramus, sufficiat ad illius dignitatem comprobandam, vnum aut alterum attulisse.

Quòd nimirum cor ipsum, nullos grauiores affectus, quales sunt, inflammationes, tumores, vlcera, aliis partibus principibus quoq; consueta, citra hominis subitaneum interitum ferre patíve possit.

Et quòd leuiora illius pathemata, omnes mox totius corporis partes persentiant, & corde affecto, nobilissimo huic organo mox consentiant, & veluti condoleant.

Nam & sola cordis intemperies calida, statim omnibus partibus similaribus imprimitur, easque omnes simul accendens, febres, generales totius corporis affectus parit.

Sicuti frigida, si in corde oriatur constitutio, illa quoque omnium partium reliquarum calorem extinguit, actionesque labefactat. Siccitate itidem in corde natâ, per febres hecticas vniuersum corpus emarcescit & consumitur.

Sed & solis cordis spiritibus intrò forasq; per animi affectus immodicos impulsis, quantæ perturbationes mutationesque per iram, terroremque, aliaque animi pathemata in corpore oriuntur?

Iisque interdum aliquandiu cor derelinquentibus, quàm horrenda mortis imaginẽ repræsentantia, per animi deliquia, Syncopes, inde sequuntur symptomata?

Ex quibus, quæ illius passiones comitantur, totius corporis læsionibus, cordis principatum, & præ cæteris partibus, nobilitatẽ facilè cognoscimus.

Vt non sit mirum, cor & originẽ & principium vitæ, omniumque actionum reliquarum à Philosophis fuisse positum.

Et quod & primum vltimumque inter ea quæ in corpore & viuunt & mouentur, & sentiant, existat.

Cùm Hepatis actionibus penitus aliquandiu deletis, læsaque sanguificatione, nihilominus ægrum superuiuere, ad tempus adhuc posse videamus.

Cùm cerebri functionibus omnino interdum sublatis, ita vt in apoplexia & caro, nec moueatur nec sentiat æger, tamen nisi respiratione impedita, atque eatenus corde suffocato, æger extinguatur, homo diutiùs superstes manere posit.

Cæterùm Medici cùm non tantùm ratione, sed & sensibus penitiùs res intueri soleant, factum est, vt diligenti multaq; obseruatione, inter diuersas cordis actiones, dubia multa relinquant. Inter quæ præcipua hæc sunt.

An cor primùm, hoc est citiùs quàm aliæ partes similares, viuat: vltimum enim esse quod extinguitur, dubium minimè est.

Secundò an cor citiùs aliis partibus moueatur, & num motus illius, dum fœtus adhuc in vtero est, perficiatur. Tertiò demùm, non tantùm an primum sit ex iis quæ sentiunt, sed an sensu tactus præditũ sit, ambigunt. De quibus quid sentiam, breuissimè & aphoristicè proponam.

Fœtum ab initio ex semine non ita conformari, vt cor, hepar, cerebrum, primùm ex tribus veluti bullis formentur, sed omnes partes similares simul primum rudimẽtum quoddam, mox formã aliquam, quâ discerni statim possunt, accipere experientia docet: Qua id quod vidimus, multis præsentibus testari possumus, in globulo rotundo pisum maius vix adæquante, per abortum reiecto, diductoq;, caput, corpusculũ, pedes, brachia, oculorum puncta nigra, maculas rubras circa hepatis & cordis regionem, manifestè apparuisse, & in conspectum venisse.

Sed & fœtum ex semine recens cõformatum, calore innato tantùm viuere, mox verò nutriri augeriq;, spirituq; vitali simul perfrui, postremò omnium moueri, & sentire, & ratio dictat & obseruatio comprobat.

Cæterùm hæ functiones cùm certis instrumẽtis perfici debuerint, eaq; in fœtu adhuc imperfectiora essent, quàm vt materiam idoneam partibus alendis viuificandisque præparare & suggerere possent, aliunde, à matre nimirum & sanguis ad nutritionem, & spiritus ad vitam, per fœtus vmbilicum, in eum aducta deductaq; fuerunt, quæ non tantùm reliquas illius partes, sed & hepar ipsum alunt, cordique vim viuificam subministrant.

Pulchrè Deo opt. max. ita disponente, vt homo non ex seipso, sed ex parentum semine primò conformetur, caloremque natiuum accipiat, atque inde à matre alimentum, vitam & spiritum desumat, donec eo perfecto genitoq; ad sui nutritionem, vitam, sensum & motum propriis vtatur organis.

Ex quibus manifestè patet, pleraq; in fœtu otiosa adhuc esse organa, quibus etsi potentia vis facultasque insit, nondum tamen in actum deducit, donec absoluta fuerint, & eorum operatio requiratur, quod in plerisq; cùm iam in lucem infans prodiit, primùm incipit.

Vnde & Hepar toto eo tempore, dum fœtus vtero inclusus retinetur, nec sanguinem generare, aliisve partibus subministrare, aut potuit aut debuit, sed materno sanguine, vnà cum reliquis partibus frui, eoque nutriri atque augeri.

Neq; cor quoq; ob exilitatẽ teneritatemq; illius, dũ fœtus ergastulo hoc immersus est, spiritum vitalem cæteris organis, quem sibi ipsi à matre vt viuat allicit, conferre, aut eundem

dem ob imperfectionē illi9 generare potuit.

Nec solùm eam ob causam, sed & quòd materia ad spiritus vitalis generationē necessaria, aëre nimirum tam diu quamdiu inuolucris septus, omnisque ad illum aditus interclusus est, priuatur ac destituitur. Quomodo enim inspiratione illum attraheret, cui nares, os exactè obturata sunt, humoreque seu aquæ cui fœtus innatat, immersa, si paterent, eam potius quàm aërem haurirent, suffocareturq; fœtus. Ita vt qui fœtum in vtero respirare contendunt, omnem sensum & rationem tollere videantur.

Quod si verum est, vti reuera verissimum, & eiectus partus brutorum animalium manifestè ostendit, ea non priùs donec inuolucrum scissum sit, respirare, neque cor quoq; quādiu inspiratione priuatur, moueri, cùm motus illius spiritui vitali gignendo propagandoq; destinatus sit, certissimè constabit.

Motumque eum quo fœtus post medium vteri gestationis tempus se aliquo pacto manifestat, non à cordis illius, vti aliqui voluerūt motu, & pulsu dependere, sed ab animali illius vi, quæ cerebro illius iā ad iustā aliquā magnitudinē adaucto, sese exerit, ꝓcedere.

Cerebrū enim cùm non tātùm ad sensum & motum spiritū, vti cor, sed & propriā substantiam per neruos, partibus cōmunicare debuerit, hiq; à matre in fœtū deriuare minimè potuerint; neq; enim de solidis partib9 mater quicquā, vti de humore ꝓprio & spiritu confert: hinc factum est, vt ad motum edendum, proprio fœtus vtatur organo, cerebro nimirū, tunc quando illud nōnihil confirmatū est, quod quo partui magis propinquus est, eò magis perficitur, motusq; vehementiores & tunc quādo fœtus exclusus est, sensus simul externos & progressu ætatis, magis adhuc ꝑfectū, tandem etiā sensus interiores, rationē sensim sese exerentē, ꝓfert.

Ex quibus reuera patet, cor quādiu fœtus vtero hæret, non aliter quàm cæteras partes viuere, augeriq; & nutriri, sed nec tum moueri, donec à matre separatus, munus suum officiumq; quo reliquis vitā suppeditat, aggreditur, illudq; toto vitæ curriculo, ad extremum spiritum vsq; perficit, atque obit.

Cęterùm neq; sensu tactus vllo, multò minus exquisitissimo, vti aliqui voluerunt, & vulgus existimat, cor præditum esse, hæc quoque sufficienter probant.

Quòd in hoc viscus nerui minimè inserantur, nec aliter ac in hepatis, lienis, renum pulmonumque tunicas, quas partes omnes sensu destitui quoque asserunt, si modò fit, in illius quoque tunicam fibra aliqua duntaxat nerui prorogetur.

Et quòd nulla necessitas sensum cordi assignet, cùm in corporis profundo pulmonibus, qui & ipsi sensu destituuntur, immersum, nullis externis iniuriis, quas per sensum declinare debuisset, sit expositum.

Et quòd vasa continuatione illi iuncta, venæ & arteriæ, quæ & ipsa non sentire, argumentis certis alibi ostendimus, ob eam causam illi sensum tactus quoque adimunt.

Constetque omnibus cardialgias, cordis dolores dictos, non à corde, sed ventriculi orificio, cardia dicto, dependere.

5. *Cur facies frigus meliùs quàm reliqua membra ferat?*

Miramur in quibusdā regionibus homines, vel omnino, aut ex parte nudos vagari, nec frigus curare, aut eo offendi, pręsertim in locis frigidioribus, vt Hybernia, vbi quoq; brachiis & pedibus nudis, per abstrusa illius loca incolæ incedūt; & licet in America cœlū temperatius sit, sine dubio tamen, aliquando etiam, noctu pręsertim, gelidum, vt etiam apud nos in ipsis canicularibus fit. Ita vt consuetudo hîc quoq; multùm possit. Quæ facit, vt facies nostra detecta, quæ non minùs rara mollis ac reliquū corpus, & sensilis, frigora tamen perferre possit.

6. *Quænam sit Barbæ in viris vtilitas?*

Vis illa & facultas, quæ vasis genitalibus certo tēpore ætatis, ad illud homine maturo stimulum adfert, & aptitudinem ad generationem, eodem quoq; tempore indiciū veluti maturitatis, in pube lanuginē primò, mox in pilos desinentē, in vtroq; sexu ꝓtrudit, & in muliere mamillas sensim sese exerentes profert: in viro verò, cùm vis hęc procreatrix valida admodū sit, nō tantū in pube, sed & in facie, loco omnibus cōspicuo, vt cognoscatur virilitas, in viro, omnib9q; pateat,

(quam per genitalia quæ natura tecta & abstrusa esse voluit, explorare, illud non omnibus concessum sit) barbam quoque producere tunc temporis incipit in facie, locum vbi minus impedire debuit occupantem, & pro naturarum diuersitate & efficacia facultatis illius, in circuitu oris, plus minúsve sese ad aures vsque, & per malas extendentem. Hincque fit, vt quibus ante pubertatis annos, vis illa & virilitas, per castrationem testium, in quibus vis illa quoque latebat, adempta est, barba quoq; minimè erumpat. Quæ vera causa generationis barbæ existit, vt non sit necesse hîc venustatem, cuius causâ hæc genita sit, protédere, cùm in muliere nihil turpiùs, quàm si ea cresceret, euenire posset, neque pulchritudinis causâ tamen aliquid in corpore humano condiderit natura, illudque tamen pulchrum existat, quod rectè formatum est.

Eadem ratione in cornutis bestiis masculo cornua crescunt, quæ si castrentur, minimè erumpunt. Et quibus animalibus genuini dentes tardiùs prodire solent, si antequam sese manifestent, castrentur, non amplius sese exerunt.

Barbæ autem in viris vsum nemo rectè hactenus descripsit, neque enim eum quem cæteri pili vsum calefaciendo, aut aliud quid corpori commodando præbet, cùm potiùs impedimentum sit, non saltem ori ad res ingerendas, sed & in aliis actionibus. Vnde eam veteres, qui capillos prolixos alioquin alebant, penitùs abradebant, ne belli tempore pacisq; illis impedimentum adferret.

Elegantiæ causâ si velint dicere esse genitam, quare igitur mulieres eâ carẽt, quarum elegantiæ causâ in hoc maximè natura studuit, & barbâ carere voluit: quæ si quando vel leuiter se in illis manifestet, turpissimas facit. Virilitatis itaq; duntaxat est indicium, vt cùm homo nudus minimè incedat, sicq; sexus dignosci nequeat, ex facie virilitatis illius pateant indicia. Quocirca eo tempore, cùm vir esse incipit, hoc est, ad generationẽ idoneus, vt pili circa pudenda, sic & circa mentum aliis citiùs, aliis tardiùs erumpunt, & hæc cartilaginosa filamenta, à virilitate protruduntur; & cùm vir ad generationem nõ habeat definitum tempus, vt mulier, sed semper sit habilis, semper quoque toto vitæ tempore manent. Hinc certè pulcherrimè illud obseruatur, quòd si ante virilitatis tempus castrentur, antequam hæ partes genitæ sunt, non amplius crescant, cùm virilitas in homine penitùs sublata sit, & effœminati facti sint. Quæ tamen partes si iam genitæ sint, & post castrẽtur, non ampliùs amittuntur, cùm firmiter corpori hæreant.

Eadem ratione vocem quoque in viro crassiorem, virilitatem demonstrare obseruamus, eamque quoque antequam tempus illius superuenerit, effœminatam esse, & tũc primùm intendi, quando iam adest, cernimus, quę & effœminata, si ante illud tempus castrentur, semper postea manet: sin verò hoc post virilitatis tempus fiat, nõ mutatur.

7. *Digiti an sint pellucidi?*

MAnus digitos inuicem coniunctos, si radiis solaribus aut splendori ignis opponas: admodùm rubere & pellucere videntur, ex quo apparet cutem, membranas, ligamenta, cartilagines & ossa quoque pellucere, etsi mutuò iuncta, partem constituant, eam quæ excarnis alioquin est, nullis scilicet musculis obfuscata.

8. *Cur corpora humana post mortem non sepulta, mox flauescant, tandem rubeant, & sanguinem profundant?*

COrpora humana, quæ in scholis, Anatomiæ causâ interdum dierum quatuordecim spatio reseruaui, post flauescentem mortalem illum colorem, quo postquã exspirarunt, statim pallent: (qui & mortis iam perfectæ certissimum est indicium) exactis aliquot diebus, rursum nonnihil rubere in malis, carnosioribusque locis, præsertim quibus incumbunt dum secantur, vt clunibus, aliquoties obseruaui, atque è venis minoribus quoque nondum sectis, sanguinem serosum omnino & liquidum, leui cadaueris cõmotione, ad interiora emanare, quod à sanguinis in saniem tenuem & corruptione transmutatione proficisci, cùm is putredini obnoxius, primus ferè alteretur, conieci.

ieci. Is enim sic attenuatus, facilè è venis in corporis habitum, partibus præsertim ex mole corporis, dum asseribus incumbit, & in sectione hinc inde voluitur, & quasi contusis illabens, eas nonnihil tingit, atque è venis quoque per nares, podicem, oculos, vel internas sedes apertas elabitur. Quæ causa fortè quoq; erit, quòd cadauera mensium aliquot spatio, rursum effossa, vt signum aliquod, homicidâ vel latrone præsente edant, sicuti hoc accidere diuinitùs creditũ est, sanguinem sæpè, præsertim si admodùm dum tractatur impellantur, profundant. Quod tamen si diutiùs sepulta manserint, non fieri, ego qui aliquot experimẽti huius faciendi causâ, rursum eruere vidi, vel ab aliis qui spectarunt audiui, testari possum.

9. *Cur corpora humana terræ mandata minimè putrescant?*

COrpora terræ mandata, si altè defossa sint, minimè putrescere ex cadaueribus quorum quamplurima & mensium aliquot & annorum spaciis exactis, post sepulturam rursum vel casu vel studio effossa spectaui, diligẽter obseruaui, his rationibus persuasus, quòd illa non putrida aut fœtida (nisi quatenus tetrum odorem, limacum instar aliquomodo spirant) aut vermibus scatentia inveniantur, sed arida, sicca, vti fumigatæ sunt carnes, vel si longo tempore terræ inclusa fuerint, in cineres vel tenuissimum pollinem redactæ, mox leuissimo motu vel flatu quoque concidant atque euolent. Dein quòd ossa integra & salua pleraque maiora durioraque remaneant, quæ tamen si caro verè putresceret, ab illa infecta, eandem quoque vt in viuentium sphacelis accidere videmus, corruptionem paterentur. Postremò quòd terra ipsa quâ nihil sicciùs existit, eiusmodi corpora, longè meliùs quàm si pice aut sale conderentur, à putredine conseruare possit. Ex quibus falsam magnatum persuasionem videre licet, qui naturali hac corporum à putredine vindicandi ratione neglectâ, artificiali per balsama vti vocant, vtuntur, & qui terram abhorrentes, malunt in cameratis subterraneis, illorum corpora serpentibus, vespertilionibus vermibusque exponere potiùs, quàm siccissimo & purissimo elemento, sensim consumi, & in nihilum redigi.

10. *Mirum in hominibus tot formarum præsertim varietates.*

ET hoc mirum, in homine præsertim, ex vna forma hominis faciei tam affabre cõstructa, tot differentes formas enasci, vt alterius rei in toto mundo diuersitates tot vix inueniantur, nec vna sit facies, quæ in tanta hominum multitudine, alteri per omnia similis existat, sed plerumque plurimùm inter se; etiam inter eos qui ex iisdem parentibus nati sunt, discrepet. Et licèt similitudo quoque aliqua facierum in quibusdam non solùm consanguineis, sed & sanguine alienis deprehendatur, interdumque tanta vti in aliquibus, atque inter eos præsertim, qui eodẽ partu nati fuerunt, contingere vidimus & legimus, vt vix ab inuicem dignoscerentur, hæc tamen tam exacta minimè est, quin certis quibusdam notis differentibus, si modò rectè obseruentur, ab alterius forma distinguerentur. Quod in reliquis animantibus, pilis pennisque intectis, contrario modo euenit, vt plura eiusdem generis formâ tam simili quam dissimili prædita inueniantur.

11. *Mirum hominem tam angustis pedum plantis erectum seruari, nec cadere.*

ADmirandum hoc quoque, hominis tam vastum & erectum corpus, duobus tantùm fulcris, cruribus scilicet sustentatum, (quorum tam angusta basis, quam pedum infima trãsuersa amplitudo efficit) in illis, quò minus labatur & cadat, consistere posse: sicuti in cæteris rebus, quæ nõ meliùs quàm duobus pedibus basi paruâ sustentantur, videmus accidere. Quod sanè & in corpore accideret, nisi beneficio musculorum ita fixi pedes retinerentur, & dirigerentur, vt non tantum dum corpus erectum in æquilibrio est, sed & dum ab eo recedens, in hanc illám ve partem inclinat & fertur, non tamen concidat. Sicuti infantibus modò natis imbellibus adhuc accidit, qui citra adminiculum

aliquãdiu, donec pedes, hoc est musculi tendinesq; ipsorum firmentur, stare aut incedere nequeunt. Secus ac in reliquis bipedibus animalibus auibus scilicet, quorũ pulli, cùm firmos & osseos pedum habeant tendines, mox nati discurrere possunt. Cùm & reliqua animalia quadrupedia, etsi quatuor fulcris sustentata citiùs & firmiùs stare & ambulare deberent, pedes tamen molliores quàm aues sortita, vbi primùm nata sunt facilè quoque nutant, non tamen tamdiu atque humanus infans, à statione & incessu impediuntur.

12. Inconsueta miraculosa, consueta licèt turpia, pulchra videri & è contra.

MIracula plerique videre exoptant, cùm tamen omnia ea quæ videmus, Dei admiranda opera, miraculosa existant. Verùm quia illa consueta nobis, idcircoq; non admiramur, miraculosa esse nõ putamus. Nónne æque mirum est, hominem, qui nihil fuit, de nouo nasci, atque illum qui semel fuit, etsi moriatur, & in nihilum redigatur, rursum in resurrectione renasci. Hinc ego ea, quæ consueta non sunt, miracula tamen vulgò dici, existimo, quæ si horrenda videantur, monstra quoque appellant. Consueta verò licèt turpia, pulchra videri & è contra. Consuetudo facit, vt scilicet res pulchræ vel turpes iudicentur. Hinc fit vt idem verbum, eodem sono iisdem litteris pro diuerso tamen intellectu prolatum, nunc turpe nunc decorum habeatur, quod vocabulo Braut Germanico probatur, quod vt nomen prolatum, sponsam significat, vt verbum, ne honestè quidem nominari potest. Quid quæsò turpius vel inhonestius, braca dicta, in caligis excogitari potuit, quæ cùm nullum vsum præstet, neque enim membrum (cuius veluti si theca esset, formatur) suscipit aut integit, à qua etiam immensa, dum hoc adhuc consuetum erat, apud Germanos, nemo abhorrebat, aut indecorum esse putabat, imò cùm iam ea omittatur, id plerique turpe in vestitu damnant, esseque iudicant, caligas gestare braca viduatas, ac si castratos id denotaret, ac corporis formam vitiatam, ac si facies naso careret. Si quis offæ, aut iuri, aut pulti, quæ mensæ apponitur, digitum prius in ore saliuâ madefactum, intruderet, & in ea ablueret, nullus deinceps de ea quicquam comederet, & tamen non abhorrent, quando cochleare non vnum, sed multa à multis, ori sæpè indita, saliuâ imbuta, toties in offam intrudunt, & cum saliua permiscent, nónne quia consuetum est hoc facere, nemo offenditur. Quid pecuniâ sordidius, quæ omnium mortalium manus, etiam leprosorum, lueque venereâ & scabie infectorum, toties pertransit, quæ primo contactu sordes deponit, manusque contaminat, si sæpius tractetur, tamen ab ipsius attrectatione nemo abhorret, quod etsi lucri causâ potissimùm fiat, nisi tamen consuetum esset, etiam sordities hæc nobis molestiam adferret. Quid turpius, fœtidius Caseo putri, quid magis horrendum, quàm cùm vermibus ex putredine scatet, tamen plerique eo suauiter epulantur & delectantur, cùm nihil putridi aliàs, quodcunq; tandem illud sit, comedat homo, sed ea non tantùm fastidiat, sed & à contactu penitùs abhorreat.

Quid mouet antropophagos, vt carne humana vescantur, & quid cæteras regiones, vt illius esum penitùs abominentur, nisi consuetudo, vti & aliarum bestiarum nõ consuetarum in cibo esus quàm fastidiosus? Quis cochleas, ranas comedit primùm & non abhorruit, tandem ex consuetudine fuit delectatus.

13. Cerebrum rectè ne dicatur frigidum?

CErebrum quod frigidius reliquis visceribus parenchymate constantibus esse censent, nos minimè tale esse putamus, sed si non calidius sit ipsis, saltem calore illis minimè cedere, idque cùm sanguine copioso, in sinibus ipsius contentis, eoque arterioso, vnde & sinus pulsus, calidiore proin & tenuiore abundet, eoque alatur, sicuti in superficie illius, quæ tenui meningi cohæret, subcinerea ob hoc fieri, in opere

opere nostro Anatomico ostendimus: Dein & quia facilè incalescit, vnde & morbis calidis cephalalgiâ atque deliriis facilimè afficitur. Et quòd operationes tot tamque multas præstare debet, quod ipsum admodùm spiritu caloreque abundare, satis declarat. Etsi autem humidis excrementis facilè abundet, non ex eo frigidum esse censebitur, cùm hoc ob copiam sanguinis multamque illius nutritionem fiat, vbi multa excrementa colligi necesse est, sicuti & in pulmonibus calidissimo viscere fieri videmus.

14. *Quare naturâ alij læti, alij iracundi, alij melancholici, alij pusillanimes existant?*

Hic non effrænatos animi motus, quibus vel gaudio nimio profusi stultescunt, vel irâ nimiùm commoti, furiunt, aut melancholiâ immodicâ oppressi, desperant, vel pusillanimitate circumuenti torpent, intelligimus. Sicuti in morbis id sæpè euenire videmus, illorumque hæc esse symptomata. Vti Delirium cum risu. Risus ille Sardonius, cuius Cicero quoque meminit. Saltus ille S. Viti, quem vocant, rarus & horrendus affectus: Aliique quamplures, in quibus aliquando læta loquendo, agendóve multo risu & gaudio ægrotantes, vel summè periclitatos vel extinctos quoque fuisse vidimus. Sed & multò frequentiùs dum ægrotant irâ perciti insaniunt, phrenetici, maniaci, colici. Terrore & metu mortis, quam tamen sibi, nisi prohibeantur, inferunt, hi qui melancholiâ morbo laborant, premuntur. Pusillanimitate & metu angustantur, qui morbis diuturnis vexantur, acutis periclitantur, doloribus exagitantur.

Verùm non hos quibus mens causarum externarum impulsu, vti neq; illos, quibus ad tempus saltem vel efferuescit vel concitatur, aut peruertitur & alienatur, vel hebetatur, moxque eadem causâ vel sublatâ, vel mitigatâ ad se rursum redit, hoc loco innuimus.

Vt qui Vini vsu inebriati fatui fiunt, irascuntur, tristantur, plorant: Cùm Vinum vt inquit Galenus immoderatioris motus animæ concupiscibilis & irascibilis, & vt ratio præceps ruat, frequens fit occasio.

Vt qui ob offensam aliquam vindictæ studio præcipites irâ feruntur. Vel ob prospera & iucunda lætantur, aduersa & inimica tristantur & mœrent.

Quorum & mentis perturbationes, Vini vaporibus discussæ, vel vltione factâ, vel consolatione adhibitâ, si modò rationes admittant, mox cessant atque euanescunt.

Nos verò eam constitutionem hîc proponimus, quæ ab ipso ortu toto vitæ curriculo, ad interitum vsque perseuerat, ætatis quidem decursu causarumque externarum internarumque occursu mutationem aliquam accipit, nunquam tamen perfectè cessat aut desinit. Quæ natura in infantibus ratione nondum præditis, sese in ipsis cunabilis, mox detegit, multoque risu, gestibus vel fletu eiulatione vel iracundia, vel taciturnitate sese patefacit. Quæ in adultis potissimùm adolescentibus, Virisque, & ætatem iam consistentibus, sese multifariam manifestat, adeoque prodit, vt facilè sit alicuius naturam vel hilarem, vel ad iram procliuem, vel ad melancholiam aut vitam sedentariam promptam cognoscere. Quæ & in senibus vel decrepitis, non aboletur penitùs, cùm nobis passim occurrant Moriones & Demeæ. Alij qui lætitiam præ se ferunt: Alij quos varia studia artesque oblectant, alij qui perpetuò rixantur, alij qui de quibusuis conqueruntur, alij qui vitam otiosam agunt, nihilque curant, & alij quibus vt ille inquit, nihil suaue præter lucrum existit. Quæ diuersitas animi & morum, vnde prodeat, à variis variè disceptatur. Sunt qui quatuor complexiones dictas, quas Temperaturas vocamus, quatuor hisce animi motibus accommodant. Vt nimirum hi, qui calidi & humidi sint, ad lætitiam, qui calidi & sicci ad iram, qui frigidi & sicci ad melancholiam, qui frigidi humidi ad pusillanimitatem proni existant. Et licèt temperamentum ab insitis causis à parentum semi-

semine profectum, suas per ętatem mutationes acquirat, non tamen adeò peruerti, quin ortus sui semina & scintillas toto quoad viuimus tempore, proferat. Nec externarum causarum impulsa adeò posse immutarier, vt viuente homine (nisi existimemus hominē ratione cibi quoque in bestiam aut animal brutum conuerti posse) illud penitùs aboleri nouumq; possit succedere. Secus alij humorum prædominio id potius fieri autumant. Et sanguineos hilares, biliosos iracundos, atra bile percitos, melancholicos, pituitosos tardos animoque deiecto esse arbitrantur. Sanguis enim, cùm calidus & humidus sit, si is exuperet, moderatione sua lætitiam inferre: & proinde eos qui ad lætitiam procliues sunt, eo abundare, & corpore ac pilis rubere. Bilem suo feruore & stimulo, iram concitare, proin biliosos, oris amatitudinem sentire, bilem vomere illiusque incommoda experiri, eorumque corpora pallere, & pilos croceo colore tingi. Atram quoque bilem, sua natura & vapore tetro mentem perturbare. Pituitam verò grauare & eiusmodi constitutiones ex illorum humorum inditiis potissimùm cognosci. Verùm ab exuperante humore, illos sanguineos, alios biliosos, alios melancholicos, alios pituitosos, in quibus hi scilicet humores abundant, rectè dici, certum est. Sed quod humorum illæ redundantiæ, non semper confinibus sibi temperamentis respondeant, à quibus potissimùm natura & constitutio hominis deducitur, manifestum quoque existit. Cùm & bilis, & pituita, & sanguis, in quauis natura redundare possit, & Melancholiam Dementiam, Torporem à variis humoribus, non vno aliquo saltem excitari videamus. Et cùm humores ipsi per se, neque functiones animi aut corporis edant, sed mediante duntaxat temperamento, & humores immoderatiùs congesti vel vitiati, interueniente morbo seu intemperie, actiones lædant; Verisimile videtur neque ab humoribus nisi quatenus hi temperamentum immutant, animi affectus intendi vel remitti.

(*⁎*)

15. *An Sanguis quo nutrimur, simplex, aut ex aliis diuersis humoribus sit compositus?*

VEl eo nomine quoq; digna hæc est quæstio, vt veritas eius inuestigetur, cùm licet de sanguine emisso, vel solus sensus iudicium firmum ferre possit, tamen variæ de illius compositione & mistione ferantur sententiæ: Cùm alij illum non ex simplici sanguine, sed bile, melancholia, pituita perfusum, constare censeant; eaque bile, qualis in bilis vesicula flaua, summeque amara, à sanguine in secunda concoctione secreta, coaceruari solet, eoque melancholico succo, qualem à liene allici illicque colligi autumant; Pituitaque ea, qualis etiam extra venas excrementitia deprehenditur; quod tamen sensibus dijudicare & certi aliquid inde colligere, valde est arduum. Alij verò sanguinem nō aliter, quàm in tenuiorem crassioremque & crudiorem illius portionem distinguunt, & ne conceptam vulgò eam de quatuor humoribus opinionem euertant, bilis vtriusque, vti & pituitæ nomina illi accommodant, sicque appellari posse concedunt. Quod si verò nihil aliud in sanguine obseruent, cùm hæ non sint diuersæ à sanguine partes, sed sanguis ipse hoc pacto saltem certis in sedibus ipsius differens, ex quatuor humoribus sanguinem componi, hoc pacto asseuerare minimè possumus. Cæterùm si sanguinem penitiùs introspiciamus & examinemus, deprehendemus vti in lacte, ita in sanguine diuersas partes, lactis portionibus non adeò absimiles reperiri, vt non immeritò Galenus sanguinem lacti cōpararit, atque ob partium in vtrisque similitudinem, lac dealbatum vocarit. Vti enim in lacte diu multumque agitato, segregatione partium, per calorem factâ, portio illius butyrosa pinguis, alia lactea & alba, alia caseosa crassa, alia serosa aquea apparet, sic & in sanguine concreto, serosa illius pars, ab eo seiuncta cernitur, & si rectiùs eum contemplemur, atque indagemus, pinguem quoque illius humorem, qualis è venis ad pinguedinis generationem exudare solet, & fibrosam carneamque, quæ caseo compara-

rari posſit materiam, pręter ſanguinem ſimplicem, in eo obſeruabimus, ita vt ſi quis hoc negare velit, ſenſus ipſos illum negare neceſſum ſit.

16. An rectè Sanguis lacti comparatus conſtare quatuor partibus dicatur, ſubſtantiâ Sanguineâ ſeu Lacteâ, Caſeoſâ, Butyroſâ & Seroſâ?

IN ſanguine portionem aliam tenuiorem, aliam craſsiorem eſſe, aliam medio modo ſe habere, non negauerim. Verùm quatuor humores in eo diſtinctos reperiri eo modo, quo explicant, nimirum vt bilis in ſuperficie, melancholia in fundo, ſanguis in medio, dum concreſcit, conſiſtant, & præter illa crudior quædam illius pars inueniatur, hactenus non dijudicare potui, etſi millies ſanguinē emiſſum, dum adhuc calet, & poſtea quando concretus eſt, in ſanis & ægris inſpexerim & conſiderarim. Concretus enim, in ſanis, æqualis ferè vndique videtur, ex rubro plus minúsve ſubnigricans. In ſuperficie cuticulâ vti puls, cùm refrigeratur, nunc tenuiore, nunc craſsiore obductus, quæ pinguior nonnihil & rubicundior eſſe videtur, per reliquam ipſius ſubſtantiam vndique ferè ſibi ſimilis: in ambitu ſeroſo humore plus minúsve madens.

In ægris verò, aut alioquin iam ad morbos diſpoſitis, bilioſo aut crudo humore perfuſus, qui ſero magis quàm ſanguini permiſcentur, inæqualis & cum ſero confuſus etiā refrigeratus adhuc manet. Aliàs verò concreſcens, in ſuperficie cutem craſſam albam, tenacem, quâ totus obducitur, profert, quam pituitam eſſe exiſtimāt. Ego verò pinguiorem illius portionem eſſe iudico, in otioſis frigidis, maiori copia, quàm in aliis coaceruatam, ſed crudam nonnihil adhuc, quali videmus corpora leucophlegmatica intumeſcere. Itaque rectiùs in ſanis ſanguinem lacti, qui ex ſanguine generatur, omnesque illius portiones adhuc retinet, conferri poſſe exiſtimo, & illius portionem aliam ſeroſam eſſe, quæ dum calet, omnino illi confuſa eſt, cùm verò concreſcit, ſeparata cernitur, vt & in lacte ſeparata ſerum dicitur. Aliam verò pinguiorem, quæ lactis butyro comparatur, & ſicuti in lacte dum refrigeratur, in ſuperficie hæret, ſic & in ſanguine cernitur: copioſius, ſi magna illius emittatur copia. Eſtque hæc illius pars, ex qua adeps totius corporis generatur, & medulla in oſsibus, pro quorum omnium conſumptionis repoſitione, inſignis ipſius portio requiritur: Quod reliquum in ſanguine eſt, corpori nutriendo idoneum, Caſeoſæ lactis ſubſtantiæ, ſiue recoctum ex ea fiat, ſiue caſeus, comparatur, quæ & maximè alit. Præter hæc in ſanis nihil vel oculatiſsimi obſeruabunt. Ex ſanguine quoq; lac fit, ex ſingulis ipſius partibus ſingulæ lactis partes. Magnum quoque argumentum eſt, ſanguine eaſdem quas & lac partes habere, illiusque partes iſtis perſimiles eſſe: quòd vti lac ſic & ſanguis concreſcit. Et quòd iiſdem remediis ſanguis & lac concreta, ſeu in grumos verſa diſſoluuntur, vti & Dioſc. docet in ſimplicibus, quæ illud præſtare debent, explicandis. Dein quod vti & lac, ſanguis quoque in alimentum, quo nutrimur cedit. Hoc idem in aliis quoque ſuccis inuenitur, vt lacte amygdalino, cuius quoque oleoſa, ſeroſa & caſeoſa eſt pars.

17. Cur Fel, humores, excrementa, & quæcunq; tenacia ſunt & glutinoſa, fluida reddat?

SAnguinem (qui per ſe glutinoſus eſt, & facilè adhæret, vti videmus, labia vulneris recentia iuncta, interuentu eius mox glutinari) fluidiorē reddit non tantùm ſerum, ſed imprimis fel, quod ichoribus ſuis ſanguini ſeu illius ſero ſemper confuſum, vrinam tinctam efficit. Hoc enim eam naturam habet, & vim attenuandi & abſtergendi, quod inſignis ipſius amaritudo oſtendit, vt non tantùm excrementa inteſtinorum pituitoſa & tenacia abſtergat & proritet, ſed & omnes humores & excrementa ſero permixtum fluidiora reddat: quod pictores obſeruantes, oleaginoſis ſuis coloribus, qui ægrè è penicillo ducuntur, permiſcent à piſcibus fella, in hunc vſum ferè conſeruantes, ſic enim vel minimâ portione admixtâ, colorem fluidum & qui penicillo facilè deducitur, vel pennâ quoque ſcribitur, reddunt.

18. An humor quo substantia corporis, quæ continuò absumitur, reparatur, similis huic, è quo generatur existat?

LIcet sanguine nos nutriri, omnibus in confesso sit, attamen cùm non nisi magnâ factâ eius mutatione id fiat, nouam quasi formam induit, antequam substantia deperdita inde reparari posit, quæ cum semine partium principio, similitudinem quandam habet, quippe quod illius humoris est excrementum, vnde partes quidem deperditæ reparantur, non tamen de nouo ob succi & seminis aliquam differentiam generantur, sic enim in infinitum durare remus.

19. An calor innatus elementaris sit, vel cœlestis?

TRita & recepta est hæc apud omnes ferè opinio, animata omnia, quatenus animo & corpore constant, ex anima elementorumque mixtione conflari, & præter hæc ad compositionem illorum nihil accedere. Vnde & calorem innatum, à quo vita omnesque functiones proficiscuntur, nihil aliud esse, præter temperiem cuiusque partis, ex elementorum qualitatum rectâ & æquali portione profectam, asserunt.

Verùm cùm videamus in iis corporibus, quæ calore hoc prorsus destituta sunt, velluti sunt corpora emortua, elementarem tamen calorem adhuc aliquomodo permanere, alioquin enim nec structuram nec figuram vllam retinerent: verisimile videtur calorem hunc, per quem vita inerat, non ex prima elementorum mistione, sed aliunde ab ortu occulto fluxisse. Vnde & vniuersa inanimatorum genera, etsi igneo calore vigent, tamen calore vitali destituta, minimè viuunt.

Cùm multa inter ea quæ inanimata sunt, igneum hunc calorem adeò vehementem possideant, vt nos vrant, qualia sunt arsenicum, sublimatum &c: & tamen vitali hoc calore destituta sepulta iaceant. Et in viuentibus corporibus, per febres cernamus igneum hunc calorem dominari, sicuti & in partibus quibusdam supercalefactis, natiuum verò calorem summè labefactatum, atque igneo exuperante, tandem extingui. Quæ omnia diuersum quid, ab igneo elementari calore, calorem hunc innatum vitalem esse, atq; aliunde quàm ab elementis primam traxisse originem, demonstrare videntur.

Ex allegatis & probatis videre licet, frustra & temerè, vt caloris natiui restaurationem, sic vitæ prorogationem Medicos seu potius Empiricos aliquos audaces falsò illorũ receptiunculis, ex auro, lapidibus pretiosis, margaritis & quicquid pretiosi ab Indis petitur, concinnatis, acceptum referre: quibus iuuentutem prorogare, senium retardare, mortemque ipsam, si Diis placet, impedire se posse impudenter asseuerare non erubescunt, aurumque potabile, vt portatile acquirant, eo titulo, maximo precio vendere. Quid de illo dicam, quem non puduit in libello, quem de vita longa inscripsit, hoc facinus prodere, se hominem viuum sola arte Chymica posse efficere, &c.

20. An tres sint spiritus, vitalis, animalis, naturalis?

SPiritus corpus nostrum gubernantes, duos esse extra controuersiam est, quorum vnus vitalis dictus, in corde genitus, vim viuificam, alter animalis, in Cerebro productus, vim sensitiuam subministrat; ille omnibus partibus, cùm omnes vitâ indigeant, & sine eâ durare nequeant, hic illis tantùm inest, quæ sentiunt & mouentur, cùm hoc omnibus accidere non necesse fuerit.

De tertio quem naturalem vocant, dubitatur: verùm cùm partium solidarum substantia, ad nutritionem non solùm sanguine, sed & Spiritus cuique parti similari congenitus, spiritu insuper influente, cum sanguine, qui & eum alat & conseruet, opus habeat, videamusque sanguinem per sectam venam, spiritus quo refertus est impetu salientem, prosilire, spumosum & feruidum esse, omissis multis aliis argumentis, de eo ambigere inconcinnum admodum esse videtur. Ab eo itaque quem naturæ

turalem ſpiritum vocant, cùm primus in generatione occurrat, reliquiſque materiam & pabulum ſubminiſtret, principium facientes. Hunc in hepate adiuuantibus & venis, vnà cum ſanguine generari, atque ex puriore magiſque aërea chyli portione, attenuatâ & in ſpirituoſam ſubſtantiam conuerſa prodire, veriſimile videtur. Vti & ſpiritum hunc non ſolùm in humore fluxili ſanguineo illo reſidere, vbi ſi tantùm hæreret, fundamento labili innixus, facilè diffluerret, ſed & in hepatis venarumq; ſubſtantia, ſolidarumque partium omnium totius corporis, ſpiritum inſitum fouere; ſpiritus præterea naturalis neceſsitatem demonſtrant nobis partes, quæ ſine eo ali ſuſtentarive non poſſent, neque excludo oſſa, cartilagines, vngues, pilos; Verùm & eiuſmodi omnes partes, cùm vitâ æquè ac alimoniâ indigeant, ſpiritu inſuper alio vitali nuncupato, opus habuerunt, qui ſpiritum ipſis inſitum vitalem, partium quoque formam conſtituentem, foueret, & diſsipatum repararet. Quem ſpiritum vitalem influentem, ex ſolo ſanguine, è dextro cordis ſinu, per cæcos meatus in ſiniſtrum cordis ventriculum tranſudante, gigni plerique crediderunt, neque ad illius generationem inſpiratum aërem, materiam aliquam conferre, ſed tantùm refrigerij cordis cauſâ, eum attrahi. Alij verò ex ſanguine, è dextro cordis ſinu in pulmones effuſo, illicque mixto aëri per reſpirationem attracto, indeque rurſus in ſiniſtrum cordis ſinum remeante, illum prodire, veriùs exiſtimarunt. Nec dum ſolùm eum ſanguini arterioſo perfuſum, ſed & cordi arteriiſque inſidere, ſtatuerunt. In quo peculiare hoc obſeruandum, quòd ſpiritus vitalis, licèt non ad extimas vndique ſedes arteriarum beneficio penetret, quæ non vti venæ in capillares ramos, vt vocant, exiguos diſperguntur, nec eas proin ad extrema vſque corporis comitantur, ſed in profundo illius adhuc deſinunt & finiuntur, illum tamen non ſine ſubiecto, ab arteriarum finibus eò permeare, & quaſi euolare, ſed confuſum ſanguini venarum, tum manifeſtè in cerebri ſinibus, in quibus & venæ & arteriæ ſuum ſanguinem confundunt, tum in liene, vbi eadem fit permiſtio, tum in habitu corporis arteriarum oſculis, cum venarum oſculis conniuentibus, ita cum ſanguine & ſpiritu naturali, ad ſingulas partes deferri. Quæ notatu digna atque elegans eſt obſeruatio. Sed nunc ad animalem ſpiritum nos conferamus, qui partibus ſenſibilibus tantùm communicatur. Huncce implexu quodam exiguo, ex arteriarum vti putarunt myriadibus contexto, generari exiſtimant, cùm tamen vix piſi magnitudinem hic implexus adæquet, & carunculam potiùs quandam, quàm tale quid referat. Alij ex ſanguine, ſpiritu tam naturali quàm vitali referto, ſuam trahere originem, inque cerebri finibus, quo à venis & arteriis infunditur, elaborari docent, nec eum in ventriculis cerebri excrementis illius potiùs, quàm hiſce vſibus deſtinatis, cōſiſtere, aut neruorum meatus cæcos, nulloque pacto conſpicuos peruadere, ſed vndique in ſolida cerebri neruorumque ſubſtantia ſedem ſibi figere, ſicuti hoc alibi diffuſè demonſtrauimus.

21. An partes principes ſenſu præditæ ſint?

SEntire quidem hæc organa, maximis & præcipuis functionibus deſtinata, hęc cōprobare videtur, quòd cerebrum offenſum, quę à malignis euaporationibus prodit, perſentiens, dum eam excutere nititur, conuulſiuos enormes motus edit: Corde inſuper venenatis qualitatibus irritato, animi deliquia ſyncopeſque ſequantur: Hepate pernicioſis exhalationibus moleſtato, noxæ ſimiliter oriatur. Quod ſanè niſi has iniurias perſentiſceret, minimè accideret. Verùm quónā ſenſu hoc fiat, maximè quæritur, an ex animalium quinq; ſenſuum numero illo, quem ſenſum tactus vocāt, qui per præcipuas corporis partes diſperſus, rerum qualites maximè efficaces percipit, an naturali ſolū? Senſu tactus ſi deſtituantur hæc inſtrumenta, certè per eum hæc minimè ſentient. Verùm carere hoc ſenſu, plurima demonſtrare videntur, è quibus pręcipua. Quòd nec Cordis aut Hepatis ſubſtātia, ex parenchymate conſtans, non vt aliæ partes membraneæ &

neruosæ neruos, à quibus sensus ille dimanat, recipiant. Et cerebrum ipsum, licèt neruorum sit principium, quia tamen sibi ipsi neruos eiusmodi sensorios minimè distribuit, illis quoque destituatur. Accedit quod cùm partes hæ in intimo corporis lateant, & proin tutę ab iniuriis existant, aut si illis grauiùs lædantur, interitum sequi necesse sit, eo minimè cùm perferre nequiuissent, opus habuerint. Naturali itaque sensu, quo & reliquæ partes illud sibi iucundum alliciunt, vti alimenta, vel ingratum respuunr, has principes partes quoque res persentire, iisque vel delectari aut molestari, verisimile videtur.

22. An Cerebrum motu manifesto moueatur, aut aërem respiratione admittat?

CErebri substantiam propriis viribus motu manifesto dilatari & subsidere, aëremque cùm dilatatur in se recipere, pleriq; existimant: quod verò minimè fieri, hisce argumentis demonstrabimus.

Primùm quòd ipsa cerebri substantia, ex parenchymate conflata, non sit ita formata, vt motu manifesto, sicuti cor, pulmones, arteriæ, sinusque cerebri meningum, qui arteriarum munus obeunt, per systolen & diastolen, in se contrahi rursumque dilatari queat; est enim continuum & solidum ipsius corpus, nullis fibris carnosis, vti cor, aut membranosis, sicuti arteriæ, sinusque meningum cerebri, intextum: aut fungosa ipsius veluti pulmonum caro, quæ sanè, vt viscus aliquod in motu aliquousque extendi, & rursum in se remeare pósit, requiruntur. Nisi enim pars ex fibris, veluti pannus ex filis mutuò arctisimè iunctis, contexta esset, non posset siue propriis viribus dilataretur, aut vi aliena traheretur, citra diuulsionem ipsius substantiæ aliquousque dilatari, multò minùs admodum assurgere, cùm hoc fibris singulis tantillum à se inuicem cedentibus fieri necesse sit: Nec pulmo adeò diduci posset, dum mouetur, nisi fungosa & porosa ipsius esset caro, & non compacta, vti cerebri. Quæ prædicta cùm requirantur in viscere, quod motu manifesto extenditur, rursumque concidit, cerebrique substantia nec fibrosa aut membranosa sit, nec fungosa, sed medullosa, vndiquaque sibi similis & continua, eam proin inhabilem ad motum, motuque manifesto minimè moueri posse, constanter affirmamus.

Aërem quoque etsi moueretur, minimè tamen alluere cerebrum, aut intra suam substantiam recipere posse, cùm compacta, nec fungosa sit, similiter demonstrat, vti neque in suam cauitatem seu ventriculos, cùm nullibi ad hos detur via, quæ non aliis occupata sit, atque aërem tantùm per os & nares cùm respiramus, attrahamus, quæ respiratio cùm motu voluntario aliquandiu cohiberi queat, cerebri verò motus si adesset, naturalis esset, nec cessare posset, quo tempore aëre priuaretur, moueri nequiret: Aërque inter respirandum omnis ex narium & oris amplitudine deorsum per fistulam in pulmones, non sursum ad cerebrum feratur, quo certè per olfactus organa angusta & occlusa, tum in osse cribroso, tum illud integente crassâ cerebri meninge, parte exsculpta, si penetraret, quod difficulter tamen fieri posset, tamen inde non in cerebri substantiam, sed inter cerebri substantiam & meninges illius collectus, nullum vsum præstaret, sed potius frigiditate actuali, quæ cerebro inimica, illud læderet.

Neque enim alium vsum aër, cerebro si ad illud perueniret, præstare posset, sicuti in pulmonibus, vbi eum sanguini permisceri, ad spiritus vitalis generationem manifestè apparet, in cerebro verò ad spiritus animalis procreationem, cùm ille ex sanguine spirituoso purissimo in cerebri sinibus contento, indeque per tenuem meningem cerebro vndique communicato, in cerebri substantiam suam trahat originem, nec posit ex aëre tam crudo nec prius elaborato, generari.

Quod verò sternutationem attinet, ex qua aërem in cerebro contineri probare conantur, ab eoque cùm sternutamus excuti docent, illud quoque veritati minimè consonum

ſonum, cùm ſternutatio valida ſit exſufflatio, à pulmonibus & thoracis muſculis, aërem vi per os & nares cū vociferatione expellens, qua ratione, ſi cerebrum concuteretur, vt aërem expelleret, nō ſine magno hoc fieret periculo, quod fortè metuentes, ex ſiniſtra hac opinione, ſternutātibus tanquam in periculo verſantibus, bene precari ſolent. Nec quòd lachrymæ ex oculis & pituita è naribus inter ſternutandum excutiuntur, aërem è cerebro excuſſum, hoc efficere probari poteſt, cùm aër à pulmonibus per nares vi protruſus, humores illos in narium amplitudine contentos, ſimùl propellat, magnaque illa concuſsio lachrymas ex oculis proliciat, quæ & leuiori commotione facilè exſtillant.

Ex quibus omnibus patet, cerebrum minimè moueri motu manifeſto, ſed ſinus tantùm illius meningibus innatos, qui arteriarum modo pulſant. Quem pulſum cùm in infantibus, dum caluaria nondum penitùs coaluit, mox in vertice, in loco quem zeudes vocant, tactu deprehendant, ex eo coniectare, cerebri ſubſtantiam ſic moueri, cœperunt. Quod & aperto cranio, viuente adhuc animali, tantùm vbi illi ſinus feruntur, & non in aliis cerebri ſedibus, motum hunc pulſantem obſeruari, certiùs cognoſcitur & obſeruatur.

23. *Somnus quomodo fiat.*

SOmnus naturalis eſt animi quies per ſe, quo quieſcente, corpus quod etiam non dormiendo quieſcere poteſt, meliùs quieſcit, proin ex accidenti illius quies; Hunc inuitat Laſsitudo operationum animi & corporis, neque à vapore, niſi per accidens, tanquam cauſa adiuuāte, euenit. Cuius rei tres à me ponuntur rationes. Prima; Quæ cauſas naturales habent, non ab iis quæ præter naturam ſunt, proficiſcuntur. Vti & de fame & ſiti alibi dictum: Secunda; Somnus poſt laſsitudinem inuitat, & nos vrget, etiam cibo non ſumpto: Tertia; Quia qui poſt cibum mox obripit ſomnus, cùm non naturalis ſit, deterior exiſtit, ob vapores in quibus ſæpè narcotica vis, maximè ob vinum aſsiduè potum.

24. *An ſomni vigiliarúmve tempore concoctio citiùs procedat?*

TEmpore ſomni minùs concoctionē promoueri, quàm vigiliarum, hoc quoque oſtendit, quòd in bradypepſia, noctu concoctione factâ, magis laborant, quàm interdiu quòd in hydropicis cachecticis, incubo laborantibus, videmus accidere, qui noctu frequentiùs, non rectè factâ concoctione, poſt primum ſomnum afficiuntur, quàm interdiu poſt meridiem eâ factâ, niſi ſuperdormiant, quo tempore etiam magis læduntur.

25. *An humor cryſtallinus Viſionis, tympanum Auditus, lingua Guſtus, nares Olfactus, cutis Tactus ſenſus primaria ſint inſtrumenta?*

SEnſibus omnibus tùm interioribus tribus, Rationi ſcilic. Imaginationi & Memoriæ, tum exterioribus quinque, Viſui, Auditui, Olfactui, Guſtui, & Tactui, certa inſtrumenta, vti reliquis omnibus functionibus, natura condidit, eaque vel in capitis interioribus recondita & abſtruſa, quale eſt cerebrum, ſenſuum interiorum organum, aliàs aperta & patentia, vt ſunt oculus Viſionis: aures Auditus: Nares Olfactus: lingua Guſtus, cutis Tactus inſtrumenta. Verùm cùm quædam inter hæc organa ex pluribus partibus componantur, è quibus aliquæ primariæ ſunt, quæ actionem ipſam perficiant, aliæ verò ad functionem rectiùs edendam opitulentur, non immeritò quæritur, quænam pręcipua in ſingulis pars ſeu organū, ſenſus percipiens exiſtat? Cerebrum ipſum caluarię amplitudinem adimplens, nobiliorum interiorum ſenſuum inſtrumentum eſſe, rerum ſpeciebus excipiendis, iiſq; dijudicandis retinendiſque comparatum, vt multis argumentis probari poteſt, ſic inde maximè patet, quòd eo læſo, eiuſmodi functiones aboleantur vel labefactentur. Hoc autem propriâ ſuâ ſubſtantia perficere, ſpiritu animali perfuſâ & impletâ, vel hoc oſtēdit, quòd ſimplex ſit parenchyma, nec ex aliis partibus compoſitum. Quod cùm in homine tam magnum ſit, moleq; ſua Cerebrum omnium reliquorum animalium cerebra

vincat, quòd Ratione etiã homo illa exsuperet, causa est, talisque à plerisq; illius statuitur, vti & non vna aliqua pars illius, Memoriæ, alia Imaginationis sedes, sed indistinctè horum sensuum quoque vti rationis, sicuti demonstrari posset, organum & veluti sigillum est, in quo rerum imagines conceptæ imprimuntur, retinenturque. Hoc vti Cerebrum in interioribus sensibus, ita quoque in quinque exterioribus molitur, illorumq; primarium fit instrumentum, sensibilia percipiens, sed diuerso modo. Nam è basi portiones substantiæ suæ emittens, neruos appellatos, eos ad instrumenta alia, sensibus excipiendis, nondum tamen dijudicandis parata, nunc vicina in capite, nunc etiam distantiora, per vniuersum corpus dispersa emittit, vt per hosce illius emissarios, non tantùm spiritum animalem illis infundendo, vim hanc sentiendi conferat, sed propriam substantiam quæ illud efficiat, spiritu quidem animali refertam, non tamen ab illis aliò diffusam, tribuat.

Hoc primùm in Olfactu exercendo efficit, per neruos geminos, è basi sua anteriore sede in cauitates geminas, ad odores percipiendum pertusas, productos illicque latentes, nec extra caluariam deductos, cùm odores rerum subtilissimi facilè & in momento penetrare queant, ita vt nares ipsæ, nec eas inuestiens tunica, etsi canalem per quem odor rerum comprehẽsus, sursum fertur, constituant: olfactus tamẽ organum illum percipiens, statui minimè possit.

Simili modo in Auditu ad sonos percipiendos, Cerebrum neruum in anfractus Caluariæ ossium petrosorum ablegat, qui se per eos diffundens & dilatans, sonos excipit atque dijudicat, nec tympanum, vti nec ossicula tria Auditus artificiosè cõstructa, cùm ex neruo minimè conflentur, illud possunt efficere, sed aliis vsibus, vt sonus rectiùs neruo auditorio offeratur, destinata sunt. Hoc cùm in hisce fiat sensibus, nónne verisimile idem & in cæteris fieri, primúmque in oculo, cui neruum opticum dictum Cerebrum, extra caluariam, in vtrumque oculum implantatum, ablegat, non vt oculum spiritu animali ad Visionem percipiendam, perfundat, atque humoribus vel membranis vim videndi tribuat, sed vt in semiglobum cõcauum dilatatus, species varias, splendore suo oculi foramen, quod pupillam vocant, subeuntes, & humorẽ lucidissimum Crystallinum illuminantes, per hoc perspicillum illi oblatas excipiat, percipiat atq; agnoscat.

Hoc pacto & Gustum neruus peculiaris à Cerebro extra Caluariam missus, & non solùm in membranam crassam quæ linguam inuestit, sed & palatum œsophagumq; succingit, dilatatus, huiusque membranæ latioris, non minimam partem atque substantiam efficit, sentit illiusq; verum & proximũ est instrumentum. Quòd si itaq; in quatuor enarratis sensibus, neruus veluti Cerebri pars & substantia, spiritu animali perfusa, proprium illorum est instrumentum, in sensu Tactus idem fieri necesse est. Cuius cùm per vniuersum corpus sit dispersus, non vnus aliquis neruus, atque exigua hæc Cerebri portio, vti in cæteris sensibus organum esse potuit, sed plures ad illud nerui, maiorq; proin Cerebri moles, vt per totum corpus diffunderetur, requirebatur, & proin ad sensum Tactus, Cerebrum amplam illam medullam dorsalem, atque ex ea tùm in caluaria, non solùm cõiugationes neruorum, sed & extra caluariam, infinita neruorum paria emittens, per vniuersum corpus ita distribuit, vt ad sensum tactus exercendum, tum cutem externã, quæ neruea est, constituant, tum intrinsecus dilatati, viscerum, Ventriculi, Intestinorum cæterorumque crassam substantiam efforment, tùm membranas interiores sensiles, quę partes multas comprehendunt, tum tunicas tenues visceribus obuolutas, quæ partes membranosæ, non eò, quòd spiritum animalẽ admittant, sed quòd ex nerui substantia conflentur, meritò proin tactus vera instrumenta censenda sunt, tum in partibus quæ motu voluntario minimè aguntur, tum illis quæ eo mouentur, musculis scilicet, qui vti à fibris & membranis neruosis, è quibus consiti sunt, conflant sensum tactus, ita ab iisdem spiritu animali perfusis, vim mouendi accipiunt. Ex quibus ita euidenter demonstratis, concludimus;

Instrumenta seu organa sensuum tam internorum quàm externorum proxima, esse, Cerebrum cum suis partibus, neruis scilicet, neque in oculis, auribus, naribus, ore, corporeque reliquo alia statui posse.

26. An miraculum censendum sit, quòd sonus innumeras aures impleat, species tam innumeras oculus excipiat, & phantasmata mens concipere poßit?

QVàm & hoc admiratione dignum & stupendum est: Vnum sonum ex angusto hominis ore prolatum, tot mille hominum aures vno impetu implere, adeoque vt ab omnibus intelligatur, opplere posse. Tot rerum figuras & colores, simul angusto oculi globo comprehendi, cernique & dijudicari posse. Tot phantasmata, tot rerum imagines, toto vitæ tempore visa, audita, animoq; concepta, exiguo Cerebri scrinio inclusa, retineri memoriæque commendari, quæ vigilantes denuò in mentem reuocamus, dormientibusq; per insomnia, nunc sola, nunc confusa, variis modis occurrunt.

27. Mirum meritò haberi, ex tam paucis literis tam multa verba constitui, ex sonis paucis tot concentus, ex coloribus tot diuersitates.

VErùm & extra corpus humanum, quid admirabilius, ex tam paucis literis numero viginti quatuor comprehensis, tot syllabarum & nominum verborumq; myriades concinnari. Ex sonis tam paucis, tam diuersos concentus, tam multos & varios, voce, fidibus, fistulis exprimi & excitari. Ex colorum paucis generibus, cõmixtione horum, tot species inde enasci & depingi.

28. An sensu tactus exquisito, homo omnia animalia superet, cùm illa non adeò vti homines voluptate aut dolore afficiantur?

CVm in quinque sensuum acumine homo à reliquis animalibus quibusdã superetur, vt visu, auditu & odore, quod ex effectu deprehẽdere possumus, siquidem aues rapaces, ea quæ procul absunt, cernunt oculi, talpæ quibus oculi nulli sunt vsui, acutissimè audiunt, canes odoratu mirè res quasuis percipiant.

Tactus tamen sensu hominem cæteris omnibus viuentibus sentientibus animalibus præualere exquisitissimo, multa comprobant, ob quam causam & debilis factus est, & voluptatibus ex contactu perceptis, magis quàm cætera animalia allectus abutitur, doloribusque grauioribus & pluribus, quàm illa afficitur, quos in variis corporis partibus persentit, vnde & reliqua animalia non adeò cùm mactantur, vociferantur, nisi fortè, non assuetim tractata inter vinciendum & dejiciendum cùm arripiuntur, clamitent, vt porci: hœdi verò & agni, ob tonsuram, (vti Æsopus hoc pulchrè philosophis ostendit) minimè, nec dum iugulum ipsorum cultro perforatur, clamorem edunt. Præsertim verò ex eo, cùm ægrotant, quòd non adeò vti homines, dolorem gemitu, aut alia voce vehementiore, aut clamore prodant, ipsa non adeò vti homines dolorem exquisitè sentire, facilè possumus conjicere. Quo sine dubio, Deus Opt. Max. cùm hominum causâ, creaturas varia ferre & pati, multæque ex illis miserè quoq; mactari debuerint, ne grauiùs afficerentur, ipsis prospicere voluit. Vti verò hominem peccati causâ calamitatibus hisce magis obnoxium esse, æterna sapientia prædestinauit.

29. An Pulmones in respiratione, motu naturali, propriis viribus, vel fuga vacui, ad thoracis motum moueantur?

CReditum est hactenus, magnum illud viscus, quod in inspiratione dum thorax distenditur, attollitur, aëreq; vndiq; impletur, thoracisque spacium opplet, iterùmque expirando, pectore constricto in se subsidet conciditque, aëremque follis alicuius instar per asperam arteriam tanquam canalem efflat, non alia illius vi, sed saltem ad euitandam fugam vacui, ad motum thoracis voluntarium, qui musculis perficitur, se accõmodare, pectoreq; ampliato, ne vacuum relinquatur, spatium inane opplere, rursumque ab eodem thorace contracto & angustato,

gustato, comprimi, aëremque sic tanquam è folle exprimi.

Verùm cùm multa sint argumenta, quæ validum & magnum hunc pulmonum motum, etiam ab innata illi quadam mouendi potentia procedere, ostendant, non immeritò à vulgata, & hactenus in scholis Medicis recepta opinione discedimus, sequentibus rationum momentis moti.

Primùm, quòd in moderata respiratione, quæ frequentior est, veluti cùm non loquimur, aut sonum edimus, vel dormimus, thorax vix dum, vel saltem tātillum vt ferè non appareat illius motus, moueatur; atque talis respiratio, septi beneficio, vtplurimùm perficiatur, pulmones tamen se dilatent rursumque concidant: ex quo apparet, thoracis cauitatem internam adeò amplam esse, vt etiamsi thorax non vehementer in respiratione se dilatet, pulmones nihilominus spatium mouendi obtineant. Nec enim ob septi solius leuem motum, hæc cauitas adeò ampliaretur, vt pulmo totus se tantopere dilatare cogeretur: neque etiam totum thoracem tunc impleret, sed tantùm infimum thoracis spatium, quod aliquousque saltem vacuum, ex septi motu fieret.

Dein & cùm in apoplecticis, motus voluntarius totius corporis penitus sublatus sit, vti & septi & thoracis, quomodo hisce immotis, pectoreque ne minimùm dilatato, pulmo nihilominus mouebitur, cùm nullum vacuum hîc, hisce non ampliatis occurrat; videamus tamen respirationem, eamq; sæpè validam in apoplecticis aliquādiu perseuerare, pulmonesque adeò se mouere, necessitate impulsos, vt & ad thoracem aliquousque extrorsum, vt se dilatet, non ex voluntate nostra, sed hac vi pulmonibus indita, impellant, cùm alioquin ratione musculorum, moueri minimè queat.

Sed & magnitudo & pondus huius visceris, quo ferè non est maius in corpore, motusque quem obit vehemens, ostendunt, pulmonem fugâ vacui solâ, nisi innata illi accederet vis, adeò attolli & dilatari minimè posse.

Vti & cor ipsum, etsi inania circa ipsum sint spatia, nullo modo ob fugam vacui, sed propriis viribus, sicuti & arteriæ, moueri constat.

Accedit & firmissima hæc demonstratio. Quòd etsi nullum in thoracis cauitate sit vacuum, tamen pulmo in respiratione nihilominus moueatur; sicuti vulnerato pectore, vulnereq; patente longo tempore, videmus accidere, vt per illud aër subiens, spatium thoracis non sinat esse vacuum, & nihilominus pulmo moueatur, quod minimè fieret, si ad fugam vacui moueretur, vti & follem pertusum non ampliùs aërem, cùm dilatatur, attrahere obseruamus.

Licèt autem ex voluntate nostra respirationem aliquandiu continere, vel eandem etiam concitatiorem & frequentiorem reddere, pulmonumque motum, hoc thoracis motu, vel impedire vel promouere queamus, nec illud tamen eos ad fugam vacui moueri comprobat, sed hoc tantùm sequitur, liberiùs eos ampliato pectore moueri, eoque constricto rectiùs in se subsidere; magisque verisimile, cùm respiratio aërisq; in ea attractio adeò sit necessaria, quæ pulmonibus perficitur, pulmones primùm innata vi ad motum concitari, & voluntatem nostram monere, & impellere, vt thoracem dilatemus, vt pulmo rectiùs in magnis præsertim exsufflationibus se possit extendere, aëremq; copiosiùs haurire. Ob quam causam, etiam nil de ea cogitantes, vel etiam dormientes, pulmo ad motum sponte impulsus, nos vt thoracem dilatemus, vrget.

Sicuti & in alui deiectionibus accidere obseruamus, primùm naturalem intestinorum facultatem expultricem insurgere, & ad excremētorum propulsionem stimulum addere, eamq; voluntatem nostram, vt suppetias ferat, excitare: qua adiuuante, naturaque impellente, deiectio fit, similique ratione, & vrinæ emissio & fœtus, vti dictum, expulsio, mistusque sic ex vtrisque motus obitur.

Ita ob necessitatem illam inspirandi aërem, pulmones motu proprio dilatatos, si magna fieri debeat inspiratio, vt thorax ex voluntate nostra illi cedat, voluntatem nostram sollicitare, rursumque in valida exsufflatione, thoracem vt pulmones validiùs illud

lud agant, veluti follem manibus solemus, ita hic thoracem comprimere animaduertimus.

Nec, quòd validus hic pulmonis & magnus sit motus, eum non posse motu proprio hoc efficere, sed fuga vacui, comprobare poterit, cùm naturales aliqui motus, vt nutritioni & generationi inseruientes, non apparenter & sensim fiant, sed & hoc etiam validè propriis viribus, motu naturali, nulla accedente fuga vacui, in cordis & arteriarum motibus fieri videmus, adeò interdum violenter, in cordis palpitatione, vt costam inde disruptam, seu potiùs, vt nos putamus, luxatam, testetur Fernelius.

Imprimis etiam pulmonis cum corde & arteriis connexus, vasorumq; mutua communicatio, è quibus vena scilicet arteriosa, atq; arteria venosa, pulmonum substantiam magna ex parte constituunt, vim hanc illi à corde subministrari posse, vt motu etiam proprio moueri queat, demonstrare & comprobare videntur.

Eoq; magis, quòd & fungosa pulmonum, apta vt dilatetur & subsideat, sit substantia.

Non negamus interim, voluntarium hũc thoracis motum, cum naturali pulmonum, in respiratione sic concordare, vt thorax se dilatando pulmonibusq; cedendo, amplius spatium, quò si pulmones latius extendere, aëreq; impleri valeant, efficiat; & dum concidit, pulmones comprimẽdo, vt maiori impetu follis instar pressi, aërem in valida expiratione exsufflent, adiuuet. Vti & quòd pulmo thoracem aliquo modo possit impellere, vt si vel non opus sit thoracem vniuersum in leui respiratione moueri, nihilominus illi tantillum cedere possit, vel cùm omnino motus ipsius, vti in apoplexia, est abolitus, tunc pulmonũ motu tantùm perseuerante, thorax quoque ab illis impulsus, nonnihil assurgat.

Magnum argumẽtum etiam hoc est, pulmones non fuga vacui, sed sponte moueri, quòd etsi portio illorum aliqua, interdum etiam maior, adeò vt sæpè penitus ferè vel semiabsumptus in phtisicis deprehendatur, nihilominus moueatur, cùm tamen tunc vacuum, quod thorace dilatato, in eo sequitur, adimplere minimè possit, quod tamẽ requiritur, & aliquid fuga vacui, sequi, & in illius locum cedere debet.

30. Vtrum respirationis & Excretionum alui, vrinæ & fœtus motus sint mixti, partim à natura, partim à voluntate nostra, à diuersis organis profecti?

Motus partium corporis nostri in functionibus ipsarum edendis, alij sunt occulti, nec sensibus nostris patet, quales sunt naturales illi motus, quando pro nutritione, vel etiam generatione succum conuenientem alliciunt, excrementaque expellunt, quæ functiones per se nullo voluntatis nostræ auxilio, à temperamento & facultate partium proficiscuntur.

Alij verò motus manifesti sunt, in quibus partes ad motum dilatari, constringique videmus. Suntque vel naturales quoque, qui ex arbitrio nostro minimè dependent, sed natura sponte eos perficit, qualis est cordis & arteriarum motus, dein & pulmonum, quibus & cerebri motum adnumerát, quod tamen minimè moueri, sed sinus tantùm ipsius membranarum, arteriarum munere fungi, alibi ostendimus. Alij verò motus sunt voluntarij, qui à voluntate nostra tantùm perficiuntur; veluti omnium partium seu membrorum, quæ musculorum ope secundùm arbitrium nostrum flectuntur & extenduntur. Qui cuiuscunq; generis motus, si ab vna tantùm parte fiunt, motus simplices eduntur, vel voluntarij, vti partium qui musculis aguntur, vel inuoluntarij, vti cordis & arteriarũ, qui à vi insita procedunt.

Quòd si verò diuersa organa in motu concurrant, tunc functiones mistæ exsurgunt: veluti in excretionibus alui, in quo motu, insurgit primùm motus facultatis expultricis naturalis intestinorum, qui voluntatem nostram impellens, facit vt motus, per musculos epigastrij factus, accedat, & sic excretio partim vi naturæ, partim voluntate nostra, misto motu perficiatur. Quod in partu, in fœtus exclusione, tum ab expultrice facultate vteri, tũ musculis abdominis fit motu misto, ab vtrisque organis profecto. Idem

in vrinæ redditione, ab excretrice vesicæ vi, musculisque dictis accidit.

In respiratione præsertim mistum ex naturali motu pulmonũ, & voluntario motu musculorum thoracis, eam procedere, atque vtrumque simul in ea concurrere, respirationemque sic efficere, manifestum est, adeò vt eam voluntario tantùm motu perfici, vti plerisque persuasum, asserere minimè queamus. Licèt enim eam ex voluntate nostra reprimere, aut etiam, vt citiùs perficiatur, impellere aliquousque possimus, cùm tamen solus thoracis motus, quin & pulmo simul moueatur, hoc non possit efficere, nec coactus hic thoracis motus, ex sola voluntate nostra pendebit: vti nec alui excretio, etsi & hanc ad tempus retinere, aut promouere queamus.

Appendix quæ prioris quæstionis fusior tractatio, & an in respiratione cùm motus sit mixtus, plus valeat natura quàm voluntas?

QVa ratione motio, quæ per respirationẽ, expirando inspirandoque aërem, eaque quæ deiectione per secessum & vrinas perficitur, obeatur, an voluntas naturáve nostra in iis agendis plus præstent, vel ex vtrisque cõmixta quædam fiat functio, in quibus explicandis tàm veteres quàm neoterici, diutiùs & cum fastidio immorati, plus quàm par erat, temporis cõsumpserunt. Nam cùm in variis, qui ab animo corporeq; nostro procedunt motibus, Alij solâ naturâ operante, per nutritionem, procreationemque ferè obeantur; Alij verò motu arbitrario voluntateque nostra perficiantur: Alij denique sunt, in quibus agendis & natura & voluntas nostra æquales vires conferre, interdum vna aliam exuperare videtur.

Quo modo & respiratio & deiectio, naturâ vrgente impellenteque licèt fiant, voluntate tamen nostra reguntur.

Et vt de Euacuationibus primùm dicam in genere, sub quibus & deiectio comprehenditur. Licèt quædam inter eas occurrãt species, in quibus natura sola eas impellere videatur, vti tussis & sternutatio, ructus & oppositus illi flatus, item vomitio: nihilominus tamen musculorum beneficio, septi, thoracis, abdominis, vt perficerentur integrè, opus habuerunt, & pro illorum arbitrio vehementiùs aut segniùs, citiùs aut tardiùs procedunt.

Imprimis verò in euacuatione, quæ per aluum & vrinas frequentiùs obitur, cùm vtrumque concurrat, an voluntas nostra vel natura plus possit, ambiguum est. Nam quod arbitrium nostrum hæc moderari intenderéve queat, quotidiana quemlibet docet experientia; imprimis tamen id, quod hisce excretionibus musculi vti aliis, qui motu voluntario mouentur partibus, præfecti sint. Inter quos etsi præcipuè sphynctetes connumerentur, eorum tamen munus ad excretionem minimè, sed retentionem duntaxat excremẽtorum accommodatum esse, ne inuoluntariè ea reddere necesse sit, anatomica docet consideratio. Quod tunc quando quiescunt, naturaliq; situ constricti sunt, nullo impellente stimulo adhuc, citra negotium efficiunt, excrementaque ne temerè profundantur, retinẽt: Rursumq; cùm ab iis quantitate redundãtibus, vel qualitate stimulantibus solicitantur, aut aliàs vehementi cõcussione corporis per tussim, sternutationem, vociferationem protruduntur, tunc contracti hi musculi, facilè quoque, ne inuitis excrementa profundãtur, continent.

Proin deiectionẽ recti intestini & vesicæ, annulares hi ipsis præfecti musculi, nullo modo promouent, eadem tamen necessitate vrgente, minimè quoque impediunt, sed quotiescunq; excrementorum vi impelluntur, ab iis laxati, non propriis viribus, cùm vnus idemque musculus diuersas actiones præstare non possit, liberum illis exitũ concedunt. Ad horum verò egestionem, imprimis constrictionem recti intestini & vesicæ, irritatis hisce excrementorum receptaculis ab acri biliosaque, quę fæcibus permiscetur, materiâ, opitulari omnibus in confesso est. Sic enim veluti offensæ, vt id quod molestũ est, propellant, fibris inter se collectis, angustati atque in se concidentes, materiam contentam tanquã manibus exprimunt. Quod munus fibris non tantùm transuersis, vti voluerunt, sed omnibus vt æqualis vndiq; ha-

rum partium fieret coangustatio, concreditum est. Fibrarum autem hanc collectionẽ à sola natura proficisci, nec voluntatem nostram hîc quicquam posse, hoc arguit, quòd quotiescunq; natura vel propriis excrementis, vel alimento aut medicamento purgãte stimulatur, volentes nolentes ad excretionem sollicitemur, eamque diutiùs retinere nequeamus. Interea tamen cùm eximius hic excrementa dejiciendi motus, non tam leui negotio semper procedat, vt à natura sola perfici possit, sæpeq; tum ob excrementorum duritiem, tenacitatem, crassiorum præsertim, & stimuli interdum penuriam, ratione materiæ, cùm bilis aliò quàm ad intestina rapitur, vel sensus obtusus harum partium stimulum non sentit, eoq; nomine vel vnam vel plures ob causas deiectio fit operosa & difficilis, vti in multis constipationibus, alui præsertim, & vrinę suppressionibus accidit, vt naturæ suppetias tunc adferret nostra voluntas: alia insuper instrumenta in hunc vsum exstructa sunt, musculiq; abdominis, licèt aliis vsibus quoq; destinati sint, huic muneri præfecti sunt, quorum beneficio, quãdo ad excludenda excrementa, item fœtum, aliaq;, conatu & labore maiore opus est, natura ad id præstandum, cùm sola minimè sufficeret, iuuaretur. His enim contractis musculis, spiritu interim per septi distentionem retento, venter inferior vndique compressus, quicquid in se continet, deorsum propellit, atque tandem exprimit, adeò validè, vt ambiguum sit, natura'ne an volũtas nostra plus in hac operatione efficiat, vel an parem in hisce peragendis nauent operam.

In excretionibus quidẽ, quæ certo tãtùm tẽpore perficiuntur, tam voluntatem nostrã, quàm naturæ opus, in iis perficiendis mutuas præstare operas, est manifestum: in Respiratione verò, cuius motus continuò horologij instar procedit, & dormientibus & vigilantibus nobis, sine intermissione ferè obitur, dubium adhuc relinquitur, cùm nulla eam sequatur lassitudo, atque illa seipsam sine nostro arbitrio mouere videatur. Quod qua ratione fiat, antequam explicetur, pauca de illius necessitate & agendi modo, erunt præfanda.

Respirationem ad vitæ conseruationem, cordi potissimũ inseruire, huncq; illius esse primarium vsum, vel hoc saltem, quòd respiratione sublatâ, mox cordis pulsus quoque cessat, homoq; extinguitur, certissimum argumentum demõstrat. Quòd verò non alia ratione, quàm cordis calorẽ per aërem inspiratũ refrigerando, atq; per expirationẽ à fuliginosis excrementis repurgando, respiratio cordi vsui sit, pleriq; statuerunt. Verùm si nõ aliud longè excellentius, nobilissima hæc totius corporis functio, summeq; necessaria præstaret, non in tanto versarentur, qui respiratione priuati sunt, periculo. Cùm cor nullo calore alieno aut immoderato, dum rectè se habet, neq; per iram aut febrem incaluit, accensum, hoc ventilabro, aut refrigerio minimè opus habuerit. Cùm hi qui sub aqua frigidissima mersi sunt, quorum corpus admodùm refrigeratũ, calore nullo abundat, nihilominus respiratione intercepta, suffocentur. Cumq; etiã hi quibus cordis calor labefactatus est, & penè extinctus, non minùs quàm quib⁹ adauctus & vegetus adhuc est, respiratione opus habeant. Et qui animã agunt, in ipso mortis agone, corde penitus ferè iam refrigerato, spiritũ adhuc immò velociùs maioriq; nixu sæpè ducant. Et quemadmodũ naturalis cordis calor refrigerio non indiguit, sic neq; vt excremẽta illius, quæ atra & fuliginosa fingunt, expurgaretur, tã insigni functione opus fuit. Longè igitur præstantiorem respirationis vsum eum esse, quo vitalis spiritus, per inspiratum aërem & attractum sanguinem in pulmonibus, hac inspirationis & expirationis vicissitudine agitatum, cõmistum elaboratumque continuò cordi pabulum subministrat, multis argumentis possemus conuincere. Quo pabulo cùm indesinenter cor ad spiritum vitalem vniuerso corpori longè lateq; disseminandum, opus habuerit, quotiescunq; illud dilatatur, nouam à pulmonibus haurit materiam, quam nisi continuò suppeditet respiratio, cor extingui necesse est.

Proin & quãdiu cor mouetur, tamdiu respiratione opus habuit, quando verò à motu cessat, vti fieri interdum videmus, tamdiu quoq; respiratio, viuere nihilominus homi-

ne quiescere potest. Ob quam causam, qui in syncopes animique deliquia incidunt, cùm cordis motu, pulsuque penitùs destituantur, toto eo tempore, à respiratione quoq; liberi, minimè tamen suffocatur. Cùm alioquin si respiratio in aqua submersis, aut laqueo suspensis, vel tantillum impedita maneat, cordis motu non priùs cessante, illud interire necesse sit. Quæ tamen in iis, quibus per vteri strangulationem animi defectus accidunt, corde priùs à motu cessante, interdum ad horæ vnius & alterius quoque spatium, vsque adeò est intercepta, vt nec pennâ leuissimâ naribus admotâ, aut poculo aquâ pleno pectori imposito, commotione vllâ respirationis vel tantillum remansisse, deprehendere queamus.

31. An homines simul summè esurire & sitire possint?

FAmes & sitis vehementia, simul eodem tempore coincidere minimè potest, easq; qui admodùm sitiunt, minimè esse famelicos, certum est. Vnde & videmus antequam perfecta fames sedetur nonnihil, non sitire homines. Neq; enim hæc fames, aut illa sitis dicenda, quando citra verum appetitum ex mala consuetudine, hæc inuicem confundunt aliqui, atq; antequam cibum capiant, bibunt, & cùm vehementer biberunt, postea comedũt. Cùm enim diuersa vtriusq; caussa existat, non possunt hęc simul in eodem subiecto ventriculo scilicet, consistere, vnde neque effectus simul concurrentes producere. Proficiscitur fames naturalis ex defectu materię solidioris, in ventriculo temperato, sitis verò ex penuria materiæ liquidæ, & calore ventriculi à cibo assumpto supercalefacti, vnde & sitis tunc non vrget, quando ventriculus crassiorem, vt nutriatur, cibum appetit. Sed quando tam satiatus, vt non tantùm infarciatur, sed & cib⁹ in eo diluatur, & ventriculus à cibis calidis, salsis, aromaticis plus minùsve calefactus, refrigeretur, liquorem actu frigidum copiosiorem pauciorémve in potu expetit. Ita vt in perfectè sana constitutione, sitis naturalis ferè tantùm à cibo proficiscatur, vnde etiam non sitiunt, donec cõmederint, nisi alia accedat causa, vt calor externus, quæ sitis, sicuti iam dicetur, præternaturalis est. Et in fame pręternaturali, cùm ab acido & frigido succo bulimos fiat, atque à calore & siccitate ventriculi in febribus aliisque calidis affectibus sitis sit, vt qui bulimo laborant, potum non curent, & qui siti immensâ cruciatur, nullum penitùs habeant appetitum, sed cibi fastidium.

32. An tolerabilior fames siti?

PErcrebuit vulgi hæc opinio, omnibusq; penè in confesso est, non esse dolorem atrociorem, non supplicij genus magis horrendum & metuendum, quàm famè perire, à qua concepta persuasione, vel latum vnguem recedere piaculum sit. Quod quidem nullis rationibus, sed exemplis duntaxat illorum, qui diuturnis obsessionibus pressi, aut carceribus inclusi, vel maris incommoda perpessi, famis necessitate compulsi, cibis ab humano vsu alienis vesci nõ dubitarunt, tanquam certis & indubitatis, vt per se illa vera sunt, argumentis, comprobare nituntur. Omissis enim antiquioribus historiis, nostra ætate Sanserrana illa non minùs, quàm Hyerosolomitana omnibus sæculis memoranda & detestanda fames, huius mali grauitatem in Christianos, maiori crudelitate, à proprio Rege, quàm Iudæos ab alieno Imperatore exercitam, satis superq; declarat. Vbi extremâ inediâ fameque adacti, à cadaueribus & propriis quoq; liberis (quod facinus incredibile videbatur priùs, nunc autem rei veritate recenti memoria adhuc confirmatum certò constat) minimè abstinuerunt.

Atque consilium dante ipsis verbi diuini Ministro Iohanne de Lery, qui in eiusmodi famis necessitate, remedia quædam, dum Americam perlustrarat, magnis cum periculis terrâ mariq; obitis, didicerat, ab eo edocti, in extrema hac ciborum penuria, calceos, coria, aliaq; incredibilia, ciborum vsitatorum loco deuorarunt.

Ad quæ sanè perpetranda dictu horrenda nihil nisi extremus dolor & summa necessitas ipsos sine dubio adegisset.

Alij verò sitis molestias, famis difficultatem longè exuperare contendunt. Quod hi, qui per Arabiæ deserta loca & sabulosa, deuotionis ergò peregrinantur, tanquam experti fatentur, memoriæque prodiderunt. Testantur & hi, qui assiduis vehementioribusque exercitiis, aut motibus corpus accendendo, non minùs quàm ceruus sitiens, aquas, fontes riuulosque quærunt. Vel qui cibis salsis, ventriculum exiccando, aut aliis calidioribus condituris aromatibus, vino forti, calefaciendo, sibi præternaturalem sitim, & immensum bibendi desideriũ, quod explere vix possunt, conciliant. Maximè verò hi fatebuntur, qui febribus, ardentibus præsertim detenti, dies noctesque vnicam sitim conqueruntur, clamitant, aquam expetunt, fontes somniant, maluntque, cum summo vitæ discrimine, vbi frigidam clam suffurari possunt, & Medicos & astãtes, eam affatim bibendo, fallere, sicq; cum periculo, huic dolori mederi, quàm certâ salutis spe, longiùs eâ excrutiari.

Cùm tamen constet, in nullis ferè morbis (si bulimũm, qui rarus admodũ est, demas) de fame ægros conqueri, aut saltem esurire, cibúmve expetere: Sed potiùs appetitu ipsorum ferè prostrato, cibum omnem solidiorem refugere, imò iuscula liquidissima, quæ ipsis obtruduntur, reformidare, & ex solo ipsorum odore, nauseam concipere.

Mirum sanè in tam diuturna inedia, quâ ægri à cibis sæpè diebus pluribus, nonnunquam septimanis, interdum mensibus aliquot abstinent, vel parcissimè iis vtuntur, nullâ aliâ grauiori molestiâ, aut doloris acerbitate, affici, aut cruciatus præter solam imbecillitatem, à morbo potiùs quàm ciborum abstinentia profectam, persentire.

Sed in sanis contrarium euenire quis existimabit, famemque illis dolores intolerabiles parere, sine dubio iudicabit. Verùm si veritati potiùs credere, quàm semel cõceptam opinionem mordicùs retinere volumus, fateri necesse erit, eos qui esuriunt, molestiam quidem persentire, non tamen eam, quam dolorem propriè dictum, quis dicere possit. Eumque appetitum licèt vehementem, tolerabiliorem tamen siti ipsa, aut aliis doloribus grauioribus, existere. Nónne necessitate impulsi, multi, assueti præsertim, vt Hispani, qui famem tolerare à teneris didicerunt, famem ferunt patienter, minorique quá in aliis cruciatibus, querimonia; Multi etiam sanitatis acquirendę studio, morbosq; profligendi causâ, vel sponte, vel Medici cõsilio, dum abstinentiâ, quam diætam vocát, vtuntur, famem nunc mensis spatio, nunc ampliùs, voluntariè, citra clamorem aut insignem dolorem, modestè perferunt. Quidam etiam, inaudito & malo exemplo, inuentus est, ante paucos adhuc annos captiuus in vinculis detentus, in hac vrbe, qui vt morte voluntaria supplicium grauius, quod illi imminebat, anteverteret, genus mortis, quod ipse in eo loco & tempore facilimum esse cogitabat, elegit, cœpitque, ab omni cibo & potu, licèt seriò à ministris reprehensus, ob id facinus & frustra admonitus, in vniuersum abstinere, famemque is, quòd admirandum, citra omnem querimoniam, aut molestiam, quatuordecim dierum spatio patientissimè pertulit, quo tempore primùm pœnitentiâ, sed seriùs ductus, ita vt cùm cibum tum peteret, eum tamen respueret, citra grauius aliquod symptoma, expirauit. Et quod ille sæpè fatebatur, in longa illa inedia, nunquam tamen esuriuisse, vel ex eo id colligere licet, quòd in proposito perseuerauerit, neque doloris atrocitate motus, cibũ quem etiam suauissimum offerebant, aut admiserit, aut doloris alicuius indicia quædam præbuerit, lamentando aut suspirando.

Vti & in cæteris, qui inediam longiùs ferunt, accidere, indies comperimus, pycrocholis præsertim, statim os amarescere, appetentiam ciborum dejici, vt cùm postea velint, vix cibum sumere valeant, idque bile aliisque prauis humoribus, dum ieiunus diu & vacuus est stomachus, ipsum adimplentibus, appetentiamque dejicientibus.

Vnde sanè non mirum, illos imbecillitate potiùs (vti & senes faciliùs ieiunium pueris ferunt) omnem ob diutinã famem, & edendi stimulum, aliasque functiones naturales amittere. Quemadmodum sanè iis, qui fame penitùs intereunt accidere necesse est, vt antequam vitales functiones deficiant, (quod

morientibus vltimò accidit) priùs naturales operationes, inter quas attractrix & concoctrix, primas tenet, & animales, quo & appetentiam referimus, cessent, atq; vt in morbis etiã frequentiùs accidit, priùs aboleãtur. Quibus argumẽtis & rationibus moti, quod fortasis multis durũ videbitur, non tamẽ à ratione est alienum, statuimus nõ tantùm sitim maiorem cruciatum, quàm famen inducere, verùm dolores esse innumeros, qui nos tortoris alicuius & carnificis instar diuellũt, lacerant, pungũt & vrunt, quod facilè hi, qui colicos cruciatus & vesicæ ardores perpessi sunt, iudicabunt: Hos inquam & siti & fame longè esse acerbiores, minusque tolerabiles. Eamq; molestiã quæ in fame & siti naturali adhuc percipitur, non grauiùs quã eam, quę & in aliis appetitus & cõcupiscentiæ speciebus accidere solet, nos afficere. Perseuerante verò inediâ vires dejici, labefactariq; animũ, & tãdem in iis quibus omnis cibũ capiendi spes detracta est, mortis quadã apprehensione, & desperatione furorẽ rabiẽq; succedere. Quibus concitati potiùs quàm doloribus exagitati, ad ea perpetranda, quæ desperatis in animum venire possunt, animi quadam perturbatione & cæco iudicio impetuque quodã ferũtur. Quæ sanè hisce rationibus & demonstrationibus persuasus, cuiq; suo in ea re saluo iudicio, asseuerare non dubitaui.

33. *An aliquis sit lienis vsus excellentior eo, quem illi communiter aßignant, vt melancholicum humorem recipiat & expurget?*

Lienis seu splenis hunc præcipuum vsum esse, vt atrabiliarij, excrementitij humoris, seu vt alij volunt, sanguinis melãcholici sit receptaculum, cõmunis est opinio. Vnde & vulgus Medicorũ existimat, mali adeò esse succi, vt ab illius esu in cibis sit abstinẽdũ, & adhuc longè stolidiùs putant, posse innoxiè illum hominibus exsecari, eoq; tanquã abiecto & inutili viscere, eos carere, imò liberiùs tunc motus vehementiores currendo perficere. Quæ tamẽ partim ridicula, partim falsa esse, pleriq; norunt, illud verò quod maximè vrgent, de illius vsu, cùm nec sensibus, nec ratione probari posit, licèt in scholis receptum, hisce argumentis motus, concedere nullo modo possum.

Primùm enim, nulla vesica lieni pro humore atrabitiario isto suscipiendo, vti in hepate pro bile, adnata vllibi, aut illi alicubi subjici apparet, quod sanè necesse foret, si excrementitius ille humor à reliquo illic sanguine secretus colligeretur, vt in talem vesicam per porũ, vti in hepate cholidochũ, vel vreteres, vt è renibus, expurgaretur.

Secundò nec sanguinem, qui in liene cõtinetur, esse atrabiliarium, aut crassiorem, qualem melancholicum vocant, si rectè eum intueamur, iudicabimus, licèt enim dum in substantia lienis secta, aut diuisa se manifestans, nigrior esse videatur, non ideò quòd talis sit, sed ob compactiorem magisque fuscam splenis carnem vasorumque copiam, quibus inhæret, obscuriorem, talis apparet. Cùm alioquin inde expressus, à reliquo sanguine minimè colore differre cernatur, credibileque sit, cùm lien arteriis simul abundet, quibus hepatis substantia destituitur, eum & tenuiorem spirituosioremque, & proin lucidiorem eo, qui in hepatis venarum ramis continetur, existere, vti & reuera ramus hæmorrhoidalis, inde deductus, non alium in se continere, ex eo patere alibi docuimus, quòd is, qui per hæmorrhoides in quibusdam viris emanat, tenuior, calidior feruidiorque, reliquo, quem tamen crassum atrum & melancholicum esse putant, deprehendatur. Dein & sinister venæ portæ ramus, ad lienem delatus, & venæ exiles à liene ad ventriculum reflexæ, quas spleneticas putant, & melancholiam ventriculo infundere, ad appetitum excitandum excogitant, non alium sanguinem, quàm ille qui in dextro ramo, partim ad hepar defertur, partim per omentum & mesenterium ad ventriculum & intestina dispergitur, in se continere, quilibet lanius etiã obseruare potest, & diligens inspector in sectione facilè deprehẽdet.

Dein & ex animaliũ lienum qui coquuntur gustu, nihil tale, quod melancholicum aut atrabiliarium saporem referat, vel amarore, qualem bilis habet, vel acido, qualem melancholiæ attribuũt, deprehendimus, sed dulcedinem quandam, in quibusdam adeò sapi-

ſapidam, vt in delitiis habeatur, quod & de liene porcino adfirmat Galenus, atque experiētia teſtatur, vti & in vitulino, aliorumq; iuniorum animalium, in quibus omnes partes ſunt teneriores.

Quod verò hoc viſcus longè alium vſum, quàm adeò vtilem, cuiusmodi illi attribuūt & quidem excellentiorem, nec minus fortè quàm ipſius iecoris præſtantem habeat, ex ipſius ſtructura, ſi eam cum hepatis conferamus, conjicere licet. Vti enim hepatis ſubſtantia ex parenchymate conſtat, ſic & lienis, differens ſaltem ab illa, quod non adeò exactè, vti hepatis rubeat, idque, ſicut dictū, quia cùm minor ſit hepate, copioſioribusq; vaſis intertexta, fuſca obſcuraque ipſius ſubſtātia apparet, & cum hepatis parenchymati veniſq; ipſi inſertis, vis ſanguificandi tribuatur, veriſimile eſt eandem & lienis ſubſtantiam poſsidere.

Eoq; magis probabile hoc fit, quòd venæ meſeraicę, à ventriculo & inteſtinis chylum ſugentes, & ad viſcera & vaſa, in quibus in ſanguinem excoqui & elaborari debet, deferentes, in duos truncos collectæ dextrum in hepatis, ſiniſtrum in lienis ſubſtantiam diffundant & diſſeminēt, vt ſicuti in dextro viſcere, ita & ſiniſtro, ipſius fiat elaboratio; quid enim aliàs vt chylus ad lienem deferretur opus erat, niſi à ſiniſtro trunco chylum minimè excipi, ſtatuere velimus, quod veritati haud conſentaneū, in diuiſione illa maiorum vaſorum, hanc ſeparationem poſſe fieri, vt ad vnum tantùm chylus, ad alterum ſanguis tantùm feratur, cùm vnus idemque ſanguis, in omnibus venarum meſeraicarum ramis eſſe conſpiciatur, quem & à chylo, quem hæ venæ rapiunt, & in venis eiusmodi tam dextro quàm ſiniſtro latere, & adnato illo vtrinque parenchymate, elaboratum transmutatumque priùs huc refluxiſſe, neceſſe eſt.

Adeò vt non abſurdè viſcera duo ſanguificationis ſtatuere liceat, vtrinque ſub ſepto ventriculo adiacentia, ab eoq; vti & inteſtinis ſubiacētibus, per venas meſeraicas chylum rapientia eumq; elaborantia, qui poſtea ab illis elaboratus & in ſanguinem conuerſus, in venis meſeraicis collectus, per dextrū truncum venis maioribus hepatis ſubſtantiam peruadentibus, in venæ cauæ ramos tranſumptus, vniuerſo corpori communicatur.

Sed & ex ſitu horum viſcerum demonſtrare licet, lienem quaſi alterum hepar, ad ſanguificationem opitulari. Nam viſcera in corpore collocata ſi in medio corporis ſint ſita, vti cor, ventriculus, veſica, ſolitaria ſunt, ſi verò in lateribus collocata ſint, gemina ſemper exiſtunt, vti & renes tales eſſe cernimus. Sic & natura cùm ventriculus inter vtrumque viſcus iaceat, illi duo viſcera parenchymate conflata, appoſuit, quorum alterum maius, cùm ventriculus cauſa œſophagi magis in ſiniſtrum latus inclinans, ſpatium hoc magis amplum implere debuerit, formaque ſe partibus adiacentibus, vti parenchymata ſolent, accommodare, alterum minùs, ſpatium minus & à ventriculo occupatum adimplens, formaque ſe accōmodans, compactum magis, & cum ſubſtantia ipſius paucior, firmior tamen & ſic ad vſum inſtructior exiſtat.

Quin quòd lien quoque, præter venarum meſeraicarum ramos, arteriis æquè multis implicatur, ſecus ac hepar, longè præſtantiorem lienis eſſe functionem, quàm vt excremētitij humoris eſſet veluti cloaca, ſatis declarat, cùm niſi id eſſet, ramulus aliquis, pro conſeruatione illius, vti in hepate, ſuffeciſſet. Videturque hac ratione hoc factum, vti in opere noſtro Anatomico oſtēdimus, vt ſanguis arteriarū in liene cum ſanguine, quem vena portæ defert permixtus, ſanguis & venarum & arteriarum vires materiamque inuicem conferrent. Quod cum ad perfecti ſanguinis, qui corpori nutriendo aptus eſſe debuit, elaborationem (cùm arteriæ non ad omnes partes perueniant) vti & ad ſpiritus naturalis generationem, neceſſe erat, ideò & in ventre hoc inferiore, in liene & renibus, vti & in thorace in pulmonibus, & in capite, in cerebri ſinibus, ſanguis venarum & arteriarum confunditur, miſcetur exactiusq; concoquitur, elaboratur, & repurgatur.

Imprimis verò lienem ſanguificationis eſſe organū cum hepate, id manifeſtè comprobat. Quòd morbi hepatis ſi in liene fiant,

vti frequentiùs ferè accidit, vt sunt intemperies, obstructio, durities, scirrhus aliæ've læsiones, eadem prorsus symptomata, qualia si hepar illis morbis afficiatur, profert, veluti sunt icterus, cachexia, dyspnœa, tussis sicca, hydrops, &c. Nec dū si icterus niger sit, eum à liene proficisci, & proin atrabiliarium humorem illic contineri approbat, cùm non ratione visceris hoc, sed prout bilis, quæ in folliculo hepatis continetur, vel flaua vel atra existit, euenit, sicuti in nostra praxi id demonstrauimus.

Dein & curatio, lienis vsum ab hepatis non adeò discrepare ostendit, cùm eadem remedia, ad intemperiem tollendam, obstructiones aperiendas, durities emolliendas, in vtriusque visceris eiusmodi affectibus, atque hepatica & splenetica remedia, similiter in vtroque vsurpentur, nullumque discrimen inter hæc, nisi quòd fortioribus magisque aperientibus in lienis morbis vti debeamus, vel ea spleneticis esse permiscenda, doceant practici. Qui vim sanguificandi venis duntaxat acceptam referunt, inter reliqua argumenta etiam hoc adferre possent, quòd sanguis meseraicarum venarum, in ipsis venis mox ex chylo quem hauriunt, generetur, antequam ille ad hepar usque vel lienem perueniat, atq; in eo nulla chyli portio quæ alba est, permista appareat, ita vt Chylus statim postquam has venas subiit, & in ipsa venarum, in ventriculum & intestina insertione, transmutationem accipiat, eamque tantam, vt iam sanguis sit idoneus, ad nutriendas partes, eas quas venæ meseraicæ subeunt.

Verùm quis tunc hepatis aut lienis esset vsus, si non hunc venarum meseraicarum sanguinem, venæ portæ propaginum, & qui inde in venam cauam per hepar deriuatur, elaborarent, sanè vix alium excogitare liceret, quàm fortè hunc, quòd cùm illic vbi venarum diuersarum rami conuenire & coniungi inuicem debent, cùm nudi consistere nequeant, parenchyma hoc illis, vt in eo immersi tutiùs incedant & hæreant, affundatur, vti & in reliquo illorum ductu affusâ pinguedine concretâ, munita incedūt, quòd & calore suo sanguinem in illis fouendo, ad ipsius perfectiorem elaborationem iuuare queat, veluti in iecore accidit, vbi rami venæ portæ, & cauæ, inuicem in substantia illius complicantur. Idem in liene, vbi venarum meseraicarum propagines & totidem arteriarum in ipsius carne implicatæ, intexuntur. Sicuti & in renibus accidere videmus, venarum & arteriarum emulgentiū ramos, in sinus renum substantiæ innatos infundi, simulq; illic commisceri, & pulmonum fungosam substantiam, venæ arteriosæ, & arteriæ venosæ, fistulisque asperæ arteriæ propaginibus vndique adnatam, hæc vasa sustentare & munire.

34. An maius sit miraculum hominem qui nunquam extitit nasci, quàm qui fuit, per resurrectionem renasci?

QVòd caro humana, quę corruptione putredine in nihilum redacta est, in nouissimo die in integrum sit restituenda, & priorem suum statum sit receptura, animâ immortali cum eodem corpore denuò copulatâ, pro summo DEI Opt. miraculo, vti reuera est, Christiani habent. Atque interim hoc quod æquè mirum est, quotidieque accidit, non admirantur, hominem qui nihil erat & corpore & animo in lucem produci. Quæ hominis procreatio, resurrectioni magnitudine rei & miraculo, cùm aliquid quod non fuit nasci, quàm illud quod semel fuit renasci, maius sit, minimè cedit, imò exuperare videtur, & tamen homines quia consuetum hoc, quod singulis diebus fit, non admirantur, illud verò quod certò futurum est, adeò omnes suspensos tenet, vt etiam impossibile impiis esse videatur.

35. An semen animalium acre sit & calidum?

SEmen humanum acre esse calidumq; admodùm, nec lactis instar insipidum aut dulce, hisce colligitur, quòd odorem vehementem habeat, erucæ instar vel nasturtij, & quòd in reliquis quoque animantibus, grauem odorem exspiret, sicuti ex vesicis semē recipientibus, in Castore præsertim, Marte, Vulpibus & Mustelis, salacibus illis animātibus colligere licet; Secundò quòd collectū admo-

admodùm stimulet uratque, vt ex leui imaginatione vel titillatione prosiliat. Tertiò quòd loco motũ & subsistens in meatu communi, citissimè illas partes accendat, & si diutiùs retineatur, arrodat, ardoremq; mingendi excitet. Sicuti illis quibus vel per insomnia Venerea, vel actus venereos, semen ad expulsionem irritatum, vel ex subitanea expergefactione, vel quia aliquid superuenit, impeditur, frequenter accidere animaduertimus.

36. An ex semine solo humani corporis partes, vel etiam ex sanguine generentur?

PArtes humani corporis ex Semine tantùm enasci, certis ac firmis rationibus demonstrari potest. Licèt enim corporis humani duo statuantur principia, Semen nimirũ & Sanguis, reuera tamen Semen solum illud est, è quo, sicuti Plantæ & Bruta animalia, ita & corpus humanum eiusque partes omnes primam originem trahunt, & materiam formamque nanciscuntur. Sanguis enim post conceptum, alimoniam saltem & materiam pro nutritione & auctione partiũ subministrat, pari ratione vti Terra Plantis, ad generationem verò, planè nihil confert, siquidem, licèt sanguine nunquam destituamur, partes tamen ablatæ, regenerari nequeant. Hinc etiam liquet, nullas verè sanguineas, quasi ex sanguine generatas partes dici posse, cùm earum substantia, quamuis rubra, ex sanguine tamen venarum, minimè constet; sed in primo conceptu ex tribus seminis bullis, tres principes partes oriri, sicuti Hippocrates in reiecto Psaltriȩ, ita & ego aliquando obseruaui; Heparque quod præ cæteris sanguineam esse partem, & veluti sanguinem concretum vulgò autumant, ex bullarum vna progenitum.


37. Quare menstruas purgationes mulier tantùm ferè ex animalium genere habeat?

MEnstrua, hunc fluxum, quòd singulis mensibus fluat, vocant: & ad illius nominis imitationem Itali, Mestruo: Germani Zeit/ id est tempus, vt & Itali, il tempo; quod certo tempore: vel Monatzeit/ quòd menstruo tempore inuadat, vocát, Flores Fleurs Galli: & Germani quoque Blům/ atque si tunc floresceret mulier, appellant: iucundo nomine, quod alioquin in mulieribus dedecus esse censetur, opprobrium hoc ipsarum tegentes. Qua de causa & Rustici Rosariũ, Rosenkrantz/ hanc purgationem nominant, atque Itali Marchese, magnifico nomine appellant. Hunc autem menstruum fluxum in fœmineo sexu animalium, sola mulier ferè patitur: cùm in ea sanguis copiosior quàm proprij corporis nutritione necesse erat, vt cùm nullum definitum concipiendi tempus habeat, præstò pro fœtus nutrimento semper adsit, ideò tantâ copiâ nasci debuit; & proin, ne mole sua læderet, singulis mensibus, quamdiu non concipit, expurgatur. Cætera verò animalia, quia non semper, sed semel ferè tantùm in anno calent, hac sanguinis redundantia non opus habuerunt, nec sanguis, donec tẽpus illud, quo ad conceptum, idonea fiunt, adsit, in ipsis adeò augetur: qui &, cùm ferè semper concipiant, ad fœtus sustentationem tunc quoq; retentus, non expurgatur. Nisi fortè magnâ curâ, vt tunc animalia non congrediantur, impediatur: tunc enim aliqua quoque, sanguinis portionem, per hæc loca reddidisse, in simia obseruaui. Quod & in canibus fœminis, si à maribus arcerentur, accidere, in canicula paruula, quam domi habui, deprehendi: quæ cùm quoties caluit, ne congrederetur, & concipiat, & in partu (vti in minimis istis caniculis, qualis illa fuit, fieri solet) moriatur, inclusa retenta fuit, è pudendo tumido tunc sanguinem, sed parua quantitate, cùm & ipsa parua fuerit, reddens, stratum cui incubuit, per dies aliquot cõmaculauit. Quod verò hoc in reliquis canibus, vti & cæteris animalibus, rariùs contingat, causa est, vt dictum, quòd quotiescunque calent, sanguisq; ille redundat, marem quærentes & admittentes, concipiant, vnde sanguis ille ad fœtus enutritionem, mox retinetur. Ex quo & mulierem tantùm eo tempore, quo menstruus sanguis collectus fluxurus est, ad conceptionem aptam existere, colligo; & quòd rariùs ob id, quàm cætera animalia, conci-

vti frequen[illegible]tunc à virorum cōſortio maximè [illegible]abſtinere ſoleāt, cauſam quoque vnam, cum prioribus in conceptu explicatis eſſe exiſtimo.

38. Quare mulier definitum Tempus, quo ad concipiendum & procreandum apta, vir verò nullum habeat?

IN humano ſexu, & mas & fœmina ad procreationem tunc apti & maturi ſunt, cùm ſemen maturum profundere incipiūt: quod aliis citiùs, circa ætatis annum duodecimū (Nam ea ætate & mares & fœminas procreaſſe, hiſtoriæ teſtantur) aliis tardiùs, circa annum decimumquintum accidit. Licèt enim non conſuetum ſit, tam maturè, mares præſertim, matrimonij vinculo adſtringere, hoc tamen non quòd adhuc ad generandum inepti ſint, ſed aliis de cauſis, accidit: cùm ſi maturè quoque, iuuenes adhuc admodùm copulentur, liberos etiam generare experientia oſtendat. Verùm tempus, quo ad generandum non amplius idonei ſunt, non vtriſque æquè contingit. Cùm fœminæ definitus terminus à quadrageſimo ad quinquageſimum vſque ætatis annum circumſcriptus conſtitutus ſit: quo & ſuas menſtruas, quandiu ſanæ ſunt, nec grauidæ, nec lactant, purgationes habent, eoque termino finito, illis deſtituuntur, nec ampliùs pariūt. Mares verò quamdiu ſani ſunt, toto vitæ tempore, ad procreationem aptitudinem & habilitatem in ſe habent. Quod vt multa exempla demonſtrant; ſic parentis & proaui, tanquam propinquiora adducere ſatis erit. E quibus genitor meus, poſt ſeptuageſimum ſecundum ætatis annum, nouis nuptiis contractis, liberos ſex, & poſtremam filiam anno ætatis octuageſimo ſecundo procreauit. Cuius auum, poſt centeſimum vitæ annum, filium adhuc genuiſſe, & ad nuptias illius ſuperuixiſſe, non ſolùm ex illo, verùm & aliis plurimis, qui illum nouerant, ſæpè audiui. Cæterùm cauſam huius Diuinæ ordinationis, viro nullum terminum, mulieri verò certum definiente, idque à mundi primordio (cum & tunc mulieres ſenes, procreare miraculoſum, non naturale fuerit: ſicuti exemplo Sarę vxoris Abrahæ demonſtratur) eſſe exiſtimamus, ne humanum genus nimiùm excreſceret, & prouidētiâ Dei, quæ certum numerum eorum qui naſci debuerunt, prædeſtinauit, hæcque etiam per naturales cauſas dirigit, factum eſſe, cùm ſi mulier ad extremam ætatem vſque procrearet, in infinitum, quod nec terræ totius amplitudo alere poſſet, humanum genus excreſceret: proin non, vt reliqua animalia, ſemper, neque tam numeroſam ſobolem in vno partu, vt illa, quæ infinitam ſæpè, vt piſces, procreant; ſed vnam plerunque, rariùs geminam, rariſsimè frequētiorem generāt. Atque in humano genere ſæpiſsimè ſteriles omnino fœminæ inueniuntur, in animalibus verò pauciſsima: quæ quotieſcunque coëunt, ferè concipiunt; mulier verò coitu frequentiore vtens, etſi fœcunda ſit, rariùs tamen concipit. Dein & cùm mulier non ſolùm ſemen, vti vir in primo conceptu; ſed & poſtmodum ad fœtus augmentum ſanguinem, & ad geniti enutritionem, lac tantâ copiâ & menſurâ conferat (vnde etiam quæ pariunt, præſertim frequenter, & quæ lactant citiùs, quàm quæ ſteriles ſunt ſeneſcunt) in ſenio iam exhauſtæ, ſufficere minimè potuerunt: & proin ne penitus conſumerentur, hæc meta illis commoda hac quoque ratione, vbi ſubſiſterent, fuit poſita. Ad quam vir, qui ſi modò moderatè à teneris venere vtatur, (quod, ſi ſenes adhuc procreare debent, neceſſe eſt) ſemen tantum in procreatione confert, & proin diutiùs, & quamdiu ſemen in illo gignitur, aptus ad generationem eſt. Atque ea ratione eleganter à Deo quoque prouiſum, vt vir, qui nunc militiâ, nunc aliis diſtractus, cum ſua coniuge non ſemper permanere poteſt; vel cum ea, quia ſterilis non generat; etiam ſenex, vel primis nuptiis, vel ſecundis aut pluribus contractis, ad generationem adhuc, niſi defectus alij obſtent, idoneus exiſtat.



PATHO-

PATHOLOGICÆ.

39. An aër vel cibus & potus in gignendis potiores vires habeant?



NECESSARIA sanè de morborum causis præcipuis quæstio, atque vt scitu omnibus apprimè vtilis, sic minimè à professione cuiusquam aliena.

Siquidem humanum corpus, humanis casibus subiectum, variis tanquam procellis toto vitæ curriculo agitatur tempestatibus: Neque tantùm, dum luce hac fruitur infinitis & ineuitabilibus pœnè causarum iniuriis expositum est, sed & ante ortum, semina insita quædam à parentibus dimanantia sæpe assumit, quibus non tantùm fatali necessitate, ob elementorum ex quibus constamus repugnantiam, & humidi primogenij, siue olei & caloris natiui consumptionem, sensim ab ortu ad interitum naturali vitæ cursu declinamus: Sed & vitia quædam hęreditario quasi iure à parentum semine mutuamur; & toto vitæ curriculo instabili & ancipiti constitutione fluctuantes, morbosam vitam agimus; ita vt leuissima de causa, hi quibus eiusmodi misera contigit conditio, morbis affligantur doloribusque exagitentur.

Post ortum verò, quàm innumeris subiecti sumus malis? partim necessitate, partim voluntate nostra, & studio attractis, partim casu & fortuitò nobis impendentibus, à quibus tanquam primis omnia interiora vitia, tum in spiritibus, humoribus, tum corporis habitu posita, suam primam sumunt originem. Quæ omnia cùm sensibus pateant manifestaque sint, si declinare possemus, salubrem totius vitæ cursum perficeremus. Hæ certè licèt infinitæ sint, certis tamen limitibus comprehenduntur.

Sic causarum insalubrium aliæ extrinsecùs corpori accedunt, aliæ verò à corpore prodeunt, quibus tanquam summis generibus omnes causæ subjiciuntur. Ex posterioribus, Motus corporis nostri & animi immodicus, in excessu vel defectu peccans, morbos causat.

Ex voluntario enim corp[illegible] nimius, exercitium vehemens, corpus d[illegible]tigat. Maximè verò intermissa exercitatio otiumque corpus iners ineptum languidumque efficit, & quasi rubigine afficit, excrementorumq; proventum coaceruat. Ita vt non sit ad sanitatem conseruandam vtilius quicquam, labore impigro.

Sic & reliqui corporis motus, partim arbitrio nostro, partim sine voluntate nostra præstiti, si non rectè obeantur morbis ansam præbent. Si respiratio sit impedita, cita nimis, aut tardior, cor suffocatur vel angitur.

Si Euacuationes naturales per vias patentes fæcum, vrinæ, pituitę, quæ emunctione, expuitione screatu tussiq; rejicitur, non rectè procedant. Si venus sit immodica, quę corpus eneruat; si per abditas vias sudore corpus diffluat; Aut arte vel casu, & naturali excretione in mulieribus, sanguis vitæ fons exhauriatur nimiùm, calor vitiatur, corpus marcescit, morsque hominem occupat.

Et quemadmodum motus illi, quos corpus obit, necessitate quadam, sic & animi motus incommodant, si nimij sint, vt in vigiliis perpetuis; Cùm id quod alterna caret requie, durabile minimè sit, sed otio nimio mens hebetatur, sensusque labefactantur, vt in somno accidit diuturniore, quàm par est. Qui si naturalis existat, animo veram adfert quietem. Huc & referimus motus animi, perturbationem, in ira, metu, gaudio, affatim & subitò factis, vel perseuerante mœrore tristitia & pudore, quibus non tantùm animi functiones debilitantur, sed & sępè penitùs tolluntur.

Hæ sunt itaque morborum causæ, à corporis motu, quem necessariò obimus, prodeuntes, quæ illud alterant, variisque mutationibus exagitant. Quibus potiores ferè sunt, magisque efficaces, quæ extrinsecùs corpori accedunt, illudq; ambiunt, elementa, maximè corpus subeuntia, vitiisque internis & excrementis materiam præbentia.

Ex quibus nulla necessitate, sed casu & fortuitò irruens ignis, nos excalefacit, adurit, corpusque statim & in momento depascitur. Vti & alia terrena dura impetu in nos

vti frequen[illegible] nunc à sua acie contundunt, se-
[illegible], incidunt, pungunt, corporisque soluunt continuitatem. Itaque extrinsecùs corpori applicantur, indumenta, integumenta, vnguenta, olea, emplastra, vel quæ subjiciuntur studio & voluntate nostra, corpus alterare immutareque possunt.

Atque vt subtilior ignis crassioraque terrestria foris id præstant, sic aqua quoque tertium elementum, nos sua humiditate, frigiditate, vel etiam caliditate illi arte inducta, in balneis, vel natura in thermis dictis, afficitur, forisque admota immutat.

Validissima in omni causarum genere sunt, quæ intra corpus necessitate quadam ad vitæ conseruationem sumuntur elementa, vti attractus aër, assumpta item, cibus & potus, quia non tantùm qualitates propriis receptaculis, ille pulmoni, cordi, hæc ventriculo, & per cõsequens inde vniuerso corpori imprimunt, sed & spiritibus aër, humoribus & corpori alendo materiam præbet cibus & potus. Quibus ne momento quidem vt aëre, nec die, alimentis scilicet, carere citra offensionem possumus. Quorum vt salubris nobis est recta idoneaq; quantitas & qualitas, sic noxia omnis in hisce immoderatio & intemperantia.

Sic aëris defectus & exuperantia nos suffocat, vti fit obturatis viis aëri patentibus, naribus, & ore, non crassioribus tantùm, sed & aqua, aëreque fumoso caliginoso, illisque interceptis vinculo. Quinimò validiùs impulsus aër, agitatus confertim irruens, in idem nos strangulatus periculum conjicit.

Tum verò qualitatum ratione, calidior, frigidior, algidior, sicciorq; vniuersum corpus peruadens, characteres hosce imprimit & quasi inurit. Vitiosus quoque, exhalationibus pollutus vaporosis, nebulosis, putridis, fœtidis, similem præbet spiritibus materiam, venenatisque seminibus inquinatus & pestiferis, contagium spiritibus primùm, inde humoribus, mox nobilioribus partibus cordi & cerebro, & per consequens vniuerso corpori impertit, passimque in homines, pecudes, crudeliter sæuit, omniaque depascitur.

Sic & cibi potusque parsimonia omnimodáve inedia, hominibus diutiùs est intolerabilis, spiritus dissipans, humores exhauriẽs, corpusque absumens. Exuperantia verò horum quanta parit nobis incommoda? tum in cibo, crapula, in potu Ingurgitatio & Ebrietas, à quibus plures fortè, quàm à gladio pereunt. Plures quàm ætate senescunt. Magis quàm aliis quibusuis de causis discolorati, squalidi, cachectici, languidi, ventrosi & inertes, fœtidi, scabiosi, & putridi euadũt. Hos fructus secum fert Voluptatis filia, mater dolorum, Intemperantia.

Sed & assumpti aliméti qualitatem si spectemus, & primùm materiam, quâ vel ægrè interdum ob duritiem tenacitatémve digeritur, vel succum prauum & malignum gignit, vel excrementorum facit prouentum, quàm vehementer corpori incommodat? Præsertim verò si gulæ libidine & voluptate irretiti, sic condiantur, vt vel ab aromatibus additis, insignem acrimoniam, vel salsis salsedinem, acidis aciditatem acquirant, corpusq; sic accendant, exiccent, & conturbẽt. Si item reiecto naturali potu aqua, artificialem & medicatum paremus, ex succo vuarũ decoctionibus cerealiũ, & vino & ceruisia, tantùm vtamur. Quibus certè si solis fruamur iisque meracioribus, fieri non potest, quin corpus incalescat, caloreque natiuo in igneum conuerso, citiùs sic absumpto oleo vitali, ex quo viuimus, senium ante diem irruat, atque immaturâ morte, homo citiùs quàm par erat exolescens, abripiatur.

Ex quibus sanè patet, præcipuas morborum causas in aëre & assumptis consistere. In illo, cùm omnia citissimè peruadat, penetret & alteret. In his quia materiam inhærescentem & contumacem corpori subministrant.

40. *An ingluuie, ebrietate, luxuriâ, quàm fame, bello & peste, maior strages in humano genere edatur?*

EX hostibus, qui humanum genus depopulantur, vitam hominis breuiorem reddunt, ac senium ætate nondum perfecta accersunt, mortem ante vitæ nostræ destinatos annos accelerant, commemorati præcipui sunt. Quorum tres posteriores, Bellum, Pe-

ſtis, Fames, Dei iuſto iudicio, vi externâ irruentes, maximamq; ſæpè ſtragem facientes, multa millia hominum, atque vniuerſas ſæpè ciuitates, nec non exercitus perimunt: Illi verò hominum vitæ inſidiantes, deterrimi hoſtes, non extrinſecus illati, ſed ſtudio, voluntate hominum voluptatibus & illecebris accerſiti (Ingluuies videlicet, Ebrietas & Luxuria) æquè in humanum genus ſæuiunt, innumeroſque è medio tollunt: adeò vt meritò Poëta ille hoc de voluptate, matre horum malorum cecinerit: Quippe nec ira Deûm, tantum nec tela nec hoſtes: Quantum ſola nocet animis illapſa voluptas.

Licèt autem intemperãtia tria hæc complexa, non adeò apertè & ſubitò homines, vt bellum, fames & peſtis, abſumant, ſed ſenſim eos depaſcantur: non minus tamen damnum illis adferre, hæc ſatis comprobãt: Quòd poſteriores, certo duntaxat tempore, certisq; in regionibus, tum pœnæ loco, tum ad repurgandam & minuendam hominum multitudinem, à Deo immiſſa, graſſentur: Crapula verò, ebrietas & luxuria apud multos mortales continuo in vſu ſint, qui hæc ſibi adeò familiaria reddunt, ac voluptatibus intenti & ſeducti, ita omnem ſenſum recti amittunt, vt nec metu morborum, dolorum acerbitate, vel terrore mortis, quam aliorum exemplo ſibi ipſis imminere vidẽt, immò nec pœnâ æterni ſupplicij (proh dolor) ab hiſce abſterreri poſsint.

Vt enim primùm de Ingluuie & in cibis intemperantia agam, quæ inſatiabili illa vorandi auiditate, atq; Eresichtonis fame committitur, & inprimis in diutina illa in commeſſationibus mora, ferculorumque omnis generis varietate peccat; quàm communis & quantum vitæ noſtræ inſidietur, euentus quotidianus docet, quomodoque plures gula & venter, quàm gladius & infinita illa ſcloporum procella interimat atque enecet. Hac enim natura (quæ paucis contenta) grauatur, corpus excrementis omnis generis repletur, tandemque ex plethora & cacochymia innumeri oriuntur morbi.

Verùm non minorem perniciem luxuria hominibus adfert, eoque frequentiùs, quòd cùm pudorem & verecundiam, hiſce rebus etiam conceſsis & licitu[illegible]ione ex[illegible]tis, natura adiunxerit, adeò vt ve[illegible]idu tantùm indecorum eſſe videatur, multi non edocti, nec admoniti, ſed inſcitiâ aberrantes, alij verò libidine excitati, in hac re naturæ limites tranſgredientes, grauiſsimè peccant, ſeque perdunt.

Inprimis verò iuuenes, quorum corpora hiſce eneruata, ad iuſtum augmentum vigoremq; & robur minimè peruenire queunt, ſed languida & inertia permanent, citiusq; quàm aliàs, niſi præueniantur morte, conſeneſcunt. Senes verò laſciuos, luxurioſos, mors tanquam vmbra corpus comitatur.

Nunc verò paulò fuſius ebrietatis incommoda examinanda, quo quippe vitio, in vtraq; Germania vulgatius nullum, nullum perniciosius, cùm pro vitio minimè æſtimetur, immò hodie laudi ducatur, & heroicum videatur, pocula ad vnguem ſtrenuè (vt aiunt) exhaurire. Sicuti quælibet regio vitium epidemicum & populare, in virtutem commutare nititur. Nec mirum hîc, cùm ebrietas mentem adeò perturbet, ſenſus ſtupefaciat, vt licèt aliqui euidentibus ſignis, ad interitum corporis & animæ ſe rapi videãt, cognoſcant & obſeruent, ab ea tamen ſibi minimè cauere poſsint, ſed quotidianum & familiare hoc illis malum reddere cogãtur.

41. *Num in venis meſeraicis magna illuuies excrementorum coaceruari poßit?*

IN venis tam generalibus, quàm ſpeciatim acceptis, venis meſeraicis, humores prauos ſero dilutos, omnis generis coaceruari, diuque ſæpè citra grauiorem noxam morboſque retineri poſſe, nondum ægrotante homine, ſed ſaltem laſsitudine quadam, inordinatis euacuationibus ſe patefacientibus, venturos morbos præſagientibus, nonnihil moleſtato, in quamplurimis obſeruaui: Non ſolùm ex prædictis indiciis, excrementorumq; mutationibus, aliisque, ſed & quòd materia hæc retenta in vaſis adhuc remanens, tandem putreſcens, vaporesque effundens, febres diuturnas creet, vel in venenatam conuerſa naturam, lento veluti ve-

vti frequenti... principibus, cordi, cerebro ...tia, grauia accidentia pariat.

Dein & quòd hi praui humores, vel ex sua natura per se, aut vti dictum peruersi, in vasa effusi, colicos dolores, icteros, cachexiam aliaq; pariant accidentia, vel in habitum corporis è venis maioribus elapsi sub cutē, scabies, herpetes, aliosque tumores præter naturam, pro natura humoris diuersi generis, procreent. Sicuti quoque post febres etiam quartanas diuturnas, etsi per multos paroxysmos hæc materia expurgata fuerit, remansisse tamen insignem portionem, quæ postea à natura sub cutem protrusa, eiusmodi mala peperit.

42. An aër sit causa veneni pestilentis?

VEnenum pestilens, quod febrium malignarum & pestilentium causa existit, vbi nam sedem suam habeat, & vnde corpori nostro impertiatur, Doctores litigant, dubitantes an aër magnis temporum mutationibus, vitiatus & contaminatus, eiusdem focus sit. Sed cùm his non datis, sæpiùs oboriatur pestis, puto pestilens hoc venenum, originem suam in Mundi origine habuisse, de corpore in corpus, per contagium dispergi: de nouo non creari vel produci, quamuis concedam certum certorum astrorum concursum, & hinc certam aëris mutationem factam, hoc virus, cuius naturam nescimus, at effectus videmus, diuersos & horrendos, quod aliàs delitescebat, in actum producere posse: sed cùm nihil agat, nisi in proportionatum obiectum, quænam hæc obiecti sit dispositio, vt lubenter edoceri cupio, sic nos nescire promptè fateor, licèt non ignorem, hoc venenum pro variâ corporis dispositione (ex qua omnis ad recipiendū venenum aptitudo) variè agere.

43. Vtrum febris pestilentialis interna causa in humorum corruptione consistat, nec'ne?

AEris inquinamenta, quæ ex infectis paludibus, lacubus, antris, specubus, hominum animantiumque cadaueribus, excrementis, aut aliis grauioribus expirationibus contracta sunt, pestiferæ febris externā causam esse, nulli dubium. Hic enim aër inspiratione perspirationeque intrò subit, cor ipsum affectioni præparatum inficit, febrémque quæ non calore modò, sed & qualitate venenata cor fatigat, excitat. Sed est cognitu difficilimum, quid corpus vnumquodq; pestilentiæ aptum reddat, internaque ipsius causa, cùm passim nullo discrimine habito, senes iuuenesque inuadat, nondum certò est cognita.

Quamuis enim Galenus lib. 1. de differentiis febrium, & hunc secuti Medici, humorum corruptionem, & in venenatam qualitatem transitum, internum fomitem pestis existiment: Videor tamen mihi contrarium his argumentis conuicturus.

1. Quicunque morbi à Deo optimo maximo mortalibus peccatorum causâ immittuntur, nō humorum vitio, sed peccatorum causâ eueniunt. Atqui pestem flagellum esse Domini, quo nos castigat, exemplum Dauidis manifestum facit, qui ob erratum commissum, censendo populum, triduanâ peste, septuaginta millia virorum amisit: nec dubito, in tanta strage paucos extitisse, qui ob humorum vitium perierint. Ergo caret internâ causâ pestis.

2. Quicunque morbi ex necessitate naturæ, & diuinâ prouidētiâ accidunt, ad causam aliquam internam referri non debent. Sed pestis (cùm plures indies nascantur quàm intereant) vtilior, quàm sit maturis frugibus imber, & ad terræ repurgationem summè necessaria, alioquin enim nec fruges sufficerent, & nimia hominum frequentia obruti, nobis ipsis exitio essemus. Ergo necessariò aduenit, nullâ internâ causâ ad hoc iuuante.

3. Qui ab occulta qualitate in nobis excitantur morbi, horùm causa sciri non potest; Verùm pestis essentia hactenus à multis ignorata, ad occultam illam, quam nemo intelligit qualitatem relegatur. Ergo ipsius origo ignoratur.

4. Quòd si in humorum putredine siue corruptione causam ipsius internam quis statuat, non aliquot annis cessaret, sed vt reliquæ febres, toto anni tempore suis incursionibus nos molestant, sic & huius febris

peri-

pericula nos sine intermissione fatigarent. Atqui per decennium plerumque ab ea nos tutos Basileæ esse, palam est, cùm tamen vitiositatem humorum, interim alij morbi denuncient. Non igitur ab humoribus corruptis.

5. Si ex humorum corruptela originem sumeret pestis, certè illi qui optimis humoribus præditi sunt, eâ non inficerentur; At euchymi æquè ac cacochymi huic morbo sunt obnoxij, quinimò longè faciliùs eâ corripiũtur, vt sæpiùs videre licuit, pueros temperatos, virgines optimæ cõstitutionis, probè coloratas, mediæ staturæ, in ipso ætatis flore, peste absumptas interiisse. Nulla igitur humorũ corruptio causa hîc esse poterit.

6. Consimili ratione; Si humores putridi hanc excitarent, illi qui pessimis humoribus scatent, tantùm afficerentur; Verùm secus euenire videmus. Hi enim quibus diuturni incommodant morbi, pueri scabie, pustulis, aliisq; eruptionibus molestati, vtplurimùm seruantur.

7. Quid? quòd illi qui lucri gratiâ ægris ministrant, ventri crapulæque seruientes, & ob id cacochymi, etsi præsenti se exponant periculo, liberi euadũt. Igitur alia causa statuenda, relictis humoribus.

8. Annonæ charitatem & famem, sequi pestem, veterum hoc prouerbium innuit, μετὰ λιμὸν λοιμός. Cæterùm inedia cùm corpus exiccet, humoresque absumat, non video quomodo ab humorum corruptione pestis fieri possit.

9. Iterum, si à corruptione humorum fieret, vel vnius alicuius, vel omnium. Non omnium, talis enim corruptio stante vitâ, ne cogitari quidem potest, non quorundam, tum enim biliosi, vel melãcholici, verbi gratiâ, tantùm interficerentur, pro proportione humoris. Ergo neq; ab vnius, nec omnium humorum corruptione fit.

10. Insuper, si corrupti humores extrema corruptione, quam venenatam vocant, febrem hanc excitarent, in corde fieri necesse esset; sed tanta in corde, nobilissimo viscere, corruptio remanente vitâ, ne cogitari quidem potest: Itaque corrupti humores non sunt in causa.

11. Ex ipsis signis pe[illegible]ione [illegible] enim ab humorum extrema cor[illegible] uenirer, accidentia intollerabilia sequerentur: Verùm nec sitis vehemens, nec appetentia deiecta, nec tactui acris caliditas, nec magnum incendium, nec pulsus magna alteratio adest, vt interdum ægri nec se febricitare putent, & sine sensu doloris, viribus extinctis inopinatò decedant. Ergo quia symptomata mitia, nulla humorum corruptio.

12. Iam verò cùm vrina humorum vitia demonstret, sitque ipsorum certissimus index, si corrupti humores pestem fouerent, ex vrina appareret. Atqui non apparet, ea enim sanorum lotio quàm similima. Firmissimè itaque constat, humores corruptos comites non esse.

13. Phlebothomia etiam vitium hoc humorum patefaceret, si ab iis proficisceretur. Verùm laudatus plerumq; sanguis, ex peste infectorum venis effluit. Ergo non ab humoribus corruptis.

14. Dein si ex humorum corruptione oriretur pestis, eadem esset curatio, quæ reliquarum putridarum febrium. At non hoc, nemo enim in peste primùm concoctionem instituet, dein euacuationem. Sed id quod in reliquis febribus vltimum esse consueuit, primò tentat, materiæ nimirũ per sudorem euacuationem. Ergo nec illud.

15. Postremò, Si corrupti humores interna pestis causa essent, liceret purgatione humorum, eam præcauendo auertere, dein illâ correptos curare. Verùm videmus eos, qui tẽpore pestis magnis purgationibus vtuntur, qui balneis aliisque sudatoriis, corpus exagitant, citiùs infici. Quia igitur purgatione præcauere non possumus, humores in causa non erunt.

16. Curare multò minus purgationibus quis aggredietur, ne in tam præsenti periculo, & Medicus necis illatæ suspicionem incurrat, & æger viribus extinctis, Medici culpâ intereat. His abunde constare videmus, febris pestilentialis internam causam, in humorum putredine minimè consistere. Et sic negatiua vera esse videtur.

1. Affirmatiuam quæstionis partẽ vetustiores

vti frequent[illegible] [illegible]edici, tàm Græci quàm A[illegible] [illegible] etiam Neoterici, quibus ſanior mens eſt, amplectuntur, qui omnes à corruptis humoribus, febrem peſtilentem internam cauſam aſſumere, prodiderunt. Humores enim præter ſimplicem putredinem, alienam quoque ex corruptione perniciem contrahunt, venenatam nimirum. Hi enim vel ſponte ſua, eò interdũ vetuſtate ſenſim degenerant, vt atra bilis, praſsina, cęruleáve putreſcentes, vel vitioſi cibi atq; potus, quia ſunt cuiuſdam veneni participes, venenatam qualitatem induunt, & naturæ ſuæ ſimiles humores proferunt. Hanc luculenter nobis Gal. 6. locorum aff. deſcribit, vbi corruptum ſemen veneni naturam induere, ſæuiſsimaque accidentia, vt conuulſiones, ſuffocationes & ſimilia proferre comprobat. Quòd ſi à ſeminis tam benigni & vtilis excrementi corruptione, tanta vis veneni exſurgit; Quid mirum, vitioſos humores noſtri corporis, extrema putredine, in venenatam qualitatem abire.

2. Quid quòd in cane rabido, tanta ſit humorum putredo, vt vel ſolum ipſius ſputum nos in extremum periculum adducat. Si igitur humores in perniciem ſummam & venenatam degenerare poſſunt, febremque peſtilentem à venenata qualitate oriri, omnibus in confeſſo ſit, certè ab humorum corruptione febris peſtilẽtis internam cauſam dependere, aſſerere non dubitamus.

3. Huc accedit, quòd à melancholico humore putreſcente, plerique hanc luem prouenire opinantur. Quàm ſæua enim & exitialia ſymptomata, hæc putreſcens inferat, Gal. libro de atra bile, ratioque ipſa oſtendit, quæ in quamcunq; corporis partem effundatur, eam vlcerando erodat, vnde Rodens dicta, quę Cancros, Pſoram, Lepram, & alios morbos, quos nec Æſculapius ipſe curaret, (aliqui autem imaginatione ſe curare poſſe ſibi perſuadent) excitat. Quis dubitat à tam pernicioſo humore venenatam naturam induente, febrem illam ſuboriri poſſe, quæ & pernicie & contagio, reliquas ſuperet? Quid quòd accidentia ipſa peſtis, huius humoris naturam indicant.

4. Nónne Mania, furor, in quo portentoſa rerum ſimulachra, ſpectare ſe putant, vulgò das daub Hauptwehe/ Anthraces, Carbones, Stigmata nigra, Exanthemata, Ecthymata, Puſtulæ, Liuores, Vlcera cruſtoſa, quæ omnia continuò in hoc morbo erumpunt, an non hæc materiam atræ bilis referunt, ab eaque peſtem oriri, hos veluti characteres exhibent.

5. Huc facit ſimilitudo huius febris cum quartana in horrore, debili calore, vomitu nigro.

6. Adde quòd Autumnus peſtilens dicitur, in quo atra bilis dominatur.

7. Huius rei ſuſpicionem augent, cauſæ antecedentes harum febrium, vt cõiunctiones planetarum cum Saturno, item bella, annonæ charitas, quarum neceſsitate adacti homines, leguminibus aliiſque ſuccum melancholicum gignentibus, veſcuntur.

8. Dein peſtis tempore mœrores, timores aliaq; animi pathemata, ſpiritus abſumpti, ſanguinem incraſſant, & melancholiæ gignendæ materiam aptam præbent.

9. Idem confirmat, quòd melancholicos timidoſque peſtem expaueſcentes, primùm corripit, præterit autem eos, qui melancholiâ poſtpoſitâ conſtanti animo, diuinis promiſsionibus freti, aut etiam ſuis pręſidiis nixi, hanc contemnunt, & licèt periculo expoſiti, vicinum ipſorum aërem, inſpiratione attrahentes, & per tactum perſpiratione recipientes, impunè tamen diſcedunt.

10. Ex his conſtare videtur, à melancholico humore corrupto, præcipuè hanc luem prouenire, non tamen inficias eo, à reliquis humoribus corruptis ſimilem febrem excitari, quæ tamen pernicie longè inferior ſit. Hinc calida & humida corpora, putredini apta, qualia infantum, plerumque hoc morbo conflictantur.

His argumentis ſatis firmum ratumque eſſe cenſeo, cauſam internam peſtis in humorum putredine conſiſtere. Nec me mouet illorum opinio, qui à ſpiritu Martis, veluti à Baſiliſco, corpora noſtra in emunctoriis vulnerari, & tanquam ſagittis configi, ſcripſerunt, nullam patientis aptitudinem, in actu ſuſcipiendo requirentes, atque adeò nec internam cauſam quærentes.

Verùm

Verùm ſolent plerumque rerum ignari, ad duo confugere, quod Galenus Eraſiſtrato exprobrat, qualitates nimirum occultas, & nomina obſcura.

Qualitatibus occultis ignorantiam excuſantes, & dum inaudita nomina arbitratu ſuo imponunt, obſcuritate fucum facientes. Hoc dum illi compendio ſibi viam parant, in perpetuæ obſcuritatis latebras præcipites ſe deuoluunt, & quaſi luce mentis ereptâ, denſam noctem ac tenebras ob oculos effundunt, diſſolutam ſine neruis & articulis rerum confuſionem, animo conſequuti.

44. *An venenata qualitas febrem peſtilentialem accendens in corpore humano gigni poßit?*

CVm de hoc quoque multæ diſſentaneæ opiniones habeantur, vt quæ verior eſſe videatur, indagare fuit propoſitum: Nam qualitatem illam vimq; peſtiferam, tantam ſtragem edentem, & citra diſcrimẽ in quosvis tam iuuenes quàm adultos & ſenes, tàm ſanos quàm ægros, tàm robuſtos quàm imbecilles ſæuientem, præter reliquorum quæ corpus alterant conditionem, venenatam & deleteriam eſſe, neque ad qualitatem aliquam manifeſtam referri poſſe, ſed occultam & abſconditã, nec niſi ex effectu cognitam, ſatis patet, vti & quòd extrinſecùs de corpore in corpus transfuſa, extra corpus alicubi originem trahat. Verùm an tale quoque venenum in corpore ex humorum putredine vel corruptione, vt plerumque creditum, gigni poſsit, non immeritò ambigitur, cùm tam multorum annorum decurſu, iu tot hominum millibus interdum peſtis nulla ſemina ſe prodant, interea tamen nihilominus tot vitia in humoribus, à quibus ſi inde peſtis prodire poſſet, illa in tanta hominum copia alicubi ſuſcitaretur, ſe offerãt. Magnum ſanè & hoc eſt argumentum, vt alia omittam, non ex humorum putredine, aut alio illorum vitio peſtiferam illam qualitatem exſurgere, quòd qui ex hac lue euadunt, pleriq; etiam citra medicamentorum vſum, & præſertim eorum, quæ corpus ab illuuie eiuſmodi expurgant, nihilominùs ſanentur: ſicuti illud & prius aliquoties regnante peſte, & nuper Am[illegible] mitoſa vrbem noſtram depopula[illegible] obſeruauimus, ſupra duo millia hominum, & in ſolo noſtro hoſpitali, quadringentos & ſeptuaginta octo, citra medicamentorum opem, ab hac lue liberatos euaſiſſe.

45. *An venena eiuſmodi, qualia ab externis corpus ſubeunt illudq́; inficiunt, in corpore etiam generari queant?*

VEnena eiuſmodi qualia extrinſecùs corpus ſubeunt, illudq́; inficiunt, in corpore neutiquam progigni poſſe, certũ eſt, idq́; non ſolùm in illis quæ manifeſtè ab externis corpori inferri cognoſcimus, veluti apud nos à morſu canis rabidi, in calidioribus regionibus ab ictu ſcorpij, aſpidis, cuiuſmodi venena non in corpore enaſci, ſymptomata enormia quæ ſuperueniunt, ſatis demonſtrant: Sed & in occultis venenis, quæ clandeſtinò corpus noſtrum inuadunt, vt in lue peſtilenti, venerea, qualitatem illam occultam nequaquam in corpore noſtro generari poſſe, cùm certis ſaltem in locis ſuo tempore extrinſecùs eueniant, liquet.

46. *An mentis functiones ventriculorum cerebri an ſubſtantiæ causâ afficiantur?*

QVòd principes animæ functiones, imaginatio, ratio ſeu iudicium vel apprehenſio memoriaque ſeparatim lædi queant, hoc practici ventriculorum diuerſitati adſcripſerunt, cùm in anteriore imaginationem, medio rationem, poſtremo memoriam formari, & prout hic ille've lædatur, has illáſve functiones quoque affici creditum ſit. Cæterùm cùm cauitas interna cerebri vna continuataque, nec in plures ventriculos diſtincta ſit, illaque potius humoribus excipiendis, quàm ſpiritibus continendis, ſicuti alibi dictum eſt, inſeruiat: Non eam, ſed cerebri ſubſtantiam, quæ vndique ſpiritu animali perfuſa, ſedes eſt animæ, prout vniuerſa, vel pars illius duntaxat aliqua læditur, & pro cauſarum quibus afficitur diuerſitate, nunc omnes ſimul, vel aliquas ſe-

vti frequent[illegible] functiones hasce lædi, asse- [illegible]

47. Quænam epilepticorum motuum causa?

EPilepticorum motuum causam ponunt Naturam morbo irritatam, vel deteriùs (vt alij) ipsum Morbum, dum expellere conatur, quod cerebro infensum est: sed cùm id quod naturæ molestum, eandem irritare quidem possit ad expulsionem, non verò eiusmodi ciere motus, opinamur, proximam causam motus deprauati, esse musculos inordinatè motos, à spiritu animali à cerebro in neruos inordinatè & impetuosè protruso. Hic enim solus, instrumentum est medium inter musculum (huic adiunge neruum) & facultatem mouentem: & prout spiritus in neruos variè effunditur, varij quoque apparent effectus; hinc in epilepticis perire potest sensus, remanere autem motus, quia cerebrum destituitur spiritu, quem tamen adhuc reseruant nerui. Cadunt autem Epileptici, non tam ob sensuum priuationem, quàm totius corporis derepentè & subitò ingruentem conuulsionem.

48. Quæ paralysis causa?

PAralysis duplex statui potest, vniuersalissima & particularis, illam vocat Apoplexiam, hanc simpliciter Paralysin. Apoplexia fit, quando humor præter naturam cerebrum circa basin, inprimis ad exortum spinalis medullæ, comprimendo (huc & cerebri residentia referri potest) spiritibus animalibus viam ad sensus motúsve organa præcludit. Non interim negamus, ventriculos cerebri aliquando, imò vel semper obstrui posse, non tamen eâ ratione, quòd spiritus animalis ex iisdem meare in neruos nequeat; inprimis cùm ratio dictet, spiritũ animalem per totam potiùs cerebri substantiam dispersum esse, quàm in ventriculis contineri. Et licèt illud demus, interim tamen apoplexia, non alia ratione sequitur, quàm ex nimiùm compressâ & grauatâ cerebri basi: ventriculos enim proximos esse ipsi cerebri basi, nemo nisi Anatomes ignarus nescit.

Particularis paralyseos subiectum & efficiens, lites mouent nõnullis, subiectum quidem agnoscunt nonnulli solũ Neruum, quidam cum neruo musculum simul, & rectè, sed si sumatur paralysis pro sensus motusq; læsione, quis non cutim aut membranam cum neruo musculóve partem affectam fatebitur? cutim quidem aut membranam subiectum læsi sensus, neruum verò subiectum efficientis, musculum symptomatis.

Causam agnoscunt efficientem, morbum conformationis obstructionem, angustiam & compresionem; posteriores duas admittimus, de tertia ipsa veritas dubitat. In neruo non potest fieri obstructio, quia neruus organum cauum non est: nec etiam patitur obstructionem ratione porosæ suæ substantiæ, eo modo, quo communis statuit opinio. Vult enim hæc, materiam peccantem in apoplexia à facultate expultrice è cerebri vẽtriculis in spinalem medullã expelli, ex hac in alios neruos: sed considerent, egregiam proportionem inter recipiens, neruum videlicet & humorẽ recipiendum. Nerui principium vel maximi, sunt plura eaq; tenuissima filamenta, adeò vt neruus secundùm principium, nil aliud videatur esse, quàm crassa & tenuis meninx, ratione corpulentię suæ; sed quomodo nobis imaginabimur, humorem per meatum talium principiorum neruorum vel spontè vel inuitè meare posse?

Omnis igitur paralysis fit, vel à compressione, vel ab angustiâ (intellige simul, si placet, apoplexiam.) Humor enim allabens ipsi neruo, eundẽ, si subsistat inprimis, comprimit, & quò minùs spiritus animalis penetrare posit, efficit, vt in apoplexiâ humor aqueus, dum nimiùm comprimit spinalem medullam, omnium sensoriorum collabitur vsus: si in leui apoplexiâ propellatur, defertur maximè secundùm superficiem spinalis medullæ, & quidẽ vel in vtrumq; latus, fitq; paraplegia, aut in alterum duntaxat, & suboritur hemiplegia: hîc si non subsistat, propellitur vlteriùs, secundũ ductum neruorũ particularium, donec tandem subsistens introducat paralysin partiũ illarum, circa quarum neruos subsistit, eos vel comprimendo, vel diutinâ morâ eos irrorando, & ad deferendum spiritum ineptos reddat.

49. Vn-

49. *Vnde dolor capitis, post narcoticorum vsum oriatur?*

POst opij vsum, postquam stupore soluto ad se redierint, caput illis non aliter ac si ebrij fuissent, dolere, sæpè notaui; Vnde & dolores capitis post vini immoderatum vsum, potius à vi illa narcotica quoque accidere, quàm vaporibus ex eo colligo, tum etiam quòd non eadem ratione vaporosa reliqua, capitis dolorem inducant.

50. *Dentes an sentiant & doleant?*

DEntes non sentire, hisce argumentis probatur: Primùm, quòd cum ossei sint toti, ossaque non sentiant, nec dentes quoq; sentient, eoque minùs, cùm reliquis ossibus duriores solidioresque existant.

Ad hęc si reliqua ossa sensum aliquem periostij causâ, illic vbi eo obducuntur, percipiunt, dentes cùm eo destituantur, longè minùs illis sentire possunt, tantùm abest, vt exquisitissimo illo sensu cuius causâ immẽsus dolor illic oboritur, præditi sint.

Dein cùm nulla pars sensu tactus prædita sit, nisi neruus eam subeat, & in illius tunicas membranas & fibras dilatetur, nec dentes, in quos nerui minimè ingrediũtur, sentient, quod ex eo probatur, quòd neruus, cùm nudi ossis contactum non ferat, & proin ossium substantiam nullibi subeat, nec in dentium substantiam ingredi possit, eoque minus, cùm ea cæterorum ossium substantiam soliditate longè vincat.

Idẽ ocularis ostendit demonstratio, quòd nec quicquam in dente neruosæ substantiæ veræ inueniatur, fibræque, quæ in magnis dentibus inueniuntur, non neruosæ sed osseæ sint, reliquarum fibrarum ossearum instar, medullam aliquã continentes. Et quòd nullum foramen, per quod neruus dentem subire possit, in dente absoluto inueniatur. Cumque dens corpori non ea continuatione, quâ reliquæ partes inuicem cohærent, connatus, sed per gomphosin duntaxat infixus sit, non potuit neruus hac quoque ratione in partem corpori non verè continuatam disseminari: Nec quoque vim illam, quam dentes mordẽdo patiuntur, si in illis fuisset, pati & citra grauissimam offen[illegible]re. Vnde etiã dentes insensiles potiùs [illegible] sensiles, sicuti vngues esse debuerunt, qui eodem modo extrinsecùs infixi, impetum sustinere debuerunt, & sine sensu sunt. Et ne quidem dolor, qui in ea regione nascitur, & in ipso dente inesse creditur, dentiumque dolor ob id vocatur, sensum in dentibus esse probat, cùm hoc membranæ vicinæ vel gingiuarum aut periostij maxillarum causâ accidat.

51. *An Dentium dolor, læsio, corrosio aut corruptio à defluxione in dentem proficiscantur?*

SI in nulla alia ossa in vniuerso corpore defluxio fertur, hoc est intra ipsorum substantiam, vti nemo hoc asseuerauit, longè minùs in dentes, qui longè duriores solidioresque sunt cæteris ossibus, neque corpori adeò exactè intermediis ligamentis ab vno osse in aliud connatis iunguntur, sed per gomphosim solùm infiguntur.

Si defluxio in dentem ferri posset, etiam posset dens tumorem præter naturam pati, sed cùm in ossibus fieri omnes negent, longè minùs dens tumorem præter naturam pati poterit.

Nam quòd nodi in ossibus nascuntur, aut calli, non à tumore præter naturam, sed accrescente illi de nouo, fit materia.

Quando ossa in corpore vitiantur, vel corroduntur, aut alio modo læduntur, hoc ab externis iniuriis semper proficiscitur, à causa violenta, ea frangente, scindente, aut alioquin lædente, vel ab vlceribus ad ossa quoque penetrantibus, nec vnquam ab humore aliquo in ossa defluente hoc fit, & quæ ossibus quoque adnascuntur, ex congestione potiùs quàm defluxione prodeunt. Ita & dentes, cùm nudi iniuriis externis pateant, masticando, mordendo res duras, idq; continuò, item ab ingestis summè calidis, frigidis, ab illis potiùs dura hæc corpora frãguntur, finduntur, aut alioquin lędũtur. Si saxa aceto perfuso finduntur, nónne & hæc lapidescentia ossa sic, alióve modo possunt affici?

Vti & videmus illis non mundatis, à limo adhærente, à cibis & saliua profectis, dentes

vti frequent[illegible]ur [illegible] fieri, tophos adnasci, illisque [illegible] iisis & excauatis, cibos inhærere, [illegible] putrescentes, quod ex fœtore licet colligere, illos amplius excauant, corrumpunt, nigrosq; reddunt, radicibus adhuc integris, nec defluxionem vllam recipientibus. Dein & dùm dentes acie metalli præsertim mundantur, eos inde lædi quoque videmus.

Molares quoq; potissimùm, quòd hi lati, dùm in cibis conterendis plus diutiusq; laborant, citiùs atteruntur, quàm qui cibos tantùm abscindunt.

Nec dum quòd alueolos largo humore imbuant, vt dentes inde mobiles fiant, causam præcipuam esse putamus, sed quòd calore tandem exiccatis radicibus, atq; sic attenuatis, ex alueolis sine dolore excidant, vnde & in anterioribus, qui vnicâ radice eáque tenui nituntur, tantùm hoc accidit, minimè verò in molaribus latis pluribusque radicibus inuicem diductis nitentes.

Quod & dolorem à defluxione in dentem minimè fieri posse, satis demonstrat, vti & quòd dentes non sentiant, sicuti alibi demonstratum.

52. *An pulsus aurium ab arteriis?*

PVlsus & tinnitus aurium, sicuti à flatibus intrinsecùs auditus organum percutientibus frequenter accidit, sæpenumero ab arteriis in auris cauitate pulsantibus, proficiscitur; si, vt in ægris fit, calore agitatæ, velùti in febribus & cephalalgia, auriumque inflammationibus contingit, fortiùs pulsent. Quem pulsum soni quoque in auribus quietis tempore, maximè in aurem recumbentes sentiunt: qui si vehementiùs, vt in ægris fieri diximus, intendatur, impedimentum auditui affert, quòd strepitus interior, exteriorem sonum, quò minùs auris rectè audiat, impediat.

53. *Quænam fœtoris oris causa?*

NOn mirum multis os fœtere, non tantùm ob crapulam, nimiũ relaxato ventriculo, & pyloro, vnde vapor cadauerosus ab intestinis ad os vsque pertingit, vt in praxi ostensum. Sed & quòd os cibis alimentosis, plerunque qui facilè in fœtorem abeunt, interdum & fœtidum aut grauem odorem spirantibus, vt alliis, cæpis, caseo putri continuò inquinatur, à quibus diu odor adhuc ori impressus manet. Præsertim verò si cibi reliquiæ diutiùs in ore hæreāt, quod in dentium tot interstitiis facilè fit, præcipueq; si caui, fracti & inæquales, multa spatia habeant, tunc si per se fœtidæ sint, fœtore continuò exspirant, si alimentosæ, morâ putrescentes, tantum fœtorem concipiunt, vt vel minima portiuncula, totum os inquinet, tetra exhalatione, quod facilè si dentiscalpio interdum educatur, sentiunt, quam parua portio, tetrum expiret odorem. Nec mirum hoc accidere non tantùm dentibus erosis, sed & integris adhuc, cùm os, quod præ omnibus corporis partibus maximè eiusmodi ciborum reliquiis, imò humore abundat & commaculatur, non lauent, quod semper cibo sumpto, & manè & vesperi fieri, & sordes omnes diligenter elui, & è dentium interstitiis auferri deberent. Cùm & videamus alia membra minùs diu illota fœtere, vt pedes, & ab excrementis & sordibus in digitorum spatiis collectis. Minoré curam dentium & oris habent, quàm alterius plerique, cùm tamen adeò ex fœtore & corruptione dentium deformetur homo, aliisque molestus sit, vnde illorum potissimùm cura esset habenda. Cùm videamus sanum alioquin & pulchrum hominem, tamen turpem ex dentium vitio iudicari.

54. *An cartilagines, & ossa febrium calore quoque alterentur?*

IN febribus cartilagines, & consequenter etiam ipsa ossa intemperie calida affici, vti reliquas partes similares, in illis qui sensibus patent, cartilagineis partibus cernere licet, nimirum, quòd vngues ipsorum, si intensa sit febris & diuturna, circa radices, vbi molliores adhuc sunt, interdum admodùm exiccentur, atque subsideant, ita vt quãdo postea cùm crescunt, sub cute emergentes, se manifestent, impressio manifesta in ipsis deprehendatur, tam lata, quamdiu febris ardor illas siccauit, succedente

poſtea cùm febris remittit, vngue rurſum naturaliter eleuato & æquali. Pilorum radicibus quoque areſactis, accidit ſæpè poſt febres continuas & ardentes, vt defluuium capillorum patiatur, quod in conualeſcentibus ferè primùm obſeruatur, quando pectinare pilos denuò incipiunt.

55. An aqua immerſi ſuffocentur?

EOs qui aquis immerſi moriuntur, non quòd aquam affatim & nimiùm bibant, vti vulgò creditur, ſed quia ſuffocantur extingui, ſic probatur. Quòd aqua non niſi per deglutitionem ventriculum noſtrum ſubire poſsit, deglutitio autem, cùm motus ſit ex arbitrio noſtro pendens, cohiberi, ne fiat æquè in aqua, atque extra eam, nec ad eam tunc impelli poſsit, etſi fortè aliquid deglutiatur, in hac neceſsitate & agitatione, tamen parùm illud eſſe liquet, quod patientem tam citò interimere minimè valeret, ſicuti in ſuffocatorum in aquis ventriculis obſeruatũ à me aliquoties fuit, in quibus paululum aquæ fuit inuentum, eamq; aquam, quę inuerſo corpore ab illis, qui ex aquis extrahũtur, deſtillat, à veſtibus potiùs defluere certum eſt. Quamobrem quòd aëris per reſpirationem ab aqua intercedente, attractio impedita ſit; & cùm aër attrahi deberet, aqua illius loco in aſperam arteriam illabatur, cauſa ſuffocationis illius, illaque mortis exiſtit.

56. Phtiſis num à vena rupta?

PHtiſicos frequentiùs fieri ex venæ ruptura, quàm defluxionibus, inde colligo. Quòd ex vehementi nixu, qui cum ſpiritus retentione fit, qui onera eleuant, vel geſtant, vti lapicidæ, vel ex caſu, vt pueri, vel vociferatione, vt tubicines, in phtiſin frequenter incidant, quòd hæmoptoica paſsio ferè ſemper præcedat, quòd iuuenes ſani alioquin, eâ quoque & frequentiùs quàm ſenes corripiatur, & quòd ſi à cauſis internis, poſt alios morbos ſequatur, hoc plerumque à vehementi tuſsi, quæ diuturnitate vel violentiâ venas diſrumpit, proficiſcatur.

* * *

57. Excretio tußi facta, an [illegible] pitis defluente humore fiat?

PItuitoſam materiam, nunc crudam, nunc purulentam, nunc tenacem & viſcoſam, aliàs ſubliuidam, aliàs ſubuiridem, quæ tuſsi à ſenibus præſertim, & hyemis tempore excreatur, non ſemper à cerebri excrementis à capite in pulmones deſtillantibus, ſed ab excrementis quoque in pulmonibus continuò congeſtis, proficiſci, illud docet, quòd quemadmodum cerebrum propter vaſorum copiam continuò ſuperfluitatibus ſcatet, tunc maximè, quando ſanguis impurior eſt, cerebrumque imbecillius, ita & pulmones, quia vaſis innumeris conſtant, ſanguine omnino redundant, ſi cacochymia ſit corporis, continuò eiuſmodi excrementa colligunt, eaque è minoribus vaſis in maiores aſperæ arteriæ ramos protrudunt, è quibus dein vnà cum excrementis, defluxione hac delatis, tuſsi rejiciuntur. Huc accedit, quòd tanta copia pituitæ, qualis continuò exſcreatur, ſi à capite continuò in pulmones deflueret, perpetua tuſsi ob defluentem materiam, aſperamque arteriam titillantem, homo diuexaretur, præſertim ſi maligna, qualis ferè rejicitur, exiſteret. Vnde magnam illius portionem in pulmonibus congeri, atque eam, quæ à capite defluit tenuem, morâ diuturnâ in pulmonibus, mucoſam viſcoſamque fieri, iudicamus.

58. An pleuritis citra pulmonum inflammationem fieri poßit?

PLeuriticos quoſcunque ſecui, iis pulmones vitiatos eſſe deprehendi, eoſque plerumque tunicæ ſuccingenti adeò adfixos, vt non niſi lacerando diuellerentur, ex quo cœpi ſuſpicari in omni pleuritide vt & peripneumonia, pulmones quoque inflammari, & ſaniem & ſanguinem à pulmonibus tantùm, & iis ſuppuratis, pus quoque inde, non à thoracis ſuccingente, cùm illic tranſudare per integros pulmones non poſſet, exſcreari. Materiamque eam ex inflammatione pulmonum potiùs, quàm ſuccingentis colligi, & ſuppurari, tandem etiam pulmonum ſubſtantiâ illæsâ, aut eâ ſimul læsâ, pulmo-

vti frequenti[illegible] & sequi phtisin. Differre au- [illegible] [illegible]itidem à peripneumonia, dolore punctorio, quòd in pleuritide latus quoque in consensum trahitur, & inflammetur, non tamen adeò, vt pulmones, cùm tunica succingens sit tenuissima, proin & nihil inde expui. Vnde nihil à thoracis cauitate posse per pulmones excerni, nisi illis vitiatis & corruptis, vt in phtisicis videmus.

59. *In pleuritide vera, pleurá'ne sola, an simul etiam pulmo afficiatur?*

IN pleuritide vera, in qua nimirum excernuntur cruenta sputa, purulenta, huius vel illius coloris, quæ'nam pars afficiatur pleura'ne sola, an simul etiam pulmo, disputatur. Puto pulmonem inflammatum & affectum; omnia enim signa pulmonem affectum demonstrantia apparent in verâ pleuritide: ex sola namque, pleura inflammata sanguis tam citò, nec pus citra pleuræ exulcerationem, in pulmones, & ex his, per asperam arteriam ferri posset. Vnicum hoc repugnare videtur: pleuritis manifestum habet dolorem, at pulmo sine dolore inflammari potest, aut exiguo admodum, ergo. Huic rationi respondeo: Pulmones inflammatos, non omnino doloris expertes esse, prout nunc in hac, nunc in illa afficiantur parte, si in sola substantiâ, nullus vel exiguus adest dolor: si circa membranam pulmonum, dolorem necessariò sequi, & quidem distendentem, propter distentum corpus membranosum. Maximus verò oriri potest dolor, si pulmo in tantum distendatur, vt pleura, ratione fibrarum, quibus illa cum pulmonum tunica connectitur, afficiatur. Et huius connexionis medio, pulmonis communicari possunt affectus pleuræ & è contra; vt neque renuo aliquando pleuram solam inflammari posse, sed tunc pleuritis vera non oritur, sed spuria: hanc, si materia non discutiatur, sed suppurata non ad superficiem corporis feratur, sequitur empyema.

60. *An pus citra exulcerationem aut carnis consumptionem interdum generari poßit?*

NOn semper verum esse illud, vbi pus ibi vlcus, ex eo patet, quòd ex oculis pus crassum citra ipsorum exulcerationem in puerulis, & adultis sæpè prodit, & quòd purulentam materiam frequenter, senes præsertim continuò, qui tamen phtisici nō sunt, excreant, & quòd pus ex vtero citra ipsius vlcus in fluore alborum mensium, mulieres sæpè reddunt.

Quod ego non ex carne suppurata, vti in abscessibus fit, generari, sed ex humoribus sanguine præsertim, in hisce locis extra sua vasa, non tamen in spatia distantia, tunc enim grumosus fieret, excidente, illicque in in carne adhuc suppurato prodire, non tamen carne exesa, proficisci, existimo.

61. *Vtrum excretio per screatum, à saliua etiam procedat?*

SAliua naturalis adhuc, vti continuò cùm redundat, aut motu per loquelam commouetur, expuitur, & quæ tenacius & profundius hæret, screatu rejicitur; ita lenta, & excocta, nonnunquam & calore exiccata & denigrata, sicut in febribus excreatur: quam pituitam esse, & à pectore vel capite eò profectam, falsò vulgò autumant.

62. *An ventriculi vulgò putati doloris caussa semper lateat in ventriculo?*

VEntriculi dolori multi subiecti sunt, præsertim eo tempore, cùm concoctio iam facta est, vt post mediam noctem, & ante cœnam, quo tempore sentiunt distentionem & tumorem supra vmbilicum, cum tensiuo dolore, sæpè & ardore & nauseâ.

Cuius causam non semper in Ventriculo latere deprehēdi, sed in colo intestino, quod ventriculi fundo adnexum est.

Illud enim cùm excrementis turget & flatibus, vti ferè post concoctionem fieri solet, præsertim post cibos crudos vel crapulam, manè à somno excitatis, vel ante cœnam, vicinum ventriculum comprimens, dolorem hunc infert.

Præsertim si vel incumbendo antrorsum versus, vt fit dum scribimus, vel decubitu, vt manè fit antequam surgimus, vel arctiùs stringendo lumbos, aut ariditate excrementorum

torum, propter anfractum inteſtini recti, non pateat excrementis exitus.

Hinc ſtatim dolor ceſſat cùm ſurgunt vel ambulant, cingulum relaxant, erumpentibus flatibus. Qui cùm à colo deſcendant, illic latuiſſe credibile, nec ſubitò ex ventriculo hos per tot inteſtinorum ambages, delabi potuiſſe.

Aliàs enim ſi in ventriculo fuiſſent, per ructus erumperent, vel dolor ſtatim in concoctione moleſtus eſſet, cùm videamus iam vacuo ventriculo maiorem eſſe dolorem, excrementis & flatibus iam in colo collectis, & tanta illuuie excremẽtorum bilioſorum, vt etiam ventriculi ardorem inferant, & dolor in lumbis perſentiatur.

Hoc accidit illis, qui ſatis laudatum habent ventriculum, & multum comedunt & appetunt, poſtea ſi longiùs differant, dolorem hunc ſentiunt.

Hac ratione & medicamento catharctico ſumpto, rariùs dolor ventriculi ſentitur, donec iam humores & excrementa in colum perueniant, tunc primùm ſentitur torſio, & nauſea, & ſtatim ſequitur excretio, quâ factâ ceſſat dolor, donec iterum collecta materia in colo, dolorem hunc excitet, qui ſemper pręcedit ſedes, in purgationibus. Qui certe ſi in ventriculo eſſet, fieret potius ab initio, præterea non ſtatim per aluum facta excretione, ceſſaret, & murmur procederet. Non eo inficias, accedere quoque ventriculi imbecillitatem ſæpe.

63. Cur mictio frequens & acris, nonnunquam & cruenta à Cantharidum eſu & applicatione?

CAntharides aſſumptas vrinam calidam acremque reddere, frequentemque mictionem eamque interdum cruentam cauſare, veneremque ſtimulare, experientia teſtatur, quod non aliunde, quam ab acri ipſarum qualitate, caloreque ſummo, quibus ſerum inflammant, acreq; reddunt, vnde dein veſica irritatur, parteſque Spermaticæ ſtimulantur, reneſq; eroduntur, & veſica, proficiſci tum illud, quod extrinſecùs admotæ inflãmant & exulcerant, tum quòd alia acria calidaq; idem præſtent, ſatis comprobat.

Veſicatorium ex cantha[illegible] Empiricus quidam puellæ, quæ faci[illegible] ſacea dicta, laborabat, in ſcapularum [illegible]ne, ſub noctem applicuiſſet, pręter magnum cruciatum quem perſenſit, per totam noctem, cum ſummo vrinæ ardore & ſtillicidio, continuò mingere, donec veſicatorium rurſum amoueretur, coacta fuit, inde mira illa vis cantharidum, quàm non tantùm aſſumptæ, vti dictum, verùm etiam admotæ, extrinſecùs etiam in diſtantioribus locis, in veſicam exerunt, manifeſtè deprehenditur.

64. Quæ ardoris vrinæ cauſa & cura?

QVi ardori vrinæ obnoxij ſunt, ex acrimonia vrinæ facilè eum patiuntur, quando diutiùs vel ob pharmacum ſumptũ, vel aliàs frequentes deiectiones aut duras, diutiùs in ſella ſedere coguntur, tum quia membrum illis refrigeratur, tum quia in conatu illo dejiciendi, ſæpè vrinam quoque ſtillatim fluentem exprimunt. Hi præcauebunt hoc, ſi mox, in prima egeſtione ſolutâ vrinâ, induſio vel pannis aut puluinis, calidis præſertim, membrum obuoluant, & ne refrigeretur muniant. Sic enim etſi diutiùs ſedeant, non tam facilè offendentur. Quo nomine & inſeſsiones, quòd inferiores hæ partes calefiant potiùs, quàm alio nomine, tam citò in ardore vrinæ iuuant. Cùm vix niſi refrigerato membro virili, quod tunc ſummè frigidum eſſe ſentitur, vnde Kaltſeich Germani vocant, accidat.

65. Quænam alui fluidæ, & excretionis illius cauſſa?

QVibus iuuenibus aluus humecta eſt, illis ſeneſcentibus exiccatur, inquit Hipp. Quam illius obſeruationem, in me ipſo veram eſſe deprehendi: Cui in iuuentute aluus aſtricta admodùm erat, nunc ſeneſcenti, quàm citiſsimè laxatur, & dyarrhœa frequenter, ex leui etiam errore cibi & potus, ſuperuenire ſolet, per quam & bilioſę & mucoſæ fiunt deiectiones, corpuſq; alleuiatur.

Accedit & hæc ratione ætatis, facta in excretione per vrinam mutatio, quòd qui iuuenis ægrè vrinam in conuiuiis retinere potuerim,

[illegible] ...escens facilimè & sine motui frequen[illegible] retineam, vixque multis post ho[illegible] ...cessiuè, totam reddam. Verùm & naturæ mirabilem illum ordinem in me obseruaui, quòd quando ob conuiuia, quibus diutiùs interesse cogor, diarrhœa sequitur, non priùs facultas expultrix excitatur, aut me ad excernendum impellit, donec ferè domum reuersus, in medio sum itineris, vel ædibus propinquus, quo tempore, vno impetu insurgens, adeò me impellit, vt vix aluum, donec domum reuertar, retinere possim: Ac si prouida natura, non priùs opus, donec locus esset ad excernendum idoneus, aggredi vellet, & pudoris & honestatis rationem haberet. Adiuuante forte & consuetudine, cùm hoc mihi iam diu familiare sit. Cuius causa & fit, vt quoties à cœna in hortum suburbanum deambulatum progressus sum, ferè ad excretionem quoque quæ aloquin non vrgere soleret, exciter.

66. *Humor melancholicus adustus, sit'ne causa Elephantiasis?*

ELephantiasis ab auctoribus cancer generalis, ad differentiam cancri particularis dicti, vocatur. Vtriusque causa efficiens (si placet dicas causam materialem ex qua, licèt hæc vel in nullis morbis, vt multi volunt, vel paucissimis reperias) est qualitas quædam occulta, perniciosa & venenata, quam ad certam qualitatem referre non possumus.


Venenum verò hoc certæ alicui parti cõmunicatum, ita illius naturam inficit, vt alimentum postea vel optimum (intelligas hoc idem de elephantiaseos causâ; imprimis, cùm elephantiasi correptorum sanguis diligentissimè consideratus, nullam labem habere deprehendatur: etsi forsan arenulæ in eodem appareant, puto tamen hoc rarum quid & accidentarium duntaxat, longè aliâ operante causâ) in peruersam suam naturam conuertat; & hoc videre est ex eo, quòd ab initio sensum ferè effugiens, semper crescendo augeatur, donec tandem ruptus, augeri nequeat, tunc cùm sanguine virosum, liuescentem, viridem & alius coloris emittit humorem; proin in cancro non vtamur medicamentis suppurantibus aut emollientibus: his enim neglectis, æger diutiùs & commodiùs superstes esse potest.

Originem huius veneni statuunt humorem melancholicum. Sed cùm neque ab atra bile naturali, nec præter naturam fiat, non vero similis hæc opinio: si enim fieret à bile atra præter naturam erosio, nigredo in prima inuasione se manifestaret, quod tamen non fit, sed apparet cancer instar substantiæ carnosæ, sine omni ferè dolore. Non fit à bile atra naturali, nullæ enim inflammationis notæ, nulla signa huius sanguinis apparent.

Proin putamus venenum hoc per contagium corpus haurire, siue fiat contactu indiuidui cum indiuiduo, aut etiam intra corpus sumpti veneni, & à Natura in partem debiliorem propulsi: & hinc particularis cancer magis affligit, quàm vniuersalis, quia in hoc venenum magis dissipatum, in illo magis vnitum est.

67. *Conualescentium marcor, debilitas, appetitus & constipatio vnde?*

COnualescentes à morbo aliquo acuto vel diuturno, si præter marcorem & imbecillitatem corporis (quæ duo hisce morbis solutis ferè relinquuntur) aliàs integrè restituti sint, cibum auidè plerumque appetentes, excrementa sicca duraque cum difficultate, tam diu ferè, donec ad pristinam corporis carnositatẽ, vel etiam ampliorem (habitiores enim interdum fiunt) redeant, regerũt. Quod ipsis, quia corpus succo exhaustum, à chylo humorem omnem vtiliorem, ad corporis refectionem exsugit, accidere, tùm quòd excrementa licèt dura, nihilominus benè concocta & naturalia alioquin sint, tùm quòd liquidioribus cibis sumptis, fluidæ tamen vix dum fiant excretiones, euidenter comprobat.



SIMEIOTICÆ.

68. *An ne pulsus & Vrina eam quam vulgus illis tribuit, in morbis cognoscendis certitudinem habeant?*



CVM signorum tractatio maximè sit apud Medicos necessaria & operosa simul, earumq; incertitudine coniecturalis & dubia fiat nostra ars, non abs re fore duximus, de horum recto & vsu & abusu disserere. Inter quæ cùm vulgus maximè vrinarum iudicium expetat, impostorum artibus & consuetudine quadam deprauata seductum, ita pulsibus præ cæteris fidunt & credunt, neglectis interea veris & indubitatis morborum inditiis & obseruationibus.

Nam cùm signa, quæ nos in abditi alicuius in corpore latentis morbi, vel causæ illius, vel loci affecti cognitionem ducunt, Demonstratiua dicta, inter se varient, quòd alia ex iis sint certa, morbo alicui propria, alia verò incerta, quæ per se sola nihil significant. Vulgus vt ferè omnia corrupta sunt, incerta pro certis, ea quæ dubia pro indubitatis, & quæ communia sunt, pro propriis seligunt, obseruant, iisque plurimùm tribuunt. Cæterùm signa omnia desumuntur ab iis, quæ in morbis sub sensus cadunt, vt sunt causæ morbum prægressæ euidentes, ambientia, assumpta, corporis motus & animi. Hæc enim sunt quæ coniecturam aliquá Medico præbent, à qua causa morbus sit ortus, causâ dein cognitâ, ex illius natura, Morbi genus & sedes aliquando deprehenditur, sed admodũ obscurè, præsertim si morbus nõ repentè, assumpto aliquo, vel admoto irruat, sed sensim & pedetentim, vt ferè fit, inuadat. Et hæc dicuntur & signa & causæ.

Certiora longè his sunt, effectus apparentes, qui morbum sequuntur, accidentia symptomata dicta, ex horum enim natura, & sedes morbi & morbus facilè agnoscitur, licèt in abdito corporis penitus sit inclusus. Talia autem vel in corpore ipso, vel in iis quæ à corpore procedunt, reiectis quibuscunque præsertim excrementis, existunt.

In corpore sunt varij motus, sub quibus animi motus comprehendi [illegible]ione [illegible] tus actiones seu functiones vo[illegible]us [illegible] cùm à corporis partibus tanquam [illegible] mentis & organis obeantur, certè læsâ aliquâ actione, siue sublata sit penitus, siue imminuta, siue alia ratione deprauata, ex actionis læsione, partem illam affici, quæ actionem illam edebat, non tantùm conjicimus, sed & certò scimus, morbumque simul ex ipsius functionis ꝓprietate deprehendimus.

Itaq; si hominis Animalem functionem offensam videmus, vt in Delirio, Sopore sensu & motu, vt fit in Stupore & Resolutione membrorum, & Conuulsione, statim cerebrum affici, tanquam partem principem, & in hisce neruos quoque Musculosque, qui motum voluntarium edunt, lædi, certissimis hisce argumentis, nixi, statuimus. Quin & morbi speciem ex natura horum cognoscimus, maximè verò Dolor qui est deprauatus sensus tactus, nobis locum dolentem, quasi manu ostendit, ipsiusque proprietas, morbi speciem, cùm is sit qui præ cęteris sensus nostros maximè feriat, perturbet, dirisque cruciatibus exagitans, facit vt & bruta animalia muta, dolorem indiciis quibusdam ostendant. Ita quoq; vitali functione laborante, si respiratio imminuta sit, in dyspnœa, si deprauata in stertore: Si Pulsus alteratus, maximè si animi deliquia, syncopes inuadant; Hîc cor ipsum; In illis Pulmones, vel neruos, qui pectori conferuntur, inditiis hisce, morbo teneri iudicamus.

Ita naturalibus functionibus, si appetentia sit prostrata, si vomitus, nausea infestet ventriculum. Si sanguificatio non fiat, hepar, vel alia ratione, si attractrix, retentrix, concoctrix, expultrix, lædatur functio, eas partes quæ illas obire debebant, ægrotare, & morbum simul agnoscimus.

Verùm non tantùm actiones hæ in corpore obseruantur, sed & alia accidentia, quæ corpori accidunt, & Visu cognoscuntur, vt colores, Tactu, vt qualitates primæ & secundæ, Auditu vt murmura, rugitus, Olfactu, vt odores: Gustu, vt praui sapores. Ex iis inquam, tanquam veris internuntiis, Medicus latentes morborum sedes, causas speciesque inquirit.

vti frequent[illegible] itaque motu, vel accidenti[illegible] desumit Medicus, & secundo lo[illegible]s quę Rejiciuntur : siue partes & portiones sint corporis, vel humorum vtilium : siue excrementa eaque vel naturaliter, vel præter naturam in corpore collecta, reiectaque, vti ex sudore, fœcibus, sputo & vrinis, ex quibus omnibus partes eas, à quibus hæc procedunt, cognoscit, ex sudore humorum totius corporis constitutionem, ex fæcibus ventriculi & intestinorum, ex sputo, Thoracis vitia depromens: Ex vrinis verò renum, vesicæ & quia à sero procedit, ventriculi, hepatis, & venosi generis rationem, diligenti indagatione cognoscit. Hæc est vera & legitima morbos inuestigandi ratio, quæ vt fallere non potest, sic in abditarum rerum cognitionem nos deducit. Neque vnum aliquod signum existit, in quo vniuersum corpus veluti immersum, vndique cognosci posit, vt de vrinis somniant, neque vnius functionis læsio, de totiùs corporis dispositione, vt pulsibus quidam tribuūt, iudicabit: sed vt hac de re pluribus agerem, mouit me vulgi indocta & peruersa opinio, in multis morborum non tantùm signis, sed & curationibus.

Hæc enim duo præcipuè, ex iis quæ Medicorum sunt, seligunt & obseruant ferè omnes cuiuscunque conditionis homines, & cum Empiricis signorum obseruationes, & curationis formulas quasdam, per manus quasi traditas, communes habent, vt vix aliquis inueniatur tam rudis & imperitus, qui non in morbo aliquo suum quoque afferat iudicium, consiliumque. Vnde non immeritò cùm nata esset quæstio ; Quam nam omnes passim artem tractarent exercerentque, appositè quendam, Medicam artem respondisse asseuerant. Cumque quidam experiundi causâ , templi foribus astans, oculo distorto, egrediente multitudine, à singulis consilium aliquod & remedium peteret, id ipsum fassus est, omnes in ea vrbe Medicinam profiteri, atque tam frequentes esse Medicos indoctos, quàm pauci docti eruditique inueniantur. Cæterùm vt in curationibus vtplurimùm hallucinantur, sic in signis siue inditiis morborum, ad eam deuenerunt nostro sæculo dementiam, vt iis plurimùm tribuant , quæ incertissima sunt, & quæ certa sunt, vera, & infallibilia, negligant contemnantque.

Hinc factum, vt ex vrinis veluti ex speculo, non tantùm ea quæ foris in homine extrinsecùs apparent, sed & quæ in intimo corporis latent, tanquam per fenestram illam, qualem in hominis pectore, vt intima illius consilia voluntatemque per eam spectare posset, ille optabat, Medicum quoque in vrinis lynceis oculis cernere, omnia præsagire, cognoscere, soloque hoc inditio, contentum esse debere, imperiti, vtinam non etiam periti, falsò sibi persuadeant. Quin imò sexum, an mas sit vel fœmina, & plus eò, an virgo vel nupta, grauidáne, Ætatem item, an iuuenis vel senex, quot annorum, ex vrinis obseruari posse, credant. Et qui magis hisce insaniunt, vitæ etiam conditionem, an nobilis, ignobilis, ciuis, rusticus, aduena vel indigena, quid egerit, quid assumpserit, scire volunt. Quod exemplum illius satis comprobat, qui vt amissum asinum recuperaret, ex vrina Medicum consulens, ab eo medicamento priùs fortiter purgante exhibito, dimissus, dum in itinere moram trahens, casu asinum inuenisset, medicamenti viribus vim eam tribuens, Medicum infinitis extulit laudibus. Falsam hanc imperitorum opinionem hi fouent Medici, qui hoc scurrili dicto nitentes : Mundus vult decipi, ne imperitiores esse dicantur aut credantur, ouroscopi & euromantes fiunt, hancque vaticinandi ex vrinis artem sequuntur. Sed quàm facilè interim has artes exercentes, si quid astutiâ potius quàm subtilitate quadam consequuti sunt, natam de ipsis vulgi existimationem, rursum amittant, turpiterque se quandoque dent, id ostendit, quando grauidas, quæ non sunt, virgines, quæ corruptæ sunt, vt sæpè fit, stultè pronuntiant , seque deridendos omnibus propinant. Aut bestiarum vrinis delusi, dum fabula vulgi fiunt, pœnas temeritatis dant & audaciæ.

Maximè verò, qui Magicis artibus nitentes, spiritus maligni operâ, dum secretiora quædam proferunt, atque impiam hanc vati-

vaticinandi rationem, vrinarum prætextu, excuſant, vt hanc falſam de vrinarum certitudine perſuaſionem confirmant, ſic vulgus damnosè ſeducunt.

Ita factum vt iam non ampliùs in morbis cognoſcendis Medici præſentiâ opus ſit, modò lotiũ vel ante triduũ in vaſe ſæpe immundo aſſeruatum, vel aliunde aduectum agitatumque in promptu ſit, hoc ſolo ſufficientem morbi notitiam, Medicum habere debere & poſſe, magno errore credunt. In quo vt maximè deſipiunt, ſic in eo ſapiunt, quod ſic & Medici laboribus, & propriis ſumptibus, quibus in Medico accerſendo ſe grauare metuunt, parcunt, atque ſæpe vno ſolido, ſi modò liberales eſſe volunt, & prædictionem & curationem ægri mercantur. Quibus ſanior paulò mens cõtigit: Hi quidẽ Medici pręſentiã exoptãt, verùm ea ratione, vt ſi modò pulſum tangat, ſtatim de morbis pronuntiet, quis nam & quæ illius cauſa ſit & origo, quis ſalutis mortiſve exitus.

Quorum ſi quid vel caſu & fortuitò, vel induſtriâ & ſolertiâ quadam, varia interim percunctando obſervandoque à Medico deprehenſum fuerit, idque pulſibus acceptum referat, vt ſiniſtram hanc ipſorum mentem ſeducit, ſic ex ſtultis inſanos facit. Nam quæ de Galeni in morbis deprehendendis ſolertia extant, vt minimè ex pulſibus deprehenſa fuêre, ſic induſtriâ ipſius potiùs, quam alio quopiam artificio fuerunt inuenta. Mulierem enim morbo detentam, noctesque inſomnes ducentem, neque morbi cauſam fateri volentem, cùm inuiſeret idem Galenus, pulſumq; contrectaret, forteque Pyladis iuuenis mentione factâ, ipſius pulſus fluctuaret, idque quotiescunque nomen Pyladis proferebatur, amore illius iuuenis dementatam mulierem, non tam ex pulſu, quàm enarratis inditiis (quibus & fortè faciei rubor, animi ſæpe ſenſus detegens acceſsit) magno aſtantium ſtupore ipſum deprehendiſſe, certum eſt.

Eadem ratione & œconomum, cùm vniuerſæ adminiſtrationis rationem reddere non poſſet, non morbo ſed mœrore confici, non tam ex pulſu, quàm aliis circumſtantiis & artibus, licèt in pulſibus obſeruandis fuerit oculatiſsimus, ſeſe obl[illegible]tione [illegible] giis gloriatur idem.

Quemadmodum & apud Glau[illegible] philoſophum admirandum ſeſe præbuit, cùm ægrotanti Medico, cuius pulſum tantùm contrectarat, neque quicquam adhuc de ipſius morbo percunctatus eſſet, iecoris affectum, aliaque dextri lateris ſymptomata, quæ ex cruenta deiectione caſu illi oblata, obſeruarat, ſtatim prædiceret. Quin imò quòd ęger pleuritide ſe laboraſſe crediđiſſet, ex hyſopi in mulſa decocto, iuxta feneſtram poſito, obſeruante id Galeno, & detegente, cùm in pulſibus hoc ipſum obſeruaſſe crederent, magnam apud omnes iniit & laudem & exiſtimationem. Atque vt ipſemet fatetur Galenus: Fortunâ potiùs quàm arte, magnam quibusdam laudis adipiſcendæ anſam ſuggerente.

Sed quàm parùm tuta interim ſit, inſtabiliſq; hæc diuinandi aſtutia, & quàm facilè ſemel comparata laus, in fine ſordeſcat, illius oſtendit ridicula fabula, qui cùm edoctus à magiſtro, cauſam omnem morborum illis imputare, quæ caſu ſe offerebant, quòd iis uſus eſſet, vel horum quid aſſumpſiſſet æger, atque ex eo ægrotare, idq; aliquandiu ſuccederet, tandem (vt erat parùm verſutus) clitellam aſini ſub lecto conſpiciens, aſinum ab ægro deuoratum, atque hanc morbi illius cauſam eſſe, omnibus perſuadere ſtultè conabatur. Ita ſanè Medicam artem proſtituũt, qui vrinis & pulſibus abutentes, ſub ſpecie veritatis imperitum vulgus ſeducunt.

Nec minùs & illi, qui inditia ab hiſce deſumpta contemnunt penitùs, remediaq; indifferenter morbis, nullis ferè obſeruatis ſignis, accommodant, indignum Medici exiſtimatione eſſe cenſentes, excrementa aliaq; corporis explorare inditia. Verùm in tanta animorum diſcrepantia, ſi rem rectè metiamur, fatebimur pulſum & vrinas in morbis quibusdam ſigna eſſe vera, pathognomonica dicta, quæ nobis & morbum & affectam ſedem propriè explicant: In aliis verò morbis incerta admodum eſſe, atque ad ea referri, quæ συνεδρεύοντα σημεῖα vocant, quæ per ſe nil, ſed collectione tantùm multorum ſignorum, certius ea, quę pathognomonica oſten-

[illegible],sed & in multis morbis ne vti frequen[illegible]m dici posse,demonstrabimus. [illegible] enim signa omnia desumãtur ab iis, quę vel morbos pręcedũt causis,vel eosdem subsequuntur effectibus,maximè functionũ læsionibus, & reiectis excremẽtis,pulsus ad læsæ functionis symptoma,vrina ad excrementa refertur. Atqui functiones si læduntur,ostendunt partem affectam tãtùm,à qua illæ functiones eduntur, excrementa verò, partium à quibus promanarunt constitutionem. Hoc posito cùm pulsus sit motus arteriarũ à corde prodiens,de cordis & arteriarũ constitutione tantùm,nec de aliis functionibus vllis,nisi fortè ex accidenti,iudicabit.

Hinc de cordis intemperie & imbecillitate (cùm his duobus tantùm cor nobilissimũ viscus affici possit) ac proinde de viribus ægrotantis vitalibus maximè,sua magnitudine seu paruitate,de cordis calore,sua celeritate propriè & per se, certum nobis pulsus adferet iudicium.

Vrina verò,cùm ex cibo liquidiore & potu in ventriculo & hepate in serũ transmutato,atq; inde cum sanguine in venas delato,suam desumat materiã, horum certè explicabit constitutionem,vti & earum partiũ, quas præterlabitur renum vesicæq; vitia,à quibus partem aliquam seu portionem desumens,certum nobis loci affecti fit inde inditium, vt quando arenulas rubras vrinæ commixtas videmus,à renibus,si albas à vesica promanasse, nobis constat : si sanguis reddatur,venas erosas vel apertas. Nec tantùm loca illa naturalia affecta, sed & morbi speciem sæpe vrina explicat,tum contentis, si pus mingatur,vlcus,si sanguis,vulnus esse illarum partium,colore item & consistentiâ, partium harum intemperaturas,obstructiones,concoctiones demonstrat & prædicit.

Sed præter has,vix quicquam absolutè de vitalibus aut animalibus partibus,nisi ex accidẽti, quatenus partes inuicem consentiũt, proferet. Licèt enim serum ab vniuerso corpore à renibus attractũ,vrinæ cõmisceatur, tamẽ ex maiorib. potiùs venis,quàm minoribus (vbi portio seri superuacanea sudore ferè exhauritur) iisq; ferè quæ circa vẽtriculum & intestina sunt,vrinæ copia prouenit.

Itaq; in capitis morbis,parùm vrinæ credendũ,nisi hi fiant per consensum ventriculi,tunc enim turbidę vrinę,quales iumentorum existũt,vt inquit Hipp.capitis morbos præsentes vel futuros denuntiant. Quòd si capitis affectus cõmunis illi sit cum vniuerso corpore,vt in febribus accidit,siue harũ fomes alibi,vel etiam in capite,vt in phreneticis lateat,tunc quidem vrinæ mutantur & rubent,cùm febris non tàm cor,sed & caput partesque naturales (vnde sitis) humores item in venis,excrementaq; ab his prodeuntia,accendat & inflammet.

Subtiliores aliqui vroscopi,diuersas vrinę partes pro situ variis corporis accommodarũt partibus, vt Astrologi sua signa cœlestia. Eminentissimam vrinæ partẽ,quam circulum & coronam vocant,capitis,mediam pectoris,infimam ventris,dextram hepatis,sinistram lienis dispositionem exprimere & quasi in vrinis nouũ hominem expressum, prædicant.Sed quàm illi nugentur id ostendit,quòd circulus cui tantùm tribuunt,nihil aliud quàm vmbra,quæ & in limpidissima aqua apparet,bullasq; ex agitatione quadã genitas,in se continet,quas etiam tam studiosè obseruant, existat. Sed & in pectoris affectibus,nisi hi febrem inducant,vt hecticam,vbi colliquationis signa in vrinis apparent,vel symptomaticam,vt pleuritis & peripneumonia, vbi ratione febris vrinæ rubent, nullam ferè aliam in reliquis vrina mutationem ostendit; Sunt præterea asthmaticorum & phtisicorum vrinæ sanorum vrinis similes.

Quemadmodum & in articulorum morbis,vel iis qui in corporis habitu existentes, partes maximè exteriores occupant. Ex multis duos tantum proferam morbos,qui cùm vniuersum penè corpus occupent, & quasi pessundent,tamen vrinis nullum manifestum , quo cognoscantur characterem imprimunt. In elephantiasi siue lepra, & lue Venerea,quam Gallicum morbum vocant, quis certam ex vrinis adferet obseruationẽ, cùm harum vrinarum nec substantia, nec color nec contenta,diuersum quid à sanorum vrinis possideant.

Qua igitur ratione sexum in vrinis distinguemus,

guemus, cùm in singulis ætatibus, pro ratione temperamentorũ, assumptorum, exercitiorum, vrinæ varient?

Sed grauidas cognoscere ex iis licet? Quasi verò fœtus vrinæ innatet, vt quendam mentiri non puduit, sed fœtus excrementa matris vrinæ permiscentur? Scilicet. Nónne vrina fœtus per vrachon ex vmbilico ipsius promanans, inter duas ipsius membranas toto gestationis tempore collecta, in partu primùm vnà cum fœtu prorumpit, neque matris excrementis vlla ratione permiscetur, vti neque intestinorum fæces, quæ in crassioribus fœtus intestinis, ad partum vsque asseruantur. Nónne in grauidis vterus ita conclusus, vt nihil neq; admittat neque emittat? nónne tantùm purissimus sanguis ab excrementis exquisitissimè repurgatus, ad fœtum alendum vtero confertur? Hæc cùm se ita habeant, tamen inepta vulgi increbuit opinio, vt Medicum imperitiorem esse dicant, qui id ex vrinis non possit deprehendere, quod ne ipsa mater quæ fœtum gestat, certò, donec fœtus moueatur, potest cognoscere.

Atque vtinam hæc tam constans & impressa multorum in animis de vrinis falsa persuasio, aliqua ratione eximi tandem posset, vt tantum laboris in explicando casu, quantum perquirendo iudicio ex vrinis impenderent, non ea esset Medicorum in vaticinando miseria & calamitas, quâ nos vulgus miserè & torquet & excruciat.

Ex enarratis itaque satis constare arbitror, in naturalium partium affectibus, vrinam maximè consulendam, atq; ita tamen vt plerumque sola, non aliis quoque adhibitis signis, quæ ex functionum læsione, dolore, propriè magis petuntur, incertum admodum fallaxque sit vrinarum iudicium.

Idem de pulsibus iudicium esto. Quare non vni alicui signo credendum, sed pluribus simul collatis morbi sedem, speciem causasque indagare, & de morbis statuere oportet. Horum enim incertitudo, nobis Medicam artem cõiecturalem facit, & morbo non plenè cognito, curatio erit vel nulla, vel planè peruersa, aut fortuita.

69. Vtrum ex vrina conceptione creditur, possit dijudicari.

VAnam vulgi opinionem de prædictione ex vrinæ inspectione, adeò hominum mentibus insitam, vt non solùm morbos omnes interiores, sed & alia in corpore latitantia, veluti conceptum, quin & externa quædam ex vrina iudicari posse, sibi persuadeant, alibi explicaui. Vtinam autem tandem res eò rediret, vt vulgus desineret Medicis tam importunè vrinam offerre, & Medici vulgo imperito ac superstitioso conniuere; Imò longè satiùs esset, primùm ab adstantibus magni momenti signa, ex functionum læsionibus petita expiscari, & tandem si qua necessitas exigat, ab excretis signa depromere, ac de morbis iudicare.

Cùm constet etiam in grauissimis morbis, peste videlicet, lue venerea, elephantica, &c. vrinam neutiquam ratione luis mutari, sed sanam prorsus conspici.

70. An circulus in vrinis seu corona vmbra tantùm sit?

CIrculum qui in vrinæ summitatis ambitu apparet, è quo Medici vroscopi capitis affectus præsagiunt, nihil aliud quàm vmbram esse, ab vrinalis circumferentia in vrina relucentem, hisce de causis permotus, asseuerare ausus sum. Quòd & aqua limpidissima, in eo contenta, eandem vmbram efficiat: quam & pictores, si vitrum quod liquorem continet, depingant, in adumbratione non omittunt. Cæterùm quòd in aliis vrinis latior, in aliis contractior, in aliis quoque coloratior diuersimodè circulus appareat, id quoque non ratione affectus in corpore, sed prout vrinæ superficies, vel capaciorem vel angustiorem vrinalis sedem, quę in medio ampla, supra infraque angusta habet, attingit, accidit, cùm angustior locus vmbram maiorem, latiorem proin circulũ, è contra verò amplior minorem efficiat.

Quæ vmbra vti in vase & humore lucidis, minùs fusca, sic in obscuris hisce, vel alio modo coloratis, magis vel nigricans, vel alio colore resplendens apparens, circulos non eodem modo coloratos profert.

vti frequent[illegible] iosa & frequens mixtio
abit[illegible] à fructuum esu.

[illegible] uctus humidi copiosam faciunt mictionem, vt cucumeres, melones, granata itē dulcia, reliquaq;, adeò vt qui sub vesperam iis liberaliùs vescuntur, noctu mictionis causâ sæpè surgere cogantur; hinc pueri lectum commingentes, ab iis arceri debent. Olus album primo verè erumpens, quod Germ. Rebkressich vocant, noctu in acetario sumptum, copiosissimam aliquoties mihi mouit vrinam.

72. An Eclipses ea portendant, quæ illis assignant Astrologi?

QVæ secundùm rationem & naturæ ordinem fiunt, non possunt, quemadmodum ea quæ casu & cōtra naturæ leges contingunt, tanquam portenta & monstrosa, eas calamitates, vt bella, annonæ charitates, terræmotus, aliáve quæ illis communiter attribuuntur, prædicere; Verùm eclipses naturales suas causas habere, & necessariò fieri, vel hoc sufficienter demōstrat, quòd quotquot futuræ sunt, quamdiu mundus stabit, astrorum periti, multis ante sæculis scire possunt, quorum & decursus ne horæ quidem minutum fallit: Et proin temerè & falsò Astrologi, ex illorum apparitione, tam multa prodigiosa excogitant, publicant, atque homines iisdem perturbant.

HYGIEINÆ.

73. An'ne homini ad sanitatem conseruandam, necesse sit, vti aliquando Venæ sectione, Purgatione, Balneo, Scarificatione, Vomitu?



CVm Medici officium sit, nō tantùm morbos sanare, verùm etiā præsentem sanitatem integrā, aut saltem aliquo pacto illæsam, aliquandiu cōseruare, fiatq; hoc causarū sex necessariarū, quas declinare nequim⁹, recto vsu & administratione: Vti Aëris nobis circumfusi clementiâ, assumptorum esculentorum poculentorumq; temperantiâ, Somni & Vigiliarum, Motus & Quietis, Excretorum & Retentorum moderatione, & Animi affectuum pathematumque repressione; Si in hisce causis, quæ nos circumstant vndique, & quas euitare non possumus, nullus error committeretur, aut alia extrinsecùs irruerent violenta, fortuita, accidentia, sanus homo eousque, donec absumpto humidi vitalis rore, extremum diem clauderet, permaneret. Hanc enim ineuitabilem fati legem, seu potius peccati pœnam, nulla ars, nulla vis, potest auertere.

Verùm cùm casu vel studio & nostra voluntate, voluptatum illecebris seducti & allecti, in illis peccemus sæpenumero, eoque nomine in corpore nostro, vel intemperiem vel illuuiem aliquam continuò cōgeramus, ne ea tandem redundans, morbos procreet, vt eam in sanis etiam adhuc exstirpemus, sicque morbos imminentes præcaueamus, siue plethora sit, siue cacochymia; euacuationes variæ, arte quadam ad naturalium euacuationum formam institutæ, excogitatæ inuentæque sunt, vt quod natura per se propellere nequit, Medici operâ, qui illius minister est, adiuuetur.

Vt sanguinis detractione per venam sectam, si plethorā natura per ordinarias sanguinis euacuationes, per menses, per hæmorrhoides, hæmorrhagias narium fieri consuetas, non sponte tollat; Purgatione quinetiam, si per naturales deiectiones, excrementa corporis crassiora non ejiciantur; Vel Balneo, si tenuiores humores per sudores & insensilem trāspirationem, non sponte natura moliatur educere; Vel scarificatione, cùm à parte nobiliore, vel quæ læsa est, humor ad aliam vel reuelli, vel deriuari debet, eumq; natura non sponte propellit, aut vomitu quoque, si in ventriculo hærens excrementum, à natura non per se sursum deorsúmve propellatur. De quorum quidem & vsu & abusu multa in medium proferenda sunt.

Nam quod venæ sectionem attinet, quâ nihil nunc magis consuetum est, quanti momenti sit rectè vsurpata, Gal. in libro de venæ sectione luculenter docet, ad sanguinis redundantias & plethoras, quæ ex intem-

perantia

temperantia assumptorum cōtinuò nascuntur, & otio immodico, in quibus duobus præcipuè error committitur, tollendas: quâ omissâ, sanguis facilè vasa disrumpens, hæmorrhagias parit, vel effusus in partes principes, illarum partium inflāmationes, pleuritides, phrenitides aliaque mala infinita efficit, vel in vasis retentus vel accensus, aut putrescens, febres acutissimas accendit.

Sed & quantùm noceat intempestiuus & immoderatus illius vsus, quotidiana ostendit experientia, ob quam fortè causam, Erasistratus phlebotomiam penitùs improbauit, & è schola Medicorum omninò exclusit, cuius discipulos ob id Hæmaphobos vocauit.

Videmus multos, venâ nunquam sectâ, aut sanguine ea ratione prouocato, nihilominus ad ætatem longæuam vsque vixisse, è contra multos ex repetita toties veris & autumni tempore venæ incisione, ante ætatem consenuisse, & eneruatos inertesque factos esse. Quod & de Scythis recenset Hipp. qui vt nimiam obesitatem effugerent, id venâ sectâ post aures, auertere solebant, sed postea impotentes Eunuchorum instar & effœminati reddebantur. Nostro sæculo, & præsertim in Germania, adeò illius vsus inualuit, vt vix dum ex ephebis egressi, mox sanguinem per phlebotomiam detrahant, societatis vt inquiunt, potiùs quàm necessitatis causâ, & sic corporis incrementum impediunt; quia vt Poëta, succum pecori, & lac subduci agnis scribit, sic illis quoque nutrimentum, è quo corpus augeri debebat, ea ratione subducitur. Sed & senes septuagenarij exsucci effœti, & eam ætatem quoque prætergressi, decrepiti & pedem in cymba Carontis iam habentes, à venæ sectione minimè abstinent, mortemque propinquam accelerant.

Sed & error ille noxæ maioris causa quoque est, quòd nullâ mensurâ, nullo pondere sanguinem metientes, ad oculi tantùm captum, vel chirurgi placitum, vel hominum phantasiam, qui dum sanguis fluit, clamant, laßt lauffen/ & screatu & tussi illius impetum iuuantes, eum excutere, & totum ferè sanguinem profundere nituntur. Et quod ex chirurgi consilio, mox iterum a[illegible] miam redeunt, eamq; repetunt, potius [illegible] stum Chirurgi sic iuuantes, quàm propriam vtilitatem promouentes.

Sed & non minùs consuetum est, ad sanitatem conseruandá, corpora purgare. Cùm enim ex immoderatione & crapula, & propter otium intermissumq; exercitium, non tantùm sanguinis exsurgat redundantia, quod in sanguineis & bene habitis tantùm fit, quam venę sectionem minuere diximus, sed & ab iisdem causis praui humores, & magna excrementorum sentina colligatur, non tantùm in primis viis, sed & in vniuerso corporis habitu, quæ certè natura per ordinarias naturales euacuationes, vix potest sola expellere, nisi Medici operâ adiuta id efficiat, magnum certè emolumentum accedit corpori, si cùm corpora eiusmodi illuuie redundare deprehendimus, ea purgantibus catharcticis exhibitis euacuemus, & sic futuros morbos auertamus.

Ob quam causam, peccatum quod in eo fit, illius rariore vsu, secus ac in venæ sectione, vbi frequentiore potiùs peccatur, committitur: Idq; quia vulgus fastidit pharmacorum, quæ palato aduersa sunt, vsum, faciliusque fert exiguam illam cutis pertusioné, quæ venâ incisâ fit, sine dolore, aut leui admodùm, quem commessatione postea factâ, quam existimant venæ sectioni necessariò subjiciendam, leniunt, eâque omnia excrementa etiam ventriculi & intestinorum expurgari, autumant.

Sed & in eo maximus cōmittitur error, quòd purgationem venæ sectioni præmittunt, error certè hominum mentibus ita infixus, vt vix hæc opinio illis eximi queat, cùm leui tantùm ventris lenitione, si aluus adstricta sit, præparari duntaxat corpus ad sanguinis minutionem deberet, purgatio verò primùm venâ sectâ & præparatis dein humoribus, rectè instituatur. In quibus cùm omnia sinistrè fiant, modoque præpostero, non mirum corpora catharcticis vehementer sæpè lædi, & in periculum venire. Nunc de Balneis.

Balnea, Vina, Venus corrumpunt corpora nostra. Hæc etiam recreant Balnea, Vina, Venus,

vti frequent[illegible] inquit ille. Quid quæſo magis con[illegible]um noſtris præſertim nationibus, balnei vſu? Quo infantes modò in lucem editi, mox à ſqualore in vtero matris contracto, abluuntur. Quo iam adultiores facti, ad tempus adoleſcentiæ vſque, non tantùm quando ſcabies vrget (agimus enim hîc de ſanis corporibus) ſed & voluptatis causâ, in aqua frigida profluente natare, corpusq; æſtu accenſum, recreare & refocillare, & in labris calidis, præſertim veris initio, ſedere gaudent. Quid quod iam ætate aliquouſque prouecti, & ſenes quoque non tantùm viri, ſed mulieres præſertim, niſi thermis calidis vtantur, eoque nomine tertio vel quarto anno magnis ſumptibus, laboribus & periculis peregrinationes, ſanitatis causâ, in Heluetiam, per alpes niuoſas, in Lotharingiæ vallem Plumbariam, aliaque Germaniæ loca, etiam procul diſsita, inſtituant, ſe diutiùs ſuperuicturos minimè putant. In quibus ſi non quoque pompam potiùs aliquâ & magnificentiam, luxum & otium voluptatémque, reliqua taceo, quærerent, non tanti errores committerentur. Quorum cauſa & immoderatione poſtea citiùs ſeneſcunt corporaq; eneruantur, & accenſo hepate, thermarum vſu, præſertim dum potu aquæ frigidæ mulieres, viri vino, calorem hunc reſtinguere tentantes, immoderateq; bibentes, viſcera lędunt, & hydropem, cachexiam atque tremorem inducunt.

Quid de ſcarificatione? Hæc non minima ad bene ſaneque viuendum præcautionis pars vna, pleriſque cenſetur, quo nomine cutem multis vulneribus variiſque in locis ſibi incidi, non tantùm qui cutem hirtam rigidamque habent, ſed & teneræ delicatæq; mulieres & virgines facilè patiuntur, doloremque hunc æquo animo perferunt, quo tamen perculſæ Galliæ mulieres (præſertim cùm ad ſcarificationem nouaculis chirurgi illius loci, cutẽ longis plagis incidant) eam dum ſanæ ſunt, vix admittunt, vti nec viri. Noſtris verò in regionibus, niſi hoc inſigni præſeruatiuo ſingulis menſibus vtantur, & hiſce vulneribus; veluti ſuperſtitioſi aliqui, Turcæ pręſertim, plagas ſibi inferendo, pœnitentiam faciant, non poſſe ſe diutiùs à morbis imminentibus tutos eſſe, exiſtimant. Cùm tamen illius vſu inconuenienti, homines poſtea defluxionibus in illis locis, ad quæ humores hiſce inciſionibus & adhibitis cucurbitulis cum flamma & ſuctione, quòd per vim trahant, & illic ſedem figere aſſueſcant, continuò & leui ex cauſa, infeſtentur & diuexentur. Præſertim (in quo etiam vehementer peccatur) ſi pectori, ſpinæ dorſi, aliiſque locis defluxionibus obnoxiis, cucurbitas affigant, eoq; ſanguinem alliciant.

Non poſſum etiam hoc reticere, quod An. 58. quo tempore Medicam artem exercere primùm incepi, ex inordinata ſcarificatione, inflammatione natâ, & gangræna poſt eam ſecutâ, viri aliquot in hac vrbe extincti fuerunt.

Iam de Vomitu: Si venæ ſectio, purgatio, balneum, ſcarificatio, etſi violenta nonnihil videantur, iuuant, eoque nomine explicanda fuerunt, nec vomitus erit reticendus, quibuſdam regionibus & hominibus conſuetus, non tantùm Gulonibus, de quibus inquit Auicenna, ſemel in menſe inebriari bonum, nimirum vt faciliùs vomant, quod tamen inter Chriſtianos ſummum debet eſſe dedecus, adeò ventrem implere, vt ne diſrumpatur, ſuam per ſuperiora cogatur ejicere crapulam.

Sicuti verò inhoneſtum minimè erit, humoribus illic congeſtis, antequam morbum producant, in illis præſertim qui aſſueuerunt, hac via eductis, grauiſsimos morbos, qui ex cruditate gignuntur innumeri, cùm primæ concoctionis vitium non emendet altera, auertere. Qua via & canes, non tantùm poſtquam ſe replerunt, ſed ieiuni, gramina longa acuta, non deuorantes, ſed os & fauces iis pungentes, vt ejiciant humores illic congeſtos, ſibi ipſis à natura edocti, medentur. Non contemnendum præſidij genus in peccato primę concoctionis commiſſo; cùm illuuiem ventriculi non tollat venæ ſectio, ſicuti verò vulgus imperitum, Medicos interdum de venæ ſectione, quæ ventriculum purgare poſsit, conſulunt, quibus ego, digito in fauces indito, id fieri poſſe, viam demonſtrare ſoleo. Dein quoq; quòd

excrementa ventriculi, longiore tempore, per purgationẽ deorſum deturbentur, quod per ſuperiora citò, neceſsitate exigente, perficitur.

74. An Temperantia, Exercitium, Alacritas, aliquid conferant ad producendam vitam?

QVantum ad ſanitatem conſeruandam, ſeniumque producendum, in bene conſtitutis alioquin corporibus, Temperantia, Exercitium & Alacritas conferant, ſcire iucundum cunctisque vtiliſsimum, ſummeq; neceſſarium, quibus ſanitatis propriæ (vti omnibus eſſe debet) cura eſt. In horũ trium mediocritate rectoque vſu, & animi & corporis conſiſtit ſanitas. Quod Poëta ille, vt Mens ſana in corpore ſit ſano, orandum eſſe, docuit. Hippocrates, dum inquit, Sanitatis ſtudium eſſe non ſatiari cibis, & impigrũ eſſe ad labores, quid temperãtia exercitiumque ad incolumitatem faciant, ſatis oſtendit. Alibi quoque hilaritatem animi ſpiritus recreare & refocillare docens, quantũ Gaudium ad diu, bene fœliciterque viuendum poſsit, ſufficienter demonſtrat.

Vulgatum ex Scholæ Salernitanæ iucundiſsimis atque vtilibus aphoriſticis verſibus hoc conſueuit exprimi:

Si tibi deficiant Medici, Medici tibi fiant,
Hæc tria, Mens læta, requies, moderata Diæta. Quibus ſummam totius ſanitatis, in Temperantia, Exercitio & Hilaritate, conſiſtere eleganter explicatur.

Quàm autem in hiſce pleriq; delinquant, Intemperantiæ, Otio, Animique affectibus indulgeant, naturamque bene alioquin affectam immutent corrumpantque, ægritudines accerſant, mortemq; accelerent, quotidiana oſtendit experientia. Plures enim Gulâ, Segnitie, Animique vel effræni impetu, vel mœrore, internecione tolli, quàm tribus alioquin crudeliſsimis vitæ humanæ hoſtibus, fame, bello, peſtéve iugulari, certum eſt.

Pleroſque quos ad perfectam maturamq; aliquam ætatem, ſeniumq; extremum, perueniſſe, vel legimus vel cognouimus, in hiſce immoderatiùs minimè vixiſſe, vel rariſsimè deliquiſſe, obſeruauimus. Ex[illegible] multa producere poſſemus. Omiſsis antiqu[illegible]ribus, recentiora gratiora erunt.

Vixit annos pœnè centum, nobilis quidam Fey nomine, qui gloriari ſolebat, ſe nunquam ex repletione ſtomachi grauedinem ſenſiſſe, ad ſolis exortum vſque nunquam dormiuiſſe, nec ira nec mœrore vehementiùs commotum fuiſſe.

Noui item Oſwaldum Berum, Medicum quondam huius vrbis eximium, piæ memoriæ, primum noſtræ Academiæ, poſt reformatam Religionem, Rectorem, qui Decani facultatis Medicæ officio multos annos functus eſt. Hic octuageſimum annum ætatis cùm ſuperaſſet, temperatiſsimè & hilariſsimè ſemper vixit.

Quis quæſo vnquam illum non alacrem aut affabilem vidit? qui res ſerias ridendo quoque tractabat, qui per vrbem incedens, cantabat; & licèt ſua quoque haberet, eaq; non exigua grauamina, & aduerſos quoque caſus fortunæ experiretur, illis tamen vel minimùm vel nihil mouebatur.

Omitto parentis mei piæ memoriæ, qui octuageſimum annum cum tribus, incolumis ſuperuixit, proaui qui centeſimum & vigeſimum ſextum annum attigit, ne propria laus ſordere videatur, temperantiam, exercitia, labores & alacritatem.

Sed relictis exemplis rationibusque, quibus innumeris & temperantiæ & laborum atq; animi ſedati cõmoda vtilitatesq; commendare poſſemus, ſaltem incõmoda, quæ ex horum ſiniſtro & immoderatiore vſu eueniunt, obiter attingamus, ab animi impotentis exorſi affectibus.

Quàm grauia his eueniant accidentia, vitamq; acerbam & breuem ducant, qui Mœrore & Triſtitia, ob res vel amiſſas, vel non conſequutas, contabeſcunt, vel metu & terrore rerum aduerſarum perculſi, contremiſcunt, vel concupiſcentiâ inordinatâ & immodicâ rerum, etiam laudatarum, vt ſcientiarum vel artium: Aut peruerſo appetitu vindictæ gloriæ, diuitiarum, mirabiliter ſe excruciant, amore flagrant, & odio premuntur, inuidiâ rumpuntur. Quàm grauia his corporis accidant pathemata, nulla

[illegible] non id patefaciat. Qui irâ vti frequent[illegible], laxatis habenis, supramodum [illegible]eruntur, in febres incidunt, tremores artuum, cordis palpitationes, conuulsiones patiuntur. Mulieres interdum abortiunt. In maniam & furorem rabiemque aliqui conuertuntur. Ex mœrore, melancholia, corporis tabes atque atrophia sequuntur. Quæ igitur dementia, ita ob res sæpè nullius pretij, quæ cum huiusce vitæ incolumitate, ne conferendæ quidem sunt, seipsum excruciare, vt & id quod reliquum vitæ est, ob res fluxas & caducas nobis reddatur acerbum, vt illi accidit, qui semper mortem metuit, sicque viuens assiduè moritur. Quid iucundius, quid salubrius, moderatâ animi tranquillitate ita se comparare, ne animus rebus prosperis nimiùm attollatur, aut aduersis deprimatur. Quod Horatius pulchrè hisce versibus ostendit:

Rebus angustis animosus atque
Fortis appare, sapienter idem
Contrahes vento nimiùm secundo
Turgida vela.

Sed quid de exercitio dicemus, cuius tanta est præ cæteris ad vitam diu salubriterq; transigendam vtilitas, vt hoc vnicum sit inter omnia, quæcunque sanitatem conseruant præcipuum, exercitatio corporis nimirum, quâ calor innatus in actum deducitur, vnde postmodum totius corporis actiones meliùs procedunt, & illius pabulum, humor scilicet primogenius augetur, nouasque vires adipiscitur. Quo & animi motiones referre possumus, quibus ingenium, iudicium, reminiscentia acuuntur, perfectioraque redduntur.

Vnde mirari satis nequeo, plerosque labores atque exercitia fugere, otiumq; potiùs appetere & sectari, atque vt eo indesinenter frui possint, omnes neruos intendere, varias artes excogitare, multa pericula subire, vt nimirum postquam opes corraserint, deinceps securi otiosique viuere possint. Quam ob causam, multi laborum pertæsi, sub prætextu religionis otium quærentes, monasteria potiùs opulenta & pinguia, quàm latibula nemorum, quibus aliquando vtebantur eremitæ, subintrant, vigilias, longas orationes, ieiunia, frigora interdum faciliùs quàm labores perferunt. Inutiles sanè terræ fuci, nec sibi ipsis, nec aliis nati aut vtiles. Cùm tamen otio nihil sit perniciosiùs, quo calor noster languescens, spiritusque ignaui facti, functiones corporis imperfectiùs segniusque perficiuntur. Vnde ignauiam, hebetudinem, obliuionem, stupiditatem, torporem, cruditates, excrementorúmque prouentum exoriri necesse est. Corpus graue, molle, pingue, iners fieri, suaque mole ad interitum ruere.

Superest postrema nunc ordine, sed efficaciâ prima & præcipua sanitatis fautrix, Temperantia, quæ etsi per se adeò sit commendata, vt nullius commendatione egere videatur, tamen ab ea maior pars declinat hominum, vt plures gula & venter, quàm gladius & infinita emissorum globulorum procella enecet. Ne enim singula quæ ab intemperantia procedunt mala, longiore oratione enumerem, satis erit hoc, quòd corpus humoribus repleat, atque excrementis impurum reddat, sordesq; ab ingluuie magnâ copiâ coaceruentur, & proin omnibus morbis humoralibus, excrementitiis dictis, & qui ex plethora & cacochymia gignuntur, qui infiniti sunt, præbeat originem.

Hinc vel seniũ immaturũ citiùs quàm ætas requirebat succedit, vel subitanea mors sequitur: vel saltem languores, dolores excruciant, functiones omnes segniùs procedunt & labefactantur, ingenium hebetatur, perit memoria, deficiunt sensus, omnisque corporis dexteritas, agilitas, promptitudo in rebus agendis tractandisque languefit.

Quæ etsi intemperantiam tam certò, quàm vmbra corpus sequantur, sicuti hoc in ægrotantibus indies experimur, tamen adeò ea vulgò inualuit, suauitas eius delectat, voluptas stuporem inducit, & quamdiu præsens occurrit, præteritorum malorum obliuionem parit, vt nullis legibus, nullis minis coërceri, nulli dolores, ærumnæ & molestiæ, nec pœnæ ipsius gehennæ, ab hac deterrere plurimos queant.

Sed ne ego nimiùm ab ea deterrendo, in Medicos, quorum intemperantia nutrix esse di-

se dicitur, iniurius sim, relictis iis, in Temperantiæ laudes longiùs excurrere desino.

75. *An subitanea refrigeratio corporis dum calet, periculosa?*

QVi calent, subitoque pectus, vt aërem frigidiorem admittant, detegunt, ventriculum denudant, grauiter sæpè afficiuntur, cardialgiam & animi deliquium patiuntur. Et qui in æstuariis sedent, & fenestram à tergo refrigerij causâ aperiunt, tunc aëre, ipsorum ceruicem, nucham dictam percutiente, in eadem pericula, incidere sæpè obseruaui.

Et dolores postea graues & perseuerantes succesisse, febresque sæpè sequutas. Periculosum enim est, corpus, quando admodum calet, subitò & affatim vno pluribúsve locis refrigerare, ob subitam illam mutationem, repercusionemque caloris. Quod post balneum euenire frequenter videmus. In quo si frigidâ perfundatur corpus aquâ, inflammationes & vlcera inde sequi, quotidiana ostendit experientia.

76. *An aqua solùm humectet, vel etiam simul, veluti vinum nutriat? deq; viribus vini.*

PLerisq; aquam omnibus viuentibus vegetantibusque summè necessariam, præter simplicem corporis humectationem & refrigerationem, intra corpus sumptam, nihil amplius efficere, nec ad nutritionem aliquid conferre posse, visum est. Quibus & quare id asserant, rationes probabiles minimè desunt: inter quas hæ reliquas vincere videntur, à substantia qualitatibusq; ipsius aquæ desumptæ. Quòd cùm aqua refrigerare credatur, illud verò quod nutrire debet, calidum esse oporteat, omniaque nutrimenta calida esse dicantur, ob alienam hanc in illa qualitatem, corpori alimentum præbere minimè queat, eoque minùs, cùm non solùm frigida, sed & inter omnia quæ sumuntur, frigidissima esse censeatur.

Substantia illius tenuissima, limpidissima, nullo succo, nullo crassamento permixta (quod ex eo quòd nullum sedimentum deponat, nulla in illa hyp[illegible] deat, conjicere licet, si modò pura, ne[illegible] râ, luto succóve alieno perturbata sit, quæ eam compositam potius quàm mistam reddant) illud idem innuere videtur; cùm ad nutritionem corporis materia solidior, ad deperditi nutritionem, seu illius quod de corporis substantia indies absumitur, reparationem, requiratur, quam aquæ inesse, nec sensus nec ratio comprobare videntur. Quæ duo maioris momenti argumēta, cùm sufficiant, non est quòd plura in medium proferam. Contrarium tamen qui affirmant, aquam scilicet non penitùs nutriendi efficaciâ destitui, non carent rationibus.

Primò, quòd aquam tantopere refrigerare, vti hactenus creditum est, non concedant. Cui & hoc accedit, quòd licet visus in aqua crassamentum hoc separatum minimè dijudicet, quia tamen huic sensui obiecta aqua, impedimentum quoque aliquod illi adferre deprehenditur, crassiore sui parte minimè destitui verisimile est. Quod etsi exiguum sit, tamen aliquid quoque ad nutritionem adiumenti adferre posse, credibile existit. Eoque magis, quòd sicuti ostensum, pisces solâ aquâ aliqui viuant: quod in Salmone, cuius intestina semper inania inueniri, piscatores vno ore asserunt, manifestè cernitur; & in piscibus, qui in viuariis inclusi, sola aquâ fontis fruuntur, ex eo sic se habere, probabile fit.

Quod cùm in piscibus fieri posit, quid obstabit, quo minùs & homo, licèt solâ aquâ sustentari nequeat, inde tamen in nutritione adiumentum aliquod accipiat, sicuti in morbis acutis & diuturnis, ægros diu sæpè solo potu, vel iusculis sustentari obseruamus. Vidimus quendam in hac vrbe custodiæ inclusum, qui vt supplicium publicum, morte spontaneâ, quam sibi consciscere voluit, anteuerteret, ab omni cibo abstinens, ad dies quatuordecim vsque, solius aquæ potu refectus; vitam adhuc retinuit, demumque primùm expirauit. Sed & hoc non reticendum est: Aquam solo calore & efferuescentiâ, etiam nullius rei permistione, vinositatem aliquam acquirere, sicque arte immutari posse. Vt non sit mi-

[illegible] externo calore fiat, illud iuti frequent[illegible]gè faciliùs in corpore, caloris natiuoiu[illegible] beneficio posse effici, aquamque adeò excoqui, vt corpori non solùm qualitatibus suis, ad alterationem ipsius inseruiat, sed & nutritionis causâ, tum quia vehiculũ succi, ad partes alendas, sit ὄχημα τροφῆς, tum quòd de substantia propria aliquid quoque conferat, aliquid momenti adferat.

Sed ne aquæ solius patrocinium suscepisse videamur, ad vinum nos conuertamus, illiusque vires insignes & admirandas scrutemur. In quibus indagandis tam occultis, de quibus postea agemus, quàm manifestis, qua ratione hæ procedant, multa in controuersiam quoq; veniunt. Nam cùm vinum aquæ vices, in potu ordinario apud plerosq; subeat, illiusq; continuus vsus, in siti restinguenda existat, illud æquè atq; aquam humectare, non immeritò existimatur. Verùm cùm & à vino corpus mox incalescere, omnesq; illius actiones vegetiores statim fieri videamus, vti calefacere, sic eadem quoq; mensura seu gradu, vt vocant, siccare creditur. Eoq; maximè, cùm interdũ adeò corpus accẽdat, tantopereq; inflãmet, vt non solùm actualis illius mador, ad sitim extinguẽdam minimè sufficiat, sed potiùs potẽtialis calor, cùm bibitur, ac si oleũ igni infunderes, sitim nouam & acquisititiam excitet, quâ cõpulsi, qui vino maduerunt, à potu vini tantũ abest vt satientur, vt potiùs ad sitim de nouo impellantur: Vnde postea siccitatis accidentia aliaque caloris, à quibus se diebus aliquot vix dum recolligere possunt, tot tantaque superueniunt.

Verùm vini temperaturam pro diuersa vini natura, plurimùm inter se variare existimo, quod vt credam, non solùm effectibus illius diuersis permotus, quibus nunc summopere corpus accendit, nunc parciùs illud facit, interdum vix dum calefacit, quandoque ventriculum potiùs perturbat & refrigerat: Sed etiam cùm per gustum rerum qualitates, teste Galeno, rectè iudicentur, & per vini saporem, temperamentum illius dignoscatur, illeque adeò varius sit, diuersum quoque in vino temperamentum inueniri, ex eo non immeritò colligo.

Ad quod cognoscendum, & odor aliquid adiumenti adfert, colorq; (vt in vini proba quam Cos esse dicunt, exprimunt) nõnihil opitulatur. Verùm quàm vini sapor non vnus, sed admodùm inter se differẽs inueniatur, quis nõ nouit, cùm vinum aliud post efferuescẽtiam (tunc enim rectiùs iudicatur) dulcedinem nihilominus seruet, vt in Creticis, Corsicis, Rhæticis, Burgundiacis & Alsaticis quibusdam videre est: Quorum dulcedo calorẽ illis inesse, eumq; validum, cùm odorem vehementem simul spirent, satis arguit. Dein & alia mediocribus magisq; excoctis, etsi dulcia minimè permaneant, & quæ vetustate præsertim omnem cruditatẽ deposuerunt, adeoq; se repurgarunt, vt aquosi succi nihil in ipsis inueniatur ampliùs, colore fuluo, fragrantiaq; eximia, calorem qui ipsis inest, satis produnt. Quibus etsi continuò eoque mero & solo in potu vteremur, iuniores præsertim & calidiores, id citra offensam, sicuti in aliis hæc citiùs, aliàs tardiùs se manifestat, minimè fieret. Sed quantum ab istis hæc vina differant, quæ acetositatem, postquam à musto deferbuerunt, vel ex sua natura mox habent, vel corruptione primùm adipiscuntur, atque acescunt, vel ex immaturis vuis expressa cruda permanẽt, sapor illorum acetosus satis comprobat, quẽ cùm refrigerare omnes fateantur, nos talia vina calefacere, nullo modo possumus asserere, sed hoc potiùs profiteri, sicuti in aliis fructib. permultis, cerasis, prunis, pomis, & maximè arantiis, quorum alia dulcia, alia acida, alia media dicta inueniuntur, illa calefacere, alia refrigerare, media tẽperata esse, omnes fatẽtur. Ita & in hoc fructu vitis, cuius tantæ varietates deprehenduntur, non minùs quàm in cęteris idẽ fieri, vt pro racemorũ diuersa constitutione & sapore, vinum inde expressum, quod dulce est, calefaciat; quod acidum, refrigeret, eoq; magis quo aceti sapori (quod refrigerare illúdque admodum, nemo negat) proximius est: quod & effectus illius, cùm calorem ventriculi infringat, concoctionem lædat, flatus generet, ventrem conturbet, dyarrhœas moueat, neruis vti & acetum sua frigiditate obsit, sufficienter comprobat. Ex quo & diluci-

dilucidum fit, illud vinum, quod inter hæc est medium, vinosoque propriè dicto sapore constat, vti neq; dulcedine vel aciditate pręualet, sed ex vtrisque mixtum, acido nimirū dulce existit, nec refrigerando, aut calefaciendo insignes vires exerere, sed temperatum potius esse, vtiliusq; ob id in potu consueto, ad sitim extinguendam, aliaque quæ potio commoda adferre debet, præstanda, vsurpari. Cùm sitis actuali potiùs refrigeratione & madore, quàm potentiali compescatur. Quæ vt omnibus liquoribus actu inesse potest, etiam in illis, quæ alioquin potentia calida sunt & sicca: Sic & in vino, etsi quoduis hac ratione sitim sedare possit, vtilius tamen illud, quod temperatum esse, ex sua natura dixi, vel si fortius sit, aqua dilutum tale fit, in consueto vsu salubrius minusque noxium existet.

Sed ad quam denuò reuertamur, illaque vinū diluamus, vt quod Zuingerus noster, piæ memoriæ carmine eleganter expressit.

Pallada ne rigid9 Mauors, Satyrive petulci,
Corrumpāt, puram Naiada Bacchus amet:

Nunc an aqua tantopere refrigeret, vel temperata potius sit, indagemus. Frigidam enim esse communis habet opinio; quod & rationi consentaneum videtur, cùm aqua nostra ad naturam elementaris aquæ proximè accedat, omnisque coloris & saporis expers sit; Experientiâ idem comprobante, cùm frigidam ex sua natura semper tactus eam esse deprehendat, ignem qui calidissimus est, restinguat, & sitim compescat; Nihilominus tamen etsi hæc insignem aquæ frigiditatem comprobare videantur, cùm illius continuo vsu non lædamur, an hoc ita se habeat, non abs re ambigere videbor, non eam ergò quæ vulgò illi attribuitur potentialem refrigerandi vim aquæ inesse, sed talem illius esse temperiem, & mediocritatem, & veluti medium quoddam in omni qualitatum exuperantia, quòd omnes qualitatum excessus possit suscipere, credimus; sicuti videmus id permistione illorum, quæ aliis qualitatibus prædita sunt, accidere, à quibus vel maceratione vel decoctione aqua vires exhaurit, illisque imbuitur, adeoque permutatur, vt tunc reuera potentiâ refrigerare vel calefacere, vel v[illegible] coctione [illegible] factionem humectare, & siccare [illegible] sicuti aqua marina, dicatur.

Dein & cùm aqua quam bibimus, vel saltem in iusculis, aut cibis humidis continuò sumimus, madorem corpori idoneum præbere debuerit, & in serum cōuersa, chylum, sanguinem excrementaque diluere, non frigidam, nisi quatenus actu talis, cùm ad sitim compescendam bibi debet, requiritur, sed mediā (vti diximus) naturam obtinere debuit, cùm si potentia frigida esset, illud minimè præstaret, visceraq; interna tandem continuo vsu læderet. Ob eamq; causam, si potentiâ agentem illi frigiditatem conciliare volumus, teste Galeno, aceti guttas aquæ permiscemus, aut alia frigida, vt lactucam & violas, in ea decoquimus: quod sanè si per se intenseque vt putant, refrigeraret aqua, superfluum foret, nec vlterius illis leuiter frigidis, frigus illius summum adaugeri posset, sicuti nec calor aquæ calidissimæ, tepidæ aquæ permistione augetur, sed potiùs retunditur.

Et proin relictâ aquâ, ad vinum tanquam magis acceptum redeamus, illiusque vti priùs manifestas, sic nunc abscondítas & clandestinas vires indagemus: qua ratione nimirum inebriet. Quod sanè non vno modo, sed diuersis gradibus ebrietatis dictis, pro naturarum varietate, vini plus minúsve ingurgitatione facit. Vel enim exhilarat solùm, mentemque minimè perturbat; vel mentem alienando, lætitiam non veram sed acquisititiā, & si profusa sit, stultam parit: vel è contra in aliis tristitiam & melancholiam prouocat, aliis iram & furorem conciliat: Alios verò penitùs consopit, stupidósve & attonitos reddit. Quæ diuersæ vini operationes, quomodo ab vna eademque vini vi, eaque à manifesta qualitate dependente, vti voluerunt, prodire possit, valde est dubium. Plerique tamen à calore illius vaporoso, hæc omnia euenire, existimant, cerebrum adeò replente & accendente, vt fatuitas hæc vel dementia aut obstupescentia inde nascantur.

Hoc saltem pro colophone nostræ disputationis, dijudicandum relinquam. Cùm

[illegible] e alienationes & consternati freneses, quas vinum in ebriis conciliat, lætitia atque ira à calore, stupor, sopor & melancholia, à frigiditate, illisq; non nisi intensis, vti voluerunt, prodeant, diuersæque hæ qualitates in excessu vtrinque positæ, tanquam contrariæ in eodem subiecto, vino scilicet, simul consistere nequeant: quomodo vnum idemque vinum, diuersis in summo qualitatibus, diuersa hæc animi pathemata, non saltem in differentibus, sed & in vno eodemque corpore, sed mutua consequentia possit progignere: Ex quo vti ex aliis multis, aliam insuper præter calefaciendi vim in vino (quæ interdum vti dixi, vel nulla vel exigua est, & tamen inebriat) illud efficere, & proprietatem talem in illo, quæ tales effectus producere posset, inueniri, si vellem multis possem ostendere, eamq; narcoticam appellare non vereri, cùm & talis in aliis similibus, inebrians, dementans, stupefaciensque inesse deprehendatur, quæ si præsertim calori copulata sit, potentiùs agit, animumque potiùs exagitat & perturbat, quàm cõsopit, aliàs verò sola, saporem mox, stuporemque inducit. Quod in semine hyoscyami accidere, qui ceruisiam coquunt apprimè norunt, vtque citiùs ceruisia potentiusq; inebriet, illud in ea decoquunt. Idem Mandragoram, semen lolij, solanum furiosum, cicutam, si cum vino bibantur, facere, Dioscor. docet. Ex quibus & Americani potionem suam, quam Cauoin vocant, parant, sicque se inebriant, vti & fumo Hyosquiami Peruuiani, quem naribus & ore hauriunt, narcotico quoque idem faciunt. Quid quòd Turcæ, cùm in aciem prodeunt, vt temulenti audaciores & furibundi, pericula minùs metuant, opium cum vino bibunt, vti testatur Bellonius, ne opus sit plura in medium adferre, quæ hac vi idem præstant. Nec hoc obstabit, si temulentiam hanc aliam, quàm eam, quæ à vino nascitur, esse dicant, cùm certum sit, à vino non minùs quàm ab illis insanos homines, & non minùs stupidos, quàm si opium bibissent, reddi posse. Quod vt multis ostendi posset, sic hoc solo contentus ero. Non nego vinum moderatè sumptum, calore suo omnes actiones vegetiores reddere, & veluti in actum deducere, viresq; restaurare. Vnde tamen non adhuc lætitia illa quam adfert prodiret (vti neque alia calida tantùm hilaritatem causant) nisi vis illa mentem nonnihil obfuscans, quæ simul vino inest, obliuionem quandam laborum & molestiarum inducendo, vt minùs ab illis admoniti, minùs etiam anxij simus, alacritatem eam hoc pacto afferret. Quod postea immoderatiùs sumptum, quia mentis functiones ampliùs rationemque peruertit, non verum gaudium, sed stultam lætitiam, vel furorem aut melancholiam inducit, aut si ampliùs sensus internos externosque consopiat, soporem, aut penitus illis ablatis, stuporem parit.

77. *An in potu ordinario vinum lacti aut cereuisiæ sit præferendum?*

AN vinum loco potionis ordinariæ vsurpatum, corporis salubritati conseruandæ apprimè conducat, dubitatur. De illius ergò vsu disseram, ea tamen moderatione, ne vini suauitate delibutus, plùs illi quam in recessu habeat tribuisse videar, eosque quos alioquin dulce vini venenum continuò allicit, magis cupidos auidosque eius persuadendo reddam.

Nam si incommoda quæ adferre solet, commodis illius conferamus, quæ nam corpori detrimenta adferat, considerandum. Si enim quæ corporis sustentationis causâ continuò nos assumere cogit necessitas, non medicamenta sed alimenta esse, non alterare sed nutrire debent: vinumque medicamentosum sit, quomodo non frequens præsertim illius vsus, corpus destruet potiùs quam eriget?

Cùm omnibus in confesso sit, Vinum calefacere, eodemque gradu licet actu madefaciat, corpora exiccare, quod vt semper, ita maximè illud, quod naturâ potens est, vel etiã tempore antiquũ, id præstabit validiùs. Hinc non mirum iuuenilia corpora, vsu vini subinde accendi, febribus, inflammationibus internis, pleuritidi, phrenitidi, hepatitidi, aliisq; morbis calidis obnoxia fieri: Vel

Vel saltem supercalefacta, absumpto humido viuifico, dissipatoque calore moderato, ac si quis calcem viuam arboribus continuò affunderet, citiùs senescere, & ad interitum properanter perduci. Sed & senibus quibus vinum hæc incōmoda ratione caloris (quo potiùs iuuantur quàm læduntur) minimè adfert, eo tamē nomine exitiosum est, quòd cerebri neruorumque affectus, qui senibus maximè insidiantur, producit, apoplexiam nimirum, paralysin, stuporem, carum, & præ cæteris diuturnum illum acerbumque tortorem, podagram. Vt non immeritò, veluti Colici dolores, crapulæ, lues venerea, luxuriæ, ita podagra ebrietatis flagellum pœnaq; diuinitùs missa existimetur.

Verùm præter enormia eiusmodi, quæ humano generi adfert incommoda, hoc quoque non minimum, quòd mentem, vel modicè sumptum statim immutat, intentiones animi cogitationesque adeò distrahens, & vel subitaneo quodam gaudio perfundens, vel mœrore interturbans (prout natura est hominis, quam vinum mox prodit) vt post illius potum quæcunque agimus, vel segniùs procedant, vel præcipitanter temereque obeantur.

Intemperantiùs verò sumptum, quantopere animum peruertat & dementet, stultitiam quandam ridiculam excitans, vel horrendum furorem concitās, aut maniam melancholiámve acerbam procreans, quotidiana, plus quam conueniat, ostendit experientia.

Quid vero de ceruisia? Cuius siue fastidiosum, præsertim non consuetis, odorem spectes, siue vires illius languidas examines, fateberis, illam neutiquam vino comparandam esse. Si enim ex quibus illa constat aquam, fructus cereales, lupulos consideres, quæ nam in istis occurrit vis, quâ permoti, ceruisiam potiùs quàm aquam simplicem, ad corporis refectionem, in quotidiano vsu mensis adhibebimus? Aqua refrigerat, neq; illam facultatem etsi decoquatur, deponit. Quæ autem noxæ à frigidorū continuo vsu corpori accidant, norunt hi præsertim, qui ventriculo debiliori præditi, aquæ vel ceruisiæ potu, quàm facilimè offenduntur.

Adde, quod ex aqua semi[illegible] tiorem excoqui ceruisiam, vulgus si[illegible] suasum habet. Qua nam quæso alia d[illegible]sa, quàm quòd tenacior, magisque fortè fœtida & amara (quibus nimirum notis ceruisia commendari solet) sic præparata reddatur.

Est'ne obsecro, aliquis mortalium, si illos excipias, quorum gustus, consuetudine à teneris vsu ceruisiæ deprauatus est, adeò stupidus, vt amara dulcibus, fœtida odoratis præferat, qui vix dum libans aut olfaciens ceruisiam, non exhorrescat?

Iucunda narratur historia de Rustico quodam, qui accusatus ab illa, cum qua matrimonium contraxisse dicebatur, quòd promissis non staret, deierans ille, nihil factum pœnamque sibi ipsi statuens, vt si tale quid à se perpetratum esset, primus haustus in venenum verteretur, arreptoque poculo ceruisiæ, quam priùs nunquam gustarat, cùm bibendo amaritudinem illius experiretur, perterritus Deo vltore, potum in venenum mutatum fuisse, existimans, mox delictum fassus, veniamque deprecatus est. Sed quid fructus cereales, triticum, hordeum, auena, ex quibus ceruisia coquitur, aquæ adferent emolumenti: quæ flatulenta cùm sint, concoctionem lædunt, aliisque multis morbis, qui à flatibus prodeunt, præbent occasionē.

Quid lupuli præter insignem amaritudinem, & quòd caput tentant dementantque (qua de causa & hyosquiamum aliqui magno cum periculo addere solent) aliud quid ceruisiæ iucūditatis vel emolumēti adferēt?

Nunc aliquid de lacte: Nisi erga materna vbera impius, aut in patriam Heluetiam iniurius esse viderer, lactis quoq; detrimenta enarrare possem.

Non tantùm quæ Hippocrates in Aphorismis obiter duntaxat attingit, inquiens, Lac capite dolentibus malum; Lac item febricitantibus minimè competere. Verùm & quod ventriculum frigidum flatibus adimplet, minima humiditate relaxat, & veluti oleo perungit, imbecillioremque reddit. Et quod in eo facilè acescens, vel concrescens, coaguli instar caseosum redditur. In calido verò mox corrumpitur adeò, vt in venena-

vti fre[illegible]humoris naturam, vel bilis vitellinæ [illegible] atc[illegible]uginosæ formam, leui de causa per[illegible]tur. Quæ certè illius incommoda, non tantùm ægris obsunt corporibus, sed & sana, si quotidianus loco potionis illius est vsus, vehementiùs quàm par erat, nutriuntur, plethoricaque fiunt & inertia.

Quod fortè animaduertentes Heluetij, apud quos etsi tantus sit lactis prouentus, vt etiam si nihil aliud quàm lac biberent, abundè sufficeret, non tamen iam, vt olim lacte gaudent, sed vina præstantissima Alsatica, Rhætica, Italica, Gallica, terrâ mariq; aduecta, non tantùm præcipui inter illos, sed & pauperrimi, non solùm in magnis ciuitatibus, sed & in abditissimis vallibus, quo vinum nunquam ante peruenerat, ita profusè bibunt, seque mutuo ad bibendum inuitant, vt iam non peregrè aduectum, sed illic natũ, non charum sed vilissimum, non rarum sed commune illis esse videatur.

Enarratis iam & vini & ceruisiæ, & lactis incommodis, cui in potu ordinario primæ dandæ, dubitatur. Sanè si Germani ceruisiæ, Heluetijq; nostri lactis illum antiquum, illisque olim consuetum vsum, aliquo pacto retinuissent saltem, potiùs quam vini quotidiana consuetudine penitùs commutassent, foret & hoc Reipublicæ Christianæ vtilius, constaretque magis antiqua illis animi virtus corporisq; robur & integritas: quæ nunc luxu & ebrietate plerisq; in locis adeò debilitata sunt, vt ab antiquis illis Germanis & Heluetiis, multi nostro sæculo degenerasse videantur.

Quorum moribus se hoc tempore quoq; Galli nonnihil accommodantes, qui præ cęteris nationibus sobrij erant, à vini lymphati dilutiq; moderato ipsis olim consueto vsu, sensim quoque ad meracioris ingurgitationem descendunt. Ita nihil stabile nil firmũ aut diuturnum, quod non mala consuetudo peruertat, nihil tam vtile, quod non in abusum veniat.

Vnde factum vt pleræque nunc nationes, nisi paupertate premantur, penuriáve cogantur, vini potu etiam ab extremis orbis partibus petito, sumptibusque maximis periculisque aduecto, tantùm delectentur, non saltem grato illius sapore allecti, sed & quòd præ cæteris, omnibus tàm alimentis quàm medicamentis, vires potentiùs restauret, lætitiamque subitò inducat, illius vsum sibi penitùs familiarem fecerunt, eoq; sic abutuntur, vt non iam affatim bibendo robusti, sed eneruati, non hilares, sed stupidi, vel insani, illius immoderatiore vsu euadant.

Quo nomine & dementati, aquæ, ceruisiæ, lactisque potum penitùs intermittunt; Cùm tamen aqua tam cruda, quàm cocta, variisq; modis nunc in mulsæ nunc ptisanæ, nunc ceruisiæ formam reducta, prout singulis nationibus illud cõmodũ conueniensq; esse ostendit experientia, nutritionis causâ, potionis loco siue continuo aut interiecto vini vsu, ad corporis sustentationem non minori commodo adhibeatur.

Sicuti & lac ipsum, quod illis præsertim regionibus, vbi copiosus illius est prouentus, vini copiam longè exuperans, præterquam quòd potionis causâ vtiliter bibitur, simul etiam potenter corpus alit & viuidum vegetumque reddit.

Quibus rationibus permoti, consuetam vsitatamque bibendi rationem, vino & aqua ceruisiaque & lacte, sed suo loco, tempore & modo perfici posse affirmamus. Vinumque senibus & imbecillioribus præsertim, lac iuuenibus & robustioribus præcipuè; Aquá verò siue naturalis aut simplex, præparatáve sit, consuetis maximè competere concludimus.

78. Cur Ciborum, conditurâ nimiâ medicamentosorum factorum, vsus noceat?

ITa appetitus noster ex mala consuetudine, gulæ illecebris deprauatus est, vt vix dum cibus ampliùs mensæ apponatur, qui simplex & suæ naturæ, sicuti nutrimenta esse deberent, alimentosus & temperatus existat. Sed plerumque conditurâ adeò alteratus, vt iam veriùs medicamentum quàm alimentum dici possit: quo & corpus nostrum, longo & immoderato horum vsu, magis immutatur quàm sustentatur. Quod permistione eorum quæ refrigerant (sicuti verò vulgus credere solet, multa quæ temperata sunt.

sunt,refrigerare credens, vt hordeum, fructus fugaces & similia) fieri non solet,nec in eo tantopere delinquitur,cùm sola acida refrigerare alibi exposuerimus, illisque non adeò delectentur vulgò,vt cibos nimia holerum admixtione omnino acidos reddant,leuisque aciditas,ad calorem immoderatum, & biliosos humores,quibus grauiùs & frequentiùs nostrum corpus afficitur,contemperanda & infringenda, appetitumq; simul excitando,plus sic iuuando prosit, quàm refrigerando obsit. Sed hic error in conditura ciborum,ex iis quę corpus accendunt & inflammant plerumque procedit,nempe permixtione eorum,quæ dulcia,odorata,acria, salsa,vel aromatisata sunt, quæ cibos adeò calidos reddunt. Quibus tamen sic delectantur homines, vt vix dum cibus apponatur, cui non alium quàm natura illi indidit saporem,hisce variis modis commixtis, milleq; rerum formis & condituris concilient,tantopere ea ex deprauata consuetudine appetentes. Vt & quæ amara sunt modò odorata sint,sicut in vino absynthite videre licet, non modò nō respuant, sed & illis delectentur. Immò quæ & abominabilia sunt, putrida scilicet & fœtida,vt caseus purris,haleces suffumigati, & quæ virosum odorem spirant,vt allia,iucunda esse ducant: quos tamen ab alimẽtario gustu sapores alienos, animalia cætera,nisi quoque ipsorum natura ex conuersatione cum hominibus peruersa sit,auersantur,vnde etiam minùs morbis afflicta, destinatum vitæ terminum rectiùs assequũtur. Cùm homines calefacientium & siccantium horum alimentorum intemperato vsu,humorem primogenium,caloris natiui pabulum absumendo, senium citiùs quàm ætatis ratione fieri debebat accersant,mortemq; sic accelerent; Vel morbis grauissimis aliisque incommodis occasionem præbeant. Cùm ex illis non tantùm biliosus humor coaceruetur, sed & sanguis inflammetur, putrescat, vnde febres totque alij morbi grauissimi corpori incommodantes,summoque dolore excruciantes, indies nascuntur,& sæuiunt: quos omnes recensere non est necesse. Hoc tamen quod priuatim obseruauimus addendū, serum ipsum, quod & statim in prima concoctione [illegible] modum quoque calidis hisce condit[illegible] accenditur,& à salsis salsedinem,à put[illegible] putredinem,à fœtidis fœtorem concipit, inde quoque genitæ non tantùm occasionem,dum sanguinem diluit,vt inde afficiatur dare, sed & hinc inde, cùm serum vniuersum corpus peruadat,viscera alluendo, salsedinemque illis quam in se habet & contraxit, angustioribus illorum ductibus affigendo,arenulis & calculis in hepate, renibus aliisque in locis, originem, sicuti alibi ostensum fuit,præbere. Dein & in vesicam repurgatum,conceptam illam caliditatem, acrimoniam & salsedinem nondum deponere,eoque nomine ad excretionem continuò sollicitando,mictionem illam frequentem,& quæ noctu toties vrgere solet,causare. Hancque ex præcipuis quoque causis vnam esse, quòd tot exulcerationes renum & vesicæ homines molestent. Et quòd renibus & vesicâ supra modum calefactis,vicinę quoque partes spermaticæ, præternaturali calore affectæ, humorem vtilem,qui ad seminis generationem requiritur, absumendo,vt semine abundanti destituatur, etiam illi,qui alioquin ob calorem dictum,ad Venerem incitantur, sed semen exiguum vel nullum profundant,causa sit. Quæ vitia ex hoc errato prodeuntia,vt in matura adhuc ætate,sic & in senectute,tum quia in iuuentute istis condituris immoderatiùs vsi sunt, tum quia sibi ratione frigiditatis conuenientiora, senes esse credunt, damna eiusmodi adferunt. Quæ tantùm ex vino,quod tamen nisi dulce sit,vel nimiùm ingurgitetur, aliàs acidulum seu vinosum existens, adeò inflammare non posset,proficisci omnes clamitant,nec ab eiusmodi condituris,vti verò fit,eoq; magis si ebrietas quoq; accedat,euenire credũt. Vti & mulieres,quæ se frigidiores cùm esse putent,calidis quoq; immoderatiùs vtentes, eadem ratione damna accipiunt. De quibus præmonuisse necessarium esse duxi: cùm nimia varietas ferculorum & conditura,plus lædere soleant, quàm ciborũ aliorum simplicium,à plantis præsertim desumptorum, quos vulgus tantopere obesse putat,moderatus vsus.

...ßica capitata & Caro porcina num adeò cibi sint noxij, vt vulgus hominum putat?

BRaßicam & carnem porcinam, in nostris regionibus, præ cæteris alimentis, noxia esse censet vulgus, & præcipuè Chirurgi, vulneratis prohibere solent. Quæ quidem nocere solere, vti alia omnia salubria alioquin alimenta, quando immoderatè sumuntur, quòd cùm hæc suauia sint, frequenter accidit, facilè concedo: idque præsertim si braßica condita, aciditatem illam in composito, Gumpist dicto, acquirens, calidiores naturâ, ad illius nimiā ingestionem inuitās, immoderatiùs sumatur. Et caro porcina salita suffumigataque diu asseruata, pinguiore illius parte rancorem contrahente, facilè ob id in ventriculo corrumpitur; carneque ipsius salsâ, sitim præternaturalem parit, & exiccata indurataque ægrè concoquitur. Verùm si recentia hæc sint, moderateque sumantur, succum laudatū gignere, & citò cōcoqui, nec obesse, certum est. Braßica enim & præsertim quæ foliis constat tenerioribus, albicantibus denseque complicatis, sicuti capitata, (quam tamen præ omnibus damnant) benè cocta, teneritatem acquirens eximiam, quod facilè à ventriculo nostro coquatur, satis ostendit. Suauis alimentarius illius sapor, eam quoque euchymam esse, manifestè declarat, cùm nihil in illa nitrosi, aut quod alienum saporem redoleat, deprehendatur. Sed & condita, vti dictum, braßica, cùm prius antequam condiatur iam cocta sit, & sæpe iterum coquatur, licèt acidula sit, nocere quoque adeò vt putant, minimè potest, cùm præter quàm quod digeritur sine labore, appetitum sua aciditate excitet, & sitim caloremque internum mitiget. Quod porcinam quoq; carnem attinet, quam porcellorum iuniorum caro suauis sit, tenera, gustus ipse indicat, & quam succum idoneū & corporis nostri substantiæ alendæ similem generet, Galenus laudare satis non potest. Quam naturam, licèt porci sint facti adultiores, minimè deponunt, licet vetustate durior caro facta, difficiliùs coquatur, faciliùs tamen quàm taurorum eiusdem ætatis, quàm tamen longè salubriorem esse putant, in ventriculo elaboratur, cuius rei argumentum est, quòd etiam porcorum adultorum caro assata, tenera & esui apta fiat, taurorum verò minimè: quæ vt edi poßit elixatione opus habet, cùm per assationē adeò fiat tenax, vt ne masticari, longè minùs facilè in ventriculo digeri poßit. Quod pinguedinem verò porcinæ carnis attinet, cùm solidior sit, quam diu illa recens manet, nec rancida fit, aut alio modo situm contrahit, siue cum carne edatur, aut separatim, carni vti fieri solet infixa infarctaque, non facilè quoque corrumpitur, sed vti butyrum aliaq; similia rebus suauitatem adferens, & mollitiem, vt citiùs concoquatur, efficit. Quæ omnia de rectè præparatis & moderatè sumptis dicta esse volo.

80. An oua piscium vti & Gallinarum alui fluxum in quibusdam efficiant?

OVa piscium comesta alui fluxum commouere, experientia ostendit, non solùm barbi piscis, sicuti vulgus nouit, eoque nomine ab illis sibi in epulis cauet, sed & aliorum. Nam & truttæ oua, quæ mollia admodùm sunt, abundantiùs in cœna sumpta, diarrhœam me tota nocte & sequenti die affligentem, mihi pepererunt. Idem cùm percæ oua minuta, quæ in delitiis habentur, sæpe etiam cùm Carpionum oua comederem, mihi accidit. Quod non vi quadam purgandi, quæ illis inesse deberet, sed potiùs quia facilè in biliosis præsertim naturis, corrupta in ventriculo, in bilem abeunt, accidit, quæ postea eiusmodi fluxus alui mouet, cuius rei inditium, ructus, cardialgia, & deiectiones biliosæ, existit. Sed & oua alia gallinarum in picrocholis sumpta, simili modo, corruptione in bilem conuerti, aluumq; conturbare, in me ipso multoties expertus sum.

81. Quænam ouorum piscium assumptorum vis?

OVa piscium noctu sumpta, Venerem admodùm stimulant, facilè in biliosis ventriculis corrumpuntur, & in bilem transeūt, quo nomine diarrhœas biliosas causant, mitiora sunt carpionum, venerem stimulant, fortiùs

fortiùs purgant Truittæ. Perçę oua Germanorum Bersig Rogen/cùm noctu affatim comedissem, ardorem in stomacho mihi excitarunt, facilè enim corrumpũtur & in bilem abeunt, sicuti & aliorum piscium, cancrorũ, barbi oua, vnde diarrhœæ postea vt dictum sequuntur. Comedi oua carpionum non satis elixa, sensiq; ea nocte & die sequenti ardorem stomachi, & postea diarrhœam. Video hęc corrumpi in bilem, hinc multa purgare videntur, quæ in bilem mutantur.

82. Oua gallinarum quomodo corrumpantur?

OVa dura præsertim, in meo stomacho corrumpi, & ardorem stomachi & biliosas deiectiones mihi causare, sæpe obseruaui. Quam putris sit ouorum putrescentium materia satis fœtor eorum indicat.

Oua vulgus calefacere putat, quod ex eo natum existimo, cùm in biliosis & calidis ventriculis facilè corrumpantur, & in bilem meracissimã sæpè conuertantur, à qua ardores ventriculi, sitis, pronata, à calore ouorum prodiisse autumant. Vnde & diarrhœa plerumque sequitur.

83. Lactis spuma dum feruet cur non vrat?

LAc quod ad casei separationem ebullit, spumam copiosam reddit, quam si quis etiam feruente adhuc lacte bibat, ea tamen, cùm calor illius aëris permixtione tepeat, os minimè perureret, vt verò accidit, si profundiùs intincto cochleari, lac ipsum quis bibat. Hoc discrimen cùm minimè obseruaret eremita quidam, Heluetiumq; imitari volens, qui spumam lactis prægustarat, ipse altiùs cochleare immergens, lacque bibens, labia perureret, eos rostrum corneum insensile, non autem labia habere existimans, vbique sparsit.

84. Cur veneris stimulus à pipere, lacte, decubitu supino?

PIper comestum, sub noctem præsertim, Venerem stimulare, vnde rigor penis, & gonorrhœa sæpè superueniunt, vsu compertum est, quod quia vrinam acrem calidamq; reddit, quæ postea vicinitate partes spermaticas, maximè si semine turgeant, in[...] cidere, vt in cantharidibus quoque [...] est, frequens mictio quæ subsequitur, [...] facit, & quòd post eam pruritus nõnihil [...] sat. Hoc autem à pipere proficisci, cùm ignoraretur, creditum est hactenus, scolymi fructum, tubera terræ, aliaq; similia cruda, quæ non nisi pipere condita eduntur, Venerem stimulare, cùm tamen hoc à pipere vti dictũ, prodeat. Lac Bleitemilch/ hordeum & Ridelbrodt/si affatim comedantur, & calida post ea, vt solent ad stomachũ corrigendum, venerem noctu stimulat & gonorrhœam facit.

Decubitus supinus, quia renes accendit, venerem stimulat, gonorrhœam in dispositis, semineque turgentibus facilè inducit. Hinc & qui in duro strato recumbunt, priapismo magis laborant.

THERAPEVTICÆ.

85. An Signa cœlestia sollicitè in curatione morborum obseruanda?



SIGNA cœlestia duodecim distinctis corporis partibus, singulis singula adpropriarunt, à capite, cui primum signum, arietem nimirum adscripserunt, ad pedes vsque, pisces destinatos procedentes, nimis curiosè, vt in multis aliis, sic præsertim in phlebotomia facienda, nostri Germani obseruant, ita vt illa dies, in quam hoc illúdve signum, incidit, venam quæ à parte illa, cui signum accommodatum est, sanguinem educit, incidere, tanquam si cum periculo fieret, summopere reformident. Tantum horum signorum efficaciæ tribuentes, vt ea nõ tantùm in magnis illis mutationibus in corpore, quæ euacuationibus hisce, vti & purgationibus fiunt, obseruent, sed & in aliis omnibus operationibus, tum in corpore, ad vnguium & pilorum vsq; refectionem, tum extra corpus, in agricultura præsertim, aliisque muniis obeundis, pro horum ratione diem eligant aut vitent, omniaque ferè instituant. Cuius tamen rei neque rationem aliquam, nec experientiam habent: cùm

[illegible] veteribus Græci Latiníve, nec ex vti [illegible]icis vel Galli vel Itali Medici, tot iam [illegible] at[illegible]is, his quicquam tribuant: quæ Mau-[illegible]hi nimis superstitiosè inuenerunt, quo-[illegible] in nugis nos pertinaciter tamen inhæremus.

86. *Quibus instrumentis instructus esse debeat Medicus?*

DE instrumentis quibus Medicus, cùm sit summus artifex, instructus esse debet, Remediis scilicet, quorum operâ, caussas morbificas è corpore exturbat, dolores mulcet, viresque lapsas reficit atque instaurat, nunc agendum: sunt enim hæc præcipua Medici instrumenta, quorum alia catharctica vel purgantia, alia narcotica vel stupefacientia, alia reficientia seu confortantia dicuntur.

Quæ eximiis viribus prædita, cùm actiones in corpore & magnas & summè necessarias obeant, non mirum in facultatibus horum remediorum inueniendis, quibus opera hæc perficiunt, tantopere & veteres & neotericos insudasse.

Nam vt de purgantibus primùm dicamus. Qua vi & potentia ea assumpta, fæces primùm crassiores, per viam naturalem excretioni destinatam, mox tenuiores serososque inde biliosos pituitososque humores, eorumque ichores, expurgent, admodum ambigitur.

Fuerunt enim qui non ipsis medicamentis vires hasce adscripserunt, sed naturali motu, per fugam vacui hoc fieri contenderunt: cui sententiæ Auerrhoës suffragatur, inquiens: Consequutione quadam, portione vnâ detractâ, ei quæ euacuata est, aliam succedere, ne vacuum quicquam & inane in corpore relinquatur. Verùm cùm necesse sit in hoc motu, vim quandam ei, quod primum mouet inesse, nec illa hac ratione explicetur, hæc opinio tanquam inanis iam dudum explosa est.

Reliqui verò quibus magis sana erat mens, ipsis purgantibus pharmacis, hasce facultates acceptas referunt, quæ id viribus insitis præstent, in eo tamen admodùm discrepant, quòd alij vi quadam attrahendi humores, alij verò eosdem expellendi, id efficere contendant.

Qui Attractionem prætendunt, eam à temperamento proficisci voluerunt, hisce argumentis nixi. Quòd catharctica medicamenta omnia calida cùm sint, adeò, vt multa etiam acria adurentiaque inueniantur, calorisque proprium sit attrahere, à calore horum sine dubio hanc ipsorum attractionem prodire censuerunt.

Verùm cùm alij non omnia calida medicamenta, veluti aromata purgationem moliri cernerent, ad totius substantiæ proprietatem, quam alij in materia, alij in forma, alij cæca quadam & occulta vi posuêre, transierunt, eamque vel similitudine quadam, vel sympathiâ, vti magnes ferrum, succinum festucam, dictamnus sagittam, musca aculeũ, alliciunt, ita humores quoq; ad se eiusmodi purgãtia rapere crediderunt.

Quorum tamen argumentis hæc aduersari videntur. Quòd vnum idemque pharmacũ diuersos humores educit; quòd mortuo si medicamentum infundas, nulla sequatur euacuatio.

Quibus potissimùm, vti & aliis multis moti, neoterici præsertim, attrahendi illam vim relinquentes, expellendi potiùs facultatibus illud præstare opinati sunt. Qua tanquam inimica, noxios humores propellant protrudantque, & in fugam, vti quibusdam placuit, conuertant. Antipathiam potiùs in hisce causam statuentes, quâ medicamentum purgans humori, quem purgare debet, aduersatur, eoque nomine humorem vbi primum purgans pharmacum in corpore præsenserit, veluti suum hostem fugere, exitumque per loca à natura ad id destinata, sibi quærere & patefacere.

Cæterùm cùm in quo nam hęc antipathia potissimùm sita sit, non explicent, qui huic sententiæ adstipulantur, obscura obscuris magis obscurare videntur. Qui rectiùs meo iudicio sentire censentur, purgãtia remedia efficaciâ quadam, quâ corpus nostrum exagitant, conturbant, & ad excretionem sollicitant, facultatemque expultricem stimulant mouentque deiectiones, moliri, multis rationibus conuincunt.

Quòd nulla è corpore fieri poſsit euacuatio, niſi facultatis expultricis beneficio.

Quòd alui excretio, cùm actio ſit naturalis, ſeu opus naturæ vt vocant, à facultate aliqua, quæ expultrix eſt inteſtinorum, eam prodire neceſſe ſit.

Quòd eodem modo, ſicuti ſpontanea alui excremētorum repurgatio, ab excrementis, copiâ atq; acrimoniâ facultatem expultricem ad excretionem ſollicitantibus, proficiſcitur, ſic & ea, quæ à medicamento catharctico ſequitur purgatio, eadem ratione, quia eandem facultatem excitet, proueniat.

Quòd homini mortuo, in quo hæc facultas extincta eſt, vel illis quoque, quibus ob caſum apoplecticum, aut veternum ſaltem ſopita ſtupidáve exiſtit, ſi purgans exhibeas pharmacū, nulla inde ſequatur alui deiectio.

Quæ vt & alia multa, indubitanter in omni ſiue naturali, ſiue violenta alui deiectione, facultatis expultricis beneficio expurgationem perfici, apertè declarant, eamq; medicamenti peculiari vi excitari, firmiter probant. Quàm catharcticorum medicamentorum vim, partim irritantem eſſe, partim aduerſam, eamq; manifeſtam, vel à leui deterſione quâ mitiora purgantia inteſtina à fæcibus abſtergunt, naturamq; ſollicitant, profectam, vel à vehementiori vi acri, adurentéve, inteſtina vellicante ſuſcitatam, accedente ſemper inimica horum pharmacorum purgātium qualitate, quâ, vel ſolo odore nauſeam, maximè aſſumpta, ſubuerſionem ventriculi & inteſtinorum moliuntur.

Quibus certis apertiſq; potentiis & qualitatibus hæc operari, ſuaque munia perficere, cùm multis demonſtrationibus rationibusque comprobari poſsint, ea lubens prætereo.

Verùm cùm narcotica ſtupefaciētia pharmaca, non minori efficacia vires ſuas exerceant, non mirum in hiſce quoque indagandis plurimos laboraſſe.

Hæc enim ſecus ferè ac reliqua omnia medicamenta, potentiâ agētia, veluti in momēto, vbi primùm aſſumpta fuerint, ſomnū inducunt, ſenſus conſopiunt & ſtupefaciūt, eoque nomine dolores atrociſsimos, in quacunque corporis regione ſęuientes tollunt: vnde non immeritò Deorum ma[illegible] fuêre. Has illorum vires à frigidita[illegible] ciſci, plerique crediderunt, cùm frigi[illegible] prium ſit, partis ſenſum adimere, ca[illegible] natiuum temperiemq; extinguere, om[illegible]que functiones delere: caloris verò, eaſdem vegetas & ad agendum efficaces reddere.

Verùm ſi frigida qualitas eorum in cauſa eſt, quare ea quæ longè illis frigidiora exiſtunt, qualia ſunt aqua ipſa, acida multa, aizoon, non idem operantur?

Adhæc ſi tanta ipſis ineſt refrigerādi vis, quæ ad quartum vſque, vti inquiunt, gradum protenditur, quare extrinſecùs admota, partem minimè refrigerāt? quare inflammationibus, quas potiùs lædunt, non applicantur?

Contrarium horum vſu euenire, quotidiana oſtendit experientia: folia mandragoræ, hyoſquiami, papaueris, contuſa applicataque, duriſsimos emollire tumores, materiam potiùs diſcutere quàm repellere, quod non aliunde, niſi à calore prouenire neceſſe eſt.

Sed & Opij atque Cicutæ amaritudo, calidas illis ineſſe qualitates, cùm omne amarum ſit calidum, apertè declarant.

Torpedinem tanta ſtupefaciendi vi præditam eſſe, aiunt, vt non tantùm cōtacta calcatáve, ſed & per ſibi infixum piſcatorum tridentem, protinus manum illius ſtupefaciat. Talpam quoq; ſi manibus retenta moriatur, ſtuporem inducere ſcribunt.

Quis quæſo hoc à frigiditate ipſorū, cùm viua ſint animalia, proficiſci crediderit?

Sed & vinum ipſum, quod calidum eſſe nemo negauerit, ſtuporem inducere, ſomnum conciliare, attonitoſq; omnino reddere, quotidiana plus quàm conueniat, docet experientia. Quod licet plerique à vaporibus quibus caput tentatur, prodire arbitrentur, narcotica tamen vi id præſtare, vel hæc tantùm probare videntur.

Quòd non recens tantùm vaporoſum adhuc, ſed & antiquum defæcatum idem efficiat.

Quòd arte chymica ſummè attenuatum, in liquorem illum, quem aquam vitæ nominant, nihilominus tamē dementet, longèq;

... potentiùs, quàm vel muſtum vel vii fre... crudum inebriet, ſtupidosq́; reddat; ... at... ſanè, longè aliam in eo qualitatem, ... vaporum copiam, eiuſmodi magnas tan... corpore alterationes moliri, ſenſusq́ue ſtupefacere.

Cæterùm cùm Medicus, nō tantùm morbi, ſed & virium potiſsimùm rationem habeat, vnoque oculo morbum, alio vires intueri debeat, in viribus conſeruandis, quæ vſurpantur remedia, præ cæteris ferè ſublimia & eximia exiſtunt. Quid enim præſtantiùs, quàm languentes, defeſſos ſolari, reficere, vitamq́; ipſam, quâ nihil mortali homini in hac vita contingit præſtantiùs, conſeruare, vnde & hæc remedia manus Deorum veteribus, quòd veluti manibus collapſos ſubleuent, erigantque, dicta fuère?

Hæc quidem cùm varia multaq́; ſint, non tantùm vniuerſo corpori appropriata, ſed & ſingulis partibus conuenientia, illorumq́ue temperamentum fouentia, Deus opt. max. in vſus hominum diſpoſuit.

Hinc alia ſimpliciter reficientia, roborantia, reſtaurantia, confortantia dicuntur, alia quæ partibus accommodata, cephalica, ophthalmica, otica, pneumatica, cardiaca, arthetica, alióve modo à parte ipſa deducto nomine, appellantur.

Inter quę manifeſtis qualitatibus frigidis calidísve ea operari pleraque, citra dubium eſt, quibus caput, ventriculum, iecur vel calefaciunt vel refrigerant, iiſdemque immoderatiùs partes à temperie deductas alterāt, & ad medium reducunt.

Verùm haſce vires in ipſis quatenus mutationem aliquam in corpore faciunt, minimè hîc requirimus, ſed eas, quibus priuatim partibus affinitate quadam proprietateque coniuncta, eas non alterant ſolùm, ſed & fouent, reficiuntq́;, ſimul indagamus, vt cùm betonica, ſaluia capiti; euphraſia oculis, portulaca dentibus, capillus veneris pulmonibus, bugloſſa cordi, endiuia hepati, ſcolopēdrium lieni, mentha ventriculo, chamæpythis articulis, peculiari vi conuenientia, iis præ cæteris accōmodata exiſtunt. Quas vires à manifeſtis qualitatibus non prodire, vel hoc ſolum ſufficienter probare videtur, quòd ea quæ iiſdem qualitatibus prædita ſunt, non tamen idem in parte, quod remedium illi appropriatum, poſsint efficere.

Ad hæc quòd eiuſmodi medicamenta, experientiâ ab animantibus quoq; brutis obſeruata, longoq́; vſu comperta, potiùs quàm ratione inuenta ſint, guſtusque qui qualitates manifeſtas, ſimplicium aliàs prodit, hîc nihil ſolidi dijudicet.

87. *Quem vſum aquarum naturâ acidarum potus corpori humano præſtet?*

HVius rei conſiderationem ſummè neceſſariâ eſſe duxi, quòd multi diutinis morbis & languoribus affecti, & penè confecti, hiſce temporibus, tanquam ad extremum aſylum, ad aquarum illarū acidarum vſum, in ea loca, vbi harum inuenitur ſcaturigo, ſe conferāt, noſtriq́; non iam amplius ita Gōppingēſes, ſed ob viciniam, Griesbacēſes nouiter inuentas, bibant, illisq́ue etiam thermarum vice vtantur, conſueto & vſitato ferè hoc modo.

Purgato primùm corpore, manè ex hoſpitio egreſsi, ad ſcaturiginē fontis pedes eunt, iterq́; hoc horæ propemodum ſpacio conficiunt, atq; è fonte aquæ acidæ cyathum haurientes, primo die; binos altero, mox plures dierum numero cyathos, donec ad ſeptem vſq; peruentum fuerit, augētes: poculumq́; manibus aliquamdiu verſantes, donec frigiditas aquæ nonnihil mitigata fuerit, eam poſtea vniuerſam ebibunt, & mox ad hoſpitium iterum ſe conferunt: Prandioque confecto, exactis tribus vel quatuor poſt illud horis, denuò itineri ſe cōmittentes, potum eadem menſurâ repetunt redeuntque.

In qua deambulatione, tum ob hauſtum aquæ, tum ob exercitium, ſudoribus cōmotis, domum reuerſi lectoq́; ſe componentes, ſudori aliquamdiu operam dant, ſeq́; ab eo extergentes, ſurgentesque, cibum capiunt, ſeq́; recreant: Potionisq́; loco in prandio & cœna, vel eadē aquâ acidâ ſolâ vel vino permiſta & dilutâ vtuntur. Et in vſu harū aquarum, in potu ſeptimanas binas plerumq; inſumunt. Nihil vlterius adhibētes, niſi quòd conditis quibuſdam ventriculum, ne actuali hac frigiditate aquæ lædatur, muniunt, atq; acciden-

accidentibus aliis, si quæ superueniant, certis remediis prospiciunt.

Interim tamen & alij in iisdem aquis acidis arte calefactis, domum ab aquatione reuersi, corpus denudatum lauant, moramq; aliquamdiu trahunt. Quod alij absoluto primùm eo, quo eam biberunt tempore, moliuntur, septimanasque aliquot hoc balneo vtuntur.

Quæ omnia ritè administrata, multis profuisse experientia testatur, cùm multi ex obstructionibus viscerum, malũ corporis contrahentes, & cachexiâ diutinâ laborantes, & quibus hydropis imminebat periculum, harum potu restituti sint, multis quibus muliebria defecerāt, harũ vsu reuocata fuerint.

Et quibus alui constipatio familiaris, sitis præternaturalis inordinata, prostrata appetentia, aliaque quæ bilis præsertim adferre solet incõmoda, negotium facessebant, meliùs post illarum vsum habuerint.

Quibus sabulum, arenæ, calculi in renibus aut vesica congesta, nephriticos dolores pepererant, postea ab illis liberi & immunes facti sint; Et præsertim quibus illuvies fœda, biliosa, putris, maligna, in venis meseraicis coaceruata, diuque retenta, varia accidentia, quæ melancholiam hypochondriacam, epilepsiam, febres intermittentes, prętire, minari atque procreare solent, induxerat, potu acidarum, per dyarrhœam, quam illæ plerumq; mouere solent, excussa, manifesteque in ipsis excrementis subcinereis & subnigris apparente, ab eiusmodi grauibus affectibus, quorum præludia iam senserant, liberati fuerunt. Aliqui quoque scabritie & psorâ infecti, vlceribus cacoëtheis & malignis infestati, balneo harum aquarum curati sunt.

Vnde & factum, vt tot successibus quamplurimi commoti, non solùm in enarratis affectibus, hisce aquis vtentes, ab illis iuuentur, sed & aliis oppressi malis, cùm in omnibus prodesse credant, in iis quibus minimè conueniunt, eas quoque bibentes, harum vsu incõmodum potiùs quàm emolumentum sentiant: & potissimùm ex illis, qui pulmonum morbis detenti aut obnoxij sunt, peripneumonici, asthmatici, anhelosi, phtisici etiam grauiter lædantur. Et cùm [illegible] corpus inutiliter, quo in hisce locis mora[illegible] hunt, collocent, sed geminum vsum [illegible] piant, potui huic aquarum, insessionẽ [illegible]tionem in illis quoq; coniungant, atque [illegible] intrinsecùs sumptas, ita & extrinsecus admotas, profuturas existimant, hac ratione unius incommodo alterius commodũ perturbantes; fit, vt non solùm sine fructu, sed & cum noxa plurimi illis vtantur.

Quam vt euitemus, accuratiorẽ instituam tractationem aquarũ naturalium, de quibus etsi varia multaq; prodita sint, ego qui subterraneorum naturā diu perscrutatus sum, quid nam singulare in illis cognouerim, obseruatione digna, breuiter explicabo.

Aquæ naturales dictæ, nulla arte elicitæ, sed ex terra sponte ex illius visceribus, faucibusq; effluentes & emanātes, varium vsum omnibus animatis præstantes, puræ & simplices, & quę omnino ad huius elementi naturam accedant, vixdũ inueniuntur, sed varias illas partes inesse, à terrena mole, quam continuò alluunt, in ipsas deriuatas illisque permistas, nũc visus, quòd minùs perspicuę, nonnunquam & turbatæ sint: nunc gustus, quòd sapore, nunc salso, nunc acido, nunc acri præditæ existāt: nunc olfactus, quòd sulphur vel bitumen redoleant: nunc tactus, quòd crassiores & tenaciores sint: nunc visus quoque, quòd coloratæ nonnihil existāt, dijudicant. Nec solùm hæ, quas sensus tales esse manifestè indicat, sed & in quib⁹ sensus nihil tale deprehendit, cùm limpidissimæ & puræ appareant, vel sponte diutinâ residentiâ, aut vi ignis coctioneq; sedimentum aliquod deponant, permixtæ aliena re, simplicesq; omninò esse minimè videntur. Quod qua ratione & à quibus procedat, in singulis demonstrabitur.

Terrenā hanc molem ex quatuor corporibus, quæ subterranea vocāt, constare, terra nimirũ ꝓpriè dicta, lapide, metallo & succo terrestri, præterq; hæc, aquā etiam continere, suoq; gremio cõcludere, nec alia corpora illic inueniri, omnib. in cõfesso est. Quæ sanè rariùs sola, cõiuncta verò cõfusaq; frequẽti⁹ deprehēduntur. Terraq; nõ simplex, sed humore irrorata, sabuloq; permixta plerumq; existit.

[illegible] et cum lapide metalloque interdum vti frequentes [illegible]ta, glebam vocatam, à Metallicarum [illegible] peritis efficit. E quibus omnibus [illegible]atis permistisque, nunc succus salsus, veluti sal, alumen, nitrum: nunc acris, vt calchāthum, quod atramentum vocant; Item ferrugo, ærugo, nūc succus pinguis, sulphur nimirum & bitumen exsudant, efflorescunt copioseque interdum emanant.

Cæterùm qua ratione hæc aquæ, cuius naturam indagare animus est, permisceantur, videamus. E crassioribus corporibus subterraneis, terra, lapides, metalla, cùm diversæ penitùs naturæ ab aqua existant, & terrena, si propriam illorum substantiā consideremus, cum aqua vera mistione, quæ totius per totum est commistio, naturaliter, vti nec dum arte, etsi in tenuissimum pollinem redigantur, misceri minimè possunt. Cùm si quæ ex illis vti terra præcipuè, aquæ permisceatur, eaque cœnosa & lutosa fiat, vel arenulis aut sabulo confundatur, sponte grauitate sua fundum petentia, ab ea rursum separentur. Et metalla, lapides, hisce longè grauiora, etsi in aquis deprehendantur, hisce tamen minimè, eo quo diximus modo, permisceantur, aquasque hac ratione minimè immutare aut turbare possint.

Licet plerisque hoc fieri posse, thermasq; ex auri, argenti, æris, plumbi, ferri, mineris conflari, vnde thermas minerales vocant, persuasum sit. Cùm ad hanc mistionem, in qua res penitùs inuicem mistæ cohærent, non diuersæ substantiæ, sed naturę consimiles, vt inuicem coniungi queant, requirantur. Quales cum aquis succi sunt subterranei, natiui, quòd in terra nascantur, ita dicti, qui nunc ex terra ipsa, nunc lapidibus, nunc metallis, vti dictum, exsudantes, & liquiditate sua, & fluiditate, cum aquæ natura participantes, cui & soli cùm soli ex subterraneorū numero, in aqua liquescere & emolliri dissoluique, & proin illi exactè misceri, illiusq; vires & naturam, si modò copiosiùs admixti sint, permutare, eo modo quo nunc explicabitur, possint.

Ex salsis succis, quanta copia Sal aquis, idque frequenter permisceatur, immensum pelagus, marisque vti & puteorum aliquorum, aquæ salsæ satis patefaciunt, quibus sal inesse, quod ex illis sal coquatur, manifestè ostendit, vnde & salsas has aquas appellant.

Ex pinguibus succis, sulphur aquis permisceri, sulphureæ thermæ sufficienter demonstrant, cùm in illis & glebæ sulphureæ inueniantur, & sulphur pinguedinis instar innatet, & ab illis sulphureus exsurgat odor, quales Badenis, & Brigæ in Heluetia existunt, thermæ, puteusque sulphureas aquas promens, in hac nostra vrbe visitur.

Bitumen quoque bituminosas pingues aquas reddere, lacus Asphaltites, è quo bitumen copiosè colligitur, aliaque flumina, in quibus ambra, succinum, bituminis etiam genera, vti & petroleum dictum, extrahuntur, satis comprobant.

Verùm vti hæc manifesta indubitataque sunt, sic minùs qua ratione reliqui succi aquis permisceantur, sensibus patet maioriq; inquisitione opus est.

Ex salsis reliquis succis, alumē & nitrum thermis plerisque admisceri, pro comperto habetur, quæ tamen cùm in illis exactè minimè deprehendantur, nec gustus illorum in illis appareat nitrosus & astringens, nec cùm experiundi gratiā coquuntur, residentia reuera talis esse appareat, nō ausim quid temerè hîc pro vero affirmare, negare verò multò minus, cùm piaculum sit, ab illis quæ adeò tenaciter mentibus hominum inhærent, recedere: illud tamen, quod si ex illis quædam aquæ inerit portio, tam exilem esse, vt vires aquarum, nisi aliud accedat, tantopere immutare minimè possit, affirmare non dubitamus.

Acres succos erodentes, vt sunt calchanthi seu atramenti genera diuersa, melanteria, sory, chalcitis, mysi, quæ omnia acido sapore prædita sunt, & vulgus vitreoli nomine comprehendit, & præter hos succos rubiginosos, qui à metallis, vt à ferro ferrugo, ab ære ærugo, à plumbo cerussa exsudāt, aquis quoque certis in terræ cauernis permisceri, sapor acidus, quibus aquæ acidæ ob id dictæ, de quibus disputatum est, imbutæ sunt, euidenter ostendit, qui ab acidis eiusmodi succis, sine dubio, cùm præter eos acidi nihil in terræ penetralibus contineatur, pro-

tur, procedit: Tum odor ferrugineus, quem tam hæ aquæ acidæ, quàm & aliæ insipidæ alioquin, odore aliquando referunt, à ferri rubigine promanãs, manifestum facit, visq; harum aquarum cathartica, purgans, ab eiusmodi acribus succis, ventrem commouentibus procedens, comprobat. Præter quam succorum subterraneorũ, cum aquis permistionem, multa longaque obseruatione comperimus, in plerisque aquis, non solùm à natura actu calidis, thermis appellatis, Plũbariis, Marchio-Badenis, Piperinis, Leucensibus, sed & aliis actu frigidis, quas ad balnei vsum arte calefacere oportet, vt vicinis Fliechẽsibus, Losdorfensibus, Ramsensibus, Mulbergensibus, Ettingensibus: & ne locum qui Medicis herbarum causâ excurrentibus, hospitiũ aliquãdo præbuit, prætercam, Briglicensibus, etsi limpidę, perspicuæ & inodoræ sint, vti & insipidæ, in illis tamen succum quendam terrestrem inesse, qualis ex lapidibus vstis seu calcinatis, calce scilicet, cùm madesit & funditur, per aquam dispergi solet, eamque inficere, hæc comprobant, quòd succus terrenus illis locis, per quæ aquæ hæ transeunt, adhærens, & successu temporis accrescens, in tophos illis affixos & stirias conuertatur, vel ahenis, in quibus hæ aquæ vt calefiant, continuò coquuntur, magna copia calcis, & sabuli instar successiuè adnasci soleat. Qui & succus terreus, si copiosiùs aquis permistus sit, calcis vel gypsi cum aqua diluti odorem, sicuti in Plumbariis verè obseruaui, penitùs refert. Qualem quoque succum terrenum, quem crassamentum aut terrestreitatem aquæ aliàs vocare solemus, fontium reliquorum, quorum & aquã bibimus, fluminumq; aquis permixtum etiam esse, licet minori fortè copia, quàm in illis, quæ, quòd magis eo redundent, ad balnea adhibentur, sabulosa, calculosa & tophacea materia, quæ aquæ ductibus & receptaculis adhærent, nos similiter docent. Adeò vt & illæ aquæ non sanè omnino huius terrestris succi expertes sint, sed & in illis, nunc maiori nunc minori copia adesse, si quis quæ diximus obseruet, aut coctione explorare velit, deprehendantur, qualem in vrinis quoque contentum arenis & calculis generãdis occa[...] tiùs, quàm nescio quam pituitam [...] alibi demonstrauimus.

Ex quibus satis quoque patere vid[...] hasce aquas, in quibus nihil aliud quod [...] care posit, aliàs deprehenditur, calcis huius causâ (vt sic vocem) vim siccandi adipisci, idq; eas potissimùm facere, in quibus illius maior redundat copia, si præsertim naturâ calidæ sint, actúve, sicuti fieri solet, calefiant. Vti & minus hoc præstare, quæ puriores & tenuiores sunt, easque potiùs non solùm actuali humiditate, sed & potentiali, quæ in illis exuperat, humectare. Vti & illas, quæ actu frigidæ sumuntur, corporiq; adhibentur, refrigerare. Quod tamen potentiâ etiam facere, sicuti creditur, minimè crediderim, hisce argumentis motus: Quòd in continuo aquæ vsu, non solùm per se in potu, sed & commixta aliis omnibus ferè quę assumuntur, in iusculis cibisq; plerisque, qui in aquis decoqui priùs & præparari solent, corpora tamen minimè refrigerentur: quod tamen si potentiâ frigida esset, vti & in cæteris succis herbarum frigidis, fieri videmus, necesse esset. Qui etsi calefacti, coctiq; & in syrupos redacti, aliásve formas, vti vim refrigerandi minimè deponunt, sed eam in corpore diutius aut maiori quantitate vsurpata, exerũt, sic & aqua quocunque modo parata, nos indesinenti illius vsu, si potentiâ, & præsertim summè, vti putatur, frigida esset, corpora nostra tandem refrigerando læderet; quod tamen eam minimè facere, nisi actu frigida, intemperanter vsurpetur, omnes qui ea innoxiè, si non in potu, saltẽ inter cibos, vtimur, fateri cogimur. De viribus etiam reliquarum aquarum, alieno sapore salso, acido & odore sulphureo, bituminoso, ferruginoso, efficaciam suam prodentium, multa hîc à communi opinione dissentanea, sed vera in medium proferre possemus. Vti & de admirando naturæ in thermis calidis efficiendis, tantaque copia & continuo fluxu, ex terræ faucibus & penetralibus effundendis miraculo. Et quomodo à calce subterranea naturali, qualis in illis locis, aliísve, ad cementum, pro exstruendis ædificiis, iam à natura apta, nullaq; arte v[...], è terræ cauernis erui-

... quæ calci artificiali affunditur, ca- vti freones ... oncipiant; Atque oftendere, qua ratione ... atq; hoc perpetuum effe pofsit, vt tális fo- ... in terra occlufus, ficuti ignis in ardentibus ... montibus Siciliæ bituminofis & fulphureis, non reftinguatur, nec materia illius & fomes abfumatur.

88. *Quænam fit illa vis in vino, quæ fenfus primum acuit, mox perturbat, & tandem confopit?*

INter varias quas terra producit ftirpes, quarum aliquot millia noftro fæculo inuentæ, cognitæque fuêre, vix dum aliquam inuenias, quæ tam eximium vfum mortalibus præftet, quàm fuauifsimus ille atque vtilifsimus vitium fructus, exprefsione, in muftum dulce primùm, mox efferuefcendo in vinum fuaue odoratumque abiens. Cuius vires mirandas explicabo. Ac primùm quidem, quod admiratione dignum eft, & in aliis plantis non inuenitur, quòd cùm & alimenti & medicamenti naturæ fit particeps, & nutriendo atque fouendo corpus, nulli ex alimentis cedit, corpusque alterando atque immutando, idq; fubitò & quafi in momento, omnia reliqua medicamenta exuperare videtur. Huic accedit, quòd licèt eximia fit illius vis, tamen continuo illius vfu eoq; immoderato lædimur; & quemadmodum fuas vires ftatim exerit, nosque immutat, ita ftatim quoque eafdem remittit, & ad priftinum ftatum corpus redire finit, fine alio (nifi illius vfu admodùm peccetur) incōmodo.

Quæ qua ratione accidant, paulò diligentiùs explicanda erunt. Quòd corpus nutriat, vti nemini dubium eft, ita hoc maximè fenes, & imbecilles norunt, præfertim verò ex ægris, qui naufeâ laborantes, cibos alios faftidiunt, vinum folum expetunt, eoque folo fæpè ad multos dies fuftentantur & reficiuntur.

Accedit huic, quòd præterquam quòd defectum humidi, nutriendo refarcit, fimul etiam fpiritus reftaurat, refocillat caloremq; natiuum, præ cæteris omnibus alimentis fouet, ita vt minima illius quantitas, in viribus recolligendis, in animi defectu, deliquio, fyncope etiam iam animam agentibus & morituris, plus pofsit & prę̨ftet, quàm vel alia præftantiora alimēta & medicamenta preciofiora, à gemmis, auro, ferico, vel ab ipfis Indis extremis petita. Quod vt quotidiana teftatur experientia, ita longiori probatione non indiget.

Cæterùm vt ad medicamentofas illius facultates accedamus, pręter eas, quas in concoctione iuuanda, diftributione alimētorum promouenda, naturalium vitaliū atq; animaliū functionū efficacia fufcitāda, exerit, quas omitto, adeò vinum fenfus alterat, animum mentemque immutat atq; peruertit, vt vix dum aliud pharmacum, quod tam potenter, tamque citò operetur, & tam multa præftet, inueniatur, non exclufis etiam validifsimis, inter quæ & purgantia narcoticaque, ipfaq; venena præcipua cenfentur.

Primùm enim oftendat aliquis mihi medicamentum, quòd mentem ipfam, etiam grauifsimis curis, affectibusque oppreffam obtenebratamque, æquè & tam fubitò, veluti actu exhilaret, tranquillam & à curis follicitudinibusque quietam placidamq; reddat, atque ipfum vinum. Quod folum vnà cum fuaui Mufices concentu, cor hominis exhilarare, etiam ipfe Sapiens & nouit & prædicat. Non fanè vlla alia medicamenta, vel cephalica, vel cordialia id præftabunt, non ipfe puluis requiei, nec lætitiæ dictus Galeni, non ipfe Syrenum cantus id tàm eleganter & citò, vti vinum efficiet.

Quin quòd & implacabiles animi affectus doloresque, qui nec herbis nec verbis, nullisque admonitionibus, facrísve confolationibus, in melancholicis aut mœrentibus mitigari aut tolli poffunt, compefcit fedatque. Et quod temporis diuturnitate tantùm fieri poffe ait Cicero, illud vnico veluti momento innuit.

Sed vt moderatus illius vfus exhilarat, qui primus gradus ebrietatis cenfetur, ita immoderatiùs affumptum, Dij boni, vt cum Comico loquar, quid hoc morbi eft; adeon homines immutarier, vt nō cognofcas eundem effe. Quanta inquam metamorphofis? Quæ dementia, qui fecundus gradus eft. Quæ focordia & torpiditas, quæ tertium gradum ebrietatis conftituit, eaque diuerfimodè

ſimodè,pro naturarum varietate, nunc hoc, nunc illo modo ebrietatem ſequuntur.

Et ne ſingula recenſeam,cùm vix aliquis ſit,qui hæc ſi nō in ſeipſo,in aliis certè ſit expertus,hoc duntaxat adjiciendum erit. Sanguineos ebrios,riſu iocisque & verbis & factis à ſtultis & fatuis penitùs nihil differre. Cholericos iraſci pugnandoq; Phreniticos fieri. Qui atra bile infeſtantur,mœrendo,triſtando,& lachrymando, quod Germani das Truncken elendt vocant, Melancholicorum naturam induere. Pituitoſos ſomnolentos, inertes & ſocordes fieri.

Quæ cùm aliis aliter eueniant,commune tamen omnibus, poſt nimiam & diutinam repletionem, licèt aliis ſeriùs aliis citiùs hoc accidat, quòd vel ſomno immoderato oppreſsi, profundè dormiunt ægreq; excitantur, vel adeò caro & veterno ſtupidi attonitique iacent,vt nec clamoribus,nec verberibus expergeſieri, immò ne reſpondere quidam,aut oculos grauatos attollere velint.

Non ſecus ac ſi è narcoticis, & ſtuporem ſomnumque inducentibus, omnium efficaciſsimum opium, inſigni quantitate aſſumpſiſſent. Quod quâ ratione accidat,hoc loco maximè in quæſtionem venit & dubitatur; De quo, vt paucis dicam, nolo ego iam in aliis vini viribus, vbi calore ſuo actiones vegetiores reddit, ſucco euchymo nutrit, & ſubtilitate penetrat, ſpirituoſaque vi refocillat,enodandis, cùm hoc iam alibi à me præſtitum ſit,longiùs immorari,ſed quâ ratione vinum ſoporem ſtuporemq; efficiat, meam ſententiam, ſaluo aliorū iudicio, obiter proponere, quæ hæc eſt.

Vinum affirmo non manifeſta aliqua qualitate, ſed abſtruſa vi & occultâ, narcoticâ ſcilicet, quam non tantùm quantitate, immoderatiùs ſumptum admodùm exerit,ſed & moderatè hauſtum, in ſomno conciliando oſtendit,ſoporem & ſtuporem inducere.

Quod etſi durum & inauditum videatur, poſſem tamen multis & probabilibus argumentis hoc conuincere. Inter quæ hæc ſufficiant. Quòd manifeſta cauſa alia in vino inueniri non poſsit, eoque nomine ex effectu ad occultam hanc narcoticam vim, vt in aliis recurrere oporteat.

Nam ſi quis vapores objiciat, rec[illegible] plentes & dementantes, quare no[illegible] vaporoſa calida, vti ſinapi, allium, cepa[illegible] ſtatim oculos irritando lachrymas mou[illegible] caputque petunt & tentant manifeſtè, ſimuliter ſomnum conciliant, imò vigilias potius, vti & alia calida promouent. Si quis capitis dolorem, qui ebrietatem ſequitur, objiciat, eoque vaporum copiam cauſam affirmare velit, is intelligat, etiam opium aſſumptum, capitis dolorem, poſtquam excitati ſunt, eumque grauem efficere.

Sed cùm narcotica frigida ſint, quâ ratione vinum cùm calidum ſit, narcoticum erit, inquiet aliquis, cui ſic reſpondeo.

Narcotica frigiditate ſua ſtuporem aut ſomnum minimè inducere, ſed proprietate & vi peculiari, quæ cùm & in calidis & frigidis inueniatur, ſicuti alia, quæ proprietate agūt, medicamenta cephalica, cardiaca, arthetica, & calida & frigida inueniuntur, nec narcotica neceſſe eſſe, tantùm in frigidis inueniri medicamētis, ſed in ambabus qualitatibus hanc vim poſſe conſiſtere.

Quod eò magis probabile, cùm & narcotica dicta medicamenta, quæ ſummè frigida eſſe exiſtimant, neque foris admota refrigerent, ſed potiùs, ſicuti mandragora, hyoſquiamus, emolliendo, vti ſæpè obſeruaui, calorem aliquem ipſis ineſſe oſtendant. Immò ipſius opij amaritudo, quæ tantùm calidis ineſt, calorem aliquem ineſſe indicat.

Quo facit & hoc, quòd in multis aliis ſuccis calidis, eiuſmodi vis ſtupefaciendi, licèt non tam efficax, vt in vino inueniatur. Sicuti aliis omiſsis, in lupulis eſſe, ceruiſia, quæ quoque inebriat, ſatis declarat.

Ad hæc, quòd vinum ipſum ætate adeò purificatum, arteque chymica ita attenuatū, in liquorem illum, quem aquam vitæ vocant, vt nō ampliùs ſit vaporoſum, ſed ſummè calidum & ſubtile, nihilominus tamen caput demētat, longeq; citiùs quàm vel muſtum, vel vinum crudum inebriat & ſtupidos reddit.

89. Vinum eiusq; faces an narcoticæ?

Vinum narcotica vi præditum eſſe, hiſce obſeruationibus motus cœpi aſſeuerare.

[illegible] quòd non tantùm ſomnum indu-
vti freones, [illegible] adeò attonitos quoq; reddat, vt nec [illegible] at[illegible]isi expergeſiant, ac veluti apoplectici, [illegible]bus priuati, donec vim illius edormitan[illegible]t, cadunt, immobilesque iaceant, alij pòſt expirent. Quod vt quantitate ſumptũ, in aliis citiùs, in aliis tardiùs facit, pro naturarum varietate, ita viribus illius collectis, parua etiam quantitate validè admodùm operari, oſtendit aqua illius vi ignis elicita, quam aquã vitæ aut ardentem vocant: quæ adeò ſtupeſacit, vt illius immoderato potu vini infantes, Dolearij cuiuſdam, cum parentibus abſentibus, aquam eſſe exiſtimantes, caſu bibiſſent, & aurifabri famulus, & mendicus quidam, poſtquam diu mẽte perculſi iacuiſſent, non aliter ac ſi opium ſumpſiſſent, expirarint.

Memini præterea porcos matris olim, cùm fæces vini deuoraſſent, adeò factos attonitos, vt incedere ampliùs nõ poſſent, ſed ſtupidi penitus iacerent; vnde apparet, vini fæces quoque narcoticas eſſe.

90. *An Metalla omnia naturæ noſtræ ſint aduerſa?*

CErtum eſt omnia Metallica naturæ noſtræ aduerſa eſſe, tota ſubſtantia, maximè quo impuriora, ſucco conſtant acri vel erodente, vti ea quæ rubigine tentantur, vel ærugine, vel albugine, ceruſa ſcilicet, ferrũ, æs, plumbum, & quæ alios ſuccos atramentoſos exudant, ſtibium, cadmia, toto genere venenata: Vti & pyrites, in quibus acres ſucci effloreſcunt. Sed & puriora noxia ſunt, vt argentum viuum, maximè ſi figatur. Item aurum & argentum, quæ cùm puriſsima ſint, nullaque excrementa, niſi pauca vt argentum proferant, cùm lineas ducat, minùs noxia, non tamen ſine noxa, præſertim ſi vti argẽtum viuum, vel vſta vel attrita, vel quocunque modo attenuata exhibeantur. Quæ multis probari poſſunt, ſi quis veram metallorum naturam penitiùs conſideret.



91. *An'ne aurum lapidésve pretioſi, ſub quibus & gemmæ & vniones comprehenduntur, vires noſtras aſſumpta admotáve reficere poſsint?*

QVæſtio digna quæ exagitetur, præſertim cùm in dubium vocetur à multis, an'ne iſta terreſtria inanimata, corpori noſtro penitùs diſsimilia, tum ſubſtantiâ, tum qualitatibus aliquid efficere poſsint, aut ad virium reſtaurationem quippiam conferre.

Corpora ſubterranea animæ expertia, varia exiſtunt, vti ea quæ è terra prodeunt, vel in aqua, aëre verſantur, infinita exiſtunt. Nam vt in ſingulis elementis certa verſantur, ſic in aqua piſces, quorum infinitus eſt numerus, in aëre aues, quadrupedia, inſecta, & reptilia. E terra prodeunt arbores, frutices & herbæ. Hæc & viuunt, creſcunt & vegetant.

Cæterùm ea quæ terræ viſceribus incluſa, inanimata, recondita, ſubtiliora exiſtunt, interiores terræ cauernas & canales, ac minimas quaſque rimas, receptaculaque adimplent, quæ certè vel illic concluſa perſiſtunt, vel quia ſubtilia, viâ aliquâ patefactâ effluũt, erumpuntque. Effluit è terræ penetralibus, Humor quem terra quaſi combibit, ſub quo comprehenditur Aqua & Succus, nam vel aqua pura è terræ venis prodit, vel eá ſucco quodam permiſcetur acido, vti aquæ nitroſæ, aluminoſæ, atramentoſæ, vel ſalſo, vt aqua è qua ſal excoquitur, vel ſulphure quoque aqua miſcetur. Succi hi vel æquè mixti, vel puri interdum effluunt, ſed rariùs, vt petroleum, quod nos putamus eſſe ſuccinum ſolutum.

Cæterùm vti hæc interdum è terræ venis effluunt, ſic erumpũt ea, quæ adhuc tenuiora, aër, atque exhalatio, & horum omnium ſubtiliſsimus emicat ignis. Sic terra ipſa licèt elementaris reliqua quoque elementa in ſe continet.

Verùm craſsiora quæ terreſtria magis, fixaque exiſtunt; Sunt ea quæ foſsilia dicuntur, cùm non alia ratione prodeant, & grauitate ſua ſubſiſtant, niſi vi eruantur.

Hæc ſunt terra, ſuccus, lapis, metallum, quæ ſingula vel pura, ſed rariùs, plerumque impura

impura, quæ vel miſta vel compoſita. Nos omiſsis iis, quæ nihil ad rem faciunt, obiter de ſimplicibus agemus quatuor enumeratis, terra, ſucco, lapide, metallo, quatenus Medico ea conſideranda veniunt. Inter quæ alia molliora, aquâ molliuntur: vti Terra, ſuccus Terrarum, alia vtilis agricolis, vt quę ad ſtirpes alendas & gignendas conueniens eſt: alia figulis, vt argilla: alia pictoribus, creta, rubrica: alia medicis, lemnia ſiue bolus, Samia, Armenia, quia venenis reſiſtere, neſcio quàm verè dicunt. Inſigniter tamen eam ſiccare certum eſt, proinde ſanguinis fluorem compeſcere, bolum, terram lemniam, cimoliam, lachrymantes oculos ſanare, & aliis humidis morbis prodeſſe, docet quotidiana experientia. Succi concreti frequentiùs à Medicis & Chirurgis maximè vſurpantur: tum illi, qui non ardent, tum qui flammam facilè concipiunt. Qui non ardent, ſunt hi qui cognoſcuntur vel Sapore ſalſo, vti Sal, Nitrum, Alumen, quæ potentiſsimè foris introque admota exiccant, putredinem arcent, & ſtimulant, ſapore acido & acri conſtant.

Atramenta omnis generis, Myſi, Sory, Chalcitis, Chalchantum, Melanteria. Quæ omnia non tantùm validè ſiccant, ſed & ſimul exulcerant, proinde per os minùs exhibentur, ſed foris plerunque, ad exedēdam carnem, in vlceribus malignis vſurpantur, & in cutis fœda ſcabie atque puſtulis. Licèt & aliqui, vt Antidotorum molem adaugeant, non verentur hæc quoque Antidotis addere, vti Chalcitim theriacæ, Vitreoli oleum, multis compoſitionibus, quando ſudorem elicere volumus, aut detergere.

Quæ reliqua ſunt ex ſuccis, colore tantùm notantur, Venenata & Deleteria, tota ſubſtantia nobis aduerſa, vt ſunt Chryſocolla, Cæruleum, Ærugo, Ferrugo, foris tātùm adhibentur, quia erodunt: tamen in purgationibus veteres & neoterici, violentioribus quoque hiſce vſi ſunt; nam & lapide armeno & lazuli purgant.

Sed quæ ſeptica ſunt putrefacientia, auripigmentum, ſandaracam, nemo ſanus exhibebit, niſi velit præſentaneam mortem, ſtudio inferre, ſed tamen foris admota, ſuas habent vires ſiccando & putrefacien[illegible] teriis ſine doloribus.

Succos ardentes pingues, vt Sulph[illegible] tumen, Medici quoque vſurpant, ſul[illegible] foris admotum ſiccat, citra calefaction[illegible] ſcabiei medetur, per os in Aſthmaticis & Phtiſicis datur, ob eandem cauſam. Bitumen emplaſtris miſcetur, quia cum emollitione quadam ſiccat.

Hæc ſunt ex foſsilibus molliora, quibus Medici ſuo tempore vtuntur, & manifeſtis viribus pellere cōſpicuum, de quibus nunc longiùs agere nolumus: neque enim de iis quæſtio propoſita quicquam habet.

Cæterùm duriora foſsilia quæ ſint & quatenus Medicis ſint vſui, breuiter adjiciendum. Sunt autem Lapides & Metalla. Lapides duriſsima ſunt corpora, atque vel ſaxa comprehendunt ſub ſe, lapicidis tantùm vtilia, vel his pretioſiora marmora, quia radiant polita, ex quibus figuræ fiunt atque ædificia ſplendida, nec Medici iis vtuntur.

Cæterùm gemmis inſigniter duris pellucentibus plerunque vel colore valde venuſto varioq; nitentibu, ſMedici vtuntur ad virium cōfortationem, ad certas partes roborandas, ad morbos ſanādos, nihilq; eſt quod nō gemmarū viribus nos aſſequi poſſe, non ſcripſerint Medici. Reliqui lapides, vt ſunt Magnes, Hæmatites, Ætites &c. in eoſdem vſus à multis vſurpantur. Cùm tamen Ætites nihil diuerſi à ſaxo poſsideat, Magnes licèt ferrum ſibi ſimile trahat, non tamen agit eâ vi in corpus noſtrum, cum quo nullam habet ſimilitudinem. Proinde potiùs ſiccante vi, vti & Hæmatites prodeſt, ſanguinis fluorem ſiſtens, & ſiccans potenter.

De Metallis quid dicam. Inter quæ fluidum illud Argentum quod viuum vocant, multi vſus, nam & viuum vermes enecat, pellit; fugat reliquas quoque beſtias ex ſordibus natas, & purgat: fixum erodit potenter, proinde foris vſurpatur, & ſudores mouet.

Cæterùm reliqua metalla quæ vel commendantur precio, vt aurum & argentum, vel vſu pro artificibus mechanicis, æs, plumbum, ferrum, à Medicis quoque adhibentur in certis morbis, nam quæ pretioſa, cordia

[illegible] esse dicunt, alij negant. Plumbum vti freones [illegible]erit vires, foris admotum, vti & ce[illegible] at[illegible] Stibium validissimè purgat, vel mi[illegible]a portione. Ita vt nihil ferè sit, quod [illegible]ducit tellus, quod non suas vires quoque exerat. Atque cùm terreum in ipsis elementum exuperat, validè siccare omnia facilè conjicimus: sed & alias insuper vires possidere, quibus vel validissimè purgant, vel erodunt. Cæterùm an cordialia sint, & vires nostras restaurent, de eo est quæstio, hîc cardo versatur.

Gemmarum vires incredibiles, & valore inæstimabiles (sub quibus & vniones perlas dictas comprehendo) descripserunt, pauci ex Græcis, maximè verò Arabes, Mauritani, & post hos delicati & splendidi Medici, integris commentariis insigni gemmarum efficaciâ descriptâ, nec tantùm appropriatas vel partibus, cordiales esse, capitales, oticas &c. vti smaragdum appensum ventriculo conferre, hyacynthum cordis vires augere, chelidoniten oculorum aciem acuere, &c. verùm etiam certis morbis certa esse ex his remedia, crystallum vertiginem tollere, iaspidem partum accelerare, bufonium tumores amouere asserentes. Insuper alia multa ab his præstari, corpori incrementum addere, castitatis esse indices, animi affectus tollere graues, gaudium, lætitiam conciliare, deuotionem, pietatem, propensionem in Deum ipsum excitare, quibus ferè Pontifices atque horum asseclæ sacras suas vestes magno cum fastu solent exornare. Ex quibus ita colligunt, si solo intuitu, vt de basilisco fabulantur, vires suas exercent, vel contactu, vt de torpedine marina scribunt, quid si indantur corpori, efficient, quas vires exerent? Proinde variis artibus illa attenuata, contrita, dissoluta, exhibent, & præsertim Medici, cum quibus mihi nunc est negotium, medicamentis miscent cordialibus. Aurum enim limatum, vel foliatum exhibent; Vel etiam aurum decoquunt, vel candens extinguunt in liquore, quem postea bibendum propinant, sordes potiùs ablutas, quàm efficaciam propinantes. Alij solutum potabile illud efficiunt, spiritum vel oleum auri vocant, & multis titulis ornant, quibus præter alias eximias virtutes, quas ipsi attribuunt, hoc & sanitatem & iuuentutem conseruari, senectutem tardari, & in morbis extremis extremæ quasi vnctionis loco habent.

Lapides item pretiosos, hyacynthum, rubinum, granatum, smaragdum, margaritas in cote atterunt, confectionibusque miscent cardiacis. Hinc tabulæ illæ insigni nomine manus Christi, commendatæ ex saccharo & perlis factæ in tanto precio.

Sic paratur confectio de hyacyntho, species cordiales de gemmis fiunt, Diamargaritum calidum & frigidum, vixque est cordialis aliqua remedij forma, quæ non vel aurum, vel lapides preciosos, perlásve recipiat; & vt splendidiorem faciant, sericum quoque inter ea quæ ab animantibus ad vestitum vsurpantur, adjiciunt: corallia item, & alia.

Subtiliores verò Medici, & qui operâ suâ ditioribus tantùm inseruiunt, hæc damnāt, in substantia exhibita, proin quintam ex iis eliciunt essentiam quandam, qua modò non immortalitatem pollicentur, oleum, spiritus facientes ex lapidibus, perlis, quorum vnica guttula animam iamiam fugientem (vt aiunt) retinet: quæ si tanti vsus, non mirum quòd immenso æstiment pretio, atque vt vita æterna in ecclesiis abusu defœdatis venalis exponitur; Sic & vitæ præsentis longitudo, nunc coronatis multis, ab arcanis illis philosophis redimitur.

Aurum, gemmæ margaritæque, inter ea quæ Deus optimus maximus subterranea condidit inanimata, pretiosissima semper fuêre, & principium culmenque omnium rerum tenuêre, vt ait Plinius, idque cùm & rarissima essent, purissima pulcherrimaque, quo nomine reliqua omnia sui generis exuperant. Qua difficultate, quot emensis laboribus, periculis terra marique habitis, aurum gemmæque è terræ visceribus intimis eruuntur, è fluminibus altissimis petuntur? Vniones ex conchis maritimis rugatis, quas Matres perlarum vocant, perquiruntur. Fecit auri sacra fames, vt ad extre-

extremos terræ angulos peruentum sit, ad Indos Orientales, Occidẽtales, diutina longa & periculosa nauigatione nauigatum. Maris rubri Persicus sinus, Arabiæ vnionum causâ peruestigatus. Vnde non mirum sanè, si hæc tot laboribus periculis conquisita, vt rara, sic chara esse.

Maximè verò puritas in hisce & elegantia commendatur, cùm aurum, gemmæ, vniones nullo senio, nulla rubigine infestentur, nec quicquam decedat ab iis excrementitij vnde manibus tractata versataque nullo alieno colore inficiuntur.

Aurum igne liquescit sed non consumitur, & quo frequentiùs canduerit, tanto fit præstantius, & de sua magnitudine interim nihil deponit, ita purum, vt si eo candente partes adurantur, curata vstione, nullum cicatricis vestigium remaneat.

Hinc factum, vt mulieres cosmeticæ Italiæ, frontem speciosam & latam vt efficiant, auro ignito pilos frontis adurant, si hi partem frontis obtegant, quod illæ indecorum esse putant. Ita tractabile aurum, vt citra fracturam malleo percusum, ex singulis eius denariis, quinquagenæ pluresve efficiantur bracteæ vel foliola, quibus & pictores & Medici vtuntur.

Atque vti aurum tenacissimum, sic gemmæ, margaritæ, durissima corpora, nullo igne liquescunt, secus ac marmora & silices fluores & vitra, quæ & atterunt, vti videmus adamantem, vitrum durissimum secare & in eo lineas ducere.

Cæterùm si elegantiam spectemus, quid pulchrius hisce atque acceptabilius? Quam relucens in auro color fuluus, vel potius aureus, quis nitor? Quid gemmis splendidius? Pellucent eximiè chrystallus, adamas, citrinus. Alij specioso simul colore nitent, nunc aureo, vti Hyacynthus, alij rubro, vti Carbunculus, quem Granatum vocant, vt & Rubinus, Sarda, cæruleo, Cyaneus, quem Türckiß vocant. Sapphyrus item & Amethystus, flauo Berillus, Chelidonites, viridi Smaragdus, Prasius, albo Onyx. Nunc vario nitent, vti Iris, Opalus, Iridis colore [illegible] exprimunt. Iaspis omnis generis [illegible] nunc simplices, nunc mixtos, sp[illegible] lineatim ductos, representat. Ex alb[illegible] rubro tinctus Sardonyx, ex albo & [illegible]gro, Gemma quam Huiam vocant. Quid perlis nitidius, argenteo colore fulgentibus, politis, quarum venustati, si accedat, par magnitudo & pondus, precio preciosissima quæque exuperant. Tales fuère Cleopatræ illius reginæ Vniones, per manus Orientis regum ipsi traditi, quibus apparatum, & luxum Anthonij, vno vnione ipsi propinato vicit, vna cœna centies sestertiûm absumens.

Hæc itaque sunt, quæ Dei omnipotentis admirandam in hisce formandis pingendis poliendis industriam, nobis ante oculos ponunt, quæ & meritò pretiosa habentur: & à magnatibus magni fiunt.

Cæterùm vt nihil non auri sacra fames docuit, nihilque tam præstans, quod non in abusum veniat. Ita sanè hisce quoque accidit, factumque temporis successu, vt remedia simul ab his peterentur, & vires illis incredibiles ascriberentur, quò exhibitione horum, amplam prædam referrent, vnde Empirici cœperunt iis vti primùm, postea & reliqui Medici, citra tamen omnem rationem & experientiam, tantùm iis nixi, quæ de iis anilia figmenta sparguntur.

Si enim experientiam objiciant, possum hoc apertè fateri, multa expertus & ipse, nunquam me aliquid tale deprehendisse, neque deprehendisse etiam alios, nisi fortè si quid casu acciderit, illud gemmis adscribamus. Nec enim video Regibus aut aliis ditioribus vitam prolongari præ cæteris, illorum applicatione aut vsu. In virium restauratione & confortatione, vnicum vini haustulum, brodioli exhibitionem, odorem aceti in deliquiis, micam panis, &c. plus efficere aio, quàm si quis auro penitùs obruatur.

Succurrit ridiculum quid: Noui diuitem ægrum febre lethali correptum, hic admonitus

63 [illegible]icis, collo appendit catenam au- [illegible]nulos, radices & alias nugas, qui- vti frenes[illegible] [illegible]seros languentes ægros potiùs mo- [illegible] at[illegible] e ſolent, quàm roborare, quod & huic [illegible] tan[illegible]dit: nam febrili calore ardens, thoracem ſæpè retegebat, & nudus iacebat, hinc factum, refrigeratis iſtis quæ thoraci inſtrata erant, & pectore ipſius refrigerato, ex contactu horū, vt tuſsis ſuborta eſſet vehemens, quæ ipſi mortem accelerauit, ſicque non aliud commodi à catena illa & gemmis referens, quàm olim Craſſus ab auro liquido ipſius ori infuſo.

Verùm ſi rationibus contendere velint, quam nam obſecro inuenient qualitatem ne vllam, aut materiam in iis, quâ calor noſter reficiatur? Omnibus quidem, quæ Deus naturæ parens produxit, ſuas ineſſe vires, & in vſum hominis pleraque condita nemo negat. Nam vel defenſionis causâ ex metallis, lapidibus, fiunt ædificia, arma, vel commoditatis causâ, inſtrumenta, vel ex aliis inanimatis quibus artifices vtuntur, indumenta, veſtitus, iis ſcilicet quibus abundamus maximè: reliqua enim rara & chara, à magnatibus tantùm in eoſdem vſus adaptantur: plerumque verò ad faſtum potiùs iis abutuntur; venuſtatem & elegantiam vtilitati præponentes. Nam ex auro & argento fiunt columnæ, ſimulachra, tripodes, tabulæ, calices, crateres: & ex gemmis quoque, quibus ſplendent Regum menſæ, indumenta, arma variis terrarum in locis. Sic vidimus Lutetiæ in Templo S. Dionyſij, crucem ex maſſa auri, & alia innumera. Craterem ex lapidibus pretioſis: Salomonis ex Iaſpide poculum, & alia multa. Cæterùm vt conſeruetur homo in ſtatu integro, vel ab eo regreſſus mutetur, & in integrum reſtituatur, admouet, aſſumit varia. Conſeruatur enim, fouetur & reſtauratur ſimilibus, ſanguine primùm dum in vtero eſt fœtus, mox lacte in lucem editus, inde maturior factus, alimento, quod ab animantibus, ſuæ naturæ ſimilibus, & plantis quibuſdam, ſed parciùs deſumit. Fouetur calore ſuaui externo, odore iucundo & grato. Illis enim nutritur, illis ſpiritus refocillatur: Quæ verò ſecus ſunt comparata, nec cum corpore noſtro ullam habent affinitatem, ſiue materiam ſiue qualitatem ſpectes, & proinde contraria ſunt, illis alteratur, mutatur, vt quæ inſigni vi prædita, calore frigoréve excellunt, ſicca dura, emolliunt indurant, &c. Hęc certè à plantis medicamentoſis petuntur, & ſapore vires ipſorum dijudicantur, quibus præualent.

His longè magis adhuc metallica, lapides, corpora inanimata, duriſsima, ſicciſsima, corpori noſtro penitùs aduerſa, ſi ſucco quodam natiuo dicto permixta impura fiant, vti pleraque metalla & lapides multi, & quæcunque rubiginem, æruginem, aut aliam efflореſcentiam patiuntur, hæc acri ſucco prędita, inſigniter erodunt, corpusque ad deiectionem & vomitū aſſumpta violenter impellunt. Vti lapis lazuli, armenus, ærugo, ferrugo, chalybs, argentum viuum, maximè fixum & calcinatum, antimonium, quod etſi calcinatum gemmarum inſtar ſplendeat, tamen pernitiem ſuam non deponit. Quæ verò ex metallis & lapidibus puriſsima habentur, aurum, gemmæ, vniones, corallia, &c. nullam violentiam aſſumpta vel admota exerunt, quia puriſsima, terreſtreitatis tamen participia, inſigniter ſiccant, hinc foris applicata, vlceribus medentur, oculorum vitiis, cutis maculis, dentibus ſcrabris vi exiccatoria proſunt, vt docet Dioſc. vti & aſſumpta vel iniecta, internas exulcerationes ſanant, humiditates abſumunt, proinde in dyſenteria, phthiſi, vlceribus veſicæ & vteri commodè præſcribuntur. Hæ ſunt precioſorum horum vires manifeſtæ, quas & experientia dictat & ratio comprobat, neque confortatione vlla alia ea nos roborant, nullo ſaporo, nullo odore prædita, quibus ſubſtantiam deperditam reſtaurent, vires reficiant, ſecus ac moſchus & ambra, quę duo pretioſiſsima quoque, vt ad voluptatem, & luxum incommodè, ſic vtiliter ad reſtaurationem adhibentur, odore inſigni efficaciam prodentia. Proinde aurum, gemmasq; ſiccandi vi pollere eaque in variis prodeſſe morbis, non autem in reſtrauratione ea præſtare, quæ fabulantur, aſſerere non dubitamus, & ſimul monemus, ne temerè quis fidat iis, qui vanis promiſsionibus, vires corporis & ſanitatem

polli-

pollicendo auro gemmisque,loculos interea exhauriunt, ægris sunt emolumento,se ipsos confortant potiùs, quàm aliorum incommodo, suum ipsorum capientes commodum.

92. *Quænam Narcoticorum vires?*

NArcotica medicamenta minimè refrigerare,multò minùs frigiditate stuporem inducere,sic probatur.

Cùm ex narcoticis, fortioribus præsertim, quædam admodùm amara sint, vt papauer illiusq; succus seu opium,& grauem odorem spirent,amara autem & odorata calida sint, ex sapore,cùm gustus certissimus sit qualitatum Iudex,teste Galen.ea potiùs admodùm calida quàm frigida iudicabimus. Cùm frigida vel acida,vel saltem apoia esse deberent. Dein & inter gratiora narcotica,è quorum numero Vinum præcipuè esse, alibi probauimus,& sapor & odor, illud calefacere,satis ostendit,præsertim quo dulcius & odoratius illud existit,vel destillatione in aquam ardentem redactum,quod & tunc magis stuporem inducit,corpusq; inflāmat,adeò vt attoniti iaceant,& sic quandoq;, ac si opium sumpsissent,extinguantur.

Dein & cùm Acetum haustum,post narcoticorum vsum,illorum vires in narcosi inducenda, infringat, & vt minùs operentur citiusque ad se redeant,efficiat,illudque frigidum sit,ex cōtrarietare hac,illa calida potiùs esse, facilè licet conjicere. Sic acetum, Solani maniaci vires mox labefactare,docet Matthiolus. Et post opium sumptum,acetum exhibitum,admodùm profuisse multoties expertus sum. Atque ebrietatem aliquo pacto aceti potu arceri,eamque quæ penitus attonitos reddiderat, corrigi, sæpius cognouimus, è contra Narcotica,cum vino exhibita, validiùs operari,vti & Diosc.cicutam cum vino exhibitam,citiùs interimere docet.

Sitis quoque post narcoticorum vsum superueniens, capitisque dolor,cum faciei rubore,& pulsu, sudoresque copiosi, calorem illorum potiùs quàm frigus denotant.

Quod si ex frigiditate quam extremam esse oporteret, vt calorem natiu[...] guendo,sic insensibilia membra red[...] narcosis illa procederet, nō tam citò i[...] sum cessaret,& ad se qui eam passi sun[...] dirent.

Cùm vinum ardens,quod calidissimum omnium iudicio existit, stuporem vti iam dictum,inducere viderem,narcotica nō frigiditate suâ, sed peculiari vi stupefacere,iudicaui. Quod idem amaritudo opij,vti & papaueris,quæ non nisi in calidis existit,cōprobare videtur. Huic accedit, quòd folia hyosquiami cocta,applicataque,durissimos tumores emolliunt, vt sæpe numero expertus sum. Quod non nisi à calore illius potest proficisci. Vnde Narcotica seu Stupefacientia medicamenta ea dico,quæ assumpta admotáve vi insita,cerebro neruisq; stuporem inducunt. Hinc sensum tactus,in parte sensili imminuendo,plus minúsve dolorem sedant vel tollunt penitùs, vnde & Anodyna sunt.

Eadem sensus internos sopientia,somnū inducunt,hinc & Soporifera dicuntur.

Licet ex accidenti sensus internos perturbantia, attonitos deliriumque faciant, hinc & dementantia existunt.

Hæc certè non frigiditate calorem natiuū extinguendo, vt volunt, aut alia manifesta qualitate, sed propriis abditisque viribus præstant. Nam ex iis non omnia frigida,sed quædam temperata, quædam etiam calida existunt,vt supra de amaris & tumores frigidos emollientibus & discutientibus monitum.

Quòd si verò ex narcoticorum immoderato vsu vitæ accidat periculum,id non aliter, quàm ab aliis venenatis, ab oculta vi proficisci, quâ neruoso generi insidiantur, satis ex dictis patet.

Dein cum breuis sępe sit Stupor,post narcoticorum vsum,abundè indicat partem frigore minimè fuisse mortificatam,sed tantisper sensus sopitos. Adde quod & torpedinis tactus stuporem nulla manifesta qualitate inducit. Frigida dentiū stuporem sanant vti portulaca masticata. Sunt & multa longè frigidissima, quæ stuporem nullo pacto,assumpta præsertim,pariunt.

[illegible]omorum succus an narcoticus?

[illegible]m fæces succi pomorum depurati vi[illegible]osi & iam acetositatem adepti, porcis [illegible]orandas exhiberet familia mea, temu[illegible]nti facti & ebrii, titubabant & cadebant, donec discusso vapore, ad se redirent.

94. Quǽnam purgantium facultas & vnde?

PVrgatio hodierna die multis litium inuoluitur labyrinthis, de quâ paucis acturi sumus. Intelligimus autem per purgationem, actionem illam, in quâ cathartici vi, humores qualitate peccantes, per secessum euacuantur. Consideratur hæc quatenus fit è regione secundâ, solùm in primam, & è regione secunda simul & tertia, in intestina, vel è prima regione extra corpus, loquor cum Fernelio. Huius purgationis causam efficientem tanquam maximè controuersam imprimis propono.

Purgationem eam, quæ è prima regione extra corpus fit, fieri à Naturæ ministrâ facultate expultrice irritatâ, non solùm deiectiones naturaliter fientes, sed etiã arte quæ mouentur, siue per suppositoria, siue clysmata, siue per os assumpta cathartica, satis euidenter demonstrant. Quis enim in deiectionibus aluinis, arte promotis (nihil dicam nunc de naturaliter fientibus) non sentit in abdominis cauitate, dolores lancinantes, tormina, item expultricis ad expulsionem insurgentis motus magnos, & similes iis, qui dysenteria, aut tenesmo affectis, comites esse solent.

Huc referas & motus excretionum aliarum, quas artifex per remedia manifestè naturam sollicitantia & irritantia, molitur, vt est expurgatio pituitæ, è cerebro per errhina, per apophlegmatismos, sic etiam sæpè videmus, oculos expellere materiam serosam; si aër frigidior, qui oculis & cerebro inimicus, aut vapor acris eos contingat; hinc nasi tunica interiore ab aliquo vellicante aut pungente afflicta, concutiente se cerebro (in sternutatione) non tantùm aëream, sed sæpiùs aqueam, imò lentam viscosamque substantiam ejicit. Idem comprobat ventriculus, dum membranâ œsophagi (quæ continua est cum interiore ventriculi tunica) digitis vel pennâ irritatâ, contenta sibi molesta per vomitũ rejicit, sic in partus difficultate, Natura adiuta irritante aliquo, insurgit, ita, vt vterus fœtum expellat. In his omnibus cùm videamus, Naturam non nisi solicitatam & irritatam expellere, quid obstabit, quò minùs vt verum asserere possimus, Purgationẽ è primâ regione vel intestinis extra corpus à facultate expultrice irritata fieri?

An verò eodem modo, id est irritatâ Naturâ, educendi humores per catharcticum è secundâ & tertiâ regione, ad intestina perueniant, dubitatur. Hunc nodum vt soluam, nonnulla fundamenti loco sunt præponenda: axioma nimirum hoc, Nihil omnino in rerum natura motu locali moueri, quod non moueatur à principio naturali vel violento. At in purgatione humores motu naturali moueri localiter, nemo credit. Nullus enim humor ad intestina peruenit, nisi forsan è venis meseraicis, aut etiam è capite, sed hoc mihi non contrariatur.

Sequitur ergo humores è secunda aut tertia regione peruenire ad intestina, principio violento: & quidem vel tractione vel propulsione. Tractionis causa latet in termino, ad quem motus humorum fieri debet; expulsionis è contra in termino à quo. Huius est facultas partium, quæ mole humorum præter naturam liberandæ sunt, expultrix; illius verò attractrix, quæ inest vel ipsis intestinis vel catharctico. Ipsis intestinis talis vis attractrix non inest, quia intestinis cum humore sibi infenso nulla sympathia; quemadmodum nec ipsi catharctico.

Medicamentum enim si attraheret, attraheret vel vt vegetans, vel vt minerale: non trahit vt magnes ferrum trahit (succinum manifestâ qualitate paleas trahere & retinere videtur) tantam enim copiam humorum nunquam alliceret, vt hypercatharsis sequeretur, nec etiam è distantioribus sedibus ad se traheret. Non trahit, vt vegetans; purgãs enim intra corpus sumptum, rarissimè formã vegetantis habet. Exemplo sit Rheumbarb. quod in puluere, infusione, aut decocto datum, non amplius est Rheumbarb. (id est simplex animâ vegetatiuâ instructum) nisi analo-

analogicè, nec vim eam habet, vt poſsit ſuccum attrahere & attractum ſibi aſsimilare; iam enim priuatum eſt facultate hac, quę dependet à certo mixtionis modo. Inſuper, ſi maximè concederemus, Rheumb. trahendo agere, obſtaret tamen hoc, quod non poſſet trahere, niſi è ſedibus propinquis; at ex habitu corporis expurgat, Ergo. Præterea Rheumb. (ſubſiſtamus in eodem exemplo) non niſi vnum traheret humorem, nimirũ bilem, at in maiore quantitate & ſæpiùs datum, non ſolum biliosũm ſed & ſeroſum, pituitoſum, imò tandem (in hypercatharſibus) & ſanguineum ſuccũ euacuat, quemadmodum & Hippocrates de Natura humana exemplo phlegmagogi docet.

Dicat aliquis, videmus humores à Rheobarb. ductas, flauitie tinctos, ergò ſunt biliosi; ſed cogitet hæc objiciens, ſeroſum pituitoſumque ſuccum à Rheob. hoc tingi colore, etſi aliàs alterius ſint coloris, quemadmodum etiam menſtruum Rheubarb. flauo colore tingi, αὐτοψία docet.

Cùm igitur excrementa educenda in purgatione non moueantur ſponte, non tractione, ſequitur illa moueri expulſione partis, in qua hærent, cuius partis facultas expultrix irritata & ſtimulata à cathartico, expellit, quod ſibi moleſtum (qualitate inprimis) ſentit. Cathartici enim vſu, pars quæ prius ſopita, excitatur, & ad noxiæ materiæ expulſionem irritatur. Hanc aſſertionem probamus à poſteriore: Hypercatharſin enim nullo modo ſiſtimus, niſi ſenſum partiũ irritatarum exquiſitiorem, vel leniamus anodynis, vel ſtupefaciamus narcoticis, quæ omnia ſenſum exquiſitiorem tollunt.

Sed contra poſitam aſſertionẽ, tres video obiectiones, quæ punctũ mereri videntur. Primò, ſi dicto modo fiat Purgatio, cur Natura non citra vſum cathartici ſe exonerat, cùm in partibus hæreant excrementa qualitate quantitatéve moleſta? Secundò, Cur tot catharticorum ponuntur differentiæ, vt pro bilioſo humore educendo, cholagoga, Diagryd. Rheumb. pituitoſo, Chartam. Agaric. melancholico Lap. laz. Senna; Seroſo, Ebulus, Sambuc. Iris, &c. ſi enim eo modo, quo dictum fuit, purgatio fieret, quoduis catharcticum, quemuis humore[illegible] indiuiduo educeret. Tertiò, it[illegible] Zingiber, Arum, & huiusmodi cali[illegible] & naturam noſtram aliquouſq; irritat n[illegible]tentia, non purgant?

Ad primam obiectionem reſponden[illegible] Rei huius cauſam attribuẽdam partim mouenti, partim mobili, Mobile enim vel humor præter naturam, nec quantitate tantus, nec qualitate talis, vt adhuc irritare poſsit. Mouens vel expultrix non expellit, ob ſenſum obtuſiorem: inprimis, cùm eiusmodi humor, præter naturam ſenſim coaceruetur, & ſenſim fiat, ſenſum latet, ſi verò iam cum humoribus peccãtibus concurrat qualitas cathartici, citò & potẽter agentis, non mirum naturam à duplici obiecto irritatam, ad noxij expulſionem inſurgere.

Secundæ obiectioni ſatisfiet; ſi conſiderauerimus gradus qualitatum, tam primarum, quàm quartarum (vt vocant) in purgantibus. Cùm namque inter omne agens & patiens, proportio quædam requiratur, quis bili educendæ, vt humori calidis, acri adaptabit helleborũ carthartic. calidiſs. & acerrimum, & non potiùs Rheumb. catharct. nec tam calidum nec tam acre, nec nauſeoſum vt helleborus, quem ſanè helleborum legitimè vſurpatum, bilis nõ reſpueret, contra indicat tamen eius vſum in bile educendã, vitale indicans, propter æſtuationes, & inflammationes corporis & hypercatharſes (exquiſitiore enim ſenſu, prædita corpora calida, quàm frigida) quæ hinc ſequerẽtur, in corpore calido, & hæc potiſsima cauſa delectus in catharticis cenſenda.

Tertiæ obiectioni occurritur ſic: ſciendũ catharticis omnibus vim quandam ineſſe (pręter acrimoniam & caliditatem) nauſeoſam & Naturæ noſtræ infenſam, quæ excitet Naturã ad expulſionem, primariò ipſius cathartici, ſecũdariò verò humoris peccantis, & hanc qualitatem nauſeoſam, ſi à medicamẽtis omninò dempſerimus, nihil omninò, ſi ex parte, imbecilliùs purgabunt (quod ſæpè per præparationes chymicas in his & aliis medicamentis fit) & hinc piper, &c. nõ purgant, quia vim Naturæ inimicam illam, in ſua mixtione non ſunt ſortita; quamuis

…onnullis temperamentis,paulo …mpta,diarrhœas excitent.

…udentes hanc de purgatione mate… at…,dicimus purgationem non tantùm è …a corporis nostri regione extra corpus, … etiam è secundâ tertiáve in primam ab expellente Natura, vi catharctici stimulata (hinc sæpe purgantia propinata in mulierculis menses, in viris hæmorrhoides in vtrisque etiam venerem per accidens mouent) fieri.

95. An vna facultas expultrix irritata, alias quoq; excitet?

MIrum quòd facultatum tantus sit consensus, vt non solùm irritatis naribus, sequatur sternutatio, verùm etiam si oris ventriculi morsus ex humore prauo, à medicamento, aliáve causa subitò oriatur, & quædam cardialgia, sternutatio illud nitatur expellere, vt singultus hoc aliàs facere solet. Quod frequenter in me ipso experior.

96. De impostura Empirici cuiusdam qui ab omnibus vermiculos se expurgare posse gloriabatur.

IMpostor quidam ad quem plurimi ægri, tanquam ad extremum refugium se conferebant, plerisq; affectum à vermibus prodire prædicebat, datoque pharmaco, vermiculos putatos rubros exiguos, quales caseorum putrescentium sunt, expurgabat: nec dubito, quin eos clàm medicamentis quæ exhibebat, indiderit, sicuti quidam obseruauit, & mihi aperuit, nimirũ scindendo chordas rubras exiguas, quales testudinibus adaptari solent, quæ calorem sentientes, se torquere & incuruare solebant.

Idem impostor celebris hospitis vsus operâ, apud quem vel ægri ipsi, vel qui ab illis mittebantur, diuertebant, clam per ipsum expiscabatur ægrorum accidentia, quæ ex eo cognita, postmodum omnia, ac si in vrina vidisset, magna admiratione narrabat.

97. De alia impostura Empirici simulantis se hydragyrum è corpore elicere.

IVuenis quidam vir, quem ex lue venerea vlcera maligna atque osium corruptionem passum fuisse in obseruationibus nostris exposuimus, ab Empirico persuasus, hanc corruptionem ab hydragyro prouenisse, & nisi illud è corpore educeret, curari minimè posse, acceptâ pecuniâ, se illud præstiturum pollicitus, occultè mutatis sæpe emplastris in vno, sicuti postea obseruatum fuit, argentum viuum, clam antequam apponeret, indidit, eoque postmodum detracto, argentum viuum ostendit, seque illud è corpore extraxisse, gloriabatur, quam illius nequitiam, famula postea, & mercator, à quo argentum viuum emerat, detexerunt.

98. An'ne rupturæ illæ cõmuniter factæ cum dolore in inguine, & tumore in scroto, citra castrationem curari queant?

ARdua est quæstio, & cognitu necessaria: si enim hoc fieri posset, vt multi pollicentur, magno illud fieret humani generis cõmodo, nobisq; à sectione quæ in inguine fit, temperaremus, & discrimen, quod multi incurrunt, euitaremus. Hoc cum nonnulli obseruarent herniosi; potiùs incommodum onus ad dies vitæ perferre maluerunt, quàm tanta subire pericula. Quidam tamẽ vrgente nimio dolore, lithotomis sese concredidere, nihil amplius, vel exiguum, de sanitate, de vita, sperantes: Ligaturis & fasciis alij hernias retinent, & sanant nõnunquam, adhibitis insuper emplastris stipticis, & vt aiunt, consolidantibus. Noua ratio per puncturam, citra ablationem testis, sed non sine graui cruciatu, nuper inuenta est, & in qua error, vt facilis, sic grauis committitur frequentiùs. Nam si vasa seminaria discreta ab inuolucro, per quod delapsus intestini in scrotum fit, separatim vincire possent, saluo remanente teste, succederet, quod an hactenus tentatum sit, conatuiq; responderit successus, non satis constat.


99. An in Hydrope ascite, paracentesis, sectio nimirum pro Aquæ emißione sit facienda?

REm sanè arduam & summè necessariam hactenus ferè neglectam, accuratiùs examinare debemus. Siquidem potior hydropis ascitis, mali apud nos frequentis cura, in aper-

apertione ventris consistit, quam tamen plurimi reformidant, malentes aquam copiosam in ventre tanquam vtre, diu circumferre, & tandem ob eius virulentiam viscera corrumpenté, succumbere, quàm leiusculum vlcus in parte ignobili, citra periculum administrandum, perferre, & sic aquam magno emolumento emittere.

100. Qua ratione impostura lithotomi cuiusdam in lapidis extractione detecta fuerit?

LIthotomus quidam, cùm in virgine nobili (cuius affectum in obseruationibus exposui) meatum vrinarium dilatasset, & forcipem intromisisset, ut calculum quem adesse putabat, & cuius nomine hæc agebat, extraheret, diu multumque eam vertendo quærendoq; , cùm nihil inueniret, dum forcipes diuersi generis, sub panno occultatas mutat, tandem vnam clausam, clam manibus, illius cochlearia duo anteriora, quibus calculum apprehendere solent, prehendens, in vesicam intrudit, n... vti aliàs fieri deberet, ad apprehendendu... calculum aperit, sed hinc inde, occlusam ... men quoque torquens, ac si illum perq... ret, mox se inuenisse clamans, exiguum... modum extrahit: quem ego priùs in forcipis cochlearibus occultatum & agglutinatum fuisse, omnino mihi persuadeo, tum ex prædicta obseruatione, tum quia nullum leuamen postea sensit. Quam meam suspicionem postea confirmauit Amerbachius, narrans mihi, se ex parente audiuisse, similem dolum in alio quodam lithotomo fuisse deprehensum, qui cùm sectionem institueret, calculum in manibus occultatum gerebat, vt si fortè non inueniret eum, quem in vesica esse prædixerat, hunc tanquam extractum supponeret. Quod me postea magis attentum, ne quid tale committeretur, reddidit, &c.



INDEX
QVÆSTIONVM CENTVM.
PHYSIOLOGICÆ.

1. AN Venæ, Arteriæ, Nerui à cerebro originem trahant? Pag. 1.
2. Anne venarum origo à corde vel iecore dependeat? 10.
3. Vasa vmbilicalia continua ne an contigua? 17.
4. Cor sit ne viscus præstantissimum, primum viuens & vltimum moriens? Ibidem.
5. Cur facies frigus meliùs quàm reliqua membra ferat? 22.
6. Quænam sit barbæ in viris vtilitas? Ibid.
7. Digiti an sint pellucidi? 24.
8. Cur corpora humana post mortem non sepulta, mox flauescant, tandem rubeant & sanguinem profundant? Ibid.
9. Cur corpora humana terræ mandata minimè putrescant? 25.
10. Mirum in hominibus tot formarum præsertim varietates. 26.
11. Mirum hominem tàm angustis pedum plantis erectum seruari, nec cadere. Ibid.
12. Inconsueta miraculosa, consueta licet turpia, pulchra videri & è contra. 27.
13. Cerebrum rectène dicatur frigidum? 28.
14. Quare naturâ alij læti, alij iracundi, alij melancholici, alij pusillamines existant? 29.
15. An sanguis quo nutrimur simplex, aut ex aliis diuersis humoribus sit compositus? 32.
16. An rectè sanguis lacti comparatus constare quatuor partibus dicatur, substantiâ sanguineâ seu lacteâ, caseosâ, butyrosâ & serosâ? 33.
17. Cur fel, humores, excrementa & quæcunq; tenacia sunt & glutinosa, fluida reddat? 34.
18. An humor quo substantia corporis, quæ continuò absumitur, reparatur, similis huic, è quo generatur, existat? 35.
19. An calor innatus elementaris sit vel cœlestis? Ibid.
20. An tres sint spiritus, vitalis, animalis, naturalis? 36.
21. An partes principes sensu præditæ sint? 38.

rum motu manifesto moueatur, aut respiratione admittat? 39.
Somnus quomodo fiat? 41.
An somni vigiliarúmve tempore concoctio ciprocedat? 42.
n humor chrystallinus Visionis, tympanum Auditus, lingua Gustus, nares Olfactus, cutis Tactus sensus primaria sint instrumenta? Ibid.
26. An miraculum censendum sit, quòd sonus innumeras aures impleat, species tam innumeras oculus excipiat, & phantasmata mens concipere posit? 45.
27. Mirum meritò haberi, ex tam paucis litteris, tam multa verba constitui, ex sonis paucis tot concentus, ex coloribus tot diuersitates. Ibid.
28. An sensu tactus exquisito, homo omnia animalia superet, cùm illa non adeò vti homines voluptate aut dolore afficiantur? Ibid.
29. An pulmones in respiratione motu naturali, propriis viribus, vel fugâ vacui ad thoracis motum moueantur? 46.
30. Vtrum respirationis & excretionum alui, vrinæ & fœtus motus sint mixti, partim à natura, partim à voluntate nostra, à diuersis organis profecti? 50.
Appendix, quæ prioris quæstionis fusior tractatio, & an in respiratione, cùm motus sit mixtus, plus valeat natura quàm voluntas?
31. An homines simul summè esurire & sitire possint? 55.
32. An tolerabilior fames siti? 56.
33. An aliquis sit lienis vsus excellentior eo, quem illi communiter aßignant, vt melancholicum humorem recipiat & expurget? 59.
34. An maius sit miraculum hominem qui nunquam extitit nasci, quàm qui fuit, per resurrectionem renasci? 64.
35. An semen animalium acre sit & calidū? Ibid.
36. An ex semine solo humani corporis partes, vel etiam ex sanguine generentur? 65.
37. Quare menstruas purgationes mulier tantùm ferè ex animalium genere habeat? Ibid.
38. Quare mulier definitum tempus quousque ad concipiendum & procreandum apta est, vir verò nullum habeat? 67.

PATHOLOGICÆ.

39. An aër vel cibus & potus in gignendis morbis potiores vires habeant? 69.
40. An ingluuie, ebrietate, luxuriâ quàm fame bello & peste maior strages in humano genere edatur? 72.
41. Num in venis meseraicis magna illuuies excrementorum coaceruari poßit? 74.
42. An aër sit causa veneni pestilentis? 75.
43. Vtrum febris pestilentialis interna caussa in humorum corruptione consistat nec ne? Ibid.
44. An venenata qualitas febrem pestilentialem accendens in corpore humano gigni poßit? 81.
45. An venena eiusmodi, qualia ab externis corpus subeunt illudq́ inficiunt, in corpore etiam generari queant? 82.
46. An mentis functiones ventriculorum cerebri, an substantiæ causâ afficiantur? Ibid.
47. Quænam epilepticorum motuum caussa? 83.
48. Quæ paralysis caussa? Ibid.
49. Vnde dolor capitis, post narcoticorum vsum oriatur? 85.
50. Dentes an sentiant & doleant? Ibid.
51. An dentium dolor, læsio aut corrosio, à defluxione in dentem proficiscantur? 86.
52. An pulsus aurium ab arteriis? 87.
53. Quænam fœtoris oris caussa? Ibid.
54. An cartilagines & ossa febrium calore quoque alterentur? 88.
55. An aquæ immersi suffocentur? 89.
56. Phtisis num à vena rupta? Ibid.
57. Excretio tußi facta, an semper à capitis defluente humore fiat? 90.
58. An pleuritis citra pulmonum inflammationem fieri poßit? Ibid.
59. In pleuritide vera, pleuráne sola an simul etiam pulmo afficiatur? 91.
60. An pus citra exulcerationem aut carnis consumptionem interdum generari poßit? Ibid.
61. Vtrum excretio per screatum à saliua etiam procedat? 92.
62. An ventriculi vulgò putati doloris caussa semper lateat in ventriculo? Ibid.
63. Cur mictio frequens & acris, nonnunquam & cruenta, à cantharidum esu & applicatione? 93.
64. Quæ ardoris vrinæ caussa & cura? 94.
65. Quænam alui fluidæ, & excretionis illius caussa? Ibid.
66. Humor melancholicus adustus, sit'ne caussa elephantiasis? 95.
67. Conualescentium marcor debilitas, appetitus & constipatio vnde? 96.

SIMEIOTICÆ.

68. Anne pulsus & vrina, eam quam vulgus illis tribuit, in morbis cognoscendis certitudinem habeant? 97.
69. Vtrum ex vrina conceptus vti vulgò creditur, posit dijudicari? 106.
70. An circulus in vrinis seu corona, vmbra tantùm sit? Ibid.
71. Copiosa & frequens mictio à fructuum esu? 107.
72. An eclipses ea portendant, quæ illis aßignant Astrologi? Ibid.

HYGIEINÆ.

73. Anne homini ad sanitatem conseruandam, necesse sit aliquando vti Venæ sectione, Purgatione, Balneo, Scarificatione, Vomitu? 107.
74. An Temperantia, Exercitium, Alacritas, aliquid conferant ad producendam vitam? 113.
75. An subitanea refrigeratio corporis, dum calet, periculosa? 117.
76. An aqua solùm humectet, vel etiam simul, veluti vinum nutriat? deq; viribus vini. Ibid.
77. An in potu ordinario Vinum [illegible]cti aut ceruisiæ sit præferendum? 12[illegible].
78. Cur ciborum conditurâ nimiâ medicamentosorum factorum vsus noceat? 128.
79. Braßica capitata & caro porcina, num adeò cibi sint noxij, vt vulgus hominum putant? 131.
80. An oua piscium vti & gallinarum, alui fluxum in quibusdam efficiant? 132.
81. Quænam ouorum piscium assumptorum vis? Ibid.
82. Oua gallinarum quomodo corrumpantur? 133.
83. Lactis spuma dum feruet, cur non vrat? Ibid.
84. Cur veneris stimulus à pipere, la[illegible] supino?

THERAPEVTICÆ.

85. An signa cœlestia sollicitè in curatione [illegible] rum obseruanda?
86. Quibus instrumentis instructus esse debeat Medicus? 135.
87. Quem vsum aquarum naturâ acidarum potus corpori humano præstet? 140.
88. Quænam sit illa vis in vino, quæ sensus primùm acuit, mox perturbat, & tandem consopit? 147.
89. Vinum eiusq; fæces an narcoticæ? 150.
90. An metalla omnia naturæ nostræ sint aduersa? 151.
91. Anne aurum, lapidesq; precioſi, sub quibus & gemmæ & vniones comprehenduntur, vires nostras assumpta admotáve reficere poßint? 152.
92. Quænam narcoticorum vires? 161.
93. Pomorum succus an narcoticus? 163.
94. Quænam purgantium facultas & vnde? Ibid.
95. An vna facultas expultrix irritata, alias quoq; excitet? 167.
96. De impostura empirici cuiusdam, qui ab omni[illegible] vermiculos se expurgare posse gloriabatur. Ibid.
97. De alia impostura [illegible] drargyrum è corpore elicere. [illegible]lantis se hy-
98. Anne rupturæ illæ communiter factæ cum do[illegible] re in inguine, & tumore in scroto, citra castrationem curari queant? 168.
99. An in hydrope ascite, paracentesis, sectio nimirū pro aquæ emißione sit facienda? Ibid.
100. Qua ratione impostura lithotomi cuiusdam in lapidis extractione detecta fuerit? 169.

FINIS.

